



205

R. P. HERM. BUSEMBAUM

Societatis JESU, SS. Theologiæ Licentiati,

THEOLOGIA MORALIS,

Nunc pluribus partibus aucta,

A R. P. CLAUDIO

LA CROIX

SOC. JESU, THEOLOGIÆ IN UNIVERSITATE COLONIENSI DOCTORE, ET PROFESSORE PUBLICO.

EDITIO NOVISSIMA,

Diligenter recognita & emendata ab uno ejusdem Societatis JESU Sacerdote Theologo.

ACCEDUNT, PRÆTER LIBRUM OCTAVUM DE SANCTÆ CRUCIATÆ BULLA, *Tractatus Theologicus de* OFFICIIS CONFESSARII, *&* BIBLIOTHECA ERRONEA, *quâ continentur Propositiones tum à Conciliis, tum à Summis Pontificibus & ab Ecclesia damnatæ ab anno* 1418. *ad hoc usque tempus.*

TOMUS SECUNDUS.



1729

BIBLIOTECA DEL INSTITUTO DE CIENCIAS

LUGDUNI.

Sumptibus SOCIETATIS.

M. DCC. XIX.

1729

INDEX

Tractatuum, Capitum, Dubiorum, Quæstionum, quæ sunt in Tomo Secundo.

Numeri hîc designant paginam.

LIBER V.

De ratione cognoscendi, & discernendi peccata.

CAP. I. *De peccato in genere.* Pag. 1
DUB. I. *Quid sit peccatum.* 1
Quæstio 1. Quænam sint præcipuæ divisiones peccati. 1
Q. 2. Quomodo aliter definiri possit, & dividi peccatum. 2
Q. 3. An omnis actio hominis non amantis Deum, aut adhuc in infidelitate constituti debeat dici peccatũ. 2
Q. 4. Qualis libertas requiratur ad peccatum internũ. 3
Q. 5. An ad peccatum requiratur advertentia ad legem Dei, & ad malitiam objecti. 3
Q. 6. An cognitio legis divinæ, vel malitiæ, prout Deo displicentis ita prærequiratur ad peccatum, ut si daretur ignorantia invincibilis Dei, hæc excusaret à peccato formali contra Deum. 5
Q. 7. Per quid peccatum internum dicatur compleri in ratione peccati externi. 6
Q. 8. An effectus mali ex peccato sequentes dicendi sint esse peccata. 6
Q. 9. An effectus mali ex peccato sequentes sint saltem moraliter, vel ad culpam imputabiles. 8
Q. 10. An illa, quæ inadvertenter fiunt ex consuet. peccaminosa, sint peccata. 9
Q. 11. Quænam etiam indeliberatè facta, censeantur retinere malitiam objectivam, & quænam objecta censeantur intrinsecè mala. 9
Q. 12. Quid dicendum sit de peccato Philosophico. 10
Q. 13. Quis possit peccare. 13
Q. 14. Per quas potentias committi possit peccatum. 13
Q. 15. An peccari possit in somno. 14
DUB. II. *An, & quando desideria, & delectationes sint peccata.* 14
ART. I. *Quale peccatum sit desiderium malum.* 14
Q. 16. An concupiscentia sit peccatum, vel causa peccati. 15
ART. II. *An delectatio morosa semper sit peccatum.* 18
Q. 17. Quid præterea notandum sit circa delectationem morosam. 19
Q. 18. Quid specialiter addendum sit circa delectationem turpem. 22
Q. 19. An delectatio turpis possit ex parvitate materiæ esse peccatum veniale tantùm. 23
Q. 20. An omnis cogitatio voluntaria de objecto turpi sit illicita. 24
Q. 21. Quid addendum sit circa illum, qui se habet negativè circa delectationem morosam, maximè veneream, ita ut nec consentiat nec positivè resistat, sed quasi permittat. 24
DUB. III. *De distinctione peccatorum.* 25
ART. I. *Quæ peccata distinguantur specie.* 25
Q. 22. An omnia peccata sint æqualia. 25
Q. 23. Unde desumatur inæqualitas peccatorum. 25
Q. 24. Quid præterea circa distinctionem specificam peccatorum sit addendum. 26
Q. 25. Quando iam leges censeantur ita diversæ, ut aliam specie malitiam in actum refundant. 29
Q. 26. Quid hic præterea sit notandum circa distinctionem specificam peccatorum commissionis, & omissionis. 30
ART. II. *Quæ peccata distinguantur numero.* 32
Q. 27. Quandonam actus physicè unus sit unum, vel multiplex numero peccatum. 32
Q. 28. Quandonam actus physicè plures sint unum, vel multiplex numero peccatum. 35
Q. 29. Quid addendum sit circa multiplicationem numericam peccati propter interruptionem, & repetitionem actuum. 36
Q. 30. Quandonam peccatum omissionis numero multiplicetur. 38
CAP. II. *De peccatis in specie, mortali, & veniali.* 38
DUB. I. *Quid sit peccatum mortale, & veniale.* 38
Q. 31. An dentur peccata aliqua de se mortalia, alia de se venialia. 38
Q. 32. Quænam peccata de se sint mortalia, & quænam venialia. 42
Q. 33. Per quid differant peccatũ mortale, & veniale. 44
Q. 34. An & quale peccatum sit non referre omnes suas actiones ad Deum. 44
Q. 35. An & quale sit peccatum non obsequi inspirationibus divinis, aut contra illas admittere imperfectiones. 45
Q. 36. An, & quale sit peccatum, si Religiosus Regulas sui Ordinis non observet. 45
DUB. II. *Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale fiat per accidens veniale.* 45
Q. 37. Quid præterea notandum sit circa defectum perfectæ advertentiæ, vel perfecti consensus. 46
Q. 38. Quid judicari debeat in dubio de plena advertentia, vel de pleno consensu. 47
Q. 39. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse peccatum, sed non cogitans, an sit mortale, an veniale. 48
Q. 40. Quomodo peccet, advertens actionẽ suam esse mortale, sed abstrahens quale, & cujus speciei sit. 48
Q. 41. Quomodo peccet, qui deliberat, an velit in mortale consentire. 48
Q. 42. Quandonam mortale fiat veniale defectu materiæ. 48
Q. 43. An ex aliis etiam causis possit peccatum mortale fieri veniale. 49
DUB. III. *Quibus modis peccatum ex genere suo veniale, aut actus indifferens transeat per accidens in mortale.* 49
Q. 44. Quid præterea notandũ sit circa contemptũ. 50
Q. 45. Quid addendum sit circa obligationem vitandi pericula, & occasiones peccandi. 51
Q. 46. An veniale aliquando fiat mortale ratione numeri. 56
Q. 47. Quomodo veniale possit præterea fieri mortale. 57
CAP. III. *De peccatis Capitalibus in specie.* 58
DUB. I. *Quid sit superbia.* 58
Q. 48. Quid præterea sit hìc notandum. 58
DUB. II. *Quid avaritia.* 59. DUB. III. *Quid luxuria.* 60
Q. 49. Quid sit præterea notandum circa luxuriam. 60
DUB. IV. *Quid invidia.* 60
Q. 50. Quid circa invidiam sit præterea notandum. 60
DUB. V. *De gula.* 61. ART. I. *Quid sit gula.* 61
Q. 51. Quid præterea notandum sit circa gulam. 61
Q. 52. An comedere sine necessitate pertineat ad vitium gulæ. 61
Q. 53. An sit licitum intendere delectationem, quæ capitur ex cibo, & potu moderato. 61
ART. II. *Quid sit ebrietas.* 63
Q. 54. Quid circa ebrietatem, & potationes sit præterea addendum. 63
DUB. VI. *Quid sit* [illegible] 66. DUB. VII. *Quid sit acedia.* 6[illegible]

Index Tractatuum, Capitum, &c.

LIBRI VI. PARS I.

De Sacramentis in genere: & in ſpecie de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

CAP. I. *De natura Sacramenti novæ legis.* 68
DUB. I. *Quid ſit Sacramentum.* 68
Q. 1. Quot ſint, & quomodo dividantur Sacramenta novæ legis. 68
DUB. II. *Quid circa materiam, & formam Sacramentorum ſervandum.* 69
Q. 2. Quænam ſint materiæ remotæ, & proximæ omnium Sacramentorum. 70
Q. 3. Quid præterea ſit notandum circa conjunctionem formæ cum materia Sacramenti. 70
Q. 4. Quomodo materiæ, & formæ Sacramentorum ſint determinatæ. 70
Q. 5. An materiæ, & formæ Sacramentorum poſſint mutari ab Eccleſia. 70
Q. 6. Quænam mutatio materiæ, vel formæ invalidet Sacramentum. 72
Q. 7. Quandonam mutatio materiæ ſit ſubſtantialis Theologicè. 72
Q. 8. Quandonam mutatio formæ ſit Theologicè ſubſtantialis. 73
Q. 9. Quomodo peccet, qui facit mutationem materiæ vel formæ in conficiendo Sacramento. 76
CAP. II. *De Miniſtro Sacramentorum.* 77
DUB. I. *Quid requiratur, ut Miniſter det validè Sacramentum.* 77
Q. 10. Quinam conſtituti ſint Miniſtri Sacramentorum. 78
Q. 11. Quid addendum ſit circa intentionem in Miniſtro requiſitam. 78
Q. 12. An in Miniſtro Sacramentorum ſufficiat intentio coacta. 81
Q. 13. An intentio Miniſtri debeat eſſe determinata ad certam materiam, & perſonam. 81
Q. 14. Quid addendum ſit circa errorem & erroneam intentionem Miniſtri. 81
Q. 15. Quid dicendum ſit, ſi conficiens Sacramentum habeat intentiones reipſa implicitè, vel indirectè contrarias. 83
Q. 16. Quid ſi duo Miniſtri conficiant idem Sacramentum, & intentiones eorum ſe mutuò reſpicientes, ſibi contrarientur. 84
Q. 17. Quid fieret, ſi baptizans cum baptizando replicaretur Coloniæ, & Leodii: Coloniæ autem baptizaret cum debita intentione, ſed Leodii cum nulla intentione, vel cum inſufficiente. 84
Q. 18. Quid præterea ſit addendum circa intentionem conditionatam. 84
Q. 19. Quid addendum ſit circa attentionem in Miniſtro requiſitam. 85
DUB. II. *Quid requiratur in Miniſtro, ut licitè miniſtret.* 85
Q. 20. An omnes qui poſſunt validè, etiam poſſint licitè miniſtr. Sacramenta. 86
Q. 21. Quandonam Miniſter Sacramenti teneatur eſſe in gratia. 86
Q. 22. An excommunicatus, vel hæreticus aliquando licitè miniſtret Sacramentum. 86
Q. 23. An per Sacramentum cauſetur major gratia, ſi Miniſter ſit dignior, ſeu in majore gratia. 86
Q. 24. Quomodo peccet, qui Sacramentum conficit, vel miniſtrat mortali. 87
Q. 25. An in administratione Sacramentorum licitus ſit uſus ſententiæ tantùm probabilis. 89
Q. 26. An Miniſter licitè utatur materia, vel forma dubia. 93
Q. 27. An & quomodo Miniſter reiterare debeat Sacramentum. 93
Q. 28. An & quando miniſter teneatur Sacramenta miniſtrare. 94
Q. 29. An Sacramentum licitè miniſtretur indigno. 95
Q. 30. An miniſter ob metum gravem licitè ſimulet adminiſtr. Sacramenti. 98
CAP. III. *De ſuſcipiente Sacramentum.* 99
DUB. I. *Quæ diſpoſitio requiratur ad valorem Sacramenti in ſuſcipiente.* 99
Q. 31. An ſolus homo viator ſit ſubjectum capax Sacramentorum. 100
Q. 32. An ad validam ſuſceptionem reliquorum Sacramentorum prærequiratur ſuſceptio Baptiſmi. 100
Q. 33. Quid præterea notandum ſit circa intentionem ſive conſenſum ſuſcipientis, requiſitum ad valorem Sacramenti. 100
Q. 34. An fides vel probitas ſuſcipientis requiratur ad valorem Sacramenti. 102
DUB. II. *Quid requiratur, ut Sacramentum licitè, & cum fructu ſuſcipiatur.* 102
Q. 35. Quid præterea notandum ſit circa diſpoſitiones prærequiſitas ad hoc, ut adultus licitè, & cum fructu ſuſcipiat Sacramentum. 102
Q. 36. Quid dicendum ſit de caſu, quo quis Sacramentum ſuſcipit cum obice vel cum peccato mortali. 103
Q. 37. An & quomodo peccet, qui Sacramentum ſuſcipit cum peccato veniali. 105. Q. 38. Quid dicendum ſit de illo, qui Sacramentum petit ſibi conferri ab indigno miniſtro. 105
Q. 39. An peccet, qui in ſuſceptione Sacramenti ſequitur ſententiam tantùm probabilem. 106
CAP. IV. *Quid ſint Sacramentalia, & quid efficiant.* 106
Q. 40. Quid præterea notandum ſit circa Sacramentalia. 107
Q. 41. Quid circa Agnos Dei, & alias res benedictas. 107

TRACTATUS II.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

CAP. I. *De Baptiſmo.* 108
Q. 42. Quid notandum ſit circa Baptiſmum Sanguinis ſive martyrium. 108
Q. 43. Quid circa Baptiſmum Flaminis. 109
Q. 44. Quænam hæreſes ſint in Eccleſia exortæ circa Baptiſmum fluminis ſeu aquæ. 109
DUB. I. *Quæ materia Baptiſmi.* 110
Q. 45. Quid præterea circa materiam Baptiſmi ſit notandum. 111
DUB. II. *Quæ ſit forma Baptiſmi.* 112
Q. 46. Quid præterea circa formam Baptiſmi ſit notandum. 112
DUB. III. *De Miniſtro Baptiſmi.* 112
ART. I. *Quis ſit Miniſter Baptiſmi.* 112
Q. 47. Quid circa miniſtrum ſit præterea notandũ. 113
Q. 48. An licitum ſit deferre vel mittere infantem, ut baptizetur à prædicante hæretico. 113
ART. II. *An duo poſſint ſimul unum baptizare.* 114
DUB. IV. *Quod ſit ſubjectum Baptiſmi.* 114
Q. 49. Quid notandum ſit circa obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum. 115
Q. 50. Qualis conſenſus ſeu voluntas requiratur in adulto. 116
Q. 51. Quid addendum ſit circa Baptiſ. infantis adhuc in utero matris clauſi. 116
Q. 52. Quid circa abortus, prodigioſos infantes & monſtra. 116
Q. 53. Quid circa conſenſum parentum ſit notandum. 117
Q. 54. Si hæreticus petat infantem ſuum baptizari à Sacerdote catholico, an hic licitè baptizet. 118
Q. 55. Si infidelis petat ſe vel infantem ſuum baptizari, an id licitè fiat. 118
Q. 56. Quid præterea notandum ſit in variis dubiis circa valorem. 118

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 57. Quid dicendum sit de infantibus exposititiis. 118
Q. 58. Quid de baptizatis ab obstetrice vel laico. 119
Q. 59. Quid de baptizatis ab hæretico Prædicante. 119
Q. 60. Quid observandum sit, si repetatur Baptismus. 119
Q. 61. An ille, qui moritur dubiè baptizatus, sit sepeliendus loco sacro. 119
DUB. V. *De cæremoniis Baptismi.* 119
ART. I. *Quæ servanda circa cæremonias Baptismi.* 119
Q. 62. Quid agendum sit, si nolit vel obstetrix assistere vel Parochus baptizare infantem, nisi mater manifestet patrem. 120
Q. 63. Quid addendum circa nomen, quod in Baptismo imponitur. 120
Q. 64. Quid circa Baptismum solemnem, & privatum sit addendum. 120
Q. 65. Quid circa Chrisma sit addendum. 121
Q. 66. Quæ sit significatio cæremoniarum Baptismi, & quæ authoritas libri Baptismalis. 121
ART. II. *Quid Patrini, & quod eorum officium.* 121
Q. 67. Quid circa Patrinos, & cognationem spiritualem sit præterea notandum. 122
Q. 68. An Catholicus possit esse Patrinus infantis hæretici à Prædicante baptizandi. 124
Q. 69. Quid addendum sit circa admissionem Patrini hæretici. 124
CAP. II. *De Confirmatione.* 124
DUB. I. *Quid sit, & quæ ejus materia, & forma.* 124
Q. 70. Quid præterea sit notandum circa materiam & formam Confirmationis. 125
DUB. II. *Quis Minister, & quod subjectum.* 126
Q. 71. Quid præterea notandum sit circa ministrum & subjectum Confirmationis. 126
DUB. III. *Quæ confirmationis necessitas, & cæremoniæ.* 127
Q. 72. Quid præterea notandum sit circa necessitatem & cæremonias Confirmationis. 127

TRACTATUS III.

De Eucharistia.

CAP. I. *De Essentia Eucharistiæ.* 128
DUB. I. *Quid sit Eucharistia.* 128
Q. 73. Quid notandum sit circa nomina Eucharistiæ. 128
Q. 74. Quænam in Ecclesia exortæ sint hæreses circa Sacramentum Eucharistiæ. 128
Q. 75. Quid præterea notandum sit circa sumptionem. 129
DUB. II. *Quæ materia Eucharistiæ.* 130
Q. 76. An conveniens fuerit materiam Eucharistiæ esse panem, & vinum. 130
Q. 77. Quandonam materia Eucharistiæ censeri debeat substantialiter vel tantùm accidentaliter mutata. 130
DUB. III. *Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ.* 130
Q. 78. Quid circa panem, qui consecratur, sit præterea notandum. 131
DUB. IV. *Quale vinum sit materia Eucharistiæ.* 132
Q. 79. Quid circa vinum, quod consecratur, sit præterea notandum. 133
Q. 80. Quid notandum sit circa aquam vino admiscendam. 133
Q. 81. Quid agendum sit, si dubitetur, an in calice sit acetum. 133
DUB. V. *Quæ conditiones ad materiam consecrationis requirantur.* 134
Q. 82. Quid præterea sit notandum circa præsentiam, & determinationem materiæ consecrandæ. 135
Q. 83. Quid præterea circa determinationem intentionis in consecrante sit notandum. 135
Q. 84. An materia consecranda admitti possit sub Canone. 136
DUB. VI. *Quæ forma Consecrationis Eucharistiæ.* 136
Q. 85. Quid præterea sit notandum circa verba Consecrationis. 136
Q. 86. Quid agendum sit in variis dubiis circa prolationem formæ. 136
Q. 87. Quid facere debeat Sacerdos, qui in Missa sit dubius vel perplexus. 136
Q. 88. Quid specialiter sit addendum de scrupulis in hac materia. 136
DUB. VII. *Quàdiu Christus maneat in Eucharistia.* 137
Q. 89. Quid præterea notandum sit circa permanentiam Christi in Eucharistia. 137
CAP. II. *De Causis, & subjecto Eucharistiæ.* 138
DUB. I. *De Causis.* 138
ART. I. *Ad quem spectet dispensatio Eucharistiæ.* 138
Q. 90. Quid præterea notandum sit circa dispensatorem Eucharistiæ. 139
Q. 91. An sit obligatio ministrandi Eucharistiam pestiferis. 140
ART. II. *Quid requiratur in Ministro ad licitam administrationem Eucharistiæ.* 140
Q. 92. Quid præterea notandum sit circa debitam dispositionem Ministri. 141
Q. 93. Quid addendum circa ritus, qui observandi sunt in distributione Eucharistiæ. 141
Q. 94. Quid faciendum sit, si hostia vel particula decidat, dum quis Communionem distribuit. 142
Q. 95. Quid faciendum cum particulis hostiarum, quæ fortè reperiuntur. 142
Q. 96. Quid sit observandum circa renovationem ciborii. 142
Q. 97. Quid facere debeat distribuens, si videat, quòd communicans hostiam ex ore deponat in strophiolum. 142
Q. 98. Quid sit agendum, si bestia sacras species absumpserit. 143
Q. 99. Quid addendum sit circa indignum vel notum peccatorem, qui Communionem petit. 143
Q. 100. Quid addendum sit circa Ministrationem Eucharistiæ pro ægris. 143
Q. 101. Quandonam liceat Sacerdoti, dare laico partem majoris suæ hostiæ. 143
Q. 102. An laicus in Ecclesia latina sumere possit species vini consecrati. 143
DUB. II. *De subjecto, seu suscipiente Eucharistiam.* 143
ART. I. *Quæ requiratur in eo dispositio animæ.* 143
Q. 103. Quot modis sumi possit Eucharistia. 144
Q. 104. Quid addendum sit circa dispositionem animæ ad Eucharistiam sacramentaliter recipiendam. 144
Q. 105. Quid præterea notandum sit circa præceptum confitendi mortalia ante Communionem. 146
Q. 106. Quid addendum sit circa Sacerdotem, qui necessitate urgente absque prævia confessione celebravit. 147
ART. II. *Quæ requiratur dispositio corporis.* 148
Q. 107. Quid præterea notandum sit circa dispositiones ex parte corporis requisitas. 150
Q. 108. Quid præterea sit addendum circa jejunium naturale ad Communionem prærequisitum. 151
Q. 109. Quid faciendum sit, in dubio, an sis jejunus. 152
Q. 110. Quid hic intelligatur per mediam noctem, qua debet esse jejunium. 153
Q. 111. Quandonam præterea possit aliquis non jejunus communicare. 153
Q. 112. Quis hic censeatur constitutus in periculo mortis, ita ut non jejunus possit communicare. 153
ART. III. *Quæ & quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam.* 153
Q. 113. Quid præterea notandum sit circa necessitatis Eucharistiæ. 154
Q. 114. Quid addendum sit circa sumptionem Viatici. 156
Q. 115. Quandonam censeatur esse periculum vel articulus mortis. 158
Q. 116. Quid faciendum, si adsit periculum, ne communicaturus evomat. 158

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 117. Quid circa Communionem paschalem sit addendum. 158
Q. 118. An & quando Communio danda sit pueris. 160
Q. 119. Quomodo sit instruendus, qui prima vice vult communicare. 161
Q. 120. An, & quando Communio danda sit amentibus, semifatuis, phreneticis, energumenis, surdis, & mutis. 162
Q. 121. Quid notandum sit circa Communionem quotidianam. 163
Q. 122. An licitũ sit sæpiùs una die communicare. 165
Q. 123. An licitum sit dare communionem ad explorandam, aut suscipere ad probandam innocentiam. 165
Q. 124. An communio peti possit vel recipi à Ministro indigno. 165
Q. 125. Quinam sint effectus Communionis. 165

LIBRI VI. PARS II.

De Sacrificio Missæ, & Sacramento Pœnitentiæ.

TRACTATUS TERTII.

De Eucharistia.

CAP. III. *De Eucharistia ut est Sacrificium.* 167
DUB. I. *Quid sit Missa, & quæ obligatio Sacerdotis circa illam.* 167
Q. 1. Quid præterea notandum sit circa Missam, & rationem Sacrificii. 168
Q. 2. In qua actione consistat essentia Sacrificii Missæ. 170
Q. 3. A quo offeratur Sacrificium Missæ. 171
Q. 4. Pro quibus offerri possit Sacrificium Missæ. 172
Q. 5. Quid addendum sit circa effectus Sacrificii Missæ. 175
Q. 6. Quæ conditiones, & dispositiones requirantur, ut quis per Sacrificium obtineat fructum satisfactorium vel impetratorium. 177
Q. 7. In quo conveniant, & disconveniant Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ. 178
Q. 8. Quid Pontifices, & S. Congr. statuerint circa celebrationem Missarum. 178
Q. 9. Quid addendũ sit circa reductionẽ Missarum. 184
Q. 10. An possit præscribi circa onera Missarum. 185
Q. 11. A quo, & quomodo taxandum sit stipendium pro Missa. 185
Q. 12. Quid præterea notandum sit circa Missam pro stipendio. 185
Q. 13. An sit mortale unicam Missam omittere, quam quis promisit vel pro qua accepit parvum stipendium. 188
Q. 14. Quisnam censeatur diu differre Missam, ad quam obligatur, ideoque peccare mortaliter. 188
Q. 15. Quid faciet, qui obligatus est ad plurimas Missas: quas omnes legere non potest. 188
Q. 16. An Sacerdos possit pro libitu disponere de pecuniis, quas accipit pro stipendiis Missarum. 188
Q. 17. Quid dicendum sit de illo, qui accepto stipendio non legit Missam talem, qualis petita est, aut non eo tempore. 188
Q. 18. Quid notandum sit circa Sacerdotem, qui ex voto tenetur ad Missam. 188
Q. 19. Quanta sit obligatio ad Missas, quas Episcopus in Ordinatione injungit Presbyteris; & quando hi primam Missam legere teneantur. 189
Q. 20. Quæ sit obligatio Sacerdotum Societatis JESU ad Missas, quæ ipsis quandoque præscribuntur legendæ. 189
Q. 21. Quid præterea notandum sit circa alias obligationes Sacerdotum circa Missas. 189
Q. 22. An Sacerdos laborans morbo caduco, vel lepra licitè celebret. 190
Q. 23. An liceat legere Missam siccam, & Gregorianas. 190
Q. 24. Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus. 191
DUB. II. *Cujus sit applicare fructum Sacrificii.* 191
Q. 25. Quid præterea notandum sit circa illum, à quo & pro quo applicari potest Missa. 192
Q. 26. Quid addendum sit circa intentionem pro applicanda Missa. 192
Q. 27. Quid præterea notandum sit circa applicationem Missæ. 192
Q. 28. An satisfaciat, qui celebrat pro illo, quem Deus novit primò daturum stipendium. 193
DUB. III. *Quando, & quoties liceat celebrare.* 193
Q. 29. Quid præterea notandum sit circa horam pro legenda Missa. 194
Q. 30. Quid addendum sit circa obligationem orandi matutinum, & Laudes ante celebrationem Missæ. 195
Q. 31. Quid addendum sit circa Missam tribus ultimis diebus quadragesimæ. 195
Q. 32. Quid addendum sit circa Missam eodem die sæpiùs ab eodem legendam. 196
Q. 33. Quid addendum sit circa illum, qui abrumpit vel interrumpit Missam. 197
DUB. IV. *Quo loco celebrandum sit.* 197
Q. 34. Quid præterea sit notandum circa celebrationem extra Ecclesiam vel locum suæ jurisdictionis. 199
Q. 35. Quid addendum sit circa celebrationem in navi. 200
Q. 36. Quid circa celebrationem Missæ in privatis oratoriis. 200
Q. 37. Quid circa benedictionem, consecrationem, pollutionem Ecclesiæ. 201
Q. 38. Si destruatur Ecclesia, quid fieri debeat de lignis, lapidibus, fundo. 203
Q. 39. Quid addendum sit circa execrationem altarium. 203
Q. 40. Si frangatur sigillum vel removeatur sepulchrum cum Reliquiis, an altare per hoc amittat consecrationem. 203
DUB. V. *Quæ sint requisita ad Missam.* 204
Q. 41. Quid circa altaria sit præterea notandum. 206
Q. 42. Quid addendũ sit circa Crucem pro Missa. 207
Q. 43. Quid circa mappas, & antipendium. 207
Q. 44. Quid circa vestes sacras, corporalia, purificatoria & alia paramenta. 207
Q. 45. Quid dicendum sit de casu, in quo mors intentatur Sacerdoti, nisi consecret extra Missam, sine sacris vestibus, sine altari, calice &c. 208
Q. 46. Quid circa colorem paramentorum sit notandum. 208
Q. 47. Quid circa calicem, patenam, ciborium, hierothecam sive monstrantiam. 208
Q. 48. Quid hìc præterea sit notandum circa benedictionem vestium, consecrationem vasorum, & locorum sacrorum. 209
Q. 49. Quid notandum sit circa contactum sacrorum vasorum. 210
Q. 50. Qualis debeat esse figura hostiæ consecrãdæ. 210
Q. 51. Quid circa Missale, & ritum celebrandi sit notandum. 210
Q. 52. Quænam quotidie Missa legenda sit. 211
Q. 53. De quo legi possit Missa; & speciatim an legi possit de Sancto, de quo habentur Reliquiæ. 211
Q. 54. Quid circa Ministrum sit addendum. 212
Q. 55. Quid circa lumen. 212
Q. 56. An licitum sit celebrare sine calceis, cum pileolo, ficto capillitio, baculo, annulo. 213
Q. 57. Quid circa campanulam in Missa, & campanas templi sit notandum. 213
Q. 58. Quid universim notandũ sit circa Rubricas. 214
Q. 59. Quid circa lotionem manuum, orationes ante & post Missam, vel inter induendum dicendas. 214
Q. 60. Quid addendum sit circa omissionem partium in Missa. 214

Q. 61.

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 61. Quid dicendum sit de illo, qui addit, commutat vel invertit aliquid in Missa. 215
Q. 62. Quid notandum sit circa expressionem verborum in Missa. 216
Q. 63. Quid circa distractiones in legenda Missa. 216
Q. 64. Quid circa orationes, collectas sive commemorationes in Missa sit observandum. 216
Q. 65. Quando dici vel omitti debeat *Gloria* aut *Credo*. 217
Q. 66. Quandonam dicatur, *Ite Missa est*, & Evangelium S. Joannis. 218
Q. 67. Quid specialiter notandum sit in Missis Vigiliarum, & quorumdam Feriarum. 218
Q. 68. Quid observandum sit, si concio habeatur tempore Missæ. 218
Q. 69. Quid notandum sit circa inclinationes in Missa. 87
Q. 70. Quid circa benedictiones & ritus manuum. 219
Q. 71. Quid circa ritus oculorum. 219
Q. 72. Quid observandum sit circa Missas votivas. 219
Q. 73. Quid circa Missas de *Requiem*. 220
Q. 74. An licitum sit pro vivo legere Missam de *Requiem*. 21
Q. 75. Quid sit notandum circa Missas ad altare privilegiatum. 221
Q. 76. Quid specialiter notandum sit circa Missas in festo nativitatis Christi. 222
Q. 77. Quomodo defectus in Missa sint corrigendi. 222
Q. 78. Quid facere debeat Sacerdos, si sumens calicem advertat se pro vino habuisse aquam; aut dubitet, an non sit acetum. 221
Q. 79. Quomodo Missa aliquando sit per alium complenda. 224
Q. 80. Quid agendum sit, si vinum vel Sanguis congeletur, aut ne congeletur. 224
Q. 81. Quid adhuc circa celebrationem Missæ sit observandum. 225
Q. 82. Quomodo possit aliquis discere accuratè legere Missam. 226

TRACTATUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I. *De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* 226
DUB. I. *Quæ sit ejus materia, & forma.* 226
Q. 83. Quid hìc prænotandum. 227
Q. 84. Quid præterea sit notandum circa materiam Sacramenti Pœnitentiæ. 227
Q. 85. An peccata dubia sint materia necessaria Confessionis. 229
Q. 86. An peccatum dubium se solo sit materia sufficiens Confessionis. 233
Q. 87. Ad quid teneatur, qui confessus est mortale certum tanquã dubium, vel dubium tanquã certum. 235
Q. 88. An peccatum in communi sit materia sufficiens vel necessaria Confessionis. 235
Q. 89. Quid addendum sit circa formam Sacramenti Pœnitentiæ. 235
Q. 90. Quis sit sensus illorum verborum, *absolvo te à peccatis*. 237
Q. 91. Quid præterea sit notandum circa absolutionem Sacramentalem. 238
DUB. II. *Qualis contritio requiratur.* 240
Q. 92. Quid generatim notandum sit circa contritionem, & dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitum. 241
Q. 93. Qualis actus debeat esse dolor, qui requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. 242
Q. 94. An Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, & informe ratione doloris se non extendentis ad omnia mortalia. 244
Q. 95. An aliter possit Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe ratione doloris aut ob aliam causam: & quid tum sit dicendum. 245
Q. 96. Quid addendum sit circa dolorem, si quis confiteatur sola venialia. 246
Q. 97. Quomodo dolor debeat se habere ad confessionem & absolutionem. 247
Q. 98. Quandonam dolor censeatur revocari per peccatum subsequens. 250
Q. 99. Ex quibus motivis concipi possit dolor de peccatis. 251
Q. 100. Quid notandum sit circa metum, ex quo concipi potest dolor de peccatis. 251
Q. 101. Quæ sit natura & vis contritionis perfectæ sufficientis ad justificationem sine Sacramento. 151
Q. 102. An dari possit aliqua contritio, quæ non justificet. 257
Q. 103. An ad contritionem, quæ justificat sine Sacramento, requiratur aliqua certa intensio vel extensio, seu duratio quoad tempus. 257
Q. 104. An contritio, quæ justificat sine Sacramento, secum patiatur spem, & timorem. 259
Q. 105. An omnis contritio, quæ est actus charitatis Theologicæ, justificet sine Sacramento. 260
Q. 106. An in casu necessitatis justificet sine Sacramento aliqua contritio, quæ extra necessitatem non justificaret. 261
Q. 107. An contritio perfecta vel amor Dei absolutè prædominans requiratur tanquam pars ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ causandam. 261
Q. 108. Quale motivum habeat attritio, & quomodo illud attingere debeat. 262
Q. 109. An attritio ex spe, & metu possit esse honesta, & supernaturalis. 265
Q. 110. An attritio ex spe præmii, vel etiam ex solo metu pœnæ concepta possit esse absolutè efficax, & positivè excludere omnem voluntatem peccandi. 266
Q. 111. An attritio se sola justificet sine aliquo Sacramento. 269
Q. 112. An attritio concepta ex inferiore motivo quàm charitatis, sufficiat cum Sacramento ad justificationem. 269
Q. 113. Quomodo ex Conciliis, & præsertim ex Tridentino probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 269
Q. 114. Ubi doceant SS. PP. & speciatim S. August. quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 271
Q. 115. Ubi doceat S. Thomas, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 272
Q. 116. An verum sit, quòd ex Authoribus & Theologis plurimi doceant attritionem sufficere cum Sacramento: oppositu autem teneant respectivè pauci. 273
Q. 117. Quomodo ex praxi & sensu communi Ecclesiæ ac fidelium probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 274
Q. 118. Quibus rationibus probetur, quod attritio sufficiat cum Sacramento. 274
Q. 119. An argumenta Adversariorũ contra sufficientiã attritionis ita solvi possint, ut plenè satisfiat. 274
Q. 120. An sententia tenens attritionem sufficere cum Sacramento, sit practicè certa. 27[illegible]
Q. 121. An hactenus dicta valeant etiam de attritione ex metu pœnarum temporalium. 278
Q. 122. In quo sensu verum sit, quòd peccator per Sacramentum fiat ex attrito contritus. 279
Q. 123. An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, præter dolorem requiratur aliquod propositum. 279
Q. 124. Quale propositum requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 280
Q. 125. Quale propositum requiratur in Confessione venialium. 281
Q. 126. An & quomodo ex praxi elici possit propositum cavendi omnia venialia. 282
DUB. III. *Qualis confessio requiratur.* 282
ART. I. *An debeat esse integra materialiter.* 282

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 127. Quid sit confessio, & quæ sit ejus materia. 283

Q. 128. Quid præterea sit notandum circa obligationem confitendi integrè. 283

Q. 129. Quid addendum sit circa modum practicè confitendi integrè quoad numerum. 284

Q. 130 Si quis nesciens numerum determinatum dixerit, feci hoc toties, plùs minùs, vel toties circiter, & postea certò resciat, quoties determinatè, vel se sæpiùs fecisse, an obligetur iterùm confiteri hunc determinatum vel majorem numerum certò agnitum. 286

Q. 131. An non tantùm actus externus sed etiam effectus peccati sit cum actu interno confitendus. 286

Q. 132. Quænam peccata dicantur esse specie distincta in ordine ad confessionem, & unde desumatur illa diversitas specifica. 287

Q. 133. Quænam generatim observanda sint circa hanc explicationem speciei in confessione. 287

Q. 134. Quid addendum sit circa circumstantias in confessione explicandas. 288

Q. 135. An circumstantia consuetudinis sit aperienda in confessione. 290

Q. 136. An illa, quæ ex consuetudine moraliter mala postea inadvertenter fiunt, sint confitenda. 290

Q. 137. An confitendæ sint circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem. 291

Q. 138. An opinio negans circumstantias aggravantes esse confitendas, sit nunc damnata pro praxi. 292

Q. 139. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra fidem, spem, charitatem. 293

Q. 140. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra 1. præceptum Decalogi. 294

Q. 141. Quomodo in peccatis contra 2. præceptum Decalogi. 294

Q. 142. Quomodo in peccatis contra 3. præceptum. 295

Q. 143. Quomodo in peccatis contra 4. præceptum. 295

Q. 144. Quomodo in peccatis contra 5. præceptum. 296

Q. 145. Quomodo in peccatis contra 6. & 9. præceptum. 296

Q. 146. Quomodo in peccatis contra 7. & 10. præceptum. 303

Q. 147. Quomodo in peccatis contra 8. præceptum. 303

Q. 148. Quomodo in peccatis contra præcepta Ecclesiæ. 304

Q. 149. Quomodo in peccatis circa Sacramenta & personas Ecclesiasticas. 304

Q. 150. Quomodo in peccatis capitalibus. 305

Q. 151. Quomodo in peccatis alienis. 306

Q. 152. An in confessione explicari possit una species divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ. 306

Q. 153. An dentur peccata distincta specie inadæquata tantùm, & quid de illis sit dicendum. 306

Q. 154. Si quis non possit, vel excusetur ab aperiendo peccato in specie, an teneatur saltem in genere se accusare de illo, & circa illud elicere contritionem. 307

ART. II. *Quando sufficiat confessio formaliter integra.* 307

Q. 155. Quæ præterea sit notandum circa confessionem formaliter integram. 308

Q. 156. Quid addendum sit circa causas & modos dimidiandi confessionem vel absolutionem. 309

Q. 157. Quid dicendum sit de illo, qui Confessario ignoto confitetur mortalia, & postea ordinario suo Confessario sola venialia. 309

Q. 158. Quid addendum sit circa absolutionem moribundi, qui jam dare non potest ulla signa pœnitentiæ. 309

ART. III. *Quæ sint reliquæ conditiones confessionis.* 311

Q. 159. Quænam universim sint conditiones bonæ confessionis. 312

Q. 160. Quid notandum sit circa finem malum ex quo fieri potest confessio. 312

Q. 161. Quid addendum sit circa fidelitatem & sinceritatem in confessione observandam. 313

Q. 162. Quid addendum sit circa conditionem illam, ut confessio sit secreta. 316

Q. 163. Quid addendum sit circa conditionem confessionis, ut fiat vocaliter apud Sacerdotem præsentem. 316

Q. 164. An inter conditiones confessionis etiam sit, ut sit sacramentalis. 318

ART. IV. *Quando confessio sit invalida, & quomodo iteranda.* 318

Q. 165. An ille, qui cum Confessario peccavit, eidem validè confiteatur istud peccatum. 318

Q. 166. An confessiones quæ fiunt Religiosis, communiter censeri debeant invalidæ. 319

Q. 167. Quid præterea sit notandum circa obligationem repetendi confessionem. 319

Q. 168. Si confessiones repeti debeant, an omnia mortalia in illis confessionibus dicta, iterùm distinctè & singulatim debeant recenseri. 320

Q. 169. Quomodo Confessarius practicè procedet cum pœnitente, qui timet, vel putat se per longum tempus sacrilegè aut invalidè esse confessum. 321

DUB. IV. *De Satisfactione.* 322

ART. I. *Quæ ejus necessitas & quantitas.* 322

Q. 170. An satisfactio sacramentalis vel probata vitæ emendatio sit præmittenda absolutioni. 323

Q. 171. Quid præterea sit notandum circa satisfactionem sive pœnitentiam, quæ in confessione injungitur. 324

Q. 172. Quantæ pœnitentiæ sint injungendæ. 326

Q. 173. An pœnitentiæ debeant ideò esse suspectæ, quòd à Religiosis mendicantibus imponantur. 328

Q. 174. An aliquando debeat, aut saltem possit imponi pœnitentia publica. 328

Q. 175. Quænam pœnitentiæ sint utiliores. 329

Q. 176. Quid add. sit circa obligationem pœnitentis in implenda pœnitentia. 329

Q. 177. Quid addendum sit circa commutationem pœnitentiarum in confessione injunctarum. 332

ART. II. *De Satisfactione per Indulgentias.* 333

§. I. *Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.* 333

Q. 178. Quid notandum sit in genere circa satisfactiones in hac vita pro peccatis. 334. Q. 179. Quid notandum sit circa remissionem pœnarum in altera vita sive in Purgatorio. 335

Q. 180. Quomodo Indulgentia dividatur ratione subjecti. 335

Q. 181. An, & quomodo & à quo concedi possit Indulgentia. 335

Q. 182. Qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias. 336

Q. 183. Quid præterea notandum sit circa applicationem satisfactionum vel Indulgentiarum pro aliis. 337

Q. 184. Quid specialiter adhuc notandum sit circa satisfactiones vel Indulgentias pro defunctis. 337

Q. 185. An preces Ecclesiæ & Indulgentiæ possint prodesse catechumenis vel excommunicatis, saltem defunctis. 338

Q. 186. Quid notandum circa Indulgentiam, quæ conceditur ingredientibus Religionem. 339

Q. 187. Quas Indulgentias speciales habeat Societas JESU. 339

Q. 188.

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 188. Quid notandum circa Indulgentias, quæ in Templis Societatis JESU esse solent in Dominica Agoniæ Christi & in Dominica Communionis generalis sive Animarum. 339

Q. 189. An prudenter credi possit, quòd omnes illæ Indulgentiæ sint veræ & authenticæ, quæ passim inveniuntur in variis libellis. 340

Q. 190. An per idem opus obtineri possint plures Indulgentiæ. 341

Q. 191. An Indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sæpiùs obtineri, si repetantur opera injuncta. 342

Q. 192. Si festum transferatur, an simul transferantur Indulgentiæ. 342

Q. 193. Quid notandum sit circa Brevia vel Bullas, quibus Romæ conceduntur Indulgentiæ. 342

Q. 194. Quandonam cessent Indulgentiæ. 343

Q. 195. Ad Indulgentiæ Regularium revocatæ à Paulo V. sint revalidatæ. 343

Q. 196. An Indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ sint revocatæ. 343

§. II. *Quotuplex Indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo.* 343

Q. 197. Quid præterea in genere notandum sit circa Jubilæum & Bullas, quibus conceditur. 344

Q. 198. Quid notandum sit circa Jubilæum anni sancti. 345

Q. 199. An per Indulg. plenarias, quæ ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolutè omnes pœnæ temporales peccatis remissis debitæ. 345

Q. 200. Quid præterea sit notandum circa requisita pro lucrandis Indulgentiis vel Jubilæo. 346

Q. 201. Quid notandum sit circa confessionem & Communionem requisitam. 346

Q. 202. Quid circa orationem requisitam. 347

Q. 203. Quid circa jejunium & eleemosynam requisitam. 347

Q. 204. Quid circa Processionem & visitationem Templorum. 348

Q. 205. Quid notandum sit circa itinerantes, peregrinos, impeditos. 348

Q. 206. Quid circa commutationem operum & prorogationem temporis. 348

Q. 207. Si quis ponat hoc, quod opinio probabilis dicit sufficere, & Papa fortè plus requirat, an obtineatur Indulgentia. 349

Q. 208. Quid præterea notandum sit circa facultates, quæ in Jubilæo conceduntur, absolvendi à reservatis & censuris. 349

Q. 209. Quid circa commutationem votorum. 350

Q. 210. Quid circa potestatem eligendi quemcunque Confessarium. 351

Q. 211. Quid fieri possit post tempus Jubilæi. 352

CAP. II. *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.* 352

DUB. I. *Quis sit Minister.* 352

ADDENDA.

Q. 212. Quid universim notandum sit circa Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. 353

DUB. II. *Quid sit approbatio & à quo petenda.* 354

Q. 213. Quid præterea generatim notandum sit circa approbationem. 354

Q. 214. Quid addendum sit circa potestatem approbandi. 355

Q. 215. An approbatus in una Diœcesi censeri debeat ubique approbatus. 356

Q. 216. Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium. 359

Q. 217. Cui confiteri debeant aut possint Regulares itinerantes. 359

Q. 218. Quid præterea notandum sit circa approbationem & Confessarium pro Monialibus. 360

Q. 219. Quid circa approbationem quoad Parochos. 360

Q. 220. Quid notandum sit circa definitionem vel revocationem approbationis aut similium facultatum. 361

DUB. III. *Quid & quotuplex jurisdictio Confessarii, & unde eam habeat.* 362

Q. 221. Quid præterea notandum sit circa jurisdictionem. 363

Q. 222. An quivis Sacerdos non tantùm pro articulo, sed etiam pro periculo mortis habeat jurisdictionem. 364

Q. 223. Quandonam jurisdictio Confessarii amittatur aut impediatur ratione censurarum vel aliter. 364

Q. 224. Quid dicendum sit in casu, quo Confessarius dubitat vel tantùm probabiliter putat se habere jurisdictionem in pœnitentem vel in ejus peccatum. 365

Q. 225. Quid censendum sit de facultatibus, quæ dicuntur à Sede Apostolica concessæ Confessariis Societatis JESU. 365

Q. 226. Quid dicendum sit de facultatibus, quas Sedes Apostolica concedit Episcopis, cum potestate communicandi. 368

DUB. IV. *Quid sit reservatio casuum, & quis habeat potestatem reservandi & absolvendi.* 369

Q. 227. Quid præterea sit notandum circa potestatem reservandi peccata. 370

Q. 228. Quotuplex sit, & quomodo fieri possit reservatio. 370

Q. 229. Quænam peccata reservari possint, vel de facto reserventur. 370

Q. 230. An incurrat reservationem, qui ignorat illam esse peccato suo annexam. ibid. Q. 231. Quid addendum sit circa casus reservatos Papæ præsertim per Bullam Cœnæ. 371

Q. 232. Quid addendum sit circa casus Episcopis reservatos. 373

Q. 233. Quinam casus sint ab *Episcopo* reservati in Colonienſi & aliis vicinis Diœcesibus. 374

Q. 234. An Regulares subjaceant casibus ab Episcopo reservatis. 375

Q. 235. Quænam notanda sint circa ejusmodi casus ab Episcopis reservatos. 375

Q. 236. Quandonam peccatum internum dicatur prodire in actum externum. 376

Q. 237. Quandonam peccatum dicatur publicum notorium, deductum ad forum contentiosum. 377

Q. 238. Quid addendum sit circa casus reservatos apud Regulares. 377

Q. 239. Quid notandum sit circa casus in Societate JESU reservatos. 378

Q. 240. Quid præterea notandum sit circa reservationem & absolutionem à reservatis. 380

DUB. V. *Quid sit officium & quæ obligatio Confessarii.* 382

Q. 241. Quid præterea notandum sit circa obligationes Confessarii. 384

Q. 242. An Religiosi censeri debeant apti confessionibus audiendis: & quis absolutè censeri debeat bonus Confessarius. 384

Q. 243. Quinam Confessarii mereantur nomen Jansenistarum, Rigoristarum, Laxorum aut benignorum. 384

Q. 244. Quænam generatim observare debeat Confessarius in audiendis confessionibus. 385

Q. 245. Qui modus & ordo servandus à Confessario, ut pœnitentem recè disponat ad validam absolutionem. 386

Q. 246. Quomodo pœnitens practicè disponi possit ad dolorem de peccatis. 386

Q. 247. An communiter debeat judicari dispositus, qui

Index Tractatuum, Capitum, &c.

qui confitetur aliquod mortale prima vice commissum. 388

Q. 248. An frequens relapsus semper sit signum, quòd anteà deflerit dolor vel firmum propositum: & quænam universim sint signa veri doloris & propositi. 388

Q. 249. Quas sententias sequi debeat Confessarius: Et universim, an debeat potiùs esse benignus quàm rigidus cum pœnitentibus. 390

Q. 250. Quid notandum circa obligationem & modum interrogandi pœnitentem. 392

Q. 251. An Confessarius aliquando teneatur docere vel de rebus aliquibus admonere pœnitentem. 393

Q. 252. An Confessarius semper teneatur, aut possit credere pœnitenti. 394

Q. 253. An absolutio Sacramentalis aliquando possit vel debeat differri. 394

Q. 254. An & quando possit aut debeat Confessarius pœnitentem absolvere sub conditione. 396

Q. 255. Quid dicendum sit de illis Confessariis, qui cogunt pœnitentes, ut sibi tantùm confiteantur. 397

Q. 256. An & quomodo Confessarius teneatur corrigere errores & supplere defectus in administratione Sacramenti Pœnitentiæ commissos. 397

DUB. VI. *Quæ scientia & prudentia requiratur in Confessario.* 398

Q. 257. Quid præterea notandum sit circa scientiam & alias virtutes in Confessario requisitas. 399

Q. 258. Quid observare debeat Confessarius puerorum. 400

Q. 259. Quid Confessarius adolescentum & juvenum. 401

Q. 260. Quid Confessarius Rusticorum aliorumque rudium. 401

Q. 261. Quid Confessarius Ecclesiasticorum, Judicum &c. Patrum filiorum familias &c. 402

Q. 262. Quid Confessarius Medicorum &c. mercatorum, opificum, militum. 403

Q. 263. Quid Confessarius hominis scandalosi. 403

Q. 264. Quid Confessarius consuetudinarii seu recidivi. 403

Q. 265. Quid Confessario sit agendum specialiter cum illo, qui frequenter relabitur in pollutiones & peccata mollitiei. 406

Q. 266. Quid Confessarius alicujus constituti in occasione proxima peccandi 407. Q. 267. Confessarius hominis pudibundi, pusillanimis, desperantis de emendatione. 407

Q. 268. Quomodo aget Confessarius cum homine, quem advertit seriam pœnitentiam differre in alia tempora, fortè etiam usque ad mortem. 408

Q. 269. Quid aget Confessarius hominis nolentis condonare, indurati, desperantis de salute ob peccatorum multitudinem. 409

Q. 270. Quid Confessarius captivi vel condemnati ad mortem. 409

Q. 271. Quid agendum sit Confessario hominis ebrioſi, vel habentis ebriosam uxorem. 410

Q. 272. Quid observandum sit circa hominem convertendum & conversum ad fidem. 410

Q. 273. Quid observare debeat Confessarius ægri vel moribundi. 412

Q. 274. Quid notandum sit circa Confessarium illius, qui tenetur ad restitutionem famæ vel aliorum bonorum. 417

Q. 275. Quid observare debeat Confessarius fatui, surdi, muti, hominis linguæ peregrinæ. 417

Q. 276. Quid observare debeat Confessarius pœnitentis generaliter confitentis, vel antehac male confessi. 418

Q. 277. Quid observare debeat Confessarius si pœnitens confiteatur sola dubia, venialia vel imperfectiones. 421

Q. 278. Quid observare debeat Confessarius mulierum. 422

Q. 279. Quid observare debeat Confessarius eorum, qui specialiter profitentur devotionem aut perfectionem. 423

Q. 280. Quid observare debeat Confessarius, si advertat pœnitenti suo immitti à Deo varias consolationes vel desolationes internas. 424

Q. 281. Quid observare debeat Confessarius hominis tentationibus variis agitati vel tribulati. 426

Q. 282. Quid observare debeat Confessarius hominis scrupulosi vel meticulosi. 427. Q. 283. Quid observandum sit Confessario illius, qui deliberat de re aliqua, & præcipuè de statu vitæ eligendo. 427

Q. 284. Quid denique adhuc notandum sit circa prudentiam Confessarii. 430

CAP. III. *De adjunctis Pœnitentiæ.* 430

DUB. I. *Quid sit sigillum Confessionis & qui ad illud teneantur.* 430

Q. 285. Quid præterea notandum sit circa obligationem sigilli. 433

Q. 286. Ex qua confessione oriatur ea obligatio sigilli. 434

Q. 287. Quas sententias expediat sequi circa hanc materiam de sigillo. 434

Q. 288. Quid addendum sit circa illa, quæ dicuntur materia sigilli seu cadere sub sigillum. 434

Q. 289. Quid addendum sit circa illos, qui obligantur sigillo. 435

Q. 290. Quid præterea notandum sit circa licentiam loquendi, quam pœnitens dare potest Confessario. 436

Q. 291. Quid præterea sit notandum circa fractionem sigilli. 436

Q. 292. An & quomodo liceat aliquando Confessario uti scientia confessionis ad avertenda mala vel evitanda peccata. 438

Q. 293. An Confessarius post datam absolutionem vel in alia confessione possit non petita venia loqui cum pœnitente de auditis in confessione. 439

Q. 294. Quomodo ille, qui obligatur sigillo, debeat respondere, si interrogetur circa materiam sigilli. 439

Q. 295. Quomodo pro foro externo sit agendum circa materiam sigilli. 440

Q. 296. Qua præterea circumspectione hic meritò sit utendum. 440

Q. 297. Quæ sint pœnæ eorum, qui violant sigillum, & quomodo possit in judicio contra eos procedi. 441

Q. 298. An expediat consulere Confessarios, quando agitur de aliquo promovendo. 441

DUB. II. *Quale præceptum & quæ obligatio confessionis.* 442

Q. 299. Quid in genere notan. sit circa præceptum & necessitatem pœnitendi. 442

Q. 300. Quid in genere not. sit circa præceptum & necessitatem confessionis. 446

Q. 301. Quis teneatur præcepto confessionis annuæ. 447

Q. 302. Cui facienda sit confessio annua. 448

Q. 303. Qualis debeat esse confessio, ut satisfiat huic præcepto. 448

Q. 304. Quorum peccatorum confessio sit materia necessaria hujus præcepti. 449

Q. 305. Quando, & an etiam sæpiùs in anno fieri debeat confessio mortalium, ut satisfiat huic præcepto. 449

Q. 306. Quid excuset ab hoc præcepto cō. fessionis annuæ. 450

Q. 307. Quas pœnas incurrat non confitens semel in anno. 451

Q. 308. Quis sit tenor Bullæ Cœnæ. 451

Q. 309. Quænam Decreta circa materias hactenus tra-

Index Tractatuum, Capitum; &c.

tractatas emanarint à S. Congregatione Rituum. 454

Q. 310. Quid notandum sit circa ista 361. Decreta. 464

TRACTATUS V.

De Extrema Unctione & Ordine.

CAP. I. *Quid sit extrema Unctio, & quæ circa eam observanda.* 466

Q. 311. Quinam hìc sint hæreticorum errores vel opiniones aliquorum: & quænam doctrina Scripturæ ac Conciliorum. 468

Q. 312. Quid notandum sit circa varias sententias, quæ concernunt materiam, formam, Ministrum & subjectum Sacramenti Unctionis. 468

Q. 313. Quid præterea sit notandum circa Sacramentum Unctionis. 470

CAP. II. *De Sacramento Ordinis.* 471

DUB. I. *Quid Ordo, quotuplex, & quæ ejus materia.* 471

Q. 314. Quinam hìc sint hæreticorum errores, & quæ doctrina Scripturæ ac Conciliorum. 472

Q. 315. Cùm unica sit Ecclesia, quæ habere debet utique eadem Sacramenta, quomodo fiat, quod Ecclesia Græca & Latina non utantur eisdem materiis Ordinum. 473

Q. 316. An Presbyterium apud Latinos sine prima manuu impositione collatum sit certò validum. 474

Q. 317. Quid præterea sit notandum circa varias sententias in hac materia. 475

Q. 318. Quid addendum sit circa castitatem sacris Ordinibus annexam. 477

Q. 319. Quid addendum sit circa obligationem non ordinandi alienum subditum. 478

Q. 320. A quo Episcopo ordinari possint vel debeant Religiosi. 481

Q. 321. A quo ordinari possint Novitii Ordinum Religiosorum. 483

Q. 322. Quid notandum sit circa suppletionem Ordinum vel rituum in Ordinatione omissorum. 484

Q. 323. Quid præterea notandum sit circa Ordinationem & Ordines. 485

DUB. II. *Quæ requirantur in Ordinando.* 485

Q. 324. Quid præterea sit notandum circa requisita in ordinando. 486

Q. 325. Quid add. sit circa intentionem requisitam in ordinando & Ordinante. 487

Q. 326. Quid addendum sit circa litteras dimissoriales. 488

Q. 327. An, ut quis ordinari possit, etiam necessariæ sint litteræ testimoniales seu commendatitiæ. 490

Q. 328. Quid Sede vacante fieri possit circa Ordinationem, dimissoriales & testimoniales. 491

Q. 329. Quid specialiter notand. sit circa jam dicta tempore Sedis vacantis in Episcopatu, in quo alternant Episc. Catholicus & Princeps acatholicus. 493

Q. 330. Quid addendum sit circa titulum Ordinationis. 494

Q. 331. Quid addendum sit circa Tempora, interstitia & locum Ordinationum. 496

Q. 332. Quid addendum sit circa ætatem ordinandi. 498

Q. 333. Quid notandum sit circa proclamationes, tonsuram & habitum ordinandi; item circa adscriptionem Ecclesiæ. 499

Q. 334. Quid sit dicendum circa preces vel Missas, quæ in Ordinatione injunguntur ab Episcopo. 500

Q. 335. Quod notare debeat Neopresbyter consecrans cum Episcopo. 500

Q. 336. Quandonam legi debeat alia prima Missa. 500

Q. 337. Quid denique circa Ordinantes & ordinatos sit notandum. 500

LIBRI VI. PARS III.

TRACTATUS VI.

De Matrimonio.

Q. 1. Quæ sit genuina significatio aliquorum terminorum, quorum erit frequens usus in his materiis. 501

Q. 2. Quinam sint præcipui hæreticorum errores, & quænam doctrina Scripturæ, ac Conciliorum circa Sacramentum Matrimonii. 501

Q. 3. Quis sit Judex competens in causis Matrimonialibus. 503

Q. 4. Quis sit accusator, vel testis competens in causis matrimonialibus. 505

Q. 5. Quid notandum sit in materia de Matrimonio circa propositionem 1. damnatam ab Innoc. XI. 505

CAP. I. *De Sponsalibus.* DUB. I. *Quid sint Sponsalia.* 506

Q. 6. Quid circa naturam, & mòdum sponsalium sit præterea notandum. 507

DUB. II. *Quæ, & quanta obligatio sponsalium.* 509

Q. 7. Quid præterea sit notandum circa obligationem sponsalium, & tempus ineundi Matrimonii. 509

Q. 8. Quid addendum sit circa illum, qui fictè promisit vel non cogitans de obligatione. 510

Q. 9. Ad quid teneatur, qui facta spe, vel sub ficta promissione Matrimonii puellam induxit ad copulam. 510

Q. 10. Quid dicendum sit de sponsalibus posteriùs initis contra fidem priorum. 510

Q. 11. Quid addendum sit circa sponsalia conditionata. 511

Q. 12. Quid præterea notandum sit circa promissionem Matrimonii inter consanguineos vel aliter impeditos. 513

Q. 13. Quid notandum sit circa promissionem Matrimonii disjunctivam, vel incertam. 513

Q. 14. Quid dicen. sit de sponsalib. quæ ineuntur insciis vel invitis parentib. 513

Q. 15. Ad quid teneatur, qui juravit se ducturum Titiam, & nullam aliam. 514

Q. 16. An sponsalia ex metu injustè incusso contracta sint valida, vel saltem obligent ex religione, si accedat juramentum. 514

Q. 17. Quid addendum sit circa sponsalia impuberum. 514

Q. 18. Quid dicendum sit in variis dubiis circa valorem, & obligationem sponsalium. 515

Q. 19. Quid not. sit circa arrhas, sponsalitiam largitatem, donum matutinum. 517

Q. 20. An sponsalibus addi possint pacta. 518

Q. 21. An & quomodo pacta pœnalia sponsalib. adjecta obligent. 518

Q. 22. Quid liceat sponsis. 519

DUB. III. *Quomodo dissolvantur sponsalia.* 520

Q. 23. Quid præterea sit notandum circa dissolutionem ex mutuo consensu. 521

Q. 24. Quid addendum sit circa dissolutionem ob crimen. 522

Q. 25. Quid notandum sit circa varias mutationes, quæ forte superveniunt. 522

Q. 26. Quid notandum sit circa causas vel defectus ignoratos. 523

Q. 27. Quid addendum sit circa dissolutionem ob ingressum Religionis, votum, Ordines sacros vel aliud impedimentum superveniens. 525

Q. 28. An

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 28. An & quomodo peccet, qui necdum dissolutis sponsalibus, & invita sponsa, ex sincero animo Deo melius serviendi suscipit sacros Ordines. 527

Q. 29. Quid notandum sit circa dissolutionem sponsalium per Matrimonium contractum cum alia. 527

Q. 30. Quid addendum sit circa dissolutionem ob absentiam sponsi vel nimiam dilationem. 528

Q. 31. Quid addendum sit circa alias causas dissolvendi sponsalia. 528

Q. 32. Ad quid teneatur, qui cum, vel sine justa causa resilit à sponsalibus. 529

CAP. II. *De Matrimonio secundùm se.* 530

DUB. I. *Quid sit, quæ ejus materia, forma, Minister.* 530

Q. 33. Quid prætereà sit notandum circa essentiam, consensum, & finem, quo initur Matrimonium. 530

Q. 34. Quid addendum sit circa consensum, & Matrimonium conditionatum. 533

Q. 35. Quid dicendum sit de Matrimonio, quod acatholicus contrahit sub conditione, si conjux maneat fidelis. 535

Q. 36. Quid notandum sit circa illum, qui fictè tantùm consentit. 538

Q. 37. Quid notand. sit circa Matrimonium, quod inter absentes contrahitur. 538

Q. 38. An tale Matrimonium inter absentes contractum, nunc post Tridentinum habeat rationem Sacramenti. 539

Q. 39. An Matrimonium semel ritè initum, & non dissolutum, possit inter eosdem sæpiùs iniri. 539

Q. 40. Quandonam præsumatur, aut quomodo probetur, quòd Matrimonium sit initum. 539

Q. 41. An Matrimonium pro foro interno invalidum, possit pro foro externo censeri validum, & quid tum sit agendum. 540

Q. 42. An ratio Sacramenti sit separabilis à ratione indissolubilis contractus matrimonialis inter fideles, sive baptizatos. 540

Q. 43. An Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum sit Sacramentum. 541

Q. 44. Quid notandum sit circa consummationem Matrimonii. 541

Q. 45. Quid addendum sit circa Ministrum in Sacramento Matrimonii. 542

Q. 46. Quinam sint speciales effectus Matrimonii. 542

DUB. II. *De usu Matrimonii.* 543

ART. I. *An usus Matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus.* 543

Q. 47. Ex quo fine usus Matrimonii sit licitus. 543

Q. 48. Quid agendum sit, si post contractum Matrimonium suboriatur dubium de illius valore. 545

Q. 49. Quid liceat conjugi, si post initum secundum Matrimonium incipiat dubitare de vita prioris conjugis. 546

Q. 50. An usus Matrimonii ex metu gravissimæ infamiæ, vel mortis sit licitus conjugi, qui scienter vel saltem ignoranter contraxit Matrimonium cum impedimento dirimente, quod tam citò removeri non potest. 547

Q. 51. An viles, item illi, qui post Matrimonium facti sunt [illegible]muchi aut impotentes, licitè tentent usum Matrimonii, tangant se &c. 547

Q. 52. An sint alia tempora, quib. actus conjugalis specialiter sit illicitus. 548

Q. 53. Quid prætereà addendum circa peccata conjugum. 548

Q. 54. Quid addendum sit circa peccata viduarum. 551

ART. II. *An actus conjugalis sit præceptus & debitus.* 551

Q. 55. Quandonam debitum licitè reddatur conjugi illicitè petenti. 552

Q. 56. Quid specialiter sit notandum circa illum qui ante vel in Matrimonio vovit castitatem, virginitatem, cœlibatum, Religionem, sacros Ordines. 553

Q. 57. An conjux adulter vel incestuosus habeat jus ad copulam. 555

Q. 58. Quid dicendum sit, si Matrimonio superveniat cognatio spiritualis. 556

Q. 59. Quid prætereà addendum sit circa petitionem & redditionem debiti. 556

Q. 60. Quid ad hunc casum sit dicendum. 557

DUB. III. *An & quibus ex causis possit fieri divortium.* 558

Q. 61. Quid prætereà sit notandum circa vinculum & indissolubilitatem Matrimonii. 558

Q. 62. Quid notandum sit circa tempus bimestris, quod conceditur conjugatis. 561

Q. 63. Quid prætereà sit addendum circa divortium. 562

CAP. III. *De impedimentis Matrimonii.* 566

DUB. I. *Quæ sint impedimenta impedientia tantùm.* 566

Q. 64. Quid prætereà sit notan. circa impedimenta tantùm impedientia. 568

Q. 65. Quid circa proclamationes sit addendum. 568

Q. 66. Quid notandum sit circa pœnas statutas contra eos, qui contrahunt vel assistunt Matrimonio neglectis proclamationibus. 571

Q. 67. Quid circa benedictionem Matrimonii sit addendum. 572

Q. 68. An licitum sit interroganti dicere, quòd Matrimonium cum impedimento tantùm impediente contractum sit validum. 573

DUB. II. *Quæ sint impedimenta dirimentia.* 573

Q. 69. Quis possit inducere impedimenta dirimentia. 576

Q. 70. An per consuetudinem possit induci novum, vel abrogari antiquum impedimentum Matrimonii. 577

Q. 71. Quid dicendum sit de illo, qui Matrimonium contrahit invincibiliter ignorans impedimentum, quod habet. 578

Q. 72. An leges humanæ constituentes impedimenta dirimentia, absolutè obligent in omni casu. 578

Q. 73. An valeat Matrimonium initum cum impedimento, quod probabilis opinio dicit non esse impedimentum. 578

Q. 74. Quid dicendum sit de illo, qui contrahit sciens vel dubitans de impedimento dirimente. 579

Q. 75. Quomodo practicè sit procedendum, quando advertitur impedimentum, vel oritur prudens de eo suspicio. 580

Q. 76. Quid addendum sit circa impedimentum erroris. 581

Q. 77. Quid addendum sit circa impedimentum conditionis servi. 582

Q. 78. An conditio filii dirimat: & quid dicendum sit, si Matrimonium ineatur inscitis vel invitis parentibus. 583

Q. 79. Quid addendum sit circa impedimentum voti. 584

Q. 80. Quid addendum sit circa cognationem legalem. 586

Q. 81. Quid addendum sit circa cognationem spiritualem. 587

Q. 82. Quid circa cognationem carnalem seu consanguinitatem sit addendum. 587

Q. 83. Quomodo practicè sit agendum, quando dicitur, quòd cognatio intercedat inter sponsos. 589

Q. 84. Quid

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q. 84. Quid prætereà sit notandum circa impedimentum consanguinitatis. 589

Q. 85. Si Titius & Berta sint consanguinei in gradu mixto ex quarto & quinto, an sint impediti. 590

Q. 86. Quid addendum sit circa impedimentum criminis. 590

Q. 87. Quid specialiter circa crimen raptus sit addendum. 592

Q. 88. An ista impedimenta criminis incurrantur ab ignorante illa esse tali crimini annexa. 593

Q. 89. Quid addendum sit circa impedimentum disparis cultus. 593

Q. 90. Quandonam dirimat vis & metus. 594

Q. 91. An Matrimonium ex metu gravi injustè incusso initum, sit de Jure naturæ, an tantùm de Jure positivo nullum. 596

Q. 92. Quid addendum sit circa impedimentum ligaminis. 598

Q. 93. Quid dicendum sit ad hunc casum quasi duplicis Matrimonii. 599

Q. 94. Quid addendum sit circa impedimentum publicæ honestatis. 599

Q. 95. An publica honestas, vel affinitas contracta inter infideles dirimat Matrimonium suscepto Baptismo priùs contrahendum. 600

Q. 96. Quid notandum sit circa impedimentum ætatis. 600

Q. 97. Quid addendum sit circa impedimentum affinitatis. 600

Q. 98. Quomodo practicè sit procedendum, quando quæritur de impedimento affinitatis, v. g. inter Titium & Bertam. 602

Q. 99. Quomodo Jus civile discrepet à Jure canonico in computatione graduum cognationis & affinitatis. 602

Q. 100. Quid addendum sit circa impedimentum clandestinitatis. 602

Q. 101. Quid censendum sit de Matrimoniis, quæ in locis acatholicis contrahuntur sine Parocho catholico, vel cum impedimento consanguinitatis aut affinitatis in 3. & 4. gradu. 611

Q. 102. An ergo nunquam valeant Matrimonia in locis, ubi *Trid.* fuit promulgatum, contracta sine Parocho. 615

Q. 103. Quid addendum sit circa impedimentum impotentiæ. 615

Q. 104. Quam pœnam incurrat, qui contrahit sciens se habere impedimentum dirimens. 618

DUB. III. *Quomodo Matrimonium invalidum sit revalidandum.* 618

Q. 105. Quid circa hanc revalidationem sit prætereà notandum. 619

Q. 106. An Confessarius advertens Matrimonium esse nullum, teneatur statim admonere, ut abstineant ab ejus usu. 620

DUB. IV. *A quo & ob quam causam possit dispensari in impedimentis Matrimonii.* 620

Q. 107. Quid in genere notandum sit circa dispensationes, & præcipuè matrimoniales. 621. Q. 108. Quid prætereà sit notandum circa potestatem Papæ in dispensando quoad impedimenta Matrimonii. 622

Q. 109. Quid notandum sit circa facultates, quas habere solent Nuntii Apostolici, etiam circa impedimenta Matrimonii. 623

Q. 110. Quid addendum sit circa facultates ordinarias, quas habent Episcopi vel alii ad dispensandum in impedimentis Matrimonii. 624

Q. 111. Quasnam extraordinarias facultates, præsertim in impedimentis Matrimonii, habere soleant à Sede Apostolica Episcopi in Germania. 626

Q. 112. Quis Episcopus possit dispensare cum sponsis habentibus impedimentum. 628. Q. 113. Quis dicatur pauper in ordine ad dispensationem matrimonialem 628. Q. 114. An Nuntii Apostolici vel Episcopi in his partibus dispensare possint cum *quibusvis* pauperibus pro contrahendis Matrimoniis, si attingatur gradus secundus. 630

Q. 115. Quid dicendum sit, si unus sponsorum, pro quibus petitur dispensatio à Nuntio vel Episcopo, sit acatholicus. 631

Q. 116. Quandonam impedimentum, aut aliquid aliud, circa quod dispensandum esset, censeatur publicum, notorium, occultum, deductum ad forum contentiosum. 632. Q. 117. Quid notandum sit circa illos, quibus committitur potestas dispensandi, vel dispensatio ipsa. 632

Q. 118. An Vicarius Episcopi possit idem, quod Episcopus, ac subdelegare facultates, quas habet ab Episcopo. 633

Q. 119. An Vicarius generalis possit sine speciali mandato dispensare in illis, in quibus potest Episcopus, vel exequi illa, quæ committuntur Episcopo, aut contrà. 634

Q. 120. Quid possint, quoad matrimonialia Archidiaconi. 635

Q. 121. Quid Capitulum Sede vacante possit quoad matrimonialia. 635

Q. 122. Quid notandum sit circa potestatem Regularium in ordine dispensandi circa conjuges vel Matrimonia. 636

Q. 123. An aliquis dispensans sine potestate dispensandi aliquando dispenset validè; & quando sciens facit, an incurrat aliquam pœnam Ecclesiasticam. 636. Q. 124. Quid universùm notandum sit circa causas dispensandi. 636. Q. 125. An aliquando sit obligatio petendi aut concedendi dispensationem. 637. Q. 126. Quid notandum sit circa causas dispensandi in Subdiaconatu, propter periculum incontinentiæ. 638. Q. 127. Quomodo petenda Romæ dispensatio, & quid in *supplica* sit exprimendum. 638

Q. 128. Quæ ordinariè solvenda sint Romæ vel in Nuntiatura. 641

Q. 129. Quid notandum sit circa errores *supplicæ* vel Rescripti. 644

Q. 130. Quomodo intelligenda sint verba Rescriptorum. 645

Q. 131. Quid addendum sit, si in facultate dispensandi addatur, gratis ubique sub pœna invaliditatis, sine ulla mercede, sine præmio, sine munere, gratis sub excommunicatione. 646. Q. 132. Quid prætereà specialiter notandum sit circa dispensationes, quæ petuntur à S. Pœnitentiaria. 646. Q. 133. An dispensatio impedimenti prosit ignoranti vel invito. 646. Q. 134. Quid addendum sit de dubio circa potestatem dispensandi vel dispensationem ipsam. 649. Q. 135. Quomodo practicè sit applicanda doctrina hactenus tradita. 649. Q. 136. Quid prætereà sit notandum circa executionem dispensationum matrimonialium. 6[illegible]

Q. 137. Quid prætereà observare debeat Parochus circa Matrimonia coram ipso contrahenda. 652

Q. 138. Quid denique notandum sit circa purificationem puerperarum. 652

LIBER VII.

De Censuris Ecclesiasticis, & irregularitatibus.

CAP. I. *De censuris in genere.* 653

DUB. I. *Quid sit censura Ecclesiastica.* 653

Q. 1. Quinam circa censuras sint errores hæreticorum & quæ doctrina catholica. 653. DUB. II. *Quotuplex*

Index Tractatuum, Capitum, &c.

plex sit censura. 653
Q. 2. Quæ sit significatio variorum terminorum, qui in hac materia de censuris sæpè recurrent. 654
DUB. III. *Qui possint ferre censuram, & in quos.* 655
Q. 3. Quid præterea notandum sit circa potestatem ferendi censuras. 655
Q. 4. Quid addendum sit circa illos, in quos fertur censura. 656. Q. 5. An impuberes incurrant censuras. Q. 6. An ille incurrat censuram, qui est extra territorium vel diœcesin Superioris sui statuentis censuram. 657
DUB. IV. *Ob quam causam possit ferri censura.* 658
Q. 7. Quid addendum sit circa actum, quo incurritur censura. 658. Q. 8. Quid dicendum sit de mandante, consulente, cooperante. 659. Q. 9. Quid notandum sit circa modum, quo feruntur censuræ. 660. Q. 10. Quid notandum sit circa prærequisita antequam feratur vel incurratur censura. 661
Q. 11. Quid notandum sit circa denunciationem censuræ. 661. Q. 12. Quid notandum sit de censura injusta. 662. Q. 13. An aliquis possit sæpiùs incurrere in eandem censuram. 663. Q. 14. Quid notandum sit circa causas excusantes ab incurrenda censura. 663. Q. 15. Quid notandum sit circa appellationem à censura. 665. Q. 16. Quid dicendum sit ad varias dubitationes, quæ hìc possunt occurrere. 667
DUB. V. *Quis possit absolvere à censuris.* 667
Q. 17. Quid præterea sit notandum circa potestatem absolvendi & absolutionem à censuris. 668
DUB. VI. *Quomodo danda sit absolutio à censura.* 670
Q. 18. Quid præterea sit notandum circa praxin & modum absolvendi à censuris. 671. Q. 19. Quænam sint præmittenda absolutioni à censuris. 672. Q. 20. Quid notandum sit circa hanc satisfactionem, quæ præmitti debet. 672. Q. 21. An mortuus possit vel debeat absolvi à censura. 673
CAP. II. *De excommunicatione.* 673. DUB. I. *Quid sit & quotuplex.* 673
Q. 22. Quænam excommunicatio intelligatur, si simpliciter dicatur, sub excommunicatione, & quid, si dicatur anathema. 673. Q. 23. Quid notandum sit circa eos, qui dicuntur notoriè excommunicati, denunciati, vitandi. 673
DUB. II. *Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor.* 674
Q. 24. Quid præterea sit hìc notandum. 675
DUB. III. *Quos effectus habeat excommunicatio major.* 675
Q. 25. Quid præterea sit notandum circa effectus excommunicationis majoris, & speciatim circa usum passivum & activum Sacramentorum, quo privatur excommunicatus. 677. Q. 26. Quid addendum sit circa suffragia Ecclesiæ & divina officia, quibus privatur excommunicatus. 678. Q. 27. Quid circa communicationem forensem & usum jurisdictionis. 678. Q. 28. Quid circa collationem Beneficii, privationem fructuum, & Rescripta, respectu excommunicatorum excommunicatione majore. 679. Q. 29. Quid notandum sit circa negationem sepulturæ Ecclesiasticæ. 681. Q. 30. Quid addendum sit circa privationem civilis excommunicationis. 685. Q. 31. Quid notandum sit de participante cum excommunicato. 686. Q. 32. Quid addendum sit circa casus, ob quas aliquando licita est communicatio cum excommunicato. 686
Q. 33. Quid notandum sit circa illum, qui dicitur insolescere in censura. 686
DUB. IV. *Ob quas causas incurratur excommunicatio major.* 687
ART. I. *Quæ sint excommunicationes non reservatæ.* 687
Q. 34. Quid circa hæc præterea sit notandum. 687
ART. II. *Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis.* 687
Q. 35. Quid præterea sit hìc notandum. 687
ART. III. *Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ.* 688
Q. 36. Quid præterea sit hìc notandum. 688
ART. IV. *Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum.* 688
Q. 37. Quid circa hanc excommunicationem sit præterea notandum. 689
ART. V. *Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ.* 691
Q. 38. Quid præterea sit hìc notandum. 691. Q. 39. Quid addendum sit circa libros hæreticorum. 692. Q. 40. Quid addendum sit circa libros alios prohibitos. 695. Q. 41. Quid notandum sit circa impressionem & lectionem S. Scripturæ. 696. Q. 42. Quid addendum sit circa impressionem & lectionem aliorum librorum, & speciatim controversiarum fidei. 699. Q. 43. Quas pœnas incurrant legentes aut retinentes libros hæreticos vel alios prohibitos. 699. Q. 44. Quis possit dare facultatem legendi vel corrigendi libros hæreticos & prohibitos. 699. Q. 45. An Episcopi possint pro sua Diœcesi prohibere certos libros, vel aliquas propositiones censurare. 701
CAP. III. *De suspensione & degradatione.* 701
DUB. I. *Quid sit suspensio, quotuplex, & unde dignoscendum qualis & quanta sit.* 701
Q. 46. Quid circa hæc præterea sit notandum. 702
DUB. II. *Quæ sint suspensiones in particulari, & quis ab eis possit absolvere.* 702
Q. 47. Quid circa hæc præterea sit notandum. 703
DUB. III. *Quid sit depositio & degradatio, à quo & ob quam causam fieri possit.* 703
Q. 48. Quid præterea circa ista sit notandum. 704
CAP. IV. *De interdicto.* DUB. I. *Quid sit & quotuplex.* 704
Q. 49. Quid hìc sit præterea notandum. 704
DUB. II. *Qui sint effectus interdicti.* 704
Q. 50. Quid hìc sit præterea notandum. 705
DUB. III. *Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit.* 705
Q. 51. Quid hìc sit præterea notandum. 705
CAP. V. *De irregularitate.* DUB. I. *Quid & quotuplex sit irregularitas.* 706
Q. 52. An certum sit nullam irregularitatem, etiam ex delicto, esse censuram. 706 Q. 53. Si aliquid præcipiatur vel prohibeatur sub pœna irregularitatis, quale sit peccatum contravenire. 706
DUB. II. *Qui sint effectus irregularitatis.* 706
Q. 54. Quid præterea sit notandum circa hos effectus. 706. Q. 55. Quid addendum circa irregularitatem in Beneficiatis. 707. Q. 56. An irregularitas semper sit signum, quòd quis vocatus non sit ad statum Ecclesiasticum. 707
DUB. III. *Quomodo incurratur & tollatur irregularitas.* 707
Q. 57. A quo incurratur irregularitas. 707. Q. 58. Quid addendum sit circa varia dubia, quæ in hac materia possunt occurrere. 708. Q. 59. Quid addendum sit circa sublationem irregularitatis. 709. Q. 60. Quid addendum circa potestatem Episcopi in dispensanda irregularitate. 709
DUB. IV. *Quæ sint irregularitates ex delicto.* 711
Q. 61. An irregularitas ex delicto incurratur ab illo, qui committit delictum, sed invincibiliter ignorat irregularitatem esse annexam tali delicto. 711. Q. 62. Quid præterea addendum sit circa irregularitates ex delicto. 711. Q. 63. Quid ad hunc casum sit dicendum. 712
DUB. V. *Quæ irregularitates ex defectu.* 713
Q. 64. Quid præterea sit notandum circa defectus animæ. 714. Q. 65. Quid addendū sit circa defectus corporis. 715. Q. 66. Quid addendum sit circa defectum


ctum natalium. 715. Q. 67. Quid addendum circa defectum ætatis. 715. Q. 68. Quid addendum circa defectum ratione infamiæ. 716
Q. 69. Quid addendum circa defectum libertatis. 716
Q. 70. Quid addendum circa defectum lenitatis. 717

LIBER VIII.

De Sanctæ Cruciatæ Bulla.

TRACTATUS UNICUS.

CAP. I. *De Communi vivorum Bulla.* p. 719
DUB. I. *Quid sit Bulla? Et quis eam concedere valeat?* 719
DUB. II. *Quibusnam concedatur Cruciatæ Bulla?* 719
DUB. III. *Quantum temporis Bulla duret?* 720
Q. 1. An Privilegium Bullæ, Pontificis concedentis morte finiatur? 721
Q. 2. An Pontifex Bullam revocare possit? 721
Q. 3. An revocetur per aliquod Jubilæum &c. 722
DUB. IV. *Quænam personæ privilegiis Bullæ gaudere possint?* 722
ART. I. *An Bullam suscipiens in gratia esse debeat, ut privilegiis Bullæ potiri valeat?* 722
ART. II. *Utrum Catechumeni, pueri, fatui, excommunicati & hæretici gaudeant iis?* 722
ART. III. *An Religiosi Bullæ gaudere possint?* 723
ART. IV. *An vivorum Bulla possit pro defuncto assumi in ordine ad aliquem usum?* 723
DUB. V. *Quid debeat facere quis, ut Bullæ privilegiis gaudeat?* 723
Q. 1. Quantum militum numerum expensis propriis mittere teneatur, qui non sequitur castra, ut Bullæ privilegiis potiri possit? 723
Q. 2. Quantam per Commissarii taxationem eleemosynam erogare debeant, qui militem ad bellum non mittunt? 724
DUB. VI. *Resolutio difficultatum aliquarum circa dicta in Dubio proximo.* 724
DUB. VII. *De aliis difficultatibus, tam de Clericis quàm Religiosis, qui bellum adeunt, ut milites in spiritualibus adjuvent?* 725
ART. I. *Quid intelligatur nomine Clericorum & Regularium? Quam licentiam habere debeant, ut exercitum adeant? Et quæ ministeria ibi teneantur exercere?* 725
ART. II. *Quænam particularia privilegia concedantur Clericis & Regularibus ad exercitum euntibus?* 725
DUB. VIII. *De duobus aliis militum privilegiis.* 726
DUB. IX. *De quibusdam difficultatibus erga taxationem Eleemosynæ pro Bulla.* 726
DUB. X. *De Indulgentiis Bullæ.* 727
ART. I. *Quænam Indulgentiæ concedantur in Bulla?*
ART. II. *De Indulgentia plenaria, quæ euntibus vel mittentibus ad exercitum conceditur.* 727
ART. III. *De Indulgentia Plenaria quæ conceditur accipientibus summarium Bullæ.* 728
ART. IV. *De Indulgentia quindecim annorum & participationis piorum operum.* 729
ART. V. *De Indulgentiis quæ obtinentur visitando quinque Altaria.* 730
ART. VI. *An Indulgentiam quam obtinet visitans quinque Ecclesias, aut Altaria possit applicare defunctis?* 730
DUB. XI. *Quænam privilegia obtineantur per Bullam, Interdicti tempore?* 731
ART. I. *Resolutiones circa celebrandam Missam, & audiendam, & circa Officia divina?* 731
Q. An habens Bullam teneatur audiri Missam diebus festis tempore Interdicti? 732
ART. II. *De privilegio accipiendi Sacramenta, & posse sepeliri in loco sacro, cum moderata funeris pompa, tempore Interdicti.* 732
DUB. XII. *De privilegiis Orationum.* 732
DUB. XIII. ART. I. & II. *De privilegio vescendi carnibus, ex consilio Medici, & ovis ac lacticiniis, in diebus quibus prohibentur.* 733
ART. III. *De privilegio quod Ecclesiasticis datur per aliam Bullam, ut ovis & lacticiniis vescantur.* 734
DUB. XIV. *De Electione Confessarii approbati ab Ordine, quæ conceditur per Bullam.* 735
ART. I. *De approbatione necessaria in Confessario, ut per Bullam eligi possit.* 735
ART. II. *De potestate Confessarii electi virtute Bullæ, quoad absolutionem culparum reservatarum & non reservatarum.* 737
ART. III. *An possint Regulares eligere virtute Bullæ Confessarium, qui eos absolvat à peccatis reserv. & non reserv.* 738
DUB. XV. *De potestate Confessarii in virtute Bullæ, quoad absolutionem à Censuris.* 738
ART. I. *De Censuris in generali.* 737
ART. II. *De Censuris in particulari.* 739
DUB. XVI. *De potestate commutandi vota, virtute Bullæ.* 740
ART. I. *Resolvuntur Dubia aliqua.* 740
ART. II. *De Votis quæ virtute Bullæ nequeunt commutari.* 741
DUB. XVII. *De aliquib. difficultatibus Bullæ, quæ restant explicandæ.* 742
ART. I. *An debeat asservari Summarium Bullæ, & inscribi nomen accipientis?* 742
ART. II. *An acceptis Bullis duabus, possint aliqua privilegia obtineri duplicata?* 742
ART. III. *De suspensione & revalidatione Indulgentiarum & gratiarum quas Bullæ commissarius concedit.* 742
ART. IV. *De suspensione Interdicti, dum Bulla promulgatur.* 743
CAP. II. *De Bulla compositionis.* 744
DUB. I. *De bonis in communi, de quibus Commissarius potest compositionem facere.* 744
ART. I. *Quænam quantitas componi possit?* 744
ART. II. *Cujusnam qualitatis futura sint bona, super quæ fieri possit compositio?* 744
DUB. II. *De particularibus casibus, in quos Bulla compositionis intrat.* 745
ART. I. *De primis 6. casibus, qui ponuntur in Bulla.* 745
ART. II. *De sex aliis casibus ejusd. Bullæ.* 746
ART. III. *De sex ultimis ejusdem casibus.* 747
ART. IV. *Conclusio hujus Bullæ.* 748
CAP. III. *De Bulla Defunctorum.* 748
DUB. I. *De Indulgentia plenaria, quæ per Bullam conceditur animæ in Purgatorio patienti.* 748
DUB. II. *De aliis circa Bullam difficultatib.* 749
CAP. IV. *De facultatibus Commissarii Generalis Cruciatæ.* 749
DUB. I. *De facultatibus in ordine ad bonam Bullæ expeditionem.* 749
DUB. II. *De facultatibus quas habet quoad animarum salutem.* 750
Constitutio Clementis X. declarans Regularium privilegia, quoad prædicationem Verbi divini, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem. 750



LIBER QUINTUS,

DE RATIONE COGNOSCENDI, ET DISCERNENDI PECCATA.

CAPUT PRIMUM.

De peccato in genere.

DUBIUM I.

Quid sit peccatum?

1 Respondeo, Est transgressio legis, sive, ut ait Tolet. est voluntarius recessus à regula divina: per quam regulam intelligitur præceptum, tam naturale & humanum, quàm divinum: per recessum, intelligitur actus, (vel ejus omissio) qui sit non tantùm voluntarius, sed etiam liber; cum aliqua actuali advertentia malitiæ. Quod addo; quia ut docet Sanch. 1. *mor. c.* 16. cum Vasq. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 3. & 12. & *c.* non sufficit ad actum peccaminosum libertas, & advertentia quæcumque virtualis, vel interpretativa, qua scilicet quis advertere poterat, & debebat; nec quæcunque actualis, qua scilicet intellectus ratione commodi, & incommodi in objecto attendat: sed requiritur, ut advertat moralem malitiam objecti, aut saltem de ea dubium, vel scrupulum concipiat. Ratio est, tum quia sine ista advertentia, non est voluntarium, cùm non sit cognitum; tum quia, quamdiu talis cogitatio intellectui non occurrit, non est sufficiens principium deliberandi de malitia, ideoque nec libertas, ac proinde nec culpa; & censetur illa inadvertentia naturalis & invincibilis oblivio. Addit tamen *Tann. d.* 4. *de pec. d.* 5. *qu.* 5. *d.* 5. *n.* 106. non esse necesse, ut consideratio illa maneat actu, dum peccatum durat: sed satis esse ut vel actu, vel virtute maneat; ita ut cum ea, vel actus peccati fuerit inchoatus, vel saltem causa data, ut fit in ebrio qui peccat, non vi præsentis, sed præteritæ deliberationis. *V. Bald. l.* 1. *d.* 36. Verùm Recentiores communiter docent, talem v.g. ebrium non peccare formaliter, quando usu rationis caret, sed malitiam eorum, quæ tunc fiunt contraxisse ante, dum prævidens malum, quod commissurus erat, ejus causam dedit; aiunt-que dum quis actu peccat, semper esse ac manere advertentiam aliquam malitiæ tenuem, vel confusam, ut v. apud Schol. nam in ordine ad praxim, parum refert, utrolibet modo loquaris.

Resp. II. Ad peccatum requiruntur tres conditiones, ut patet ex prima responsione, 1. Ut sit voluntarium, id est, ut fiat à voluntate consentiente. 2. Ut sit liberum, id est, ut sit in potestate voluntatis facere, vel non. 3. Ut advertatur malitia. *Ex quibus resolves*:

I. Defectu primæ conditionis, nullus actus, qui neque est in, neque à voluntate, est peccatum, nisi voluntas eum acceptet: ideoque nec impedit communionem, sive is sit internus, ut cogitationes contra fidem, blasphemæ, obscœnæ: motus carnis, etiam usque ad effusionem seminis, sive externus ac violentus, v.g. stuprum virgini per vim illatum.

II. Defectu secundæ conditionis, subinde à peccato excusantur vehementissimi motus iræ aut concupiscentiæ, quibus usus rationis perturbatur, & libertas tollitur.

III. Defectu tertiæ non peccat, qui die jejunii de præcepto nihil cogitans cœnat, vel carnes comedit, etsi advertat eas sibi delectabiles. Item qui lapidem projicit per fenestram, non advertens periculum læsionis; vel qui contractum usurarium celebrat, non advertens esse talem. Sanch. *n.* 21. *Regin. l.* 15. *n.* 75.

IV. Damna & eventus (licèt alioqui frequentes) ex ebrietate secuti, & nullo modo prævisi, inculpabiles sunt; quia nec in se, nec in causis sunt liberi. Sunt verò culpabiles, si sint prævisi, nec diligentia sufficiens ex præscripto prudentiæ sit adhibita, ne sequerentur: ea verò adhibita, etsi postèa eveniant, culpa vacant. Uti etiam quando juxta loci & temporis circumstantias non apparet periculum mali, ideoque nulla cautela est adhibita, Vasq 1. 2. *d.* 124. *cap.* 2. Quibus conformiter Less. *l.* 4. *cap.* 3. docet, si negligentia, ebrietatem aut eventus ex ea sequi solitos præcavendi, fuerit tantùm venialis, etiam mala, quæ prævideri poterant, tantùm venialia fore, quia cùm non in se, sed tantùm in causa sint libera, non possunt habere majorem culpam, quàm ipsa causa.

ADDENDA.

Quæstio 1. *Quænam sint præcipuæ divisiones peccati?*

R. §. 1. Peccatum variè sumitur, nam 1. aliquid dicitur peccatum vel naturæ, uti claudicatio; vel artis, uti locutio contra regulas Grammaticæ; vel moris, quod propriè dicitur culpa. 2. Peccatum moris aliquando sumitur pro causa vel effectu peccati,

uti ad Rom. 7. v. 17. *Quod habitat in me peccatum*, id est, fomes peccati seu concupiscentia. Aliquando pro materia, circa quam versatur peccatum, uti Deut. 9. v. 21. *Peccatum autem vestrum, quod feceratis*, id est, vitulum, *arripiens igne consumpsi*. Aliquando pro hostia in expiationem peccati, uti 2. ad Corinth. 5. v. 21. dicitur, quod Christus factus sit *pro nobis peccatum*, id est, hostia pro peccato. Hic agimus de peccato moris sive morali strictè sumpto.

3 § 2. Variæ sunt divisiones peccati; *prima* est, in *spirituale* & *carnale*: Spirituale est, quod immediatè ad animam pertinet, uti superbia, odium; carnale, quod tendit ad inordinatas delectationes corporis, uti luxuria, ebrietas.

4 2. Contrà *Deum*, *proximum*, *seipsum*, intellige specialiter & immediatè, quamvis enim omne peccatum sit contra Deum & contra seipsum, aliqua tamen sunt specialiter contra Deum, uti hæresis, blasphemia, perjurium; alia contra proximum, uti homicidium, furtum, detractio; alia contra seipsum, uti illa, quæ sunt contra temperantiam & fortitudinem.

5 3. *Oris, operis, cordis*: Posset que divisio aliter fieri hoc modo: peccatum aliud est merè internum, & dicitur cordis, aliud simul externum: simul externum, aliud est oris, aliud operis.

6 4. *Per excessum* & *per defectum*, qualia propriè sunt, quæ opponuntur virtutibus in medio consistentibus, sic liberalitati per excessum opponitur prodigalitas, per defectum avaritia, fortitudini, temeritas & pusillanimitas: contrà aliquas tamen virtutes, v. g. contrà charitatem, propriè loquendo, peccari non potest per excessum, quia non possumus nimium amare Deum: potest tamen ea divisio impropriè accommodari etiam reliquis virtutibus, si per excessum intelligatur commissio, per defectum omissio, & sic odium Dei erit contra charitatem per excessum; omissio amoris præcepti, per defectum.

7 5. *Commissionis* & *omissionis*; peccatum commissionis est transgressio præcepti negativi; omissionis, est transgressio positivi: porrò illud præceptum dicitur negativum, quod directè & primariò prohibet aliquid, ideoque finis illius ultimatus est omissio aliqua; affirmativum est, quod directè & primariò imperat aliquid, ideoque finis illius est positio alicujus. Dixi, rectè & primariò, nam præceptum negativum, quale est, *non furtum facies*, quamvis directè, primariò & ultimate tendat in omissionem actionis, quà alterius fortunæ lædantur, tamen etiam indirectè & secundario imperat aliquid, nempe restitutionem alieni, si habeas, sine qua continuaretur furtum, & sic indirectè & secundariò dici potest affirmativum; è contrà præceptum affirmativum, *audies Missam die festivo*, quamvis directè & primariò tendat in positivam auditionem Missæ, tamen etiam indirectè, & secundariò prohibet nolitionem audiendi Missam, & omne illud propter quod omitteretur Missa, v. g. studium, & sic quoque dici potest indirectè ac secundariò negativum: Itaque peccatum commissionis est, liberè ponere aliquid, quod est prohibitum, peccatum omissionis, liberè omittere aliquid, quod est imperatum, secundùm illud S. Aug. de perfect. just. c. 3. *Duobus modis constat esse peccatum, si aut fiant illa, quæ prohibentur; aut illa non fiant, quæ jubentur.* Ut autem sciri possit, an præceptum sit affirmativum, aut negativum, & consequenter an transgressio illius sit commissio, an omissio, non est attendendum præcisè ad voces affirmativas vel negativas, sed ad hoc, quod significant & ad finem præcepti; sic præceptum illud, *certis diebus jejunabis*, est negativum, quia prohibet comestionem repetitam, & carnium pro tali die &c. Estque etiam hoc discrimen inter præceptum affirmativum, & negativum, quòd negativum obliget semper pro semper, affirmativum autem obliget semper, sed non pro semper; sic præceptum jejunandi pridie Paschæ obligat ad abstinendum à secunda refectione & carnibus pro tota die, sed præceptum audiendi Missam die Paschæ non obligat ad audiendam tota die sed certa diei parte. Denique notandum est, quòd peccatum omissionis reducatur ad peccatum commissionis, secundùm illud S. Th. de veritate qu. 15. art. 4. ad 10. *Agere & non agere, cùm quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur, secundùm quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur.* 8

6. In peccatum *ex passione*, *ex ignorantia*, *ex malitia*, & sic sumitur peccatum, prout est à causis homini intrinsecis; si enim attendamus causas extrinsecas, potest homo peccare ex suggestione dæmonis vel alterius hominis. Tum est ex passione, quando fit ex applicatione appetitus ad bonum sensibile, unde fit, ut ratio minùs consideret malum, & ideò abripiatur voluntas: diciturque peccatum fragilitatis. Tum est ex ignorantia, quando fit defectu rationis culpabiliter nescientis vel non considerantis ea, quæ facilè considerari poterant & à peccato retraxissent: Quamvis autem peccatum omne sit ex malitia, specialiter tamen tum dicitur esse ex malitia, quando committitur cum clara advertentia rationis & plena libertate voluntatis. Peccatum ex passione seu fragilitate vocatur à S. Bonav. apud *Herincx d. 5. num. 66.* peccatum in Patrem, quia Patri præcipuè attribuitur potentia, qua homo sic peccans uti non vult; peccatum ex ignorantia, contrà Filium, quia Filio attribuitur Sapientia, peccatum ex malitia, contrà Spiritum Sanctum, quia Spiritui Sancto attribuitur bonitas, contra quam directè agit, qui ex malitia peccat.

7. In *proprium*, quod quis ipsemet committit; & 9
alienum, quod ab alio quidem fit, sed mihi imputatur propter jussionem, consilium &c. In rigore tamen hoc per quod pecco, non est peccatum alienum, sed meum, quo jubeo, consulo &c.

8 In *mortale* & *veniale*, de quibus dicemus à n. 10
183. Item in *Originale & personale; actuale & habituale*, de quibus divisionibus plura Scolastici, aliqui etiam dividunt in *remissibile & irremissibile*, sed probabilius est non posse dari peccatum irremissibile, quia videtur repugnare infinitæ misericordiæ Dei, uti peccatum inodibile, repugnaret infinitæ perfectioni bonitatis & Sapientiæ ipsius.

Q. 2. *Quomodo aliter definiri possit, & dividi pec-* 11
catum? R. Definiri potest hoc modo: exercitium libertatis contra regulam obligantem ad honestè operandum: Et sic sumptum dividi potest in *Philosophicum & Theologicum*; Philosophicum est exercitium libertatis contra dictamen naturæ rationalis quà talis præscindendo an etiam sit contra legem Dei; Theologicum, est exercitium libertatis contra legem Dei, sive est *dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam*, ut ex S. *Aug. l.* 22. contrà Faustum c. 27. habet *S. Th.* 2. 2. *q.* 71. *art.* 6. Atque de hoc jam loquemur postea à n. 49. De Philosophico.

Q. 3. *An omnis actio hominis non amantis Deum aut* 12
huc in infidelitate constituti debeat dici peccatum? R. Negativè, ita *S. Th. in* 2. *dist.* 40. *q.* 1. *a.* 5. *& dist.* 41. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. *&* 3. Item 2. 2. *q.* 10. *a.* 4. *ad* 3. In quibus locis docet infideles, & non habentes gratiam posse elicere actus bonos. Probatur, nam Alex. VIII. damnavit has propos. 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* 8. *Necesse est infidelem in omni opere pec-*

care. 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operetur, peccatum est.* Vide dicta l 2.n.132.& dicenda hîc à n.67.& à n.184.

Q.4. Qualis libertas requiratur ad peccatum internũ?

13 R. §. 1. Non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate, id est, potentia indifferens tum ad ponendum tum ad omittendum actum, hinc damnata est hæc prop. 3. *Jansenii, Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

14 §.2.Etiam non sufficit qualiscunque libertas in causa, sive mediata, sed peccatum debet dependere à propria libertate operantis, hinc Alex. VIII. damnavit hanc 1. prop. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & detrimentum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa, peccato Originali, & voluntate Adami peccantis.* Et quamvis damnatio dicat, *ad peccatum mortale*, tamen eadem ratio est etiam de peccato veniali:hinc additur, *& detrimentum*,quod etiam veniali convenit.Vide dicta l. 1. n. 743.& dicenda hîc n. 74.

15 *Q. 5. An ad peccatum requiratur advertentia ad legem Dei & ad malitiam objecti?* R. Hæc quæstio videri potest otiosa, quia tamen anno 1699. 24. Aug. prodiit scriptum hoc titulo, *Ecclesia Leodiensis Summo Pontifici Inn. XII. &c. doctrinam Patrum Collegii Anglicani Societatis JESU Leodii denuncians, &c.* ideo autem denuncietur doctrina, quia ad malitiam peccati contrahendam requirat advertentiam ad legem Dei & ad malitiam objecti, necesse erit veritatem illam pluribus stabilire.

§. 1. Supponenda sunt hæc duo. 1. In omni peccato, quod committitur contra legem alterius, reperitur offensa: potest autem offensa esse vel materialis vel etiam formalis; tum est tantùm materialis, si operans per suum actum det alteri motivum rationabile alicujus displicentiæ, attamen nesciverit vel non cogitaverit hoc ipsi displiciturum, uti si quis de honore alterius detrahat, nesciens vel non cogitans esse contra honorem, illa imminutio honoris justè displicet illi, qui inhonoratur, quamvis imminuens honorem non sciat vel non cogitet se detrahere. Offensa formalis tum est, si operans per suum actum det alteri motivum rationabile displicentiæ, sciens & cogitans ad jus, quod alter habet, ne hoc fiat; & hinc meritò dicitur illum formaliter offendere. Quòd si operans illam alterius displicentiam directè intenderet, esset offensa quæsita & formalissima. 2. Certum est, quòd à peccato formali excuset ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, uti constat ex dictis l. 1. à num. 735. An autem dari possit ejusmodi ignorantia invincibilis juris naturæ, examinatum est ibidem à nu. 720. & satis demonstratum dari posse saltem quoad leges secundarias juris naturæ: quandonam autem ignorantia vel error censeatur invincibilis, explicatum est ibidem à n. 748. His suppositis.

16 §. 2. Certum est ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem Dei, & ad malitiam objecti; ita docent omnes communissimè, S. Aug. locis l. 1. n. 736. & 738. relatis: sufficit hîc ex lib. 22. contrà *Faustum* Manichæum c. 44. ubi loquens de incestu, quem in ebrietate commisit Loth, ait, *quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas.* S. Thom. etiam locis l. 1.n.740. relatis: item 1.2.q.74.a.6.toto.Item.2. 2.q.89.art.3. *Ille, qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si quidem advertat se jurare & falsum esse, quod jurat, non excusatur à mortali, sicut nec à Dei contemptu; si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideò à crimine perjurii excusatur.* Item de veritate qu. 15. a. 4. ad 10. *dicendum, quòd antequàm ratio delectationem perpendat vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiam si non resistat.* Sequuntur S. Ant. Alb. M. Henr. Gers. Cord. Alens. Angel. Sylv. Armil. Conrad. Almain. Angest. Nider, Sot. Palud. Gabr. Cajet. cum Terillo *in Reg. qu.* 65. *à nu.* 6. Sequuntur etiam *Isambert.* 1. 2. *q.*74.*d.*5.*art.* 1. Gamach. 1.2.*q.*74.*c.*3.*col.* 2. Bonesp. *T.* 4. *t.* 2. *d.* 1. *dub.* 7. *n.* 108. Jo. à S. Th. *p.* 3. *qu.* 84. *a.* 6. Suarez, Vasq. Sanch. cùm Carden. *in* 1. *crisi d.* 78. *cap.* 2. qui subdit, cùm hi trés DD. in eandem sententiam conspirant, mihi sunt adinstar plurium Universitatum. Accedunt Azor. *l.* 1. *c.* 16. *qu.* 5. Gran. *de peccat. controv.* 6. *t.* 5. *d.* 3. *s.* 1. Anton. Azor. *de peccat. d.* 2. *c.* 5. *anum.* 15. Merat. *de pec. d.* 7. *s.* 15. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 5. *n.* 13. Jo. Sanch. *d.* 19. Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 9. *nu.* 83. Aliique innumeri ex omni statu & speciatim omnes n. 216. referendi, qui cùm ad mortale requirat advertentiam plenam & perfectam, ad omne peccatum requirunt saltem imperfectam: Nihilominus oppositæ opinioni, saltem favent Eliz. & Camargo, qui posterior *p.* 1. *l.* 2. *contr.* 4. *à num.* 527. lamentabiliter deplorat eorum cæcitatem, qui ad formale peccatum requirunt actualem aliquam cognitionem malitiæ. Rationes nostræ sunt, 1. quia nihil est volitum nisi præcognitum, ergo voluntas non potest ferri in malitiam moralem, nisi intellectus aliquo modo præcognoscat. Neque præcognitio illa est in potestate voluntatis, alioquin ad volitionem illius prærequiretur alia præcognitio, quæ etiam deberet esse in potestate voluntatis, & consequenter iterum per aliam præcognitionem, sicq; in infinitum. 2. Nemo peccat, quin possit vitare peccatum, ob hanc ipsam rationem, quia peccatum, & quia malum est, sed ob eam rationem vitare non potest, nisi præcognoscat esse peccatum, sive contra legem, & esse malum, ergo. *Conf.* nam si ego pecco, quamvis hîc & nunc non habeam ullam cognitionem legis prohibentis vel malitiæ objecti, ergo pecco, quando mihi impossibile est vitare peccatum, nihil enim habeo, quo movear ad conatum resistendi vel ad voluntatem omittendi peccatum, ergo *homini justificato volenti & conanti secundùm præsentes, quas habet, vires aliquod Dei præceptum est impossibile; deest quoque gratia, qua possibile fiat*, quæ est prop. 1. Jansenii, damnata: & quæ ad hæc respondet Eliz. *in doctr. mor. l.* 5. *q.*12. §. 2. planè non satisfaciunt. 3. Si non prærequireretur cognitio legis, & malitiæ objectivæ, ignorantia invincibilis non excusaret à peccato, sed excusat, uti n. 15. dictum est; Unde à contrario sic argumentor; secundùm Adversarios, ignorantia legis & malitiæ potest dici vincibilis & esse culpabilis, quamvis nulla adfuerit cognitio legis vel malitiæ, sed quando nulla adfuit cognitio legis vel malitiæ, ignorantia est invincibilis, ergo quando ignorantia est invincibilis, ignorantia potest dici vincibilis & esse culpabilis, quod apertè repugnat. *Conf.* nam Adversarii, ut fatetur Eliz. §. 9. non possunt ostendere, quid plùs adsit, quando talis ignorantia est vincibilis, quàm quando est invincibilis, ad vincibilem nulla prærequiratur cognitio: quamvis enim dicant nobis dari à Deo satis multos impulsus bonos & à conscientia remorsus, tamen non dantur nec servire possunt ad vitandum hoc peccatum, nisi à nobis aliquo modo cognoscatur hæc malitia vitanda. Videri potest Teril. *à nu.* 15.

17 *Objic.* 1. Multi peccant non advertentes malitiam, sic enim dicit Sap. 14. v. 16. *convalescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditus est*: Prov. 14. v. 12. *est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Danielis 13. 9. *Senes everterunt sensum suum, & declinave-*

runt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum. Joan. 16. v. 2. *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Paulus Act. 26. v. 9. *existimaveram me adversùs nomen JESU Nazareni debere multa contraria agere. Qui nesciens peccavit,* inquit S. August. *retract. l. 1. c. 15. quia voluit, fecit, etiamsi, non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti non voluntate peccati, quod tamen factum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Item Epist. 47. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat* S. Bern. Epist. 77. ad Hug. de S. Vict. ait, *si peccatum ignorantiæ nullum est, non ergo peccavit Saulus, qui persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate &c.* Addit, *sed & frustra Salvator in Cruce pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus, si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent &c.* Subdit, *nunquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam?* R. N. ass. In adductis locis sermo est de errore vel ignorantia vincibili; item de conscientia vincibiliter erronea, quæ à peccato non excusant, sed prærequirunt vel adjunctam habent aliquam cognitionem legis & malitiæ. Vide dicta l. 1. n. 744. & dicenda hic à n. 222.

Inst. Zelus Sauli probat, quòd peccarit cum omnimoda ignorantia actuali, sive sine remorsu & scrupulo, quando persequebatur Ecclesiam, ita Eliz. *q.* 11. §. 9. R. n. ass. nam zelus ille erat cum passione & pertinacia conjunctus, quale etiam sæpè habent hæretici formales, aut homines invidi persequentes hostes suos; neque ignorare poterat Saulus signa credibilitatis pro Christo, de quibus erant publici sermones.

18 *Objic.* 2. Synodus Palæstina hunc Pelagii & Cœlestii errorem damnavit, *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non eveniunt secundùm voluntatem sed secundùm necessitatem.* R. Solutionem datam esse l. 1. n. 737.

19 *Objic.* 3. S. Anselm. super illud ad Rom. 1. *propter quod tradidit illos,* ait, *qui igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato & causa peccati ad hoc quoque perducti sunt, ut ad cultum serpentium & volucrum raperentur, sed quia per hanc cæcitatem usque ad immunditiam carnis & contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui, & peccatum est, & pœna peccati, prioris namque peccati meritò subsequentium peccatorum fovea legitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in aliis nescius cadat.* Et infra, *sicut ex sua culpa hoc putaverunt, sic ex eadem culpa factum est, quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut putarent omnia reprobanda esse facienda, & cùm jam turpia operarentur, nescirent se malum operari.* S. Isid. apud Eliz. §. 7. ait, *ignorantia, quid sit dignum culpa, non sentit; ignorantia, nec quando delinquit, cognoscit, hinc Augustinus dicebat, eò insanabilius peccabam, quò me peccare nesciebam,* Resp. *S. Ans.* per Tò tradidit, significat Deum in pœnam subtraxisse gratias majores, & permisisse labi in errores, ita ut posteà vincibiliter errantes aut nescientes, graviùs laberentur. *S. Isid. & S. Aug.* loquuntur de ignorantia culpabili, ex qua pergens peccare redditur ab assuetis quasi insensibilis, nec efficacitèr cogitat de malis, quæ peccando sibi accersit.

20 *Objic.* 4. S. Thom. quodlib. 8. art. 13. ait, *illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam:* Et 1. 2. qu. 19. art. 6. ad 2. *voluntas concordans rationi humanæ non semper est recta, nec semper est concordans rationi æternæ:* Rationem dat ad 1. *quia ad hoc, ut dicatur malum, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quòd secundùm suam naturam sit malum, sive quòd apprehendatur ut malum, sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quòd utroque modo sit bonum.* Resp. Quod est contra legem, semper est materialiter malum, ne tamen sit formàliter malum, excusatur per conscientiam invincibiliter erroneam: similiter quod secundùm suam naturam est malum, semper est materialiter malum, quamvis non apprehendatur, sed non ideò refunditur formalis malitia in actum, alioquin ignorantia vel error invincibilis non excusaret. Vide dicta l. 1. num. 740.

Objic. 5. Si ad peccatum requiritur advertentia 21
malitiæ, ergo quantò peccator est magis corruptus, vel excæcatus, vel suis passionibus abreptus, tantò minùs peccat, quia minùs advertit malitiam. Resp. Tantò minùs peccat simpliciter, n. secundùm quid, aut illa speciali malitia, quam habet objectum secundùm se, c. corrupti, excæcati, passionati communiter habent actus intensiores, item adjunctum quendam contemptum Dei aut legis, & hinc aggravatur culpa, deinde cùm inadvertentia malitiæ in illis sit vincibilis & culpabilis, simpliciter non excusat; & quoad excæcatos, hi directè excludunt inspirationes divinas, ac positivè resistunt Spiritui Sancto cum duritia cordis, & hinc quoque sunt minùs excusabiles: in quantùm tamen illa inadvertentia minuit libertatem, in tantùm secundùm quid minuit culpam. Quòd si supponas adesse absolutam inadvertentiam, ita ut nullo modo cogitetur de malitia hujus objecti, quamvis ignorantia vel incogitantia sit culpabilis, opus ex ea sequens non habebit malitiam specialem, nisi præcisè illius negligentiæ vel neglectus sciendi & avertendi, nec erit imputabile ratione sui, sed tantùm ratione causæ, v. g. si quis hìc & nunc absolutè, attamen vincibiliter ignoret malitiam mendacii, peccat quidem mentiendo, non tamen contrahit malitiam specialem mendacii, sed tantùm negligentiæ vel neglectus in cognoscenda vel advertenda illa malitia, ignorantia enim absoluta, sive sit vincibilis sive invincibilis, facit æqualiter non cognosci malitiam, ergo etiam non contrahi, cùm non sit volibilis, ideoque nec contrahibilis per voluntatem, nisi cognita sit per intellectum: fatendum tamen est corruptos, excæcatos & passionatos, ordinariè saltem, retinere cognitionem etiam specialis malitiæ sufficientem ad mortale. Videri potest Teril. *conf. quæst.* 17. *à num.* 32.

Inst. 1. Est peccatum ejusdem speciei, sive quis sciens, sive ex ignorantia vincibili mentiatur, sed si mentiatur sciens, contrahit malitiam specialem mendacii, ergo etiam si mentiatur ex ignorantia vincibili. R. Est ejusdem speciei peccatum: nulla supposita cognitione malitiæ mendacii, n. supposita aliqua tali cognitione, c. Et confirmantur hæc ex communi doctrina de conscientia, nam supposito, quòd quis aliquid faciat cogitans esse quidem graviter malum, sed in genere tantùm, ita ut nullo modo cognoscat, an sit malum hujus an illius speciei, quamvis peccet mortaliter, tamen non contrahit specialem malitiam alicujus determinatæ speciei, non enim est ratio, cur potiùs contraheret hujus quàm illius speciei, cùm æqualiter de omnibus non cogitet: contraheret tamen malitiam quasi communem omnibus malitiis, quia procedit cum aliqua comparatione animi, & cum æquali periculo ad omnes, quæ hoc tantùm sensu dici potest specialis, quòd sit specie distincta à malitiis singularum specierum, quarum tamen specialem malitiam non

habet, unde in confessione explicari debet hoc, vel simili modo: feci aliquid cum apprehensione, quòd in genere peccarem graviter. *Dixi*, si supponas, & ex supposito, quòd nullo modo cognoscat malitiam specialem, nam ordinariè sufficienter cognoscitur malitia intrinseca illi objecto, circa quod quis occupatur. Vide dicta l. 1. num 77. & dicenda hîc num. 228.

Inst. 2. Conscientia etiam vincibiliter errans obligat, secundùm dicta l. 1. n. 43. sed si mentiens ex ignorantia vincibili haberet cognitionem aliquam malitiæ mendacii, non teneretur mentiri, sed posset suspendere actum ad magis examinandum, ergo. *Conf.* nam secundùm omnes, conscientia alia est recta, alia erronea, alia dubia, alia scrupulosa; ergo erronea, nec est dubia, nec scrupulosa, ergo cum conscientia erronea nec est dubium, nec scrupulus, ergo nec cognitio ulla malitiæ. *Si dicas* esse, saltem apprehensiones malitiæ, *Contrà*, cùm his operari non est peccatum, quando enim credimus Trinitatem, sunt apprehensiones contrariæ, quæ nec impediunt fidem nec sunt peccatum, ita Eliz. §. 1. & 2. Resp. Si haberet aliquam cognitionem malitiæ mendacii, quæ sufficeret ad deponendam priorem conscientiam, quæ dictat esse mentiendum, non teneretur mentiri, c. si haberet cognitionem ad hoc non sufficientem, n. min. & conseq. *Ad Conf.* Ergo cum conscientia erronea nec est dubium nec scrupulus de se sufficiens ad conscientiam erroneam deponendam, c. de se ad hoc insufficiens, attamen sufficiens ad contrahendam malitiam ob antecedentem errorem vincibilem, n. istam seq. & ultimam.

22 *Obji.* 6. Ignorantia & error contra fidem, item actus externi, v. gr. adulterii, sunt in se formalissimè peccata, quamvis nulla adsit cognitio malitiæ eorum, quia puniuntur à Deo, nihil autem punitur, nisi in se sit formaliter peccatum, ergo. Ita Eliz. *fusè q.* 3. §. 3. *item q.* 4. *& q.* 7. §. 1. *& 2. item q.* 13. §. 3. R. N. ass. secundùm dicenda n. 64. puniuntur autem non ratione sui, sed ratione actus interni, à quo causantur vel imperantur.

23 *Objic.* 7. Sacerdos peccat peccato Sacrilegii, si desideret fornicari, quamvis expresè non cogitet se esse Sacerdotem, ergo inadvertentia non excusat. R. N conseq. quamvis enim id expresè non cogitet, tamen sufficienter & quasi experimentaliter atque exercitè id semper de se scit, quia scit, qualis sit saltem obscurè & implicitè, cognoscit enim se esse, & non alium, qui talia agit, ignorare autem non potest se esse Sacerdotem, & ideo magis quasi horret illa peccata ac magis timet, quia est Sacerdos, ergo non habet ignorantiam invincibilem sui status, nec inadvertentiam sufficientem ad excusandum à peccato. Quòd si supponas eum nullam omninò cognitionem habere sui status, nego contrahi specialem malitiam sacrilegii.

24 *Objic.* 8. Quando peccatum consequens est pœna peccati antecedentibus, peccatur per peccatum consequens, licèt ab hoc absit formalis libertas, ergo etiam licèt absit actualis cognitio, *prob. antec.* nam. S. Th. 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *ad.* 3. docet posse aliquem ex suppositione erroris voluntarii esse necessitatum ad peccandum: Idem docent S. Bonav. Gabr. & alii, & Ratio est, quia cùm suppositio & necessitas illa sit sequens ex voluntate ipsa, non obest libertati actuum ex ea sequentium. *Conf.* nam ideò interna voluntas adulterii est mala, quia externum adulterium est malum, & non contrà, ergo malè dicitur solos actus voluntatis esse propriè peccata, ita Eliz. *qu.* 11. §. 4. R. N. ant. cujus prob. dist S. Th. docet posse aliquem esse necessitatum ad peccandum, ita ut formaliter peccet per hoc, quod necessariò fit, n. ita ut formaliter peccet per solam illius necessitatis causam, à qua actus necessarius consequens, tantùm extrinsecè & denominativè dicitur peccatum, c. quidquid enim sine propria, & formali libertate sequitur, non est in se formaliter peccatum, sed ad summum denominativè & in causa, uti sæpè dictum est. *Ad Conf.* distinguo, ideo voluntas adulterii est mala, quia externum adulterium est malum objectivè, c. quia est malum formaliter, n. ant. & conseq.

Q. 6. *An cognitio legis divinæ, vel malitiæ prout* 25
Deo displicentis ita prærequiratur ad peccatum, ut si daretur ignorantia invincibilis Dei, hæc excusaret à peccato formali contra Deum? Resp. Affirmativè: ità communissimè Authores cum S. Th. 1. 2. *qu.* 71. *art.* 6. *ad* 2. *quod in cap.* 7. *ad Rom. lect.* 2. iterum innuit his verbis: *Dicendum est, quod sine lege poterat quidem peccatum cognosci, secundùm quod habet rationem inhonesti, id est, contra rationem existens, non autem secundùm quod importat offensam. Dei.* Idem tenent S. Bonav. Alb. M. Alens. Bellov. Rich. Altisiod cum Card. de Lugo *de Incarn. d.* 5. *&* 6. *nu.* 74. Item Card. Palav. *l.* 7. *cap.* 10. *Remanente Deo penitus ignoto. ∴. non cognoscitur ulla obligatio præferendi bonum alienum bono proprio, aut præferendi bonum proprium majus bono proprio minori, ex quarum obligationum violatione oritur inhonestas.* Card. Aguirre *T.* 1. *tr.* 1. *d.* 4. *s.* 5. *Impossibile est peccatum grave seu lethale, quòd non sit offensa Dei, nequit autem esse offensa Dei invincibiliter ignorati, quis enim offendere dicatur, quem prorsus ignorat?* Card. Sfondratus in nodo prædest. editionis Romanæ pag. 152. Colonienſis 270. *Cùm peccatum sit essentialiter offensio & injuria Dei, sublata Dei cognitione necessario sequitur nec injuriam nec peccatum nec æternam pœnam esse.* Herincx *de peccat. d.* 5. *q.* 1. *nu.* 9. *Admisso casu talis ignorantiæ:* (*qui rarus aut brevis aut nullus est:*) *admitti posset abfuturam à peccatis ejusmodi strictè offensam formalem Dei.* Mastrius *in* 2. *d.* 6. *de pecc. a.* 3. *n.* 93. *In eo casu:* (ignorantiæ invincibilis Dei) *omnis actus esset indifferens & ut talis apprehenderetur à ratione, ideoque in genere moris nullum esset peccatum.* Navarrete *t.* 2. *contr. Chinens. tr.* 3. *contr.* 15. *pag.* 180. *n.* 7. *Sentio admissa ignorantia Dei invincibili, qui est prima lex & primus legislator, nullum prorsus committi ab eo peccatum, qui ejusmodi laborat ignorantia, quia in isto casu neque est aversio à Deo, neque ad creaturam conversio,* (intellige imputabilis:) *licèt opus materialiter ipsi legi repugnet; & in hoc mihi quidem, ut videtur, consonat M. F. Greg. Martinez* 1. 2. *q.* 17. *ar.* 6. *concl.* 3. *Ferre de Deo to.* 1. *tr.* 2. *qu.* 1. §. 10. *nu.* 262. *Peccatum cum ignorantia invincibili veri Dei & inculpabili, non erit offensa veri Dei, neque enim offendi potest is, qui invincibiliter ignoratur, neque hominem à vero Deo avertet.* Gonet. *de Deo d.* 1. *art.* 3. *Si homo invincibiliter ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale ∴. malitia peccati mortalis petitur ex injuria Dei, sed Deus non potest injuria affici, nisi agnoscatur, ergo.* Similia habet Contenſ. *de act. hum.* Curiel. 1. 2. *qu.* 71. *art.* 6. *dub.* 3. ad quæstionem hanc, *si quando contingeret aliquem scire, v. g. furtum esse contrà rectam rationem, & ignorare invincibiliter esse contra Deum aut ejus voluntatem vel legem, quia ignorat invincibiliter Deum esse aut offendi illo actu:* Respondet, *non intelligo, qua ratione possit aliquis violare legem, quam ignorat invincibiliter, cum ita se habeat talis lex respectu suæ voluntatis, ac si non esset ∴. idem plane habet* Zumel. 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. *pag.* 176. Bo esp. *de incarn. d.* 1. *dub.* 5. *R.* 3. *Peccatum ab eo, qui Deum invincibiliter ignorat commissum, non esset formaliter offensa Dei defectu advertentiæ, & voluntarii circa Deum.* N. 148. dicit Ath. um recenter ad fidem conversum prudenter in-

terrogandum, an cognoverit suum scelus esse Dei offensam. Idem tenent alii innumeri, ita ut Lugo nu. 73. dicat oppositum esse authoritate destitutum, nec nisi duos aut tres reperiri, qui defendant.

26 Rationes jam ab AA. insinuatæ sunt, nam 1. si lex invincibiliter ignoretur, non peccatur contra legem, uti certum est ex dictis l. 1. à nu. 272. ergo similiter si Deus invincibiliter ignoretur, non peccatur contra Deum. 2. Sine cognitione Dei non potest esse inobedientia contra Deum, nec contemptus Dei, quia prædicata includuntur in omni peccato formali contra Deum.

Respondent, virtualiter & interpretativè agi contra Deum, quia agitur contra rectam rationem regulatam à lege æterna, quæ est Deus. *Contrà* est, si omninò ignoretur Deus, nulla est cognitio illius regulationis æternæ, aut connexionis, quam recta ratio habeat cum illa lege æterna: ergo non est nequidem virtualis aversio formalis à lege æterna: sed nec interpretativa, uti constat ex S. Th. relato n. 16. & ratio est; quia operans posset sic esse comparatus, ut nollet hoc facere, si nosset legem æternam id prohibentem, ergo. *Conf.* nam qui nollet potionem de se quidem utilem ad sanitatem, sed quam invincibiliter putaret non esse utilem, non posset dici virtualiter aut interpretativè nolle sanitatem, ergo similiter hîc.

Alia, quæ opponi possent, intelligentur ex dicendis de peccato Philosophico à n. 49. Quænam autem dicantur peccata ignorantiæ aut inadvertentiæ, dicetur n. 222. & 224.

27 *Q. 7. Per quid peccatum internum dicatur compleri in ratione peccati externi?*

Resp. §. 1. Hoc, quod complet peccatum internum in ratione externi, debet dependere ab actu interno actualiter existente, quia quod externè complet, hoc sumptum cum peccato interno est peccatum actuale, atqui nihil potest dici vel denominari peccatum actuale, nisi dependeat ab actu interno actualiter existente, uti probabitur nu. 33. Consequenter dicendum est, quod voluntas occidendi compleatur per transfossionem, voluntas comburendi domum per applicationem ignis, voluntas se inebriandi per potationem, voluntas turpiloquii per locutionem turpem, & ita de cæteris; mors autem, consumptio domus, privatio rationis, turpes motus, qui sequuntur ad ista peccata, nec complent, nec constituunt illa, sed sunt effectus ad ista consequentes.

28 §. 2. Peccatum internum non completur in ratione peccati externi per ullos actus vel omissiones necessarias, uti declarabitur eodem num 33. hinc volitio occidendi non completur per læsionem, quam sagitta emissa infligit corpori, sed per ejaculationem sagittæ, quæ est causa læsionis; item volitio omittendi Horas non completur per omissionem Horarum sequentem post abjectum Breviarium, sed per abjectionem Breviarii, aut per omissionem tùm positam, quando adhuc erat potestas orandi: similiter si quis sciens hora octava esse unicam Missam, & hora septima volens omittere, indormiscat usque ad nonam, hoc peccatum omissionis non completur per omissionem, quæ hora octava contingit tempore somni, sed per actualem compositionem ad somnum, quæ est causa illius omissionis, ita Amic. *d.* 22. *à n.* 47.

29 *Objic.* Tunc completur peccatum occisionis, quando jaculans reipsa occidit, sed non occidit, nisi alter occidatur, alter autem non occiditur, nisi lædatur & moriatur, ergo ante læsionem & mortem non completur peccatum occisionis. Similiter si ille, qui voluit dormiendo omittere Missam, expergisceretur hora octava, & mutata voluntate audiret Missam, non posset dici omisisse Missam; ergo sublata hac sola omissione peccatum omissionis non est completum: & hæc videtur esse expressa mens S. Th. 2. 2. *q. 79. art. 3. ad 3.* ubi dicit, *Si quis ob ebrietatem omiserit surgere ad Matutinas, hoc peccatum imputari ad culpam, non quando se inebriavit vel dedit causam isti omissioni, sed quando reipsa dormit, eo tempore, quo deberet esse in Matutinis.* Resp. Cum Compt. *d.* 102. *s.* 7. & Dicast. *de Pœnit. d.* 9. *n.* 39. *dist. antec.* uterque ille non posset dici occidisse vel omisisse Missam, moraliter & in sensu Theologico, id est, posuisse causam efficacem occisionis & omissionis, ideoque totam illius malitiam contraxisse, n. non posset dici occidisse & omisisse, physicè & in sensu vulgari, c. & hoc tantùm est, quod vult S. Th. nempe non omisisse in communi, & vulgari modo loquendi; nos autem assignamus, per quid moraliter, Theologicè, seu in ratione peccati externi compleatur talis occisio vel omissio, & quando dicatur incurri tota ejus malitia, dicimusque tum esse, quando liberè fit occisio vel omissio, aut quando libere ponitur causa mortis vel omissionis alterius posteà sine libertate secuturæ.

Inst. Qui habuit voluntatem audiendi Missam, si reipsa non audiit, non potest dici nequidem moraliter audiisse, ergo nec dicitur moraliter omisisse, si reipsa non omisit. Resp. Si habuit voluntatem efficacem & post adhibita media audire non potuit, rectè dicitur audisse moraliter, quantùm sufficit ad hoc, ut dicatur non peccasse sed satisfecisse præcepto, quantùm hîc & nunc tenebatur, ita Compt. *s.* 8. *num.* 4.

Alia, quæ hîc opponi possent, solventur ad quæstionem sequentem. An autem illa quæ fuerunt causa peccati, vel se habuerunt concomitanter ad peccatum, sint peccata, & in Confessione addi debeant, dicetur l. 6. p. 2. quando de integritate Confessionis.

Q. 8. An effectus mali ex peccato sequentes dicendi sint esse peccata? 30

Resp. §. 1. Probabilius videtur effectus malos ex peccato sequentes non esse dicendos peccata, si nullo modo fuerint prævisi, ita Vasq. Less. Arr. Baldel. Dicast. Tann. *d.* 4. *q.* 3. *num.* 55. Gob. in Quint. *t.* 5. *c.* 9. *n.* 24. aliique contra multos antiquos, & recentiores apud Tann. *num.* 50. Ratio est, quia si effectus non est prævisus, nequidem indirectè est voluntarius, ergo nec est peccatum: hinc si vulneraſti Titium, nullo modo prævidens mortem; si per diem turpia locutus es, nullo modo prævidens pollutionem nocturnam: si plenè te inebriasti, nullo modo prævidens blasphemias, quamvis hæc omnia sequantur, nequidem denominativè sunt peccata.

Objic. 1. S. Th. 1. 2. *qu.* 20. *art.* 5. *O. & qu.* 73. 31 *art.* 8. expressè dicit effectum malum, aut nocumentum, quod per se, & ut plurimùm sequitur ex causa mala, addere malitiam, quamvis non fuerit ejus prævisio: ratio autem est: quia cùm causa sit per se, & communiter connexa cum effectu illo, est sufficienter volitus in causa. Resp. Tann. *n.* 47. putat S. Th. tantùm velle quòd accedat malitia objectiva, quia illud, quod ita per se sequitur, reipsa est objectivè malum. Si autem quis putet S. Thom. loqui etiam de malitia formali, explicari debet de casu, quo culpabiliter excluſa est expressior cogitatio de effectu secuturo; & ita communiter est, tum enim homines per experientiam suam norunt talia sequi, & nihilominùs liberè ponunt causas, non curantes, quid inde sequatur, animo ita comparati, ut adhuc ponerent, quamvis expressius de illis secuturis cogitarent.

Inst. Effectus, qui per se, & ut plurimùm sequitur, potuit, & debuit prævideri, ergo semper est culpa non fuisse prævisum. Resp. Sæpe ita esse, sed si nec suspicio, vel scrupulus de hoc inciderit, nego in illis circunstantiis potuisse, aut debuisse prævideri, quia prima cogitatio de re aliqua non est in nostra potestate, uti optimè Aristoteles apud Ovied. *controv.* 1. *p.* 4. & diximus n. 16. ergo si nulla incidit cogitatio de obligatione attendendi, vel cavendi, malitia non contrahetur, neque hìc sufficit, quòd physicè potuerit, aut debuerit attendi, uti rectè docent S. Bonav. S. Ant. Alb. M. Alens. Caj. Suar. Vasq. Laym. Lug. Reding. Steph. Gob. *n.* 39. & 83. Ovied. suprà, J. Sanch. *d.* 10. ubi *pro* hac sententia, præter jam relatos citat alios 20. Authores.

32 *Objic.* 2. Quod fit ex ignorantia culpabili est peccatum, sed pollutio secuta ex turpiloquio, quamvis prævisa non sit, fit ex ignorantia, uti patet, & illa ignorantia est culpabilis, cùm sit peccatum turpiloquii, ex quo illa supponitur sequi, ergo. Ita Gonet. *de pec. d.* 3. *nu.* 141. Resp. Dist. min. & illa ignorantia est culpabilis, in se, c. respectu effectus secuturi, n. ut enim respectu effectus dici posset culpabilis, debuisset connexio causæ cum effectu fuisse aliquo modo cognita. Vide Ovied. suprà.

33 §. 2. Nullus effectus ideo potest dici propriè peccatum, quia sequitur ex peccato, quamvis in peccato velut causa fuerit prævisus vel etiam intentus. Ita Bonac. *de Leg. d.* 2. *qu.* 4. *p.* 4. *num.* 8. Lugo *de pœnit. d.* 16. *à num.* 440. Amic. *de gratia d.* 28. *s.* 4. *à n.* 72. Dicast. *de pœnit. d.* 9. *à num.* 19. Herincx. *hìc d.* 5. *num.* 72. *& alii*, contra Caj. Sot. Tann. *d.* 4. *qu.* 4. *n.* 33. Gonet. *de prædest. d.* 5. *art.* 5. & alios. *Probatur*, nam imprimis si voluntas tum sit retractata, quando effectus sequitur, patet hunc non posse dici peccatum, alioquin de facto peccaret Adamus, vel saltem nos peccaremus, quoties oriuntur in nobis pravi motus concupiscentiæ, sunt enim effectus mali, consequentes ex peccato Adami, quod moraliter fuit nostrum; imò adhuc posset peccare actu beatus; si enim Titius lethaliter vulnerasset Cajum, qui moreretur, per quam Titius de peccato suo contritus, esset mortuus, mors Caii esse peccatum respectu Titii, quod nemo dicet. Deinde quamvis voluntas non sit retractata, tamen non ideo dici potest peccatum, quòd sequitur ex peccato, nam omne peccatum est actio libera completa internè vel externè; si internè, patet non compleri per effectum externum ex peccato secutum, ideoque hunc non posse dici peccatum, sed purè effectum peccati; si externè, etiam non completur per effectum secutum ex peccato, sed immediatè per solam actionem externam, secundùm dicta à num. 27. cujus *Ratio* à priori hæc est, quia omne actuale peccatum debet esse saltem denominativè actu voluntarium, & liberum, quando fit, sed effectus talis sequens ex peccato, nequidem denominativè est actu voluntarius, & liber, quando fit, ergo. *Prob. min.* talis effectus sæpè sequitur, quando desiit actus internus voluntatis, v. gr. mors sequitur, quando ille, qui læsit, postea dormit nec amplius cogitat de illa morte, sed satis effectus non potest tum denominari actu voluntarius & liber, ergo. *Prob.* [illegible] quod denominatur actu voluntarium, & liberum, debet denominari actu liberè procedens à principio intrinseco cum cognitione finis, sic enim definitur voluntarium liberum: sed nihil potest ita denominari, si volitio interna libera non existat vel formaliter vel saltem virtualiter in aliquo actu tenui, à quo procedat & imperetur ille effectus sequens, non enim potest dici procedere vel imperari ab actuali libertate, si hæc non existat actu, ergo. *Respondent*, posse moraliter procedere ab eo, quod non est actu, quia causa moralis potest actu causare, licèt actu non existat. *Contra est*, licèt hoc possit causa moralis, quæ causat per virtutem intentionaliter existentem, *uti* est causa meritoria, quam satis est fuisse vel prævideri ut absolutè positam pro certo tempore, eò quòd tum sufficienter movere possit ad dandum præmium, tamen id non tenet in illa causa morali, quæ causat informando potentiam, & sic determinando ad influendum, uti hìc fit: hinc nec cognitio potest moraliter causare volitionem, nec actus imperans imperatum, nisi cognitio & actus imperans actu existant. Ratio autem ulterior, cur libertas non possit actualiter denominare actum externum, si non existat internus, hæc est, quia internus primariò denominatur liber, & dependenter ab hoc denominatur externus secundariò liber, ita ut tota libertas actus externi sit libertas actus interni, ergo si libertas non denominet actum internum liberum: (quod non potest facere, si actus internus non existat:) etiam non denominat actum externum actualiter liberum; sicuti si visio non denominet actu videntem, etiam non denominat actu visum, quia esse visum dicitur dependenter à vidente.

Objic. 1. Mors denominatur actu volita per voli- 34
tionem præteritam, ergo etiam potest per illam denominari actu voluntaria. Resp. N. conseq. quia esse actu volitum, est prædicatum commune tempori præsenti & præterito, nam quod actu volo & quod aliquando actu volui dicitur pro isto tempore actu volitum, è contrà actu voluntarium est prædicatum tantùm de præsenti & quidem physico, ergo non habetur nisi à forma actu existente.

Instab. 1. Esse actu senem vel actu famulum sunt denominationes de præsenti, & tamen sunt ab annis vel conductione præterita, ergo & sic poterit mors denominari actu voluntaria à volitione præterita. Resp. N. Conseq. Copula, *Est*, *sæpe* mutat statum, ampliatur vel alienatur, unde ut sciri possit, an significet de præsenti aut requirat formam actu existentem, attendi debet, non tamen ad vocem ipsam, quàm ad significationem, & exigentiam prædicati; v. g. domus nunc est combusta, reipsa, non est de præsenti, nec quoad subjectum, quod est domus, nec quoad formam denominantem, quæ est combustio, quia facit hunc sensum, domus fuit & esse desiit per combustionem, quæ combustio etiam non est, sed fuit: similiter illa, Cajus est senex, est de præsenti quoad subjectum, sed quoad formam est de præterito, quia facit hunc sensum, Cajus existit, & multi ejus anni præterierunt: ista autem, Cajus est famulus, est de præsenti quoad subjectum, & si significet Cajum jam conduci, erit etiam quoad formam de præsenti, si autem significet manere conductum, importat formam sive conductionem physicè præteritam sed moraliter perseverantem: jam verò cùm dico, mors est actu voluntaria; sensus debet esse, mors est actu dependens à volitione, à qua denominatur voluntaria, quod falsum est, si actu non existat volitio.

Inst. 2. Saltem si volitio mortis actu existat, & mors tum sequatur denominabitur voluntaria, poteritque dici peccatum. R. N. ass. nam mors tum non fit dependenter à volitione, quia hac absente adhuc æqualiter causaretur à læsione impacta: deinde saltem dici non potest peccatum, quia nequidem externè complet peccatum, secundùm dicta n. 33.

Inst. 3. Mors secuta ex actu libero etiam præterito, dicitur effectus liber, ergo falsum est quod liberum dicatur à libertate actu existente. R. Dicitur effectus liber objective, c. liber formaliter vel etiam denominativè, n. tantùm enim dicitur fuisse objec-

tum & esse effectum actus liberi : quòd si aliquando vocetur effectus liber, est impropria locutio, uti etiam hæc, cœlum est objectum liberum amoris, mundus est effectus liber Dei, tantùm enim significatur, quòd cœlum sit objectum actus liberi, & quòd mundus sit effectus actionis liberæ.

Inst. 4. Talis mors est mala, ergo est peccatum. Resp. Est mala in ratione objecti & in se, uti infernus & nocumentum proximi, c. est mala in ratione actus humani formaliter vel denominativè, n. ant. & conseq.

35 *Objic.* 2. Homicidium est peccatum, sed mors sequens constituit homicidium in esse homicidii, ergo etiam constituit peccatum in esse peccati. *Prob. min.* non habita sola morte non est homicidium, alioquin, necdum secuta morte, qui lethaliter vulnerasset, esset homicida, ideoque irregularis, quod nemo dicet. Resp. Homicidium, secundùm omnia, quæ includit, tam ex parte agentis quàm patientis, sic est peccatum, n. secundùm ea, quæ includit ex parte agentis, c. homicidium ex parte agentis dicit actionem illativam mortis, quæ ab ea essentialiter respicitur tanquam apta sequi, sed cum contingens sit, quod actu sequatur, & tamen ea sola non habita non sit homicidium, hinc mors est de essentia homicidii adæquatè sumpti, non ut peccatum est præcisè; sed ut est forma denominans homicidam physicè talem, quamvis moraliter & Theologicè homicida sit, qui posuit actionem illativam mortis.

Inst. 1. Irregularitas ex delicto & excommunicatio non incurruntur nisi propter peccatum, sed irregularitas & excommunicatio lata in homicidas propter mortem secutam, ergo mors secuta est peccatum. R. N. min. nam mors est tantùm conditio prærequisita, qua posita Ecclesia voluit, ut tum priùs contrahatur irregularitas vel excommunicario, propter peccatum præteritum, quod fuit causa illius mortis.

Inst. 2. Qui se inebriat prævidens homicidium, incurrit talem pœnam, sed non incurrit propter ebrietatem, huic enim non est annexa talis pœna, ergo propter homicidium, ergo tale homicidium est voluntarium, & peccaminosum. Item nemo extrà Matrimonium perdit virginitatem nisi per peccatum, ubi habet S. Th. 2. 2. *q.* 252. *art.* 3. sed puella se inebrians ut defloretur, defloratа perdit virginitatem, ergo defloratio in ebrietate admissa est peccatum. Item, nemo tenetur voto externo, nisi sit actus humanus, & voluntarius, sed si quis vellet vovere per verba, quæ intendit proferre in ebrietate, si in hac proferat, tenetur voto, uti docet Suarez *de Relig. tr.* 2. *l.* 1. *c.* 10. ergo verba in ebrietate prolata sunt humana, ergo actio sic prævisa vel intentio poterit esse humana & peccaminosa, ita Gonet. n. 141. Resp. *Ad.* 1. Si talis homo incurrit excommunicationem, est propter volitionem homicidii, homicidium autem secutum erit tantùm conditio. *Ad.* 2. Perdit per defloratione, quæ fuit volita in causa. *Ad.* 3. Si tenetur, est propter voluntatem antecedentem, qua voluit obligationem sub conditione prolationis secuturæ.

36 *Objic.* 3. Ebrietas plena est peccatum, sed quando plena ebrietas contingit, non est libertas, eodem enim instanti tollitur usus rationis, ergo peccatum fit, etiamsi non sit actu libertas. *Respondent* 1. Compt. *s.* 6. *num.* 7. & Herincx num. 74. ebrietatem ideo dici peccatum, quia proximè conjuncta fuit libertati, sed hoc tantùm dicitur in sensu vulgi; unde Resp. 2. N. maj. quam Arr. *d.* 45. *num.* 13. malè dicit admitti ab omnibus: si vis, distingue: si per ebrietatem intelligas ebrietatem causalem sive inebriationem & potationem, quæ ebrietatem inducit, illam c. esse peccatum; si intelligas ebrietatem formalem seu ipsam privationem rationis secuta ex illa potatione, n. maj.

Objic. 4. Æger, qui petivit absolvi, & privatur 37
ratione, si absolvatur, recipit gratiam. Christianus, qui cum desiderio Martyrii indormiit, si in odium fidei occidatur dormiens, meretur corollam Martyrii, ergo etiam poterit aliquis non habens usum rationis gratiam amittere, & demereri ac peccare. Ita Gonet. *n.* 142. & 152. Resp. Talis æger recipit gratiam vi Sacramenti, ad quod dispositus erat per antecedentem suum actum. Christianus non meretur Martyrium, nisi fortè ante somnum per actum formaliter liberum; accipit autem corollam vi realis Martyrii post actum illum secuti, Amic. *d.* 22. *n.* 46.

Objic. 5. Lectio Horarum sæpè fit ita distractè & 38
inadvertenter, ut nulla adsit actualis libertas, & tamen censetur actio humana, quia incæpta est cum libertate, quæ præteriit, ergo etiam effectus ex antecedente libertate secutus poterit esse humanus & dici peccatum. Ita Gonet. *num.* 142. Resp. N. ant. quia quamdiu continuantur actiones externæ, quæ spectant ad opus incæptum, manet intentio virtualis, quod inde colligitur, nam si mens planè abstrahatur aliò, statim cessat actio exterior, nec aliquis potest prosequi opus incæptum, nisi resumat intentionem, ergo quamdiu non cessat actio exterior, signum est adhuc dirigi & imperari à priore intentione saltem virtualiter, id est, in actu tenui ac imperceptibili adhuc existente, ita Vasq. Con. Compt. *s.* 8. *n.* 3.

Objic. 6. Si omissio Missæ secuta in somno non sit 39
peccatum, ergo licitum est optare, ut eveniat, vel de ea gaudere, quia licitum est optare effectum peccati & de eo gaudere, adultera enim licitè optat partum & gaudet de filio nato; item, qui die Veneris comedit carnes, licitè optat nutritionem vel de ea gaudet. Ita Gonet. *n.* 143. Resp. N. seq. nam nocumentum causale proximi, v. gr. eversio domus alienæ per motum terræ, non est peccatum, imò nec effectus peccati, & tamen non est licitum illud optare proximo vel de eo gaudere; ratio autem est, quia quamvis talia non sint per modum actus humani, sunt tamen mala in ratione objecti, habentque suam malitiam objectivam, si sint contra aliquod præceptum naturale vel positivum, ideoque illicitum est in illam malitiam ferri per desiderium vel complacentiam, quia voluntas tum ferretur in hoc, quod reipsa prohibitum est, & oppositum præcepto. Partus adulteræ suppositio adulterio nulli præcepto opponitur, nec habet malitiam objectivam, hinc potest illum optare adultera: è contra corroboratio corporis è carnibus die Veneris sumptis habet malitiam objectivam, uti dicetur n. 48. hinc non est licitum eam optare vel de ea gaudere. Vide etiam dicenda n. 90. & 91.

Dixi num. 33. tales effectus *non ideò* posse dici 40
peccata, quòd ex peccato sequantur; nam ejusmodi effectus externus potest aliunde esse peccatum, si nempe sequatur, quando adhuc est status libertatis, & compleat actionem internam malam in ratione peccati externi, sic homicidium secutum ex ebrietate non plena, pollutio extra somnum ex turpiloquio, sunt utique peccata, in quantùm non sunt actuali libertati, & complent volitionem actualem occidendi aut se delectandi venereè.

Q. 9. *An effectus mali ex peccato sequentes, sint* 41
saltem moraliter, vel ad culpam imputabiles?

Resp. §. 1. Si prævisi non fuerint, non sunt imputabiles ad culpam, quia nullo modo sunt voluntarii, uti dictum est à n. 30. E contrà si sint prævisi & intenti, hoc sensu sunt moraliter imputabiles, quòd

quòd culpabiliter sit posita causa, ex qua reipsa sequantur, & ideo in æstimatione prudentum illi causæ attribuantur: si tamen voluntas sit retractata, aut si fuerunt quidem prævisi, attamen non fuerit potestas vel obligatio illos impediendi, non est nunc culpa, quòd sequantur, & hoc sensu non erunt nunc moraliter imputabiles, sed tantùm physicè. Vide dicta l. 1. à n. 757.

42 §. 2. Effectus malus inventus vel prævisus ex causa illicitè posita, est suo modo æqualiter imputabilis, sive sequatur post, sive ante voluntatem retractatam, aut quando non est ampliùs potestas illum impediendi, ita Arr. Lugo *de pœnit. d. 16. à num.* 443. Dicast. *de pœnit. d. 9. à nu.* 27. Rhod. *hic d. 1. q. 2. s. 2. §. 2.* Herincx *d. 5. n. 72.* aliique contra Henriq. Avers. & alios multos. *Probatur*, 1. effectum posse alicui imputari, est posse alicui attribui tanquam causæ liberæ, quòd sequatur, sed sive causa sit retractata sive non, sive nunc sit sive non sit potestas impediendi, verum est, quòd effectus sequatur ex illa causa, quæ poni non debuit, & tamen liberè posita est cum intentione vel prævisione talis effectus, ideoque attribui potest & in eam causam referri, quòd sequatur, ergo. 2. Multi effectus & miseriæ, quas patimur, imò peccatum originale, quod contrahimus, imputatur peccato Adami, quamvis hoc peccatum sit retractatum, nec sit nunc in potestate Adami vel nostra hos effectus impedire, ergo idem est in aliis effectibus malis à causa mala sequentibus. 3. Si effectus malus non imputatur quando causa est retractata, ergo qui Titium lethaliter vulneravit volens occidere, si statim post pœniteat eum facti, & mors posteà sequatur, non incurret irregularitatem, atqui non incurrit, nec eum juvat retractatio, uti dicetur l. 7. quando de irregularitate, ergo. *Conf.* nam si mors sequatur post retractationem, qui vulneravit, punitur tanquam homicida, alioqui non ita puniendus, si mors non sequeretur, ergo mors illi imputatur. Ratio à priori est, quia illa retractatio aut succedens impossibilitas impediendi, neque facit, ut reipsa liberè posita non sit illicita causa talis effectus interni vel prævisi, neque facit, ut illa causa careat influxu in talem effectum, ergo nec impedit dependentiam à tali causa, ergo nec imputabilitatem.

43 *Objic.* Per retractationem tollitur ratio voluntarii à peccato præterito, posita enim retractatione non manet habitualiter, ergo nec effectus posteà secutus erit voluntarius, ergo nullo modo imputabilis. Resp. 1. Si peccatum retractetur ab homine, sed à Deo necdum sit remissum, manet peccatum habituale in ratione offensæ, & ad culpam ac pœnam imputabile, ergo saltem tum imputabitur effectus. Resp. 2. Per retractationem tollitur ratio voluntarii à peccato, quoad tempus secuturum, c. quoad tempus præteritum, n. id est, retractatio facit, quidem, ut peccatum non ampliùs sit actu volitum, ideoque pro nunc dicatur non voluntarium, attamen retractatio non facit, ut pro præterito non fuerit voluntarium, jam verò effectus sequitur ex peccato ut præterito, & planè per accidens se habet retractatio, æqualiter enim sequitur, sive accedat retractatio sive non, & sive pro futuro maneat volitum sive non, quia effectus non respicit hanc continuationem sed causam liberè positam, cùm inciperet peccatum, ergo retractatio nihil ad rem facit.

Inst. Si talis effectus adhuc imputetur, vel ergo ad culpam, vel ad pœnam; non ad culpam, uti n. 41. dictum est, quia non est nunc culpa, quòd sequatur; nec ad pœnam, quia hæc antecedenter fuit debita, nec debetur nova, nisi accesserit nova culpa. Resp. Imputatur præteritæ culpæ, non quòd nunc sit aut dici possit culpa, sed quia referri debet in culpam præteritam veluti causam, eique attribui velut effectus, sicuti combustioni attribuitur damnum proximi, fomes peccati attribuitur peccato Adami, quamvis nec damnum illud, neque hic fomes sit peccatum vel culpa.

§. 3. Si causa talis effectus mali fuerit hìc & nunc 44
licita, & rationabilis causa adfuerit ponendi illam, quamvis prævideatur effectus malus ex illa secuturus, hic non erit imputabilis ad culpam, dummodò nec intendatur, nec sit periculum consensus in illum vel illius delectabilitatem, uti cum communi Tann. *d. 4. q. 8. n. 115.* Potestque videri Busemb. relatus *l. 3. p. 1. n. 920.* Item illa, quæ ibidem addidimus à n. 922.

§. 4. Si cogitatio incidit de effectu malo fortè se- 45
cuturo ex causa mala, sed adhibita fuit præcautio, qualem viri prudentes judicant sufficientem esse, ne sequatur vel ne imputetur, licèt sequatur effectus, non imputabitur ad culpam; uti nec tum, si timor incidit, sed hunc correxit, prudenter sibi persuadendo timorem esse inanem, uti rectè Vasq. Tann. *num. 63.* Gob. *n. 39.* Si autem levis tantùm cogitatio occurrerit de periculo, vel per negligentiam venialem major deliberatio sit prætermissa, effectus sequens non potest nisi ad culpam venialem imputari. Quòd siquis per experientiam sciat tales timores vel cogitationes incidentes ordinariè esse vanas, habet sufficientem causam contemnendi, licèt fortè per accidens aliquid mali ex operatione sequatur.

§. 5. Si causa effectus mortaliter mali fuerit tan- 46
tùm venialis, quamvis hic effectus fuerit prævisus, non posse nisi ad veniale imputari docent Sanc. *de Matr. l. 9. d. 45. n. 19.* Less. Dicast. Gob. aliique cum Dian. *p. 1. tr. 7. R. 65.* & Burgh. *cent. 3. cas. 4.* quamvis alii apud Tann. *à n. 118.* dissentiant, putentque imputandum etiam ad mortale, saltem si effectus malus sequatur ex causa veniali spectante ad eandem materiam, cujus est effectus, ut si pollutio sequatur ex turpi joco venialiter tantùm malo; sed ratio priorum est, quia talis effectus non est in se volitus nec in se liber vel moralis, sed tantùm in causa, ergo non videtur habere majorem malitiam, quàm sua causa.

An effectus mali sequentes ad peccatum sint confitendi, dicetur *l. 6. p. 2.* quando de integritate Confessionis. Quomodo autem effectus ignorantiæ vel erroris vincibilis sint imputabiles, dictum est *l. 1. à n. 755.*

Q. 10. *An illa, quæ inadvertenter fiunt ex consue-* 47
tudine peccaminosa, sint peccata? Resp. Non esse, uti satis constat ex dictis, cùm hìc & nunc non sint voluntaria. Tenet tamen communis sententia cum Lugo *de Pœnit. d. 16. n. 206.* esse obligationem emendandi talem consuetudinem, ex qua sequuntur effectus de se mali, & retinentes malitiam objectivam, quando fiunt, licèt indeliberatè sequantur: an autem confitendi sint, si talis consuetudo culpabiliter maneat, dicetur *l. 6. p. 2.* quando de Confessione.

Q. 11. *Quænam, etiam indeliberatè facta, cen-* 48
seantur retinere malitiam objectivam, & quænam objecta censeantur intrinsecè mala?

Resp. *Ad* 1. Illa retinent malitiam objectivam, quæ hoc retinent, propter quod aliàs prohibentur, ita ut si ad illa accederet sola advertentia, & libertas, hoc ipso essent formalia peccata: è contrà, si præter advertentiam vel libertatem etiam aliquid aliud ipsis desit ad illud esse, propter quod prohibentur, non retinent malitiam objectivam; v. g. homicidium manet violatio juris alieni, pollutio innaturalis manet damnosa proli ac generi humano,

esus carnium die Veneris facta ab homine usum rationis habente est huic prohibita, & manet roboratio corporis, etiamsi fiant in ebrietate; & ipsamet ebrietas manet temeraria privatio rationis, quamvis inculpatè fiat; hæ autem sunt rationes, ob quas illa omnia prohibentur, ergo etiamsi fiant sine advertentia, & libertate, retinent malitiam objectivam, & sunt veluti materia peccati, ad quam non est licitum incitare aliquem, sed est obligatio vitandi vel emendandi causas per se, & proximas illorum: è contrà verba hæretica, mendacia, perjuria, si proferantur in ebrietate vel somno, non retinent malitiam objectivam, sed sunt, ac si à psittaco proferrentur, quia non habent hoc, propter quod prohibentur, nam verba talia nequidem materialiter sunt hæretica, cùm ad hæresim requiratur actualis cognitio objecti credendi, & error pertinax circa illud; similiter ad mendacium requiritur actualis cognitio falsi & assertio illius tanquam veri; ad perjurium autem accedere debet advertentia ad interpositionem testimonii divini secundùm dicta *lib. 3. p. 1. nu. 272.* ergo ejusmodi verba prolata sine tali actuali cognitione non retinent malitiam objectivam, ideoque, nisi fortè esset ratione scandali, nulla est obligatio vitandi, v. g. ebrietatem ex hoc, quòd hæc sit causa proxima talium verborum. Addit J. Sanch. *d. 21. n. 13.* somnia impudica nullam habere malitiam objectivam, hinc comedentem calida, ut habeat somnia turpia, non peccare; sed contra est, quia hoc ipso simul intendit motus venereos, qui habent malitiam objectivam. Addunt multi imprecationes & blasphemias, si fiant sine animo malevolendi proximo, vel inhonorandi Deum, etiam non habere malitiam objectivam, hinc docet Tann. hìc *d. 4. q. 8. n. 143.* non esse saltem mortale incitare stultum ad efferenda verba blasphema, non intendendo inhonorationem Dei, quia reipsa non sunt blasphema; addit Bernal. *de Sacramen. d. 17. n. 75.* si amens tibi minetur mortem, nisi Christum abneges, te posse oretenus abnegare, nam hoc non est Christum negare, cum non sit loqui, eò quòd locutio non fit nisi ad rationis compotem: Sed Delb. *de Immun. Eccles. cap. 13. d. 1.* & Lugo *de Pœnit. d. 16. n. 210.* rectè notant, si hæc fiant ab habente usum rationis, retinere aliquam turpitudinem, & moraliter tribui causanti, nam habet advertentiam ad substantiam actus, quæ est operatio mali, inhonoratio vel abnegatio Dei, ideoque videtur esse materialis imprecatio, blasphemia vel abnegatio. Si autem sic proferens nequidem adverterit ad substantiam actus, quia invincibiliter ignoravit talibus verbis significari ista, in hoc casu quamvis propriè non habeant objectivam vel materialem malitiam, tamen secundùm se adhuc videntur habere aliquam indecentiam, quia apud audientes ingenerant malum sensum; hinc dicit Ovideo hìc *controv. 7. n. 60.* blasphemias in somno prolatas, aut quas aliquis ediceret psittacum, habere malitiam aliquam objectivam sive indecentiam, ideoque Deum non posse esse eorum causam. Videri potest Gob. *in Quint. t. 5. c. 9. à n. 60.* iterumque toto *cap. 19.* ubi de hac quæstione fusè discurrit, & affert valdè diversas sententias.

Resp. *Ad*, Ad dignoscendum, an aliquod objectum sit intrinsecè bonum aut malum, ideoque jure naturæ licitum an illicitum, dant hanc regulam, *Lugo, Palav. Haun.* & alii Recentiores: ut consideremus, quid homines pro priori ad hanc communitatem humanam, aut saltem pro statu, quo incerti fuissent, an unquam futuri fuissent partes hujus communitatis humanæ, quid, inquam, tum voluissent, aut judicassent ad bonum commune hujus communitatis humanæ esse, ut liceret vel non liceret: quod enim propter bonum commune judicassent debere esse licitum, hoc censetur intrinsecè bonum; quod judicassent non debere esse licitum, censetur intrinsecè malum. *Si dicas*, ad commune bonum fuisset melius fieri, v.gr. unum mendacium, quàm sine illo damnari totum mundum, ergo tale mendacium non erit intrinsecè malum. Resp. Dato antec. negando conseq. quamvis enim ad commune bonum melius fuisset fieri tale mendacium, tamen non fuisset melius licere, quia ex licentia mendacii in unico etiam casu, gravissimum malum imminebat generi humano, eò quòd homines sibi persuasissent esse licitum mentiri, ubi simile bonum inde posset nasci, quod sibi quisque pro sua passione persuasisset esse hìc & nunc, sicque fuissent frequentata mendacia, atque si essent licita, & eversum commercium humanum. Et ideo inferunt cit. Authores, in aliquibus legibus naturæ nullam esse exceptionem, nempè in iis, in quibus si admitteretur aliqua exceptio, tota lex esset inutilis, propter circumstantiam periculi, vel propter abusum ex privato cujusque arbitrio, cujus rei exemplum dedi *l. 3. p. 1 à n. 910.* in materia venerea, quod declarabitur hìc *à n. 98.* Et aliud exemplum est, si liceret privata authoritate occidere personam noxiam Reip. nam ex odio, invidia aliove simili pravo affectu facillimè conciperetur judicium, jam esse circumstantiam, in qua hoc liceat. Atque etiam ideò humanæ leges obligant illos, quibus probabile est leges illas non esse utiles Reip. quia si quis per hoc privatum judicium posset eximi, plurimi de legibus perversè præsumerent easque eluderent; hinc melius fuit omnes ligari lege, etiam tum, quando ex privata ratione posset prætendi exceptio. E contrà tamen rectè notat Maurus *de just. q. 150.* aliquas leges naturales esse in cordibus nostris scriptas etiam cum suis exceptionibus, v. g. *Vota obligant, nisi remittantur; secretum non est revelandum, nisi noceat Reipub. &c.* Ratio enim dictat has exceptiones cadere in illas leges, neque ideò sequitur aliquid contra commune bonum: quia tamen in aliquibus objectis sæpè dubium est, an commune bonum postulet hoc vel illud, hinc in multis disceptant Theologi, sitne hoc jure naturæ malum necne, aliis affirmantibus, aliis negantibus.

Q. 12. Quid dicendum sit de peccato Philosophico? Resp. De hoc orti sunt magni motus ratione cujusdam thesis, ab uno è Societate JESU defensæ Divione, quæ sic habebat, *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi; Theologicum verò & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Hanc propopositionem damnavit 24. Augusti 1690. *Alex. VIII.* Velut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam, de qua etiam sub excommunicatione Papæ reservata, ipso facto incurrenda, prohibet tractare, nisi forsan impugnando; ut itaqi ex fundamento impugnari, & natura peccati Philo[illegible] intingi possit, quædam addemus.

§. 1. Quamvis secludamus omnem cognitionem Dei, tamen adhuc posset homo moraliter benè vel malè agere, si nempè pro libertate sui arbitrii eligeret operari juxta vel contra prima principia rectæ rationis nobis indita à natura, qualia sunt, *bonum est faciendum, malum est fugiendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, colendi sunt benefactores, &c.* Hæc enim nobis sunt evidentissima, quamvis supponatur ignorantia vel incogitantia invincibilis

de Deo : Ratio est, quia operans juxta vel contra illa principia merebitur laudem vel vituperium, quia dicetur agere juxtà vel contrà dignitatem naturæ suæ rationalis : Et hæc est mens S. Th. & aliorum, quos retulimus nu. 25. contrà Palav. Mastrium, & paucos alios : favetque damnatio facta ab *Alex. VIII.* hujus prop 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Si enim actus ille non sit peccatum, cùm sit moralis, erit bonus, secundùm dicta *l.* 1 *n.* 15. Et contrà actus præcisè disconveniens naturæ rationali erit similiter malus.

Respondent. 1. Disconvenientiam actus cum natura rationali fore tantùm malum physicum, quale etiam est disconvenientia magni calcei cum parvo pede. *Contra* est 1. Malum physicum potest à natura rationali, imò & à Deo directè intendi, non autem id, quod est disconveniens naturæ rationali quà tali, sic enim nec à natura rationali, si operetur secundùm dignitatem suam, nec à Deo intendi potest mendacium, injustitia &c. ergo disconvenientia cum natura rationali quà tali non est malum purè physicum. 2. Si disconvenientia illa foret malum tantùm physicum, ergo interfectio Patris non esset in eo casu magis disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi quàm interfectio bovis.

Respondet Palav. Concedendo seq. quia negatio Dei est absurdorum omnium absurdissimum, ergo non est mirum, quòd ex eo sequantur alia absurda. *Contrà* est 1. quia hìc non supponimus negationem Dei, sed tantùm ignorantiam aut incogitantiam invincibilem de Deo, hanc autem supponere non est absurdissimum. 2. Quamvis etiam hoc supponere foret absurdum, tamen cum hoc etiam supponimus manere naturam rationalem : nec valent hæ consequentiæ, Deus ignoratur, vel non cogitatur de Deo, ergo non potest dari ulla regula rectæ rationis humanæ, ergo nihil est disconveniens rectæ rationi humanæ, &c. Quamvis enim supponas Deum desinere, tamen ratio nostra manebit recta, & regula, prout eam Deus fecit.

51 §. 2. Peccatum factum ex ignorantia Dei vincibili, id est, tali quam operans posset & omnibus consideratis hìc & nunc deberet tollere, habet malitiam formalem, quia hæc ignorantia non excusat, sed affectus ex ea secutus sufficienter est voluntarius & imputabilis ratione causæ : hinc SS. PP. non excusarunt antiquos ethnicos, & multò minùs jam, per se loquendo, excusari possunt, quia sufficienter Deum, saltem confusè cognoscunt, in primis ab extrinseco ex naturæ totius ordine, ex religione populorum, aris, focis, sacrificiis, sermonibus parentum, institutione majorum, imò ex rebus omnibus clamantibus, non à se sed ab alio se esse ; deinde etiam veluti ab intrinseco, ex innata omnibus idea Numinis alicujus sive Supremi Principis vel gubernantis omnia ; item ex remorsu conscientiæ, timore pœnæ, inquietudine animi, si quid commiserint contra rectam rationem. Quibus habitis sufficienter cognoscunt se teneri saltem inquirere in Deum ; & hæc obligatio illis proponitur, v.g. sub hac conditione, si Deus est, de quo mihi incidit cogitatio, [illegible] inquirant se

52 §. 3. An aliquando detur vel dari possit ignorantia aut incogitantia invincibilis Dei, nihil attinet hìc dicere ; sunt, qui absolutè negent ; sunt, qui affirment, saltem ad breve tempus, hoc tantùm dicimus, si in aliquo daretur, & talis homo aliquid ageret contrà dictamen rectæ rationis, hunc ejus actum non habiturum malitiam formalem Theologicam, uti satis constat ex dictis n. 25. attamen habiturum malitiam aliquam moralem in quantùm esset disconveniens à natura rationali, uti etiam constat ex dictis n. 50. & hanc malitiam possumus vocare philosophicam, quia est contra rectam rationem, qua se regunt Philosophi : an autem talis malitia etiam dici debeat peccatum, non potest esse quæstio nisi de nomine ; aliqui negant quia non esset formaliter contra legem Dei, & consequenter dicunt, si Deus per impossibile mentiretur, non fore peccatum sed tantùm malum morale ; è contrà alii affirmant, putantes ad denominationem peccati satis esse, quòd sit actus disconveniens cum aliqua regula objectiva morum, qualis etiam est natura rationalis vel recta ratio, quæ suo modo etiam dici potest lex, non quidem imperans sed indicans, quid agendum sit vel omittendum : & cum his nunc loquemur, ac cum communi talem actionem vocabimus peccatum philosophicum, prout illud definivimus num. 11. & à S. Thom. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 6. *ad* 5. significatur his verbis : *dicendum, quòd à Theologis consideratur peccatum, præcipuè secundum quod est offensa contra Deum ; à Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi.*

Objicies. Si peccatum philosophicum non sit formalis offensa Dei, ergo qui vellet solum peccatum philosophicum & non offensam formalem Dei, non peccaret formaliter contra Deum, consequenter qui sic esset comparatus, ut vellet occidere patrem, si hoc non esset à Deo prohibitum, non peccaret formaliter contra Deum. R. 1. Si supponas conscientiam invincibiliter putantem ita separari posse malitias ; transeat totum. Resp. 2. N. seq. quia Deus prohibuit etiam ejusmodi desideria conditionata, tum quia affectus ad peccatum aut saltem periculum consentiendi in malitiam Deo oppositam non aberit, tum maximè, quia talis conditio apposita non removet malitiam objectivam, quæ satis scitur non posse non esse contrà Deum, uti dicitur n. 55. 53

Inst. 1 Ponamus, quòd aliquis invincibiliter putet Deum non existere, & nihilominus habeat hunc actum, volo occidere patrem, quòd quidem scio esse disconveniens naturæ rationali, certus tamen sum non esse contra ullum Deum, quia certus sum nullum dari ; si tamen daretur aliquis Deus, quamvis ille hoc prohiberet, adhuc occiderem patrem : talis homo etiam peccaret formaliter contra Deum : ergo cum ignorantia invincibili Dei potest formaliter peccari contra Deum. Resp. Dist. conseq. ergo cum ignorantia invincibili, & sine cognitione aliqua Dei, potest peccari formaliter contra Deum, n. cum ignorantia invincibili, cum aliqua tamen cognitione Dei, potest peccari formaliter contra Deum, subdistinguo, per se & ratione actus absoluti, n. per accidens ratione actus conditionati, c. Quamvis enim Deus invincibiliter putetur non existere, tamen quisque scit, quòd per illam opinionem suam non tollatur Deus, qui si præter opinionem illam suam existat, talem actum conditionatum prohibuit, ac necessariò illi displicere debet talis comparatio animi, ergo cùm Deus semper existat necessariò, non obstante illa opinione ipsius, semper peccat contra Deum : nihil tale est in illo, qui omnino invincibiliter nihil scit vel cogitat de Deo, neque habet ejusmodi malam comparationem animi.

Inst. 2. Non potest dici velle formaliter agere contra illum, quem invincibiliter putat non esse ; sed invincibiliter putat Deum non esse, ergo. Resp. Non potest dici velle formaliter per actum absolutum agere contra eum, quem invincibiliter putat non esse, c. per actum conditionatum, n. & patet ex dictis.

54 §. 4. Peccatum philosophicum est offensa materialis Dei, uti colligitur ex dictis n. 15. quia reipsa dat Deo rationabile motivum displicentiæ, sicuti è contrà qui bene facit ignorans aut nihil cogitans de Deo, reipsa per hoc dat Deo motivum rationabilis complacentiæ, uterque enim ponit à parte rei aliquid secundùm se Deo gratum vel ingratum. *Conf.* quia non solùm hoc displicet Deo, quod fit formaliter contra Deum, sed quidquid est malum morale, quamvis fiat contra alium, sicuti alicui parenti displicet, non tantùm hoc, quod filius facit contra ipsum parentem, sed etiam quod facit contra alios: consequenter nullum aut dari potest malum morale, quod non sit offensa Dei saltem materialis.

55 §. 5. Moraliter loquendo, fieri non potest, ut homo, saltem qui aliquando Deum cognovit, committat peccatum habens solam malitiam philosophicam; est communis & probatur, 1. quia nemo peccat, quin sciat se peccare, ergo scit, vel offendere Deum, vel se agere contra rectam rationem; si contra Deum, patet, quomodo peccet Theologicè, si contra rectam rationem, adhuc priùs vel saltem simul cognoscit, ad minimum tenuiter & remissè, se facere contra Deum: faciliùs enim, ideoque priùs excitantur species Dei, à quo participatur & in ordine ad quem solet concipi illa rectitudo rationis, sicuti, inquit Lugo *de Incarn. d. 5. s. 6. n. 103.* non potes tibi primò imaginari Petrum, quin imagineris vestitum, quia non soles sensu percipere, nisi vestitum. 2. Quia omnis peccans sentit saltem in confuso se ligari, quominus agat omne, quod ipsi libet, ergo cùm faciliùs ei occurrat memoria Dei quàm cognitio propriæ naturæ rationalis, semper ei occurret Deus, saltem confusè, sub ratione ligantis libertatem ejus: consequenter in tali homine est actualis, quamvis fortè non ita perceptibilis cogitatio de Deo, qualem de regulis artis suæ habent cytharizantes, qui ex usu, & tamen reipsa ex directione artis ludunt; aut qualem habent peregrinantes Romam, qui nullum ponunt gressum, nisi ex intentione attingendi Romam, quamvis sæpè nesciant se habere tales actus: unde quamvis sæpè eveniat, ut faciens aliquid nullo modo peccet, quia nullam advertit malitiam, ut si fiat in motu primò primo, vel quando abest omnis planè cogitatio de malitia objecti, tamen non fit, ut quis advertat malitiam philosophicam, quin simul sufficienter advertat Theologicam: hinc etiam quamvis aliquando, maximè apud rudes, debeat Confessarius, interrogare, an adverterit ad malitiam sui actus, quando nimirum prudens est suspicio, quòd de ea non sciverit vel non cogitarit, tamen quando scitur pœnitentem advertisse ad malitiam aliquam mortalem, quod communiter præsumi debet, quando se de altero peccato accusat, non est opus interrogare, an adverterit ad malitiam, quæ est contra Deum, hæc enim faciliùs & primò illi occurret; neque tum credendum est illi, inquit *Lugo*, si dicat se non advertisse ad malitiam Theologicam. Atque ob similem rationem diximus *num. 23.* si Sacerdos vel Religiosus confiteatur se, v. g. per desiderium peccasse contra castitatem, communiter non est opus interrogare, an cogitarit de suo voto castitatis, peccans enim scit exercitè & experimentaliter se esse eum, qui peccat, & quando scit se eum esse, etiam scit se Sacerdotem & Religiosum esse, cùm soleat semper ut talem se cognoscere.

56 §. 6. Malitia philosophica, si daretur, posset esse quandoque gravis quandoque levis, quia si peccatum tale graviter adversetur naturæ rationali, censebitur grave; si leviter, leve: sic homicidium, etiam abstrahendo à lege æterna Dei, est aliquid in se graviter disconveniens naturæ rationali, cùm notabiliter perturbet communitatem humanam, publicam quietem & concordiam; è contrà mendacium officiosum non est nisi leviter dissonans à natura rationali, quia dedecet quidem, attamen nihil infert graviter læsivum communis pacis vel boni publici, ergo abstrahendo à malitia Theologica, haberet peccatum philosophicum in se malitiam, quandoque gravem quandoque levem.

57 §. 7. Si peccatum purè philosophicum, quantumcunque grave committeretur, probabile est, quòd non mereretur pœnam æternam, sed tantum aliquam temporalem, ita absolutè S. Thom. 2. 2. *qu.* 20. *art.* 3. *O.* ubi ait, *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale*, id est, non esset ad mortem animæ, ergo nec ad damnationem æternam. Sequuntur Gerson, Navarrete, Curiel, Gonet, Herincx, Bonæsp. locis relatis *num. 25.* Item Suar. hìc *d. 2. s. 1.* Less. Arr. aliique plurimi, estque hæc sententia Lugoni *de Incarn. d. 5. num. 73.* visa ita communis, ut dixerit vix inveniri, qui oppositum doceant; Unde audiendus non est Aversa hìc *q. 88. s. 1.* dicens suam sententiam nostræ oppositam videri communem; multò minùs Sala. *t. 13. d. 16. s. 22.* qui nostram sententiam vocat improbabilem, parùm tutam, periculosissimam in fide ac pernicioſissimam, sed patet has censuras esse exorbitantes: Ratio est, quia peccatum philosophicum nullam in se haberet formalem malitiam, etiam secundùm quid tantùm, infinitam, nam converteret aut averteret à bono tantùm finito, nempe à natura rationali & creato bono, quòd tantùm intendere posset; hinc eadem natura rationalis, si ad ipsam spectaret tale peccatum punire, pœnam non nisi finitam in illud decerneret. *Dixi, probabile est*, nam non nego oppositam sententiam etiam esse probabilem. Ex dictis.

58 *Inferes.* Si supponamus infidelem decedere in solis peccatis philosophicis, eum propter hæc non damnandum; sed nec futurum beatum, quia propter originale careret gratia, ideoque post toleratam pœnam temporalem peccatis philosophicis proportionatam, futurum in eo statu, in quo sunt infantes sine baptismo in originali decedentes.

59 *Objicies.* Deus gratis evexit naturam rationalem ad finem supernaturalem, ea conditione, ut vivat conformiter dictamini rationis veluti regulæ proximæ, ne aliter agendo turbet rerum ordinem &c. ergo si homo hunc violet, potest Deus illum perpetuò excludere à suo conspectu, ergo punire pœna æterna damni. R. N. ult. seq. quamvis enim Deus non esset illi daturus beatitudinem, tamen illa privatio non haberet rationem pœnæ ob peccatum philosophicum, alioquin pœna infinita responderet culpæ finitæ, in quo esset improportio: & cùm illud peccatum non esset aversio à Deo, privatio Dei ei respondere non posset.

60 *Inst.* Ergo nec posset Deus tali homini infigere pœnam temporalem, quia ad Deum non spectaret illa offensa. R. N. seq. quia cùm Deus sit author & custos naturæ rationalis, quod fit contra hanc, præjudicat Deo, hinc ad ipsam spectat pro ratione culpæ contra naturam rationalem commissæ, pœnam talem infligere, qualem infligeret natura rationalis, si injuriam sibi factam posset vindicare, sicuti Princeps punire potest injuriam à subdito suo factam alteri, quamvis hæc non esset formalis injuria vel offensa ipsiusmet Principis.

61 §. 8. Propositio relata n. 49. juste damnata est, 1. quia non distinguit inter ignorantiam & adversentiam vincibilem aut invincibilem Dei, & de utraque æqualiter intelligi potest; est autem certum,

quòd ignorantia vel incogitantia vincibilis de Deo non excuſet à peccato contra Deum, uti num. 51. dictum eſt. 2. Quia abſolutè dicit peccatum grave philoſophicum non eſſe offenſam Dei, cum ſemper ſit offenſa Dei ſaltem materialis, ſecundùm dicta num. 54. & moraliter loquendo etiam ſemper ſit formalis, ſecundùm dicta num. 55. Unde ſi propoſitio ſic limitaretur, philoſophicum, quamtumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat invincibiliter, vel de Deo actu non cogitat *inculpabiliter*, *nequidem tenuiter & remiſſè*, eſt grave peccatum *philoſophicum*, ſed non eſt formalis offenſa Dei, neque peccatum mortale *Theologicè*, diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum, ſi, inquam, ſic limitaretur, eſſet longè alia propoſitio, nec mereretur cenſuram, uti conſtat ex dictis.

62 §. 9. Propoſitio num. 49. relata non eſt diviſivè damnata quoad ſingulas partes, ſed complexivè, id eſt, ſecundùm ſe totam, quia eſt unica propoſitio indiviſibiliter tendens in totam rem affirmatam veluti objectum adæquatum, quod non ita ſe habet quamvis pars prior ſeorſim foret vera, ſi ſeorſim affirmaret ſuum objectum; ſicut hæc propoſitio, *Deus poteſt cognoſci ab homine, ſed non poteſt nec debet amari*, quoad ſe totam eſt falſa & damnabilis, non tamen quoad ſingulas partes, nam pars prior, *Deus poteſt cognoſci ab homine*, eſt vera, ſi ſeorſum affirmet ſuum objectum. Poſthac per peccatum, intelligemus Theologicum.

63 *Q.* 13. *Quis poſſit peccare?* Reſp. §. 1. Peccare non poſſunt. 1. Deus, quia impeccabilitas eſt perfectio ſine imperfectione, quæ neceſſariò convenit Deo, imò nec Deus poteſt eſſe cauſa peccati, quia nec poteſt determinare ad illud, nec cum intentione ut fiat, influere in illud, cùm repugnet infinito bono propriè velle malum, quamvis illud permittere poſſit ob certos fines. 2. Nec Chriſtus, quia Deus eſt; nec ejus humanitas, quamdiù manet unita Verbo; tum quia perpetua Dei viſione gaudet, tum quia infinitè Sancta eſt per Verbum unitum, cui repugnat quidquid repugnat ſanctitati. 3. Nec Beati in ſenſu compoſito viſionis Dei, tum quia non habent cognitionem indifferentem circa Deum, in quo ſolam bonitatem & quidem infinitam cognoſcunt, tum etiam quia neceſſariò ſemper amant Deum ſuper omnia. 4. Nec creaturæ non cognoſcitivæ aut irrationales; cùm ad peccandum requiratur cognitio malitiæ, & libertas indifferentiæ circa illam, uti certum eſt ex dictis n. 13. & 14.

64 §. 2. Per ſe & abſolutè loquendo poteſt omnis pura creatura rationalis de facto exiſtens aliquo modo peccare, quia nulla talis creatura datur præter angelum & hominem; Angeli autem aliqui peccarunt & alii peccare potuerunt; ſimiliter homines peccarunt & peccant, ergo. *Nec obſtat.* quod Trid. *ſeſſ. 6. Can. 23.* definiat B. Virginem nequidem venialiter unquam peccaſſe, *nam* hoc non fuit inde, quòd natura ejus eſſet impeccabilis, ſed ex ſpeciali Dei privilegio, qui eam ſemper prævenit ſpecialibus auxiliis: imò probabilius eſt dari non poſſe creaturam quæ ex perfectione ſuæ naturæ non ſit capax peccati, quia ex perfectione ſua non poſſe peccare eſt perfectio ſoli Deo propria, uti docent SS. PP. apud Maurum *l. 3. q. 17.*; Aldrete *de Incarn. d. 37. ſ. 3.* Recup. *de Deo t. 2. l. 2. q. 14.*

Q. 4. *Per quas potentias committi poſſit peccatum?*

65 R. §. 1. In homine ponuntur duæ partes, ſuperior & inferior; pars ſuperior eſt pars rationalis includens intellectum & voluntatem; inferior eſt pars ſenſitiva, in qua ſunt 5. ſenſus externi, item ſenſus internus ſeu phantaſia & appetitus ſenſitivus. Pars ſupetior dividitur in Rationem ſuperiorem & inferiorem: Ratio ſuperior eſt, quæ dirigitur per regulas æternas & divinas; inferior, quæ per regulas temporales & humanas, v. g. per commoditatem temporalem, honeſtatem naturalem, &c de quibus plura videri poſſunt apud Suar. *d. 5. ſ. 3.* & Adverſ. *p. 74. ſ. 4.* qui rectè docent omne peccatum eſſe aliquo modo in Ratione ſuperiore, in quantùm ad omne peccatum prærequiritur cognitio Dei & legis æternæ, ſecundùm dicta à num. 15. itemque eſſe in inferiore; in quantùm omnis peccans movetur aliquo bono creato.

§. 2. Actus ſenſus externi, & interni aut appe- 66
titus ſenſitivi, item actus intellectus poſſunt eſſe denominativè peccata, ideoque hæ potentiæ ſunt ſubjecta peccati ſaltem denominativè ſumpti, ſic enim viſio, imaginatio, appetitio carnalis, cogitatio rei turpis, hæreſis, judicium temerarium dicuntur eſſe peccata, ſi voluntas eos actus imperet vel illos conſentiat.

§. 3. Nullius potentiæ, præterquàm voluntatis, 67
actus eſt in ſe formaliter peccatum, hinc ſola voluntas poteſt formaliter peccare, uti habet ita communis ſententia, ut Suar. num. 2. dicat oppoſitam eſſe improbabilem: Probatur ex S. Auguſt. *lib de vera relig. cap. 14. Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; & hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat; quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi.* Idem alibi ſæpè dicit, uti refert Tann. *d. qu. 8. dub. 3.* Ratio autem eſt, quia libertas eſt de eſſentia peccati, uti conſtat ex dictis num. 11. 13. 14. ſed ſoli actus voluntatis habent in ſe formaliter libertatem, quia ſolius voluntatis eſt poſt propoſita ab intellectu motiva boni & mali, unum præ altero eligere; intellectus autem, ſi hæc motiva indifferenter proponat, dicitur radicaliter liber; in quantum autem actus intellectus & aliarum potentiarum etiam accipere poſſunt ab actu voluntatis denominationem liberi, etiam hæ potentiæ dicuntur participativè liberæ, non autem formaliter: & ſpecialiter appetitum ſenſitivum internum non eſſe formaliter liberum; nec actum ejus dici poſſe formaliter peccatum, dicetur poſteà à n. 67. ubi oſtendemus concupiſcentiam non eſſe formaliter peccatum. *Conf.* nam ſi appetitus ſenſitivus haberet propriam libertatem, ergo per eum peccari poſſet retinente voluntate, quod eſt apertè contra Trid. *ſeſſ. 5. in decreto de pec. orig.* uti referemus num. 73.

Objicies, S. Tho. 1. 2. *quæſt. 74. art. 3. & 4.* dicit per appetitum peccari, non quidem mortaliter ſed venialiter, eò quòd habeat libertatem imperfectam. R. Mens S. Thom. nobis conſtat ſatis ex *art. 2. ad 1.* ubi ait, *non peccatur niſi ſola voluntate ſicut primo movente, aliis autem potentiis peccatur ſicut ab ea motis*: idem docet pluribus aliis locis apud Gonet *d. 5. art. 2. §. 2.* Itaque omne peccatum, quod S. Thom. tribuit appetitui ſenſitivo, intelligi debet eſſe tale denominativè ab actu voluntatis imperante vel conſentiente in illud. Ad hoc, quod addit, par appetitum peccati venialiter, non autem mortaliter, varias explicationes referunt Averſa & Tann. *dub. 2.* ſenſus eſſe poteſt, quòd per actus appetitus, id eſt, non plenè deliberatos, ſed factos abripiente appetitu; qui ideò dicantur eſſe actus appetitus potiùs quàm voluntatis, peccari poſſit venialiter, non tamen mortaliter, quia nempè deeſt plena deliberatio. Quando in ſenſualitate admittit imperfectam libertatem, intelligit paſſivam ſive indifferentiam ad plura objecta, uti rectè explicat Platel. hìc num. 227. non autem activam ad rationem peccati requiſitam, nam S. Thom. *art. 4. ad 1.* expreſsè dicit etiam in

sensualitate posse esse mortale, ideoque & libertatem perfectam, quando nempè actus sensualitatis attribuitur rationi seu voluntati, ergo neutro loco intelligit appetitui sensuali convenire libertatem activam. Quando autem idem S. Thom. *art. 2. ad 3.* dicit in potentiis externis non inveniri peccata, putat Aversi. *s. 5.* tantùm velle, quòd actus potentiarum externarum, quando sunt peccata, nunquam attribuantur potentiis externis, sed soli voluntati, sine qua applicante nihil malum agunt potentiæ externæ, cùm è contrà internæ sæpè agant priùs, quàm à voluntate applicentur, & in hoc videtur ponere differentiam, cur in potentiis internis dicatur esse peccatum, non autem in externis.

65 *Q. 15. An peccari possit in somno?* R. Certum videtur, quòd tam intellectus quàm voluntas in somno agant, cùm omnia ad agendum requisita habeant, non aliter ac in infantibus, stultis, furiosis, ebriis, quos nemo dicet per solam phantasiam & appetitum sensitivum operari: De intellectu quidem probat experientia, quia, quidquid contradicat Ant. Perez *de vitiis d. 2. cap. 6.* in somno componuntur novi versus, formantur boni discursus, actus comparativi unius objecti cum altero, item perfectè reflexivi super hoc ipso, v. g. quòd quis non dormiat, quòd nunc cogitet hoc vel illud: Similiter voluntas fertur in objecta merè spiritualia, quæ à solo intellectu proponi possunt & à sola voluntate appeti: deinde cognoscitur etiam bonitas vel malitia moralis, non tantùm in communi, ut vult Palav. sed etiam in particulari, ideoque etiam voluntas in hanc aut illam sæpè fertur amando vel fugiendo, uti eadem experientia probat, atque ex hoc colligunt ascetæ aliquem multum profeciſse in victoria alicujus vitii, si etiam in somno ejus turpitudinem aversetur. His tamen non obstantibus dicendum est cum communi, nullo modo peccari in somno; Ratio est, quia ob vim phantasiæ, quæ ligatis sensibus maximè dominatur, deest dormientibus ex parte intellectus consultatio in utramque partem prærequisita ad libertatem, imò & judicium aliquod certum, quia ratio tum nimiùm fluctuat, nec sat fermè consistere potest in aliquo objecto dijudicando; & hoc est, quod dicit S. August. quem citat S. Thom. *2. 2. quæst. 154. art. 5. ubi ad 2.* ait: *Secundùm quod vires sensitivæ magis vel minùs opprimuntur à somno propter vaporis turbulentiam vel puritatem, secundùm hoc usus rationis magis vel minùs impeditur in dormiendo, semper tamen, quantùm ad aliquid, impeditur, ut non possit omninò liberè judicium habere.* Ex parte voluntatis autem, ob vehementiam appetitus sensitivi, qui tum potentissimè trahit, deest expedita facultas hoc vel illud prælegendi. Et utrumque colligimus à posteriori, nam post somnum, in primis advertimus intellectum plerumque in discursibus suis ex aliqua parte erraſse, ergo signum est, si aliquando non erret, id potiùs casu fieri, quàm ex potentia firma sic rectè operandi: & sic quoque fit in infantibus, stultis, furiosis, ebriis, qui aliquando prudenter loquuntur, quos tamen nemo dicit in tali statu sufficienter dijudicare posse bonum à malo. Deinde experimur nos vigiles nunquam solere in talia consentire, hinc illa statim post somnum detestamur, ergo signum est non adesse in somno libertatem requisitam ad agendum humano modo, idque probat etiam consensus omnium hominum, qui aliquid in somno factum non imputant ad culpam vel pœnam, meritum vel demeritum, nisi fortè propter causam ante positam. Quòd si aliquando fuerit in somno plena & constans ratio vel libertas, uti aliqui dicunt de Salomone & B. Virgine, hæc sunt facta per extraordinarium concursum Dei & speciales dispositiones in sensibus & organis à Deo causatas.

DUBIUM II.

An & quando desideria & delectationes sint peccata?

PEr desiderium intelligitur voluntas, intentio, 66
vel propositum efficax rei malæ: per delectationem verò, simplex amor & complacentia objecti cogitati, fruendo ejus dulcedine, absque desiderio executionis: soletque dici morosa, non à mora temporis, cùm momento possit perfici; sed quòd voluntas, post plenam advertentiam rationis ei immoretur.

ARTICULUS I.

Quale peccatum sit desiderium malum?

RESP. I. Desiderium absolutum, sive cogitatio cum voluntate consentiente absolutè in peccatum aliquando perpetrandum, aut in perpetrato complacente, habet eandem speciem ac malitiam peccati mortalem, vel venialem, quam habet actus exterior, in quem fertur. Est communis, & constat ex *Matth. 5. Qui viderit, &c.* Ratio est, quia actus interior habet suam bonitatem & malitiam ab actu externo, tanquam objecto. *Ita commun.*

Resp. II. Desiderium cum consensu conditionali, quo quis aliquid concupiscit, sub tali conditione, quæ omnem malitiam objecti auferat, non est peccatum, saltem mortale, v. gr. vellem prædari, si à Deo mihi permitteretur, si Judex essem, malefactorem istum occiderem. Valent. *T. 2. d. 6. q. 4. p. 4.* Sayrus, Salas *int. 2. tr. 13. d. 16. s. 27.* Vasq. *1. 2. d. 116. c. 2.* Si verò conditio malitiam non auferat, est peccatum: ut v. gr. si cogites, si non esset infernus, mœcharer; si non essem Religiosus, fornicarer; si non haberem rationem mei status, ulciscerer, occiderem te. Item, si id mihi feciſses in adolescentia, vel antequam Religionem ingrederer, vindicassem, (intellige, si dum hæc dicit, habeat affectum vindictæ sumendæ, si esset in tali statu, secus enim est, si tantùm ostendat, quid futurus fuisset in alio statu) Bon. *de Matr. q. 4. p. 8. n. 9.* Ratio responsionis est, quia etsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti, in voluntate tamen ponit effectum committendi illud peccatum, præcisa conditione non auferente malitiam; ac proinde talis erit culpa; qualis esset illud amare absque conditione, Caj. Sanch. *1. mor. cap. 2.* Vasq. Laym. *l. 1. t. 3. c. 6. num. 10. Ex quibus resolvunt hi casus.*

I. In omnibus, solo jure positivo prohibitis, licitum est desiderium cum conditione hac; *si prohibitum non esset*, v. gr. ederem carnes die Veneris, si Ecclesia non vetuisset. Ratio, quia conditio omnem malitiam, quæ à sola prohibitione est, auferet. Azor *lib. 4. cap. 6. qu. 10.* Sanch. *lib. 2. c. 2.* Vasq. *cap. 2.*

II. Idem valet in prohibitis quidem jure naturali, licitis tamen in aliquo casu aut statu, si is pro conditione apponatur, v. gr. occiderem Petrum, si Deus mandaret: suspenderem furem, si essem Judex; ducerem uxorem, si liceret, si non essem Sacerdos, si essem liber à voto. Ratio, quia hæc sub illo statu sunt licita. Rectè tamen monet Sà *v. Peccatum*, hujusmodi desideria esse periculosa, & vitanda, atque ut ait Cajet. *ibidem*, esse fatuas & diabolicas tentationes, Laym. *suprà.*

„ III. Etsi idem quidam, ut Cajet. Sal. & Vasq. „ universum affirment de omnibus jure naturæ, & „ simpliciter prohibitis, si conditio impossibilis ap„ posita tollat rationem peccati ab objecto, ut si di„ cas: si non esset peccatum, fornicarer, eò quod „ tunc consensus non videatur ferri in malum; pro„ habilius tamen videtur, quod docet Azor. Sanch. „ & Laym. esse peccatum, oò quòd sit intrinsecè „ malum; nec malitia sua (quæ in consensum circa „ tale objectum traheret, nisi Dei lex arceret) exui „ possit; ideoque voluntas feratur in malum. Quod „ tamen intellige, si efficaciter feratur, quia si tan„ tùm sit significatio propensionis naturalis in illud „ objectum non est peccatum, Sanch. *lib.* 1. *mor. c.* „ 2. *n.* 25. Laym. *n.* 11. v. Lugo *de pœn. d.* 16. *à* „ *n.* 376.

„ IV. Gaudere, & delectari de opere malo, sub „ conditione, *si liceret*, v. g. in prædictis desideriis „ efficacibus illicitis, quando conditio est possibilis, „ etsi possit excusari à peccato, secundùm quosdam „ Doctores, si fiat tantùm secundùm appetitum ra„ tionalem sive voluntatem, secluso omni alio pe„ riculo consensus illiciti, & turpis motus: (qui „ tamen quia communiter, & connaturaliter sequi„ tur, vix tutum videtur in praxi) non potest tamen „ excusari, si sit delectatio voluntaria appetitus sen„ sitivi, quæ propriè delectatio dicitur, fitque com„ muniter cum aliqua alteratione corporis. Ratio „ discriminis est, quia voluptas potest ferri in ob„ jectum abstractum à malitia, cùm sequatur intel„ lectum, cujus est abstrahere; appetitus verò, quia „ sequitur imaginationem, non fertur in objectum „ sub aliqua certa conditione status vel temporis ap„ prehensum, sed ut est in se; ideòque talis delec„ tatio est de objecto absolutè malo. V. Laym. & „ Bonac. *de Matr. q.* 4. *punct.* 8.

ADDENDA.

67 Quæst. 16. *An concupiscentia sit peccatum vel causa peccati?* R. Hæc quæstio accuratiùs tractanda est contra *Bajum & Jansenium*, qui dixerunt omne, quod est à concupiscentia, esse peccatum: & inprimis supponenda sunt aliqua, deinde explicandum, qui reipsa & physicè sit concupiscentia, ac tunc facilè erit respondere ad quæstionem propositam.

§. 1. *Concupiscentia*, habet multas significationes, nam aliquando significat. 1. Actualem appetitum boni, sic *Sapient.* 6. laudatur concupiscentia sapientiæ, utique tanquam bona & honesta. 2. Potentiam appetitivam bonorum sensibilium, & sic etiam non est mala, cùm sit futura in beatis, quos etiam delectabunt bona sensuum. 3. Id, per quod ferimur in bonum sensibile contra rectam rationem, & de concupiscentia in hoc sensu procedit quæstio: sic autem sumpta quandoque significat potentiam, quandoque actum; sumpta pro potentia alio nomine dicitur fomes peccati, & est inclinatio radicalis ad bonum delectabile contra rationem: sumpta pro actu, est motus aliquis seu inclinatio actualis illius potentiæ tendens in bonum delectabile contra rationem; ad vitandam autem confusionem, per concupiscentiam plerumque intelligimus potentiam, nisi aliud colligatur ex adjunctis.

68 §. 2. Suppono hominem potuisse à Deo creari in pura natura, id est, sine ullo dono gratuito, cum solis perfectionibus naturalibus, natura enim de se est bona, ergo secundùm se creabilis à Deo, & cùm dona gratuita sint gratia, non sunt debita, ergo sine eis creari potuit natura. Et ideò S. Pius V. Greg. XIII. & Urb. VIII. damnarunt sequentes Baii propositiones, 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio sed naturalis conditio.* 55. *Deus non potuisset ab initio talem hominem creare, qualis nunc nascitur.* Homo autem sic in puris naturalibus constitutus &c. habuisset animam cum suis potentiis spiritualibus, item corpus cum facultatibus sensitivis & naturalibus earum inclinationibus, uti fusè ostendit Suar. *in prolog.* 4. *de gratia c.* 2. *& de peccat. d.* 9. *s.* 5. *n.* 5. cùm enim in ea suppositione fuisset futura eadem quæ nunc est, habuisset easdem potentias & facultates naturales, hinc pura natura includeret pugnam appetitus contra rationem, nam cùm delectabilia naturaliter plus trahant, & è contra omnis operatio virtutis sit difficilis, naturale est, ut appetitus sensitivus, qui tendit in solum objectum delectabile, pugnet cum ratione, quæ abducit à delectabilibus sensuum ad honestatem virtutis.

§. 3. Prætereà supponendum est cum Suar. *de* 69 *oper. 6. dier. l.* 3. *c.* 17. *n.* 9. Adamum, antequàm peccaret, habuisse gratiam, imò primo instanti suæ creationis fuisse sanctificatum per gratiam & habitus supernaturales, deinde accepisse à Deo cætera dona quæ simul cum gratia & donis supernaturalibus constituebant statum innocentiæ & justitiæ originalis, quæ dona præcipuè erant immunitas ab errore, à veniali, à morte, à miseriis vitæ & passionibus supponentibus malum, uti refert Suar. *in prolog.* 4. *de gratia. cap.* 3. quamdiu autem fuit hic status innocentiæ, tamdiù pars hominis superior perfectè subjecta erat Deo, & tum quoque pars inferior per speciales Dei gratias & dona perfectè subjiciebatur superiori, ita ut nullus pravus motus concupiscentiæ posset libertatem voluntatis prævenire, uti probat Suar. *in oper. 6. dierum. l.* 3. *cap.* 12. sed superveniente peccato originali, per quod pars superior se opposuit Deo, factum est consequenter, ut subtractis illis Dei gratiis & donis pars inferior sibi relicta pugnet contra superiorem, quod satis experimur, & notat Apostolus *ad Rom.* 7. *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati: & ad Gal.* 5. *v.* 7. *Caro enim concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem, hæc enim sibi invicem adversantur*: hinc S. Aug. *lib.* 1. *de peccat. remiss.* ait, *quando ergo peccavit Adam, tunc ejus corpus gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat.*

§ 4 Concupiscentia non est nec includit morbi- 70 dam aliquam qualitatem, per quam homo inclinetur ad solum bonum inhonestum, ita Bellarm. *de amiss. gratiæ l.* 5. *c.* 15 Suar. *prolog.* 4. *de grat. cap.* 8. *à n.* 11. Requesenius *in select. qq. num.* 214. Maurus *l.* 5. *qu.* 37. *num.* 26. aliique communiter. *Prob.* 1. quia talis nunc secundùm naturam nascitur homo, qualis fuisset in statu puræ naturæ, in quo habuisset concupiscentiam & non habuisset illam morbidam qualitatem; ergo concupiscentia non est nec includit illam morbidam qualitatem. *Min.* constat ex nu. 68. & magis firmabitur num. 71. & asseritur ab adversariis morbidam qualitatem supervenisse per peccatum originale. *Maj.* autem etiam probatur, tum ex damnatione propos. 55. Bajanæ: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, tum ex Trid. *sess.* 5. *in decreto de peccat. orig.* ubi loquens de mutatione per peccatum facta in homine, meminit tantùm de amissione justitiæ & status originalis, ac perfectionum ex ea provenientium: & idem dicunt SS. PP, *Erubuerunt primi parentes post peccatum*, inquit S. Aug. *lib.* 2. *de nupt. & concupisc. Quando post inobedientiam suam inobedientia membra senserunt, quia amiserunt donum integritatis.* Ibid. *c.* 6. *Homo inobedientiæ suæ malum sentit, quando sibi retributam dignissimè inobedientiam suæ carnis invenit.* Et lib. 5. contra Julian. cap. 7.

Concupiscentia pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, ergo ex mente Ecclesiæ & PP. talis nunc quoad naturam nascitur homo, qualis fuisset in statu puræ naturæ. 2. Hæc qualitas non est acquisita per actus proprios, uti patet, cum infantes ante omnes suos actus habeant concupiscentiam: nec est impressa nobis & causata demeritoriè per peccatum Adami, quia posteri per inobedientiam Adami tantùm incurrerunt privationem donorum gratuitorum, sicuti per illius obedientiam illis collata fuissent sola dona gratuita, hinc S. Hier. apud Suar *de pecc. d. 9. s. 5. n. 3.* ait, nos hoc perdidisse in Adamo, quod recepimus in Christo, in quo recepimus sola dona gratuita. Et ratio est, quia pactum cum Adamo fuit tantùm de transfusione bonorum indebitorum, ergo peccatum Adami non merebatur impressionem talis qualitatis. 3. Si per originale contraheretur talis qualitas, ergo pueri decedentes in solo originali haberent eam, & per eam posteà actus inordinatos in resumpto corpore, uti alii homines. Consequens est contra S. Th. *q. 5. de malo art. 3. in corp.* ubi docet eos non esse habituros actum inordinatum, *& in 2. dist. 33. quæst. 2. in corp. & ad 5.* dicit eos non fore separatos à Deo, quantùm ad separationem naturalium bonorum, sed de Deo gavisuros naturali cognitione ac dilectione. 4. Talis superaddita qualitas est frustranea, quia sine ea habetur concupiscentia, uti jam dicetur.

71 §. 5. Concupiscentia, physicè loquendo, est entitas appetitus sensitivi, cum negatione perfectæ subordinationis ad rectam rationem. Hæc videtur esse mens. S. Thom. *q. 4. de malo art. 2. ad 4. Concupiscentia est ipsa pronitas vel habilitas ad concupiscendum, quæ est ex hoc, quòd vis concupiscibilis non perfectè subditur rationi, sublato fræno originalis justitiæ: Et probatur*, nam includit entitatem appetitus sensitivi, qui sufficienter est radix inclinationis ad bonum delectabile, excluſa qualitate superaddita; non est tamen sola entitas appetitus, cùm hæc sine concupiscentia fuerit in Christo & in Adamo pro statu innocentiæ, ac etiam futura sit in cælo, ergo præter illam debet aliquid includere, habita autem simul negatione perfectæ subordinationis ad rectam rationem, quam subordinationem in statu innocentiæ dabant gratiæ & specialia Dei dona, jam habetur radicalis inclinatio ad bonum delectabile contra rationem, & secundùm dicta num. 68. & 69. ergo in his duobus physicè consistit concupiscentia.

Objic. 1. SS. PP. dicunt Angelos non esse vulneratos in naturalibus sed solos homines. Similiter Trid. suprà dicit hominem in deterius esse commutatum, ergo cùm homini nulla potentia naturalis sit sublata, debet aliquid defectuosum esse impressum. *Conf.* nam S. August. & S. Thom. apud Maurum. num. 31. clarè admittunt talem morbidam qualitatem naturæ superinductam. R. Tantùm volunt perdita esse dona gratuita, per quæ pars inferior non poterat reluctari superiori, uti rectè Suar. *prolog. 4. de grat. c. 8.* quod vulnus non est in Angelis, in quibus defectu appetitus non poterat esse rebellio partis inferioris contra superiorem. *Ad Conf.* vocari à S. Aug. morbidam qualitatem vel affectum, reipsa autem esse ipsam naturalem inclinationem sensualitatis vitiatam, non per positivam labem, sed ex carentia justitiæ originalis: & eodem modo. S. Thom. 1. 2. *q. 82. a. 1.* vocat peccatum originale habitum corruptum, quo sit aliquid positivum, ipsæ videlicet potentiæ animæ non bene dispositæ, & aliquid privativum, nimirum deordinatio ex carentia justitiæ Originalis.

Objic. 2. Est nunc pœna peccati habere talem concupiscentiam, ergo debet esse aliquid plùs quàm appetitus & negatio donorum gratuitorum. R. Est pœna ratione sui, n. ratione denudationis à donis gratuitis, c. ant. & neg. conseq. Quòd ratione sui non sit pœna, patet, nam fuisset in statu puræ naturæ, uti n. 68. dictum est, nec tamen in illo fuisset pœna peccati, quod tum potuisset abesse, & ideo S. Aug. *lib. 3. de lib. arbitr. c. 20.* ait hanc spoliationem doni gratuiti esse pœnam, non quia homo factus est malus, sed quia in pœnam peccati desiit esse melior: unde rectè infert Suar. *de pecc. d. 9. s. 5. n. 7.* hominem in puris naturalibus & hominem nunc, quoad hoc punctum, non aliter differre, quàm sicuti homo nudus differt à denudato: quòd autem consequentia non teneat, patet in simili; nam mors est nunc pœna peccati, & tamen eadem naturaliter obvenisset in statu puræ naturæ, nec fuisset pœna peccati.

§. 6. Certum est concupiscentiam esse causam 72
peccati, nam Jacob. 1. v. 14. dicitur, *unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*; & probat experientia, quia ex concupiscentiæ motibus sæpè fiunt peccata, quæ non fierent, si illi abessent, quamvis enim concupiscentia directè non agat in voluntatem, tamen variè eam ad peccatum trahit, in primis obnubilando intellectum, qui, dum sentitur vehemens delectatio, rapitur ad considerationem illius boni sensibilis, & impeditur à consideratione honestatis oppositæ. Deinde dissipando vires animæ, quæ vehementiore motu sensibili distracta, infirmior est ad formandum vel audiendum rectæ rationis judicium: Denique propter sympathicam quandam inclinationem partis superioris ad inferiorem, cùm enim intellectus omnia cognoscat dependenter ab imaginatione, sicuti quò præit imaginatio, naturaliter sequitur intellectus, ita quò præit appetitio, naturaliter amat sequi voluntas.

§. 7. Concupiscentia non est formaliter peccatum. 73
Patet, quia concupiscentia remanet post Baptismum, qui tamen tollit omne hoc, quod est peccatum, uti definit Trid. suprà his verbis, *manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Idem constat ex damnatione propositionis 24. Bajanæ, *Concupiscentia carnis in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est.* Idem tenet expresè S. August. *lib. de nupt. & concupisc. cap. 13. Concupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta est, sicuti vocatur lingua, locutio, quam facit lingua.* Idem habet pluribus locis apud Bonæspei *de peccat. d 10. d. 2.* Eandem veritatem probat Bellarm. *suprà cap. 7. & seqq.* Ratio autem jam est insinuata, quia concupiscentia non est de se mala, imò posset esse à Deo, qui secundùm dicta num. 68. potuisset creare hominem in pura natura, qui à Deo habuisset concupiscentiam.

Respondet Noris, apud Reques. num. 221. Deum potuisse creare hominem cum concupiscentia, sed non cum prædominio contra rationem, nec cum inclinatione appetitus ad inhonesta, præponderante contra inclinationem voluntatis ad honesta, uti nunc fit. *Contra est*, quòd malè supponatur concupiscentiam ratione Originalis præcisè ita vehementer inclinare, si enim in quibusdam hominibus fortiùs inclinet, præsertim ad peccata carnis, est, vel ratione

ratione peccatorum personalium, quæ commiserunt, vel ratione malorum habituum, quandoque etiam sine formali peccato acquisitorum, sic enim innocentes pueri, perpetuò amentes, invicibiliter ignorantes malitiam, inducti per alios, aut qui aliter assuefecerunt naturam ad talia, vehementer inclinantur ad ista peccata: Est quoq; non rarò major in uno quàm in alio inclinatio ad quædam vitia, ob diversitatem organorum vel temperamenti. De cætero concupiscentia, quantum est ratione Originalis, licèt naturaliter plùs inclinet ad objectum delectabile, quod est affinius inhonesto quàm honesto, tamen manet sub potestate rationis, ut coerceatur, & sæpè sine magna difficultate, uti patet in plurimis hominibus, qui innocenter educati, etiam posteà, quando natura est apta generationi, vix sentiunt ullos stimulos, usquedum infeliciter de his audiant aliquid vel casu experiantur.

Objic. 1. Quod est contra rectam rationem est peccatum, sed concupiscentia est contra rectam rationem, ergo. Resp. N. min. nam tantùm est radix actuum, qui sunt contra rectam rationem; unde sicuti homo incitans, aut habitus inclinans ad peccatum, non ideò sunt peccatum, ita nec concupiscentia.

Inst. S. August. contra Julian. *lib. 5. cap. 3.* ait, *Concupiscentia carnis, adversùs quam concupiscit bonus spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati.* R. Intelligit esse radicaliter peccatum, propter actus, quos causat, & sunt peccatum, si voluntas consentiat.

Objic. 2. Concupiscentia est formaliter mala, quia contradicit rectitudini naturæ rationalis, ergo est peccatum. R. Formaliter contradicit illi rectitudini N. radicaliter C. sed non ideò est formaliter peccatum, sed tantùm causa peccati, secundùm dicta n. 72.

Inst. 1. Concupiscentia est materia pudoris, uti habet S. August. *de nupt. & concupisc. lib. 2. c. 5.* ergo est formaliter mala. R. Concupiscentia sumpta pro potentia, est materia pudoris, N. sumpta pro actu, C. sic pudet nos peccati, non potentiæ peccandi.

Inst. 2. Malum est, quod expugnatur, uti habet S. August. contra Julian. *l. 3. c. 3.* sed homo debet expugnare concupiscentiam per continentiam, ergo. R. Homo debet expugnare actus inordinatos concupiscentiæ, non autem potentiam concupiscendi: & eodem sensu ratio expugnat voluntatem, faciendo ne consentiat in actus malos.

Inst. 3. Concupiscentia ob nullum finem bonum expeti potest, ergo est culpa, si enim esset tantùm pœna, omnis pœna potest ob bonum finem expeti. R. Concupiscentia expeti posset ad pugnam, victoriam & majus meritum. Sed etiam falsum est omnem pœnam posse expeti, nam ignorantia eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, est pœna, nec tamen potest expeti: & idem est de damnatione æterna.

Inst. 4. Conscientia & concupiscentia pugnant inter se, sed duo bona inter se non pugnant, uti habet S. August. *lib. 4.* contra Julian. *c. 13. & lib. 5. cap. 7.* ait, *Nec ista pugna est sine malo, quando pugnatur, aut bonum pugnant & malum, aut malum & malum, aut si duo bona pugnant, ipsa pugna est magnum malum,* sed conscientia est bona, & pugna conscientiæ contra concupiscentiam non est mala, ergo concupiscentia est mala. Resp. N. min. nam bonum virginitatis & conjugii, bonum paupertatis & proprietatis pugnant; Similiter pugnant potentia amandi & potentia odiendi Deum, & tamen nihil horum est malum: si vis, distingue, pugna inter duo bona est mala, pugna actualis contra præscriptum potentiæ, cui debet obedire, c. pugna radicalis seu potentia pugnandi, data cum subordinatione, ut inferior potentia obediat superiori, n.

Inst. 5. Omnis potentia ideò est bona, quia habet saltem aliquos actus bonos, sed concupiscentia nullos habet actus bonos, quia S. Aug. *supra l. 4. c. 2.* docet concupiscentiam in Sanctis nullos actus bonos exercere, ergo. R. 1. N. maj. quia per hoc potentia est bona, quòd possit habere actus bonos; sic voluntas dæmonum in se bona est, licèt nullos actus bonos habeat: sicuti autem voluntas dæmonum potuit habere actus bonos in statu viæ, ita concupiscentia saltem in statu puræ naturæ. R. 2. N. min. nam concupiscentia inclinat ad delectabile, honestum vel inhonestum; si enim obediat rationi inclinat ad delectabile honestum, si non obediat, ad inhonestum, quamvis ex natura sua magis inclinet ad inhonestum, quia delectabile plùs habet de inhonesto.

Objic. 3. Quod est prohibitum & tamen datur, est peccatum, sed concupiscentia prohibetur & tamen datur, ergo. *Prob. min.* est prohibita, quia causa mali eadem lege prohibetur, qua malum ipsum. R. 1. Si argumentum valet, ergo voluntas est peccatum & prohibita, quia est causa peccati, quod est prohibitum. R. 2. Motus concupiscentiæ sunt prohibiti, ita ut non liceat in eos consentire, c. ita ut non liceat eos pati, n. ergo pariter causa eorum est prohibita, ita ut non liceat eam ordinare ad illos motus, c. ita ut non liceat eam causam pati vel habere, n.

Objic. 4. Christus assumpsit omnes humanæ naturæ miserias, sed absque peccato, *ad Hebr.* 4. atqui concupiscentiam non assumpsit, ergo hæc non est miseria naturæ sed peccatum. R. Christus duas miserias non assumpsit, nempe ignorantiam & concupiscentiam, uti notat S. Aug. *supra l. 5. c. 9.* cujus rationem dat S. Thom. *3. p. q. 15. ar. 2. & 3.* Tum quia istæ duæ miseriæ non proderant ad finem ejus, qui erat redemptio humana, tum quia oportebat Christum esse plenum veritate & sanctitate, quibus duobus donis repugnabat ignorantia & concupiscentia. Similiter quando dicitur voluisse per omnia tentari, intellige accommodè, per omnia illa, quæ non dedecebant personam Redemptoris.

§. 8. Nequidem actus, quos causat concupiscentia, sunt peccatum, nisi voluntas consentiat: est contra plurimos hæreticos, quibus favet *Jansenius t. 2. l. 2. c. 14.* hinc in indice hujus loci ponitur, *Concupiscentiæ motus indeliberati sunt peccata;* & loco cit. dicitur, *Desideria peccatorum non tantùm deliberata, sed etiam talia, quæ rationem antevertunt, sunt mala, turpia, illicita &c.* Alii apud Tann. *de peccat. d. 4. qu. 8. dub. 3.* dicunt tunc saltem esse peccata; quando ab imaginatione causantur: sed contra illos omnes est *Trident.* relatum *num. 73.* Item damnatio harum propositionum *Baij 50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, non concupisces. 51. Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. 75. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, non concupisces, unde homo consentiens & non consentiens transgreditur præceptum, non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur,* Idem constat ex prop. 7. ab Alexand. VIII. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis,* hoc est, *mala est.* Idem docet S. August.

contra Julian. *l.* 6. *c.* 5. *Parens est concupiscentia, partus peccatum, sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi intellexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis consensum.* Et de civit. *lib.* 1. *cap.* 25. *Quantò magis concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Idem repetit *Epist.* 100. Et S. Bern. *de intern. domo, cap.* 8. *Non nocet sensus, ubi non est consensus.* Similiter S. Gregor. *Homil.* 16. *in Evang.* dicit per tria deveniri ad peccatum, suggestione, delectatione, consensu. Ratio data est *à num.* 62. quia sola voluntate peccatur, nec voluntas habet despoticum imperium in omnes potentias, nam impedire nequit actus phantasiæ, quam etiam dæmon movere potest; nec semper actus intellectus, quia saltem primæ cogitationes non sunt in potestate nostra; ad imaginationes autem & cognitiones sequuntur necessitate naturali appetitiones sensitivæ, & consequenter commotiones aliique effectus, etiam renitente voluntate, uti docet Apostolus *num.* 69. relatus, & experientia probat, ergo talia non possunt esse peccata.

75 *Objic.* 1. Cujus causa est voluntaria, hoc est voluntarium, sed causa horum motuum est nobis voluntaria, ergo etiam hi motus. *Prob. min.* causa horum motuum est concupiscentia, sed concupiscentia est nobis voluntaria, ergo. *Prob. min.* Concupiscentia est pœna peccati originalis, cui autem peccatum est voluntarium, illi etiam voluntaria est pœna, sed peccatum originale fuit nobis voluntarium, ergo, Hic est Achilles *Jansenii*, quem stravit *Alex. VIII.* damnans hanc 1. propos. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali & voluntate Adami peccantis.* Unde, Resp. 1. Si argumentum valet, ergo mors omnium quoad corpus, utpote pœna peccati Originalis, fuit voluntaria Adamo & nobis, ergo Adam & quisque nostrûm est quoad corpus homicida sui ipsius. Resp. 2. Cujus causa est voluntaria voluntate propria, hoc est voluntarium, transeat, voluntate aliena, N. intendunt autem adversarii probare, quod tales motus sint personaliter voluntarii, ideoque sint in nobis peccata personalia actualia, quod implicat, quia repugnat peccato personali esse voluntarium voluntate aliena, cùm per hoc differat personale ab originali, ut ex S. Aug. & S. Thom. observat. Suar. *de pecc. d.* 5. *s.* 4. *n.* 4. *Dixi*, transeat, quia quamvis sit voluntaria, si tamen effectus non fuit in ea intentus vel prævisus, non ideò est voluntarius, uti dictum est *à num.* 30. Jam verò patet illos effectus non esse à nobis prævisos, nec forsan ab Adamo, aut si ab hoc prævisi sint, tamen voluntas Adami non erat moraliter nostra in ordine ad hoc, ut faceret omnes illos effectus nobis voluntarios.

Objic. 2. Motus illi sunt contra præceptum, *Non concupisces*, hinc S. Aug. *de Sp. & lit. c. ult.* dicit præceptum illud non posse in hac vita servari. Resp. N. antec. nam præceptum illud prohibet non concupisci voluntariè & liberè, cùm debeat esse de materia possibili. *S. Aug.* tantùm vult non posse servari in hac vita quoad finem à lege intentum, qui est perfecta tranquillitas animæ, & liberatio ab omni inordinato motu, hunc autem statum priùs obtinebimus in cœlo.

Inst. Negari non potest, quòd motus illi sint mali. R. Sunt mali, non formaliter, sed objectivè, ideſt, non possunt esse objectum honestæ prosecutionis vel complacentiæ, uti nec homicidium ab ebrio factum, quamvis faciens aut patiens non ideò in conscientia aut coram Deo peccet.

Circa delectationem de objecto à malitia præciso, aut si per conditionem separetur malitia, addentur plura q. seq.

ARTICULUS II.

An delectatio morosa semper sit peccatum?

REsp. Si terminetur ad cogitatum opus malum „76
secundùm se, est peccatum mortale vel venia- „
le, prout ipsum opus mortale vel veniale est. Ita „
comm. ex D. Thom. 1. 2. *q.* 87. *art.* 8. „

Dixi, *secundùm se*, quia si delectatio sit tan- „
tùm de ipsa cogitatione, non autem de opere, „
non est peccatum, quia sicut cogitatio, v. gr. „
de rebus obscœnis, in ordine ad doctionem vel „
concionem &c. bona est, cogitatio autem de iis- „
dem rebus ex curiositate, est mala venialiter, ita „
consequenter, delectatio de tali cogitatione tan- „
quam objecto, non est mala, sed quandoque bona, „
quandoque venialiter mala. Similiter nec pecca- „
tum erit, si delectatio versetur circa modos malè „
operandi, non circa ipsum opus malum, quomo- „
do sine peccato sæpè nos delectant fabulæ, come- „
diæ, bella, homicidia, fraudes, furta, lap- „
sus hominis, v. g. ex equo &c. non secundùm se, „
sed modus furandi, rapiendi, artificiosus & in- „
dustrius, modus cadendi inopinatus, Laym. *l.* 1. „
t. 3. *c.* 6. *n.* 2. *Ex quib. resolves.* „

I. Licitum est gaudere, & delectari morosè de „
effectu bono, secuto ex opere malo, quia tunc „
delectatio non est de objecto malo. „

II. Si talis effectus secutus sit ex opere secun- „
dùm se quidem malo, hìc tamen & nunc culpa „
vacante, ut v. gr. quia factum est in somno, amen- „
tia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc „
etiam de ipso actu licere aliquando delectari, non „
quidem secundùm se, sed ut ex causa talis boni „
effectus, docent Less. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 105. *&* 106. „
ex Vasq. *l.* 2. *d.* 105. *c.* 21. v. g. de solutione na- „
turæ facta in somno. Ratio, quia objectum de- „
lectationis istius non est malum. V. Bon. *de Matr.* „
d. 4. *p.* 8. *n.* 8. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 2. *n.* 18. Lug. „
de pœn. d. 16. *num.* 389. Imò addunt, licere ali- „
quando desiderare (affectu simplici, & inefficaci „
desiderio) ut tale quid fiat sine culpa, v. g. ut „
in somno eveniat naturæ solutio, ob finem bo- „
num: dummodò desiderium non sit tam intensum, „
ut tale quid probabiliter causet, neque, sit peri- „
culum consentiendi in talem voluptatem. Ratio „
est, aïunt, quia objectum hujus desiderii, aut „
gaudii, non est malum. V. Less. & Bon. *l. c.* „

III. Non est peccatum, saltem mortale, si „
conjuges delectentur appetitu tantùm rationali, de „
actu conjugii præterito, futuro vel possibili, res- „
pectu compartis præsentis vel absentis. Item si „
sponsus desideret copulam futuram, aut de ea de- „
lectetur; vel vidua de præterita. Ratio, quia hi „
actus habent objectum licitum. „

Dixi, *appetitu rationali*: quia si sponsus aut vi- „
dua, voluntariè consentiant in delectationem sen- „
sitivam & carnalem, quæ recordatione copulæ „
futuræ aut præteritæ naturaliter oritur, moraliter „
peccat [illegible] docet Less. *n.* 120. Bon. Tann. Palaus. „
V. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *misc. R.* 2. contra Sedin. &c. „
Quia verò ad supradictam voluntatis obje[illegible]atio- „
nem, sensitiva & carnalis ut plurimum, imò „
etiam periculum consensus in fornicationem, con- „
sequitur, oblectationem illam voluntatis in „
praxi vix locum habere, saltem in vidua, & „
sponsis: inter conjuges tamen, modò periculum „
pollutionis absit, etiam sensitivam & veneream „

„ delectationem non esse mortale docet Fill. Bon. *q.* „ 4. Sanch. Less. *l. c. d.* 1. & Dian *par.* 2. *t.* 3. *misc.* „ *R.* 36. Tum quia status Matrimonii hæc excusat, „ uti etiam tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos: tum quia hæc tendunt per se ad „ opus conjugale, licèt per accidens opus non exerceatur.

„ IV. Delectatio morosa de rebus solo jure positivo prohibitis non est illicita, modò non fiat sub „ ratione prohibitionis, v. g. si Carthusianus, vel „ alius, die jejunii se oblectet de cogitato esu carnium, quia non est de opere malo, cùm lex „ tantùm vetet comestionem externam. Laym. *num.* „ 9. Less. *num.* 111. & 113.

„ V. Qui delectationem morosam mortalem confitetur, addere debet circumstantias operis, de „ quo fuit delectatio, v. g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre, an alio, uno, an pluribus: in materia carnis, an de conjugata, Moniali, consanguinea: Quod tamen limitat Az. „ Sà *v. Luxuria.* Salas *to.* 2. *t.* 13. *d.* 16. *s.* 6. *nn.* 59. „ &c. si delectatio feratur in objectum apprehensum „ secundùm totam suam malitiam, non autem si „ tantùm secundùm partem v. g. in feminam apprehensam ut non suam, non tamen ut alteri nuptam, vel ut Monialem; tunc enim probabile esse, „ ait delectationes tales reduci ad speciem simplicis „ fornicationis: Ita etiam Fill. Less. Bon. Dian. Palaus. V. Lugo *n.* 363. Aliud est de ipso opere externo, quod semper fertur in objectum, secundùm totam suam malitiam; aut etiam de desiderio efficaci, quod fertur in opus externum secundùm se, & ut est à parte rei ac proinde est ejusdem „ cum illo speciei, ideoque ejus circumstantiæ semper fatendæ sunt. *V. Auth. cit.*

„ Resp. II. Si quis sine causa & necessitate actionem exerceat, ex qua intelligit delectationem „ carnis naturaliter orituram (v. g. ex curiositate „ legit, vel audit turpia) tamen sine directa intentione, & sine periculo consensus, peccat venialiter; si vero justam causam habeat, nihil peccat. „ *Vid. supra in* 6. *pr. l.* 3. *t.* 4. *c. d.* 4.

„ *Quæres.* An voluntas delectationem carnalem „ positivè, reprimere teneatur?

„ Resp. Si voluntas plenè eam advertens negativè „ & permissivè se habeat, ita ut nec approbet, nec „ repellat, dummodò, id non permittat ex ipsius „ delectationis complacentia, nec periculum sit ulterioris consensus, probabile est, quod docet „ Caj. Sanch. 1. *mor. c.* 12. non peccare mortaliter, „ tum quia non consentit in delectationem; tum „ quia moraliter est impossibile omnes illos motus „ evitare; tum quia ex justa causa illos licet permittere, etiam secundùm adversarios.

„ Resp. III. In praxi tamen verius videtur, quod „ docet Vasq. Az. Less. Bec. 1. *t.* 2. *c.* 5. *q.* 5. sine „ justa causa eis non resistere, esse mortale, quia „ ferè semper voluntas est exposita periculo consensus; & contrarium credere, est nimia sui confi„ dentia & præsumptio. Moderatè Laym. utramque „ sententiam probabilem fatetur, & ait, delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiæ circa illa delicias: etsi efficaciter „ animum ad alia divertere negligas, cum facilè „ possis, & speres te tali modo posse depellere. V. „ Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6.

ADDENDA.

77 Quæst. 17. *Quid præterea notandum sit circa delectationem morosam?* R. Seqq.

§. 1. Delectatio morosa secundùm dicta *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 889. est gaudium quoddam seu complacentia, quam quis habet in aliquo objecto, quod facere non vult, nec vult à quoquam fieri, attamen sibi in illo complacet. Et secundùm Oviedo *de pecc. controv.* 4. *n.* 5. dicitur delectatio, quasi à dilatatione cordis, secundùm illud *Isaiæ* 6. *Videbis, & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Etiam dicitur lætitia, quia affert quandam quasi latitudinem cordis, uti notat Alb. M. *de motibus animal. l.* 1. *cap.* 1. Potest autem delectatio morosa esse bona vel mala, prout objectum illius est bonum vel malum, usus tamen nunc obtinuit, ut sumatur pro delectatione mala. Item potest esse, vel de objecto turpi, quale est fornicatio; vel de objecto non turpi attamen malo, vel intrinsecè ratione sui, uti est occisio inimici, vel tantùm extrinsecè ratione prohibitionis, uti est comestio carnium die Veneris. Quod autem dicitur de delectatione morosa circa objectum malum, idem cum proportione intelligi debet de tristitia morosa circa objectum bonum, uti si quis tristetur de gloria Dei, de bono proximi, de actu bono posito à se vel alio. Cur autem talis delectatio appelletur morosa, dictum est, *l.* 3. *p.* 1. *n.* 889.

§. 2. Bene distinguenda sunt hæc 4. delectatio de 78
malo, delectatio de cogitatione mali, delectatio de cogitatione mala, delectatio de modo, quo fit malum. Delectatio de malo vel de cogitatione mala semper est mala, quia est de objecto malo. Delectatio de cogitatione mali potest esse bona, sic enim Deus complacet sibi in cogitationibus peccatorum, & potest quis delectari aspectu artificiosæ picturæ, quamvis res picta displiceat. Idem est de delectatione circa modum, quo fit malum, uti si delectet de modo, quo alius naso pronus cecidit in lutum, quo ebrius tremulè incedit, quo mulieres rixantes se mutuò impetunt; hæ enim delectationes, per se loquendo, non sunt peccata, uti cum communi Suar. *de pecc. d.* 5. *s.* 5. *n.* 7. Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 2. *n.* 4. Ovied. *nu.* 43. quia tendunt in circumstantiam vel modum ab objecto malo distinctum, & de se non malum. Quòd si circumstantia vel modus de se esset malus, idem dicendum foret de delectatione circa hæc, quod dicitur de delectatione circa objectum malũ; Signum autem, quòd quis delectetur re cogitata, & non sola cogitatione rei, vel modo; quo fit, est hoc in primis, si delectetur, & nihil cogitet de cogitatione sua vel de modo, quo res fit, si enim esset de his delectatio, deberet esse horum cognitio, cùm voluntas non feratur in incognitum. Deindè si non delectetur simili cogitatione vel simili modo occurrente circa res bonas, v. g. si plus delectetur arguto dicto vel facto, quando pro objecto habent aliquid turpe, quàm quando habent aliquid honestum; manifestum signum est delectationem tunc ferri, non in solam cogitationem aut modum, sed etiam versari circa objectum cogitatum. Præterea si quis libenter loquatur de objectis ejusmodi, vel libentiùs studeat aut speculetur circa illa, quàm alia, vel illa quæ audit, legit, videt, interpretetur in ordine ad ista, signum est, quòd pronus sit ad delectationes circa talia objecta; unde in dubio, an talis homo delectetur etiam de objecto, an de sola cogitatione objecti, vel de modo, quo fit, præsumi debet quòd delectetur etiam de objecto malo directè tendat 79

§. 3. Si delectatio de objecto malo directè tendat in ipsam malitiam, v. g. si quis delectetur de damno proximi, quia damnum ipsius est; comestione carnis, quia est prohibita; furto quia est offensivum Dei, clarum est semper esse peccatum, ut omnes tenent cum Arr. *de pecc. de* 27. *n.* 2. quia talis virtualiter habet voluntatem efficacem, qua vult

malitiam objectivam, non quòd eam intendat propter seipsam, nemo enim vult malum ut malum, sed sub aliqua ratione boni: attamen fertur in malitiam veluti objectum materiale intentum, ergo in actum refunditur malitia formalis, respondens malitiæ objectivæ gravi vel levi, in quam tendit actus; imò cum tali actu aderit odium proximi vel Dei, aut etiam communiter contemptus legis, & sic erit mortale, secundùm dicenda *nu.* 242. quamvis fortè sit de objecto secundum se non graviter malo.

80 §. 4. Si malitia per cognitionem possit separari, & reipsa separetur ab objecto, tuncque delectatio feratur in aliquod bonum physicum, quod est in objecto, per se loquendo, non erit peccatum, uti si quis delectetur esu carnium die Veneris, cognoscendo veluti non prohibitum; ratio est, quia delectatio non fertur in objectum, prout à parte rei est, sed prout apprehenditur, ergo si feratur in objectum exercitè & efficaciter præcisum à malitia objectiva, nulla malitia formalis poterit inde refundi in actum, Sanch. *n.* 10. quòd magis declarabitur *n.* 85. nam talis delectatio fertur in objectum, virtualiter sub conditione, si non sit malum, qualiter concipi potest in plerisque materiis, exceptis illis de quibus *n.* 87.

Objic. Desiderium objecti mali, v. g. carnium die Veneris, est peccatum, quamvis aliquis vellet præscindere à prohibitione, & optaret abesse omnem malitiam objectivam, ergo etiam delectatio sic erit mala. R. N. conseq. Desiderium est actus efficax, qui fertur in objectum, prout à parte rei ponitur cum sua malitia, v. g. qui desiderat comedere carnes die Veneris, quod cognoscit esse prohibitum, vult comestionem à se poni, quam supposita lege prohibente scit non posse poni sine transgressione legis, ergo tendit in aliquid cum oppositione ad legem. E contra delectatio est actus inefficax, & tantùm fertur in comestionem, prout objectum, seu prout in cogitatione est aliquid, v. g. utile corpori, neque hæc cogitatio infert illa, quæ essent à parte rei conjuncta cùm illa comestione, ergo cum comestio in ratione objecti præscindat à malitia, non erit peccatum per simplicem delectationem ferri in illam.

81 §. 5. Probabilius est, quòd delectatio de objecto, non tantùm intrinsecè malo sed etiam malo extrinsecè, sit peccatum mortale aut veniale, prout est objectum graviter vel leviter malum, S. Thom. 1. 2. *q.* 74. *art.* 5. & 8. Suar *num.* 4. Sanch. *num.* 8. aliique communiter. Nec dissentit. Arr. *d.* 47. quamvis enim videatur contradicere *à num.* 5. tamen *nu.* 9. relabitur in hanc sententiam, dicens voluntatem, ut non peccet, debere ferri in objectum, à quo intellectus abstrahat malitiam, & prohibitionem. Idem dicit Tann. *d.* 4. *q.* 8. *n.* 134. & 137. videturque colligi ex illo Oseæ 9. v. 10. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Ratio autem est, quia qui delectatur objecto malo cogitato, approbat illud, uniendo & conformando suum affectum illi; nemo enim delectatur, nisi in hoc, quod ei placet, & quod reipsa amat, ergo sicuti objectum cogitatum est malum, ita etiam delectatio, cùm formalis malitia actus desumatur per ordinem ad objectivam. *Si dicas*, non amari opus in re sed tantùm in cogitatione; *Contra est*, amor delectationis in opere cogitato est ejusdem rationis, cujus est amor delectationis in opere reipsa posito, cùm malitia utriusque desumi debeat per ordinem ad objectum, quod idem est in re & in cogitatione, ergo sicut amor delectationis circa opus mortaliter malum positum in re est mortalis, ita etiam amor delectationis circa opus cogitatum. *Nec obstat*, quòd talis cogitatio objecti sit actus efficax, *nam* est quidem inefficax respectu objecti in re ponendi, attamen respectu delectationis circa objectum intentionaliter præsens, est omninò efficax.

Objic. Actus inefficax, qualis est simplex delectatio, non desumit malitiam ab objecto, ergo delectatio circa objectum mortaliter malum (extrà materiam veneream, de qua est alia ratio) poterit esse venialis tantùm, ita Vasq. *d.* 1. 11. *cap.* 3. & 4. Merat. *d.* 8. *s.* 1. quorum sententiam probabilem esse dicit Compton. *d.* 105. *s.* 5. *num.* 1. & Sporer. *in Theol. Moral. p.* 1. *t.* 1. *cap.* 6. *num.* 23. dicit etiam se valdè propendere in eam, & Oviedo *num.* 9. citat pro ea plures AA. nec videtur probabilitatem negare S. Thom. *art.* 8. *O.* ubi ait, *Quidam dixerunt, quòd consensus in delectationem non est peccatum mortale sed veniale tantùm, alii verò dixerunt, quòd est peccatum mortale, & hæc opinio est communior & verisimilior*, ergo S. Thom. agnoscit probabilitatem oppositæ: & consequenter Suarez supra nimium dixit asserendo oppositam esse improbabilem, uti & Azor. *T.* 1. *l.* 4. *c.* 6. *q.* 1. vocando temerariam. R. De hoc viderint Suar. & Azor. nos, quod diximus defendimus tanquam probabilius: unde ad object. n. antec. quamvis enim delectatio possit esse mala licèt sit de objecto secundùm se non semper malo, secundùm dicenda *num.* 90. tamen delectatio tum semper est mala, si sit de objecto malo, à quo in delectationem refunditur malitia.

Inst. Displicentia inefficax circa rem graviter præceptam non est mortale, imò sæpè nullum est peccatum, nam Christus habuit displicentiam inefficacem circa mortem sibi graviter præceptam, ergo similiter complacentia talis efficax circa rem graviter prohibitam non semper erit mortale, ita Vasq. *n.* 11. & iterùm *cap.* 4. item Compt. *num.* 2. R. Displicentia inefficax circa rem ut præceptam graviter, id est, ut positam vel ut ponendam secundùm legem graviter obligantem, non est mortale, n. talis enim displicentia censetur esse amor transgressionis seu difformitatis gravis ad legem: displicentia inefficax circa rem quæ graviter præcipitur, & pro sensu diviso præcepti, non est mortale, c. ant. & neg. conseq. Christus tantùm ostendit naturalem displicentiam circa mortem ut secundùm se, præscindendo à præcepto, non habuit autem displicentiam circa mortem præceptam, sensu antè dicto.

§. 6. Probabilius videtur, quòd delectatio de ob- 82
jecto semper intrinsecè malo sub conditione, si liceret, si non esset malum &c. sit peccatum grave vel leve, prout objectum in se est, v. g. si quis delectetur in his objectis, blasphemarem, si liceret; pejerarem, si Deus permitteret; odissem Deum, si non esset peccatum; mentirer, si non esset malum, ita Adr. Azor. Laym. Suar. *n.* 10. Sanch. *n.* 23. Rhodes *d.* 1. *q.* 3. *s.* 3. §. 3. Loth. *t.* 12. *q.* 2. *ar.* 5. Busemb. relatus *n.* 65. aliique multi, contra Caj. Salas, Castrop. Ovied. Carden. Bonæsp. *d.* 10. *n.* 47. Herinex *d.* 7. *n.* 23. Ratio eò, quia licèt consensus sit conditionatus respectu objecti, est tamen absolutus respectu delectationis circa objectum, quod semper est malum [illegible] cognitionem est prælens, ergo ab eo desumit malitiam, uti aliæ delectationes morosæ.

Respondet 1. Oviedo *n.* 71. Per conditionem, intentionaliter separari malitiam. *Contra est*; ratio, v. g. blasphemiæ est semper intrinsecè mala, ut supponitur, sed ratio blasphemiæ non separatur, nequidem intentionaliter, ergo nec ratio malitiæ. *Prob. min.* nam dicit, blasphemarem, si liceret, & in hoc objecto delectatur, ergo delectatio tendit in

rationem blasphemiæ ut substantem illi conditioni, *si liceret*, ergo ratio blasphemiæ non separatur, nequidem intentionaliter. Quòd si dicas delectationem non tendere in rationem blasphemiæ, sed in aliquid aliud, cessat nostra quæstio.

Respondet 2. Per intellectum fingens chymericum quod sit blasphemia sine malitia, & in hoc ens fictum tendit delectatio propter aliquam bonitatem in eo apprehensam. *Contra est*; illud ens fictum est blasphemia sine malitia, ergo illud ens fictum est malitia sine malitia, quia blasphemia intrinsecè & semper est mala, ut supponitur, atqui est malum delectari in malitia sine malitia, quia talis reipsa delectatur in malitia, licèt fingat non esse malitiam, & consequenter dici possit etiam delectari in non malitia, sicuti qui cognosceret hircum, quem fingeret non hircum, reipsa cognosceret hircum, licèt consequenter dici posset etiam cognoscere non hircum, ergo adhuc est malum delectari in illo ente, quod fingitur esse blasphemia sine malitia, & ratio à priori est, quia conditio illa signatè tantùm & inefficaciter præscindit malitiam ab illa blasphemia, non autem exercitè & efficaciter, nequidem intentionaliter, cùm supponatur esse & manere blasphemiam, quæ hìc concipi non potest sine malitia objectiva, ergo cùm intellectus non possit effectivè intentionaliter præscindere à malitia, nec poterit voluntas præscindere affectivè, id est, fieri non poterit, quin affectus reipsa feratur in illam malitiam objectivam ab intellectu propositam.

Objic. 1. Mendacium, si esset licitum, est mendacium, quod esset, si poneretur illa conditio, sed si poneretur illa conditio, mendacium esset licitum, ergo licitè delector in eo. R. Esse licitum & illicitum: licitum fictè & signatè, illicitum verè & exercitè, uti jam dictum est.

Objic. 2. Ergo vicissim erit actus inhonestus, si me delectem in hoc objecto, odissem amorem Dei, si esset illicitus. R. Si reipsa à voluntate eliciatur odium, quantumvis inefficax & sub illa conditione, c. seq. est enim displicentia de objecto semper intrinsecè bono & pro nullo casu odibili aut displicentia digno.

83 §. 7. Multò magis est peccatum, si quis delectetur objecto malo sub conditione, quæ quamvis poneretur, non auferret malitiam, ut fit in his, si non essem Religiosus, inebriarem me; si non esset infernus, furarer; si possem volare, raperem hoc, & hæ enim conditiones relinquunt totam malitiam, quia quamvis non essem Religiosus, adhuc inhonesta esset ebrietas; quamvis non esset infernus aut ego volare possem, adhuc inhonestum esset furtum & rapina: ac tales actus videntur habere talem malitiam, qualem haberent, si conditio reipsa esset purificata vel non adjiceretur. Si tamen quis per talem actum, v. g. per hunc, si non essem Religiosus inebriarem me, tantùm vellet significare, quòd judicet, nisi jam esset in hoc statu, futurum fuisse, ut ob occasiones aliaque incitamenta sæpè se inebriaret, nec ideò significetur affectus ad inebriationem, nullum erit peccatum, uti nec tum, si tantùm significet propensionem ad peccatum, quam in his circumstantiis vincat, Sanch. *n.* 25.

84 §. 8. Si quis delectetur hoc objecto, si hic determinare vellem vel ad negandam fidem vel ad mentiendum, vellem mentiri & non negare fidem, hæc delectatio videtur habere malitiam mendacii, quamvis talis homo absolutè nolit mentiri. Ratio est, quia conditio illa non tollit malitiam ab alterutro, sed relinquit utrumque objectum, sicuti in se est, malum, ergo si sub illa conditione placeat mendacium, placet, & consequenter contrahitur malitia mendacii, uti rectè Castrop. *t.* 2. *d.* 2. *p.* 12. sicuti è contra si sub illa conditione placeat negare fidem, peccabit contra fidem, quamvis eam absolutè nollet negare. *Nec obstat*, quòd homo habens conscientiam perplexam non peccet, si eligat hoc, quod videtur esse minus peccatum, *nam* disparitas est, quòd in statu perplexitatis necesse sit alterutrum eligere, uti suppono, hinc prudenter eligit minus: in nostro autem casu necesse non est alterutrum eligi aut placere, sed est obligatio utrumque fugiendi; Videri potest Sanchez *cap.* 10. *n.* 25. qui non videtur contrarius, tantùm enim dicit electionem minoris peccati præ majore non esse malam, si nempè supponatur necessitas eligendi alterutrum; quæ hìc non est. Notandum tamen: si absque affectu & complacentia in alterutro peccato aliquis tantùm enunciativè diceret, in tali concursu prudentiùs eligendum fore mendacium quàm infidelitatem, nullum esse peccatum, uti in simili dictum est *n.* 83. *in fine*.

§. 9. Delectatio voluntatis de objecto secundùm 85
se non semper malo, sub conditione, si liceret &c. per se loquendo, non est peccatum, saltem si excipiatur materia turpis. Ratio est, quia delectatio illa potest habere honestum, aut saltem indifferens motivum, cùm objectum sit illius capax; & tunc cadit delectatio super objectum ut intentionaliter separatum à malitia; à qua separari potest. Sic Religiosus licitè dicit, si liceret habere, & haberem divitias, darem eleemosynas, hic enim actus est honestus, quia habere divitias non est de se malum, & delectatio circa elargitionem earum procedit ex motivo misericordiæ. Item, si liceret, comederem carnes die Veneris; comestio enim illa est de se capax motivi saltem indifferentis, & secluſa per conditionem prohibitione objectum illud non est de se malum. Idem potest esse, si quis se delectet hoc objecto, si Titius esset hostis in bello, occiderem eum; si esset reus, & ego carnifex, suspenderem; si Deus vellet Titium mori, etiam vellem &c: dummodò conditio removeat omnem malitiam, nam si non ita purificet objectum, quin maneat affectus & delectatio circa occisionem Titii etiam ex privata authoritate, aut si mea volitio mortis Titii præcedat volitionem Dei; ita ut velim Deum velle, ut Titius moriatur, rectè notat Sanch. *nu.* 30. fore peccatum & meritò præsumitur esse talem affectum, si aliunde oderam Titium.

Dixi 1. *Delectatio voluntatis*. nam si objectum 86
secundùm se habeat inhonestatem, uti habent vindicta, furtum &c. delectatio appetitus sensitivi, quæ sit cum alteratione corporis circa talia objecta, non est licita, quamvis ex parte intellectus apponeretur conditio, unde si fortè delectatio illa oriatur, peccabit voluntas, si in eam consentiat, aut si velit delectationem rationalem, quæ hìc & nunc esset causa naturalis & necessaria sensitivæ, ita ut hæc ideò censeretur esse volita: Ratio est, quia appetitus sensitivus, non sequitur intellectum sed phantasiam, atqui phantasia non potest apponere conditionem, cùm non cognoscat conditionatè, uti rectè *Sanch. n.* 33. neque potest præscindere rationem malitiæ à tali objecto, ergo delectatio sensitiva, in quam consentiret voluntas, tenderet in tale objectum absolutè secundùm se sumptum, quod est illicitum. E contrà tamen, si objectum secundùm se non habeat inhonestatem, licita esset etiam sensitiva delectatio circa illud, sub conditione proposita per intellectum & tale objectum est comestio carnium, sub conditione, si non esset die Veneris, cùm enim illa comestio secundùm se non sit inhonesta, appetitus tendet in illam, prout phantasia repræsentabit sub

ratione aliqua veluti communi & abstrahente ab illicito, interim autem conditio apposita per intellectum excludet malitiam, *Sanch. nu.* 35.

87 *Dixi* 2. *Saltem si excipiatur materia turpis*, quia in hac est specialis ratio, uti rectè *Ovied. n.* 50. & dicetur *à num.* 95. si enim voluntas delectaret se, v. g. in hoc objecto, haberem copulam, si essem in Matrimonio, ex delectatione illa rationali naturaliter simul orietur delectatio sensitiva, quæ uti jam dictum est, fertur in copulam absolutè, & commovebit spiritus genitales, magisque trahet ad consensum; imò *Ovied.* dicit hanc delectationem sensitivam hoc ipso fore volitam, si volita sit delectatio rationalis, quæ est naturalis, & necessaria illius causa: unde nec viduis licita est, saltem sensitiva delectatio circa copulam præteritam, nec sponsis circa copulam futuram, quamvis talis copula suo tempore fuerit, aut futura sit illis licita, uti pluribus dicetur *l.* 6. *p.* 3. quando de Matrimonio, & hìc *n.* 90. aliquid insinuabitur.

88 *Objic.* Qui delectatur de comestione carnis facta die veneris peccat, ergo etiam qui delectatur de facienda, si liceret, quia conditio nihil ponit in re, nec quicquam immutat. R. N. cons. prior peccat, quia actus ejus fertur in comestionem, sicuti à parte rei posita est cum malitia sua objectiva; posterior actus non fertur in comestionem, ut à parte rei ponendam cum malitia, sed ut separatam intentionaliter à prohibitione, & à malitia: & quamvis conditio nihil ponat in re, nec immutet objectum in se, tamen si hoc non sit intrinsecè semper malum, intentionaliter separat ab eo malitiam, & tum voluntas fertur in objectum sub ratione objecti, & ut intentionaliter separatum à malitia.

89 §. 10. Delectatio de objecto in se malo, sed sine culpa facto, v. g. commisso ex ignorantia invincibili, in ebrietate, in somno, &c. est peccatum tale, quale objectum, Suar. *n.* 14. Sanch. *n.* 15. Tann. *n.* 141. Bonæsp. *n.* 77. Herincx. *n.* 30. aliique communiter. Ratio est, quia illud objectum est in se malum, quod autem non fuerit peccatum, ideò est, quia non fuit voluntarium, ergo si nunc accedat voluntas talem actum approbans, vel de illo gaudens, quod fit in delectatione, erit peccatum, quod specificatur à malitia objectiva gravi, vel levi. *Nec obstat*, quod objectum fortè non sit intrinsecè malum, uti mala non est comestio carnis die Veneris facta est ignorantia, *nam* etiam illa, quando fiebat, erat materialiter mala, & prohibita, uti suppono; aliud est, si fuisset licita, v. g. propter infirmitatem, tum enim licitum esset de ea delectari, quia tum nullam habet malitiam objectivam, nequidem materialem.

90 §. 11. Quamvis ex parte objecti nullà sit malitia, tamen delectatio ex parte sui habet aliquando malitiam, propter oppositionem cum aliqua virtute, vel cum natura rationali, uti si solutus delectetur de copula, quam licitè habent duo conjuges, aut Titius de morte per infortunium illata Cajo: in his enim objectis secundùm se nulla est malitia, attamen est in delectatione circa illa, quia delectatio circa copulam opponitur castitati propriæ hominis soluti, & delectatio de morte proximi opponitur charitati: Hinc universaliter infert *Carden.* illam delectationem esse malam, quæ est contra Deum, proximum, vel seipsum: tunc autem delectatio est contra Deum, si objectum repræsentetur ut irreligiosum, quomodocumque, respectu Dei, vel Sanctorum, uti delectatio de conculcatione sacræ imaginis facta à fatuo: contra proximum, si delecteris de objecto, ut noxio ipsi: contra seipsum, si quis delectetur de peccato, vel objecto, ut sibi aliqua saltem parte malo.

§. 12. Licita est delectatio de bono effectu ex causa mala secuto, quia hic effectus potest in se habere bonitatem, & honestè amari, non prout est à tali causa, sed secundùm se, sic potest quis gaudere de pace secuta ex homicidio, de filio nato ex fornicatione. Putat etiam cum aliis multis Merat. *d.* 8. *s.* 1. licitam esse delectationem de peccato, in quantum fuit causa, vel occasio boni effectus, quia peccatum sub tali respectu non est malum, & in eo sensu videtur canere Ecclesia. *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*, sed melius dicitur tantùm esse licitum gaudere de ipso effectu, secundum dicta *l.* 2. *n.* 187. quia non est licitum gaudere de morte alterius ut allativa divitiarum, ergo nec de ullo peccato, ut causativo boni: & S. Th. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. innuens oppositum, uti & Ecclesia supra, explicari debent, quòd velint gaudium posse esse de solo effectu, eo quòd replicatio cadat super formam, quæ hìc est effectus ipse. Si tamen effectivè præscindatur malitia objectiva, id est, si malitia objectiva non moveat affectum, & delectatio cadat præcisè super prædicatum, prout est causativum boni, delectatio non erit mala, secundùm dicta, dummodò tale prædicatum possit, & reipsa præscindatur ab omni malitia. 91

Q. 18. *Quid specialiter addendum sit circa delectationem turpem?* R. Seqq. 92

§. 1. Illa delectatio, in genere, dicitur turpis, quæ est circa aliquid specialiter dedecens hominem pudibundum, & ingenuum, potest autem esse tantùm scurrilis, uti si quis delectetur sermone de partibus præposteris, flatibus ventris, excrementis, &c. & tum est veniale tantùm, per se loquendo: quòd si aliquo modo spectet, vel trahat ad venerea, dicitur absolutè turpis, & de hac in præsenti agitur: est autem vel merè spiritualis, quæ se continet in sola voluntate absque ulla delectatione sensitiva; vel simul est carnalis, si nempè accedat aliqua delectatio appetitus sensitivi.

§. 2. Delectatio carnalis, alia est venerea, alia sensibilis: venerea est, quæ sentitur circa partes genitales per commotionem seminis, vel spirituum generationi deservientium, qui spiritus reipsa sunt sanguis subtilis veluti in aerem attenuatus, ideoque facillimè moventur. Porrò causatur talis commotio, vel ab imaginatione, vel à copia seminis, & eorum spirituum, vel ab ejusdem seminis mordacitate, quæ facit nervos incalescere, & agitari illos spiritus uti docet Galenus apud Bonæspei. *d.* 10. *n.* 88. & dicitur talis delectatio venerea, quia à natura ordinata est ad generationem, cui Venerem tanquam Deum præsidem statuebant Ethnici. Delectatio carnalis sensibilis est, quæ oritur ex applicatione sensus ad objectum sine ulla commotione circa partes genitales, quam tamen commotionem est saltem remotè apta causare: & delectatio illa sentitur communiter circa pectus cum aliquo calore, vel quasi cum emotione sanguinis, aut spirituum animalium circa cor, v. g. dum quis osculatur mulierem. 93

§. 3. Si delectatio sensibilis non sit apta movere ad delectationem veneream, non dicetur absolutè carnalis, sed purè sensibilis, qualis est delectatio ex visu picturæ, tactu holoserici, odoratu floris, auditu mulieæ, gustu saccari, tales enim delectationes oriuntur ex proportione, seu connaturalitate, quem res tales habent cum organo talis sensus: & hæc delectatio non est de se mala, est tamen veniale eam quærere propter ipsam, seu quia placet sensui, sistendo in ea, uti dicetur *n.* 310. Quandonam autem censeatur fieri consensus, vel nullus, vel semiplenus, aut plenus in delectationem turpem, explicabitur *num.* 226. 94

§. 4. In delectatione venerea, in quam voluntas 95

consentit, sic ferè proceditur: 1. Voluntas consentit, ut intellectus cogitet de objecto turpi, v. gr. de fornicatione. 2. Voluntas merè spiritualiter complacet in fornicatione sic cogitata, sine ulla commotione venerea. 3. Cum hoc adest actus voluntarius phantasiæ imaginans illam fornicationem. 4. Ex hoc naturaliter sequitur complacentia in appetitu sensitivo. 5. Oritur sensatio, quæ ad tactum pertinet; causata ex commotione seminis, & spirituum genitalium; & in hac sensatione præcipuè consistit delectatio venerea. 6. Oritur cognitio spiritualis delectationis externæ, quæ est in illa sensatione. 7. Voluntas spiritualiter delectatur in hoc 8. Cum hoc adest voluntarius actus phantasiæ imaginans illam sensationem. 9. Sequitur delectatio appetitus sensitivi in illa sensatione: & illa omnia sunt unus completus actus complacentiæ venereæ. Atque ex his patet distingui inter se delectationem spiritualem voluntatis, & sensitivam appetitus; item delectationem de opere externo, & delectationem de motu venereo; item consensu in delectationem circa opus, vel circa motum venereum.

§. 5. Delectatio morosa de objecto venereo est peccatum mortale in homine, cui illicita est copula, ita *Carden.* & alii communissimè: traduntque hanc doctrinam SS. PP. ad illa verba *Matth. 5.* v. 7. *Audistis, quia dictum est; non mœchaberis, &c. Probatur ex Jobi* 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, quam enim partem haberet in me Deus desuper?* id est, quomodo Deus mihi per gratiam justificantem adesset, si hoc facerem? item *Matth. 5.* ait *Qui viderit mulierem, &c.* ubi *S. Gregorius: per Moysem luxuria perpetrata per Authorem verò munditiæ luxuria cogitata damnatur.* Ratio est, quia talis delectatio est causa per se & à natura ordinata ad commotionem spirituum genitalium, hæc autem commotio est mortalis in homine soluto, quia secundùm *Galenum* est inchoatio profusionis seminis, ergo.

97 *Objic.* Non tenemur sub mortali vitari alias causas commotionis spirituum, v. g. studium circa casus venereos, comestionem calidi cibi, &c. ergo nec ideò sub mortali tenemur vitare delectationem de objecto venereo, quia est causa commotionis spirituum. R. N. cons. disparitas est quod tale studium vel comestio tantùm per accidens, & valdè mediatè sit causa commotionis spirituum, habeatque finem honestum, scilicet cognitionem veri, refectionem corporis, &c. è contra delectatio de objecto venereo est causa per se, & à natura ordinata solùm ad commovendos spiritus genitales in ordine ad generationem, ideò enim ei imaginationi, & delectationi sensibili internæ data est vis symphatica respectu commotionis spirituum, ut ita procedatur ad generationem, ad quam nec homines, nec bruta potuissent ita allici, ac velle propagare speciem suam, nisi natura addidisset illas delectationes circa coitum, ideóque tales delectationes sunt quæ tã inchoationes generationis, ergo cùm generatio sit homini soluto illicita, etiam debuerint esse illicitæ istæ delectationes.

Inst. Si delectatio interna sit inchoatio profusionis seminis, ergo semper erit mortaliter mala, etiam in conjuge, si abhit conjux. R. N. seq. non enim semper infert periculum proximum illius effusionis, quæ multis modis adhuc subditur potestati voluntatis.

98 *Q.* 19. *An delectatio turpis possit ex parvitate materiæ esse peccatum veniale tantùm?* R.

§. 1. Si sit turpis, & venerea, semper est mortale, uti probatum est *l. 3. p. 1. n.* 910. possuntque etiam videri dicta *n.* 48. *Resp. ad 2.*

99 §. 2. Dari non posse parvitatem in materia venerea, tenere debent speciatim omnes, in Societate JESU uti dictum est *ibid. num.* 911.

100 §. 3. Sententia concedens posse peccari tantùm venialiter ratione parvitatis in materia venerea, est improbabilis, ut constat ex ibid. dictis *n.* 910.

101 *Objic.* 1. Plures quàm 20. apud Mendo. *diff. 5. n.* 1. docent in materia luxuriæ dari parvitatem materiæ: idipsum docuit Sanch. *de Matr. l. 9. d. 46. n. 9.* Similiter docet Spor. *in Tyr Sacram. p. 4. n.* 340. citans multos alios, si distillatio contingat sine delectatione, quamvis adsit levis erectio genitalium, non esse mortale; ergo sententia asserens dari parvitatem materiæ in re venerea est probabilis. Resp. cons. nam aliqui eorum intelligunt materiam luxuriæ genericè, uti *n.* 105. dicemus; alii dicunt dari propter imperfectionem actus, aut loquuntur saltem respectu conjugatorum, & hæc negamus: quod si intelligant materiam venereamam, perfectam deliberationem, ac consensum, & in homine soluto; non sunt audiendi, nec ideò faciunt veram probabilitatem, nequidem extrinsecam, cùm obstet authoritas Pontificum: nec præcisè numerus authorum facit sententiam absolutè probabilem uti dictum est *l. 1. à num.* 136. Quod attinet ad *Sanch.* hic sententiam suam revocavit *in decal. l. 5. c. 6. n.* 12. *Sporer.* & alii ab eo citati sunt intelligendi in casu quo quis patitur, & nudè permittit talem motum; ideoque dicunt nullum tum esse peccatum. Docent tamen etiam multi cum J. Sanch. *d.* 21. *n.* 18. erectionem genitalium non semper esse motum inordinatum contra castitatem, nisi sentiatur delectatio ex motione spirituum, nam sæpè oritur, inquit, v. g. ex sola retentione urinæ; notatque è contra delectationem venereamam esse posse sine erectione genitalium, imò & quandoque pollutionem, uti in senibus valdè debilibus, aut affectis maleficio, de quibus omnibus dicit se consuluisse peritos medicos.

102 *Objic.* 2. Potest quis velle delectationem levem, cum efficaci proposito non consentiendi in gravem, ergo si suboriatur gravis, erit per accidens, & non voluntaria, ergo non erit mortale. Resp. N. ant. sicuti enim, qui vult accendere unum granum pulveris, non potest habere efficacem voluntatem non accendendi reliqua grana contigua (idem est de aliis exemplis) ita & hìc, maximè cùm discernere non possit quænam sit futura levis, vel gravis, ergo reipsa vult gravem, si eveniat.

103 *Objic.* 3. Delectatio venerea hoc ipso est levis, quòd hìc, & nunc non trahat secum periculum pollutionis, vel consensus in copulam, aut vehementer non turbet rationem, ita J. Sanch. *n.* 21. & 22. Resp. N. ass. quamvis enim hæc absit, adhuc reperitur in omni delectatione venerea gravis lucta, & difficultas, ut vincatur, aut ut non adducat aliam graviorem, quæ adhuc fortius alliciet voluntatem cum certo periculo consensus, ergo non debet censeri levis; deinde rationes *l. 3. p. 1. n.* 910. allatæ adhuc valent contra omnes alias delectationes, licèt non afferant illa pericula, & turbationem.

104 §. 4. Etiam præscindendo à commotione spirituum genitalium, dicendum est, quòd delectatio merè spiritualis circa materiam venereamam semper sit peccatum mortale, uti probatum est *l. 3. p. 1. n.* 892.

105 §. 5. Sidelectatio carnalis, & luxuria sumatur genericè, prout est quid commune delectationi venereæ, & sensibili secundùm dicta *n.* 93. dari potest in illa parvitas materiæ, uti dictum est *l. 3. p. 1. à n.* 893.

106 *Objic.* Hæc propositio est 40. damnata ab Alex. VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, &*

sensibilem; quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis; ergo ex mente Pontificis tales delectationes etiam tantùm sensibiles semper sunt peccata mortalia. R. Difficultati illi satisfactum esse *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 893. De cætero notant omnes esse etiam hìc cautè procedendum. Et ex Lessio observat Bonæsp. *d.* 10. *n.* 94. quamvis non adsit directa intentio commotionis venereæ, esse tamen mortale quærere delectationem sensibilem in osculis, tactibus, amplexibus, &c. si hæc tria concurrant, 1. Si fiant sine necessitate, vel honesta causa: 2. Si intendatur magna delectatio sensibilis. 3. Si plenus sit in hanc delectationem sensibilem consensus: Ratio est, quia tum vel indirectè quæritur etiam delectatio venerea, quæ necessitate quadam physica simul orietur, vel saltem erit periculum proximum consensus etiam in hanc, & propterea etiam potuit damnari propositio relata. Vide dicta *l.* 3. *p.* 1. n. 894.

107 *Q.* 20. *An omnis cogitatio voluntaria de objecto turpi sit illicita?* Resp.

§. 1. Cogitatio de objecto turpi potest esse, vel practica, vel tantùm speculativa, uti dictum est *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 895.

108 §. 2. Voluntaria cogitatio speculativa de re turpi non est illicita, per se loquendo, practica autem est illicita, uti pluribus explicatum est *l.* 3. *p.* 1. *n.* 897.

109 *Q.* 21. *Quid addendum sit circa illum, qui se habet negativè circa delectationem morosam, maximè veneream; ita ut nec consentiat, nec positivè resistat, sed quasi permittat?* Resp.

§. 1. Si hoc fiat ex complacentia objecti, vel delectationis, aut si quis per hoc se exponat periculo consensus in objectum, vel delectationem, certum est peccare mortaliter, vel venialiter, prout objectum, aut delectatio erit graviter, vel leviter mala: unde si dicatur aliquando licitum esse sic se habere, semper intelligi debet respectu subjecti, à quo abest complacentia, & tale periculum.

110 §. 2. Si sit causa rationabilis se ita permissivè habendi, nullum est peccatum: causæ autem rationabiles sunt hæ, si probabiliter timet, ne resistendo magis augeat, quod sæpè fit in meticulosis: si nimis molestum foret continuò positivè resistere, quod utique esset, quando tentatio diu durat; si conatus sit resistere, & nil profecerit, uti habent Azor. & Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. si ideo necesse foret omittere actionem aliquam honestam, & utilem, v. g. studium Confessionem, Tann. *d.* 4. *q.* 8. *n.* 73. maximè si opus agendum ex natura sua non sit excitativum talis concupiscentiæ, tum enim homo non tenetur illud omittere propter concupiscentiam subortiturum, uti cum communi Suar. *d.* 5 *s.* 7. *nu.* 20.

111 §. 3. Si absit causa rationabilis, cur positivè non resistatur. AA. dividuntur in tres sententias, nam imprimis valdè communis sententia est, quòd sit peccatum, si tum non resistatur positivè, saltem per actum simplicis displicentiæ, qui quamvis sit inefficax ad impediendam delectationem, saltem sit certò efficax ad cohibendam voluntatem, ne in illam delectationem consentiat, & quantum est de se, conatur talem motum reprimere; uti habet *Sanch.* supra: Ratio est, quia motus tales sunt deordinatio contra rectam rationem, secundùm quam tenetur voluntas gubernare appetitum sensitivum, quando facilè potest; hinc Vasq. Amic. *d.* 17. *n.* 284. Arr. *d.* 46. *num.* 16. Compt. *d.* 105. *s.* 5. *n.* 7. Rhod. *d.* 1. *q.* 3. *s.* 2. §. 3. Platel. *num.* 236. Busemb. *num.* 76. relatus, & optimè Oviedo *c.* 6. *controv.* 4. *p.* 3. dicunt esse mortale in hoc casu positivè non resistere, uti mortale foret, si virgo permitteret se violari: docetque *Suar.* supra, quando non est justa causa habendi se permissivè, esse præceptum affirmativum positivè resistendi, fundatam in illo negativo, *Non concupisces*, quia aliter censetur consentire, sicuti in præcepto negativo, *Non occides*, fundatur præceptum affirmativum tollendi causas proximè moventes ad occisionem: & omittere resistentiam, & displicentiam circa tales motus, esset, inquit, *Oviedo*, æquivalenter velle illos, quod utique est mortale. Et hìc applicatur adagium, quod habetur *Cap. Etsi*, de Judæis, motus, vel delectationes sic permissæ *illam retributionem impendunt, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.* E contra Ardeck. *T.* 2. *par.* 2. *t.* 5. *cap.* 6. *num.* 14. dicit probabile esse non peccari mortaliter, notatque idem dici à novem probatis AA. an autem peccetur venialiter, tacet. Alii multi cum Castrop. *t.* 2. *d.* 2. *punct.* 10. §. 5. & cum Merat. *d.* 7. *s.* 8. dicunt esse veniale tantùm non resistere positivè, qui aliàs multò magis esset mortale ponere actionem venialiter malam in materia luxuriæ, quæ esset causa talium motuum, hanc enim actionem ponere plus est, quàm non præcisè resistere positivè, & tamen plerique etiam ex adversariis dicunt hoc esse veniale tantùm, uti relatum est *lib.* 3. *par.* 1. *num.* 923. Et quamvis materia hìc sit de se gravis, tamen non resistere positivè habet se, uti levis negligentia circa illam, ergo erit veniale tantùm. Denique Caj. J. Sanch. *d.* 21. *num.* 3. Tamb. *in Decalog. lib.* 10. *cap.* 2. aliique multi apud hos & apud Tann. *num.* 67. dicunt; per se loquendo, nullam esse obligationem positivè resistendi, quia secundùm sententiam communem, si tales motus oriantur ex causa de se honesta, non est opus abstinere à positione hujus causæ, ergo multo minùs est opus illis naturaliter ortis positivè resistere, sed in utroque casu permitti poterunt; unde, inquiunt, gratis fingitur præceptum affirmativum eis positivè resistendi, cùm satis sit appetitum ita gubernari à voluntate, ut ipsa in ejus actus inordinatos non consentiat, quem solum consensum vetat præceptum, *non concupisces*: *Nec obstat*, quod communiter dicitur, *qui tacet consentire videtur*: *nam* hoc valet tantùm in materia contractuum, uti rectè *Castrop.* supra: neque etiam sequitur fore consensum virtualem, vel interpretativum, quia ut hic esset, deberet supponi obligatio positivè resistendi, quam hi AA. negant. Hæc ultima sententia, speculativè loquendo, videtur esse probabilior, in praxi tamen tenenda non est, quia quando quis facilè potest resistere positivè, (v.g. convertendo cogitationes ad aliud objectum, aut magis attendendo ad id, quod agit; qui modus resistendi est positivus, & sufficit,) qui hoc omittit, convincitur non illubenter habere tales motus, & esset præsumptio, inquit *Sanch.* credere tum non adesse formale periculum consentiendi in delectationem; imò talis permissio sæpè esset virtualis complacentia: rectè tamen notat Bonæspei *d.* 10. *num.* 26. si motus sint leves, melius esse contemnere sine positiva resistentia, & facere id, quod aliàs fecisset, quia tum non est facile periculum consensus, & communiter magis crescunt ejusmodi [illegible] adhibeatur reflexa resistentia, quia ubi major est solicitudo, imaginatio magis defigitur in tali objecto; per imaginationem autem maximè augentur.

§. 4. Sanch. *num.* 14. dicit, si habita sola displi- 112
centia simplici esset periculum pollutionis, fore mortale non resistere magis; rationem dat l. 9. Matr. d. 45. n. 25. quia tenetur homo sub mortali auferre causas notabiliter ad pollutionem concurrentes, qualis est delectatio venerea; pro quo citat

Sil vestrum

Silvestrum dicentem esse mortale prævisо eo periculo tepidè resistere, ideoque teneri voluntatem se habere ferventius, ut causam illam pollutionis avertat: similiter Castrop *n.* 4. dicit debere abesse periculum pollutionis, sed rectè addit hoc non carere difficultate, eò quòd permittere causam pollutionis à natura provenientem non sit esse illius causam: loquuntur autem de motibus naturaliter ortis, non item si ab extrinseco, v. gr. à tangente excitarentur, foret enim mortale habere se permissivè ad tales motus, seu tactus.

DUBIUM III.

De distinctione peccatorum.

ARTICULUS I.

Quæ peccata distinguantur specie?

113 „ Resp. Peccata, quoad materiale, sive entitatem „ positivam specie distinguuntur ex objec- „ tis formalibus, & circumstantiis speciem varianti- „ bus, quatenus eæ objecti formalis rationem ha- „ bent. Quoad formale autem, proximè distin- „ guuntur ab oppositis formis, sive rectitudine „ virtutis, qua privant; remotè autem, & funda- „ mentaliter, ex objectis, Tann. *d.* 4. *de peccat. d.* „ 1. *q.* 2. Ratio primæ partis est, quia omnes actus „ specie distinguuntur ex objectis; peccata autem „ quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio se- „ cundæ partis, quia privationes proximè distin- „ guuntur specie ex formis, quibus privant; sed „ peccata formaliter sunt privationes rectitudinum „ oppositarum. Ratio tertiæ partis, quia rectitudo „ virtutis specificatur proximè ex objecto, ergo pri- „ vatio rectitudinis ex eodem remotè. *Ex quibus* „ *resolves:*

„ Peccata specie differunt, non tantùm, quæ di- „ versis virtutibus, sed etiam quæ idem opponuntur „ extremè; ut prodigalitas, & avaritia: vel ratione „ diversæ difformitatis, id est, quæ adeò diversa „ ratione, & malitia ejusdem virtutis materiam „ attingunt, ut quantum est ex natura ejusdem pec- „ cati, non sit eadem facilitas moraliter loquendo, „ neque propensio utrumque peccatum committen- „ di; qualia sunt homicidium, furtum, adulterium, „ detractio.

ADDENDA.

114 Quæst. 22. *An omnia peccata sint æqualia?* Resp. Negativè: & hoc est fide contra Stoicos, Jovinianum, & quosdam Novatores, *Probatur* 1. ex Scriptura. nam Deuter. 25. dicitur, *pro mensura peccati erit, & plagarum modus.* Jer. 7. *Peccatum operati sunt majus, quam PP. eorum.* Thren. 4. *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Joannis 19. dicit Christus Pilato; *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, ergo unum peccatum est majus altero. 2. Ex SS. PP. quos magno numero adducit Bellarm. *de amiss. gratiæ c.* 5. *& seqq.* 3. Ratione, quia cuivis evidens est majus malum esse, v. gr. injustè occidere hominem quàm percutere, auferre [illegible] blasphemare Deum quàm officiosè mentiri, &c.

Objic. 1. Peccatum est transgressio legis, sed transgressio legis est indivisibilis, quia habet se uti transgressio lineæ, quæ non potest magis, & minùs pertransiri. 2. Ratio peccati consistit, in hoc, quòd aliquid illicitè fiat, sed hæc ratio etiam consistit in indivisibili, & invenitur in omni peccato, ergo. 3. Ita se habet malitia respectu actuum voluntatis, sicuti falsitas respectu actuum intellectus, sed unus actus intellectus non est *falsior* altero, ergo nec unus actus voluntatis est pejor altero Resp. *Ad* 1. N. min. quamvis enim linea ipsa non possit magis, & minùs pertransiri, potest tamen magis, & minùs recedi à linea, quæ pertransitur; & sic etiam unum peccatum magis, vel minùs recedit à lege. *Ad* 2. Ratio generica peccati consistit in hoc, quòd aliquid illicitè fiat, specifica autem, in qua dicimus esse inæqualitatem, plùs dicit, uti patebit ex dicendis. *Ad* 3. Si sermo sit de propositione habente plura objecta, nego min. tum enim potest una esse falsior quàm altera: de cætero falsa est major, & disparitas est, quòd propositio sit per hoc vera, vel falsa, quòd objectum ita sit, vel non sit ita, uti enunciatur: objectum autem non potest magis esse, vel non esse, quàm reipsa sit: tale nihil est pro moralitate, quæ in actum refunditur major, aut minor, prout objectum est magis, aut minùs in se malum, uti constabit ex jam dicendis. Vide etiam dicenda à n. 184.

Q. 23. *Unde desumatur inæqualitas peccatorum?* 115 Resp. §. 1. Ex variis capitibus desumitur, ut innuit *S. Th.* 1. 2. *q.* 73. *art.* 3. *& seqq.* 1. Ex materia, quæ major est, vel minor.; & ita furtum ducati est majus quàm nummi. 2. Ex majori, vel minori difformitate cum natura rationali, sic à recta ratione magis discordat occidere patrem suum quàm alium hominem. 3. Ex oppositione cum virtute digniore. Porrò ordo dignitatis in virtutibus videtur esse hic, ut præcedant Theologicæ, & inter has, Charitas; tunc Fides; tunc Spes. Ante morales sunt religio, & pœnitentia: inter reliquas morales, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia: & simili ordine procedunt virtutes sub his contentæ. 4. Ex modo, quo peccata opponuntur eidem virtuti, nam oppositio contraria hîc pejor est, quàm oppositio privativa: hinc odium Dei est gravius peccatum, quàm neglectus amoris præcepti; item *pejus* est afflictum affligere, quàm *non juvare*: Similiter quando duo peccata eidem virtuti opponuntur, unum per defectum, alterum per excessum, uti avaritia, & prodigalitas opponuntur liberalitati, pusillanimitas, & audacia fortitudini; illud peccatum censetur gravius, quod virtuti est magis dissimile, & hominem reddit magis indispositum ad illam: hinc: avaritia, & pusillanimitas sunt graviora peccata quàm prodigalitas, & audacia, quia priora magis distant, & removent à virtutibus. 5. Ex lege magis, vel minùs obligante, sic comestio pomi in Adamo fuit pejor, quàm nunc comestio carnis die vetito, aut quàm olim comestio porcinæ apud Judæos; & universaliter, potest res etiam de se minùs bona severiùs præcipi tanquàm magis utilis, vel necessaria ad certos fines. 6. Ex majori, vel minori oppositione ad finem legis, sic legere totum librum hæreticum, est gravius quàm legere paginam, quia legere totum est conjunctum cum majori periculo perversionis. 7. Ex majori, vel minori facilitate vincendi: hinc dicit S. Th. *art.* 5. Peccata spiritualia, v. g. superbiam, esse graviora quàm carnalia, quamvis hæc magis infament, quia ob innatam concupiscentiam minùs resistere possumus carnalibus; hinc etiam peccata, quæ fiunt ex metu, vel violentia, sunt minùs gravia. 8. Ex majori vel minori cognitione malitiæ, vel motivi retrahentis, cum qua peccatur: Item ex majori, vel minori intensione actus voluntatis, quo peccatur. Item ex majori, vel minori durationе peccati; sic enim invidia ad diem durans est gravior quàm durans ad horam, quia si malum est incipere, pejus est continuare. 9. Ex fine peccati, qui magis, vel minùs est malus; sic magis peccat, qui furatur, ut se inebriet, quàm

ut moderatè bibat. 10. Ex majore, vel minore nocumento, quod infertur; Item ex majore, vel minore bono, quod tollitur, sic qui tollit famam, graviùs peccat, quàm qui fortunas. 11. Ex conditione personæ, contra quam peccatur, sic gravius est odisse Deum, quàm hominem. 12. Ex conditione subjecti, quod peccat, sic peccatum in benefactorem commissum censetur indignius, quia subjectum ob acceptas gratias magis obligabatur colere. 13. Ex quibuscunque aliis circumstantiis, ob quas in æstimatione morali censetur minui, vel augeri malitia.

116 §. 2. Ut judicari possit de majori gravitate hujus, vel illius peccati, propter oppositionem cum virtute digniore, vel minùs digna, debent inter se comparari peccata commissionis, v. g. hæresis cum adulterio, & rectè dicimus hæresim esse graviorem, quia opponitur fidei, adulterium autem Justitiæ, quæ est virtus minus digna quàm fides: E contra si commissio comparetur cum omissione, v. gr. adulterium cum omissione fidei præceptæ hìc, & nunc, adulterium erit gravius, quamvis illa omissio sit contra fidem, quæ est dignior. Similiter fieri potest, ut vitium contra nobiliorem virtutem sit minùs dissonum rationi, vel minùs prohibitum, quàm vitium contra virtutem minùs nobilem, sic mendacium, quod est contra veracitatem, est minus peccatum, quàm ebrietas, quæ est contra temperantiam, quamvis veracitas sit nobilior quàm temperantia. Item laborare die festo est minus peccatum, quàm occidere hominem, quamvis prius sit contra religionem, quæ est dignior, quàm Justitia; & idem est de aliis. Hoc tamen universaliter verum est, quòd summum peccatum contra virtutem nobiliorem sit gravius, quàm summum peccatum contra virtutem minùs nobilem, & hoc sufficit, ut peccatum dicatur desumere gravitatem majorem ab oppositione cum nobiliore virtute, uti rectè notat Aversa *q.* 73. *s.* 2.

117 §. 3. Quando hìc dicimus aliquod peccatum esse ex hoc vel illo majus altero, hoc intelligendum est, si reliqua sint paria, nam fieri potest, ut peccatum ex objecto, & genere suo gravius aliunde habeat tantùm æqualem, aut etiam minorem malitiam; sic blasphemia est gravior quàm homicidium, potest tamen fieri ex passione, ita ut sit quidem mortalis, attamen minor Dei offensa, quàm homicidium plenè deliberatum, ut rectè S. Th. Suar. Arr. & alii communiùs cum Compt. *d.* 103. *s.* 6. contra *Durand. Vasq.* & alios: Ratio est, quia sicuti difficillima mortificatio gulæ est Deo gratior quàm una genuflexio, quamvis hæc; utpotè actus religionis, sit ex objecto melior, quàm actus temperantiæ, quæ est inferior virtus, ita poterit peccatum contra inferiorem virtutem propter aliascircumstantias habere malitiam in se graviorem; & ratio utriusque à priori est, quia bonitas, vel malitia non tantùm desumitur ex ratione generica objecti, sed etiam ex multis aliis, ratione quorum potest haberi excessus; nec inde sequitur, quòd species inferior attingat superiorem, nam manet, quòd blasphemia ex se, & secundùm speciem sit gravior; cum quo stat, quòd homicidium possit esse gravius ratione aliorum, quæ in homicidio malitiam aggravant, & in blasphemia minuunt. Similia quoque sunt in physicis, nam folium arboris, cùm sit vivens, est ex genere suo perfectius aliquid, quàm Sol, qui non vivit, cum quo tamen stat, quòd Sol sit simpliciter perfectior folio arboris: Consequenter dicendum est, quòd non possit dari regula universalis, ex qua sciamus, an hoc peccatum in dividuo sit gravius altero necne, sed hoc esse definiendum ex complexione omnium eorum, ex quibus aggravari potest vel minui malitia.

Q. 24. *Quid præterea circa distinctionem specificam peccatorum sit addendum?* Resp. seqq. 118

§. 1. Species, in genere, est completa essentia rei, sive est hoc, quod res secundùm se totam est: hinc distingui specie, est distingui in aliquo essentiali, quod notabiliter differat, sive sit dissimile aliis: sic homo, & brutum distinguuntur specie, quia distinguuntur in rationali, & irrationali, quæ notabiliter differunt, & quorum primum essentialiter convenit homini, alterum bruto: ubi è contrà Petrus, & Paulus non distinguuntur specie, quia in nullo essentiali sic differunt, nam sunt similes in animali, & rationali, quæ sunt tota eorum essentia, numero tamen distinguuntur, quia non sunt unum, & idem animal rationale, sed faciunt numerum, & sunt duo.

§. 2. Perinde est, sive quæratur, unde peccata 119
specificentur, sive quæratur, unde accipiant suam diversitatem specificam, nam specificari est accipere suam speciem, & sic distingui ab omni alio: specificare autem est alteri quasi dare suam speciem, & facere distingui ab omni alio, hinc quævis res specificatur intrinsecè per sua prædicata, per quæ intrinsecè constituitur, & distinguitur: prædicata autem illa dicuntur intrinsecè specificare rem, quia intrinsecè constituunt, & distinguunt: Similiter specificari extrinsecè est respicere, & accipere sua prædicata per respectum ad aliquid, specificare autem extrinsecè, est respici, & sic terminando alterius respectum, ei quasi tribuere sua prædicata, sic visio nigri, & visio albi sunt duo actus specie distincti, qui intrinsecè specificantur per sua prædicata, quòd sint actio vitalis, sensatio externa, & repræsentatio albi, vel nigri, & hæc prædicata intrinsecè specificant ac distinguunt illas visiones, sed visio albi extrinsecè specificatur ab objecto albo, quia per respectum ad album habet prædicatum illud, quòd sit repræsentatio albi, per quod notabiliter differt à visione nigri, ideoque objectum album extrinsecè specificat illam visionem albi, quia terminando illum respectum facit notabiliter differre à visione nigri, & ita de aliis.

§. 3. Res aliquæ dici possunt distingui specie Lo- 120
gica, Physica, Metaphysica, Ethica, vel Theologica, si nempe notabiliter differant in aliquo, quod ab illis consideratur: sic ad *Logicam* spectat considerare prædicabilia, vel universalia, hinc animal, brutum, arbor, non distinguuntur hac specie Logica, quia omnia spectant ad primum prædicabile, seu genus: E contra animal, homo, rationalis, risibilis, albus differunt specie Logica, quia singula spectant ad diversum prædicabile. *Physica* considerat res secundùm entitates, ex quibus à parte rei constant: hinc homo specie physica differt à bruto, quia homo includit animam rationalem, brutum irrationalem, quæ secundùm entitates suas notabiliter differunt. *Metaphysica* considerat essentias secundùm conceptus abstractos supponentes totam essentiam physicam: hinc homo distinguitur specie metaphysica à bruto, quia homo in suo conceptu dicit rationale, brutum irrationale. *Ethica* considerat, quid deceat naturam rationalem: hinc quæ notabiliter differunt secundùm convenientiam, vel disconvenientiam cum natura rationali, differunt specie ethica, seu [illegible] Theologica. *Theologia* considerat res secundùm hoc, quod habent respectum ad Deum, vel divina, uti an placeant, vel displiceant Deo, quomodo præcipiantur, vel prohibeantur à Deo, an sint, vel non sint materia Sacramenti à Deo instituti, &c. hinc si aliqua notabiliter differant in uno horum, distinguentur specie theologica: & hæ duæ species, ethica ac theologica, uno nomine ab aliquibus vocantur species mo-

ralis: hìc autem non inquiritur in ſpeciem logicam phyſicam, aut metaphyſicam actuum, qui ſunt peccata, ſed in ſpeciem moralem, & præcipuè theologicam, ſeu in malitias notabiliter diverſas, & in ordine ad Confeſſionem ſpecialiter diſtinguendas, ſive hæ malitiæ inſint uni actui, ſive pluribus; quæritur autem præcipuè de ſpecificativo extrinſeco, unde nimirum, & ex quo poſſimus colligere, quòd uni, vel pluribus actibus inſint malitiæ ſpecie diſtinctæ, & ſpecialiter explicandæ in Confeſſione.

121 §. 4. Valde difficile eſt pro hoc invenire unam regulam, quæ ſit adæquata, id eſt, quæ conveniat omni, & ſoli diſtinctioni ſpecificæ, ita ut poſſimus dicere, ubicunque hæc regula invenitur, ibi eſt diſtinctio ſpecifica peccatorum & ubicunque eſt diſtinctio ſpecifica peccatorum, ibi hæc regula invenitur: hinc AA. in diverſas vias abierunt, nam 1. Aliqui pro regula ponunt, ſi peccata mereantur pœnas notabiliter diverſas, tunc diſtingui ſpecie. 2. Alii cum *Gran.* dicunt conſiderandam eſſe difformitatem, quam actus peccati habet cum recta ratione, & tunc recurrendum eſſe ad judicium prudentum. 3. Alii cum Carden. & Bonæſp. *d.* 2. *num.* 66. dicunt non poſſe abſolutè, & univerſaliter aliunde colligi quàm ex communi prudentum ſenſu, & apprehenſione. 4. Alii cum Haunol. *c.* 1. *contr.v.* 6. dicunt inde eſſe colligendum, ſi in aliquo ſit ſpecialis ratio, cur prohibeatur: quod ut deprehendas, compara duo peccata inter ſe, v. g. furtum 100. ducatorum, & furtum unius ducati, item furtum, & homicidium, & quære ex te, ſi peccatum, quod ex illis duobus eſt gravius eſſet licitum, foretne etiam alterum licitum? nempe, ſi furtum 100. ducatorum fòret licitum, foretne etiam licitum furtum unius ducati? ſi homicidium eſſet licitum, foretne etiam furtum licitum? ſi affirmas, non diſtinguentur ſpecie, quia non ſupererit ratio prohibendi; ſi negas, diſtinguentur ſpecie, quia adhuc erit ratio ſpecialis illud prohibendi. 5. Alii cum Palav. *d.* 11. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 5. cui ex parte conſentit *Eſparſa*, dicunt colligendum eſſe ex diverſis dictaminibus conſcientiæ, quibus peccata opponuntur. 6. Alii cum Valent. Bec. Bon. Rhod. *d.* 1. *q.* 1. *ſ.* 2. ſi opponantur diverſis ſpecie virtutibus, aut ſaltem ſi habeant diverſum modum oppoſitionis ad eandem virtutem. 7. Alii cum S. Thom. 1. 2. *q.* 72. *art.* 1. Thomiſtis, & Amico *d.* 18. dicunt colligendum eſſe ex objecto, *fine* circumſtantiis, & modo tendendi. 8. Alii cum *Scoto*, *Vaſq. Laym. Caſtrop. Platel.* ex diverſitate legum, ſeu præceptorum, quibus peccata opponuntur.

122 §. 5. Ex hoc, quòd aliqua peccata mereantur etiam apud Deum pœnas notabiliter inæquales, non eſt certum ſignum, quod diſtinguantur ſpecie, quia pœna debita furto centies mille ducatorum eſt notabiliter major, quàm pœna debita furto unius ducati, ſicuti centum millia ſunt notabiliter plùs, quam unum, & tamen non eſt certum, quòd iſta duo peccata diſtinguantur ſpecie, imò ſententia oppoſita eſt longè communior. Similiter ex hoc, quòd duo peccata mereantur pœnam æqualem, non ſequitur eſſe ejuſdem ſpeci, quia poſſunt duo peccata ſpecie diverſa eſſe æqualia in malitia, & conſequenter mereri æqualem pœnam, uti conſtat ex dictis n. 117. De [illegible] malè inquiritur ſpecifica diſtinctio, nam prius eſt ſpecies peccati, quàm reſpectu ad pœnam, neque opus eſt præcognoſcipœnam, ut incurratur malitia, ergo ex reſpectu ad pœnam non rectè colligitur ſpecies.

223 §. 6. Ubi inveniuntur notabiliter diverſæ diſconvenientiæ cum natura rationali, ibi ſunt malitiæ ſpecie diſtinctæ, & conſequenter malitiæ, quæ differunt ſpecie ethica, etiam differunt ſpecie Theologica, hæc tamen regula non eſt adæquata. *Ratio* 1. *partis* eſt, quia malitia prohibetur à Deo, ſecundùm diſconvenientiam, quam habet cum natura rationali, quæ exigit hoc, vel illo modo prohiberi, prout in ſe major eſt, vel minor: natura enim rationalis eſt participatio quædam rationis divinæ, cui reſpondet lex æterna Dei, ergo ubi ſunt malitiæ ſpecie ethica diſtinctæ, rectè inferimus eſſe malitias ſpecie Theologica diſtinctas. *Pars altera*, quod regula illa non ſit adæquata, patet, quia non convenit peccatis ideò malis, quia prohibita ſunt, dantur enim peccata ſpecie diſtincta quamvis de ſe non diſconveniant naturæ rationali, uti ſunt labor ſervilis die feſto, comeſtio carnis die Veneris, &c.

124 §. 7. Malè remittimur ad nudum judicium prudentum pro ſcienda diſtinctione ſpecifica, quia prudentes ipſi dubitant, an in hoc, vel illo actu ſit multiplex malitia, nec tamen hi iterum debent remittere ad illos prudentes, ſed dare regulas, ſeu fundamenta, unde debeat judicari, quod inſit vel non inſit alia malitia ſpecifica. *Nec juvat*, quod dicit *Bonæſpei*, quòd judicium prudentum habeat ſuum fundamentum in fine legum moralium, *nam*, hinc ſequetur, quòd ex fine legum debeat ultimò peti differentia ſpecifica, atque ita hæc ſententia relabetur in illam, de qua dicemus à n. 130. manetque explicandum, quandonam lex, vel finis legis cenſeri debeat notabiliter diverſus.

125 §. 8. Ubi in peccatis reperitur ratio prohibendi notabiliter diverſa, ibi ſunt malitiæ ſpecie diverſæ, & vice verſa, ubi ſunt malitiæ ſpecie diverſæ, ibi etiam reperitur diverſa ratio prohibendi. *Probatur*, quia ubi ſunt tales diverſæ rationes prohibendi, ibi etiam ſunt, vel diverſæ diſconvenientiæ cum natura rationali, vel ſaltem diverſæ leges propter diverſam illam rationem prohibentes actum, ex utroque autem capite rectè infertur diverſa ſpecie malitia, ut conſtat, partim ex dictis nu. 123. partim ex dicendis num. 129. Hæc tamen regula, prout eam explicat Haun. relatus *num.* 121. non eſt adæquata; nam multa diſtinguuntur ſpecie, in quibus ſecundùm explicationem ipſius non videtur eſſe talis diverſa ratio prohibendi, nam ſi liceret fornicatio cum conſanguinea, ſecundùm principia ipſius, etiam liceret cum non conſanguinea; ſi liceret pollutio, etiam liceret delectatio carnalis; ſi liceret deſiderium turpe, etiam liceret delectatio moroſa; ſi liceret per contumeliam imminuere famam præſentis, etiam liceret per detractionem imminuere famam abſentis; ſi liceret rapere, etiam liceret furari; ſi liceret furtum mortale, etiam liceret veniale, &c. & tamen omnia hæc peccata ſpecie inter ſe diſtinguuntur. Quod ſi aliter velit applicari regulam illam, fingendo nempe unum peccatum eſſe impoſſibile, & tum videndo, an adhuc eſſet ratio prohibendi alterum, jam minùs valebit regula, nam furtum duorum ducatorum eſſet impoſſibile, adhuc eſſet prorſus eadem ratio, quæ nunc eſt, prohibendi furtum unius ducati, & tamen, ſecundum ipſum, furtum duorum, & unius ducati non differunt ſpecie. Licèt autem regula explicetur, prout initio expoſuimus, ſicque videatur eſſe adæquata, tamen per eam necdum ſcimus, quandonam, & unde colligi debeat, quòd in *his*, vel illis ſit diverſa ratio prohibendi, præſertim quoad illa, quæ ratione, ſui non ſunt mala, ſed tantùm ideò, quia prohibita ſunt, unde neceſſarium eſt inquirere in aliam ulteriorem regulam.

126 §. 9. Peccata illa differunt ſpecie, quæ ſunt contra dictamina ſpecie diverſa, & vice verſa, quæ peccata ſunt contra dictamina ſpecie diverſa, etiam

differunt ſpecie, uti patet, quia illa dictamina proximè participant moralitatem objectivam, & refundunt moralitatem formalem in actus, quos imperant, vel dirigunt: ſed remanet quæſtio, quandonam dictamina debeant dici ſpecie diverſa, hinc ſola hæc regula non ſufficit; ſervit tamen ad hoc, ut ſciamus peccata ſic eſſe confitenda, ſicut fuerunt dictamina, quando committebantur, tum enim eſt contracta talis malitia, qualis cognoſcebatur; nec poſteà reſpectu ejuſdem actus immutari poteſt.

127 §. 10. Si actus unus, vel plures habeant oppoſitionem cum diverſis ſpecie virtutibus, rectè arguimus eſſe in actibus, vel actu illo unico diverſas ſpecie malitias, hæc tamen regula non eſt adæquata. *Pars* 1. explicatur, nam furtum rei ſacræ eſt unus actus, qui habet oppoſitionem cùm virtute juſtitiæ, in quantùm eſt violatio juris alieni; & cum virtute religionis, in quantùm eſt violatio rei ſacræ. Hinc rectè arguimus in eo peccato eſſe duas ſpecie malitias, nempe injuſtitiæ, & ſacrilegii. Ratio autem eſt, quia honeſtas virtutis eſt maximè conformis naturæ rationali, contra quem Deus prohibet agi per actum illi oppoſitum, ergo per talem actum contra eam agere, eſt agere difformiter à natura rationali, & lege Dei, ergo ubi ſic agitur contra diverſam honeſtatem hujus, & illius virtutis, eſt diverſa difformitas à natura rationali, & lege Dei, ideoque diſtincta ſpecie malitia. *Dixi*, per actum oppoſitum, ſive, qui ſit contra honeſtatem virtutis, nam ſi ſit tantùm præter virtutem, uti omiſſio Miſſæ die feriali, quæ tantùm eſt contra conſilium, & non eſt contra, ſed tantùm præter virtutem religionis, quæ non obligat tum, ſed tantùm conſulit, & per omiſſionem præteritur, ex tali neglectu virtutis non refunditur malitia peccati, uti patet. *Pars altera*, quod hæc regula non ſit adæquata, etiam probatur, quia dantur peccata ſpecie diſtincta, quæ opponuntur eidem virtuti, uti avaritia, & prodigalitas, liberalitati. *Si dicas*, opponi diverſo modo, avaritiam per defectum, & prodigalitatem per exceſſum, *Contra eſt*, ergo non habetur præcisè ex oppoſitione ad diverſas virtutes, nam illi ipſi duo diverſi modi ſunt circa eandem virtutem: deinde quamvis modus ſit diverſus, hoc tamen eſt impertinens ad virtutem, nam eidem juſtitiæ eodem modo, quantum ad juſtitiam pertinet, opponitur detractio, & judicium temerarium; item eidem caſtitati per exceſſum opponuntur deſiderium, & moroſa delectatio circa pollutionem, item ſodomia, & beſtialitas; ſimiliter eidem charitati per defectum opponuntur mortale, & veniale, & tamen omnia illa peccata ſpecie diſtinguuntur. Denique æquè obſcurum manet, quandonam illi modi per oppoſitionem debeant dici, vel non dici notabiliter diverſi, ergo.

128 §. 11. Si objectum, vel modus tendendi actus peccaminoſi ſit notabiliter diverſus in genere moris, rectè colligimus malitiam ſpecie diverſam ineſſe actui: & viceverſa, ſi malitia ſpecie diverſa inſit actui, hoc erit vel ratione objecti, vel ratione modi tendendi notabiliter diverſi in genere moris, ideoque hæc eſt una adæquata regula ad dignoſcendam diverſitatem ſpecificam malitiarum. *Pars* 1. probatur, quia, imprimis ſi objectum in genere moris ſit notabiliter diverſum, moralitas objectiva erit notabiliter diverſa, ad hanc autem terminabitur actus, ideoque in actum refundetur moralitas formalis notabiliter diverſa, & diſtinctæ ſpeciei: deinde ſi modus tendendi ſit notabiliter diverſus in genere moris, intrinſecè ſpecificabit actum in ratione malitiæ notabiliter diverſæ in genere moris. Ratio utriuſque à priori eſt, quia omnis actus vitalis eſt eſſentialis tendentia in objectum, & modus, quo actus in objectum tendit, etiam eſt eſſentialis actui, uti ex philoſophia ſuppono, ergo ſicuti omnis actus phyſicè ſpectatus ſpecificatur ab objecto, & modo tendendi phyſicè conſiderato, ita omnis actus in genere moris ſpectatus ſpecificabitur in objecto, & modo tendendi in genere moris conſiderato, *Pars altera* etiam probatur, quia ubicumque in actu uno, vel pluribus ſunt diverſæ ſpecie malitiæ aut objecta ſunt notabiliter diverſa, à quibus diverſæ malitiæ refundantur, aut ſi objecta non ſint notabiliter diverſa, diverſitas ſpecifica non poteſt aliunde haberi, quàm ex modo tendendi, quia quidquid præter modum tendendi ſpecificat actum in genere moris, hoc conſtituit objectum in genere moris, ſive illud ſe teneat ex parte peccantis, ſive ex parte illius, contra quem peccatur, ſive ex parte rei, circa quam peccatur, ſive ſit finis peccantis, aut alia circumſtantia objecti, ſive ſit etiam lex poſitiva vel diverſus modus cognoſcendi, cui ſubſtat objectum, hæc enim omnia faciunt objectum reſpectu operantis eſſe diverſum in genere moris, communis enim; & certa ſententia eſt, inquit Amicus *d.* 14. *num.* 120. quòd eſt nulla planè circumſtantia, nequidem ex ipſamet intenſione actus, poſſit refundi moralitas formalis in ratione virtutis, vel vitii, niſi talis circumſtatia præcognoſcatur, quia quod non objicitur intellectui, nec objicitur, vel imputari poteſt voluntati, ideoque objectum prout huic, vel illi cognitioni ſubſtans, erit notabiliter diverſum in genere moris, atque ita convenienter dici poſſet, quòd objectum ſit ſpecificativum extrinſecum adæquatum reſpectu omnium peccatorum ſpecie diſtinctorum, cur autem dicam ſpecificationem partialiter ſumi à modo tendendi, ratio hæc eſt, quia multi docent duo peccata, v. gr. duo deſideria circa idem objectum turpe, eodem modo, & cum iiſdem circumſtantiis repræſentatum dari poſſe, quorum unum ſit mortale, alterum veniale, præcisè ratione conſenſus pleni, aut ſemipleni ex parte modi diverſi tendendi, quem habet voluntas, quamvis ex parte intellectus ſit eadem prorſus advertentia ad malitiam; quam ſententiam pro nunc admitto, in hac autem aſſignari non poteſt ullum ſpecificativum diverſum ex parte objecti, ergo peti debet ex modo, quo ſe applicat voluntas, vel tendit in objectum.

Objic. Peccatum mortale, & veniale, ſi ſint 129
circa eandem materiam, non diſtinguntur ſpecie, ergo propter hoc malè recurritur ad modum tendendi, ideoque ſpecificativum adæquatum malitiæ erit ſolum objectum. Ita Dicaſt. *de Pœnit. d.* 9. *num.* 173. Herincx *d.* 5. *num.* 44. Rada *controv.* 6. & alii Reſp. Non diſtinguuntur ſpecie phyſica, tranſeat; morali, & quidem Theologica N. Ratio eſt quia in primis differunt notabiliter in ratione offenſæ, & diſplicentiæ reſpectu Dei, nam mortale eſt ſimpliciter offenſa, ita diſplicens Deo, ut tollat amicitiam, & ſit punibile pœna æterna; veniale autem eſt tantùm ſecundùm quid offenſa, nec ita diſplicet Deo, ut tollat amicitiam, nec ratione ſui puniri poteſt pœna æterna: Deinde notabiliter differunt in ordine ad Sacramenta, nam mortale eſt materia neceſſaria Pœnitentiæ, veniale eſt libera; mortale impedit gratiam, quæ eſt effectus Sacramenti, veniale non impedit, &c. ergo differunt ſpecie Theologica.

§. 12. Ubi agitur contra leges formaliter di- 130
verſas, ibi ſunt plures ſpecie malitiæ; & è contra ubi ſunt plures ſpecie malitiæ ibi agitur contra leges formaliter diverſas, ideoque hæc eſt altera regula

adæquata pro dignoscenda diversa specie malitiarum. *Pars* 1. probatur, quia malitia actus, ex essentia sua, est tendentia in legem, contra quam ponitur, & cui actus malus est difformis, ergo ubi sunt leges formaliter diversæ, erunt difformitates ad legem notabiliter diversæ, adeoque malitiæ specie distinctæ. *Pars altera* etiam probatur, quia diversæ illæ species, vel sunt malæ, quia sunt prohibitæ, vel ex se intrinsecè sunt malæ; si sint malæ, quia prohibitæ, patet esse contra leges formaliter diversas, ubi enim prohibentur plures specie malitiæ, sunt leges formaliter diversæ, uti statim dicetur: si ex se intrinsecè sunt malæ, adhuc sunt contra legem naturæ, & Dei æternam, quæ lex virtualiter est tam multiplex specie, quàm multiplex specie est malitia illa intrinseca; & universaliter omnis malitia, sive gravis, sive levis, sive sit talis intrinsecè, sive tantùm ratione prohibitionis, semper est contra legem Dei æternam, quæ dat vim obligandi, & quasi informat singulas alias leges, hinc lex æterna est toties virtualiter diversa, quoties informat leges humanas formaliter diversas.

131 *Objic.* Consensus plenus, & semiplenus in objectum turpe sunt peccata specie distincta, secundùm dicta n. 129. cùm unum sit mortale, alterum veniale, sed sunt contra eandem formaliter legem, *non mœchaberis*, quæ ex eodem motivo castitatis prohibet utrumque, ergo possunt duo peccata specie distincta esse contra eandem formaliter legem. Resp. N. min. Lex enim naturæ, & lex æterna Dei, itemque lex illa positiva, *non mœchaberis*, est virtualiter multiplex, & prout respicit consensum semiplenum, qui intrinsecè venialiter tantùm est malus, adeoque exigit tantùm leviter prohiberi: differt specie formali in ratione legis à seipsa, prout respicit consensum plenum, qui intrinsecè mortaliter malus, & exigit prohiberi graviter. *Nec obstat*, quòd lex illa sit una realiter, *Nam* etiam omnipotentia, & sapientia in Deo, item animal, & rationale in Petro sunt realiter una res; & tamen loquendo in sensu formali distinguuntur specie, propter respectus ad connotata, vel effectus notabiliter diversos: unde universaliter docere solent Philosophi, quòd ea, quæ differunt notabiliter, differant specie, ideoque si realiter distinguantur, differant specie reali, si realiter sint idem, differant specie formali tantùm, quod hìc sufficit ad habendam legem formaliter diversam, si reliqua adsint, de quibus dicetur à n. 132. Adde, quòd lex in actu primo proximo obligativa includat promulgationem, promulgatio autem legis naturæ, vel legis æternæ Dei est dictamen, quo conscientia dicit hoc, vel illud dissonare à natura rationali, vel lege æterna Dei; tale verò dictamen semper est aliud, quando malitia objectiva est alia specie, ergo ubi malitia objectiva est specie reali diversa, etiam lex ut obligativa in actu primo proximo erit specie reali saltem inadæquatè diversa, quod iterum hìc sufficit.

132 *Q.* 25. *Quandonam leges censeantur ita diversæ, ut aliam specie malitiam in actum refundant?* Resp.

§. 1. Leges possunt esse diversæ, vel materialiter, vel formaliter: tunc sunt materialiter diversæ, quando secundùm entitates suas sunt plures, & distinctæ, v. g. quia una est naturalis, alia positiva, una à Deo, alia ab homine; una uno, alia alio tempore lata. Tunc sunt formaliter, seu in ratione legis diversæ, quando una affert diversam ab alia vim obligativam, obligatio enim quasi forma, seu anima legis. Tunc autem una censetur afferre diversam ab alia vim obligativam, quando versantur, vel circa materias notabiliter diversas, vel circa eandem quidem materiam, sed ex diversis motivis formalibus; vel si materia, & etiam motivum sit idem, quando aliunde constat, quòd legislator velit afferre diversam vim obligativam, ut jam declarabitur.

1. Ecclesia ex motivo temperantiæ præcipit jejunium in quatuor temporibus; item in quadragesima, item in quibusdam vigiliis SS. unde si vigilia S. Mathiæ incidat in quatuor tempora quadragesimæ, sunt tres leges jejunii, ab Ecclesia latæ pro eadem die; & totidem leges Dei; quæ assistunt, & velut informant illas leges Ecclesiæ, attamen omnes illæ leges sunt tantùm materialiter diversæ, & formaliter una, quia est una materia, idem motivum temperantiæ, nec scimus intendi diversam vim obligativam: hinc qui tunc comedit carnes, satisfacit in Confessione dicendo, semel comedi carnes die jejunii. Et simili modo est loquendum de plurimis aliis legibus, quæ idem prohibent ex eodem motivo si enim homicidium prohibeatur lege naturæ, lege æterna, lege positiva divina, & humana, est tamen homicidium unicum specie peccatum, quamvis contra tot leges, quæ materialiter tantùm sunt plures. 133

2. Ecclesia in die festo præcipit beneficiato audire Missam, & legere Horas, quarum legum motivum est idem Dei cultus, quia tamen illæ materiæ sunt ita notabiliter diversæ, rectè colligimus esse leges formaliter diversas: hinc si beneficiatus die festo omittat Missam, & Horas, non satisfacit dicendo, semel neglexi colere diem festum, sed addere debet, neglexi colere, omittendo Missam, & Horas. *Si dicas*, committi vitiosum circulum, nam ideò leges præcipientes, v. g. Missam, & Horas, dicuntur esse formaliter diversæ, quia materiæ sunt in genere moris notabiliter diversæ; & ideò materiæ dicuntur esse in genere moris notabiliter diversæ, quia leges sunt formaliter diversæ. Resp. Vel materiæ ex se habent, quòd sint notabiliter diversæ in genere moris, ut sunt materiæ intrinsecè malæ, quæ ex natura sua habent diversas inhonestates objectivas; vel si ex se non habeant, saltem habent inde, quia legislator vult ad illas esse diversam vim obligativam, cujus suæ voluntatis aliam rationem priorem habebit, & aliquando poterit esse diversa aptitudo, quam habent istæ materiæ ad fines ab eo intentos. 134

3. Si jejunium ab Ecclesia præceptum etiam mihi præcipiatur à superiore ex motivo obedientiæ servandum, item à Confessario imponatur pro pœnitentia sacramentali, & ego præterea illud voverem, sunt 4. quasi leges formaliter diversæ. 1. Ecclesiæ ex motivo obedientiæ: 2. Superioris ex motivo obedientiæ: 3. Confessarii ex motivo pœnitentiæ: 4. Voti ex motivo religionis: hinc si transgrediar per actum physicè unum, contraho quatuor specie malitias, nec satisfacio confitendo: semel transgressus sum jejunium; ad quod graviter obligabar, sed addere debeo; ad quod obligabar ex lege Ecclesiæ, ex præcepto Superioris, ex mandato Confessarii, & ex voto. 135

4. Si lex eandem laborem ædificandi propugnaculi ex eodem motivo defendendæ patriæ præcipiat viris sub gravi obligatione, & pœna; mulieribus autem sub levi obligatione, & pœna; sunt duæ formaliter leges, loquendo conformiter ad dicta num. 129. non ratione materiæ, vel motivi, quæ sunt eadem, sed tantùm quia legislator manifestat se velle afferre aliam his, aliam illis vim obligativam; & universaliter verum est, quòd leges aliquæ, & maximè præcepta respectu personarum particularium lata, possint esse vel non esse formaliter diversæ, secundùm intentionem, quam præcipiens habet, afferendi hanc, vel illam vim obligativam, sive materiæ sint similes sive diversæ; sic si parens suo filio hodie imperet studium, cras orationem per 136

horam, semper sub gravi præcepto, quamvis materiæ sint notabiliter diversæ, tamen neglectus studii non distinguetur specie à neglectu orationis: hinc satisfaciet dicendo, bis fui graviter inobediens parenti, uti cum communiore tenet Sanch. *in Decal. lib. 4. c. 11. n. 25.* Et idem est ordinariè in voto, quod est quasi lex particularis, quam quis sibi imponit, si enim quis frangat votum jejunii, & aliud votum orandi rosarium, sunt duo peccata solo numero distincta, & satisfacit dicendo, bis fregi grave votum.

137 §. 2. Motivum legis, aliud dicitur intrinsecum, aliud extrinsecum: Intrinsecum, est honestas virtutis, vel inhonestas vitii, ad quam virtutem, vel vitium ex se, aut ex circumstantiis pertinet hoc, quod præcipitur, vel prohibetur, v. gr. lex una præcipit jejunium, altera prohibet inebriationem, honestas temperantiæ, quæ est in jejunio præcepto, & inhonestas intemperantiæ, quæ est in inebriatione prohibita, sunt motivum intrinsecum utriusque legis. Motivum extrinsecum est, quod advenit à voluntate legislatoris, qui posset præcipere jejunium, v. gr. ut conservetur castitas. Debet autem motivum illud extrinsecum aliquo modo, vel ex natura sua, vel ex circumstantiis esse connexum, seu posse conducere ad alterum saltem perfectiùs obtinendum, ita ut unum sit velut medium, alterum finis, alioquin non erit referibile ad talem virtutem. Porrò quandocunque aliud non constat ex verbis, vel circumstantiis legum, item quando dubium est, an aliquid præcipiatur, aut prohibeatur ex alio, præterquàm ex motivo intrinseco, præsumi debet quòd fiat ex motivo tantùm intrinseco, quia hoc est frequentius, & connaturalius. Si autem legislator exprimat se ad ferendam legem motum esse etiam ex alio motivo extrinseco, ita tamen, ut non ideò velit rem observari ex eo motivo, aut poni infrà speciem talis virtutis, non ideò formaliter multiplicatur lex: hinc quando Ecclesia præcipit jejunium in vigilia S. Mathiæ occurrente in quadragesima, quamvis fortè moveatur etiam ex motivo religionis nempè, ut honoretur S. Mathias, tamen rectè judicamus manere unam legem cum lege jejunii quadragesimalis de jejunio observando ex motivo solus temperantiæ, quia mens illa alia Ecclesiæ nobis nota non est, nec ullibi significavit se velle observari ex motivo religionis.

138 §. 3. Si lex non habeat aliud motivum intrinsecum, rectè colligimus intendi; ut observetur ex motivo extrinseco, & tunc, si non observetur, refundetur in actum malitia huic motivo extrinseco opposita, v. g. Ecclesia prohibet servilem laborem die festo, scimus autem nullum esse motivum intrinsecum, propter quod labor de se honestus prohibeatur, hinc rectè colligimus prohiberi ex fine extrinseco diem festum colendi, qui cultus cùm spectet ad virtutem religionis; qui tunc laborat, peccat contra virtutem religionis. E contra si lex habeat aliud motivum intrinsecum, & constet legislatorem simul intendere, ut lex impleatur etiam ex alio motivo extrinseco, v. g. si lex obedientiæ prohibeat sub mortali, ne quis Religiosus per fenestras in plateam prospiciat, expresè etiam ex e motivo, ut sic consulatur castitati Religiosorum, quamvis aliqui dixerint talem rem præceptam v prohibitam non poni in specie alterius virtutis, ex cujus motivo lex ponitur, ideoque talem aspectum, si fiat, quando scitur nullum esse periculum castitatis, non fore contra castitatem, sed tantùm contra obedientiam, tamen oppositum diximus cum communi, l. 1. à num. 864. Ubi plura huc spectantia videri possunt. Imò docet Ovied. *controv. 2. num. 26.* si Superior mihi imperaret jejunium ex solo motivo temperantiæ, & non obedientiæ observandum, si observarem etiam ideò, quia præceptum est, me quidem fore temperantem, & obedientem, si autem non observarem, me fore intemperantem, sed non inobedientem, quia hoc jejunium sit per illud præceptum materia necessaria temperantiæ, & fit materia apta obedientiæ, sed non necessaria, aliud enim est objectum pertinere ad hanc virtutem, aliud esse materiam necessariam hujus virtutis, quæ enim sunt de consilio, uti est jejunium die non præcepto, spectant quidem ad virtutem temperantiæ, vel aliam, non tamen sunt materia necessaria, & ita dicit *Oviedo* nullum de facto esse præceptum in Ecclesia impositum intuitu obedientiæ, sed ex alio motivo intrinseco, vel extrinseco.

139 *Q. 26. Quid hìc præterea sit notandum circa distinctionem specificam peccatorum commissionis, & omissionis?* Resp. seqq. Quid sit peccatum commissionis, & omissionis dictum est n. 7. si autem commissio, & omissio sint circa diversa, uti furtum & omissio Missæ die festo, certum est distingui specie morali. E contra si sit circa eandem virtutem, & objectum, non est ita certum, nam negant differre specie, *Caj. Alv.* aliique cum Gonet. *d. 3. nu. 166.* sed plerique docent distingui specie, ita ut multi, teste Oviedo *controv. 5. n. 1.* dicant oppositum esse apertè falsum: necesse autem est id examinare, ut sciamus qua ratione ejusmodi peccata secundùm speciem suam sit in Confessione explicanda.

140 §. 1. Aliqua peccata commissionis, & omissionis etiamsi sint circa eandem virtutem, & objectum, distinguuntur specie, nam odium, & non amor Dei, item hæresis, & ignorantia respectu ejusdem articuli, sunt peccata commissionis, & omissionis circa eandem virtutem, & objectum, hæc autem distinguuntur specie, quia diversa est inhonestas, & notabiliter major difformitas à natura rationali, positivè odisse Deum, volendo ei malum, & purè omittere amorem, illius præceptum. Item positivè negare mysterium Trinitatis per hæresim, & purè non credere, vel non addiscere, uti rectè probat Dicast. *de pœn. d. 9. à num. 396.* Item longè major est inhonestas positivè jugulare hominem, & permittere emori fame? quod etiam à posteriori colligitur, nam si non differrent specie, non esset opus illa speciatim explicare in Confessione, quod licèt concedant *Arav. Montesin. & alii*, tamen *Gonet.* meritò dicit hoc non esse tutum, unde ipse putat ideò debere speciatim explicari, quia quamvis non sint distinctæ species tamen etiam non sunt tantùm circumstantiæ aggravantes, sed sunt partes diversæ integrantes unam speciem, uti innuit S. Thom. 2. 2. *qu. 79. art. 3.* O, ex odio enim, & amore Dei conflatur una species, quæ est unum specio essentiale peccatum contra charitatem Deo debitam & similiter loquitur in aliis materiis. *Contra est*, duæ illæ partes integrantes; si comparentur inter se, vel distinguuntur specie morali, vel non; si distinguuntur, sunt speciatim confitendæ; si non distinguuntur, ergo nec distinguentur rapina, & furtum, aut furtum, & detractio, pariter enim dicam esse tantùm partes integrantes, quæ conflent unam speciem essentialem injustitiæ, & ita de aliis innumeris peccatis in eadem specie subalterna, quæ tamen certò distinguì specie nimia, & in Confessione esse speciatim explicanda.

141 *Objic.* 1. S. Thom. 1. 2. *qu. 72. art. 4.* expresè docet commissionem, & omissionem non differre formaliter specie. Quod *Conf.* celebri illo effato S. Ambrosii, *si non pavisti, occidisti*, id est, si non pavisti esurientem, quando id facere tenebaris; noraliter loquendo eum occidisti, ergo non pascere, & occidere sunt ejusdem speciei. Resp. S. Th. 2. 2.

qu. 79. art. 2. 3. & 4. expresè docet peccatum trangressionis, id est, commissionis, esse speciale peccatum, distinctum à peccato omissionis: ut ergo hæc loca concilientur, dicendum est, quod in priore loco velit non differre specie, quando præceptum affirmativum, & negativum materialiter tantùm differunt, secundùm dicenda n. 144. & ideò ibi expresè addit, quando procedunt ex eodem motivo, & ad eundem finem, utiturque exemplo avari, qui furatur, & non dat, quæ debet: In posteriore autem loco vult distingui specie, quando nempe præceptum negativum, & affirmativum sunt formaliter diversa, qualia sunt in casibus nu. 140. relatis ideoque hìc utitur exemplo, si quis contra præceptum affirmativum imperans honorari parentes, omittit honorare, cùm deberet, & contra præceptum negativum prohibens inhonorare, inferat eis contumeliam, aut injuriam, quæ patet distingui specie. *Ad Conf.* dist. si non pavisti, occidisti, æquivalenter, quantum ad effectum physicum, qui est mors, C. moraliter, quantum est ad eandem specie malitiam, Nego.

142 *Objic.* 2. Si explodam in hoc, quod video, & occidam hominem, est peccatum ejusdem speciei, sive sciam, sive culpabiliter ignorem esse hominem, ergo etiam est ejusdem speciei, sive sciam, & discredam, sive culpabiliter ignorem, & non credam mysterium fidei. Resp. N. conseq. quia utraque occisio semper est peccatum commissionis, sive causetur ex scientia, sive ex ignorantia culpabili, quia per utramque occisio talis fit voluntaria, quod sufficit ad idem homicidium: E contra positivè discredere est peccatum commissionis habens longè aliam inhonestatem ab illo, quod est omittere credere, vel non discere mysteria, quod est peccatum solius omissionis, ergo non est paritas.

143 *Inst.* Ergo saltem error in fide, qui causatur ab ignorantia culpabili, erit ejusdem speciei cum errore, qui fit ex scientia, & est propriè dicta hæresis. Resp. Transeat, quia non facit ad hanc rem, cùm utrobique sit commissio; Sequelam autem concedunt *Sot.* & alii multi; Negant *Vasq.* & alii cum Dicast. *à n.* 400. nam quamvis peccatum, quod causatur ex ignorantia, & ex scientia, sit ejusdem speciei, tamen in casu allato non causatur idem peccatum, quia hæresis prærequirit scientiam, cùm debeat esse error cum pertinacia, quicunque autem alius error non prærequirit scientiam, ergo non est idem peccatum, quòd hìc causatur ex scientia, & ex ignorantia. Vide *Dicast.* supra.

144 §. 2. Aliqua peccata commissionis, & omissionis nequidem numero distinguuntur, uti rectè Suar. *d. 3. s.* 1. nam studium, propter quod omittitur Missa die festo, est peccatum commissionis contra præceptum negativum prohibens poni impedimentum Missæ præceptæ, ubi probabitur l. 6. p. 2. quando de Confessione, (ubi etiam dicetur an id, quod est ejusmodi causa peccati, vel se concomitanter habet ad illud, etiam sit necessariò confitendum) omissio autem illius Missæ est peccatum omissionis contra præceptum affirmativum audiendi Missam: Item furtum est peccatum commissionis contra præceptum affirmativum audiendi Missam: Item furtum est peccatum commissionis contra præceptum negativum non furandi, omissio autem restitutionis est peccatum omissionis contra præceptum affirmativum reddendi ablatum, ut sic reparetur æqualitas jurium, sed hæc peccata nequidem numero distinguuntur, ergo *Prob. min.* quia tale studium non habet aliam malitiam, nisi quam habet omissio Missæ; Item omissio restitutionis etiam habet solam malitiam furti, quòd continuatur, ergo hæc peccata nequidem numero distinguuntur: quod etiam à posteriori colligitur, nam si essent duo numero peccata, qui omisisset Missam, deberet in Confessione dicere, cur & quid feciisset tempore Missæ: Item qui furatus esset, & per tres dies retinuisset, deberet etiam hanc retentionem specialiter explicare, quorum utrumque est contra praxim confitentium.

Objic. Præceptum negativum obligans semper 145
pro semper est formaliter diversum ab affirmativo non obligante pro semper, ergo commissio, & omissio semper sunt contra præcepta formaliter diversa, ergo semper distinguuntur specie. Resp. N. antec. In casibus n. 140. relatis præcepta negativa, & affirmativa sunt formaliter diversa, quia est alius finis prohibendi unum objectum, & imperandi alterum, estque etiam longè alia inhonestas in transgressione unius quàm alterius: in casibus n. 144. allatis præcepta negativa, & affirmativa differunt materialiter tantùm, quia est idem finis, & eadem ratio prohibendi unum, & imperandi alterum, ideoque etiam in transgressione eorum non occurrit diversa inhonestas, propterea etiam prohibetur tale studium, quia intenditur honestas Missæ, quæ etiam intenditur per præceptum imperans Missam, nec est alia malitia in studio, nisi quia impedit Missam: Similiter ideò imperatur restitutio, ne continuetur furtum, nec est alia malitia in omissione restitutionis, nisi quia esset continuatum furtum, ergo talia præcepta sunt tantùm materialiter diversa.

Inst. 1. Si tale studium tantùm habet malitiam omissionis Missæ, ergo dici debet peccatum omissionis, quia tale dici debet peccatum, qualis est malitia, sed malitia est omissionis, ergo & peccatum. Resp. N. seq. & maj. probationis, alioquin peccatum externum deberet dici internum, quia malitia ejus est interna: itaque denominatio commissionis etiam sumi potest ab oppositione immediata cum præcepto negativo, quale est, *non pones impedimentum Missæ tibi præceptæ.*

Inst. 2. Talis est malitia formalis, qualis est objectiva, sed malitia objectiva est omissionis, ergo & malitia formalis. Resp. N. maj. alioquin malitia formalis actus interni, v. g. voluntaris furandi, esset externa; quia malitia objectiva est externa, uti Rectè Rhodes *d.* 1. *q.* 2. *s.* 2. §. 2.

Inst. 3. Actus ille, est peccatum per omissionem ultimò constitutum, ergo absolutè dici debet peccatum omissionis, quamvis dici possit actus commissionis, ita Gonet. *n.* 139. Resp. N. conseq. dicitur enim commissio, quia habet oppositionem cum præcepto negativo.

Inst. 4. Frustra ibi fingitur præceptum negativum distinctum, quia posito solo præcepto affirmativo Missæ, si ponamus non dari illud negativum, adhuc peccabitur contra præceptum affirmativum Missæ, si studeatur tempore Missæ, ergo. Resp. Si per conceptum excludas præceptum negativum prohibens semper pro semper non poni impedimentum objecto præcepto, concedo non peccandum contra illud; si autem supponatur illud esse, ut reipsa est, & necessariò sequitur ex præcepto affirmativo, peccatur contra illud: & etiam contra affirmativum: sunt autem distincta præcepta, quia affirmativum est positivum de re non necessariò mala, semper negativum est naturale de re necessariò mala, semper enim est intrinsecè malum ponere impedimentum actionis præceptæ, tempore illo, quo est obligatio illam ponendi. Quod *Conf.* nam omnes fateri debent, quòd in ejusmodi præceptis affirmativis fundentur negativa, ergo.

Regulas hactenus traditas pro dignoscenda speci-

fica distinctione peccatorum applicabimus ad praxim l. 6. p. 2. quando de Confessione, ubi percurrendo præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, item alia genera peccatorum, ostendemus, quid necessariò debeat, vel non debeat in Confessione exprimi.

ARTICULUS II.

Quæ peccata distinguantur numero ?

146 „ RESP. Numero distinguuntur duobus modis, „ 1. Ex diversis objectis numero totalibus, „ non materialiter, & physicè tantùm, sed etiam formaliter, & moraliter distinctis. 2. Per interruptionem actuum moralem. Fill. *t.* 21. *c.* 8.

„ Dico, *moralem*: quia etsi ad distinctionem numericam physicè sufficiat quævis interruptio; in „ ordine tamen ad Confessionem, non multiplicatur, nisi moraliter multi sint, quia sicut in Confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio, „ & distinctio moralis attendi debet.

„ Porrò actus moraliter interrumpuntur, ita ut „ nec virtualiter, nec interpretativè manere censeantur, 1. Per contrariam voluntatem, & propositum. 2. Per cessationem ab actu voluntariam „ & liberam. 3. Per cessationem involuntariam, & „ naturalem; sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia. Per somnum quidem, quia „ cùm in illo cesset usus rationis, non continuatur „ actio libera, & moralis: per distractionem verò, „ quia per illam prior cogitatio sit involuntaria, „ ideóque si ad eam redeatur, fit voluntaria, & „ moraliter multiplicatur. Ita *Vasq. &c.* Quæ sententia etsi in peccatis externis tenenda sit, in internis tamen non habet locum, secundùm Fill. „ *num* 317. Ratio, quia etsi per hanc interruptionem „ physicè actus multiplicetur, non tamen moraliter, „ quia hoc ipso, quòd animus involuntariè distrahitur, remanet interpretativè prior voluntas, „ cùm non sit retractata, aut aliter interrupta V. „ etiam Baldell. *d.* 21. *n.* 3. *Ex dictis resolves*,

„ I. Unum numero peccatum committit, qui „ uno actu odibili, vel detractionis fertur in 10. „ homines, qui uno ictu duos occidit; qui uno actu vult omittere officium Horarum per mensem, „ jejunium per quadragesimam, quia etsi hæc objecta physicè sint plura, sunt tamen unum moraliter, & formaliter, quatenùs in uno actu hìc, „ & nunc conjunguntur. Ita Navar. Fill. Bon. *d.* 1. „ *q.* 4. *p.* 1. contra Az. Vasq. &c. qui satis probabiliter dicunt esse peccata distincta: Verùm sive 10. „ peccata dicas, odisse v. gr. 10. homines, sive „ unum parum refert, cùm unum hoc illis decem „ æquivaleat, proindeque objecti gravitas in Confessione exprimenda sit, quippe quæ actum in suo „ esse individuali constituit, ut notat Fill. Bon. Suar. „ *de Pœn. d.* 22. *s.* 5.

„ II. Actus voluntatis internus sæpiùs interruptus, „ & repetitus, licèt physicè sit multiplex, moraliter tamen est unum numero peccatum in ordine „ ad Confessionem, si consummetur in opere aliquo externo per eum intento, & causato, aut „ etiam in pluribus actibus externis sibi invicem subordinatis ad eundem finem: hinc v. gr. qui furatur bibliothecam per totam noctem, etsi sæpius „ voluntatem furandi renovet, unum furtum; & „ qui ad occidendum alium pergens, sæpè voluntatem renovat, unum homicidium committit. Ratio, quia est una actio externa ab internis intenta „ & causata, in quæ internæ omnes complentur, „ & moraliter uniuntur. V. Baldell. *n.* 4.

„ III. Actiones externæ, licèt numero distinctæ, „ ad eundem tamen finem, & actum principalem relatæ, modo non habeant distinctam ab illo malitiam, non distinguuntur ab ipso fine, & actu „ principali, moraliter loquendo, & in ordine ad „ Confessionem: hinc oscula, tactus, verba impudica, &c. copulam carnalem præcedentia, imò „ etiam comitantia, & subsequentia tanquam complementa, & appendices operis, unum numero „ peccatum sunt, ut docent Nav. *c.* 6. *n.* 17. Azor. „ *l.* 4. *c.* 4. *q.* 6. Fill. &c. Ratio, quia sunt vel initia, vel partes, vel complementa, & appendices operis, ejusdem actus humani, & objecti, „ in quo omnia prædicta moraliter uniuntur.

Dixi, *complementa*: quia si similes actus non „ sunt initia, vel partes copulæ subsecuturæ, aut „ ex actu præterito ex natura rei non consequantur, „ distinguuntur numero; ut v. g. si quis de fornicatione glorietur; proindeque illi in Confessione explicandi sunt separatim, non autem priores, ut „ docet Suar. *s.* 1. „

ADDENDA.

QUÆST. 27. *Quandonam actus physicè unus sit unum, vel multiplex numero peccatum ?* 147 Resp. Sicuti potest actus physicè unus habere plures specie malitias, uti constat ex dictis n. 127. & 135. ita; & multò magis, potest actus physicè unus habere plures numero malitias; quandoque tamen etiam habet unicam, uti jam declarabitur.

§. 1. Actus physicè unus non ideò præcisè est multiplex numero peccatum, quòd sit contra plura numero præcepta, uti habet communis cum Oviedo *controv.* 5. *p.* 7. & Dicast. *de pœn. d.* 9. *num.* 235. contra Nav. Lop. Rodriq. & Arr. Ratio est, quia præcepta possunt esse tantùm materialiter plura, tunc autem non refunditur nisi una malitia, nam Diversa species peccati non desumitur à præceptis tantùm materialiter diversis, uti constat ex dictis num. 133. ergo nec distinctus numerus, eadem enim est utrobique ratio, quia nempe talia præcepta sunt moraliter unicum. 2. Plures præcipientes aliquid possunt intendere ac imponere unam eandemque obligationem ad illud, in hoc autem casu erunt plura materialiter præcepta, nec tamen erit nisi unica obligatio, ideoque si non fiat id, quod præcipitur, erit tantùm una moraliter transgressio, ergo. 3. Ex hoc, quòd furtum sit contra legem naturæ; Item contra legem positivam Dei hominum, intelligitur tantùm esse prohibitum pluribus modis, & nemo ideò apprehendit in illo esse plures numero malitias, ergo nec erunt duæ, ex hoc, quòd actus physicè unus sit contra præceptum patris & matris, aut contra præceptum patris heri & iterum hodie positum, non magis, quàm si quis frangat votum à se pluries renovatum, quod est unicum peccatum, uti cum communi Dicast. *n.* 305. atque idem est, si quis in vigilia S. Matthiæ incidente in quatuor tempora quadragesimæ frangat jejunium secundùm dicta nu. 133. est enim unicum numero peccatum. *Dixi*, non ideò præcisè, nam si sciretur, quòd per unum ex illis præceptis intenderetur alia numerò obligatio v. g. quia esset aliud motivum numero distinctum præcipiendi aut prohibendi actum, tunc refunderetur duplex [illegible] transgressionem, quia tunc essent præcepta formaliter distincta numero; & id posset contingere, si postquam [illegible]us Superior aliquid præcipit subdito, alius superior ad hat novum præceptum, tunc enim præsumetur velle superaddere novam obligationem ex alio simili motivo: de cætero si præcipientes id non manifestent, nec aliunde innotescat, præsumuntur unam numero obligationem velle.

Objic. 1.

148 *Objic.* 1. Talis actus habet plures relationes disconvenientiæ, unam ad præceptum patris, & alteram ad præceptum matris, ergo habet plures difformitates, ergo plures malitias. 2. Ratio dictat, pejus esse, si quis sit inobediens patri & matri, aut si det utrique causam offensæ, quàm si tantùm alterutri, sed quando agit contra præceptum patris & matris, est utrique inobediens, & utrique dat causam justæ offensæ, ergo. 3. Est duplex numero injuria vel irreverentia, si fiat patri & matri, ergo etiam est duplex numero inobedientia, si agam contra præceptum patris & matris; & maximè si contra præceptum unum Dei, alterum hominis. 4. Si furtum non haberet malitiam ex hoc, quòd sit contra præceptum naturæ vel humanum, hoc ipso acquireret malitiam, quòd esset contra præceptum Dei, qui potest aliqua de se non mala facere mala per prohibitionem, ergo quando ad præceptum unum accedit aliud præceptum, inde oritur nova malitia. 5. Quò quis plurium præceptum transgreditur, eò plures virtualiter contemnit, ergo eò plures contrahit malitias, ita *Arr.* Resp. *ad* 1. Sunt duæ quasi physicè disconvenientiæ, ratione duplicis connotati, est tamen una moraliter, quia præceptum patris & matris est unum moraliter, ergo etiam est una moraliter disconvenientia & difformitas. *Ad* 2. putat quidem Gonet *d.* 2. *n.* 37. esse ibi duas inobedientias, sed rationem non video: hinc dist. min. quando agit contra præceptum patris & matris, est utrique inobediens, inobedientia numero una, fortè paulò pejore, qualis etiam esset, si præceptum ab eodem patre fuisset sæpius inculcatum, C. inobedientia numero duplici, N. quia nempe sunt veluti unus præcipiens, cùm unam tantùm velint obligationem, qualem etiam vellent, si tantùm singuli præciperent. *Ad* 3. Disparitatem dant aliqui, quia justitia, gratitudo, religio &c. sunt ita ad alterum, ut censeantur ordinari ad bonum alterius, obedientia autem est ad alterum, ultimò propter bonum subditi, ergo diversitas præceptorum non tam à præcipientibus quàm à bonis subdito intentis desumenda est. Hanc responsionem multis oppugnat Dicast. *à n.* 483. maximè ex eo, quòd omnis virtus sit ad bonum subjecti: unde respondet ipse num. 486. negando conseq. disparitas est, quia proxima ratio obediendi non est superioritas hæc vel illa; sed præceptum, unde hoc, cui inobedientia proximè opponitur, non est superioritas, sed præceptum, potest autem idem præceptum & eadem numero obligatio causari à superioritatibus numero & specie distinctis, ergo etiam potest eadem numero inobedientia esse contra Superiores numero & specie distinctos: è contra reverentia, cultus, itemque irreverentia, injuria &c. proximè respiciunt excellentiam, dignitatem vel jus personæ, si autem personæ sint plures, erunt plures excellentiæ, dignitates & jura, ergo si personæ sint plures, erunt plures irreverentiæ vel injuriæ. *Ad* 4. Furtum nullam trahit malitiam theologicam per oppositionem præcisè cum præcepto naturæ vel humano, sed hæc præcepta ut informata lege Dei, sic tantùm refundunt malitiam theologicam, quam eandem refunderet solum præceptum Dei, unde furtum [illegible] malitiam theologicam, quam nunc habet ex præcepto naturæ vel humano ut informato lege æterna Dei, quia Deus nunc aliter non prohibet, quàm sicuti natura exigit prohiberi, aut sicuti prohibent homines, malitia autem, quam furtum habet præcisè prout opponitur legi naturæ vel humanæ, cùm non sit theologica, etiam non cadit sub præceptum Confessionis, de quo hîc tantùm quæritur.

Ad 5. n. conf. quia contemptus virtualis indirectè tantùm & mediatè tendit in personas præcipientes, directè autem & immediatè in sola præcepta, quæ hîc sunt moraliter unum: si esset contemptus formalis, tenderet directè & immediatè in personas ipsas, *hinc à diversitate* præcipientium traheret multiplicem malitiam, quia singulæ personæ sunt propria sua observantia dignæ, contra quarum dignitatem directè & immediatè ageretur.

§. 2. Probabilius videtur, quòd actus malus 149
physicè unus tendens in plura numero objecta, sit moraliter plura numero peccata in Confessione explicanda, prout actus directè vel confusè in ea objecta tendebat, ita Vasq. Tann. Castrop. Rhod. Ovied. Haun. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 164. Spor. *de Pœnit. à n.* 409. contra Suar. Bonac. & alios apud Mendo *d.* 2. *à n.* 3. *Prob.* 1. Actus terminatus ad plura specie objecta includit plura specie peccata in Confessione explicanda, ergo terminatus ad plura numero objecta includet plura numero peccata. 2. Actus unus, quo quis detrahit de honore trium hominum, in judicio prudentum, etiam in ratione objecti & numeri, æquivalet tribus actibus, per quos detraheret singulis, sed si essent tales tres actus essent tria numero peccata, ergo. *Conf.* nam actus, quo quis detrahit tribus, comparatus ad Cajum, cui detrahit, est peccatum, ergo etiam comparatus ad Titium & Sempronium est peccatum, non est autem idem peccatum, quia est aliud objectum, & violatur jus distinctum, ergo est peccatum numero distinctum, ergo cùm violet tria distincta jura, erunt tria numero peccata.

Objic. 1. Quamvis actui, quo detraho tribus, 150
insint tres numero malitiæ, tamen non sunt tria peccata, sed unum, habens tres malitias, ergo cùm nullum detur præceptum confitendi numerum malitiarum, sed tantùm speciem & numerum peccatorum, non sunt tria peccata *in ordine* ad Confessionem. *Prob. antec.* Est *unum* numero peccatum, si uno actu eidem furer tres ducatos; aut pannos, frumenta & pecunias, ergo etiam est unum numero peccatum, si uno actu detraham tribus, ita Fill. Lugo, Tan. *in meth. Conf. l.* 1. *c.* 1. *à n.* 59. Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 9. *n.* 73. Stoz. *l.* 1. *p.* 3. *à n.* 571. & alii apud Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 17. qui ideò dicunt talem satisfacere, si efferat in plurali, v. g. sic, semel detraxi graviter de fama plurium. Resp. 1. Si argumentum valet, ergo nequidem est opus dicere; detraxi de fama plurium, sed satis erit dicere, *detraxi*, nam fuisse de uno vel de pluribus secundùm hos AA. non mutat speciem vel numerum peccati. Resp. 2. An dicere debeas talem actum esse tria numero peccata, an, esse unicum habens tres malitias, est quæstio de nomine: potiùs dicendum est esse tria numero peccata, quia peccatum nihil est nisi malitia, ergo ubi sunt tres numero malitiæ, sunt tria numero peccata, sicuti ubi sunt tres specie malitiæ, sunt tria specie peccata. Sed quidquid sit de hoc; de re dicimus, quòd illæ tres numero malitiæ, si sciantur, debeant cum suo numero determinato explicari in Confessione, sicuti si essent tres specie malitiæ in uno actu, hæ omnes deberent explicari, sive diceretur esse unum specie peccatum habens tres specie malitias sive dicerentur tria specie peccata. Unde in forma, nego antec. ad prob. concesso antec. n. conseq. disparitas est quia singuli ducati, item panni, frumenta & pecuniæ ad eundem spectantes, non sunt plura objecta respectu unius actus, quo eripiuntur, sed constituunt unicum numero objectum. *Nec refert*, quòd singuli ducati essent objecta numero distincta, si eriperentur per singulos actus distinctos, *nam*

fiunt unum objectum, quando per unum actum uni eripiuntur non item famæ, quæ tolluntur tribus hominibus. Et pro explicanda illa disparitate dant
151 hanc regulam Dicast. *num.* 221. & Haun. *n.* 488. Quando sunt plures res, quarum una est capax accipiendi augmentum ab altera, & quæ ex natura sua vel usu hominum referuntur ad eundem finem, ideoque communiter sunt invicem commutabiles & compensabiles, tunc possunt uniri in ratione unius objecti, si spectent ad eundem hominem, quia tunc sunt res ejusdem rationis, quæ facient unam rem majorem, si simul veluti partes conveniant; & ita se habent pecuniæ, panni, frumenta &c. quæ augent divitias ejusdem hominis, & referuntur ad eandem necessitatem vitæ, suntque in commercio hominum invicem permutabilia ac compensabilia, pecuniæ cum pannis, panni cum frumentis &c. & una mensura omnium est pecunia, qua ista omnia acquiri possunt; hinc si ad eundem pertineant, constituunt unicum numero objectum majus, & consequenter tantùm augent malitiam numericam actus, quo auferuntur. E contra si sint plures, quarum una non est capax accipiendi augmentum ab altera, aut quæ à natura usuque hominum non referantur ad eundem finem, nec ita sint permutabiles invicem, sed in se habent suas rationes completas & diversas, tunc non poterunt uniri in ratione unius objecti, sed manent plura moraliter objecta, quamvis terminent unum actum, & sic se habent famæ trium hominum, nam fama unius non augetur per famam alterius, nec hæ famæ ordinantur ad unam famam, nec inter se commutantur vel compensantur, cùm possit uni reddi fama manente infamia alterius, ergo non uniuntur in ratione unius objecti, & consequenter si uno actu detrahatur de fama trium, non est detractio unius famæ, nec augetur malitia unius detractionis, sed sunt moraliter tres detractiones triplicis famæ, ergo tria numero peccata.

152 *Inst.* Ergo si uno actu furer tres ducatos spectantes ad tres diversos homines, hi tres ducati erunt unum objectum, & sic erit unum numero furtum. Resp. *Vasq.* concedit sequelam, sed malè, uti rectè probat Dicast. *n.* 244. quia nempe læduntur tria distincta jura, unde N. seq. quamvis enim illi tres ducati sint apti esse unum objectum, dommodo ad unum pertineant, quia tunc est unum jus constans pluribus partibus ad se invicem relatis ratione ejusdem personæ, tamen quamdiu ad diversos spectant, unus non potest augere alterum, neque possunt facere unam opulentiam, neque jus ad unum potest augere jus spectans ad alterum, neque etiam illi ducati aut illa jura referuntur ad eundem sed ad diversum usum, nempe singulorum hominum, ergo quamdiu pertinent ad diversos homines, non possunt facere unum objectum.

153 *Objic.* 2. Actus unus, quo quis dat eleemosynam tribus pauperibus, non habet tres numero bonitates, ergo nec actus, quo quis vult occidere tres, habet tres malitias, ita *Suar.* Resp. 1. cum *Nav.* & aliis N. ant. cùm enim subleves tres miserias illorum trium, sunt tria objecta, & consequenter sunt moraliter tres eleemosynæ. Resp. 2. cum Dicast. *de Pœnit. num.* 249. etiam N. conseq. disparitas est, quia ut actus bonus habeat bonitatem, debet intendi honestas talis virtutis: hinc bonitas actus non multiplicatur, nisi multiplicetur honestas, quæ est objectum motivum actus, sed ubi uno actu tribus datur eleemosyna, videtur esse honestas unica, quamvis cæteris paribus major, ergo dici potest esse unum objectum. E contrà ut contrahatur malitia peccati, non est opus intendi inhonestatem, sed malitia desumitur etiam per ordinem ad alia objecta vel effectus, quales sunt læsio plurium jurium, quæ quia spectant ad diversos, non faciunt unum objectum.

Inst. Ergo qui voluisset dare eleemsyonas infinitis hominibus, aut è contrà occidere infinitos homines, contraxisset bonitates vel malitias ac peccata infinita. Resp. Dicast. n. 256. negat conseq. quia talis actus semper est inefficax, & tunc multa objecta habent se per modum unius objecti, cum enim non intendatur reipsa, & efficactier damnum seu effectus, non censentur distinctæ injuriæ sed una contra numerum infinitum veluti unum objectum, habens jus unicum, ut nemo tali actu inefficaci circa se versetur. Hæc responsio non placet, unde Resp. Eo modo, quo cognoscit infinitos homines, tali modo etiam contrahit infinitum numerum bonitatum aut malitiarum, quia vult, quantùm est de se, efficaciter levare tot miserias, aut lædere tot jura; unde cum infinitos numero homines tantùm confusè cognoscat & modo finito in infinitum, ita contrahit bonitates vel malitias numero confuso infinitas, id est, actu finitas, ita tamen, ut singulas enumerando sint semper acceptibiles plures in infinitum. 154

Objic. 3. Concretum accidentale non multiplicatur nisi multiplicato subjecto seu recto, sed rectus, quem importat tam peccatum quàm malitia, est actus liber, ergo non multiplicato actu, non multiplicatur peccatum vel malitia, ita Bonæspei *d.* 4. *n.* 99. Resp. Ut concretum accidentale multiplicetur moraliter, satis est rectum multiplicari moraliter, talis autem actus quamvis sit physicè unus, est moraliter multiplex, ergo rectus moraliter multiplicatur. 155

Inst. Unius actus non datur nisi unum objectum, ergo etiam una tantùm malitia objectiva, ergo & una tantùm malitia formalis, ita *Caramuel*: Resp. Unius actus physicè considerati non datur nisi unicum objectum adæquatum, sed unius actus moraliter considerati dantur plura objecta physicè inadæquata, sed in genere moris adæquata, ut patet in uno actu habente plures specie malitias ob respectum ad objecta specie distincta.

§. 3. Quamvis regula colligendi multiplicitatem numericam peccatorum in uno actu ex multiplicitate objectorum, videatur esse satis clara, tamen in particularibus materiis adhuc difficile est eam applicare, hinc AA. etiam illi, qui regulam n. 151. datam nobiscum admittunt, adhuc variant in sententiis, uti constabit ex seqq. exemplis. 156

1. Si quis uno actu dubitet circa tres fidei articulos, aut eos neget, vel culpabiliter ignoret, Cresp. à Borgia *in selectis q.6.num.*18. docet esse tria peccata, ideoque putat in Confessione dicendum, dubitavi circa tres fidei articulos, quia dubitatio est ipsum peccatum, diversi autem articuli sunt diversa objecta, cùm veritas objectiva unius non augeat veritatem alterius, sed contradicunt Oviedo *nu.* 116. & Dian. *p.3.t.4.R.*156. quia licèt una veritas objectiva non sit major altera, tamen una falsitas objectiva, quam hìc apprehendit peccans, est major altera, ideoque unus actus potest esse falsior altero, ergo articuli vel revelationes plures, de quibus dubitat, faciunt in apprehensione ipsius unicum objectum magis falsum vel magis dubium, ergo est unum objectum, & consequenter satisfaciet dicendo, semel dubitavi in fide. Hinc etiam si quis de tribus rebus diversis interrogatus postea circa omnes uno actu juret falsò, ob rationem jam insinuatam committit unum numero peccatum, uti docent Oviedo & Diana *p.* 1. *tr.* 7. *R.* 40. & fatetur Borgia suprà,

quia jurat unicum objectum falsius.

157 2. Si quis uno actu blasphemet in tribus diversis materiis, v. g. dicendo Deum esse injustum, infidelem, ignorantem, Ovied. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 163. dicunt esse unum peccatum, quia videtur esse unica major irreverentia: Borgia dicit esse tria, quia videntur esse tria objecta, contra quæ fit irreverentia, ex eo enim, quòd Deus esset injustus, non ideò esset infidelis vel contrà, nec injustitia apta est augere infidelitatem, ergo sunt plura objecta.

158 3. Si quis uno actu oderit tres homines, Dicast. n. 257. dicit esse unum peccatum, sed alii meliùs dicunt esse tria, quia displicent tria diversa bona: imò cùm communiter odio adjunctus sit affectus mali, & hæc tria mala nunquam possint censeri unum malum, eò quòd singulas afficiant diversas personas, videntur ideo saltem esse tria peccata: & hoc ipsum videtur docere Dicast. n. 229.

159 4. Si quis uno actu optet eidem quatuor diversa mala, v. g. paupertatem, infamiam, mortem, damnationem æternam, sunt quatuor peccata, etiam specie distincta, uti rectè Mol. Suar. Con. Sylvius & alii, si advertat specificam diversitatem illorum malorum, & nihilominus optet: unde quando Dicast. n. 498. dicit oppositum esse probabile, intelligendus est, si optans non apprehendat illa ut specie distincta, sed tantùm velut diversa numero: imò posset esse unum numero peccatum, si illa omnia optet, apprehensa tantùm in genere mali.

160 5. Si quis uno actu eidem personæ vellet rapere diversa Dominia, Principatus, Regna &c. putat Dicast. n. 234. fore plura peccata, quia licèt omnia videantur spectare ad bona fortunæ, tamen non videntur unum objectum constituere, cùm sint jura, obligationes & modi valdè diversi gubernandi singulas communitates, & jus, obligatio vel modus gubernandi unam non possit augere jus, obligationem vel modum gubernandi alteram, neque etiam invicem commutari.

161 6. Si quis uno actu uni detrahat vel calumnietur in tribus diversis materiis, Bonac. Lugo, Dian. suprà, Dicast. *n.* 88. *&* 592. Bonæspei *d.* 8. *num.* 98. dicunt esse unum peccatum, quia illa omnia videntur posse eidem conflare unam infamiam majorem, sed Nav. Sylvius *qu.* 72. *à* 9. Borgia *num.* 15 probabiliùs dicunt esse tria, quia læduntur jura ad tres diversas famas, nam per hoc, quòd quis sit laudabilis in virtute justitiæ, non fit laudabilis in virtute castitatis, & per hoc, quòd sciatur esse fur, non ideo scitur esse impudicus, sed retinet jus ad hanc famam, ergo hæ famæ sunt diversa objecta, neque magis videntur posse conflare unicam numero famam, quàm tria jejunia unum jejunium, licèt faciant ad majorem macerationem ejusdem corporis.

162 7. Si quis uno actu eidem in eadem materia detrahat apud tres homines, multi dicunt esse unum peccatum ob unitatem personæ, cui detrahitur, & materiæ, in qua detrahitur, sed tenendum est oppositum, quia famæ illæ, quæ apud singulos tolluntur, non possunt facere unam famam majorem: nam famæ illæ sunt bona existimatio, quam singuli habent de tali homine, existimatio [illegible] habet unus, non potest augere existimationem, quam habet alter, neque ex eo, quòd tollatur vel minuatur existimatio apud unum, tollitur aut minuitur apud alterum, sed manet jus ad famam apud hunc, ergo hæ famæ & jura ad famas non constituunt unum objectum.

163 8. Si quis in mortali constitutus uno actu baptizet vel absolvat tres homines, Tan. Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 41. *&p.* 5. *T.* 3 *R.* 27. Spor. *de pœn. n.* 435. Stoz. *l.* 1. *p.* 3. *n.* 585. dicunt esse unum numero peccatum, sed Borgia num. 22. dicit esse tria, quia sunt tria objecta, nempe tria Sacramenta, quorum singulis fit injuria vel irreverentia. E contra tamen, si quis uno actu consecret multas hostias vel ciboria, est unum peccatum, quia omnia habent se per modum unius hostiæ istius sacrificii.

164 9. Si quis uno actu statuat tota septimana omittere Horas, aut non jejunare in tota quadragesima sunt totidem peccata, quot dies, quia sunt totidem objecta, cùm officium vel jejunium unius diei non ordinetur ad officium vel jejunium alterius.

165 10. Si quis una deliberationeomittat omnes vel plures Horas unius diei, Tol. & alii, quos refert ac sequitur Busemb. relatus *l.* 4. *n.* 1201. dicunt esse tot peccata, quot Horæ sunt omissæ, sed Nav. Lugo & alii probabiliter dicunt esse unicum, majus vel minus, prout plus vel minùs omittitur, quia omnes Horæ referuntur ad unum officium constituendum, faciuntque unum objectum.

166 11. Si quis intendat per tria Festa non audire Missam, sunt tria peccata, quia sunt tria objecta, Borgia n. 21. Si autem Festo incidente in Dominicam non audiat Missam, Nav. Con. & alii dicunt esse duo peccata, sed probabilius est cum Suar. Vasq. Sanch. Compt. *d.* 103. *s.* 4. *n* 11. esse unicum, quia est moraliter unum præceptum, conformiter ad dicta num. 137. de jejunio, ideoque est unum objectum.

167 Q 28. *Quandonam actus physicè plures sint unum vel multiplex numero peccatum?* R. Quæ Busemb. relatus n. 146. de hoc habet, sunt magis elucidanda. Itaque in genere dicendum est, tum actus physicè plures, esse unum numero peccatum, quando ita uniuntur, ut in æstimatione prudentum censeantur una actio in genere moris, tum autem esse plura, quando non ita uniuntur: sed manet difficultas, quandonam censeri debeant ita uniri, nam sæpè sunt actus planè diversæ rationis, qui tamen concurrunt ad unum peccatum, sæpè ex uno actu fiunt plures, quia fit interruptio; sæpè idem actus ex eodem impetu reperitur, neque satis sciri potest, an actus illi physicè plures, censeri debeant esse moraliter plures an unus. Circa actus plures, qui concurrunt ad unum peccatum, serviunt seqq. Regulæ.

168 1. Si multi actus spectent ad eandem consummationem peccati, & intendantur ex eodem fine principali, quamvis sint valdè diversi, sunt unum numero peccatum: v. gr. Titius optat sæpiùs mortem Caii, emit arma, aptat sclopetum, quærit Cajum, etiam per aliquot dies, inquit Dicast. *de pœnit. d.* 9. *num.* 73. tandem inventum trajicit globo & postmodum confodit gladio; hùc sunt plures physicè actiones, & diversæ rationis, sed quia sunt sibi subordinatæ in ordine ad consummandum homicidium, & ex eadem immutata voluntate tendunt in eum finem, sunt unum numero peccatum, ideoque satisfacit in Confessione Titius dicendo, occidi hominem. Similiter si Sempronius sermones turpes, oscula, tactus habuerit cum eadem muliere in ordine ad copulam ex eis secutam, sunt unum peccatum cum copula & satisfacit dicendo, semel habui illicitam copulam, nec opus addere de tactibus, osculis aut sermonibus, multò minùs de eodem numero, cùm enim illa communiter soleant comitari & ex se ordinentur ad copulam, hac intellecta satis intelliguntur, Dic. n. 101. Quòd si sequantur statim post copulam sine intentione novæ copulæ Navarr. Lorca & alii cum Castrop. *t.* 2. *d.* 3. *p.* 1. *num.* 5. pu

tant adhuc non fore distinctum peccatum, quia erunt veluti complementum prioris copulæ; è contrà Suar. & alii multi dicunt fore distinctum, quia ex natura sua sunt inchoatio copulæ, ergo post copulam erunt inchoatio novæ copulæ; hanc sententiam Averſ. *qu.* 72. *ſ.* 2. meritò ſuadet confitentibus velut tutiorem, Dicaſt. autem num. 75. agnoſcit utramque in & extrinſecè probabilem, ſed pro claritate ſic diſtinguit, ſi illa continuè intendantur velut complementum prioris voluptatis, ſentit cum Nav. ſi intendantur ad novam copulam vel cum periculo pollutionis, tenet cum Suar. ſi ex neutro fine intendantur ſed in ipſis ſiſtatur velut aliis voluptatibus, rectè dicit fore diſtinctum ſecundùm ſe peccatum. Quòd autem J. Sanch. apud Caſtrop. dicit adhuc fore unum peccatum, quamvis longa interruptio fuiſſet inter copulam, & iſta conſequentia, admitti non debet, quia non apparet, quomodo cenſeri poſſint complementum præcedentis, niſi ſtatim poſt, quaſi ex eodem impetu contingant.

169 2. Si plures ejuſmodi actus externi per intentionem operantis ordinentur ad diverſos fines malos, erunt multiplex peccatum, hinc ſi Titius primò voluiſſet tantùm vulnerare, & poſteà ex alia ira vel malitia occideret Cajum, eſſent duo peccata ſpeciatim explicanda: ſi Sempronius faciens oſcula & tactus noluiſſet copulam, quamvis hæc ob auctam libidinem poſtea ſequeretur, deberent tactus & oſcula ſpeciatim explicari, & quidem addito eodem numero, uti & tum, ſi facta eſſent, & non eſſet ſecuta copula, quamvis fuiſſet intenta, quia quando vel animo vel reipſa in illis ſiſtitur, habent ſuam in ſe malitiam diverſam à malitia peccati ulteriùs conſummati, uti habet communis & certa cum Dicaſt. num. 76. & Leſſ. *in auct. v. Confeſsio, caſ.* 10. Idem eſt, ſi mala voluntas fuerit retractata, & poſt eam reaſſumptam ſequatur homicidium vel copula, tum enim ſunt plura peccata, quia ſiſtebatur in illa prima voluntate, nec iſta prævia ampliùs referebantur ad conſummationem peccati, cum quo facerent unum, hinc licèt poſtea ſequatur conſummatio, dicere debet, toties volui occidere aliquem: occidi aliquem: toties habui turpes tactus: habui copulam &c. Caſtrop. *p.* 2. *num.* 2.

170 3. Quamvis peccans ordinet plures actus externos ad unum finem, ſi tamen illi actus de ſe non ſpectent ad conſummationem unius peccati vel operis, ſed in ſe ſint completi, non ideò erit unum numero peccatum ſed multiplex: hinc pollutio ſemper debet ſpeciatim explicari, quamvis facta ſit ex intentione copulæ, quia ex ſe non ordinantur ad copulam, ſed eſt contra finem copulæ, cujus finis eſt generatio. Similiter qui ex una intentione habendi centum ducatos centenis vicibus moraliter interruptis furatur etiam eidem homini ducatum, facit centum numero peccata, quia ſinguli actus ex ſe non ordinantur ad invicem, ideoque ſinguli ſeparati ſunt plena conſummatio externa voluntatis interiæ moraliter peccaminoſæ, unde non ſatisfacit dicendo, furatus ſum centum ducatos, ſed addere debet, per centum vices. Similiter Sacerdos, qui die Natalis Chriſti ter legens Miſſam, ter communicat in mortali, ter peccat, quamvis Miſſas ordinaret ad quemcumque unum finem, uti rectè Stoz. *lib.* 1. *p.* 3. *num.* 584. quia ſingulæ Miſſæ & Communiones ſunt actus de ſe completi in ratione ſacrificii & convivii ſpiritualis: ubi è contrà ſi ſumpta hoſtia & diſtributa per duas horas communione ſumeret reliquas particulas, eſſet unum peccatum, quia ſumptio hoſtiæ & particularum pertinet ad conſummationem unius ſacrificii, non obſtante tanta interruptione phyſica.

4. An ille, qui continuo tempore in mortali 171
abſolvit centum pœnitentes, centies peccet, non ita eſt certum; negant aliqui cum Rodriq. apud Eſcob. *lib.* 8. *num.* 230. & Lugo, Dian. Gob. Stoz. Spor. 435. dicunt eſſe ſaltem probabile, quod tantùm ſemel peccet, quia videtur eſſe unum miniſterium: hinc putant ſatis eſſe, ſi dicat, ſemel abſolvi plures in mortali; ſed dicendum eſt cum Bonac. Poſſev. Eſcob. Ovied. n. 115. Dicaſt. *à num.* 85. Borgia *qu.* 6. *num.* 23. Platel. *de Sacramen. num.* 74. toties peccare, quoties abſolvit, tum quia adminiſtratio Sacramenti toties eſt completa, neque una ſpectat ad alteram, tum etiam quia ſingulis Sacramentis fit gravis injuria.

Et ob eandem rationem videtur probabilius 172
cum Vaſq. Con. *de Sacrament. qu.* 64. *num.* 35. Caſtrop. *p.* 3. *num.* 8. Oviedo *num.* 14. Dicaſt. *de Sacram. d.* 3. *num.* 234. quòd ille qui continuo tempore in mortali 100. hominibus dat Communionem, ſuppoſito quòd communionem diſtribuere in mortali ſit mortale, centies peccet mortaliter, quia ſingulæ Communiones ſunt convivium ſpirituale completum reſpectu ſingulorum, neque una harum actionum ordinatur ad alteram, ſed eſt completa miniſtratio Sacramenti: oppoſitam tamen ſententiam, nempe eſſe unum numero peccatum, docent etiam multi, inter quos Henriq. Fill. Dian. Marchant. Platel. num. 73. Buſemb. *lib.* 6. *par.* 1. *num.* 86. referendus: & probabile eſſe agnoſcit Boſco *de Sacrament. d.* 1. *ſ.* 7. *num.* 175. Hoc verum eſt, fore unum peccatum, ſi Sacerdos eidem communicanti daret plures hoſtias, uti rectè Dicaſt. ſuprà, quia eſt unica Communio.

Q. 29. *Quid addendum ſit circa multiplicationem* 173
numericam peccati propter interruptionem, & repetitionem actuum? R. Interruptio actus interni poteſt contingere, vel formaliter retractando voluntatem, & poſtea eandem reſumendo, vel non retractando quidem formaliter, attamen convertendo eam ad aliquid aliud: quod fieri poteſt, vel deliberatè, uti ſi quis prius volens furari, de hoc cogitans vadat aliò, ubi non eſt occaſio furandi; vel indeliberatè & ſine advertentia deſiſtendo à priori voluntate, v. gr. per oblivionem, ebrietatem, ſomnum; & hæ interruptiones quandoque multiplicant peccata, quandoque non, uti declarabitur ſequentibus Regulis.

1. Si voluntas fuerit retractata formaliter, & 174
iterum reſumatur, probabilius eſt ſemper eſſe ſimul plura peccata, uti tenent Nav. Suar. Bonac. Hurtad. Rhod. Caſtrop. *T.* 2. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 2. Dicaſt. *de Pœn. d.* 9. *n.* 104. hinc Arr. & Tann. dicunt hanc ſententiam eſſe communem, Averſ. *queſt.* 72. *ſ.* 3. dicit eſſe prorſus certam, quamvis contradicant Gran. Haunol. Gob. Stoz. & aliqui Recentiores. Ratio noſtra eſt, quia poſita retractatione prior actus fuit completus & terminatus, ita ut non maneat nec formaliter nec virtualiter nec habitualiter, ideoque ad novum actum requiritur planè alia libertas, deliberatio & determinatio, ergo ſi reſumatur voluntas, non poſſunt cenſeri unus moraliter actus. Duo opponit Lugo, imprimis, quia unum peccatum eſt, ſi quis die jejunii ſurgens à ſecunda refectione cum voluntate non ampliùs comedendi, ſtatim poſt redeat & iterùm comedat. Deinde, quia illa multiplicatio per ſolam retractationem voluntatis non videtur eſſe moraliter diſcernibilis. Sed hæ rationes non urgent, nam ſecunda refectio ideò eſt unum peccatum, quia Eccleſia tale prandium computat per modum unius comeſtionis, uti rectè Herincx *d.* 5. *n.* 56. certum eſt autem talem interruptionem communiter eſſe ſufficienter & per ſe diſcernibilem, ex

hoc, quòd deliberatè immutetur voluntas, & quisque facilè advertat, se jam positivè nolle & postea iterum positivè velle: quid enim potest esse magis discernibile, quàm talis immutatio, cum adeo diverso tendendi modo qui semper cadit sub actualem cognitionem & sub experimentale exercitium potentiæ? Quòd si defectu reflexionis aliquando non advertatur talis interruptio, aut per oblivionem excidat numerus, per accidens est, nam hoc ipsum etiam sæpè fit in discernenda specie, item in variis casibus circa numerum, uti si quis scandalizarit aliquam multitudinem: unde sicut tum sufficit dicere, an fuerit magna vel parva multitudo, ita hìc sufficeret dicere, circiter, aut diuturnitatem temporis, quo continuati sunt illi actus.

175 2. Si voluntas non fuerit efficaciter retractata, manet unum numero peccatum, v. g. Cajus legit turpem librum; Titius dissuadet; audiens Cajus hæret suspensus, quid agat, sed resumpta voluntate pergit legere: hìc est unum numero peccatum, & satisfacit dicendo, semel legi librum turpem, quia voluntas non fuit absolutè & efficaciter retractata. E contrà si seriò voluisset abstinere, & statim post iterum legisset, deberet dicere, bis legi, secundùm dicta n. 174.

176 3. Si voluntas non fuit retractata formaliter, sed interruptio facta sit per deliberatam conversionem ad aliquid incompossibile cum priore intentione, est retractatio interpretativa, quæ etiam multiplicat peccata, hoc ipso enim, quòd advertenter velit aliquid aliud incompossibile, censetur non velle, quod priùs volebat, uti rectè Spor. *de Pœn. n.* 437. Similiter dicunt Tan. *d.* 4. *q.* 2. *d.* 4. & Aversa *q.* 72. *s.* 2. quando quis semel peregit suum conatum, quamvis irritum, vel ab eodem conatu quamvis imperfecto desistit ex tædio vel lassitudine, sine proposito ultrà pergendi, ita ut jam videatur conatus ille finitus, si postea voluntatem renovet, est aliud numero peccatum, cùm enim prior cum posteriore nullam habeat connexionem aut dependentiam moralem, non possunt censeri unus moraliter actus; hinc, inquit Lugo, qui voluisset hoc die occidere Cajum, si hoc die non occidit, censetur voluntas illa cum hoc die finita, quamvis expressè non retractet, ideoque si cras iterum velit, erit aliud numero peccatum. Idem dicit Dicast. *n.* 73. si volens occidere, veniat ad locum, ubi putabat esse hostem, & quia audit procul abiisse ac post mensem rediturum, si decernat tunc occidere, est novum peccatum, quamvis prior voluntas non fuerit retractata. Idem dicit nu. 95. quandocumque per lapsum temporis est talis dispositio, ut nunc non commoveretur ad desiderium occidendi, quamvis ipsi occurreret de eo cogitatio; tunc autem censetur esse talis dispositio, si intervenerit aliqua mutatio, v. g. si hostis interim fecerit ipsi aliquod beneficium, tunc enim virtualiter erit revocata prior voluntas occidendi, unde si renovetur, erit aliud numero peccatum: & idem est in aliis materiis.

177 Quando interruptio facta est per conversionem deliberatam vel indeliberatam ad aliquid aliud adhuc compossibile cum executione prioris intenti, tunc tantùm multiplicabuntur peccata, si singuli actus habeant aliquid, in quo communicent, nec invicem sibi subordinentur, quod maximè contingit in peccatis internis, v. g. odiis, delectationibus morosis, quæ erunt tot numero, quoties voluntas interrupta illos actus repetet, uti rectè Castrop. *p.* 3. *n.* 17. & Dicast. *num.* 99. contra alios, tunc enim nihil habent, in quo uniantur. Notat tamen Aversa *s.* 3. si quis unico iræ impetu sæpiùs per repetita desideria interna optaret malum proximo, id censeri unum: & idem est in aliis materiis. Addit Dicast. *nu.* 107. si quis aliquid turpe appetens, nec cogitans abstinere ab eo affectu, casu per aliquod occurrens distrahatur, & statim redeat ad appetitionem priorem, adhuc censeri unum actum, quamvis enim illi actus propriè sibi non subordinentur, tamen objectum manfit moraliter præsens. Quòd si actus sibi subordinentur, vel sine notabili interruptione continuentur in aliquo opere exteriore, uti plures actus odii contra inimicum, cujus mors quæritur per aliquod medium externum, hi omnes sunt unum peccatum secundùm dicta num. 168. quia moraliter uniuntur, partim in illa voluntate occidendi, partim in illo uno medio externo, quo intenditur mors, & tunc actus alius, quo renovatur propositum, veluti naturaliter suboritur ex priori actu facitque moraliter unum cum illo.

5. Quamvis actus tales sint sibi subordinati & 178
continuentur in aliquo medio seu opere externo, tamen si inter unum & alterum intercedat nimis magna mora temporis, non manebit unus moraliter actus, uti habet communis contra *Tamb. de Confess l.* 2. *c.* 1. *num.* 32. ubi cum Dicast. *num.* 65. & aliis docet, quantumcumque sit magna interruptio, non multiplicari peccata, nisi simul adfuerit retractatio prioris voluntatis; sed hoc communiter & meritò rejicitur ab aliis. Quanta autem hæc mora esse debeat, ut censeantur plura peccata, non potest una regula definiri. Aliqui nimis laxè extendunt ad septimanas, menses & annos; alii nimis rigidè contrahunt ad diem & horas: verùm relinquendum est judicio prudentis, habita reflexione ad intensionem actus antecedentis, qui imperabat executionem; item ad naturam occupationis, quæ animum aliò abstrahit; denique ad alias circumstantias, quæ dici possent priorem actum quasi abolere: optimum erit, quod suadet Aversa cum aliis communiter, ut pœnitens explicet moram temporis & consuetudinem sæpè vel non sæpè repetendi tales actus per diem aut septimanam.

6. Qui ex eodem impetu & deliberatione statim 179
repetit actum, v. g. qui sæpiùs alterum percutit, convitiatur, blasphemat, pejerat, detrahit, si in eadem manet materia, secundùm Castrop. *nu.* 5. Dicast. *n.* 77. aliosque multos & graves AA. committit unum numero peccatum, quia censetur idem actus repeti: idem est, si quis continuè pluries osculetur eandem puellam, uti habet Aversa: item si quis, postquàm dixit contumelias & ob aliquid occurrens intermiscuit aliqua alia verba, si in eodem congressu repetat easdem contumelias, uti habet Dicast. *nu.* 107. Item si quis ex uno gulæ impetu dies vetito per tempus unius prandii plures carnes etiam diversas comedat ut notant Lugo, Gob. Stoz. *l.* 1. *p.* 3. *nu.* 574. Similiter quando quis statuit furari plures pannos ex una officina, quos omnes quasi una vice apprehendit, hoc ipso quòd invadat officinam, & possit tollere, quos volet, quamvis tota nocte efferat per repetitos actus, quia nempè una vice tollere non potest, est unum peccatum, quia est una apprehensio, cui subordinantur & deserviunt plures actiones intrà breve tempus repetitæ. E contrà si quis ex eodem impetu per repetitas actiones inferat diversa vulnera, dicat diversa convitia aut blasphemias, aut in diversis materiis pejeret aut detrahat, communis sententia est, inquit Castrop. *num.* 6. esse plura peccata, probabile tamen putat ipse cum Bonac. esse unicum; quid autem probabilius dicatur, colligi potest ex sententiis relatis à num. 150. Dicendum verò est absolutè cum aliquos apud Mendo *diss.* 2. *n.* 2. fore duo peccata, si quis ex eodem impetu & deliberatione hæc

beret duas cum eadem copulas sibi succedentes, quia talia, si semel sint facta, ob specialem suam conditionem non censentur unquam eadem repeti, nec simul facere unum.

180 *Q.* 30. *Quandonam peccatum omissionis numero multiplicetur?* R. Docebunt exempla, unum de omissione Missæ, alterum de omissione restitutionis, quæ facilè applicabuntur ad alias materias.

§. 1. Qui pridiè festi decrevit non audire Missam in Festo toties peccat, quoties cum morali interruptione repetit hoc propositum ante Festum, quia ante hunc diem nihil est, in quo volitiones illæ possent continuari aut dici moraliter unum, necdum enim est omissio Missæ quæ tunc necdum præcepta est, & tantùm ponitur causa remota illius omissionis, uti habet S. Thom. 2. 2. *q.* 79. *a.* 3. *ad* 3. Si autem ipso die Festo primo mane decernat non audire Missam, quam per totum mane audire posset, & sæpe ad meridiem usque repetat hanc volitionem, Oviedo *controv.* 5. *à nu.* 110. dicit fore unum peccatum, qualiscumque fuerit interruptio volitionum, dummodò interim non retractarit voluntatem, quia à primo mane incepit exterius peccare per omissionem Missæ tunc debitæ, ut habet S. Th. suprà, & hæc una omissio quasi continuè producitur usque ad ultimum tempus, non enim ideò præcisè peccat, quia eam non audit ultimo tempore, sed quia eam toto mane non audit. E contrà Vasq. & Castrop. *t.* 2. *d.* 3. *p.* 3. *n.* 17, probabilius putant tunc tantùm fore unum peccatum, si omissio fuerit decreta ex intentione unius operis incompossibilis cum Missa, & toto mane continuati, quale posset esse studium, tunc enim omnes volitiones, quæ renovantur, sufficienter uniuntur in uno illo opere, tanquàm medio, per quod excluditur Missa: si autem non fuerit intentum vel continuatum tale unum opus, toties peccatur quoties cum interruptione morali renovantur illæ volitiones, quia hæ non sunt unum, neque inter se, uti patet, neque in omissione Missæ, quæ toties desinit esse voluntaria, quoties intercedit interruptio prioris voluntatis omittendi; & de hac est loquendum, uti suprà locuti sumus de multiplicatione numerica peccati commissionis, unde inquit *Comp. d.* 102. *s.* 8. *n.* 4. si priùs volens omittere indormiisset, & experrectus iterum vellet omittere, essent duo peccata.

181 *§. 2.* Qui rem ablatam pergit injustè retinere, multiplicat numerum peccati, imprimis si priùs voluit restituere, & postea iterum non velit, aut data opportunitate non restituat. Deinde quoties renovat voluntatem non restituendi, cum tali deliberatione animi, ut quamvis antehac noluisset non restituere, jam nollet, uti notant Ovied. *nu.* 112. & Diana *p.* 2. *tr.* 16. *R.* 25. Addit Castrop. *nu.* 2. si priùs non potens restituere, & postea iterum potens non restituat, quia per impotentiam discontinuata fuit prior voluntas, cùm retentio tunc non esset peccaminosa, ut anteà; quod etiam affirmat, si non ampliùs cogitarit de retentione, & diu post recordans pergat retinere, intermedio enim tempore retentio non erat actualiter voluntaria, neque prior voluntas continuabatur in aliquo effectu, qui esset causa illius retentionis, ergo cùm de novo fiat voluntaria, de novo fit peccatum. Putant etiam Suar. Mol. Dicast. *de just. l.* 2. *d.* 1. *n.* 67. peccatum non restitutionis multiplicari numero per interruptionem somni, aut etiam omnimodæ distractionis, quia tunc nihil manet exteriùs, in quo continuetur, cùm omissio nihil sit, verùm contradicunt alii cum Lugo *de Pœn. d.* 16. *n.* 148. docentes posse esse, per se loquendo, unicum peccatum, quamvis per plures annos restituat; si tamen sit obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, poterit ratione longæ durationis esse obligatio addendi tempus injustæ retentionis. Et idem dicendum est in aliis materiis, quandocunque negligitur impletio alicujus, ad quod est obligatio, sive ex præcepto, uti ad Confessionem vel Communionem annuam, sive ex voto.

Pro praxi circa Confessionem peccatorum quoad 182
numerum, plura addentur *l.* 6. *p.* 2. quando de Confessione, nam ex hactenus dictis de distinctione specifica & numerica, satis apparet in his plùs esse tribuendum judicio naturali, item usui fidelium ac sensui communi prudentum, quàm scrupulosæ considerationi scholasticorum, uti etiam advertit Haunold. *num.* 419.

CAPUT II.

De peccatis in specie, mortali & veniali.

DUBIUM I.

Quid sit peccatum mortale & veniale?

Resp. I. Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam & amicitiam cum Deo solvit, pœnamque æternam meretur. Dicitur, *mortale*, quia spiritualis vitæ principium, gratiam scilicet habitualem tollit, & mortem animæ affert. 183

Veniale est, quod ob suam levitatem gratiam & amicitiam non tollit, etsi fervorem charitatis minuat, temporalem pœnam meretur. Dicitur *veniale*; quia salvo vitæ spiritualis principio, scilicet gratia, languorem animæ facilè curabilem infert, veniamque facilè consequitur.

Resp. II. Mortale peccatum duplex est, aliud est mortale ex genere suo; aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est, quod per se lædit charitatem Dei vel proximi, quoad personam, res aut jura, vel nos ipsos corrumpit graviter. Ita Az. *l.* 4. *c.* 9. Sanch. 1. *mor. cap.* 3. *Unde resolves.*

I. Peccata contra bonum proprium commissa ut plurimùm sunt venialia ex genere, ut v. g. inutilis & vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus & vestitus, nugæ, otium, excessus in cibo, potu somno, risu, usu conjugii, timore, tristitia, appetitu pecuniæ, laudis, &c.

II. Peccata contra virtutes Theologicas, sunt mortalia ex genere suo, quia nocent bono alicui interno Dei, v. g. veracitati, misericordiæ, charitati. Item ferè omnia, quæ fiunt contra Decalogum, quia quæ committuntur contra tria prima præcepta, nocent similiter Deitati, scientiæ, omnipotentiæ divinæ, ejusque honori externo vel interno: quæ verò contra reliqua præcepta fiunt, nocent personæ, bono, aut juri proximi.

III. Peccata illa septem, quæ dicuntur Capitalia, non omnia sunt mortalia ex genere suo, quia non omnia graviter Deum aut proximum lædunt, vel nos ipsos corrumpunt.

Resp. III. Mortale ex accidente, dicitur, cùm actus aliquis venialis aut indifferens, fit per accidens mortalis, de quo *infrà*.

ADDENDA.

Quæst. 31. *An dentur peccata aliqua de se mortalia, alia de se venialia?* R. Non omnia peccata esse æqualia, constat ex dictis num. 114. Circa quæstionem autem hìc propositam, refert varios erores Bellarm. *de amiss. gratiæ l.* 1. *c.* 4. nam. 1. Jovinianus & Pelagius dixerunt absolutè omnia peccata in omnibus hominibus esse mortalia. 2. Wicleff. & Calvinus dixerunt omnia quidem esse mortalia, 184

ſed ſolis reprobatis reputari tanquam mortalia, prædeſtinatis inutem tanquam venialia, 3. Lutherus, Melanchton, Kemnitius aliique dixerunt fidelibus ſolam infidelitatem imputari ad mortale, in infidelibus autem omnia eſſe de ſe mortalia, quamvis aliqua ex Dei miſericordia imputentur ad pœnam tantùm temporalem. 4. Quidam Lutherani concedunt etiam in fidelibus plura mortalia præter infidelitatem, ſed dicunt omnia in his imputari tantùm ut venialia. 5. Ex Catholicis DD. aliqui, ſaltem in ſpeciem, favent his erroribus, nam Bajus, Gerſon, Almaius & Roſſenſis etiam dixerunt mortale & veniale non differre ex natura rei, ſed omnia eſſe mortalia, quædam verò ex Dei miſericordia & bonitate eſſe venialia; Tannerus tamen *d. 4. qu. 5. dub. 1.* rectè oſtendit eos, quoad rem, diſſenſiſſe ab hæreticis, & Arr. *d. 48. ſ. 2.* dicit Catholicos illos tantùm voluiſſe, quòd aliqua ſint venialia ex Dei ordinatione, quia aliqua antecedenter prohibuit tanquam venialia tantùm, quæ prohibere potuiſſe tanquam mortalia, hinc J. Poncius *d. 22. num. 23.* defendit ſententiam horum DD. dicens in terminis, *Nulla peccata venialia ſunt ita talia ex natura ſua, quin poſſint prohiberi ſub pœna peccati mortalis & reddi mortalia; unde quòd ſic non prohibeantur, oritur ex bonitate & miſericordia Dei*: an autem hæc fuerit mens illorum DD. parùm refert, ſaltem non ideò fuerunt hæretici, quia errorem ſuum non defenderunt cum pertinacia. Pro confutandis erroribus reliquis, tenenda ſunt ſequentia:

185 §. 1. Dantur peccata, alia mortalia, alia venialia, nam *Matth. 5.* dicitur. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, qui dixerit raca, reus erit concilio, qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*, quæ SS. PP. apud Bellarm. *cap. 9.* applicant veniali & mortali. Item Matth. 23. dicitur de Phariſæis, *Excolantes culicem, camelum autem glutientes*, id eſt in levibus ſcrupuloſi, & graviora non curantes: Lucæ 6. reprehenditur videns feſtucam in oculo alieno & non curans trabem in ſuo Item de mortalibus dicitur ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Ad Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis &c. Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* De venialibus dicitur Proverb. 24. *Septies enim cadet juſtus & reſurget*, quæ verba licèt S. Aug. *de civit. l. 11. c. 31.* explicet de tribulationibus, tamen S. Hier. *in comment.* & alii communiter intelligunt de venialibus. Eadem venialia comparat Apoſt. 1. ad Corinth. 3. cum fœno & ſtipulis: Jacobi 3. dicitur, *In multis offendimus omnes*: 1. Joan. 2. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*; circa quæ verba S. Aug. *de Civit. lib. 14. cap. 9.* ait: *Non eſt qualiumcumque hominum hæc vox: ſed vel maximè piorum & multùm juſtorum & Sanctorum.* Idipſum docet Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* ubi dicit mortalia eſſe neceſſariò confitenda, non item venialia: & hoc ipſum manifeſtè aſſerunt SS. PP. apud Bell. *c. 5. & ſeqq.*

186 §. 2. Fideles & prædeſtinati poſſunt peccare mortaliter; è contrà infideles & reprobati venialiter, vel nullo modo per actiones ſuas. *Pars. 1.* patet, quia David, in quantum homicida & adulter, item Magdalena, in quantum dicitur fuiſſe in civitate peccatrix, peccarunt mortaliter, ideo hi erant fideles & prædeſtinati, ergo. *Pars 2. prob.* quia infidelis & reprobatus poteſt jocosè mentiri, hoc autem eſt veniale tantùm, ergo *Pars* eadem, uti & *tertia* definitur in Trid. *ſeſſ. 6. Can. 7. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata vel odium Dei mereri &c. anathema ſit.* Ratio eſt, quia infidelis poteſt dare eleemoſynam ex commiſeratione in pauperem extremè egentem, hoc autem non eſt peccatum, nam Deus hortatur ad talem miſericordiam, & punit, ſi negligatur, uti habetur Matth. 25. ergo. Idem evincitur ex propoſ. ab Alex. VIII. damnatis, quas *n. 12.* retulimus.

Objic. 1. Ad Rom. 8. dicitur, *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto*, ergo apud fideles & prædaſtinatos nihil eſt mortale. *Ibid. c. 14.* dicitur, *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſed nullum opus infidelis eſt ex fide, ergo omne opus infidelis eſt peccatum. R. *Ad 1.* Apoſtolus, tantùm vult, quòd in illis qui ſunt juſtificati per Chriſtum, nihil ſit damnabile, id eſt, in illis nihil ſit dignum damnatione, cùm per gratiam ſint amici Dei, quamdiu manent in Chriſto ſeu in gratia per Chriſtum illi data. *Ad. 2.* Non eſſe ex fide, ſignificat, eſſe contra dictamen conſcientiæ, uti patet legenti antecedentia, falſum autem eſt, quòd omne opus infidelis ſit contra dictamen conſcientiæ.

§. 3. Fideles poſſunt aliter peccare mortaliter, 187
quàm per infidelitatem, uti definit Trid. *ſeſſ. 6. c. 15. & Can. 27.* Ratio eſt, quia fideles poſſunt fornicari, adulterare, furari &c. ſed hæc non ſunt infidelitas, & tamen ſunt mortalia, quia de illis dicitur 1. ad Corinth. 6. *Regnum Dei non poſſidebunt*, ergo.

§. 4. Non eſt ab imputatione Dei quòd aliquid 188
ſit peccatum mortale vel veniale, quod mereatur pœnam æternam vel temporalem. Probatur, in primis quoad opera hominis juſti ex Trid. *ſeſſ. 6. c. 15. Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.* Deinde probatur univerſaliter, 1. Quia mortale quamdiu eſt, ex natura ſua habet, quod exigat odium abominationis & inimicitiæ Dei, cùm enim mortaliter peccans perfectè & vi ſui actus perpetuò ſe avertat à Deo, tollendo à ſe gratiam, per quam ſolam redeundum eſſet ad Deum, hoc ipſo meretur, ut Deus perpetuò avertatur ab eo & æternùm puniat: hoc non habet ex natura ſua veniale, alioquin Deus poſſet non odiſſe odio abominationis & inimicitiæ, hoc autem falſum eſt, quia veniale ſtat cum gratia, uti docet Trid. *ſeſſ. 6. c. 11. Quantumvis Sancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti*, ergo veniale ex natura ſua & præſcindendo à Dei imputatione habet, quòd non ſit mortale, & conſequenter quòd non mereatur pœnam æternam. 2. Deus juſtè imputat peccatum, ſicuti unumquodque eſt malum & intrinſecè imputabile, ergo antecedenter ad Dei imputationem habet eſſe tale, uti exigat imputari vel graviter vel leviter, ſi enim ſit prudens imputatio, debet haberi ejus fundamentum, alioquin verbum otioſum aut etiam actus indifferens poſſet ad mortale imputari. 3. Si ex imputatione ſit peccatum, ergo ultimum, in quod reſolvetur peccatum, erit imputatio Dei, & poterit homo dicere Deo, ideò offenderis, quia tu vis.

Objic. 1. Pſal. 31. dicitur, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, ergo ex imputatione Dei eſt peccatum. 2. Eccleſia pro animabus in ſolo veniali defunctis orat Deum, ne abſorbeat eas tarTarus, ut pœnas inferni non ſuſtineant, &c. ergo agnoſcit poſſe ideo adhuc damnari, & petit miſericordiam Dei, ne id fiat 3. Omne peccatum eſt gra ve vel leve Theologicè per reſpectum ad legem Dei graviter vel leviter obligantem, ergo omne pecca-

tum est grave vel leve perspectum ad volitionem Dei, ergo est tale, quia Deus vult esse tale, & imputat ut tale. Resp. *Ad* 1. neg. conseq. quia etiam ille est beatus, cui Deus remisit actuale peccatum, nec tamen inde sequitur, ergo ex non remissione est actuale peccatum, sed potius sequitur *oppositum*, quod *non* remissio supponat actuale peccatum: Deinde imputari hìc significat tam perfectè remitti, ut *nihil* de pœna etiam maneat, sed homo redeat ad primam & æquè perfectam cum Deo amicitiam, uti rectè explicat Le Blanc in hunc locum: David enim immediatè antè erat locutus de remissione culpæ, ergo hìc tantùm intelligit perfectam remissionem pœnæ. *Ad.* 2. Ecclesia sic orans considerat animas veluti è corpore migrantes aut jam emigraturas, & orat pro eis veluti necdum judicatis, uti rectè Herincx *d.* 7. *n.* 9. *Ad* 2. Pendet à volitione Dei, quòd aliqua saltem objecta, quæ nimirum non sunt intrinsecè mala, prohibeantur graviter vel leviter, aut etiam nullo modo, sed supposito quòd sint graviter vel leviter prohibita, & quis talem legem transgrediatur, non pendet à Dei volitione, quòd hæc transgressio sit gravis vel levis: sicuti si nullo modo sint prohibita, non pendet à Dei volitione, ut talis actio sit vel non sit peccatum: hinc distinguo primum consequens, ergo omne peccatum est grave vel leve perspectum ad volitionem Dei quæ constituit legem antecedenter ad peccatum, transeat, quæ post peccatum factum imputaret illud graviter vel leviter, n. conc. 1. & 2.

Inst. Deus posset condonare totum mortale, ergo poterit eousque condonare, ut maneat tantùm veniale. R. Si sermo sit de pœna, C. si de culpa, N. est enim una malitia, ergo sicuti non potest Deus eousque minuere essentiam hominis, ut maneat brutum, sic nec poterit ita minuere essentiam mortalis, ut maneat veniale.

189 §. 3. Peccatum mortale & veniale differunt ex natura sua, uti manifestè sequitur ex dictis, & ulteriùs, probatur ex Conciliis, ac definitione Pontificum, nam Conc. Milev. cui interfuit S. Aug. & ejus Canones composuit, docet Can. 6. 7. 8. Sanctos & justos habere quædam peccata, quæ licet Sanctitati & Justitiæ non repugnent, tamen verè peccata sint, & remissione indigeant. Deinde S. Pius V. Greg. XIII. & Urb. VIII. damnarunt hanc 21. propos. Baii. *Nullum peccatum est ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Idem habetur ex traditione Ecclesiæ aliisque Concil. & SS. PP. apud Bellarm. *c.* 10. Ratio est, 1. Quia irrationabile videtur, quòd Deus propter offensiunculas, quas omnes nobis moraliter impossibile est vitare, posset amicitiam suam rescindere, gratiam tollere & æternùm punire; sic enim non censeretur sincerè & constanter velle nos habere sibi amicos, imò amicitia & gratia Dei redderetur contemptibilis, sicuti inter homines censemus esse irrationabile, ut quis, sive *Superior* sive æqualis, propter quidvis leviss*i*mum moraliter indeclinabile graviter offendatur & puniat, qui autem ita ad quidvis graviter offenderetur, ejus amicitia meritò esset contemptibilis tanquam aliquid omni momento amissibile & obnoxium minimis periculis, ergo tales offensiunculæ non sunt ex natura sua dignæ inimicitia Dei sed veniales. 2. Furtum nummi levissimi ex natura sua non graviter repugnat naturæ rationali aut fini illius, & etiam secluſa revelatione Dei, secundùm lumen naturæ cognoscimus esse quid tantùm leve, ergo ex natura sua non est peccatum grave.

190 *Objic.* Matth. 5. dicitur, *qui solverit unum de his mandatis minimis, minimus*, id est nullus *vocabitur in regno cœlorum*; Item Joan. 13. dicitur, *si non lavero te, non habebis partem mecum*: hæc autem lotio significabat remissionem venialium, ergo venialia excludunt à cœlo. Resp. *Ad* 1. dicitur, *qui solverit & docuerit sic homines*, prava interpretatione corrumpendo verbum Dei uti explicat S. Hier. & dicendo ibi non esse peccatum, ubi tamen est, ille nullus erit in regno cœlorum, quia hoc faciendo peccat mortaliter. *Ad* 2. S. Basil. explicat, si lavari nolueris, non habebis partem mecum, quia hæc inobedientia fuisset peccatum mortale: & SS. Aug. & Bernard. explicant, non habebis partem mecum, priusquam fueris lotus à venialibus, quia venialia impediunt beatitudinem.

Objic. 2. *S. Basil. in qq. brevibus qu.* 293. expressè 191
dicit differentiam majorum & minorum peccatorum nusquam in novo testamento reperiri, S. Aug. *de vera & falsa pœnit. c.* 8. dicit ex misericordia Dei esse, quòd venialia sint levia. Præterea multi PP. appellant venialia, quæ de se sunt mortalia, ergo apud ipsos in re idem est, esse mortale & veniale. R. *Ad* 1. plures apud Bellarm. *cap.* 13. dicunt eum librum falsò adscribi S. Basilio: alii dicunt tantùm velle, quòd à Monachis, cum quibus ibi agit, omnia sine discrimine sint cavenda, non quærendo an sint mortalia an venialia, & ita Evangelium sine distinctione etiam dicit omnia cavenda: & hæc responsio videtur bona, nam titulum quæstionis est, *quomodo ergo agi par est cum his, qui cùm majora peccata declinant, minora perinde, ac si nihil referrent, committunt?* *Ad* 2. S. Aug. se ipse explicat, nempe ex Dei misericordia esse, quòd ob venialia non negentur gratiæ actuales, sine quibus consentiretur in mortalia. *Ad* 3. notat S. Th. 1. 2. *qu.* 88. *a.* 2. peccatum apud PP. tripliciter dici veniale, imprimis à causa, si nempe fiat ex ignorantia vel fragilitate, tum enim dicitur veniale, quia est dignius gratia, quàm si fieret ex malitia. Deinde ab eventu, quia per pœnitentiam obtinetur ejus venia, & est quasi veniabile seu remissibile: atque in his duabus acceptionibus sæpè à PP. confunditur cum mortali. Quando autem significat veniale in se, id est tale, ut de se stet cum amicitia Dei, semper in natura sua distinguitur à mortali, nec PP. illud cum mortali confundunt.

Objic. 3. Omnis offensa Dei est pejor quàm of- 192
fensæ infinitæ creaturarum, sed hæ essent malitiæ infinitæ, ergo etiam omnis offensa Dei est malitiæ infinitæ, ergo est mortale. Deinde, omne veniale est plùs odibile, quàm infinitum bonum sit amabile: potiùs enim esset carendum infinito bono, quàm committendum veniale, sed infinitum bonum est infinitè amabile, ergo veniale est infinitè odibile, ergo malitiæ infinitæ, ergo mortale. Præterea pœna æterna damni & sensus est minus malum, quàm unicum veniale, ergo qui committit veniale, meretur utramque pœnam æternam, ergo meretur mortem æternam, ergo est moraliter mortale. R. *Ad* 1. Offensæ infinitæ creaturarum nullam habent malitiam Theologicam, hanc habet veniale, & ideò superioritate ordinis illas superat. *Ad* 2. Veniale est infinitè odibile, absolutè, n. respectivè ad electionem ejus præ bono, id est, potiùs debet in infinitum odio haberi, quàm eligi propter quodvis bonum [illegible], ex quo tantùm sequitur nullam esse eligibilitatem in veniali, non autem esse malitiam infinitam, nam nec possum eligere unicum veniale, ut impediam omnia mortalia aliorum hominum, nec tamen inde sequitur veniale esse pejus quàm mortalia. *Ad* 3. N. conc. veniale habet in se malitiam moralem, quia est volitio libera malitiæ objectivæ, pœna non habet, quia consistit in perpessione mali extrinsecùs illati, ex quo

plus

plus non sequitur, quàm quod veniale nullo modo sit eligibile, pœna autem possit eligi, uti vitetur veniale, sed non sequitur, quòd veniale non possit satis puniri per quamvis pœnam, quia pœna in ratione pœnæ seu correptionis potest esse major, quàm veniale sit malum in ratione culpæ: & saltem est certum, quod veniale non mereatur privationem amicitiæ Dei.

Inst. 1. Minimum opus bonum meretur præmium æternum, ergo minimum opus malum meretur pœnam æternam. R. N. cons. quando opus bonum meretur præmium æternum, hoc habet à supernaturalitate, & quia operans est per gratiam, vel sit filius Dei, cui sic operanti appromissa est gloria & hæreditas æterna, nihil tale est, quod reddat veniale dignum pœna æterna.

Inst. 2. Saltem veniale, quod committitur ab illo, qui est in mortali, merebitur pœnam æternam, sicut actus, qui fit à justo, meretur præmium æternum. R. N. seq. quia opera bona dignificantur à personæ dignitate, objectum enim complacentiæ divinæ est opus etiam prout est à tali persona per gratiam dignificata: opera mala de se sunt indigna & ingrata Deo, neque semper indignificantur ratione operantis aliunde accidentaliter indigni, nam si fiant ab hoste censentur minùs mala, cùm indignius sit aliquod malum inferri ab amico vel filio, secundùm illud Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu verò homo unanimis, &c. qui dulces mecum capiebas cibos &c.* ergo objectum hujus displicentiæ non tam est persona operans quàm opus ipsum, quod exigit puniri, non secundùm indignitatem accidentalem operantis, sed secundùm malitiam suam: cum hoc tamen stat, quod ob naturalem quasi vilitatem personæ offendentis quandoq; censeatur offensa major, uti si rusticus percutiat nobilem censetur gravius, quàm si nobilis nobilem, quia talis vilitas naturalis subjecti in æstimatione prudentum plus auget indignitatem operis, quàm vilitas tantùm accidentalis per peccatum.

Inst. 3. Veniale est contra legem minantem grávem pœnam, scilicet mortis temporalis vel Purgatorii, quam veniale meretur, ergo est mortale, gravis enim obligatio legis civilis ex eo colligitur, quòd minetur pœnam mortis. R. Mors temporalis vel Purgatorium respectivè ad Deum & vitam æternam est quid leve: respectu legum humanarum est quid grave, quia est summum, quod possunt inferre homines.

193 *Objic.* 4. Quòd veniale remittatur, est ex gratia Dei, ergo posset non remitti, ergo posset semper puniri, & quòd non semper puniatur, est Dei misericordia, ergo de se est mortale. R. Est ex gratia Dei, sed suo modo debita, quia gratia Dei, quam veniale non tollit, exigit ejus aliquando remissionem fieri, potestque homo condignè pro illo satisfacere aut saltem satispari. Quòd si fortè non remittatur aut etiam æternùm puniatur in inferno, quia conjunctum est cum mortali, id non est ex natura peccati venialis, sed per accidens ob statum damnati propter mortale.

Inst. Deus posset non acceptare satisfactionem pro veniali, tum autem homo propter veniale privaretur æterna beatitudine, ergo tale veniale esset mortale. R. Deum tum acturum ut absolutum Dominum, & præter naturam ac exigentiam gratiæ: de cætero veniale ex se non mereretur æternam privationem gloriæ, aliàs etiam mereretur privationem æternam gratiæ, quæ confert jus ad gloriam æternam.

194 *Objic.* 5. Peccans venialiter, v.g. dispurans ob vanam gloriam, ponit finem ultimum in creatura, sibi enim quærit illud bonum gloriæ, & in illo sistit, ergo peccat mortaliter, nam mortale est habere alium finem ultimum quàm Deum: *Nec refert*: quod hic alius finis sit aliquid leve, *nam* tantò indignius est, ut in eo ponatur finis ultimus. R. N. antec. tum enim tantùm poneretur finis ultimus in creatura per veniale amata, si quis ex affectu ad hanc paratus esset transgredi alia graviora præcepta, ut rectè Suar. *d.* 2. *s.* 6. *à n.* 12. De cætero, si hoc non fiat, & maximè si venialiter peccans sit in gratia, quasi habitu refert illud bonum creatum in Deum, uti habet S. Th. *suprà a.* 1. *ad* 3. vel quia habet habitum charitatis, qui est ordinatio ad Deum, vel quia veniale refertur ad bonum peccantis, peccans autem per habitum charitatis refertur ad Deum, quod sufficit, ut veniale impropriè dicatur habitualiter referri ad Deum, uti notat Gonet. *d.* 9. *n.* 72.

Inst. 1. Ergo si peccans venialiter sit in mortali, tum habet creaturam pro fine ultimo, non enim habet habitum charitatis, quo ordinetur ad Deum. R. N. seq. quia illud veniale, quantum est de se, non excludit habitualem ordinationem actus humani ad Deum, cùm non excludat charitatem, quæ ad Deum ordinat: per accidens autem est, quòd illa ordinatio excludatur per mortale adjunctum.

Inst. 2. Disputans ob vanam gloriam non refert actu vanam gloriam ad Deum, quia disputat ob suam & non ob Dei gloriam: imò si suum peccatum refert ad Dei gloriam, vellet Deum honorari per peccatum, in quo esset gravis irreverentia & hæresis, ergo talis actus sistit in illo suo bono creato, ergo actu habet illum suum bonum creatum pro fine ultimo. *Respondet* 1. Suar. *s.* 4. *n.* 11. habere bonum creatum pro fine ultimo, negativè tantùm, id est, non referre in Deum tanquam finem ultimum, attamen non ideò velle, ut Deus non sit ultimus finis, sicuti si quis sagittam emittat in liberum aërem; sagitta non tendit in metam, sed non ideò habet aliam metam: neque est de ratione ultimi finis, ut etiam mala ad illum referantur, sed tantùm ut bona; & ut per mala simpliciter non deseratur. *Respondet* 2. Gonet. *num.* 82. talem habere bonum creatum pro fine ultimo, non simpliciter, sed secundùm quid, id est, excludere tantùm relationem actualem istius actus ad Deum, non tamen habitualem, uti ante dictum est, & utraque responsio in idem recidit. An & qualis sit obligatio omnia referendi ad Deum, dicetur à num. 208. & intelligi potest ex jam dictis.

Objic. 6. Veniale contemnit Deum, ergo est 195 mortale. *Prob. ant.* ideò mortale contemnit Deum, quia immediatè est contra amicitiam Dei & mediatè contra Deum, sed veniale est immediatè contra familiaritatem Dei & mediatè contra Deum, ergo veniale contemnit Deum. R. N. ant. ad prob. disparitas est, quòd nolle amicitiam sit simpliciter deserere Deum; nolle autem familiaritatem, non sit simpliciter deserere Deum, sed tantùm modus perfectiùs habendi Deum; sicuti non videre Deum est separari à Deo, & damnari; sed videre remissiùs est tantùm separari à modo clariùs videndi.

Inst. 1. Veniale minuit amicitiam Dei; ergo est contra amicitiam Dei, ideoque mortale. R. Minuit amicitiam Dei præhabitam, *minuendo* gratiam, per quam sumus amici Deo, n. *nullus* enim gradus amicitiæ præhabitæ tollitur per veniale: minuit amicitiam Dei habendam, *impediendo* actus perfectiores, quibus augeretur gratia, aut etiam disponendo ad perdendam Dei amicitiam, c. per hoc autem non peccatur graviter, quia non est obligatio saltem gravis ad illos actus perfectiores, aut ad augendam gratiam, aut ad cavendas omnes occasiones remotas

perdendæ Dei amicitiæ.

Inst. 2. Si humanitas Christi committeret veniale, perderet unionem cum Deo, ergo signum est esse mortale, quia *tollit* gratiam & dividit à Deo. R. N. cons. hoc tantùm est mortale, quod tollit amicitiam Dei, veniale tolleret unionem physicam cum Deo, non ex oppositione cum amicitia Dei, sed ob perfectissimam sanctitatem, quæ convenit personæ divinæ, qualis est Christus, cum qua sanctitate stare non potest veniale.

196 *Objic.* 7. Si daretur veniale, esset v. gr. detractio famæ in materia levi, hoc autem peccatum non est veniale, quia est ablatio majoris boni, quàm sit ducatus, sed ablatio ducati est mortale, ergo. R. Detractio levis est ablatio boni ex genere suo & politicè majoris, attamen simpliciter & Theologicè parvi in illo suo genere, datur enim in omni genere boni creati aliquid simpliciter Theologicè parvum, ratione cujus peccatum dicitur leve, quamvis illud bonum secundùm comparationem cum bono inferioris ordinis censeatur politicè majus.

197 *Obic.* 8. Incredibile est, quòd duo furta, quæ non distant ad invicem nisi unico nummo, ex natura sua ita differant, ut unum tollat amicitiam Dei, & sit punibile pœna æterna; alterum autem non, sed hoc dicendum est, si detur mortale & veniale ex natura sua, nam ponamus materiam gravis furti esse determinatè aureum: qui hunc furatur, peccat mortaliter, qui furatur minùs unico nummo, peccat venialiter, ergo. R. Hanc difficultatem esse solutam, *lib. 3. part. 1. num.* 1001.

198 *Q.* 32. *Quænam peccata de se fiunt mortalia, & quænam venialia?* R. Dari mortalia & venialia ex se talia constat ex dictis à num. 175. sed determinatè, quænam illa sint, est periculosissimum & difficillimum inquit S. August. *de Civit. Dei l.* 21. *c. ult.* & S. Th. *quodl. 9. art.* 15. ait, *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Universaliter dici potest ibi esse mortale, ubi est materia gravis & quantitas notabilis, in quam tenditur cum plena advertentia & pleno consensu; è contrà ibi esse veniale, ubi saltem unum horum deest, ut intelligetur ex sequentibus; & ut à primo, quod est gravis materia, inchoemus, supponendum est mortale aliud esse tale per se sive ex genere & objecto, aliud per accidens; mortale per se est, intrà cujus objectum est aliquid secunddm se grave, id est, graviter repugnans naturæ rationali, ut furtum; vel oppositum legi graviter obliganti, uti omissio Missæ die festo; nam intrà objectum furti est aliquid, quod graviter repugnat juri naturæ, v. g. ablatio ducati, & intrà objectum omissionis Missæ est aliquid, quod graviter opponitur præcepto Missæ, v. g. omissio medietatis. Mortale per accidens est, cujus objectum non est aliquid de se grave, tamen ob circumstantiam, quæ accidit, fit objectum illius grave, v. g. verbum jocosum in circumstantia gravis scandali, quod datur innocentibus, mendacium in circumstantia conscientiæ erroneæ, qua judicatur esse mortale, vel in circumstantia gravis damni, quod per illud causatur proximo. Hîc dubitatur, quænam peccata sint per se mortalia, quænam per se venialia.

199 §. 1. Mortale per se est duplex, aliud ex toto genere, aliud tantùm ex genere suo. Mortale ex toto genere est, quod semper est mortale, ita ut intrà idem genus non possit dari veniale, per se loquendo, id est, spectata materia ipsius peccati, præscindendo ab erronea conscientia, semiplena advertentia vel indeliberato consensu. Mortale ex genere suo tantùm est, quod per se est mortale, ita tamen, ut intrà idem genus dari possit veniale.

200 §. 2. Mortalia ex toto genere sunt, quæ vel directè sunt contra Deum aut aliquam ejus perfectionem, vel quæ in gravissimum generis humani præjudicium cederent, si haberent parvitatem materiæ, vel quæ sunt circa rem absolutè gravem, quæ non est capax ullius latitudinis, sed quasi in indivisibili consistit.

Ad 1. *genus* spectat 1. Infidelitas, per quam, si 201 res etiam minima diseredatur, derogatur, vel infinitæ veracitati Dei, quæ se interponit pro veritate talis rei revelatæ, vel ejus fidelitati, qua promisit ita assistere Ecclesiæ, ut non permittat errare in proponendis fidei rebus. 2. Blasphemia, per quam aliquid imperfectionis attribuitur Deo, vel aliquid perfectionis adimitur, quod ipsius excellentiæ derogat: si tamen Blasphemia sistat in sancto, uti si per jocum dicas S. Crispinum fuisse sutorem, poterit esse veniale, uti habent Sanch. Ovied. *Contr.* 3. *p.* 4. *n.* 47. aliique apud Dianam *p.* 5. *tr.* 5. *R.* 3. contra Lorcam 3. Odium, quo quis vult aliquid, quia Deo malum est, etiamsi sit levissimum, quia hoc derogat infinitæ ejus amabilitati. 4. Perjurium, quo infinita Dei veritas vocatur in testimonium falsi, uti constat etiam ex hac prop. 24. ab Innoc. XI. damnata, *vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* 5. Desperatio, quæ derogat, vel fidelitati vel misericordiæ, vel omnipotentiæ Dei. 6. Præsumptio, quæ derogat justitiæ Dei, quasi hoc punitura non esset, vel justò languidiùs processura, hinc audiendus non est Bonæspei *de Spe d.* 4. *num.* 48. putans eum peccare venialiter, qui ex præsumptione bonitatis Dei peccat venialiter, aut ex eadem differt pœnitentiam ad breve tempus. 7. Simonia saltem juris naturalis, uti dictum est *l.* 3. *p.* 1. *n.* 198. De Simonia juris Ecclesiastici, vide dicta *l.* 4. *n.* 632. 8. Huc etiam spectat superstitio, divinatio, sortilegia, magia, si per illa directè tribuatur creaturæ, quod soli Deo est proprium, v. g. scientia futuri liberi, potentia ad aliquid supernaturale, Diana *R.* 29. 9. Huc reducit Rhodes *d.* 1. *q.* 3. *s.* 2. §. 2. irritationem Sacramentorum, quia fit gravis irreverentia institutioni Christi, si per quidvis, etiam levissimum, frustrentur fine. Cur autem hæc omnia sint mortalia, quantumcunque parva sit materia, est hæc ratio, quia semper invenitur in his integra ratio irreverentiæ, nec propter materiam magnam vel parvam variatur judicium morale.

Ad 2. *genus* spectant. 1. Homicidium, si 202 enim unquam liceret, gravissimæ perturbationes inveherentur in Remp. humanam. *Nec obstat*, quòd homo non fuisset fortè nisi unico quadrante superviciurus, quia adhuc vita illa nullo pretio est satis æstimabilis, tam ratione sui, quàm bonorum actuum, qui ea durante fieri possunt. 2. Peccata, quæ extra Matrimonium fiunt in materia venerea, uti dictum est à nu. 98. si enim vel minima voluptas venerea esset tantùm venialis, tunc ex vehementia propensionis ad illam, & exigua aversione à peccato veniali sequeretur immensa corruptio naturæ, in gravissimum præjudicium generis & propagationis humanæ, uti rectè notat Haun. *de pecc. num.* 412. & latè probat Sanch. *in Decal. l.* 5. *cap.* 6.

Ad 3. *genus* [illegible] Diana *R.* 12. 203 materiam jejunii naturalis prærequisiti ante communionem, hoc enim graviter præcipitur in reverentiam Eucharistiæ, & frangitur per quidvis etiam minimum sumptum per modum cibi vel potus. Idem dicunt de statu gratiæ prærequisito ante Sacramenta vivorum, qui status, quamvis sit capax latitudinis, cùm gratia possit esse major vel minor, tamen absolutè requiritur status alicujus gratiæ, ut tale

tale Sacramentum, per se loquendo, suscipiatur. Aliqui eò reducunt materiam fractionis sigilli, quia quantumcunque leve aliquid ad sigillum spectans reveletur, semper absolutè solvitur sigillum, & peccatur mortaliter, Diana *R.* 8. ubi *R.* 9. simili modo loquitur de sollicitatione ad turpia, quæ fit in Confessione. Item huc spectat materia mixtionis aquæ & vini pro consecratione, quia quantumcunque parùm aquæ addatur, satis est, si nihil addatur, est mortale. Alia similia adducit Bonæspei *de pecc. d. 9. num.* 61. sed rectè notat in plerisque saltem requiri parvitatem materiæ. An autem talia peccata, quæ de se non admittunt parvitatem materiæ, dici possint eam admittere, prout substant præcisioni formali peccantis, quæstio est parùm utilis, pro qua videri potest Bonæspei *à num.* 25. Ratio omnium antedictorum est, quia per singula illa peccatur mortaliter, & manendo in materiis illorum peccatorum non potest peccari venialiter, ergo sunt mortalia ex toto genere.

264 §. 3. Mortalia ex genere suo tantùm, sunt, quæ repugnant, 1. Charitati erga se ipsum & proximum, sic enim graviter vel leviter peccatur nocendo bonis spiritualibus, & corporalibus tam propriis quàm alienis. Item per odium, invidiam, crudelitatem, immisericordiam, &c. 2. Religioni, nam subtrahi potest de cultu debito Deo, v. g. de oratione, multùm vel parùm; potest furto subduci res sacra, magna vel parva, reliquiæ parvæ vel magnæ, & sic peccatur graviter vel leviter, Diana *R.* 35. Idem est in materia juramenti promissorii, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 305. si enim non servetur, peccatur contra fidelitatem Deo debitam, graviter vel leviter, prout materia erit. Et idem est de transgressione voti. 3. Pietati, obedientiæ & observantiæ debitæ Superioribus, S. Thom. 2. 2. *qu.* 105. *a.* 1. 4. Humilitati, quæ respicit subjectionem hominis ad Deum; contra quam graviter peccatur per superbiam, si quis existimet se habere aliquid à se, aut habere quidem à Deo, sed ex suis meritis, aut in aliquo non indigere auxilio Dei, S. Thom. *qu.* 162. *a.* 5. Communiter tamen peccatur tantùm venialiter, v. g. per elationem quandam animi, vanam complacentiam, inanem gloriam aut jactantiam. 5. Justitiæ, per vulnerationem, furtum, detractionem, judicium temerarium, quæ, prout res est gravis vel levis, sunt mortalia aut venialia. De suspicione temeraria vide dicta *l.* 3. *p.* 2. *num.* 1177. Item de usura dictum est *ibidem num.* 848. Difficilius est determinare, an detur in electione minùs digni præ digniore, v. g. ad pinguem parochiam, in casu, quo est parva inæqualitas dignitatis: affirmant Sot. Ban. Valentia, Rodriq. Less. Fill. Lugo *de just. d.* 35. *num.* 21. quia parum pro nihilo reputatur: negat Turr. quia talis peccat venialiter, secundùm A A. cit. ergo hoc non reputatur pro nihilo: deinde supposita dignitate majore est absolutè gravis materia, sicuti supposita indigentia extrema æquali est absolutè gravis obligatio, ut priùs subvenias consanguineo quàm extraneo, inquit Diana *R.* 13. qui tamen utramque sententiam fatetur esse probabilem: Et *R.* 14. rectè docet cum communi dari parvitatem materiæ in negatione debiti conjugalis, v. g. ad medium diem. 6. Temperantiæ, ad quam spectant peccata, quibus excedit[ur] in delectationibus, præcipuè tactus & gustus. Ad tactum spectant delectationes sensibiles, quibus peccari potest mortaliter & venialiter, secundùm dicta *l.* 3. *p. à num.* 893. Ad gustum, comessatio, per quam grave vel leve damnum infertur valetudini: Item ebrietas, in qua ob voluptatem causatur plena vel semiplena privatio rationis: quamvis hæc duo peccata potiùs aliunde, quàm præcisè per oppositionem cum temperantia, habeant malitiam gravem, nam licèt semper sit peccatum quærere voluptatem in cibo & potu, si voluptas illa non referatur ad ullum honestum finem, uti dicetur *à nu.* 310. non videtur tamen unquam peccari mortaliter, si nihil aliud accedat: in comessatione autem accedit notabilis corruptio valetudinis; per quam graviter peccatur contra charitatem propriam, & contra jus, quod solus Deus habet in corpus & vitam nostram. In ebrietate accedit specialis dissonantia à natura rationali, quia ratio violentè & temerè exturbatur, absque potestate brevi redeundi ad ejus usum, per quod homo fit veluti pecus. Vide dicenda *à n.* 319. Similiter peccari posse graviter vel leviter in plurimis aliis casibus docet Diana *l. c.* & speciatim id docet de mendacio in Confessione, *R.* 27. De verbis consecrationis, *R.* 39. & 41. De conjunctione materiæ & formæ Sacramentorum, *R.* 40. De omissione partium Canonis, *R.* 45. De titulo ordinationis, *R.* 20. De dilatione pœnitentiæ Sacramentalis, *R.* 15. De alienatione rerum Ecclesiasticarum, *R.* 57. De celebranda Missa post meridiem, *R.* 58. De dimissione habitus Religiosi, *R.* 61. De gestatione tonsuræ clericalis, *R.* 60. De percussione Clerici, *R.* 65. De communicatione cum excommunicato, *R.* 21. De violatione interdicti, *R.* 59. De ingressu vel egressu clausuræ religiosæ, *R.* 22. De lectione & retentione librorum hæreticorum, *R.* 42. & 43. Ratio autem omnium ante dictorum, est, quia per singula illa peccari potest mortaliter, & manendo in materiis illorum peccatorum potest peccari etiam venialiter; tum nempe peccatur mortaliter, quando importatur multum materiæ; tum venialiter, quando importatur parum materiæ, ergo illa ex genere suo tantùm, & non ex toto genere sunt mortalia.

§. 4. Venialia ex genere suo sunt, quæ oppo- 265
nuntur. 1. Liberalitati, uti prodigalitas, & tenacitas; item avaritia, quæ prout immoderatè inclinat ad opes, etiam cum injuria proximi, sic opponitur justitiæ, & est ex genere suo mortale; prout autem inclinat ad immoderatos affectus circa opes, citrà injuriam proximi, sic opponitur liberalitati, & est ex genere suo veniale, S. Thom. 2. 2. *q.* 118. *a* 3. & 4. 2. Magnificentiæ, uti parsimonia & profusio sumptuum, scilicet nimis parva aut magna, respectivè ad opus faciendum, S. Thom. *qu.* 134. & 135. 3. Veracitati, uti mendacium, de quo S. Thom. *q.* 110. *a.* 4. ad quod spectat simulatio, qua quis se exhibet alium exteriùs, quàm est interius: Item hypocrisis, quas quis simulat sanctitatem, est que veniale de se, potest tamen aliunde esse mortale, uti si contemnat sanctitatem, quam simulat, vel si per hoc intendat grave nocumentum suum aut proximi, S. Th. *q.* 111. *a* 4. 4. Modestiæ, ut nimia cura vel neglectus vestium, inconditi gestus & joci, scurrilitates. 5. Eutrapeliæ, quæ moderatur lusus, ne nimium admittantur vel rejiciantur. S. Th. *q.* 168. *a.* 3. & 4. 6. Gratitudim, S. Th. *q.* 107. *à* 3. 7. Studiositati, ut otium & nimia avidi- tas sciendi. 8. Etiam plerumque ex objecto venialia sunt, adulatio, pertinacia, inconstantia, impatientia, ira, *quæ in passione est, & in modico vindictam expetit* ut ait S. Thom. *q.* 1, *a* 3. 9. Intet illa, quæ ideò mala sunt, quia prohibita, omnia sunt ex genere suo venialia, quæ satis fuit prohibeti leviter, in ordine ad hoc, ut impedirentur, & spectata conditione fragilitatis humanæ fuisset perniciosissimum graviter prohiberi. Ratio horum omnium est, quia per singula illa peccatur tantùm venialiter, & manendo in materiis illorum peccatorum, quantùm est ratione objecti, non potest peccari mortaliter, ergo ex genere suo sunt venialia.

Dico, quantùm est ratione objecti, nam si quis mentiatur ex formali contemptu honestatis, quæ est in veracitate, aut ex comparatione animi, quod vellet mentiri, quamvis foret mortale, peccat mortaliter, etiam contra virtutem veracitatis, ratione subjecti sic dispositi per actum de se graviter indecentem, & idem est respectu aliarum virtutum. Denique notandum ex Jacobo Alvarez *T. 2. l. 1. p. 1. c. 15.* illa venialia esse gravissima, quæ ex genere suo sunt mortalia, sed ob defectum plenæ libertatis vel materiæ fiunt venialia. Post hæc, illa venialia sunt graviora, quæ ex genere suo sunt venialia, sed plenè deliberatè committuntur. Levissima sunt, quæ ex genere suo sunt venialia & adhuc ex subpreptione committuntur.

206 *Q. 33. Per quid differant peccatum mortale, & veniale?* R. §. 1. Varii sunt de hoc modi loquendi, nam 1. Scot. Gabr. Rub. & alii dicunt per hoc differre, quòd mortale sit contra præceptum, veniale contra consilium: sed contra est, quia omne peccatum debet esse contra legem aliquam, nam *Apost. ad Rom. 4.* dicit, *ubi non est lex, non est prævaricatio.* Deinde consilium non obligat, alioquin virgo peccaret non vovens castitatem, quod est contra *Apostolum 1. Ad Corinth. 7. Si nupserit virgo non peccat*, ergo non ideo aliquid est peccatum, quod sit contra consilium. 2. S. Bonav. Alens & alii apud Amicum *d. 23. num. 41.* dicunt per hoc differre, quòd mortale sit contra legem, veniale præter legem. Contra est, quia hæc sententia incidit in eadem inconvenientia, in quæ prior. Deinde actus indifferens etiam est præter legem, nec tamen est peccatum. 3. Caj. Conr. & alii apud Amicum *n. 40.* dicunt mortale esse circa Deum, veniale circa media. Contra est, odium Dei semideliberatum est veniale circa Deum; ebrietas autem non est circa Deum, sed circa media, & tamen est mortale. 4. Hurt. & alii cum Averf. *q. 88. f. 6.* quos defendit Ovied. *controv. 3. p. 3. num. 21.* dicunt differre, quòd mortale sit grave malum, veniale autem sit leve malum: sed hæc differentia nihil adfert claritatis, quæstio enim est, cur unum dicatur grave, alterum leve, & unde habeat mortale, quod sit grave malum, veniale autem, quòd sit leve. 5. Mlodz. *T. 2. d. 2. qu. 1.* rejectis adhuc pluribus sententiis dicit per hoc differre, quòd mortale importet gravem dissonantiam à *natura rationali*, veniale levem. In re consentit Eliz. *l. 8. qu. 13. §. 9.* explicans per magnam vel modicam dissonantiam à recta ratione per fidem & authoritatem instituta. Contra est, quia sic tantùm explicatur differentia peccati philosophicè gravis & levis. Deinde restat explicandum, cur, v. g. comestio carnium die jejunii graviter dissonet à natura rationali, & non comestio buccellæ panis extrà refectiones. 6. Alii dicunt differre per hoc, quòd mortale sit simpliciter peccatum, id est, perfecta transgressio divinæ legis simpliciter dictæ: veniale autem sit peccatum tantùm secundùm quid, quia nempe, vel non est perfecta transgressio divinæ legis, vel non est transgressio legis simpliciter dictæ, nam si sit veniale ex subreptione, non est actus perfectè liber, ergo nec est perfecta transgressio, hæc enim significat perfectam, & plenam moralitatem. Si autem sit veniale ex levitate materiæ, non est simpliciter contra legem, quia, v. g. *non furtum facies*, prohibet furtum simpliciter tale, furtum autem simpliciter tale, est ex genere suo furtum grave. Denique si sit veniale ex genere suo, quamvis possit etiam esse actus perfectè liber, & etiam contra legem, quæ directe illud prohibeat, tamen talis lex non est simpliciter lex, quia nomine legis simpliciter venit sola lex graviter obligans, uti fatentur AA. communissimè cum S. Bonav. Scot. Suar. *d. 2. f. 5. d. 1.* Amic. *n. 45.* Ovied. *num. 38.* ideoque S. Thom. *1. 2. qu. 88. art. 1. ad. 1.* dicit, *non enim veniale est contra legem*, intellige, graviter obligantem. Rationem dat Bellarm. quia finis omnis legis simpliciter talis est charitas, uti constat ex Matth. 22. *v. 40.* & ex *1. ad Timoth. 1. verf. 5.* ergo quod non est contra charitatem, non est contra legem simpliciter, quod autem est contra charitatem, est ex genere suo grave, ergo quod est contra legem simpliciter, est aliquid grave. Hæc sententia fortè est vera, attamen indigeret longa explicatione, hinc.

§. 2. Mortale, & veniale differunt saltem secunda-207 rio per sequentia. 1. Quòd mortale sit simpliciter aversio à Deo, quia facit Deum simpliciter deseri: veniale autem tantùm impediat perfectiorem conversionem ad Deum. 2. Quòd mortale ponat finem ultimum in creatura, hoc sensu, imprimis quod volendo creaturam deserat ultimum suum finem, & referendo creaturam ad se ipsum, interpretativè habeat se veluti finem ultimum: Deinde etiam illo sensu, quòd amet creaturam loco ultimi finis amandi, & creaturam præferat ultimo fini, nempè Deo, veniale autem relinquat conversionem saltem habitualem ad Deum tanquam finem ultimum. 3. Quòd mortale sit contemptus saltem virtualis Dei, quia simpliciter deserit Deum, ut adhæreat creaturæ, hoc autem contemnitur, quod simpliciter deseritur, ut aliquid aliud quæratur. Veniale non contemni Deum, quia licèt creaturam in actu exercito præferat voluntati Dei, tamen non ideò deseritur Deus, nec tollitur habitualis adhæsio ad Deum. 4. Quòd mortale avertat à mediis poni debitis & ad salutem necessariis; veniale autem à mediis tantùm utilibus ad salutem. 5. Quòd mortale sit dignum Dei odio, & inimicitia, veniale stet cum amicitia. 6. Quòd mortale sit mors animæ, quia tollit gratiam, quæ est vita animæ; veniale autem sit tantùm veluti morbus disponens ad mortem. 7. Quòd mortale cum grátia tollat habitum charitatis cæterarumque virtutum mortalium: veniale autem relinquat 8. Quòd mortale sit irreparabile operanti, quia tollit principium reparátionis, quæ est gratia; veniale autem sit reparábile, quia relinquit gratiam, per quam veniale tolli potest. 9. Quòd mortale mereatur pœnam æternam damni, & sensus: veniale temporalem tantùm. Quòd autem mortale non stet cum actu charitatis, probabitur *lib. 6. p. 2.* quando de Pœnitentia, & Contritione.

Q. 34. An & quale peccatum sit non referre omnes 208 *suas actiones ad Deum?* R. Quæstio tantùm est de actionibus humano modo, & deliberatè factis, de quibus tenenda sunt sequentia. §. 1. Nulla est obligátio omnia actu, & formaliter semper referendi ad Deum, quia secundùm S. Thom. *de charit. art. 11. ad. 2. omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quòd semper de Deo cogitetur, hoc enim pertinet ad perfectionem primam (patriæ scilicet) sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur.* Itaque ad perfectionem saltem spectat omnia virtualiter referre ad Deum, hanc autem relationem virtualem explicat S. Thom ibid. exemplo Medici, qui colligit herbas & inde potionem conficit, quamvis actu non cogitet de sanitate, ob quam colligit & conficit: Item *1. 2. qu. 1. art. 6. ad 3.* explicat exemplo itinerantis, qui totum iter refert ad locum, ad quem tendit, licèt de hoc non cogitet actu semper. Quid autem reipsa sit illa intentio virtualis, colligi potest ex dictis *Lib. 4. num. 1324.*

§. 2.

209 §. 2. Est aliqua obligatio omnes actiones nostras aliquo modo referendi ad Deum, uti evincitur, 1. Ex Scriptura, ad *Coloss. 3. v. 17. omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi*: 1. ad Corinth. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: Et id esse præcepti, docet S. Thom. *in Epist. ad Coloss. cap. 3. lect. 3. quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum*: hinc 2. 2. *q.* 44. *art.* 5. ait, *præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum.* Similiter S. Bern. *serm. 2. de diversis. Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei*; Similiter S. Ambr. suprà Malachiam; S. Hier. *in Epist. ad Ctesiph.* Theoderetus *in Epist. 1. ad Corinth. cap. 10.* S. Greg. *l. 25. moral. cap.* Disertè S. Aug. *in Psalm. 65. Si ideo facis, ut glorificeris tu, hoc prohibui*; *si ideo, ut glorificetur Deus, hoc jussi*: Item *cap. 3. de corrept. & grat. præcipit Apostolus dicens*; *omnia in charitate fiant.* Et similiter loquuntur alii SS. PP. ac viri ascetici. Ratio autem est, quia Deo debemus nostras actiones, imprimis titulo supremi dominii, ex quo omnia magis debentur Deo, quàm cuivis domino temporali opera servi; deinde etiam titulo creatoris, Redemptoris, finis nostri ultimi &c.

210 §. 3. Tenemur omnia referre ad Deum, imprimis hoc sensu, quòd non liceat nobis sistere in ulla creatura tanquam fine ultimo, volendo ea frui, deserto vel non desiderato Deo, idque sub mortali, id enim cederet in gravem contemptum Dei, à quo, quantum in nobis est, tolleremus rationem finis ultimi, quæ tamen ei essentialiter competit: deinde etiam tenemus omnia referre ad Deum saltem habitu, ut explicatum est n. 194. ubi etiam ostendimus, quòd peccando venialiter, v. g. agendo aliquid propter vanam gloriam, non ideò censeamur creaturam habere positivè pro fine ultimo: prætereà tenemur etiam referre virtualiter actiones humanas ad Deum, secundùm dicenda *à num.* 312. ubi admittemus omnes actus humanos debere referri ad aliquem honestum finem, attamen *l. 3. p. 1. n. 1.* diximus non ideò teneri nos omnia agere ex motivo perfectæ charitatis in Deum. De obligatione præfigendi bonam intentionem suis operibus, dicetur n. 317.

211 *Q. 35. An & quale sit peccatum non obsequi inspirationibus divinis, aut contra illas admittere imperfectiones?* R. §. 1. Si divinæ inspirationes tendant ad opera consilii, nequidem est veniale eas non sequi, alioquin esset peccatum non eligere statum religiosum; paupertatem, castitatem, &c: & talia non essent consilii sed præcepti: si tamen contemneretur inspiratio, patet fore peccatum; quandonam autem censeatur contemni, intelligetur ex dicendis à num. 237. Similiter si inspirationes tendant ad opus præcepti, peccatum erit eas non sequi, uti peccatum est non implere præceptum. Vide Mendo *diff. 13. qu. 4.*

212 §. 2. Quod attinet ad imperfectiones, supponendum est, quòd imperfectio sit actio vel omissio repugnans consilio in re ad mores spectantes, quæ ex se nec prohibita est nec imperata, unde imperfectio est vel contra inspirationem divinam, vel contra voluntatem Superiorum, quæ tamen non obliget sub peccato, vel est contra dictamen rectæ rationis impellens ad honestiora, & decentiora, uti per exempla fusè declarat Lancicius *T. 1. opusc. 3.* & ex eo Gob. *in Exp. t. 7. n. 509.* Hoc supposito, dicendum est, quòd quando deliberatè committitur imperfectio, communiter subsit peccatum, puta sensualitatis, curiositatis, impatientiæ, acediæ vel negligentiæ alicujus culpabilis, maximè in sententia eorum, qui dicunt non dari actus morales indifferentes in individuo, uti notant Lugo *de Pœnit. d. 16. n. 102.* & Gob. *n. 510.*

§. 3. Judicarunt viri docti, non tantùm esse 213
imperfectionem, sed esse peccatum veniale, si sine causa omittatur oratio mane & vesperi, item ante & post mensam, quia recta ratio videtur dictare quòd mane actiones nostræ dirigendæ sint ad Deum, post accepta autem beneficia sint agendæ gratiæ, & ideò homines pii se accusant, si ita neglexerint, ergo signum est in tali negligentia inesse aliquid peccati. Sed ex hoc, quòd se aliqui accusent, nihil concluditur, nam multi se accusant de meris imperfectionibus: deinde non potest ostendi lex ita imperans, à pari enim dicam esse peccatum non orare ante, & post scholas, lusum, ambulationem & quodvis aliud à Deo acceptum donum vel beneficium.

Q. 36. An quale sit peccatum, si Religiosus 214
Regulas sui Ordinis non observet? R. Quamvis nulla ejusmodi Regula obligaret sub culpa, tamen propositum nullam ejusmodi Regulam observandi esse peccatum mortale, docet *Eliz.* sed negat Suar. quorum rationes utrimque retuli *l. 4. à n. 58.* Quòd autem Religiosus per tale propositum peccet saltem venialiter, videtur certum, quia cùm teneatur tendere ad perfectionem secundùm statum suum, quem maxima ex parte constituit observan. Regularum tali statui propriarum, si has negligat, negligit media optima ad perfectionem sibi præstitutam, nec ullum dari potest prudens motivum habendi tale propositum: imò docet Dicast. *de Pœn. d. 9. num. 298.* & doctè probat Less. *in auct. v. Societas JESU cas. 1.* singulas Regulas cujuscumque Ordinis vix posse violari sine peccato, quia in eo est saltem deordinatio, inquit Suar. *de Relig. T. 4. l. 1. c. 3. n. 11.* quòd membrum communitatis non conformet se toti: & qui ita transgreditur, ordinariè *nimium* servit suæ sensualitati, vel impatiens est circa disciplinam, aut acediosus, aut nimiùm tenax proprii judicii, aut intercurrit alia imperfectio, à recta ratione, & consequenter à lege æterna Dei difformis.

DUBIUM II.

Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale per accidens fiat veniale.

REsp. I. Tria requiruntur ad peccatum mor- „ 215
tale, quorum si unum desit, sit veniale, quòd „
alias ex se est mortale: 1. Ex parte intellectus, „
plena advertentia & deliberatio. 2. Ex parte vo- „
luntatis perfectus consensus. 3. Gravitas materiæ, „
saltem ut plurimùm. Ratio primæ & secundæ par- „
tis est, quia spectata fragilitate humana, non vi- „
detur decere Divinam bonitatem, æternis suppli- „
ciis punire hominem, absque plena consideratio- „
ne & consensu. Ratio tertiæ partis, quia ubi ma- „
teria parvi est momenti, ibi moraliter *modica* „
offensio esse reputatur, ut plurimùm.

Resp. II. Peccatum ex genere suo *mortale*, tri- „
bus ex causis fieri potest veniale, *ut patet* ex dic- „
tis. Prima est, si ex parte *intellectus* non sit per- „
recta advertentia malitiæ, seu deliberatio. Sig- „
na autem imperfectæ deliberationis sunt: 1. Si te- „
nuiter, & quasi semidormiens apprehendisti esse „
malum. 2. Si post, *ubi melius* consideras, judicas „
te non fuisse *facturum*, si ita apprehendisses. 3. „
Si vehementissima *passione*, apprehensione, vel „
distractione *laborasti*, vel turbatus fuisti, ita ut „
ferè nesciveris, quid ageres. „

Secunda causa est ex parte voluntatis, si non „

„ sit perfectus consensus: Signa autem imperfecti „ consensus sunt. 1. *Si* ita dispositus fueris, ut licèt „ facilè potueris exequi peccatum, non tamen sis „ executus. 2. *Si* quis dubitet, num consenserit, præ„ sertim si sit vir timoratus. 3. Si quis soleat ita esse „ affectus, ut malit mori, quàm expresè mortaliter „ peccare, quia talis non facilè consentit. 4. Si „ quis valdè timidè & suspensè processisse se memi„ nit. 5. Si semisomnis fuit, non plenè sui com„ pos &c. judicetque se id non fuisse facturum, si „ plenè vigilasset. V. Sanch. 1. *mor. cap.* 10. Baldel. „ *l.* 10. *d.* 8.

„ Tertia causa ex parte materiæ, si hæc sit parvi „ momenti: Quando autem talis sit, discernen„ dum est morali judicio prudentis: cui sequentes „ regulæ servient: 1. Ut de materia judicetur, non „ tantùm ipsa secundùm se absolutè est considera„ da, sed etiam respectivè ad finem intentum, ad „ quem si parùm facit, levis est, gravis autem, si „ multùm, ut docet Vasq. 1. 2. *d.* 158. 2. Atten„ dendæ sunt circumstantiæ, quia sæpè fit, ut res „ ex se levis, attentis circumstantiis boni commu„ nis, vitandi scandali, &c. fiat gravis. 3. An „ pars aliqua rei præceptæ sit gravis, ea spectanda „ est tum absolutè & secundùm se, tum etiam in or„ dine ad totum. 4. In transgressionibus repetitis, si „ plures materiæ parvæ, vel secundùm se, vel se„ cundùm affectus à se productos, moraliter con„ jungantur, fit materia gravis, quia tunc omnes „ moraliter reputantur pro una. Contra verò non „ censetur materia gravis, si parvæ materiæ, nec „ secundùm se, nec secundùm effectus relictos, in„ ter se uniantur. *Ex dictis resolves*:

„ I. Peccas mortaliter, ita ut fiat materia gravis, „ si sæpè modicum furaris, & non restituis, juxta „ dicta *l.* 2. *t.* 5. *c.* 1. *d.* 3. *casu* 1. Item si interruptim „ psalmos aliquot ex eodem officio omittas; si eo„ dem die *jejunii* sæpiùs parum comedas, eodem „ festo sæpiùs parùm labores.

„ II. Non peccas graviter, si diversis festis modi„ cum labores; si quotidie in Quadragesima pa„ rùm comedas. Quòd verum est, etiamsi simul „ haberes propositum id faciendi, quia cùm ista mo„ raliter inter se non uniantur, singula sunt parva. „ V. Sanch. *l. c.*

„ III. Non peccat mortaliter, qui diversis die„ bus violat votum quotidie aut *singulis diebus* mo„ dicum quid orandi, vel parvam eleemosynam dan„ di, si sit onus affixum diei, quia cùm quotidie „ cujuscumque diei obligatio extinguatur, materiæ „ illæ non continuantur. Quod verum est, etsi pro„ ponat semper omittere, quia illud propositum „ non fertur in rem gravem, imò contra Sanch. „ id quidam verum putant, etsi qui 100. vota di„ versæ speciei, in materiis valdè levibus, uno die „ implenda haberet, quia materiæ illæ, cùm sint in„ dependentes à se, non uniuntur. Si tamen simi„ lia vota non sint onus affixum diei, sed tantùm „ dies præfigatur, ut terminus, ultrà quem execu„ tio non differatur, erit peccatum mortale, post„ quam ad materiam notabilem perventum fuerit.

„ IV. Probabile est eum, qui ter & quater 1000. „ aureos in causas pias vovisset, non peccaturum „ mortaliter si tres non solveret, quia etsi talis „ pars, absolutè in se spectata, sit notabilis, com„ paratione tamen totius, morali judicio non „ valde videtur æstimanda. V. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 5.

ADDENDA.

216 *Quæst.* 37. *Quid præterea notandum sit circa defectum perfectæ advertentiæ vel perfecti consensus?* R. Seqq.

§. 1. Ad peccatum requiri advertentiam ad legem Dei & ad malitiam objectivam, dictum est à n. 15. Hic addimus ad peccatum mortale requiri plenam, & perfectam advertentiam ad malitiam gravem objecti, quam sententiam docet S. Th. 1. 2. *q.* 88. *a.* 2. *O. Ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, sit veniale, propter hoc scilicet, quòd actus est imperfectus, id est, non deliberatus ratione*: certum autem est S. Thomam per *deliberationem rationis* intelligere plenam advertentiam, uti patebit legenti *q.* 74. *a.* 3. *ad* 3. item *a.* 6. *&* *a.* 10. *O.* Hinc de verit. *q.* 15. *a.* 4. *ad* 10. se explicat his verbis, *cùm percipit homo totaliter*: Similiter *lib.* 3. ad Annib. *dist.* 39. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 1. *&* 2. requirit ad perjurium, ut fiat *cum plena deliberatione*. Sequuntur expresè Ger. *in comp. Theol. tit. de elect.* §. *Ut inadvertens* S. Bonav. *in* 3. *l.* 3. *d.* 39. *art.* 1. *quæst.* 3. Alens. *p.* 2. *q.* 125. *memb.* 11. Silv. *v. Delectatio n.* 2. Scotus *in* 3. *dist.* 39. *q.* 1. *n.* 3. *&* 4. P. Sot. *l.* 9. *De pecc. delect. Tapia. In Caten. T.* 1. *l.* 3. *q.* 17. *a.* 4. *n.* 4. *&* 6. Alv. 1. 2. *d.* 144. *n.* 3. Loth. *t.* 16. *q.* 2. *a.* 4. Bellarm. *De amiss. grat. l.* 1. *cap.* 3. Curiel. 1. 2. *q.* 74. *ar.* 8. *d.* 1. §. 2. Caspens. *De pecc. d.* 3. *s.* 3. *n.* 21. Cordub. *l.* 1. *quæst.* 23. *d.* 9. *opin.* 5. Sylv. 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *concl.* 2. Abell. *De pecc. s.* 3. *n.* 4. Cruz. 6. *præcep. ar.* 9. Wig. 1. 2. *q.* 88. *n.* 42. Mald. 1. 2. *q.* 74. *a.* 10. Serra 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. *ad.* 3. Bon. *de pecc. q.* 2. *p.* 3. *n.* 3. Duvall. *De pecc q.* 5. *a* 4. Isamb. *De pecc.* 74. *d.* 5. *ar.* 3. Victor. *Relect.* 13. *p.* 1. *n.* 6. Sayr. *l.* 8. *c.* 7. *d.* 1. Petr. à S. Jos. *Th. mor. l.* 2. *cap.* 5. *R.* 5. Mastr. *In mor. d.* 15. *q.* 1. *a.* 2. *n.* 12. Urb. ab. Ascens. *In mor. t.* 1. *c.* 16. Ovied. 1. 2. *t.* 4. *Contr.* 1. Bonæsp. *De act. hum. d.* 9. *d.* 3. *&* *d.* 10. *d.* 4. Boss. *p.* 3. *t.* 1. §. 56. *n.* 215 1. Trull. *In Decal. l.* 6. *c.* 1. *d.* 13. Zech. *In mor. c.* 4. *n.* 4. Rossel. *c.* 44. *n.* 19. Bass. *v. peccatum* 1. *n.* 6. *&* *v. delectatio n.* 6. De Coq. *de pecc. s.* 10. Martin. *T.* 2. *d.* 18. *n.* 38. Merat. *De pecc. d.* 7. *s.* 8. Herincx. *p.* 2. *d.* 7. *q.* 5. Philip. *T.* 2. *tr.* 2. *d.* 8. *d.* 4. Steph. *t.* 1. *d.* 1. *d.* 4. *n.* 27. *&* *d.* 2. *n.* 7. *&* *d.* 7. *n.* 49. Spor. *in mor. p.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *s.* 2. *n.* 12. Tabern. *p.* 1. *t.* 3. *c.* 1. *q.* 2. *&* *c.* 6. *q.* 5. aliique innumeri: verba autem Authorum citatorum videri possunt etiam apud Vindicem. Tabernæ *in Collect. ad prop.* 3. Ratio autem est, 1. Quia sicuti si gravitas malitiæ objectivæ nullo modo sit cognita, etiam nullo modo est volita, quia nihil est volitum nisi cognitum, ita si non sit plene cognita, etiam non est plenè volita, cùm volitio sequatur modum cognitionis, ergo nec poterit in actum refundere malitiam formalem gravem. 2. In negotiis & contractibus magni momenti inter homines requiritur plena advertentia ad obligationes, & onera ex eis sequentia, alioquin si homo non præcognoverit, non censetur his subjacere, ergo multò magis in negotio salutis, ubi agitur de perdenda vel retinenda Dei amicitia, de incurrendis vel declinandis pœnis æternis, requiretur plena advertentia: hinc rectè cum aliis docet Ovied. suprà *n.* 30. Deum non posse velle, ut transgressio alicujus præcepti, si fiat cum semiplena tantùm advertentia, sit mortale, quia nullum præceptum strictiùs obligat, quàm de non odiendo Deo, & tamen est tantùm veniale semiplenè advertenter odisse Deum. Ratio à priori est, quia Deus non potest facere, ut notabilis defectus advertentiæ non minuat notabiliter libertatem, ideoque & malitiam, ergo nec potest facere, & consequenter etiam non potest velle, ut mortale defectu plenæ advertentiæ non fiat veniale. 217

§. 2. Ex eadem ratione dicendum est ad mortale requiri consensum plenum & plenè deliberatum: si enim non adsit plena libertas, nimis durum foret hominem ideò fieri hostem Dei & subjacere pœnis æternis.

Objicit

Objic. Potest quis per actum bonum semideliberatum mereri cœlum, ergo etiam per actum malum semideliberatum mereri infernum, ideoque peccare mortaliter. R. Dato ant. N. cons. quia Deus promptior est ad præmiandum ex liberalitate, quàm ad puniendum ex vindicta; & quamvis ipsi sit liberum præmiare etiam ultrà condignitatem operis, tamen non est liberum punire supra demeritum peccati.

218 §. 3. Si quid fiat cum semiplena tantùm advertentia ad malitiam gravem, vel cum semipleno tantùm consensu in illam, est veniale, uti habet communis & certa sententia contra aliquos, quibus favet J. Sanch. *in select. d.* 18. qui dicunt actionem cum semiplena tantùm advertentia malitiæ gravis factam, vel nullum esse peccatum, vel esse mortale; sed contra est, quia sic operans reipsa advertit & vult malitiam, ergo peccat non mortaliter, uti dictum est num. 216. ergo tantùm venialiter.

Objic. 1. Sic peccans est moraliter veluti semihomo tantùm, Deus autem non ponit præcepta semihomini, sed integro, & habenti dominium suorum actuum. 2. Si semiadvertentia ad malitiam gravem excusat à mortali, ergo semiadvertentia ad malitiam levem planè excusabit etiam à veniali. 3. Semiadvertens potest & debet habere advertentiam, ergo si non habet, peccat graviter, ita J. Sanch. R. *Ad* 1. Deus homini integro ponit præcepta graviter obligantia, semihomini leviter obligantia, sive homini simpliciter ponit præcepta, qui si sit plenè advertens obligatur graviter, si semiadvertens, obligatur leviter. *Ad* 2. n. seq. Semiadvertentia ad mortale non relinquit totam advertentiam, ideoque nec totam libertatem ad mortale, ergo nec relinquit culpam moralem; semiadvertentia ad veniale relinquit aliquam culpam, hoc ipso tamen reddit eam adhuc minorem, quàm fuisset cum pleniore advertentia. *Ad* 3. Cum semiplena advertentia ad malitiam gravem etiam est tantùm semiplena advertentia ad obligationem pleniùs advertendi, neque in illis circumstantiis est potentia proxima ad pleniorem advertentiam, uti rectè Amicus *d.* 17. *n.* 173.

Inst. Talis homo potest abstinere à peccato secundùm se gravi, ergo peccat graviter, quòd non abstineat. R. Potest abstinere à peccato secundùm se gravi, & plenè cognito tanquam gravi, n. & semiplenè tantùm cognito tamquam gravi, c. ant. & n. cons. ubi enim est tantùm talis cognitio, non satis vivo modo repræsentans gravitatem objecti, sed cum quadam confusione, & veluti in semisomno, vel cum distractione nimia ad alia objecta vel cum quadam stupiditate mentis, uti est in rudibus, & semifatuis, nunquam adest perfectio libertatis ad mortale requisita. Ex dictis,

219 §. 4. Inferuntur seq. 1. Si quis etiam per totum diem sentiat in corpore inordinatam delectationem, sed non advertat ad ejus malitiam, vel si advertat malitiam, si eam delectationem invitus habeat, nullo modo peccat, quia si non advertat, est ac si invincibiliter ignoraret: ignorantia autem invincibilis excusat, uti constat ex dictis l. 1 à num. 734. Quòd si invitus sentiat delectationem, non est volita nec voluntaria, ergo nec imputabilis ad culpam uti dictum est hìc à n. 13.

220 Motus primò primi prævenientes ominem advertentiam, & libertatem, nullo modo sunt peccatum; & tales motus sunt, qui subitò incogitanter obveniunt homini, v. g. dum videt hostem suum vel mulierem aliquam. Motus secundò primi prævenientes perfectam deliberationem, non possunt esse nisi veniale. Motus secundò secundi seu absolutè secundi, qui fiunt cum plena advertentia, & deliberatione, sunt mortale vel veniale, prout est objectum; rectè autem notat S. Th. 1. 2. *q.* 74 *art.* 7. *ad.* 4. & Suar. *d.* 5. *s.* 7. *n.* 16. ad deliberationem perfectam saltem in nobis, requiri aliquod tempus, quamvis postmodum consensus fieri possit veluti in instanti.

3. In pueris, semiebriis, & semisopitis communiter est tantùm semiplena advertentia, vel saltem non est consensus plenè deliberatus, ideoque communiter est tantùm veniale; quod maximè valet, dum quis primum evigilat à somno, quia ordinariè non tam citò est plenus usus rationis. An peccetur in somno, *dictum est* n. 65. 221

4. Mortalia etiam fieri possunt cum ignorantia aliqua malitiæ gravis, si nempe ignorantia sit affectata vel crassa, aut si quis operetur cum dubio, an malitia sit gravis an levis, semper enim in his est aliqua ignorantia, & tamen peccatur mortaliter, quia sic operans vult, saltem interpretativè, vel se exponit periculo proximo contrahendæ malitiæ gravis, ergo peccat mortaliter. 222

5. Ad peccatum, etiam mortale, non requiritur reflexa advertentia, id est, non requiritur, ut advertam me advertere, uti rectè Aversa *q.* 74. *s.* 3. sed sufficit cognitio directa, qua reipsa cognoscam malitiam, & posteà eam velim. Neque requiritur cognitio malitiæ formalis ipsius actus, sed sufficit cognitio malitiæ objectivæ, quam quis vult, uti rectè Oviedo *p.* 5. vide tamen dicta l. 1. à num. 34. Hæc autem malitia objecta tunc sufficienter cognoscitur esse gravis, quando advertitur esse inductiva odii vel inimicitiæ Dei aut pœnæ æternæ. Item quando operans quasi horret & apprehendit, ad eum modum, quo solet alias materias graves, quando sed ad eas reflectit. 223

6. Peccata inadvertentiæ dicuntur, quando neglecta est advertentia debita, sive quando cognoscebatur periculum peccandi & obligatio magis advertendi, & tamen hæc advertentia *major* est neglecta, qualis cognitio & negligentia sæpè adest, licèt homo posteà non recordetur eam adfuisse; quod inde fit, quia ubi non adest expressa cognitio volitionis habitæ, non relinquuntur species rememorativæ illius, cùm species rememorativæ sint species cognitionum habitarum circa objecta, uti probabiliùs docetur in Animastica, hinc ab hominibus sæpè committuntur talia peccata inadvertentiæ, etiam mortalia, quamvis posteà non recordentur, & per accidens non possint se de illis accusare in specie, & ob hoc dicit Apost. 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* Et David *Ps.* 18. *v.* 13. Petit mundari ab occultis, Oviedo *num.* 55. Compt *d.* 104. *s.* 4. *n.* 6. 224

7. Etiam multa mortalia fiunt cum passione, ut patet in peccatis iræ & luxuriæ, quæ intantùm sunt minùs gravia, inquantùm passio minuit libertatem. Similiter potest peccari mortaliter ex metu gravi, quamvis enim tunc adsit aliquid involuntarii, tamen actio est simpliciter voluntaria, & aliqui dicunt illam involuntarietatem esse in *alio* actu concomitante, quo vellet abesse metum, & consequenter omittere actionem ad quam urget metus. 225

Q. 38. *Quid judicari debeat in dubio de plena advertentia vel de pleno consensu?* R. Qui timoratæ est conscientiæ, nec solet plenè advertens consentire, potest in dubio credere se non plenè consensisse, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio, uti communiter notant Authores, quos retuli l. 1. num. 546. nullam addentes præterea conjecturam; quæ licèt opus non sit, tamen, quod dictum est, maximè valet, si præterea accedat una ex conjecturis, quas ibidem dedimus à n. 547. Etiam utile erit considerare doctrinam, quam 226

tradit

tradit Christoph. Scorrer Theol. Ascet. p. 3. s. 6. c. 6. num. 6. his verbis : 1. *Objecti peccaminosi repræsentatio facta sensibus externis, internis, rationi &c. peccatum non est.* 2. *Motus sensualitatis repræsentationem consequens, & rationem præveniens nec ipse peccatum est, cùm sit naturalis & ex fomite contra voluntatem, vel sine ea producatur.* 3. *Delectatio deinde motui naturaliter conjuncta, secumque ex consensu ante omnem deliberationem trahens partem inferiorem rationis ac voluntatis, nec ipsa peccatum est. Quod si superior primum motum occupet, meritum magnum acquiritur; si non potuerit, & advertens suggestionem motumque, statim resistat, actibus contrariis saltem virtualiter elicitis : adhuc merito locus est. Si verò ratio superior hæreat nonnihil, primisque suggestionibus non resistat, cùm tamen possit, tum in peccati territorium intratur : & siquidem ratio attentione alterius rei occupata impediatur, dicitur delectatio subreptitia, nec defectu advertentiæ levem culpam excedere potest : sed hæc diu durare non solet, cùm rationem excitet suo objecto. Si verò advertat suggestionem, neque etiam contra eam statim insurgat, sed pigritia & torpore sinat motum illum aliqua temporis mora extendi, licèt nondum deliberationem aut consensum elicuerit, tum peccatum veniale delectationis committitur, majus minusve, pro modo delectationis & negligentiæ. Quod si post ejusmodi delectationem non resistatur, sequitur consensus sive peccatum : qui si adhuc ex vehementi impulsione deliberationem plenam præcedat, hacque superveniente ratio resistat rejiciatque motum, tum quidem censendum est necdum peccari mortaliter, etsi proximè accedatur. Cùm verò plena deliberatione, actu vel virtute, habita, consensus, jungitur, jam non dubitari amplius potest de peccato mortali, si gravis sit, sive deinde in ipsum opus tendat; sive in illicitam delectationem tantùm cogitatione sumptam, sive in neutrum expressè tendendo, sensui oblectationem, quam advertit, sine alia deliberatione etiam & resistentia permittat, hoc enim casu potest & debet resistere, & non facit, adeoque virtualiter consentit. Præterea id etiam advertendum est, dæmonem atque sensum tentationes injicere sub enunciatione significante consensum,* volo hoc facere, &c. *cùm tamen longissimè absit voluntas consensus, qui neutiquam ex incidentibus verbis, sed verò suo proprio actu dijudicandus est.*

227 *Q.* 39. *Quomodo peccet, advertens actionem suam esse peccatum, sed non cogitans, an sit mortale an veniale?* R. Hoc resolutum est l. 1. à n. 1.

228 *Q.* 40. *Quomodo peccet, advertens actionem suam esse mortale, sed abstrahens, quale & cujus speciei sit?* R. S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 3. dicit nunquam ita abstrahi, sed semper cognosci malum in certa specie, Idem dicunt Vasq. & alii cum Merat. *d.* 7. *s.* 7. sed dato supposito, dicendum est peccare mortaliter, peccato speciei innominatæ, quæ opponitur honestati actus, quo quis vellet non peccare mortaliter, Oviedo *in* 1. 2. *t.* 4. *contr.* 1. *p.* 3. Vide dicta hìc n. 21. inst. 1. & 2.

229 *Q.* 41. *Quomodo peccet, qui deliberat, an velit in mortale consentire?* R. Si faciat plenè advertenter peccat mortaliter, quia voluntas sic hærens, reipsa appretiat peccatum cum Deo, sicuti enim dubitans in fide, *ideo* peccat mortaliter, quia hæret, velitne tribuere authoritati Dei revelantis, an judicio suo vel apparentiæ rationis in oppositum, ita multò magis hic, quando hæret, an præferre velit Deum an peccatum. 2. Saltem per hoc se exponit periculo proximo consensus in tale peccatum, ergo peccat, & quidem peccato ejus speciei, cujus est illud, de quo deliberat, ideoque tenentur in Confessione dicere, se ita deliberasse circa tale peccatum, quamvis postea non consenserit in illud, Sanch *in Decal. l.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Herincx *d.* 7. *num.* 42. *& alii.*

Q. 42. *Quandonam mortale fiat veniale defectu materiæ?* R. Quæstio resolvi non potest, nisi priùs sciatur, quænam materia censeri debeat gravis vel levis; Deinde, unde in praxi colligamus, an materia sit gravis vel levis; prætereà an materia levis possit substare gravi obligationi : his intellectis facilè erit concludere, quomodo mortale fiat venialo defectu materiæ. 230

§. 1. Pro regula generali, ex qua sciatur, quænam materia dici debeat gravis vel levis, valdè laborant AA. hinc 1. aliqui apud Ovied *hìc contr.* 3. *n.* 141. putant hoc esse desumendum ex respectu partis ad totum, dicuntque materiam illam esse gravem, quæ est tertia pars illius totius, quod à lege imperatur, quod autem est minus, esse levem. Hæc regula tenet in aliquibus, sed fallit in plurimis, nam tertium Nocturnum non est tertia pars Matutini Dominicalis, labor servilis per 7. horas die festo non est tertia pars diei naturalis, & tamen utrumque est materia gravis. E contrà duo psalmi sunt plus quàm tertia pars Nonæ, & tamen sunt materia levis. 2. *Caramuel* dicit octavam partem totius esse materiam notabilem, & quod est minus, esse materiam levem, quia, inquit, omne totum tam physicum quàm morale secundùm intensionem censetur constare octo partibus, hinc quando significamus aliquid summum, dicimus, ut octo, v. gr. ignis est calidus ut octo, homo est probus ut octo, ergo quod est pars octava totius, est aliquid notabile in toto, & quod non est pars octava, non est aliquid notabile, quia non est simpliciter pars, sed tantùm pars partis. Hanc regulam optimè confutat Carden. *in* 1. *crisi d.* 31. nam si vera est, ergo qui tenetur ad 7. psalmos pœnitentiales, si omittat unicum, peccat mortaliter, quia omittit plus, quàm octavam partem : E contra qui legit 10. folia libri hæretici, si liber constet 100. foliis, non peccat mortaliter, quia legit minus, quàm octavam partem : Item qui debet 100. ducatos, & subducit 10. non peccat mortaliter quia subducit minùs, quàm octavam partem. Similia certò falsa deduci possunt in plurimis aliis materiis.

§. 2. Ut sciatur, an materia sit gravis vel levis, 231
debet hæc spectari etiam absolutè, & non præcisè ex respectu ad totum, ac considerari, an in se, etiam spectatis omnibus circunstantiis, sit aliquid notabile necne, uti notant AA. communiter cum Ovied. *num.* 143. sic quamvis communis sententia habeat, quòd ad peccandum mortaliter in materia Missæ die festo, requiritur omissio tertiæ partis circiter, tamen in hoc attendi debet etiam ad partes secundùm se, quò enim partes sunt nobiliores, eò minùs debent omitti, hinc qui tempore tantùm utriusque Consecrationis abesset à Missa, non audiret Missam, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 667. quamvis utraque Consecratio, quoad durationem, nequidem sit pars vigesima Missæ & idem est de similibus.

§. 3. Aliquid esse vel non esse in se notabile, 232
& consequenter esse materiam gravem vel levem colligimus ex uno horum, 1. Ex repugnantia, quam habet cum natura rationali, quæ repugnantia, an sit gravis an levis, communi prudentum judicio est determinandum. 2. Ex repugnantia gravi vel levi cum charitate in Deum, proximum vel seipsum. 3. Ex Scriptura, quæ materiam gravem sæpè denotat, addendo illi comminationem mortis, & damnationis æternæ : Item væ illi, qui facit. 4. Ex verbis legis, quæ sæpè exprimit obligationem gravem. 5. Ex authoritate Ecclesiæ vel SS. PP. qui dicunt esse vel non esse obligationem gravem,

spectat

ſpectat enim ad Dei providentiam, in talibus ad ſalutem pertinentibus non permittat errare Eccleſiam & communes ejus DD. 6. Ex communi ſenſu Theologorum, cui temerarium eſt ſe opponere, niſi ratio evidens cogat. 7. Ex ſenſu communi hominum timoratorum, etiam ſimplicium, inquit Herincx *num.* 46. præcipuè quando agitur de jure naturæ, quod hi cordibus ſuis inſcriptum habent, & ſpiritu Dei aguntur, ut ſecundùm illud judicent & agant. 8. Ex fine legis vel legislatoris, ſi enim hic ſit magni momenti, & materia aliqua multum conducat ad illum, erit materia gravis, ſi leviter conducat, aut finis ipſe legis non ſit magni momenti, materia erit levis. Vide Catroph. *t.* 2. *d.* 2. *p.* 7. *n.* 4.

233 §. 4. Materia abſolutè levis non ſubſtat obligationi gravi, poteſt tamen materia de ſe gravis ſubſtare obligationi levi. Vide hoc utrumque probatum l. 1. n. 267. & 268.

234 §. 5. Mortale ſit veniale defectu materiæ, ſi materia peccati ſit quidem ex objecto gravis, id eſt, ſecundùm ſe capax obligationis ſub mortali, quando adeſt notabilis quantitas illius, quia autem hic, & nunc non eſt niſi parva quantitas illius materiæ, hinc eſt veniale. Ratio patet, ſi enim materia levis non ſubſtet obligationi gravi, ut num. 233. notatum eſt, hoc ipſo, quòd materia ſit levis ob defectum quantitatis requiſitæ ad mortale, jam fiet veniale. Pro exemplis autem ſerviunt dicta n. 204. ubi egimus de peccatis ex genere ſuo mortalibus, quæ præter materiam ex objecto gravem requirunt quantitatem notabilem. Vide etiam dicta l. 1. à n. 669.

235 *Q.* 43. *An ex aliis etiam cauſis poſſit peccatum mortale fieri veniale?* R. Affirmativè: 1. Si lex, quæ priùs obligabat graviter, poſteà obliget tantùm leviter, vel ex voluntate legiſlatoris, vel ex mutatione legis per conſuetudinem aut interpretationem ſecundùm diverſitatem circumſtantiarum. 2. Ob diverſum dictamen conſcientiæ ſecundùm quod aliquid priùs cenſebatur graviter obligare, poſteà autem prudenter cenſetur obligare tantùm leviter, de quo ſatis dictum eſt l. 1. De conſcientia. An autem idem phyſicè actus, qui nunc eſt peccatum mortale, poſſit fieri peccatum veniale. Item an mortale poſſit à Deo remitti quoad jus ad gravem indignationem, reſervato jure ad indignationem levem, ſunt quæſtiones ſpeculativæ.

Unicum hoc dubium reſtat decidendum, an aliqua tranſgreſſio de ſe mortalis fiat venialis, eò quòd committitur ſubitò vel tranſeunter, quamvis cum plena advertentia, & plenè libero conſenſu. Videtur affirmare author libelli in Gallia impreſſi Anno 1700. ſub titulo, *Theologia moralis S. Auguſtini*, nam docet habitum charitatis prædominantem, & conſequenter gratiam manere, quamdiu nullum peccatum mortale habitualiter, fixè & permanenter in anima prædominatur, licèt aliquis ex metu, cum renitentia, ex violenta tentatione vel paſſione per modum tranſeuntis conſentiat in opus de ſe graviter malum, ſi ſtatim poſt illi ſummè diſpliceat; eò quòd tum ceſſetur in fundo animæ habitualiter permanere idem ſtatus charitatis prædominantis. Sed doctrina illa eſt falſiſſima, alioquin ſic excuſabuntur ſæpiſſimè deliberatæ dubia in fide, blaſphemiæ, detractiones, delectationes & deſideria turpiſſima, poſſunt enim hæc peccata mortalia committi ab homine juſto, vel ex metu, uti fecit *S. Petrus*; vel cum renitentia, uti faciunt, quos remordet conſcientia; vel ex ardore concupiſcentiæ, &c. & licèt ſtatim poſt ſummè diſpliceant, certum tamen eſt fuiſſe mortalia, cùm peccatum mortale poſſit in momento admitti, nec dubium eſt, quin ſtatim immoriens tali peccato, eſſet æternum damnandus.

DUBIUM III.

Quibus modis peccatum ex genere ſuo veniale, aut actus indifferens, tranſeat per accidens in mortale?

236 QUinque modis id fieri communiter, docet Sanch. &c. 1. Ratione finis adjuncti. 2. Ratione finis ultimi. 3. Ratione contemptus 4. Ratione ſcandali. 5. Ratione periculi. De ſingulis dicam breviter.

Reſp. I. Peccatum veniale tranſit in mortale, ratione finis adjuncti; ut ſi quis leviter mentiatur ad copulam carnalem extorquendam: quia cùm finis mortalis ametur, mortale eſt: Non tamen neceſſarium eſt in Confeſſione exprimere illud mendacium, ſed ſolum deſiderium fornicationis, quia ſecluſa malitia mortalis finis, manet veniale.

Reſp. II. Tranſit item in mortale ratione nimii affectus in rem aliquam, uti ſi v. g. ultimum finem in ea conſtituas. Ad quod non ſufficit valdè intensè & vehementer ferri in objectum; ſed requiritur, ut appretiativè illud ita æſtimet, ſaltem virtualiter, ut paratus ſit ejus cauſa tranſgredi præceptum obligans ſub mortali: ut ſi quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, luſum, perſonam, ut malit feſto omittere Sacrum, &c. quàm illis privari. Notat autem Bonac. hunc affectum, non tantùm habitualem, ſed actualem eſſe debere, ut peccatum contrahatur, quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum, habitu tantùm es paratus.

Reſp. III. Peccatum veniale fit mortale, ratione contemptus abſoluti formalis.

Dico autem, *contemptum abſolutum, & formalem*, quando nimirum ideò formaliter, & abſolutè præceptum violatur, quia ipſi, aut ſuperiori ſubjici renuis, quod eſt peccatum ſuperbiæ conſummatæ; vel quando ideò non vis obedire præcepto, quia præceptum eſt, & eſt peccatum inobedientiæ formalis, quorum utrumque graviter pugnat cum charitate debita Superiori. *Ex quibus reſolves:*

I. Non eſt mortale, ſi velis quidem obedire, & ſubjici abſolutè, nolis tamen hìc & nunc in re modica; aut ſi authoritatem legis, vel præcipientis admittas, executionem tamen hìc & nunc contemnas. Ratio, quia non eſt contemptus abſolutus, & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid.

II. Si præcisè ex indignatione, malitia, prava conſuetudine, aliave cauſa, præceptum violetur, & non ex contemptu poteſtatis Superioris, non eſt mortale, quia non eſt contemptus formalis, ſed tantùm interpretativus.

III. Eſt mortale, facere vel omittere aliquid ex contemptu juſtæ legis humanæ; Item ex contemptu Dei præcipientis, vel etiam conſulentis (quod præterea tacitam blaſphemiam continet;) & quaſi Deus inutilia præciperet aut conſuleret; Prælati ut ſic denique facere aliquid ex contemptu & ut à Deo authoritatem habentis; non tamen ut talis hominis, indocti, imprudentis, imperfecti: quia hoc poſterius non eſt contemnere abſolutè & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. V. Sanch. 1. *mor. c.* 5. *Bon. de pecc. d.* 2. *q.* 3. *p.* 5.

Reſp. IV. Peccatum, vel opus indifferens, habens mali ſpeciem, tranſit per accidens in mortale, ſi ruina per illud proximo cauſando ſit mortalis. Ratio, quia tali operi ſuperadditur aliquid

„ graviter repugnans charitati. *V. dicta de ſcandalo*
„ & Fill. *t.* 21. *n.* 252.
„ Reſp. V. Veniale, vel opus indifferens, tran-
„ ſit in mortale, ratione periculi incidendi in mor-
„ tale, quando quis ſine ſufficienti cautela aut ne-
„ ceſſitate aliquid facit, per quod veniat in morta-
„ le, ac proximum periculum peccandi mortaliter:
„ quia talis ſalutem animæ contemnit, cùm tam pro-
„ babili ejus periculo temerè ſe exponat. Unde in
„ Confeſſione explicanda eſt ſpecies peccati, cujus
„ periculo ſe objecit, quia eodem genere peccati
„ peccavit. Proximum autem periculum cenſetur,
„ quod frequenter homines ſimilis conditionis in
„ peccatum mortale inducit.

ADDENDA.

237 *Quæſt.* 44. *Quid præterea notandum circa contemptum?* R. Seqq.

§. 1. Contemptus, in genere, eſt vilis æſtimatio rei, quam ſi res mereatur, contemptus non erit reprehenſibilis, ſic enim rectè contemnimus divitias in comparatione cum virtute; ſi verò res non mereatur vilem ſui æſtimationem, erit contemptus imprudens, & de illo hìc agitur. Poteſt autem eſſe duplex, vel materialis, quem alii vocant virtualem, vel formalis. Tunc eſt materialis, ſi quid reipſa vilipendatur, v. g. ſi poſtponatur, alteri, cui deberet præferri, ita tamen, ut directè non intendatur illa vilipenſio ſeu poſtpoſitio; & talis contemptus Dei reperitur in omni peccato mortali. Tunc eſt formalis, ſi vilipendatur, directè intendendo illam vilipenſionem.

238 §. 2. Poteſt aliquid fieri ex contemptu, vel negativè, vel poſitivè, tunc negativè agitur ex contemptu, ſi voluntariè negligatur juſta æſtimatio, quæ ſi adeſſet, non fieret aliquid, & tunc propriè non agitur ex contemptu, ſed potiùs cum aliquo contemptu, quia contemptus non influit poſitivè in actionem, ſed habet ſe tantùm negativè, tamquam removens prohibens, id eſt removet debitam æſtimationem, quæ ſi adeſſet, prohiberetur actio, ergo contemptus formandæ debitæ æſtimationis habet ſe tantùm negativè ad talem actionem. Tunc agitur poſitivè ex contemptu, ſi contemptus exiſtat & moveat ad actionem, ita ut actio aſſumatur velut medium ad contemptum exercendum vel oſtendendum, & tunc propriè dicitur agi ex contemptu.

239 §. 3. Contemptus formalis poteſt eſſe vel internus tantùm vel ſimul externus: Internus tantùm, eſt judicium, quo quis reputat alterum vilem, directè & exercitè ſaltem intendendo habere pro tali, totaque libertas, & moralitas hujus judicii habetur ab actu voluntatis, qui illum imperat vel in eum conſentit, uti libertas & moralitas hæreſeos habetur ab actu voluntatis illam imperante vel in eam conſentiente; atque ex illo judicio, & iſta volitione fit unum, quod eſt contemptus internus, in genere moris completus, & internè conſummatus. Poteſt autem eſſe etiam alia volitio ponendi externam actionem, qua oſtendatur contemptus, & hæc ſecunda volitio dicitur contemptus affectivus; ex cujus imperio ſi ponatur actio talis externa, hic contemptus affectivus per hanc actionem completur in ratione contemptus externi. Quòd ſi poneretur actio externa de ſe apta contemnere, v. g. riſus, attamen ſine hoc imperio voluntatis, ſive non eo fine, ut contemptus internus, qui tunc adeſt, exercetur, hæc actio externa non denominaretur contemptus externus, quia non fieret ex contemptu formali, ſed tantùm cum illo.

240 §. 4. Contemptus formalis Dei legislatoris aut legis divinæ etiam minimæ, eſt mortale ex toto genere, quia derogat ſupremæ poteſtati, & authoritati Dei, quæ reſpectu omnium legum eſt eadem, & ſemper infinitè digna æſtimari: putatque Oviedo *controv.* 3. *p.* 5. *num.* 68. ſemper ſimul adeſſe errorem in fide & blaſphemiam, quia ſic contemnens *judicat*, vel Deum æſtimatione, vel legem Dei obſervatione eſſe indignam, quod eſt erroneum in fide & blaſphemum: alii tamen apud Herincx *d.* 7. *n.* 63. putant poſſe aliquem practicè velle aliquid agere in deſpectum Dei, quamvis talem internum errorem non habeat, ſicuti aliquis ſine errore interno poteſt velle exercere actum externum idololatriæ.

Objic. Si mendacium ex contemptu Dei ſit mor- 241
tale, ergo idem peccatum eſt veniale, & mortale, hoc autem implicat, quia veniale & mortale habent proprietates oppoſitas. R. Ovied. *p.* 7. *n.* 95. vult dici mortale tantùm, quia malitia actus deſumitur ex omnibus circumſtantiis in, & extrinſecis tamquam unum objecto adæquato, intra quod ſi ſit aliquid grave, ratione illius actus dici debet abſolutè mortalis. Etiam dici poteſt cum Tann. eſſe veniale & mortale poſitivè, id eſt, eſſe difforme legi uni leviter & alteri graviter obliganti, ideóque eſſe veniale reſpectu unius legis, & mortale reſpectu alterius; ſed non eſt veniale aut mortale negativè, id eſt, non eſt difforme legi vel tantùm leviter vel tantùm graviter obliganti, hinc proprietates, quæ videntur oppoſitæ, debent explicari præciſivè per reſpectum ad legem unam leviter, & ad alteram graviter obligantem.

Inſt. Implicat idem eſſe phyſicè leve & grave, parvum & magnum, ergo etiam implicat idem eſſe tale moraliter. R. 1. Quamvis idem non poſſit eſſe phyſicè leve & grave, &c. abſolutè aut reſpectivè ad eandem rem, poteſt tamen eſſe tale reſpectivè ad diverſa, nam tripondium eſt leve reſpectu centipondii, & eſt grave reſpectu ſemipondii; homo eſt parvus reſpectu turris, & eſt magnus reſpectu formicæ, tamen R. 2. N. conſ. Diſparitas eſt, quòd eſſe phyſicè leve inferat negationem gravitatis, eſſe phyſicè parvum includat negationem majoris extenſionis: eò quòd ſit figura: nihil tale eſt in illo, quod dicitur leve vel grave, parvum vel magnum moraliter, quia tantùm ſignificat eſſe contra legem leviter obligantem, cum quo ſtat eſſe poſſe ſimul etiam contra aliam legem graviter obligantem, ſicuti idem furtum rei ſacræ eſt contra legem juſtitiæ & religionis.

§. 5. Contemptus formalis humani legiſlatoris 242
ut talis, id eſt, ut habentis poteſtatem leges ferendi; item contemptus formalis legis ut procedentis à tali poteſtate, eſt mortale ex toto genere, quia contemnitur homo ut vices Dei gerens, aut contemnitur lex hominis ut informata lege Dei, ergo hoc ipſo contemnitur ſapientia, & authoritas Dei, à quo eſt omnis poteſtas legem ferendi, & obligatio legis, quique ideò dicit Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*: ſic autem contemnere ſapientiam vel authoritatem Dei, ſemper eſt graviſſima irreverentia, uti patet.

§. 6. Contemptus formalis humani legiſlatoris, 243
in quantùm hic eſt perſona privata, quæ judicatur eſſe vilis, v. g. imprudens, malitioſa, paſſionata &c. poteſt eſſe vel nullum, vel veniale, vel etiam mortale peccatum, prout motiva ſic judicandi erunt, vel abſolutè gravia, vel minùs gravia, vel nulla. Ratio eſt, quia poteſt in homine legiſlatore eſſe tale aliquid contemptu dignum, unde ſicuti judicium circa malum proximi poteſt eſſe vel prudens, vel leviter aut etiam graviter temerarium, ita etiam hìc; & putant Leſſius *de Juſt. l.* 1. *c.* 46.

num. 45. & Spor. *in Th. mor. p.* 1. *t.* 1. *c.* 7. *n.* 58. plerumque fore mortale. Quod si hoc judicium, quod de legislatore humano habetur, manifestetur, quamvis fortè sit prudens & verum, adhuc faciliùs poterit peccari graviter, sicuti peccatur per detractionem, si judicium de occulto adulterio alicujus manifestetur aliis; quod magis valet in nostro casu, quia est specialis obligatio cuique secundùm statum, & dignitatem suam præstandi reverentiam, contra quam specialiter peccat, qui exteriùs contemnit Superiorem.

Objic. Si homo contemnatur ferens legem imprudentem, contemnitur ut legislator, ergo vel hoc est semper mortale, vel dicendum est, non semper esse mortale, si contemnatur homo ut Legislator, ita Arriaga. R. Homo ut Legislator potest intelligi strictè, si nempe reduplicatio cadat super formam, quæ est potestas legislativa, ideóque faciat unum ex his sensibus, *potestas legislativa hominis*, *homo*, *& potestas legislativa*, *homo ratione potestatis legislativæ* contemnitur. Potest enim intelligi latè, & potiùs specificativè, si reduplicatio cadat super solum hominem, & non super potestatem legislativam, ideóque non faciat unum ex dictis sensibus, sed hunc, *homo contemnitur*, *qui ideò est legislator*, *quia habet potestatem legislativam*, & tum contemptus cadit super solum hominem, qui contemnitur propter imprudentiam vel aliam malitiam, non autem propter potestatem legislativam: si contemneretur ut legislator in primis sensibus, esset semper mortale, non autem in posteriore sensu.

244 §. 7. Contemptus formalis legis humanæ, secundùm hoc, quod lex est ab homine, potest esse, vel nullum, vel veniale, aut mortale peccatum, quia cùm legislator humanus errare possit, judicium de hoc, quòd lex sit imprudens, malitiosa, vel injusta, poterit esse, vel prudens vel venialiter aut mortaliter temerarium, prout erunt motiva, ex quibus formatur; & hìc valent eadem, quæ dicta sunt n. 243.

245 §. 8. Contemptus formalis materiæ quantumvis levissimè præceptæ à Deo, potest esse peccatum mortale vel veniale, nam si quis contemnat talem materiam veluti inutilem, & vanam, est mortale ex toto genere, imò est error in fide, & blasphemia, si judicetur aut dicatur, Deum posse inutilia aut vana præcipere. Quod etiam valet de materiis consiliorum divinorum, uti rectè Oviedo *num.* 72. hoc ipso enim, quòd sint consilia divina, sunt de me-
246 liori, & majori bono. Si autem aliquis contemnat materiam levem, & ideò peccet, quia levis est, videtur peccare tantùm venialiter, quia reipsa est levis, & vilis respectivè ad materiam gravem, & cum illo contemptu stat judicium, quòd sit utilis ad salutem, & meritò observari deberet; Item voluntas non contemnendi eam, si esset gravis, ideóque non apparet, unde refunderetur malitia gravis in talem contemptum.

247 §. 9. Contemptus formalis materiæ præceptæ ab homine potest esse peccatum, vel leve, vel nullum, vel etiam mortale, quia erit leve, si ideò contemnam & peccem, quia est levis, ut dictum est n. 246. Item, si temerè judicem esse vanam, & inutilem, non videtur esse plus quàm veniale, cùm hæc impudentia, de qua Superiorem arguo, sit in re levi. Nullum erit peccatum, si habeam prudens motivum hoc judicandi, quod tamen rarissimè præsumi potest, cum possessio semper sit pro Legislatore, qui causas aliunde justas imperandi habere potest. Denique si materiam quantumvis levem contemnam, quia est materia hujus vel illius virtutis, v.g. si fabulas mihi à Superiore prohibitas exercecam ex formali contemptu honestatis, quæ est in virtute taciturnitatis, est mortale ex toto genere, quia graviter, dissonat à natura rationali, ut contemnatur honestas in se supernaturalis, quæ in se est participatio aliqua naturæ divinæ: atque hoc tenet in materia cujuscumque virtutis. Ex dictis.

§. 10. Inferuntur seqq. 1. Peccatum formalis 248
contemptus malè ab aliquibus confunditur cum peccato ex malitia vel ex consuetudine, nam ex malitia, & consuetudine peccari potest tantùm venialiter, etiam contra Deum: E contrà potest esse formalis contemptus, quando peccatur ex passione, & sine consuetudine.

2 Peccatum contemptus etiam malè confundi- 249
tur cum inobedientia formali, nam potest dari peccatum contemptus contra sola consilia, aut contra honestatem virtutis hìc & nunc non obligantis, uti dictum est n. 245. & 247. Illa tamen inobedientia, qua quis legem transgreditur ex motivo non obediendi, sive, quia non vult subjici potestati imperantis, vix erit sine contemptu, hinc post *S. Th.* docet *Caj.* quòd peccare ex contemptu duo importet nempe actum peccati, & causam peccati, actum quidem, uti frangere silentium; causam, scilicet actum voluntatis renuentis subjici regulæ: Rectè tamen notat Eliz. *l.* 8. *q.* 14. §. 2. nolle subjici legi vel regulæ, esse reipsa nolle eam servare: potest autem quis, etiam frequenter, eam violare, & ideò non peccare ex contemptu, quia nempe retinet voluntatem absolutè, & universim eam observandi; sed si eam integram, & universim servare nollet, etiam nollet subjici, & peccaret ex contemptu, saltem negativè, quod Eliz. putat sufficere ad peccatum contemptus. Docet autem Rhod. *d.* 1. *q.* 3. *s.* 4. §. 3. etiam talem inobedientiam formalem semper esse mortalem, quia nolle agnoscere potestatem à Deo constitutam, est se Dei authoritati directè opponere, quod semper est mortale: Si tamen fieret tantùm ex motivo non obediendi hìc & nunc, sive nolendo se in hac re subjicere, de cætero agnoscendo potestatem imperantis, esset peccatum inobedientiæ formalis, mortale vel veniale, prout materia præcepti esset gravis vel levis.

3. Si transgrediar legem ex quadam amaritudi- 250
ne, v. g. ex hoc affectu, quia non volo imperantem afficere solatio, quod haberet, si lex observaretur, etiam non est propriè contemptus formalis, rarò tamen aberit, ac semper est peccatum, & quidem erit mortale, si affectus ille sit circa Deum imperantem, nam vel est odium Dei, vel est odio propinquum, & de se graviter disconvenit naturæ rationali, uti rectè Ovied. *num.* 77. Si autem affectus ille sit circa hominem imperantem, poterit esse veniale ex parvitate materiæ, quia odium & displicentia circa hominem sæpè est venialis tantùm. Quòd si animus esset talis, ut diceret: Jam nolo facere, quia ipse vult ut faciam, omninò videtur adesse formalis contemptus Superioris, hinc erit mortale.

4. Si contemptus sit circa Deum vel ejus 251
præcepta, est peccatum contra religionem, quia religio Dei debita obligat exhibere honorem, & non despicere potestatem ejus legislativam. Si sit circa parentes, est contra pietatem: Si sit circa Superiores, est contra observantiam; non tamen est semper formaliter contra obedientiam, quia potest despici Superior, licèt ejus præcepta non despiciantur: Si sit circa personas alias, est contra justitiam, quia ex justitia debetur cuilibet honor, reverentia & æstimatio juxta suum meritum, & ideò contemptus personæ non Superioris potest esse mortale vel veniale vel nullum peccatum, secundùm dicta n. 243.

Q. 45. Quid addendum sit circa obligationem 252

vitandi pericula & occasiones peccandi ? R. Seqq.

§. 1. Periculum peccati, est aliquid inclinans seu disponens ad peccatum. Hoc periculum potest esse proximum vel remotum. Proximum dicitur, quod habet frequentem conjunctionem cum peccato: Remotum, quod non habet frequentem conjunctionem cum peccato. Similiter occasio proxima dicitur, quæ homines similis conditionis frequenter inducit ad tale peccatum, vel de qua per experientiam constat, quòd in peccatum communiter inducat: Remota est, quæ quamvis aliquo modo inducat, tamen non habet frequentem conjunctionem cum peccato, uti AA. communiter cum Gob. *in Exp. t. 7. num. 525.* Notat autem rectè Lugo *de Pœn. d. 14. num. 162.* periculum vel occasionem non ideò dici proximam, quòd inter ipsam, & peccatum nihil mediet, plerumque enim mediat aliquid, v. g. tentatio, aspectus, alloquium, &c. sed ideò dicitur proxima, quia inter ipsam & peccatum communiter nihil interveniat, quod impediat peccatum.

253 §. 2. Periculum aliud est absolutè proximum, aliud respectivè tantùm. Absolutè proximum est, cui ex natura sua convenit habere frequentem conjunctionem cum peccato, & ideò dicitur intrinsecè periculum, quia apud quemcumque hominem solet esse conjunctum cum peccato, sic deliberatus tactus pudendorum alienorum, cum mora aliqua, & sine necessitate factus, censetur omni homini non conjugato esse periculum proximum peccati, saltem per delectationem turpem. Respectivè proximum est, cui ex varia conditione hominum convenit quandoque habere, quandoque non habere frequentem conjunctionem cum peccato, ideoque dicitur extrinsecè periculum. Hoc periculum respectivum iterum est duplex aliud, quod respectu plerorumque hominum est proximum, sæpè tamen est remotum respectu pauciorum, v. g. respectu hominum valde piorum aut valde cautorum; & tale periculum est fixus aspectus rei turpis. Aliud quod respectu pauciorum hominum est proximum, & respectu plerorumque est tantum remotum, & tale quid est colloquium cum muliere. In dubio autem, an aliquid huic vel illi homini sit periculum respectivè proximum, si considerata natura objecti & conditione personæ nihil certò determinari possit, dicendum est esse huic tale periculum, quale est plerisque, unde si plerisque est periculum proximum, censeri debet etiam huic esse, donec constet de ipsius firmitate per experientiam, in qua communiùs vincat. E contrà si plerisque est remotum, debet etiam huic censeri esse tale, donec de ejus fragilitate constet etiam per experientiam, in qua, non una vel altera tantùm vice, sed communiùs vincatur, ubi enim non constat de exceptione, standum est communi regulæ præsumptionis, quæ est ex communiter contingentibus, Ovied. *controv. 3. n. 148.*

254 §. 3. Periculum proximum, aliud est materiale, aliud formale; Materiale est, quod de se, secundùm circunstantias suas extrinsecas, solet esse conjunctum cum peccato, quamvis non conjungatur ob specialem conditionem subjecti. Formale est, quod hic & nunc consideratis omnibus circumstantiis extrinsecis, & intrinsecis solet esse conjunctum cum peccato; unde materiale periculum, est occasio externa, quæ secundùm se solet esse conjuncta cum peccato; Formale, præter occasionem externam includit tales circumstantias, ut his omnibus consideratis existimetur hic, & nunc fore conjunctum cum peccato: consequenter ut aliquid sit Titio occasio proxima peccandi, non est satis, quòd de se sit tale quid, ut alii in eadem constituti frequenter peccent, sed præter occasionem talem externam requiritur, ut simul respectu Titii adsit formale periculum peccandi, nam fieri potest, ut duo in eadem domo habitent, & conversentur cum eadem persona, quorum unus, qui ad ejusmodi peccatum pronus est, sit in occasione proxima, alter autem non, qui vix ad talia movetur, aut qui novit se contra tentationes munire.

§. 4. Periculum formale potest esse, vel certum, 255
vel probabile, vel leve. Tunc est certum, quando quis firmiter sibi persuadet se in tali occasione peccaturum. Probabile est, quando non quidem ita firmiter, attamen ob prudens motivum meritò credit & valde timet, ne cadat, v. g. quia occasio est valde alliciens, & ipse novit suam fragilitatem. Leve est, quando non putat quidem se peccaturum, timet tamen aliquo modo, seu suspicatur, & fieri posset, ut caderet. Practicè loquendo putat Gob. *n. 527.* eum, qui scit, si decies accedat tale consortium, se octies vel septies cadere, periculum illi esse moraliter certum; si autem ter aut quater solùm cadat, esse periculum tantùm probabile, (quod etiam dicit *Caram.* quamvis quinquies cadat, si etiam quinquies non cadat:) si autem nunquam cadat, aut fortè semel, sed rarò, & potiùs veluti casu erit periculum leve.

§. 5. Peccat graviter vel leviter, prout ma- 256
teria peccati fuerit gravis vel levis, qui se exponit periculo formali, & certo peccandi formaliter, sive hoc periculum sit absolutè, sive respectivè proximum, uti tenent omnes, nec contrarium esse Gob. *in Quint. tr. 5. cap. 45. num. 49.* persuadere conatur *vindex* illius, p. 2. ad prop. 25. Sed quidquid senserit Gob. parum refert. Quod dixi, colligitur ex Scriptura, Eccli. 3. v. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*: Item ex his propositionibus ab Inn. XI. damnatis, 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali, nostro vel proximi.* Ratio est, quia qui vult tale periculum, censetur velle peccatum, quod cum illo periculo est conjunctum, ergo contrahit malitiam illius peccati. Deinde quia præceptum prohibens peccatum, etiam prohibet velle hoc, quod proximè & moraliter est conjunctum cum peccato, sicuti præceptum prohibens finem, etiam prohibet media ad talem finem ducentia, ergo qui exponit se periculo formali & certo peccati, peccat contra præceptum prohibens illud peccatum, & consequenter admittit malitiam talem, qualis est in ipso peccato.

Objic. Si quis teneatur vitare periculum proximum, etiam tenebitur vitare remotum, nam pono Titium per experientiam scire, si semel aspiciat virginem, se magis, & magis trahi ad aspiciendum, & concupiscendum eam; item per experientiam scire: si octies aspiciat, se solere concupiscere: hoc supposito sic argumentor; aspicere octies est peccatum, ergo etiam aspicere septies, ergo etiam aspicere sexies, &c. *Prob. conseq.* Ideò aspicere octies est peccatum, quia est periculum proximum peccati, sed aspicere septies etiam erit periculum proximum peccati, quia aspicere septies est exponere se periculo proximo periculi proximi; atqui exponere se periculo proximo periculi proximi est peccatum, quia sicuti exponere se periculo proximo peccati est peccatum, quia periculum proximum peccati est moraliter peccatum, ideoque qui vult illud, censetur velle peccatum, sic exponere se periculo proximo periculi proximi erit moraliter velle periculum proximum, quod moraliter est peccatum, ergo. Quòd aspectus septimus sit periculum proximum

mum aſpectus octavi, probatur inde, quia nullus gradus mediat, & quò ſæpiùs aſpicit, ſemper magis trahitur: vel determina quemcumque gradum periculi, qui erit ultimus in ratione periculi remoti aſcendendo, dicam eſſe abſolutè gradum periculi proximi, quia eſt periculum proximum periculo proximo. R. Aſpectus ſeptimus eſt ad ſummum materialiter tantùm proximum periculum, vel per ſe, quia Titius per experientiam ſcit ſe per aſpectum ſeptimum non ſolere induci in octavum, vel per accidens, quia non advertit aſpectum ſeptimum eſſe periculum proximum reſpectu octavi: ſicuti qui per experientiam ſcit octavam vicem ſibi eſſe periculum proximum ebrietatis, quamvis ſeptima ſit proxima ad octavam, tamen bibendo ſeptimam, non peccat peccato ebrietatis, vel per ſe, quia per experientiam habet, quòd ſeptima non inebriet, vel per accidens, quia ſi inebriet, ipſe invincibiliter ignorat ſe per ſeptimam inebriari, ſed prudenter putat tantùm fieri per octavam. *Nec obſtat*, quòd nullus gradus mediet inter ſeptimum & octavum, *nam* ratio periculi proximi non deſumitur ab eo, quòd nihil mediet, uti diximus num. 252. ſed quòd communiter nihil intervenìat, quod impediat conjunctionem, hìc autem communiter aliquid intervenit, uti ſupponi debet.

257 §. 6. Similiter peccat graviter vel leviter, qui ſe exponit formali, quamvis tantùm probabili periculo peccandi formaliter, uti rectè Eliz. *l.* 8. *quæſt.* 15. §. 3. *& ſeqq.* Cardenas *in* 1. *Criſi d.* 18. *& in* 2. *Criſi diſſ.* 40. & alii contra Caram. Murc. Lumb. Hozes, Sporer, *de pœnit. num.* 324. Gobat. *num.* 256. videtur autem colligi ex damnatione propoſitionum num. 256. relatarum, quia talis directè quærit, aut ſaltem non fugit occaſionem proximam peccati, & quidem conjunctam cum periculo formali peccandi formaliter. Ratio eſt, quia ille peccat, qui ſe exponit formali periculo, & certo peccandi formaliter, uti dictum eſt num. 256. Ergo etiam, qui ſe exponit periculo probabili. *Prob. Conſeq.* applicando rationes ibi allatas: quibus adde hanc, quia ideò, inter cætera, peccat ille, qui ſe exponit periculo certo, quia vult prælens malum animæ, quod nemo poteſt prudenter velle, ſed idem eſt de periculo probabili; ergo. *Prob. min.* Periculum probabile animæ, etiam eſt præſens malum animæ, ſicut periculum probabile damni corporei, quale eſſet deſilire ex alta feneſtra, aut velle cum armis occurrere leoni, cenſetur præſens malum corporis, hinc qui illud temerè vult, peccat, ergo multò magis periculum probabile damni animæ etiam eſt præſens malum animæ, & qui illud vult, peccat: hoc autem inter utrumque eſt diſcrimen, quod poſſit eſſe rationabilis cauſa volendi tale præſens malum corporis, v. g. ad ſalvandam vitam, quæ aliunde tolleretur, è contra non poſſit eſſe rationabilis cauſa volendi ſibi præſens malum animæ, uti ratio ipſa dictat, & ſatis convincitur ex propoſitionibus damnatis, nam in illis dicitur, quòd nec cauſa utilis aut honeſta, nec bonum ſpirituale vel temporale, noſtrum aut proximi ſufficiat, ut licitè quis quærere poſſit, aut non fugere occaſionem proximam peccati, ſaltem ſi ſit conjuncta cum periculo formali peccandi formaliter: & huc facit, quod dicitur Matth. 16. Marci 8. Luc. 9. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ergo.

Objic. Ubi periculum eſt tantùm probabile, ibi probabile eſt non eſſe periculum, ergo ſicuti in aliis materiis licitum eſt ſequi unam ſententiam probabilem relicta alia, ita & hìc. Reſp. Neg. antec. aut ſi vis, diſtinguo, ubi periculum eſt tantùm probabile, ibi probabile eſt non eſſe periculum, in ſe & in exiſtendo, n. ibi probabile eſt non eſſe periculum quoad effectum ſive peccatum ſecuturum, c. ant. & n. conſ. Ubi periculum eſt probabile, ibi non eſt probabile, quòd non detur tale periculum, ſed certum eſt, & ſupponitur ibi eſſe periculum, illud autem periculum dicitur probabile ſolummodò ratione effectus, quia non eſt certum, ſed tantùm eſt probabile, quòd illud periculum ſit futurum conjunctum cum peccato: ſicuti ſi quis ſumat venenum, & ſimul antidotum contra venenum, certum eſt ibi eſſe periculum probabile mortis, quamvis hoc ſenſu dicatur periculum probabile, quia non eſt certum, ſed tantùm probabile, quòd mors ſit ſecutura, eò quòd probabile ſit vim veneni vincendam per vim antidoti: quòd ſi alicui eſſet probabile, quòd hìc & nunc eſſet periculum probabile lapſus, poſſet deponere dubium, & ſibi formare conſcientiam practicam, quod liceret ipſi hoc operari: nam formando ſibi conſcientiam practicam per judicium prudens, & reflexum, tollit omnè periculum formaliter peccandi, & tantùm ſe exponit periculo peccandi materialiter, quod non tenetur vitare, ſecundùm dicta l. 1. num. 339. E contra ubi ſupponitur eſſe periculum probabile peccandi formaliter, qualecumque mihi formem judicium, illud periculum peccandi formaliter manebit, neque probabile eſt mihi, quòd non peccem me exponendo illi periculo formaliter peccandi, ergo nunquam potero me illi exponere. *Dixi*, non eſſe probabile mihi, nam qui judicaret ſententiam *Caram.* & aliorum noſtræ oppoſitam, probabilem eſſe, non peccaret formando ſibi conſcientiam practicam ſecundùm illam; ſed hoc per accidens eſſet.

§. 7. Simili modo peccat, qui ſe exponit formali periculo peccandi aliquo peccato indeterminatè præviſo, v. g. ſcio me ſolere peccare, vel per luxuriam, vel per detractionem, *vel alio* modo, quoties familiariter ago cum Titio, æquè teneor hoc formale periculum vitare, atque ſi illa familiaritas eſſet formale periculum determinatè ſolius luxuriæ, uti rectè Lugo *num.* 162. Averſa *de Pœn. q.* 11. *ſ.* 3. Herincx *de pecc. d.* 7. *num.* 66. Boſco *de Pœnit. d.* 7. *ſ.* 4. *num.* 282. & alii communiùs contra Suar. Fill. Palav. *l.* 7. *num.* 292. Ratio eſt, quia velle peccatum aliquod, in communi cognoſcendo plura, æquè aut magis malum eſt, quàm velle aliquod in particulari, prior enim voluntas eſt indifferens & parata ad plura, ergo potiùs magis peccat. Limitat hoc Boſco *num.* 283. ad tales circumſtantias, in quibus periculum peccati indeterminati æquè facilè declinabitur, ac periculum peccati determinati, v. g. ſi ſciam intrando domum A. erit periculum detractionis, intrando domum B. erit periculum vel detractionis vel etiam fornicationis, in hoc caſu admittit eum peccare graviùs, qui intrat domum B. quia exponit ſe periculo peccatorum plurium, & poſſet æquè facilè declinare utrumque periculum, in aliis autem circumſtantiis *putat* hoc non eſſe verum, alioquin, inquit, *quivis* tenere-tur Religionem ingredi, quia *moraliter* certus eſt, ſi maneat in mundo, ſe aliquando *peccaturum* hoc vel illo peccato indeterminatè, & ſaltem ſæpiùs, quàm in Religione: ſed hanc *limitationem* rejiciunt alii, quia etiam in Religione *peccare* poſſet contra vota, contra quæ non *peccat* in mundo, & quòd prævideat ſe peccaturum *ſæpiùs* in mundo, ſaltem hoc non eſt ratione *alicujus* determinatè occaſionis proximæ, quam *declinare* poſſit aut debeat; quando autem *occaſio eſt* tantùm communis, rectè probabat Lugo *d.* 15. *ſ.* 4. non eſſe obligationem vitandi illam, nec propriè dici proximam. 258

259 §. 8. Si periculum, etiam de se absolutè proximum, desinat esse formale, & fiat materiale tantùm, ac reipsa remotum respectivè ad circumstantias vel personam, licitum est, saltem in necessitate, se illi exponere, uti colligitur ex Cap. *Consultationi*, & Cap. *Laudabilem*, De frigidis, ubi Papa declarat duos, qui propter impotentiam contraxerunt Matrimonium invalidum, posse manere simul tanquam fratrem & sororem, & tamen ibi fuit materiale periculum peccandi, quod ab illis fieri poterit remotum, sicut sit remotum in illis conjugibus, qui post votum continentiæ manent cohabitantes, uti notat Herincx *num.* 70. dicens in casibus juris non fuisse periculum scandali vel infamiæ, ex eo, quòd fuissent separati, cùm causa illa esset publicè examinata, sed potiùs erat scandalum vel infamia, si non separarentur. Et valet, quod dictum est, non tantùm quando occasio illius periculi est aliquid de se indifferens, ut admittit Bosco *n.* 257. sed etiam quando est aliquid communiter malum, uti censetur esse aspectus puellæ nudæ. Ratio est, quia tunc non censetur esse occasio absolutè proxima peccandi, sed ob circumstantias sit hìc & nunc remota, talis autem occasio non est intrinsecè mala, cùm in se non sit peccatum, uti fatentur omnes, & quamvis intrinsecè sit periculum, tamen hìc & nunc fit remotum, quod non censetur præsens malum animæ, ergo potest saltem ex necessitate audiri; quod etiam inde convincitur, quia aliàs non liceret Medicis vel Chirurgis medendi causa tangere aliena pudenda, hoc autem licere docent omnes, in iis nempe circumstantiis, quibus possunt periculum de se proximum facere remotum, quod faciunt, si tunc, quando necessitas proximi & ipsorum officium postulat, arment se bonis cogitationibus, firmiterque statuant non consentire in delectationem turpem; experientia enim docet, quòd tunc gratia Dei adjuventur, ne consentiant, ideoque tale periculum desinit esse proximum respectivè ad illos.

260 *Objic.* Quamvis in casu particulari cesset finis legis, non ideò cessat obligatio legis, secundùm dicta *l.* 1. *num.* 868. ergo quamvis ratio periculi absolutè proximi cesset respectu hujus personæ, non ideò cessat obligatio vitandi periculum absolutè proximum, ita Ovied. *num.* 51. Bonæspei *d.* 9. *num.* 123. Bosco suprà & alii. R. 1. N. *suppositum ant.* nempe quòd finis legis cesset in aliquo particulari, si pergat obligare reliquos, secundùm dicta *lib.* 1. *num.* 868. R. 2. N. conf. leges aliæ obligant absolutè omnes ob communem præsumptionem, quòd ratio legis reperiatur in omnibus, hinc licèt finis legis videatur cessare in aliquo particulari, reipsa non cessat, quia finis ejus erat hoc obtinere, quod præcipitur, quia communiter apud omnes obtinetur per observationem legis, uti loco cit. explicatum est: E contrà lex vitandi periculum peccati non est lata ex præsumptione, sed est lex naturalis, tunc tantùm obligans, quando ratio dictat esse & manere periculum proximum respectivè ad operantem. Nego autem esse legem obligantem ad vitandum absolutè periculum de se proximum, si nempè hìc & nunc fiat remotum, & non sit conjunctum cum peccato.

Inst. Ergo lex naturalis etiam non prohibebit simplicem fornicationem, si hæc non sit præjudicios proli, sed huic antecedenter provideatur de alimentis, & caveantur omnia damna, quæ inde nasci possent, ita Oviedo. R. Non posse omnia caveri, uti fatetur ipse Oviedo *num.* 150. nam inter cætera unum præjudicium & damnum est, nasci extra Matrimonium, & à parentibus lege alicujus Matrimonii non obligatis ad curandam prolem. Quòd si quis fingat cessare omne illud, propter quod fornicatia habet oppositionem cum lege naturali, adhuc monet prohibita per legem Dei positivam, *non mœchaberis*, aliasque humanas, idque ob præjudicia & damna, quæ communiter ex illa sequuntur, quamvis hìc & nunc per accidens non sequerentur: de vitando autem periculo materiali peccati nulla talis lex potest ostendi.

§. 9. Si quis nullo modo possit facere, ut cum occasione externa non sit conjunctum periculum formale peccandi, dubium est, an sit obligatio eam occasionem externam deserendi, etiam cum quocumque incommodo, quamvis deberet subire jacturam omnium bonorum fortunæ, famæ & vitæ: negant eum ad hoc teneri AA. gravissimi, quos recensent & sequuntur Luge *de Pœnit. d.* 14. *n.* 152. J. Sanch. *d.* 10. *à. n.* 8. Castrop. *t.* 2. *d.* 2. *p.* 9. §. 3. Tamb. *de Confess. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 10. Honorat. Fabri *in Apologia*, *Dialogo Anonymi ad Anonymum*, Gob. *in Quint. t.* 5. *cap.* 33. *num.* 80. *& in Exp. t.* 7. *num.* 529. Burgh. *Cent.* 2. *cas.* 66. Stoz. *lib* 2. *n.* 106. Palav. *suprà*, Vind. Gob. *p.* 2. *prop.* 23. dicuntque non peccare eum, qui ex tali necessitate gravissima manet in occasione proxima, dummodò conetur cavere peccatum adhibeatque nova media, & sit spes, quamvis incerta vincendi: imò extendunt hoc aliqui ad casum, quo quis ex revelatione sciret se peccaturum, si in ea occasione maneret, sed hi audiendi non sunt. Rationem dant priores, quia talis occasio non est peccatum, neque moraliter possibile est eam vitare, ergo est involuntaria, quam quis dicitur potiùs pati aut permittere, quàm ponere aut velle. Addit Palav. obligationem fugiendi talem occasionem allaturam plura peccata quàm impedituram, quia ordinariè violaretur, ergo non est credibile esse talem obligationem. *Conf.* Quia si esset obligatio cum tam grandi incommodo vitandi occasionem peccati mortalis, etiam esset obligatio vitandi occasionem peccati venialis, quod videtur nimis durum. Atque ex hac doctrina inferunt multa corollaria J. Sanch. *à num.* 9. & Oviedo *à num.* 158. 261

E Contrà Caj. Lop. Corr. Graff. Lorc. Tan. Carden. aliique apud J. Sanch. & apud Stoz. suprà dicunt non curanda esse talia incommoda, sed moralem impossibilitatem vincendam, ac fugienda talia pericula formalia etiam cum jactura omnium bonorum fortunæ, famæ, & vitæ, si aliter excludi non possit, quia homo tenetur etiam cum jactura vitæ evitare omne peccatum, sive, tenetur potiùs mori, quàm peccare, etiam tantùm venialiter, ergo etiam sic tenetur vitare periculum formale peccati: velle enim manere in illo est moraliter velle peccatum, quia tale periculum formale & peccatum sunt moraliter idem, sed nullo casu licitum est velle peccatum, ergo nec tale periculum. *Conf.* Quia imprudenter agis & peccas contra charitatem propriam, si velis occurrere Leoni, cum periculo mortis corporalis, multò magis, si ficte exponas periculo animæ. *Nec dici potest*, quòd sit tantùm permissio peccati, *nam* licèt peccatum alienum permitti possit, tamen concipi non potest, quomodo quis dicatur permittere internum & formale peccatum proprium, si enim permittit, admittit, ergo peccat, unde sicuti qui ex metu mortis mentitur, peccat, quamvis non mentiretur, si abesset metus mortis, ita pecca, qui ex metu mortis manet in periculo formali, cum quo moraliter est conjunctum peccatum. *Si dicas*, permitti tantùm periculum proprii peccati, *contra est*, quia N. hoc licitè permitti, uti licitè non permittitur proprium peccatum, aut periculum propriæ

priæ mortis corporeæ occurrendo Leoni : do itaque, quòd aliquando permitti possit occasio externa, removendo periculum formale peccati, sed nego permitti posse periculum formale, quia hoc esset illud cum peccato admittere. *Nec iterum refert*, quòd sit moraliter impossibile fugere tale periculum, eò quòd hoc videtur superare humanam infirmitatem; *quia* cum illa morali impossibilitate adhuc manet libertas sufficiens ad peccandum, ut in illo qui ex gravissimo metu mortis certò incurrendæ mentitur, quamvis sit moralis impossibilitas non mentiendi, tamen certum est, quòd peccat mentiendo, ergo.

Hæc 2. sententia admodùm rigida est; attamen videtur vera, cujus probabilitatem agnoscit Bosco *n.* 279. Et quamvis pro opposita stent AA. plurimi; plerique scripserunt ante damnationes variarum propositionum, quæ huic materiæ magnam lucem attulerunt, unde hæc secunda sententia potest confirmari ex damnatione propositionis 41. ab Alex. VII. facta, *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.* Ex qua damnatione fit tale argumentum : Retentio concubinæ non est peccatum, sed tantùm occasio proxima peccandi, & tamen est obligatio illam removendi, quamvis esset nimis utilis, quamvis posteà tædium magnum nasceretur, quamvis vita ideò nimis ægrè ageretur, quamvis nimis difficilè reperiretur altera : hæ autem videntur esse gravissima incommoda, nam tædio magno affici, valdè ægrè vitam agere, ex judicio Medicorum sunt morbi graves, ex quibus multi contabuerunt, ergo. Qui primam benigniorem sententiam volet defendere, legat *Vind. Gob.* suprà.

262 § 10. Non est obligatio fugiendi periculum leve peccandi, quia, *alioquin debueratis de hoc mundo exisse :* inquit *Apostolus* 1. *ad Cor.* 5. nam ubique ferè est hoc periculum : Et ratio ulterior est, quia periculum leve propriè non est periculum, qui enim judicaret verè ibi esse periculum, temerè & imprudenter judicaret, ergo non est obligatio vitandi tale periculum. Ex dictis,

263 *Infertur*, opus venialiter malum, imò & indifferens fieri peccatum mortale, si per illud aliquis se exponat periculo formali certo aut probabili peccandi mortaliter, non tamen si se exponat periculo tantùm levi.

264 § 11. Circa hæc notanda sunt præterea seqq. 1. Per periculum peccati hìc intelligitur periculum liberi consensus in peccatum, non autem periculum solius tentationis ad peccatum, nec periculum alterius effectus mali; licitum est enim, quando abest periculum consensus, se exponere periculis tentationum, item aliquando turpium motuum & similium effectuum; uti sæpè dictum est; hìc tantùm dicimus, quòd ubi advertitur esse formale periculum consensus in peccatum, tale periculum vitari debeat.

265 2. Nec debet passim absque ratione apprehendi periculum peccati, stultum enim foret nolle loqui cum hominibus, ne quid mali audias, nolle salutare mulierem, ne te seducat &c. imò per hoc temerè judicas vel suspicaris de proximo, quasi esset malus, quod est contra Charitatem & Justitiam, cùm quisque debeat præsumi bonus, donec probetur esse malus. Et quamvis per accidens audiretur, aut ab alio fieret aliquid mali, non ideò tu es causa, nec ideò statim consentis. Si autem quis à seipso timeat periculum, sæpissimè auget illud per illos suos timores, unde expedit, ut sine timore ita agat in omnibus, sicut videt sine timore agere alios, qui communiter habentur prudentes & probi; si quid mali præter intentionem sequatur, permittat ac contemnat, & sic facilìùs vincet pericula.

3. In mercatura non est per se, occasio proxi- 266
ma peccati : hinc potest quis eam exercere, uti rectè Bosco *n.* 251. quia potest quis, si tantùm mediocriter sit timoratus, ea peccata vitare, & periculum quod hìc maximè oritur ab intrinseca cupiditate subjecti aut ab aliis circumstantiis, quæ per accidens se habent ad mercaturam, reddere remotum aut leve.

4. Si malitia alicui sit occasio proxima peccan- 267
di, uti esse potest illi, qui malitiam sequitur, ut gaudeat libertate, aut impunè agat, quidquid volet, talis tenetur malitiam deserere; de cætero militia, per se, licita est, nec censeri debet absolutè occasio proxima peccandi, uti rectè *Bosco*, suprà

5. Qui non potest vitare occasionem externam, 268
tenetur periculum formale peccandi cavere per actus internos vel per alia media : hinc filius, qui à patre nequit discedere, nec conversationem cum domestica ancilla cavere, cum qua frequenter peccat, neque facere, ut è domo paterna expellatur, tenetur extenuare periculum formale relabendi per actus suos proprios, scilicet per magnam detestationem peccati, considerationem extremorum, intensionem propositorum, preces ad Deum, pœnitentias voluntarias, aliaque; quæ ipsi Confessarius suggeret. Quòd si nihilhominùs maneat periculum proximum, tenetur cum quocumque incommodè; etiam cum dispendio vitæ, abire.

6. Quando occasio externa est conjuncta cum 269
passione vehementi, vel cum habitu vitioso, vel cum forti tentatione; peccat, qui non deserit; quod maximè valet in materia luxuriæ, & quoad aliquos homines, in materia iracundiæ & furti : *nec satis* est, quòd velit per actus internos *tollere* periculum formale, quia manet *in occasione* proxima, nec potest excludere formale *periculum*, rarissimè enim poterit se ita armare, quin in occasione cadat, uti experientia docet.

7. Qualiscumque sit necessitas se exponendi pe- 270
riculo peccati, semper simul est obligatio avertendi periculum formale peccandi, hinc qui per experientiam scit se communiter non posse avertere hoc periculum, *sed solere* peccare mortaliter, saltem cogitatione, quando conversatur cum tali socio, loquitur cum illa puella, intemperanter bibit, accedit ad istam domum, &c. absolvi non potest, si hæc nolit efficaciter vitare. Similiter absolvi non potest, si quis antehac monitus, reipsa non removerit occasionem externam, v. g. puellam ex domo; nec satis est, quòd nunc proponat, sed debet actu removisse, nisi nunc esset nova & certa ratio judicandi, quod statim post remoturus esset, quod rarissimè credi debet, cum experientia doceat, nimis facilè iterùm mutari voluntatem, & ita docent DD. universi, inquit J. Sanch. *suprà n.* 6. Ratio autem est manifesta, quia si ante absolutionem non removeat, cùm per experientiam sciat se solere talia proposita mutare, exponit se periculo proximo posteà iterum non removendi, aut saltem non statim removendi, ad quod tamen tenetur sub mortali, ergo exponit se periculo mortalis, & hoc ipso peccat mortaliter, ergo non est capax absolutionis.

8. Quamvis Gob. *in Quint. t.* 5. *cap.* 32. *n.* 20. 271
putet absolvi posse *quasdam* puellas, *quæ non habent propositum nunquam amplius admittendi procum secum in lectum*, eamque propositionem pro plebeis rusticanis in Germania conetur defendere Vind. Gob. *pr.* 12. tamen *hoc prorsus* rejiciendum est; licèt enim di-

cant

cant inter sex aut septem vices, quibus admiserint, non solere vel semel aliquid mali agere, ideóque occasionem illam debere respectu illorum censeri remotam, tamen id credi non potest nec debet, cùm plerumque interveniant oscula, tactus, aspectus aut saltem cogitationes morosæ, vel desideria, vel commotiones turpes, quæ rusticani tales fortè non apprehendunt esse peccata, sunt autem, & debent, per se loquendo, obligari ad ea cavenda.

272 9. Inter occasiones proximas peccandi sunt etiam choreæ, præsertim nocturnæ; quas puellæ cum adolescentibus concurrentes agitant, nam interveniunt oscula, amplexus, gesticulationes turpes, petulantes tactus, sermones impudici &c. à quibus, moraliter loquendo, impossibile est abesse pravas commotiones, imaginationes, delectationes, desideria: hinc S. Anton *p. 2. t. 6. cap. 6. §. 2.* vocat choreas iter diaboli; *S. Ephrem.* pompam diaboli; S. *Chrys.* tripudia, quibus saltat diabolus. Similiter popinarum frequentatio ordinariè habet adjuncta multa pericula peccandi per rixas, detractiones, turpiloquia, inebriationes sui & aliorum: non putem tamen hæc popinarum pericula respectu plerorumque esse proxima, qualia sint respectu alicujus si vitare non velit, non est capax absolutionis.

273 10. Quod dictum est de periculis mortalium, applicari debet periculis venialium, unde quamvis *Con de Pœnit. d. 2. n. 130.* Laym. *l. 5. t. 6. c. 4. n. 20.* Tamb. *in meth. Conf. l. 1. c. 3. n. 14.* Palav. *de Pœnit. n. 292.* Semery *de Pœn. qu. 7. p. 3. qu. 6.* dicant ad pœnitentiam & remissionem venialium non requiri propositum vitandi occasiones illorum proximas, tamen oppositum est tenendum, quia qui occasiones illas non vult vitare, non vult illa peccata, ergo de illis non habet sincerum & efficacem dolorem aut propositum, uti rectè Arr. *de Pœn. d. 38. n. 38.* Bosco *n. 248.*

274 *Q. 46. An veniale aliquando fiat mortale ratione numeri?* R.

§. 1. Aliqua sunt venialia, quorum materiæ & effectus inter se nunquam uniuntur in ordine ad constituendum aliquid unum, & talia sunt otiosa verba, mendacia, delectationes sensuum. Item omnia illa, quæ sunt circa res præceptas diversis determinatè temporibus, ita ut cum tempore obligatio finiatur, uti sunt venialia circa Missas, jejunia, Horas canonicas plurium dierum, obligatio enim ad illa finitur cum singulis diebus, quibus præcipiuntur. E contrà alia sunt, quorum materiæ vel effectus uniri possunt in ordine ad constituendum aliquid unum, sic furta levia eidem facta uniuntur ad constituendum unum damnum grave; multæ leves detractiones de fama ejusdem apud eundem uniuntur in ordine ad tollendam bonam de eo existimationem, multæ leves percussiones ejusdem novum vulnus infligentes uniuntur ad effectum inferendæ mortis; multæ comestiones rerum noxiarum, vel immodicæ potationes repetitæ uniuntur ad effectum notabiliter affligendæ valetudinis, multæ comestiones parvæ in die jejunii uniuntur ad effectum nutritionis; multæ fabulationes parvæ in Missa, multæ omissiones parvæ in Horis unius diei uniuntur ad constituendam omissionem partis notabilis, &c.

275 §. 2. Peccata venialia, in quibus materiæ vel effectus non uniuntur, quantumcumque numero multiplicentur, non fiunt mortale, uti rectè S. Th. *1. 2. qu. 88. art. 3. in corp. omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantùm reatum quantum unum mortale.* Sequuntur omnes communissimè, hinc *Castrop. & Ovied.* dicunt id certum esse apud omnes Catholicos. Rhodes *d. 1. qu. 3. §. 2.* dicta censeri communiter esse de fide: hinc Glossa *in Can. tres sunt de pœnit. dist. 1.* quæ dicebat ex venialibus fieri posse mortale, jussu Pontificis est deleta, uti refert Herincx *d. 7. n. 56.* Ratio autem est. 1. Quia per venialia, in quæ frequentiùs labimur, non excludimur à gratia Dei, uti docet Trid. *s. 14. can. 5.* ergo talia venialia, etiam frequentia, non fiunt mortale, si enim unum veniale nullam habeat oppositionem cum gratia, nec multa habebunt. 2. Mortale est in superiore specie, & in supremo ordine peccati, ergo nulla multiplicatio venialium potest illud attingere, sicuti nulla multiplicatio brutorum potest attingere perfectionem speciei, quæ est homo. Et ratio utriusque à priori est, quia quantumcumque multa addantur individua, singula sunt & manent in specie inferiore ac imperfectiore, habentque differentiam essentialem aliam, quàm species superior, neque invicem faciunt intensionem aut quid perfectius, sed tantùm extensionem, ergo ob multiplicationem individuorum in inferiore specie, nunquam potest attingi species superior. 3. Sententia illa dicens per multiplicationem venialium fieri mortale, est exposita infinitis scrupulis, semper enim timere poterit homo, ne forsan per primum veniale, quod committet impleatur numerus ad mortale requisitus, & sic per omne veniale peccabit mortaliter, quia se exponet periculo peccati mortalis, neque tamen unquam hoc scire poterit, in ordine ad Confessionem.

Objic. 1. Ex duobus non hominibus, nempe 276
ex corpore & anima, fit homo specie distinctus à singulis partibus: Item ex duobus binariis fit quaternarium in ratione numeri specie distinctum à binariis, ergo ex pluribus venialibus fieri poterit unum mortale. *Conf.* quia ex multis parvis guttis fit unum magnum mare, ergo ex multis parvis peccatis poterit fieri unum magnum. R. N. conf. priora illa habent de se incompletionem physicam ad invicem, & aptitudinem, ut uniantur, hinc unita faciunt unum: Venialia non habent incompletionem ad invicem, nec in quo uniantur in ordine ad faciendum unum mortale. *Ad Conf.* etiam n. Conf. mare non est nisi collectio guttarum unitarum, sicuti continuum non est nisi collectio partium unitarum, & in utroque tam partes quàm totum sunt ejusdem naturæ & speciei, non item veniale & mortale: Vide dicenda n. 291.

Objic. 2. SS. PP. apud Bellarm. *de amiss. gratiæ* 277
lib. 1. cap. 13. clarè dicunt ex multis peccatis levibus fieri unum grave, sic S. Aug. *t. 13. in Joan. minuta plura peccata, si negligantur, occidunt; minutæ sunt guttæ aquæ, flumina implent; minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit.* Et serm. 3. in Psalm. 98. *Etsi non singulis suis mobilibus corruunt, omnia tamen acervo nos obruunt.* Item utuntur hoc simili, quod morbus curabilis, fiat quandoque incurabilis. R. SS. PP. tantùm volunt, quòd multa venialia disponant ad mortale, uti eos rectè explicat S. Th. ad 1. hinc etiam Eccli. 19. dicitur. *Qui spernit modica, paulatim decidet;* & S. Greg. *l. 10. mor. cap. 9. Ex vanitate ad iniquitatem ducimur.* Et illa quidem venialia, quæ fiunt ex indeliberatione vel parvitate materiæ, cum versentur circa idem objectum, circa quod etiam est mortale, directè disponunt ad mortale, causando habitus, qui facilitant ad idem objectum: Reliqua autem, quæ ex genere suo sunt venialia, indirectè tantùm disponunt, in quantùm tollunt fervorem charitatis, minuunt timorem Dei, causant majorem audaciam in peccando, denegarentur gratias actuales, per quas resisteretur mortalibus. Ad similitudinem, disparitas est, quòd morbus curabilis

bilis sit dispositio permanens, quæ potest in se augeri usque ad illationem mortis, veniale est actus transiens; & quamvis esset quid permanens, tamen augeri non potest vel intendi per alium actum. Ex his,

278 *Infertur*, velle committere omnia ejusmodi venialia, per se & speculativè loquendo, non est mortale, est tamen magna dispositio ad mortale, & in praxi, tali voluntati sæpè conjungitur mortale. *Primam partem* tenent Gran. Salas, Castrop. *t. 2. d. 2. p. 9. §. 3. n. 5.* Ovied. *controv. 3. n. 81.* Moya *T. 1. tr. 6. d. 2. q. 1.* contra Sanch. Bonac. Rhod. *s. 4. §. 1.* & alios. Ratio autem est, quia committere omnia illa venialia non est mortale, ergo nec velle committere: plus enim est reipsa committere, quàm tantùm velle, & volitio committendi non potest majorem trahere malitiam, quàm habeat objectum ipsius commissionis. *Dixi*, per se, nam si aliquod veniale vel aliqua venialium collectio esset alicui periculum proximum peccandi mortaliter, hoc ipso quòd vellet tale veniale aut talem collectionem, peccaret mortaliter, uti constat ex dictis à n. 256. *Ratio secundæ partis* insinuata est n. 287. quia sic dispositus non habet fervorem charitatis nec magnum Dei timorem, sine quibus non diu perseveratur absque mortali. Deinde talis vult quascumque occasiones remotas tentationum vehementium, & pericula remota peccatorum mortalium, quæ moraliter non evadet absque specialibus gratiis actualibus, quibus se volens reddit indignum, vel reipsa rejicit, peccando venialiter: hinc in praxi non diù erit sine mortali.

Objic. Religiosus paratus transgredi omnes Regulas sui Ordinis, quamvis non obligantes sub peccato, peccat mortaliter, ergo multò magis paratus transgredi omnes leges obligantes sub peccato veniali. R. Peccat mortaliter, per se & ratione Regularum violandarum, n. per accidens ratione contemptus vel scandali vel damni, quod causat sibi aut Religioni, c. ant. & idem dico ad consequens. Vide dicta *l. 4. à n. 58.* Item dicta hìc n. 214.

279 §. 3. Si materiæ vel effectus multorum venialium uniantur, fieri potest, ut illud, quod de se tantùm fuisset veniale, sit mortale, uti habet communis; nam supposito, quòd alicui, etiam per vices, furari 20. solidos sit materia gravis, si per vices abstuleris 19. semper peccasti tantùm venialiter, si eripias vigesimum hoc furtum secundùm se fuisset leve, jam tamen hic ultimus solidus simul sumptus cum prioribus facit materiam gravem, quam totam censeris velle per ultimum illud furtum, quo volens injustè retinere priores, adhuc accipis illum unum, sicque fereris in illos omnes simul sumptos, adeoque in damnum grave alterius, ergo hoc ipso peccas mortaliter. Et idem est in similibus materiis, de quibus dictum est n. 284.

280 *Objic.* 1. Ultima acceptio tantùm leviter concurrit ad materiam gravem, non enim addit nisi aliquid leve, ergo non erit magis mortale, quàm priores acceptiones, quæ etiam concurrebant ad totam materiam gravem constituendam. R. Huic difficultati satisfactum esse *l. 3. p. 1. n. 1005.*

281 *Objic.* 2. Si multæ materiæ leves uniantur ad constituendam unam gravem, ergo poterunt etiam multa venialia ratione talis materiæ moraliter uniri ad constituendum unum mortale. Ita Bonæspei *d. 9. à n. 93.* R. N. conf. materiæ uniri possunt, quia una auget alteram. Veniale unum non potest augere alterum: & cur ex omnibus venialibus simul sumptis non possit fieri mortale, satis dictum est n. 275.

Inst. Si quis per 20. actus simul habitos vellet eidem furari 20. solidos, singuli actus essent veniale, & tamen talis homo peccaret mortaliter, ergo ex illis 20. venialibus fieret mortale. R. N. 1. partem ant. nam si tales 20. actus possent esse simul, de quo dubitat Arr. *d. 48. n. 24.* per singulos peccavit mortaliter, quia cognoscit per illos accipi 20. solidos, & singuli actus sunt à voluntate simul tendente in damnum grave, ad quod nihil refert, quòd intendatur per unum vel plures actus, ergo hoc ipso singuli actus sunt mortale; & præterea ideò, quia objectum singulorum actuum est complementum damni gravis, ex suppositione aliorum concomitantium.

§. 4. Ex principiis positis colliguntur seqq. 1. 282 Qui per 20. vices aufert eidem solidos, peccat gravius secunda vice quàm prima, & tertia, quàm secunda, sicque deinceps, uti dictum est *l. 3. p. 1. n. 1005.*

2. Si fur accipiens vigesimum solidum nihil 283 cogitaret de prioribus ablatis, aut si restituisset usque ad materiam cum hoc levem, aut si haberet voluntatem restituendi præcedentes, aut si nunc non obligaretur ad illos restituendos, quia vel non posset vel rationabiliter præsumeret Dominum remittere, furtum vigesimi solidi non esset nisi veniale, quia moraliter non uniretur cum prioribus, Rebell. Less. Ovied. *n. 109.* Merat. *n. 5.*

3. Qui semel complevit materiam gravem, & 284 iterùm furatur aliquid, etiam leve, quod cum priore materia ablata faciat unum, iterùm peccat mortaliter, uti dictum est *l. 3. p. 1. num. 1007.* ubi *à num. 1006.* videri possunt plura etiam huc spectantia.

4. Si sartor singulis Festis toto anno laboret per 285 horam, non peccat mortaliter, quia labores illi non uniuntur in ordine ad inhonorandum unum Festum: si autem uno Festo manè laboret per horam, iterumque sub meridiem, & iterum vesperi, peccat mortaliter: quia labores illi trium horarum: (quos suppono esse materiam gravem, secundùm dicta *l. 3. p. 1. n. 594.*) uniuntur in ordine ad inhonorationem unius Festi. Quid dicendum sit, si habeat tres famulos, & singulis imperet, ut successivè vel simul laborent una hora, dictum est *l. 3. p. 1. à n. 580.*

5. Si supponamus, quod singulæ Horæ brevia- 286 rii seorsim præcipiantur, ideòque toties peccetur mortaliter, quot Horæ omittuntur, uti dicunt Less. & alii, in hac sententia putant aliique cum Gob. *in Exp. t. 5. n. 309.* probabile esse non fore mortale, si quis in singulis Horis omitteret duos psalmos cum hymno, quamvis eodem die omittat saltem 14. psalmos & 8. hymnos, quia secundùm hos AA. illæ partes omissæ pertinerent ad diversas horas, ergo non unirentur in ordine ad unam materiam constituendam: è contrà tamen in sententia Nav. Sylv. Lug. Stoz. Tamb. *de Confess. l. 2. c. 2. n. 12.* quod omnes Horæ præcipiantur tanquam partes unius integri officii, quod probabiliùs dicunt, qui per totum officium tam multum vel paulò plus omittit, quàm est integra parva Hora, peccat mortaliter, quia partes illæ spectantes ad unum ejusdem diei officium coalescunt in unam materiam ejusdem præcepti, & faciunt quantitatem notabilem. Vide dicta *l. 2. n. 1203.*

Quid dicendum sit, si quis diversis votis voverit pro eadem die diversas materias leves: item si voverit pro omni die aliquid leve, & omittat multis diebus, dictum est *l. 3. p. 1. n. 449. & 450.*

Q. 47. Quomodo veniale possit præterea fieri mortale? 287 R. Fieri potest, 1. Ex mutatione legis, quæ priùs obligabat leviter si posteà obliget graviter. 2. Ex mutatione conscientiæ, quæ priùs dictabat aliquid esse veniale, jam autem dictat esse mortale;

uti de utroque à contrario dictum est *n.* 235. 3. Si peccans venialiter actu esset comparatus propter illud veniale etiam committere mortale, uti sæpiùs insinuatum est. 4. Si per oppositionem ad aliam virtutem vel legem accedat malitia mortalis, uti dictum est *à n.* 127. & exemplum habes *n.* 241. Quo modo autem veniale fiat mortale ratione scandali, colligi potest ex dictis *l.* 2. *à n.* 221.

CAPUT III.

De peccatis capitalibus in specie.

DUBIUM I.

Quid sit superbia, & quale peccatum.

288 „ Resp. I. Superbia est appetitus inordinatus „ propriæ excellentiæ: mortalis ex genere suo, „ si sit consummata & perfecta, id est, si quis ita „ excellere appetat, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Imperfecta tamen, „ qua quis subjici non renuens iis, quibus debet, & „ in suo tantùm affectu sese magnificat, est tantùm „ veniale, ut docet Caj. *v. Superbia*, quia sine Dei „ & aliorum despectu plus justo se efferre, non est „ gravis inordinatio: esset tamen gravis, si fieret „ cum notabili aliorum contemptu, complacendo „ in aliorum objectione.

„ Resp. II. Filiæ superbiæ sunt tres, 1. Est præ„ sumptio, quæ est appetitus aggrediendi aliquid „ supra vires. Est communiter veniale tantùm: fit „ tamen mortale, si damnum Deo aut proximo af„ ferat v. g. præsumas jurisdictionem Ecclesiasticam, „ potestatem Ordinis sacri; item officium Medici, „ Advocati, Confessarii, &c. sine debita peritia. „ Less. *l.* 3. *cap.* 2. *d.* 3. *num.* 18. & supra *l.* 4. *t.* 3. „ *d.* 9.

„ 2. Est ambitio, quæ est inordinatus appetitus „ *dignitatis*, & honoris non debiti, vel debito ma„ joris; *ut si ambias beneficium*, vel officium, „ quo es *indignus*; *vel illicito modo* & medio, v. „ g. per simoniam. Est per se peccatum veniale, fit „ autem mortale, vel ratione materiæ, ex qua, „ vel ratione medii, per quod honor quæritur, vel „ ratione *damni*, quod proximo infertur. Denique „ si moderatè *honor* appetatur ob honestum finem, „ erit actus magnanimitatis, ut docet *Laym.*

„ 3. Est vana gloria, *scilicet* cupiditas inanis glo„ riæ; cujus finis est manifestatio inordinata pro„ priæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Dicitur, „ *vana*, quando quæritur ex re mala, falsa aut fic„ ta, aut quæ non est digna gloria, vel non tan„ ta, ut ex opibus, nugis, &c. aut apud eos, „ qui non bene de re judicant, aut sine debito fine. „ Est peccatum per se veniale, mortale sæpè per ac„ cidens, ut dictum de ambitione. Imò, ut contra „ *Angelum* rectè docent Sylv. Nav. *c.* 17. &c. est „ tantùm veniale res etiam sacras principaliter face„ re ob gloriam vanam, v. g. concionari.

„ Porrò per vanam gloriam dupliciter peccatur, „ juxta *D. Thom.* 1. 2. *q.* 13.

„ I. *Directè*; idque vel per verba, estque jactan„ tia, quæ est venialis per se, si sit de rebus bonis, „ v. gr. *jejunio*, oratione, &c. etsi per accidens „ sæpe ratione *damni*, si sit falsa, fiat mortalis; „ uti etiam 1. *si quid dicas contra gloriam Dei*; ut „ Ezech. 28. *Deus ego sum.* 2. Si prorumpas in con„ tumelias, v. g. *non sum sicut cæteri hominum*, „ adulter, &c. ut hic. 3. Ex fine malo. 4. Si cum „ notabili damno proximi fiat. 5. Si de re mortali„ ter mala; quia approbatio operis eandem cum „ illo speciem habet; (quæ proinde in Confessione „ debet exprimi, saltem quando cum jactantia de peccato, conjuncta fuit complacentia ejusdem; „ quod addo, quia si absque ea fuit, Nav. Palaus, „ & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 161. docent contra *Sanch.* „ *Lop. Rodriq. &c.* non necessariò explicari. V. Lug. „ *de Pœnit. d.* 16. *n.* 267.) vel per facta, quæ si „ vera sunt, & aliquid admirationis habent, dici„ tur inventio novitatum; hæc enim solet vulgus „ admirari, ut peregrinas vestes, opiniones, &c. „ mortale, si notabiliter corrumpat juventutem, „ vel mores. Si verò facta falsa sint, est hypocrisis; „ v. g. si quis boni aliquid faciat, ut videatur bo„ nus, etsi non sit; quæ ex se venialis est, nisi „ cum injuria, vel contemptu Dei & proximi. „

II. Indirectè, in quantùm quis altero non vult „ esse minor. Quod fit quadrupliciter, 1. Per in„ tellectum; & est pertinacia, qua quis nimis te„ naciter adhæret suæ sententiæ; quæ est mortalis, „ si oppugnetur veritas magni momenti; vel si sit „ conjuncta cum periculo tertii, v. g. si Medicus „ cum periculo ægroti maneat in sententia. 2. Per „ voluntatem; & est discordia, qua peccatur mor„ taliter, quando est circa bonum Dei vel proximi, „ in quo deberent esse concordes. 3. Per verba; & „ est contentio; quæ est mortalis, quando animo „ contradicendi altercaris circa veritatem pertinen„ tem ad fidem, vel salutem animæ ut corporis. „ 4. Per facta; dum quis non vult exequi, quod „ debet: & est inobedientia. *V. Baldell.*

III. His tribus superbiæ filiabus respondet pu„ sillanimitas; qua quis nimiùm sibi diffidens de„ tractat honores, gloriam, vel officium, quo dig„ nus est: veniale est ex genere suo, fit mortale, „ si detrectes, ad quod teneris sub mortali. V. Less. „ *num.* 28. Laym. *l.* 3. *f.* 5. *Ex dictis resolvuntur se„ quentes Casus*: „

I. Audiens laudem alterius, vel suam, de re „ mortaliter mala, peccat mortaliter, si appro„ bet, suscipiat, admiretur ut laude dignum. Sanch. „ Bald. *d.* 29. *l.* 3 „

II. Vituperans alium ob vindictam non sump„ tam, aliudve grave malum vel peccatum omis„ sum, v. g. fornicationem, peccat mortaliter, „ quia est species jactantiæ, & est cum approbatio„ ne peccati, & occasio committendi. *Ibid.* „

III. Inducens in civitatem novos habitus, & „ prævidens, quòd suo exemplo moralem necessita„ tem imponat aliis, ut sumptus faciant supra vires „ & posteà non possint alere, quos debent, vel cre„ ditoribus non satisfacere, peccat graviter, Bal„ dell. *l. c.* „

IV. Exornare se nimiùm ex animi levitate, „ vel ex vanitate, per se tantùm est veniale. *Ibid.* „

V. Simulare sanctitatem cum voluntate non ha„ bendi, mortale esse dicit Baldell. *l. c.* „

VI. Simulare improbitatem, est peccatum, „ quia est mendacium, & quidem scandalosum, „ potestque esse mortale. Neque id fecerunt Sancti, „ nisi faciendo id quod ex se indifferens, & permit„ tendo ab aliis accipi, ut signum improbitatis, cùm „ tamen nec ex natura sua, nec ex eorum intentio„ ne esset tale. „

ADDENDA.

Quæst. 48. *Quid præterea sit hìc notandum?* R. 289 Hæc pauca: 1. Quomodo præterea peccetur per superbiam, videri potest *n.* 204. *ad* 4. 2. Ut jactantia de peccato mortali sit mortalis, debet esse de opere, quatenus fundat malitiam, nam qui se jactat tantùm, non de opere ipso, sed de sua fortitudine, ingenio, artificio, dexteritate in opere ipso demonstratis, non peccat mortaliter, uti rectè Sanch. *in Dec. l.* 1. *c.* 3. *n.* 12. & Spor. *Theol. mor.*

p.

p. 1. *t.* 1. *c.* 6. *n.* 45. 3. Si opus tuum mortaliter malum laudetur, & ideò tibi complaceas, peccas mortaliter, quia approbas & complacentiam habes in objecto mortaliter malo: si autem tantùm taceas, non ideò peccas, saltem mortaliter. 4. Non est turpior superbia, quàm affectata humilitas, quæ tum est, quando ex humiliatione quæritur æstimatio vel honor. Humilitas est virtus sincera, nolens videri, seu esse & tegi.

DUBIUM. II.

Quid Avaritia.

290 „ Resp. I. Est inordinatus appetitus temporalium. Unde ex hoc, & regula supra tradita de peccato mortali, *resolves sequentes Casus*:

„ I. Est ipsa ex genere suo venialis.

„ II. Cùm verò eò excrescit, ut ejus causa divinas leges prævaricari non dubites, fit mortalis.

„ III. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, & consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi, est ex genere suo venialis: levior quàm avaritia, quia minùs abit à virtute liberalitatis. Interim mortalis fit, si liberis & uxori pauperiem crees; si impotentem te reddas ad solvenda debita; si profundas bona Ecclesiastica piis causis obnoxia, V. Less. *l.* 2. *c.* 47. *d.* 8.

„ Resp. II. Filiæ Avaritiæ sunt sequentes:

„ I. Obduratio cordis, (contra misericordiam) egenis & pauperibus non compatiendo, eos objurgando, debita durè nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, &c. Hac aliquando peccari potest mortaliter, quando præceptum eleemosynæ vel charitatis urget, & tamen ex tali duritia non subvenitur. Nav. *c.* 27. Tol. *l.* 8. *c.* 26. *V. dicta de charitate proximi.*

„ II. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens & inordinata applicatio mentis ad acquirendas, vel conservandas, divitias, cum inani & vano timore, ne non acquirantur, vel perdantur. Est mortalis, quando retrahit à spiritualibus, vel aliis, ad quæ, ex præcepto gravi obligamur, (v. gr. auditione Missæ) vel inducit superfluum timorem, ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est, si sit de re bona, sed tempore vel loco indebito; v. g. de familia, messe, vindemia quando quis est in templo, vel vacandum est Deo. S. Th. 2. 2. *q.* 55. *a.* 6. Reg. *l.* 33. *c.* 2. *q.* 3. Escob.

„ III. Violentia mortalis est, quando est injusta, & circa materiam gravem.

„ IV. Fallacia, sive dolus in verbis, potest esse mortalis, ratione finis vel mediorum.

„ V. Fraus, sive dolus in facto. Est mortalis ex genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiæ (v. g. si ea vitium habet, vel non sit qualis existimatur) quàm ratione pretii. Nav. *man. cap.* 23. Tol. *cap.* 47. Escob.

„ VI. Proditio, quæ est deceptio proximi contra fidem datam aut debitam, in damnum illius, mortalis est ex genere suo. Contingit ferè tripliciter; 1. Circa personas; quomodo Judas Christum, Dalila Samsonem prodidit. 2. Circa res, vel immobiles, (ut si miles manifestet hosti modum capiendi arcem) vel mobiles, ut si pecuniam, vestem &c. cujuspiam absconditam, prædoni ostendas. 3. Circa secretum, vel sibi commissum revelando, quod est contra fidelitatem & justitiam, si quidem promissum fuit; quia est pactum onerosum, ut docet Lugo *d.* 14. *n.* 139. & quidem mortale, si prævidere possis inde secuturum notabile aliorum damnum: vel discordiam: (aliàs veniale) vel alienas litteras aperiendo, & legendo. Quod postremum, si fiat ideò, ut sciat secreta alterius, est curiositas; & si sit in re gravi, per se est mortale. Quod quia communiter ante apertionem nescitur, communiter esse mortale docet Tol. *c.* 45. Baldel. *l.* 3. *d.* 11. Nav. *c. penult. d.* 6. *de Pœn.* Mol. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 15. *c.* 4. (qui addit, cum qui dolosè alienas littera, aperit & legit, cum alterius injuria vel damno, crimen falsi committere.) Dixi, *per se esse mortale* quia per accidens potest esse veniale, vel nullum, si legitima auctoritate, justa ex causa fiat *Unde resolvuntur Casus seqq.*

I. Litteras alienas aperire & legere, sæpè non est peccatum, si probabiliter scias, scriptas esse in tuum injustum damnum, vel injuriam tuam cedere, quam intendas avertere, quia potes tibi consulere. Sic princeps potest aperire litteras non tantùm hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli, ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse judicant. Nav. *man. c.* 18. Reg. *l.* 24. *n.* 60. Escob. Lug. *n.* 148.

II. Communiter etiam peccatum non est, si consensus expressus habeatur ejus, à quo vel ad quem mittuntur, (neque lex specialis vetet, Lug. *l. c.*) vel tacitus saltem; ut si facias sub ratihabitione, confidens rationabiliter, habitum iri ratum. Ita *Escob.* ex *Nav. Regin. &c. l. c.*

III. Superior Religiosus litteras suorum subditorum, dummodò non mittantur ad Superiorem majorem, vel talem quem statuta eximant, nec ab eo veniant: (licitè aperit, & legit; sive ex Religionis statuto aut consuetudine; sive ex suspicione probabili, quòd mali aliquid contineant. V. Escob. Peyrinum *de Relig. tom.* 1. *q.* 2. *c.* 1. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 55.

IV. Nec est peccatum, si necesse sit vel expediat ad injuriam alteri imminentem avertendam, dummodò non plus legatur, quàm ad eum finem necesse est. Lug. *l. c.*

V. Qui aperit & legit, existimans non contineri res magni momenti, venialiter tantùm peccat. Lug. *l. c.*

VI. Si litteras ab alio dilaceratas, & in publicum à domino abjectas, recolligas, & junctis partibus legas ex sola curiositate, peccatum veniale est: nullum autem, (per se) si, ut ex illa notitia tibi provideas, quia quod pro derelicto habetur in usum suum convertere licet. Baldell. ex S. Anton & Rosel. Sylv. *v. emptio q.* 17. Laym. *n.* 4. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *misc. R.* 55. Rectè tamen notat Laym. *l. c.* talem ex charitate teneri non manifestare secretum iis contentum, si damnum inde cujuspiam provenire possit: imò (addit) revelans ejusmodi secretum (cujus notitiam etiam justè acquisivit) contra justitiam peccabit, si intelligat audientes ea notitia usuros ad damnum *injustè* inferendum V. Laym. *l. c.*

Dixi I. *à Domino projectas*: quia si vel ab alio projectæ (domino inscio,) vel ab ipsomet casu perditæ fuerint, non licet legere.

Dixi II. *In locum publicum*: quia si in ignem vel fornacem, v. g. projectæ sint, ut comburantur, peccas, si extrahas & legas. V. Lug. *d.* 15. *num.* 150.

Dixi III. *Per se*: quia fieri potest, ut ea contineantur, quorum lectio sit perniciosa.

VII. Qui furtivè scripta alterius secreta, ipso invito legit, peccat. Et 1. quidem. peccato curiositatis; etsi faciat animo discendi, & sine suspicione damni. 2. Injustitiæ, quia quisque ha-

„ bet jus secreti in suis scriptis, quæ aliis non vult
„ esse co[illegible]mmunia. Nav. *c.* 15. Molin. *t.* 5. *d.* 36. *n.*
„ 2. Re[illegible]g. *l.* 24. *c.* 6. *n.* 19. Potestque aliquando es-
„ se m[illegible]ortale, si nimirum fiat cum notabili damno,
„ vel [illegible]alter valdè cupiat esse secreta, gravissiméque
„ [illegible]t laturus. Baldell. *d.* 11. V. etiam Lug. *l. c.*

„ VIII. Quicumque secretum violat absque jus-
„ ta causa, cum alterius damno, vel litteras al-
„ terius injustè aperit, ex quo damnum alteri sequi-
„ tur, tenetur ad restitutionem, Bon *d.* 2. *de rest.*
„ *q.* 1. *p.* 1. Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 32.

„ Nihil occurrit hìc addendum: sed circa aper-
„ tionem litterarum vel proditionem secreti videri
„ possunt etiam dicta *l.* 3. *par.* 2. *n.* 1236.

DUBIUM. III.

Quid Luxuria.

291 „ REsp. I. Est appetitus inordinatus venereo-
„ rum, quorum usus cùm ex natura sua institu-
„ tus sit ad conservationem generis humani,
„ quod est magnum bonum hominum, & exter-
„ num Dei, proinde qui abutitur, lædit Deum &
„ homines. Est mortalis ex genere suo *V. supra l.* 3.
„ *t.* 4. *c.* 2 *& l.* 5. *c.* 1. *d.* 2.

„ Resp. II. Filiæ luxuriæ, quæ eam plerumque
„ sequuntur, sunt octo: quatuor ex parte intel-
„ lectus; & quatuor ex parte voluntatis.

„ 1. Cæcitas mentis; cùm quis adeò est addictus
„ turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet.

„ 2 Præcipitatio; qua quis ex eadem causa, sine
„ consilio operatur.

„ 3. Inconsideratio; quando in modo delinquit,
„ inconsideratè agens, quæ statum vel personam
„ dedecent.

„ 4. Inconstantia; quando quis ex eodem affectu
„ voluptatum, à piis propositis mox deficit.

„ 5. Amor sui; talis enim homo ob voluptates,
„ seipsum finem suarum actionum facit, non
„ Deum.

„ 6. Odium Dei: lascivus enim solet à rebus di-
„ vinis abhorrere, imò ab ipso Deo tanquam pec-
„ catorum vindice.

„ 7. *Affectus* præsentis sæculi: amor enim volup-
„ tatum carnalium ita animum afficit, ut subindè
„ etiam beatitudini æternæ paratus esset renuntiare
„ si præsentibus frui semper permitteretur.

„ 8. Horror futuri sæculi; quando voluptatibu,
„ immersus, mortem inordinatè timet, & de ea
„ nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare
„ studet &c.

„ Priores quatuor sunt mortales, quando finis ul-
„ timus in creatura ponitur, vel præceptum aliquod
„ Dei graviter obligans, prætermittitur: posterio-
„ res quatuor, si plenus sit voluntatis consensus,
„ per se sunt mortales; ex indeliberatione, vel
„ alia actuum imperfectione, sæpè veniales. *Vid. Es-*
„ *cob. & Baldell. ll. cc.*

ADDENDA.

292 QUæst. 49. *Quid sit prætereà notandum circa luxuriam?* Resp. Quæ hìc addi poterant, jam dicta sunt, partim *l.* 3. *p.* 1. *à num.* 888. partim hìc *à num.* 77.

DUBIUM IV.

Quid Invidia.

293 „ REsp. Est tristitia de alterius bono, prout il-
„ lud est diminutivum propriæ excellentiæ,
„ ita ut hæc directè sit contra charitatem; hæc enim
„ gaudet de bono proximi, quod invidia destruc-
tum optat, vel non destructum dolet. *Unde re-* „
solves: „

I. Est ex genere suo mortalis; & gravissima „
quidem, atque in Spiritum sanctum, si sit de ip- „
sa gratia, vel auxilio Dei. „

II. Filiæ similiter ex genere suo mortales sunt „
ac numerantur hæ: 1. Odium, de quo *supra.* 2. „
Detractio, de qua in *præc.* 8. 3. Gaudium in ma- „
lis proximi. 4. Susurratio, quæ est oblocutio ma „
la de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius „
cum aliis; quam proinde susurro restituere tene- „
tur, & iterùm reconciliare, non secus ac detrac- „
tor famam. *V. in præc.* 8. „

III. Si tristitia sit de bono alterius, in quan- „
tùm ex eo tibi vel aliis times nocumentum (v. g. „
inimicus tuus est evectus ad officium, ut tibi fa- „
ciliùs possit nocere,) non est invidia, sed timor „
qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus. „
Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 10. „

IV. Si tristitia sit ex eo, quòd nobis desit bo „
num, quod alter habet, ita tamen, ut illud alte „
ri non discupiamus, non est invidia, sed æmula- „
tio seu zelus: qui, si est circa bonum honestum, „
est laudabilis; si autem circa temporalia, inter- „
dùm est veniale; ut si bonum dolenti sit impro- „
portionatum, quale esset, si rusticus doleret se „
non esse Regem. Laym. *n.* 2. „

V. Si tristitia est ex bono alterius, in quan- „
tùm ille est indignus, non est invidia, sed indig- „
natio; quæ non est peccatum: erit tamen, & „
quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat, „
(estque blasphemia) vel si ita afficiat, ut ducat „
homines ad malum imitandum. Caj Laym. *l. c.* „

VI. Si doleas quòd alter tibi æqualis; vel non „
multùm inæqualis, in excellentia crescat, ita ut te fiat „
superior; & ipsum incrementum excellentiæ ap- „
prehendas, ut tibi malum; est propriè dicta invi- „
dia: invidus enim dicitur; quòd non sit videns, „
quia bona alterius sine tristitia videre non potest. „
Baldel. *nu.* 29. *l.* 3. Et sic peccare solent, 1. Am- „
bitiosi, & qui ex re aliqua quærunt gloriam „
quam cùm in eo ponant, ut in illa re sint soli ac „
singulares; dolent & tristantur, si alii accedant. „
2. Pusillanimes, quibus cùm omnia videantur „
magna, quovis bono alterius putant minui suum; „
sic mulieres v. g. facilè apprehendunt, ac dolent, „
se superari bono alterius, v. g formositate. 3. Se- „
nes respectu juvenum, & quicumque difficulter „
obtinuerunt, quod alii facilè consequuntur. Bal- „
del. *l. c.* „

VII. Qui in adversis suis, vel ob aliorum prof „
peritatem, optat se non fuisse natum, vel se bru- „
tum animal, factum fuisse, vel diem esse male- „
dictum, quo natus est; vel alterum primò vidit, „
aut conjugem accepit; si tantùm intendat maledi- „
cere irrationali creaturæ, v. g. diei (sive sit nati- „
vitatis, sive conjugii) qui tot mala culpæ vel pœ „
næ protulit, videtur esse tantùm veniale, ali- „
quando etiam nullum, ut Jobi; si autem delibe- „
ratè intendat optare malum homini, sive sibi, si- „
ve alteri, illo die natis, vel conjugatis, morta- „
le est. Escob. & Marchant. *man. c.* 3. „

ADDENDA.

QUæst. 50. *Quid circa invidiam sit prætereà no-* 294
tandum? Rep. Seqq.

§. 1. Tamb. *in Dec. l.* 5. *c.* 1. §. 3. *n.* 3. dicit non esse invidiam nec peccatum, si quis tristetur de bono alterius, inquantum verè est imminutivum propriæ excellentiæ, quia potest de hac imminutione tristari, ergo & de ejus causa, sic enim tristatur de bono proximi, non per se, sed tantùm per accidens,

accidens, prout est malum suum. Doctrina illa in praxi est difficilis, nisi supponatur motivum doloris & objectum displicentiæ esse solum suum malum: unde sicuti non licet tristari de vita alterius ob emolumentum temporale, nec gaudere de morte parentis propter hæreditatem, uti constat ex damnatione prop. 13. & 15. facta ab *Innoc. XI.* quamvis licitè desideres emolumentum tuum & hæreditatem, ita & hìc.

295 §. 2. Burgh. *cap. 1. c. 88.* rectè dicit, si mercator doleat homines non emere potiùs apud se quàm apud alium, esse æmulationem licitam, si autem doleat, quia hoc est bonum alteri, & ipse ideò negligitur, est invidia; sed putant *Lorca & Burgh.* esse tantùm veniale, quia non absolutè dolet de bono proximi, nec hoc videtur ita graviter opponi charitati, nisi ex illo affectu moveatur ad removendum illud bonum proximi.

296 §. 3. Naturalis partus invidiæ est detractio, de qua dictum est *l. 3. p. 2. à n. 1190.* Committitur autem etiam his aut similibus verbis; *nolo detrahere; nihil mali ipsi volo &c. hoc doleo; quòd sit talis vel talis &c. quàm dolendum est; quòd ille homo hoc faciat! &c.* Hæc omnia proficiscuntur ex corde invido vel inimico, & reipsa lædunt alienam famam: & licèt fortè nihil in particulari dicatur, tamen si ostendatur ejusmodi displicentia circa alterum, semper hæret animo auditoris aliquid malæ existimationis infixum.

De odio, videri possunt dicta *l. 2. à num. 181.*

DUBIUM V.

De Gula.

ARTICULUS I.

Quid sit Gula.

297 „ Resp. Ea est inordinatus appetitus cibi & potus: opponiturque abstinentiæ, & committitur. 5. modis, 1. Si edas ante tempus. 2. „ Si nimis exquisitè. 3. Si plùs justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisitè præparata. Laym. *l. 3. „ s. 4. n. 2. Unde resolves:*

„ I. Gula ex genere suo est peccatum tantùm veniale: quia nullum horum modorum repugnat „ præcisè charitati Dei vel proximi.

„ II. Hinc probabile est, quod docet *Nav. Tol. „ &c.* & non repugnat *Laym.* secluso scandalo & „ aliis, veniale tantùm esse usque ad vomitum se cibo & potu implere; idque etiam, si quis vomat, „ ut iteratò possit bibere: quod tamen Sa. *v. Comedere, aliique multi*, putant mortale. V. Bald. „ Escob *t. 2. E. 2. c. 5.*

„ III. Vix dubium est, licere esu aut potu, aliterve creare vomitum, si iis salubris esse judicetur.

„ IV. Mortalis interim censetur crapula ex accidente, & nimia inordinatione, in his casibus; „ 1. Si quis gulæ causa violet jejunia Ecclesiæ. 2. Si „ quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, „ ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valdè „ graviter valetudini noceat, id advertens: secus, „ si leviter tantùm; ut v. g. si febricitans haustu aquæ morbum augeat. 4. Si continuè fiant comessationes & compotationes, ita ut venter pro Deo „ habeatur. 5. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua *infrà. 6.* Si quis ex mera gula vescatur carnibus aut sanguine humano; tum quia „ id repugnat pietati defunctis debitæ; tum quia „ est contra instinctum naturæ abhorrentis. Excusandum autem erit, si fiat causa medicinæ, aliave justa causa, v. g. extremæ famis in obsidione; „ in qua tamen sic vitam conservare non teneris Sanch. 1. *mor. c. 18.* Less. Laym. *n. 3.* Sa. Bon. „ Baldell. *l. 3. c. 29.* Sic etiam excusant quidam lictores illos, qui ut officium suum melius administrent, haustu sanguinis humani se animare dicuntur, præsertim cùm sanguis secundùm multos, „ animatus non fuerit. *V. Auth. cit.* „

V. Ex genere quoque suo venialia sunt, quæ „ filiæ Gulæ dicuntur; nimirum ex parte animæ, „ 1. Hebetudo mentis seu stupiditas nata ex crapula, „ v. g. ut non possit orare, &c. quæ fit mortalis, „ quando qui inordinatè bibendo vel comedendo „ voluntariè, fit ineptus ad intelligenda vel præstanda ea, quæ ad salutem illi sunt necessaria: vel ad „ quæ ex officio, aut aliàs sub gravi peccato tenetur. *Baldell. n. 15.* „

2 Inepta lætitia; per quam intelligitur non „ vis inordinata, quæ omne peccatum sequitur, „ sed quæ movet ad cantiones obscænas, actus, „ turpes, saltus, vel choreas inhonestas, &c. fitque mortalis quando est inductiva alterius ad consensum, vel delectationem mortalem, vel ad „ eam ordinatur. *Ibid.* „

3. Multiloquium. „

4. Scurrilitas, quæ ab inepta lætitia, & multiloquio differt, quòd illa sit in appetitu, istud in „ verbis: hæc in verbis & gestibus; dicitque semper aliquam inhonestatem, licèt (per se, & secluso scandalo) venialem; v. g. scurrilia dicere, „ vel canere, ventum emittere, &c. ex levitate ad „ risum excitandum: mortale tamen esse, si fieret „ causa delectationis venereæ, Baldell. *l. c.* Escob. „ *t. 2. E. 2. c. 4.* „

Ex parte corporis, Immunditia, Vomitus, „ & Seminis effusio, quæ ultima, si voluntaria sit „ mortale est, V. Laym. *l. 3 s. 4.* Less. *l. 3. c. 3.* „ Baldell. *l. 3. 29.* „

ADDENDA.

Quæst. 51. *Quid præterea notandum sit circa gulam?* R. Præter dicta *n. 204.* videri potest. Gob. *in Quint. t. 5. c. 23. ubi s. 2.* comprehendit species gulæ hoc versu, *præpropere, lautè, nimis ardenter, studiosè*, & de eis fusè discurrit. *S. 3. subs. 2. 3. &* 298
4. examinat, an liceat vel sit obligatio comedendi carnes humanas in extrema necessitate, vel pro medicina. *Subs. 4.* etiam agit de potu sanguinis humani. *Subs. 5. & 6.* agit de comestione carnium crudarum, ceræ, cretæ &c. *Cap. 29. s. 3.* examinat, an liceat bibere sanguinem pecudum, vel lixivium.

Q. 52. An comedere sine necessitate pertineat ad vitium gulæ? R. Negant *Maj. & J. Sanch.* sed dicendum est esse; uti cum *S. Aug.* docet S. Th. *1. 2. q. 148. art. 1. ad 2.* quia est inordinatio plus cibi sumere, quàm conveniat sustentationi naturæ & bonæ habitudini corporis: est tamen tantum veniale, per se loquendo. 299

Q. 53. An sit licitum intendere delectationem, quæ capitur ex cibo & potu moderato? R. §. 1. *Maj. J. Sanch. Bass. & alii* cum Moya. *T. 1. tr. 6. d. 2. q.* 300
3 affirmant velut probabile, quia talis delectatio, secundùm dicta *l. 3. p. 1. n. 894.* non est de se mala, unde si absit immoderatio, non videtur tali actui plùs malitiæ inesse, quàm si quis se recreet audiendo musicam, spectando florem, odorando rosam, in quibus nihil videtur esse malitiæ, ergo licitum erit talem delectationem directè intendere: supponunt autem hi authores cum *S. Bonav. Scoto* & ejus schola, Vasq. Arr. *Ovied.* Aversa. Gob. in Quint. *t. 5. c. 1. à n. 106.* aliisque plurimis, posse dari actus humanos in individuo indifferentes; quos alii plures admittunt saltem per accidens dari posse ratione ignorantiæ invincibilis vel inadvertentiæ, cùm

major pars hominum ignoret, aut, quando operandum est, non cogitet de obligatione referendi omnes actiones suas ad finem honestum. Ex eodem fundamento docent multi, quos refert Moya *à n.* 17. conjugi licitum esse intendere copulam propter delectationem. E contrà damnatio *hujus S. prop.* facta ab *Inn. XI.* reddit opinionem illam difficilem, *comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Pro explicatione sit.

301 §. 2. Satietas potest duo significare, vel comestionem talem, qua satis sit fami; vel talem, quæ fiat in majore quantitate, quàm requirat sustentatio naturæ: si sumatur primo modo, comedere ad satietatem nullum est peccatum; si secundo, est peccatum uti ex *S. S. Aug. Greg. Isid. & Th.* probat Card. *in 2. Crist d. 7. n. 26.* quia in hoc est aliqua immoderatio.

302 §. 3. Si quis voluptatem de se indifferentem, quæ capitur ex cibo vel potu, referat ad honestum finem, nullo modo peccat, uti cum *S. Aug.* tenent Palav. & Gob. *n. 97.* unde si quis comedat cibum necessarium propter voluptatem, referendo hanc voluptatem ad comestionem & utilem digestionem, sicuti revera à natura refertur ad eam, ideò enim voluit Deus esse voluptatem in cibo, ut eum comedamus & nutriamur, sicque referamus ad sustentationem vitæ; in hoc nihil est peccati, sed omninò ordinatè agimus, secundùm finem à natura & Deo intentum: neque verum est, quòd tum comedamus propter solam voluptatem aut propter voluptatem tanquam finem ultimum, sed comedimus propter voluptatem subordinatam alteri fini honesto, nempè sustentationi vitæ Carden. *n.* 12.

303 §. 4. Qui comedit vel bibit propter solam voluptatem saltem venialiter peccat, quia agit contra finem & ordinem à natura & Deo intentum in esu ac potu, qui est sustentatio vitæ; ille autem tantùm censetur comedere vel bibere propter solam voluptatem, qui bibit vel comedit, quia in hoc est voluptas seu delectatio gustus, ibi sistendo; quod potissimùm facit ille, qui comedit vel bibit aliquid superfluum, non necessarium, nec utile ad sustentationem vitæ nam si sit utile ad sustentationem, tum saltem virtualiter assumitur, non propter solam voluptatem, sed etiam propter sustentationem vitæ, nisi sumens expressè aliter intenderet, Carden. *n.* 29.

304 §. 5. Audire musicam, videre flores, olfacere rosam aut alia sensuum oblectamenta quærere propter solam voluptatem, est veniale, quia regula omnium delectabilium in hac vita, secundùm S. Th. 2. 2. *q.* 141. *art.* 6. est necessitas aliqua hujus vitæ, vel utilis, vel convenientia, ergo si tales actus delectationis quærantur vel habeantur sistendo in tali delectatione, agitur contra ordinem rectæ rationis & naturæ: tum autem non sisto in delectatione, si bibam, ut reficiam naturam; si audiam musicam ad pellendam tristitiam; si olfaciam aromata ad confortandum caput; si inspiciam colores ad habendam scientiam experimentalem rerum coloratarum, aut si similia delectabilia assumam ad honestam recreationem naturæ fessæ laboribus &c. tum enim nihil peccatur, quia ordinantur ad conveniens esse vitæ, sicque non assumuntur ob solam voluptatem.

305 §. 6. Quando dicitur, quòd appetitus naturalis licitè possit actibus suis frui, sensus est, quòd licitè possit gaudere de delectatione procedente ex suis actibus tanquam de fine obtento, ideóque quòd possit gaudere propter solam voluptatem seu sistendo in delectatione, nam *licè frui* dicitur respectu finis obtenti; è contra *uti* re, dicitur respectu mediorum assumptorum ad finem, ideóque Seneca *l. de vita beata c.* 10. agens cum quodam Epicuri discipulo ait, *tu voluptate frueris, ego utor:* simili modo loquitur S. Th. 1. 2. *q.* 88. *a* 1. *ad* 3. ubi explicans *S. Aug.* eadem locutione utentem ait, *qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens, referens in Deum, non actu, sed habitu:* Ex quo sequitur, quòd appetitus naturalis non possit licitè *frui* suis actibus, posse tamen eis *uti*, id est, posse moderatam delectationem de se indifferentem percipere, dummodò referat ad alium finem honestum.

306 §. 7. Hactenus dicta valent etiam de actu copulæ inter conjuges, hinc *Innoc. XI.* damnavit hanc prop. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali*: de qua propositione plura dicentur *l. 6. p. 3.* quando de Matrimonio. Ex hìc dictis,

307 *Colligitur*, sententiam S. T. 1. 2. *q.* 18. *a.* 9. *Suar. Bellar. Fill. Laym. Rayn. Palav. Haun.* & aliorum ferè & innumerorum, quòd non dentur actus humani in individuo indifferentes, videri conformiorem damnationi propositionum, ideóque si actus aliquis fiat modo humano, id est, cum advertentia & reflexione ad fines honestos vel in inhonestos, esse obligationem illum referendi ad aliquem finem honestum: & sic saltem mediatè ad finem ultimum & Deum ipsum, qui est prima regula omnis honesti. *Conf.* nam si aliquid faciat intendendo laudem suam & sistendo in illa, peccat venialiter per vanam gloriam vel superbiam, quamvis laus sit bonum honestius quàm delectatio cibi vel sensuum, ergo multò magis si intendat aliquam delectationem sensuum, sistendo in illa. Atque ex his meliùs intelliguntur illa, quæ diximus *à n.* 208. de obligatione referendi omnes actiones in Deum. Vide etiam dicta *l. 2. n.* 132. Ex hìc dictis,

Inferes, non tantùm utile, sed necessarium esse, suis operibus præfigere intentionem bonam, præsertim manè: est tamen renovanda per diem, alioqui desinet, nec influet in actiones disparatas, maximè si per culpas aut negligentias etiam tantùm veniales dissipetur: potestque formari hoc vel simili modo pro cujusque devotione, & affectu:

Formula Intentionis Matutinæ.

DEus, primum principium & finis ultimus rerum omnium, ecce opera hujus diei, & quidquid unquam aliàs facturus sum vel passurus, in unione omnium actionum & passionum Christi filii tui, Beatissimæ Virginis Mariæ & omnium SS. tuorum, in unione omnis beneplaciti tui, ac præcipuè illius, quod in te de teipso habes, offero Divinæ Majestati tuæ, imprimis,

In agnitionem supremi tui in omnes creaturas dominii & potestatis in suppletionem omnis laudis & gloriæ, quæ tibi negatur à dæmonibus, damnatis & peccatoribus: ex sinceriſſimo desiderio, ut agnoscaris ab omnibus, sicuti est in te Deus infinitè perfectus; ut ameris, sicuti es propter infinitam bonitatem tuam amabilissimus; ut colaris & honoreris, sicuti es propter infinitam tuam excellentiam omni cultu & honore dignissimus.

Offero etiam in gratiarum actionem pro omnibus in me, in creaturas omnes, ac præcipuè in electos, collatis beneficiis; quia nos creasti ex nihilo, acerbissima passione redemisti, sanctificasti per gratiam, adduxisti ad veram fidem & hucusque conservas; hisque omnibus vis æternam gloriam superaddere.

Etiam offero in satisfactionem pro omnibus peccatis & negligentiis meis: in refrigerium animarum

in

in purgatorio, præsertim illius (*designa aliquam* :) ut in cœlum admissa te citiùs videat, amet, laudet & pro me intercedat.

Denique offero ad impetrandum propinquis, amicis, benefactoribus, uti & malefactoribus, incolumitatem; peccatoribus veniam & emendationem; mihi virtutes maximè necessarias, robur ad superanda vitia & tentationes mihi maximè periculosas, gratiam in fine vitæ & beatam mortem.

Quodcumque facio aut faciam, mi Deus, ideò esse volo, quia tibi placet à me fieri, qui propter te dignissimus es, cujus voluntas semper fiat: volo, ut ex hac intentione & purissimo tui amore omnes totius vitæ meæ actiones procedant secundùm tuum Sanctissimum beneplacitum: tu dirige & dispone de me, per me, circa me, sicuti scis & vis, pro tempore & æternitate. Amen.

Vitiatut hæc intentio, 1. Si simul intendas sensualitatem & commoditatem tuam. 2. Si quæras per tuum opus placere hominibus; gaudeas te ideò æstimari, amari, laudari, ideóque optes illud resciri vel videri. 3. Si sciens Dei gloriam magis vel æquè promoveri per opus occultum aut vilius, tamen malis facere publicum aut honoratius. 4. Si cum perturbatione, anxietate aut impatientia quæras aliquid agere, conquerendo & turbando teipsum vel alios, si differatur vel non permittatur. 5. Si turberis, quando aliquid non succedit tibi gloriosè. 6. Si ideò facias, ut te non redarguat conscientia; ut quietus sis & interiore pace fruaris; ut tibi ipsi satisfacias tibi, ut ipsi vel aliis non videaris malus. 7. Nec ipsum gaudium & consolatio in actione bona est certum signum puræ intentionis, sæpè enim illa interna solatia amantur propter se & non propter Deum, quod tum est, si tamdiu duret dilectio, quamdiu durat dulcedo. *Ricardus in Cant. c. 6.*

ARTICULUS II.

Quid sit Ebrietas.

308 „ RESP. Malitia ebrietatis plenæ & perfectæ, „ in eo consistit, quòd quis sine justa & gravi causa, tantùm ob voluptatem, aut ingluviem, „ sciens, volens privet se usu rationis; non simpliciter, id quod fit in somno, modo naturali instituto ab authore naturæ, ad virium & imaginis „ Dei conservationem; sed violenter, & modo innaturali, & rationem perturbando, & Dei imaginem deturpando, in modum, amentis, bruti ac simul insuper privando se proxima potestate utendi ratione ad omnem subitam necessitatem. „ Ita docent commun. Doct. *Unde resolves*:

„ I. Perfecta ebrietas, qua prædicto modo ratio „ planè sopitur, est ex genere suo mortale, quia „ censetur Deo injurium, ejus imaginem sic deturpare. Est communis Doct.

„ II. Non est peccatum, inebriare se ex præscripto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non „ possit *Syl. Caj. Laym.*

„ III. Non item est peccatum, si quis cogatur „ intento ense. *V. Less. l. 4. c. 3. d. 4. n. 37. Az. Regin. Baldell.*

„ IV. Mortale est, alium inebriare velle, vel „ provocare ad æquales haustus, cum intentione „ inebriandi, aut advertentia secuturæ ebrietatis in „ se aliove. *Less. l. c.*

„ V. Si justa causa est, ut v. g. si grande malum „ non possit aliter impediri, nisi author inebrietur, „ licet eum inducere ad ebrietatem, quæ saltem „ ipsi non sit voluntaria, ut scilicet præter intentionem, ideóque inculpabiliter inebrietur, v. g. vinum fortissimum, aut medicatum propinando, „ cujus vi ignorata decipiatur. Unde sic posses inebriare eos, qui alioqui essent prodituri urbem, „ vel te abducturi. *Less. l. c.* & Sanch. *l. 2. de Matr. d. 11.* An verò hoc casu liceat inducere ad ebrietatem ipsi voluntariam, dubium est, Less. *n. 32.* „ affirmat, quia, inquit, licet suadere & inducere „ ad minus malum, ut impediatur majus. Laym. *l. 3. s. 4. n. 6.* rectiùs negat, quia nullo casu licet inducere ad peccatum. „

VI. Si quis non prævidit periculum ebrietatis, „ & sic vino captus est, aut in auram exiens, vento „ turbatus est, nec hoc prævidit, vacat culpa: Unde multi excusantur, qui prudenter sæpè judicant, „ adhuc se haustulum facere posse sine noxa: desinent tamen prudenter id judicare, si contrariam de „ se experientiam habeant. „

VII. Si quis post potum discernere adhuc „ possit inter bonum & malum, licèt nonnihil „ phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia vel domus gyrari videatur, nondum plena „ est ebrietas, ideóque tantùm peccatum veniale „ quamvis ex gravioribus, si deliberatè sit commissum. *V. Laym. l. c.* „

VIII. Plena ebrietas notatur ex his signis quæ „ dat Less. *num. 30. & Regin. 1.* Si quis non meminerit „ dictorum, factorum, quomodo vel quando domum deductus. 2. Si commisit ea, quæ nunquam „ aliàs sana mente solet, v. g. si præter morem turpia sit locutus, turbarit domum, uxorem verberarit, &c. „

IX. Mala in ebrietate commissa, si prævisa non „ sunt, aut si adhibita cautio, culpa vacant. „

ADDENDA.

Quæst. 54. Quid circa ebrietatem & potationes sit præterea addendum? R. Seqq. 309

§. 1 Ebrietas quandoque sumitur latè & quasi materialiter, tumque definitur, *excessus in potu, sine justa causa factus, usque ad privationem rationis*: quandoque strictè & formaliter, prout opponitur sobrietati, sicque definitur, *excessus in potu, voluptatis causa factus usque ad privationem rationis*: hinc AA. communissimè in descriptione ebrietatis meminerunt *concupiscentiæ, delectationis, voluptatis è potu*, uti habent *S. Th. 1. 2. qu. 88. art. 5. ad 5. & 2. 2. q. 150. art. 1. & 2.* O. Caj. *ibid.* Alensis *p. 2. q. 160. meb. 3.* Bann. *2. 2. q. 64. ar. 7. d. 5.* Sal. mer. *t. 12. tr. 12. sub med.* Az. *p. 1. l. 7. c. 22. q. 5.* Valent. *t. 3. d. 9. q 3. p. 1.* Less. *l. 4. c. 3. n. 13. & 37.* Laym. *l. 3. s. 4. n. 5.* Manig. *p. 2. cap. 7.* Pasq. *in moral. q. 386.* Villal. *t. 2. tr. 40. diff. 6.* Fagund. *de præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 1. n. 11.* Fill. *tr. 30. n. 12.* Dicast. *de just. l. 1. d. 3. n. 104.* Castrop. *t. 7. d. 3. p. 5.* Mastrius *mor. d. 15. n. 147.* Stoz. *l. 1. p. 3. n. 519.* Bosco *de Pœn. d. 7. s. 10. n. 344* Bass. *v. Gula n. 5.* Sangall. *t. 5. tr. 5. s. 3. q. 2.* Spor. *in Dec. t. 1. c. 7. s. 2. n. 69.* Tamb. *p. 2. t. 1. c. 3.* Gob. *in Quin. t. 5. c. 5. s. 2. n. 9.* Busemb. *suprà*, Reiff. *t. 3. d. 3. q. 6. n. 45.* Neuss. *d. 24. n. 101.* Ratio autem est, quia sicuti ad sobrietatem spectat moderari concupiscentiam potus & delectationem ex illo, ita ad ebrietatem sobrietati oppositam moveri concupiscentia nimia & delectatione potus. Cum hoc tamen stat, quòd ebrietas etiam illa, quæ fit non ex causa voluptatis sed ex alia causa non justa, v. g. ad alios recreandos, ad vincendum per æquales haustus &c. etiam sit mortalis. Et rationes, quibus probatur ebrietatem etiam unicam esse peccatum mortale, videri possunt apud Gob. *c. 6. à n. 18.* In quo autem præcisè ejus malitia consistat, examinat fusè *à n. 2[illegible]*

310 §. 2. Inebriare se formaliter, id est, voluptatis causa, ita est malum, ut nunquam sit licitum, nullus enim potest esse casus, in quo voluptas illa tanti fiat, ut propter illam fas sit exturbare rationem, *Gob. c.* 18. *n.* 2. dicens etiam *c.* 6. *n.* 52. si quis ex *sola* voluptate sibi conciliaret violentum lethargum seu talem somnum, qui non posset citiùs depelli quàm ebrietas, eum similiter peccaturum mortaliter. Vide tamen dicenda *n.* 326.

311 §. 3. Licere se inebriare ex præscripto Medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud medium, docent AA. *n.* 319. citati; item *Syl. v. Ebrietas q.* 3. P. Ledesm. *t.* 23. *c.* 3. Nav. *c.* 23. *num.* 119. Tol. *l.* 8. *c.* 61. Sà *v. Ebrietas n.* 4. Armill. *v. Ebrietas n.* 5. Tann. 2. 2. *d.* 3. *q.* 4. *d.* 3. *n.* 53. Dia. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 44. Bonac. *t.* 2. *d. ult. q.* 1. *p.* 1. *prop.* 1. *n.* 3. Naldus *v. Ebrietas n.* 2. Jac. March. *in Pastor. p.* 2. *c.* 4. *q.* 5. Alv. 1. 2. *d.* 147. *n.* 4. *Reg. l.* 22. *c. ult. n.* 55. Rayn. *de virt. & vitiis l.* 6. *s.* 2. *c.* 6. *n.* 113. Baldell. *l.* 3. *d.* 30. *n.* 23. Steph. *t.* 1. *d.* 5. *n.* 76. Loth. *tr.* 18. *ar.* 8. Jo. Pontius *d.* 22. *q.* 12. *n.* 103. Illsf. *tr.* 4. *d.* 1. *n.* 54. aliique plurimi cum *Vind. Gob. ad* 14. *prop. n.* 27. Rationem dant, quia sicuti licitum est se in perpetuum privare brachio vel pede, ut, servetur totum corpus, ita multò magis ad breve tempus usu rationis; non enim est inebriatio formalis, sed materialis & ex justa causa: ac reipsa talis potus est necessarius ad conservationem vitæ, temperantia autem permittit hoc sumere, quod ad illum finem est necessarium, uti habet *S. Th.* 2. 2. *q.* 141. *a.* 6. Atque ex his inferunt multi licitum esse se inebriare, si quis mortem intentet, nisi te inebries; sed huic, & etiam priori doctrinæ repugnant alii cum *Mendo d.* 13. *q.* 14. putantes ebrietatem esse intrinsecè malam, non aliter ac est pollutio, maximè cùm ebrietas sit per se causativa iræ, rixarum, cædium, blasphemiarum, impudicitiæ &c. Et huic sententiæ quoad ultimam partem favet *S. Aug. serm.* 232. *de tempore*, *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Putat quidem *Vind. Gob. à n.* 38. rationes allatas facilè solvi: quod autem *S. Aug.* attinet, dicunt *Less. Dicast. & Ill.* illum loqui de casu, quo in contemptum religionis vel virtutis bibendum esset; verùm *S. Aug.* id non insinuat; hinc *Gob. n.* 12. suspicatur *S. Aug.* ob probabilitatem contrariæ sententiæ suadere, potiùs mortem esse oppetendam quàm causandam privationem rationis.

312 §. 4. Numquam est obligatio se inebriandi, etiam pro conservanda vita, tum quia contraria opinio, quod id non liceat, est probabilis, tum quia nemo tenetur per media extraordinaria conservare vitam, *Gob. à n.* 43. Quòd si ebrietas præscriberetur tanquam medicina, & vita tua esset necessaria *Reip.* aut si in peccato mortali esses, & semipotus non posses contritionem elicere, adhuc probabile est te non teneri, quia probabile est etiam in illis casibus non licere: Et supposita veritate hujus sententiæ, si quis moreretur, ne inebriaretur, putant aliqui fore Martyrem, quia moreretur pro honestate & defensione virtutis, sed cùm causa Martyrii credi debeat fide divina; sententia autem illa, quòd tutum non liceat se inebriare, sit incerta, difficile est defendere fore Martyrium: nihilominus *Gob. s.* 5. & 6. ex eo probabiliter putat fore Martyrium, quòd actus virtutis etiam non præceptus possit esse causa Martyrii, nemo autem negabit talem agere ex virtute sobrietatis: & hujus sententiæ videtur esse *S. Aug. supra*, ubi ait, *qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio perseverare voluerit, & pro ipso ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrii gloriam reputabit.*

313 §. 5. Ad morbum gravem, etiam non lethalem, curandum aut cavendum, licitam esse inebriationem docent multi cum *Gob. à n.* 15. si aliter curari aut caveri nequeat, quia licitum est tantum cibi & potus sumere, quantum necessitas vitæ & valetudinis postulat: & hanc sententiam post *Caj. Tol.* & alios defendunt Bouderv. *p.* 1. *q.* & alii apud *Mendo q.* 14. sed hìc multò magis contradicunt *S. Aug. Angel. Tabien. Mendo* & alii.

314 §. 6. Si alicui pes esset abscindendus, non liceret inebriatio ad avertendum sensum doloris, quia potus est institutus ad vitam & valetudinem tantùm; hinc etiam non liceret inebriatio, ut alium vel meipsum liberem tristitia aut melancholia, *Gob. à n.* 18. Licitum tamen est ob has causas bibere usque ad hilaritatem, *Gob. n.* 26. contra *Dicast.* Quòd si quis etiam recreationis causa ita comedat aut bibat, ut intrà duas horas commodè studere nequeat, putat *Gob. n.* 29. eum peccare, quia regula temperantiæ plus non permittit, quàm quantum satis est ad vitæ & officiorum necessitatem, attamen non est nisi veniale. Addunt *Escob.* & alii cum *Gob. n.* 34. si casus esset, ut sitis valdè vehemens non possit extingui, nisi sumpto potu usque ad privationem rationis, id fore licitum, quia finis potus est sitim restinguere, ergo licitum est hanc potu restinguere, quamvis per accidens sequatur ebrietas: sed puto casum illum non esse moralem, cùm sitis possit aliter restingui: & reipsa potiùs aliquo tempore ferenda esset sitis & paulatim restinguenda, quàm tali violento medio pellenda.

315 §. 7. Nec licita est inebriatio sui ad conservandum honorem, cùm enim honor non sit propriè honorati, neque sit ita necessarius ad vitam, meritò censetur esse quid minus, quàm bonum usus rationis, *Gob. n.* 7. Neque licita est ad evitandam gravem inimicitiam; ad vitanda tamen verbera valdè atrocia putat *Gob. num.* 10. probabile esse, quòd liceat, sed alii meritò dubitant. Vide *Vind. Gob. ad propos.* 15.

316 §. 8. *Less.* excusat Indos à mortali, qui tabaco se inebriant, inducendo somnum in se, eò quòd privare se ratione per somnum non sit peccatum: *Dicast. & Gob. c.* 31. dicunt peccare mortaliter, quia etiam potus vini esset mortaliter malus, quamvis in solo somno privaret ratione. Idem dicunt *Cajet. & Valent.* eò quòd utraque ebrietas sit ob voluptatem quæsita: & non tantùm privet usu rationis, sicuti somnus, sed etiam potentia proxima ad usum rationis, quod non facit somnus; nam homo à somno excitatus potest statim uti ratione: è contra sic ebrius, quamvis excitaretur à somno, non posset ratione uti. Quod si somnus facilè depelli posset, tumque adesset potentia utendi ratione, *Gob.* excusat à mortali; hinc etiam omni culpa vacant, qui ex consilio Medicorum hauriunt fumum, licèt per breve tempus vertigine acti, nesciant, ubi stent. Etiam docent *Less. Dicast. & Gob.* eos peccare graviter, qui cubant super lupulum, & ejus odore se privant ratione, Ills. autem *t.* 4. *d.* 1. *n.* 53. putat talem inebriationem non esse graviter prohibitam, quia caret magno voluptatis illicio, sed ratio ista non videtur firma, nam præcipua malitia inebrietatis desumitur ex hoc, quòd exturbetur ratio sine potentia proxima eam reducendi: *& Conf.* nam nemo est Dominus sed tantùm administrator suæ rationis, ergo qui sine sufficiente causa se privat usu & potentia ad illam, graviter agit contra naturam & Deum, sicuti graviter ageret contra jus alterius, qui eum privaret usu & potentia suæ domus.

mus. Tales tamen aliter quàm potu se privantes ratione non debent confiteri se ebrios fuisse, nam non est peccatum per excessum circa voluptatem gustus, sed addere debent modum, quo id factum est, nam est inebriatio distinctæ speciei: hinc etiam docet *Dicast.* si quis se pane ex malignis granis vel herbis confecto sine causa inebriet, quod fieri potest, esse aliam specie ebrietatem, quàm quæ ad potum pertinet.

317 §. 9. *Ang. Tann. Fagund. Gob. c. 6. n. 37.* universaliter docent ebrietatem nullam esse mortalem, nisi diu privet usu, & potentia rationis: hinc nemo damnat eum mortalis, qui subita ira, vel girando se redditur rationis impos per *Pater & Ave*; longum tamen tempus videtur esse una hora. *Si dicas*, usu rationis est in supremo genere bonorum, ergo pejus est per quadrantem carere potentia utendi, quàm per mensem centum aureis. R. etiam Missa est in supremo genere bonorum spiritualium, & tamen qui persolveret eam, ad quam se liberaliter obligasset, non peccaret graviter, uti tenent multi relati *l. 3. p. 2. n. 775.* sunt enim multa in tali superiore genere, quæ tamen in certis circumstantiis censentur absolutè exigua; Vide Gob. *in Exp. t. 3. n. 489.* Nec valere semper tales comparationes, ostendit *Lugo de Just. d. 14. n. 24.* Vide etiam *Vind. Gob. ad prop. 16.*

318 §. 10. Qui per experientiam scit se communiter inebriari, quando adit hæc, aut illa consortia, hoc vel illo modo bibit, tenetur sub mortali cavere, nec absolvi potest, nisi hoc proponat, uti constat ex dictis *à n. 252.* Similiter peccat mortaliter, qui bibit, sciens adesse periculum ebrietatis; ille autem scit adesse periculum, inquit Gob. *in Quint. t. 5. c. 8. n. 20.* citans alios, qui bibit, probabiliter putans secuturam ebrietatem, vel timens, & dubitans, vel suspicans secuturam; unde antequàm pergat, debet ex prudente motivo deponere ejusmodi opinionem, dubium, aut suspicionem, alioquin non potest dici habuisse ignorantiam, vel inadvertentiam secuturæ ebrietatis. Quòd si quis sciat se multum bibendo fore ebrium, si postea in aerem exeat, aut vehatur, non autem fore, si domi quietus maneat, hic bibendo non peccat graviter, si proponat non exire, & soleat servare tale propositum; quòd si servare non soleat, peccat graviter exponendo se periculo proximo ebrietatis, Gob. *n. 34.*

319 §. 11. Si quis se inebriet, non advertens ebrietatis periculum, non peccat graviter, uti dictum est *à n. 16.* Rectè tamen docent *S. Th. Nav. Val.* aliique communiter eum, qui sæpè fuit ebrius, semper sufficienter advertere, vel posse, & debere advertere, ideóq; semper peccare mortaliter: unde qui confitetur se intra mensem semel vel iterum fuisse ebrium, si sit vir intelligens, meritò interrogatur, an præviderit; si autem dicat intra mensem decies factum, supponi debet semper peccasse mortaliter, *Go. n. 27.*

320 §. 12. Qui nimio potu causat in se podagram, gravem capitis dolorem, nauseam stomachi ad octo vel plures dies, peccat graviter contra charitatem propriam, uti vult *Gob. c. 10. nu. 15. & 20.* imò contra jus Dei, abutens corpore, & valetudine, cujus dominus non est sed tantùm administrator, & custos: & hoc à fortiori tenent *Caj. Less. Bald.* & alii, qui dicunt nocentem sibi in naturalibus sic peccare, sicut peccaret nocens alteri, si quis autem alteri tales molestias causaret, utiquè peccaret mortaliter, ergo.

321 §. 13. Rectè docent cum communi Dicast. Gob. *c. 13. à n. 19.* Burgh. *c. 13. cent. 99.* eum graviter peccare, qui, quamvis non intendat, tamen ex amicitia, & urbanitate, etiam secundùm morem patriæ, alium invitat ad haustus, quibus probabiliter prævidet inebriandum, quia invitat ad aliquid intrinsecè malum, & mortale, quod ab altero absq; mortali fieri non potest. Hinc etiam graviter peccat, qui sine rationabili causa amicum ad prandium invitat, quem scit communiter redire ebrium, quia exponit illum periculo proximo ebrietatis, Gob. *n. 50.* Conqueritur de ejusmodi incitantibus ad potum *S. Aug.* serm. 231. de tempore, ubi inter cætera hæc habet; *Certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine .... ô infelicitas generis humani! quàm multi inveniuntur, qui ebriosos, & luxuriosos ampliùs, quàm oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare! ∴∴. Quando animalia ducuntur ad aquam, ubi saturaverunt sitim suam, etiamsi supra aquam ipsam diutius teneantur, repleta siti bibere nolunt omnino nec possunt; considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sint ∴∴. Et quod pejus est, aliqui clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plùs bibere, quàm expedit ∴∴. Si & te, & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum.*

322 §. 14. Qui alium ad potationes adducit, sicque causa est, ut negligat labores ad sustentationem suorum necessarios, aut ut non possit solvere debita, aut ut furetur, peccat, & tenetur restituere illis, qui talem injuriam patiuntur, quia est causa talium damnorum, quæ ex potatione sequuntur, ad quam inducit, Gob. *c. 12.*

323 §. 15. Qui exemplo alium inducit ad ebrietatem, potest peccare graviter ratione scandali; sæpè tamen, qui solent imitari alios bibentes, sunt tales, ut licet non haberent exemplum, se inebriarent; & tum, qui præit exemplo, non peccat peccato scandali, Nav. Laym. Gob. *n. 45.*

324 §. 16. Qui, quando potest sine incommodo, non impedit alienam ebrietatem, peccat graviter contra Charitatem; per vim tamen non est aliquis impediendus, nisi immineat extremum malum, quia vim facere, spectat ad solam potestatem publicam. *Lugo.* Quòd si aliter negato vino prævideretur, v. g. blasphematurus, permitti deberet ebrietas, utpotè minus peccatum quàm blasphemia, Gob. *n. 54.*

325 §. 17. Qui stultum, vel puerum necdum rationem utentem inebriat, per se loquendo non peccat graviter, quia jam antecedenter caret usu, & potentia proxima rationis: qui tamen puerum sæpiùs inebriaret, videtur peccare, tum quia certò nocet ejus valetudini, tum quia causat in eo habitum malum bibendi, qui utentem ratione ad similes potationes inclinabit, Caram. Gob. *c. 13. à n. 39.*

326 §. 18. Non est licitum alicui per pharmacum tollere appetentiam vini, si indè immineat illi grave incommodum; alioquin videtur licere, quia ordinariè plura bona obvenient abstinenti quàm appetenti, Gob. *c. 30.* An autem licitum sit dare, vel sumere præservativa ebrietatis, tractat Bouderv. *pag. 109. & seqq.* Quid verò consilii dandum sit marito, qui conqueritur uxorem suam esse bibulam, suggerit Gob. *c. 43. n. 48.* Et remedia physica contra ebrietatem, affert idem Gob. *c. 51. f. 2.* Moralia autem *f. 3. & 4.*

327 §. 19. Propinare in sanitatem alicujus, reipsa apprecando sanitatem, per se loquendo, est laudabile, sed velle illo potu inducere Deum ad sanitatem alteri dandam, foret superstitio, quia esset per actum de se indifferentem, & non spectantem ad Dei gloriam, velle movere Deum ad aliquid faciendum: quod est superstitiosum, For. Gob. *c. 13.*

à n. 67. bibere autem in fine hauſtum, quem vocant benedictionem *S.* Joannis, eſt etiam, per ſe loquendo, laudabile, quia fit, vel ad ſignificandum, quòd continuanda ſit mutua Charitas, quam S. Evangeliſta ſemper commendabat, vel ad precandum, ut intercedens faciat non obeſſe cibum, & potum ſumptum, ſicuti ipſe creditur ſine damno venenum bibiſſe: ſæpè tamen eſt per accidens peccatum, ut ſi propinetur illi, qui advertitur eſſe in proximo periculo ebrietatis, Gob. *ſ.* 1.

328 §. 20. Judex, qui inebriat reum, ut ſic inducat ad fatendum crimen, multipliciter peccat, 1. Quòd inducat ad ebrietatem, 2. Quòd crimen eliciat non ſervata juris forma: hinc ex illa ſcientia, utpotè illegitima, nec juridica, illicitè procederet ad ſententiam, vel torturam, Leſſ. Laym. Gob. *n.* 37.

329 §. 21. Si quis ex gravi cauſa faciat inebriari alterum ad elicienda ſecreta, quæ alter tenetur manifeſtare, multi dicunt non peccare, ſi ad materialem tantùm ebrietatem inducat; ſi autem vult cognoſcere talia, quæ alter non tenetur, poſſet tamen bona conſcientia manifeſtare, videtur peccare, quamvis ad materialem tantùm ebrietatem inducat, quia alter eſt rationabiliter invitus ad talem ebriationem, & modum eliciendi ſecreta, ſi vult cognoſcere ea, quæ alter bona conſcientia revelare non poteſt, multò magis peccat, Gob. *n.* 35.

330 §. 22. Quamvis ebriis non plus credendum ſit quàm fatuis vel ſomniantibus, Gob. *c.* 19. *n.* 61. Ideóque non poſſit Judex in eum, qui in ebrietate crimen de ſe edicit, nequidem ſpecialiter inquirere, Gob. *à n.* 65. tamen qui expertus eſt ſe in ebrietate ſpontè ſolere vera ſecreta prodere, admittit duplex peccatum, ſi ſe inebriet, quia hic exponit ſe etiam iſti periculo revelandi ſecreta, Gob. *n.* 55. Idem eſt de illo, qui dum interrogatur, prodit, ſi prævideat periculum, ne inebrietur, & ſufficienter non præcaveat, Gob. *n.* 57.

331 §. 23. Qui reum ad mortem damnatum, & ritè diſpoſitum inebriaret, eo fine, ut cruciatus, & mortem non ſentiret, peccaret graviter, quia hic non eſt finis potus, neque eſt ratio ſufficiens tollendi rationem tum maximè neceſſariam, Tann. Dicaſt. Gob. *c.* 13. *n.* 38.

332 §. 24. Injuſtè in cuſtodia detentus, non peccat inducendo cuſtodes ad materialem ebrietatem, peccat tamen, ſi inducat ad formalem, etiamſi adeſſet periculum mortis, quia eſt intrinſecè malum inducere aliquem directè ad peccatum, quidquid contradicere videantur *Leſſ. & Baldel.* Si autem juſtè detinetur, peccat, licèt ad materialem tantùm ebrietatem inducat, partim quia inducit ad aliquid de ſe malum, ſecundum dicta *n.* 48. partim quia eſt cauſa injuſta graviorum malorum, quæ patientur cuſtodes, Gob. *n.* 30.

333 §. 25. Licere inebriare eum, qui decrevit malum ingens patrare, ſi nequeat alia via impediri, docent etiam plures, uti relatum eſt *l.* 2. *n.* 224. Oppoſitum tamen velut probabilius tenent iidem; item Arſdek. *in qq. ſingul. q.* 11. & Burgh. *cent.* 3. *ceſ.* 68.

334 §. 26. Qui in ebrietate ſolet percutere uxorem, & liberos, aut damna inferre aliis, peccat etiam contra pietatem, aut juſtitiam, ſi ſe inebriet, tenetur que compenſare damna, ſi in ebrietate inferat, cùm ſint ſatis prævisa in cauſa, neque adhibeatur ſufficiens præcautio, ut ſuppono, Gob. *c.* 19. *ſ.* 1.

335 §. 27. Qui caſtitatem amant, fugere debent potationes immoderatas; S. Paulus *ad Epheſ.* 5. *v.* 18. ait, *nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: Et Ariſtoph. apud Athen. *l.* 10. *c.* 15. rectè dixit, *vinum, veneris lac.* Similiter S. Hier. *ad c.* 1. *Epiſt. ad Titum, v. non vinolentum*, ait, *nunquam ego caſtum ebrium putabo; & Epiſt.* 22. *c.* 4. *vinum, & adoleſcentia duplex incendium eſt voluptatis.*

De Signis ebrietatis, optimè Gob. *cap.* 21. ex Juriſtis & Theologis.

De pœnis jure Canonico, & civili in ebrioſos ipſos ſtatutis, vide eundem Gob. *cap.* 22. An autem is, qui in ebrietate aliquem occidit, plecti debeat pœna ordinaria, aut extraordinaria, an nulla; vide eundem *c.* 20. *ſ.* 2.

DUBIUM VI.

Quid ſit Ira.

RESP. Eſt ordinatus appetitus vindictæ: quæ 336
inordinatio, ſecundum *D. Thom.* dupliciter „
fieri poteſt, 1. Ex parte modi iraſcendi, ut v. g. ſi „
nimiùm interiùs exardeſcas, vel exteriùs per ſigna „
nimis patefacias. 2. Ex parte objecti, ut ſi vindic- „
tam appetas, planè injuſtam ob cauſam: vel ſi juſ- „
to majorem, v. g. optando inimico mortem, quam „
non eſt meritus, vel exequendam propria authori- „
tate; vel denique licèt vindicta juſta ſit, non ta- „
men eam appetas ut juſtam, ſed ut ſatiativam ani- „
mi tui malevoli. *Unde reſolves*: „

I. Si ordinatè appetatur vindicta, non eſt pec- „
catum iræ, ut cùm Superiores iraſcuntur culpis ſub- „
ditorum, eoſque puniunt, ſeu vindicant. „

II. Ira inordinata primo modo ante dicto, eſt ex „
genere ſuo veniale, poteſt tamen fieri mortale ex „
accidente, ut ſi addatur blaſphemia, maledictio, „
ſcandalum. „

III. Ira inordinata, ſecundo modo, eſt ex ge- „
nere ſuo mortale, quia eſt directè contra charita- „
tem. Baldel. *l.* 3. *d.* 21. „

IV. De filiabus iræ, quæ partim ſunt in corde, „
ut indignatio, & tumor mentis; partim in ore, „
ut clamor, blaſphemia, contumulia, maledictio; „
partim in opere, ut rixæ, pugnæ, ſeditiones, vul- „
nera, diverſimodè loquendum eſt, ſecundùm regu- „
lam ſupra datam. Nam 1. Indignatio, quæ eſt inor- „
dinatus affectus ex eo, quòd quis reputet ſe indi- „
gnè à tali tractari, communiter eſt veniale: imò ſi „
ex juſto rationis judicio procedat, nullum eſt. Poſ- „
ſet tamen eſſe mortale, ſi creſceret uſque ad deli- „
beratum odium, & contemptum perſonæ gravem. „
2. Tumor mentis, quo quis morosè excogitat di- „
verſas vias vindictæ, iiſque cogitationibus animum „
tumefacit, quale peccatum ſit, judicandum eſt ex „
qualitate vindictæ quæ excogitatur. V. Tol. *l.* 8. *c.* 58. „
3. Clamor, cùm iratus extollit vocem, multa inor- „
dinatè, & confusè effundens, eſt veniale commu- „
niter, niſi aliud addatur. 4. Blaſphemia eſt mortale, „
de qua ſupra *l.* 3. *t.* 2. *c.* 1. 5. Contumelia, qua „
quis proximo malum aliquod objicit, cum inten- „
tione illum inhonorandi, eſt ex genere ſuo mortale. „

Dixi, *animo inhonorandi*, quia animo corrigen- „
di, humiliandi, aliave ratione, poteſt Superior „
verbum aliquod aliàs contumelioſum objicere; quo- „
modò Chriſtus vocavit Apoſtolos ſtultos; & Apoſ- „
tolus Galatas inſenſatos. In quo tamen peccari po- „
teſt, ſi modus debitæ correctionis excedatur, vel „
ſubditus graviùs dehonoretur, quàm per delictum „
meruit. V. Bald. *diſp.* 34 *num.* 16. Item, ut docet „
Caj. poteſt contumelia eſſe venialis tantùm, ſi ſit „
parva tantùm; vel ſi ſit tantùm materialis, ſine „
intentione dehonorandi, modo non ſequatur læſio „
notabilis honoris proximi. Et ſic excuſantur, ſaltem „
à mortali, multi parentes, dum filios vocant aſi- „
nos, &c. Item mulieres, pueri, & infimæ ſortis „
homines, convitiis ſe onerantes; quia cùm fides iis „
non habeatur, non læditur graviter honor. V. Bon. „

t. 3. q. 2. p. 5. Denique si joci causa, & per convenientem recreationem, leves defectus objiciantur, urbanitas est, secundùm S. Th. 2. 2. q. 72. a. 2. dummodò alter non contristetur, nec ad iram moveatur.

V. Contumelia etiam fit facto, tum indirectè, ut si imaginem, vel litteras alterius conculces, comburas; tum directè, ut si virum honestum fuste cædas, ad januam ejus cornua, &c. apponas, vel repræsentes aliquid, quod honorem alterius lædat. Huc spectat subsannatio, illusio, & derisio, quando fit signis, ut naso rugato, labiis extensis, &c. intendendo proximi confusionem; quæ si sit gravis, vel saltem proximus de ea graviter contristetur, mortalia sunt, Bon. Mol. Bald. *l. 3. d. 3. &c.* ex *S. Th.* Circa quæ nota; Quòd qui per contumeliam læsit alterius honorem, teneatur hunc restituere, etiamsi fama non sit læsa: Hoc autem fieri potest, vel per honorificam, & amicam salutationem vel invitationem ad mensam, vel petitionem veniæ (etiam subinde flexis genibus, & coram testibus) prout læsio fuit gravis. Lug. *de Pœn. d. 15. n. 53.* Adde, quòd contumeliæ mortalis qualitatem in Confessione explicare non sit necessarium, ut contra *Fill. &c.* docet Az. Sà, Molin. Lug. *d. 16. n. 269.*

VI. Maledictio, qua quis optat, vel imprecatur alteri malum, sub ratione mali, est ex genere suo mortale.

VII. Rixæ, si modum non excedant, uti & leviculæ pugnæ, veniales sunt: secus, si progrediantur ad seditiones, vulnera, cædes: Suntque hæc communiter peccata ex parte incipientis rixam, alter enim potest se defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

DUBIUM VII.

Quid sit Acedia.

REsp. Acedia, sive animi tædium, potest ex D. Th. 2. 2. *q.* 35. *a.* 2. dupliciter usurpari; 1. Generaliter, pro omni animi remissione in exercitio virtutum, eò quòd labor aliquis sit adjunctus. 2. Particulariter, pro tristitia, & tædio de divina amicitia, eò quòd per virtutum exercitia laboriosa servari debeat, & sic amicitiam illam non curet. *Unde resolvuntur.*

I. Acedia accepta primo modo, tum demum est peccatum mortale, cùm ideò committitur opus vetitum sub mortali.

II. Acedia accepta secundo modo, ex se est mortale, quia repugnat charitati Dei.

Ex quo de filiabus Acediæ quoque facilè judicari potest, quæ sunt sequentes.

I. Malitia, qua quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse; aut qua ipsum pœnitet beneficisse, vel impleviſſe id, ad quod tenebatur, aut qua contemnit Dei beneficium, v. g. desiderando non fuisse natum, aut agnovisse Christum, &c. Est autem ex genere suo mortale.

II. Pusillanimitas, & desperatio de salute, quæ mortale quoque est.

III. Rancor, quo ii sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt.

IV. Torpor, cùm bona fiunt non cum debito fervore.

V. Evagatio mentis, qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita; sive per cogitationem, & dicitur curiositas; sive per locutionem, & dicitur verbositas; sive per inquietudinem, & dicitur inquietudo; quæ communiter sunt venialia. V. D. Th. *q.* 35. Laym. *l. 2. t. 3. cap. 9.* Tol. *l. 8. cap. 70.*

Culpabilis autem evagatio mortalis erit, quando notabilis est, & attentio requiritur ad implendum præceptum obligans sub mortali, v. g. in recitandis Horis canonicis, celebranda, vel audienda Missa, Regin. Palaus *t. 6. d. 1. p. 3.* Trull. *l. 1. c. 6. d. 1.* contra Tambur. *de exped. sacrif. l. 2. cap. 3.* ubi docet, distractum esse voluntariè, & per notabile tempus inter sacrificandum extra Canonem, esse tantùm veniale, licet concedat, sub Canone, præsertim circa consecrationem, esse mortale, propter gravem irreverentiam, & periculum erroris.

Dixi, *ad implendum præceptum*: nam in oratione, vel non præcepta, vel sub obligatione tantùm veniali, est peccatum veniale tantùm, S. Thom. Nav. Less. *l. 2. c. 37. d. 11.* Imò nullum, si non tam intendat orare, quàm verba precum recitando, pio exercitio se occupare, quia non formaliter, sed materialiter tantùm orat; v. g. cùm quis manibus laborans, psalmos, aliasve preces recitat aut cantat, non animo orandi, sed cavendi cogitationes vanas, vel recreandi se, Sanch. Consp. *p. 2. l. 7. c. 2. d. 51.* Trull. *c. 7. d. 16.* V. suprà *l. 4. cap. 2. dub. 2.*

LIBER SEXTUS.

DE SACRAMENTIS.

1 HAbebit hic Liber Tractatus sex: 1. Agetur de Sacramentis in genere, 2. De Baptismo, & Confirmatione. 3. De Eucharistia. 4. De Pœnitentia. 5. De Extrema-Unctione, & Ordine. 6. De Matrimonio.

PARS PRIMA.

De Sacramentis in genere; & in specie de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia.

TRACTATUS PRIMUS.

De Sacramentis in genere.

CAPUT PRIMUM.

De natura Sacramenti novæ legis.

DUBIUM I.

Quid sit Sacramentum.

2 „ RESP. Est res sensibilis, quæ ex „ stabili institutione Christi, vim „ habet sanctitatis, sive gratiæ „ justificantis efficiendæ, & per „ consequens significandæ. *Unde resolves.*

„ I. Ad essentiam Sacramenti „ requiri tria. 1. Ut sit signum stabile. 2. Ut signi„ ficet veram sanctitatem. 3. Ut eandem efficiat ex „ opere operato, id est, usu suo, & applicatione „ per propriam efficaciam, & non ex opere ope„ rantis, sive per actum aut dispositionem minis„ trantis, vel suscipientis, quæ etsi ad effectum Sa„ cramenti requiratur, non tamen ut causa, sed ut „ conditio, sine qua non.

„ II. A definitione talis Sacramenti excludi. 1. „ Sacrificia tam novæ quàm veteris legis: quia hæc „ non sunt instituta ad gratiam ex opere operato „ conferendam, (etsi nihilominus Sacrificium no„ væ legis sic eam impetret ei, pro quo offertur, „ non ut Sacramentum, usu suo, & applicatione, „ sed per modum impetrationis) sed ad cultum Deo „ præstandum. *Kon. d.* 60. *a.* 22. 2. Figuras, & Sa„ cramenta veteris legis, v. g. Circumcisionem, „ transitum maris rubri, agnum paschalem, varias „ item purificationes, & consecrationes Sacerdo„ tum; tum quia à Christo non sunt instituta; tum „ quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac licèt „ Circumcisio aliquando sustulerit peccatum origi„ nale per veram gratiam, id fecit vel ex opere „ operantis in adultis, vel non ex opere operato „ simpliciter, & rigorosè, tum quia non continuit „ gratiam, ut causa physica, vel ut causa moralis, „ quia nondum erat exhibita Passio Christi, & me„ ritum, ex quo gratia pendebat, sed tantùm ex „ speciali privilegio; tum quia non contulit gra„ tiam formaliter qua Circumcisio, & ex sua insti„ tutione, sed quatenus erat professio fidei; neque „ vi applicationis, & usus sui, alioquin enim om„ ni non ponenti obicem, & quidem præter om„ ne meritum contulisset, quod est falsum. V. Fill. „ *t.* 1. *c.* 1. *&* 5. *q.* 8. *& cap.* 8. 3. Ea, quæ dicun„ tur sacramentalia, v. g. Benedictio Abbatis, con„ secratio virginis: quia præcisè ex usu suo, & ope„ re operato, gratiam non conferunt, uti nec ac„ tus virtutum, præterquam quòd hi sensibiles non „ sint. 4. Lotionem pedum Apostolicorum, insuffla„ tionem Christi in Apostolos, per quam Spiritum „ Sanctum illis dedit. Item verba Christi ad Magda„ lenam, & Paralyticum, *Remittuntur tibi peccata*, „ quia non fuerunt signa instituta stabiliter ad gra„ tiam conferendam. 5. Martyrium, ob eandem cau„ sam: esto enim ex opere operato gratiam confe„ rat, non tamen est specialiter ad hoc institutum: „ *V. Scholast.* „

ADDENDA.

QUæst. 1. *Quot sint, & quomodo dividantur Sacramenta novæ legis?* Resp. §. 1. Esse septem docet fides. 5

Dices, Scriptura nullibi dicit esse septem determinatè. Resp. 1. Etiam nullibi dicit esse quatuor, tria, duo vel unicum determinatè. Resp. 2. Nullibi hoc dicit, expresè, c. æquivalenter, n. nam de singulis septem, & non de pluribus dicit esse Sacramenta; neque aliter dicit esse tres determinatè Personas in Deo, quod tamen fide divina credimus. *Baptismi* institutio habetur Matth. *ult. v.* 19. & Joan. 3. *v.* 5. Vis autem sanctificandi, ad Ephes. 5. *v.* 26. & ad Tit. 3. *v.* 5. *Confirmatio* colligitur ex Act. 8. *v.* 17. *& cap.* 19. *v.* 6. ubi dicitur Spiritus Sanctus datus per impositionem manuum Apostolorum. *Eucharistiæ* institutio describitur 1. ad Corinth. 11. Vis sanctificandi, Joan. 6. *v.* 55. Ritus, Matth. 26. *Pœnitentiæ* institutio, & vis sanctificandi asseritur Joan. 20. *v.* 23. *&* 2. ad Corinth. 5. *v.* 19. *Extremæ Unctionis* ritus, & effectus habetur Marci 6. *v.* 13. uti probabiliter tenent multi. Ritus, Jacobi 5. *v.* 14. Vis sanctificandi, *v.* 15. *Ordinis* institutio, ad Ephes. 4. *v.* 11. Ritus, 1. ad Timoth. 4. *v.* 14. & 2. ad Timoth. 1. *v.* 6. *Matrimonii* institutio, Matth. 19. *à v.* 3. Imò verba illa ad Ephes. 5. *v.* 32. *Sacramentum hoc magnum est*, multi PP. cum Bellarm. *hic l.* 2. *cap.* 24. explicant de Matrimonio novæ legis. Quòd autem illa loca Scripturæ debeant intelligi de septem Sacramentis, declarat nobis vera Christi Ecclesia in Conc. Florent. *post sess. ult. in Decreto Eugenii IV.* ad Armenos, item in Trid. *sess.* 7. Can. 1. Atque ita tenuerunt etiam SS. PP. quos pro singulis Sacramentis refert Bellarm. *c.* 4.

Inst. Lotio pedum, quæ Joan. 13. describitur à Christo facta in ultima cœna, etiam erat Sacramentum,

tum, nam *S. Ambr. l. 3. de Sacram. c. 1.* vocat mysterium sanctificationis: *S. Cypr. in serm. de ablut. pedum*, dicit esse mysterium & Sacramentum. *S. Bern. in serm. de cana Dom.* dicit pro Sacramento esse & non pro solo exemplo. R. n. ass. quia non fuit à Christo instituta ad causandam gratiam: relati autem PP. vocant mysterium, quia erat summa humiliatio summi Dei; item vocant Sacramentum, latè, quia erat signum sacrum, quod, quando ponebatur, habebat occultam significationem, quia significabat gratiam præexistentem in Apostolis, & prærequisitam ad Eucharistiam. Quòd autem *S. Ambr.* lotionem illam habuerit tantùm veluti aliquid sacramentale, patet inde, quia quamvis illam observaret in Ecclesia sua Mediolanensi, tamen addit, se non reprehendere Romanam, quæ non observabat; ergo non agnovit esse Sacramentum, quod ex institutione Christi debuisset observari in tota Ecclesia.

4 §. 2. Conveniens fuit esse septem determinatè Sacramenta, uti rectè ostendit *S. Th. 3. p. q. 65. a 1.* à comparatione vitæ spiritualis cum corporali: nam sicuti ad vitam corporalem & finem naturalem hominis septem concurrunt, quorum quinque se tenent ex parte singulorum, reliqua duo ex parte Reip. nempè homo debet; 1. generari & nasci; 2. corroborari; 3. nutriri & crescere; 4. cùm homo, utpotè passibilis, sæpè ægroret, debet curari, si in morbum incidat; 5. quia habet hostes, debet armari ad defensionem, si impetatur; 6. regi debet à Magistratibus; 7. debet in Rep. esse propagatio naturæ & educatio prolium: simili modo ad vitam spiritualem & finem supernaturalem hominis concurrunt septem Sacramenta, quorum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem; duo ultima, ad totius Ecclesiæ bonum ordinata sunt; nam 1. per Baptismum spiritualiter renascimur; 2. per Confirmationem roboramur in fide & gratia; 3. per Eucharistiam nutrimur & excrescimus in viros perfectos; 4. per Pœnitentiam spiritualiter sanamur, si in ægritudinem peccati inciderimus; 5. per Extremam Unctionem armamur ad ultimam luctam cum diabolo; 6. per Ordinem fit potestas administrandi res sacras, & quoad has, regendi populos; 7. per Matrimonium datur gratia ad multiplicandam Ecclesiam per honestam generationem, & educationem prolium.

5 §. 3. Sacramenta variè dividuntur, nam 1. alia dicuntur *vivorum*, quæ per se causant secundam tantùm gratiam, ideóque supponunt suscipientem habere vitam, idest, esse in gratia, uti Confirmatio, Ordo, Matrimonium: Alia *mortuorum*, quæ de se causant primam gratiam, ideóque suscipi possunt à peccatore, uti Baptismus & Pœnitentia. Quòd Eucharistia & Extrema Unctio imo & reliqua Sacramenta vivorum, aliquando per accidens causent primam gratiam, docent plurimi cum Castrop. *t. 18. p. 13. num. 6* Gonet *d. 3. num. 155.* Bosco *d. 1. s. 5. concl. 5.* Gob. *t. 4. n. 460.* Illf. *num. 51.* 2. Alia sunt formata, alia informia: *Formata* dicuntur, quæ in suscipiente habent suum effectum, nempe causant gratiam, ad quam causandam suscipiuntur, quæ gratia dicitur forma, quia est decor & pulchritudo animæ. *Informia* sunt, quæ quamvis valida sint, tamen non habent effectum suum, eò quòd ponatur obex gratiæ alioqui per tale Sacramentum causandæ, uti si quis adultus suscipiat Baptismum vel Matrimonium sine ullo dolore de actualibus mortalibus, quæ commisit. 3. Aliud est *permanens*, uti Eucharistia, & secundùm aliquos cum *Sporer* hic *p. 4. n. 351.* etiam Matrimonium, Aliud est *transiens*, qualia sunt, quæ præcipuè consistunt in actione, quæ physicè transit, uti ablutio, unctio, &c. quare probabilius est esse etiam Matrimonium. 4. Aliud est *characteristicum*, sive imprimens characterem, nempe Baptismus, Confirmatio, Ordo, quæ ideò reiterari non possunt, uti docent Florent. suprà & *Trid. s. 7.* Can. 8 v. Dicast. *d. 1. à n. 159.* Lugo *d. 6. s. 1.* Aliud *non Characteristicum*, uti Eucharistia, Pœnitentia, Unctio, Matrimonium, quæ ideo ab eodem homine iterari, sive sæpiùs suscipi possunt.

DUBIUM II.

Quid circa materiam & formam Sacramentorum servandum.

SUppono, Sacramentum dupliciter sumi, 1. Per modum compositi physici, in quo res sensibilis & actio, (v. gr. in Baptismo aqua & ablutio; in Unctione oleum & Unctio) dicitur materia. Et quidem oleum & aqua, materia remota; actio verò illa, materia proxima; verba autem, aut quod eorum loco ponitur (ut in Matrimonio, signum consensus) dicuntur forma. 2. Per modum compositi artificialis, & tunc dicta materia & forma, id est, res & verba, simul habent se instar materiæ: significatio verò eorum, instar formæ. Hinc quæritur de materia & forma priore sensu. 6

Resp. 1. Ut Sacramentum sit validum, debet inter materiam & formam, verbi gratia: inter affusionem aquæ, & pronuntiationem verborum tanta esse conjunctio, ut secundùm moralem hominum æstimationem, spectata natura cujuscunque Sacramenti, una alteram efficiat; hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem, & cum eâ unum totale signum constituere. V. Bon. *t. 1. d. 1. q. 2. p. 2. Suar. Kon. &c. Unde resolves.*

I. In Baptismo, Confirmatione, Unctione, & Ordine requiritur talis conjunctio, ut dum Minister verba pronuntiat, moraliter censeatur etiam lavare, &c.

II. In Pœnitentia, absolutio satis diu potest differri; sicuti in judiciis sententia post examen causæ.

III. In Matrimonio, unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiù hic moraliter permanere censetur; sicut in aliis contractibus. *V. Kon.* hic. *a. 6.*

Resp. 2. Ut valeat Sacramentum, non debet fieri substantialis seu essentialis mutatio materiæ vel formæ, accidentalis verò mutatio, etsi sæpè illicita sit, non tamen invalidum facit Sacramentum. Porrò substantialis mutatio materiæ dicitur, quando secundùm communem usum & æstimationem hominum, differt nomine & re, ab ea, quam Christus præscripsit. Accidentalis dicitur, quando cum eâ eundem retinet usum & nomen. Formæ mutatio essentialis est, quando non manet idem sensus: accidentalis, quando manet. Laym. *l. 5. t. 1. c. 4. ex commun. Unde resolves.*

I. Nullum est Sacramentum, si materia cruda consecretur, sive hæc differat specie substantiali à pane, sive non; quia communiter non censetur ut dicitur panis. Item si aquæ artificiales adhibeantur in Baptismo; quia non habent communem usum, & nomen aquæ elementaris; esto physicè specie non discrepent. *V. infra de Baptismo.*

II. Valet Sacramentum, etsi aqua Baptismi sit calida, &c. Item si panis Eucharisticus sit ater, fermentatus, &c.

III. Defectu formæ, Sacramentum est nullum. 1. Si literæ aliquæ mutentur, variantes sensum;

quod

„ quod facile fit in initialibus, v. g. *in nomine ma-*
„ *tris, milii*, &c. 2. Si magna fiat interruptio ver-
„ borum, itaut moraliter non videantur cohærere. 3.
„ Si forma divisim pronuntietur, v. g. unus dicat,
„ *Ego te baptizo*, alter *In nomine Patris*, &c. quia
„ erunt duæ formæ imperfectæ, & sensus falsus,
„ Fill. *t.* 1. *c.* 4. *qu.* 5. Bon. *l. c. q.* 2. *p.* 1.

„ IV. Forma valet, etsi non liceat. 1. Si omit-
„ tas voces non essentiales, v. g. *Ego* & *Amen*, in
„ Baptismo: *Enim*, in forma Eucharistiæ, Bon. *d.*
„ 4. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 9. & 10. ex *Suar.* &c. 2. Si quid
„ addas, v. g. *In nomine Patris, qui te creavit, &c.*
„ 3. Si substituas synonima, v. g. *abluo*, pro *bapti-*
„ *zo*. 4. Si tantùm transponas, ut, *hoc meum est cor-*
„ *pus*: *te Ego baptizo*. 5. Si verba corrumpas ob
„ præcipitantiam & balbutiem: v. g. *hoc est corpus*
„ *meus*, vel *hic est enim calix meus*. 6. Si interruptio
„ fiat parva, v. g. *Egote baptizo*, & interponat;
„ ista aqua est nimis frigida, vel, Custos, verte fo-
„ lum, *In nomine Patris*, &c. Fill. *l. c.* V. Bon. *l. c.*

ADDENDA.

7 Quæst. 2. *Quænam sint materiæ remotæ & proximæ omnium Sacramentorum*? R. *In Baptismo*, remota est aqua: proxima, ablutio. *In Confirmatione*, remota est Chrisma benedictum, proxima, unctio per manum Episcopi, *In Eucharistia*, remota est panis & vinum: proxima, Corpus & Sanguis Christi cum speciebus. *In Pœnitentia*, remota sunt peccata post Baptismum commissa: proxima est dolor, propositum, confessio & satisfactio. *In Extrema Unctione*, remota est oleum benedictum: proxima, unctio infirmi. *In Ordine*, remota sunt instrumenta: proxima, est eorum traditio: vel in quibusdam Ordinibus, remota sunt manus Episcopi: proxima, est illarum manuum impositio. *In Matrimonio*, remota sunt corpora contrahentium, proxima, est eorum mutua traditio.

8 *Q.* 3. *Quid præterea sit notandum circa conjunctionem formæ cum materia Sacramenti*? R. Hoc unum: Si quis confessum absolvat post horam, facit validè, quia Pœnitentia, quæ fit ad modum Judicii, patitur illam distantiam formæ à materia: è contrà si quis cœperit ungere infirmum, & quia, inter ungendum, putat esse mortuum, desistat, post horam autem videns vivere, reliquas unctiones addat, & totam formam proferat, *facit invalidè*, quia in hoc Sacramento, quod institutum est ad modum deprecationis, ut conjunctæ cum unctione, debet forma magis conjungi cum tota materia, *T. amb.* hic *c.* 1. §. 1. *n.* 6. & 8. Similiter cum proportione loquendum est de aliis Sacramentis.

9 *Q.* 4. *Quomodo materia, & forma Sacramentorum determinatæ*? Resp.

§. 1. Sunt ita determinatæ, ut si hæ res, & verba non adhiberentur, sed vel nulla vel simpliciter alia, non fierent Sacramenta. S. Th. 3. *p. q.* 60. *a.* 5. & omnes Catholici contra varios hæreticos apud Bellarm. *l.* 1. *c.* 19. & apud Bernal. *d.* 3. *s.* 3. Estque hoc absolutè de fide, inquit Suar. *d.* 2. *s.* 3. & probat ex perpetuo usu in Ecclesia, ideóque habetur traditio Apostolica, secundùm regulam S. August. de Baptismo. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Idem docent SS. PP. apud *Suar.* suprà. Idem significat Trid. *s.* 21. *c.* 2. docens in Ecclesia semper fuisse potestatem mutandi aliqua circa administrationem Sacramentorum, *salva eorum substantia*; ergo manifestè innuit ex certis rebus, & verbis constare substantiam Sacramentorum, quæ nequidem ab Ecclesia mutari possit: has autem res, & verba declaravit Conc. Florent. ss. ult. in decreto Eugenii IV. ad Armenos.

§. 2. Materiæ Sacramentorum sunt determinatæ ad 10
certa prædicata simulque ad aptitudinem pro certis usibus, *S. Th.* suprà, & quoad rem omnes. Ratio est, quia ad hoc sunt institutæ, ut in usu sui significent gratias, & effectus, quos causant, ergo quando non habent prædicata requisita, & aptitudinem ad tales effectus significandos, non sunt materiæ talis Sacramenti: Sic 1. materia Baptismi determinata est, non tantum ad prædicatum aquæ naturalis, ut docent *Florent. & Trid.* sed etiam aquæ habentis aptitudinem ad abluendum, uti pluribus explicat Dicast. *de Bapt. d.* 1. *dub.* 3. Materia Confirmationis, ad prædicatum physicum Chrismatis apti ad ungendum, & ad prædicatum morale benedicti ab Episcopo, &c. uti suis locis dicetur, quando de Sacramentis in particulari.

§ 3. Formæ Sacramentorum determinatæ sunt ad 11
certam significationem, & sensum, quem Christus intendit, *S. Th. a.* 7. & putat, quia verba non sunt assumpta propter materialem sonum, sed propter significationem; hinc diversæ omninò voces, etiam in diverso idiomate, faciunt idem Sacramentum, dummodò faciant illum sensum, quem Christus intendit, uti dicetur n. 30.

§. 4. Christus censetur per verba formarum Sa- 12
cramentalium intendisse illum sensum, imprimis quo significatur proprius effectus Sacramenti: deinde quem traditio, Concilia, SS. PP. vel Doctores communiter designant tanquam à Christo intentum, uti suis locis declarabitur, quando de formis singulorum Sacramentorum.

§. 5. Materiæ, & formæ non sunt uniformiter in 13
omnibus Sacramentis determinatæ à Christo, sed in uno est determinatio secundùm individuum, in aliis secundùm speciem, in aliis tantùm secundùm genus: Sic pro materia partiali in Eucharistia determinatum est hoc individuum Corporis, & Sanguinis Christi; in Baptismo determinata est species infima aquæ naturalis; in Pœnitentia dolor in genere, communis contritioni, & attritioni; peccatum in genere, commune gravi, & levi, &c. Pro Ordine, aliquid in genere significativum potestatis, quæ confertur: in Matrimonio, contractus in genere legitimus, quo tradatur mutuum jus ad usum corporum. In aliquibus Sacramentis dubium est, an materia sit unius speciei infimæ, an unius generis, nam materia pro confirmatione est Chrisma, quod fortè confici potest ex oleis, & balsamis specie distinctis. Pro consecratione, est panis ex tritico, fortè etiam ex spelta, vel siligine; item vinum rubrum, & album, quæ fortè specie physica distinguuntur. Quod ad formas attinet, hæ in sex primis Sacramentis sunt determinatæ ad significationem strictè verbalem; in quinque primis Sacramentis, sunt quoad significationem determinatæ ad speciem infimam; in Ordine, ad genus tantùm; In Matrimonio, tantùm ad genus signi externi, nam forma possunt esse verba vel formalia, vel tantùm æquivalentia, uti sunt scriptio, nutus, quæ inter se speciè distinguuntur. Ratio horum omnium à priori est voluntas Christi instituentis, quam rescimus, partim ex doctrina Conciliorum, Patrum & Theologorum, partim ex praxi totius Ecclesiæ.

Q. 5. *An materiæ, & formæ Sacramentorum pos-* 14
sint mutari ab Ecclesia? R.

§. 1. Secundùm quod determinatæ sunt à Christo, non possunt mutari in Ecclesia proximè, & formaliter, ut significat *Trid. s.* 21. *c.* 2. dicens Ecclesiam posse mutare aliqua circa administrationem, attamen *salva Sacramentorum substantia*, exceptio enim

enim firmat argumentum in contrarium. Et quamvis Christus potuisset Ecclesiæ relinquere potestatem immutandi materias, & formas, tamen hoc non fuit congruum. 1. quia decebat ista immediatè à Christi voluntate pendere, qui solus erat author Sacramentorum, & gratiæ. 2. Hoc conferebat ad majorem dignitatem Sacramentorum. 3. Aliter non fuisset illa perpetua uniformitas, sed per frequentes variationes faciliùs contingere potuissent errores in applicatione mediorum ita necessariorum ad salutem: *Dixi*, proximè, & formaliter, id est, directè tollendo, seu non retinendo prædicatum illud in materia, vel illam significationem in forma, quam Christus in illis esse voluit; de cætero potest Ecclesia mutare remotè, & materialiter substantias Sacramentorum, dummodò illa, quæ ab Ecclesia substituuntur, retineant prædicatum illud, & illam significationem, quæ Christus tali Sacramento inesse voluit, uti jam declarabitur.

15 §. 2. *Objicitur* 1. Peccata post Baptismum commissa sunt ex determinatione Christi materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed hoc mutat Ecclesia, quando peccata reservat, nam facit, ut non maneant materia absolutionis, ergo. Resp. n. min. nam secundùm se manent materia absolutionis, sed Ecclesia tantùm aufert quibusdam Confessariis jurisdictionem, per quod fit, ut talis Pœnitens respectu talium peccatorum non sit subditus Confessario, & consequenter ut talia peccata non sint *peccata subditi*; quod tamen Christus requisivit ad materiam Pœnitentiæ, ergo sicut ille, qui facit aquam conglaciari, non ideò mutat materiam Baptismi, quamvis reddat hìc & nunc ineptam ad Baptismum; eò quòd ab ea tollat prædicatum fluibilitatis, quod Christus requisivit ad materiam Baptismi, ità & hic.

16 *Obj.* 2. Presbyterium, & Diaconatus conferebantur olim, & nunc adhuc conferuntur validè apud Græcos Catholicos per solam manuum impositionem, apud Latinos autem jam præter manuum impositionem requiritur ad Presbyterium traditio patenæ cum pane, & calicis cum vino; ad Diaconatum autem traditio libri Evangeliorum, ergo vel materia Ordinis non est determinata à Christo, vel proximè, & formaliter mutata est ab Ecclesia. Resp. n. conseq. nam Christus tantùm in genere determinavit materiam, & formam Ordinum, volendo fieri per signa, & verba repræsentativa potestatis conferendæ, & ulteriorem determinationem reliquit Ecclesiæ, tanquam habenti publicam authoritatem circa res sacras, quæ pro Græcis Præsbyteris determinavit impositionem manuum, pro Latinis, saltem hoc tempore, traditionem patenæ cum pane, &c. Videri possunt Lugo *d.* 2. *s.* 5. Arriaga *d.* 6. *s.* 2. Amic. *d.* 2. *s.* 4. Dicast. *d.* 1. *a n.* 363.

Inst. 1. Si Ecclesia pro Græcis determinavit impositionem manuum, & pro Latinis traditionem patenæ, &c. ergo si Græci ordinarentur per traditionem patenæ, & Latini per impositionem manuum, ordinarentur invalidè. Resp. Suar. *d.* 2. *s.* 6. Vasq. *d.* 129. *num.* 74. Rhod. *d.* 1. *q.* 2. *s.* 2. §. 3. Dicast. *nu.* 182. Escob. *l.* 8. *n.* 125. *&* 152. Esp. *q.* 6. *ad* 4. aliique negant seq. putant enim materiam vel formam, quæ alicubi in Ecclesia valet, valere ubique, quia cùm sit una Ecclesia, debent esse uniformia Sacramenta; imò Amic. *num.* 59. dicit Ecclesiam non posse pro diversis locis requirere ad valorem diversas materias, vel formas, quia non potest facere, ut non maneat una religio in Ecclesia. Et Suar. *de Euch. d.* 44. *s.* 3. dicit erroneum esse dicere Sacramenta habere alias essentias in una parte Ecclesiæ, ac in alia. Alii cum Arr. *nu.* 10. & Tosc. *q.* 89. *n.* 4. probabiliùs concedunt seq. quia ista signa per legem, & consuetudinem contrariam, respectivè ad diversam particularem Ecclesiam, amiserunt vim significandi potestatem, quæ confertur, eò quòd jam in illis usurpari non debeant, & tamdiù usurpata non sint. Neque ideò sunt diversæ religiones, aut diversa moraliter Sacramenta, nam licèt physicè disconveniant, tamen sunt ad eundem effectum, & ex eadem institutione Christi, qui materiam in genere tantùm determinavit. Quòd si universalis Ecclesia decerneret, ut ubique promiscuè usurparetur hoc vel illud signum, aut etiam aliquod aliud tertium, putant Amic. *à nu.* 58. & Dicast. *n.* 370. *&* 378. fore materiam sufficientem. Alii cum *Durando* apud Vasq. *d.* 135. *n.* 18. dicunt Ecclesiam nunc adultam non amplius posse mutare, quod non est improbabile; est tamen utrumque incertum; & quod possit, videtur probabilius, quia fundamentum non est dicendi, quòd Ecclesiæ potestas sit restricta ad unam tantùm designationem unius materiæ.

Inst. 2. Latinus validè ordinatur per formam græcè prolatam, ergo etiam per materiam græcam, quæ est sola manuum impositio. R. n. conseq. disparitas est, quòd omnia idiomata apud omnes habeant eandem vim significandi, unde à quocunque proferantur cum intentione significandi, significabunt rem eandem: è contrà unum signum, quod in hac patria est significativum hujus rei, non ideò est significativum in aliis, sic apertio capitis apud Europæos est signum honoris, apud alios barbaros est signum contemptus, & è contra signum honoris est alloqui cooperto capite: similiter apud Græcos nunc saltem ratione usus signum potestatis Ordinis est sola manuum impositio, non item apud Latinos.

Obj. 3. Ecclesia fecit, ut contractus clandestinus, 17
qui ante *Trident.* sufficiebat ad valorem Matrimonii, nunc non sufficiat, ergo mutavit materiam illius Sacramenti. R. Ergo mutavit, formaliter & proximè, n. materialiter & remotè, c. seq. Christus pro materia Matrimonii instituit contractum legitimum, quem, & non alium, etiamnum requirit Ecclesia, quia tamen ipsa tanquam legitimus Magistratus circa ejusmodi sacrum contractum potest certas conditiones requirere ad valorem, & nunc requirit, ut fiat coram proprio Parocho & testibus, quod olim non requirebat, hinc dicitur materialiter tantùm & remotè mutasse materiam à Christo determinatam, quam formaliter & proximè mutasset, si fecisset, ut contractus validus non ampliùs esset materia illius Sacramenti, hoc autem non fecit nec facere potuit, & ideò, ubi *Trid.* non est receptum, valet adhuc contractus clandestinus, quia ibi manet contractus validus. Simile est, si quis ex vino faciat acetum, ille non mutat proximè & formaliter materiam Eucharistiæ, sed tantùm remotè & materialiter, faciendo ut hoc, quod erat & manere poterat apta materia, desinat esse vinum, ideóque etiam desinat esse apta materia. Simile quid possent homines facere in formis omnium Sacramentorum, uti rectè notant Amic. *num.* 63. Lugo *num.* 84. Palav. *num.* 70. nam si accedente authoritate publica in hoc conspirarent omnes, ut v. g. *To ego te amo*, imposterum significaret, *ego te baptizo*, & vice versa, utique mutaretur forma Baptismi, quam Christus instituit, nimirum tollendo à voce, *baptizo*, significationem, quam nunc habet, & dando voci, *amo*, unde postmodùm esset eadem formaliter forma, quia vox, *amo*, quoad significationem æquivaleret voci, *baptizo*, non tamen maneret eadem materialiter, quia non manerent eædem voces: similiter fecit Ecclesia, tollendo valorem contractui clandestino, & illum attribuendo soli contractui publico.

Inst.

Inst. 1. Ergo Ecclesia poterit etiam aliorum Sacramentorum materias remotè & materialiter mutare. R. De Ordine, jam dictum est *num.* 16. Quoad reliqua, non potest æqualiter, quia Christus eorum materias magis in specie vel individuo determinavit.

Inst. 2. Saltem quivis Magistratus, aut ad minimum quivis Episcopus ita poterit mutare materiam Matrimonii, requirendo certas conditiones ad ejus valorem pro sua Diœcesi. R. n. seq. nam hoc ipso quòd contractus Matrimonii sit elevatus ad rationem Sacramenti, est subductus potestati civili, uti ex *S. Th.* & ratione probat Palav. *num.* 73. estque subjectus potestati solius Papæ, uti cum communi ostendit Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 1. *num.* 9. hinc etiam communis sententia est cum eodem Sanch. & Haun. *l.* 4. *num.* 525. nullum Episcopum posse inducere vel tollere aliquod impedimentum dirimens. Unde frustra egit Archiepiscopus, qui statuit assistentiam Parochi fore invalidam, si fieret sine præviis proclamationibus; uti rectè Lugo *in Resp. Mor. l.* 1. *d.* 45. nam jurisdictio sufficiens ad assistendum suo parochiano est inseparabilis ab officio Parochi, & non tollitur, nequidem per suspensionem vel excommunicationem Papæ, uti cum communi Sanch. *l.* 3. *d.* 21. *num.* 4. Potuisset tamen indirectè impedire valorem ejusmodi Matrimoniorum, faciendo, ut Parochus attentans sic assistere, hoc ipso privatus esset parochia, tum enim assistens non fuisset Parochus, ergo contractus fuisset initus sine Parocho, ergo clandestinus.

18 *Q.* 6. *Quænam mutatio materiæ vel formæ invalidet Sacramentum?* Resp. Pro hac valent hæ duæ regulæ: I. *Si mutatio materiæ vel formæ sit substantialis, non fit Sacramentum.* II. *Si mutatio materiæ vel formæ sit tantùm accidentalis, fit Sacramentum.* Hæ regulæ ponuntur ab omnibus, suntque certæ, uti ostendit Suar. *d.* 2. *s.* 4. circa quas notanda sunt seqq.

19 §. 1. Regulæ datæ intelliguntur de mutatione Theologicè substantiali vel accidentali, id est, quam Theologus considerata authoritate, ratione, & sensu communi prudentum, dicere debet esse substantialem vel accidentalem in ordine ad valorem Sacramenti tollendum vel relinquendum, nam si in Baptismo, pro aqua fluida utaris nive; in Confirmatione, pro Chrismate benedicto utaris non benedicto: item, si in Baptismo dicas, *ego te baptizo*: in Pœnitentia, *ergo te absolvo*, mutas materias & formas physicè accidentaliter, sed Theologicè substantialiter, neque fiunt Sacramenta.

20 §. 2. Mutatio quandoque dicitur accidentalis, non tantùm respectivè ad institutionem Christi, sed etiam ad præceptum vel consuetudinem Ecclesiæ; sic Christus non instituit, ut Baptismus fieret in aqua benedicta; nec ut Eucharistia fieret in pane azymo, attamen baptizans in aqua non benedicta; aut latinus consecrans in fermentato diceretur accidentaliter mutare materias illorum Sacramentorum, quia utitur alia, quàm præceperit Ecclesia.

21 *Q.* 7. *Quandonam mutatio materiæ sit Theologicè substantialis?* Resp. Quando materia juxta communem usum, existimationem hominum non est re & nomine eadem cum illa, quam Christus instituit; Si autem juxta communem usum & existimationem sit eadem, non erit mutatio substantialis sed ad summum accidentalis, uti jam declarabitur.

22 §. 1. Aqua conversa in salem, glaciem, nivem, grandinem, pruinam, nebulam crassam, &c. est mutata substantialiter Theologicè in ordine ad Baptismum, quia quamvis hæc in re & physicè sint eadem aqua, tamen non manet aptitudo ad usum abluendi, quæ est de essentia materiæ Baptismi. E contrà aqua conversa in rorem est mutata tantùm accidentaliter, hinc ros collectus est materia valida Baptismi, quia ad usum abluendi est & dicitur aqua; idem est de aqua collecta ex vaporibus densatis, v. g. ad operculum ollæ bullientis super ignem, Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 5. Quòd si aqua naturalis per nutritionem plantæ conversa in succum rosaceum, posteà per distillationem iterum convertatur in aquam rosaceam, est mutata substantialiter, quia licèt habeat nomen aquæ, tamen non habet rem, cùm non sit simpliciter aqua naturalis: Vide tamen dicenda n. 231. Et idem est de vino naturali, si ex illo fiat vinum adustum; desinet enim esse materia consecrationis.

§. 2. Mutatio Chrismatis benedicti in non benedictum, (uti si tam multum non benedicti una vice addatur, ut ideò censeatur desinere benedictio:) erit mutatio substantialis & invalidabit Confirmationem, quia tollitur prædicatum *sacri*, quod Christus requisivit ad illam materiam. 23

§. 3. Communior sententia est contra *Alanum*, *Henriq. Ledesm. Arm. Vasq. Pesant. Molan.* quòd vinum congelatum sit tantùm accidentaliter mutatum respectivè ad Eucharistiam, ideóque maneat consecrabile, sicuti aqua vel oleum congelatum manet aptum benedici, & panis ita durus, ut comedi non possit nisi contusus vel maceratus, manet aptus consecrari: putatque Suar. *d.* 45. *s.* 1. sententiam illam de vino congelato esse ferè certam, quamvis Patel. *n.* 333. vocet dubiam, & Dicast. *de Euch. d.* 2. *num.* 85. dicat non esse certam; attamen puto veram, & omnino probabilior est. *Nec obstant* dicta *n.* 22. de aqua Baptimi, *nam* est alia hìc ratio, cùm enim Baptismus consistat in usu, sive in actuali ablutione, requirit actualem aquæ aptitudinem ad abluendum; è contrà Eucharistia est ante usum, nec requirit materiam actu potabilem sed tantùm aptam significare potum spiritualem, quando erit in usu, sive quando sumetur, aut saltem quando veniet in stomacum sumentis, nam etiam probabile est, quòd tum prius causetur gratia: aptitudinem autem illam significandi habet vinum, quamvis sit congelatum; hinc Lugo, Arr. *d.* 30. *num.* 10. Haun. *l.* 4. *num.* 793. dicunt, si quis glaciem per bolos sumeret, non fracturum jejunium & judicandum potiùs bibisse quàm comedisse. Similiter vinum fugiens, id est, quod incipit acescere, est tantùm accidentaliter mutatum, hinc est materia valida consecrationis, quamvis illicita, ut habent S. Th. *quæst.* 74. *art.* 3. *& art.* 5. *ad* 2. aliique communiter cum *Dicast.* suprà. 24

§. 4. Peccatum per contritionem vel etiam per priorem absolutionem remissum non est mutatum substantialiter, hinc manet materia valida Pœnitentiæ, è contrà peccatum reservatum est mutatum substantialiter, quia non manet *peccatum subditi*, uti n. 15. est dictum. 25

§. 5. Mutatio olei benedicti in non benedictum est substantialis respectu Extremæ Unctionis, uti in simili de Confirmatione dictum est *n.* 23. E contrà usurpatio antiqui olei pro novo est mutatio tantum accidentalis, quia renovatio illa est tantùm ex præcepto Ecclesiæ. 26

§. 6. Probabilius est mutationem calicis integri in notabiliter fractum, vel in infernè perforatum, esse mutationem tantùm accidentalem respectu suscipiendi presbyterii, dummodò obturato foramine, vel rima continere possit vinum, quia quamvis desinat consecratio, probabilius est hanc non requiri essentialiter, sed satis esse, quòd forma artificialis tanta, & talis maneat, ut dicatur simpliciter calix, uti dicetur de Ordine *n.* 2150. 27

§. 7. Mutatio corporis ex apto in perpetuò inep- 28

tum

tum ad copulam, est mutatio substantialis materiæ respectu Matrimonii contrahendi; è contrà si ex fœcundo fiat sterile, est accidentalis tantùm, valebitque Matrimonium.

29 *Q.* 8. *Quandonam mutatio formæ sit Theologicè substantialis*? Resp. Tunc esse, si non maneat sensus per verba intentus à Christo: si autem hic sensus maneat, erit tantùm accidentalis. Ita tenent omnes. Et notat Suar. *d.* 2. *s.* 4. mutationem formæ fieri posse octo modis. 1. Per diversum idioma. 2. Per verba synonima. 3. Per transpositionem. 4. Per interruptionem. 5. Per additionem. 6. Per subtractionem. 7. Per corruptionem. 8. Per substitutionem aliorum verborum, uti jam per singula declarabitur.

30 §. 1. Mutatio ratione *idiomatis* est tantùm accidentalis, quamvis plura idiomata in eandem formam conflarentur, uti habent Caj. Suar. Con. *q.* 68. *n.* 68. Lugo *d.* 2. *num.* 107. Dicast. *d.* 1. *num.* 179. Dubitat quidem initio Arr. *d.* 7. *n.* 2. si miscerentur in singulis vocibus diversæ linguæ, uti si quis panem consecraret hac forma, *Tò ist mon corpus*, quia non videtur esse propositio moraliter significativa apud homines, sed postmodùm rectè concludit oppositum, nam non requiritur, ut audiens, imò nec ut proferens intelligat, dummodò voces sint significativæ, & ipse velit hoc significari, quod Christus voluit, Et videtur esse etiam tantùm accidentalis mutatio si dicatur, *ich Kerſche dich*, pro, *ich tauffe dich*, quamvis enim *Kerſchen* ex radice videatur significare idem, quod facere Christianum, sumpta derivatione à *Tò Kerſ.* quod vernaculè idem significat quod Christus, hinc dicitur *Kerſ Feſt*, pro, *Chriſt Feſt*, tamen nunc propter usum sumitur pro *baptizare*, uti à peritis utriusque linguæ didicit Lugo *in Resp. Mor. t.* 1. *d.* 3. ex quo refert Haun. *n.* 543 Notant autem rectè Victor. Regin. Sà, Trull. *c.* 2. *d.* 3. Gob. *in Exp. t.* 2. *n.* 88. Dicast. *d.* 117. & de Bapt. *d.* 1. *num.* 131. melius esse, ut mulieres cæterique rudes, si baptizent, utantur lingua materna, quia nesciunt perfectè proferre latinam.

31 §. 2. Mutatio *synonima*, id est, in verba quoad significationem æquivalentia est tantùm accidentalis, hinc secundùm *Florent.* valet, si dicas, *baptizetur servus Christi in nomine Patris*, &c. quia est tantùm mutatio activi in passivum, & Christo fuit satis, si persona baptizantis significaretur saltem implicitè, & indirectè, quod hic fit per illa verba, ut conjuncta cum ablutione, quam ponit proferens verba, nam sic exprimitur actus exercitus per Ministrum; inquit S. Th. *q.* 66. *a.* 6. *ad* 1. Similiter valeret in Eucharistia, *hic est Sanguis meus*, *hic est calix Cruoris mei*: item in Pœnitentia, *ego remitto*, vel *condono tibi peccata*, *ego te solvo*, *te libero peccatis*, item, *sis à me absolutus à peccatis*, ut habet Bernal. *d.* 6. *num.* 36. Notant tamen rectè Suar. & Dicast. *d.* 1. *n.* 179. ut verba substituta dicantur synonima, debere ex communi institutione & usu æquè clare significare, atque alia, alioquin non æquivalerent, cùm enim voces significent non tantùm res, sed etiam conceptus, ad hoc ut sint synonimæ, non est satis significare easdem res, nisi significent eodem modo, sive cum simili conceptu; hinc *baptizo te in nomine SS. Trinitatis*, non est synonimum cum illo, *baptizo te in nomine Patris*, & *Filii*, & *Spiritus S.* quia hæc verba expresse, & longè clarius exprimunt tres personas: unde etiam non videtur valere, *in nomine primæ*, & *secundæ*, & *tertiæ personæ*; fortè nec *in nomine Creatoris & Redemptoris*, & *Sanctificatoris*, imò Dicast. *de Bapt. d.* 1. *num.* 123. dicit etiam non valere, *In nomine Ingeniti*, *Geniti*, & *Procedentis*, quia ista non exprimunt totam rationem, quam significant *Tò Patris*, & *Filii*, & *Spiritus S.* ideòque etiam Lugo *n.* 107. & alii dicunt contrà Suar. Con. *n.* 68. Compt. *d.* 63. *s.* 2. *num.* 7. Rhod. *d.* 1. *q.* 2. *s.* 2. §. 4. & alios, formam illam, *in nomine Genitoris*, & *Geniti*, & *Procedentis*, vel *Spirati* esse dubiam; *S. Bonav.* Vasq. aliique cum Amic. *d.* 2. *num.* 86. absolutè dicunt esse invalidam, quia personæ divinæ exprimuntur tantùm per actus notionales, cum Christus expresserit per proprietates personales; unde infert *Amic.* etiam non valere hanc, *in nomine Paternitatis*, & *Filiationis*, & *Spirationis passivæ*, quia non significantur supposita, sed tantùm subsistentiæ, adeóq; non sunt verba synonima. Quòd si aliqua natio non haberet verbum planè synonimum verbis à Christo institutis, deberet, vel usurpare verbum in alia lingua, vel in sua adhibere illud, quod proximè accederet ad significationem à Christo intentam, cùm enim Christus instituerit Sacramenta pro omnibus, voluit, inquit Palav. *n.* 78. & post eum Haun. *à n.* 559. ut confici possent in omni idiomate, ergo relinquere debuit tantam latitudinem in significatione, quanta sufficit, ut omnes linguæ possint suppeditare voces ad valorem Sacramentorum sufficientes: atque ex hoc inferunt Baptismum in lingua Tunchinensi valere, quamvis in hac non sit vox strictè respondens significationi vocis, *in nomine*, neque determinatè exprimens singularem numerum.

§. 3. *Nomina*, & *verba transposita idem significant* 32 inquit *S. Th. hic q.* 68. *a.* 8. *ad* 3. ex *Arist. l.* 2. Periherm. *c.* 1. parum ante finem; hinc transpositio, secundùm se, facit mutationem tantùm accidentalem, uti si dicam, *te baptizo ego in nomine Filii*, & *Patris*, & *Spiritus S.* uti habet *Tol.* & alii cum Dicast. *h. c d.* 1. *num.* 129. & Aversa *q.* 66. *s.* 3. §. *Octavò: Nec obstat*, si præponendo Tò *Filii*, vellet significare hunc esse principium Patris, *nam* verba sonant oppositum, inquit Lugo *n.* 117. contra *Scotum*. Putant quidem Scotus *in* 4. *d.* 3. *q.* 2. *Trull.* & alii cum Sporer *n.* 88. hanc mutationem fore substantialem, *Ego Patris baptizo te in nomine*, *Filii*, & *Spiritus S.* E contrà Lugo *num.* 112. Arr. *num.* 23. dicunt esse tantùm accidentalem, quia talis transpositio saltem apud Poëtas non tolleret sensum, ergo nec in soluta oratione: sed Herincx *d.* 2. *n.* 27. rectè distinguit, si enim Tò *Patris* officiat pronomen, *ego*, & sensus sit, *ego pertinens ad Patrem*; mutatio erit substantialis, si autem efficiat, Tò *in nomine*, erit tantùm accidentalis. Substantialis tamen est illa, *Baptizo in te nomine Patris*, uti rectè Lug. Rhod. Con. *n.* 69. Hæc autem, *quidquid per istam S. Unctionem deliquisti*, *dimittat tibi Deus per visum*, non est tantùm substantialis, sed etiam blasphema, uti rectè Bernal. *n.* 37. Hinc videndum est, ne nexus verbi unius cum alio verbo evertat priorem sensum: Similiter ista, *meus est hoc corpus*, secundùm *Spor.* est substantialis, quia non significat hoc esse corpus meum, sed hoc corpus pertinere ad me, qui est sensus longè alius: Similiter illa, inquit Herincx *q.* 21. *hoc corpus est meum*; sed dicendum est has aliasque similes formas ad summum esse æquivocas, ideóque sensum determinari debere ex intentione loquentis, uti dicetur *n.* 38.

§. 4. Si vox interrumpatur, *v. g.* si quis dicat, 33 *ego te bapt.* & tum tussiat, vel respiret, vel interloquatur, & postmodum addat, *tibi*, &c. *Leand.* dicit fore mutationem accidentalem; *Bonac.* substantialem, Tamb. *hic c.* 1. §. 1. *n.* 15. stat pro *Leandro*, si fuerit tussis, vel respiratio brevis, quia censet tur adhuc manere unam oratio: si autem sistat, vel fuerit cum *Bonac.* In utroque tamen casu pro praxi rectè suadet totum verbum repeti. Notant etiam rectè Tamb. & Spor. *nn.* 93. si consecrans

crans post verba, *hoc est corpus*, inciperet concuti tussi per medium quadrantem, & posteà adderet Tò *meum*, Sacramentum fore invalidum, quia Tò *meum* non faceret unam orationem cum antecedentibus; hinc deberet tota forma repeti: è contrà si baptizans sic interrumpat, *Ego te baptizo*: (heus pueri silete; tuque æditue abi, & trahe campanas:) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Bernal. *n.* 70. dicit non esse dubitandum, quin sit mutatio tantùm accidentalis, & idem tenent *S. Th. Scot. Marchant.* quos citat, & sequitur Gob. *n.* 97. Si autem dicat, *Ego te baptizo*: (mulier, tene infantem meliùs:) & quia interrumpit, repetat, *ego te*, sed metuens, ne peccet repetendo, addat, *in nomine Patris, &c.* volens conjungere hæc ultima verba cum aliis priùs prolatis, non habita ratione intermediorum Sylv. *in Resp. var. p.* 1. *V. Baptism. cas.* 2. rectè dicit Baptismum fore dubium, quia per illa intermedia, *ego te*, videntur quasi revocari priora, & ita dividi moraliter, ut non faciant unum cum ultimis, ergo debuisset, vel nihil repetere vel repetitis addere, Tò *baptizo*. Huc reducitur, si forma dimidiatè ab uno, & dimidiatè ab altero proferatur, uti si duo Sacerdotes audierint eumdem Confitentem, & unus dicat, *ego te*, alter addat, *absolvo à peccatis*, sensus enim formæ est falsus, cùm neuter faciat, quod dicit se facere, eò quòd uterque omittat partem essentialem formæ, uti rectè Dicast. *ill. n.* 185. & Bernal. *n.* 79. In Eucharistia tamen potest unus validè consecrare panem, & alter vinum: Item in Ordine, potest unus Episcopus conferre potestatem consecrandi, alter absolvendi, quia sensus, & veritas harum partialium formarum non dependent ab invicem. Similiter in Extrema Unctione potest unus ungere oculos, & proferre formam huic Unctioni respondentem, alter nares, & addere alteram formam, tertius pedes, &c. quia forma profertur per modum orationis, unus autem potest continuare orationem ab altero incæptam. E contrà si unus apponat materiam proximam, & alter formam, uti si unus affundat aquam, vel ungat, & alter dicat formam Baptismi, vel Unctionis, Sacramentum non fit, quia forma est falsa, cùm hoc dicens verè non abluat vel ungat, unde oppositam sententiam, quam *Fernandez de Heredia* dixit esse probabilem, meritò dicunt esse improbabilem Dian. & Dicast. *de Bapt. d.* 1. *n.* 181.

34 §. 5. Hæ *additiones*, *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, qui te creavit, &c.* item, *Hoc est materiale corpus meum*, sunt mutationes tantùm accidentales: è contrà, *ego te absolvor; hoc est aerium corpus meum*, sunt substantiales: uti & tum, si Arrianus baptizet, *in nomine Patris majoris, Filii minoris, Patris increati, Filii creati*, uti omnes docent, quia tollitur sensus à Christo intentus, qui est significare Unitatem essentiæ in Trinitate personarum. Idem dicit Bernal. *num.* 38. si dicat, *in nomine Patris Omnipotentis, Filii Sapientis, &c.* si hæc epiteta sumat ut propria personarum, quibus adjunguntur, sed oppositum est probabilius, secundùm dicenda *n.* 64. Puta tamen Con. *num.* 71. valiturum, si diceret, *baptizo te in nomine Patris, quem puto majorem, & Filii, quem puto minorem, &c.* quia ipsius putare, quod per separatam propositionem adjungitur, nihil facit ad rem, & reliqua verba propositionis adhuc satis continent vim significandi hoc, quod Christus intendit: Addit Rhodes adhuc valiturum, quamvis diceret, *In nomine Patris majoris, &c.* si non intenderet ut partem formæ, sed tantùm ut explicationem sui erroris, & quasi in parenthesi; sed nisi addatur velut parenthesis in loquendo, aut aliunde significetur esse velut explicationem, dicendum est formam absolutè non valituram: quia prout externè jacet, clarè significat inæqualitatem personarum. Quòd si diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti*, multi docent cum *Bonac.* fore mutationem substantialem, quia non videtur significari unitas naturæ divinæ; oppositum tenent *Henriq. Suar. Con. Diana* & alii cum Dicast. *de Bapt. d.* 1. *n.* 96. sicuti enim adhuc significatur una Deitas, quamvis dicatur, *in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus sancti*, quia quamvis ter dicatur, *Dei*, tamen dicitur in singulari, ita quamvis ter dicatur, *in nomine*, dummodò dicatur in singulari Palav. *n.* 81. rectè dicit talèm repetitionem fore æquivocam, ideóque determinationem sensus pendere ab intentione loquentis, uti dicetur *n.* 38. hinc concludit Gob. *n.* 98. talem Baptismum esse sub conditione reperendum. Major difficultas est, si tantum in fine aliquid addatur destructivum sensus à Christo intenti, uti si dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & B. Virginis* tanquàm quartæ personæ in Deo; Item *Hoc est Corpus meum, quod est immateriale, &c.* Sed videtur dicendum, si proferens velit ultima verba tanquàm determinativa priorum, esse mutationem substantialem, quia sensus priorum restringitur & destruitur per posteriora, cùm significatio non absolvatur, nisi secundùm intentionem loquentis: è contrà si addat tanquam continentia virtualiter aliam propositionem, est mutatio tantùm accidentalis, quia advenit tanquam impertinens: hinc Sacramentum fit completis præcisè verbis necessariis, per quæ, uti suppono, intendit facere, quod per illa fieri potest, ita Con. *num.* 70. Rhod. suprà, Lugo *n.* 127. Dicast. *hic d.* 1. *n.* 135. & 171. Quando autem aliquid additur tanquàm pars prædicati, uti si dicatur, *hoc est Corpus meum aerium*, præsumitur semper addi tanquam determinativum prædicati, & *Tò corpus aerium* erit veluti unus terminus simplex significatione, & voce tantùm complexus, ideóque restringitur & destruitur sensus formæ. Hinc Vasq. & Dicast. *n.* 169. hanc formam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & B. Virginis*, putant potiùs semper esse invalidam, quia non annumerat B. Virginem modo deprecatorio, sed, eodem, quo reliquas personas: è contrà Bernal. *n.* 39. putat communiter fore validam, nam si proferens sit doctus, non habebit talem errorem; si autem sit rudis, absolutè intendet facere, quod facit Ecclesia, ideóque significatio erit saltem ambigua & æquivoca, ergo determinabitur per intentionem loquentis vel per circumstantias, uti *n.* 38. dicetur.

§. 6. *Subtractio*, qua omittitur Tò *ego* in latina 35 forma Baptismi & Pœnitentiæ: item Tò *in* in Latina forma Baptismi; Tò *enim* in forma Eucharistiæ, sunt mutationes tantùm accidentales, quia Tò *ego* satis continetur in Tò *baptizo*, & *absolvo*: quamvis autem omisso *enim* tollatur sensus causalis, tamen hic non fuit à Christo intentus pro valore, quia illo non habito adhuc significatur totus effectus Sacramenti, uti rectè cum communi Suar *d.* 2 *s.* 5. Idem est si quis in forma Pœnitentiæ omittat, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: si tamen in hac omittat Tò *te* & omne æquivalens, erit mutatio substantialis, quamvis Confessarius dicens, *absolvo*, digito monstraret Pœnitentem. Idem est, si in forma Baptismi vel Confirmationis omitteret, *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*; item si in forma Baptismi Germanica vel Gallica omitteret vocem, quæ significat Tò *ego*, desineret enim sensus, quia per verba in istis linguis non significatur persona; & idem est, si in eisdem aliisque linguis omitteret vocem, quæ significat Tò *in*, nam similiter desineret sensus

docet

docet tamen cum aliis Gob. *tr.* 2. *num.* 71. si omisso, *&*, dicatur, *Baptizo te in nomine Patris, Filii, Spiritus sancti*, valere, quia sæpissimè omittitur conjunctio, *&*, permanente sensu: contradicunt *Conrad. Vivald. Regin.* & alii negantes significari distinctionem personarum; sed Aversa *quæst.* 66. *s.* 5. §. *Septimò*, rectè concludit satis esse præponi tertiæ personæ, dicendo, *in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.* Addit Bernal *n.* 40. non fore mutationem substantialem, si quis diceret, *accipite & manducate, hoc enim Corpus meum*, quia *Tò est* sæpè omittitur in sermone latino, sed alii communiter contradicunt, quando enim *Tò est* salvo sensu omittitur, clariùs subintelligitur ex aliis adjunctis; de cætero non videtur mansura propositio, sed mera apprehensio complexa & veluti solum subjectum propositionis formandæ, si quis dicat, *hoc Corpus meum.*

36 §. 7. Circa *corruptionem*, notat *S. Th. q.* 60. *a.* 7. *ad* 3. faciliùs induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, uti si pro *Patris* dicatur *matris*, talia enim dant alium sensum per se obvium. E contra non ita facilè, si corruptio fiat circa finem, quia apud Latinos plurimæ sunt inflexiones in fine, quæ non variant significationes vocis, & verus sensus per illa, quæ antecedunt, quasi præoccupatur; hinc corruptio quæ advenit, non ita facilè immutat sensum in audiente. Corruptiones accidentales sunt, si erretur in quantitate vel in genere, uti si quis dicat, *baptizo*, secunda brevi; vel, *hoc est Corpus meus*, aut etiam, *hic est Corpus meum*, dummodo *Tò hic* non sumatur adverbialiter sed adjectivè, uti rectè Arriaga *n.* 6. Quòd si casu vel ex ignorantia ponatur una littera vel syllaba pro alia, v. g. *bartizo* pro baptizo, *es* pro est, *Fili* pro Filii, *Calis* pro Calix, est mutatio tantùm accidentalis, nam, uti ex *Suar.* suprà notant Lugo *num.* 108. & Gob. *n.* 87. necessarium non est, ut verba corrupta habeant per se sumpta in rigore significationem à Christo intentam, sed satis est, quòd ex modo & in circumstantiis, quibus hìc & nunc proferuntur, audientibus ingerant sensum à Christo intentum: unde qui per syncopen aliquam syllabam absorbet, conficit Sacramentum, inquit Scot. *in* 4. *dist.* 3. *q.* 2. §. *De secunda variat.* Item qui balbutit, & loco baptizo, dicit, *babaptizo*: item qui non potest exprimere H & R, ideóque dicit, *oc est copus*, vel etiam, *colpus meum*: item qui pro more loquendi, loco Spiritus, dicit, *Espiritus*; & ita Chinenses pro baptizo, dicunt *bapetizo*, teste Illf. *hic n.* 8. per quæ in illis circumstantiis, ex modo loquendi sufficienter exprimitur sensus à Christo intentus, uti etiam notant Marchant. Compt. *d.* 63. *n.* 9. Gob. *num.* 95. Et ratio horum à priori est, quia voces institutæ sunt saltem secundariò ad hoc, ut si cum tali vitio proferrentur, adhuc essent significativæ earundem rerum, alioquin cùm tale vitium facillimè in sermonem incurrat, institutio fuisset minùs utilis, & obligatio utendi cum ejusmodi perfectissima expressione foret nimis rigida, uti innuit *Scot.* suprà, & clariùs Palav. *n.* 82. Poteslque hic etiam ista regula servire, quòd quando voces corruptæ ita conjunctæ non sunt aptæ ingenerare alium sensum præter intentum à Christo, non fit mutatio substantialis: è contra si etiam prout ita conjunctæ, sint aptæ ingenerare alium sensum, tum mutatio fit substantialis vel saltem dubia aut significatio æquivoca: hinc si quis sciens linguam latinam diceret; *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta*, aut etiam sic, *in nomine Patris, & Filiæ, & Spiritus sancti*, sensus esset omninò æquivocus, uti notant *Lugo, & Palav.* imò videtur absolutè esse mutatio substantialis, quia verba in illis circumstantiis significant secundam Personam tanquam muliebrem: è contrà Zacharias Papa Cap. *Retulerunt de consecr. dist.* 4. rectè declaravit Baptismum ab ignaro linguæ latinæ sub hac forma confectum, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, fuisse validum, quia licèt *Tò Patria & Tò Filia*, secundùm se habeant aliam significationem, tamen ut conjuncta cum reliquis & ut prolata in illis circumstantiis non erant apta ingenerare alium sensum, præter intentum à Christo, simul cum indicio, quod in isto homine esset imperitia linguæ. Et idem est, ut innuit Gob. 89. si quis parùm ignarus linguæ germanicæ sic baptizet *ich tauffe dir in namen der Vatter undt die Sohn undt das helig Geist.*

§. 8. *Substitutio* scriptionis, nutuum, aliorumve 37
signorum pro verbis, facit mutationem substantialem formæ in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio. Substitutio etiam unius litteræ pro alia aliquando facit mutationem substantialem, uti, *baptizo in nomine Matris*; *Confirmate, Absolve te, &c.* aliquando tantum accidentalem, uti *bapteso te, absalvo te, &c.* quia nempè priora ex communi hominum conceptione faciunt aliquem sensum, non autem posteriora prolata in illis circumstantiis. Si quis loco, *te*, diceret, baptizo *Petrum*, aut si Papa loco, *ego*, diceret *nos* baptizamus, esset mutatio tantùm accidentalis, quia in istis circumstantiis non esset alius sensus, Lugo *num.* 107. Si autem diceret, *Hoc est corpus Christi*, Suar. *d.* 59. *sect.* 2. & Bosco *d.* 4. *s.* 3. *num.* 152. dicunt fore mutationem substantialem, quia non censetur loqui in persona Christi: Arriaga *num.* 3. dicit fore tantùm accidentalem, quia sensus est: *Hoc est Corpus meum Christi*, sed videtur tenendum cum *Suar.* quia quamvis posset sic intelligi, tamen verba, prout jacent, hoc non significant, nequidem ambiguè, nisi aliquid aliud accedat. E contra si diceret, *Ecce Corpus meum*, putat *Suar.* probabile esse mutationem fore tantùm accidentalem, sed Arr. *n.* 7. probabiliùs dicit fore substantialem, quia Tò *Ecce* non videtur significare conversionem panis in Corpus Christi, vel saltem non significat materiam approximatam, cùm à longè videns verè dicat, *ecce turrim*, ergo non significatur materia præsens, quod tamen Christus requisivit.

§. 9. Ad substitutionem revocatur, si aliqua vox 38
sumatur æquivocè, aut mutetur in æquivocam, aut si addatur aliquid faciens sensum æquivocum: tum autem valet regula, quam dant Suar. Vasq. Con. Dicast. *n.* 137. & 180. Bernal *n.* 35. quòd determinatio adhuc vel illum sensum peti debeat ab intentione proferentis vel à circumstantiis, quia ejusmodi voces sunt de se indifferentes ad utrumque sensum, & consequenter debent aliunde determinari, ergo per intentionem loquentis, vel hac deficiente per circumstantias. Et inde est, quod proferens verba æquivoca & intendens verum sensum, non mentiatur, quamvis prævideat alios accepturos in falso sensu; mentiatur autem, si intendat falsum sensum. Consequenter dicendum est, si quis dicens, *hic est Calix Sanguinis mei*, sumeret Tò *hic* adverbialiter, & tantùm vellet significare; *hoc loco*, esset mutatio substantialis, quia non retineretur sensus à Christo intentus, qui est, ut significetur transitus subtantiæ Vini in substantiam Sanguinis, qui transitus non significatur, si Tò *hic* sumatur adverbialiter. Similiter si quis dicens, *hoc est Corpus meum*, per Tò *meum* vellet tantùm significare meum Sacerdotis, esset mutatio substantialis, nam forma debet proferri in persona Christi & significare, *Corpus meum Christi.* Notant tamen Amic. *n.* 97. & Lug. *n.* 122.

si proferens ejusmodi verba æquivoca habeat intentionem significandi hoc, vel quod Christus significari voluit, vel quod Ecclesia significat, quam intentionem habere præsumitur quivis volens ponere Sacramentum, quamvis per errorem putaret Christum voluisse significari alterum sensum, qui falsus est, Sacramentum fore validum, quia intentio generalis significandi hoc, quod Christus significari voluit, prævalet alteri privatæ intentioni: sic enim exercitè dispositus est per illam generalem intentionem, ut velit significari, quod significari debet, unde si doceretur veritatem, & interrogaretur, quem sensum vellet, diceret se velle hunc verum & non illum alterum erroneum, ergo cùm determinatio verbi æquivoci pendeat ab intentione loquentis, hæc verba æquivoca, per intentionem prævalentem determinabuntur ad verum sensum. Admittit doctrinam illam Arr. *num.* 13. dummodò simul habeat, expressam voluntatem conditionatam significandi verum sensum, si sensus suus sit fortè falsus, alioquin, inquit, per intentionem illam generalem non satis determinabitur vox æquivoca ad verum sensum, quem ille nequidem suspicatur subesse, ideóque nec confusè cognoscet. Neque juvat, inquit, quòd intendat Sacramentum, nam non intendit per medium aptum, quod esset significatio veri sensus, quem sensum nullo modo videtur cognoscere, & consequenter nec intendere: & videtur idem sentire Gob. *tr.* 1. *à n.* 200. sed respondetur, cognoscere confusè sensum illum, hoc ipso quòd intendat Sacramentum, cujus pars est significatio veri sensus; neque enim opus est, ut Minister sciat, quid voces significent, nam si quis planè ignorans hebraicum, proferat formam hebraicè, volens facere & significare, quod Christus voluit, fiet Sacramentum, uti cum communi Bernal. *num.* 32. quamvis nec suspicaretur quidem, quid verba significent. Unde etiam Dicast. *d.* 3. *num.* 195. tandem consentit cum *Lugone*, dummodò proferens saltem habuerit voluntatem non retractatam faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia.

39 §. 10. Si pauci homines, v. g. unus Episcopus cum suis Diœcesanis conspirarent, ut vox *amo* imposterùm idem significaret, quod vox *baptizo*, & baptizarent hac forma, *Ego te amo in nomine Patris, &c.* hæc substitutio faceret mutationem substantialem, usquedùm per usum communiter notum vox *amo* obtinuisset illam significationem, quia significatio verborum in Sacramentis debet esse ex institutione & usu communiter recepto, & non per privatam ejusmodi voluntatem intruso, uti notant communiter omnes cum Dicast. *d.* 1. *n.* 179. & Amic. *num.* 85.

Qui plura volet circa mutationem formarum, legat Dicast. *de Bapt. d.* 1. *dub.* 5. & 6. Tambur. *de Sacram. l.* 1. *c.* 1. §. 2. Gob. *tr.* 2. *casu* 2. ubi etiam in variis linguis plures formas Baptismi examinant, ex quibus à paritate poterit facilè discurri de formis aliorum Sacramentorum.

40 Q. 9. *Quomodo peccet, qui facit mutationem materiæ vel formæ in conficiendo Sacramento?* R.

§. 1. Qui facit mutationem substantialem, peccat mortaliter, per se loquendo, quia est gravis irreverentia contra Authorem Sacramentorum ponere partes præcipuas Sacramenti, & tamen contra mentem ipsius illud sine justa causa reddere invalidum, est enim abuti institutione Christi. *Nec obstat*, quòd Confessarii sæpè non absolvant, etiamsi pœnitentes posuerint dolorem, & Confessionem, sicuti etiamsi volentes contrahere Matrimonium sæpè posuerunt consensum sed sub conditione, quam postea impediunt, neque tamen ideò semper peccant: *nam* ista non sunt contra mentem Christi instituentis, qui dedit Confessariis potestatem ex causa justa differendi aut etiam negandi absolutionem. Matrimonium autem fundatur in contractu merè humano, & quidem absoluto, cui tantùm integrè posito voluit Christus advenire rationem Sacramenti; non est autem irreverentia in Christum, si impediatur contractus absolutus, qualis irreverentia esset, si posito utrimque contractu absoluto aliquis vellet impedire, ne esset Sacramentum, verbi gratia: si intenderet contrahere politicè tantùm & cum potestate dissolvendi, quando vellet. *Si instes*, sicuti Christus noluit consurgere Sacramentum Matrimonii, nisi integrè posito absoluto contractu, & ideò non est irreverentia in Christum, si impediatur illius completio, ita etiam noluit consurgere alia Sacramenta, nisi integrè positis eorum partibus, ergo similiter non erit irreverentia, si impediatur completio. R. n. conseq. partes contractus matrimonialis secundùm se nihil habent specialiter sacrum, antequàm simul positæ substent institutioni Christi tanquàm formæ totali: in aliis Sacramentis, partes, quæ antecedunt, habent aliquid specialiter sacrum, vel secundùm se, vel saltem ex præcepto Ecclesiæ, quæ propter honestatem religionis tales partes ordinat ad totum Sacramentum complendum, uti patebit consideranti singula Sacramenta, ergo sine justa causa impedire hanc completionem erit contra virtutem Religionis.

§. 2. Qui facit mutationem accidentalem, si hæc 41
sit notabilis, peccat mortaliter: si autem non sit notabilis, est ad summum veniale: quia mutatio accidentalis est deordinatio ab uniformitate Ecclesiæ, ergo cùm Ecclesia in administratione Sacramentorum justissimè præcipiat uniformitatem, si materia hujus deordinationis sit gravis, sive in re notabili, erit peccatum grave; si levis, leve. Quòd si mutatio accidentalis non sit contra præceptum, sed tantùm præter usum communiorem Ecclesiæ, uti si in hyeme pro Baptismo tepefacias aquam saltem in manu tua, ne frigus noceat infanti; si pro Confirmatione signes chrismate valde magnam crucem in fronte, aut è contra valdè parvam: si pro Eucharistia semper utaris pane recente & vino tantùm antiquo vel rubro; si in his partibus tecto capite absolvas pœnitentem, &c. poterit nullum esse peccatum.

§. 3. Mutationes accidentales & notabiles sunt, 42
in forma Baptismi omittere *Tò Et*: Dicast. *d.* 1. *n.* 117. contra *Con.* Item in Ecclesia Latina pro consecratione uti pane fermentato vel forma græca, Gob. *tr.* 2. *num.* 72. & Spor. *hic num.* 88. Item in forma consecrationis omittere, *Novi & æterni testamenti*, Con. *num.* 84. Item formam consecrationis dicere in lingua vulgari, Bernal. *d.* 6. *s.* 5. *n.* 93. Item in Extrema Unctione uti oleo antiquo loco novi; aut omittere *Tò Sanctam & piissimam misericordiam*, aut nomen sensus illius, qui inungitur, *Suar. Bonac.* & alii cum Dicast. *de Extrem. Unct. n.* 68. Item formam Baptismi sic proferre *in nomine Filii, & Patris, & Spiritus Sancti*, Aversa *q.* 66. *s.* 5. §. *Octavò.* Item *in nomine Patris omnipotentis, & Filii sapientis, & Spiritus Sancti consolatoris*, uti innuit Bernal. *num.* 51. quia fit dubium, an hæc apponantur ut propria an ut appropriata tantùm. Item in Baptismo omittere magnam partem cæremoniarum, Bernal. *n.* 93.

§. 4. Mutationes non notabiles sunt, si quis, 43
etiam latinè sciens, vulgari lingua baptizet, Dicast *de Bapt. d.* 1. *nu.* 131. Item in forma Baptismi aut Pœnitentiæ omittere *Tò Ego*, vel in forma Baptismi, & Confirmationis *Tò Amen*, Sot. Vasq. Con. Dicastill.

castill. *num.* 130. Item in forma consecrationis omittere *Tò enim*, Suar. Henriq. Bonac. Dicast. *de Euchar. d.* 3. *num.* 63. contra Gabr. Nugn. Vasq. Gorm. *n.* 67. qui putant esse notabilem. Etiam notabilis non est, pro Extrema Unctione admiscere parum antiqui olei cum novo: neque notabilis est, venialis tamen est, inquit Bernal. *num.* 70. si baptizans, absque necessitate sufficiente formam interrumpat aliis verbis: item veniale est sine rationabili causa repetere seu bis dicere unum verbum vel unam syllabam formæ, Gob. *n.* 41. Spor. *n.* 95. totam autem repetere, quamvis sub conditione, esset mortale, Gob. *n.* 378. Spor. *n.* 98. cum communi.

44 §. 5. Si quis sine necessitate baptizet, confirmet vel absolvat plures, dicendo in plurali, *Ego vos baptizo, &c. Scot. Gob. & Con.* dicunt esse notabilem mutationem, ideóque mortalem, quia videtur esse in re gravi: *Henriq. Valent. Regin.* & alii dicunt non esse notabilem, ideóque venialem tantùm quæ utraque sententia probabilis est, sed postrema probabilior, Dicast. *de Bapt. d.* 1. *n.* 138.

45 §. 6. Facere absque necessitate mutationem, de qua dubitas, an sit substantialis an accidentalis, est mortale contra religionem, Bernal. *n.* 95. quia est sine justa causa exponere se formali periculo gravis irreverentiæ contra Authorem Sacramentorum.

46 §. 7. Facere, aut exponere se periculo faciendi ejusmodi mutationes substantiales potest etiam esse mortale contra charitatem, si nempe proximus privetur vel exponatur periculo privationis magni boni, secundùm communem æstimationem: quandoque etiam potest esse contra justitiam, si administrans Sacramentum etiam ex justitia ad hoc teneatur, uti Parochus. *Dixi*, magni boni secundùm communem æstimationem, nam licèt minimum gratiæ augmentum sit magnum simpliciter bonum, tamen inter plurima augmenta, quæ fieri possunt per Sacramenta aliaque bona opera, communi æstimatione non reputatur grave damnum vel gravis injuria, si quis per invalidationem Sacramenti facilè iterabilis neque hìc & nunc necessarii proximum impediat à consecutione alicujus gratiæ, Bernal *num.* 99.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

DUBIUM I.

Quid requiratur, ut Minister det validè Sacramentum.

„ REsp. Ad valorem Sacramenti in Ministro, „ non fides vel probitas sed (præter potestatem „ & jurisdictionem in quibusdam) requiritur in„ tentio, seu voluntas, saltem virtualis & absolu„ ta, vel huic æquivalens, faciendi non tantùm ex„ ternum illum actum, sed Sacramentum, vel sal„ tem id, quod facit Ecclesia, vel quod Christus „ instituit. Est communis ex *Trid. sess.* 7. *can.* 11. „ Ratio prioris partis est, quia Sacramenta operan„ tur, non ex dispositione Miuistri, sed virtute „ divina, secundùm institutionem & meritum Chris„ ri. Ratio posterioris, quia ad confectionem Sa„ cramenti requiritur talis intentio, quæ actionem „ determinet ad esse Sacramentale, tollatque indiffe„ rentiam verborum & actionum: talis autem non „ est intentio solius actionis externæ, quæ ad alios „ fines, v. g. ad ludum potest referri.

„ Dixi I. *Saltem virtualis*: tum quia non sufficit „ interpretativa, vel habitualis (qualis etiam po„ test esse in ebrio & dormiente) cum actus ab ea procedens non sit humanus & deliberatus, seu li„ ber in se; tum quia actualis, qua scilicet actu „ intendis, & vis hoc facere, etsi melior sit & con„ sulta, non tamen requiritur: cum enim ea non „ sit in nostra potestate, & homo facilè distrahatur, „ nimis durum & plenum scrupulis fuisset, si hanc, „ Christus requisivisset. Virtualis autem dicitur „ quæ ex actuali præcedente relicta, durat in ali„ qua actione, vi illius incæpta, & continuata; „ ut si ex intentione baptizandi, vel celebrandi, „ vadas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, Altare „ vel baptisterium accedas, etsi interim omnia alia „ cogites. Ratio, quia hoc sufficit, ut actio illa „ sit humana, & moralis, Laym. *lib.* 5. *t.* 1. *c.* 5. „ *Unde resolves.* „

I. Si Sacerdos habens fortè ante se panem, re„ citet factum & verba Christi, non ideò con„ secrat. „

II. Impotens rationis, ebrius, vel somnians, „ non conficit Sacramentum, etiamsi ante ebrie„ tatem, vel somnum id intenderit, quia non „ agit humano modo. Laym. *l. c.* „

III. S. Athanasius in lusu puerili verè baptizavit, „ quia intendit facere, quod viderat in templo „ fieri ab Episcopo. „

IV. Hæreticus validè baptizat, & contrahit Ma„ trimonium etsi non credat hoc esse Sacramentum; „ rideat, & contemnat: imò etsi nolit facere, „ quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, falsò „ putans, non Romanam, sed suam esse veram; „ etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio, „ quia intentio generalis, qua vult, quod Chris„ tus instituit, prævalet intentioni prævenienti ex „ errore privato. Bonac. *t.* 1. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 9. „ Suar. Fill, &c. „

V. Non debet repetere sub conditione confe„ crationem, qui in ipsa fuit distractus; vel qui mi„ nores hostias ad altare detulit, de quibus, ma„ jorem consecrans, non explicitè cogitavit, „ nec detexit. „

Dixi II. *Absoluta*, quia conditionata suspen„ dit effectum, quod, præterquàm in matrimonio, „ fieri non potest. *Unde resolves.* „

I. Validum est Sacramentum collatum sub con„ ditione præterita, aut præsenti necessaria, vel „ contingente, si conditio verè sit impleta, v. g. „ absolvo te, si vis dimittere concubinam, si ca„ pax es, baptizo te, si non es baptizatus Bon. „ *l. c. n.* 18. „

II. Nullum est Sacramentum datum sub condi„ tione futura, sive sit hæc contingens, ut absol„ vo te, si restitues, si dimiseris concubinam, &c. „ sive necessaria, adjecta animo suspendendi Sacra„ mentum, ut absolvo, si cras sol orietur. Bon. „ *ibid.* Suar. Kon. &c. „

III. Dubium est Sacramentum collatum sub „ conditione occulta, humano modo incognoscibi„ li, v. g. Baptizo, si es prædestinatus, si Deus „ videt te hoc anno moriturum. „

IV. Graviter peccat, qui administrat Sacra„ mentum (excepto Matrimonio) sub conditione, „ non solùm futura (quod semper est mortale) „ sed etiam præsenti; aut præterita; sive in se sit „ prorsus occulta, quod etiam est mortale; sive hu„ mano modo cognoscibilis; quod tamen nullum „ est, si fiat ex causa rationabili, rarò veniale (sæ„ pius mortale) si absque ulla causa. Ratio, quia „ aut nullum facit Sacramentum, aut dubium, aut „ validum quidem, sed non sine nugatione in re „ gravi. V. Bonac. *l. c. n.* 20. Suar. Kon, &c. „ Regin. *l.* 8. *n.* 3. Nugnum *in* 3. *p. q.* 60. *art.* 8. „ *diffic.* 2. *Scholast.* „

ADDENDA.

48 Quæst. 10. *Quinam constituti sint Ministri Sacramentorum?* R.

§. 1. De Ministris Sacramentorum antiquæ legis agunt Scolastici: sufficit breviter insinuare quod Minister Remedii naturæ & circumcisionis potuerit esse quivis fidelis, uti habet communior cum Escob. *l. c. n.* 109. Minister Agni paschalis erat in quavis domo Pater-familias, qui censebatur Sacerdos hujus ritus. Ministri reliquorum Sacramentorum erant Sacerdotes & Levitæ: utrique autem assumebantur è tribu Levi, quam Deus ad ejusmodi ministeria deputarat uti communi Bernal. *d.* 17. *n.* 1.

49 §. 2. Per Ministrum Sacramenti novæ legis (de quo solo imposterùm loquemur) intelligitur ille, qui nomine Christi operans Sacramentum conficit: hinc in Eucharistia Minister non est, qui pinsit panem vel exprimit vinum, imò nec in rigore, qui Eucharistiam tantùm distribuit, quamvis sæpè dicatur ministrare, latiùs sumendo. Similiter pœnitens non est Minister pœnitentiæ, quamvis ponat dolorem & confessionem, quæ sunt partes Pœnitentiæ essentiales, quia non ponit eas tanquam operans nomine Christi, sed ille nomine Christi operatur, qui validè ponit formam Sacramenti.

50 §. 3. Minister Sacramentorum, de lege ordinaria & ex vi modernæ institutionis, est solus homo, & quidem viator, uti tenent communiter A A. cum S. Thom. *q.* 64. *art.* 7. & Lugod. *S. s.* 1. *Nec obstat*, quòd *S. Thom. ad* 2. dicat Beatos habere, cur possint potiùs esse Ministri quàm Angelos, *nam* non ideò dicit reipsa esse ministros, sed hoc pertransit, cùm nihil faceret ad solutionem argumenti. Si tamen quis à Beato extraordinariè, v. g. absolveretur à peccatis, esset quidem absolutus, attamen maneret obligatus ad confitenda mortalia homini viatori & ad subjicienda directè clavibus Ecclesiæ militantis sicuti nunc justificatus per contritionem ad hoc ipsum obligatur, Lugo *in Resp. Moral l.* 1. *dub.* 16.

51 §. 4. Non quivis homo est cujusvis Sacramenti Minister, uti fides docet contra Luterum apud Bellar. *hìc l.* 1. *c.* 24. nam ita asseritur ad Ephes. 4. *v.* 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos* &c. *Alios autem Pastores* Ad Hebr. 5. *v.* 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Definit hoc expressè *Trident. s.* 7. *De Sacramentis in genere Can.* 10. *De Confirmatione, Can.* 3. *de Eucharistia, s.* 22. *Can.* 2. *de Pœnitentia, s.* 14. *Can.* 10. *De extrema Unctione, Can.* 4. *De Confirmatione & Ordine, s.* 27. *Can.* 7. V. Bellarm. suprà, qui c. 25. accuratè dissolvit ea, quæ opponunt hæretici.

52 §. 5. Minister, 1. Baptismi, potest esse omnis homo, etiam fœmina. 2. Confirmationis & Ordinis de jure est solus Episcopus; ex commissione Papæ potest esse etiam simplex Sacerdos, Lugo *in Resp. Mor. l.* 1. *v.* 6. Dicast. *t.* 6. *d.* 17. & alii. 3. Eucharistiæ conficiendæ, Pœnitentiæ & extremæ Unctionis, solus Sacerdos: Eucharistiæ distribuendæ, etiam Diaconus ex commissione Sacerdotis, & in necessitate, Dicast. *de Euch. d.* 11. *dub.* 5. Absolutè autem posset eam quivis, etiam non ordinatus, imò ægrotus sibi ipsi pro Viatico dare, si alius ordinatus abesset, uti à n. 481. dicetur. Matrimonii ministri sunt baptizati contrahentes, etiam fœmina: quæ omnia pluribus explicabuntur suis locis. Ex dictis,

53 §. 6. *Inferuntur* seqq. 1. Simpliciter loquendo, Christus dici debet causa efficiens principalis Sacramentorum, homo autem ministerialis. 2. Sicuti humanitas Christi instituit Sacramenta principaliter ministerialiter, secundùm *S. Thom. q.* 64. *a.* 3. ita eadem humanitas operatur in Sacramentis principaliter ministerialiter, homines autem instrumentaliter, & subordinatè ad Christum. 3. Divinitas Christi sive omnipotentia Dei producit principaliter physicè Sacramenta, humanitas autem nullo modo physice producit, sed verba & intentio in omnibus Sacramentis producuntur physice & immediate à solo homine Ministro, qui etiam in omnibus Sacramentis physice immediate producit res, excepta Eucharistia & Pœnitentia: nam in Eucharistia Corpus Christi & unio cum speciebus physicè à solo Deo producuntur: in Pœnitentia autem, dolor, propositum & confessio, quæ sunt res illius Sacramenti, producuntur physicè ab ipso pœnitente. 4. Humanitas Christi efficit principaliter moraliter omnia Sacramenta, non tantùm hoc sensu, quòd sit causa principalis suo merito & impetratione movens Deum ad physicè efficiendum Sacramentum, sed etiam quia nomine Christi omnia efficiuntur ab hominibus tanquam illius Ministris, hinc *Joan.* 1. *v.* 33. de Christo dicitur, *Ille est qui baptizat*, & *Joan.* 4. *v.* 1. dicitur Christus esse baptizans, non per se sed discipulos, quod idem dicit S. Aug. *tr.* 6. *in Joan. Petrus baptizat, hic est, qui baptizat &c.* hinc *Apostolus* 2. *ad Corinth.* 2. *v.* 10. etiam de aliis Sacramentis ait, *Ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, & idem expressè asseritur Cap. *Utrum* 72. *de Consecr. dist.* 2. patetque de Eucharistia, nam verba proferuntur in persona Christi, qui etiam ideo dicitur Sacerdos in æternum: hinc *Trid. s.* 22. *c.* 2. ait, Una *eademque est hostia, idem tunc offerens, Sacerdotum ministerio.* Similiter absolvens dimittit peccata nomine Christi, nam *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Marci 2. *v.* 7. Imò etiam contrahentes Matrimonium, efficiunt illud Sacramentum Christi nomine, non hoc sensu, quasi Christus sit principaliter contrahens, sed isto, quòd Christus sit causa cur ponatur ratio Sacramenti, quam non efficerent contrahentes, nisi operarentur in nomine & secundùm institutionem Christi, qui per actionem contrahentium immediatè causare voluit gratiam in illis. 5. Ministri Sacramentorum, meliùs dicuntur Ministri Christi, quàm Ecclesiæ, neq; enim intendunt operari nomine Ecclesiæ, sed Christi: attamen sunt Ministri Ecclesiæ, quia ab Ecclesia constituuntur & pro ea ministrant.

Q. 11. *Quid addendum sit circa intentionem in Ministro requisitam?* Resp. Quid sit intentio, & quæ dicatur formalis, virtualis, habitualis, interpretativa; explicita aut implicita; directa vel indirecta, dixi l. 4. nu. 1324. debentque hìc recoli: quibus suppositis, adde seqq. 54

§. 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit in Ministro intentio ponendi res, & verba ex joco, neque etiam intentio ponendi ea seriò & purè materialiter, sed requiritur intentio ponendi ea ut sacramentalia. *Pars* 1. est contra Luth. Calv. & alios apud Bellarm. *hìc l.* 1. *c.* 17. qui dicunt sufficere, si res & verba quomodocumque ponantur, dummodò adsit fides in suscipiente, sed oppositum est de fide partim ex Florent. in decreto *Eugenii IV.* ad Armenos, & Trident. *s.* 7. *Can.* 11. quæ requirunt intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; partim ex decreto *Leonis X.* damnantis hunc 12. art. *Lutheri, Si confessus non esset contritus, aut Sacerdos non seriò sed joco, absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus*; quem articulum etiam expressè damnat *Trid. s.* 14. *de Pœn. c.* 9. Quod autem dicitur de absolvente, valet de conficiente quod vis aliud Sacramentum. *Pars* 2. est contra *Catharinum, Scribonium* & alios, qui putarunt sufficere intentionem ponendi actiones purè materialiter, sed opinionem illam vocat Bernal. *d.* 17.

n 55.

n. 55. omnino falsam, Herincx *d.* 3. *n.* 16. improbabilem, Arriaga *d.* 19. *n.* 13. non tantùm improbabilem sed forsan etiam planè erroneam, Lugo *d.* 8. *n.* 15. dicit parum distare ab errore hæreticorum, Vasq. *d.* 138. *n.* 34. putat esse expressè damnatam, ideóque num. 29. dixerat oppositum esse ab Ecclesia definitum, & est saltem certissimum, postquàm *Alex. VIII.* die 7. Dec. 1690. damnavit hanc 28. propos. *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit; non intendo, quod facit Ecclesia*: & ideò etiam *Trid. s.* 14. *de Pœn. c.* 6. requirit in Sacerdote animum, non tantùm seriò agendi, sed verè absolvendi: quod autem dicitur de hoc Sacramento, idem est de aliis. Ratio verò pro omnibus à priori, est voluntas Christi, qui secundùm *Apostolum* 1. *ad Corinth.* 4. *v.* 1. voluit Ministros esse, non purè nuntios, sed *dispensatores mysteriorum Dei*, ad quos spectat humano modo agere, hìc & nunc quidem secundùm arbitrium suum, attamen accommodatè ad voluntatem Principalis, cujus vices agunt. Rationes à posteriori dat *Bellarm.* suprà ex absurdis, quæ sequerentur, nam si Sacerdos ad mensam legeret verba, *Hoc est Corpus meum*, consecraret totum panem præsentem; si quis in theatro ageret personam Constantini & modo agendi externo baptizaretur, reipsa rebaptizaretur &c.

Objic. 1. Varias authoritates & exempla. Resp. Ista omnia videri possunt explicata apud Bellar *c.* 28. & Moyam. *tr.* 4. *q.* 3. §. 3.

Objic. 2. Vis significativa signi ad placitum non pendet ab intentione utentis sed solius instituentis, sed Sacramentum est signum ad placitum Christi, ergo non pendet ab intentione Ministri utentis. Resp. Non pendet ab intentione utentis, si instituens voluerit ab hac pendere, uti Christus voluit, ni si noluerit, transeat: *dico*, transeat, nam *vox* est sonus ab ore animalis productus cum intentione significandi, ergo ad vim significativam alicujus signi requiritur aliqua intentio.

Objic. 3. Contractus externè tantùm factus inter homines valet, quamvis absit interna intentio contrahendi, ergo etiam Sacramentum. R. 1. n. antec. secundùm dicta l. 3. p. 2. à n. 608. Resp. 2. Dato ant. n. conseq. homines non possunt cognoscere intentiones internas, Dominus autem intuetur cor, 1. Reg. 16. *v.* 7. ergo quamvis ad contractum inter homines non requireretur intentio interna, requiretur ad quasi contractum Dei cum Ministro Sacramenti, quia Deus noluit se obligare ad causandam gratiam, nisi videret in Ministro intentionem internam V. Esparsam. *q.* 13.

Objic. 4. Ut Dominus validè donet per famulum ad hoc non requiritur intentio famuli, ergo neque ad hoc, ut Christus per Ministrum conficiat Sacramentum. R. Ad hoc non requiritur intentio famuli, si famulus sit tantùm internuntius donationis, c. si sit tanquam Procurator vel agens vices Domini, n. tum enim hujus voluntati committitur valor vel nullitas donationis, & hc se habet Minister in Sacramentis. V. Lugo *d.* 8. *n.* 29.

Objic. 5. Ecclesia præcipit orationem Horarum, & tamen qui recitaret tantùm externè, internè nolens satisfacere sed irridere Ecclesiam, adhuc satisfaceret, ergo similiter in Sacramentis. R. 1. Dato ant. n. cons. Ecclesia cùm non cognoscat, etiam non judicat de internis, hinc fortè præcipit solam recitationem externè attentam: è contra Deus, author Sacramentorum cognoscit & judicat interna, ergo non est ratio, cur non præceperit intentionem & attentionem internam pro conficiendis Sacramentis. R. 2. Ut satisfiat, etiam pro Horis, debet adesse intentio orandi, ut dictum est *l.* 4 *n.* 1325. ergo intentio aliqua interna requiritur.

Objic. 6. Repugnat divinæ bonitati, ut damnetur infans vel homo tantùm attritus propter malitiam Ministri, qui externè tantùm fingit se baptisare aut absolvere. Resp. *Alens. Dur. Gabr.* & alii apud Aversa. *q.* 64. *s.* 3. putarunt Christum in ejusmodi casibus supplere effectum gratiæ, quam sententiam non improbat *S. Thom.* favetque *Valent.* apud Escob. *l.* 8. *n.* 254. Similiter *S. Bonav. Sylv.* & alii apud Dicast *de baptis. d.* 1 *dub.* 13. putarunt Deum supplere in Baptismo collato pueris necdum absoluta forma mortuis: imò *Cajet.* putavit tales pueros, qui baptizari non possunt, salvari per fidem parentum: *Gerson.* docuit Deum saltem quandoque supplere extraordinariè: sed rectè dicit Suar. *in Comment ad. q.* 64. *ar.* 8. omnes suppletiones illas non fundari in ulla lege vel promissione Dei, imò carere omni ratione probabili: hinc *Henriq.* opinionem primam vocat imperitam; *Cabrera*, temerariam & erroneam, *Escob.* improbabilem, eamque rectè confutant Gonet. *d* 6. *à num.* 42. Herincx *d.* 6. *à num.* 21. Dicast. *suprà*. Itaque dicendum est tales damnari propter peccata sua originalia vel actualia, quæ contraxerant & remissa non sunt, quòd autem remissa non sint, non est defectus bonitatis in Deo, qui dederat media, sed est occasionaliter per malitiam Ministri, quam Deus impedire non tenebatur, imò nec poterat, salva lege ordinariæ providentiæ.

Alia argumenta Scribonii solvit fusè Lugo *à num.* 55 37. breviùs Platel. *hìc à num.* 85. & Arriaga *n.* 9.

§. 2. Intentio indirecta, sivè tantùm in causa, non sufficit ad conficiendum Sacramentum. Est communis & extra controversiam, inquit Vasq. *d.* 138. *n.* 68. contra *Cabreram*, qui dicit probabile esse, quòd Baptismus in ebrietate vel somno collatus à Ministro, qui antea voluit ita conferre, sit validus; sed oppositum tenent Suar. Vasq. Conc. Laym. Tann. Dicast. *d.* 3. *n.* 117. Escob. *l.* 8. *n.* 36. Aversa. *q.* 64. *s.* 3. & unanimiter Theologi, inquit Herincx. *d.* 3. *n.* 30. Ratio est 1. quia talis confectio Sacramenti non est actio humana, cum non sit facta liberè vel ex deliberatione rationis. 2. Prolatio verborum in tali statu facta non est locutio humana, quia non manifestat mentem præsentem, nec quod tum judicat, cùm in tali statu non sit usus humanus mentis aut rationis. 3. Talis actus non sufficit ad contractum vel commercium humanum, ergo multò minus ad actum Ministri, quem Christus voluit esse dispensatorem fidelem mysteriorum Dei, qui attendere debet, ut ponatur debita materia & bene exprimatur forma.

Objic. 1. Si ideò se inebriavit, ut baptizaret, Baptismus denominabitur voluntarius, etiam in se, quia ex priore volitione debet mansisse aliquid tamquam virtus dirigens istam actionem in ebrietate, ergo suffit ad Sacramentum. R. n. ant. nam species phantasiæ, quæ manserunt, movent appetitum sensitivum ad talem actionem, quæ non est voluntaria respectu volitionis humanæ liberæ antea habitæ, sed tantùm est effectus potentiarum in ebrietate operantium.

Inst. 1. Actus præteritus denominatur voluntarius à volitione præterita non retractata, ergo etiam actus futurus. R. n. seq. actus præteritus, dum existebat, pendebat à volitione, à qua denominabatur actualiter voluntarius, quod autem fuit actuatur actualiter voluntarium, manet habitualiter tale, quamquam fuit nec sit voluntarius, sed tantùm fuit voli-

tus

tus per modum objecti, omne enim voluntarium libertum debet esse à principio intrinseco libero cum cognitione finis.

Inst. 2. Prior intentio, quamvis esset simpliciter indirecta, tamen erat directa respectu Sacramenti, quia intendebat Sacramentum in se tanquam finem ebrietatis, intentio autem directa Sacramenti sufficit, ergo. R. Intentio directa sufficit: si existat formaliter vel virtualiter, c. si existat tantùm habitualier, n. Tempore ebrietatis autem existit tantùm habitualiter, quod non sufficit, secundùm dicenda *n.* 56

Inst. 3. Intentio manet virtualier in Ministro distracto, ergo etiam in ebrio R. n. cons. Quamvis distractus magis perceptibiliter attendat ad objectum distrahens, tamen communiter simul attendit tenuiter & imperceptibiliter ad alterum prius objectum, manetque immediatè liber ad volendum oppositum, ergo non est mirum, quòd talis actio sufficiat ad Sacramentum, secundùm dicenda *n.* 58. *Dixi* communiter, nam si distractio esset omnimoda & veluti raptus extaticus, actio in hoc non videtur facta humano modo, prout requiritur ad Ministrum Sacramenti, desiisset enim omnis actualis, etiam tenuis attentio.

Inst. 4. Voces scriptæ retinent vim significandi humano modo, quamvis posteà dormiat ille, qui scripsit, ergo etiam voces prolatæ in somno. R. n. cons. nam imprimis, quando voces scribebantur, pendebant ab humana intentione significandi, quæ posteà moraliter perseverat: deinde voces scriptæ retinent, saltem ex usu & pacto vim significandi modo humano, uti rectè Palav. *n.* 102. neutrum convenit vocibus in somno vel ebrietate prolatis.

Objic. 2. Si quis prævideat se propter fidem occidendum in somno, & ideò dormiat; si occidatur est Martyr; sicuti è contra, si quis prævideat se occisurum in ebrietate, & ideò se inebriet ac occidat, est homicida, & secundùm Lugo *n.* 110. incurrit reservationem homicidio annexam, ergo similiter ille est Minister Sacramenti, si ideò se inebriet, & in ebrietate conficiat Sacramentum. R. n. cons. admartyrium vel homicidium satis est illa intendi ut objecta, quia hoc ipso, quòd posteà fiant, erunt volita & suo modo interpretativè voluntaria, quod sufficiet, nam talis occisio passiva erit verè mors obita propter fidem, ergo erit martyrium, & talis occisio activa erit destructio vitæ alienæ contra jus ipsius, ergo homicidium injustum: è contra ad confectionem Sacramenti requiritur intentio, quæ habet se tamquam causa ad effectum, alioquin non erit actio humana, talis autem non est in ebrietate: atque ideò à simili infert Lugo *num.* 102 si quis prævideat se in ebrietate dicturum verba perjura, & ideò se inebriet, quamvis verba illa dicat in ebrietate, non fore perjurum, quia verba perjura, quando fiunt, debent esse verba humana, qualia non sunt in ebrietate. Vide dicta *l.* 5. *n.* 48.

56 §. 3. Intentio habitualis non sufficit in Ministro conficiente Sacramentum, uti patet ex dictis, quia debet esse causa actionis, qua ponitur sacramentum, ex vi enim illius intentionis debet positio Sacramenti esse actio humana Ministri agentis nomine Christi, & prudenter dispensantis ejus mysteria, ergo.

Objic. 1. S. Th. *q.* 64. *art.* 4. dicit habitualem sufficere. R. Per habitualem intelligit virtualem, uti patet ex contextu: & omnes ita eum explicant. Probabiliter etiam dicitur cum Gonet. *d.* 6. *num.* 51. per errorem describentium esse positum Tò *habituale* pro *virtuale*, quia modus abbreviandi apud S. Th. erat ferè similis: & in aliis antiquis exemplaribus, habetur, *virtualem*.

Objic. 2. Habitualis sufficit in suscipiente, ergo etiam in conficiente. R. n. cons. Conficiens debet vi intentionis suæ agere humano modo, nomine Christi tamquam fidelis dispensator &c. quod non fiet, nisi intentio actu dirigat actionem: suscipiens est tantùm patiens, ergo in hoc sufficiet talis intentio, per quam censeatur volens pati seu recipere Sacramentum, ad quod sufficit intentio habitualis, quandoque etiam interpretativa, uti dicetur *à n.* 168.

Objic. 3. Intentio habitualis sufficit pro applicatione Missæ cras legendæ, ergo etiam pro Sacramento cras conficiendo. R. N. cons. quia ut Missa sit, & maneat applicata, satis est applicationem esse semel positam & non revocatam, tum quia est veluti donatio in diem, sive ex nunc pro tunc, quæ tenet, cum advenit tempus, quamvis non accedat nova donatio: tum maximè, quia Deus ex tunc constituitur velut executor, & acceptat Missam in talem finem, & posita posteà Missa, ad solum Deum pertinet dare aliquid propter illam: è contrà intentio conficiendi Sacramentum debet esse operativa ipsius Sacramenti, debet Ministrum facere operantem humano modo, nomine Christi, prudenter, fideliter, &c.

Objic. 4. Si Titius ex alto loco effundens aquam, moriatur instanti A. post prolatam formam, & aqua instanti B tangat puerum, Baptismus valebit, licèt tum nequidem virtualiter ampliùs existat intentio Titii, ergo etiam valebit primo instanti somni, quamvis intentio tum non existat nisi habitualiter. R. N. cons. Effusio aquæ, quæ est activa ablutio, est humano modo posita à Titio, & censetur manere talis, quando accedit ablutio passiva, seu motus aquæ super corpus pueri, quem motum non erat opus humano modo immediatè pendere à Titio, cùm sit motus necessarius aquæ priùs humano modo motæ à Titio, qui posuerat, quidquid ad ipsum spectabat ponere, ut puer diceretur ab eo ablutus. Hinc docet Dicast. *d.* 3. *nu.* 126. quamvis Titius retractaret intentionem suam post effusam aquam, non ideo impediendum valorem Sacramenti; pro quo Lugo *nu.* 109. dat plura alia exempla circa Sacramentum Matrimonii. E contrà ablutio activa dormientis nunquam fuisset posita humano modo, uti supponitur. Quòd si supponas immediatè ante somnum esse positam humano modo, valeret Baptismus, quamvis dormiret, quando corpus pueri passivè abluebatur.

Objic. 5. Valet Matrimonium per Procuratorem contractum, quamvis Principalis tum dormiat aut in amentiam perpetuam inciderit: uti docent Sanch. Henriq. Bonac. Arr. *d.* 19. *à n.* 34. contra B. Pontium & Lugo *n.* 108. ergo in Ministro sufficit intentio tantùm habitualis. R. Dissimulato ant. dist. cons. ergo in Ministro, qui per se ipsum ministrat, valet intentio tantùm habitualis, n. si ministret per alium, transeat: jam verò hoc est speciale in Matrimonio, quòd possit ministrari per mandatarium, quia nempè est contractus, qui per mandatarium fieri potest obligare mandantem: tamen manet, quòd mandans habere debuerit intentionem saltem virtualem humano modo positam, quando mandavit; neque opus est, ut partes, hujus præsertim Sacramenti, physicè cœxistant. *Dixi*, transeat, nam aliqui dicunt, quòd intentio mandatarii tanquam animati instrumenti sit maraliter intentio mandantis, intentio autem mandatarii est tum actu; sed de hoc vide dicenda n. 171.

§. 4. Multò minus sufficit intentio interpretativa 57
in Ministro conficiente Sacramentum, cùm hæc nec sit nec fuerit intentio reipsa existens, sed tantùm quæ existeret, si occurreret cogitatio de illa elicienda:

elicienda : quòd autem non eſt, non poteſt dirigere confeſſionem Sacramenti, ut nomine Chriſti & humano modò fiat, ergo.

58 §. 5. Attamen non requiritur intentio actualis formalis, ſed ſufficit virtualis, uti communiſſimè omnes inquit Arr. *nu.* 30. imò omnes, ſecundùm Suar *d.* 13. *ſ.* 3. Lugo *d.* 8. *n.* 90. Herincx. *d.* 3. *n.* 32. tum quia hæc ſufficit ad orationem, vota, contractus, ergo ſimiliter ad conficiendum Sacramentum : tum etiam, quia ſi non ſufficeret, confeſſio Sacramentorum eſſet expoſita perpetuis dubiis & ſcrupulis, quia eſt ſupra moralem poteſtatem hominis ſemper habere intentionem actualem formalem, cum nobis invitis ſe ingerant diſtractiones illam impedientes, unde merito poſſemus ſemper dubitare de valore Sacramenti, de quo cùm non dubitent Eccleſia & Doctores, dummodò Sacramentum ſit poſitum cum intentione virtuali, moraliter certum eſt hanc ſufficere : & ratio à priori eſt, quia intentio virtualis eſt ſufficienter cauſa actionis, qua ponitur Sacramentum, eſt enim quædam virtus prioris intentionis, imperans & dirigens executionem ejuſdem objecti. Pro praxi tamen expedit præmittere formalem, ſi quis ſe reflectat, quia melior eſt & certior, ſi fortè virtualis deſiiſſet.

Objic. Intentio virtualis non ſufficit ad meritum, ergo nec ad confectionem Sacramenti. *Prob. ant.* Quod fit ex intentione virtuali, non eſt liberum, quia motiva in utramque partem tum non ita proponuntur, ut voluntas poſſit dici proximè expedita etiam ad oppoſitum, ergo. R. N. ant. nam imprimis probabile eſt ad meritum ſufficere libertatem imperfectam, imò & aliquam mediatam, uti tenent Suar. & alii contra Ovied. *de merito contr.* 2. *p.* 1. & Lauren. *d.* 2. *ſ.* 6. Deinde ſaltem eſt ſatis habere virtualem libertatem, & remanere actus tenues proponentes utraque motiva, vi quorum actuum poſſet voluntas directè velle oppoſitum, quamvis reflexè non experiatur in ſe potentiam ſibi imperandi oppoſitum. Ex dictis,

59 *Colliges*, eum, qui de more ponit actiones requiſitas ad Sacramentum, prudenter non poſſe dubitare de intentione requiſita, niſi hanc poſitivè excludat, quia vult facere, quod aliàs ſolet & quod faciunt ſimiles Miniſtri, quod ſufficit, uti rectè Gammach. & Abelly *p.* 2. *t.* 1. *c.* 1. *ſ.* 8. Item exercitè cognoſcit illas actiones eſſe ſacras, & poni non fruſtra ſed ad fines certos, ergo exercitè intendet ut tales & ad iſtos fines, quod ſufficit, ut rectè *Vaſq.* Hinc infert etiam Maurus *q.* 78. *n.* 5. Miniſtros Sacramentorum, niſi ſtudiosè omiſerint intentionem faciendi Sacramentum, vel habuerint intentionem oppoſitam, ineptè dubitare, an habuerint intentionem ſufficientem ad valorem Sacramenti. Addit rectè *Bellarm.* opus non eſſe dicere ore aut corde, *intendo hoc facere, &c.* (hæ enim ſcrupuloſæ reflexiones potiùs devotionem impediunt, inquit Herincx *d.* 3. *n.* 28. hominemque perturbant :) ſed tantùm requiri, ut homo ſit præſens animo, & attentè faciat, quod facit : iſta enim dicuntur intentio in actu exercito, uti loquuntur Caj. & Leſſ. hic *q.* 64. *a.* 8. *dub.* 2. Sed de ſcrupulis circa intentionem, & ſpeciatim circa conſecrationem, plura addemus, quando de Sacrificio.

60 *Q.* 12. *An in Miniſtro Sacramentorum ſufficiat intentio coacta?* R. Sufficere, ſi Matrimonium excipias, nam intentio coacta hìc dicitur, quam Miniſter nollet quidem habere, nunc tamen habet, quia ab extrinſeco cogitur ad illam, v. g. per metum, ſed talis intentio ſufficit ad ſex prima Sacramenta, eſt enim actio humana, ſimpliciter libera, capax meriti & demeriti, tantùm ſecundùm quid involuntaria : Eccleſia autem ſpecialiter voluit, ut matrimonium haberet perfectiorem libertatem, uti ſuo loco dicetur.

61 *Q.* 13. *An intentio Miniſtri debeat eſſe determinata ad certam materiam, & perſonam?* R. Affirmativè cum Lugo *d.* 8. *n.* 111. & Eſcob. *l.* 8. *n.* 265. quia intendere debet præſens Sacramentum, quod conſtat ſua v. g. ablutione ; actio enim procedens ex intentione debet cadere ſuper hoc, in quod fertur intentio, hinc etiam debet intendere conferre perſonæ præſenti, cui applicat : ideóque ſi Cajum abluères, & dirigeres formam Baptiſmi ad Titium, intrà te dicendo, abluo Cajum, ſed Titium baptizare volo, mentireris & invalidus eſſet Baptiſmus. Item ſi Sacerdos haberet ante ſe duas hoſtias, & vellet conſecrare tantùm unam, neque determinaret quam, neutra conſecraretur, quia intentio non eſſet determinata quoad materiam, Lugo *num.* 26. Idem eſt, ſi audiviſſet duorum Confeſſiones, velletque abſolvere tantùm unum, & non determinaret quem è duobus, *Averſ. q.* 64. *ſ.* 3. Non eſt tamen neceſſe, imò malè fieret, ſi quis ſuam intentionem reſtringeret ad iſtam in individuo perſonam, vel ad hanc unicam hoſtiam, quam ipſe appoſuiſſet, ſed debet intentionem formare ad perſonam præſentem aut ad materiam appoſitam, & ſibi moraliter approximatam, uti dicetur *num.* 67. & 68. An autem error circa materiam vel perſonam aliquando invalidet Sacramentum, dicetur qu. ſeqq.

62 *Q.* 14. *Quid addendum ſit circa errorem, & erroneam intentionem Miniſtri?* R. ſeqq.

§. 1. Error Miniſtri, itemque intentio inducendi novum ritum, per ſe loquendo, non invalidant Sacramentum, Suar. *d.* 2. *ſ.* 5. Lugo *d.* 2. *à n.* 113. Compt. *d.* 63. *ſ.* 3. *n.* 6. Eſcob. *l.* 8. *num.* 136. Bernal. *d.* 6. *ſ.* 3. §. 2. Dicaſt. *d.* 1. *d.* 9. & 10. Gonet. *d.* 1. *n.* 134. Gob. *in Exp. tr.* 1. *n.* 193. *Probatur, quia* Græci putant hæc omnia, *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur* eſſe de eſſentia conſecrationis panis ; & licèt hoc addant, ac fortè etiam habeant intentionem inducendi illum ritum, tamen validè conſecrant, quia volunt facere, quod Chriſtus inſtituit, & ponunt, quidquid ad eſſentiam Sacramenti requiritur : per accidens autem ſe habent talis error, & altera concomitans intentio, quæ non pugnat cum intentione generali conficiendi Sacramentum, prout hìc & nunc confici poteſt, uti pluribus firmat *Arriaga d.* 7. *n.* 10.

Objic. Zacharias Papa *n.* 36. relatus dixit Baptiſmum *in nomine Patria, & Filia & Spiritu Sancta*, ideo eſt validum, quia ſic baptizans nolebat inducere errorem, aut hæreſim, ſed procedebat ex ignoratione linguæ latinæ, ergo non fuiſſet validus, ſi voluiſſet inducere errorem. Similiter S. Th. *q.* 60. *art.* 8. *O* ait, *ſi quis intendat per hujuſmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentum.* R. Uterque vult, quòd poſſemus dubitare de valore, ſi talis miniſter voluiſſet inducere errorem, non quia hoc ipſo defuiſſet aliquid ex parte materiæ, vel formæ, ſed quia tum non poſſemus judicare adfuiſſe intentionem debitam : & ideo S. Th. ſubdit hæc formalia, *non videtur perfici Sacramentum, qui non videtur, quòd intendat facere id, quod facit Eccleſia* : & hoc ipſum dixerat *art.* 7. *ad* 3. ergo à contrario valeret, ſi intenderet facere, quod facit Eccleſia, uti ſatis apertè docet S. Th. *q.* 64. *art.* 9. Notant tamen rectè Suar. Lugo *nu.* 118. & alii, ſi diceret, *in nomine Patris, & Filia & Spiritu Sancti*, tantùm intendens inducere hunc errorem, quòd in divinis non eſſet Filius, ſed filia, vitiari Sacramentum, quia cùm *Tò filia* in illis circumſtantiis ſit æquivocum,

æquivocum, ex intentione solius falsi sensus determinaretur ad sensum oppositum veræ formæ; & hoc ordinariè fiet in tali homine, inquit Con. *q.* 60. *n.* 65. quia intenderet hoc absolutè, quod si simul haberet primariam intentionem faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia, non vitiaretur Sacramentum, quia hæc intentio prævaleret.

63 §. 2. Si Arrianus proferat rectam formam Baptismi, quamvis simul putet non debere significari æqualitatem personarum, sed Patrem esse reverà majorem Filio, dummodò hoc non exprimat, & habeat intentionem faciendi, quod Christus instituit, validè baptizat, uti expresè docet S. August. *l.* 3. *de Bapt. c.* 15. & Conc. Arelat. *Can.* 8. uti refertur etiam *Cap. de Arrianis*, 109. *de Consecr. dist.* 4. Et ratio est eadem, quia ponit totam materiam, & formam, ac per accidens se habet error internus, & intentio generalis prævalet.

Objic. Ad valorem formæ non sufficit externa prolatio, sed requiritur, ut sit locutio humana, ergo forma debet esse manifestatio conceptus interni, sed hæc verba, *In nomine Patris, & Filii*, prolata ab Arriano, non sunt vera manifestatio conceptus interni, quia Arrianus non habet nisi hunc conceptum Patris majoris, & Filii minoris, ergo. R. N. min. nam licèt habeat conceptum clarum Patris majoris, & Filii minoris, tamen simul etiam habet conceptum confusum, & implicitum Patris, & Filii æqualis, quia per intentionem prævalentem vult intelligere hoc, quod Christus intelligi voluit: Christus autem voluit intelligi Patrem, & Filium æqualem, ergo.

Inst. Arrianus in mente non habet pro objecto Personas veras sed chymericas, nam in Deo, Pater major & Filius minor, sunt chymeræ, ergo etiam voces illæ, *In nomine Patris & Filii*, non sunt repræsentativæ veri objecti. R. Non habet pro objecto clarè & explicitè cognito personas veras, c. non habet pro objecto confusè & implicitè cognito, n. ant. & cons. nam voces illæ per intentionem prævalentem determinantur ad significandum objectum confusè & implicitè cognitum, uti *n.* 38. dictum est de vocibus æquivocis.

64 §. 3. Si etiam in forma exprimatur error, non destruens sensum formæ, sed tantùm contrarius alteri veritati fidei, uti si dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te redemit &c.* non ideò invalidatur Sacramentum, dummodò intendat facere, quod Christus instituit, ita Palud. Durand. Sot. Suar. Vasq. Lug. Dicast. *n.* 138. Et ratio est eadem, quia manet sensus à Christo intentus.

Objicies. Quamvis error non sit contrarius sensui à Christo intento, tamen tota propositio fit falsa, ergo vitiatur Sacramentum, quod requirit veram formam. Resp. Tota propositio interna fit falsa, transeat, externa, *n.* Hæc propositio interna, *Hoc est corpus meum capite plexum*, est indivisibilis & indivisibiliter tendit in totum suum objectum, hinc si sit difformis uni parti objecti, dicitur simpliciter difformis objecto: eadem tamen propositio est virtualiter duplex, & ut repræsentativa hujus partis objecti sic se habentis, dici potest vera præcisivè, id est, non falsa, quamvis sit falsa positivè respectu alterius partis, & consequenter respectu objecti sui adæquati. Propositio autem externa, quæ realiter est divisibilis, divisibiliter tendit in ea objecta & divisibiliter manifestat propositionem internam, ergo potest quoad primam partem esse suo modo vera denominativè, prout est significativa judicii inadæquatè sumpti, quamvis quoad partem posteriorem sit falsa; hæc autem pars est impertinens ad formam à Christo institutam, neque destruit sensum à Christo intentum per formam, ergo non obstat valori Sacramenti, uti sine dubio validus foret Baptismus, si quis diceret, *Ego te baptizo hac aqua frigida, &c.* quamvis aqua esset calida. *Conf.* nam Symbolum Apostolorum habet omnes ferè partes connexas, & facit quodammodò unam propositionem, neque tamen ideò ab hæretico dicitur falsum, quia ipse putat hanc partem, *Communionem Sanctorum*, esse falsam; simile autem est de alia ejusmodi propositione.

Inst. Ergo nec obstaret si diceret, *hoc est corpus meum aerium.* R. N. seq. nam ibi non significatur, nec in mente intelligitur corpus verum, sed tantùm apparens, ergo propositio illa externa, etiam respectivè ad illam partem, quæ est forma à Christo instituta, non manet vera, cùm non maneat repræsentativa objecti, quod Christus voluit significari & intelligi.

§. 4. Si quis volens dicere, *Si es baptizatus, ego* 65
te non baptizo, si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. per errorem dicat, *Si es baptizatus, ego te baptizo, si non es baptizatus, ego te non baptizo*, videtur invalidari Sacramentum, cùm verba faciant sensum impossibilem, & directè excludant veritatem ac sensum formæ à Christo intentum: Neque juvat intentio, quando illi contradicunt verba externa excludentia sensum requisitum.

§. 5. Si quis omittat aliquid non essentiale, pu- 66
tans esse essentiale, non conficit Sacramentum, non ratione erroris, sed defectu intentionis, quia voluntas conficiendi Sacramentum non stat cum voluntate omittendi aliquid, quod putat esse essentiale. Si tamen haberet intentionem generalem & quasi conditionatam faciendi per verba, quidquid per illa fieri posset, hæc prævaleret & sufficeret, uti rectè Amic. *num.* 80. & Arr. *num.* 25.

§. 6. Errores alii Ministri circa ipsum Sacramen- 67
tum, rarò illud invalidant, uti rectè Lug. *d.* 8. *à n.* 118. quia nihilominus aderit intentio sufficiens & prævalebit, uti si putaveris esse aquam benedictam & erat profana; si loco vini Gallici putabas esse rhenanum; si loco unius hostiæ apposueris duas sibi cohærentes, &c. Quòd si quis putet de essentia absolutionis esse omnia hæc verba, *Absolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ideóque habeat intentionem causandi gratiam in fine omnium illorum verborum, gratia causabitur in fine verborum essentialium, uti habet communis cum Lugo & Bosco *de Pœnit. d.* 7. *s.* 3. *concl.* 2. contra Vasq. & Dicast. *de Pœn. d.* 5. *à num.* 51. quia non est in potestate hominis facere aliquid essentiale, quod tale non est, aut suspendere effectum gratiæ, posita completè ejus causa necessaria.

§. 7. Error Ministri circa personam, quæ Sacra- 68
mentum suscipit, per se loquendo, non obstat valori, nisi tantùm in Matrimonio. Ita communiter omnes cum Vasq. *d.* 138. *cap.* 7. ubi varias circa hæc refert sententias; & certissimum esse dicit Bernal. *d.* 17. *num.* 83. quia natura sex primorum Sacramentorum est, ut minister ordinariè non debeat intentionem restringere ad hunc vel illum, sed debeat intendere conferre Sacramentum petenti, cum non referat ad finem Sacramenti, sive sit Cajus sive Titius, inquit Sanch. *de Matrim. d.* 18. *num.* 12. hinc validè baptizas puerum, licèt putes esse puellam: validè absolvis mulierem, licèt putes esse virum, quia nempe intendis baptizare vel absolvere eum, qui tibi est præsens. E contrà contrahens Matrimonium determinatè intendit hanc personam, quia natura Matrimonii est, ut inducat

obligationem

obligationem ad semper vivendum cum hac persona & ad simul educandas hujus personæ proles, ergo error circa personam est circa substantiam & invalidat contractum, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 2. *à num.* 612. *Dixi* 1. per se loquendo, nam si Minister nollet conferre Sacramentum, nisi esset hic, quem esse putat, si reipsa non esset, Sacramentum foret nullum: è contrà si contrahens Matrimonium vellet contrahere cum præsente puella, sive esset Caja sive Titia, validè contraheret, quamvis erraret in persona, sed hæc essent per accidens & præter naturam talium Sacramentorum. *Dixi* 2. quod Minister in sex primis Sacramentis ordinariè non debeat restringere intentionem ad hunc vel illum, hoc enim facere sine justa causa, secundùm Vasq. Sot. Fill. & Escob. *num.* 265. foret grave sacrilegium, quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: posset tamen esse justa causa, verb. g. si Confessarius sciret Titium non esse dispositum, & prudenter timeret, ne clàm irrepsisset in confessionale, voce & habitu simulans alium, deberet absolvere sub conditione, *si non es Titius*: & idem est in similibus casibus, de quibus videri potest Bernal. *num.* 82.

Objicies. Saltem natura Sacramenti Ordinis postulat, ut Episcopus habeat intentionem restrictam ad hanc numero personam, gravissima enim incommoda nascerentur, si posset ignotus pro noto validè ordinari. R. N. assumptum, nam graviora adhuc incommoda nascerentur, si talis, qui per fraudem se ingessisset, non ordinaretur validè, quia publicè haberetur velut ordinatus, & tamen non esset, ideóque invalidè administraret Sacramenta illa, quorum valor pendet ab Ordine. *Nec obstat*, quòd Episcopi aliqui ante Ordinationem protestentur per suum Archidiaconum, suæ intentionis non esse ordinare eum, qui per fraudem se ingesserit, verb. gr. sine titulo, sine ætate, &c. *nam* protestationem illam non approbat Lugo *d.* 8. *num.* 119. & quamvis fiat, plus non debet significare, quàm Episcopum optare, ut emaneat, qui talis est; vel, uti vult Rhodes *d.* 1. *qu.* 4. *s.* 3. §. 5. tantùm significat se repulsurum, si sciret ejusmodi intrusum adesse: putantque Nav. Gob. *t.* 8. *num.* 316. & alii apud Escob. *l.* 23. *n.* 199. Episcopum mortaliter peccaturum, si ita restringeret intentionem, & nollet ordinare illum, cui aliquid deesset: è contrà Arr. *num.* 44. non audet consuetudinem illam reprobare, putat tamen certum esse, quòd hoc non obstante, Episcopus intendat ordinare illos, qui bona fide accedunt etiam cum tali defectu, nam posteà ex præscripto Pontificali absolvit omnes ab occultis impedimentis, ad effectum talis ordinationis, ergo talis protestatio fit, ut qui scit sibi deesse aliquid, hac protestatione territus abscedat; quem defectum cùm nesciat ille, qui bona fide accedit, frustra ad illum fieret illa protestatio: quidquid sit de hoc, tenent Authores communiter cum Sporer *n.* 138. talem, etiam mala fide accedentem, ordinariè loquendo, censeri debere validè ordinatum; addit Dicast. *d.* 3. *n.* 187. si esset rationabile dubium de intentione Episcopi, hunc interrogandum, & interim abstinendum à ministerio talis Ordinis, vi cujus conferendum esset aliquod Sacramentum: quod si interrogari non posset, Tamb. *l.* 7. *c.* 6. *num.* 13. meritò dicit presbyterium sub conditione reiterandum fore, propter periculum gravium damnorum, si ordinatio fuisset invalida.

69 *Q.* 15. *Quid dicendum sit, si conficiens Sacramentum habeat intentiones reipsa implicitè vel indirectè contrarias?* R. Judicandum est de valore vel nullitate Sacramenti, secundùm intentionem, quæ prævalet: illa autem prævalet, quæ magis appretiat & secundùm præsentem comparationem animi simpliciter præfert suum objectum; illa autem censetur magis appretiare, & simpliciter præferre suum objectum, quæ est absoluta seu universalior & saltem virtualiter reflexiva supra alteram, cui quasi derogat, uti optimè explicat Lugo *d.* 8. *s.* 8. quidquid in contrarium obmoveat Bernal. *d.* 17. *à n.* 76. Nec à Lugone dissentit Dicast. *d.* 3. *dub.* 8. tantùm volens majorem appretiationem illam fieri per duos actus, quod Lugo & Bosco *d.* 1. *s.* 7. *num.* 79. probabiliùs putant fieri posse per unum. Quòd si utraque intentio æqualiter appretiaret suum objectum, nec judicari posset utra prævaleat, dicendum esset Sacramentum non fieri, quia cùm utraque existat & velint fieri oppositæ, intenderetur aliquid impossibile, ergo intentio erit irrita, uti rectè Lugo *num.* 124. Dicast. *num.* 173. Esp. *qu.* 17. *art.* 2. Bernal. *nu.* 79. Palav. *nu.* 135. Si tamen una intentionum contrariarum & æqualium, habitualiter tantùm existeret, altera actu existens imperaret confectionem Sacramenti, hæc prævaleret, utpote efficacior, faciens actu operantem nomine Christi, ideóque valeret Sacramentum, uti rectè Lug. Dicast. Con. *quæst.* 64. *num.* 92. contra Bernal. *num.* 82. quod tenent Esp. *art.* 3. & Haun. *l.* 4. *num.* 715. quamvis prior habitualiter existens fuisset appretiativè major. Neque est paritas in applicatione Sacrificii, & aliis similibus, quia pro illis sufficit intentio habitualis, non autem pro conficiendis Sacramentis; secundùm dicta *num.* 56. Vide Palav. *à n.* 173. & Bosco *num.* 84. Ex dictis.

Inferuntur seqq. 1. Volens Baptizare, sed non vo- 70
lens causare gratiam, validè baptizat, quia est ita dispositus, ut vellet baptizare, si sciret per Baptismum causari gratiam, ergo intentio baptizandi prævalet.

2. Si Titius hactenus noluerit Matrimonium cum 71
Caja, & tamen liberè contrahat cum præsente, qualiscumque illa sit; si sit Caja, & ipse actu sit ita comparatus, ut nollet contrahere, si sciret esse Cajam, Matrimonium est invalidum; si autem sciens esse Cajam, vellet contrahere, erit validum. Si animo ita comparatus sit, ut si sciret esse Cajam, nesciat ipse, quid esset voliturus, neutra intentio prævalebit, ideóque non fiet Matrimonium. Putat tamen Bosco *nu.* 81. in hoc ultimo casu potiùs considerandum esse, quid alii similes homines in tali circumstantia fuissent facturi, quod enim alii fecissent, præsumitur & ipse facturus, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.

3. Si contrahentes intendant Matrimonium, 72
sed velint esse solubile, ita ut non contraherent, si scirent esse indissolubile, Matrimonium est nullum, quia de jure saltem divino est indissolubile, ut cum communi Sanch. *de Matr. l.* 2. *d.* 13. Peretz *de Matr. d.* 20. *s.* 1. & 2. Con. *d.* 26. *dub.* 6. Stalen. *p.* 2. *c.* 8. Imò Vasq. Bellarm. Bonac. & alii dicunt multi cum Dicast. *de Matr. d.* 2. *dub.* 28. hoc esse de jure naturali, etiam in Matrimoniis infidelium, ergo qui per intentionem prævalentem absolutè intendit esse solubile, reipsa non intendit Matrimonium. V. Lugo *à n.* 125. & Dicast. *dub.* 4.

4. Si baptizati intendant Matrimonium indissolu- 73
bile, sed expresse nolint Sacramentum, si faciant ideò, quia putant Matrimonium non esse Sacramentum, non oberit hic error, quia prevalebit intentio absoluta Matrimonii, Peretz *d.* 19. *s.* 10. Esp. *de Matr. q.* 114. *ad* 3. Gob. *t.* 9. *n.* 234. Si sciant Matrimonium secundùm se debere esse Sacramentum, attamen nolint nisi separatum à ratione Sacramenti, Vasq. Rebel. B. Pontius, Bonac. *de*

Matr. q. 2. p. 5. n. 4. Arr. *d.* 19. *n.* 8. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 255. Dicaſt. *n.* 204. Hurt. *de Matr. d.* 3. *diff.* 19. Stalen. *c.* 7. Gob. *n.* 229. Peretz *ſuprà* docent fore verum & indiſſolubile Matrimonium, ſed ſine ratione Sacramenti, quia licèt graviter peccetur, attamen videtur ratio contractus validi poſſe ſeparari à ratione Sacramenti, uti fit in non baptizatis. E contrà Valent. Sanch. *de Matrim. l. 2. d.* 10. Con. *d.* 24. *n.* 22. Tann. *tom.* 4. *d.* 8. *q.* 4. *n.* 85. Lugo *de Pœn. d.* 14. *n.* 42. Laym *l.* 5. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Bonæſp. *de Matrim. d.* 4. *dub.* 1. Haun. *l.* 4. *n.* 716. Eſparſ. *ſuprà*, Carden. *in 2. criſi diſſ.* 20. *n.* 77. Gorm. *d.* 5. *n.* 345. dicunt non foro verum Matrimonium ex defectu intentionis Sacramenti, quia putant rationem veri Matrimonii inter baptizatos, ex voluntate Chriſti non poſſe ſeparari à ratione Sacramenti, eò quòd Chriſtus verum Matrimonium fidelium immediatè elevarit ad rationem Sacramenti: Nam Concilia dicunt abſolutè, quòd Matrimonia fidelium ſint Sacramenta; & favet Inn. III. *Cap. Quanto, De divortiis, Etſi Matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, numquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum.* Utraque ſententia eſt probabilis, uti Authores utrimque citati fatenur.

74 *Q.* 16. *Quid dicendum ſit, ſi duo Miniſtri conficiant idem Sacramentum, & intentiones eorum ſe mutuò reſpicientes, ſibi contrarientur?* v. g. Si Titius ſit confeſſus Cajo & Sempronio, petatque ab utroque abſolvi, hi autem putent non debere abſolutè dari duas abſolutiones, ideóque Cajus ſic formet intentionem, *intendo abſolvere, ſi Sempronius non abſolvat:* è contrà Sempronius ſic formet, *intendo abſolvere, ſi Cajus non abſolvat.* R. Neutrum conficere Sacramentum, nam vel uterque conficit vel neuter, uti rectè Suar. *d.* 23. *ſ.* 3. *ad* 3. quia eſt eadem de utroque ratio, atqui uterque non conficit, ergo. *Prob. min.* Si uterque conficit, ergo conditio utriuſque purificatur, quia uterque non vult conficere, niſi ſub conditione purificanda; ſed ſi conditio utriuſque purificetur, neuter conficit, quia conditio utriuſque eſt, ut alter non conficiat, ergo ſi uterque conficit, uterque non conficit: & è contrà, ſi neuter conficit, ergo conditio utriuſque purificatur, quia conditio erat, *ſi alter non conficeret*, ſed ſi conditio utriuſque purificetur, uterque conficit, quia tum intentio utriuſque eſt abſoluta, ideóque ſufficiens, ergo ſi neuter conficit, uterque conficit: Item ſi Cajus, conficit, Sempronius non conficit, quia tum tantùm intendit conficere Cajus, ſi Sempronius non conficiat, ſed ſi Sempronius non conficit, Cajus etiam non conficit, cùm ſit eadem de utroque ratio, ergo ſi Cajus conficit, Cajus non conficit; & idem eſt de Sempronio. Itaque quidquid dicas, ſequitur utraque pars contradictions, ergo uterque habet intentionem nullam ut pote trahentem contradictoria. Similiter ſi Cajus diceret, *intendo, ſi Sempronius intendat;* & 75 Sempronius diceret, *intendo, ſi Cajus non intendat*, utriuſque intentio eſſet nulla, quia utriuſque intentio etiam eſt mediatè reflexiva ſupra ſeipſam, & ſe ponendo ſe deſtruit, quia habet mediatè pro conditione negationem ſui, nam intentio Caii habet pro conditione intentionem Sempronii, quæ pro conditione habet negationem intentionis Caii: ergo intentio Caii habet mediatè pro conditione negationem ſui: è contrà intentio Sempronii habet pro conditione negationem intentionis Caii, quæ tamen intentio Caii valet, ſi valeat intentio Sempronii, ergo ſi intentio Sempronii valeat, intentio Sempronii non valet, quia pro conditione habet, ſi non valeat intentio Caii. Denique ſi Cajus diceret, *intendo, ſi Sempronius intendit*; & Sem- 76 pronius viciſſim, *intendo ſi Cajus intendit*, ſi ſint ſtrictè conditionales, neutra valet, quia reipſa dicunt, *intendo, ſi intendo*, quod non eſt ſimpliciter intendere; ergo ut valeant, Tò *ſi* non debet ſignificare conditionem ſtrictè dictam: cujus ratio ulterior eſt, quia conditio debet eſſe natura prior conditionato, non poteſt autem neque res eadem ſeipſa, neque duæ res pro eodem ſigno eſſe mutuò natura priores. Itaque ut valeat utraque intentio & ab utroque conficiatur Sacramentum, debet uterque intendere conficere Sacramentum, vel abſolutè, ſine reſpectu ad invicem; vel quaſi conditionatè, veluti dicendo, *volo conficere, quia tu etiam conficis*; vel ſub conditione, ſi alter priùs non confecerit & hoc poſteriore modo debent formare intentionem Neo-presbyteri conſecrantes eamdem hoſtiam cum Epiſcopo, Suar. Dicaſt. *de Bapt. d.* 1. *num* 157.

Q. 17. *Quid fieret, ſi baptizans cum baptizando* 77 *replicaretur Coloniæ & Leodii, Coloniæ autem baptizaret cum debita intentione, ſed Leodii cum nulla intentione vel cum inſufficiente?* R. Suppoſito caſu, Baptiſmus Coloniæ factus eſſet validus, Leodii autem factus eſſet invalidus; unde homo ille abſolutè eſſet baptizatus, & acciperet gratiam, ut rectè Bernal *n.* 80.

Q. 18. *Quid præterea ſit addendum circa intentionem conditionatam?* 78 R. Seqq.

§. 1. Conditiones poſſunt eſſe intrinſecæ vel extrinſecæ Sacramento: tum ſunt intrinſecæ, ſi ex natura rei inſint: ſuntque illa omnia, quæ requirit valor Sacramenti, tam ex parte ſuſcipientis quàm conficientis, & hæ conditiones imbibuntur in intentione: qui enim alicui confert Sacramentum, intendit conferre, ſi alter ſit capax, ſi ipſe poteſtatem habeat &c. Hinc foret otioſum & peccatum veniale tales conditiones ſine juſta cauſa addere: ſi tamen eſſet prudens dubium, v. g. an moribundus ſincerè doleat, addi deberet, *abſolvo te, ſi capax es, ſi doles*, &c. Conditiones extrinſecæ ſunt, ſine quibus Sacramentum poſſet confici; & de his maximè valent, quæ habet Buſemb. *n.* 47 relatus, & quæ jam addemus.

§. 2. Valet intentio ſub conditione præſente vel 79 præterita, dummodò purificata, quamvis Miniſter hoc ignoret, uti habet communis cum Averſa *de pœn. q.* 12. *ſ.* 4. contra Eſparſ. *q.* 16. *a.* 5. Palav. *n.* 125. Maurus *q.* 79. *n.* 5. Ratio eſt 1. quia talis intentio eſt reipſa abſoluta, cùm conditio poſita eam abſolvat. 2. Aliàs non valeret conſecratio, ſi Sacerdos latinus conſecraret ſub conditione, ſi panis non eſt fermentatus, hoc enim ignorat: aut ſi baptiſa- res adultum, ſub conditione, ſi eſt attritus &c. quia hoc neſcis; poteſtque fallere aut falli, licèt dicat.

§. 3. Quamvis contractui Matrimonii apponi poſ- 80 ſint conditiones de futuro, tamen talis contractus non habet rationem Sacramenti ante purificationem omnium conditionum, ſed potiùs habet ſe per modum ſponſaliorum, uti cum aliis plurimis tenent Arriag. *de Pœn. d.* 50. *à n.* 1. & Dicaſt. *hìc d.* 3. *n.* 155.

§. 4. Si conditio adjecta intentioni cujuſcumque 81 Sacramenti, ſit de futuro neceſſario, v. g. *te abſolvo, ſi Sol cras orietur*, putant multi cum Dicaſt. *n.* 144. cenſeri eſſe de præſenti, quia ſecundùm ſenſum vulgarem ſignificat, *ſi nunc ſit neceſſario verum dicere, quòd Sol cras orietur.* Idem tenet Eſp. *art.* 6. & Palav. *n.* 119. ſi diceret, *abſolvo te, ſi Anti-Chriſtus ſeducet multos*, quia putant ſenſum eſſe, *ſi nunc certum ſit, quòd Anti-Chriſtus ſeducet multos*, quæ

de

de præsenti vera & certa sunt, sitque hic sensus assertionis, tam certò te absolvo, quàm certum est Solem cras oriturum, & Anti-Christum seducturum multos. Similiter si diceret, *Absolvo te, si Deus cognoscit, quod cras restitues*, docent valdè probabiliter Compt. *d.* 63. *s.* 4. *n.* 4. Bernal. *n.* 71. Herincx *d.* 3. *n.* 38. *& alii*, contra Con. Averſ. *hic q.* 64. *s.* 3. Dicaſt. *n.* 166. *& alios*, conditionem esse de præsenti, ideóque Arr. *n.* 37. dicit se non dubitare de valore, quamvis Suar. *d.* 13. *s.* 3. subdubitet: Ratio illorum est, quia quamvis objectum illius scientiæ sit futurum, ipsa tamen scientia, quæ est conditio, est omninò præsens, ergo sicuti hæc conditio, si Deus videt te restituisse, est de præsenti, quamvis objectum sit præteritum, ita illa erit conditio de præsenti quamvis objectum sit futurum: Imò Arr. Herincx, Bernal *n.* 100. Haun *l.* 4. *n.* 700. dicunt valiturum sub conditione, *si restitues*, si non habeat sensum suspensivum, sed intendat conficere sub conditione præsentis veritatis, quòd restituet, si enim reverà futurum est, ut restituat, jam datur suo modo veritas illius propositionis, *ipse restituet*, ergo conditio est impleta: esset tamen graviter illicitum conferre sub ejusmodi conditionibus, quia opiniones oppositæ non carent probabilitate.

82 §. 5. Si absque gravi causa intentioni Sacramenti addatur conditio extrinseca, Suar. Henriq. Escob. *n.* 262. Averſ. *s.* 3. & alii communiter cum *Busemb.* dicunt esse mortale; quod Esp. *art.* 7. dicit esse certum, sed Dicaſt. *n.* 160. putat, si opponatur conditio, quæ certò existat, v. g. *absolvo te, si Christus mortuus est pro nobis*, fore tantùm veniale, quod probabile est.

83 §. 6. Quando conditio apponi debet, *Caram.* putat ore exprimendam esse, & omninò consultius est: hinc Haun. *n.* 711. dicit, regulariter loquendo, fore peccatum, si mente retineatur: è contrà J. Sanch. Castrop. Arr. *de Pœn. d.* 31. *n.* 39. Gorm. *n.* 220. Gob. *tr.* 7. *n.* 271. absolutè dicunt non esse opus ore exprimere, quod Escob. *l.* 15. *n.* 230. dicit esse certum, & in eo convenire Doctores dicit Moya *T.* 1. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 4. *n* 4. Addit Gob. *n.* 272. nequidem opus esse habere explicitè & formaliter in mente, sed sufficere, si implicitè, & virtualiter, qualiter habet, qui voluit audire Confessiones secundùm institutionem Christi vel intentionem Ecclesiæ; hinc notat Bosco *d.* 7. *s.* 3. *n.* 135. aliquos putare, quod satis sit anteà sic formare intentionem, *volo omnes, & solos absolvere, qui erunt legitimè dispositi*: hinc *Moya* etiam dicit se non damnaturum de mortali illum, qui nequidem mente expresè conciperet conditionem, quia certum est semper adesse conditionem implicitam, cùm nemo intendat conferre Sacramentum, nisi prout potest & debet. Quidquid sit de hoc, Con. Less. Bardi, Dicaſt. *de Bapt. d.* 1. *n.* 183. Schild. *de Consec. t.* 6. *c.* 1. *n.* 4. Bernal. *n.* 71. aliique communiter, absolutè dicunt non esse de valore, ut conditio ore exprimatur, sed per conditionem in mente retentam sufficienter restringi verba, cùm opera non possint ultrà intentionem loquentis: unde si v. g. prævideretur offensio suscipientis Sacramentum, si conditio ore exprimeretur, satis esset mente retinere.

Objic. Potest, 1. Si conditio non exprimatur, verba erunt absoluta, ergo discordabunt à mente, quæ est conditionata, ergo sic loquens mentietur. 2. Si conditio exprimatur, verba illa erunt pars formæ, ergo forma à Christo instituta substantialiter mutabitur. R. *Ad* 1. Verba esse absoluta respectu intentionis significandæ, quia absolutè significant intentionem, præscindendo an hæc sit absoluta an conditionata; patetque hoc, nam semper consignificant conditiones intrinsecè imbibitas; nec ideò discordant à mente aut sunt mendacium, quia qui præscindit, non mentitur, probatque rectè Haun. *à n.* 780. in communi modo loquendi etiam divino solere sæpè omitti conditiones, etiam extraneas, quamvis in mente retineantur, sic enim Deus dixit, *subvertite Ninive* & pater sæpè dicit filio *puniam te*, subintelligendo, *si non ostenderis pœnitentiam vel emendationem. Ad* 2. Verba illa, quibus significatur conditio, non sunt pars formæ, sed forma adæquata sunt verba, secundùm se absoluta, à Christo instituta seu ab Ecclesia determinata, quorum sensum à Christo intentum non immutat conditio significans intentionem Sacramento hìc, & nunc necessariam secundùm voluntatem Christi.

Q. 19. *Quid addendum sit circa attentionem in Ministro requisitam?* 84 R. Quid & quotuplex sit attentio, dixi *lib.* 4. *à nn.* 1332. quæ recolenda sunt. Hìc adde seqq.

§. 1. Ad valorem Sacramenti requiritur attentio interna Minstri, sive advertentia, & applicatio aliqua animi ad hoc, quod facit; alioquin confectio Sacramenti non esset actio humana, nec posset dici facta in nomine aut persona Christi, quod tamen requiritur, secundùm dicta n. 54. Et ad hoc sufficit attentio virtualis, uti colligitur ex dictis n. 58.

Objicies. Ad valorem contractus requiritur plena deliberatio, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 2. *n.* 650. quia nempe contractus est actus humanus, & cùm sit res majoris momenti, fieri debet à toto homine, ergo multò magis requiritur ad valorem Sacramenti, quia Minister operatur in nomine aut persona Christi, & quidem circa rem maximi momenti, necessariam ad salutem, ergo ubi est distractio, & semiplena tantùm advertentia, qualem patitur attentio tantùm virtualis, Sacramentum est *invalidum*. R. Sicuti ad contractum sufficit præcessisse plenam advertentiam formalem, quæ maneat virtualiter, quando fit contractus, ita etiam ad Sacramentum: cùm quo stat, quòd quando actu ponitur contractus vel Sacramentum possit esse distractio, quia adhuc manent plenè deliberata ratione plenæ deliberationis virtualiter remanentis. *Hinc*

§. 2. *Infertur* 1. Vix fieri posse, ut Sacramentum 85 per distractionem reddatur invalidum, nisi esset distractio omnimoda vel planè extasis aut raptus. 2. Esse peccatum veniale irreverentiæ, si quis in conficiendis Sacramentis distrahatur voluntariè, uti cum communi Gob. *in Exper. t.* 2. *n.* 202. Quòd si esset periculum errandi in formis præsertim longioribus, aut applicatione debitæ materiæ, posset esse mortale, ut idem notat *tract.* 1. *num.* 97. Imò Tamb. *hìc lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *num.* 4. dicit eum peccaturum mortaliter, qui voluntariè distraheretur in consecratione Eucharistiæ, quia putant esse gravem irreverentiam, si quis in Sacrificio, quo profitetur Deum esse summè venerandum, cum illo ita irreverenter se gerat, uti clarius se explicat *de Sacrif. l.* 2. *c.* 3. *n.* 9.

DUBIUM I.

Quid requiratur in Ministro, ut licitè ministret.

RESP. 1. Præter ea, quæ ad valorem requiruntur, 86
requiritur probitas, *sive* ut sit in gratia, tum
quia Christo, cujus est *Minister*, debet se confor-
mare, tum quia *sancta sanctè* sunt tractanda; tum
quia ad hoc quidam *singulariter* ordinantur; &
gratia peculiari *donantur*, ac proinde hoc curare
præ aliis sunt *obligati*. Ita Laym. *l. c. & com. Unde*
resolves.

1. Peccat graviter, qui conficit Sacramenta, non

„ habens sufficientem jurisdictionem, vel de ea ra-
„ tionabiliter dubitans, vel qui censura est prohi-
„ bitus.

„ II. Non *licet* Sacerdoti administrare Sacramen-
„ ta, cum attritione cognita, quia adhuc est extrà
„ statum gratiæ. Bon. *t.* 1. *de Sacrif. q.* 3. *p.* 2.
„ §. 1.

„ III. Non tamen necessariò præmittit confessio-
„ nem, (nisi velit celebrare,) etsi sit consultius,
„ quia de hoc nullum est præceptum: & ad delen-
„ dum mortale sufficit contritio. Vasq. *d.* 136. *c.* 1.
„ Card. de Lug. *d.* 8. *c.* 9.

„ IV. Minister Sacramenti ad id ordinatus, si con-
„ ficiat, & minstret solemniter in mortali, v. g. si
„ baptizet vel celebret, peccat mortaliter toties
„ quoties: (quod etiam verum esse volunt Sayr. Le-
„ desm. & Bon. Gran. *cont.* 3. *t.* 5. *d.* 5. de Diacono
„ ex speciali commissione baptizante) nisi fortè pe-
„ riculum sit in mora, nec possit tam citò confiteri,
„ aut conteri: eo ergo casu baptizare, vel etiam
„ absolvere moribundum in statu peccati, non esse
„ irreverentiam docet Lug. *n.* 151.

„ Dixi I. *ad id ordinatus*: etsi enim laicus in ne-
„ cessitate baptizet cum conscientia peccati morta-
„ lis, non peccare mortaliter docet Kon. *l. c.* Fill.
„ *tom.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *q.* 10. ex Suar. & 6.

„ Dixi II. *solemniter*: nam si sine solemnitate bap-
„ tizet excusat à mortali, Suar. Kon. Fill. *l. c.*

„ Alii, qui conficiunt & ministrant, non pec-
„ cant mortaliter, v. g. cùm laici in necessitate bap-
„ tizant, vel ministrant, sibi invicem Matrimo-
„ nium in mortali. Ita contra *Sylv. Vasq.* & alios, do-
„ cet *Suar.* cum aliis; qui tamen vult eos peccare
„ mortaliter, quatenus hoc in mortali suscipiunt.
„ Ita etiam Fill. Fern. Sanch. Kon. *quæst.* 64. *a.* 6.
„ *dub.* 1.

„ VI. Qui ministrat, etsi non conficiat Euchari-
„ tiam, in mortali, peccat mortaliter, ut habet
„ communis, *Suar. Fill. Laym. Bonn.* & aliorum,
„ contra *Vasq.* cujus sententiam *Diana* rectè notat
„ esse probabilem, sive sit Sacerdos sive Diaconus,
„ ut *v. p.* 3. *t.* 4. *R.* 195. Idem docet Lug. *n.* 155.
„ Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi,
„ quot communicantur; quod minus videtur proba-
„ bile, cùm moraliter non sit nisi una distributio &
„ una indigna administratio. Ita Tann. 2. 2. Henr.
„ Fill. *n.* 87. *&c.* contra *Kon. & Bon.*

„ VII. Et si probabile sit, quod docet Sylv. Caj.
„ Fill. *c.* 6. *n.* 87. *Nav. & Sa V. Ordo*, Diaconum,
„ & Subdiaconum, si cum mortali in ordine suo mi-
„ nistret; Item Sacerdotem, & Episcopum, si sa-
„ cramentalia exerceat: nuptias, aquam benedi-
„ cat, altaria, templa, vasa consecret, concio-
„ netur; Eucharistiam de loco ad locum transferat,
„ peccare mortaliter: Contrarium tamen videtur
„ verius, ut Suar. Vasq. Laym. Kon. *dub.* 1. Lug. *l. c.*
„ *Ratio*, quia hæ actiones non tendunt proximè
„ ad *sanctificationem* animæ ex opere operato, si-
„ cut *actiones* sacramentales.

„ VIII. Non videtur vera esse sententia, quæ do-
„ cet esse mortale tangere in mortali corporalia, ca-
„ lices, reliquias, &c. Sayr. Suar. Bon. *d.* 1. *q.*
„ 3. *p.* 2. Quòd si quis in mortali, (etiam laicus
„ in necessitate) elevet de terra Eucharistiam, non
„ videtur aliud agere, quàm si Christum in hac vi-
„ ta lapsum elevasset; secus tamen, si quis id ex-
„ trà necessitatem temerè præsumat, exemplo Ozæ
„ Bonac. *n.* 12.

„ Resp. II. Requiritur præterea, ut exhibeat ac
„ curet, non tantùm, quæ ad substantiam Sacra-
„ menti sunt necessaria, sed etiam quæ ad decorem,
„ sive ex natura rei sive ex præcepto Ecclesiæ, spec-
tant. Ratio prioris, quia alioqui Sacramenta de- „
honestat & tractat indignè. Ratio posterioris quia „
Sacramenta sanctè sunt tractanda; & præcepta Ec- „
clesiæ obligant in conscientia. *Unde resolves.* „

I. Peccat ministrans mortaliter, si utatur mate- „
ria, vel forma falsa, vel (extrà necessitatem) „
dubia. Bon. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 32. 2. Si omittat intentio- „
nem requisitam. Quòd si verò dubium oriatur, & „
non tantùm inanis scrupulus, (is enim rejici de- „
bet) an forma fuerit legitima; vel an legitimè „
& integrè prolata; tunc etsi speculativè probabi- „
le sit formam esse legitimam; in praxi tamen ite- „
randa erit sub conditione: quia tutius hìc eli- „
gendum est. „

II. Peccat quoque (graviter vel leviter, pro „
gravitate materiæ) 1. qui verba formæ corruptè, „
inarticulatè, indevotè pronuntiat. 2. qui mate- „
riam, vel formam, vel cæremonias contra Eccle- „
siæ morem, quamvis accidentaliter, sine causa „
mutat, vel omittit. Quòd si fiat ex contemptu, „
est mortale; si ex negligentia, sæpè est mortale, „
quando ea magna est, & in re gravi. V. *infrà c.* „
4. *d.* 5. „

III. Peccat graviter, qui ministrat Sacramen- „
tum publico peccatori vel aliter indigno, nisi in- „
dignitas sciatur ex Confessione, vel sit occulta in- „
dignitas, & ex negatione sequeretur infamia; „
ut patet ex praxi Ecclesiæ, & Christi, qui Judæ „
Eucharistiam dedit. Gravius peccaret, qui, ne „
daret indigno, porrigeret ei hostiam non conse- „
cratam, etsi sic cum eo convenisset: aut qui non „
audens indignè celebrare, simularet Missam, ele- „
vans hostiam non consecratam: quia, quantum „
est ex se, dat occasionem idololatriæ. V. Bonac. *q.* „
6. *p.* 4. *Suar. Kon. &c. Scholast.*

ADDENDA.

87 *Quæst.* 20. *An omnes, qui possunt validè, etiam possint licitè ministrare Sacramenta?* R. Negativè, quia aliud postulabat rectum regimen Ecclesiæ, & ideò etiam à Christo instituti sunt diversi Ordines Ministrorum. Itaque universim, 1. Soli Sacerdotes licitè ministrant Sacramenta, excepto Matrimonio: si autem absit Sacerdos, licitè Baptismum in necessitate ministrat quivis, servato tamen ordine inter præsentes, uti *n.* 271. & 277. dicetur. 2. Non omnes Sacerdotes licitè ministrant Sacramenta quibuscumque, sed tantùm illis, in quos jurisdictionem aliquam habent, vel ordinariam vel delegatam; uti etiam suis locis dicetur, potestque Aversa *q.* 64. *s.* 2. & 6. videri. 3. Ut Minister licitè agat, debet observare cæremonias aliaque ab Ecclesia præscripta pro administratione Sacramentorum. 4. Conficiens Sacramentum debet carere censura, & impedimento Canonico. Item debet esse in gratia.

88 *Q.* 21. *Quandonam Minister Sacramenti reneatur esse in gratia?* R. Probabilius cum Marchant. & Gob. *in Exper. t.* 2. *n.* 150. ad vitandum mortale sufficere, si sit in gratia ante consummatum actum essentialem Sacramenti, uti declarabitur n. 97. & 102. prius enim non est Sacramentum, nec causatur gratia.

89 *Q.* 22. *An excommunicatus vel hæreticus aliquando licitè ministret Sacramenta?* R. De hoc dicetur à n. 209.

90 *Q.* 23. *An per Sacramentum causetur major gratia, si Minister sit dignior seu in majore gratia?* R. Negativè, quantum est ex vi Sacramenti, sive ex opere operato. Rectè tamen docet *Caj.* contra Mendo *diff.* 9. *n.* 10. quòd possit Minister dignior opere vel oratione sua mereri aut impetrare suscipienti majores gratias; sed hoc per accidens se habet ad Sacramentum.

91 *Q.* 24. *Quomodo peccet, qui Sacramentum conficit vel miniſtrat in mortali?* R.

§. 1. Probabilius videtur omnem illum, per ſe loquendo, peccare mortaliter, qui Sacramentum conficit in mortali. Ita S. Thom. *q.* 64. *a.* 6. *O.* Catech. Romanus *de Sacram. ca.p* 5. *num.* 2. Nav. Carthag. Dur. Angel. Hurt. B. Pontius, Vaſq. *d.* 136. *cap.* 3. Lugo *d.* 8. *à n.* 146. Arr. *d.* 20. *num.* 4. Amic. *d.* 9. *num.* 5. J. Pontius *d.* 4. *q.* 9. *concl.* 1. Caſtrop. *t.* 18. *d.* 1. *p.* 5. *num.* 11. Rhod. *d.* 1. *quæſt.* 4. *ſ.* 4. §. 2. Bernal. *d.* 17. *ſ.* 6. §. 2. Gob. *in Exper. t.* 1. *num.* 55. Boſco *d.* 1. *ſ.* 7. *concl.* 11. Gorm. *à n.* 141. Sed hanc ſententiam non omnes eodem modo admittunt: nam *Crous*, *Vidal.* & alii apud Moyam *tom.* 1. *t.* 4. *q.* 1. §. 1. dicunt probabile eſſe, quod non ſit mortale, à quocumque conficiatur; ſed hanc opinionem improbabilem cenſent Ledeſm. Turr. Leand. Diana *p.* 10. *t.* 16. *R.* 28. Eſſe autem mortale in illo, qui ad conficiendum tale Sacramentum ſpecialiter ordinatus eſt; in alio verò, qui ad hoc ordinatus non eſt, eſſe veniale tantùm, docent Cajet. Suarez Valent. Con. Bonacina, Præpoſ. Sanch. Tann. Averſ. *q.* 64. *ſ.* 4. *&* *q.* 67. *ſ.* 2. §. *Septimo*, Eſcob. *l.* 8. *num.* 223. 237. Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 10. Herincx. *d.* 3. *n.* 47. Gonet *d.* 6. *art.* 4. Maurus *q.* 81. Platel. *nu.* 72. Illſ. *n.* 39. Sporer *num.* 171. ad quos poſt multa tandem relabitur Dicaſt. *d.* 3. *n.* 228. & favet Eſparſa *quæſt.* 18. *art.* 4. Alii addunt, quamvis ordinatus ſit ad hoc, ſi tamen non faciat ſolemniter, fore veniale tantùm. Denique aliqui Scotiſtæ, & Canoniſtæ, teſte Gorm. *num.* 141. *&* 151. putant nequidem fore veniale, ſi Miniſter non ſit ad hoc ordinatus nec faciat ſolemniter. Sed concluſio noſtra *Probatur* 1. univerſaliter authoritate SS. PP. apud Suarez *d.* 16. *ſ.* 3. Vaſq. *cap.* 1. Dicaſt. *num.* 249. qui abſolutè id aſſerunt de Miniſtro indigno, nec diſtinguunt inter ordinatum, & non ordinatum, ſolemniter & non ſolemniter miniſtrantem. Et quamvis tantùm in genere dicant peccari, ſatis innuunt eſſe mortale, cùm materia ſit graviſſima: Habeturque ſaltem de Miniſtro ordinato ſatis expreſsè *Cap. ult. De tempore Ordin. & cap. ult. De cohab. Cleric.* Et ratio generalis eſt, quia talis Miniſter agit nomine Chriſti: ponitque actionem, quæ principaliter eſt Chriſti, ponitque eam velut in perſona Chriſti, uti *num.* 53. dictum eſt: item phyſicè, & immediatè per ſuam actionem influit in Sacramentum, & per hoc cooperatur Deo in ſanctificatione animarum ac productione gratiæ; hæc autem facere in ſtatu ſummæ impuritatis, & inimicitiæ divinæ videtur importare gravem irreverentiam erga res ſacras, & Deum ipſum, cùm ſe peſſimè difformet à dignitate rei peragendæ, & à Sanctitate illius, cui cooperatur, ergo. *Conf.* nam ad miniſteria ſacra antiquæ legis ſub interminatione mortis requirebatur ſpecialis munditia, uti conſtat ex Levit. 22. & Exodi 19. ergo multò magis ad ſacratiſſima myſteria novæ legis. *Probatur* 2. ſpecialiter contrà *Cajet.* & alios, quia ſi ab Ordinatione vel à gratiis ſpecialiter datis ad hoc, ut ea munia bene obeantur, deberet peti obligatio non obeundi illa in mortali, ſequitur graviter peccaturum Sacerdotem, quoties in mortali tangeret ſacram hoſtiam; item Diaconum, qui ſolemniter caneret Evangelium; item Oſtiarium, qui ex officio aperiret valvas Eccleſiæ; imò & Confirmatum, qui coram tyranno profiteretur fidem, aut etiam conjugatum, qui in mortali haberet actum conjugalem, nam per Sacramenta ſpecialiter ſunt ſuo modo deputati ad ea peragenda, & gratias acceperunt ad ea ritè obeunda; hæc autem non admittuntur à pleriſque Adverſariis. *Si dicas* cum *Suar.* prætereà requiri, ut opus peragendum ſit ſecundùm ſe valdè dignum. *Contrà* eſt, quia opus illud eſt æquè dignum, ſive fiat ab ordinato ad illud ſive à non ordinato, imò eſt ſecundùm ſe quid indignius, ſi fiat à non ordinato, utpote ſecundùm ſe minus digno. Hinc Bernal. *num.* 101. rectè notat, ſi Sacerdos & laicus in mortali, extrà neceſſitatem eſſet baptizaturus, minus indecens fore, ſi Sacerdos baptizaret, quia cum conſecratus ſit, diſpoſitione excedit laïcum, ergo ex majori dignitate perſonæ ordinatæ colligi non debet gravitas irreverentiæ.

Dixi, per ſe loquendo, nam ſi adſit neceſſitas, 92
v. g. abſolvendi moribundum, nullum eſt peccatum, uti habet S. Th. ad 3. cum. communi, teſte Dicaſt. *n.* 214. quam omnes meritò admittunt, inquit *Eſparſa* ſuprà, imò peccaret, ſi non abſolveret, jus enim divinum, & charitas magis obligat ad procurandam ſalutem proximi, quàm ad attendendam reverentiam Sacramenti, contra quam non agitur in ea neceſſitate; ſicut, inquit *Dicaſt.* irreverentia, eſt, per ſe loquendo, ſi famulus tecto capite tranſeat Dominum, attamen ſi videat Filium Domini ſubmergendum, niſi tecto capite procurrat ad eripiendum à naufragio Filium Domini, nullam in hunc committit irreverentiam, ſed culpandus eſſet, ſi non ita faceret. Addit Moja *n.* 2. ſi Confeſſarius non poſſit, ſe tam citò diſponere ad contritionem, & differendo abſolutionem incurreret gravem notam vel infamiam, etiam poſſe in mortali abſolvere, eò quòd hæc neceſſitas etiam videatur eum excuſare. Ex dictis *n.* 91.

Colliges, mortaliter peccare, 1. baptizantem in 93
mortali, quamvis laïcus ſit.

2. Sacerdotem, ſi conſecret in mortali: quòd ſi inſuper in mortali communicet, eſt aliud ſpecie peccatum, quod evitaſſet, ſi ante communionem elicuiſſet contritionem: tumque pro Confeſſione ſatisfeciſſet, dicendo, conſecravi in mortali, nunc autem dicere debet, conſecravi & communicavi, vel uno verbo, celebravi in mortali. Quòd ſi poſt conſecrationem incidiſſet in mortale, & in eo ſibi ipſi dediſſet Communionem, contraxiſſet peccatum ſpecie diverſum à peccato illius, cui ab altero daretur Communio, eſt enim diverſa malitia indignè miniſtrare, & indignè ſuſcipere Euchariſtiam, uti rectè Lugo *à n.* 202. Averſ. *ſ.* 10. Dicaſt. *de Euch. d.* 9. *n.* 136. Unde conſecrans & poſteà ſeipſum communicans in mortali, quadruplicem ſpecie malitiam contrahit, nempè quia Euchariſtiam in mortali, 1. conficit. 2. miniſtrat. 3. miniſtrat indigno. 4. ſuſcipit indignus: quæ omnes malitiæ intelliguntur, ſi dicat celebravi Miſſam in peccato mortali. An autem ſecunda malitia, quia indignus miniſtrat, ſit mortalis, dicetur *n.* 94.

3. Confeſſarium, ſi abſolvat in mortali: & ſecundùm dicta *l.* 5. *n.* 171. quamvis continuatè Confeſſiones audiat, toties peccat, quoties aliquem abſolvit.

4. Epiſcopum, ſi in mortali conſecret alium Epiſcopum vel conferat Ordines minores, ſuppoſito, quòd Epiſcopatus & Minores ſint Sacramentum, quod de Epiſcopatu docent plurimi cum Dicaſt. *de Ord. dub.* 3. *&* 6. putatque Bernal. *d.* 46. *num.* 32. eſſe vel de fide vel Theologicè certiſſimum: de Minoribus autem, eſt etiam omninò communis ſententia cum Dicaſt. *dub.* 8. & Bernal. *num.* 38.

5. Contrahentem Matrimonium in mortali, non tantùm prout eſt ſuſcipiens, ſecundùm dicenda *n.* 196. ſed etiam prout eſt miniſtrans, quidquid repugnent multi cum Rhodes, & Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 199. Eſtque hoc verum, quamvis per Procurato-

rem

rem contrahat: utrumque tamen peccatum sufficienter explicat, dicendo, se in mortali contraxisse Matrimonium, quia suscipiendo ministrat & ministrando suscipit.

6. Nec satis est ad vitandum mortale, si tales Ministri eliciant pium motum cordis, quo deponant voluntatem peccandi, sed tenentur prius saltem conteri perfectè, uti certum videtur contra Marchant. *in Trib. T. 1. t. 5. qu. 2.* nam aliàs conficiunt Sacramentum in mortali: & siquidem communicare debeant, præmitti debet Confessio, uti dicetur n. 511.

94 §. 2. Probabile est non esse mortale Eucharistiam jam confectam distribuere, aut alia similia peragere in mortali. Ita docent tanquam probabilius Vasq. *d. 136. num. 39.* Lugo *d. 8. n. 155.* Amic. *d. 9. n. 8.* Bernal. *d. 17. § 3.* Sporer *num. 172.* Illsf. *n. 43.* aliique multi cum Diana *p. 2. t. 14. R. 23.* & Aversf. *de Euch. q. 10. s. 5. §. Quintò.* Et probabile esse fatentur Dicast. *d. 3. nu. 232.* Bosco *n. 171.* Valdè probabile esse dicit Arr. *d. 20. nu. 5.* Oppositum tamen etiam probabiliter tenent Suar. Valent. Con. Bonac. Fill. Sayr. Villa. Regin. Gonet. *num. 109.* Herincx. *d. 3. num. 50.* Platel. *nu. 37.* & alii quorum multi dicunt toties peccari mortaliter, quot homines etiam continuatè communicantur; idque videntur dicere consequenter, uti insinuavi *l. 5. n. 172.* Sed ratio nostra est, quia distribuens non conficit Sacramentum, nec aliquid agit nomine aut in persona Christi, nec immediatè cooperatur Deo in causanda gratia, sed tantùm quodammodò applicat activa passivis, & operatur aliquid remotè se habens ad productionem gratiæ; ergo non appareret, unde refundatur gravis irreverentia. *Conf.* nam Christus non requisivit, ut distribuens sit persona sacra; quia olim in Ecclesia laici dabant Communionem sibi & aliis, ferebantque domum ad eum finem: & quamvis requiratur, ut ordinarius Minister sit persona sacra, hoc non est ratione distributionis, sed quia ordinarius Minister distributionis, est ille idem, qui conficit, nempe Sacerdos. Deinde, sicuti qui in mortali Eucharistiam loco movet vel gestat, vel cum ea benedicit populo, secundùm plerosque Adversarios non ideò peccat mortaliter, ita nec si admoveat ori communicantis.

95 *Dixi*; non esse mortale, nam est veniale, uti notant *Dicast.* & alii passim, ac satis constat ex *cap. ult. causa 1. q. 8.* ubi Nicolaus Papa expressè dicit talem *se ladere, & sibi nocere*: Similiter S. Aug. *T. 7. l. 2. contra Epist. Parmen. c. 10.* dicit omnia Sacramenta obesse indignè tractantibus, ergo peccant saltem venialiter. Ex dictis

96 *Infertur 1.* cum Rhod. Aversf. Bernal. *s. 7.* Herincx *à num. 50.* aliisque multis Ministrum Ecclesiæ non peccare mortaliter, quamvis in mortali obeat quascumque alias functiones sacras, quibus non conficitur Sacramentum: unde non peccat mortaliter, 1. Episcopus in mortali consecrans chrisma, quidquid contradicant Lugo *num. 156.* & Gonet *nu. 111.* Multò minus consecrans calices, &c. uti fatetur Gonet: imò nec conferens primam Tonsuram, cum hæc non sit Sacramentum, uti habet communissima cum Dicast. *de Ordine num. 18.* ubi probat nequidem esse propriè Ordinem. Neque mortaliter peccat Episcopus assistens Episcopo consecranti alium Episcopum, cum assistendo non conficiat Sacramentum. 2. Nec.

97 Sacerdos solemniter benedicens nuptias, salem, aquam, &c. imò nec legens Missam, etiam per Canonem, dummodò ante consecrationem conteratur, uti habet communior contra *Sylv. Med.* & alios apud Aversam *hic q. 64. s. 4.*

3. Nec Diaconus aut Subdiaconus solemniter mi- 98
nistrantes, quamvis etiam ex consuetudine id sæpiùs faciant, uti rectè Vasq. Con. & Dicast. *n. 118.* contra *Fill.* & alios: nam dato, quòd singuli actus sint aliqua irreverentia, tamen cum moraliter sint omninò divisi, non coalescunt in ordine ad constituendam unam irreverentiam gravem.

Infertur 2. cum Lugo *n. 152.* Bernal. §. 3. Arr. 99
num. 14 contra Vasq. *cap. 4.* eos peccare venialiter, qui in mortali obeunt munia soli sacro Ordini annexa, quia videtur esse aliqua irreverentia, si absque sanctitate obeant illa, quæ Ordinem sacrum specialiter requirunt, uti si Episcopus solemniter benedicat populo, Si Sacerdos solemniter benedicat nuptias, si Subdiaconus vel Diaconus solemniter ministret in Missa, &c. Quòd si functiones annexæ non sint Ordini sacro, uti si Parochus, aut cum ejus licentia Sacerdos alius assistat Matrimonio, si Acolythus in Missa solemni ministret ampullas, si Subdiaconus in Missa non solemni sine Manipulo canat Epistolam, &c. docent *Bernal.* & alii contra *Suar.* & alios nequidem fore veniale; uti nec si Sacerdos vel Episcopus concionetur in mortali, quamvis *Caj.* & alii, quos refert Diana *p. 2. t. 4. R. 197.* dicant esse mortale, sed Vasq. *c. 5.* rectè confutat eos: Aversa tamen *suprà* dicit esse veniale, & favet Herincx *n. 53.* Nunc solvenda sunt, quæ opponuntur dictis n. 94.

Objicient 1. Ecclesia potest sub mortali prohibe- 100
re, ne quis in mortali distribuat Communionem, ergo signum est esse materiam de se gravem, quia res de se levis non potest prohiberi sub mortali, ergo si sit peccatum sic distribuere Communionem, erit mortale. R. cum Arr. *n. 15. n.* utramque seq. nam etiam potest Ecclesia sub mortali prohibere conjugibus, ne eo die communicent, quo habuerunt actum conjugalem, & tamen si nunc post actum illum communicent, est ad summum veniale; itaque sicuti potest res de se nullo modo mala propter causas, & circumstantias graves prohiberi sub mortali, ita etiam res de se tantùm leviter mala.

Objic. 2. Major requiritur dignitas ad tangendum 101
Christum, quàm ad contrahendum Matrimonium, quod inde colligitur, quia Ordinatio prærequiritur ad tangendum Christum, sed in mortali contrahere Matrimonium est mortale, ergo etiam in mortali tangere Christum. R. n. maj. per se loquendo, nam etiam Adversarii, inter quos Con. Bonac Dicast. *n. 217.* rectè docent eum non peccaturum mortaliter, qui in mortali constitutus hostiam consecratam in terra jacentem elevaret: & quis dicet fuisse mortale, si Magdalena vel mulier fluxu sanguinis laborans Christum attigerint in mortali? Quòd autem nunc peccet mortaliter, qui non ordinatus Christum extra necessitatem tangit; est propter gravem prohibitionem Ecclesiæ, attamen Ordo non est præcisè ratione Christi tangendi, sed ut aliæ actiones à tali homine decenter obeantur.

Inst. Oza graviter peccavit tangendo Arcam, uti colligitur ex pœna mortis, ergo multò magis graviter peccat, qui in mortali tangit Christum. R. Ant negari à gravissimis DD. teste Escob. *in 2. Reg. c. 6. v. 6.* potuit enim mors corporis ad exemplum infligi etiam propter veniale: sed dato ant. n. conf. quia erat positum præceptum sub pœna mortis, ne tangeretur arca ab aliis, Aarone & Sacerdotibus, uti cum aliis tenet Corn. à Lapide *ad v. 7.* & satis clarè habetur *Numerorum 4. v. 15.* tale autem præceptum non est ut à Sacerdote in mortali constituto non tangatur Christus.

Objic. 3. Benedictio Chrismatis est de essentia 102
Sacramenti Confirmationis, ergo Episcopus in mortali

tali benedicens Chrisma peccat mortaliter. R. n. consnam etiam Confessio est de essentia Pœnitentiæ, & tamen qui confitetur in mortali, non ideò peccat mortaliter: & ratio omnium est, quia benedicere Chrisma &c. non est confirmare aut conficere Sacramentum, nec est per actionem nomine Christi positam causare gratiam, sed tantùm aliquid prævium.

Inst. 1. Saltem in mortali audire Confessiones erit mortale, quia hæc actio, est verè sacramentalis, & ponitur à Ministro, R. Suar. Arr. *à num.* 10. Gonet. *num.* 108. aliique apud Escob. *l.* 8. *num.* 234. concedunt seq. sed probabiliùs negant Henriq. Marchant. Rhod. Lugo *n.* 158. Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 47. Gob. *in Exp. tom.* 2. *n.* 150. Bernal. *d.* 17. *à n.* 147. Dicast. *num.* 243. Herincx. *num.* 49. Avers. *de Pœn. q.* 16. *s.* 10. Bosco *n.* 169. Spor. *n.* 173. non ideò quia Minister audiendo non tam agit, quàm patiatur, uti vult Lugo *n.* 159. nam audiens debet in se producere intellectionem, ergo agit, uti etiam agit imponendo pœnitentiam ante absolutionem, neque tamen ideò peccat mortaliter, uti post alios fatetur Lugo *n.* 160. sed ideò non peccat mortaliter, quia necdum operatur nomine vel in persona Christi, neque adhuc causat gratiam, sed hoc priùs fit, quando datur absolutio; quam rationem Moya *t.* 4. *q.* 1. *num.* 34. vocat probabilissimam: hinc consequenter dicendum est, quod *n.* 88. diximus, nempe eum non peccare mortaliter, qui in mortali formam Sacramenti inchoat, dummodò ante expressionem ultimæ partis essentialis sit in statu gratiæ, quidquid in contrarium dicant *Aversa* & alii.

Inst. 2. Ergo qui consecrat Eucharistiam, non peccat mortaliter, quia non cooperatur Christo in causanda gratia, quia priùs in sumptione causatur. R. n. seq. quia consecrans conficit Sacramentum, & propriissimè agit nomine Christi, in cujus persona etiam loquitur. Deinde concurrit immediatè ad ponendum Christum, qui est substantialis gratia, & omnis gratiæ accidentalis author: hinc conficiens Eucharistiam in mortali graviùs peccat, quàm conficiens ullum aliud Sacramentum

103 *Objic.* 4. Gregorius IX. *Cap. Quæsitum, ult. de Temp. Ordin.* dicit Clericos criminosos, si eos non pœnituerit, sub interminatione divini judicii obtestandos esse, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis Ordinibus non ministrent. Et *Cap. Quæsitum, ult De cohab. Cleric. & mulier.* dicit Clericũ concubinarium occultum, esse pro mortali quoad seipsum suspensum ab officio. Similiter S. Th. *in* 4. *d. st.* 24. *a.* 3. *q.* 5. ait, *Quicumque, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, per hoc moraliter peccat,* Item ad 4. *quandocumque existens in mortali exhibet se in aliquo actu ut Ministrum Ecclesiæ, toties mortaliter peccat.* Addit, *quando* ejusmodi indigni Ministri *tangunt res sacras, quasi ex officio utentes, peccant mortaliter.* R. Hæ authoritates reddunt sententiam oppositam valde probabilem: quia tamen videntur nimium probare, dici potest Gregorium loqui de universo genere actionum clericalium, & sensum esse, peccari posse mortaliter, si obeantur indignè, non si singulæ, alioqui Ostiarius in mortali aperiens januam templi peccaret mortaliter, sed si aliquæ, nempe si conficiantur Sacramenta. Alii putant *Gregorium* loqui de Ministris altaris, qui olim communicabant in Missa solemni, ut probant Suar. *d.* 69. *s.* 3. & Lugo *n.* 146. & fortè ideò significavit Clericos peccare mortaliter, si nempe officia sua completè obeant, id est, si simul communicent in mortali. Alii cum Dicast. *num.* 242. & 249. dicunt *Gregorium* tantùm velle, quòd talis peccet, sed non determinare, quomodo peccet, Bernal. *n.* 100. dicit *Gregorium* in hoc esse locutum velut privatum Doctorem, & non ut Pontificem, eò quòd de illo puncto non esset interrogatus. Quod *S. Thomam* attinet, si hic similem explicationem non patiatur, consequenter dicendum esset etiam peccare mortaliter Sacerdotem, si in mortali tangeret ciborium; Item Subdiaconum, si solemniter ministrans explicet corporale in altari; Item Acolythum, si deferat ampullas vel lumen ad altare &c. hæc enim competunt ipsis ex suo Ordine & velut Ministris, hæc autem negantur etiam ab Adversariis, ut videri potest apud Dicast. *n.* 217. ubi ejusmodi rigidam aliquorum sententiam vocat satis falsam & scrupulosam: Itaque dici potest cum Illsf. *n.* 44. *S. Thomam* velle, quod actus illi sint mortales, quando simul includunt actum principalem, qui est confectio vel susceptio Sacramenti, & in eum sensum dicebatur primis Parentibus Genes. 3. v. 3. ne tangerent arborem, id est simul ex ea comedendo.

Q. 25. *An in administratione Sacramentorum licitus sit usus sententiæ tantùm probabilis?* R. Recolendum est hìc ex dictis *l.* 1. *d. n.* 103. 134. 472. quænam opiniones dicantur probabiles, probabiliores, tutæ, tutiores: quibus suppositis, adde seqq. 104

§. 1. Peccat mortaliter, qui in administratione Sacramentorum sequitur sententiam tantùm probabilem de valore, relinquens tutiorem, nam Innoc. XI. damnavit hanc 1. prop. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis & Episcopalis.* Ratio autem est, quia opinio probabilis nihil immutat, addit vel substituit pro illo, quod fortè ad valorem requiritur, ergo secundùm hanc operando, Sacramentum exponitur periculo nullitatis, ergo eodem modo peccatur, quo peccaretur, *si* Sacramentum reipsa frustraretur seu fieret irritum, quia in mortalibus, facere & exponere se periculo faciendi censetur idem: frustrare autem Sacramentum est mortale, imprimis contra virtutem religionis, quia est gravis irreverentia in Christum, qui Sacramenta instituit eo fine, ut dum ponerentur præcipuæ eorum partes, fierent complete valida, & causarent gratiam, quo fine frustratur Christus. Ideóque audiendi non sunt Vasq. Sanch. *in decal. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 33. J. Sanch. *d.* 44. Rhod *d.* 1. *q.* 4. §. 4. Dicast. *de Pœnit. d.* 10. *num.* 223. aliique dicentes hoc non esse contra religionem, nam saltem id nunc est certum & fatetur Dicast. *à num.* 222. 226 si adsit præceptum Ecclesiæ, uti nunc est præceptum Innoc. XI. qui ex motivo reverentiæ erga Sacramenta prohibet praxim opinionis oppositæ, ideóque per præceptum suum facit materiam prohibitam pertinere ad virtutem religionis, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 626. Deinde potest esse mortale etiam contra charitatem; quia sic conferens exponit susciptentem periculo carendi fructu Sacramenti. Præterea potest esse mortale contra justitiam, si nempe Minister teneatur, aut se ingerat pro illo, qui tenetur ex officio vel contractu Sacramentum ministrare, tum enim in se suscipit obligationem illius, uti notant Dicast. *de Bapt.* 1. *num.* 219. & Bosco *d.* 1. *s.* 7. *num.* 265. Imò J. Sanch. *à n.* 15. *Rhod.* & *alii* putant contra *Dicast.* quemcumque Ministrum, qui omissis certis utitur tantùm probabilibus, peccare contra justitiam, quia hoc ipso quòd ministrare velit, tacitè se obligat ad ita ministrandum, sicuti res exigit & pro jure suo vult sibi ministrari suscipiens, qui omnino vult sibi adhiberi certa, petiturus Sacramentum ab alio, si fieret hunc operari velle secundùm probabilia tantùm.

§. 2. Valent jam dicta, etiamsi Sacramentum administrandum non sit necessarium ad salutem, uti tenent nunc omnes communissimè contra Dianam *p. 1. t. 13. R. 2.* Moyam *t. 1. quæst. 9.* & alios, quia esset saltem grave contra reverentiam Sacramenti. Et quæ Adversarii opponunt, bene confutat Bosco *supra concl. 16.* nec sunt magni momenti.

105 §. 3. Peccat graviter, qui etiam in susceptione Sacramenti sequitur opinionem minùs probabilem de valore Sacramenti, pendente etiam ab ipso suscipiente, relinquendo tutiorem, quia quamvis Decretum Inn. XI. expressè loquatur de solo conferente, tamen idem est de suscipiente, Carden. *in 2. Crisi disser. 2. n. 38.* Gormaz *d. 5. n. 308.* aliique nunc communiter contra Vasq. *d. 146. nu. 29. Dian.* suprà & *Hozes*: Ratio autem est, quia etiam suscipiens, si relinquat tutiorem, exponit Sacramentum periculo nullitatis: ergo etiam committit irreverentiam in Authorem Sacramenti. Deinde, si Sacramentum sit de necessitate salutis, repugnat rationi naturali, quod ex charitate teneat providere securitatem alteri & non mihi, inquit rectè Dicast. *num. 211.*

Objicies. Damnatum non est, quòd suscipiens licitè sequatur talem opinionem probabilem, ergo cùm graves Authores asserant id licitè fieri, sequi possumus. *Conf. 1.* nam damnatio propositionum est odiosa, ergo cùm loquatur de solo conferente non debet extendi ad suscipientem. *Conf. 2.* quia cum conferens operetur nomine Christi, & activè debeat concurrere ad gratiam, potuit Ecclesia per damnationem propositionis velle hunc magis reverentem & sollicitum reddere, non item suscipientem, maximè cùm possit velle carere fructu Sacramenti, ergo ex damnatione circa conferentem non debet inferri damnatio circa suscipientem. R. 1. Damnatum non est formaliter, c. virtualiter, n. illa autem propositio dicitur damnata formaliter, quæ damnatur expressè in suis terminis; illa damnatur virtualiter, cujus falsitas legitimè infertur ex damnata formaliter: & talis est propositio de suscipiente. *Ad Conf. 1. n. ant.* quia est declaratio falsitatis conducens ad utilitatem particularem omnium, & singulorum fidelium, ergo materia ejus est conveniens & velut beneficum omnibus, ad quos damnatio dirigitur, ergo non est odiosa sed favorabilis, secundùm dicta *l. 1. num. 620. Ad Conf. 2. n.* cons. quia cùm præcipua ratio damnandi fuerit cavere irreverentiam in Christum, quæ etiam committeretur à suscipiente cum periculo nullitatis, ex falsitate propositionis circa conferentem: legitimè infertur falsitas propositionis circa suscipientem. R. 2. Licet permitteremus damnationem esse odiosam, & propositionem de suscipiente nullo modo esse damnatam, attamen nunc scimus esse falsam: quia secundùm illa certò committeretur irreverentia in Christum, uti sæpiùs dictum est. Nec verum est, quòd volens suscipere Sacramentum, possit velle carere fructu Sacramenti, id enim est injuriosum institutioni Christi, qui voluit per Sacramentum causari, & conferri fructum Sacramenti.

106 §. Peccat graviter, qui in Sacramentis conferendis vel suscipiendis sequitur opinionem probabiliorem, aut etiam probabilissimam de valore, relicta tutiore, uti de probabiliore docent expressè cum communi Sanch. *n. 34.* Carden. *num. 13* Gorm. *nu. 299.* eadem autem est ratio de probabilissima, nam opinio etiam probabilissima manet intrà terminos solius probabilitatis, ut supponо, & reipsa est tantùm, probabilis, prout *probabilis* opponitur *tutiori*; & ex eo, quod probabilissima, non ideò elliditur probabilitas oppositæ, ergo sequendo illam, adhuc exponitur Sacramentum periculo nullitatis.

§. 5. Ex hactenus dictis sequitur peccari mor- 107
taliter, quoties Sacramentum confertur vel suscipitur adhibendo materiam vel formam, non certo, sed dubiè vel probabiliter tantùm validam. Quales autem materiæ Sacramentorum sint non certò validæ, colligitur ex dictis à *n. 21.* Quales formæ sint non certò validæ, etiam colligitur ex dictis à *num. 29.*

§. 6. Si opinio probabilis, & minus tuta, sit 108
moraliter certa, tam conferens quàm suscipiens Sacramentum licitè eam sequitur relicta tutiore, saltem si ex rationabili causa id faciat. Ratio est, quia ubi est certitudo moralis non relinquitur imprudens timor periculi nullitatis. Quandonam autem aliqua sententia dicatur esse moraliter certa, dixi *l. 1. à n. 178.* Addunt aliqui, si opinio sit certò probabilior & passim censeatur practicè tuta, non peccare suscipientem, si eam sequatur: quod aliqui extendunt etiam ad conferentem, saltem si ex rationabili causa id faciat, non operatur secundùm dictamen, quod judicat esse longè verius, & respectivè ad ipsum censetur æquivalere moraliter certo; & sæpissimè in praxi judicamus nos esse moraliter certos, hoc ipso, quòd occurrat positiva ratio judicandi operationem nostram esse illicitam: & rectè dicit S. Th. 2. 2. *q. 47. à 9. ad 2. Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundùm proprium modum: quia verò materia prudentia sunt singularia contingentia, circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ tanta esse, quod omninò sollicitudo tollatur.*

Dixi, saltem si ex rationabili causa id faciat, 109
nam non operatur prudenter, si absque causa omittat tutiora, uti rectè Nunnus, Salas, Fill. J. Sanch. *d. 44. n. 10.* Sporer *de Pœn. n. 717.* Lohn. *de Confess. p. 1. c. 3. §. 1.* hinc licèt, speculativè loquendo, moraliter certum sit, quòd tenuissima cerevisia sufficiat pro Baptismo, cùm sit & maneat aqua naturalis cocta, parùm & accidentaliter immutata per injectum hordeum, est tamen illicitum in ea baptisare, si haberi possit aqua fontana; & idem est in similibus; inter causas verò rationabiles numerari potest magna utilitas proximi, aut nimia molestia Ministri, si teneretur semper exquirere tutiora, uti insinuabitur *n. 110. & 119.*

§. 7. In necessitate, id est, quando conferri vel 110
suscipi debet Sacramentum, nec potest practicari tutior opinio, oportet procedere secundùm probabilem, quia, inquit S. Th. 1. 2. *q. 19. a. 3. ad 3. non oportet, quod omnis mensura sit omninò infallibilis & certa, sed secundùm quod est possibile in genere suo* & rationem dat *q. 96. à 6. O*, quia *necessitas non subditur legi*: sic si Judæus moribundus petat baptizari, & non habeas, nisi cerevisiam, aut etiam tantùm aquam rosaceam, debes in hac baptizare, nam esse materiam dubiam tenent aliqui n. 260. referendi. Et in tali casu sententia tutior non relinquitur, sed non habetur; & necessitas illa ac periculum, ne homo alioqui damnetur, facit, ut non sit irreverentia, quamvis Sacramentum, quod pro hominibus institutum est, exponatur periculo nullitatis, Carden. *n. 5.* & alii omnes cum Gorm. *n. 300.* Addit Schild. *de Consec. t. 6. n. 2.* quando adest magna causa conferendi Sacramentum, v. g. quando agitur de peccatore justificando, qui alia vice non facilè redibit ad quenquam, nec sinet se adduci ad renovandam præparationem, quamvis non possit absolvi nisi cum dubio de valore, posse sic absolvi sub conditione, si est dispositus, quia talis spes gratiæ per Sacramentum causandæ videtur prævalere obligationi non conferendi cum periculo nullitatis: Et hoc etiam innuit Arriaga *d. 20. n. 1.*

dicens

dicens fortasse excusare etiam utilitatem, cui in ejusmodi casu videtur conjuncta esse etiam quædam necessitas. Vide dicenda *num.* 122.

111 §. 8. Etiam licitum est operari secundum sententiâ probabilem, licèt agatur de valore Sacramenti, quando aliunde adveniat practica certitudo, qualis advenit, si Ecclesia suppleat vel dispenset in aliquo ad valorem requisito: quod contingit præcipuè in materia Sacramentorum Pœnitentiæ & Matrimonii, ut jam declarabimus.

112 §. 9. Quando datur prudens, & communis persuasio pro jurisdictione vel potestate alicujus, sive ordinaria sive delegata ad aliquid faciendum; quamvis ea persuasio coram Deo sit falsa, tamen certum est, quòd Ecclesia, si possit, suppleat vel dispenset, quando cum tali errore communi adest titulus vel coloratus, sive putativus, v. g. si ad hoc destinatus sit à legitimo Superiore, quamvis ob latens aliquod vitium reipsa jurisdictio aut potestas talis non adfuisset. Patet ex *Cap. Infamis Causa 3. q. 7. & l. Barbarius, ff. de Off. Prætoris*, & alibi apud Aversam *q.* 64. *s.* 5. §. *in quibusdam*: docentque AA. communissimè cum Sanch. *de Matr. l.* 3. *d.* 22. & Carden. *in* 2. *Crisi d.* 2. *à n.* 149. estque nunc certa omnium Theologorum sententia, inquit Spor. *de Pœn. num.* 714. quia ita postulat officium supremi Principis & utilitas communis, ne gravissimæ oriantur deordinationes, & incommoda. Hinc inquit Bonac. *de Matrim. q.* 2. *p.* 8. *n.* 33. valet Matrimonium, cui assistit laicus, si errore communi putetur Sacerdos, & à vero Parocho sit delegatus ad assistendum: quod enim talis delegatus debeat esse Sacerdos, id sola Ecclesia statuit, ergo etiam in illo potest, & tum vult dispensare.

113 *Objici potest.* 1. Error communis non facit suppleri defectum potestatis privatæ, v. g. si quis non sit reipsa tutor, licèt publicè credatur esse, tamen non dat valorem actui pupilli, uti cum communi ostendit Schildere *de Consec. t.* 2. *n.* 52. ergo error communis etiam non facit, ut suppleatur defectus potestatis publicæ R. n. cons. nam jura non meminerunt talis suppletionis respectu potestatis privatæ, meminerunt autem respectu publicæ, idque ob bonum publicum communitatis, quòd meritò pluris fit, quàm bonum privati.

Objic. 2. Quotidie moventur lites circa comperentiam Judicis, qui sententiam tulit secundùm existimatam Jurisdictionem, ergo signum est non esse certum, quòd Ecclesia vel Resp. tum suppleat. R. Lites moveri, quia prætenditur defuisse, vel error communis, vel titulus coloratus, quæ si liquidò probentur adfuisse, cessant lites.

Inst. Saltem communis error juris non juvabit, quia leges non favent ignorantiis juris, sed reprobant R. Schild. *num.* 36. docet hìc juvare solum errorem facti: Si tamen in communitate & populo etiam esset invincibilis error juris, & ex illo procederetur, credo actum valiturum, quia manet ratio boni communis ita postulantis, neque leges hìc distinguunt inter errorem juris aut facti.

114 §. 10. Ad hoc, ut in errore communi cum titulo, suppleat vel dispenset Ecclesia, non requiritur bona fides aut error in illo, qui actum ponit Schild. *n.* 37. cum communi. Imò nec requiritur in illo circa quem actus ponitur, uti docet Sanch. *n.* 42. *&* 61. Bonac. *de Matr. q.* 2. *p.* 8. *n.* 38. Castrop. *tr.* 18. *d.* 2. *p.* 13. §. 10. *n.* 10. contra *Bald. Tiraq. Lop. Zabarel. Aversa.* §. *Sextò*, Schild *n.* 38. & alios, quia jura ex motivo utilitatis publicæ ita disponunt in errore communitatis, & non ob errorem hujus aut illius hominis. Peccat tamen secundùm omnes, qui ita usurpat jurisdictionem, quam scit se antecedenter non habere, tum quia scit hoc esse prohibitum ab Ecclesia; tum etiam, quia invitum quasi cogit ad dandam actualem jurisdictionem pro his casibus, Con. Sanch. Less. Diana *p.* 8. *t.* 1. *R.* 93. Dicast. *de Pœn. d.* 10. *n.* 187. Schild. *n.* 51.

§. 11. Si adsit quidem error communis, sed de- 115
sit titulus coloratus, ut si quis communiter putetur esse verus Parochus, sed in Parochiam ingressus sit sine titulo, & authoritate legitimi Superioris, dummodò sit in possessione sui officii vel putatæ jurisdictionis, docent J. Sanch. Pontius, Schild *num* 42. aliiq; duodecim cum Diana *p.* 2. *t.* 16. *R.* 43; *p.* 8. *t.* 1. *R.* 94. *p.* 11. *t.* 2. *R.* 69. Ecclesiam adhuc supplere, quia hic æquè militat ratio boni communis; & præscriptione potest acquiri jurisdictio. E contrà Suar. Fagund. Less. Regin. Con. Sanch. *num.* 49. Bonac. *num.* 28. Aversa §. *Secundo*, Gob. *t.* 7. *n.* 108. Carden. *n.* 151. Leur. *p.* 1. *q.* 434. *n.* 5. dicunt Ecclesiam non supplere, quia quando jura id statuunt, semper faciunt mentionem authoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit Castrop. *n.* 9. aliique plurimi cum Tamb. *de Pœn. l.* 5. *c.* 4. §. 7. dicunt utramque sententiam esse probabilem: secunda tamen, uti est communior, ita etiam videtur esse probabilior, unde prima non videtur esse satis tuta in praxi, nisi juvet consuetudo, secundùm dicenda *nu.* 117. Rectè tamen notant Guttier. Sanc. Bonac. *n.* 36 Aversa. §. *Nono*, contra *Ledesm. Ceval. Medin.* si Superior non seriò sed solùm fictè dedisset jurisdictionem vel potestatem, hoc sufficere, quia publicè & rationabiliter censendum esset collatum esse titulum, ergo justum est, ut subintret suppletio vel dispensatio Ecclesiæ.

§. 12. Si Minister ab initio habuerit veram ju- 116
risdictionem aut potestatem, sed posteà sublata sit, vel per revocationem Superioris; vel in pœnam delicti; quamdiù communi errore alicubi putatur adhuc habere, actus illius manent *isto* loco validi, uti rectè Inn. Abb. Cardin. Sanch. Bonac. *n.* 27. Schild. *n.* 45. *&* 47. Aversa §. *Septimò*; & sequitur ex dictis *num.* 112. Quando autem jura videntur oppositum dicere, loquuntur de casu & loco, quo talis omissio vel privatio potestatis notificatur. Quòd si per legem revocata esset, sive desineret potestas, Schild. *n.* 46. putat non juvare ampliùs errorem communem, quia ignorantia legis non toleratur à jure; sed contra est, quòd ignorantia legis toleretur, si sit invincibilis; & ideò AA. communiter dicunt quocumque modo desierit jurisdictio, si hoc sit occultum & perduret titulus coloratus, ratione erroris communis fieri, ut suppleatur jurisdictio. Addunt Henriq. Pontius, Schild. *num.* 50. quando v. g. ad annum tantùm data est jurisdictio, hoc elapso Ministrum validè operari, si errore communi adhuc putetur habere jurisdictionem, & idem dicit cum aliis Schild. *num.* 48. si Superior dederit jurisdictionem usque ad mortem suam, nempe illam permanere, quamdiu mors publicè ignoratur: sed quoad primum casum contradicunt Mascard. Bonac. *n.* 32. Aversa. §. *Octavò* quia pro tempore ultrà annum: (& idem est in secundo casu de tempore ultrà mortem:) non videtur unquam habuisse titulum coloratum, quem si non habuerit, valent dicta *n.* 115. Denique si revocatio vel amissio jurisdictionis non omninò quidem sciatur publicè, attamen populus incipiat de ea dubitare, Silv. Abb. Henr. Rosell. Less. Sanch. Diana *p.* 8. *t.* 1. *R.* 93. Bonac. *num.* 29. rectè dicunt manere jurisdictionem, quia pro hac est possessio: & esset periculum faciendi injuriam Ministro, si ob solum dubium superveniens rejiceretur.

117 §. 13. Præscindendo ab errore communi, & titulo putativo, quandocunque datur opinio probabilis, v. g. pro jurisdictione vel absentia impedimenti, communissima sententia est cum Suar. Con. Fill. Regin. Less. Bonac. *de Pœn. q. 7. p. 5. §. 4. n. 4. & de Matr. q. 2. p. 8. num. 29.* Diana *p. 2. t. 13. R. 2.* Aversa *de Pœnit. qu. 16. s. 5.* quòd etiam tum suppleat vel dispensetˇ Ecclesia, quando potest, si fortè absit jurisdictio, aut absit impedimentum. Et hoc in praxi tutum aut moraliter certum esse dicunt Sanch. *in Decal. l. 1. c. 9. n. 35.* Verric. *tom. 2. Moral. q. 25.* Dicast. *nu. 196.* Tamb. *de Confess. l. 3. c. 3. num. 1.* Carden. *à num. 160.* Illsˇ. *t. 1. d. 1. num. 77.* Arcrd. *de absol. Sacr. num. 12.* Sporer *num. 714.* Gorm. *d. 5. à n. 331.* Stoz. *l. 2. num. 53.* Laurent. *disp. 4. num. 48.* fateturque Gob. *tom. 7. num. 114.* hanc sententiam esse probabilissimam. Ratio est, quia certum est, quòd quando est consuetudo hoc vel illo modo operandi, tum detur jurisdictio ad ita operandum validè, si fortè hæc desit, sed etiam certum est esse consuetudinem apud viros Sapientes, ut quando habent opinionem probabilem, v. g. circa jurisdictionem pro Confessionibus audiendis vel circa absentiam impedimenti inter volentes contrahere Matrimonium, tum operentur, idque scit Ecclesia, & non improbat, cum facilè posset, ideóque deberet, ergo certum est tum dari jurisdictionem, si fortè desit, vel tolli impedimentum, si adsit. *Major* patet ex *Cap. Cùm contingat, 13. De foro compet. Cap. Romana, 5. De sent. excomm. in 6. cap. Duo simul, De Offic. Ordin.* & ex Trid. *s. 22. cap. 3. de Refor. Minor* autem est communis Doctorum, inquit Cardenas *num. 166.* citans pro ea verba *Suar. Lugonis, Bonac. Dian. Arr.* opinio autem communis in quæstione facti facit certitudinem moralem: Et ita opinio tantùm probabilis est, quòd Episcopus possit dispensare in causa necessitatis in impedimento dirimente Matrimonium, attamen id certum est spectata simul consuetudine, de qua testantur *Suar. Vasq. Sanch. Rebel. Castr. B. Pontius, G. Hurt. Salas*, quos refert, & sequitur Gorm. *d. 5. nu. 335.* ac consentit Pyrrh. Corradus *in praxi dispen. l. 8. cap. 4.* dicens ita declarasse *Sixtum V.* Similiter ex probabili jurisdictione valuisse Matrimonium, decidit Congregatio Trid. anno 1648. teste Lugo *in Resp. Mor. l. 1. d. 46.*

Dixi, præscindendo ab errore communi, &c. nam quando est opinio probabilis, hæc æquivalet errori communi, quia si sapientes ita judicant, non dissentiunt insipientes, inquit Carden. *n. 153.* ideóque omnes communiter ita censent, ergo si erretur, reipsa est error communis: deinde simul aderit titulus putativus, non operans secundùm talem opinionem, v. g. volens absolvere pœnitentem, vel assistere contrahentibus Matrimonium, habebit ad hoc faciendum titulum approbationis vel parochiæ aut licentiæ à Parocho, ergo.

Objic. 1. Multi & gravissimi AA. quos referunt, & sequuntur J. Sanch. *d. 44.* Schild. *num. 34.* Diana *P. 9. t. 59. R.* Gob. suprà, expressè dicunt sententiam illam non esse certam: & Garcias pro oppositam, quam etiam tenet, refert decisiones Cardinalium, ergo non est licitum secundùm eam operari. R. Authores illi & decisiones negant sententiæ illi certitudinem, præscindendo à consuetudine operandi secundùm hanc vel illam probabilem: nos autem dicimus tales sententias reddi certas accedente circunstantia consuetudinis.

Objic. 2. Bonifacius VIII. *Cap. Si Episcopus, 2. De Pœnit. & remiss. in 6.* ait, *nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis prater sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* R. Loquitur de mera consuetudine: nos diximus de consuetudine, ad quam accedit saltem tacitus consensus Superioris sive Ecclesiæ. Unde.

§. 14. Ad hoc, ut prudenter judicari possit Ec- 118
clesiam supplere aut dispensare, quando est ejusmodi opinio probabilis, præter potestatem supplendi aut dispensandi, videntur requiri sequentes conditiones.

1. Ut opinio dicens adesse potestatem vel abesse impedimentum sit certò, & absolutè probabilis, & velut talis communiter admittatur à viris sapientibus, uti notat Card. *num. 153. & 154.* quia aliàs prudenter præsumi poterit, quòd Ecclesia sciat illius praxin vel consuetudinem, ideóque velit supplere aut dispensare, si fortè sit falsa. Undè si opinio sit tantùm tenuiter probabilis, Ecclesia non supplet, quia opinio tenuiter probabilis non est prudens nec absolutè probabilis, uti constat ex dictis l. 1. n. 366. Et idem est, si sit tantùm dubiè probabilis, uti insinuatum est ibidem num. 367. Si autem sit tantùm probabiliter probabilis, non est certum, quòd Ecclesia suppleat, ergo est illicitum secundùm eam operari, quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis.

2. Ut praxis operandi secundùm talem opinionem probabilem non sit contra stylum Curiæ Romanæ, Carden. *num. 530.* Gorm. *num. 388.* quia cum certitudo hìc petatur à tacito consensu vel approbatione Ecclesiæ, si aliunde sciamus, quòd Ecclesia ejusmodi praxin soleat improbare aut per sententias Rotæ rejicere, satis rescimus non supplere vel dispensare, maximè quia *rerum similiter judicatarum authoritas vim legis obtinere debet, L. Non imperatur.* ff. De legibus.

3. Ut opinio probabilis sit circa communem quæstionem juris, & non purè facti privati, uti notant Aversa *de Pœn. q. 16. s. 5. §. Tum demum.* Gorm. *hic d. 5. num. 320. & 335.* aliique. Consequenter dicendum Ecclesiam non supplere, si tantùm probabile sit, v. g. quòd jurisdictio huic Confessario concessa nèdum expirarit ratione temporis: item si tantùm probabile sit, quòd in hoc vel illo casu ob privatam circumstantiam non sit contractum impedimentum affinitatis, &c. Oppositum tamen tenent *Bonac. Terric. Tamb.* & alii, quorum sententiam probabilem esse dicit Gob. *t. 7. n. 118.* quamvis nihil velit resolvere: potestque legi etiam Card. *à n. 525.* ubi videtur etiam hanc posteriorem sententiam tenere.

4. Ut sit rationabilis causa operandi secundùm talem opinionem, secundùm dicta n. 109.

§. 15. Quamvis agatur de valore Sacramenti, 119
neque sit casus absolutæ necessitatis, neque etiam Ecclesia possit supplere aut dispensare, nihilominus licitum est operari secundùm sententiam probabilem, si alioquin administratio aut susceptio Sacramentorum fieret obnoxia nimiis scrupulis aut difficultatibus: ita multi moderni Doctores cum Illsˇ. *t. 1. d. 1. num. 77.* & idem, imò plus dicit *Camargo*, quamvis sit rigidæ sententiæ, uti constat ex dictis l. 1. num. 340. Ratio autem à priori est, quia certum est Christum ita instituisse Sacramenta, ut noluerit eorum administrationem aut susceptionem esse moraliter impossibilem, & odiosam fidelibus ministraturis aut susceptur[illegible], ergo certum est, quòd administratio aut susceptio obnoxia nimis scrupulis aut difficultatibus non sit secundùm institutionem Christi, ergo si non sit alius modus vitandi talem administrationem aut susceptionem, nisi quis operetur secundùm sententiam tantùm probabilem

babilem, licitum est secundùm hanc operari. Ratio à posteriori est, quia aliàs infans baptizari non posset, quem parentes dicunt non esse baptizatum, nam hoc testimonium est tantùm probabile & fallere potest: item absolvi non posset, qui probabiliter putatur dispositus, imò vix ullus unquam absolvi posset extra articulum mortis, uti rectè notat Carden. *diff.* 2. *num.* 25. quia vix unquam habere possumus certitudinem de dispositione pœnitentis, quamvis enim det signa doloris, dicatque se integrè confessum & se habere serium propositum emendationis, tamen cum possit falsò ista dicere, assentiri non possumus nisi probabiliter, & tamen negari non potest, quin tum absolvi possit, imò debeat, cùm supposita Confessione, & dispositione tali, jus habeat ad absolutionem. Similiter sæpè conficimus Eucharistiam probabiliter tantùm cognoscentes nos habere panem triticeum, &c. *Confirmantur* hæc ex decreto Alex. VIII. relato ante librum 1. n. 20. quo damnat triginta & unam propositionem, pleraſque rigoristarum, inter quas sunt quòd non liceat sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, quòd attritio ex metu gehennæ non sit supernaturalis, quòd satisfactio debeat præmitti absolutioni, quòd praxis mox absolvendi pœnitentes sit abusus, quòd pleræque Confessiones apud Religiosos factæ sint sacrilegæ vel invalidæ, quòd Communio prærequirat satisfactionem, & amorem purissimum, &c. quæ ideò damnari debuerunt, quia deterrebant tam Ministros quàm suscipientes à Sacramentis, eò quod redderent eorum usum difficillimum, & maximè odiosum, ergo Sacramenta possunt ministrari, & suscipi secundùm opiniones probabiles, si alioqui administratio aut susceptio Sacramentorum fieret obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus, sicuti reipsa fiebat per illas rigoristarum sententias.

120 §. 16. Qui scit se habuisse aliquando jurisdictionem vel potestatem in ordine ad Sacramentum ministrandum, dubitat autem, an adhuc habeat, secundùm Sporer *num.* 718. potest ministrare, quia ipse est in certa possessione, quam non elidit merum dubium superveniens, neque mutatio præsumitur, sed probanda est, cum sit aliquid facti. Si autem quis dubitet, an simpliciter habeat, & an unquam habuerit talem jurisdictionem, ministrat illicitè, uti cum communi Lugo *de pœnit. d.* 19. *nu.* 28. Si verò bona fide cœpisti possidere, v. g. parochiam, & superveniat dubium, an eam validè obtinueris, docent cum aliis Con. Dicast. *à nu.* 203. Gob. *t.* 7. *n.* 21. te posse pergere in administratione Sacramentorum, quia melior est tua possidentis conditio. Additque *Dicast.* nullam ad sic operandum necessitatem requiri, sed meliùs contradicit *Con.* propter illa, quæ dixi n. 109.

121 §. 17. Si non agatur de valore Sacramenti sed tantùm de modo administrandi, potest Minister sequi opinionem practicè probabilem relicta tutiore: ita cum Communi Card. *n.* 4. & Gorm. *num.* 301. Sic practicè probabile est laicum, qui propter necessitatem baptizat in mortali, non peccare mortaliter: tutius tamen est, id est, talis baptizans magis removetur à periculo etiam materialis peccati, si prius saltem conteratur, quo non obstante si se accommodet priori sententiæ & in mortali baptizet, non peccabit mortaliter, quia opinio, secundùm quam operatur, non exponit Baptismum periculo nullitatis, nam certum est non ideò fore invalidum, sed tantùm versatur circa modum debitè administrandi illum: atque idem est de aliis similibus sententiis circa reliqua Sacramenta.

Plura circa hæc addentur de Pœnitentia, quando de jurisdictione & approbatione Confessarii: item de Matrimonio quando de impedimentis dirimentibus.

122 *Q.* 26. *An minister licitè utatur materia, vel forma dubia?* R. Per se loquendo esse illicitum, quando potest haberi certa, uti constat ex dictis à n. 104.

Dixi 1. per se loquendo, nam si Ministro intentaretur mors, nisi materiam vel formam dubiam adhiberet, non in contemptum religionis vel fidei, sed quia minans putaret materiam vel formam talem esse sufficientem vel satis certam, Henriq. A. Perez. Bonac *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 33. Esc. *l.* 8. *n.* 155. Con. *qu.* 60. *num.* 82. Diana *p.* 1. *t.* 13. *R.* 2. & *p.* 3. *t.* 6. *R.* 48. *n.* 8. J. Sanch. *d.* 44. *num.* 12. Rhod. *d.* 1. *q.* 4. *s.* 4. §. 4. Dicast. *de Bapt. d.* 1. *n.* 190. dicunt non fore illicitum conferre Sacramentum sub conditione; si talis materia vel forma sit sufficiens, imò Bernal. *d.* 6. *n.* 109. innuit, si etiam in contemptum Ecclesiæ impedireris, quominus baptizares puerum morti proximum, nisi cum materia dubia, v. g. cum tenui cerevisia, te debere baptizare concepta intentione recta, ne puer æternum periret: ad removendum tamen scandalum teneris protestari te hoc facere, non in contemptum Ecclesiæ, sed ob extremam necessitatem pueri.

Dixi 2. quando potest haberi certa, nam in necessitate utendum est dubia, uti dictum est n. 110. & inter dubias illa adhibenda est, quæ videtur probabilior, uti notant omnes communiter cum Gob. *t.* 2. *n.* 37. Quid autem facere debeat Sacerdos in variis dubiis circa materiam consecrandam, dicetur, quando de Sacrificio.

123 *Q.* 27. *Quandonam & quomodo Minister reiterare debeat Sacramentum?* R. Quando prudens dubium est de valore Sacramenti collati, debet iterari saltem sub conditione, ita S. Thom. *q.* 66. *art.* 9. Aliique communiter cum Moya *t.* 1. *qu.* 9. *num.* 16. & Dicast. *hic d.* 1. *num.* 119. Estque perinde, sive sit dubium facti sive juris, uti rectè explicant Dicast. *de Bapt. d.* 1. *num.* 165. & Gob. *t.* 2. *n.* 373. Item, quamvis aliquid, quod omissum est, etiam probabiliùs dicatur non requiri ad valorem, dummodò etiam sit probabile requiri, uti habent uterque Lugo, Tamb. *hic lib.* 1. *c.* 1. §. 1. *num.* 12. Gob. *n.* 363. 371. 376. & seq. quod intellige, si Sacramentum possit adhuc compleri, aut suscipiens aliàs pateretur grave incommodum, quia necessitas vel utilitas suscipientis est justa causa sic iterandi, reverentiæ autem satis consulitur per conditionem opportunam, hinc Cap. *Si nulla* 113. De consecr. dist. 4. dicit *Leo Papa*; *non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Et Cap. ult. *De Presbyt. non baptiz.* dicit Inn. III. *non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.* Valentque hæc potissimùm, quando dubitatur de valore Baptismi, Confirmationis & Ordinis, quæ iterabilia non sunt, uti rectè Escob. *l.* 8. *num.* 145. Ratio autem pro omnibus est, quia si possit compleri, & non compleatur, relinquitur in certo periculo nullitatis, quod est gravis irreverentia; & suscipiens fortè privatur Sacramento, & ejus effectu, quod est contra charitatem. Non debere autem Sacramentum tum repeti absolutè sed sub conditione, quando nempe hic & nunc non est secundùm se iterabile, probat rectè Dicast. *à num.* 168. quia hoc iteratum Sacramentum absolutè collatum exponeretur periculo nullitatis, si nempe Sacramentum priùs collatum fuisset validum, ergo committeretur irreverentia. Ex dictis

124 *Colliguntur segg.* 1. Sacramentum debet iterari, si prudenter dubitetur de recta pronunciatione formæ, *Gob. t.* 1. *n.* 41. Sporer *n.* 95. Putat quidem Pasq.

de Sacrificio q. 319. verba, de quibus Ecclesia permittit sententias, quarum una dicit, altera negat esse de valore, si omissa sint, non esse repetenda, quia Ecclesia talia verba non assumit velut essentialia: Sed oppositum tenendum est, quia Ecclesia non potest facere: ut si sint essentialia, talia non sint: ex hoc autem, quòd permittat doceri sententiam negantem, non ideò declarat non esse essentialia, ergo manet periculum invaliditatis, nisi repetantur.

125 2. Quando non habentur certissimi testes de Baptismo infantis à Barbaris erepti, hic baptizandus est saltem sub conditione, uti ex Carthaginensi aliisque Conciliis decidit Greg. III. cap. *placuit*. De consecr. & docent communiter omnes cum Dicast. *de Bapt. l. 1. n. 172.*

3. Quando testis unus oculatus ac fide dignus, de quo nempe non est suspicio erroris aut mendacii, deponit juramentum de Sacramento alicui collato, non relinquitur prudens dubium, sed habetur certitudo moralis, uti notant plurimi cum Dicast. *n.* 182. & Gob. *t. 2. n. 396.*

4. Si impius Parochus fateatur se aliquos baptizasse invalidè, nec possit resciri quosnam, debent omnes sub conditione rebaptizari, quia de omnibus est prudens dubium, & æquale de singulis. Vide dicenda n. 311.

126 5. Si sit opinio probabilis de hoc, quòd invalidè sis baptizatus aut ordinatus Presbyter vel Episcopus, tum maximè debes sub conditione rebaptizari, & reordinari, Con. Dicast. *n.* 211. Escob. *nu.* 149. quia à Baptismo pendet salus, & valor omnium Sacramentorum etiam suscipiendorum, ab Ordine autem pendet valor plurium Sacramentorum conficiendorum, hinc etiam causaretur gravissimum damnum proximo, si invalidè ordinatus velles consecrare, absolvere, ordinare alios. Putant tamen Suar. *Valent.* Gran. Escob. *num. 76.* tum non esse gravem obligationem iterandi alia Sacramenta, v.g. Confirmationem, & Ordines antecedentes Presbyterium; quod verum est, si prior administratio tamdiù præterierit, ut Sacramentum aliud non censeatur ampliùs compleri posse, nam Confirmatio non est ita necessaria, reliqui autem Ordines continentur quoad potestatem saltem virtualiter vel æquivalenter in Presbyterio. Vide dicenda n. 315.

127 6. Si sæpiùs occurrat nova causa prudenter dubitandi de valore Sacramenti jam sæpiùs collati, potest, & secundùm supradicta debet successivè sæpiùs iterari sub conditione, Steph. & Gob. *n.* 252.

128 7. Quando moraliter certum est Sacramentum fuisse invalidum, debet conferri absolutè & sine conditione: quid autem facere debeat Sacerdos in fine Missæ advertens vel dubitans de eo, an unam vel utramque speciem invalidè consecrarit, dicetur, quando de Sacrificio.

229 8. Quando nulla est prudens causa dubitandi de valore Sacramenti, sed oriuntur tantùm leves scrupuli, nequidem conditionatè est iterandum, uti tenent omnes ex Catechismo Romano cum Dicast. *n.* 174.

9 Si unum verbum vel una syllaba formæ Sacramentalis repetatur sine rationabili causa, est saltem veniale: in dubio tamen, ubi Minister non est scrupulosus, docent Vasq. Gob. *n.* 381. Sporer *suprà* potiùs inclinandum esse ad repetitionem faciendam quàm omittendam, quia sic consulitur valori Sacramenti, & utilitati suscipientium, propter quos instituta sunt Sacramenta.

10. Qui judicare debet se rectè confeciſſe Sacramentum, v. g. ſe rectè pronunciaſſe formam, peccat, per ſe loquendo, mortaliter, ſi repetat, quia judicare debet ſe repetendo nihil effecturum, ergo repetere, ac ſi velit repetendo aliquid efficere, erit illudere, inſtitutioni divinæ. *Nec refert*, quòd repetat ſub conditione, *nam* ubi eſt inane tantùm dubium, non poteſt ſeriò addere conditionem, ſed exercitè ſic dicit, *volo conficere Sacramentum, ſive antea confecerim ſive non*, in quo eſt gravis indecentia.

11. Ille debet judicare ſe rectè confeciſſe Sacramentum, qui ſolùm leviter dubitat, vel inaniter ſuſpicatur aut timet, & neſcit ipſe, cur timeat, eò quòd non occurrat motivum prudens, ſed ſolummodò hoc aut ſimile, *fortè malè pronuntiavi, poſſum malè pronuntiaſſe, non ſcio reflexè me bene pronuntiaſſe, &c.* His enim contemptis pergere debet, ut monent Sot. Suar. Vaſq. Gob. *n.* 378. Sporer *à n. 96.* Eſcob. *l. 8. n. 143.*

12. Si quis, ut ſe liberet moleſto ſcrupulo, repetat ita formam ſub conditione, putant Leand. Tamb. Gob. *t. 7. n. 173.* Sporer *n. 99.* peccaturum tantùm venialiter, quia quando ſic agit anxiè, ex metu ne offendat Deum, non videtur gravem irreverentiam inferre Sacramento, ſed tantùm levem ex imprudentia: poſſuntque multi ſic repetentes excuſari ab omni peccato, inquit Gob. *n.* 172. tum quia ſæpè non apprehendunt inanitatem ſui ſcrupuli, tum quia ſunt perplexi, timentque adhuc magis peccare, ſi non repetant; & quia non habent tempus examinandi abſque ſuo rubore vel aliorum tædio, putant potiùs faciendam repetitionem, minus quippe malum eſt repetere, quando eſt repetendum, uti rectè Gorm. *de pœn. p. 2. n. 219.* & ſecundùm dicta n. 123. *non intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Tenentur tamen antecedenter ſibi formare judicium, quòd opus non ſit repetere, & illo ſtandum eſt poſteà contempto omni timore. 130

13. In dubio, an protuleris formam Sacramenti, 131
v. g. an reipſa conſecraveris, ſi hoc dubium oriatur ex eo, quia cum jam proceſſeris longiùs, non recordaris te protuliſſe, aut quia non habes ſpeciale poſitivum fundamentum judicandi te protuliſſe, non ideò poteris repetere, ſed debes pergere ſupponendo te benè feciſſe omnia, ſi aliàs errare non ſoles, uti rectè Paſq. *qu. 317.* quia non eſt opus, nec poſſumus recordari omnium, inquit S. T. *q. 83. a. 6. ad 5.* quem communiter ſequuntur omnes cum Suar. *d. 85. ſ. 1.* & quia communiter bene pronuntias, ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio.

14. Si diſtractus protuleris formam, & neſcias, 132
an non fortè erraris, non ideò poteris repetere, ſi in forma proferenda non ſoleas errare, uti conſtat ex jam dictis; & ratio ulterior eſt, quia intentio & attentio virtualis ſufficienter adfuit, cum continuaveris actiones ex priore intentione formali inchoatas, Gob. *t. 2. n. 422.*

Q. 28. *An & quando Miniſter teneatur Sacra-* 133
menta miniſtrare? R. §. 1. Qui ex officio eſt Paſtor, tenetur ex juſtitia ſuis ſubditis, etiam extra neceſſitatem gravem rationabiliter petentibus miniſtrare ſacramenta, eſt communis cum Suar. Lugo, Dicaſt. *de Euchariſt. d. 11. n. 119.* Averſa *hic q. 64. ſ. 7. & de pœn. q. 16. ſ. 11.* contra *Rich. Sylv.* & alios. Ratio eſt, quia ad hoc ſe obligavit aſſumendo officium Paſtoris: præterea intercedit contractus, vi cujus accipit ſtipendium vel ſuſtentationem vel ſalarium, & ex juſtitia commutativa tenetur ad ea quæ ſunt Paſtoris, inter quæ præcipuum eſt miniſtrare Sacramenta: nomine autem Paſtoris veniunt reſpectu ſæcularium Epiſcopi, Parochi, & cum ipſis curam ſubſidiariam ex obligatione habentes;

reſ-

reſpectu Religioſorum Superiores, uti rectè cum aliis Gob. *in Exp. t. 1. ſ. 4. ſubſ. 3.*

Objic. Ergo ſi ſubditi vellent quotidie confiteri, Parochus teneretur quotidie audire, quod videtur intolerabile. R. Imprimis id non eſſe timendum de omnibus. Deinde ſi pauci id vellent v. g. capellani aut perſonæ devotiores, &c. ſeq. attamen non tenebitur quotidie tempus terere cum ſcrupuloſo, cùm nec huic expediat toties confiteri. Denique ſatisfacit Parochus, per ſe loquendo, ſi ſubſtituat alium aptum, qui pro ſe audiat toties volentes confiteri, Lugo, Arriaga *de Pœn. d. 43. n. 6.*

134 §. 2. Peccat Paſtor, qui exhibendo ſe moroſum, & difficilem, ſubditos abſterret, quominus, petant Sacramenta, illo enim modo agendi tantumdem facit, ac ſi negaret, Gob. *ſubſ. 1.* Non erit tamen mortale, ſi ſemel aut iterum abſque extraordinaria ratione extra neceſſitatem petenti deneget, quia in communi æſtimatione ſubditus non cenſetur eſſe graviter invitus, quia damnum illud facilè aliàs ſuppletur, Suar. Arr. *à n. 4.* Qualis autem ſit obligatio Parochi adminiſtranda Sacramenta tempore morborum, & belli dictum eſt, *l. 3. p. 1. à n. 754.* Et ſpecialiter qualis ſit Parochi obligatio miniſtrandi Euchariſtiam vel Extremam Unctionem tempore peſtis, dicetur, quando de illis Sacramentis.

135 §. 3. Miniſter, qui ex officio non eſt Paſtor, non tenetur ex juſtitia miniſtrare Sacramenta, tenetur tamen ex charitate, etiam cum vitæ ſuæ periculo, Sacramenta neceſſaria miniſtrare in extrema neceſſitate, ſi poſſit abſque ſuo gravi incommodo, uti conſtat ex dictis *l. 2. à n. 174.* poſſuntque videri etiam Eſcob. *l. 8. à n. 251.* & Gob. *ſubſ. 4.*

136 §. 4. Parochus tenetur Euchariſtiam pro Communione deferre ad ægros, ſi petant etiam extrà periculum mortis: maximè autem in Feſtis ſolemnioribus, Quintanadv. Gob. *t. 4. num. 426.*

137 *Q. 29. An Sacramentum licitè miniſtretur indigno?* R. Conſtabit ex ſeqq. §. 1. Miniſter peccat, per ſe loquendo, mortaliter, ſi Sacramentum miniſtret indigno, id eſt, illi, qui validè quidem ſuſcipiet, ſed ſine effectu gratiæ; Eſt communis cum S. Thom. *qu. 80. art. 6.* Suar. *d. 67.* ubi licet loquatur præcipuè de Euchariſtia, tamen doctrina facilè applicatur reliquis Sacramentis. Eandem doctrinam bene explicat Lugo *d. 8. ſ. 10.* & *Probatur* ex illo Matth. *7. v. 6. Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Ratio autem eſt, 1. Quia lex naturæ dictat, ut qui ex officio diſpenſator eſt bonorum Domini, de eis non diſponat niſi fideliter, & ſecundùm voluntatem Domini, quæ hic eſt, ut indignis non communicentur. 2. Ad hoc obligat virtus religionis, poſtulans caveri irreverentiam, quam indignè ſuſcipiens infert auctori Sacramenti, & Sacramento. 3. Lex charitatis etiam prohibet cooperationem ad peccatum proximi: ſuntque hæ obligationes in materia gravi, uti per ſe patet. Tenetur itaque Miniſter providere, ut ſuſcipiens habeat diſpoſitionem ad Sacramentum etiam licitè ſuſcipiendum: neque ſatis eſt, quòd non ſcias eſſe indignum, ſed debes poſſe prudenter præſumere, quòd ſit dignus, alioquin non es fidelis, & prudens Diſpenſator, Suar. Eſcob. *lib. 8. n. 240.* Averſ. *qu. 64. ſ. 10.* Lugo *n. 195.* Dicaſt. *d. 3. n. 271.* & alioquin exponeres te periculo miniſtrandi indigno. Non requiritur tamen eadem in omnibus diligentia ſeu præcautio, ſed attendendum eſt ad materiam cujuſque Sacramenti & commune judicium prudentum, v. g. in Sacramento Pœnitentiæ requiritur exactior notitia diſpoſitionis, tum quia Confeſſarius eſt Judex, tum quia diſpoſitio pœnitentis requiritur ad valorem hujus Sacramenti: ſimiliter in Sacramento Ordinis, quia non dirigitur ad bonum privatum ſed commune, cui procurando ſpecialiter obligantur Epiſcopi. In Matrimonio debet quoque Parochus aſſiſtens magis inquirere in impedimenta, quia ad hoc conſtitutus eſt ab Eccleſia: in Baptiſmo adulti inquirendum eſt in conſenſum baptizandi, qui ad valorem requiritur; præterea in ejus fidem, ſpem & attritionem, &c. In reliquis communiter præſumitur quiſque diſpoſitus, qui illud petit, niſi conſtet de oppoſito, inquit Dicaſt. & Herincx *d. 3. n. 57.*

Dixi, per ſe loquendo, nam quandoque excuſant, damnum miniſtrantis, infamia ſuſcipientis, aliorum ſcandalum, ſigillum confeſſionis. Et hactenus dicta jam declarabuntur paulò fuſiùs.

§. 2. Peccatori publico ordinariè negandum eſt 138 Sacramentum, non tantum privatim ſed etiam publicè petenti, uti cum SS. PP. apud Suar. *ſ. 2.* docet S. Thom. *ſuprà*, eſtque doctrina certa, inquit, Herincx *n. 58.* & rationes patent ex dictis. Neque excuſat infamia, quæ jam eſt publica: & accederet ſcandalum populi, ſi non negaretur. *Dixi*, ordinariè, nam licèt *Ledeſma* & alii dicant negandum eſſe, quamvis minaretur mortem, eò quòd videatur eſſe intrinſecè malum ſic quaſi directè cooperari ſacrilegio, tamen Suar. Bonac. Gob. *t. 1. n. 273.* Dicaſt. *n. 292.* Sporer *n. 188.* aliique cum Eſcob. *n. 357.* contradicunt, ſi enim talem miniſtrationem excuſet notabilis infamia occulti peccatoris publicè petentis, uti *n. 144.* dicetur, cur non mors vel ſimilis infamia miniſtrantis, dummodò non petatur in odium fidei vel in contemptum religionis? tum enim abſolutè nunquam liceret, niſi circumſtantiæ ſignificent ex alio fine fieri, uti dictum eſt *n. 122.* Atque ideò notant citati AA. præceptum non miniſtrandi Sacramentum indigno non eſſe purè negativum, obligans ſemper pro ſemper, *ſed reſolvi* in affirmativum, prudenter & fideliter diſpenſandi. Hoc unum hìc addendum, *per peccatorem publicum* intelligi illum, cujus crimen notorium eſt, vel jure, vel facto, vel fama, uti explicatum eſt *l. 3. p. 2. n. 1219.*

§. 3. Si Peccatum non ſit ſimpliciter *publicum*, 139 attamen ſciatur à præſentibus, cenſetur publicum reſpectivè ad hos, ideóque negari debet Sacramentum, Suar. *ſ. 5.* Arr. *d. 21. n. 24.* Dicaſt. *n. 288.* quia tum negari poteſt ſine infamia ſuſcipientis & ſine alio incommodo gravi. Si autem ſit ſimpliciter publicum, ſed adhuc ignotum aliquibus præſentibus, adhuc negari debet Sacramentum, uti *n. 138.* dictum eſt. Quòd ſi non ſit ſimpliciter publicum, ſit tamen notum pleriſque præſentibus, ſed non omnibus, *Suar. & Bonac.* dicunt Sacramentum negandum non eſſe, quia petens retinet jus ad famam reſpectivè ad illos, quibus non eſt notum; & ſcandalum aliorum, ſi oriatur, erit paſſivum tantùm. E contrà Con. *qu. 80. n. 29.* dicit eſſe negandum, quia eſt ſimpliciter publicum reſpectivè ad hos: Dicaſt. *n. 289.* probabiliter dicit, ſi tantùm unus aut alter ignoret, qui ſit homo prudens & timoratæ conſcientiæ puteturque non evulgaturus, debere negari, quia videtur præponderare, partim ſcandalum aliorum, quibus notum eſt, partim reverentia Sacramenti: & ſicuti ad impediendum peccatum alicujus poſſum malam ejus voluntatem manifeſtare uni vel alteri, qui poteſt impedire aut corrigere, ita hìc; maximè ſi ſit ſpes, fore ut non tam grave ſacrilegium committat.

§. 4. Si crimen ſit ſimpliciter publicum, v. g. 140 Leodii tantùm & ipſe hìc Coloniæ perat Sacramentum, *Sot. Henrig. Con. Vaſq. Fagund.* aliique apud Dicaſt. *n. 286.* dicunt non eſſe negandum, niſi probabiliter

babiliter credatur ejus crimen ſtatim eſſe hìc revelandum, quia videtur hìc retinere jus ad famam: ſed probabilius eſt cum Caj. Suar. Bonac. Caſtrop. *t.* 21. *p.* 20. *n.* 11. Tamb. *de Communione cap.* 6. *à n.* 12. Dicaſt. *n.* 287. Arr. *n.* 26. negari poſſe etiam ſine læſione charitatis; excipiunt tamen cum Eſcob. *n.* 351. niſi prudenter præſumeretur emendatus; quamvis credatur crimen hìc non evulgandum: tamen in hac rationabili cauſa vitandi & impediendi ſacrilegium, non obligat, nequidem charitas, ut tuear famam illius, qui ſimpliciter ad illam jus amiſit, & volens temerè exponit ſeipſum periculo diffamationis.

141 §. 5. Ut illi, qui fuit publicè peccator, publicè poſſit miniſtrari Euchariſtia, *Nav. Laym.* & alii requirunt, præter Confeſſionem, aliquod tempus bonæ converſationis, quo ſcandalum tollatur; Poſſev. & J. Sanch. *d.* 34. *à n.* 2. dicunt ſufficere Confeſſionem factam pluribus videntibus: Bernal. *d.* 48. *n.* 40. requirit factam eſſe coram pluribus, ita ut Pœnitentia ſit, aut ſperetur brevi futura tam publica quam publicum fuit peccatum: Eſcob. *n.* 354. & alii meliùs diſtinguunt, ſi enim habet adhuc proximam peccandi occaſionem, ſentit cum *Nav.* vultque ut hanc occaſionem priùs deſerat, alioquin non ceſſaret ſcandalum: Si non habet proximam peccandi occaſionem, ſentit cum *Poßev.* quia qui publicè confeſſus eſt, publicè cenſetur pœnitere, & emendandus eſſe. Addit rectè *Bernal.* ſi ſæpius dediſſet talia ſigna pœnitentiæ, & ſæpius fuiſſet relapſus, deberet expectari tempus, quo judicaretur ſatis probata ejus emendatio. Notat tamen etiam Dicaſt. *n.* 282. poſſe illi miniſtrari, ſi præſentibus conſtet de ejus pœnitentia: ſi autem occultè petat, ſufficit occultè egiſſe pœnitentiam, uti rectè *Suar. & Tamb.*

142 §. 6. Si dubitetur de pœnitentia publici peccatoris, negari debet Sacramentum, quia poſſidet certitudo de crimine: ſi autem dubitetur de crimine, non eſt negandum, quia poſſidet bona fama; ſi tamen eſſet publica ſuſpicio de crimine, negandum eſſet, etiam publicè, donec conſtaret de innocentia: debet tamen eſſe ſuſpicio, non tantùm probabilis vel violenta, quæ probabili ratione deponi non poſſit, ideóque æquivaleat morali certitudini, uti rectè Suar. Gob. *n.* 269. Arr. *n.* 29. Eſcob. *n.* 378. Sporer *n.* 185. nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis famam. Quòd ſi ſuſpicio eſſet violenta ſed non publica, negari deberet privatim tantùm. Si dubitaretur, an peccator eſſet publicus an occultus, negari non deberet publicè, quia adhuc eſſet poſſeſſio pro ipſo, Schild. *de conſc. tr.* 6. *n.* 28. Quænam autem ſuſpicio dicatur violenta, colligi poteſt ex dictis *l.* 4. *à n.* 1438.

143 §. 7. Peccatori publico in articulo mortis petenti non eſt negandum Sacramentum, uti cum communi Suar. quia quiſque præſumitur ſe tum velle diſponere, & neceſſitas levat ſcandalum, vel illud tollet Miniſter publicando pœnitentiam occultam moribundi, quod fieri debere putat Tamb. *n.* 24. ſi ad ipſum publicè deferenda eſſet Euchariſtia.

144 §. 8. Peccatori occulto publicè petenti non eſt negandum Sacramentum, ſi per hoc notabiliter infametur, nam ſic ſtatuitur in *Conc. Carthag. VII.* ex *Africano*, quæ referuntur *Cap. Placuit cauſa* 6. *q.* 2. Idem habetur *Cap. Si Sacerdos, de off. jud. ord.* ubi Eugenius Papa id confirmat exemplo Chriſti non removentis Judam à Communione, quem occultè noverat indignum: docentque idem *S. Thom.* ſuprà aliique communiſſimè teſte Dicaſt. *n.* 275. imò omnes, teſte Rhod. *d.* 1. *q.* 4. *ſ.* 4. §. 3. & Mauro *qu.* 82. *n.* 3. Rationem dat Arr. *n.* 14. quia reliquis daretur ſcandalum, ſive occaſio temerè judicandi, vel de peccatore, cujus crimen eſſet ignotum, vel de Miniſtro, qui quaſi ſine cauſa repelleret dignum. Alii communiùs dant hanc rationem; quia peccator occultus videtur retinere jus ad famam. *Nec obſtat* jus oppoſitum, quod habet Chriſtus ad negationem ſuæ inhonorationis, *nam* huic cenſetur Chriſtus cedere propter cauſas graviſſimas, ideóque nolle, ut in illis circumſtantiis infametur peccator; ſicut illi cedit, & potiùs permittit ſuam inhonorationem, quàm velit frangi ſigillum Confeſſionis. Cauſæ autem hìc ſunt, quia alioquin darentur occaſiones graviſſimarum inordinationum, offenſarum, inimicitiarum, vel Miniſtro imponeretur onus intolerabile, nam vel teneretur probare crimen occultum, vel non; ſi non teneretur, poſſet pro ſua paſſione aut levitate hos vel illos rejicere tanquam criminoſos, ſicque meritò deterrerentur omnes fideles à Sacramentis tanquam odioſiſſimis propter metum talis infamiæ. E contrà ſi teneretur probare, ſæpè non poſſet, ſicque incurreret graviſſima incommoda. Atque ex his conſtat, dari præceptum vel naturale non infamandi talem hominem, uti plerique putant; vel ſaltem poſitivum Chriſti, uti volunt Con. *art.* 6. & Arr. *n.* 23. Monet tamen Eugenius ſuprà, talem peccatorem privatim eſſe monendum, ne ſe ingerat.

Objic. 1. Miniſter tenetur potiùs conſulere reverentiæ Sacramenti, quàm famæ proximi. Deindo magis tenetur cavere animæ proximi mortem, quàm damnum famæ. Præterea dando, v. g. Euchariſtiam indigno tradit Chriſtum innocentem iniquo aggreſſori. Denique projicit Chriſtum in ſterquilinium impuræ conſcientiæ, ergo peccat. *R. Ad* 1. Chriſtum noluiſſe hìc conſuli reverentiæ Sacramenti, uti nos docuit ſuo exemplo cum Juda, ob rationes antè datas. *Ad* 2. Debet in iſto caſu ob inconvenientia relata permittere mortem animæ, quam ſuſcipiens ſibi ipſe infert liberè, poſſet enim ſuſcipere dignè, ſi vellet: unde ſicuti non poſſum proximum mutilare aut ejus domum comburere, ut ſic ejus peccatum impediam, ità nec ideò lædere famam, ad quam jus retinet ob cauſas allatas. *Ad* 3. Miniſter ex rationabili cauſa ponit actionem de ſe indifferentem, quæ non eſt moralis traditio vel inhonoratio Chriſti, ſed honoratio Sacramenti, ne reddatur odioſum, ideóque tantùm materialiter cooperatur malitiæ ſuſcipientis. *Ad* 4. Non miniſter ſed ſuſcipiens actione Miniſtri abutens inhonorat Chriſtum & quaſi projicit in ſterquilinium ſuæ impiæ conſcientiæ; uti pluribus explicat Lugo *à n.* 180. Putant quidem Lugo, Arr. & Boſco *n.* 210. quòd ſuſcipiens tantùm negativè inhonoret Chriſtum, nempè negando partem cultus debiti, ſed veriùs dicit Bernal. *n.* 33. quod etiam poſitivè inhonoret, attamen, quia directè non intendit hanc inhonorationem, ſed v. g. vult ſalvare ſuum honorem, poteſt Miniſter ob juſtas cauſas hoc permittere.

Inſt. Si ſcirem ab aliquo peti Euchariſtiam eo animo, ut projiceret in ſterquilinium, deberem illam etiam publicè negare, ergo etiam ſic negare debeo, ſaltem ſi ſciam ideò petere, ut indignè ſuſcipiendo poſitivè inhonoret Chriſtum. R. J. Pontius *d.* 41. *n.* 77. & Bernal. *n.* 47. negant. ant. & dicunt, ſi occultè tantùm vellet projicere in ſterquilinium, hoc permitti poſſe, ac Chriſtum adhuc tum velle jure ſuo cedere ob rationes datas, favet que Arr. *n.* 16. dicens oppoſitum non eſſe ad[illegible] certum: è contrà Gob. *tr.* 1. *n.* 276. & Sporer *n.* 189. quamvis admittant permitti poſſe, ut hoſtiam rapiat, tamen dicunt non licere, vel poſitivè cooperari, quamvis petens minaretur mortem, quia non licet

licet facere hoc, quod petitur in contemptum Dei vel religionis; hinc Lugo *n.* 179. & Dicast. *n.* 280. dicunt etiam consequentiam potiùs concedendam esse, uterque enim hic petens est veluti injustus & violentus aggressor Christi, qui repelli debet; quòd si tum infametur, sibi imputet. Aliud est, si non peteret directè in eum finem, uti dictum est. Sed quamvis peteret directè in eum finem, tamen Arr. *n.* 17. agnoscit adhuc disparitatem, quia prior vult inferre Christo inhonorationem externam, fortè etiam publicam, posterior autem tantùm internam & occultam, major autem est obligatio impediendi externam Dei injuriam, præsertim publicam, sed videtur standum responsioni Lugonis.

Objic. 2. Pecco, si Petro petenti reddam suum gladium, quando scio illum velle eo accepto se vel alium occidere, ergo similiter, si ministrem Sacramentum mortaliter peccaturo, qui hoc ipso quasi occidet se ipsum imò & Deum, quantùm in se est. R. Dato ant. n. cons. In priori casu non tenet ratio, quam dedimus, quia non infamo Petrum, sed ad summum revelo, quòd habuerit voluntatem occidendi, hoc ipsum autem magis erupisset, si reddidissem gladium, quia secuta fuisset occisio, deinde in priori casu non sequuntur incommoda alia, sed potiùs cavebuntur, ergo saltem charitas obligat, ut gladium non reddam: opposita omnia sunt in posteriore casu. *Dixi*, dato ant. nam si non possem negare, sine gravissimo meo incommodo, possem reddere, uti colligitur ex dictis *l.* 2. *n.* 255.

Objic. 3. Præceptum non ministrandi Sacramentum indigno est naturale & negativum, ergo obligat semper pro semper. R. Dictum est *n.* 138. non esse purè negativum: sed hoc dato, dist. cons. cum Vasq. & Escob. *n.* 341. ergo obligat semper pro semper, in omnibus circumstantiis, n. positis simul circumstantiis necessariis, c. inter illas autem est, ut absit periculum scandali & damnum famæ proximi, sicuti præceptum, *non occides*, est naturale & negativum, attamen non obligat in circumstantiis, quibus id necesse foret ad conservandam suam vitam, quam alter invaderet injustè.

Inst. Posset caveri scandalum, & salvari non tantùm fama proximi, sed etiam reverentia Sacramenti, si nempe simularetur administratio Sacramenti, v. g. si publico peccatori petenti Communionem daretur hostia non consecrata; ergo hoc faciendum est. R. Hoc ipsum esse illicitum, uti ostendetur à *n.* 149.

145 §. 9. Peccatori occultò petenti occultè negari debet Sacramentum, quia cum per hoc non lædatur ejus fama, manet obligatio legis naturæ, item religionis & charitatis. Excipe semper: nisi Minister novisset crimen ex sola Confessione, tum enim constat, inquit Herincx *n.* 59. & secundùm Gob. *n.* 271. est sententia verissima, quòd nequidem posset occultè admonere, sed deberet pergere ac si nihil sciret, ob reverentiam sigilli, & quia illam scientiam habet, non ut homo, sed ut Minister nomine Dei agens. Hinc Arr. *d.* 2. *à n.* 10. Sanch. *de Matr. l.* 3. *d.* 36. Valent. Laym. Dian. aliique cum Escob. *n.* 365. & Lugo *de pœn. d.* 23. *n.* 126. rectè docent contra Suar. Vasq. Dicast. *de Euch. d.* 9. *n.* 229. Castrop. *suprà n.* 20. non posse negari nequidem prætensis aliis causis, quia peccator satis adverteret negari propter indignitatem suam, atque ità erubesceretur sigillum, quia illi exercitè exprobraretur peccatum suum: quod ipsum posteà affirmat Castrop. *tr.* 23. *p.* 19. §. 3. *n.* 20. tacitè se ipsum corrigens: imò notat rectè Arr. *n.* 13. quamvis etiam aliunde, præterquàm ex Confessione, sciret, nisi hæc altera notitia sit moraliter certa, debet potiùs stare pro favore pœnitentis, uti in dubio pro eo stare teneretur, frangeretque sigillum, si ideò animosiùs, vel cum minore metu externè procederet ad repellendum talem indignum.

§. 10. Si quis occultè indignus peteret sacros Or- 146
dines, si indignus est tantùm propter statum peccati mortalis, Herincx *d.* 3. *n.* 70. meritò dubitat, an publicè possit rejici, ideóque multi cum Lugo *hic d.* 8. *n.* 194. dicunt non debere rejici, si prætendat jus ratione Beneficii vel dignitatis obtentæ, nam *Cap. Ex tenore, de Temp. Ordin.* ità deciditur circa talem: *Verumtamen quia peccatum occultum est, non debes aliqua ratione prohibere.* E contrà si ex alio capite sit indignus, v. g. quia est irregularis, debet etiam publicè rejici, si aliter removeri non possit, tum quia non omnes habent jus ad Sacramentum Ordinis, sed Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 5. *cap.* 5. & 7. demandat Episcopis, ut priùs inquirant in natales, titulum, ætatem, mores, & tum promoveant, quos judicant dignos; tum etiam, quia communiter non ideò incurretur infamia, cum plerumque rejiciantur ob defectum physicum, v. g. ætatis, tituli, subjectionis, &c. Et quamvis aliqua infamia inde redundaret, tamen præponderat majus bonum Ecclesiæ, quod præferre tenetur Episcopus, utpote ad hoc habens potestatem gubernativam in Ecclesia; qui tamen teneretur, quantùm posset, consulere famæ petentis, v. g. publicè dicendo in genere, se non posse ordinare ob causam posteà ipsi manifestandam.

§. 11. Si unus sponsorum, etiam publicè sit in- 147
dignus, v. g. quia est hæreticus, probabilius videtur alterum, si absque gravi suo incommodo non possit omittere contractum vel procurare ipsi statum gratiæ, posse licitè contrahere cum illo, ipsique ministrare Sacramentum Matrimonii, si adsint conditiones requisitæ ad contrahendum cum tali hæretico, de quibus dictum *lib.* 2. *n.* 95. ita cum communiore Sanch. Lugo *d.* 8. *s.* 14. Arr. *n.* 42. Dicast. *de Matr. d.* 7. *n.* 707. Peretz *d.* 36. *s.* 2. Platel. *n.* 82. tum quia quisque habet jus, ut concurrente gravi causa petat hoc, quod alter potest sine peccato præstare, si velit, ut dictum est *lib.* 2. *à n.* 255. tum etiam quia contrahentes tantùm indirectè conficiunt hoc Sacramentum, faciendo contractum de se non sacrum; qui, cùm existit, à Christo elevatur ad rationem Sacramenti. Consequenter Parochus teneretur assistere tali Matrimonio, attamen deberet priùs conari disponere ad dignè contrahendum, si foret spes fructus, & inquirere in impedimenta, qualia si probabiliter adverteret subesse, Ecclesia *Cap. Cùm inhibitio, 3. De clandest. desponsat.* præcipit, ut non assistat, sed expressè interdicat contractum, donec per Ordinarium certò constiterit, quid fieri debeat: cujus ratio est, quia quamvis non sit Minister hujus Sacramenti, tamen ab Ecclesia constitutus est veluti testis publicus apud suos subditos in ordine ad hunc contractum, cum auctoritate exigendi illum secundùm leges Ecclesiæ, aut denegandi suam assistentiam, præsertim cùm ex hoc non censeatur infamia redundare in contrahentes, sed attribui possit inculpabili impedimento, quale facilè occurrit. Quòd si contrahentes publicè peterent & essent indigni ratione peccati vel censuræ occultæ, rectè docent Lugo *s.* 13. & Arr. *à n.* 32. cum communi Parochum teneri assistere, & colligitur ex dictis *n.* 144.

§. 12. Qui in mortali constitutus confert Sa- 148
cramentum indigno, committit duplex specie sacrilegium distinctè explicandum in Confessione, uti rectè Dicast. *de Euchar. d.* 9. *dub.* 13. unum, quia

ipse in mortali conficit; alterum, quia cooperatur indignè suscipienti, nam in mortali agere nomine & in persona Christi videtur notabiliter diversa malitia ab illa, quæ est, Sacramentum à Christo institutum frustrare suo effectu.

149 *Q.30. An Minister ob metum gravem licitè simulet administrationem Sacramenti?* R. Negativè, nam Inn. XI. damnavit hanc 29. prop. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Pro qua damnatione explicanda, notanda sunt seqq.

150 §. 1. Simulatio latissimè sumpta est positio signi de se indifferentis ad plura, cum prævisione, quòd aliquis per illud sit decipiendus, eò quòd acceptu-rus sit illud in sensu, qui non est verus. Per hoc autem distinguitur à dissimulatione, quòd dissimulatio sit prætermissio omnis signi, quando meritò poni deberet, uti innuit S. Th. 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. *ad* 4. v. g. si quis interrogatus, an habeat pecuniam, incipiat quasi inadvertenter loqui de alia re, sicque distrahat interrogantem, talis homo dissimulat dicere, an habeat pecuniam, & talis dissimulatio, per se loquendo, est licita, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *n.* 300. Si autem ostendat crumenam vacuam, prævidens alterum putaturum, quòd omnem pecuniam exposuerit, cum tamen sciat se adhuc aliquam habere in sacco, simulat se non habere pecuniam.

151 §. 2. Simulatio administrationis Sacramenti potest esse formalis vel materialis, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *n.* 297. Ille diceretur formaliter simulare, qui v.g. affunderet aquam infanti dicens, *ego te baptizo*, & intenderet, ut præsentes putarent rectè baptizare, cùm tamen ipse non haberet intentionem baptizandi. Et certum est talem simulationem formalem esse illicitam, cùm sit reale mendacium, quod committitur; sive verbo sive facto loquaris, uti habet S. Th. *suprà in O.* Et ratio est, quia signum æquivocum determinatur ad unam significationem per intentionem *ponentis illud*, ergo cùm ponens illud intendat, ut sit *signum illius*, quod non est, reipsa est signum falsum & discordans à mente, ergo mendacium.

152 §. 3. *Si* affundens aquam & addens formam non intenderet quidem baptizare, attamen etiam non intenderet, ut præsentes putarent eum velle baptizare, sed faceret ex *alio motivo*, *ille* materialiter tantùm simularet administrationem Sacramenti. Et certum est hanc simulationem etiam fore illicitam, si adsit circumstantia aliqua vitiosa, v. g. si administratio Sacramenti exigatur in contemptum religionis, vel si fiat cum scandalo, vel cum adjuncta irreverentia erga res sacras, hæc enim semper sunt intrinsecè mala.

153 §. 4. Propositio relata fuit justè damnabilis, hoc ipso, quòd diceret simulationem administrationis Sacramenti esse licitam, loquendo indefinitè de simulatione, & abstrahendo à formali vel materiali, etiam ex circumstantiis vitiosa, unde nunc per damnationem nobis certum est, non licere simulationem administrationis Sacramenti formalem & propriè dictam. An autem damnatio extendi debeat etiam ad simulationem materialem colligi non potest ex verbis decreti, hinc dividuntur auctores, nam non debere ad eam extendi, tenent aliqui, è contrà debere extendi, fusè contendit Gorm. *d.* 5. *à num.* 347. quia talis simulatio videtur esse quædam illusio Dei, propter quam Dei illusionem & irreverentiam præcipuè damnata videtur esse ista propositio, secundùm doctrinam Inn. III. uti referetur *num.* 161.

154 §. 5. Si quis etiam ex metu gravi *proferret* verba sacramentalia super materiam Sacramenti *sine* intentione conficiendi Sacramentum, peccaret mortaliter, quamvis materialiter tantùm simularet, quia est simulatio administrationis Sacramenti, quæ simul est ex circunstantiis vitiosa, partim quia est contra reverentiam ita abuti verbis sacris à Christo institutis, & reipsa est illudere Deo, partim quia est reale mendacium in re gravissima, exercitè enim & suo facto dicit se nomine Christi v. g. baptizare, absolvere, Corpus Christi fieri præsens, cùm tamen sciat hæc omnia non fieri, ita Carden. *in* 2. *Crisi d.* 20. *à n.* 37. Neque jam audiendi sunt Auctores multi qui cum Moya *t.* 1. *tr.* 4. *q.*2. §. 3. oppositum antehac tenuerunt tanquam probabile.

§. 6 Quamvis damnatio non loquatur de quocunque metu, neque determinatè de metu mortis, sed indefinitè dicat non sufficere urgentem metum gravem, abstrahendo an sit urgentissimus, & gravissimus, & etiam mortis, ideóque ad falsitatem propositionis damnatæ sufficiat, non licere simulare administrationem Sacramenti ex urgente metu gravi perdendi, v. g. honorem vel opes, tamen dicendum est cum Carden. *à num.* 38. & Gorm. *à num.* 350. non licere simulare administrationem Sacramenti ex quocumque metu, etiam gravissimo mortis: quia sicuti propositio damnata procedit indefinitè, ità etiam indefinitè procedit damnatio, ergò cùm propositio damnata possit intelligi, vel universaliter vel particulariter, damnatio illi contradicens meritò intelligitur & universaliter & particulariter, ita ut verum sit, quòd nullus metus gravis sit causa sufficiens simulandi administrationem Sacramenti: & ratio jam data est *n.* 151. 155

§. 7. Si mors intentetur alicui, nisi panes extra Missam consecret, aut nisi absolvat aliquem indispositum, peccat mortaliter, si formam proferat, cum intentione non consecrandi vel non absolvendi, Gorm. *à n.* 359. Et oppositam sententiam J. Sanch. *d.* 35. dicunt redolere audaciam & temeritatem Castr. *t.* 2. *d.* 1. *p.* 13. *n.* 8. & Aversa *qu.* 64. *s.* 3. Ratio autem est, quia simulat administrationem Sacramenti cum circumstantia vitiosa, uti jam dictum est: Et idem applicari debet similibus casibus. 156

§.8. Quamvis damnatio expresè tantùm loquatur de simulatione administrationis Sacramenti, tamen virtualiter damnatur etiam simulatio susceptionis Sacramenti, saltem transeuntis, est enim par ratio, nam intentio suscipiendi est æquè de essentia Sacramenti transeuntis ac intentio conficiendi, ergo æquè est contra reverentiam Sacramenti, illusio Dei & reipsa mendacium, simulare susceptionem ac confectionem talis Sacramenti. Carden. *à num.* 65. Gorm. *à num.* 35[illegible] 157

§. 9. Simulatio materialis circa rem planè indifferenter se habentem ad Sacramentum, per se loquendo, non est illicita, quia non est simulatio administrationis Sacramenti, neque adest alia vitiosa circumstantia, ut suppono, hinc si tuus pœnitens non sit dispositus ad absolutionem, poteris post Confessionem aliquid orare super ipsum & dare crucem, quamvis puteris absolvere. Item nolens confiteri, poteris ingredi confessionale, & genuflexus loqui Confessario de aliquo negotio, quamvis circumstantes putent te confiteri, quia tum non simulas administrationem aut susceptionem Sacramenti, sed benedicis pœnitenti, vel loqueris Confessario, quæ sunt indifferentia ad Sacramentum, & licita independenter à Confessione vel susceptione Sacramenti, Carden. Dicast. Gorm. *à num.* 360. Bosco *num.* 232. Similiter ille, cui mors intentaretur, nisi consecraret panes extra Missam, vel nisi absolveret indispositum, posset submissè recitare orationem aliquam super panem aut super pœnitentem, 158

vel

vel dicere, *hoc non est corpus, ego te non absolvo* &c. quamvis circumstantes putaturi essent eum consecrare vel absolvere, per ista enim non simularet circa administrationem Sacramenti, cujus nullam partem ponit, sed simularet circa orationem vel verba omninò se indifferenter habentia ad Sacramentum, Carden. *num.* 44. 52. 73. Similiter, inquit Gob. *t.* 1. *n.* 156. si metu adactus baptizes baptizatum vino affuso cum his verbis, *pax tecum.* &c. quamvis fortè pecces ratione scandali, tamen non es sacrilegus, quia non adhibes materiam vel formam Baptismi, neque ullam actionem sacramentalem, & omnia, etiam prout in circumstantiis, manent indifferentia.

159 §. 10. Si pro viatico deesset hostia consecrata, aut si quis in Paschate non posset se disponere ad Communionem, neque eam omittere sine infamia graves Auctores apud Moyam *supra* §. 1. & Aversam *de Eucharist. q.* 20. *s.* 5. §. 6. putant ad vitandum scandalum vel infamiam posse conveniri cum Parocho, ut hic eis ministret hostiam non consecratam, sed rectè contradicunt S. Th. Alens. Sot. Palud. Suar. Vasq. Henriq. Valent. J. Sanch. Escob. *l.* 8. *n.* 375. Lugo *d.* 8. *à n.* 187. Rhod. *d.* 1. *qu.* 3. *s.* 5. §. 3. Arr. *d.* 21. *n.* 20. Dicast. *d.* 3. *n.* 293. & ex professo *de Euch. d.* 9. *dub.* 21. Herincx. *d.* 3. *n.* 66. Carden. *à num.* 24. Gorm. *n.* 358. aliique communiter cum *Aversa* suprà, quia quamvis non sit simulatio circa administrationem Sacramenti, quod ibi non est, & cujus nulla pars ibi ponitur, tamen accedit circumstantia vitiosa, eò quòd hostia non consecrata exponatur adorationi, tum adstantium, qui committent idololatriam materialem, tum præcipuè illius, qui cum externa reverentia illam hostiam susciperet, ideóque scienter committet idololatriam saltem externam, quorum utrumque est intrinsecè malum, uti intrinsecè malum est, si quis etiam metu mortis à tyranno adactus adoleat thus coram idolo, quamvis internè tantùm intendat se pascere illius odore, quia nempe volens exhibet illi idolo cultum externum. Itaque in casu morituri sine communione permittendum erit scandalum passivum, communicaturus autem in Paschate debet, vel se disponere vel omninò abstinere, etiam cum infamia sua, si aliter hanc vitare non possit, nam sic sumendo hostiam non consecratam peccaret gravius, quàm peccasset communicando sacrilegè, uti notat Carden. *num.* 33. & colligetur ex dicendis paulò post.

160 §. 11. Si scandalum populi vel infamia hominis non potentis se disponere ad Communionem posset caveri per hoc, quòd Sacerdos ex conventione diceret tantùm verba illa, *Corpus Domini nostri JESU Christi custodiat &c.* & transiret hominem, hostiamque occultè reponeret in ciborium, hoc non videtur fore illicitum, uti notant *Henriq. Rhod. Diana, Leand. & Moya* §. 2. & pro certis casibus concedit etiam J. Sanch. *supra n.* 9. Ratio autem est, quia per se licitum est etiam peccatori benedicere cum sacra Hostia, & talis bona apprecatio habet se planè indifferenter ad administrationem Sacramenti.

161 §. 12. Si quis in mortali constitutus, nec potens confiteri vel conteri, Missam celebret sine intentione consecrandi, peccat mortaliter, quia abutitur actionibus sacris & cæremoniis directè ordinatis ad confectionem Sacramenti; deindo illudit Christo, cujus personam se agere exteriùs fingit, peccatque gravius, quàm si consecraret & communicaret in mortali, uti rectè Carden. *n.* 32. quia præter irreverentiam gravem, quæ in utroque casu committitur aburendo sacris actionibus, in posteriore casu simul est causa idololatriæ, quam committit populus, adorando hostiam non consecratam, & ipse-

met scienter committit idololatriam saltem externam, dum cultu externo soli Deo debito honorat illum panem, atque ita expressè docet Innoc. III. Papa *Cap. de homine 7. De celebr. Miss.* his verbis: *Licèt is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic frudulenter illud præsumpserit simulare, cùm ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solùm Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se abstringat.*

§. 13. Si quis ex metu gravissimi incommodi si- 162
bi injustè incusso materialiter simulet se contrahere Matrimonium, per se loquendo, non peccat, uti habet communis cum Henriq. Con. Castrop. Sanch. *de Matr. l.* 1. *d.* 11. *n.* 2. Arr. *d.* 21. *n.* 42. Gob. *t.* 9. *à num.* 256. Bosc. *à num.* 232. Gorm. *num.* 262. quia non simulat administrationem Sacramenti, sed tantùm simulat contractum, qui secundùm se non includit actionem sacram, priusquam sit completus, cùm ratio Sacramenti vel rei sacræ tantùm superveniat toti contractui absolutè posito, uti fusè explicat Carden. *à num.* 75. Ex simili fundamento docent Sanch. Hurt. Dicast. Gob. *n.* 60. eum non peccare peccato sacrilegii, qui contrahit Matrimonium, sciens se habere impedimentum dirimens, quia ibi nihil ponitur sacrum, qui fiat irreverentia, neque institutio Christi videtur esse de tali contractu. Quidquid sit de hoc, in primo casu metus gravissimi injustè incussi, verba illa, *Accipio te in meam*, excusantur à mendacio per hoc, quòd subintelligatur, quantùm in me est, uti notat Scotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. nam quòd contractus ille sit invalidus, non est ex defectu consensus, qui simpliciter liber esse potuit, sed ex lege Christi vel Ecclesiæ, quæ talem contractum irritat propter injustam coactionem.

CAPUT III.

De suscipiente Sacramentum.

DUBIUM I.

Quæ dispositio requiratur ad valorem Sacramenti in suscipiente.

163 RESP. Ad valorem Sacramenti in adultis ratione utentibus intentio percipiendi Sacramentum, interpretativa saltem requiritur, & sufficit: (excipe Pœnitentiam, qua *infrà*) Ita commun. *Theologi omnes* cum *D. Thom.* contra *Cajet.* qui putat in suscipiente nullam intentionem requiri, imò contrariam non habeat. Ratio responsionis est, quia sicut adultus non justificatur sine proprio consensu, ita nec per Sacramentum initiatur & consecratur Deo, sine eodem consensu, si ejus sit capax, Bonac. *tom.* 1. *de Sacram. dist.* 1. *quæst.* 6. *p.* 2.

Dixi; *adultis, &c.* quia cùm tantùm requirantur conditiones juxta subjecti capacitatem, parvuli autem, & perpetuò amentes non sint capaces propriæ intentionis, sufficit illis intentio Christi & Ecclesiæ, Fill. *lib.* 1. *cap.* 8. *Unde resolves.*

I. Parvuli, uti & perpetuò amentes, validè baptizantur, confirmantur, communicantur, ordinantur, (quod ultimum nefas esset; priora autem olim permittebantur. Bon. *loc. cit.*

II. Ægris ratione jam privatis, rectè datur Unctio, non tantùm si ante petierint, sed etiam si fuerint Catholici, neque constet esse in mortali, nam hoc ipso censentur interpretativè voluisse & petiisse, quod alii Christiani, etiamsi de ea nunquam audierint.

„ III. Invalidum est Sacramentum, 1. Quod, „ quis suscipit cum intentione neutrali, habens se „ negativè. 2. Quod suscipit fictè, id est, simulatè „ non tamen quod fictè, id est, indispositè. 3. Quod „ per meram vim, animo omnino repugnante, sus„cipitur, Bon. *l. c.*

„ IV. Validum est Sacramentum, 1. Quod qui „ accipit, vult quod Christiani accipiunt; etsi non „ credat, aut non velit Sacramentum. 2. Quod „ quis per metum coactus suscipit, cùm metus non „ tollat voluntarium. Matrimonium tamen gravi me„ tu, v. g. injustæ mortis, initum censetur irritum „ ut docet Sanch. *l.* 4. *de Matrim. d.* 12. *&* 14. Lu„ go *num.* 133. Et qui Ordines gravi mètu coactus „ suscepit, etsi Caracterem habeat, non tamen te„ netur ad continentiam, potestque secluso scan„ dalo, nubere, ut suo loco dicam.

ADDENDA.

164 Q. *Vasq.* 31. *An solus homo viator sit subjectum capax Sacramentorum?* R. Affirmativè: & hanc sententiam suppositis principiis fidei dicunt certam esse & evidentem, Suar. *d.* 14. *s.* 1. *Vasq. Gran.* licèt Bernal. *d.* 18. *s.* 1. contradicat: quidquid sit de hoc. Ratio à priori est voluntas Christi, quam colligimus tum ex constante Ecclesiæ traditione, tum ex consensu Theologorum omnium, teste Esparsa *q.* 22. Congruentia est quia solus homo viator secundùm modernam providentiam est capax primæ gratiæ vel augmenti ejusdem, non autem Beati vel Animæ purgantes, quibus jam data aut determinata est mensura suæ gloriæ, respondens gratiæ, quam in vita mortali habuerunt: multò minùs capaces sunt damnati, ut potè à Deo exterminati, ergo.

Objic. Beata Virgo non erat capax augmenti gratiæ, & tamen suscipit, saltem Eucharistiam. Similiter qui in mortali est, non est capax augmenti gratiæ, & tamen validè suscipit Sacramenta. R. B. Virginem fuisse capacem augmenti gratiæ, per se loquendo, & spectato statu, in quo erat, licèt aliquando tandem ita facta sit plena, ut propter extrinsecam Dei legem non esset augenda, quod per accidens est: & saltem erat capax dulcedinis spiritualis, quæ etiam est effectus Eucharistiæ, quam etiam ideò Christum Sacramentaliter sumpsisse docet S. Thom. *q.* 81. *art.* 1. *ad.* 3. Similiter qui in mortali est, ei convenit prima gratia, & augmentum priùs habitæ, si removeatur obex, estque per accidens, quòd hìc & nunc impediatur: sicuti enim homo quamdiù hìc sumit cibum, dicitur comedere, quamvis per accidens, quia æger est, non digerat, nec nutriatur; è contrà si esset in cælo, non diceretur comedere, quamvis sumeret cibum, quia non posset illo nutriri, ita & hìc. *Nec obstat*, quòd Christus post resurrectionem, Lucæ 24. *v.* 43. dicatur manducasse, *nam* ob statum gloriosum non erat capax nutritionis, sed Deus cibum illum annihilavit in ejus stomacho, uti docent *Theophyl. S. Aug. S. Th.* apud *Corn. à Lapide* ad illum locum.

165 *Q.* 32. *An ad validam susceptionem reliquorum Sacramentorum prærequiratur susceptio Baptismi?* Ratio dubitandi, quia *Cap. Veniens de Presbyt. non bapti*z; refert Innoc. III. sententiam aliquorum, qui dicunt non tantùm Sacramentum conjugii & Eucharistiæ à non baptizatis recipi posse, sed etiam alia, dummodò credant, & ita Christum habeant fundamentum per fidem Sacramenti. Similiter *Cap. Gaudemus*, 8. De divortiis dicitur, *cùm Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat* Et ibidem *Cap. Quanto*, 7. dicitur, *Et si Matrimonium verum inter infideles existat*, ubi Gloss. *lit. M.* addit, Baptismo flaminis baptizati, cum illi quoad gratiam baptizati intelligantur, accipere possunt Sacramentum Eucharistiæ. Sed R. cum Lugo *d.* 9. *n.* 1. Aversa *d.* 72. *s.* 6. §. *Dixi.* aliisque communissimè, Baptismum prærequiri ad validam susceptionem reliquorum Sacramentorum, quia Baptismus est *janua vitæ spiritualis, per quem membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ*, ut definit *Florentinum* in decreto Eugenii IV. ad Armenos, ideóque soli baptizati sunt subjecti Ecclesiæ, Sacramenta autem instituta sunt pro sola Ecclesia Christi, ergo. Et speciatim Eucharistiæ capacem non esse eum, qui baptizatus non est, docet Aversa *de Euchar. q.* 8. *s.* 1. §. *Secundò*, quia non genitus non potest nutriri. Unde sententiam *Marsilii*, qui putabat Cathecumenum contritum posse cum fructu communicare, Suar. *d.* 62. *s.* 2. vocat singularem & alienam à principiis omnium Theologorum. Ad Canones citatos dicendum est, imprimis matrimonium infidelium non esse Sacramentum, nisi latè & impropriè, cum maneat dissolubile, nam *cit. cap. Quanto*, additur Matrimonium infidelium non esse ratum, quia inquit Glossa *lit. H.* potest resolvi; & ita tenent omnes cum Sanch. *de Matr. l.* 2. *d.* 8. unde quando infideles conversi jubentur manere in suo conjugio, Gloss. *lit. F.* addit. *& videtur esse novum Matrimonium*, quia nempe tum renovato consensu fit iterùm contractus, qui est Sacramentum, uti tenent *Henriq. Bellarm.* & alii apud Sanch. *d.* 9. *n.* 4. Deinde si infidelis præmissa contritione vel amore Dei perfecto susciperet Eucharistiam, dicendum est causandam fortè gratiam, sed non ex opere operato, quia institutio Christi non fuit pro infidelibus.

166 *Q.* 33. *Quid præterea notandum sit circa intentionem sive consensum suscipientis, requisitum ad valorem Sacramenti?* R. Debet etiam hìc recoli ex dictis *lib.* 4. *n.* 1324. quid sit intentio, & quæ dicatur formalis, virtualis, habitualis, interpretativa: explicita, implicita, directa, indirecta: Quibus suppositis, adde seqq.

§. 1. Ad validam susceptionem Sacramenti non sufficit consensus purè indirectus sive in causa, uti habet communis cum Valent. Con. Compt. Dicast. *d.* 3. *n.* 329. Gob. *t.* 1. *n.* 235. Gorm. *d.* 5. *n.* 255. quia talis consensus potest consistere cum directa nolitione Sacramenti: sic potest Judæus velle somnum, prævidens se in eo baptisandum à Christiano: si tamen nolit baptizari, Baptismus erit invalidus: Et ratio à priori est, quia talis somnus est causa vel occasio planè per accidens talis Baptismi, ergo quamvis velit somnum, non ideò, vult Baptismum. Aliud est, si adfuisset simul intentio directa Baptismi, id est, si voluisset somnum, simul volens in eo baptizari, hæc enim sufficeret ad valorem, uti habetur in *Cap. Majores*, de Baptismo, & cum communi docent Con. *q.* 64. *n.* 106. Dicast. *n.* 329. Vide dicenda *n.* 357.

167 §. 2. Nec sufficit intentio sub conditione de futuro contingente, uti colligitur ex dictis. *n.* 81.

168 §. 3. Intentio ad valorem Sacramenti requisita in adulto suscipiente, non est uniformis; nam

1. Ad Baptismum sufficit habitualis, uti habet sententia certissima declarata à Conciliis & per usum Ecclesiæ inquit Arr. *d.* 22. *n.* 22. Imo secundùm Con. Rhod. Comp. *d.* 63. *s.* 5. *n.* 4. Dicast. *à n.* 323. Bernal. *d.* 18. *à n.* 64. Haun. *l.* 4. *n.* 752. Gob. *t.* 1. *n.* 236. Sporer *n.* 151. Bosco *d.* 1. *s.* 8. *n.* 30. contra Suar. Aversa. *q.* 64. *s.* 9. Lugonem *d.* 9. *n.* 130. Arr. *à n.* 17. sufficit implicita tantùm, contenta in contritione vel attritione, hinc secundùm illos posset Judæus vel etiam Ethnicus in periculo mortis baptizari si probabiliter judicaretur habuisse saltem attritionem, quia in hac includitur votum servandi

omnia

omnia præcepta, item accipiendi omnia media neceſſaria ad ſalutem, ideóque etiam ſuſcipiendi Baptiſmum. V. dicenda *n.* 358.

169 2. Ad Confirmationem ſufficit habitualis, fortè etiam interpretativa; uti ſentiunt Con. Arr. *n.* 10. Bernal. *n.* 87. contra Eſcob. *lib.* 8. *n.* 55. Non ſolet tamen dari ſenſibus deſtituto, ut notat Averſa, quia non eſt ità neceſſaria, & debet cum majore ſolemnitate conferri ab Epiſcopo. Notant etiam Sporer *n.* 156. & Gob. *n.* 239. extra periculum mortis vel amentiam perpetuam non præſumi voluntatem ſuſcipiendi Confirmationem, quia plerique potiùs volunt ſumere cum uſu rationis.

170 3. Ad Euchariſtiam, ſaltem requiritur habitualis. Attamen in moribundo rectè dicunt Suar. Con. Rhod. Lugo, Averſ. Bernal. *n.* 85. Sporer *n.* 154. etiam interpretativam ſufficere, præſertim ſi ante confeſſus eſt, quamvis jam à mente ſit amotus, dummodò abſit periculum irreverentiæ.

171 4. Ad Pœnitentiam requiritur ſaltem habitualis, & ſufficeret implicita vel interpretativa, uti volunt Rhod. & alii cum Sporer ſuprà & Boſco *n.* 27. contra Con. & Dicaſt. *dub.* 24. dummodò dolorem aliquo ſigno externo expreſſiſſet, quod ſignum eſſet loco Confeſſionis ſeu accuſationis ſui, nam probabile eſt, ſecundùm dicta *n.* 168. ad Baptiſmum ſufficere implicitam, *quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa*, inquit S. Auguſt. *lib.* 1. *De adulter. nupt. cap.* 28. *Si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipſum ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.* Cur autem requiratur ſignum externum doloris, rationem dat Lugo *n.* 124. quia Sacramentum Pœnitentiæ continet judicium externum circa peccata commiſſa, non poteſt autem Judex ex ſe inchoare judicium, niſi debitè imploratus, ſaltem à reo, à quo non imploratur debitè & proportionatè ad judicium externum, niſi per aliquam accuſationem externè poſitam, per quam ſimul dolorem internum reddat ſenſibilem, uti pluribus explicat idem Lugo *n.* 132.

172 5. Ad Extremam Unctionem ſufficit interpretativa, uti tenent omnes communiter cum Bernal. *n.* 79. hinc dari poterit lapſo in amentiam, quamvis fortè nihil ſciverit de Extrema Unctione. Cur autem intentio interpretativa ſufficiat potiùs ad Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, & Extremam Unctionem, quàm ad alia Sacramenta, hæc etiam eſt ratio, quia dicta Sacramenta minus incommodi vel oneris afferunt ſecum, ergo faciliùs præſumitur volitio generalis habendi talia bona, alioquin non facilè obtinibilia: & maximè de Extrema Unctione præſumit hæc voluntas quia cùm ſit poſtremum Sacramentum, & homines communiter tum poſſint eam petere, meritò præſumitur omnes eam velle, niſi de contraria voluntate conſtet.

173 6. Ad Ordinem, non ſufficit interpretativa, cum enim Ordo ſit immutatio totius ſtatus, afferatque gravia onera illi, qui adultus ſuſcipit, neque ſit neceſſarius ad ſalutem, ex eo, quòd aliquis volitione generali velit ſibi media ad ſalutem, non ideò vult Ordinem, uti cum communi Con. Averſ. Dicaſt. *n.* 228. Putat tamen Gob. *n.* 245. contra Con. & Dicaſt. ſufficere implicitam, ideóque validum fore Presbyterium illius, qui admiſiſſet Parochiam volens eam retinere, ſi poſteà in ſomno ordinaretur Presbyter, quia, inquit, in voluntate Parochiæ retinendæ continebatur voluntas intrà annum accipiendi Presbyterium.

174 7. Ad Matrimonium etiam non ſufficit interpretativa, ob rationem jam datam de Ordine. Quandoque tamen ſufficit habitualis, uti rectè Arriaga *n.* 27. Dicaſt. *n.* 308. Bernal. *n.* 77. Sporer *n.* 118. nam etiam ſufficit conſenſus ſemel poſitus & moraliter perſeverans, uti ſi Titius miſerit procuratorem, qui nomine ſuo contrahat Matrimonium; ſi Caja procuratori repromittat, etiam dormiente Titio, perficitur contractus, cum tamen intentio contrahendi & conſenſus eo tempore exiſtant tantum habitualiter. Putant quidem Rhod. Lugo *n.* 139. Boſco *n.* 49. intentionem & conſenſum Titii adhuc exiſtere ſaltem virtualiter, in quantum volitio procuratoris exiſtens eſt moraliter volitio Titii, quæ de facto etiam in Caja cauſat mutuum conſenſum, ſed rectè contradicit Bernal. *n.* 78. quià ſi Titius ante expletum contractum revocaret intentionem & conſenſum ſuum, quamvis poneretur volitio procuratoris, non fieret Sacramentum nec contractus, ergo in hac volitione, nequidem habitualiter, multò minùs virtualiter, manet intentio & conſenſus Titii.

175 *Objic.* In conficiente Sacramentum requiritur intentio ſaltem virtualis, ergo etiam in ſuſcipiente. R. Diſparitatem datam eſſe *n.* 56. in Obj. 2. quia nempe conficiens eſt agens, & quidem nomine Chriſti, ſuſcipiens autem eſt potiùs velut patiens.

Inſt. Si ſuſcipiens eſt velut patiens; ergo nequidem habitualis intentio requiretur ad ullum Sacramentum validè ſuſcipiendum. R. n. ſeq. eſt enim velut patiens, non purè phyſicum & mortuo modo, ſed voluntarium, debet enim admittere vel onera vel favores Sacramenti, ergo meritò requiritur aliquis ejus conſenſus.

176 §. 4. Quando ſufficit conſenſus habitualis, conferri poſſet validè Sacramentum illi, qui, quando erat compos rationis, voluit, aut probabiliter præſumitur voluiſſe illud; quamvis poſteà in amentia vel phreneſi expreſsè dicat ſe nolle, quia hæc revocatio non eſt actus humanus vel liber, ergo prior volitio humana & libera permanet habitualiter, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 12. Averſa *ſuprà* Gob. *n.* 226. aliique communiter. In dubio autem, an voluerit, dicunt Averſ. & J. Sanch. *d.* 44. *n.* 40. debere conferri ſub conditione. Quid verò faciendum ſit in dubio, an nunc, dum conſenſum revocat, ſit compos rationis, dicetur *n.* 340.

177 §. 5. Si quis ratione utens ore tantùm renuat, corde autem conſentiat in Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Extremam Unctionem & Ordinem, hæc Sacramenta erunt valida, ſi ipſi conferantur, uti rectè Boſco *n.* 32. in his enim Sacramentis non requiritur ullum ſignum externum interni conſenſus, quale tamen requiritur in Pœnitentia, ſecundùm dicta *n.* 171. & maximè in Matrimonio, quia alioquin acceptari non poſſet conſenſus.

178 §. 6. Ut Euchariſtia ſuſcipiatur formaliter in ratione Sacramenti, id eſt, cum fructu & affectu gratiæ, requiritur in adulto aliqua intentio, ſecundum ante dicta, hinc docent S. Th. *qu.* 80. *art.* 3. *ad* 3. Suar. *d.* 70. *ſ.* 3. Lugo *de Euchar. d.* 16. *n.* 22. aliique, ſi quis caſu comederet hoſtiam conſecratam putans eſſe panem alium, non fore Sacramentalem ſumptionem, ideoque nec ſatisfaciet præcepto communicandi in Paſchate, nec ideò accipiet gratiam, nam nullam videtur habere intentionem ſumendi, niſi ſumat more catholico, id eſt, loco, tempore, & modo debito; conſequenter non voluit ſumere tum, quando putaret ſe profanum panem ſumere, ſicut nec cum, quando dormiret, uti rectè Rhodes, Averſa, Lugo *n.* 127. Gob. *n.* 234. contra Arr. *à n.* 13. qui putat valdè probabile eſſe talem etiam cum fructu ſumpturum: Quod *n.* 15. affirmat etiam de illo, cui contra voluntatem in-

truſa eſſet Euchariſtia : Dicaſt. *de Euchariſt. d. 9. n.* 183. affirmat etiam de illo, qui poſt uſum rationis in amentia comederet Euchariſtiam, neſciens Euchariſtiam eſſe, quia quamvis fideles non habeant voluntatem abſolutam tali modo ſuſcipiendi Sacramenta, tamen prudenter præſumuntur habere voluntatem, ut, ſi ſuſcipiant, ſit valida, excepto Ordine & Matrimonio ; item, ut accipiant illorum fructum, quia hoc cedit, & ad reverentiam Sacramenti, quod alioqui eſſet invalidum, & ad utilitatem ſuam, qua alioqui carerent, quæ ratio probabilis eſt, atque ideò à potiori infert Lugo *de Euch. d.* 13. *n.* 28. ſi quis ſemel antehàc aut ante amentiam habuiſſet expreſſam voluntatem accipiendi fructum etiam ex caſuali comeſtione Euchariſtiæ, hunc non privandum fructu.

Quid dicendum ſit in caſu, quo ſuſcipiens haberet oppoſitas intentiones, vel erraret circa aliquid ſpectans ad Sacramentum, aut ad perſonam Miniſtri, intelligi poteſt ex dictis *à n.* 62. *&* 69. Ex hactenus dictis,

179 *Colliguntur ſeqq.* 1. Omnis homo, etiam infans & fatuus, eſt capax Baptiſmi. Omnis baptizatus eſt capax Confirmationis, Euchariſtiæ, & ſi maſculus ſit, Ordinis : ſolus baptizatus adultus eſt capax Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii.

180 2. Quamvis B. Virgo caruerit peccato originali, fuit capax Baptiſmi, quia finis illius erat, tum aggregare Eccleſiæ, tum cauſare caracterem & gratiam de ſe deletivam originalis, uti ſit in illo, qui anteà contritus poſtmodum ſuſcipit Baptiſmum.

181 3. Qui poſt Baptiſmum non peccavit, non eſt capax Pœnitentiæ, cujus materia ſunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa : Et Arr. *d.* 22. *n.* 2. dicit talem etiam non eſſe capacem Extremæ Unctionis, quia ejus forma videtur ſupponere peccatum, cum conferatur ad peccati reliquias aut pœnas delendas. Contradicit tamen in hoc Dicaſt. *de Extrema Unct. dub.* 10. putans ſatis eſſe, quòd potuerit peccare ; hinc etiam Compt. *d.* 63. *ſ.* 5. *n.* 1. dicit ſufficere, quòd quis libertate utatur, & capax ſit ſpiritualis auxilii, ad tentationes diaboli in agone ſuperandas : imò Dic. *n.* 149. refert multos, qui dixerunt B. Virginem ſuſcepiſſe Extremam Unctionem, quamvis Vaſq. & alii multi hoc negent.

182 4. Infans eſt capax Ordinis, uti docent S. Th. aliique communiter cum Dicaſt. *de Ordine dub.* 21. ita ut Caſtrop. *de Ord. p.* 7. *n.* 2. dicat, hanc ſententiam eſſe certam contra Durandum. Ideòque etiam Vaſq. Fill. Bonac. Dian. Caſtrop. Dicaſt. aliique, quos refert Gob. *t.* 8. *n.* 506. & ſequitur Spoſa famis : quod videtur intelligendum, ſi ex ea ſola neque enim videtur Sacerdos fructu Sacramenti privari, etſi ſumpturus calicem, ſimul etiam levare ſitim intenderet V. Bon. *l. c. n.* 34.

rer *n.* 65. docent infantem in cunis poſſe validè ordinari Epiſcopum. Probatur autem ex *Cap. de Cler. per ſaltum promoto*, ubi agitur de aliquo ante annos diſcretionis promoto in Subdiaconum, & poſtmodum omiſſo Diaconatu promoto in Presbyterum, qui jubetur ordinari Diaconus, ergo ſatis ſignificatur reliquos Ordines fuiſſe validos : quod autem dicitur de his Ordinibus, valet à pari de omnibus : Et congruentiam dat Haun. *l.* 4 *n.* 746. quia ſic ordinari eſt merus favor, ergo ſicuti poteſt quis legitimari vel nobilitari ante uſum rationis, ita etiam promoveri poteſt ordinari.

183 5. Infans non eſt capax Matrimonii, uti nec fatuus, quia non poteſt habere liberum conſenſum, qui eſt materia proxima hujus contractus *Nec obſtat*, quod per tutores queant contractus, quibus etiam obligantur poſt acceptum uſum rationis, *nam* Chriſtus hoc noluit de Matrimonio, quod omnimodam indiſſolubilitatem, & graviſſima onera affert : Et hoc reſcimus ex communi doctrina Eccleſiæ & Doctorum.

Q. 34. *An fides vel probitas ſuſcipientis requiratur ad valorem Sacramenti* ? R. Negativè (excepto Sacramento Pœnitentiæ) nam ità definiverunt Concilia & Pontifices, de quibus Suar. *d.* 14. *ſ.* 2. contra varios hæreticos, habetque praxis Eccleſiæ, quæ non reiterat Sacramenta v. g. Baptiſmum, Ordines &c. quamvis aliquis ea ſuſceperit in peccato mortali etiam contra fidem. *Nec obſtat*, quòd ille, qui in Paſchate ſuſcepit Euchariſtiam in mortali ſcienter, non ſatisfecerit præcepto, ſed teneatur iterùm communicare, *nam* hoc eſt tantùm ob præceptum Eccleſiæ, quæ vult Communionem eſſe dignam & fructuoſam. *Dixi*, excepto Sacramento Pœnitentiæ, nam ad dolorem ſupernaturalem prærequiritur fides, ſecundùm dicta *lib.* 2. *à num.* 14. & deteſtatio peccatorum ac propoſitum non peccandi de cætero etiam prærequiritur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, uti ſuo loco dicetur. 184

DUBIUM II.

Quid requiratur, ut Sacramentum licitè & cum fructu ſuſcipiatur ?

RESP. Ad effectum Baptiſmi, Pœnitentiæ, requiritur & ſufficit, præter voluntatem ſumendi Sacramentum, diſpoſitio fidei, ſpei & attritionis ; non autem requiritur charitas, ſive ut gratiam habeat, quia hæc Sacramenta dicuntur mortuorum, quòd ipſa primam gratiam, ſeu vitam donent. Ad reliqua verò Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, requiritur, ſit ut in gratia, quia illa non primam, ſed ſecundam tantùm gratiam, id eſt, augmentum tantùm gratiæ conferunt. Et ſi ſubinde per accidens dent primam, cum quis putat bona fide ſe carere mortali. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 6. Bon. *tom.* 1. *de Sacram d.* 1. *q.* 6. *p.* 2. *Unde reſolves :* 185

I. Etſi æqualiter diſpoſiti, æqualem ; magis tamen diſpoſiti, majorem Sacramenti fructum, præter caracterem, conſequuntur ; tum quia congruum eſt, Sacramenta ita inſtituta eſſe, ut uberior gratia detur, pro diſpoſitione ſubjecti : tum quia non videtur is, qui vehementer attritionem ad Baptiſmum vel Pœnitentiam affert, omni fructu carere.

II. Qui ſumit hoſtiam, quam neſcit eſſe conſecratam, cùm inſtar alterius animalis, ſine intentione ſumendi Sacramentum ſumat, accipit quidem materialiter rem, quæ eſt Sacramentum, non tamen ſacramentaliter & cum fructu. Idem docet Bon. de eo, qui ſumit Sacramentum ex cau-

ADDENDA.

Quæſt. 35. *Quid præterea notandum ſit circa diſpoſitiones prærequiſitas ad hoc, ut adultus licitè & cum fructu ſuſcipiat Sacramentum* ? R. Seqq. 186

§. 1. Caſtr. *t.* 4. *d.* 1. *p.* 12. *n.* 2. Con. *De fide d.* 14. *n.* 217. aliique dicunt ſuſcipientem Sacramentum, & præſertim Euchariſtiam, debere ſaltem ex præcepto elicere actum fidei : quæ ſententia, quoad Sacramenta mortuorum, vera eſt : è contrà reſpectivè ad Sacramenta vivorum ; & ſpeciatim ad Euchariſtiam, Suar. *d.* 63. *ſ.* 3. poſt concl. 2. negat neceſſariam eſſe fidem actualem hujus Myſterii ; hinc ſufficiet, inquit Lugo *de fide d.* 13. *n.* 51. ſi interveniat aliquis actus fidei implicitus & confuſo, per quem ſuſcipiens ex memoria notitiæ per fidem comparatæ habeat intentionem ſuſcipiendi Sacramentum

cramentum veluti aliquid habens ſupernaturalem operationem. Et rectè addit, non eſſe opus anxiari de eliciendo propterea hoc actus fidei, quia ſi habuerit de Sacramentis fidem explicitam, prout habere debuit, volitio ſuſcipiendi tale Sacramentum procedet à fide ſaltem confuſa, quæ recurret intellectui: ideóque etiam Amicus, *d.* 4. *n.* 97. dicit fidem & ſpem ad Sacramenta vivorum prærequiſitam includi in voluntate recipiendi tale Sacramentum: Utiliſſimum tamen eſt in praxi explicitè actus illos præmittere.

187 §. 2 Ante Baptiſmum requiritur actus fidei & ſpei ſupernaturalis, ſaltem virtualis, uti omnes docent cum Suar. *de grat. l.* 8. *cap.* 19. Et quando adeſt mortale perſonale, prærequiritur contritio vel attritio ſupernaturalis, uti docet Trid *ſeſſ.* 14. *de Pœn. c.* 1. his verbis, *fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato coinquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiiſſent*; probatque ex variis locis Scripturæ & ſpeciatim ex illo Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrùm.* Idem docetur *Cap. Omnis* 96. & Cap. *Agunt.* 97. De conſec. diſt. 4. Ex hoc autem, quòd Trid. prærequirat actum fidei, ſpei & pœnitentiæ, ſicut oportet, & ex motione atque adjutorio Spiritus Sancti rectè infert Amic. *n.* 76. hos actus debere eſſe etiam quoad ſubſtantiam ſupernaturales. Putant quidem aliqui cum Eſcob. *l.* 8. *n.* 280. poſſe per accidens ad Baptiſmum ſufficere dolorem virtualem, id eſt, implicitum, contentum in ſpe ſalutis ſuæ æternæ, ſi nempe aliquis immemor peccatorum, vel non cogitans de præmittendo actuali dolore cum tali actu ſuſciperet Baptiſmum, ſed Suar. Vaſq. aliique cum Caſtrop. *p.* 13. *n.* 7. communius contradicunt.

188 §. 3. Ante Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur actus ſaltem virtuales fidei & ſpei ſupernaturalis, uti explicatum eſt l. 2. à num. 14.

189 §. 4. Ante Sacramenta vivorum requiritur, per ſe loquendo, ſtatus gratiæ, cùm unuſquiſque de facto ſit vel in gratia vel in peccato mortali, & Sacramenta vivorum, per ſe loquendo, non cauſent primam gratiam, ſi inveniant peccatum mortale, non poterunt cauſare ſuum effectum.

190 §. 5. Propter ſpecialia præcepta præmitti debet Euchariſtiæ jejunium naturale à media nocte, & Confeſſio ſeu abſolutio directa ab omni mortali, uti dicetur num. 511. & à num. 533. Pro reliquis Sacramentis vivorum, ſi quis in mortali fuerit, ſufficit ſtatus gratiæ per contritionem, quamvis enim Marſil. & Adrian. putarint Confeſſionem prærequiri, tamen Vaſq. *d.* 136. *c.* 1. *n.* 3. Dicaſt. *d.* 3. *n.* 200. docent oppoſitum eſſe certum, ideóque ſufficere contritionem, tradunt Laym. *l.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 10. Lugo *d.* 8. *ſ.* 9. Arr. *d.* 20. *n.* 16. aliique communiſſimè cum Buſemb. *relato n.* 86. *Si dicas*, contritionem eſſe nimis difficilem. *Contra eſt*, quia homini ejus motiva ſcienti non eſt adeò difficilis: improbabiliter autem poſtulant aliqui Rigoriſtæ certam intenſionem vel durationem, uti oſtendam de Pœnitentia. Quòd ſi quis ultra attritionem aſſurgere non poſſet, per accidens apud eum prærequiretur Confeſſio.

191 §. 6. Si aliqua Sacramenta vivorum per accidens cauſare poſſint primam gratiam, prærequirent ſuſcipiente aliquem actum ſupernaturalem, ſaltem poſt ſuſceptum Sacramentum, uti dicetur à num. 197.

192 §. 7. Suſcipiens Sacramentum debet eſſe liber ab omni excommunicatione, & ab interdicto perſonali: & reſpectu Ordinum aut primæ Tonſuræ, etiam ab omni irregularitate, unde qui etiam per contritionem conſtitutus in gratia ſuſciperet ejuſmodi Sacramentum non remota prius cenſura vel irregularitate committeret grave ſacrilegium, quia ageret contra prohibitionem Eccleſiæ poſitam ex fine reverentiæ erga res divinas & Sacramenta; poſſet tamen excuſare ignorantia aut gravis metus, uti dicetur in materia de cenſuris. Plura, quæ ſpecialiter prærequiruntur ad hoc vel illud Sacramentum, & præſertim ad Ordines, deſignabuntur, quando de illis Sacramentis: Ex dictis

Colliges cum Lugo *de Euchariſt. d.* 14. *ſ.* 3. 193
Averſa *hìc q.* 64. *ſect.* 9. Dicaſt. *d.* 8. *dub.* 4. Tamb. *de Commun. cap.* 1. *n.* 12. ad principalem fructum Sacramenti, etiam Euchariſtiæ percipiendum non eſt neceſſariò requiri actualem devotionem, uti putarunt aliqui, apud Suar. *d.* 63. *ſ.* 3. & apud Amic. *d.* 4. *n.* 90. ſed ſatis eſſe accedere cum aliis diſpoſitionibus. Ad alios tamen abundantiores effectus, maximè autem ad gratias actuales tum accipiendas, multùm confert actualis devotio, uti omnes fatentur cum Averſa *de Euchar. qu.* 7. *ſect.* 5. ideóque Suar. & Amic. ad has gratias requirunt negationem diſtractionis; imò Rhod. putat ſemper eſſe ſaltem veniale, recipere aliquod Sacramentum ſine aliquo pio motu voluntatis, & conſentiunt Gob. *t.* 1. *n.* 259. & Sporer *hìc n.* 157.

Q. 36. *Quid dicendum ſit de caſu, quo quis Sa-* 194
cramentum ſuſcipit cum obice, vel cum peccato mortali? R. Seqq.

§. 1. Qui Sacramentum ſuſcipit cum obice, ſive cum impedimento, quominus in ſuſceptione Sacramenti cauſetur gratia, peccat, per ſe loquendo mortaliter, quia Chriſtus inſtituit Sacramentum, primario, ideò ut abſolutè practice ſignificaret gratiam, quando ſuſciperetur, qui autem ſuſcipit cum obice, facit, ut non poſſit abſolutè practicè ſignificare gratiam atque ita quaſi illudit Chriſto, & abutitur inſtitutione divina in re maximi momenti. Perinde autem eſt, ſive hic obex ſit poſitivus, uti eſt peccatum mortale in Sacramentis vivorum, ſive negativus, uti eſſet negatio fidei in baptizando. *Conf.* quia ſicut ille eſt graviter irreverens, inquit Lugo *diſp.* 9. *n.* 3. qui adducit Deum in teſtem rei falſæ: quamvis enim non faciat, ut Deus reipſa teſtetur falſum, tamen facit, ut hoc appareat; ita qui ſuſcipit Sacramentum cum obice, quia, quamvis non faciat, ut Deus reipſa ſignificet falſum, tamen facit, quantùm eſt de ſe, ut quodammodò videatur ſignificare falſum, ſive potiùs, ut non ſignificet hoc, quod dixit ſe ſignificaturum, ſi poneretur Sacramentum, & ideò etiam talis ſuſceptio cum obice à Theologis vocatur fictio, eſtque ſecundùm ſe gravius peccatum, quàm indigna confectio aut miniſtratio, uti cum aliis multis notat Dicaſt. *d.* 3. *n.* 340. *Dixi*, per ſe loquendo, nam licèt *Suar.* loquens *de Euchariſt. d.* 66. *ſ.* 1. *innuat* nullo caſu licitum eſſe ſuſcipere cum obice, eò quòd ſit præceptum naturale eam ſuſcipiendi in gratia, tamen contradicunt communiùs alii, *cum* Averſa *d.* 1. *ſ.* 8. *n.* 54. ſaltem pro raro *caſu*, v. g. ſi hoſtia alioqui eſſet profananda ab *hæreticis*, niſi ſtatim ſumeretur, ſicuti enim *tunc* poſſet recondi in foramen parietis, ita, *inquiunt* Dian. *p.* 11. *t.* 6. *R.* 2. & Tamb. *de Comm. cap.* 1. *n.* 75. poterit ſumi, ex intentione abſcondendi in ſe. De caſu, quo Sacerdos in Miſſa *recordaretur* mortalis, nec poſſet elicere *contritionem*, niſi cum certo diſpendio ſui honoris, *dicetur*, quando de Sacrificio.

Objic. Nullo caſu licitum eſt jurare falſum, ergo nec ſuſcipere Sacramentum cum obice, quia tam intrinſecè

intrinsecè malum est facere, ut Deus videatur significare falsum, quàm facere, ut videatur testari falsum.

Resp. n. conseq. & ejus probationem. Jurans falsum mentitur, & quantùm est de se, vult Deum esse testem, sive loqui pro veritate sui mendacii, ideóque vult, vel Deum nescire esse falsum vel saltem testari, hoc esse verum, quod tam ipse quàm Deus scit esse falsum, utrumque autem non potest non directè opponi infinitæ sapientiæ aut veracitati Dei. E contrà, qui Sacramentum suscipit cum obice, nihil simile facit, nam, non mentitur, nec vult Deum esse testem alicujus falsi, sed tantùm facit, ut signum, quod est institutum ad significandam practicè gratiam, hìc & nunc eam practicè non significet, per quod tamen signum Deus non loquitur, unde reipsa non vult, ut Deus hìc & nunc censeatur per illud loqui, sed tantùm facit, ut signum illud non sit efficax, quod Deus volebat esse efficax, ergo hìc non est ejusmodi directa oppositio ad aliquam perfectionem divinam, qualis est in perjurio. *Conf.* nam significare hìc, est causare, suscipiens autem indignè, tantùm facit, ut Deus videatur causare gratiam, quam tamen non causat, per quod directè non peccat contra ullam perfectionem divinam: non contra veracitatem, quia non facit, ut Deus videatur dicere se causare, sed tantùm facit, ut videatur causare, quod non est contra veracitatem: sed neque peccat contra omnipotentiam, cui non fit injuria, si videatur hoc causare, quod causare potest, & quod meritò causare deberet, imò potiùs fit honor omnipotentiæ, ergo simpliciter non peccatur directè contra ullam perfectionem divinam; & consequenter non ostenditur ratio, cur talis sumptio pro omni casu sit intrinsecè mala.

195 §. 2. Si quis Baptismum vel Pœnitentiam suscipiat in mortali, non peccat, nec impeditur gratia, dummodò habeat attritionem & cæteras dispositiones prærequisitas, quia hæc duo Sacramenta dicuntur Sacramenta mortuorum, eò quòd suscipi possint ab eo, qui non est in statu gratiæ, ideóque conferunt primam gratiam. Si autem unum ex reliquis Sacramentis suscipiatur in mortali, impeditur infusio gratiæ, ideóque peccatur mortaliter, etiam in Matrimonio per procuratorem inito, uti probat Mendo *d.* 12. *q.* 1. hoc enim Sacramentum; uti & reliqua, sunt Sacramenta vivorum, & quæ necessariò sumuntur in statu gratiæ, quia, per se loquendo, solam secundam gratiam causant, hinc docet Sanch. *de Matr. l.* 2. *d.* 11. *n.* 30. Volentem contrahere Matrimonium per procuratorem, teneri toto eo tempore esse in statu gratiæ, quo probabile est futurum, ut procurator contrahat.

196 §. 3. Sicuti *n.* 80. 97. 102. dixi conficientem Sacramentum non peccare mortaliter, dummodò sit in gratia ante plenè confectum Sacramentum, ità hìc videtur dicendum non peccare mortaliter suscipientem, dummodò sit in gratia ante plenè susceptum Sacramentum, unde ore sumens hostiam in peccato mortali non peccat mortaliter, dummodò voluerit conteri, & reipsa conteratur, antequam deglutiat, si priùs non potuerit confiteri, uti pluribus explicabitur *n.* 415.

197 §. 4. Sacramenta omnia, validè suscepta cum obice, postea reviviscunt & causant gratiam remoto obice, ita S. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 1. ubi cum dixisset Confessionem reviviscere sublata fictione, addit idem esse in aliis Sacramentis, Sequuntur Caj. Art. Castrop. *tract.* 18. *p.* 9. aliique multi cum Escob. *lib.* 8. *n.* 182. contra varios, quorum aliqui cum Med. apud Dicast. *de Bapt. d.* 2. *dub.* 15. negant ullum Sacramentum reviviscere ad gratiam. Sot. Bernal, Hurt. Bosco *d.* 1. *s.* 6. *n.* 63. dicunt reviviscere solum Baptismum. Dur. Palud. Amic. *d.* 4. *n.* 158. solum Baptismum, & Pœnitentiam: *Silv. Cov.* solum Baptismum, Confirmationem & Ordinem: Suar. Fill. Lugo, Illsl. *t.* 6. *d.* 1. *n.* 54. dicunt omnia reviviscere præter Eucharistiam, sed assertio nostra explicatur & probatur, nam

1. Quod saltem Baptismus reviviscat, est com- 198
munissima cum S. Aug. *de Baptis. lib.* 1. *cap.* 12. aliisque locis apud Aversam *q.* 69. *s.* 2. Dicast. *suprà.* Idem habet S. Th. *q.* 69. *art.* 10. & sequuntur alii SS. PP. apud Dicast. *n.* 165. & Gorm. *de Bapt. d.* 1. *n.* 25. Ratio autem à priori est voluntas Christi, quæ nobis innotescit, partim ex SS. PP. partim ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. ubi docet nos justificari per Baptismum in re vel in voto, quod verum non esset, si ille, qui cum obice suscepit Sacramentum, posteà per illum non justificaretur, nam non potest in re suscipere alium Baptismum, neque potest habere votum Baptismi alterius, cum hic sit ei illicitus, ergo justificatur per Baptismum antè in re susceptum.

2. Cum Confirmatio & Ordo non sint iterabilia, 199
congruum fuit, ut quando suscepta essent cum obice, si removeretur obex, ex vi Sacramentorum illorum darentur gratiæ, maximè actuales, utiles ad finem vel functiones ejusmodi Sacramentorum rectè obeundas, ergo congruentiùs dicitur, quòd etiam tum causetur gratia habitualis, nam ejusmodi auxilia dantur ad exigentiam gratiæ habitualis. Videri potest Aversa *q.* 72. *s.* 4. §. *Quintò.*

3. Eucharistia, saltem si removeatur obex, ante- 200
quàm consumptæ sint species, causabit gratiam, uti docent S. Th. *q.* 79. *ar.* 3. Scot. Dur. Castrop. *suprà*, Escob. *l.* 20. *n.* 491. aliique multi, quos citat & sequitur Aversa *de Euchar. qu.* 7. *s.* 1. quia cum hoc subjectum jam sit dispositum ad gratiam, & cum Sacramento permanente, adsit Auctor omnis gratiæ, non videtur negandum, quòd gratiam causet. E contrà si Christum jam desierit esse præsens, communior sententia est cum Suar. *d.* 63. *s.* 8. Aversa. & aliis contra Bonac. & Arriagam *d.* 14. *n.* 19. quòd non reviviscat ad gratiam, quia alioquin Sacerdos, qui quotidiè sæpissimè communicasset sacrilegè, si in fine vitæ pœniteret, acciperet ex opere operato vi Communionum sacrilegarum plus gratiæ, quàm qui quotidiè dignè communicasset, quod videtur incredibile.

4. Si possit dari Sacramentum Pœnitentiæ vali- 201
dum & informe, v. g. quia dolor, qui bona fide præmittitur, non extendit se ad omnia mortalia, quæ confitens commisit, sublato obice reviviscet ad gratiam, quia congruum est, ut sententia judicialis validè lata, quando posteà potest, detur executioni. *Conf.* nam omne mortale personale, secundùm modernam Dei providentiam, remitti debet, per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re vel in voto, uti docet Trid. *sess.* 14. *c.* 4. sed si daretur Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, quod sublato obice non revivisceret ad gratiam, posset aliquod mortale remitti absque Sacramento vel in re vel in voto, quia peccatum, ad quod non extendisset se dolor, posteà posset remitti per solam contritionem, in qua non excluderetur votum Pœnitentiæ, nam nemo, per se loquendo, obligatur ad bis validè confitendum idem peccatum, uti habet *S. Th.* suprà, ergo.

5. Cum Extrema Unctio non sit iterabilis in eo- 202
dem morbo, uti nec Matrimonium cum eodem homine supervivente, & tamen illi, qui hæc Sacramenta suscipiunt cum obice, maximè indigeant gratiis actualibus ad superandas molestias morbi

&c

& ad ferendas difficultates conjugii, hinc congruum fuit hæc Sacramenta reviviſcere ad gratias cauſandas dummodò obex removeatur intrà tempus ejuſdem morbi vel conjugii, uti docent Suar. Con. Lugo. Caſtrop. *& alii.*

203 6. Congruentiæ aliæ, cur Sacramenta meritò dicantur reviviſcere ad gratiam, etiam ſunt ſequentes. Imprimis, quia omnia Sacramenta validè ſuſcepta continent infinita Chriſti merita, quæ acceptata ſunt à Deo ad fines à Chriſto intentos, ergo cum remoto obice apta ſint in actu ſecundo movere Deum ad dandam ex illis meritis gratiam, reipſa ſic movebunt. Deinde, Sacramentum, hoc *ipſo*, quòd ſit validè poſitum, eſt & manet opus Chriſti, tanquam principaliter operantis, quòd autem gratiam non cauſet, eſt tantùm ex defectu diſpoſitionis in ſuſcipiente, ergo hac poſita reviviſcet, ſicuti alia bona opera mortificata per peccatum, ſublato peccato, reviviſcunt ad præmium. Denique, Sacramentorum inſtitutio interpretanda eſt fuiſſe talis, qualis maximè decebat divinam Bonitatem & Beneficentiam Chriſti erga nos, quæque magis invitaret homines ad reſurgendum à peccatis, hæc autem omnia magis habentur, ſi dicamus omnia Sacramenta ſublato obice reviviſcere etiam ad gratiam, ergo

204 7. Sacramenta ſublato obice reviviſcunt etiam, quoad remiſſionem venialium, quæ remiſſa fuiſſent, ſi abfuiſſet obex. Suar. Lugo, Dicaſt. *n.* 173 contra Vaſq. cui favet Arr. *d.* 15. *n.* 23. Ratio eſt, quia ſicuti reviviſcunt ſublato obice remiſſionis mortalium, ita reviviſcent ſublato obice remiſſionis venialium, idem enim eſt de utriſque.

205 8. Quod dictum eſt de reviviſcentia Sacramentorum ad remiſſionem mortalium & venialium, valet etiam ad remiſſionem pœnarum, talibus peccatis debitarum, nam etiam de his eadem eſt ratio; & idem conſequenter dicendum eſt de reviviſcentia, quoad jus proximum ad gratias actuales poſteà dandas ſecundùm exigentiam gratiæ habitualis per Sacramentum reviviſcens cauſatæ.

206 *Dixi*, Sacramenta omnia validè ſuſcepta, quia ſi ſint invalidè ſuſcepta, nunquam extiterunt, ergo non poſſunt reviviſcere.

207 §. 5. Si obex gratiæ fuit tantùm negativus, id eſt, ſi Sacramentum ideò non cauſavit gratiam, quia aliquid defuit ad hoc, ut gratia cauſaretur, Sacramentum reviviſcit, ſi hoc ponatur quod defuit; v. g. ſi adultus in ſolo originali conſtitutus ſuſceperit Baptiſmum ſine actu fidei, poſito hoc actu fidei reviviſcet Baptiſmus, uti habet S. Th. *q.* 69. *art.* 10. *in O.* & eſt communis cum Gorm. *de Baptiſm. d.* 1. *n.* 26. Si tamen talis adultus ſimul haberet mortale perſonale ante Baptiſmum commiſſum, requireretur ſaltem attritio de illo, qua poſita Baptiſmus reviviſceret, uti habet S. Th. *ad* 2. *&* 3. aliique cum Averſa *q.* 68. *ſ.* 6. §. *Tertiò*, *&* *q.* 69. *ſ.* 4. §. *In primis*, Caſtrop. *p.* 10. contra *Alenſ. Nav. Gabr. Victor. Vaſq.* illa enim ſola ab initio defuerat. Quòd ſi etiam ſupervenisſet mortale poſt Baptiſmum commiſſum, ad hunc obicem removendum opus eſſet contritione vel attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, uti tenent S. Th. *ad* 3. Con. Lug. Arriag. Eſparſa, Averſa *q.* 69. *ſ.* 3. aliique communiter contra Palud. Silveſt. Dicaſt. *à n.* 199. Gorm. *n.* 27. nam peccatum poſt Baptiſmum commiſſum eſt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, uti declarat Trid. *ſeſſ.* 14. *de Pœnit. c.* 2. *in fine*, ergo Baptiſmus non extendit ſe ad peccatum commiſſum poſt Baptiſmum.

208 *Q.* 37. *An & quomodo peccet, qui Sacramentum ſuſcipit cum peccato veniali?* R. Si ſuſcipiat cum veniali tantùm habituali, nullo modo peccat, per ſe loquendo: ſi autem cum veniali actuali, vel cum complacentia ad veniale, non peccat mortaliter, uti rectè Suar. *d.* 7. *ſ.* 4. quia non ponit obicem effectui primario, qui eſt gratia ſanctificans. *Nec obſtat*, quòd impediat intenſiorem gratiam, & ſaltem majores gratias actuales, *nam* non ideò peccat mortaliter: probabiliter tamen dicit Spor. *n.* 195. peccari ſaltem venialiter. Vide dicenda *n.* 522.

209 *Q.* 38. *Quid dicendum ſit de illo, qui Sacramentum petit ſibi conferri ab indigno Miniſtro?* R. Seqq.

§. 1. Peccat, qui extra neceſſitatem extremam Sacramentum petit à Miniſtro non tolerato, quia fideles prohibentur communicare cum illo, excepto caſu extremæ neceſſitatis, ſi nempè aliquis eſſet moriturus ſine Baptiſmo aut Pœnitentia, vel ſecundùm Eſcob. *l.* 8. *à n.* 288. Dicaſt. *d.* 3. *dub.* 13. Herincx *d.* 3. *n.* 110. alioſque multos, ſi in horum Sacramentorum defectu eſſet moriturus ſine Euchariſtia & Extrema Unctione, eò quòd hæc Sacramenta per accidens cauſare poſſint primam gratiam, nec credibile ſit Eccleſiam velle privare illo medio. Et quidem peti poſſe abſolutionem in illa neceſſitate, ſatis conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 14. *de Pœnit. c.* ubi docet omnes Sacerdotes tum habere poteſtatem abſolvendi. Addit Suar. *d.* 72. *ſ.* 4. *ſub finem*, poſſe à quocunque etiam non tolerato peti Viaticum, licèt non defuiſſet abſolutio Sacramentalis; ita petitur ex *cap. Quod in te*, *de Pœnit. & remiſſ.* ubi ſic habetur: *In illo verbo, per quod Pœnitentia morientibus non negamus, viaticum etiam, quod pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipſum decedentibus denegetur.* De Extrema tamen Unctione oppoſitum dicit *Inn. III.* ibidem.

§. 2. Illi dicuntur non tolerati, qui ſunt nominatim excommunicati & publicè denunciati, notorii percuſſores Clerici, publicè in perpetuum degradati, publicè & nominatim ſuſpenſi, publicè irregulares per ſententiam: Herincx *n.* 108. Item in quibuſdam diœceſibus Belgii, publici fornicarii vel concubinarii, Platel. *n.* 78. Poteſtque videri etiam Suar. *de cenſuris d.* 9. *ſ.* 2. 210

§. 3. Ex cauſa rationabili, & quando *deeſt* alius, licitum eſt ſuſcipere aut etiam petere Sacramentum à Miniſtro tolerato, qui poſſit dignè miniſtrare, quamvis prævideatur indignè miniſtraturus, ita Averſa *q.* 64. *ſ.* 11. ubi plures refert ſententias. Ratio eſt, quia miniſtratio Sacramenti eſt actio de ſe honeſta, quæ à Miniſtro tolerato etiam poſſet hìc & nunc dignè poni, uti ſuppono, ipſe autem jus habet ad tale Sacramentum, ergo impediri non debet per malitiam Miniſtri, nec charitas obligat, ut cum gravi ſuo incommodo caveat peccatum proximi, quod ipſemet, ſi vellet, cavere poſſet, unde petere potero. 1. In gravi neceſſitate ſpirituali mea vel alterius, pro quo peto. 2. Quando urget præceptum, v. g. Confeſſionis, Communionis, Miſſæ audiendæ, uti habet communior contra *Wiggers* & alios, hæc enim præcepta ſunt in poſſeſſione, neque certus ſum me in his circumſtantiis deobligari. 3. Quando alioquin privarer magna utilitate, uti ſi alias non poſſem lucrari Jubilæum. Et univerſaliter dicit *Dicaſt.* ſuprà, quando receptio Sacramenti ab hoc homine eſt futura mihi utilior vel commodior, quàm ſi ab alio peterem; pro qua ſententia citat multos. Similiter Gob. *t.* 1. *n.* 264. dicit me poſſe petere, ſi ſine aliquo incommodo non poſſem habere alium; ſed intelligi debet non qualiſcumque utilitas, ſed notabilis, nec qualiſcumque commoditas, ſed talis, quæ me liberet notabili incommodo alioquin ſubeundo, hinc licèt *Suar. & Arr.* quibus favet Eſcob. *n.* 516. dicant

licere petere saltem à parato, vel ab eo, qui se offert, hoc ipso, quòd aliàs deberem carere gratia Sacramenti, quæ est magnum bonum, tamen meliùs contradicunt alii, quia bonum illud est facilè compensabile alio tempore: unde etiam præcisè lucrari Indulgentias non videtur causa sufficiens, si occasio lucrandi similes sæpè recurrat. Quomodo autem liceat petere Matrimonium cum aliquo, qui indignè susceperturus est, dixi *n.* 147.

212 *Dixi*, quando deest alius, nam probabilius est cum Con. *q.* 64. *n.* 49. Escob. *n.* 313. & aliis contra Valent. Præpos. Diana *p.* 5. *t.* 7. *R.* 4. & alios apud Tamb. *in Decal. l.* 5. *c.* 1. §. 4. *à n.* 65. non licere, si in promptu sit alius, quamvis prior esset proprius Parochus, qui etiam esset de se paratus, quia charitas saltem in Deum, suadet, ut peccatum proximi, si facilè possim, impediam, ne saltem consummetur, aut continuetur, aut fiat majus, unde meritò concludunt Aversa & Escob. *n.* 316. prudenti judicio discernendum esse pro varietate rerum, & circumstantiarum, quanta & qualis necessitas sufficiat, variæ enim sunt conditiones suscipientium, ministrantium, & ipsorummet Sacramentorum, & de his regulis discernendis, quando nam licitum sit cooperari peccato proximi, videri possunt dicta *l.* 2. *à n.* 255.

213 *Objic.* Si proximus esset casurus in morbum gravem, nisi omitterem Missam die festo, ex charitate tenerer omittere, ergo multò magis, si est peccaturus. Resp. n. conseq. nam 1. vitatio morbi non esset libera proximo, sed mihi soli, ideoque meritò mihi imputaretur morbus & non ipsi; è contrà vitatio peccati maneret ipsi libera, ergo si committeret, non imputaretur mihi, sed ipsi. 2. Proximus non posset aliter vitare morbum, ergo charitas suaderet, ut ego ipsi succurrerem: è contrà ipse posset aliter vitare peccatum, nempe disponendo se ad dignam administrationem, ergo si non faceret, ipsi tribueretur.

214 *Objic.* 2. Si scirem Medicum sanaturum me per artem magicam, quamvis me posset sanare per artem medicam, peccarem petens sanari ab illo, ergo etiam pecco petens Sacramentum, & sciens Ministrum peccaturum, quamvis ministrando posset non peccare. R. n. conseq. pecco in primo casu, non quia Medicus peccabit, sed quia ego simul communico cum dæmone, à quo admitto beneficium, dicor enim usurpare medicamenta, quæ prævideo applicanda tanquam instrumenta meæ sanitatis recuperandæ, est autem illicitum admittere beneficium à dæmone, aut habere ullum cum eo commercium, uti dictum est *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 27. Simile nihil est, si aliquis mihi indignè ministret Sacramentum.

215 §. 4. Quamvis licitum sit petere Sacramentum à Ministro excommunicato vel suspenso tolerato, ipse tamen non potest se ingerere, sed tantùm poterit conferre, si requiratur, uti ex Extra-Vagante, *Ad evitanda scandala*, colligunt Herincx *à n.* 104. & Bosco *d.* 1. *s.* 8. *n.* 89. An autem sit obligatio petendi Viaticum à Sacerdote hæretico, &c. dicetur *à n.* 620.

216 §. 5. Non est obligatio inquirendi in probitatem vel mores Ministri, sed censeri debet bonus, quamdiu non probatur esse malus, Aversa *suprà*, Dicast. *n.* 301. & alii communiter: qui ideò inferunt cum Suar. Regin. Spor. *n.* 180. quamvis scires Ministrum non Parochum, & etiam se non offerentem, paulò ante mortaliter peccasse, te tamen posse ab eo petere Sacramentum, quia potes præsumere, quòd sit se dispositurus saltem per contritionem. Limitant Herincx *n.* 98. & Bosco *n.* 60. nisi constaret ipsum esse consuetudinarium, aut semper esse in occasione proxima peccandi, tum enim prudenter præsumi posset status malus Addit etiam Gob. *t.* 1. *n.* 265. si facilè possis habere alium, ut non requiras talem: similiter si quis sciretur paulò ante peccasse, nec fuisset tempus pœnitendi, non esset licitum ab eo petere Sacramentum jam statim administrandum, uti nec facilè peti debet Missa, quando Confessionem præmittere non potest, quæ ex præcepto Ecclesiæ præmitti debet ante Communionem: petere enim in circumstantiis, in quibus moraliter non potest se disponere ad dignè ministrandum, est inducere ac formaliter cooperari ad peccatum, quod nunquam licet. Putat tamen Bosco *n.* 95. per se loquendo, licitum fore admittere Sacramentum à tali homine ad evadendam mortem, quia tum censerer ejus peccatum permittere.

217 *Q* 39. *An peccet, qui in susceptione Sacramenti, sequitur sententiam tantùm probabilem?* Resp. Hoc resolutum esse suprà *à n.* 105.

CAPUT IV.

Quid sint Sacramentalia, & quid efficiant? 218

Resp. I. Cæremoniæ Ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur Sacramentalia, sunt actus externi religionis ad colendum Deum accommodati. Tales autem communiter vocantur, oratio Dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, eleemosyna, benedictio ab Episcopo vel Abbate consecrato data, quæ ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia; & continentur hoc versu.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens:

Ad quæ etiam revocantur, tunsio pectoris, unctio in Regem, & similes: item multæ aliæ cæremoniæ, & res etiam ipsæ sacræ, quæ in Ecclesia partim ab Apostolis traditæ, partim posteà institutæ sunt, ut Exorcismi, insufflationes, prima tonsura, benedictiones & consecrationes variarum rerum, & personarum, ut Ecclesiæ, calicum, &c. ipsæ etiam herbæ, lumina, vinum S. Joannis, cerei agni, signum S. Crucis. Quæritur ergo, quam vim habeant, non ex opere operantis, cum certum sit, sicuti per alia pia opera, sic etiam iis nos mereri, sed ex opere operato?

Resp. II. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam, aut remittendi peccata vi sua, & per se, sed tantùm, quatenus in nobis pium motum excitant. Ratio prioris est, tum quia nusquam promissio gratiæ, aut remissionis peccatorum, iis facta reperitur; tum quia peccatum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiæ, quam conferendi ea nullam per se habent vim. Ratio posterioris, quia id accommodatum est sacramentalium institutioni & consecrationi, quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus ipsa nobis tales motus precatur, Kon. *q.* 71. *ar.* 3. *Unde resolves*:

I. Gratiæ prævenientes, & pii motus, conferuntur per sacramentalia, per modum impetrationis, quæ non omnino infallibilem effectum habent.

II. Peccat graviter, qui sacramentalibus falsam materiam supponit, ut pro aqua lustrali faciendâ, urinam.

III. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, per modum impetrationis, ratione precum Ecclesiæ. Imò quædam etiam vim habere (v. g. fugandi dæmonem), per modum operis operati; ex singulari privilegio, docent Henriq. *l.* 1. *cap.* 2. Sotus, & alii, quia, inquiunt, etiam Ethnici, in quibus nec intercesserunt preces Ecclesiæ, nec meritum operantium,

„ rantium, quandoque ſigno Crucis (quod quidam
„ etiam putant de nomine Jeſu) à dæmone liberati
„ fuiſſe dicuntur: quod tamen alii eorum virtuti
„ objectivæ, quaſi naturali adſcribunt; de quo plu-
„ ra apud Scholaſticos. V. Merat. *d.* 10. *ſ.* 1.

ADDENDA.

219 *Quæſt.* 40. *Quid præterea notandum ſit circa Sacramentalia?* R. Seqq.

§. 1. Sacramentalia ſtrictè ſumpta, ſunt ritus ſive actiones religioſæ ad decentem ac devotam Sacramentorum adminiſtrationem ab Eccleſia inſtitutæ, quales ſunt trina affuſio aquæ in Baptiſmo, formatio crucis ſuper pœnitentem abſolvendum, benedictio nuptialis in Matrimonio &c. de quibus ita definit Trident. *ſeſſ.* 7. *de Sacramentis in genere Can.* 13. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem poſſe mutari, anathema ſit.* Ratio autem eſt, quia Eccleſia præcipit illos, & quidem graviter, ubi materia eſt gravis, idque ex motivo religionis, ergo contraveniens, per ſe loquendo, peccat graviter contra virtutem religionis, Dicaſtill. *d.* 3. *dub.* 16.

220 §. 2. Docet Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalva illorum ſubſtantia ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Itaque cæremoniæ univerſales, & toti Eccleſiæ communes creduntur eſſe ab Apoſtolis vel Summis Pontificibus, ac proinde non poſſunt, niſi à Summo Pontifice, & quidem ob graviſſimas cauſas mutari, uti rectè Arr. *d.* 23. *n.* 5. E contrà cæremoniæ ſpeciales privatarum Eccleſiarum plerumque ſunt ab Epiſcopis, quæ ab illis mutari non debent ſine gravi cauſa; mutari tamen abſolutè poſſunt ab illis, quia ſequentes Epiſcopi habent poteſtatem æqualem prioribus: Si tamen à Papa confirmatæ fuiſſent, Epiſcopi mutare non poſſent, quia inferior derogare non poteſt illi, quod à Superiore conſtitutum eſt.

221 §. 3. Tenendum eſt cum Suar. *d.* 15. *ſect.* 4. Lugo, Eſp. *q.* 36. *c.* 3. *n.* 6. Buſemb. *ſuprà*, nulla Sacramentalia conferre ullum effectum ex opere operato, licèt contradicant *Ledeſm. Sot. Carthag. Vict. Valent.* & alii, qui virtutem illam dicunt ineſſe Sacramentalibus ſtrictè ſumptis, imò Sacramentalibus etiam latè ſumptis ejuſmodi virtutem ineſſe ad aliquos effectus, docet ut probabile Bellarm. *de Baptiſm. lib.* 1. *c.* 31. *prop.* 3. & ita remittere venialia dicit ſatis probabile eſſe Baſæus *in Floribus v. Pœnitentia n.* 6. ſed ratio noſtra eſt, quia talia non ſunt inſtituta à Deo vel Chriſto, ſed ab Eccleſia, quæ non habet poteſtatem ejuſmodi actioni dandi vim in fallibilem cauſandi talem effectum.

Objic. 1. Eccleſia habet poteſtatem remittendi pœnas temporales ex opere operato per Indulgentias, ergo etiam cauſandi ex opere operato ſimiles effectus per Sacramentalia. Reſp. neg. conſeq. Remiſſio pœnarum per Indulgentias fit propter ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, & Deus dedit poteſtatem Eccleſiæ, ut earum partem applicare poſſit fidelibus, ut dicetur de Pœnit. ſimile nihil voluit vel inſtituit Deus circa Sacramentalia.

Objic. 2. Saltem ejectio dæmonum cauſatur ex opere operato per exorciſmos vel adjurationes ſecundùm illud Matth. 10. *v.* 1. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos*; & Marci 16. *v.* 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Reſp. Hoc non fieri ex opere oporato, cùm non ſemper infallibiliter fiat, ſed quandoque fit, vel ex opere operantis, vel propter impetrationem Eccleſiæ, cujus preces interponuntur, & ad quarum poſitionem Deus injicit fortem timorem dæmonibus, ſicque cogit exire, uti notat Arr. *n.* 10. Quod etiam applicari debet exorciſmis fieri ſolitis ante baptiſmum, de quibus quamvis S. Th. *q.* 71. *art.* 3. dicat, quòd aliquid efficiant independenter à Sacramento, tamen non dicit, quòd aliquid efficiant ex opere operato, ſed ex opere operantis, maximè ratione Eccleſiæ, inquit Averſ. *q.* 60. *ſ.* 6. cujus nomine fiunt, & quæ impetrat, ut dæmon in hominem baptizandum non amplius tantam habeat potentiam.

Q. 41. *Quid circa Agnos Dei, & alias res benedictas ſit notandum?* R. Seqq. 222

§. 1. Agnus Dei eſt cera alba à Papa Benedicta; & nominatur Agnus Dei à figura agni, quæ ſuper illa imprimitur.

§. 2. *Greg. XIII.* Prohibet ſub pœna excommunicationis ne Agni Dei inaurentur aut ullo colore pingantur, uti refert Azor. *p.* 1. *l.* 9. *cap.* 9. Si tamen ità antecedenter picti ſint, non eſt illicitum eos retinere, Sanch. *in Decal. l.* 2. *c.* 43. *n.* 28. dummodò non retineantur ad vendendum, inquit Diana *p.* 3. *tr.* 6. *R.* 12. 223

§. 3. Agnos Dei ideò vendere cariùs, quia benedicti ſunt, eſt irreverentia, & ſimonia, quia pretio temporali æſtimatur ſacra benedictio; vendi tamen poſſunt ſecundùm materiam ſuam, & habita ratione pretii pro deportatione Roma huc, uti rectè Sanch. *n.* 2. aliique communiter cum *Diana* ſuprà, quamvis videatur contradicere *Azor.* putans id eſſe illicitum propter poſitivum præceptum *Greg. XIII.* 224

§. 4. *Azor Sanch. Lezana* & alii cum Loth. *t.* 24. *art.* 4. dicunt non licere, per ſe loquendo, attingere Agnos Dei, niſi Subdiacono, *quia non tantùm* benedicuntur, ſed etiam *oleo ſacro* & chriſmate conſecrantur, *ſicuti calices*, ergo ſicuti nemo audet tangere calices conſecratos, niſi Subdiaconus, ita nec Agnos Dei: ſed ratio illa non adeò urget, calices enim deſtinantur ad continendum Sanguinem Chriſti, hinc calicibus debetur major reverentia; & videtur certum, non eſſe plus, quàm veniale, ſi laïcus vel fœmina tangat ceram Agni Dei; imò nullum eſt peccatum, *ſi quis* tangat ex juſta cauſa, v. g. ut imponat capſulæ, fit enim hoc ex pietate, & cum morali quadam neceſſitate, ita *Loth.* aliique apud Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 330. imò Sanch. *n.* 27. Dian. ſuprà & alii credunt uſum nunc obtinuiſſe, ut etiam laicis, & fœminis liceat attingere, quamvis *Gob.* teneat oppoſitum tanquam probabilius. 225

§. 5. Si quis ceram Agni Dei benedictam liquefaciat cum alia cera non benedicta, tota cera fit benedicta, dummodò quantitas benedictæ ſuperet, ad eum modum, quo aqua non benedicta, *ſi effundatur* benedictæ, fit benedicta, uti pluribus docet Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 23. *à num.* 261. id tamen in Agnis Dei illicitè fieri docet Gob. *ſuprà in Exp. num.* 332. quamvis licitè fiat in aqua benedicta, quia illa liquefactio ceræ eſt contra mentem Pontificum, qui conſecrationem omnem ejuſmodi ceræ videntur ſibi reſervaſſe. 226

§. 6. Si quis oſſa Agni, *qui* in Paſchate benedicitur, det canibus, *aut putamina ovorum*, quæ etiam tunc benedicuntur, projiciat in fimentum, *Gretſerus* dicit peccare, quia rem benedictam non tractat decenter; *hinc* vult comburi, & cineres decenter tractari: *ſed* probabilius eſt in neutro peccari, *tum quia illa* non cenſentur benedici, ſed acceſſoriè 227

cessoriè & per accidens habent se ad comestibilia, super quæ censetur cadere benedictio, tum etiam, quia res ejusmodi non benedicuntur benedictione constitutiva sive consecrativa, id est, per quam reddantur res in rigore consecratæ, sed tantùm benedictione invocativa, per quam solùm invocatur specialis assistentia Dei circa rerum illarum usus, quæ autem sic benedicuntur, possunt adhiberi ad omnem usum, ad quem poterant, antequam benedicerentur, nam etiam sæpissimè à Sacerdote benedicuntur omnes cibi ante mensam, & tamen posteà ex illis cibis datur canibus, Cajet. Laym. *l. 5. t. 9. c. 13. n. 4.* Gob. *suprà in Quin. n. 252.* Similiter est licitum candelis vel aqua benedicta uti ad alios usus profanos & decente, v. g. ad habendum lumen pro studio, ad miscendum vinum pro potu, *Tambur.* apud Gob. *n. 259. & in Exp. n. 334.* quamvis alii contrarium suadeant.

228 §. 7. Missalia vel Biblia sacra non debent facilè adhiberi ad usus profanos, Gob. *n. 371.* dicens malè fieri, si ideò dissolvantur, ut v. g. serviant compingendis libris, sicuti enim imagines, quia repræsentant Sanctos, censentur res sacræ, ideóque coli debent, & non adhiberi ad usus sordidos: ita libri illi, qui tantùm sunt ad continendas, & referendas res sacras, nam etiam litteras à principibus ad nos scriptas solemus in honore habere. Aliud est de cartis aliis, quibus sacra nomina initio paginæ aut per decursum incidenter inscribuntur: hæc enim sunt tantùm accessoriè, neque cartæ ejusmodi ideò censentur sacræ, sed sine scrupulo adhiberi possunt ad quoslibet usus. Notatque etiam Gob *n. 374.* non apparere irreverentiam in hoc, quòd folia Bibliorum casu, aut vetustate dissoluta convertantur in usum profanum; De cultu imaginum, & reliquiarum videri debent dicta *l. 3. p. 1. à n. 15.*

Qui plura volet de Sacramentalibus, consulat Raynaudum *Tom. 16. à p. 191.* Idem Auctor *Tom. 10. tr. 3.* agit de Agno cereo; *& tr. 4.* de benedictione Rosæ in Dominica 4. Quadragesimæ, ubique multa eruditione scribens.

TRACTATUS II.

De Baptismo, & Confirmatione.

CAPUT PRIMUM.

De Baptismo.

229 „ NOn agitur hìc de Baptismo sanguinis, id
„ est, Martyrio; nec de flaminis, seu spi-
„ ritus, id est, contritione, cum voto Baptismi,
„ vel desiderio; quia non sunt Sacramenta; sed
„ de Baptismo fluminis, qui definitur, Ablutio cor-
„ poris exterior, facta sub præscripta forma ver-
„ borum.

ADDENDA.

230 QUæst. 42. *Quid notandum sit circa Baptismum sanguinis sive Martyrium?* R. De ethymologia & variis nominibus Baptismi, videri potest Arcudius *in Concordia Ecclesiæ occid. & orient. l. 1. c. 6.* Circa Baptismum sanguinis sive Martyrium, nota seqq.

§. 1. Martyrium ex vi vocis significat testimonium: potest autem definiri, *perpessio mortis vel cruciatus lethalis pro Christi fide*: unde ad Martyrium requiritur, vel mors ipsa, vel saltem cruciatus illativus mortis, nam S. Joannes Evangelista fuit verè Martyr, licèt è fervenți oleo per miraculum illæsus evaserit. 2. Perpessio ob fidem Christi, nam *Martyrem facit non pœna sed causa*, inquiunt *S. S. Cyprianus, & Augustinus.* 3. Illatio mortis vel cruciatus in odium fidei Christi.

§. 2. Quamvis Martyrium, prout est commune 231
infantibus, non requirat voluntariam acceptationem, hanc tamen requirit in adultis, & quidem talem, quæ sit ex motivo supernaturali, uti cum communi Avers. *q. 70. s. 6. §. Primò* alioquin neque in rigore esset confessio Christi, neque actus virtutis Christianæ: sufficit tamen voluntas habitualiter perseverans, Caj. Con. Bon. Gob. *in Exp. t. 2. à num. 615.* Hinc qui in somno occideretur ex odio fidei, esset Martyr. Si tamen antecedenter nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, Suar. Less. Laym. Dicast. *de Bapt. d. 3. n. 7.* negant fore Martyrem.

§. 3. Mors censetur, inferri ob fidem Christi, 232
si inferatur propter opus vel defensionem alicujus virtutis Christianæ, quia opera, secundùm quod referuntur ad Deum, sunt quædam protestationes fidei, & qui potiùs vult mori, quàm deficere à virtute, facto ipso protestatur Deum esse summè venerandum, S. Th. 2. 2. *q. 124. art. 5.* Avers. §. *Secundò* Gob. *à num. 604.* Et ita *S. Joannes Baptista*, non pro fide, sed pro reprehensione adulterii occisus est, uti & alii apud Mendo *d. 9. n. 26.* qui tamen sunt verè Martyres.

§. 4. Si Sacerdos Catholicus ideò occidatur quia 233
contra prohibitionem venit in regnum acatholicum est Martyr, quamvis enim obtendatur violatio legis civilis, reipsa tamen simul influit odium fidei vel religionis, ex quo lata est talis lex, Dicast. *num. 48.*

§. 5. Si quis invincibiliter putet ēpus, ob quod 234
moritur, esse actum virtutis, cùm tamen non sit, Rayn. *tom. 18. de Martyrio per pestem p. 2. cap. 3. n. 17.* dicit esse Martyrem, quia ideò moritur, quòd nolit agere contra conscientiam invincibiliter errantem, hoc autem est mori propter Deum, & virtutem, ergo.

§. 6. De fide est, illos, qui seipsos occidunt, 235
etiam propter peccatum, à se perpetratum non esse Martyres, nam Donatistæ & Circumcelliones id docentes damnantur *in Concil. Rom.* sub *Melchiade Papa* anno 313. *& Carthaginensi 1.* anno 348. Imò milites Catholici, qui pugnando occiduntur ab hostibus fidei & in fidei odium, non sunt propriè Martyres, quia moriuntur tanquam milites non voluntariè, sed à morte se defendendo: Martyrium autem est imitatio Passionis Christi, inquit *S. Thom.* qui quasi agnus coram tondente se obmutuit, Isaiæ 53. *v. 7.* Tann. Dicast. *n. 8.* Si tamen milites tales victi, depositis armis occidantur propter fidem, sunt Martyres, Less. Gob. *n. 614.*

§. 7. De illis, qui in obsequio pestiferorum ex 236
charitate moriuntur, dicit *Martyr. Rom.* 28. Febr. *quos velut Martyres Religiosa fides venerari consuevit.* Et reipsa Martyres esse, teste Mendo *d. 1. num. 151.* tenuerunt 12. Academiæ, 13. Cardinales, 12. Episcopi, 264. Doctores, item alii 53. Scriptores cum Rayn. *suprà p. 3. & 4.* E contrà illos non esse in rigore Martyres, tenent alii plurimi cum Thoma Hurtado & Platelio *p. 5. n. 151.* quia nec censentur mori pro fide Christi, nec pro defensione alicujus virtutis.

§. 8. Infantes per solum Martyrium salvari, do- 237
cent Catholici communiter, ita ut *Suar.* & alii, oppositum censeant temerarium aut erroneum Platel. *num. 152.* Putantque Tolet. Henriq. Regin. Vasq. Bonac. Dicast. *num. 11.* etiam infantes in utero matris occisos esse Martyres, cùm eadem sit ratio de ipsis, quæ de aliis.

§. 9.

238 §. 9. Martyrium in adultis remittit omnem culpam, & pœnam, uti habet communis cum Dicast. *num.* 50. & ideò *cap. cum Marthæ*, §. *fin. de celebr. Missarum*, dicitur, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Manet tamen gravis controversia, an hunc effectum habeat independenter ab actu Charitatis? unde quæritur, si aliquis bona fide, & invincibiliter omitteret actum charitatis in Martyrio, an vi Martyrii justificaretur? Videntur negare *S S. Augustinus & Bernardus*, apud Platel. *num.* 159. & clarè S. Th. 3. *p. q. 66. art.* 12. *ad* 2. *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate; ex quo patet, quòd Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis.* Similiter 2. 2. *q.* 124. *art.* 2. *ad* 2. *Martyrium est charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.* Et eandem sententiam tenent *S. Bonav. Alens. Scot. Dur. Canus, Ban. Kellison Vasq. Laym. Ochag.* & ratio est, quia 1. *ad Corinth.* 13. *v.* 3. dicitur, *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* E contrà quòd justificet, non quidem strictè ex opere operato, sicuti Sacramenta, attamen quasi ex opere operato, & ex quodam privilegio, quamvis absit actus charitatis, docent Cajet. Sot. Præp. Valent. Bellarm. Suar. Con. Tann. Less. Bonac. Castrop. Rayn. *p.* 2. *c.* 6. *à num.* 18. Platel. *n.* 154. Spor. *de Pœnit. n.* 161. Illf. *t.* 4. *d.* 1. *à n.* 17. Aversa *q.* 70. *s.* 6. §. *Quantum*, Dicast. *à n.* 13. Gob. *n* 617. Gorm. *de Bapt. n.* 4. Et videtur idem velle *S. Th.* apud Platel. *num.* 160. dicens baptismum sanguinis non habere hoc ex opere operantis, sed ex imitatione Passionis Christi. Ratio horum est, quia Matth. 10. *v.* 32. *&* 39. Marci 8. *v.* 35. Luc. 9. *v.* 24. Joan. 12. *v.* 25. salus æterna promittitur, hoc ipso quòd quis vitam suam ponat propter Christum, quod fit, quando præcisè mors sustinetur pro defensione fidei. 2. Quia SS. PP. apud Platel. *n.* 156. Martyrium æquiparant Baptismo aquæ, hic autem justificat secluso actu charitatis; uti tenent communiter omnes, ergo. 3. Quia martyrium ita justificat infantes, ergo etiam adultos, si nempè hi habeant dispositionem necessariam, dè qua §. *seq.* 4. Quia aliàs Martyrium non aliter deleret peccata, quàm quodvis aliud opus ex charitate positum. 5. Quia sic non dabuntur tres Baptismi, fluminis, flaminis & sanguinis, quod videtur esse contra communem sensum.

Ad rationem oppositam dici potest vel cum *Platelio*, quòd Tò *charitatem non habuero*, intelligatur, non purè negativè sed contrariè, id est, si dissentiones, & schismata fovero, propter quæ Apostolus ibi reprehendebat Corinthios: vel cum *Aversa*, si propria sponte vel ex malo fine tradidero corpus meum, ut ardeam; vel cum *Illf.* si habitualis charitas non accedat ad Martyrium; vel cum *Dicast.* licèt alia omnia habuero, si non habuero charitatem, nihil mihi prodest, sicuti verum est, licèt habuero Baptismum aquæ, si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.

239 §. 10. Ad Martyrium in homine adulto, qui personaliter peccavit, prærequiritur pœnitentia, saltem virtualis, uti ad Baptismum, secundùm Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 1. *nec obstat*, quòd SS. PP. dicant Martyrium habere majorem vim, quàm baptismum, *nam* tantùm volunt habere plus meriti, & majorem conferre gratiam, quod etiam docent S. Thom. Ray. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Illf. *n.* 26. Sicuti autem ad baptismum sufficit attritio, ita etiam ad Martyrium, per se loquendo, uti docent AA. §. *præced.* pro secunda sententia citati. Imò putant aliqui cum Dicast. *num.* 40. si Martyr inculpabiliter omitteret attritionem formalem, per accidens sufficere virtualem, quæ includitur in voluntate subeundi mortem pro Christo. Aliunde tamen tenetur martyr elicere contritionem, tum quia omnes ad eam obligantur pro articulo mortis, secundùm dicta *l.* 2. *n.* 130. tum etiam, quia illo tempore est obligatio frequendi tutiora.

§. 11. *Vega, Suar.* aliique cum Dicast. *n.* 39. 240 putant gratiam tum causari, quando Martyr est ita vicinus morti, ut naturaliter non possit diutiùs vivere, quia tum moraliter adest Martyrium. E contrà Rayn. *n.* 25. Platel. *n.* 171. Illf. *n.* 24. videntur velle, quòd conferatur in ultimo instanti intrinseco vitæ, quia SS. PP. dicunt tunc conferri, quando ampliùs peccare non potest. Videri potest Aversa *s.* 5. §. *Adult. rationem.*

§. 12. Illicitum est se temerè, & absque justa 241 causa ingerere in Martyrium, S. Thom. Nav. Henriq. Sanch. Dicast. *n.* 57. Ratio est 1. Quia homo non est Dominus vitæ suæ. 2. Quia occidens ita inducitur ad peccatum. 3. Quia hæc est quædam tentatio Dei, uti notant SS. PP. apud Gob. *num.* 164. Hinc docent *Laym. & Gob.* te peccare mortaliter, si die Veneris abstineas à carnibus, sicque te manifestes esse Catholicum, prævidens te ideò occidendum. Per accidens tamen licitum est se offerre ad Martyrium, si nempè fiat ex instinctu divino, possetque etiam esse præceptum, si necesse foret ad vitandum scandalum, quod per dissimulationem vel fugam causaretur.

§. 13. Martyrio respondet in cœlo laureola si- 242 ve corolla, id est, speciale gaudium proveniens ex tam excellenti victoria & redundans in corpus, cum peculiari decore illius membri, in quo passus est Martyr, uti probabiliter docent Ray. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 33. Gob. *n.* 619. Dicast. *n.* 51.

Q. 43. *Quid notandum sit circa Baptismum flaminis?* R. Seqq. 243

§. 1. De fide est posse aliquem salvari baptismo flaminis, sine baptismo fluminis aut sanguinis, uti dicetur *n.* 245.

§. 2. Baptismus flaminis est perfecta contritio, 244 vel amor Dei super omnia, de quibus plura dicenturin materia de Pœnitentia. Ad baptismum autem flaminis non requiritur expressum votum vel desiderium baptismi aquæ, sed sufficit implicitum, inclusum in voluntate servandi omnia Dei præcepta, Suar. Vasq. Valent. Gob. *in Exp. t.* 2. *n.* 637. contra *Nunnum.* Attritio tamen, etiam cum expresso voto baptismi non sufficit, quia non justificat sine Sacramento vel Martyrio.

Q. 44. *Quanam hæreses sint in Ecclesia exorta circa Baptismum fluminis seu aquæ?* R. seqq. 245

1. S. Bernardus *Epist.* 77. refert hæresin aliquorum, qui dicebant absolutè neminem absque baptismo aquæ posse salvari; sed oppositum habet traditio Ecclesiæ, nam baptismo sanguinis aut flaminis potest obtineri salus, uti constat ex dictis, & pro Baptismo flaminis est expressa decisio *Innocent. III. Cap. Apostolicam, de Presbyt. non baptizat.* Et ideò Trid *sess.* 6. *c.* 4. docet justificationem haberi, aut lavacro regenerationis, aut ejus voto.

2. Flagellantes docuerunt Baptismum aquæ mu- 246 tatum esse in Baptismum sanguinis, sed damnantur anno 1311. *in Concil. Viennensi sub Clemente V.*

3. *Pelagius, Wicleff. & Armeni*, dixerunt Ba- 247 ptismum non esse necessarium ad salutem, & infantes eo non egere, eò quòd careant peccato originali, sed damnantur *in Conc. Milevitano II. & Trid. sess.* 5. *in Decreto de peccato orig.* item *sess.* 7. *de Baptis. Can.* 5.

4. *Manes, Messaliani, Albanenses, Albigenses,* 248 *Armeni* dixerunt Baptismum aquæ nullam habere vim,

vim, ſed damnantur *in Conc. Nicæno* 1. *Florent.* ſub *Eugen. IV.* anno 1439. & *Trid.* ſuprà.

249 5. *Petrus de Bruis*, *Henricus Toloſanus*, & *Anabaptiſtæ* anno 1302. dixerunt baptiſmum pueris uſum rationis non habentibus nihil prodeſſe, ſed damnantur *in Conc. Lateran.* ſub *Inn. III.* anno 1215. & in aliis deinceps Conciliis.

250 6. Alii *Anabaptiſtæ* dixerunt Baptiſmum ſolis adultis ætatem Chriſti habentibus eſſe conferendum, ſed damnantur à Trid. *ſuprà Can.* 12. & 13.

251 7. *Donatus Afer*, *Armeni & alii Anabaptiſtæ* anno 1558. dixerunt rebaptizandos eſſe illos, qui ſunt de Eccleſia Romana; aut in infidelitatem relapſi, aut poſteà adultis non ratificant Baptiſmum in infantia ſuſceptum, ſed damnantur à Florent. ſuprà & Trid. *Can.* 8. 11. & 14.

252 8. *Armeni* aliique docuerunt, nemini conferri poſſe Baptiſmum, niſi eidem conferatur unctio S. Chriſmatis, & Sacramentum Euchariſtiæ: E contrà, *Waldo*, *Wicleff. & Waldenſes* dixerunt Baptiſmum eſſe recipiendum ſine unctione olei, ſed primi damnantur ex hactenus dictis: poſtremi autem *in Concilio Laodiceno*, anno 364. & *Lateranenſi* ſub *Alex. II.* anno 1179.

253 9. *Lutherus* docuit nullum peccatum, præter originale, tolli per baptiſmum, ſed damnatur in Trid. *ſeſſ.* 5. *in Decret. de peccat. orig.*

254 10. *Lutherus*, *Melanct. Brentius*, *Kemnit.* dixerunt infantes credere, dum Baptizantur, ſed manent damnati ex dictis *à n.* 249.

255 11. Materiam Baptiſmi non eſſe aquam ſed ignem, docuerunt *Galatæ*, abutentes illis verbis S. Joannis Baptiſtæ, Matth. 3. *v.* 11. *ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igni*, ideóque ferro candenti inurebant frontibus hominum ſignum crucis: ſed damnantur *in Florent. & Trid. ſeſſ.* 7. *Can.* 2. Verbis autem adductis ſignificat S. Joannes, per ſuum baptiſmum homines diſponi tantùm ad pœnitentiam, ſed per Baptiſmum Chriſti dandum Spiritum Sanctum, gratiam, & charitatem.

256 12. *Marcus Ægyptius* anno 155. *Montanus* anno 173. *Paulus Syrius* anno 266. docuerunt formam baptiſmi in Eccleſia uſitatam non eſſe veram formam, ſed damnantur *in Conc. Antiocheno & Nicæno I.* anno 325.

257 13. *Cataphryges* dixerunt mortuos ſine baptiſmo utiliter baptizari: *Marcioniſtæ* putarunt aliquem vivum poſſe baptizari pro tali defuncto; ſed damnantur anno 397. *in Concil. Carthaginenſi III. cap.* 6. & *Synodo Trullenſi.* Vide Averſam *qu.* 68. *ſect.* 1.

DUBIUM I.

Quæ materia Baptiſmi.

„ RESP. Materia remota licita, eſt aqua conſe-
„ crata, ſi haberi poteſt; valida, eſt omnis
„ & ſolà aqua elementaris, quæ morali hominum
„ æſtimatione ſit naturalis & uſualis, qualis eſt pu-
„ tei, maris, paludis, pluviæ &c. Item reſoluta ex
„ nive, grandine, glacie, licèt accidentaliter quoad
„ colorem, ſaporem & odorem alterata ſit, ut
„ aqua ſulphurea, lixivium, juſculum, aqua ita
„ tenuiter carne decoctum, aut aqua alteri corpori
„ ita modicè admixta, ut uſum communem, & æſti-
„ mationem aquæ retineat. Ratio reſponſionis eſt,
„ *ex Joann.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.*
„ Quam *S. Thom.* confirmat triplici congruentia. 1.
„ Eſt maxima commoditas aquæ. 2. Ejus facillimus
„ uſus. 3. Aptitudo ad ſignificandum effectum qui
„ eſt emundatio à peccato. *Unde reſolves.*

„ 1. Lucpra materia Baptiſmi eſt ſaliva, lotium,
„ lacrymæ, ſudor, cereviſia, item aqua ſic per-
„ mixta, ut non ampliùs ſit apta ablutioni, nec
„ vocetur aqua, v. g. lutum, brodium, vinum
„ lymphatum; item aquæ artificiales, ex roſis, her-
„ bis, ſucciſque expreſsè, denique nix, grando,
„ glacies non reſoluta. Ratio, quia morali homi-
„ num æſtimatione non cenſentur aqua naturalis &
„ uſualis, Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. Bon. *t.* 1. *de Sacr.*
„ *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3.

„ II. Quia in quibuſdam tum ex dictis, tum aliis
„ dubium eſt, v. g. de juſculo & cereviſia valdè te-
„ nui, lixivio, & ſecundùm Granad. *in* 3. *par. c.*
„ 4. *t.* 1. *d.* 3. *dub.* 2. aqua roſacea: hinc in neceſ-
„ ſitate licet illis uti, etſi poſteà baptiſmus ſub con-
„ ditione ſit repetendus. Vide Eſcob. Laym. Bonac.
„ *locis citatis.*

„ III. Uti aqua impura, vel non conſecrata,
„ cùm alia haberi poteſt, eſt grave peccatum, ob
„ Sacramenti irreverentiam. Bon. *n.* 7. & 8. Dian.
„ *p.* 9. *t.* 6. *R.* 33. & alii quinque, licèt *Granad.*
„ & *Quintanad.* putent non eſſe mortale uti non be-
„ nedicta.

„ Reſp. II. Proxima materia baptiſmi eſt ablu-
„ tio; Quæ validè fit tribus modis, ſcilicet immer-
„ ſione, aſperſione, infuſione, juxta praxim di-
„ verſarum Eccleſiarum, quæ ſervanda eſt, ita ut
„ morali hominum judicio cenſeatur eſſe lotus. Ex
„ præcepto tamen caput abluendum eſt, quod pra-
„ xis Eccleſiæ habet. Ratio, quia quolibet horum
„ modorum fieri poteſt ablutio. Et quidem trinam
„ merſionem non eſſe neceſſariam, conſtat *ex*
„ *Concilio Toletano*: Ubi tamen trina vel immerſio
„ vel infuſio uſitata eſt, ſine gravi peccato, extra
„ neceſſitatem, non poteſt prætermitti, ut docet
„ *D. Th.* etſi alii, ſecluſo ſcandalo, & contemptu
„ dicant eſſe tantùm veniale, Laym. *n.* 4. Bon. *l. c.*
„ *Unde reſolves.*

„ I. Non verè baptizatur, cujus nulla pars im-
„ mediatè tangitur, v. g. infans in utero vel ciſta;
„ vel adultus, cujus veſtes tantùm ſunt aſperſæ.
„ Laym. Bon. *ll. cc.*

„ II. Non requiritur ad valorem, ut qui bapti-
„ zatur emergat ex aqua, quod tamen grave pecca-
„ tum eſt, eſto nihil minus moriturus eſſet bapti-
„ zandus, Laym. *n.* 5. Uti etiam matrem nihilo-
„ minus morituram, vel mortis ream, aperire, ut
„ infans baptizetur, Laym. *n.* 2. ubi unicum caſum
„ excipit, ſi nimirum mater ſit morte digna, & ſi
„ ſupplicium differatur, infans certò ſit moriturus
„ ante nativitatem. Verùm rectè addit ex *Suar.* ca-
„ ſum hunc, vix moralem & practicum eſſe. V. *l. c.*

„ III. Invalidus eſt Baptiſmus, 1. Si quis laba-
„ tur in aquam, vel ab alio protrudatur, & ta-
„ men formam pronuntiet. 2. Si formam pronun-
„ tians teneat puerum, & alter abluat, aut aquam
„ affundat. 3. Si aqua è fonte proſiliente, aut ſtilli-
„ cidio decidente, baptizandus ei ſe ſubmittat.
„ Ratio, quia in his non tu, ſed alter abluit Bon.
„ *pag.* 3.

„ IV. Ob probabilem utrimque ſententiam, du-
„ bius eſt Baptiſmus, ideóque ſi in neceſſitate ſit
„ datus, repetendus ſub conditione. 1. Si tantùm
„ una vel altera gutta ſit adhibita, v. g. ſi more a-
„ quæ luſtralis multitudo ſit aſperſa: Quod ſine ne-
„ ceſſitate non licet, cùm ad ablutionem non vi-
„ deatur ſufficere quicumque aquæ contactus, ſed
„ requiri ſucceſſivus cum aliquo motu, Bon. *n.* 13.
„ ex *Suar. Kon. &c.* In caſu tamen neceſſitatis, ſic
„ baptizare concedit Merat. *t.* 3. *p.* 2. *ſect.* 4. Gi-
„ nad. *d.* 4 *n.* 12. 2. Si tantùm ſit abluta pars mi-
„ nùs principalis, v. g. digitus, manus, vel pes:
„ Nam ſi pars principalis, v. g. ſcapulæ, vel pec-
„ tus, nemo dubitat. 3. Si tantùm crines ſint tinc-

„ ti,

» ti, licèt Lug. Resp. *Mor. l. 1. d. 1.* hunc validum
» esse contendat. 4. Si infans tinctus, sit involutus
» adhuc secundinæ suæ, id est, pelliculæ corpori
» annatæ. In necessitate tamen in prædictis casibus
» baptismus debet conferri sub conditione. Hurt. *de*
» *Bapt. d. 1. diffic. 12.* V. Laym. *l. c.*
» V. Cùm terna usurpatur affusio aut immersio,
» ad nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,
» juxta praxin Ecclesiæ, cavendum, ne ter, sed
» semel tantùm pronuntietur forma. Quæ rectiùs ita
» profertur, ut ante tertiam ablutionem non finia-
» tur, quia forma cum quacumque prima ablutione
» baptismum constituit. Regin. *l. 27. c. 3.* Laym.

ADDENDA.

259 *Quæst. 45. Quid præterea circa materiam Bap-*
tismi sit notandum? Resp. Quandonam ma-
teria Baptismi dicatur substantialiter vel tantùm ac-
cidentaliter mutata, dictum est *n. 21. & 22.* Hìc
adde seqq.

§. Quia sæpè dubitatur, an aliquid reipsa sit vel
non sit aqua naturalis, hinc oriuntur tot dubia cir-
ca materiam remotam pro valore Baptismi, certum
enim est ex Scriptura, *Florent. Trid.* & declaratio-
nibus Pontificum apud Auctores passim, materiam
validam hujus Sacramenti esse solam aquam natura-
lem, *sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, si-*
ve putei aut fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua di-
ci solet, uti habet *Catech. Rom. tit. de Bapt.*

260 §. 2. Quod salivam vel sudorem attinet, cer-
tum videtur non esse aquam naturalem, uti habet
Cap. penult. de Bapt. & pluribus ostendit Mendo *diss.*
9. qu. 2. ideóque nunquam licitum est in illis bapti-
zare, nequidem sub conditione. Idem tenet Men-
do *q. 1.* de aqua rosacea, & similibus succis distil-
latis, quam sententiam etiam tenui *n. 22.* Oppo-
sitam tamen tenent multi apud eundem Mendo, &
Dian. *in Comp. v. Baptismus n. 2.* quam probabilem
fatentur Tann. *tom. 4. d. 4. q. 1. d. 2. n. 41.* &
Dicast. *de Pœn. d. 10. n. 209.* unde in extrema ne-
cessitate adhiberi deberet sub conditione, secun-
dùm dicta *n. 110. & 122. Nec obstat* quòd Pignatelli
tom. 4. Cons. 212. dicat certum esse, tales liquo-
res esse materiam invalidam, *nam* hoc dicit ex sup-
positione, quòd non sint aqua naturalis, recentio-
res autem dicunt per distillationem extrahi in subs-
tantia aquam naturalem, licèt qualitates alias se-
cum trahat.

261 §. 3. Atramentum crassum non est materia va-
lida, quia non retinet nomen, nec usum aquæ;
sed atramentum tenue videtur valida, quia reipsa
est & dici potest aqua, nigrore colorata, qua
Æthiops diceretur se lavare: putant tamen Steph.
& Gob. *in Exp. r. 2. n. 33.* de atramento tenui es-
se idem, quod de tenui cerevisia, ideoque esse ma-
teriam dubiam. Ros & vapores densati in guttas
sunt materia valida, uti dictum est *n. 22.* Succus,
qui verno tempore fluit è vitibus, betula, aut alia
arbore, creditur à multis esse aqua naturalis, quia
aer & terra tum abundant aqua, quæ attracta per
calorem Solis vel vim naturam plantæ non potest to-
ta concoqui, & ob abundantiam effluit. Aquam ex
sale, sive marino, sive montano, resolutam, esse
naturalem, dicunt alicui cum *Henriq.* alii cum *Silv.*
negant; Tann. *n. 38.* dicit esse materiam dubiam,
quia aliqui dicunt esse vapores & exhalationes con-
cretas, alii mixtum diversæ naturæ, quorum
utrumque incertum est.

262 §. 4. Si nix vel glacies à baptizante ipso ita ap-
plicetur baptizando, ut frictione illa resolvatur, &
fluat, Baptismus est certò validus, quia reipsa ad-
movet aquam, si autem à baptizante injiciatur bap-
tizandi corpori, à cujus calore resolvatur, *Aver-*
sa, putat valere, sed dicendum cum Tann. *n. 44.*
non valere, aut saltem esse dubium, quia non vi-
detur à Baptizante ablui. Et idem est, si baptizans
in peste infectum aquam projiceret, quam bapti-
zandus videns ad se non pertigisse, ex ea aliquid ac-
ciperet, & se aspergeret, tum enim non baptizans,
sed ipsemet baptizandus diceretur se abluere aqua
per baptizantem tantùm subministrata.

§. 5. In Baptismo non solemni sed privato libe- 263
rè omittitur aqua benedicta, Pasq. Quintan. Gob.
tr. 2. n. 41. Si tamen omittatur in solemni, proba-
bilius videtur ob transgressionem *Clement. un. de*
Baptis. esse mortale.

§. 6. Si quis carens aqua infantem alioquin sine 264
Baptismo moriturum projiceret in pulvum, & sic
proferret formam, Baptismus esset validus, quia
esset vera immersio conjuncta cum forma, Panor.
Suar. Con. Regin. Dicast. *de Bapt. d. 1. n. 61.*
Avers. *q. 66. s. 4. § Sextò*, Gob. *n. 50.* Delb. *de*
imm. Eccl. c. 2. d. 4. s. 20. n. 63. Gorm. *n. 60.* An
autem hoc sit licitum disputatur, aliqui cum Soto,
Suar. Vasq. Castrop. Reding. Gob. *n. 124.* dicunt
licere, si mors non multum acceleretur, imò etiam
si acceleratio futura esset magna, adhuc licere pu-
tat Dian. *p. 5. t. 3. R. 8.* quod Gob. *n. 126.* non im-
probat, quia vita corporis cedere debet vitæ ani-
mæ. E contrà negant nunquam licere Laym. Dicast.
n. 66. Delb. *n. 58. Avers. Gorm. & Busembaum* su-
prà, quia projectio illa directè, & per se tendit
ad occisionem infantis, & quamvis projiciens dicat
se eam non intendere, tamen projectio ipsa non est
moraliter, nec per intentionem efficaciter disjungi-
bilis ab occisione, ergo manet occisio directa, ma-
la autem non sunt facienda, ut eveniant bona. Un-
de ad rationem allatam respondetur, vitam animæ
esse quidem præferendam vitæ corporis, sed quan-
tùm fieri potest per media licita.

§. 7. Quòd corpus baptizandi debeat tangi a- 265
qua, certum est, uti rectè *Avers. §. Quartò*, &
Mendo *d. 9. num. 22.* Quòd si aliquem ipsemet ad-
ducam & teneam sub stillicidio & proferam formam,
rectè baptizo, quia sufficienter dicor ipsemet eum
abluere, Bon. Gob. *n. 60.* Aliud est, si aqua non
sponte sua, sed alio affundente decideret, tum enim
alter diceretur abluere, Gob. *n. 146.* Quid autem
dicendum sit in casu, quo quis è fenestra dejeci-
set aquam, & pronuntiata forma moreretur, ante-
quam aqua tangeret corpus baptizandi, dictum est
n. 56. in Objic. 4.

§. 8. Si contra consuetudinem diœcesanam 266
Baptismus fiat per immersionem loco affusionis aquæ
Sot. Valent. Dicast. *n. 43.* Gob. *n. 63.* probabiliter
dicunt esse veniale tantùm, quia talis ritus non vi-
detur graviter præcipi, nec censetur mutatio no-
tabilis. Græci, infantes totos in calidam aquam
mergunt, teste Arcudio *l. 1. c. 7.* & ideò statim an-
te Baptismum benedicunt aquam, & post Baptis-
mum unius aut plurium, statim eam abjiciunt in
locum honestum quia non videtur decens, ut ea-
dem aqua jam quasi polluta asservetur *in* longum
tempus ad aliorum Baptismum. Docent tamen Græ-
ci etiam sufficere infusionem, & aspersionem, Ar-
cud. *c. 20.* quamvis adhibeant trinam immersionem,
Arcud. *c. 9.*

§. 9. Si Baptizandus abluatur *in* alia parte corpo- 267
ris quàm in capite, v. g. *in* pectore, vel scapulis,
Pl tel. *n. 119.* dicit Baptismum non esse certò vali-
dum: & idem videntur dicere alii apud Gob. *n. 33.*
sed *Suar. Tann. Avers. §. Septimò*, *Merat.* & alii
meritò dicunt, saltem si sit pars
communissimè, aliqua *principalis*, Baptismum esse certò validum,
quia

quia verum est talem hominem esse ablutum, uti verum est, esse læsum, si lædatur in pectore.

DUBIUM II.

Quæ sit forma Baptismi.

268 „ RESP. Forma necessaria Baptismi est hæc, „ *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii,* „ *& Spiritus Sancti, Amen.* A qua non differt illa „ Græcorum substantialiter: *Baptizetur* (vel ut *Ar-* „ *cudius* vult, *Baptizatur*) *servus Christi in nomine* „ *Patris, &c.* Porrò quinque sunt, quæ significantur in prolatione formæ, juxta quæ valor ejus „ debet expendi. 1. Persona baptizantis, saltem implicitè; quod in forma Græcorum non negligitur, cùm *To* baptizetur, idem valeat, ac baptizetur à me. 2. Actus baptizandi: quia alioqui „ forma non haberet connexionem cum materia, „ eamque non determinaret, cùm ablutio ad varios „ fines possit referri. 3. Persona baptizandi, quia „ uti ablutio, ita & forma circa certam personam „ versari debet. 4. Unitas divinæ naturæ quod fit „ per voces, *in nomine.* 5. Trinitas personarum: „ idque explicitè, & distinctè vulgaribus vocabulis, „ Fill. *t.* 2. *c.* 3. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 4. Bon. *l.* 5. *t.* „ 2. *p.* 4. *Unde resolves:*

„ I. Validè baptizat, etsi venialiter peccet, qui „ pro baptizo, dicit, abluo, mergo &c. vel pro „ *Te*, utitur communi nomine, Græcorum more, „ vel proprio; vel baptizo Petrum; vel qui honoris causa dicit, baptizo dominationem vestram. „ Laym *n.* 6. Bon. *n.* 9. *& seq.*

„ II. Valet forma, etsi omittat; *Ego*, *& Amen*; „ quia omnia significata per formam salvantur; sed „ cus, si omittas *Te*, quia non significatur persona baptizanda. *Ibid.*

„ III. Non valent hæ formæ: Baptizo te nominibus „ Patris, & Filii, &c. quia multiplicatur natura, „ seu essentia divina. 2. Baptizo te in Patre & Filio, &c. vel cum Patre, &c. vel per Patrem; vel „ in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto; „ vel in fide, virtute, majestate Patris, &c. (quam „ tamen alii dubiam esse volunt.) Ratio, quia significatur diversitas essentiæ, aut certè unitas non „ satis exprimitur. 3. Baptizo in nomine Dei, vel „ SS. Trinitatis, vel in nomine Dei unius & trini, „ vel in nomine trium Personarum, vel Patris & „ Filii, omissa persona Spiritus sancti. Ratio, quia „ non exprimuntur distinctè tres Personæ. 4. In nomine Domini nostri Jesu Christi: qua tamen forma olim Apostolos suos, sed ex speciali privilegio, multi docent, alii negant, dicuntque eos baptizasse in nomine Christi, addendo illud nomini, secundæ personæ, non omissis nominibus „ aliarum personarum: Cum ergo Nicolaus Papa „ dixit, eam formam valere, vel intellexit, si pro „ nomine Filii ponatur nomen Christi: vel in nomine Christi, pro vice Christi intellexerit, vel „ locutus est ut doctor privatus. *V. Auth. cit.*

„ IV. Dubiæ sunt formæ, ob sententiam utrimque probabilem Auctorem. 1. Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti, vel Baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filii, &c. Ratio quia non exprimitur unitas essentiæ. 2. Baptizo te in nomine genitoris, geniti, & spirati; vel in nomine omnipotentis, sapientis, & boni, vel in nomine ingeniti, geniti, & doni: Ratio quia Trinitas personarum non explicatur vocibus, quibus à fidelibus omnibus debet, & potest apprehendi. Baptizo te in nomine Patris, & Filii, Spiritus sancti, & Mariæ Virginis; quia dubium est de intentione Ministri; qui si eo sensu voluit dicere, „ Mariæ, quo Patris, Filii, & Spiritus sancti, non „ valet; cum sit contra sensum essentialem à Christo intentum; si verò tantùm voluit illam invocare, ut coadjutricem gratiæ impetrandæ, vel „ aliter, valet, cum tantùm sit mutatio accidentalis, Fil. *n.* 50. V. etiam Laym. & Bon. *ll. cc.* „

ADDENDA.

269 QUÆST. 46. *Quid præterea circa formam Baptismi sit notandum?* R. Quandonam forma Baptismi substantialiter vel tantùm accidentaliter mutetur, satis declaratum est *à n.* 30. 42. 62. Hic adde seqq.

§. 1. Si persona baptizantis aut baptizandi nullo modo significetur, certum est non valere Baptismum, nam *Alex. VIII.* damnavit hanc 27. propos. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, &c. prætermissis illis, ego te baptizo.*

270 §. 2. Nugn. Bonac. Dian. *p.* 2. *tr.* 15. *R.* 46. dicunt Sacerdotes tantùm venialiter peccare, si formam proferant in lingua patria, & rectè monet Gob. *t.* 2. *n.* 88. consultius esse, ut Parochi doceant obstetrices formulam baptizandi in lingua patria, quamvis enim possint latinè retinere, tamen faciliùs in latina turbabuntur, & errorem committent. Addit Gob. *n.* 169. Parochos mortaliter peccare, si non examinent obstetrices, an rectè baptizare sciant, obstetrices autem sub mortali teneri addiscere modum baptizandi, docent *S. Anton. Henriq. Regin.* aliique multi cum Avers. *q.* 7. *s.* 2. §. *Teneri. Nec obstat*, quòd fortè alii sint adfuturi, qui formam sciant, ideóque obstetrices videatur excusare *Suar.* cujus sententiam probabilem esse dicunt Dian. & Dicast. *d. n.* 18. *nam* ipsæ ex officio tenentur adesse puerperis, non item alii, & sæpè occurrit occasio, qua infans nascens de vita periclitetur.

De forma Græcorum, *baptizatur* (non, baptizetur) *servus vel serva Christi* in nomine, &c. optimè discurrit Arcudius *l.* 1. *c.* 8. & ostendit utramque esse bonam, quamvis dicerent, *baptizetur.*

DUBIUM III. 271

De Ministro Baptismi.

ARTICULUS I.

Quis sit Minister Baptismi.

RESP. Validè ministrat omnis homo ratione „ utens, cujuscumque fidei vel infidelitatis, „ status, aut sexus: licitè, tanquam Minister ordinarius & ex officio, Sacerdos habens jurisdictionem, aut commissionem, vel ex ejus com- „ missione, Diaconus: In casu tamen extremæ ne- „ cessitatis, omnis, qui potest validè, etiam facit „ licitè, teneturque, ut proximo succurrat, Laym. „ *lib.* 5. *t.* 2. *cap.* 7. *Unde resolves:* „

I. Non tantùm Diaconus, sed nec Parochus, „ aut Episcopus, absque commissione extra suam „ Diœcesin, vel Parochiam, (vel intra eam alienos) licitè baptizat: ideóque etiam peccant parentes, qui sine licentia sui Prælati alieno defe- „ runt prolem baptizandam, cum violent jus Parochi, Laym. *loc. cit.* „

II. Diaconus non tantùm in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili, baptizare potest. „ Et quidem cum solemnitate, ex commissione „ Episcopi vel Parochi: ut si v. g. ob multitudinem „ baptizandorum, aliudve grave impedimentum, „

id

„ id ipsi facere non possint. Laym. *l. c.*

„ III. Cum in necessitate confertur Baptismus, „ servandus est ordo; ita ut si adsit, & non de„ trectet Sacerdos vel Diaconus, is reliquos præce„ dat: Sic etiam Clericus laïcum, vir mulierem, „ fidelis infidelem, nisi fortè inferior melius no„ verit modum, ut solent obstetrices, (quæ pro„ inde examinari, & approbari debent à Pastori„ bus) vel alia justa causa sit, ut quia virum ad „ parientem ingredi non decet. Quòd si laicus ba„ ptizet præsente Sacerdote, & secundum quos„ dam, etiam præsente Diacono, censent esse mor„ tale, quia id laico tantùm competit ob defectum „ Sacerdotis, qui sine injuria Ordinis & Sacramen„ ti, talem licentiam dare non potest. In reliquis, „ perversio illius ordinis est tantum veniale, præter„ quàm si coram fideli hæreticus adhiberetur, quod „ volunt esse mortale, Laym. *num.* 4. *Kon.*

ADDENDA.

272 Q*uæst.* 47. *Quid circa Ministrum sit præterea notandum?* R. seqq.

§. 1. Minister ordinarius est solus homo viator, secundùm dicta *n.* 50. Si tamen quis sciretur esse baptizatus à bono Angelo vel Sancto aliquo, putant Angel. Sot. Gob. *tr.* 2. *n.* 158. non fore rebaptizandum, quia præsumendum esset, tale Sacramentum esse jussu Dei collatum, & ideò habendum pro rato, uti etiam notant *S. Th. Lugo* aliique cum eodem Gob. *t.* 1 *num.* 50.

273 §. 2. Non requiritur certa ætas ad Ministrum Baptismi, uti habet communis contra *Abb.* qui putavit baptizantem debere esse 18. annis adultiorem baptizato, ut sicut est pater ejus spiritualis, ita potuerit esse carnalis, sed ratio illa nulla est, nam Parochus triginta annorum omninò licitè baptizat Judæum centum annorum, Gob. *t.* 2. *num.* 151.

274 §. 3. Quamvis baptizare non sit actus jurisdictionis circa baptizandum, cum baptizandus nec dum sit subjectus Ecclesiæ, tamen est actus habentis jurisdictionem circa fideles quibus aggregandus est baptizandus, aggregatur enim illi Ecclesiæ in qua baptizatur, hinc soli Parocho, per se, competit baptizare in sua Parochia, Dicast. *d.* 2. *à num.* 10. Unde quamvis *Paulus III.* singulis de Societate JESU facultatem concedat ministrandi Pœnitentiam, Eucharistiam, aliaque Ecclesiastica Sacramenta sine alicujus præjudicio, non est tamen illis data facultas baptizandi, nequidem in terris infidelium, ubi fundatæ sunt Ecclesiæ, hoc enim foret in præjudicium Episcoporum & Parochorum ibi existentium, Castrop. *t.* 19. *p.* 9. Si tamen proprii Parochi frequenter dissimulent, tum censentur tacitè consentire; imò *Hurt. & Gob. n.* 132. putant sufficere ratihabitionem de futuro prudenter præsumptam.

275 §. 4. Peregrini possunt sibi eligere locum Baptismi, ubi volunt, *Barbos. Gob. n.* 133. Quòd si mulier pariat in pago alieno, duabus aut tribus horis à domo sua dissito, si vult, potest prolem baptizandam mittere ad Ecclesiam suam, potest tamen etiam ad alienam, ubi est, *Gob.* suprà. In hoc tamen alieno pago proles non deberet à proprio, sed ab hujus pagi Parocho baptizari, *Gob. num.* 135.

276 §. 5. Absente Parocho potest quivis Sacerdos in necessitate, quamvis non extrema, fungi ejus officio, etiam solemniter, *Vasq. Gob. n.* 136. Ut autem Diacono committi possit Baptismus, etiam solemnis, non requiritur nisi rationabilis causa, v. g. si Parochus non possit ob infirmitatem vel ob aliud justum impedimentum, & absit alius Sacerdos,

Suar. Laym. Con. Dicast. Gob. n. 137. Parochus verò Diaconus, & necdum Sacerdos potest jure ordinario etiam solemniter baptizare, *Gob. num.* 139.

§. 6. Parenti prohibitum est baptizare propriam 277 prolem legitimam, unde huic extra summam necessitatem præferenda est in baptizando mulier, Gob. *t.* 2. *n.* 142. *& t.* 17. *n.* 413. Quòd si laicus extra necessitatem baptizet, etiam non solemniter, videtur esse mortale, uti habent Suar. *d.* 31. *s.* 4. aliique cum Dicast. *d.* 2. *n.* 20. & Aversa. *q.* 67. *s.* 2. §. *Quartò* contra *Sot.* & alios, quia in re gravi agit contra prohibitionem Ecclesiæ, imò si non adsit, nisi Sacerdos censuratus, Sayr. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 16. dicit hunc præferendum esse laico, quia necessitas dat omnibus habilitatem: sed oppositum probabilius dicunt *Suar. Bonac.* & alii, quia cum hìc non detur tanta necessitas, prohibitio non cessat obligare censuratum, ut abstineat. Denique si infans necdum totaliter egressus ex utero sit baptizandus, mulier præferenda est cuicunque viro, etiam proprio Parocho, sic enim exigit honestas, Platel. *p.* 5. *n.* 143. Et de Baptismo talis infantis plura dicentur *à num.* 292.

Græci aliqui putant solum Sacerdotem esse Ministrum Baptismi, quo absente permittunt infantem sine Baptismo emori, sed hunc errorem rectè confutat Arcud. *l.* 1. *c.* 1. ex ipsis Authoribus Græcis, iterumque *c.* 12. *dub.* 1.

Q. 48. *An licitum sit deferre vel mittere infan-* 278 *tem, ut baptizetur à Prædicante hæretico?* R. N. per se loquendo, quia peccat Minister indignus, si Sacramentum ministret, & peccat laicus, si baptizet, uti constat ex hactenùs dictis, ergo qui mittendo vel deferendo infantem causa est, cur Prædicans, qui indignus & laicus est, baptizet, saltem ideò peccat, quia ejus peccato cooperatur, petitque Sacramentum ab eo, qui hìc & nunc potest, nisi indignè, ministrare.

Quæstio potissima est, an aliquando possit esse 279 justa causa, vel circumstantia excusans petitionem ejusmodi Baptismi à Prædicante, conferendi, v. g. si sub gravissima pœna alicubi prohibitum sit catholicis parentibus, ne proles suas aliò ferant baptizandas, quid facere possint vel debeant? Circa hunc casum,

§. 1. *Suadent omnes*, si mater advertat se vicinam partui, ut proficiscatur ad locum catholicum, ibique natam prolem catholicè baptizari faciat, & posteà domum reversa, si possit sine incommodo, faciat prolem à prædicante inscribi libro baptizatorum, per hoc enim nullam in eo spiritualem potestatem agnoscit, sed tantùm adhibet cautelam pro habenda suo tempore attestatione susceptì Baptismi.

§. 2. Si v. g. mater sit catholica, & pater aca- 280 tholicus, qui velit infantem quocumque tandem loco natum post aliquod tempus baptizari à suo Prædicante, Less. *in anct. v. Baptismus, cas.* 2. *dicit* matrem posse facere, ut infans anteà privatim baptizetur catholicè, etiam à muliere, *si alius desit*, quia mater habet jus ad talem Baptismum prolis suæ, maximè si esset diù expectandus Baptismus Prædicantis, cum periculo, ne moreretur infans: Putant tamen Verjuys *t.* 6. *art.* 6. *patrem* posteà esse admonendum de Baptismo jam collato, ne secundæ vice baptizari faciat. *Quòd si* esset justa ratio id reticendi, posset permitti *secundus* Baptismus. Quòd si etiam parentes catholici non possent sine gravissimo incommodo *talem prævium* Baptismum manifestare, Arsdek. *in resol. de hæreticis q.* 30. dicit posse silere, *ostendendo* tamen, quòd sibi non placeat, *si à Prædicante* baptizetur. Si autem certò

prævideren hoc futurum, Lugo *de fide d.* 14. *ſ.* 5. *n.* 164. dicit melius eſſe, ut infans priùs non baptizetur à catholico, quia videtur eſſe minus malum, quòd infans baptizetur ab hæretico, quàm quòd rebaptizetur.

281 §. 3. Si ſupponamus caſum, quòd catholici parentes ſint graviſſimè puniendi, niſi infantem poſitivè faciant vel petant baptizari à Prædicante, Leſſ. *caſu* 1. Verj. *ſuprà* Pignat. *T.* 7. *conſ.* 55. *n.* 2. dicunt id petere aut facere non poſſe: Rationem dant 1. quia cum baptizatio ſit actus religionis, petere baptizationem à Prædicante tanquam Miniſtro publico, eſt tacitè profiteri illum eſſe verum Miniſtrum talis cæremoniæ, & Sacramenti ordinariè conferendi, hoc autem profiteri nullo caſu licitum eſt, etiamſi mors eſſet ſubeunda, inquit *Verj.* 2. Quia Pignat. *Conſul.* 41. refert declaratum eſſe à *Clemente VIII.* non licere extra neceſſitatem extremam, nequidem à ſchiſmaticis, recipere Sacramenta, quia non eſt licitum cum illis communicare in ſacris ritibus, ergo multò minùs ab hæreticis.

282 Hæc ſententia eſt quidem abſolutè tenenda tanquam vera, quia tamen certum eſt in multis locis, ubi ſunt talia pœnalia edicta, parentes catholicos facere deferri proles ſuas ad Prædicantes, uti habeo ex litteris, & relatione Miſſionariorum, ſitque durum omnes ejuſmodi catholicos damnare, vel eis negare Sacramenta, ſi id cavere nolint, fortè dici poſſet *ad primam rationem*, quòd petere baptizationem in iſtis circumſtantiis ſit tantùm profiteri, quòd Prædicans ſit validus Miniſter Baptiſmi, qualis reverà eſt, & ideò nunc illum requirat, quia cogitur, & aliter evitare non poteſt, injuſtam vexam. Quod *Conf.* nam nullus catholicus aut etiam acatholicus in circumſtantia talis pœnæ injunctæ judicabit talem parentem velle per hoc cognoſcere in Prædicante poteſtatem ſpiritualem, quia circumſtantiæ coactionis ſimul loquuntur, & dicunt tantum requiri, tanquam validè potentem baptizare. *Ad ſecundam*, conſequenter dicendum eſſet, non peti ab eo cæremonias, ſed tantum permitti, adeóque in eis non communicari; peti autem ſolum Baptiſmum pro tali neceſſitate, uti peti poſſet in neceſſitate extrema infantis, ſi nullus niſi Prædicans eum baptizare poſſet, quamvis prævideretur adjecturus cæremonias ſuas. Et in utroque caſu maneret obligatio petendi à Sacerdote catholico ſuppleri cæremonias Eccleſiæ, uti fatetur Pign. *Conſ.* 55. *n.* 8.

Dices, Ergo etiam potero ob metum mortis cum Calviniſtis habentibus ſuam cœnam ſtare, & ore admittere panem à Prædicante. R. n. ſeq. tum quia certum mihi eſt, Prædicantem non eſſe, nequidem validum Miniſtrum cœnæ Domini; tum etiam, quia omnes prudenter judicarent, me directè communicare in illa cæremonia cum illis: nec me juvaret contraria interna intentio, uti non juvat illum, qui ante idolum thus injiceret igni, intendens ſe illo odore paſcere.

Hæc dicta pro excuſatione ejuſmodi parentum catholicorum relinquo definienda ſapientiori aliorum judicio.

ARTICULUS II.

283 *An duo poſſint ſimul unum baptizare.*

„ RESP. I. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit Baptiſmus, quia dicens ſe „ abluere, cum non abluat, formam habet falſam, „ etiamſi uſurpet Græcorum, *baptizetur ſervus* „ *Chriſti*, vel quæ putatur illi æquivalere, *Baptizet te Chriſtus*, ſubintelligitur enim, *per me*; „ alioquin ſi excludatur perſona Miniſtri, ut ſenſus ſit, Baptizet te Chriſtus, & non ego, ſive „ non per me, forma nulla eſt. In caſu tamen neceſſitatis, poſſe ſub conditione ità Baptiſmum „ conferri, ut v. g. mutus formam neſciens abluere, cæcus autem formam pronuntiaret, docet „ Hurt. *ar.* 2. *diſſ.* 6. Additque debere talem elapſo periculo, iterum ſub conditione baptizari. V. „ Eſcob. Fill. *t.* 2. *c.* 4. Diana. *p.* 5. *tr.* 3. *R.* 26. „ ex Chapeavil. Marſil. &c. Bonac. *to.* 1. *de Bapt.* „ *d.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 23. Laym. *lib.* 5. *t.* 2. *c.* 7. „

Reſp. II. Si plures Miniſtri ſinguli abluant, & „ formam pronuntient, graviter peccant contra „ ritum Eccleſiæ: De valore ſic ſolet diſtingui, 1. „ Si quilibet intendit baptizare dependenter ab „ alio, ut cauſa particularis, invalidè baptizant, „ ſive ſinguli dicant, Ego te baptizo; ſive, Nos „ te baptizamus, quia forma, cujus ſenſus cenſetur eſſe abſolutè, & indepedenter baptizare, non „ cobaptizare, eſt falſa. 2. Si quiſque per ſe intendat baptizare independenter ab alio, validè ba- „ ptizat, quia omnia requiſita ponit, ut patet à „ ſimili in Miſſa ordinationis, qua Sacerdotes no- „ viter ordinati ſimul conſecrant cum Epiſcopo, „ dummodo ſimul eodem inſtanti formam abſol- „ vant: ſi autem non ſimul abſolvant, is tantùm „ conſecrat vel baptizat, qui prius abſolverit. V. „ Fill. *n.* 72. Bon. *n.* 25. Laym. *cap.* 7. „

Plura circa materiam hujus Art. videri poſſunt „ apud Averſ. *q.* 67. *ſ.* 1. „

DUBIUM IV.

Quod ſit ſubjectum Baptiſmi. 284

RESP. I. Subjectum capax Baptiſmi, eſt ſolus „ homo vivus, ab Adamo deſcendens non- „ dum baptizatus. „

Reſp. II. Validè baptizantur infantes, item „ perpetuò amentes, qui nunquam uſi ſunt ratione, „ quia cenſentur ejuſdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando ſint uſi ratione, „ non valet Baptiſmus, niſi ante amentiam petiverint. V. Bon. *d.* 2. *qu.* 2. *p.* 6. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 6. *Unde reſolves*, „

I. Si puer inter baptizandum, nondum finita „ forma moriatur, Baptiſmus eſt nullus. „

II. Non valet Baptiſmus iteratus, ideóque „ uterque, tum rebaptizatus, peccant mortaliter, „ fiuntque irregulares, & in jure civili ſubjacent „ pœnæ mortis. Quas tamen pœnas non videtur „ incurrere is, qui etſi ſine juſta cauſa rebaptizat „ ſub conditione, quia intelliguntur de Baptiſmo „ abſolutè dato, quando moraliter conſtat priorem Baptiſmum fuiſſe validum. V. Laym. *cap.* 5. „ Bon. *p.* 5. „

III. Nondum perfectè natus eſt baptizandus, „ ſi ſit periculum, dummodò pars aliqua poſſit „ ablui, quia eſt homo vivus, nec certò conſtat „ eſſe incapacem. „

IV. Si dubium ſit, an infans vivat, baptizan- „ dus eſt ſub conditione. „

V. Validè baptizatur, quem Miniſter putat „ eſſe alium; aut licèt ſit puella, quam putat eſſe „ puerum, quia intendit baptizare præſentem. „ Aliud eſt in Matrimonio, quia intendit contrahere cum illa quam putat. Bon. *p.* 4. *n.* 26. „

VI. Validè, etſi extra neceſſitatem illicitè, „ plures ſimul baptizantur, hac forma, *Ego vos* „ *baptizo*, &c. Bon. *p.* 4. „

VII. Monſtrum, quod capite, & pectore formam hominis refert, eſt baptizandum, ſecus ſi „ beſtiam „

„ beſtiam refert. Quòd ſi verò caput tantùm ſit ferinum, putat eſſe baptizandum *Comitolus. Nav.* „ tamen & alii volunt differendum, donec certiùs cognoſcatur, niſi periculum mortis immineret, tum ſub conditione baptizandum eſſe. Quòd „ ſi habeat membra hominis geminata, & dubitetur, num ſit unus homo, an duo, duplex Baptiſmus conferendus eſt, unus abſolutè, alter ſub „ conditione, in ea parte, qua membra apparent „ imperfectiora. V. Laym. *n.* 12. Bon. *t.* 1. *de Bapt. diſp.* 1. *p.* 6. & Rituale Romanum *tit. de Baptiſmo.*

„ Reſp. III. Extra mortis periculum validè, non „ tamen licitè baptizantur etnichorum infantes, invitis parentibus. Ratio, quia vel auferuntur parentibus, & fit illis injuria, vel relinquuntur, & „ fit injuria Sacramento, quod exponitur irreverentiæ. Quòd ſi tamen poſſint chriſtianè educari (ad quod tunc obligaberis,) licebit in his caſibus: 1. Si parentes ſint tua mancipia; tum „ enim tui potiùs ſunt quàm illorum. 2. Si parentes aliquando fuerint baptizati, vel uterque; vel ſaltem alteruter; quia tunc Eccleſia jus in eos „ habet. 3. Si alter parentum petat; tunc enim juſta ejus voluntas injuſtæ alterius præferenda eſt, „ in favorem prolis, & fidei. 4. Si infans ſit in „ periculo mortis. 5. Si rationis jam compos puer „ petat; quia in negotio religionis, eſt ſui juris. „ In dubio autem de uſu rationis, ſufficit eſſe 7. „ annorum V. Laym. *l. c.* Fill. *t.* 2. *c.* 6. Bon. „ *n.* 12.

„ *Quæres.* An baptiſmus aliquando repeti poſſit, „ & qua forma?

„ Reſp. I. Cum temerè rebaptizare ſit mortale ex „ objecto, quia eſt in genere Sacrilegii, dum conaris miniſtrare Sacramentum incapaci, hinc ad „ hoc, ut non liceat rebaptizare, non requiritur „ certitudo de Baptiſmo, ſed ſufficit, ſi pro eo ſint „ conjecturæ; ut v. g. quòd quis natus & educatus „ ſit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicujus momenti occurrant: leve enim, „ vel metaphyſicum dubium non ſufficit, ſed requiritur grave & morale, vel ſaltem rationabile; in quo inclinandum eſſe in favorem baptizandi, rectè monet Laym. *c.* 5. *n.* 3. & 4. ex „ *Saur.* & aliis, *Unde reſolves:*

„ I. Sub conditione baptizandi ſunt. 1. Qui cum „ materia & forma, aut intentione dubia (ſecundùm ſupradicta) ſunt baptizati. 2. Infantes expoſiti, & reperti ſine ſcheda teſtante de Baptiſmo; ſecus ſi cum ea. Ita Comm. Quint. tamen „ *t.* 1. *ſ.* 14. & 16. contendit etiam hos eſſe rebaptizandos. 3. Baptizati ab obſtetricibus veneficis; „ præſertim ſi faſſæ vel convictæ fuerint, aliquando non rectè baptizaſſe. Laym. *n.* 3.

„ II. Infantes ab obſtetricibus, vel parentibus, vel „ cognatis, &c. ob neceſſitatem baptizatos, promiſcuè omnes ſub conditione, rebaptizare, „ (quando obſtetrices bonæ, & bene inſtructæ „ cenſentur) non licet, quia de valore Baptiſmi „ prudenter & rationabiliter dubitari non poteſt. „ Suar. Lay. *c.* 5. Qui tamen contrariam conſuetudinem quorundam Parochorum damnare non „ audet, eò quòd ipſi experientia didicerint, obſtetrices non rarò fuiſſe deceptas à diabolo ideóque revera periculum aliquod ſit animæ, ob quod „ irreverentia ceſſet; additque etiam conſuetudinem approbatam fuiſſe à Paſtorali Romano edito „ Antuerpiæ 1607. eamque ſententiam tenet Sylv. „ apud Dian. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 86. & ipſe Dian. *p.* „ 9. *t.* 6. *R.* 35. cum aliis 2. cenſet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab

hæreticis, licèt ſint adulti, quod C. de Lugo *R.* „ *mor. l.* 1. *d.* 2. rectè limitat ad illas circumſtantias „ in quibus prudenter dubitari poſſit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Denique etiam „ Quint. *t.* 1. *ſ.* 6. docet, infantes ſupradictos ferè „ omnes rebaptizari poſſe ſub conditione. „

III. Peccat graviter Miniſter, qui non rebaptizat eum, de quo rationabile dubium juris vel „ facti manet, num validè ſit baptizatus, quia tenemur proximum liberare probabili periculo gravis mali, cum facilè poteſt, Laym. *l. c.* Quintan. „ *l. c.* 2. ſi non diligenter inquirat in talis baptiſmi „ valorem, niſi de hoc aliunde conſtet. Quintanadv. „ *ſ.* 6. & 7. „

IV. Non eſt rebaptizandus, de cujus Baptiſ „ mo habetur teſtimonium unius oculati teſtis, licèt fœminæ; dummodò non ſuſpecta, nec aliud „ obſtet, Laym. *l. c.* „

V. Qui verè & rationabiliter dubitat de ſuo „ Baptiſmo, tenetur petere Baptiſmum, & Paro„ chus ei conferre. Quint. *ſ.* 13. & 19. & interea „ abſtinere ab uſu aliorum Sacramentorum. „

Reſp. II. Baptiſmus ſub conditione, hac forma „ conferendus eſt: *Si baptizatus es: non te baptizo: „ Si nondum es baptizatus, ego te baptizo, in nomine, „ &c.* Ac licèt ſufficiat ſola mente conditionem ap „ ponere, ſi ex omiſſione non timeatur ſcandalum, „ tutius tamen eſt exprimere verba ſaltem iſta: *ſi non „ es baptizatus, &c.* V. Tol. *l.* 2. *c.* 19. Laym. *l.* „ *c.* Suar. *d.* 31. Fill. *t.* 2. *c.* 4. *q.* 9. Patrinus autem „ in hoc Baptiſmo neceſſarius non eſt, nec adhi„ bendus, *Quin. ſ.* 18. „

ADDENDA.

Quæſt. 49. *Quid notandum ſit circa obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum?* Reſp. ſeqq. 285

§. 1. Eſt gravis obligatio, per ſe loquendo, ſtatim ſuſcipiendi Baptiſmum, ideóque mortaliter peccaret adultus, ſi abſque juſta cauſa diu differret; uti rectè probant Mendo *diſſert. 9. num.* 12. Averſa *q.* 68. *ſ.* 4. Dicaſt. *d.* 1. *num.* 253. Similiter mortaliter peccant parentes fideles, qui, v. g. ultrà menſem, ſine ſufficienti cauſa differunt baptiſmum ſui infantis, quamvis non ſit periculum mortis, quia univerſalis conſuetudo, & decreto plurimarum Synodorum, præſcribentia, ut non differatur ultrà triduum, v. g. vel quadriduum, obtinuerunt, aut ſufficienter explicarunt vim legis pro tota Eccleſia, Caſtrop. *tr.* 19. *p.* 8. *n.* 4. Placel. *p.* 5. *n.* 194. Attamen Sot. apud Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 6. *num.* 8. extendit ad octavum, decimum aut etiam duodecimum diem, prout moris eſt. Imò docet Laym. *nu.* 9. ſi ſolemnis Baptiſmus cum cauſa differatur, v. g. apud Principes, quia expectari debet Patrinus, differri poſſe ad ſeſquimenſem.

§. 2. Quæri ſolet, an ſit tanta obligatio Baptiſ- 286
mi ſuſcipiendi, ut homo adultus poſſit ſe objicere periculo mortis pro eo ſuſcipiendo, & dicendum eſt poſſe, ſi poſteà non eſſet ſpes obtinendi Baptiſmi, quia ſecurior eſt & utilior, etiam pro remiſſione pœnæ. Non tenetur tamen ſe objicere, quia poteſt ſe aliter ſalvare, nempe per amorem Dei vel contritionem, Suar. & Gob. *t.* 2. *num.* 122. poteſtque videri Averſa §. *Quartò.* Addunt Ochag. & Caram. apud Gob. *nu.* 262. non tantùm licitum, ſed etiam præceptum eſſe; ut qui aliter nequit baptizari, & advertit ſe non poſſe conteri, petat ſe in mare projici ut baptizetur, & vult immergi optando anteferre vitæ corporis, quia tenetur vitam animæ baptizari, quod autem emergere non poſſit, præter ipſius intentionem eſt: Verùm ſententiam illam a- lii non admittunt, quia videtur eſſe directa ſui occiſio,

cisio, quæ numquam est licita. V. dicta *n.* 335.

287 *Q.* 50. *Qualis consensus seu voluntas requiratur in adulto?* Resp.

§. 1. Constat ex dictis *num.* 163. & iterùm *à nu.* 166. in adulto habente usum rationis requiri intentionem saltem habitualem, adeóque non sufficere carere contraria intentione, uti multis evincit Mendo *dis.* 9. *num.* 8. Et consequenter, si quis dormiens baptizetur, cùm anteà nunquam voluerit, Baptismus est invalidus; si tamen anteà baptizari voluisset, foret validus, secundùm dicta *num.* 166. nisi fortè voluisset in vigilia tantùm baptizari, Gob. *t.* 2. *n.* 296. Notatque Meratius *d.* 6. *s.* 4. intentionem adulti, per se loquendo, debere esse liberam libertate tali, qualis ad mortale requiritur.

288 §. 2. Probabile est sufficere habitualem implicitam, secundùm dicta *num.* 168. Unde probabile est contra *Suar.* sufficere intentionem, quâ quis generatim desiderat sibi adhiberi media ad salutem necessaria, quia Christus potuit sic instituere Baptismum, & concedit *Suar.* sic institutam esse extremam Unctionem, Baptismus autem est maximè necessarius ad salutem. Con. Gob. *num.* 298.

289 §. 3. Si quis haberet voluntatem interpretativam tantùm, *Valent. & Ledesm.* putant sufficere: *Suar. & Vasq.* probabiliùs dicunt non sufficere: *Tann.* dubitant; hinc Gob. *n.* 299. dicit Baptismum sic collatum debere repeti sub conditione.

290 §. 4. Si quis compos rationis voluerit baptizari, sed nunc impos nolit, validè baptizatur, secundùm dicta *num.* 176. Si autem dubitetur, an nunc, quando non vult, sit rationis compos, & sit periculum in mora, baptizari debet sub conditione; si non adsit periculum, differendus est Baptismus, donec plenè sibi restituatur, Laym. Tamb. Schild. *t.* 6. *c.* 2. Gob. *num.* 302. Quid verò faciendum sit, dubitetur, an puer absque consensu parentum petens Baptismum, habeat plenum usum rationis, dicetur *n.* 306.

261 §. 5. Lopez *p.* 1. *c.* 12. negat hominem à nativitate surdum & mutum, ratione utentem, esse baptizandum: Idem negant Ochag. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 6. Herincx *de Sacram. d.* 3. *num.* 94. Bosco *d.* 1. *s.* 8. *num.* 18. de surdo, cæco, muto, quia tales non videntur posse habere fidem, spem, attritionem, & voluntatem Baptismi. E contrà Conton. Con. *q.* 68. *n.* 94. Gob. *in Exp. t.* 2. *num.* 311. Burgh. *cent.* 2. *casu* 10. dicunt surdum, cæcum & mutum esse habendum tanquam perpetuò amentem, eò quòd non videatur posse habere notitiam ad peccatum requisitam, ideóque baptizari posse. Si autem tantùm sit Surdus & mutus, poterit per signa esse capax dispositionis, & instructionis necessariæ.

292 *Q.* 51. *Quid addendum sit circa Baptismum infantis adhuc in utero matris clausi?* R. seqq.

§. 1. Quamvis aqua per artem, & instrumenta pertingeret ad corpus infantis, tamen talem Baptismum fore invalidum, docent multi apud Aversam *q.* 68. *s.* 1. §. *Quod si*, & apud Burgh. *cent.* 2. *cas.* 7. quibus consentit Mendo *d.* 9. *n.* 25. E contrà fore validum docent alii communiter cum Ledesm. Victor. *Suar.* Con. Aversa. Dicast. *d.* 2. *nu.* 62. & rectè probat Pignat. *t.* 1. *consult.* 103. quia talis infans est homo, cui debitè applicari potest materia, & forma; ergo. *Nec obstat*, quòd Cap. *Qui in maternis.* De consecr. dicatur, *Qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundùm Christum non potest*; nam tantùm dicitur baptizari non posse cum matre, id est, mediante carne matris, de cætero sicuti infans ille erat mortuus spiritualiter per peccatum originale, ita renasci potest spiritualiter per gratiam, quamvis non sit natus corporaliter, uti rectè Mendo *disp.* 9. *nu.* 28. sic enim factum est S. Joanni Baptistæ, & fieret infanti propter fidem in utero matris occiso, uti dictum est *num.* 237. Exigit tamen honestas, ut mulier, si instrui possit, conferat Baptismum infanti in utero, secundùm dicta *num.* 348. Et si infans posteà nascatur, esse rebaptizandum sub conditione, tenent authores communiter, quia censent sententiam, quæ negat valorem talis Baptismi, esse probabilem: Raynaudus autem *tom.* 14. *in tr. de ortu infantium per sectionem, cap.* 6. *num.* 14. docet aquam non posse ita adduci ad infantem, ut baptizetur, eò quòd nimis multis involucris & secundinis sit inclusus, sed alii multi contradicunt: & saltem secundinæ continuantur cum umbilico infantis.

§. 2. Praxin adducendi aquam ad talem infantem describunt Schild. *t.* 6. *n.* 9. & Gob. *t.* 2. *n.* 57. 293 An autem mater teneatur permittere se secari, ut infans baptizetur, latè tradunt Bouderv. *p.* 2. *q.* 20. & Gob. *à num.* 254. & omnium optimè Rayn. qui *c.* 5. ex judicio & experientia Medicorum probat sectionem sine periculo fieri posse, ideóque ad eam teneri. Præterea quid faciendum sit, si mater gravida moriatur, videri potest apud Bouderv. Gob. & Rayn. *suprà*; sufficit hoc monere, quòd os mortuæ debeat manere apertum, ut non suffocetur infans, si adhuc vivat, possitque exscindi. Denique an à muliere gravida pœna capitis damnata, si lethaliter ægrotet, possit, antequàm moriatur, violento vulnere proles extrahi, ut baptizetur, doctè examinant idem Rayn. & Mendo *diss.* 4. *q.* 5. & affirmativam partem tenent Suar. Con. Dian. Aversa §. *Eò magis*, Dicast, *suprà.*

Q. 52. *Quid circa abortus, prodigiosos infantes,* 294 *& monstra sit notandum?* R. seqq.

§. 1. Authores gravissimi cum Card. *in* 1. *crisi d.* 14. *c.* 3. rectè dicunt omnes fœtus abortivos mulierum etiam imperfectissimè figuratos esse baptizandos, si dent aliquod signum vitæ per motum, quia putant aliqui Medici, quòd fœtus humani post paucos, v. g. tres aut quatuor dies à conceptione, statim animentur anima rationali.

§. 2. Si infans prodigiosè nascatur, ut factum 295 esse in Belgio anno 1336. authenticè testatur Loth. *in resol. Theol. t.* 15. *art.* 1. narrans virum, qui rideabat uxorem in partu ejulantem, ex imprecatione uxoris & ultione divina per novem menses sensisse dolorem maximum, & tumorem in femore dextro, ex quo excisus sit infans; talis infans non contraxisset quidem peccatum originale, uti habet communis cum S. Th. apud Dicast. *d.* 2. *num.* 114. quia non descendisset ab Adamo per ordinariam & seminalem generationem; & consequenter si ille factus adultus generasset filios, neque hi contraxissent ob rationem jam datam, sed mansissent in puris naturalibus sine peccato, & sine gratia supernaturali, unde si unus eorum statim sine Baptismo fuisset mortuus, probabile est post resurrectionem universalem gavisurum fuisse beatitudine naturali in hac terra: Nihilominus hi omnes debuissent baptizari, tum ut insignirentur charactere baptismali, & adscriberentur Ecclesiæ Christi, tum etiam, ut consequerentur gratiam sanctificantem, qua carebant, simulque acciperent habitus supernaturalium virtutum.

§ 3. Si monstrum sit procreatum ex homine masculo 296 & bruto fœmella, baptizari debet sub conditione, quia probabiliter est homo, dubium enim est, an semen fœminæ ad fœtum activè concurrat, *Posses.* aliique communiùs contra *Henriq.* Si autem monstrum sit procreatum ex muliere & bruto masculo, uti testatur *Besoldus* in Thesauro practico v. Schwangerung.

pag

pag. 884. mulierem aliquando fuisse, quæ ter conceperit è simio, tale monstrum baptizari non debet, ut rectè Dicast. *n.* 119. quia certum videtur, quòd non sit homo, cum ad generationem hominis omnes requirant semen viri. In dubio autem, an sit ex bruto masculo, baptizari debet sub conditione, si homo est, Bon. Schild. Gob. *in Exp. t.* 2. *n.* 278. Addunt Laym. & Dicast. *nu.* 117. si absit periculum mortis, semper melius esse, ut differatur Baptismus, donec certiùs cognoscatur, an homo sit, necne. Plura de monstris, item de natis ex dæmone incubo vel succubo, videri possunt apud Bouderv. *p.* 2. *qu.* 21. *&* 22. item apud Gob. *suprà casu* 9.

297 *Q.* 53. *Quid circa consensum parentum sit notandum?* R. seqq.

§. 1. Baptismus est validus, qui confertur proli non utenti ratione parentibus invitis, quia non baptizatur in fide vel voluntate parentum, sed tantùm Ecclesiæ, S. Th. 3. *p. q.* 68. *art.* 9. & omnes communiter cum Dicast. *d.* 3. *nu.* 71. contra *Durand. Silv. Palud.* & alios, quorum opinio communiter rejicitur tanquàm improbabilis.

298 §. 2. Illicitum est baptizare prolem parentum infidelium, si hi inviti sint, quamvis essent subditi Principis volentis baptizari. 1. Quia hoc est contra usum, & prohibitionem Ecclesiæ, nam Julius III. teste Pignat. *t.* 4. *cons.* 192. imposuit tali baptizanti pœnam suspensionis & mulctam 1000. ducatorum. 2. Plerumque manet præsens periculum fidei deserendæ. 3. Pater habet jus in filium, cum filius sit aliquid Patris, eique subjiciatur, ergo malè ei tali modo subtrahitur, S. Th. 2. 2. *qu.* 19. *art.* 12. aliique plurimi cum Dicast. *n.* 81. & Gob. *t.* 2. *n.* 317. contra *Scot. Gabr. Estium*; & ex parte contra Arcudium *l.* 1. *c.* 12. *dub.* 2. qui nihil vult resolvere, sed dicit consulendam Sedem Apostolicam. *Dices* 1. Puer debet eripi à morte temporali, etiam invito parente, ergo multò magis à morte æterna. 2. Debet prævalere voluntas Dei, qui præcipit Baptismum. 3. Legitur 1. *Machab.* 2. *v.* 46. quòd Mathathias & amici ejus circumciderint pueros incircumcisos, quotquot invenerunt, utique etiam contra voluntatem parentum, quorum aras evertebant 4. Principi licitum est impedire hoc peccatum subditorum. Resp. *Ad* 1. Disparitatem esse, quòd parens non habeat jus circa vitam prolis, habeat autem jus ad gubernationem. *Ad* 2. Deus non præcipit statim in hac circumstantia baptizari. *Ad* 3. vel erant filii Judæorum subjecti Legi, vel filii Gentilium subacti armis, & veluti servi, de quibus dicetur *n.* 306. *Ad* 4. Licitum est impedire peccatum subditorum, si obstet paci & rectæ gubernationi, c. secus, n. nam. potestate civili adigi non possunt ad servandum jus etiam naturæ, nisi observatio ad pacem publicam faciat.

299 §. 3. Non requiritur consensus utriusque parentis, sed sufficit alterutrius, quia cùm consensus permittentis sit in favorem religionis, & ad salutem prolis, alter autem parens irrationabiliter neget, meritò prævalet consensus prioris, Suar. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 6. *n.* 10. Averf. *q.* 68. *f.* 3. §. *At verò*, Gob. *num.* 320. Dicast. *num.* 85. *d.* 2. *num.* 62. Verj. *art.* 12.

300 §. 4. Si parentes infideles sint strictè servi hominis christiani, potest illorum proles authoritate domini baptizari parentibus invitis, quia jus in prolem spectat ad dominum, qui etiam sine injuria potest abstrahere à parentibus & liberare à subjectione actuali, *Suar. Vasq. Con. Laym. Averf. Gorm. Verj.* suprà, Dian. *p.* 2. *t.* 15. *R.* 45. Dicast. *n.* 95. Gob. *n.* 318. contra *Cajet.*

§. 5. Si proles in captivitatem abducatur, ut baptizari possit, sufficit alterutrum parentem fuisse in Ecclesia, quamvis nunc uterque sit infidelis, quia cùm Ecclesia habeat jus in parentem subjectum Ecclesiæ, etiam in tantum habet jus in prolem, Laym. Dicast. *n.* 86. 105. Pignat. *t.* 8. *cons.* 71. Si autem neuter parentum fuit in Ecclesia, proles jure belli captiva, per se loquendo, baptizari posset, quia jam est serva christiana, Aversa §. *Quintò* 301

§. 6. Si parentes infideles sint mortui, potest princeps christianus illorum proles sibi tantùm politicè subjectas & non strictè servas curare baptizari invitis tutoribus, quia potest derogari juri tutorum, quod per leges civiles inductum est, Dicast. *num.* 90. Gob. *n.* 321. contra *Sot. Palud. Vasq.* 302

§. 7. Infantes illorum, qui invalidè baptizati sunt (uti, si apud Anabaptistas vel Calvinistas moris sit, ut unus effundat aquam, alter proferat verba) habent se sicuti infantes infidelium, tales enim parentes non sunt baptizati, sed reipsa infideles, Dicast. *n.* 107. è contrà infantes hæreticorum verè baptizatorum licitè baptizantur invitis parentibus, si ita velint legitimi Superiores Ecclesiastici, quia cùm hæretici sint subditi Ecclesiæ, ab hac sine injuria compelluntur ferre pueros ad Baptismum catholicum, si autem recusant, justè abstrahuntur pueri, & baptizantur, Laym *n.* 11. Dicast. *n.* 72. Verj. *art.* 13. Averf. §. *Primò Nec refert*, quòd videatur fieri contrà jus, quòd parentes habent in prolem, *nam* jus alendi & instruendi prolem relinquitur iis, dummodò fiat in vera fide & Ecclesia, cui parentes sub sunt; quòd si detrectent, habet Ecclesia jus abstrahendi proles, ne pervertantur. In locis tamen, ubi acatholica religio permissa est, non solet Ecclesia isto jure uti. 303

§. 8. Potest etiam invitis parentibus, baptizari infans, si justè, vel etiam injustè, *sit* extractus extra potestatem patriam, tum enim parentes amiserunt jus proximum, seu actualem usum juris sui naturalis, & in jus succedunt illi, quibus nunc subsunt & baptizari mandant, Laym. *num.* 10. Dicast. *n.* 84. Verj. *art.* 12. 304

§. 9. Puer quicumque morti proximus baptizari debet, etiam invitis parentibus, quia tum urget præceptum charitatis, & puer non subtrahitur dominio parentum per baptizantem, sed per ipsum periculum mortis, *sic autem* extracto licitè confertur Baptismus maximè illi necessarius. Docet quidem Pignat *t.* 5. *cons.* 14. *n.* 205. ex Conc. Mediol sub S. Carolo Borromæo habito, puerum infidelis tum tantùm baptizari posse quando nulla est spes, quòd possit supervivere, sed videtur sufficere periculum proximum mortis, maximè secundùm dicenda *n.* 367. 305

§. 10. Si puer petat Baptismum contra voluntatem parentum, & dubitetur de pleno usu rationis in puero, si simul tum adsit periculum mortis, aut puer sit egressus septennium, aut parentes postea essent impedituri Baptismum, nunc autem videatur satis consultum illius constantiæ, posset statim baptizari, quia in dubio de duobus præceptis oppositis servandum est majus, divinum autem præceptum de Baptismo est majus, quàm de non agendo contra jus parentum; Sor. Suar. Vasq. Laym. Dicast. *num.* 78. Schild. *t.* 6. *cap.* 2. Gob. *n.* 326. Si autem absint ejusmodi circumstantiæ, *S. Anton Henriq. Azor.* & alii cum Dicast. *n.* 77 *probabiliter* dicunt non esse licitum baptizare, quia parentes sunt in possessione patriæ potestatis, *maximè* inquit Bonac *de Sacram. d.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *si puer* necdum compleverit septennium, tum enim non potest præsumi usus rationis. E contrà *Sot. Laym.* aliique cum Dian. *p.* 7. *t.* 11. *R.* 306

40. dicunt licitè posse baptizari, quia in dubio favendum est potiùs innocenti quàm reo, puer autem est innocens, & parentes impiè resistunt, neque universaliter verum est, quòd in dubio semper sit melior conditio possidentis, sed tantùm, ubi est per causas, sive simile jus, uti probare conatur Lugo *in Resp. Moral. l. 1. dub. 4.* fusè discutiens hunc casum; hìc autem non est par causa, nam parentes exponuntur soli periculo amittendæ patriæ potestatis, quod est quid leve, puer autem exponitur periculo æternæ salutis, quod est graviſſimum: atque ideò concludit *Lugo* saltem puerum non debuisse reddi parentibus, sed asservari usque dum accedat plenus usus rationis, quod etiam suadent Suar. *de Sacram. d. 25. s. 3. Dicast.* suprà & alii.

307 *Q. 54. Si hæreticus petat infantem suum baptizari à Sacerdote Catholico, an hic licitè, baptizet?* Resp. Negant Suar. Con. Dicast. *d. 2. à num. 109.* & alii, quia infans ille exponitur evidenti periculo apostasiæ, non aliter ac infans infidelis, quem DD. passim dicunt non debere baptizari, si sit restituendus parentibus, quia nempe ob periculum perversionis fit irreverentia Sacramento & religioni. E contrà Laym *l. 5. t. 2. cap. 6. num. 12.* Aversa *q. 68. s. 3. §. Primò* Arsd. *in resol. de hæreticis qu. 31.* Gob. *t. 2. num. 324* dicunt licitè fieri, & esse praxim in Germania. Ratio est, 1. Quia hæresis apud multos est materialis tantùm. 2. Quia multi testantur, quòd vix tertia pars infantium perveniat annos discretionis, sicque periculum apostasiæ est incertum & valdè remotum. 3. Quia multùm confert ad conversionem ejusmodi puerorum, si posteà audiant se catholicè baptizatos esse. 4. Hoc etiam tali proli est aliunde utile, cùm præter certam materiam & formam, adhibentur sacræ cæremoniæ & preces Ecclesiæ. 5. Denique eadem irreverentia contingit, etiamsi infans baptizetur ab acatholico, nam etiam acatholicus confert verum Baptismum à Christo pro vera Ecclesia institutum, ergo. Hæc sententia videtur satis probabilis, uti etiam notavit Dian. *p. 3. t. 4. R. 7.*

308 *Q. 55. Si infidelis petat se vel infantem suum baptizari, an id licitè fiat?* Resp.

§. 1. Infidelis adultus volens infidelis manere, baptizari non debet, quia caret dispositione requisita, nempè fide & attritione, & per hoc fieret gravis injuria Sacramento & religioni, gemma projiceretur ante porcum, ideóque communis omnium sententia est, neminem esse baptizandum, qui priùs ad veram fidem non accesserit.

309 §. 2. *Sylv. Nav.* & alii putarunt infantes infidelium, si parentes petant, v. g. ut ita liberentur à morbo vel infestatione dæmonis, licitè baptizari, quia illis conveniunt aliquæ rationes *num. 367.* allatæ pro infantibus hæreticorum, sed communiter contradicunt alii cum Laym. Pignat. Dicast. *d. 2. num. 111.* Excipit Gob. *num. 325.* nisi parens infidelis esset mortem illaturus nolenti baptizare, nam secundùm dicta *num. 144.* possunt dari circumstantiæ excusantes Ministrum, qui etiam indigno Sacramentum confert.

310 *Q. 56. Quid præterea dicendum sit in variis dubiis circa valorem susceptì Baptismi?* Resp. Præter dicta *à num. 123. ad.* de seqq.

§. 1. *De illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur*, inquit Innoc. III. Cap. *Veniens, ult. de Presb. non bapt.* Si tamen alia occurrerent, quæ præsumptionem contrariam facerent, aut tollerent certitudinem moralem, uti si infestaretur à dæmone, nec sciretur causa alia, peteretque instanter repeti in se baptismum, rebaptizari deberet sub conditione, Gob. *t. 2. à num 183.* De puero Barbaris erepto, vide dicta *num. 125.*

§. 2. Si certum sit unum è viginti non esse bap- 311
tizatum, nesciatur autem quis ille sit, omnes debent sub conditione rebaptisari, quia potest prudenter dubitari de singulis, Lug. Dicast. Gob. *num. 699.*

§. 3. Si baptizans fuit perturbatas, ideóque du- 312
bitet, an aliquid essentiale omiserit, si unus adstantium, reliquis non contradicentibus, testetur hoc esse appositum, de cujus omissione dubitatur, nihil debet repeti; si testes discordent, aut unus contra alios testetur esse omissum, aut nullus testetur, repeti debet, quia prudenter dubitatur de valore, & unus ille testans esse omissum gignit dubium morale, Gob. *n. 424. & 427.*

§. 4. Qui aliàs non est scrupulosus nec hypocon- 313
driacus, sed prudens, & nunc magnis scrupulis ac longa inquietudine agitatur circa valorem sui Baptismi, hoc ipso rebaptizari potest sub conditione, quia videtur gravis causa & dubium prudens, ob exempla non baptizatorum, qui ita internè sunt agitati, Quintanadv. *tract. 1. sing. 8.* & alii cum Gob. *à num. 446.* ubi refert casus, in quibus etiam ex infestatione spectrorum judicatum sit, causam esse sufficientem.

§. 5. Si quis sit dubius de valore sui Baptismi 314
dubio juris tantùm, quia nempe DD. aliqui probabiliter affirmant, alii probabiliter negant Baptismum fuisse validum, Dicast. *d. 1. n. 217.* Gob. *à n. 414.* dicunt talem licitè suscipere reliqua Sacramenta præter Ordinem & Matrimonium, quia est in possessione, quòd sit Christianus, & reliqua illa Sacramenta suscipiendo non est periculum nocendi alicui tertio. Oppositum quoad omnia Sacramenta, videtur tenendum propter dicta *à n. 105.* quia non est licitum Sacramenta suscipienda exponere periculo nullitatis, cui reipsa exponeret talis suscipiens.

§. 6. Sacerdos dubitans de valore sui Baptismi 315
tenetur secundùm dicta *n. 126.* ex charitate & justitia iterum baptizari, & iterùm suscipere ex quadam convenientia omnes Ordines, etiam probabiliter Minores, Quintanad. *sing. 10.* Gob. *à n. 432.* Quid autem facere debeat, si ille multos confitentes audierit, aut Missas pro stipendio legerit; item ad quid teneantur pœnitentes ejus, si resciant de illius Baptismo dubitari, explicant Quintanadv. *sing. 11.* & Gob. *à num. 439. & 441.* dicemusque posteà de Pœnitentia.

§. 7. Si dubium fiat de Baptismo Religiosi, bap- 316
tizari debet à Paroco loci, iterumque sub conditione confirmari & ordinari; non est tamen opus, ut novitiatum repetat, quia est probatus, Sylv. *in resol. variis p. 1. v. Baptismus, cas. 3.*

§. 8. Si fiat mutatio sexus, v. g. fœminæ in 317
virum, non debet repeti Baptismus, sed tantùm mutari nomen fœmininum in masculinum, uti dicetur *n. 331.*

Alii casus 24. circa dubium Baptismi videri possunt apud Gob. *à num. 656.* item apud Quint. *sing. 1.* casus de Parocho vel obstetrice, quæ dicit se per decem annos caruisse intentione baptizandi, ubi docet *Quintanad.* omnes & singulos esse rebaptizandos, non obstante quòd fortè probabile sit Deum supplere intentionem, uti ipse docet *sing. 2.*

Q. 57. Quid dicendum sit de infantibus expositi- 318
itiis? Resp. Probabilius videtur esse rebaptizandos sub conditione, etiamsi inveniantur cum appositio sale vel cum scheda testante de Baptismo ita multi

cum

cum Quintan *t.* 1. *ſing.* 9. Schild. *d.* 6. *c.* 2. Gob. *t.* 2. *num.* 397. Burgh. *Centur* 1. *caſ* 94. Idem ſtatuit Synodus Colonienſis ſub Maximiliano Henrico pag. 59. dicens, quamvis ſal adfuerit, rebaptizandos eſſe ſub conditione, niſi certioribus teſtimoniis baptizatos eſſe comprobetur: Ratio eſt, quia baptiſmus obſtetricum meritò cenſetur dubius niſi ſciatur eas eſſe probas & bene inſtructas, edicantque modum, quo baptizarint, ergo multò magis hic Baptiſmus cenſeri debet dubius, nam communiter confertur à matre, quæ fortè nunquam vidit baptizari, nunquam didicit, nec præ pudore petere voluit, metuens tamen, ne proles fortè moreretur, baptizavit, uti ſcivit. Deinde poſſet *infans* à Judæo eſſe expoſitus vel ab alio execrante Baptiſmum, uti rectè notant *Sylv.* & *Mercerus* apud Platel. *p.* 5. *n.* 139.

319 *Q.* 58. *Quid dicendum ſit de baptizatis ab obſtetrice vel laico?* Reſp. Seqq.

§. 1. Baptizatus ab obſtetrice vel laico æquè parum rebaptizari poteſt, quàm baptizatus à Parocho, ſi poſt examinatam materiam, formam & intentionem, cum qua Baptiſmus eſt collatus, non ſit prudens dubium de Baptiſmi valore, Sylv. *p.* 1. *v. Baptiſmus*, *caſ.* 1. Dicaſt. *d.* 1. *num.* 178. Ratio patet, quia non eſt ſatis potuiſſe errari, cùm Parochus etiam errare potuerit, ſed debet error prudenter præſumi poſſe. *Nec refert*, quòd fortè in aliquibus Diœceſibus ſit conſuetudo rebaptizandi, approbantibus multis Authoribus, ut teſtantur Gob. *t.* 2. *à n.* 171. & Arſd. *de Baptiſ. c.* 2. §. 3. *num.* 7. *Nam* conſuetudo illa fundatur in erroribus aliquando animadverſis, de cætero conſuetudo nil poteſt immutare circa jus divinum, à quo pendet permiſſio, prohibitio vel juſſio reiterandi Baptiſmum, Gob. *num.* 175.

320 §. 2. Quiſque licitè ſequitur ſtatuta ſuæ Diœceſis circa rebaptizationem illius, qui ab obſtetrice vel à laïco eſt baptizatus, March. Gob. *n.* 171. Abſtrahendo tamen ab ejuſmodi ſtatutis, plerique ab imperitis, & à mulieribus baptizati, licitè rebaptizantur ſub conditione, quia ſæpè deprehenſi ſunt errores ab iis commiſſi, uti refert Gob. *à num.* 178.

321 §. 3. Quando obſtetrix eſt integræ famæ, animoſa, circumſpecta, ſæpiùs experta & probata ſemper egiſſe rectè, tunc proles ne quidem ſub conditione eſt rebaptizanda, ſi illa aſſeveret eam à ſe eſſe legitimè baptizatam, quia tunc non poteſt eſſe prudens dubium, Quintanad. Gob. *num.* 183. rebaptizare autem extra prudens dubium, quamvis adſit ſcrupulus levis, debet ordinariè cenſeri mortale, Hurt. Gob. *n.* 353.

§. 4. Baptizatus ab obſtetrice venefica rebaptizari debet, quia meritò eſt dubium, Gob. *n.* 402. & iterùm *à n.* 683. In dubio, an fuerit venefica, putat Gob. *n.* 697. non eſſe baptizandum, quia in dubio non præſumitur delictum; ſed videtur dicendum rebaptizandum eſſe ſi dubium ſit prudens, quia tunc etiam prudenter dubitatur de valore Baptiſmi.

321 *Q.* 59. *Quid dicendum ſit de baptizatis ab hæretico Prædicante?* R. Hos omnes rebaptizandos eſſe docet *Quintanad.* aliique plures cum Dicaſt. *d.* 1. *num.* 181. quod Gob. *t.* 2. *n.* 392. dicit ſibi videri certum quoad baptizatos à Prædicantibus Anglis vel Hollandis, eò quòd conſtet nullam ferè religionem jam olim fuiſſe in Anglia; in Hollandia autem numerari ad 80. & quis credat, inquit, apud hos non eſſe errores ſubſtantiales etiam circa Sacramenta? Ideóque Gob. 396. tandem deflectit in ſententiam *Dicaſtilli*. De Anglis idem docet Sylv. *p.* 1. *v. Bapt. caſ.* 3. Ratio poteſt eſſe, quia prædicantes multi putant Baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium, ſed ſufficere fidem parentum, ideóque negligunt aliqua neceſſariò requiſita; aliqui utuntur aquis odoriferis, non curando, an ſit elementaris, dummodò ſit fluida; quandoque unus affundit aquam, dum Prædicans profert formam vel ex cathedra legit Evangelium. Etiam metuendum eſt, ne careant intentione debita, nam, uti jam accipio per litteras à quodam Miſſionario, petunt quandoque an parentes velint prolem baptizari Catholicè, an Lutheranè; item, inquit, idem Miſſionarius, quivis baptizat, prout aſſuevit, vel ſibi formulam fabricat, abſque cura, dummodò in ſpeciem verba proferat, quæ Baptiſmi collationem qualitercumquo ſignificent, & ita ex rituali ſuo dicunt multis locis, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti*, omiſſo &, quam formam licèt *n.* 35. cum communi dixerim valere, tamen Comitolus *l.* 1. *q.* 7. negat valere, & Catholici malunt pro ſecuritate addi *Patris, & Filii &c.* prout habet forma à Chriſto nobis tradita Matth. 28. v. 19. Ex quibus colligo, ſi in quibuſdam locis ſint ita incurii Prædicantes, nec ſollicitè obſervent ea, quæ Catholica Eccleſia requirit ad valorem Sacramenti, debere à talibus baptizatos ſub conditione rebaptizari.

Q. 60. *Quid obſervandum ſit, ſi repetatur Bap-* 323
tiſmus? R. Præter notata à *Buſembaum* & relata *nu.* 284. obſervanda ſunt ſeqq. 1. Quando ſub conditione repetitur Baptiſmus, probabile videtur, quòd non ſit obligatio confitendi, quia libertas eſt in poſſeſſione, certum enim eſt baptizandum non fuiſſe obligatum confiteri ante Baptiſmum, & ſupervenit dubium de Baptiſmo, ex quo ſequeretur ea obligatio, poſſeſſionem autem certam non expug- 324
nat dubium ſuperveniens. 2. Adultus, qui baptizatur, tenetur præmittere ſaltem attritionem, non quidem de peccato originali, ſed de actualibus 325
mortalibus, ſi commiſerit, Gob. *t.* 2. *num.* 404. 3. Baptiſmus, qui ob dubium ſub conditione repetitur, ſecundùm aliquos poteſt *licitè* peragi omni loco, & à quocumque, etiam laico, eò quòd Canones ſtatuentes, ut ſit Parochus vel ſacerdos, videantur tantùm loqui de baptiſmo abſoluto; quidquid ſit de hoc, melius eſt etiam in Baptiſmo, qui ſub conditione repetitur, ſe accommodare uſui communi, & adhibere ſaltem Sacerdotem, ſi haberi poſſit, Gob. *num.* 405. imò Parochum ipſum, ſecundùm dicta *n.* 376.

Q. 61. *An ille, qui moritur dubiè baptizatus, ſit* 326
ſepeliendus loco ſacro? Reſp. de hoc aliiſque ad ſepulturam pertinentibus agemus l. 7. quando de excommunicatione.

DUBIUM V.

De Cæremoniis Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quæ ſervanda circa Cæremonias baptizandi.

REſp. Cæremoniæ Baptiſmi petendæ ſunt ex 327
Agenda cujuſque Eccleſiæ Univerſim ta-
men circa eas ſervanda ſequentia. 1. Baptiſmum
extra neceſſitatem abſque peccato non poſſe con-
ferri, niſi in aqua conſecrata, quæ cùm deeſt,
habet 2 formula brevis in quibuſdam Agendis ex
tempore aliam conſecrandi, *pro caſu* neceſſitatis.
Quòd etiam hac formula careas, adhiberi poteſt
aqua communis benedicta. 2. Baptiſmum ſolemnem
non conferendum, *niſi in templo*, & loco ad id
deputato, niſi filiis Regum & Principum: quibus adde filios Catholicorum, in locis hæreticis
interim quoad hoc, in magnatibus & nobilibus
connivetur in multis locis. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *cap.*
8. *n.* 8. 3. Infantes ex conſuetudine deferendos ad

„ Baptiſmum, circa diem octavum, niſi priùs ſit ne-
„ ceſſe, vel niſi ſit gravis cauſa dilationis (v. g.
„ quia Patrini ſunt expectandi) in qua tamen non
„ licet communiter, extra neceſſitatem, privatim
„ baptizare, & poſteà adhibere ſolemnitates, ſed
„ præſtat expectare aliquandiù. Laym. *c.* 6. *n.* 8.

„ IV. Baptizanti non licet adhibere cæremonias
„ aliquas, omiſſis aliis: quia vel fiet in Baptiſmo
„ ſolemni, quod prohibet Trid. *ſect.* 7. *c.* 3. vel pri-
„ vato: ſed in hoc prohibet Clementina unica, illas
„ adhibere, niſi ſit filius Regis aut Principis. De Pa-
„ trino tamen uſus habet, ut & tunc adhiberi poſ
„ ſit, etſi non ſit neceſſe. Et multi putant adhibi-
„ tum non contrahere cognationem ſpiritualem,
„ nec verè Patrinum effici, ut *Sanch. Rodriq.* contra
„ *Laym. & Suar.* quorum tamen ſententia videtur
„ probabilior.

„ V. Cùm in neceſſitate, vel aliam ob cauſam
„ (nam ob gravem cauſam, v. g. juſtum timorem
„ infamiæ, aliquando licitè fit) Baptiſmus ſine cæ-
„ remoniis eſt collatus, ea ceſſante, illæ ſolemni-
„ ter in templis ſunt ſupplendæ. Quod tamen non
„ eſt moris in hæreticis converſis, ne plebs putet,
„ nos eorum Baptiſmum improbare. Laym. *c.* 8. *n.*
„ 10. Imò in aliis omittere, ſecluſo contemptu, eſ-
„ ſe tantùm veniale, docet Poſſev. *de off. Cur. c.* 6.
„ *n.* 33. Qui autem tenet more Patrini infantem,
„ dum cæremoniæ ſupplentur, non contrahere cum
„ eo cognationem ſpiritualem, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.*
„ 260. ex Pontio dicit eſſe probabile.

„ VI. Si Baptiſmus collatus deprehendatur fuiſſe
„ invalidus, non ideò repetendæ ſunt cæremoniæ.

ADDENDA.

328 Q. *Vaſt.* 62. *Quid agendum ſit, ſi nolit vel obſtetrix aſſiſtere, vel Parochus baptizare infantem, niſi mater manifeſtet Patrem?* Reſp. Sæpè expedit ad bonum commune, ut reſciatur, quis ſit Pater cujuſque infantis, tum ut provideatur alimentationi & educationi illius, tum ut deterreatur quiſque ab illicito concubitu: hinc in quibuſdam Diœceſibus mandatur, à civili aut etiam Eccleſiaſtico Magiſtratu obſtetricibus, ut non aſſiſtant, & Parochis, ut extrà periculum mortis non baptizent prolem, niſi mater manifeſtet Patrem, qui etiam referri debet in librum baptiſmalem. In hoc itaque caſu; ſi ita mandetur, vel alicubi ſit conſuetudo, tenetur mater ſic interrogata manifeſtare Patrem: Alibi non tenetur nec debet, ne Patrem infamet, Gob. *t.* 2. *num.* 160. Sed ex illa præcisè nominatione mulierculæ non poteſt certò credi hunc vel illum eſſe Patrem, facilè enim poſſet Mater velle celare verum Patrem, & in alium conjicere tale crimen, unde Parochus communiter inſcribere non debet, v. g. natus Titio Patre, ſed ſic, uti Mater dicit, Titio Patre. Si tamen alia ſigna credulitatis accedant, cogi poteſt ſic nominatus ad alendum ſuo tempore prolem: quòd ſi aliquis ex juſta cauſa permittat ſe dici Parentem & pro tali inſcribi, per ſe loquendo, non peccat, ſed per accidens difficulter effugietur omne mendacium. De hoc tamen videri poteſt Gob. *in annotatione poſt n.* 163.

329 Q. 63. *Quid addendum circa nomen, quod in Baptiſmo imponitur?* Reſp. Seqq.

§. 1. Non eſt quidem præceptum, eſt tamen pium monitum S. Pii V. & Pauli V. ut infantibus non imponantur nomina, niſi Sanctorum; pro quo multas congruentias affert *Rayn.* in libello de pietate erga particulares Sanctos *c.* 11. hinc non peccat, qui imponit nomen hominis etiam non beatificati. Non eſt tamen facile acquieſcendum volenti imponere nomen ethnicum, quia eſt quædam offenſio Chriſtiani nominis, uti habet Catech. Rom. *de Bapt. c.* 14. *n.* 3. Improbant etiam *Vaſq. & Quintanadv.* nomina antiqui teſtamenti, quia videtur denotari ſanguis hebræus; ſed quoad hæc facienda non eſt difficultas pro his partibus, in quibus paſſim uſurpantur nomina Adami, Danielis, Jeremiæ, Tobiæ, Jacobi, Davidis, Abrahami, &c.

330 §. 2. Si non poſſit ſatis dignoſci, an infans ſit maſculus, an fœmina, & videatur eſſe periculum mortis, omitti poteſt nomen, & dici, *creatura Dei, ego te baptizo, &c.* Si autem infans putetur ſupervicturus, *Vivald. & Chapeav.* dicunt illi dandum eſſe nomen viri, quia in dubio præſumitur ſexus maſculinus, cum natura ſemper ad eum, utpote perfectiorem tendat; alii putant dandum eſſe nomen fœminæ, quia natura deficiens ſolet harum plures procreare: Gob. *tr.* 2. *num.* 339. meliùs dicit imponendum viri & fœminæ, ſicuti de facto multi viri vocantur, Petrus Maria, &c. poſteà autem cum apparuerit, cujus ſexus ſit, nomen oppoſiti ſexus poterit vel dimitti vel etiam retineri: nam conſtat in hac noſtra Germania etiam maſculis in Baptiſmo dari nomina, v. g. Petrus Maria Joſeph.

331 §. Si ſexus mutetur, v. g. ſi quis ex fœmina fiat vir, quod frequenter factum eſſe teſtantur Authores apud Gob. *nu.* 338. nomen è fœminino mutandum eſt in maſculinum, vel contra v. g. vocando pro Patronilla Petrum, pro Joanne Joannam, ad quam mutationem non requiritur authoritas Epiſcopi, uti vult *Sotus*; neque Superioris, ut vult *Sà* ſed fieri poteſt authoritate privata, uti meliùs docent *Abb. Bonac.* & alii, cum nulla de hoc ſit lex vel conſuetudo: rectè tamen notat Gob. *n.* 340. ad confuſionem & errorem vitandum monendos eſſe Patrinos vel Parochum. Addit Dicaſt. *d.* 1. *n.* 154. nomen in baptiſmo impoſitum poſſe propria authoritate mutari, eò quòd non videatur ullo jure prohiberi. De cætero, debet ordinariè nomen imponi ſecundùm deſignationem Parentum: Gob. *nu.* 342.

332 §. 4. Nulla ex nomine capi poteſt præſumptio de natura vel vitio alicujus, unde frivolum eſt dicere, v. g. de aliquo Petro, quòd ſit calidi capitis; de aliquo Juda, quòd ſit furax; per accidens enim eſt ſic vocari, nec nomen impoſitum aliquid confert ad naturam, Gob. 343. contra aliquos Juriſtas.

333 *Q.* 64. *Quid circa Baptiſmum ſolemnem & privatum ſit addendum?* Reſp. ſeqq.

§. 1. Baptiſmus tum dicitur ſolemnis, quando fit cum ritibus & cæremoniis, etiamſi fiat domi vel alio loco privato, nam licèt locus ſacer ſit inter requiſita ad ſolemnitatem, tamen reliqua ſunt potiora, ideóque ab illis deſumenda eſt denominatio, Gob. *t.* 2. *à n.* 484. Solemni itaque non opponitur privatus, ſed tantùm non ſolemnis, id eſt, factus ſine pleriſque & præcipuis ritibus ſeu cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis.

334 §. 2. Baptizare extra Eccleſiam ſine neceſſitate eſt mortale, Gob. *n.* 491. *Nec obſtat* 1. quòd in Eccleſia non ſit fons baptiſmalis, ſed aqua aliter aſſervetur; *nam* præceptum non eſt principaliter propter fontem, vel propter Eccleſiam Sacramentorum adminiſtrationi & divinis peragendis deputatam, maximè pro Baptiſmo, per quem quis in Eccleſiam ingreditur. *Nec obſtat* 2. quòd ſit in urbe hæretica, ſi id ab hæreticis permittatur, nam ideò tantùm Authores cum Buſembaum excipiunt, ubi Catholici inter hæreticos degunt, quia infantes ſine damno vel incommodo ad Eccleſiam deferri non poſſunt, quo abſente præceptum grave obligat, ut fiat in Eccleſia.

335 §. 3. Ut liceat privatim baptizare domi, ſatis eſt eſſe prudens dubium, conjecturam, timorem

aut

aut præsumptionem periculi, ne infans moriatur. v. g. si obstetrix dicat esse periculum, Quintanadv. Gob. *n.* 498. Signa autem periculi sunt varia, v. g. si infans sine fletu nascatur, nam tum non habet sensus vividos, alioquin egressus in aerem sentiret frigus; si mater difficulter sit enixa, tum enim violentè pressus est infans; si in utero ad quintum, sextum, aut ante septimum mensem prosiliat, signum est deficere nutritionem, & quando nascetur fore debilem; denique si nascatur octavo mense, nascitur mense periculosissimo, hinc tantò magis attendi debet, uti citò baptizetur, ita ex judicio Medicorum Quintanadv. & Gob. *n.* 499.

336 §. 4. Si infans nequeat deferri ad Ecclesiam sine periculo infamiæ parentum aliove damno gravi, potest domi solèniter baptizari, Jordan. Gob. *à n.* 500.

337 §. 5. Si nobilis petat prolem suam domi baptizari, aut in Ecclesia, sed clàm, cæremoniis & solemnitate reservatis in aliud tempus, quando aderunt amici, neutrum concedi potest, nisi pro pueris Regum vel Principum, ut hìc asserit Busembaum, & ex Decreto Clementis V. evincit Sylvius, *v. Baptismus cas.* 4. dicens utrumque esse mortale, si fiat, nisi alicubi prævaluisset consuetudo legitimè præscripta: *Riccius* tamen & *Quintanad.* nomine Principum, quorum filiis, nepotibus & pronepotibus permittitur Baptismus domi, intelligunt etiam Grandes Hispaniæ, Comites, Barones, Legatos Regum, *Jordan.* universim omnes obtinentes jurisdictionem temporalem; hinc in quibusdam Diœcesis, teste Gob. *num.* 402. permittitur omnibus Nobilibus, ut possint facere baptizari in sacello domestico. Quod hanc Archidiœcesin Colonienſem attinet, interrogatus Vicarius Generalis anno 1700. respondit mihi absolutè non licere Parochis baptizare in domibus Nobilium; attamen semper attendenda est consuetudo locorum, & temporum.

338 §. 6. Si licitum sit baptizare privatim, videntur adhibendæ cæremoniæ, quia absolutè, extra solum casum necessitatis, prohibetur Baptismus sine cæremoniis, Sotus, Tolet. Castrop. Con. Gob. *nu.* 476. contra alios

339 §. 7. Mortale est negligere cæremonias omnes, aut etiam unam notabilem, v. g. unctionem chrismatis, quia talia tam studiosè & toties præscribuntur, ut meritò colligatur omissionem eorum esse grave peccatum, Nugnus, Gob. *n.* 469. Negligere autem ritus suæ Ecclesiæ, putant magnum veniale esse Chapeav. Tann. Gob. *n.* 470. nisi sit locus exemptus in quo licitum est baptizare ritu Romano.

340 §. 8. Quando ex causa omissæ sunt cæremoniæ, has posteà esse addendas in Ecclesia, & quidem sub mortali, docet Aversa *n.* 71. *s.* 1. quod videtur tenendum, quamdiù infans est parvus: Consentit Pignat. *t.* 7. *Consult.* 59. si etiam adultus conversus ad fidem petat eas sibi fieri. Debent autem addi etiam exorcismi, quamvis baptizatus non ampliùs sit in peccato, Gob. *num.* 507.

341 §. 9. Si Baptismus cum suis cæremoniis sit invalidè collatus, S. Anton. Regin. Castrop. *t.* 19. *p.* 12. *n.* 24. dicunt, quando Baptismus publicè repetitur, etiam repetendas esse cæremonias, quia accessorium sequitur principale: è contrà probabiliter negant *Suar. Henriq. Con. Bonac. Aversa & Busembaum* suprà, nisi sit alia alicubi consuetudo, quia cæremoniæ valent, etiam separatæ à Baptismo.

Quamdiù differri possit Baptismus infantis, dictum est *num.* 285.

342 *Q.* 65. *Quid circa chrisma sit addendum?* R. Seqq.

§. 1. Si post diem Jovis sanctum sit baptizandus infans, & Pastor necdum acceperit novum chrisma vel oleum, *March* suadet, ut præmittat alia de more & baptizet, posteà verò suppleat unctionem

Gob. *tr.* 2. *n.* 511. dicit, si absit periculum, ut moriatur infans, posse differri totum Baptismum; si autem esset periculum, poterit antiquum chrisma adhibere; imò si in sua Diœcesi sit talis usus, poterit antiquo uti, donec novum accipiat.

§. 2. Si anno necdum finito advertat defectu- 343
rum chrisma & oleum, affundat guttatim oleum olivarum, ita tamen, ut, quod infunditur sit semper minùs oleo consecrato, Gob. *num.* 512.

Q. 66. *Quæ sit significatio cæremoniarum Baptismi:* 344
& quæ authoritas libri baptismalis? Resp.

§. 1. De significatione cæremoniarum, quæ antecedunt, comitantur & sequuntur Baptismum, agunt fusè Bellarm. *hic à c.* 25. & Castrop. *tract.* 19. *p.* 12. breviùs Scouville *in Cathec. de bapt. à q.* 93. qui videri possunt.

§. 2. Liber baptismalis facit fidem in quovis tri- 345
bunali, hinc Parochus circa annotationem in eo libro debet esse accuratus, & observare sequentia; 1. Ut notet diem & horam nativitatis, si resciat, nam hoc serviet ad sciendam ætatem necessariam pro Ordinibus, jejunio, liberatione à tutela & curatela, pro professione religiosa, &c. 2. Ut distinguat Patrinos à testibus seu assistentibus pro honore. 3. Ut notet, an Baptismus fuerit factus in necessitate sine cæremoniis, an conditionatus tantùm, &c. nam secundùm dicenda *à num.* 357. debet inde colligi, an cognatio cum hoc vel illo contracta sit necne. 4. Si baptizetur expositicius notet, ubi repertus sit, quot circiter dierum vel mensium, quinam adstiterint. 5. Si baptizatus erat alienus, moneat Parochum proprium, ut suo libro inscribat omnia. 6. Si constet, semper addat, quòd legitimè sit natus ex his vel illis parentibus: si nesciantur parentes, notet ignoratos fuisse. 7. Sub sera vel claustro custodiat librum, ne à quovis inspiciatur. De cæremoniis Baptismi apud Græcos, videri potest Arcudius *l.* 1. *c.* 17. ubi *c.* 16. notat Græcos uti & Latinos adhibere oleum Catechumenorum.

ARTICULUS II.

Qui Patrini, & quod eorum officium.

Resp. I. Patrini sunt quasi patres spirituales, qui 346
baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Unde eorum officium est, baptizatum de rebus fidei instruere, orationem Dominicam & Symbolum docere; ad quod obligantur, si id ab aliis non fiat. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 9.

Resp. II. Ut quis validè sit Patrinus, non certa ætas, sed requiritur. 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit baptizatus, (quia non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus.) Et quidem, ut ejus Baptismus fuerit validus, quia accessorium sequitur principale. 3. Ut à parentibus vel Parocho ad hoc designatus sit: ad quod videtur sufficere, si etiam ultrò se ingerens sit admissus: designatos autem ritè à parentibus, Parochus non validè mutat, Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 50. 4. Ut in ipso Baptismo (quia non sufficit ut in solis cæremoniis) per se, vel procuratorem tangat, teneat, aut de manu baptizantis suscipiat. 5. Ut id non materialiter tantùm, sed animo suscipiendi, sive cum intentione id munus gerendi faciat. Laym. *c.* 9. *n.* 2.

Resp. III. Validè quidem, sed *illicitè* sunt Patri-
ni: 1. Abbas & Monachus: Quo nomine non veniunt Mendicantes, etsi *Laym.* omnes claustrales comprehensos velit: & quoad Abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Conjuges respectu conjugum, & parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatæ & hæretici, qui nullo casu videntur advocandi, quia ea advocatio esset protestatio quasi falsæ religionis, cum nonnisi de fidei fide sint sponsuri: etsi Laym. *num.* 7.

„ 7. probabiliter dicat, posse se subinde ob gravem „ causam admitti: Catholici verò ob rationabilem „ causam, infantem hæretici, baptizante Prædican- „ te, suscipere possunt saltem in Germania, Laym. „ n. 6. 5. Plures quàm duo: quia *Trid.* nonnisi „ unum, aut summùm unum & unam permittit, pro- „ pter cognationem spiritualem inde oriri solitam. „ Ideóque mandat Parochis sub pœna arbitrio Ordi- „ narii infligènda, ut si plures se offerant, petat ab „ iis, ad quos spectat Patrinos designare, ut unum „ vel duos nominent, eosque tantùm admittant, qui „ soli cognationem contrahant, eorumque nomina „ in librum referant, eosque de contracta spirituali „ cognatione instruant, scilicet quòd ea impediat „ dirimatque Matrimonium, non quidem inter se „ sed inter ipsos & baptizatum, ejusque patrem „ & matrem; sicut etiam inter baptizantem & ba- „ ptizatum, baptizatique patrem & matrem. Ex- „ cipiunt tamen parentes, quando propriam prolem „ suscipiunt in necessitate. V. Laym. *ll. infrà citan- „ dis. Unde resolves.*

„ I. In privato Baptismo, ob necessitatem dato, pa- „ ter non debet suscipere aut tenere tanquam Patri- „ nus infantem, cum in hoc casu nulla sit patrini ne- „ cessitas, ideóque si id vel tunc, vel etiam in Baptis- „ mo publico temerè faciat, (idem est, si prolem suam „ ipse baptizet) graviter peccat, & insuper contrahit „ in posteriore casu cognationem cum conjuge: atque „ ut docet Sanch. *de Matr. l. 9. d. 26.* & alii commu- „ niter, privatur jure petendi debitum, quod tamen „ negat Kon. & Dian. *p. 3. t. 4. R. 3.* V. Bon. *de Matr. „ q. 3. p. 5. §. 2.* Esc. *tr. 7. E. 2.* ubi citat *Suar.* negantem.

„ II. Si inter multos patrinos nulli certi à Parenti- „ bus aut in eorum defectu, à Parocho designentur, „ qui aliis seclusis cognationem contrahant, & sic „ multi simul ex ignorantia, vel Parochi negligentia „ levent, probabile est omnes contrahere cognatio- „ nem; (nisi tamen assistant tantùm, & non tangant,) „ V. Laym. *l. 5. t. 10. p. 4. c. 8. & t. 2. c. 9. n. 4.* „ Dian. tamen *p. 9. t. 7. R. 5.* ex *Suar. Merat. & Perez,* „ dicit, eo casu nullam contrahere cognationem.

„ III. Parochus graviter peccat. 1. Si ex negligentia „ frequenter omittat nomina baptizatorum referre „ in librum, tum ob legem *Trid.* in re gravi, & sub „ pœna gravi; tum ob incommoda, & damna inde se- „ quentia, *Quintanadv. t. 2. s. 11. 2.* Si ejus culpa pa- „ trini plures adhibeantur, *Quint. l. c.* Ac licèt *Pe- „ rez & Serra,* apud Dian. *p. 9. t. 7. R. 5.* dicant „ esse probabile, quòd tantùm peccet venialiter, alii „ tamen mortalis eum damnant.

ADDENDA.

347 QUæst. 67. *Quid circa Patrinos & cognationem spiritualem sit præterea notandum?* Resp. Seqq.

§. 1. Patrini variè appellantur, nam vocantur à jure canonico fidejussores, à Dionysio Areopagita, susceptores, à Tertull. sponsores; à S. Aug. Fidei Doctores: à Th. Pædagogi in fide; à Conc. Paris. Patroni.

348 §. 2. Parochus peccat graviter, si baptizet solemniter sine Patrino, quia adhibitio Patrini est una de præcipuis cæremoniis, *Tann. Gob. t. 2. n. 522.* Platel. *p. 5. n. 145.* contra *Possev* qui dicit, si Parentes velint ipsimet instruere prolem esse veniale tantùm.

349 §. 3. In Baptismo, qui sub aliqua conditione confertur, quamvis sit solemnis, *Bon. Quint. Gob. n. 423.* Gorm. *n. 53.* dicunt non esse opus Patrino, quia hoc videtur tantum præcipi pro Baptis. certo, & absoluto.

350 §. 4. Vel unus tantùm, sive vir sive mulier, potest esse Patrinus aut Matrina, vel ad summum unus & una, uti expresse *Trid. s. 24. de Ref. c. 2.* & Synodus Colon. sub Maxim. Henrico *de Bapt. c. 8. §. 1. p. 59.* hinc licitè non possunt duo ejusdem sexus suscipere eundem infantem, neque in hoc potest dispensare Episcopus, quia est lex Superioris. Quòd si adhibeantur, v. g. duo viri, Bonac. & Aversa *q. 67. s. 3. §. Adhuc,* probabiliter dicunt esse mortale, quamvis Sanch. *de Matr. l. 7. d. 57. n. 6.* etiam probabiliter dicat esse veniale tantùm: plures tamen possunt assistere veluti testes & ad majorem pompam, Gob. *à n. 524.* Hinc si plures à parentibus designati se ingerant, baptizans potest initio dissimulare, sed postea dicat satis esse, si unus, vel unus & una infantem tangat, aut si permittat omnes tangere, designet cum aliquo signo externo, unum, vel unum & unam, quibus solis tradet infantem baptizatum, non autem aliis, & illos solos annotet esse Patrinos, reliquos fuisse testes.

§. 5. Si unicus sit susceptor, *Laym.* vult, ut susce- 351
ptor matis sit mas, & fœminæ fœmina, uti statuit Conc. Nicen. Contradicunt Suar. Fill. Aversa, Gob. *n. 531.* dicentes marem posse suscipere fœminam & contrà, quia jure novo *Trid.* dicitur, sive vir, sive mulier. Et ideò etiam Aversa *s. 4. §. ult.* & Pignat. *t. 7. consult. 93. n. 3.* docent procuratorem pro viro Patrino absente posse esse mulierem, & contrà. In his tamen quivis debet se accommodare consuetudini suæ Diœceseos: consuetudo autem in his partibus stat pro *Laym.*

§. 6. Urbanus II. prohibet duos conjuges simul le- 352
vare infantem, si tamen alicubi sit contraria consuetudo, fieri poterit, maximè cum Nav. Vivald. Sanch. *n. 5.* Tamb. *de Bapt. c. 4 §. 2. n. 11.* absolutè putent hodie licere, ideoque Suar. March. Aversa *s. 3.* & alii passim dicunt, illam constitutionem non esse usu receptam.

§. 7. Aliqui negant baptizantem posse esse Patri 353
num, quia videtur requiri distinctio baptizantis & Patrini, cum baptizans aliqua interroget, ad quæ respondere debet Patrinus. Nihilominus poterit hoc probabiliter fieri, si baptizans substituat sibi alium, qui nomine suo levet, hoc enim nullo jure prohibetur, Gob. *n. 585.*

§. 8. *Quintanadv.* putat nunc, per se loquendo, 354
licere omnibus Religiosis & Monialibus esse Patrinos & Matrinas, quamvis olim fuerit prohibitum; quia causa hoc prohibendi olim erat osculum, quod sibi dabant Compatres & Commatres, uti colligitur ex Cap. Monachi, De consecr. dist. 4. mos autem ille nunc cessavit; Probabiliùs tenent oppositum March. & Gob. *n. 557.* nam etiá inter causas fuit cura spiritualis qua noluerunt onerari Religiosos Monachos, item occasiones egressuum vel confabulationum, quas præscindi voluerunt, hæ autem causæ semper manent.

§. 9. Mutus ordinariè non debet esse Patrinus, quia 355
non potest infantem docere res fidei, Barb. Gob. *n. 555.* Qui autem semel docuit, non tenetur sæpiùs, si instructus obliviscatur, quia tale onus perpetuum non est sine expresso jure imponendum. Quòd si puer esset filius hæretici, Patrinus specialiter teneretur instruere in vera fide, quia videt Parentes in illo officio deficere. Nullus tamen Patrinus tenetur alere puerum, quem è fonte levavit.

§. 10. Ante septennium admitti non debet ali- 356
quis, ut sit Patrinus, etiam ideò, quia ordinariè non posset baptizatum docere fidem post primam infantiam, unusquisque autem tenetur munus, ad quod obligatur, exercere, Can. *Vos ante omnia.* De consecr. dist. 4. *Opponunt* aliqui apud Pignat. *n. 5.* baptizatos inter fideles satis instrui à Parochis, & Parentibus, *sed* hoc per accidens est, deberet enim saltem his deficientibus posse instruere, & ideò *Synod. Colon.* suprà dicit convenire, ut Patrini sint saltem puberes ac sacro chrismate confirmati. Possunt tamen impuberes assistere honoris causa. Quòd si impubes faciat requisita velut Patrinus, docent Sanch. *l. 7. d. 61.* aliique cum Pignat. *n. 9.* quòd contrahat

cog-

cognationem spiritualem, quia actus manet validus.

357 §. 11. Pater posset esse Patrinus Filii sui illegitimi, unde, per se loquendo, non peccaret, qui id suaderet, in ordine ad Matrimonium cum Matre impediendum per cognationem spiritualem, Lugo *in Resp. mor. l. 1. dub. 6.* Gob. *n. 568.*

358 §. 12. Susceptio vel baptizatio propriæ prolis, etiam extra casum necessitatis, secundùm multos non impedit usum Matrimonii contracti, quia hoc nullo jure legitur cautum, & quod fuit olim, videtur revocatum Cap. *Si Vir.* De cognatione spirituali: neque verum esse putant, quidquid dirimit Matrimonium contrahendum, etiam impedire usum contracti, nisi ubi jus hoc ordinat: Hanc sententiam fatetur probabilem Sanch. *l. 9. d. 26.* tenet tamen oppositam, quia communem. Addit Gob. *n. 569.* si mater moriatur in partu, aut pater ante partum, parentem alterum superstitem posse esse Patrinum vel Matrinam propriæ prolis.

359 §. 13. Probabilius est, eum non contrahere cognationem, qui à parentibus, vel in horum defectu à Parocho non est designatus Patrinus, nam *Trid.* postulat esse designatum, ergo deficiente designatione non sequetur cognatio, Sanch. *l. 7. d. 57. n. 8. & 12.* Aversa. *s. 3 §. Quartò* Gob. *à n. 535.* contra *Nav. Henriq. Castrop.* & alios.

360 §. 14. Si plures mares & fœminæ designentur, probabilius est illum & illam solum contrahere cognationem, non qui primi fuerunt designati, uti vult Tamb. *n. 14.* sed qui ex designatis primi tangunt infantem baptizatum, reliqui enim non videntur esse veri Patrini, cum primi expleverint totum officium, Suar. Sanch. *n. 14.* Si autem plures æquè primò tangerent infantem, cum *Trid.* tantùm prohibeat, & non irritet actum, hinc videtur probabilius contra *Suar. & Aversam*, omnes contrahere cognationem, quia est æqualis pro omnibus ratio; & ita decisum esse asserit Gallemart *ad sess. 24. c. 2.* Trid. *de Ref. Matr.* Similiter docet Pignat. *n. 6. & 7.* Sacram. Congregationem declarasse, si incertum sit, quis ex pluribus, qui tetigerunt fuerit designatus, aut quis primus tetigerit, omnes contraxisse.

361 §. 15. Si Baptismus non sit solemnis, & aliquis subeat officium Patrini, aliqui affirmant, alii negant, eum contrahere cognationem, uti notant Aversa. *s. 3. §. Secundò*, & Tamb. *c. 4. §. 3.* Sanch. verò *l. 7. d. 62. n. 15.* dicit ideò non contrahere, quia munus Patrini ab Ecclesia institutum est tantùm pro solemnitate, ratione cujus tantùm hæc contrahatur cognatio; è contrà tamen videtur certum quòd baptizans non solemniter contrahat cognationem, quia hæc causatur ratione Sacramenti, quod tunc confert: Illi verò non contrahunt, qui assistunt solis cæremoniis, quæ posteà in Ecclesia supplentur. Quintan. *t. 1. sign. 18.* Pignat. *n. 4.* afferens declarationem S. Congregationis. Et idem est de illo, qui assistit in Baptismo sub conditione repetito, saltem quamdiù non constat priorem Baptismum fuisse invalidum, Aversa. *s. 4. §. Tertiò.*

362 §. 16. Si Patrini à Parentibus designati diù emaneant, & Parochus actus impatiens alium designet in Patrinum, secundùm Bejam. *p. 2. cas. 4.* peccat mortaliter, quia facit contra jus parentum obtrudendo alium fortè non gratum: vel cum quo nollent habere cognationem, quæ cum hoc videtur contrahi, quia sufficit designatio parentum vel Parochi, uti habet *Trid.* & notat Tamb. §. 2. *n. 12.*

363 §. 17. Ad cognationem contrahendam necesse est tangere baptizandum manu; saltem mediis vestibus vel fasciis, nec sufficit tangere uno tantùm digito; si autem suscipiat ex fonte, debet suscipere è manibus baptizantis, & non tantùm Patrini vel obstetricis, ita cum communi Aversa. *sect. 3. §. Sextò.* Qui autem ita tenuit vel suscepit infantem, & voluit exercere illum actum velut cæremoniam ab Ecclesia præscriptam, contrahit cognationem, quamvis nesciat illam inde oriri, quia resultat ex illo actu exercito per modum cæremoniæ sacræ, Aversa. *s. 4. §. Septimò*, Tamb. §. 4. *n. 4.* Si tamen tenens haberet animum, quòd nollet esse Patrinus, non contraheret, *Aversa, Tamb.* suprà. Si autem quis susciperet filium Caii, putans esse filium Titii, probabile est cum *Sanch. Tamb. Gob.* contra *Castrop. Pont.* & alios, quòd non contrahat cognationem cum Cajo vel ejus Parentibus, quia reverà non habuit intentionem suscipiendi Cajum: Si tamen voluisset suscipere hunc infantem, quicumque demum esset, contraxisset, uti rectè *Aversa*, & hoc in dubio præsumi debet, inquit Gob. *n. 537.*

364 §. 18. Si Cajus levet infantem tanquam Procurator nomine Titii, Cajus non contrahit cognationem, quia non est verè Patrinus, nec ipse designatus est, nec etiam intentionem habet nomine suo levandi, Sanch Aversa *sect. 4. §. Octavò* Gob. *n. 550.* contra *Sot. Fol.* & alios. Putatque Sanch. *l. 7. d. 59. n. 4.* etiam Titium non contrahere, sicuti Sacerdos non contraheret, si baptizaret per Diaconum sibi substitutum, sed Perez Aversa. Castr. *tr. 19. p. 11.* Tamb. *n. 8.* Gob. *n. 546.* probabilius dicunt Titium contrahere, sicque declaratum esse à Sacra Congregatione, uti testantur Gallemart *ad Trid. sess. 24. c. 2. de Ref. Matr.* & Bas. Pontius *de Matr. lib. 7. c. 39. num. 10.* Ratio autem est, quia secundùm jura, potest quis medio Procuratore, quod per se ipsum, & actio tangendi potest alteri committi; & ita Magnates semper solent per Procuratorem levare infantes, qui tamen judicio omnium sunt veri Patrini. Quòd autem Sacerdos non contrahat cognationem, quando Diaconus baptizat ex ejus commissione; Ratio est, quia Diaconus non baptizat nomine Sacerdotis, sed vel suo vel Christi nomine.

Objici potest adhuc ex *Sanchez* 1. Ad cognationem spiritualem contrahendam requiritur actio personalis tangentis. 2. Cognatio legalis non oritur *nisi* ex adoptione personali. 3. Similiter cognatio carnalis non oritur nisi ex actione personali, ergo nec spiritualis. 4. Nullus est textus significans cognationem spiritualem contrahi ratione Procuratoris, ergo. Resp. ad 1. requiritur actio physicè personalis, n. moraliter & imputativè personalis, c. hæc autem ponitur per Procuratorem, qui tangit contactu physicè suo, sed moraliter sui principalis. *Ad 2.* Hoc est aliquid, sed speciale, quia lex vetat adoptionem, non verò susceptionem infantis fieri per alium. *Ad 3.* Actio tangendi potest alteri committi, non autem actio generandi. *Ad 4.* Hoc ipso, quòd susceptio per Procuratorem permittatur ab Ecclesia, sufficienter decidit cognationem illi annexam posse per eundem Procuratorem contrahi.

365 §. 19. Si Titius, qui dederat Cajo commissionem levandi pro se, revocaret hanc suam commissionem, antequam Cajus etiam revocationis ignarus, levaret, Titius cognationem non contraheret, quia sicuti in Matrimonio, ita etiam in his actibus requiritur consensus perseverans, Bald. *Felin.* Sanch. *n. 8.*

366 §. 20. Si communitas aliqua v. g. Capitulum fiat Patrinus infantis, quem levet per Procuratorem, Sanch. *n. 7.* putat nullum è Canonicis contrahere cognationem, sed contradicit *Abbas*, quia quando actus non potest convenire universitati, resolvitur in singulos. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior, cum singuli non sint Patrini, ne sint plures, quod vetat *Trid.* unde nec singuli

singuli tenebuntur infantem instruere, sed ad summum tenebitur Capitulum uni demandare, qui faciat nomine omnium.

367 §. 21. *Si Titius* absens & ignorans designetur Patrinus, ponaturque Cajus pro Titio supplens, Cajus non contrahit cognationem, secundùm ante dicta, neque etiam Titius, quia nec intentionem habuit, nec dedit commissionem, Sanch. Castrop. Gob. *n.* 550.

368 §. 22. Si fidelis baptizet prolem hominis infidelis, *S. Anton. Sylv. Henriq. Con.* aliique multi cum Aversa *s.* 4. §. *Quartò*, docent fidelem contrahere cognationem respectu parentum infidelium, hos autem cognationem habituros, si baptizentur, quia Ecclesia sine distinctione & limitatione statuit cognationem inter tales personas: sed oppositum tenent *Dur. Sot. Led. Reb. Pontius, Bon.* aliique cum Sanch. *l.* 7. *d.* 60. Ratio est 1. quia Ecclesia nihil curat de illis, qui sunt foris extra Ecclesiam. 2. Quia aliàs talis cognatio statim oriretur utrimque, cùm sit relatio mutua. 3. Et præcipuè quia nulla de hoc invenitur lex, & multò minùs de tali modo, quo posteà resultaret cognatio ratione Baptismi præteriti; nihil autem tale asserendum est, si non inveniatur statutum positivè in jure.

369 §. 23. Si infidelis baptizet aut levet infantem hominis fidelis, *Palud. Tolet. Rosel.* aliique cum Aversa §. *Quintò*, dicunt, ut ante, contrahi cognationem in actu secundo ex parte hominis fidelis, & in actu primo ex parte infidelis: sed iterùm probabiliùs contradicunt *S. Th. Valent. Nav.* aliique §. præced. citati pro secunda sententia, ob rationes ibi datas.

370 *Q.* 68. *An Catholicus possit esse Patrinus infantis hæretici à Prædicante baptizandi?* Resp. Laym. Tann. Gob. *t.* 2. *n.* 565. & *Busemb.* suprà absolutè affirmant fieri posse ob piam & notabilem utilitatem, quia Patrinus per hoc tantùm profitetur, quòd puerum suscipiat in curam suam instruendum in vera fide, facitque saltem hanc cæremoniam catholicè observari: Castrop. F. Lugo, Tamb. *c.* 4. §. 2. *n.* 8. id admittunt, si fiat ex gravi metu, & protestetur se omnia velle secundùm morem Ecclesiæ Romanæ. E contrà Navar. Azor. Less. *in Anct. v. Baptismus casu* 1. Verjuys *t.* 6. *art.* 8. negant unquam licere, tum quia multæ interrogationes dissonæ à catholica fide ab ipsis exiguntur, tum etiam quia est tacita approbatio ritus ipsorum. Itaque videtur distinguendum: nam si reverà hæc ita exigantur, aut prudentum judicio censeatur approbari ritus acatholicus, patet non licere, cùm hæc sint intrinsecè mala; si autem ista absint, uti ordinariè videntur abesse in Germania, dicendum est licere.

371 *Q.* 69. *Quid addendum sit circa admissionem Patrini hæretici?* R. Seqq.

§. 1. Peccat, qui rogat hæreticum, ut sit Patrinus catholici infantis, tum quia petit esse instructorem in fide, qualis hic & nunc esse non potest, nisi in fide mala; tum etiam quia petit, quod non potest ab hæretico fieri sine peccato, nam talis proxima & propriè dicta communicatio in rebus sacris est interdicta hæretico, Gob. *t.* 2. *n.* 64.

372 §. 2. Quamvis Parentes, secundùm dicta *n.* 350. cogerentur infantem mittere, aut permittere baptizari à Prædicante, tamen addere debent patrinum Catholicum, tum quia si adhibeatur hæreticus, his mortuis parentibus petet infantem educandum in suis erroribus, quod tenentur præcavere parentes; tum etiam ideò, quia baptizati ritu hæretico & levantibus solis patrinis hæreticis exponuntur periculo sequendi hæresim, nam per fraudem ipsis imponitur, quasi in Baptismo professi sint & jurarint fidem illam.

373 §. 3. Ubicumque & à quocumque baptizetur infans, Authores apud Gob. *n.* 559. & cum Verj. *art.* 9. communissimè docent admitti non posse patrinum hæreticum, tum quia hæreticus est incapax illius officii, tum quia proles objiceretur periculo perversionis, uti ante dictum est. Putat quidem *Laym.* licere in Germania, quando adest gravis causa vel necessitas; consentit *Castrop.* si alioquin nasceretur gravis offensio, aut parentes facerent infantem deferri ad Prædicantem, sed adhuc contradicunt *Tann.* aliique communiùs, dicentes esse intrinsecè malum. Duæ tamen praxes licitæ sunt: prima est Tann. & Gob. *n.* 560. ut baptizans in tali necessitate omittat omnia, quæ patrinum concernunt, & infantem baptizatum reddat obstetrici. Altera est aliorum in quibusdam urbibus acatholicis usurpata, ut baptizans, præter hæreticum, designet alium Catholicum ex voluntate parentum, qui puerum tangat assistente hæretico quasi ad honorem, & tum inscribat libro baptismali verum patrinum Catholicum; notet autem hæreticum fuisse tantùm testem; Quòd si nullum timeatur incommodum, melius est omittere omninò patrinum, quàm adhibere hæreticum; quia præceptum adhibendi tum tantùm obligat, quando potest haberi idoneus, Tamb. *c.* 4. §. 2. *n.* 6.

Denique Parochus baptizans utiliter facit. 1. Si adstantibus breviter explicet significationem cæremoniarum. 2. Si moneat parentes, imprimis ne infantes faciant secum in lecto cubare ante unum vel alterum annum; quia periculum est in somno opprimendi vel suffocandi: deinde ne committat improbis nutricibus, vel posteà hæreticis Magistris: præterea prolibus adultioribus significent diem Baptismi, tum ut sciant ætatem suam, tum etiam ut illum diem piè celebrent, more Majorum. Baptizaturus autem ante omnia formet intentionem faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia.

CAPUT II.

De Confirmatione.

DUBIUM I.

Quid sit, & quæ ejus materia & forma.

RESP. I. Confirmatio est unctio Chrismatis sub præscripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Episcopo; qua is ex Christi institutione, gratiæ augmentum & robur accipit. 374

Resp. II. Materia ejus remota essentialis est Chrisma, confectum ex balsamo & oleo olivarum, benedictum ab Episcopo. Ita commun Doct. *Unde resolves:*

I. Non sufficit solum balsamum, ut voluit *Canus*: nec solum oleum, ut voluit *Cajet. Sot. Nav.* ut habet communis contra *Caj.* ideóque nulla delegatione, sive Episcopi, sive Papæ, simplex Sacerdos potest conficere Chrisma, Kon *d* 72. *a.* 3. *d.* 1. *c.* 4.

II. Etiam benedictio Episcopalis est de essentia, ve chrisma sit novum, sive vetus; licèt graviter peccet, qui utitur alio, quàm novo, id est, illo anno consecrato: In quem finem quotannis in die Cœnæ consecratur, veteri combusto.

Resp. III. Materia proxima, est unctio in fronte, per manum Episcopi, unde etiam hoc Sacramentum, manus impositio dicitur à S. Luca *Act.* 8.) in formam crucis facta: quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti, ut habet communis. *Unde resolves.*

I. Etsi ex necessitate præcepti, unctio fieri debeat pollice manus dextræ; valida tamen esset, si fieret digito etiam sinistræ manus; quia verè fieret per impositionem manus Episcopalis, ita *Prap.* & alii contra *Suar.* Peccabit tamen Episcopus graviter contra universalis Ecclesiæ morem, *V. Laym.*

hic

„ hìc *c.* 2. & Eſc. *t.* 7. *Ex.* 3. ubi docet probabile „ eſſe, non peccare mortaliter.

„ II. Probabile eſt, requiri ad valorem Sacramenti, ut unctio fiat ab Epiſcopo immediatè, „ nullo inſtrumento mediante, Ita *Fill. & Laym.* „ contra quoſdam, quia debet fieri per impoſitionem manus. Eſcob. *t.* 7. *E.* 3.

„ Reſp. IV. Forma vera & neceſſaria, in Eccleſia „ latina eſt: *Signo* (ut habet Trid.) vel *Conſigno* „ (ut habet S.Th. *te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, &c.* In qua, utrum „ de eſſentia ſit ut utraque actio, ſignandi & ungendi expreſsè ſignificetur, diſputant Scholaſtici, „ Laym. & Fill. *t.* 5. *d.* 10. Kon. *l. c. a.* 4. Dian. *R.* 27.

ADDENDA.

375 Quæſt. 70. *Quid præterea ſit notandum circa materiam & formam Confirmationis?* Reſp. Seqq.

§. 1. Certum eſt oleum pertinere ad materiam eſſentialem hujus Sacramenti: intelligitur autem oleum olivarum, uti cum *S. Th.* & aliis notat Averſ. *q.* 72. *ſ.* 3. §. *Tertiò.* Et quamvis probabilius ſit, etiam balſamum eſſe partem eſſentialem materiæ, tamen ſententia dicens requiri tantùm ex præcepto, probabilis, quam præter *Caj. Sot. Nav.* tenent *Cov. Vivald. Vect. Valent. Zanard.* & alii apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 23. & *Averſ. ſupra.* Ratio petitur ex Cap. *Paſtoralis.* De Sacr. non iterand. ubi Inn. III. interrogatus de confirmato in ſolo oleo, dicit nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quòd incautè prætermiſſum fuerat. *Nec obſtat,* quòd Florent. dicat materiam eſſe Chriſma confectũ ex oleo & balſamo, nam etiam dicit materiam Euchariſtiæ eſſe vinum aqua mixtum; item materiam Pœnitentiæ etiam eſſe ſatisfactionem, ſatis autem conſtat, quod non ſint materia eſſentialis, hinc concludit *Dicaſt.* hìc *n.* 29. balſamum non requiri ad valorem ſed tantùm ex præcepto, non purè Eccleſiaſtico, ſed divino Chriſti, quod colligimus ex antiqua traditione Eccleſiæ, & PP.

376 §. 2. Si haberi non poſſet Chriſma ex oleo & Balſamo, non peccaret, qui in articulo mortis confirmaret aliquem ſolo oleo infirmorum, quia opinio eorum, qui dicunt ſufficere ſolum oleum, ſecundùm dicta, eſt probabilis, ergo in caſu neceſſitatis licitum eſt ſecundùm eam procedere, Gob. *in Exp. t.* 2. *n* 744. & conſtat ex dictis à *n.* 194.

377 §. 3. Sufficit balſamum cujuſcumque regionis, dummodò ſit in ea quantitate, ut det ſui odorem, quamvis in ſingulis partibus olei non ſit aliquid balſami, Con. Bonac. Gob. *num.* 745.

378 §. 4. Quamvis communior & probabilior ſententia ſit cum Platel. *p.* 5. *n.* 253. quòd ſimplex Sacerdos, nequidem ex commiſſione Papæ, poſſit conſecrare Chriſma pro Confirmatione, tamen *Caj. Valent. Ba. b. Gob.* ſupra aliique apud Averſ. *ſect.* 2. §. *Adhuc,* probabiliter contradicunt, ſi enim poteſt confirmare, cur non conſecrare Chriſma ad confirmandum?

379 §. 5. Probabilius videtur, quòd Sacerdotes Epiſcopo neceſſarii ſint ad benedicendum Chriſma, nam in rituali Romano dicitur de illis, quòd ſint & teſtes & cooperatores, jubenturque ipſi poſt Epiſcopum inſufflare, ſignare, ſimulari ampullam &c. non item Diaconi & Sub-Diaconi, qui vocantur miniſtri tantùm & aſſiſtentes.

380 §. 6. Opinio *Henriq. Vivald.* & aliorum, qui putarunt unctionem fieri poſſe medio aliquo inſtrumento, non videtur probabilis, quamvis probabilem agnoſcere videatur Dicaſt. *n.* 151. nam partialis materia Confirmationis videtur eſſe impoſitio manus Epiſcopalis, per quam ſolam initio ab Apoſtolis collatam Confirmationem docet S. Th. Scot. Gabr. Sot. Suar. Dicaſt. *n.* 66. aliique apud Averſ. *ſ.* 1. §. *Tertiò,* contra *Bellarm.* & alios. *Nec obſtat,* quòd Can. *Si quis ſuadente diabolo,* dicatur eſſe manus injectio, ſi alium fuſte verberem nam reſpectu illius Canonis etiam dicor injicere manum, ſi Clericum petam lapide vel conſpuam; ergo patet ampliore modo ibi ſumi, uti rectè Averſa *ſ.* 3. §. *Ad.* Ubi addit, ſi Epiſcopus laboraret pollice dextræ manus, ungere poſſe alio digito. Addunt Nugn. Dian. Dicaſt. *n.* 149. non ſatis conſtare, quòd mortaliter peccaret Epiſcopus, ſi abſque cauſa uteretur alio digito, quàm pollice dextræ.

§. 7. Pro explicandis variis Canonibus Conci- 381
liorum & dictis SS. PP. notandum eſt cum Gorm. *hìc n.* 1. varias ab initio Eccleſiæ fuiſſe manuum impoſitiones: 1. Erat curativa, de qua *Marci ult. Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* 2. Reconciliativa, cum qua dabatur abſolutio ſacramentalis pœnitentibus, præſertim publicis. 3. Ordinativa, per quam ordinabantur Miniſtri Eccleſiæ. 4. Confirmativa, per quam conferebatur hoc Sacramentum Confirmationis. Similiter variæ fuerunt unctiones. 1. erat Altarium, Calicum, & aliorum pro uſu Eccleſiæ. 2. Baptizatorum in vertice. 3. Exorcizandorum, ad expellendum dæmonem. 4. Ordinandorum in vertice & digitis. 5. Moribundorum, quæ eſt extrema unctio. 6. Confirmandorum, de qua hìc egimus.

§. 8. Per formam Confirmationis apud Latinos 382
ſignificari debent, ſaltem ex præcepto. 1. Perſona confirmantis, ſaltem implicitè. 2. Actus, tam ſignandi per formam Crucis, quàm ungendi per ſacrum Chriſma. 3. Perſona confirmandi. 4. Unitas divinæ eſſentiæ. 5. Trinitas perſonarum, Dicaſt. *à n.* 74. Averſa *ſ.* 4. §. *Secundò,* & rationem dat S.Th. *q.* 72. *a.* 4. cur ſignificari debeat unitas eſſentiæ, Trinitas perſonarum & Crucis ſignum, quia cùm Confirmatio ſit ad plenitudinem roboris fidei in Baptiſmo acceptæ, per hanc debuerunt iterùm præcipua illa Myſteria inculcari; itemque præferri Crucis ſignum, in quo Chriſtus triumphavit, velut prima teſſera & inſigne Chriſtianorum, nam baptizati, per characterem hujus Sacramenti ſpecialiter conſignantur in milites Chriſti, cùm per Baptiſmum ſint tantùm domeſtici, ſive Eccleſiæ filii. Videri poſſunt hæc fuſiùs apud Suar. *d.* 33. *ſ.* 5. & breviter apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 27.

§. 9. Forma apud Græcos eſt, *Signaculum dona-* 383
tionis Spiritus ſancti, omiſſo verbo, pro more Græcorum, & ſenſus eſt, hoc ſigno donantur munera Spiritus Sancti, uti latè Arcud. *l.* 2. *c.* 6. qui *c.* 7. etiam fusè probat hanc formam eſſe validam, & continere omnia, quæ requiruntur ad eſſentiam; Quod etiam declaravit Urbanus VIII. apud Illſ. *de Sacr. n.* 7. tenentque etiam alii, quos refert Illſ. *de Confirm. n.* 41. Ibidem oſtendit *Arcudius,* quamvis Græci ungant etiam oculos, nares, os, aures, pectus, manus, pedes, tamen ex eorum mente opus non eſſe ungere niſi frontem. Idem Arcud. *c.* 1. oſtendit hoc Sacramentum à SS. PP. aliquando vocatum eſſe impoſitionem manuum: Illius autem veritatem probat c. 3. ex Scriptura; & c. 4. ex SS. PP. c. 5. ex eiſdem PP. evincit materiam ejus eſſe ex oleo & balſamo. Quòd autem caracterem imprimat, oſtendit c. 17. Denique quòd iterabile non ſit, probat c. 18. & ſeq. Atque inde rectè infertur, ſi confirmatus moreretur, ac à mortuis ſuſcitaretur, non eſſe denuò confirmandum, uti nec denuò baptizandus vel ordinandus eſſet, quia anima retinuiſſet caracteres illos, aliud tamen eſt de Matrimonio cum uxore ſua, quod iterum contrahi deberet, quia omnino deſiiſſet, uti dicetur ſuo loco.

De mutationibus ſubſtantialibus vel accidentalibus materiæ aut formæ Confirmationis, videri poſſunt dicta à n. 18. 21. 25. 29. 44. Quandonam autem ſit inſtitutum hoc Sacramentum dictum eſt n. 3.

DUBIUM II.

Quis Minister, & quod subjectum.

384 „ RESP. I. Minister ordinarius validæ Confir-
„ mationis, est solus & omnis Episcopus,
„ etiam excommunicatus vel hæreticus: ex commis-
„ sione autem, vel delegatione Pontificia, etiam
„ simplex Sacerdos. Est communis. V. Laym. *l.* 5.
„ *t.* 3. *c.* 6. Bon. *t.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *Unde resolves.*
„ I. Etsi Episcopus graviter peccet, sivel in aliena
„ diœcesi, vel sibi non subditos confirmet sine pro-
„ prii Episcopi consensu, saltem tacito, propter de-
„ fectum jurisdictionis, valida tamen est confirma-
„ tio, quia ista non requiritur necessitate Sacramen-
„ ti, sed præcepti tantùm.
„ II. Excusatur à peccato Episcopus, si ex alia diœ-
„ si accurrentes confirmet, quia præsumitur tacitus
„ consensus alterius Episcopi, cui id gratum esse cen-
„ setur præsertim; si consuetudine ita receptum sit,
„ vel à proprio ægrè confirmari possint. Ita contra
„ Bon. *d.* 3. *de sacr.* docet. Tann. *in* 3. *p. d.* 4. *dub.*
„ 3. Sà *V. Confirmatio*, & alii.
„ III. Peccat graviter Episcopus, si longo tempore
„ non confirmet, quia subditos ingenti bono privat.
„ Resp. II. Validè confirmantur omnes, & soli
„ baptizati nondum confirmati. Ratio est, tum ex
„ illo Act. 2. *Replevit totam domum*: tum ex usu &
„ traditione Ecclesiæ: tum quia omnes indigent ejus
„ effectu, & sunt capaces. Licitè verò confirmantur
„ iidem, qui validè, dummodò constet non ponere
„ re obicem, sive Sacramento, sive ejus effectui.
„ Ratio patet ex dictis. *Unde resolves:*
„ I. Etiam infantes, & rationis impotes, validè
„ hoc Sacramentum suscipiunt.
„ II. Etsi quoad infantes, consultius sit, differre
„ usque ad rationis usum; tum ob reverentiam Sa-
„ cramenti, tum ob periculum iterationis; tum ob
„ Ecclesiæ usum: nihilominus ob rationabilem cau-
„ sam etiam ante *iis* licitè datur, v.g. si timeatur diu-
„ turna absentia Episcopi, vel hic ad ista loca rarò
„ veniat: item si infans sit in periculo mortis, (in
„ quo quidam dicunt debere dari) denique si sit fi-
„ lius Principis. Laym. *l. c.* Fill. *t.* 3. *c.* 2.
„ III. Etiam perpetuo amentes (præsertim si aliquan-
„ do usum rationis habuerint) licitè confirmantur, et-
„ si per accidens nunquam sint spiritualiter pugna-
„ turi. Ita Suar. Fill. Laym. *l. c.* Kon. *q.* 72. *a.* 8. *n.* 83.

ADDENDA.

385 QUÆST. 71. *Quid pretereà notandum sit circa Ministrum & subjectum Confirmationis?* R. Seqq.

§. 1. Quamvis aliquibus Abbatibus fuerit concessa potestas exercendi omnia Pontificalia excepta tantùm collatione Ordinum, consecratione Altarium & Ecclesiæ, tamen declaravit Greg. XIII. apud Lug. *in Resp. mor. l.* 1. *d.* 7. non comprehendi facultatem confirmandi, Gob. *t.* 2. *n.* 750. Potestque etiam videri Arcudius *l.* 2. *à c.* 11. *usque ad* 17. ubi contra Photium & aliquos Græcos probat solum Episcopum esse Ministrum ordinarium, Presbyterum verò esse tantùm extraordinarium.

386 §. 2. Dicendum est contra *Ledes.* quòd solus Papa possit simplici Sacerdoti committere collationem Confirmationis, Aver. *q.* 72. *s.* 5. §. *Et ex his.* Castrop. *t.* 20. *p.* 9. *n.* 4. Estque falsum illud principium, quòd Episcopus possit etiam in extraordinariis, totum hoc pro sua Diœcesi, quod potest Papa pro tota Ecclesia, præsertim si vera eii sententia communior, quæ dicit Episcopos habere jurisdictionem & potestatem suam, à Christo quidem, sed mediatè, per Papam.

§. 3. Episcopus venialiter peccat, si confirmet 387
necdum ipse confirmatus; confirmat tamen validè, quia hæc potestas non fundatur in Sacramento vel caractere Confirmationis, sed Ordinis Episcopalis, ideóque debet Episcopus esse consecratus, Dian. *in Comp. v. Confirmatio n.* 13. Gob. *n.* 751.

§. 4. Episcopus tenetur suis expensis circumire ad 388
confirmandum, nisi longa & rationabilis consuetudo fecerit jus exigendi illas expensas, Gob. *n.* 752. Quòd si ad octo vel decem annos differat circumire, & ministrare hoc Sacramentum, peccat graviter, nisi excusetur moralis impossibilitas; *Nec obstat*, quòd qui omittit suscipere, non peccet, *nam* etiam fidelis omittens sæpius confiteri vel communicare per annum non peccat, & tamen mortaliter peccat Parochus nolens ei in his ministrare, ergo similiter Episcopus. Et ratio utriusque est, quia ad hoc tenetur ex officio & stipendio, Dicast. *n.* 141. Si tamen adsit rationabilis causa omittendi, non est damnandus, qui ad tres vel plures annos differt, Pax-Jord. Gob. *n.* 753

§. 5. *Nugnus* putat Episcopum peccare mortali- 389
ter, si confirmet extrà Ecclesiam, sed meritò à mortali excusant Palud. Suar. Præpos. Bonac. apud Aversa. *s.* 3. §. *Quintò.* Imò Dicast. *n.* 148. absolatè dicit Confirmationem conferri posse extra Ecclesiam. Nec opus est, ut confirmans vel confirmandus sit jejunus, nam *Cap. ut Jejuni, de consecr. dist.* 5. id statuens solùm habet vim consilii, estque jam abrogatum, Aversa. Gob. *n.* 769. Habetque etiam usus, ut Confirmatio detur, etiamsi sit dies ferialis: mos autem dandi à prandio improbatur ab aliquibus, sed si justa causa adsit improbari non debet: saltem collatio Confirmationis manè incæpta continuari potest in longum tempus post prandium, si adsit magnus numerus confirmandorum.

§. 6. Si commodè possint, deberent Episcopi con- 390
firmare etiam in carcere illos, qui educendi sunt ad supplicium, si petant; item infantes jam morituros, S. Th. S. Bonav. & Dicast. *n.* 93. Gob. *n.* 760. 765. 768. Imò Bon. & Quintanadv. citans plures apud Gob. *n.* 771. dicit mortaliter peccare Episcopos, si moribundum vel suspendendum petentem non confirment, sed Esc. F. Lug. *de Sacr. lib.* 3. *c.* 3. & alii probabiliùs negant esse mortale, imò nullum peccatum est, tum quia communiter excusat incommoditas talibus ministrandi hoc Sacramentum cum solemnitate debita, tum etiam, quia jam non est consuetudo, ut fiat.

§. 7. Etiam illos perpetuò amentes, qui nunquam 391
usum rationis habuerunt, posse confirmari, docent Suar. Henriq. Lay. Con. Dicast. *n.* 92. contra *Sot. Valent. Merat.* sed attendi debet consuetudo, quam tamen aliqui dicunt, non obligare, si alicubi sit non confirmandi, quia hoc pendet à libera voluntate Episcoporum. Pro infantibus, melius est expectare usum rationis: in locis tamen Missionum, & inter hæreticos, quò rariùs veniunt Episcopi, convenienter confertur etiam infantibus, Verjuys *t.* 17. nam & Græci, teste Arcud. *l.* 1. *c.* 13. statim post Baptismum infantibus conferunt Confirmationem.

§. 8. Si quis afferat dimissoriales ex alia diœcesi pro- 392
Ordinibus, vel prima tonsura hìc suscipienda, Episcopus noster licitè eum confirmat, quia cùm Confirmatio prærequiratur, etiam ad hanc censetur consecratire Episcopus dimittens, Henriq. Zambr. Laym. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 24. Dicast. *n.* 130. contra Bonac. *de Sacra d.* 3. *p.* 2. Quòd si ad accipiendam Confirmationem conveniant ex aliis Diœcesibus sine speciali licentia, Bonac. *n.* 20. Dicast. *à n.* 128. dicunt eos non posse confirmari ab Episcopo alieno, quia non habet jurisdictionem in non subditos, sed rectè contradicunt Henriq. Præpos. Laym. Barb. Tann. Casp. Sà, Aversa.

Averſ. ſ. 5. §. *Quintò* Burgh. *cent.* 3. *caſ.* 97. Delb. *de Imm. Eccl. c.* 11. *dub.* 1. *ſ.* 2. *n.* 20. idque fieri poſſe ſine ullo ſcrupulo, docent Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 50. & Steph. *t.* 5. *d.* 3. *n.* 1. quia hoc ratum, & gratum eſt aliis Epiſcopis, uti probat praxis.

393 §. 9. Dubitans, an ſit confirmatus, aut an rectè, petere poteſt confirmari ſub conditione, *ſi non eſt confirmatus*; requiritur tamen majus dubium, quàm pro Baptiſmo, quia Confirmatio non eſt ita neceſſaria, Nugn. Bardi, Schild. *t.* 6. *c.* 3. Gob. *n.* 763.

394 DUBIUM III.

Quæ Confirmationis neceſſitas, & cæremoniæ.

„ Reſp. I. Non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſi-
„ tate medii, neque, per ſe, præcepti. Eſt com-
munis S. Th. & aliorum, contra *Scot. Sylv.* Ratio,
„ tum quia Eccleſia non urget ejus ſuſceptionem ul-
„ lis pœnis; tum quia nec ex Scriptura, nec tradi-
„ tione, neque ſine aut inſtitutione Sacramentale
„ præceptum colligitur: Et Canones qui in contra-
„ rium afferuntur, ſatis explicantur de neceſſitate
„ ad melius eſſe.

„ Dixi, *per ſe*, quia per accidens aliquando po-
„ teſt eſſe neceſſaria ad ſalutem, ex præcepto chari-
„ tatis ſui, vel proximi, vel alio, v. g. ad caven-
„ dum ſcandalum; vel ratione conſcientiæ, qua
„ quis valdè metuit, ne in tormentis deficiat ſine
„ hoc Sacramento. *Unde reſolves*:

„ I. Negligere hoc Sacramentum, ſecluſo ſcanda-
„ lo, & contemptu, non eſt mortale, Suar. Laym.
„ *l.* 5. *t.* 3. *c.* 5. Bon. *d.* 3. *q.* 1. *p.* 2. ubi ex aliis multis
„ docent, nullum eſſe præceptum illud ſuſcipiendi.

„ II. Etſi omiſſio ex contemptu, v. g. ſi quis id ni-
„ hili faciat aut puerile, aut vile habeat, ſit morta-
„ lis, talis tamen non cenſetur eſſe, cùm quis ejus
„ oblatam occaſionem, quàm poſteà non facilè habi-
„ turus eſt, negligit. Ita commun. contra Sylv. *v.*
„ *Confirm.* & Tol. *l.* 2. *c.* 4.

„ III. Præceptum, quod habetur in Trid. *ſeſſ.* 23.
„ *c.* 4. *de Ref.* non ligat omnes, cùm ſit hypotheti-
„ cum, ſed tantùm ordinandos, vel initiandos pri-
„ ma tonſura. Cujus omiſſionem non eſſe mortalem,
„ contra Tan. docent Henriq. Valent. Suar. *d.* 38. ſ.
„ 1. & Nav. *man. c.* 22. qui addit, nequidem Epiſco-
„ pum peccare mortaliter, ordinando non confirma-
„ tum, aut ſi ipſe non confirmatus ordinet. V. Regin.
„ *l.* 28. *c.* 3.

„ Reſp. II. Circa cæremonias Confirmationis,
„ ſcienda ſunt ſequentia.

„ I. Etſi ſervandi ſint ritus in Pontificali præſcrip-
„ ti, peccetque graviter Epiſcopus, ſi confirmet ſine
„ pluviali, mitra, vel pedo, uti & ſi Ordines ſacros
„ conferat cum ſolis indumentis Miſſæ. Dian. *p.* 7. *t.*
„ 10. *R.* 31. non tamen ſemper erit mortalis alic
„ jus omiſſio, v. g alapæ, aut cerei, poteſt autem
„ conferri loco quovis decenti, etiam extra Eccleſiam;
„ & à prandio non jejunis, omni anni tempore.

„ II. Sub gravi culpa, ut docet Nav. *man. c.* 22. ex
„ communi, requiritur Patrinus; iſque unus tan-
„ tùm (licèt *Tol.* duos admittat) qui ſi confirmatus
„ non ſit, peccat graviter ſecundùm communem:)
„ *Eſcob.* tamen ex *Kon.* docet, non eſſe mortale quod
„ probabile eſſe doc[illegible] Quitan. *t.* 2. *ſ.* 7. imò nullum,
„ ſi fiat in neceſſitate, & non contrahit cognationem,
„ ut docet *Sanch. Suar.* contra *Sylv. Sà*, & alios. Debet-
„ que eſſe diverſus à Patrino Baptiſmi, ſaltem extra
„ neceſſitatem (licèt cum *Bon. & Hurt.* id neget
„ Quint. *ſ.* 7. & 14. & ſecus facientem non peccare
„ mortaliter, dicat Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 21.) & non Mo-
„ nachus (niſi factus Epiſcopus.) Admitti tamen, &
„ illos, & Moniales poſſe ſine culpa, docet idem
„ Quin. *ſ.* 18. niſi in eorum Religione ſit prohibitum,
„ eo autem nomine non excludi Mendicantes notat *Kon.* & alii 5. cum Dian. *p.* 9 *t.* 6. *R.* 32. Nec refert,
„ ſecluſa conſuetudine, num vir ſit, aut femina. Ne-
„ que etiam contrahit obligationem inſtruendi con-
„ firmatum, ſed tantùm cognationem ſpiritualem cum
„ eo, & ejus parentibus, dummodò tameneum tangat.

„ III. *Frons* confirmati obliganda eſt faſcia linea,
„ cruce notata, geſtanda uno, tribus vel ſeptem di-
„ bus, pro conſuetudine; illota interim fronte. Po-
„ teſt etiam, ſi ratio ſubſit, ſtatim auferri, & frons
„ ablui, ipſa autem comburi, vel honeſtè aſſervari
„ debet, nec ad profanos uſus adhiberi, propter
„ contactum chriſmatis; neque ſolvens illam, con-
„ trahit cognationem. V. Præp. *in* 3. *p. q.* 2. *à* 12.

„ IV. Parochos teneri in librum referre nomina
„ confirmatorum, & Patrinorum ſuæ Parochiæ,
„ (eamque curam ad Epiſcopos etiam pertinere)
„ tum propter ſciendam cognationem ſpiritualem
„ tum propter Ordines ſuſcipiendos, docet Quint. *ſ.*
„ 11. ex Barboſa &c. ac denique licere mutare no-
„ men in Confirmatione, *Ibid. ſ.* 10.

ADDENDA.

395 *Quæſt.* 72. *Quid præterea notandum ſit circa neceſſitatem & cæremonias Confirmationis?* R. Seqq.

§. 1. Fuiſſe olim præceptum Eccleſiaſticum, ut ſuſciperetur Confirmatio, colligit Dicaſt. hìc *n.* 105. ex variis Conciliis & dictis SS. PP. rectè autem docet *dub.* 10. cum communi, per deſuetudinem nunc deſiiſſe illud præceptum, motivum tamen magnum non negligendi Confirmationem eſt, quòd multùm per illam roboretur fides, & augeatur gratia; ſententia enim communis habet cum S. Th. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 50. Averſ. *q.* 72. *ſ.* 4. §. *Tertiò*, Dicaſt. *n.* 83. per Confirmationem, ſecundùm ſe, conferri majorem gratiam, quàm per ipſum Baptiſmum quamvis Baptiſmus præ confirmatione habeat privilgeium remittendi pœnam peccatis debitam

396 §. 2. Ubi facilè non habetur Patrinus, poteſt omitti, ſecundùm Gob. *t.* 2. *n.* 780 *Alii* tamen meliùs ſuadent, ut unus tunc ſit plurium Patrinus, Gob. *n.* 786. poſſe enim unum etiam eadem die eſſe Patrinum plurium, rectè docet Barboſa.

397 §. 3. Patrinum Confirmationis deſignat parentes, vel in eorum defectu Epiſcopus, Gob. *n.* 788. Poteſtque Clericus in Confirmatione eſſe Patrinus, item Monachus reſpectu alterius Monachi, Barboſ. Caſtrop. Jordan. Quintanad. Gob. *n.* 783. Imò Dicaſt. *n.* 145. credit Religioſos mendicantes etiam reſpectu externorum poſſe hìc faciliùs eſſe Patrinos, eò quòd non ſit obligatio inſtruendi; uti docent etiam *Suar.* & alii; ſed Synodus Colon. ſub Max. Henr. *de Confir. c.* 3. §. 2. *p.* 64. prohibet illos eſſe Patrinos, aſſerens eſſe obligationem inſtruendi; in quo conſentit Averſ. *ſ.* 5 §. *Denique*, ſi confirmandus non ſit inſtructus, & deſit alius, à quo inſtruatur.

398 §. 4. Confirmans poteſt per alium nomine ſuo ſiſtentem, eſſe Patrinus illius, quem confirmat, uti à pari dictum eſt de Baptiſmo *n.* 353. ſi aliqua cauſa ſubſit, poteſt idem eſſe in Confirmatione Patrinus, qui fuit in Baptiſmo, alias deberet eſſe diverſus, uti habet *Syn. Colon* §. 1. ut ſic cura, & inſtructio confirmati pertineat ad plures.

399 §. 5. Hic Patrinus debet ſecundùm uſum Eccleſiæ, & ritum Pontificalis Romani eſſe ejuſdem ſexus cujus eſt confirmandus, *Averſa* §. *fe.* & ita etiam ſtatuit *Syn. Colon.* §. 3. addens, ut etiam non ſit minor ætate, quia indecorum eſt, ſi minor majorem monendo, vel corripiendo Patris vices obeat: Mandatque eadem Synodus §. 5. ut Patrinus, & Confirmandus non accedant induti armis, quod meritò ubique eſt obſervandum.

400 §. 6. Quamvis multi probabiliter dicant non contrahi cognationem, ſi aſſiſtat non confirmatus, tamen oppoſitum

oppositum etiam valdè probabile est, si enim confirmans non confirmatus contrahat, cur non assistens? *Nec obstat*, quòd *Canon* dicat illum, qui confirmatus non est, non posse alium suscipere, *nam* Tò non posse sæpè denotat tantùm prohibitionem, quod enim illicitum est, dicitur moraliter fieri non posse, uti cum aliis multis Aversa *s.* 5. §. *Non*, qui tamen malè addit infidelem, si assistat, posteà suscepto Baptismo habiturum cognationem, hoc enim manet rejectum ex dictis à *n.* 368.

§. 7. Cæremonia illa, ut confirmati non exeant templo priusquam acceperint communem benedictionem ab Episcopo, non observatur, quando est tantus accursus, ut alii aliis succedere debeant, Laym. *l.* 5 *t.* 3. *c.* 7. Castrop. *t.* 20. *p.* 10. *n.* 12. Gob. *suprà*.

401 §. 8. Cæremonias, quæ antecedunt, comitantur, & sequuntur Confirmationem, accuratè referunt, & explicant Bellarm. *de Confirm. c.* 13. Castro. *p.* 10. Scouville *in Cath. de Confirm. à q.* 35. qui videri possunt.

402 Denique etiam hìc meritò debent Parochi populum monere, 1. Quòd Confirmatio iterari non possit (si tamen iteretur, quamvis peccetur mortaliter, tamen non incurritur irregularitas, quia jus hoc statuit tantùm in Baptismo.) 2. Quod contrahatur cognatio spiritualis; unde si Parochus habere non possit, & in librum referre nomina confirmatorum, parentum, & Patrinorum, saltem dum ineuntur Matrimonia, tenetur inquirere, & attendere, an contrahentes fortasse non impediantur cognatione spirituali hìc, vel in Baptismo contracta.

TRACTATUS III.

De Eucharistia.

CAPUT PRIMUM.

De essentia Eucharistiæ.

DUBIUM I.

Quid sit Eucharistia.

403 „ REsp. Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, sub speciebus panis, & vini, ad „ spiritualem animæ refectionem divinitùs institutum. Ita comm. Schol. *Unde resolves seqq.*

„ I. Tam species consecratæ, quàm Corpus, & „ Sanguis Christi, intrinsecè & essentialiter constituunt hoc Sacramentum, ideóque falsum est, „ quod docuit Waldensis, Corpus, & Sanguinem „ Christi esse totum Sacramentum. Ratio, tum quia „ Trid. docet Corpus, & Sanguinem contineri hoc „ Sacramento: tum quia, quatenus continetur, non „ est sensibile. Item falsum est, quod docet *Marsilius & Sotus*, solas species constituere hoc Sacra„ mentum; tum quia Eucharistia est cibus cœlestis, „ tum quia adorari debet latria, ut docet Trid.

„ II. Usus, sive sumptio Eucharistiæ, non est pro„ priè ipsum Sacramentum; neque aliud Sacramen„ tum ab eo distinctum, ut vult Gabriel; nec pars „ illius sive essentialis, vel integralis, ut Aureolus, „ sed tantùm applicatio, sive conditio, ut Sacra„ mentum operetur.

„ III. Etsi quælibet species, imò quævis pars spe„ ciei, sit integrum, & essentialiter perfectum Sacra„ mentum; ideóque Sacramentum Eucharistiæ, sub „ speciebus panis, & vini physicè, & materialiter „ specie differat, moraliter tamen, & in ratione Sa„ cramenti, est unum specie infima Sacramentum, „ tum quia est unum signum rei sacræ; tum quia or„ dinantur ad unum specie infima finem. V. S. Th. „ *q.* 73. *a.* 1.

„ IV. Etsi physicè loquendo, tot sint numero Sacra„ menta, quot numero species, vel etiam partes „ specierum, moraliter tamen unum numero Sacra„ mentum est, quod per modum unius proponitur, „ & sumitur quia id ad unum finem, scilicet unam „ refectionem spiritualem, refertur. „

V. Hostiæ in diversis altaribus, rectè concipiun„ tur, ut distincta Sacramenta; contra verò, si Sa„ cerdos unam hostiam in plures partes dividat; vel „ plures hostias simul sumat, (eadem est ratio plu„ rium specierum, diversæ rationis) non ideò dici„ tur accepisse plura numero Sacramenta. „

ADDENDA.

404 *Quæst.* 73. *Quid notandum circa nomina Eucharistiæ?* Resp. Eucharistia dicitur à Græco εὐχαρις, gratia, εὐχαριστία gratia optima, vel gratiarum actio. Varia illius nomina recensent Suar. *hìc in Comment ad q.* 73. *a.* 4. omnium autem copiosissimè congessit Theophilus Rayn. *t.* 6. *tr.* 1. *cui titulus*, *Candelabrum sanctum septilustre*, ubi tota sectione quinta *à p.* 191. per alphabeti ordinem instituit longumonomasticon ejusmodi nominum, & titulorum. Præcipua nomina sunt, 1. *Synaxis*, sive *Communio*, quia per ipsam communicamus cum Christo, participantes ejus Divinitatem, & humanitatem, 2. *Panis*, quia animam nutrit. 3. *Convivium*, quia animam satiat. 4. *Cœna Dominica*, quia Christus vesperè instituit. 5. *Venerabile*, quia est Sacramentum inter reliqua dignissimum. 6. *Sacrificium*, *hostia*, *victima*, quia offertur Deo. 7. *Memoriale passionis*, quia fit in commemorationem Christi passi. 8. *Viaticum*, quia per eam præparamur ad viam ex hac in æternam vitâ.

405 *Q.* 74. *Quænam in Ecclesia exortæ sint hæreses circa Sacramentum Eucharistiæ?* R. Esse propè innumeras, sed præcipuæ sunt seqq.

1. Aliqui negarunt Eucharistiam esse Sacramentum, volentes vel nullum, vel solum Baptismum esse Sacramentum, uti habet Dicast. *d.* 1. *n.* 5. Et *Ubiquistæ* etiam reipsa tollebant hoc Sacramentum, dicendo Christum esse ubique, uti rectè Bellarm. *l.* 3. *c.* 17. contra quos fusissimè agit Valent *sect.* 3. *in Controv. Ubiquitaria.* Damnantur autem illi omnes à variis Conciliis apud Arr. *d.* 28. *n.* 2. novissimè à Trid. *sess.* 7. *de Sacrament. in genere*, *Can.* 1. *& sess.* 13. per omnia capita, & canones. Neque Sacramentum esse negarunt Lutherus, vel Calvin. imò nec Mahomet, teste Lugo *d.* 1. *n.* 1. qui hoc solùm culpat, quòd Christiani, cùm credant Christum esse Deum, nihilominus eum devorent; sed damnantur in suprà dictis Conciliis, quæ definiunt Christum rectè, & utiliter sumi à fidelibus.

2. *Sacramentarii* dixerunt in hoc consistere totam rationem Sacramenti, quòd Christus instituisset panem, & vinum tanquam symbola Corporis, & Sanguinis sui, de cætero Christum nullibi esse præsentem nisi in cœlo: sed damnantur: uti alii *n.* 9. referendi, & contra illos fusissimè disputat Valent. *s.* 4.

406 3. *Cathariste*, *Manetis* discipuli, docuerunt Eucharistiam non posse ex pane confici; sed damnantur à Concil. Florent. *p.* 1167. in Decreto unionis sub Eugenio IV. quod incipit *Latentur.*

4. *Græci*, & *Armeni* dixerunt Eucharistiam non esse conficiendam in azymo, sed in fermentato: Lutherani & Calvinistæ dixerunt fermentatum esse convenientiorem: sed damnantur à Florent. *ibid.*

407 5. *Aquarii* docuerunt pro consecratione Calicis non esse apponendum vinum, sed solam aquam: sed damnantur à Conc. Lateran. & Trid *sess.* 13. *Cap.* 4. *& Can.* 2.

6. *Græci*, & *Armeni* putarunt pro consecratione Calicis non esse apponendam aquam: sed damnantur in Conc. Carthaginensi III. & Florent. in Decreto unionis Armenorum.

7. *Waldenses*

408 7. *Waldenses* dixerunt modum consecrandi Ecclesiæ Romanæ non esse verum modum : sed damnantur à *Florent.* suprà.

8. Circa hæc quatuor verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, refert Bellarm. *l.* 1. *c.* 8. suo tempore jam enatas fuisse ducentas erroneas expositiones, quas tamen reducit ad novem velut capitales ; quarum tres fundantur in pronomine, *hoc* ; duæ in verbo, *est* ; tres in nomine, *Corpus* ; una in pronomine *Meum* ; quæ omnes damnatæ sunt à variis Conc. ac esse Scripturæ contrarias probat Bellarm. *c.* 10.

409 9. Armeni, Berengarius, Wicleff, Calvinus, & alii apud Bellarm. *c.* 1. dixerunt Christum non esse verè, & realiter præsentem in Eucharistia, sed post alia Conc. quæ refert Avers. *q.* 3. *s.* 1. §. *Constat*, damnantur à Trid. *sess.* 13. *Can.* 1. & 8.

10. Lutherus, Bucerus, & alii apud Bellarm. *l.* 4. *c.* 1. dixerunt Christum non esse realiter præsentem, nisi in solo usu, sive sumptione : sed damnantur à Trid. *ib. Can.* 4. 6. & 7.

11. *Wiclef*, Lutherus, & alii apud Avers. *s.* 4. dixerunt non fieri transubstantiationem, sed post consecrationem manere panem, & vinum cum Corpore, & Sanguine Christi : sed damnantur in Conc. Constantiensi, & Trid. *Can.* 2. itemque in aliis apud Aversam §. *Secundò*

12. Lutherus, & alii dixerunt, quamvis Christus sit præsens in Eucharistia, tamen ibi non esse : sed damnantur à Trid. *Can.* 6. Potestque videri Avers. *q.* 9. *s.* 3.

410 13. Messaliani, & Armeni docuerunt Eucharistiã nec prodesse, nec obesse : sed damnantur à Trid. *c.* 2. & *Can.* 5.

14. Græci putarunt Eucharistiam habere majorem vim die Jovis Sancto, quàm aliis diebus : sed repugnat Florent *in Decr. de unione Græcor.*

411 15. Lutherus, & alii apud Bellarm. *l.* 4. *c.* 17. tenuerunt Eucharistiam à peccatore sumi posse sine Confessione, sola fide prævia ; sed damnantur à Trid. *cap.* 7. & *Can.* 11. Imò ab ipsomet Apostolo 1. *ad Corinth.* 11. *v.* 28. *Probet autem seipsum homo, &c.* V. Bellarm. *c.* 18. & 19.

16. Quidam apud *Magist. l.* 4. *sentent. dist.* 19. dixerunt à peccatore non recipi Corpus Christi : sed damnantur à Trid. *supr.*

17. Græci, Petrus Dresensis, Lutherus, & alii dixerunt Eucharistiam ab omnibus esse sumendam in utraque specie : sed damnantur à Conc. Const. *sess.* 13. Basil. *sess.* 31. Trid *sess.* 21. *c.* 1. & 2. V. Aversam *q.* 8. *s.* 4.

412 18. Omnes ferè horum temporum hæretici apud Bellarm. *de Missa l.* 1. *c.* 5. negant Eucharistiam habere rationem veram Sacrificii ; & specialiter non habere rationem Sacrificii propitiatorii, docuerunt alii hæretici, quos refert ibidem Bellarm. *l.* 2. *c.* 1. sed damnantur in multis Conc. apud. Aversam *q.* 11. *s.* 1. & Pasqualig. *de Sacrif. q.* 22. *n.* 2. novissimè in Trid. *sess.* 22. *c.* 1. & *Can.* 1. 3. & 4.

19. Specialiter Missas privatas, aut in quibus solus Sacerdos communicat, aut si legantur lingua non vulgari, illicitas esse, docuerunt varii hæretici : sed damnantur à Trid. *sess.* 22. *Can.* 8. & 9. itemque ab aliis Conc. apud. Bellarm. *suprà c.* 9.

20. Cæremonias Missæ esse inutiles, & vanas dicunt plerique Calvinistæ : sed damnantur à Trid. *suprà Can.* 7. omnesque eas cæremonias, & Orationes Missæ esse pias, antiquissimas, & verissimas, demonstrat Bellarm. *suprà c.* 14. & *seqq.*

413 21. Lutherus docuit omnes fideles posse consecrare Eucharistiam, & omnes hoc modo esse Sacerdotes, quamvis fieri non debeat, nisi à deputatis ad hoc, uti refert Bellar. *l.* 4. *c.* 16. sed damnantur à Conc. Nicæn. Arelatens. Later. Flor. apud Avers. *q.* 10. *s.* 1. & Bernal. *d.* 45. *n.* 4. novissimè à Trid. *sess.* 23. *cap.* 4.

Q. 75. *Quid præterea notandum sit circa sumptionem?* R. Seqq. §. 1. Dicast. *d.* 1. *à n.* 36. docet sumptionem pertinere ad completam essentiam hujus Sacramenti, sed loquendum est cum communi, quòd Sacramentum totum sit ante sumptionem, & sumptio sit tantùm applicatio, sive conditio ad hoc, ut Sacramenrum causet suum effectum, nam ita docent S. Th. *q.* 78. *a.* 1. *ad.* 2. Scot. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. aliique communissimè : & fundamentum est, quia *Conc. Florent.* in Decreto Eugen. IV. ad Armenos dicit, quòd Sacerdos verbis consecrationis conficiat Eucharistiam, & Trid. *sess.* 13. *de Euch. Can.* 4. & 6. definit Christum esse in Eucharistia ante usum, ergo etiam ante usum est Eucharistia : Addit *Can.* 7. Eucharistiam asservari in Sacrario, ergo Eucharistia est sine usu. *Ibid. Cap.* 2. docet Christum voluisse hoc Sacramentum sumi tanquam spiritualem animarum cibum, ergo distinguit hoc Sacramentum, tanquam spiritualem cibum à sumptione, & sicuti cibus est ante sumptionem : ita etiam erit hoc Sacramentum.

414 *Objic.* Quamvis Extrema Unctio habeat se per modum medicinæ, tamen unctio, quæ est applicatio olei, est pars illius Sacramenti, ergo similiter quamvis Eucharistia habeat se per modum cibi, tamen sumptio, quæ est applicatio, erit pars illius. R. n. cons. disparitas petenda est ex institutione Christi, qui voluit Sacramentum Unctionis esse medicinam transeuntem, ideóque assumpsit Unctionem tanquam instrumentum causandæ gratiæ. E contrà voluit Eucharistiam esse cibum permanentem : hinc non fuit opus sumptionem illius assumi tanquam instrumentum causandæ gratiæ ; hoc autem ita voluisse Christum, colligimus tum ex authoritate, & communi sensu Theologorum, qui passim dicunt Unctionem esse materiam proximam, & partem illius Sacramenti, ponique nomine Christi ; tum etiam ex ratione, quia sola unctione non posita non esset illud Sacramentum, quia forma esset falsa. E contra Theologi sumptionem non vocant materiam, vel partem Eucharistiæ, neque illa ponitur nomine Christi, & illa non posita manet forma vera, ac positum est Sacramentum Eucharistiæ, ergo nulla est paritas. Congruentiam aliam insinuat S. Th. *q.* 73. *a.* 1. *ad* 3. quia cùm Christus ipse sit in Eucharistia, voluit hanc prærogativam sibi tribuere, ut per se causaret gratiam, sumptio autem esset tantùm conditio ; sed in reliquis Sacramentis, quæ non continent tam nobilem materiam, voluit, ut etiam illorum usus esset instrumentum causandæ gratiæ.

415 §. 2. Ad sumptionem, qua posita causatur gratia, non sufficit Eucharistiam accipere in os, uti putavit Becan. imò nec trajicere per certam partem fauciũm, uti putavit Suarez & favet Busemb. *n.* 469. referendus, sed necessarium est, ut aliqua pars specierum physicè tangat, & ita recipiatur in stomaco tanquam instrumento primario nutritionis, ut facilè inde revocari non possit, uti rectè Lugo *d.* 12. *n.* 40. Escob *l.* 20. *n.* 473. Compt. *d.* 80 *s.* 1. *n.* 11. Gonet. *d.* 8. *n.* 32. Avers. *q.* 7. *s.* 4. tum enim priùs censetur hoc Sacramentum habere rationem symbolicam cibi, & potus spiritualis ; consequenter si quis tamdiù teneret hostiam in ore, ut dissolveretur, aut si moreretur, antequam hostia descendisset ad ipsum stomacum, reipsa non communicasset, nec acciperet gratiam Sacramenti.

416 §. 3. Si Eucharistia per miraculum sine sumptione poneretur in stomaco, Suar. *d.* 63 *s.* 7 Compt. Rayn. Gon. *n.* 24. & alii putant, non causandam ex opere operato gratiam, quia deesset manducatio, Christus autem instituit hoc Sacramentum pro manducantibus. E contrà Lugo *d.* 1. *n.* 115. Rhod. *d.* 1. *q.* 2. *s.* 1. §. 2. *ad* 3. & alii dicunt causandam gratiam, dummodò homo consentiat in illam positionem Sacramentalis

ti existentis intrà se, nam debet esse illi voluntaria, refert *Lugo* ex *Salmerone* exemplum de aliquo, qui cum præ debilitate non posset sumere Eucharistiam, quam ardentissimè desiderabat, pectore miraculosè aperto eam excepit, utique cum effectu gratiæ, & ratio congruentiæ est, quia cibus naturalis ita miraculosè positus in stomacho nutriret, ergo etiam dici potest, quòd spiritualis sic positus nutriat, & hoc fortè innuit S. Cyprianus *in serm. de cœna Dom.* his verbis: *Cibus hic verus, & sincerus per speciem, & Sacramentum tactu nos sanctificat. Nec obstat*, quod Joannis 6. *v.* 54. dicat Christus, *Nisi manducaveritis*, &c. *nam Lugo* probabiliter respondet, his verbis tántùm innui præceptum obligans ad ordinariam sumptionem Eucharistiæ.

DUBIUM II.

417 *Quæ materia Eucharistiæ.*

„ NOta. Sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima, & remota, ita etiam hìc, sed ordine inverso; nam in aliis materia remota est res permanens, proxima verò ejus usus, qui transit; hìc verò remota transit, & proxima manet, scilicet species panis, & vini. Quæritur ergò tantùm de remota, illa scilicet, quæ facta consecratione transit in Corpus, & Sanguinem Christi.

„ Resp. Materia Eucharistiæ est tantùm panis, & vinum. Est de fide, & probatur ex institutione Christi; Matth. 26. & Luc. 22. Et quidem utraq; materia, panis, & vinum, est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut per se nunquam licitè possit una consecrari absque alia, quod patet tum ex facto Christi, Luc. 22. tum ex Trid. *sess.* 22. *Unde resolves*:

„ I. Consecratio utriusque speciei, est juris divini quia ratio Sacrificii, sine quo non fit, exigit utramq;

„ *II.* Non licet alteram tantùm speciem consecrare in necessitate etiam gravi, v. g. ut moribundo detur Viaticum, Suar. *&c. communis.*

„ III. Nec Pontifex in eo potest dispensare ullo casu. Ita cõmun. Suar. 3 *p. d.* 55 *s.* 4. *&c.* contra quosdam.

„ Dixi I. *per se*, quia per accidens, & præter intentionem quasi, aliquando unam posse solam consecrari absque peccato, docet Tann. *d.* 5. *q.* 2. *dub.* 5. *n.* 27. dicitque esse communem. v. g. in his casibus: 1. Si quis aquam, vel *alium liquorem pro vino* consecrasset, neque defectum intelligeret, nisi diù post: aut postquàm advertisset, non posset haberi aliud vinum; vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti sine gravi scandalo, vel vitæ periculo. 2. Si post consecratam hostiam subitum mortis periculum ab hostibus, vel incendium immineat, secluso tamen scandalo, & contemptu fidei. Regin. *l.* 29 *c.* 4. 3. Si Sacerdos hostia consecrata moriatur, vel animo deficiens, loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius qui possit Sacrificium perficere, *Suar. Vasq. &c.* Si autem alius supplere, & Sacerdos infirmus Communionem suscipere potest, debet hostia dividi, eique pars dari, Tamb. *de exped. Sacr. l.* 2. *c.* 8.

„ Dixi *II. Licitè*, quia validè alterutram tantùm consecrari, est certum: ut patet tum ex facto Christi, qui panem ante consecravit; tum ex praxi Ecclesiæ, quæ Corpus ante Sanguinem proponit adorandum.

ADDENDA.

418 *Quæst.* 76. *An conveniens fuerit materiam Eucharistiæ esse panem, & vinum?* R. Affirmativè cum S. Th. *q.* 74. *a.* 1. & Catech. Rom. *de Euch. c.* 3. *n.* 2. Congruentiæ sunt. 1. Sicut aqua est assumpta ad Baptismum, quia illa apertissimè significabat ablutionem animæ, quam Christus per Baptismum intendebat, ita cum Christus per Eucharistiam intenderet spiritualem refectionem, corroborationem, & exhilarationem animæ, aptissimè illam instituit in pane, & vino, quibus homines communiùs reficiuntur, corroborantur, & exhilarantur. 2. Cum Christus in Eucharistia deberet esse permanens vita spiritualis animæ, rectè ex pane, & vino conficitur, quibus vita humana potissimùm permanet. 3. Quia hoc Sacramentum erat ad utilitatem corporis, & animæ, Corpus Christi sub specie panis est pro salute corporis, Sanguis Christi sub specie vini pro salute animæ, secundùm illud Levit. 17. *v.* 11. anima carnis in sanguine est. 4. quia hoc Sacramentum debeat esse signum, & causa unionis fidelium in Ecclesia, hæc aptissimè significabatur per panem, qui conficitur ex multis granis, & per vinum, quod confluit ex multis uvis. 5. Cum hoc Sacramentum deberet esse memoriale passionis, & mortis Christi, passio optimè significatur per panem, qui in area, & mola atteri, ac per vinum, quod in torculari calcari, ac premi debet. Similiter mors Christi significatur per hoc, quòd Corpus, & Sanguis vi verborum quasi separentur, & corpus loco panis significetur sine Sanguine, & Sanguis loco vini significetur sine Corpore. 6. Sic suadetur nobis veritas præsentiæ Corporis, & Sanguinis Christi, nam cum panem, & vinum in carnem, & sanguinem humanum vi naturæ quotidiè immutari animadvertamus, faciliùs adduci possumus hac similitudine, ut credamus panis, & vini substantiam in Christi Carnem, & Sanguinem supernaturaliter converti. Hæ congruentiæ desumptæ sunt ex SS. PP. quos refert Rayn. *in Candel. s.* 3. *c.* 2. *à n.* 16. ubi etiam ostendit Eucharistiam convenientissimè institutam esse sub modicis speciebus panis, & vini.

Q. 77. *Quandonam materia Eucharistiæ censeri debeat substantialiter, vel tantùm accidentaliter mutata?* R. colligi debet, partim ex dictis *à n.* 18. *&* 21. partim ex dicendis in seqq. dubiis, & q. q.

DUBIUM III.

Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ. 419

RESP. I. Solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum judicio tantùm censetur ille, qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne tostus, sive assus, atque in sua specie incorruptus est; quia hic solus simpliciter dicitur panis, alius verò nonnisi cum addito, v. g. hordeaceus. *Unde resolves*:

„ I. Falsum est, quod docuit Cajet. Eucharistiam posse consecrari ex quovis pane, cujusvis speciei, dummodò sit aptus ad vescendum.

„ II. Non est apta materia ad validam consecrationem, 1. Panis ex oriza, avena, milio, pisis, fabis, amygdalis, aliisque leguminibus, & arborum fructibus, vel etiam ex hordeo confectus; quia hæc omnia communi usu, & opinione, censentur specie distingui à tritico, Laym. Bonac. Card. de Lugo *d.* 4. *s.* 12. 2. Massa triticea, cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa, vel elixa, ut sunt placenta, libum, sive differat specie, sive non. 3. Panis subactus aquis artificiali bus, vel oleo, butyro, lacte, vel ovis, saccaro, aliove liquore, qui aqua naturali non sit mixtus; quia non est panis usualis. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 9. *Cajet.* tamen, & quidam Recentiores, contrarium docent, quare est saltem materia dubia. Idque confirmat Missale Rom. *t. de def.* & Lug. *n.* 4. unde.

qui

„ qui hostias emunt, certi sint, quòd aqua naturali, „ & non rosacea, confectæ sint. 4. Similiter hostiæ ru- „ bræ, quibus sigillantur litteræ, non sunt materia „ valida, vel minimum dubia, quia per admixtionem „ cinnabaris notabiliter alterantur, Lug. *s.* 1. Quod „ Ant. Perez apud Dian. *p.* 7. *t.* 12. *R.* 1. limitat, si „ autem sit valde parum, censet probabile, quod sit „ materia valida, illicita tamen. *s.* Panis substantia- „ liter corruptus. *6.* Panis subactus aqua marina. Fa- „ gund. apud Dianam *par.* 9. *tract.* 9. *R.* 58. ubi ip- „ se contrarium docet, eò quòd illa sit naturalis aqua.

„ III. Panis ex farre, sive spelta, item ex siligine, „ est materia dubia, quia alii dicunt, solis acciden- „ tibus, propter loci sterilitatem; alii specie distingui „ à tritico; ideóque non licet, saltem uti pro Sacra- „ mento, quia hoc exponeretur periculo. *V. Auth. cit.*

„ IV. Valida, sed illicita est materia, 1. si aliquot „ grana, vel guttæ alterius speciei, cum tritico, & aqua „ misceantur, ita ut triticum tamen, & aqua pluri- „ mum prædominetur, quia si major pars non sit tri- „ ticum, & aqua, non erit materia valida: de quo mo- „ nendi sunt illi, qui hostias coquunt, Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* „ 1. *n.* 6. Laym. *c.* 2. 2. Panis mucidus, qui ad cor- „ ruptionem disponitur. Bon. *p.* 2. *n.* 5.

„ V. Perinde est ad valorem Sacramenti, sive pa- „ nis sit azymus, sive fermentatus, ut definivit Trid. „ quia uterq; est usualis, & propriè dictus panis. In- „ terim in suis Ecclesiis Latini in azymo, & Græci in „ fermentato conficere tenentur, sub præcepto gravi, „ & culpa mortali: à qua non excusat necessitas, v. g. „ dandi Viaticum. V. Bon. *p.* 1. Fill. *t.* 4. *c.* 3. *q* 8. Lug. *l. c.*

„ Resp. II. Ex præcepto Ecclesiæ, panis consecran- „ dus debet esse figura orbiculari (in Ecclesia Latina) „ & integra, Dixi, *Latina*: quia Græci quadratam ad- „ hibent, & in particulis triangularem, ut habet Ar- „ cudius: Licere etiam in hostia minore, qualis datur „ laicis) quando alia adhiberi non potest, & scanda- „ lum abest) celebrare privatim, imò si causa urgeat, „ etiam publicè die festo, docet March *in Candel. t.* „ 4. *c.* 5. *q.* 3. Dian. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 80. *& p.* 6. *t.* 7. *R.* 17. & „ Tamb. *de exped Sacrif. l.* 2. *c.* 8. & Avers. *q.* 11. *s.* „ 12. eò quòd nullum sit præceptum, neque constet „ de consuetudine obligante sub præcepto: quo casu „ elevare adorandam majorem ab alio præconsecra- „ tam licere vult Tamb. *l. c.* contra March & Dian. „ *ll. cc.* Non licet autem parvam sumere, & majorem „ relinquere (v. g. ad exponendam in hierotheca) „ nisi ipse eadem Missa istam consecraverit, quia de- „ bet communicare de suo Sacrificio, Tamb. *l. c.* „ Quare malè facit Parochus, qui renovaturus Eu- „ charistiam, hostiam ab alio consecratam ipse sumit, „ & à se consecratam reponit in Sacrario, vel hiero- „ theca, Tamb. *l. c.* Lugo. *d.* 19. *s.* 4.

ADDENDA.

420 QUæst. 78. *Quid circa panem, qui consecratur, sit præterea notandum?* R. Seqq.

§. 1. Quando Conc. Carthag. relatum *Cap. in Sacram. de Consec. d.* 2. dicit in Sacrificio offerri de uvis, & frumentis, per frumentum intelligi triticum, quod inde colligitur, quia hoc frumento abundat Africa, in qua hoc Concilium habitum est, ideóque illi populi non nisi tritico ad panem utuntur; sicque triticum absolutè ab iis dicitur frumentum, uti & à Gallis aliisque populis, & hoc ipsum usitatum esse in Scriptura, ostendit Dicast. *d.* 2. *n.* 11.

421 §. 2. Probabilissimum quidem est siliginem esse reipsa triticum, nam ita docent S. Th. *q.* 74. *art.* 3. ad 2. *S. Bonav. Cajet. Sot. Sylv. Laym. Tangall.* aliique plurimi, ducti hac ratione, quia ex tritico in malis terris seminato quandoque nascitur siligo, item ex siligine in bonis terris seminata nascitur triticum, uti testatur Arr. *d.* 30. *n.* 3. Attamen hæc ratio non probat certò, quòd siligo sit reipsa triticum, uti rectè Patel. *n.* 301. nam etiam ex tritico quandoque nascitur avena, vel aliud frumentum vile, uti testantur Suar. *d.* 44. *s.* 2. *n.* 16. Avers. *q.* 2. *s.* 3; potestq; res unius speciei propter diversas dispositiones degenerare in rem alterius speciei etiam melioris, ad eum modum, quo aqua sæpè degenerat in lapidem, stannum in argentum, semen, probabiliter non vivens, in plantam; unde licèt Haun. *n.* 788. dicat non posse prudenter dubitari de eo, quod siligo sit materia sufficiens, & inde inferat Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 32. non debere Germanum Sacerdotem ducere sibi religioni, si in casu necessitatis cogentis, v. g. ut muniatur infirmus, vel ut die Festo habeatur Missa, consecret in siligine, tamen non ideò sententia illa censeri debet practicè certa, cùm multi cum Castrop. *t.* 21. *p.* 4. *n.* 2. dicant siliginem non esse materiam validam, & hoc probabilius esse dicat Bon. *d.* 4. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 2. ex alia autem parte *Suar.* suprà, doceat non esse tantam necessitatem hujus Sacramenti, ut unquam videatur posse occurrere causa sufficiens ad illud conficiendum, nisi in materia certa. *Nec obstat* authoritas adducta, nam *S. Th.* & plerique alii non dicunt certum esse, quòd siligo sit triticum, imò Arr. *n.* 2. & Haun. *suprà* fatentur antehac apud antiquos per siliginem significatum esse optimum triticum, hinc Plin. & Galen. apud Dicast. *n.* 15. siliginem vocant delitias tritici, & præstantissimum frumentum: unde colligi videtur, quosdam saltem istorum authorum, per siliginem intellexisse reipsa optimum triticum; quale certum est nunc non esse illud frumentum, quod vocamus siliginem; hinc Arr. *n.* 6. & Amic. *d.* 16. *n.* 8. tantùm dicunt opinionem suam esse probabilem, atque ideo Carden. *in* 2. *crisi diff.* 2. *n.* 46. rectè concludit peccare mortaliter si opinio illa deducatur ad praxim, quia secundùm dicta *à n.* 104. *in* administratione Sacramentorum illicitum est sequi opinionem tantùm probabilem relicta tutiore.

§. 3. Quamvis *Haun. & Gob.* dicant speltam esse 422 materiam certò validam, & magis aptam, quàm sit siligo, idemque sentiat Arr. *n.* 5. eò quòd spelta sit frumentum melius siligine, & quoad omnia similius tritico, tamen alii cum *S. T. Castrop. & Avers.* suprà dicunt esse absolutè ineptam: *Patel.* autem, & *Sylv.* dubiam, hinc *illicitum est hostias ex spelta consecrare*, atque idē est, de similibus frumentis apud Suar. *suprà.*

§. 4. Triticum mutatum in amydum (quod est 423 quasi flos farinæ, vel quasi lac è tritico in aqua diù macerato expressum) est substantialiter mutatum, uti habent S. T. ad 4. Suar. *suprà*, Dian. Lug. Avers. Dicast. *n.* 25. aliiq; cōmuniùs contrà *Palud. Henriq. Bonac.* & alios, quibus ex parte favet Bernal. *d* 27. *n.* 17. Ratio est, quia licèt ex amydo aliquid pinseretur, non haberet rem nec nomen panis usualis, & ideò dicit Carden. *suprà* mortaliter peccaturum, qui talem materiam consecraret.

§. 5. Si tritico admisceatur, v. g. hordeum *in* 424 æquali quantitate, tota materia est invalida, quia si tunc fiat perfecta mixtio, consurget panis, qui nec sit triticeus, nec hordeaceus, sed tertiæ speciei, si autem non fiat perfecta mixtio, erit panis, partim triticeus, partim hordeaceus, sed quod inerit triticeum, non poterit consecrari, quia non potest demonstrari præ hordeaceo, Bern. *n.* 19. contra Dicast. *n.* 24. E contrà si admixtum sit parum hordei, hoc modicum censebitur absumi à plurimo, inquit Sanct. Thom. *ad* 3. hinc inferunt Gob. *d.* 3. *num.* 42. & alii, si sal per errorem sit mixtus, posse talem hostiam licitè consecrari, si alia desit, etiam extra casum specialis necessitatis,

& consentiunt Platel. *n.* 350. & Dicast. *suprà*, vix enim unquam erit, quin aliquid præter purum triticum sit immixtum.

425 §. 6. In hoc casu, quo parva quantitas rei alienæ admiscetur, quæ simul efficit panem usualem, probabile est, quod parva illa quantitas materiæ de se non aptæ seorsim consecrari, reipsa consecretur in Corpus Christi, uti docent Lug. *n.* 17. Bernal. *n.* 21. quamvis etiam probabiliter contra dicant Suar. Amic, G. Hurt. Averst. *q.* 2. *s.* 3. Ratio priorum est, quia reipsa est pars panis usualis, ergo sicuti in Corpus Christi immediatè convertuntur partes fermenti, vel salis, vel aquei humoris admixti, quamvis secundum se seorsim non possint consecrari; item furfures, uti habet Lug. *n.* 64. contra Bosco *d.* 4. *s.* 2. *n.* 102. ita & partes aliarum rerum aptarum componere panem usualem: unde non est simile de partibus arenæ, & lapilli, quæ fortè permiscentur farinæ, nam hæc non censentur componere panem usualem, ut illa priora.

426 §. 7. Quamvis *Cajet.* doceat, idque Arr. *d.* 30. *n.* 7. & Herincx *d.* 2. *n.* 15. probabile esse putent, quod panis lacte subactus sit materia idonea consecrationis, eò quòd sæpe pinsatur talis panis, tamen certò est illicita, & probabilius etiam invalida, uti & subactus aqua rosacea, secundum communem cum Dian. *p.* 9. *r.* 9. *R.* 58. & Tann. *d.* 5. *q.* 2. *n.* 110. contrà *Valent. Sà*, & alios, quia non est panis usualis, sed panis cum addito, dulciarius, vel placenta. Similiter si vinum coqueretur cum pane, nec panis, nec vinum esset consecrabile, quia non esset simpliciter panis aut vinum, sed aliquod tertium artificiale decoctum, *Diana* suprà.

427 §. 8. Ut panis sit usualis, debet coqui, vel in furno, vel supra cineres, vel inter ferri calidi laminas, vel saltem in vase fictili, ut docent Authores communissimè cum Tann *n.* 109. Unde si in aqua coqueretur, aut ad solem exsiccaretur, aut frigeretur in oleo, non valeret pro consecratione, Amic. *d.* 16. *n.* 11. Averst. *q.* 2. *s.* 3. Bern. *q.* 27. *n.* 13. Ratio utriusque partis est, quia alioquin non est verè, & simpliciter panis, qualis in usu est, & qualem Christus creditur adhibuisse: moraliter autem non est alius, sive hoc, sive illo ex prioribus modis coquatur. Quòd si panis semel coctus manu humectetur, & quasi reducatur in massam, manet materia consecrabilis, quia illa humectatio non tollit rationem panis, quam accepit per coctionem, nec panis reducitur in puram massam, Vasq. Arr. *n.* 8. Averst. suprà, Bern. *n.* 15. Addit cum aliis Lugo *d.* 4. *n.* 5. si è pane inter digitos compresso excludatur vinum, cum quo panis faciebat offam, hunc panem reddi consecrabilem, quamvis in hoc repugnent *Trull. & Fagund.* apud *Dian.* suprà: imò videtur probabilius cum Amic. *n.* 36. panem vino imbibitum esse materiam aptam, quia est vere panis, & habet rationem cibi.

428 §. 9. Quando 1. *ad Corinth.* 5. *v.* 6. & ad Galat. 5. *v.* 9. dicitur, quod modicum fermentum totam massam corrumpat, sensus est, quod pervadat, & alteret, sed non ideò: ita corrumpit, ut tollat rationem panis usualis: rectè tamen notant S. Th. *a* 4. *ad* 4. & Dicast. *à n.* 46. si fermentum nimis diu inhæreat farinæ, posse induci tantam corruptionem, ut non maneat aptitudo ad panem usualem, unde per panem fermentatum, qui dicitur validè consecrari, intelligimus illum, in quo fermentum eò usque tantum relinquitur agere, ut elevet quidem farinam, attamen relinquat naturam panis usualis.

429 §. 10. Quamvis panis azymus apud nos non sit in usu, tamen adhuc est panis usualis, quia fit, uti communiter fiunt panes, subigendo farinam aqua naturali & coquendo per ignem, eratque in usu, certis saltem diebus, tempore Christi; quod autem nunc imponatur fermentum est, quia sic fit sapidior, magis conducit valetudini, diutiùs servatur.

430 §. 11. Sacerdos Græcus, non tantùm in Græcia, sed etiam in templo Græcorum apud Latinos stabiliter constituto celebrans, tenetur sub mortali consecrare in fermentato: E contrà Latinus, non tantùm in Latio, sed etiam in templo Latino apud Græcos constituto tenetur in azymo, hoc ipso enim, quòd eis ibi permittatur templum, habent se, sicuti si essent in sua patria, Dian. *p.* 10. *t.* 16. *R.* 40. Dicast. *d.* 2. *dub.* 4. qui addunt consequenter, Latinum non posse Romæ in templo Græcorum consecrare in fermentato, nec Græcum in templo Latinorum in azymo: si autem Græcus aut Latinus ibi domicilium fixerit, ubi non est templum sui ritus, tenetur se accommodare huic alteri ritui, quia censetur ad hunc jam esse translatus, Suar. Con. Dicast. Tamb. *de commun. c.* 2. §. 9. *n.* 7. E contrà si alicubi sit peregrinus, ubi non est templum sui ritus, potest celebrare in utroque pane, quia peregrinus potest se accommodare legibus loci, in quo est, etiamsi repugnent legibus loci, in quo habet domicilium, Nav. Sanch. Con. *q.* 74. *n.* 100. contra Vasq. & Averst. *q.* 2. *s.* 4. qui putant quemque ubivis teneri servare ritum suæ Ecclesiæ: quod consilii est, quamvis per notabile etiam tempus ibi moretur, dummodò hìc non fixerit domicilium, Con. Tamb. *num.* 9.

431 §. 12. Probabilius est, quòd non liceat Sacerdoti Latino consecrare in fermentato, etiam pro necessitate Viatici, quia licèt præceptum Viatici sit divinum, & præceptum non utendi fermentato sit humanum, tamen prius præceptum est affirmativum, quod non obligat nisi quando commodè fieri potest, & in debitis circumstantiis, neque Eucharistia est ita necessaria, ut ideò præceptum tam convenientis ritus negligi debeat, Sot. Suar. Henriq. Fill. Laym. Dicast. Dian. suprà. Castrop. *hic p.* 4. *n.* 5. præter citatos à *Busembaum*, contra Majorem, cujus sententiam Tann. & Gob. *t.* 3. *n.* 42. dicunt se non audere damnare, secluso scandalo, & perturbatione: nolant tamen priores Authores, faciliùs concedendum Græco, ut in tali necessitate consecret in azymo. Addit Diana *supra*, ad evitandam mortem licitum fore etiam Latino consecrare in fermentato, præcepta enim humana non obligant cum dispendio vitæ.

432 §. 13. Secluso scandalo est tantum veniale sine rationabili causa consecrare hostiam fractam, vel non integram, vel maculatam, nisi fractura vel macula esset enormis, Quarti *in Rubr. Miss. p* 3 *d.* 10. *n.* 19. *dub.* 1. Pasqualig. *de Sacrif. q.* 220. Si tamen post oblationem deprehendat fracturam, aut ipsemet frangat, licitè eam consecrabit. Quòd si timeat scandalum, petat aliam hostiam, & priorem post ablutionem, vel purificationem sumat, aut etiam reservet, ut post Missam, à quocunque reverenter absumatur, Gob. *n.* 832.

433 §. 14. Con. *q.* 74. *n.* 89. docet cum aliis, quod insurgente necessitate, v. g. dandi Viatici, hostia aliquantùm corrupta consecrari possit; sed alii melius negant, quia præceptum Viatici non obligat, nisi quando Eucharistia decenter, ac reverenter consecrari, ac sumi potest.

DUBIUM IV.

Quale vinum sit materia Eucharistiæ.

434 REsp. I. Solum vinum vitis, ut docet fides, & definitum est *in Florent. Unde resolves:* „

I. Non est materia apta ad validam consecrationem, 1. Sicera, & quicunque liquor ex moris, malogranatis, &c. sive dicatur vinum, sive non 2. Agreste, sive omphacium, id est, succus de uvis „ im-

„ immaturis expressus, quia non est vinum, sed in via „ ad vinum, cujus naturam nondum induit, habet- „ que se sicut massa cruda respectu panis. Laym. *l.* 5. „ *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 5. & 6. Succum tamen ex uvis passis „ expressum consecrabilem esse putat Amicus apud „ Dian. *p.* 7. *t.* 12. *R.* 8. eò quòd verum sit vinum. 3. „ Acetum, quia est vinum substantialiter corruptum. „ *Ibid.* Quòd si post sumptionẽ (imò etiam ante eam, „ post consecrationem calicis) dubium incidat, fue- „ ritne acetum, an vinum, esse præsumendum, quòd „ fuerit vinum, docet Tamb. *l.* 2. *de exped. sacrif. c.* „ 8. 4. Uvæ, seu vinum intrà uvas contentum, vel „ imbibitum in offa panis; tum quia non tam est po- „ tus, quàm cibus: tum quia succus ille non dicitur „ propriè vinum, donec sit expressus; tum quia in „ eo statu non satis ad sensum demonstratur per for- „ mam Lugo *d.* 4. *n.* 11. & 12. Laym. *&c.* 5. Sapa, „ seu defrutum, id est, mustum, ad dimidiam, seu „ tertiam partem decoctum: quia non est ampliùs „ vinum, nec potus sed cibus Bonac. *l. c.* 6. Lora, „ id est, aqua expressis acinis superfusa, Fill. *t.* 4. *c.* „ 3. Lugo *num.* 9.

„ II. Valida quidem consecratio, sed illicita est, 1. „ In musto, quia non est vinum simpliciter, sed im- „ purum, habens admixtas fæces non consecrabiles: „ ideóque obstat præceptum Ecclesiæ, obligans se- „ cundùm *Suar.* sub mortali, saltem extra necessita- „ tem, qualis esset defectus vini veteris; & secun- „ dum quosdam, etiam devotio populi: quo modo „ multi excusant contra *Suar.* quòd in quibusdam „ locis primitiæ uvarum in calice exprimantur. V. „ Bonac. *l. c.* 2. In vino, liquoribus aliis, vel aro- „ matibus ita modicè permixto; ut naturam vini re- „ tineat. Si verò permixtio sit immodica, erit mate- „ ria dubia. 3. In vino acescente, quia adhuc est vi- „ num, sicut panis mucidus est panis. 4. Probabilius „ est etiam in vino congelato, (etsi à quibusdam „ propter negantium authoritatem, dicatur esse ma- „ teria dubia) tum quia adhuc retinet substantiam, „ & denominationem vini, estque natura sua pota- „ bile: tum quia Christus sub eo ante consecrato „ manet, Lugo *l. c.*

„ *Nec refert* 1. quòd aqua congelata non sit ma- „ teria Baptismi, *quia* hic essentialiter consistit in a- „ blutione, Eucharistia verò non in sumptione. „ *Nec refert* 2. quòd non sit proximè potabile, *quia* „ est per accidens; & facilè tolli potest estque par ra- „ tio in pane indurato. Non est autem idem in li- „ quore nondum ex uvis expresso; quia cum non sit „ vinum, simpliciter & per se, natura sua non est po- „ tabilis, sed comestibilis: quod vino congelato non „ convenit, alioqui enim jejunium frangeret. Bon. *l.* „ *c. p.* 2. *n.* 10.

„ Peccat tamen, qui in congelato consecrat, ideóq; „ si hyeme congelavit calix, calore manuum aut hali- „ tus, aliove modo regelandus est. Fill. *c.* 3. Laym. *c.* 2.

„ II. Valida, & licita est consecratio in vino, sive „ albo, sive rubro, etsi etiam specie physica differant, „ cum utrumque habeatur, & sit simpliciter vinum „ de vite, Bon. *n.* 2. Lug. *d.* 4.

„ Resp. II. Vino consecrando debet, non ex ne- „ cessitate Sacramenti, sed gravis præcepti, sub mor- „ tali obligantis, secundùm Lug. *d.* 15. *n.* 22. mis- „ ceri aqua. Idque cæremonialiter, & in ordine ad „ Sacrificium. Est certum, ut constat ex Trid. *s.* 22. „ *c.* 7. & 9. an autem aqua ista immediatè conver- „ tatur in Sanguinem, necne: disputant Schol. V. „ Kon. vel *Prap.* hic Lug. *d.* 4. *s.* 3. *Unde resolves*: „ I. Si mixtio hæc omittatur, valida tamen est „ consecratio etsi illicita mortaliter. *Ita omnes* „ *comm.*

„ II. Miscenda est aqua naturalis, eaque modicis- sima, ut habet *Florent.* una scilicet, vel altera gut- „ ta; ita tamen, ut sit sensibilis, & saltem non ex- „ cedat tertiam partem vini, alioqui redderet materiam „ dubiam. Bon. *q.* 4. *n.* 4. ex S. Th. Kon. &c. Qui „ autem misceret rosaceam, vel aliam artificialem, „ etsi in necessitate, etsi validè consecraret; pecca- „ ret tamen mortaliter, D. Th. Mol. Dian. *p.* 6. *r.* „ 7. *R.* 18. quia ageret contrà præceptum, & con- „ suetudinem Ecclesiæ in re gravi. Quam ob causam „ etiam mortale censet Fagund. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 4. *&c.* „ miscere calidam: quod tamen aliis quibusdam ni- „ mis durum videtur apud Dian. *l. c.* ubi addit ipse, „ si in frigidissima regione consuetudo id habeat, ne „ fortè vinum congelascat, posse sine ullo peccato „ fieri. „

III. Mixtio illa facienda est, non in dolio, vel „ ampulla aliove vase, sed in ipso calice; neque do- „ mi, sed in ipso Sacro, ut fit communiter, vel ante „ offertorium, vel certè immediatè ante Sacrum, ut „ fit apud quosdam. Idque vel ab ipso Sacerdote, ut „ in missa privata; vel à Subdiacono, ut in solemni, „ neque enim sufficit, si caupo illud diluerit. Bon. *l. c.* „

IV. Si mixtio hæc sit omissa, idque notetur an- „ tè consecrationem calicis, adhuc facienda est; se- „ cus, si post Bonac. *n.* 5. „

V. Præceptum hoc mixtionis non extenditur ad „ illam, quæ fit post communionem; ad ablutionem „ oris, & digitorum. V. de his Miss. Rom. Item „ Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 4. Laym. *l.* 5. *tract.* 4. *c.* 2. „

ADDENDA.

Quæst. 79. *Quid circa vinum, quod consecratur, sit præterea notandum?* R. Seqq. 435

§. 1. Per vinum de vite intelligitur tale, quale in vite crescit, quodque naturaliter haberi non potest nisi ex vite, vel saltem ex activitate vini de vite, uti *n.* 474. dicetur. Et videtur satis certum, quamvis videatur contradicere Bernal. *d.* 18. *n.* 17. De cætero non est absolutè necessarium, ut in vite creverit, nam esset materia valida, quamvis ex aqua miraculosè factum esset, uti & panis, si per miraculum fieret ex lapide, Arr. *d.* 7. *n.* 5. Dicast. *d.* 2. *n.* 76. Itaque tantùm excluduntur alii liquores, qui non sunt simpliciter tale vinum, quale est illud de vite.

§. 2. Si vinum imbutum in pane erumperet supra panem, aut si uva matura pungeretur, ita ut erumperet succus quasi in bullas, probabilius est cum *Suar.* & *Haun.* fore materiam consecrabilem: Arr. tamen *suprà*, & Dicast. *à n.* 89. putant oppositum esse probabile: Ratio nostra est, quia hoc, quod erumperet, desineret esse pars talis panis intincti vel uvæ, & esset demonstrabile, sicuti, si videam sanguinem erumpere è vulnere verè dico, hic est sanguis Petri. 436

Q. 80. *Quid notandum sit circa aquam vino admiscendam?* R. Seqq. 437

§. 1. Præceptum admiscendi aquam est Ecclesiasticum tantùm, uti habet communis cum S. Th. Suar. Dicast. *d.* 2 *dub.* 8. Avers. *q.* 2. *s.* 6. contra *Alensem*, *Hosium*, *Valent.*, *Henriq.*, *nam Florent.* in Decret. Eugenii IV. ad Armenos, dicit esse juxta canonum præceptum, & Trid. *sess.* 22. *c.* 7. expressè dicit esse præceptum Ecclesiæ.

Obj. 1. Florentinum dicit Christum instituisse hoc Sacramentum in vino aqua permixto. Similiter Conc. Aurelian. IV. dicit id esse à Christo institutum: item Carthag. III. dicit hanc esse Domini traditionem: denique Trid. *Catechismus* Rom. & SS. PP. apud Suar. *d.* 45. *s.* 2. dicunt Christum reipsa etiam consecrasse vinum aqua mixtum, ergo sicuti colligimus de necessitate Sacramenti esse vinum de vite, quia Christ. instituit, & consecravit in vino de vite, ita

debemus dicere de vino aqua mixto R. n. conſeq. nam tantùm volunt præiviſſe ſuo exemplo, quando Euchariſtiam inſtituit, ſed non ideò inſtituit, ut non aliter fieret, nam etiam inſtituit in pane azymo, id eſt inſtituens hoc Sacramentum uſus eſt pane azymo; item fortè pro more illorum temporum inſtituit in vino calido, inquit Bernal. *d.* 28. *n.* 29. Denique inſtituit priùs lotis pedibus diſcipulorum, &c. ſed non ideò abſolutè inſtituit aut præcepit, ut eſſet panis azymus, vel vinum calidum, vel ut prius laventur pedes. Itaque non ex eo præcisè colligimus aliquid eſſe ex inſtitutione, & præcepto Chriſti, quia Chriſtus illud fecit, ſed quia fecit, & aliunde, vel ex verbis Chriſti, vel ex authoritate Eccleſiæ, aut Patrum, Chriſti voluntatem declarantium, nobis conſtat tale fuiſſe Chriſti, non tantùm conſilium ſed præceptum.

438 §. 2. Quamvis hoc præceptum ſit Eccleſiaſticum tantùm & conſequenter Eccleſia in eo diſpenſare poſſet, attamen nunquam diſpenſat, ſed potiùs à celebratione abſtinendum eſt, uti habent Suar. ſuprà & Sporer *n.* 161. Imò Suar. *d.* 48. *ſ.* 2. dicit, ſi Sacerdos apud oblationem advertat aquam haberi non poſſe, debere abrumpere Miſſam: è contrà tamen Bonæſp. *d.* 2. *n.* 42. putat in circumſtantia, qua quis, qui nunquam ſumpſiſſet Euchariſtiam, deberet decedere ſine Viatico, poſſe inchoari Miſſam, & conſecrationem utramque fieri ſine aqua.

439 §. 3. Circa quantitatem aquæ admiſcendæ, notat Lugo *diſp.* 4. *n.* 38. ſi quinta vel ſexta pars aquæ admiſceretur, non videri faciendum ſcrupulum, quod admittit Bernal. *n.* 44. pro locis calidis, ſed pro frigidis, ſi admiſceatur octava vel decima; attamen Gob. *t.* 3. *n.* 62. dicit etiam pro locis Germaniæ poſſe vino mediocri miſceri quintam partem, quia non eſt credibile vinum eſſe adeò debile, ut tam modica aqua corrumpatur, quod verum eſt, ſi vina ante non ſint nimiùm diluta ab œnopolis; unde tutius eſt parum affundere, inquit S. Th. *ar.* 7. *in O. & ad* 1. addit ſufficere guttulam; dummodò ſit ſenſibilis quando affunditur.

440 §. 4. Si mixtio aquæ omiſſa ſit, & ſuppleatur ante conſecrationem, repeti debet oblatio calicis, quia nihil conſecratur, niſi oblatum fuerit, aqua autem nullo modo oblata fuit.

441 *Q.* 81. *Quid agendum ſit, ſi dubitetur, an in Calice ſit acetum?* R. De hoc dicetur *l.* 6. *p.* 2. *n.* 546.

DUBIUM V.

442 *Quæ conditiones ad materiæ conſecrationem requirantur.*

„ RESP. I. Ad validam conſecrationem requirun-
„ tur duæ conditiones. I. Eſt, ut materia Sacer-
„ doti conſecranti, moraliter, & ſenſibiliter ſit præ-
„ ſens: Ita communiter; & eſt certum. Ratio petitur
„ tum ex inſtitutione Chriſti, & verbis formæ, *Hoc*,
„ & *Hic*, quæ non verificarentur, cum ſint demonſ-
„ trativa: tum ex perpetua Eccleſiæ praxi nunquam
„ conſecrantis, vel etiam benedicentis res abſentes:
„ tum etiam ratione Sacrificii, quod requirit hoſtiam
„ præſentem. V. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 6. Laym. *l.* 5. *t.*
„ 4. *c.* 2. *Unde reſolves*:

„ I. Validè conſecratur vinum in calice cooperto,
„ vaſe vel cantharo clauſo; panis in caniſtro; hoſtiæ
„ in ciborio, vel in cumulo ſub aliis latentes, aut ali-
„ ter tectæ, v. g. ſub corporali, vel mappa, aut etiam
„ in Miſſali, ut ex *Suar. Henriq. Kon.* docet *Bonac.*
„ *contra Laym.* unde hoc poſtremum dubium videri
„ poteſt; & ſaltem peccaret graviter, qui ſic tectas,
„ aut latentes conſecraret. Item validè conſecrantur
„ hoſtiæ præſentes, à cæco, vel alio ſacerdote in tene-
„ bris. Ratio horum omnium, quia ad præſentiam, &
„ ſenſibilitatem non requiritur, ut materia videa-
„ tur, vel tangatur, vel feriatur ſono verborum, (un-
„ de communiter non probatur praxis eorum, qui os
„ proximè admovent ut halitum in calicem, & pa-
„ nem inſpirent) dummodò videri poſſit ſive in alio,
„ v. g. in ſuo toto, vel continente, vel vaſe ad illam
„ continendam deſtinato. V. Bon. *p.* 5.

„ II. Invalidè conſecratur 1. Materia poſt pariem,
„ aut poſt tergum poſita, vel clauſa in tabernaculo, ut docet Fill. Bon. *p.* 6. *& alii*. Ratio, quia
„ moraliter cenſetur abeſſe, cùm non poſſit demonſ-
„ trari per Tò *hoc*, vel *hìc*, neque paries habeat ſe ut
„ continens, aut tegens. 2. Materia valdè procul, v.
„ g. 100. paſſibus diſtans, etſi videri poſſit. Ratio eſt
„ eadem. Quanta autem propinquitas ſufficiat, du-
„ bium eſt, & ex morali prudentum judicio pendet
„ Henriq *l.* 8. *c.* 34. docet 20. aut 30. paſſuum, quod
„ Bon. *l. c.* & alii putant non eſſe certum: V. Schol.
„ 3. Materia tam modica, ut ſenſu percipi non poſ-
„ ſit: tum quia non poteſt demonſtrari: tum quia
„ Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile. Ita *Suar.*
„ *Vaſq.* & alii contra Sotum, Herincx. Quod intellige,
„ ſi non ſit in toto, ſed extra illud, quia in toto
„ etiam minimæ ejus particulæ conſecrantur, ut conſ-
„ ſtat ex Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 3. & 4. Bon. *l. c.*

„ Secunda conditio, ut materia ſit certa, & à con-
„ ſecrantis intentione, & in individuo determinata.
„ Eſt communis apud *Bon.* & alios, tum quia hoc re-
„ quirunt pronomina *Hoc*, & *Hic*; tum quia actiones
„ ſunt circa ſingularia, quæ debent eſſe certa, & de-
„ terminata, V. Bon. *p.* 5. *Unde reſolves*:

„ I. Invalidè conſecraret, qui vellet tantùm con-
„ ſecrare tertiam, vel mediam hoſtiæ, partem
„ eam determinando, vel ex multis, v. g. vi-
„ ginti præſentibus, tantùm quatuor autquin
„ que, nulla deſignando, quia non eſt ratio,
„ cur una magis quàm altera conſecraretur. Item qui
„ ex multis hoſtiis intenderet illas conſecrare, vel il-
„ las partes hoſtiarum aut vini, quas Deus elegerit,
„ aut Titius deſignarit; aut partes illas, quæ fractis
„ ſpeciebus ſunt menſuræ in continuo, non quæ exci
„ dent, quia non eſt materia definita. Bon. *l. c.*

„ II. Non conſecratur hoſtia, inſcio Sacerdote po-
„ ſita, ſive in Corporali (ſejuncta tamen à cumulo)
„ ſive intra illud, Kon. 3. *p. q.* 74. *a.* 2. *ad* 3. *& alii*. Ra-
„ tio, quia non eſt determinata in mente Sacerdotis,
„ cujus voluntas non fertur in incognitum. Similiter
„ non conſecrantur guttæ, quæ exteriùs calici adhæ-
„ rent, quia non intenduntur. Imò ut probabiliùs
„ docet Suar. Regin. *l.* 29. *c.* 2. Laym. *c.* 9. Kon. *dub.* 3.
„ contra *Tann. & Bon.* nec eæ guttæ, quæ interiùs ad-
„ hærent, quæ intentio Eccleſiæ eſſe videtur, ideó-
„ que & Sacerdotis eſſe debet, conſecrari id, quod
„ per modum unius continui eſt in calice. Unde ne
„ opus ſit de detergendis guttis ſolicitum eſſe, bene
„ faciet Sacerdos, ſi ſemel pro ſemper intendat eas
„ non conſecrare; uti nec micas hoſtiis adhærentes.
„ V. Dian. *p.* 2. *t.* 3. *miſc. R.* 16. *& p.* 3. *t.* 4. *R.* 32. Eſcob. *t.*
„ 7. *E.* 6. ubi docet, Sacerdotem vi particulæ, *Hic*,
„ tantùm intendere id conſecrare, quod per modum
„ unius continui potabilis eſt in calice; ideóque gut-
„ tulas illas non conſecrari. Quæ ſententia probabi-
„ lis eſt ex Regin. Suar. Layn. *n.* 15.

„ III. Valida eſt conſecratio, 1. Si Sacerdos inten-
„ dat conſecrare ex pluribus hoſtiis præſentibus tan-
„ tùm quinque, eas determinando; vel omnes præter
„ infimam, & ſupremam cumuli; vel omnes pares,
„ v. g. ſecundam, quartam, ſextam, ſeu ordine col-
„ locatæ, & determinetur, unde numerandi initium
„ ſumendum ſit, quòd tamen grave peccatum erit.
„ Quòd ſi autem hoc vel alio caſu, non conſecratæ
„ miſceantur conſecratis, totus cumulus ad altare eſt
„ deferendus, ut Sacerdos intendat conſecrare non
„ conſecratas,

„ consecratas, vel potiùs totum cumulum consecret „ sub conditione, si non sint consecratæ: Lugo *d.*4. „ *n.*36. 2. Etsi putet unam, vel duas, vel sex hostias „ consecrandas adesse, cum sint plures, sive à se, sive „ alio positæ, quia error speculativus, & privatus non „ obstat intentioni prædictæ, & absolutæ consecran- „ di omnes præsentes, quam tanquam Ecclesiæ con- „ suetudini conformem, quisque censetur habere „ implicitè, ut docet *Sylv. Henr. & Suar.* Unde si Sa- „ cerdos advertat post consecrationem, esse duas si- „ mul junctas, utramque ut consecratam sumet, ut „ habet Missale. Si verò ante consecrationem, post- „ quàm obtulit, advertat, alteram seponet, & post „ Missam ipse, vel alius sumet tanquam panem be- „ nedictum. 3. Si quis plures hostias ad altare tulerit „ aut ratinabili modo advertit, ab alio adferri à se „ consecrandas, vel ante Sacrificium monitus fuerit „ de consecrandis in altari jam positis. Ratio, omnes „ enim consecrantur, etsi dum consecrat, earum non „ ita expressè meminerit, aut etiam ad oblationem „ non detegat, modò sint præsentes in Corporali, vel „ saltem in altari. Ita Regin. *n.*19. Laym. *c.*2. Bon. *q.* „ 2. & alii ab ipso citati: Estque sententia in praxi „ tuta quia intentio præcedens, respectu illarum vir- „ tualiter perseverat. 4. Si parvæ hostiæ pro commu- „ nicando populo afferantur Sacerdoti paulò post „ factam oblationem, (addit Aversa. *q.*11. *s.*12. ante „ cæptam præfationem) licitè eas consecrari sup- „ pleta oblatione mentaliter, ex Gavant. & Possev. „ docent Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 71. & Tamb. *de ex-* „ *ped. Sacrif. l.* 2. *c.* 5.

„ Resp. II. Ad licitam materiæ consecrationem „ requiritur, 1. ut non sit major quantitas, quàm „ tempore opportuno possit absumi, quia periculum „ esset ne species computrescerent, Bon. *l.c.*2. Ut ab „ usu Ecclesiæ, præsertim in Missali præscripto, non „ recedat, *Ex dictis resolves:*

„ Peccat 1. Qui vas, in quo hostiæ consecrandæ „ sunt, non aperit. 2. Qui consecrat materiam posi- „ tam extra Corporale. 3. Qui intendit consecrare „ guttas calici adhærentes exteriùs, quod esset grave; „ de interiùs adhærentibus est dubium (quia non „ constat satis de mente Ecclesiæ) ad quod evitan- „ dum, Gavantus *par.*2. *t.*7. jubet eas abstergi, quod „ consuetudo probat: Qui tamen id omittit, eum non „ peccare, docet Tamb. *l.*3. *c.*11. §.3. imò nec expedire, „ si eas advertas, quando discooperto calice, jam „ jam es consecraturus, & elevationem populus ex- „ pectat; Post consecrationem autem nullo modo „ sunt abstergendæ. 4. Qui ante consecrationem ita „ statueret: Nolo consecrare hostias appositas, nisi „ tempore consecrationis, vel saltem oblationis fue- „ ro memor; ita *Prap.* hic *art.* 2. *ad* 3. Laym. *l.c.* „ etsi Tamb. §.3. eo casu nullum peccatum agnoscat.

ADDENDA.

443 Q*Uæst.* 82. *Quid præterea sit notandum circa præ-sentiam, & determinationem materiæ consecran-dæ?* R. seqq.

§.1. Materia consecranda tum dicitur moraliter præsens quando potest demonstrari humano modo ad sen- sum per pronomen, *hoc*, vel *hic*, independenter ab omni alio signo sensibili, Suar. *d.*43. *s.*5. Ber. *d.*29. *s.*1. & 2. Di- cast. *d.*2. *dub.*1. Hinc licèt panis infra pedem positum posse demonstrari per Tò, *hoc*, simul eò intento digi- to, aut accedente nutu, tamen non potero consecrare; uti habet communior cum Dicast. *n.*203. quia absen- te alio signo non demonstretur ad sensum per Tò, *hoc*, putat tamen Bernal. *n.*12. contra Lugo, hostiam positam post tergum, & in speculo ante Sacerdotem existenter repræsentatam posse consecrari, quia ipsa est, quæ videtur in speculo, per quod fit moraliter præsens, & ad oculum demonstrabilis. Idem dicunt Dian. *p.*10. *t.*16. *R.*41. Arr. *d.*30. *n.*17. Amic. *d.*16. *n.* 123. Dicast. *n.*192. contra Sot. & alios, si quis hostiam tangat, vel in manu teneat post tergum, quia si manu teneam pomum à tergo, possum alicui dare, dicendo, accipe hoc pomum: Imò consecrationem valere pu- tant *Vasq. & Bernal.* si quis proferens formam digi- to ostendat panem post tergum existentem, sicuti de hominibus sequentibus à tergo, posset dicere, hi sunt famuli mei; quod etiam videtur approbare *Arr.* supra, sed in hoc probabiliùs contra dicunt *Con.* & alii, quia res ejusmodi non demonstrarentur per pronomen, *hoc*, independenter ab omni alio signo sensibili, sed simul per nutum aliquem

§. 2. Materia posita à latere validè consecratur, 444 dummodò censeatur adhuc moraliter esse ante conse- crantem, quod requiritur; hinc hostiæ non consecra- rentur, si in ciborio positæ essent, non in altari, sed in credentia ad latus, Dicast. *n.*205.

§. 3. Si quis notasset unam hostiam, v. g. rubri- 445 ca & postea miscuisset multis aliis velletque illam solam notatam consecrare, si hæc ita lateat sub aliis, ut jam nullo sensu percipiatur, non consecrabitur, quia non est moraliter demonstrabilis, non in se, uti supponitur, nec in alio, quia licèt contineatur in ci- borio, hoc tamen demonstrato non magis demons- tratur ipsa, quàm quæcumque alia, ergo pronomen, *hoc*, non censebitur determinatè afficere ipsam. Lugo, Bernal. *n.* 59. Non est autem opus determinationem intentionis circa materiam ullo signo externo mani- festari, quidquid contradicat Platel. *n.*325. quia etiam necesse non est ut intentio externè manifestetur spe- ciali aliquo signo.

§. 4. Si velles illas solas consecrare, quas Petrus 446 de facto designaret præ aliis, probabile est, quod con- secrares has designatas à Petro, quia *posita* Petri de- signatione tanquam præsuppositæ conditione actu existente, pronomen, *hoc*, quod profers, videtur se so- lo demonstrare illas hostias: Oppositum tamen vide- tur probabilius, quia consecrans nesciens istam de- terminationem Petri non censebitur *ipsemet* per pro- nomen demonstrare, neque pronomen demonstrabit independenter à Petro, Dicast. *n.* 219. Platel *n.* 324.

Q 83. *Quid præterea circa determinationem in-* 447 *tentionis in consecrante sit notandum?* R. Exposui *à n.* 54. qualis in Ministro Sacramentum conficiente re- quiratur intentio. *An* 62. dixi de errore, & erronea intentione Ministri. *An* 78. de intentione conditio- nata, &c. quæ etiam huc spectant; suntque præte- rea addenda seqq.

§. 1. Quoad consecrationem hostiæ principalis 448 non est difficultas, vix enim possibile est, ut pro hac absit intentio sufficiens secundùm dicta *n.* 59. E con- trà quoad intentionem consecrandi hostias minores appositas, major est difficultas, nam si Sacristanus te advertente ciborium consecrandum posuerit in Cor- porali, & intenderis consecrare, communis senten- tia est, cum Castrop *p* 6. *n.* 3. Dicast. *n.* 216. *Busem- baum* suprà, consecrandas, licèt postea ad illas non ampliùs habueris expressam reflexionem. E contrà si ciborium te advertente fuisset positum extrà Corpo- rale, quamvis sciviss̄es debere te consecrari, si tamen consecrans non reflexisti te ad *illas*, probabilius vi- detur cum Suar. Dian. Castrop. Gavant. Less. Aversa. *q.* 2. *s.* 2. §. *Quartò*, Tamb. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 1. §. 3. non fore consecratas, quia noluisti consecrare extrà Cor- porale, hoc enim velle fuisset peccatum mortale, ergo videris tantùm habuisse intentionem consecran- di, si assumeres in Corporali. Probabile tamen etiam est cum *Prap. Tann.* & aliis fore consecratas, quia

quamvis

quamvis nolueris consecrare extra Corporale, tamen potuisti velle absolutè consecrare, non cogitando de Corporali, nec de assumendo in Corporali: aut quamvis volueris assumere, tamen adhuc potuisti absolutè velle consecrare, quamvis per oblivionem non assumeres. Itaque cùm res sit dubia, in praxi tales hostiæ erunt de novo in alia Missa sub conditione consecrandæ. Non licere autem repetere formam super minores hostias, si oblitus sis consecrare cum majore hostia, dicetur *l.* 6. *p.* 2. *n.* 243.

459 §. 2. Si Sacerdos specialiter nihil intenderit circa consecrationem guttarum vini, quæ intra calicem sunt separatæ à vino, quod est in fundo, præter citatos à *Bosemb.* negant consecrari *Dian.* & *Hur.* Dicunt consecrari Præp. Rhod. *suprà*, Dicast. *n.* 223. sed *Con. Castrop.* suprà, & alii distinguunt, putant enim non consecrari guttas remotas, attamen consecrari vicinas, quæ levi agitatione Calicis misceri possent, quia hæ censentur facere unum moraliter cum vino, quod est in fundo: sententiæ omnes sunt probabiles, sed secunda videtur probabilior. Pro praxi suadet Platel. *n.* 328. si quis statim ante consecrationem advertat tales guttas vicinas, ut levi inclinatione Calicis misceat cum reliquo vino, si autem sint remotiores, dicit, ut vel abstergat, vel excludat ab intentione, sed etiam posset includere in intentione, ne in calice sit vinum, quod non consecretur: contrà tamen non debet intendere consecrare minimas particulas panis in patena, vel Corporali, sed tantùm quod contiguum est cum majore, aut cum minoribus hostiis in patena, vel corporali depositis. Aliud est de talibus particulis panis in ciborio contentis, neque enim periculum est has perdendi, unde intendere debet eas cum reliquis hostiis consecrare: nam omnes communiter censent omnes particulas in fundo ciborii repertas esse consecratas, quamvis intentio non sciatur fuisse specialiter facta circa illas.

Quomodo ille, qui ordinatur Presbiter, formare debeat intentionem consecrandi cum Episcopo dicetur *l.* 6. *p.* 2. *n.* 232.

460 *Q.* 84. *An materia consecranda admitti possit sub Canone?* R. Possev. Dian. Quart. Tamb. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. §. 2. Gob. *t.* 3. *n.* 85. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 28. dicunt posse acceptari sub canone, etiam usque ad consecrationem, saltem in eo casu, quo si non consecrarentur hostiæ, plures dimittendi essent sine Communione, oblatio enim mentalis, quæ tum fiet, manebit una moraliter cum priore. Si tamen unus tantùm homo esset dimittendus sine Communione, Gob. *n.* 86. potiùs suadet dari illi partem ex majori hostia; sed de hoc dicetur *n.* 508.

DUBIUM VI.

Quotuplex sit forma consecrationis Eucharistiæ.

461 „ RESP. Est duplex, una panis, & est hæc: *Hoc* „ *est enim Corpus meum.* Ubi omnia sunt de „ essentia, præter Tò *enim*, cujus omissio est veniale. „ Altera vini, & est hæc: *Hic est enim calix Sanguinis* „ *mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui* „ *pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem pec-* „ *catorum.* Ubi etsi verior, & communior sit sententia S. *Bonav. Suar. Bellarm.* & aliorum, contrà *S. Th.* „ & Thomist. quòd essentialia sint tantùm hæc, *Hic* „ *est calix Sanguinis mei* (vel, *hic, est Sanguis meus*, „ aut eis æquivalentia) graviter tamen peccaret, qui „ aliqua ex reliquis omitteret, vel mutaret. Debent „ autem formæ proferri in persona Christi formali- „ ter, significativè, sive assertivè, & non tantùm reci- „ tativè, sive historicè, licèt ea, quæ in Canone præ- „ cedunt, dicantur tantùm recitativè, seu historicè. „ V. Laym. *c.* 3. Bon. *q.* 3. *p.* 2. Card. de Lugo *d.* 11. „ *s.* 5. *Unde resolves*:

I. Valida, sed illicita est consecratio 1. S conse- „ crans dicat: *Hic cibus, hic potus, hi calix, vel hæc* „ *res, vel contentum sub his speciebus, est Corpus meum,* „ *vel Sanguis meus*, Bon. *p.* 1. 2. Si dicat: *Hic calix est* „ *novum testamentum, in Sanguine meo*, ut habet S. Lu- „ cas *c.* 22. 3. *Hoc est Corpus meum, quod de Virgine* „ *sumpsi: hic est Sanguis meus infiniti valoris.* 4. *Hoc* „ *est meum Corpus: hic est meus Sanguis*, vel *hoc est* „ *Sanguis meus*: Ratio horum, quia manet idem sen- „ sus, nec fit mutatio substantialis Bon. *l. c.* „

II. Invalida erit consecratio, 1. Si dicas: *Hic* (ad- „ verbialiter) *est Corpus meum.* Si autem Tò *Hic.* po- „ natur masculinè, pro neutro, valet, etsi non secun- „ dùm Grammaticam, Escob. Granadus 2. *Hoc Corpus* „ *est meum; hic Sanguis meus*, Fag. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 14. & 15. „ 3. *Ecce Corpus meum: Ecce Sanguis meus.* 4. *Hoc sit* „ vel *hoc fit Corpus meum*; vel *hic ponitur Corpus meum.* „ 5. *Illud est Corpus meum: Ille est Sanguis meus.* 6. „ *Hæc est substantia mea*, vel *hoc est Corpus Christi* „ Bon. *p.* 3. „

III. Dubia erit consecratio, 1. *Illud est Corpus* „ *meum, iste est Sanguis meus.* 2. *Hæc est Caro mea*: „ quàm tamen *Laym.* contra *Kon.* putat valere. 3. Se- „ cundùm quosdam forma ex S. Luca primo casu al- „ lata, Bon. *q.* 3. *p.* 1. & 2. Regin. *l.* 29. *n.* 33. „

ADDENDA.

Quæst. 85. *Quid præterea sit notandum circa ver-* 462
ba consecrationis? R. *Q*uandonam forma consecrationis censeatur mutari substantialiter vel accidentaliter tantùm, satis intelligitur ex dictis *à n.* 18. & 29. Hìc adde seqq.

§ 1. Tò *hoc*, & Tò *hic*, explicari possunt dupli- 463
citer, vel ita, ut faciant hunc sensum, hæc res aut hæc substantia, quæ in fine propositionis continetur sub his accidentibus, *est Corpus, est Sanguis meus*; & ita intelliguut *Suar. Tann.* aliique communiùs: vel pronomina illa possunt referri ad prædicatum, ita ut faciant hunc sensum: *Hoc Corpus est Corpus meum: hic calix est calix Sanguinis mei*, uti quando dicis, hæc est mea mater, sensus est, hæc mater est mea mater; & ita intelligunt Maldon. Vasq. aliique cum Dicast. *d.* 3. *n.* 183. utrique valdè probabiliter, absolutè autem per Tò *hoc* intelligi non debet, hic panis, quia falsum est, quòd panis sit Corpus Christi, aut quòd maneat cum Corpore Christi. Similiter per Tò *hic*, intelligi non debet hoc loco.

§. 2. Per Tò *Meum & Mei*, intelligi debet Cor- 464
pus & Sanguis Christi, in cujus persona loquitur Sacerdos, unde si quis per Tò *Meum* vel *Mei* intelligeret tantùm suum corpus vel suum sanguinem Sacerdotis, consecratio esset invalida. Gob. *t.* 1. *n.* 205.

§. 3. In forma calicis, verba illa, *Novi & æterni* 465
testamenti, possunt facere duplicem sensum, nempè vel quod Sanguis Christi sit confirmatio testamenti, id est, promissionis, qua Christus nobis promisit vitam æternam per suum Sanguinem: vel quòd hoc Sacramentum Sanguinis Christi sit veluti propriè dictum testamentum, & quasi authenticum instrumentum, quo continetur ultima voluntas Christi, destinantis nos ad æternam hæreditatem, Suar. *d.* 59. & 60. *s.* 2. Gob. *t.* 3. *n.* 77.

Q. 86. *Quid agendum sit in variis dubiis circa* 466
prolationem formæ? R. videri debent dicta *à n.* 123. *usque ad* 133.

Q. 87. *Quid facere debeat Sacerdos, qui in Mis-* 467
sa sit dubius vel perplexus? R. de hoc dicetur *l.* 6. *p.* 2. *à n.* 533.

Q. 88. *Quid specialiter sit addendum de scrupu-* 468
lis in hac materia? R. De his dicetur *l.* 6. *p.* 2. *à num.* 190.

DUBIUM

DUBIUM VII.

469 *Quamdiu Christus maneat in Eucharistia.*

„ Resp. Manet sub speciebus etiam divisis, & sub „ quavis earum minima parte, donec tanta ea- „ rum fiat mutatio, ut consueta substantia panis & „ vini corrumperetur. Ita commun. cum S. Thom. „ Et est certum. *Unde resolves.*

„ I. Gratia datur in prima manducatione, etiam „ primæ partis; cum sit totum Sacramentum; man- „ ducatio autem, dicitur trajectio ex ore versus sto- „ machum, etsi alii dicant gratiam tum primum „ dari, cum pars aliqua est in stomachum recepta. „ Dian. *p.* 3. *t.* 6. *misc. R.* 96. ex Henr. Sylv. & Fag. „ Item Lug. *d.* 12. *s.* 9.

„ II. Species non sunt retinendæ in ore tamdiù „ donec penitus pereant: quia tunc non manduca- „ retur Christus, nec gratia Sacramenti conferretur. „ Uti neque, si moriaris, dum hostia adhuc est in „ ore. Dian. *l. c.* contra Bec. *c.* 22. v Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 2.

„ III. Si quis partem vini vel hostiæ sumpsisset in- „ dispositus, & deinde se disponeret, acciperet ad- „ huc gratiam in sumptione alterius partis. Quod „ etiam aliqui, ut *Gob. Caj.* & alii, probabiliter di- „ cunt futurum, si se disponat, antequam species „ consumantur in stomacho, Dian. *R.* 96. ex Nu- „ gnov. Lugo *n.* 46. 53. & 64. ubi illud posterius ne- „ gat v. Bon. *l. c.*

„ IV. Non videtur reprehendendus laicus, qui „ desiderat esse Sacerdos, ut possit communicare sub „ utraque specie quòd putet plus gratiæ dari sub „ utraque, quàm una: quia id fieri non est improba- „ bile, ut docet Vasq. Mer. Lug. *s.* 3. & alii. Uti nec „ carpenda devotio illius, qui multum materiæ su- „ mit ad consecrationem, ea mente, ne tam citò in „ stomacho species consumantur, & sic diutiùs secum „ Christus maneat, & sæpiùs gratiam augeat, quod „ fieri non est improbabile, si dispositio subjecti „ fiat melior, ut docet Suar. Kon. item Fagund. „ & Becan. apud Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *misc. R.* 97.

„ V. Species per vomitum rejectæ, si tales sint, „ ut sub illis panis & vinum possit existere, verè „ sunt adorandæ; & si iterum sumantur, iterum „ conferre gratiam, docet Lugo *n.* 53.

„ VI. Etsi, modicum vini consecrati misceatur „ perfectè cum alio liquore, ita ut non maneret „ substantia vini, desinet ibi esse Christus; non ta- „ men desinit, si misceatur cum vino alio, saltem „ ejusdem speciei. Lug. *d.* 10. *s.* 3. Unde si gutta „ consecrata lapsa sit in dolium vini ejusdem spe- „ ciei, totum illud vinum adhibendum tantùm est „ pro Sacrificio; licèt quidam dicant bibi posse à laicis.

„ VII. Si species consecratæ liquorem specie di- „ versum sibi permixtum convertant in vinum, si- „ milis substantiæ ei, in quo facta est consecratio, „ species priores manent consecratæ; non item pos- „ teriores adjunctæ.

ADDENDA.

470 Quæst. 89. *Quid præterea notandum sit circa per- manentiam Christi in Eucharistia?* R. seqq.

§. 1. Quamvis materia ita minuta, ut nullo sensu sit perceptibilis, consecrari non possit, ut tenet communis cum Aversa *q.* 2. *s.* 2. §. *Tertiò*, tamen si materia consecrata posteà ita divideretur, ut tandem fieret insensibilis, adhuc retentura esset Corpus & Sanguinem Christi, uti habet Communior cum Suar. *d.* 43. *s.* 8. Arr. *d.* 30. *n.* 21. Lugo *d.* 4. *à n.* 108. Aversa. §. *Sed, &c.* Dicast. *d.* 2. *n.* 237. Platel. *n.* 322. contra Maj, Vasq. Merat. Amic. *d.* 16. *n.* 138. Castrop. *p.* 6. *n.* 6. nam sicuti plus requiritur ad rem primò ponendam quàm ad conservandam, ita plus requiritur, ad consecrationem acquirendam, quàm ad conservandam, unde si gutta vini consecrata infundatur mari, non ideò Christus desinet esse præsens. Posset que talis particula adhuc dici Sacramentum, quia maneret secundùm se sensibilis saltem per Dei potentiam, vel ut conjuncta aliis; sicuti tenuissimi pulvisculi, quamvis soli videri non possint, tamen videri possunt ut conjuncti aliis. Addit Arr. *n.* 25. non esse absolutè necessarium, ut Sacramentum etiam in facto esse physicè permaneat cum sensibilitate, sicuti non est necessarium, ut physicè permaneat in ratione cæremoniæ sacræ.

§. 2. Christus manet præsens. 1. Si hostia una con- 471
secrata permisceatur planè indiscernibiliter aliis non consecratis, aut cum aliis quibuscumque rebus, dummodò species panis non corrumpantur. 2. Si species 472
vini consecrati misceantur cum simili vino aut cum alio liquore, qui non haberet vim expellendi formam vini, si adesset, Suar. *d.* 57. *sect.* 4. Aversa *q.* 5. *s.* 6. ac manifestè colligitur ex cap. *Martha. De celebr. Miss.* Nec vinum profanum fiet consecratum per contactum vini consecrati, uti ex Inn. III. docet S. Th. *q.* 77. *a.* 8. *ad* 3. Suar. *concl.* 2. Communis cum Dicast. *d.* 2. *n.* 188. quia verba non ceciderunt super illud, nec hæ species habent vim alias consecrandi. *Nec obstat* 1. quòd in libro, cui titulus, Ordo Romanus, sic dicatur, vinum non consecratum, sed Sangnine Domini commistum, sanctificatur per omnem modum, *nam* non est sensus, quod consecretur, sed quod contactu reddatur venerandum, uti rectè Dicast. *d.* 7. *n.* 138. *Nec obstat* 2. quod aqua non benedicta affusa benedictæ tota reddatur benedicta, *nam* disparitas est, quòd benedictio aquæ sit forma extrinseca proveniens à voluntate Ecclesiæ extendente benedictionem ad partes etiam posteà admixtas sicuti Ecclesia etiam vult benedictionem olei non consecrati fieri per admixtionem cum consecrato, uti habetur cap. *Quod in dubiis.* 3. De consec. Eccl. vel Altar. quale aliquid non est pro consecratione vini speciebus sacris infusi.

§. 3. Etiam manet præsens Christus, 1. licèt sacræ 473
species incidant in sordes, aut sumantur à bestia, uti habet communissima contra S. Bonav. Magistrum & alios apud Aversam *s.* 9. §. *Secundò*, nam Gregor. XI. cujus Diploma ad longum refert Bosco *s.* 6. *n.* 78. sub excommunicatione prohibet opiniones illas publicè doceri, & patet ex praxi Ecclesiæ, quæ species sic reperdas mundat, exponitque adorationi. 2. Etiam quando species sumuntur à peccatore, uti certum videtur contra *Glossam*, cujus opinio prohibetur ab eodem Gregorio, & convincitur falsitatis à S. Th. *q* 80. *art.* 3. videtur enim esse contra verba Scripturæ dicentis corpus Christi manducari etiam indignè. Et confirmatur, quia Ecclesia Cap. *Si per* 28. de consec. dist. 2. imponit pœnã illi qui propter ebrietatem evomuerit Euchatistiam, ergo supponit Eucharistiam fuisse in stomacho ebrii. 3. Quamvis hostia dentibus comminuatur, uti habet idem Greg. nam non ideò recedet Christus, quasi patiatur, cum non tantùm ut habens dotes gloriæ, *sed* etiam prout hìc existens sine extensione, *sit impassibilis.*

§. 4. Christus desinit esse præsens 1. Si guttula vini 474
consecrati injiciatur alteri liquori, *supposito*, quòd hic liquor corrumpat species vini. 2. Si guttula vini consecrati injiciatur alteri vino non consecrato, sed potentiori, supposito, quòd hoc potentius vinum ita alteret species consecratas, ut si adesset forma prioris vini consecrati, hæc converteretur in formam hujus potentioris vini. 3. Si guttula vini consecrati injiciatur in potentius vinum consecratum, supposito, quòd vinum potentius convertat in se vinum impotentius, ita Suar. Arr. *d.* 39. *s.* 2. Dicast. *d.* 7. *num.* 135. Bernal. *d.* 38. *à num.* 55. Contra Lugo *d.* 10. *à n.* 44. Ratio est, quia tum species vini potentioris

tioris ita corrumpent ſpecies vini minus potentis, ut ſubſtantia *hujus* vini non manſiſſet, ſi adfuiſſet, ergo Chriſtus, qui determinatè huic vino ſucceſſerat, deſinet eſſe ſub his ſpeciebus vini impotentioris, & manebit tantùm ſub ſpeciebus vini potentioris. *Nec obſtat*, quòd ſæpè mutentur accidentia, verbi grat. frigus aut calor, ſub quibus erat facta conſecratio, & tamen Chriſtus maneat præſens, *nam* hoc non obſtante manſiſſet eadem numero forma vini, quæ per conſecrationem ejecta eſt, ergo etiam manebit Chriſtus. *Dixi* ſemper, ſuppoſito, an enim hoc fiat vel non, pertinet ad phyſicam, in qua aliqui affirmant, alii negant, & perinde eſt, quid quis ſentiat; in praxi tamen, ubi dubium eſt, an ſpecies corrumpantur necne, procedendum eſt, ac ſi non corrumpantur, ne Sacramentum, ſi fortè permaneat, exponatur periculo irreverentiæ: unde dicendum eſt cum Ric. Suar. Con. Tann. Bernal. *n.* 61. Dicaſt. *n.* 138. Averſ. *q.* 5. *ſ.* 6. in fine, contra *Palud. Sot. Henriq. Sa, Vivald.* ſi particula vini conſecrati immiſſa eſſet in dolium non conſecrati, hoc vinum non eſſe habendum veluti profanum, ſed aſſervandum ad uſus ſacros. Quamvis enim Lugo *n.* 52. dicat eſſe hoc durum, ratio tamen eſt, quia hoc videtur exigere reverentia erga ſpecies conſecratas, quæ non eſſent diſcernibiles à non conſecratis.

475 §. 5. Si ſpeciebus conſtanter diſparentibus appareat caro vel puer loco Euchariſtiæ, cenſendum eſt, quòd Chriſtus deſierit ibi eſſe præſens, & hoc, quod apparet, ſit tantùm ſignum vel imago Chriſti, hinc debebit Sacerdos conſecrare novam hoſtiam, ut compleat Sacrificium. E contrà ſi ſpecies tantùm ad tempus occultentur, cenſendum eſt Chriſtum manſiſſe ſub illis præſentem. Videri poſſunt S. Th. *q.* 78. *ar.* 8. Suar. *d* 55. Dicaſt. *d.* 6. *dub.* 6. *&* 7. Paſq. *q.* 302. *&* 303.

376 §. 6. Valde incertum eſt, quanto tempore Chriſtus maneat præſens in ſtomacho noſtro, quia incertũ eſt, intra quod tempus ſpecies corrumpantur. Peritiſſimus medicus apud Lugo *n.* 54. putavit in laico corrumpi intrà minutum, id eſt, ſexageſimam partem horæ; in Sacerdote autem intrà medium quadrantem, quod utrumq; approbat Bernal. *n.* 63. Et quamvis Promond. apud Boſco *n.* 115. requirat pro Sacerdote mediam horam; tamen Lugo dicit eum fore extra omne dubium & periculum, ſi ſpecies in ſtomacho habuerit per quadrantem: imò Arr. *d.* 39. *n.* 25. putat in laico corrumpi intrà 5. Pater & Ave, ita ut nullus ſcrupulus ampliùs poſſit reſtare; in Sacerdote autem vix eſſe dubitandum, quin corruptæ ſint, poſtquam abſolvit Miſſam, & veſtes Sacras exuit. Alii cum Plempio medico & Tamb. *de Comm. c.* 3. §. 4. meliùs dicunt, attendendum eſſe ad varias diſpoſitiones ſtomachi, qui enim calidum habent, citiùs concoquunt: è contrà, qui frigidum & pituitoſum, tardiùs maximè ſi ægroti ſint; hinc ſuadent omnes, ut intrà horam abſtineatur à vomitu, nam non ſemel docuit experientia, inquit Boſco *n.* 116. ſpecies Sacramentales non immutatas poſt horam à Communione fuiſſe rejectas, ſaltem ab infirmis: immutari autem regulariter in omnibus ſaltem intrà horam, docent omnes cum J. Sanch. *d.* 38. *n.* 2. & credo in quibuſcumque ſanis hominibus immutari ſaltem intrà quadrantem: unde exemplum de B. Roſa, apud quam ſacræ ſpecies in ſtomacho non immutatæ manſerint ad 7. vel 8. hor. adſcribendum eſt miraculo, inquit Gob *t.* 4. *n.* 162.

477 §. 7. Quandonam cenſeatur eſſe ſumptio ſive manducatio, & conſequenter quandonam hoc Sacramentum incipiat cauſare gratiam, dixi *n.* 415. Fatendum tamen eſt ſententiam, quam hìc tenet *Buſemb.* nempe tum eſſe ſumptionem, quando fit trajectio ex ore verſus ſtomachum, etiam eſſe probabilem. Denique ſi Euchariſtia ſuſcepta ſit cum obice, & obex removeatur, antequam Chriſtus deſinat eſſe præſens, dixi n. 200. cum probabiliori, quod Euchariſtia reviviſcat ad cauſandam gratiam.

CAPUT II.

De cauſis & ſubjecto Euchariſtiæ. 478

DUBIUM I.

De Cauſis.

AGo hìc tantùm de efficiente, id eſt, Miniſtro, in quo quid requiratur ad confectionem valida, conſtat tum ex dictis *de Sacram. in genere*, tum, ex ſuperioris capitis Dubio V. Quid ad licitam requiratur, patebit ex ſequenti dubio *de ſubjecto ſuſcipiente Euchariſtiam*: quia omnes diſpoſitiones, quæ ad dignè ſuſcipiendam ſunt neceſſariæ, requiruntur etiam ad licitam confectionem, cùm conficiens neceſſariò ſuſcipere debeat. Hic ergo tantùm quæritur, 1. Cujus ſit diſpenſare Euchariſtiam. 2. Quid ex parte Miniſtri requiratur ad licitam diſpenſationem.

Plura quæ obſervare vel cavere debet conſecrans, commodiùs addenda poſteà, in *l.* 6. *p.* 2.

ARTICULUS I.

Ad quem ſpectet diſpenſatio Euchariſtiæ. 479

REſp. Euchariſtiam diſpenſare, ex officio poteſt ſolus Sacerdos, habens juriſdictionem ordinariam, delegatam, aut ſaltem rationabiliter præſumptam, vel privilegium. Ratio, quia paſtorum proprium eſt paſcere, quod præcipuè fit per Sacramenta. V. Bon. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 1. C. de Lug. *d.* 18. *ſ.* 2. *Unde reſolves:*

I. Peccat mortaliter, qui ſine omni juriſdictione Euchariſtiam diſpenſat. Bonac. *p.* 2. quia violat alterius juriſdictionem, in re gravi. Inferior autem Sacerdote, incurret inſuper irregularitatem; ut docet *Kon.* hic. Religioſi etiã ipſo facto incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ſi (ſcilicet ſine licentia Parochi, & quidem ſpeciali) præſumant Clericis aut laicis dare Extremam. Unctionem, vel Euchariſtiam, vel Matrimonia ſolemnizare, niſi habeant privilegium; vel Parochus abſit; aut injuſtè nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione excuſare ignorantiam, etiam craſſam, ex Præpoſ. &c. not. Diana *p.* 5. *t.* 3. *R.* 51. idq; propter verbũ *præſumant*,

II. Licitè miniſtrat Euchariſtiam, qui præſumit rationabiliter Paſtorem factum ſuum approbaturum eſſe, Regin. *l.* 29. *n.* 91. Bon. *n.* 7.

III. Si infirmus ſacro Viatico muniendus ſit, & prius Paſtor abſit, vel præſens non poſſit deferre Euchariſtiam, quivis alius Sacerdos, vel regularis, vel ſæcularis, & hoc deficiente, etiam Diaconus, ei conferre poteſt, quia tunc præſumitur voluntas Epiſcopi, aut Papæ. Ita Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 7. Bonac. *n.* 10. ex Suar.

Dixi I. in reſponſione, *ex officio*: quia extraordinariè, in ſtatu neceſſitatis id poteſt Diaconus ex commiſſione Parochi (& ſecundùm Quintanad. ſi abſit, ſine ea) v. g. in magno feſto, quo Sacerdos confeſſionibus, concionibus, &c. eſt occupatus, Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 39. ex Præpoſ. In extrema verò neceſſitate, v. g. articulo mortis, ſi non eſſet alius, etiam Diacono, imò laico licere (ſecluſo ſcandalo) & alios, & ſe ipſum communicare, probabile eſt, ut contra Henriq. Vaſq. & Sa, docent Suar. Kon. Laym. Præp. hìc *d.* 2. *n.* 11. confirmatque Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 48. ex *Averſa & Franc. Lug.* Sed Amicus limitat ad caſum, quo moriturus peccati mortalis conſcius aliud Sacramentum ſuſcipere non poſſet.

V.

„ V. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 39. In praxi tamen id non „ facilè faciendum ob contrariam consuetudinem. „ Card. Lug. *s.* 2. Bon. *p.* 1 *Unde resolves.*

„ Probabile est, etiam extra mortis articulum, ex „ gravi causa, licere Sacerdoti, præciso scandalo, „ sacram hostiam sumere ex sacrario, vel à Diacono „ allatam, sibi ipsi dare, v. g. si in longo morbo „ diù non communicasset, ut contra Suar. & Kon. „ docet Fagund. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 3. Præp. Escob. *t.* 7. E. „ 6. Bon. *l. c.*

„ Dixi II. *Vel privilegium*, quale habent religiosi „ Mendicantes, & nominatim Societatis JESU, ex „ Pauli III. Bulla, & aliorum, ut scilicet in suis „ templis, per se, vel per alios Sacerdotes illic ce- „ lebrantes communicare possint quoscunque Chris- „ ti fideles, præterquàm in mortis articulo, (in quo „ tamen si urgeat necessitas, præsumitur ratihabi- „ tio Papæ, etiam invito Parocho, ut habet *Bonac.* „ hìc) & festo Paschatis. V. Lugo *num.* 38. *&* 49. „ Porrò per festum Paschatis, Pontifices hic videntur „ intelligere & prohibere Communionem illam, „ qua satis fit præcepto annuæ Communionis, ut „ docet Sa. Fill. *& com.* Per mortis articulum, intel- „ ligitur tempus, quo vel mors proximè instat, & „ moraliter certa, & inevitabilis est: vel quo est mor- „ tis periculum, id est, probabile dubium de vitæ „ conservatione, tali casu, quo valde frequenter „ mors solet accidere, Suar. *t.* 4. *de rel. l.* 2. *c.* 3. „ *&* 3. *p. d.* 26. *s.* 4. *& alii.*

„ Ex dictis *resolves*: quòd Regulares licitè dent „ Eucharistiam in articulo mortis, uti & in Pascha- „ te sequentibus casibus.

„ I. Si extrema sit necessitas; ut si periclitetur de „ salute æterna.

„ II. Si sit gravis necessitas, id est, probabile mor- „ tis periculum, & Parochus nolit, vel non possit „ dare. Lug. *n.* 53.

„ III. Si à Pontifice vel Episcopo habeant privile- „ gium; quale hoc tempore habent Religiosi aliqui, „ quibusdam locis ab Episcopis, dandi Communio- „ nem Paschalem.

„ IV. Si quis in Paschate non possit in sua Paro- „ chia communicare, nec petere veniam à Parocho.

„ V. Si ratione Communionis Paschalis Parochiæ „ suæ ante satisfecerint, aut posteà satisfacturi pu- „ tentur; quia tunc Parochis nihil decedit, cum „ ipso die Paschæ abstinere à Communione possint: „ Sic contra *Henriq. & Nav.* docet *Sa, Fill. & Laym.* „ qui addit, nisi constaret Parochum esse invitum, „ ac rationabiliter id prohibere, v. g. quòd aliàs ra- „ tionem communicantium habere in sua Parochia „ non possit; tunc enim ad Parochiam esse rejicien- „ dos. Lugo *n.* 50. Bon. *l. c.*

„ VI. Si ægrotus necdum pervenerit ad eum sta- „ tum, ut ex præcepto teneatur ad Communionem; „ etsi tunc maneat obligatus suscipere Communio- „ nem ex manu Parochi, in articulo mortis.

„ VII. Si ægrotus satisfecerit præcepto de Viatico, „ cum intentione illud implendi; quia administratio „ Eucharistiæ tantùm est vetita Regularibus, quando „ præceptum Communionis obligat. Nunquam ta- „ men, sine licentia Episcopi vel Parochi, licèt Reli- „ giosis publicè Eucharistiam deferre per plateas, „ cum id juri Parochorum, consuetudine obtento, „ deroget; proindè eo casu in ægroti oratorio, alio- „ ve honesto domus loco de licentia Ordinarii pri- „ vatim facto Sacro, Eucharistia est danda, Suar. V. „ Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 14. *& p.* 9. *t.* 9. *R.* 63.

„ VIII. Quibusdam, qui frequenter communicant „ apud Religiosos, nec possunt adduci, ut com- „ municent in Parochia: idque ex tacito & præsump- „ to consensu, quem Laym. *num.* 4. putat faciliùs posse præsumi in militibus præsidiariis, item in au- „ licis, studiosis, aliisque Academicis, &c. qui fre- „ quenter communicantes extra suspicionem esse so- „ lent. V. Laym. *l. c.* „

IX. Si in Paschate sint vagi, peregrini, & ad- „ venæ, secundùm sententiam probabilem multo- „ rum, ut Sanch. *de Matr. l.* 3. *d.* 37. Fagund. „ *præc.* 1. *Ecc. l.* 1. *c.* 8. Lug. *l. c.* Diana *p.* 2. *t.* 2. „ *R.* 12. „

X. Si sint famuli, vel domestici, vel familia- „ res eorum, qui circa tales habent privilegium. „ *V. Compend. privil. Societatis*, V. *Familiaris.* Dian. *ib.* „

ADDENDA.

Quæst. 90. *Quid præterea notandum sit circa dispensatorem Eucharistiæ?* R. seqq. 480

§. 1. Absente omni Sacerdote potest, imò secundùm Bernal. *d.* 45. *n.* 34. debet sub mortali Diaconus deferre Viaticum moribundo, in hoc enim casu præsumitur voluntas, imò præceptum Episcopi. Quòd si Sacerdos præsens sit, & ex malitia nolit hoc committere Diacono, poterit nihilominus Diaconus, & in hoc ferè omnes conveniunt, inquit Lugo *d.* 18. *n.* 27. ideóque in praxi tutum esse dicit Dicast. *d.* 11. *n.* 91.

§. 2. Sacerdotem posse extra Missam, non tantùm pro Viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa ministrare sibi Communionem, si alius Sacerdos & scandalum absit, docent Suarez, Vasq. Fagund. Sylv. Homob. Bos. Bonac. Vivald. Dian. Lugo *an.* 28. Dicast. *à n.* 110. & optimè Bosco *s.* 12. *concl.* 2. contra Cajet. Armill. Fill. *tom.* 2. *n.* 285. Avers. *q.* 10. *s.* 3. Ratio est, quia Conc. Nicæn. 1. concedit hoc Diacono, uti notat Dicast. *n.* 95. neque ulla lex hoc tempore id prohibet Sacerdoti, & sicuti Sacerdos se communicat die Veneris sancto, etiam dum non consecrat nec consummat Sacrificium præcedentis diei, uti contra Lugo *n.* 29. probabilius docet Dicast. *n.* 108. ita potest alio die extra cæremonias Missæ dare sibi ipsi Communionem. Putat tamen Fagund. debere accipere è manibus Diaconi, si adsit. E contra *Suar.* dicit etiam tum posse accipere è suis manibus; *Fill.* dicit debere. Omnes probabiliter, inquit Tamb. *de Commun. c.* 6. *n.* 29. sed *Suar.* probabiliùs, nam Sacerdos non tenetur committere Diacono, nec perdit jus suum propter præsentiam Diaconi; debere tamen accipere ab alio Sacerdote, si adesset, quia Sacerdos à sumente distinctus, est Minister ordinarius. Et rectè addit *Suar.* non esse rem usitatam, ut quis, saltem ex devotione, seipsum communicet, hinc non debere facile fieri, nisi ubi talis Sacerdos esset solus, qui sacrificare non posset. 481

§. 3. Etiam posse laicum in articulo mortis accipere vel deferre Ciborium, & sibi vel alteri ministrare Eucharistiam, docent *Mercerus*, *Chapeav. Hurt. Leand. Lezan.* & alii, quam sententiam Suar. Con. Laym. Fill. Regin. Castrop. Less. Granado. Arr. Rhod. Dian. Dicast. Aversa *q.* 10. *s.* 3. Burgh. *cent.* 3. *cas.* 96. Gob. *t.* 4. *cas.* 22. Bosco *concl.* 5. Lohner *in inst. tract.* 6. *p.* 3. *de Euch. a.* 3. *q.* 5. dicunt esse satis probabilem, & eorum aliqui addunt tutam. Ratio est, quia præceptum humanum Cap. *pervenit.* 29. De consecr. dist. 2. vetans à laico deferri Eucharistiam, non loquitur de hoc casu extremæ necessitatis, in quo præceptum humanum videtur cedere divino de sumendo Viatico, præsertim cum Eucharistia possit per accidens causare primam gratiam, & saltem quivis in agone multum indigeat robore spirituali per hoc Sacramentum causando, secundùm dicenda *n.* 484. Testanturque certæ historiæ, Eucharistiam o- 482

lim ad ædes proprias, vel ad alios infirmos esse delatam à laicis, ut in necessitate ministrarent sibi vel aliis; quod maximè valet de Diaconus, quos sub mortali teneri eo tempore sibi ministrare Viaticum, docet Bernal. *n.* 35. idemq; fieri deberet à laïco, saltem tum, si alioquin sine omni Sacramento deberet defungi: De cætero, opposita sententia, quòd laicis non liceat sibi vel aliis ministrare, hactenùs fuit communior, quàm ut veriorem defendunt Sot. Sylv. Bonac. Henriq. Vasq. Nugn. Sa, Victor. Fagund. Lug. *n.* 24. Bernal. *n.* 37. Pax Jordan. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 22. Dicast *n.* 93. quia est contra consuetudinem & sensum communem fidelium, qui putant Eucharistiæ non ita necessariæ ad salutem semper debere esse majorem reverentiam, quàm ut à laicis possit administrari. Videri potest Mendo *diss.* 11. *q.* 2. qui in utramque partem bene discurrit, sed concludit pro secunda.

483 §. 4. Docet Tamb. *de Commun. c.* 4. *n.* 50. eum, qui non est proprius Parochus, non peccaturum mortaliter, si Communionem paschalem semel vel iterum daret alienis Parochianis non multis, quia non videtur rationabilis causa gravis offensæ. Et hìc pro habenda sufficiente jurisdictione sufficeret consensus rationabiliter præsumptus, cum Eucharistia semper validè ministretur. Navar. Rodr. Aversa *q.* 10. *s.* 4.

484 *Q.* 91. *An sit obligatio ministrandi Eucharistiam pestiferis?* R.

§. 1. De obligatione ministrandi Sacramenta, dictum est hìc à *n.* 133. Deinde *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 754. dictum est generatim Parochum teneri ministrare Sacramenta etiam tempore morborum & belli, quod tamen Eucharistiam attinet, docent, Major, Molfes. aliique apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 174. *& par.* 5. *t.* 3. *R.* 53. nequidem Parochum tempore pestis teneri ministrare Eucharistiam, quia cum ejus vita requiratur ad alia Sacramenta magis necessaria etiam aliis conferenda, non videtur esse propter aliquos exponenda tanto periculo in administratione Sacramenti, utilis quidem, sed minùs necessarii. Et idem tenent Lohner *suprà* & Gob. *n.* 414. E contra Suar. Fagund. Tol. Navar. Sot. Henr. Villal. Fill. Sylv. Nugn. Marcn. Mancin. Tabien. Sa, Castrop. Lugo Busemb. Aversa. *de Sacram. q.* 64. *s.* 7. §. *Sextò.* Carden. *in* 1. *crisi d.* 76. *c.* 2. Verjuys *t.* 14. *art.* 8. dicunt Parochum teneri, per se loquendo, tum quia infecti habent jus petendi, tum etiam quia Parochus tenetur etiam cum periculo vitæ succurrere subdito in gravi necessitate spirituali constituto, uti dictum est. *l.* 2. *n.* 174. sed moribundus est constitutus in gravi necessitate suscipiendi Eucharistiam, licèt fortè Sacramentum Pœnitentiæ susceperit; nam nihilominus tum maximè infestatur à dæmone, egetque viribus spiritualibus, quas hoc Sacramentum causat, possetque ipsi etiam per accidens causare primam gratiam. *Dixi*, per se loquendo: nam fatentur omnes, inprimis satis esse, si Parochus faciat per alium, imò Dicast. *d.* 11. *n.* 123. refert declarationem S. Congreg. qua prohibetur Parochus per se ministrare infectis, si alius sit, qui ministret, ne reliqui Parochiani fugiant conversationem illius, quem sciunt agere cum pestiferis. Deinde si esset circumstantia, in qua Parocho, qui morbo corriperetur, non posset substitui alius, etiá non deberet ministrando aliquibus Eucharistiam exponere se periculo destituendi totum populum, eumque reliquendi sine aliis magis necessariis Sacramentis, nam necessitas communitatis prævalet necessitati privatæ, & inter duo mala minus est eligendum.

485 §. 2. Si sit periculum infectionis plurimum in una domo, non est licitum Parocho illic relinquere plures hostias, quas peste inficiendi sumant in necessitate, sed tenetur ipse pro necessitate deportare, uti ante dictum est. Verj. *art.* 20.

§. 3. Putant *Venerus, Mancin. Gavant.* licitum es- 486
se tempore pestis medio instrumento porrigere Eucharistiam, & probabile esse dicit *Marchant.* quia necessitas & jus vitæ conservandæ excusat indecentiam, sed contradicunt Dian. Chapeav. Bon. Aversa *hic q.* 10. *s.* 5. §. *Secundo.* Dicast. *n.* 124. Verj. *ar.* 9. & alii cum *Bus.* dicentes teneri manu in os porrigere: testaturque Escob. *l.* 20. *probl.* 98. Conc. Mediolan. à Summo Pontifice approbatum ita declarasse, & ratio potest esse, quia non est tanta necessitas illius Sacramenti, ut ministrari debeat sine ritu ordinario, & cum periculo reverentiæ.

ARTICULUS II.

Quid requiratur in Ministro ad licitam administrationem Eucharistiæ.

REsp. I. Ut minister circa Eucharistiæ distributio- 487
nem non peccet, præter gratiam, etiam reverentiam in eo, tum ratio, tum canones requirunt; „
itaut præstet hoc Sacramentum omitti, (cum ejus „
susceptio sæpè non sit necessaria ad salutem) quàm „
admitti positivam irreverentiam: *Unde resolves*: „

I. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, ni- „
si cum habitu decenti, id est, cum stola & superpel- „
liceo, ac præcedente lumine (secus est de Extrema- „
Unctione, cujus materia, cum non sit Sacramentum, „
non requirit tantam venerationem.) Putant tamen „
quidam, si habitus haberi non possit, ut si tempes- „
tas aut iter faciendum, non fore irreverentiam, si „
Sacerdos Eucharistiam in pyxide, vel corporali in- „
volutam, in sinu suo clam deferat. Quod certius vi- „
detur licere in locis hæreticis, ubi etiam in necessi- „
tate, & clam, præciso scandalo, poterit porrigere „
sine stola & superpelliceo; etsi nullo modo celebran- „
dum sit sine vestibus sacris, ob Viaticum dandum. „
Bon. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 2. „

II. Præstat ægrum incommunicatum mori, quàm, „
Sacerdotem in habitu cum Sacramento per publi- „
cum currere, (etsi festinare valde debeat, ut dicit „
Quint. *t.* 4. *s.* 8.) Secus est in Baptismo & Pœniten- „
tia, si probabiliter timeretur, ne ægrotus decederet, „
in mortali; tunc enim currendum esset, ut habet „
Bon. *l. c.* ex *S. Th. Possev.* & alii. „

III. Ad infirmum longè distantem licere Parocho „
Eucharistiam deferre in equo mansueto, itaut non „
sit periculum lapsus, docent Quint. *t.* 4. *s.* 8. Sed ne- „
gat *Possev. & Barbosa*, nisi loci consuetudo permittat; „
adduntq; non licere pyxidem dare portandam Lai- „
co, quantumvis Pastor sit fatigatus, sed potiùs ex „
collo suspendendam bursam.

IV. Eucharistia non est deferenda ad ægrum, ve- „
nerationis tantùm causa, ut adoret vel osculetur, „
si sumere non possit. Quod etiam prohibuit Congre- „
gatio Cardinalium; quæ tamen non videtur pro- „
hibere, ut venerationis causa deferatur ad lectum, „
si in domo celebretur.

V. Non licet dare Eucharistiam aliis digitis, si „
indice & pollice, ob chiragram dari non possit, ut „
docet Bon. *p.* 2. & *Possev.* contra *Tol.* cujus senten- „
tia tuta videtur, si aliàs æger sine Viatico esset mori- „
turus; præsertim si tunc detur duobus indicibus. „

VI. Non licèt tempore pestis porrigere Eucharis- „
tiam medio aliquo instrumento: (multò minus de- „
ponere alicubi in scutella, ut ab ipsomet ægro su- „
matur) sed manu danda est, ut docet Bon. *p.* 2. ex „
Suar. & aliis. Quamvis Possev. *c.* 8. non improba- „
biliter dicat, posse præciso scandalo, & periculo „
lapsus in terram, instrumento ad id ritè confecto, „
dari. V. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 114. Bon. *l. c.* quod „
in praxi pro ægroto, qui non potest trajicere „

hos-

„ hostiam, ut scilicet ei detur Eucharistia, imposita „ particula hostiæ cum vino in cochleari, admittit „ Præp *in* 3. *p. q.* 80. *art.* 5. *ad* 6. & Escob. *tr.* 7. E. „ 6. *c.* 5. Dian. *R.* 104.

„ VII. Sacerdos podagra laborans, potest deferri „ ad altare, ut ibi Eucharistiam administret, secluſa „ tamen alia prohibitione. Ita Possev. *c.* 5. *n.* 50. „ Bon. *l. c.*

„ Resp. II. Requiritur præterea, ut eam dispenset „ ritu Ecclesiæ consueto, deinde ut eam neget (per „ se loquendo) indispositis, animo vel corpore: „ denique si Pastor sit, ut ministret eam Ovibus, „ quoties rationabiliter petunt. Bon. *p.* 1. *n.* 15.

„ Dixi I. *Ritu Ecclesiæ*, quia legitimus Ecclesiæ or- „ do sub peccato obligat. *Unde resolves.*

„ Peccat primò, qui Eucharistiam dat sub utraque „ specie, locis vel personis, quibus à Pontifice non „ est concessum. Item si morituro, qui ob linguæ „ aridit atem non potest hostiam trajicere det species „ vini: licèt talem à mortali excusare conetur Ami- cus apud Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 24. Bonac. *l. c. Sanch.* „ *Possev. Barbos.* contra ipsum Dian. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 64.

„ Qui dispensat sine veste sacra, vel lumine, aut „ præ ia confessionis generalis formula. 3. Qui lai- „ co dat hostiam ma orem; in necessitate tamen, vel „ in casu m gnæ devotionis, licet ex majore parti- „ culam detractam dare, vel etiam in defectu mino- „ rum, plures majores consecrare: easque deinde in „ minores partes, (non tamen adeò parvas ut honeſ- „ tè dari non possint) divisas distribuere. Ita Sa *V. Euhc.* Bon. *p.* 1. *n.* 14.

„ Dixi II. *Per se neget*, quia aliàs cooperabitur pec- „ cato. Per accidens tamen sæpè dare potest, v. g. si „ sine scandalo aut gravi damno suo vel pœnitentis, „ negare non possit V. Bon. *l. c.* Possev. *Unde resolves.*

„ I. Peccat 1. qui dat pueris ante annum discre- „ tionis, (nisi in articulo mortis, ut v. dub. seq. à „ 3.) qui fortè circa annum decimum incipit, 2. Qui „ dat amentibus, quando nunquam sunt usi ratione. „ Si verò usi sint, potest & debet illis dari in articu- „ lo mortis, si possit sine periculo irreverentiæ, & „ non constet incidisse in amentiam in statu peccati „ mortalis. Laym. *hic c.* 4. *n.* 4. 3. Qui dat peccatori „ publico, v. g. histrioni, turpes comœdias cum mor- „ tali repræsentanti, usurario, meretrici, concubina- „ rio: de quibus Fill. *t.* 4. *n.* 166. & seqq.

„ Dixi *Publico*, quia si occultè tantùm scias esse in- „ dispositum, occultè quidem, non tamen publicè „ petenti, est neganda; nisi indispositio ex Confessio- „ ne sit nota, tunc enim extra eam nequidem licet „ monere, ut docet Sanch. Bonac. Laym. *l.* 5. *t.* 4. „ *c.* 6. Lugo *d.* 8. *de Sac. s.* 11. *n.* 189. usque ad finem.

„ II. Peccat item, qui negat reis morte plectendis, „ (quibus etiam potest dari aliquot, imò una hora „ ante mortem, ut habet Sa. Danda verò est, si fieri „ potest, non in carcere vel alio loco inhonesto) „ etiam ob crimen sagarum captis: dummodò pœ- „ nitentiam præseferant: etiamsi crimen negent, „ & violenta duret suspicio. Tann. *tom.* 3. *quæst.* „ 5. *d.* 4.

„ III. Rectè facit, qui rarò, v. g. in paschate, „ dat Communionem semi fatuis & qui debilem ha- „ bent rationis usum, si saltem hunc cibum à profano „ distinguere norint, ut habent *Henriq. & Possev.* „ Idem ferè dicendum est de surdis & mutis à nati- „ vitate. V. Laym. hic. 2. Qui dat inefſis à dœmone, „ dummodò sine irreverentia possint sumere. Ita „ *Suar. Bon. Regin.*

„ Dixi III. *Si Pastor sit. Unde resolves:*

„ I. Talis peccat graviter contra justitiam & cha- „ ritatem, si subditis in periculo mortis, licèt peste „ infectis, non det: Alius verò Sacerdos, qui in ta- li casu, absente vel nolente Parocho, nollet dare, „ peccaret tantùm contra charitatem: etsi secundùm „ Chapeavillum mortaliter, *q.* 37. *n.* 2 „

II. Pastor, ut Eucharistiam opportunè petenti- „ bus possit ministrare, tenetur eam asservare, cum „ lumine in Ecclesia, (nec licet alibi, nequidem in „ Sacellis nobilium, vel choro monialium, aut intrà „ septa monasterii earum, uti habet Trid. *sess.* 15. *de* „ *reform. c.* 10. nisi cum facultate in solemni festo) „ in pyxide: quæ non necessariò est consecrata, licèt „ si consecrata non sit debeat interiùs vestiri vitta li- „ nea, ex tela consecrata, ut docet ex S. Thom. „ Azor. Vasq. Regin. *l.* 29. *c.* 9. „

III. Si ob graviter culpabilem negligentiam Pa- „ rochi (vel ejus, cui ista cura commissa est) integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen ardeat an- „ te venerabile Sacramentum, peccare eum mortali „ ter (secus si per horam tantùm) docet *Quint. t.* 4. „ *s.* 1. *&* 7. item Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 34. licet Mar- „ chant *in resolut. Pastor. t.* 4. *c.* 5. *q.* 4. obligationem „ & consuetudinem tam universalem neget: uti & de „ lumine præferendo, quando defertur Sacramentum „ foras; atque ex causa id posse omitti, ut cùm defer- „ tur ad ægrum longè distantem, nec commodè fieri „ potest cum lumine. „

ADDENDA.

Quæst. 92. *Quid præterea notandum sit circa de-* 488
bitam dispositionem Ministri? R. Minister, ne incurrat irregularitatem, debet esse liber ab omni censura prohibente communicationem cum fidelibus Averſ. *q.* 10. *s.* 5. § *Quarto.* item à peccato mortali: si tamen in mortali constitutus distribuat Communionem, dixi *n.* 94. probabile esse, quòd venialiter tantum peccet; attamen toties peccat, quot hominibus dat Communionem, secundùm dicta *l.* 5. *n.* 172.

Q. 93. *Quid addendum circa ritus, qui observan-* 489
di sunt in distributione Eucharistiæ? R. seqq.

§. 1. Est mortale distribuere Communionem sine „ stola & superpelliceo vel Alba, uti habet communis cum *Quarti*; attamen in necessitate pro Viatico, si alioquin negligeretur, posset deferri & dari sine ulla ejusmodi veste, itemque sine lumine, uti dicetur *n.* 614. Concedunt etiam communiter omnes cum *Dian Bordon. Quarti.* fore tantùm veniale absque ulla veste sacra movere vel deferre Eucharistiam ab uno ad aliud altare; item omittere, *Confiteor*, ante & lumen in distributione Communionis, uti habent Dian. Tan. Gob. *t.* 4. *n.* 382. Omissio tamen luminis excusari non posset à gravi culpa veniali, inquit Suar. *d.* 72. *s.* 4. Quòd si Diaconus Communionem distribuat debet esse indutus Alba & stola transversa, hic enim est habitus ipsius, Averſa. *q.* 10. *s.* 5. §. *Secundo.*

§. 2. Probabile est Sacerdotem licitè distribuere 490
Communionem posterioribus digitis, si nequeat primis ob Chiragram vel aliud impedimentum, uti habet Tolet. Arr. Leand. *n.* 370. aliique cum *Gob. n.* 412. contra *Vasq. Bonac. Lugo & Jordan.* quia licèt soli primi digiti inungantur, tamen tota manus videtur consecrata; hinc infert Gob. *n.* 381. Sacerdotem peccaturum tantùm venialiter, qui sine causa digitis ultimis tangeret hostiam.

§. 3. Celebrans, intrà *Missam* daturus Commu- 491
nionem multis, disjungere potest pollicem & indicem sinistræ, prius abluendo vel lambendo, digitis autem post distributionem abluti siccari possunt etiam purificatorio, uti & madefacti saliva communicantium, quamvis tum decentius sit abstergi alio linteo, quam purificatorio alio, quod in Missa non adhibeatur, vel purificatorio. *Lohner de Sacrif. p.* 2. *tit.* 26. *n.* 3.

492 §. 4. In paramentis nigris non est distribuenda Communio S. Congreg. 22. Januar. 1701. Hinc si petat quis communicare, quando legitur Missa de *Requiem*, Sacerdos ante vel post Missam debet Communionem dare indutus stola alia, non nigra.

493 §. 5. Quamvis consuetudo sit in Ecclesia, ut non detur Communio in die veneris Sancto, nisi pro Viatico, putant tamen esse obligationem præcepti, Dur. Suar. Vasq. Laym. Escob *l.* 20. *probl.* 99. Avers. *q.* 8. *s.* 3. Dicast. *de Sacrif. d.* 4. *n.* 32. Sed cùm in Decreto S. Congreg. de Commun. quotidiana, quod referam *n.* 665. dicatur, *Curent etiam* (Episcopi & Parochi:) *ut circa Communionem in feria VI. Parasceve, Missalis Rubrica & Ecclesiæ Romanæ usus servetur*, infert Cardenas *in* 1. *Crisi d.* 66. *c.* 6. nunc graviter prohibitum esse etiam privatim communicare illo die; adhuc tamen contradicit Leander *n.* 444. cum nec Rubricæ nec usus Ecclesiæ sciantur talem prohibitionem saltem gravem afferre, sed meritò remittit ad judicium prudentiorum. Notat etiam Jordanus *l.* 3. *t.* 3. *n.* 36. Communionem omni hora recipi posse, non tamen sine causa vesperi vel noctu: *Aversa* dicit tantùm esse congruum, ut fiat manè, licere autem etiam vesperi.

494 *Q.* 94. *Quid faciendum sit si hostia vel particula decidat, dum quis Communionem distribuit?* R.

§. 1. Locus, in quem sacra hostia decidit, tergendus est re aliqua munda, & posteà abluendus; attamen ablutio vestis aut barbæ ordinariè non est præcipienda, quia melius est vitari turbationem vel offensionem populi, quàm rubricam illam observari, *Tamb. Pelliz. Gob. Lohner* & alii contra Pasq. *q.* 315. qui tamen *q.* 311. fatetur rubricas illas præcipientes ablutionem loci, in quem sacra hostia cadit, non obligare sub mortali; aliud tamen est de speciebus vini quæ imbibuntur. Addit Pasq. *q.* 312. non esse opus comburi, hoc in quod sacer Sanguis inciderit, sed satis esse abluti. Et de his videri debent etiam Rubricæ Missalis.

495 §. 2. Si hostia inter distribuendum decidat in sinum vel intrà vestes mulieris, permitti potest, ut ipsamet vel alia mulier manu sua extrahat, & reponat in Ciborium, indecens enim foret, & plerumque scandalosum, si Sacerdos ipse eximeret. Quòd si ibi commodè non possit eximi, potest mulier seorsim secedere etiam ad vicinam domum, ibique eximere & referre; abluendi tamen erunt digiti mulieris, & ablutio mittenda in piscinam, Gob. Lohner. *p.* 2. *t.* 26. *n.* 7. Pasq. *q.* 315.

496 *Q.* 95. *Quid faciendum sit cum particulis hostiarum, quæ fortè reperiuntur?* R. De his habet Busemb. *n.* 550. in fine referendus, quibus adde seqq.

§. 1. Particulæ in propria Missa consecratæ sumi possunt etiam cum purificatione, quamvis celebrans post Communionem suam, per horam integram distribuerit Communionem, uti omnes communiter docent cum Lohn. *n.* 6. & aliis apud Gob. *t.* 3. *n.* 420, qui idem dicunt, si immediatè post Missam diu Communionem distribuerit. Idem dicunt *Gran. Dian.* & alii cum Gob. *n.* 422. si sacris vestibus adhuc indutus tales particulas advertat in Sacristia; imò *Marchinus* dicit Sacerdotem posse reliquias etiam alieni Sacrificii sumere, finita Missa post multos Communicatos, quod probabile esse dicit *Tamb.* quia cùm omnes Sacerdotes sint Christi Ministri, Missæ omnium censentur unum specie Sacrificium, ideóque censebitur etiam ex suo Sacrificio sumere. Similiter Castrop. Tamb. Burg. *Centur* 3. *cas.* 37. docent contra alios, si Sacerdos adhuc indutus sacris vestibus hostiam ab alio consecratam in valetudinarium ferat infirmo, posse posteà absumere particulas in patena repertas, nec posse dare infirmo, si postquàm hic communicavit, prius repererit, alioquin bis communicaret, si tamen statim post ipsi darentur, censeretur una esse moraliter communio *Marchinus, Tamb. Burgh.*

§. 2. Si particulæ ab alio consecratæ commodè 497 asservari non possint, sumere potest Sacerdos etiam post exutas sacras vestes, *Suar. Lug. Loth. & Gob.* suprà. Rectiùs tamen asservantur, si absit periculum irreverentiæ, *Suar. Tann.* Id tamen non esse necessarium, sed consultum, dicunt *Bonac. & Castrop.*

§. 3. Si dubites, an particulæ, quæ extra Corpo- 498 rale invenis, sint consecratæ, sumendæ sunt post utramque speciem, vel etiam post ablutionem, Henriq. Bon. Gob. *n.* 420. Si autem inveniatur pars hostiæ circa Altare, sumenda est ante primam ablutionem. Quòd si tum non fiat Missa, deponatur loco decenti sine solemnitate, & in proxima Missa absumatur, Pasq. *q.* 316. Idem fieri vult *Quarti p.* 3. *t.* 10. *n.* 15. si quis referat hostiam vel partem hostiæ, dicatque esse consecratam, non enim semper credi potest.

§. 4. Laico communicanti dari potest, præter 499 hostiam, nunc consecratam etiam particula alieni Sacrificii reperta, hæc enim faciunt unam moraliter Communionem. Gob. *t.* 4. *n.* 36.

§. 5. Post sumptam ablutionem non est licitum 500 sumere integram hostiam vel ab alio vel à se consecratam, quia usus Ecclesiæ extenditur solùm ad fragmenta, quæ unam moraliter Communionem constituent cum priùs sumptis. Gob. *n.* 38.

Q. 96. *Quid sit observandum circa renovationem* 501 *Ciborii?* R. seqq.

§. 1. Ciborium meritò renovari deberet singulis mensibus, præsertim tempore humido, ne hostiæ corrumpantur, *Nec obstat*, quòd Græci ad annum asservent, teste Arcud. *l.* 3. *c.* 55. *nam* consecrant in fermentato, qui non ita facilè corrumpitur: & nihilominus addit melius fore, si aliquoties in anno renovarent. Quando autem renovatur Ciborium, vel hostiæ reverenter asservari non possunt, homo jejunus potest sexaginta aut etiam plures hostias sumere; uti & tum, si non possint aliò deferri, nam deferre ad distantiam quadrantis, est nimis incommodum, inquit Gob. *t.* 3. *n.* 421.

§. 2. Qui purificat Ciborium, potest particulas 502 sumpto sacro Sanguine in vacuum calicem conjicere, tumque superfuso vino sumere; potest etiam injicere sacro Sanguini, uti habet *Con.* aut etiam primæ ablutioni, uti habet Aversa: etiam potest sicco purificatorio ad indicem circumducto colligere, tumque illam purificatorii partem excutere in calicem. Lohner *p.* 2. *tit.* 25. dicit, etiam posse particulas colligere in patenam vel in fundum Ciborii, tumque sumere, digito per anhelitum vel levem tactum linguæ madefacto, postmodùm si advertat Calici vel Ciborio adhuc adhærere particulas, potest digito adducere ad labrum, uti habet Rubrica: sed decentiùs esse dicunt *Fagund. & Tamb.* si infundat vinum etiam bis, ter, & quoties opus erit, ut solvat, quod tamen infunditur, non est ebibendum è Ciborio, sed refundendum in Calicem, uti volunt *Con. & Quarti.* Quòd si Sacerdos ex inadvertentia prius sumpsisset ablutionem, adhuc posset post eam purificare Ciborium, & sumere reliquias: reputatur enim moraliter una consumptio Sacrificii, Fagund. Tambur. *de Commun. c.* 2. *num.* 34.

§. 3. Vermis inventus in Ciborio, & natus ex 503 speciebus, item sordes aliæ ibi contractæ, debent comburi, & cineres projici in sacram piscinam, *Quarti.* Pasq. *q.* 316. *n.* 5.

Q. 97. *Quid facere debeat distribuens, si videat,* 504 *quòd communicans, hostiam deponat in strophiolum?* R. Burgh. *cent.* 1. *cap.* 55. rectè dicit non teneri publicè

arguere, vel statim repetere, per hoc enim communiter infamaretur homo iste, foreque etiam Sacerdoti nimis incommodum & periculosum, quia fortè deponit, vel quia præsentit vomitum, vel quia recordatur peccati, & putat melius esse sic ex ore deponere quàm deglutire. Debebit tamen Sacerdos observare, quis sit, & quo recedat, ac posteà ab illo sacram hostiam repetere.

505 *Q.* 98. *Quid sit agendum, si bestia sacras species absumpserit?* R. Si necdum credantur consumptæ, *Sa, Bonac.* & alii volunt bestiam occidi & species extrahi. *Azor. Suar. Quarti*, Pasq. *q.* 315. *n.* 7. volunt bestiam cum speciebus comburi. Puto permitti posse, ut species in stomacho bestiæ consumantur, maximè si esset magnum animal, quod non facilè posset occidi vel comburi, sive enim absumantur per ignem, sive per calorem stomachi animalis, non videtur esse major irreverentia.

506 *Q.* 99. *Quid addendum sit circa indignum vel notum peccatorem, qui Communionem petit?* R. Videri debent dicta *à n.* 137. & speciatim *n.* 159. dictum est hostiam non consecratam dari non posse alicui, nequidem ad vitandum scandalum: attamen *n.* 160. dixi talem posse tacitè præteriri. Denique an & quando illi, qui fuit publicè peccator, possit publicè vel privatim dari Eucharistia, dictum est à *n.* 141.

507 *Q.* 100. *Quid addendum sit circa ministrationem Eucharistiæ pro ægris?* R. De hoc dicetur à *n.* 604. quando de Viatico. Dixi autem *n.* 136. Parochum teneri communionem deferre ad ægrum, si petat, etiam extra periculum mortis. Et de obligatione ac modo dandi Communionem pestiferis, dixi à *n.* 484.

508 *Q.* 101. *Quandonam liceat Sacerdoti dare laico partem majoris suæ hostiæ?* R. Quando est rationabilis causa. Putant quidem *Graffiis, Zanard. Zambran.* non licere hoc extra necessitatem, sed meliùs contradicunt S. Anton. Sylv. Sà, Angel. J. Sanch. Bon. Barb. Marchant Possev. Diana, Dicast. *d.* 11. *à n.* 111. Avers. *q.* 10. *s.* 5. § *Tertiò.* Tamb. *de Comm. c.* 6. §. 6. Gob. *t.* 3. *n.* 86. *& t.* 4. *n.* 410. Verj. *t.* 8. *a.* 12. quia Christus ipse hoc fecit, nec jam prohibitum est, neque ulla etiam est in hoc irreverentia aut indecentia, consuetudo autem contraria, seu non usus non obligat sub peccato, sed inde est, quòd ordinariè habeantur etiam minores hostiæ, quæ si non sufficiant numero communicandorum, etiam dividi possunt in plures particulas, quarum singulæ dentur singulis. Rationabiles verò causas esse dicunt Authores citati, si quis habeat magnam devotionem ad communicandum, neque ipsi commodum sit expectare; si persona gravis aut nobilis velit tunc communicare, ut posteà maturè se expediat ad negotia; si famuli non facilè possint sine officiorum dispendio expectare, si Sacerdos deberet diu expectare, ut ante oblationem afferretur parva hostia &c.

509 *Q.* 102. *An laicus in Ecclesia latina sumere possit species vini consecrati?* R. Posse pro extraordinariis casibus, uti jam declarabitur.

§. 1. Quamvis aliqui dixerint, si Sacerdos ante sumptum sacrum Calicem deficeret, & deesset alius Sacerdos, qui Missam compleret, laicum non posse sumere species vini, sed potiùs permittendum, ut in acetum convertantur. Item, quamvis alii apud Suar. *d.* 71. *s.* 3. dicant, si species vini in terram decidant, nec tum licere laico lambere, sed debere permittere, ut siccentur, tumque radendum locum, & partes abrasas esse in sacram piscinam mittendas. Tamen meritò contradicunt in utroque Suar. Vasq. Conc. Fagund. Dian. Lugo. *In Resp. mor. l.* 1. *d.* 10. *n.* 3. Escob. *l.* 20. *n.* 463. Dicast. *d.* 10. *n.* 228. Leand. *n.* 410. Gob. *t.* 1. *n.* 27. quia si laicus sumat, plus consulitur reverentiæ, ob quam sumptio Calicis solo jure Ecclesiastico prohibetur laicis. Hinc etiam licitum est laico ebibere sacrum Calicem, si hæretici in templum irruerent, & Sacerdos ab altaris abscurreret, Suar. Gob. *n.* 26. *Dixi*, in Ecclesia latina, nam in Græca adhuc faciunt per consuetudinem, Arcud. *l.* 3. *c.* 50. uti & Rex Galliæ per privilegium Papæ; qui posset concedere etiam aliis laicis, secundùm dicenda *n.* 602.

§. 2. *Si* quis una die bis celebret, & quia secunda vice celebrabit alio loco, ablutionem ex prima Missa det laico communicanti, peccat graviter, tam Sacerdos quàm laicus; *Lugo* suprà, agunt enim contra consuetudinem universalem Latinæ Ecclesiæ: itaque vel mittat in sacram piscinam, vel purificatorio imbibitum faciat siccari, vel potiùs asservet, aut alia die ipse, vel alius sumat in Missa. Putat quidem Gob. *n.* 23. illos probabiliter excusari à peccato, quia licèt remaneant guttulæ consecratæ, has tamen sumere cum vino propriè non est communicare sub specie vini: sed standum est in sententia Lugonis. An licitum sit sumere species vini pro Viatico, si desit hostia, dicetur *n.* 611.

DUBIUM II.

De subjecto, seu suscipiente Eucharistiam.

ARTICULUS I.

Quæ requiratur in eo dispositio animæ.

RESP. Qui est in mortali, tenetur sub mortali, ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas celebrandi vel communicandi, & Confessarius desit. Ita Trid. *sess.* 13. *c.* 7. *& can.* 11. ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo Corinth. *Probet autem seipsum homo, &c.* Et parum refert ad praxim, utrùm tantùm sit præceptum Ecclesiasticum an tantùm Divinum, quod est probabilius, ut docent *Suar. Fill.* & alii commun. 511

Dixi I. *in peccato mortali*: tum quia Eucharistia delet venialia, ex opere operato: tum quia venialia, (estò committentur, imò reddant venialiter malam ipsam sumptionem) non ponunt obicem gratiæ sanctificanti. Quòd si tamen multa sint, & intrà genus suum gravia, de quibus nulla pœnitentia concipitur, actualem devotionem & fructum majorè impediunt, *Suar. Laym.* & alii, *Unde resolves.*

I. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an mortalè sit ritè confessus, tenetur ante communionem confiteri. Ita Bon *d.* 4. *q.* 6. *p.* 1. ex *Sanch. Regin. Suar.* & aliis.

Dixi II. *Nisi sit necessitas* (non quæcumque, v. g. festi celebritas vel magna devotio, ut quidam volunt) sed gravis sive urgens, qualis esse censetur in sequentibus casibus præmissa tamen semper contritione, ad quam tunc teneris, nisi de peccato, quod occurrit, fueris ante contritus; Præp. Card. de Lug. *d.* 14. *n.* 122.

I. Periculum mortis, vel ut consecretur hostia pro morituro, Suar. Kon. Lug. *n.* 107.

II. Si Sacrificium, vel Communio non possit omitti absque gravi infamia vel scandalo *Iid. Aut.*

III. Si Parochus debeat celebrare ex officio, ut populus Sacrum audiat. *Ib.* Ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, id licere putat *Dian.* cum aliis 11. *p.* 9. *t.* 13. *R.* 9. contra Palaum *t.* 21. *disp. un. punct.* 12. *n.* 7. in fine, Aversam, &c.

IV. Si urgeat præceptum de annua Communione, ut docet *Henr.* & probabile putat *Præp.* vel si Sacerdos non possit audire Missam, nisi celebret, ut habet Henr. & Sot. Dian. *R.* 63. & 64. nec improbat Lug *l. c.* Probabilius tamen videntur docere *Kon. Sa,*

Suar.

„ *Suar.* & alii ceſſante ſcandalo & infamia, præſtare „ tunc Sacrum, & Communionem etiam Paſchalem „ intermittere, eò quòd præcepta non obligent, quan„ do non poſſunt impleri convenienter juri divino.

„ V. Si Sacerdos poſt conſecrationem committat „ mortale, vel antè commiſſi recordetur, tenetur eli„ cita contritione, Sacrificium proſequi. Si verò id „ fiat ante conſecrationem, & præſertim ante Cano„ nem, debet confiteri, ſi abſque nota infamiæ poteſt, „ vel recedere, ut docet *Sylv. Navar. Dian.* & alii, „ contra *Sotum & Henriq.* qui negat teneri, ob ho„ norem Sacrificii, putatque practicè eſſe probabile „ *Laym. & Bonac.* eò quòd vix ſine omni nota, Con„ feſſio decenter fieri poſſet: niſi fortè in Miſſa ſol„ lemni, ſub cantu vel concione: quo caſu tenebi„ tur confiteri, ut notat *Sylv.* Quòd ſi verò nec con„ tritionem poſſit elicere, ſecundùm communem „ ſententiam eſſet confitendum, vel deſiſtendum, hi„ cèt Vaſq. *in 3. p. t. 3. d. 17. &* Hurt. *de Euchar. d. 8.* „ putent probabile eſſe, ſaltem non peccaturum mor„ taliter, quando non poteſt ſine nota recedere: in„ tellige, ſi conatus ſit elicere, vel fecit, quod potuit. „ V. Dianam *p. 4. t. 4. R. 98.* Lugo *d. 9. n. 8.* ubi idem do„ cet. Notat autem *Dian. ex Præp.* ſatis eſſe, ſi quis „ bona fide putet ſe eſſe contritum, licèt ſubdubitet.

„ VI. Si in ſcamno communicantium recorderis „ peccati mortalis, quod oblitus es confiteri, nec ſi„ ne nota aut ſcandalo gravi poſſis recedere, ut ha„ bet Nav. Filliuc. Regin. Lugo *n. 12.* & alii: porri„ genti autem Euchariſtiam confiteri non expedit, „ nec decet, quo caſu etiamſi nequidem poſſis elice„ re contritionem, excuſat à peccato Hurt. *l. c.* Imò „ quidam DD. apud *Henriq.* excuſant laicum ante „ confeſſum, etiam præciſa nota & ſcandalo, non re„ cedentem, eò quòd is dicatur juſtificatus, & pro„ batus per Confeſſionem, quam ſententiam probat „ *Tamb.* de expedita *Comm. c. 1.* § 8. poteſtque ſervire „ pro ſcrupuloſis. V. Regin. *l. 29. n. 105.* Bonac. *d.* „ *4. p. 10.* Eſcob. *t. 7. c. 6.*

„ Dixi III. *Et deſit Confeſſarius*: deeſſe autem cen„ ſetur, non ut quidam volunt, ſi abſit is, cui ſolet „ & cuperet confiteri, vel cui devotiùs aut utiliùs „ confiteretur: neque, etſi Religioſus, non poſſit ni„ ſi ſæculari confiteri peccata gravia, cum aliqua in„ famia Religionis, Amicus, Diana *p. 9. t. 3. R. 13.* „ ſed in ſequentibus caſibus.

„ I. Si nullus ſit præſens: ad abſentem verò ſine „ magna difficultate, (ſpectata tum debilitate, æta„ te, & negotiis perſonæ, tum aliis circumſtantiis, ut „ acris brevitatis temporis) adire non poſſis. Bonac. „ *n. 30.* ex *Suar. K n. &c.*

„ II. Si non adſit niſi ignarus idiomatis, vel carens „ juriſdictione, vel excommunicatus, vel non appro„ batus vel cui non poſſis confiteri ſine gravi dam„ no tuo vel alieno, vel ſi habeas peccatum tantùm „ reſervatum, nec pateat aditus ad Superiorem, vel „ Superior ſemel iterumque per pium Confeſſarium „ rogatus negaverit poteſtatem abſolvendi. Tamb. §. „ 6. ex *Fag.* Limitat autem *Dian. R. 15.* ſi abſque gra„ vi nota prætermittere non poſſis. Ita *Sylv.* & alii „ Requiritur tamen in his etiam caſibus contritio & „ propoſitum confitendi: imò ex præcepto Trident. „ Sacerdos, qui in tali caſu celebravit, tenetur pri„ ma occaſione confiteri. Quod præceptum excenden„ dum non videtur ad laicos, vel Sacerdotes commu„ nicantes tantùm, ut contra Navar. & Fagund. do„ cet Sylv. Dian. & Bonac. *q. 6. p. 1.*

ADDENDA.

512 Quæſt. 103. *Quot modis ſumi poſſit Euchariſtia?* R. Præcipuè tribus: 1. Purè materialiter, uti etiam ſumere poſſunt beſtiæ: Et ſimili modo ſumerent homines extra ſtatum viæ conſtituti, ſecundùm dicta *n. 164.* item non baptizati, uti *n. 165.* dictum eſt. 2. Sacramentaliter, ſi homo viator, & baptizatus ore ſumat & in ſtomachum demittat. Poteſtque hoc fieri, vel cum fructu, ſi ſumat dignè, & tum dicetur ſumere etiam ſpiritualiter; vel ſine fructu, ſi ſumat indignè, & tum ſumet purè Sacramentaliter. 3. Purè ſpiritualiter, ſi viva fide excitatus deſideret hoc Sacramentum dignè ſuſcipere, Trid. *ſeſſ. 13. c 8.* S. Th. *q 80. art. 1. & 2.* Putavit autem Ledeſma hanc ſpiritualem Communionem cauſare gratiam majorẽ quàm quæ reſpondeat operis operantis, ſed hanc ſententiam vocat falſam & improbabilem Suar. *d. 62. ſ. 1.* quia Deus nullibi hoc promiſit, neque ullum Sacramentum habet talem modum operandi, ut propter ſolum deſiderium cauſet gratiam ex opere operato. Lugo, *d. 13. num. 2.* Averſ. *q. 8. ſ. 1.* Videri poteſt etiam Rayn. *in Heterocl. ſpirit. T. 16. ſ. 1. p. 3. puncto 6.*

513 *Q. 104. Quid dicendum ſit circa diſpoſitiones animæ ad Euchariſtiam Sacramentaliter recipiendam? R. 13* ſeqq.

§. Adultus, aut qui aliquando fuit compos rationis, debet habere intentionem ſaltem habitualem, vel interpretativam ſuſcipiendi hoc Sacramentum, ſecundùm dicta *n. 170.*

514 §. 2. Prærequiritur immunitas non tantùm ab omni cenſura prohibente uſum paſſivum Sacramentorum, ſed etiam ab omni peccato mortali, quod poſtremũ de fide eſſe docent Suar. *d. 66. ſ. 1.* Lugo *d. 14. ſ. 1.* Dicaſt. *d. 9. dub. 1.* contra hæreticos *n. 411.* relatos: itaque peccat mortaliter, per ſe loquendo, qui Euchariſtiam in mortali ſuſcipit, S. Th. *q. 80. art. 4.* & ſequitur ex dictis, *n. 194.* ubi addidi, aliquem per accidens excuſari poſſe, v. g. ſi ſumat Euchariſtiam, ne turpiùs profanetur ab hæreticis, & alii caſus excuſantes addentur *n. 517. & 536.* Quòd autem Euchariſtia cum obice ſuſcepta reviviſcat, ſaltem ſi removeatur obex antequam ſpecies ſint conſumptæ, dixi *num. 200.*

515 §. 3. Impietatem indignè communicantis rectè explicat Rayn. *in Candel. ſ. 6. c. 3.* ubi à *n. 13.* comparat Judæ, quem communicaſſe in peccato docet S. Th. *q. 81. art. 2.* communiſſimè cum Dicaſt. *dub. 20.* contra *Turr.* Docet tamen S. Th. *q. 80. a. 5.* & rectè explicat Suar. *ſ. 2.* peccatum indignè communicantis non eſſe omnium graviſſimum, nam graviora ſunt, quæ directè contra Deum committuntur: poteſtque etiam de hoc videri Dicaſt. *dub. 2.*

516 §. 4. Ad vitandum mortale ſatis eſt, ſi quis ſit in ſtatu gratiæ, antequam hoſtia attingat ſtomachum, quia priùs non eſt ſumptio, ſecundùm dicta *n. 415.* unde ſi aſſumpſerit hoſtiam in os, & tum advertat ſe non eſſe in ſtatu gratiæ, debet, uſquedum contritionem elicuerit, retinere hoſtiam in ore, Gob. *tr. 4. n. 327.* Imò recordans peccati mortalis vel peccans, quamdiu ſumptæ ſpecies ſunt præſentes, tenetur conteri vel confiteri Leand. *n. 409.*

517 §. 5. Si quis jam accumbens ſcamno communicantium non poſſit ſine infamia vel ſcandalo recedere, & tamen ſimul agnoſcat ſe non eſſe in gratia, neque etiam, quamtumvis conatus ſit, ob perturbationem mentis vel brevitatem temporis poſſit elicere contritionem, ſi communicet, præter *Hurt.* quem citat *Buſemb.* excuſant eum ſaltem à mortali Vaſq. Ochag. Dian. Leand. *n. 380.* Lug. *d. 14. n. 3.* quia moralis neceſſitas tollit irreverentiam: Dicaſt. *d. 9. n. 6.* putat caſum illum eſſe moraliter impoſſibilem, quia ſi conetur, gratia Dei non deerit, ſi tamen caſus contingeret, videtur conſentire,

518 §. 6. Si præmitti non poſſit confeſſio peccati mortalis,

mortalis, prærequiritur perfecta contritio de illo, saltem existimata, neque sufficit attritio, & ideò oppositam sententiam esse improbabilem, nec posse absque temeritatis nota doceri, putant Suar. Tur. Avers. *q.* 8. *s.* 7. §. *In primis.* Sicque docetur ab omnibus Theologis, inquit Lug. *n.* 119. Ratio autem est, quia certum est per attritionem sine Sacramento non reddi gratiam, ergo talis certus esset se communicare in mortali, ideoque cum obice gratiæ, quod est mortale, secundùm dicta *n.* 194.

519 §. 7. Non prærequiritur expletio pœnitentiæ à Confessario injunctæ, uti voluerunt quidam Lovanienses, hinc Alexander VIII. damnavit hanc 22. propositionem *c. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Idem constat à posteriori, nam si ante Communionem deberet esse satisfactum pro peccatis, Ecclesia malè prærequireret Communionem ad lucrandas indulgentias loco satisfactionis pro peccatis.

520 §. 8. Nec prærequiritur amor purissimus, uti etiam certum est contra aliquos *Lovanienses*, qui dixerunt hominem ante Communionem debere esse liberum etiam ab omni malo habitu, & habere amorem sine ulla mixtione amoris imperfecti, sed Alex. VIII. etiam damnavit hanc 23. propos. *Similiter arcendi sunt à sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers.* Eundem errorem erudite confutat Rhod. *d.* 1. *q.* 4. *s.* 1. § 3. *Nec obstat.* S. Dyonis. *de Eccles. Hyerarch. c.* 3. prærequirens *omnimodam corruptæ pravitatis expiationem, & quandam Deificationem hominis* communicaturi, *nam* hæc consilii sunt non præcepti. Libet audire S. Francisc. Salesium p. 2. Introduct. ad vitam devotam cap. 21. *Si mundani à te petant, cur tam sæpè communices, dic eis, quòd id facias, ut Deum amare discas, ut te purges à tuis imperfectionibus, ut te liberes à tuis miseriis, ∴ ut te confortes in tuis infirmitatibus: Dic eis, quòd duo hominum genera sæpè communicare debeant: perfecti, quia omnino bene dispositi, injuriam facerent, si ad fontem perfectionis non accederent; & imperfecti, ut justè ad perfectionem prætendere possint; fortes, ut non infirmentur; infirmi, ut fortificentur; ægroti, ut sanentur; sani ne morbo corripiantur ∴∴ Dic eis, quòd hoc S. Sacramentum accipias, ut dignè suscipere dicas, quia rarò bene fit, in quo se rarò quis exercet;* in eundem sensum Dominica 23. post Pentecosten orat Ecclesia in Postcommunione, *ut quidquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti curetur.*

521 §. 9. Non est opus, ut inter peccatum mortale commissum, & communionem intercedat longa mora temporis, si enim seriò pœniteat & confessus sit: nihil est, cur à Communione arceatur, Suar. *s.* 8. Avers. *q.* 8. *s.* 5. §. *ult.* cum communi contra multos antiquos. Consilii tamen est, posseque etiam esse veniale, si accedat paulò post peccatum, præsertim carnale externum, quia mens solet tunc nimium esse perturbata, & affectus malè ordinatus. V. Moyam. *t.* 1. *tr.* 4. *q.* 8. & Rayn. in Heterocl. *Spirit. Tomo* 16. *s.* 1. *p.* 3. *n.* 41. 49.

522 §. 10. Communior & probabilior sententia est, cum S. Aug. Suar. Laym. Tann. Rhod. Lugo *d.* 4. *s.* 2. Avers. *q.* 7. *s.* 5. §. *Prætereà*, Gob. *t.* 4. *n.* 219. contra Ledesm. Vasq. Sa, J. Sanch. *d.* 22. *num.* 9. Leand. *num.* 38. quorum sententiam Tamb. *de Comm. c.* 1. *num.* 11. & Dicast. *d.* 9. *dub.* 3. vocant probabilem, quòd is peccet peccato veniali specialis irreverentiæ, qui communicat cum veniali afficiente actum Communionis, v. g. cum actu vanæ gloriæ concomitante, cum voluntaria distractione, cum actuali complacentia in peccato veniali, nolens excludere peccatum veniale impediens devotionem, &c. quia ratione ipsius Eucharistiæ redundat specialis indecentia in illud veniale concomitans, aut etiam in susceptionem ipsam Eucharistiæ, nam sicuti est irreverentia, distrahi dum communicas, ita videtur irreverentia, communicare dum distraheris, Quòd autem in susceptione Eucharistiæ possit peccari tantùm venialiter, optimè probat Lugo *d.* 15. *s.* 1. contra J. Sanch. Per veniale actuale autem non impediri collationem gratiæ, rectè probat Rayn. *n.* 6.

§. 11. Ad effectum principalem hujus Sacramenti 523 non necessariò prærequiritur fides actualis, uti dictum est *n.* 186. nec actualis devotio, secundùm dicta *num.* 193. Optima autem & maximè utilis devotio actualis consistit in actibus Fidei, Spei, & Charitatis & aliarum virtutum supernaturalium. Estque id notandum, quod dixi *l.* 2. *n.* 6. hostiam consecratam esse absolutè adorandam: supponendo pro certo, quòd Christus sit in ea præsens, cum non sit prudens ratio hìc & nunc dubitandi de valida consecratione: potestque de hoc videri etiam Avers. *q.* 9. *s.* 3. §. *Sextò.* Rectè autem notat Arcud. *l.* 3. *à c.* 19. usque ad 24. quamvis Græci panem & vinum benedicant, antequam deferant ad aram, ut consecretur, tamen malè facere populum adorando hunc panem & vinum: Quomodo autem prætereà Christus in Eucharistia sit adorandus, & quomodo imago Christi sit magis adoranda quàm talis panis aut vinum benedictum, rectè explicat c. 23.

§. 12. Probabile est Eucharistiam, quamdiù in 524 stomacho est, causare plures gratias, si accedant meliores dispositiones, Cajet. Gabr. Richard. Con. Regin. Suar. *d.* 63. *s.* 7. Valent. *d.* 6. *q.* 7. *p* 1. Amic. *d.* 25. *s.* 2. Lugo *d.* 12. *à num.* 46. Aversa *q.* 7. *s.* 4. Leand. *n.* 409. Rhod. suprà *s.* 2. §. 3. Bosco *s.* 7. *Concl.* 5. Gonet. *d.* 8. *num.* 37. contra Sot. Ledesm. Vasq. Henriq. Bon. Rayn. *s.* 4. *c.* 4. *num.* 4. Arr. *d.* 41. *num.* 9. Bernal. *d.* 41. *s.* 1. §. 3. Dicast. *d.* 8. *dub.* 3. Esp. *q.* 69. *ad* 4. Maurum *qu.* 103. *num.* 3. Castrop. *p.* 9 §. 1. *num.* 8. Suadetur 1. quia hæc opinio est magis pia, & conformior bonitati ac liberalitati Christi, qui non volet commorationem suam ibi otiosam esse, si subjectum melius disponatur: 2. Eadem opinio magis excitat devotionem, quam fideles intendent etiam ex spe majoris fructus. 3. Et præcipuè, quia Eucharistia, cum sit permanens, causat ad modum causarum naturalium, secundùm dispositionem subjecti, ergo sicuti agens naturale, verbi gratia, ignis, pergit successivè plus producere caloris, si subjectum melius disponatur, ita piè sperare possumus de Eucharistia, *Conf.* nam Con. Florent. in Decreto Eugenii IV. ad Armenos dicit, Eucharistiam operari quoad vitam spiritualem omnem effectum, quem materialis cibus quoad vitam agit corporalem, sed cibus corporalis ita successivè causat operationem suam secundùm applicationem dispositionis, per quam digeritur, ergò. *Si dicas*, inde sequi, quod Eucharistia, licèt nulla melior dispositio accedat, semper causet gratiam successivè, imò etiam quando desinit, quia cibus corporalis semper nutrit successivè, & tum tantùm quando desiit, *contrà est*, quòd Florentum authoritas & recta ratio dicere permittunt; ratio autem dissimilitudinis hìc est, quia nutritio corporalis invenit dispositiones contrarias, & requirit successivas applicationes materiæ alimenti ad diversas partes corporis alendi, hinc reipsa semper fit, quando cibus desinit, quia ut cibus nutriat, debet converti in substantiam aliti, ergo debet desinere: utrum-

que oppositum est in Eucharistia, quæ apud dignè suscipientem non invenit contrarium, & cùm primum stomachum attigit, jam applicata est, quantum secundùm præsentem dispositionem applicari potest; deniq; ipsa non debet converti, sed potiùs debet in se convertere hominem, ergo ipsa non debet semper causare successivè, multò minùs, quando desiit.

525 *Objic.*1. Reliqua Sacramenta causant tantùm in usu, ergo etiam Eucharistia. R. neg. seq. reliqua Sacramenta consistunt in ipso usu, Eucharistia non includit usum, & quamvis prærequirat tanquam conditionem, ut causet, tamen virtus causativa manet post usum, & causat, non ratione usus, sed ratione rei per usum acceptæ & post usum permanentis.

Inst. Soli manducationi præsenti promisit Christus gratiam, Joannis. 6. v. 55. *qui manducat*, &c. R. n. assumam etiam v. 52. dicit, *Si quis manducaverit* &c. Itaque ponitur præsens, quamvis conveniat etiam præterito, sicuti sumenti medicinam promittitur sanitas, non ideò causanda, quando sumptio præsens est, sed communiter quando est præterita.

526 *Objic.*2. Si successivè causatur major gratia adveniente dispositione meliore, ergo continuò semper causabitur major gratia, quia Sacramentum primo instanti causat gratiam, ideoque reddit subjectum meliùs dispositum, ut sequente instante causetur major gratia, & ita consequenter, R. n. seq. quia per dispositionem intelligitur aliquid, quod homo hîc & nunc habet independenter ab hoc Sacramento. Lugo *nn.* 50. Amic. 31.

527 *Objic.*3. Ergo sacrilegus erit, qui post dignam sumptionem, Christo adhuc præsente peccabit mortaliter, quia ponet obicem alteri effectui Sacramenti. R. 1. *Suar.* concedit seq. dicens per hoc fieri specialem injuriam Christo, quòd Sacramentum impediatur, quominus possit esse verum signum gratiæ amplioris. Si tamen aliquis ante sumpserit indignè, & in malo statu perseveret, rectè dicit *Suar.* esse tantùm aggravationem ejusdem moraliter sacrilegii; adhuc tamen tenebitur conteri, ut Sacramentum habere possit suum effectum gratiæ, antequàm desinat. R. 2. Lugo *num.* 59. negat seq. quia non ponit obicem primario effectui Sacramenti, sed tantùm incremento gratiæ, quod non tenebatur procurare, ergo sicuti non peccat, qui non ponit meliorem dispositionem, ita nec qui tum peccabit.

528 §. 13. Non est opus, ut posteriores actus virtutum, qui dicuntur facere dispositionem meliorem, sint intensiores prioribus, hoc ipso enim, quòd actus etiam remissior accedat ad alium actum priorem, hi duo melius disponunt subjectum, quàm unus tantùm eorum; imò rectè notat Lugo *num.* 54. longiorem continuationem ejusdem actus esse dispositionem meliorem, sicuti enim meliùs ad gratiam dispositus esset, qui ante Communionem actum charitatis continuasset per integrum quadrantem, quàm qui tantùm per medium, ita etiam qui post Communionem supposito, quòd Christus per quadrantem maneat in stomacho præsens.

529 §. 14. Si quis in susceptione primarũ specierũ fuisset remissè dispositus, & in susceptione ultimæ esset perfectius dispositus, acciperet novam gratiam, respondentem huic postremæ dispositioni, uti cum communiore habet Escob. *l.* 20. *n.* 479. Deinde Castrop. *p.* 9. §. 1. *n.* 6. dicit esse certum, docentque etiam alii communiter cum Escob. *nu.* 476. si quis indignè sumpsisset primas partes, & posteà contritus susciperet ultimam, accepturum esse gratiam, in sumptione ultimæ partis, quia tum est digna sumptio. *Nec obstat* sumptionem primam & secundam esse unam moraliter, & esse simpliciter indignam, *nam* gratia non causatur per sumptionem, sed per Sacramentum, quando jam desiit moraliter & retractata est indigna sumptio, & è contrà successit digna sumptio ultimæ partis.

§. 15. Si plures partes ejusdem speciei sumantur 530
successivè & in eadem dispositione, in sumptione primæ partis causatur totus effectus gratiæ, uti tenent S. Th. *q.* 79. *a* 7 *ad* 3. Suar. *d.* 63. *s.* 5. *c.* 4. Rayn. *s.* 4. *n.* 15. aliique communissimè, quia est tantùm unicum Sacramentum, nec est ratio dicendi, quòd effectus suspendatur usque ad adventum alterius sumptionis contingenter eventuræ; neque etiam causa est, cur augeatur, cùm sumptio primæ partis applicarit totam virtutem causativam; neque accedat melior dispositio.

Objic. Gratia in extrema Unctione non causatur, 531
nisi quando completur ultima unctio, uti habet S. Thom. *in supplem. q.* 30. *art.* 1. *ad* 3. ergo etiam in Eucharistia, quando completur tota sumptio. R. dato ant. n. conf. S. Thom. putat singulas Unctiones esse de essentia extremæ Unctionis: ideóque non existere ulla ratione hoc Sacramentum, nisi jam posita sit ultima unctio: oppositum est in Eucharistia, nam nulla sumptio est de essentia Eucharistiæ, quæ tota existit ante & post sumptionem; prima autem sumptio sufficienter applicat Eucharistiam. *Dixi*, dato ant. nam valdè probabile est cum Con. Laym. Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *R.* 168 quamvis singulorum sensuum unctiones non sint integrum & completum Sacramentum extremæ Unctionis, attamen esse quasi incompleta Sacramenta, ad similem modum, quo singuli Ordines sunt Sacramentum inadæquatum Ordinis, vel quo species panis sunt seorsim Sacramentum Corporis, & species vini seorsim Sacramentum Sanguinis: quæ etiam seorsim causent speciales gratias sibi respondentes, quidquid in contrarium pugnet *Dicast.* de Extrema Unctione *dub.* 3.

Inst. Si sumptioni ultimæ partis non respondet cau- 532
satio ullius gratiæ, ergo qui partem primam sumpsisset dignè, & postea mortaliter peccaret, sumeretque reliquas indignè, non peccaret mortaliter, quia non poneret obicem gratiæ, ut potè jam antecedenter causatæ. R. cum Lugo *d.* 12. *n.* 62. negando seq. nam etiam pars ultima debet esse, & secundùm se est, independenter à prima, verum signum gratiæ, quamvis hanc actu causare non debeat, nisi sub conditione, quòd prior pars non causarit; sic autem indignè sumens hanc ultimã partem, falsificaret illud signum, quia falsum esset illam partem causaturam fuisse gratiam, si pars prior non causasset, fuisset enim impedita per peccatum mortale, quod supervenisset.

Q. 105. *Quid præterea notandum sit circa præceptum* 533
confitendi mortalia ante Communionem? R. seqq.

§. 1. Ut hoc præceptum non obliget, duo debent concurrere, nempe ut desit copia Confessarii, & adsit necessitas communicandi; unde si adsit Confessarius, & per se loquendo, est obligatio confitendi, aut si desit Confessarius, & non sit necessitas communicandi, non est licitum communicare sine prævia Confessione.

§ 2. Satis est adesse aliquem Confessarium, 534
quamvis non adsit, quem velles, vel tuus ordinarius, uti satis certum est contra aliquos apud Mendo *diff.* 11. *q.* 1. *à n.* 8. Dicunt autem Gob. *t.* 3. *n.* 431. & *t.* 4. *n.* 242. Marchant. *in Resp. Pas. de Sacram t.* 4. *c.* 2. *q.* 1. tunc deesse copiam omnis Confessarii, si quis deberet ire ad duas horas, & per totidem redire: aliqui cum *Rhodes* ponunt unam integram leucam; Canus putavit absolutè sufficere quinque quadrantes; sed Aversa. *q.* 8. *s.* 6. §. *Deinde*, & Dicast. *d.* 9. *n.* 104. cum communi melius dicunt, hoc metiendum esse ex circumstantiis, ideóque regulam generalem esse, quando distantia tanta est, ut ob difficultatem itineris vel brevitatem temporis, vel necessaria negotia vel periculum scandali aut infamiæ, judicio prudentis

non

non possit adire Confessarium sine magno incommodo, tum non esse copiam Confessarii.

535 §. 3. Necessitas communicandi est in casibus à Busemb. *n.* 511. recensitis; quibus addit Gob. *t.*7. *num.*382. si diu abstinendum esset à Communione & Confessione, non tamen si tantum brevi tempore: Item si Confessio deberet esse longa, & non posset perfici, nec omitti Communio sine infamia vel scandalo, Aversa.§. *Posset*. Putatque Gran. pœnitentem posse tum dimidiata Confessione absolvi, cum onere posteà prosequendi totam, quod verum est saltem de infirmo periclitante de morte; si tamen non esset periculum mortis, *Zambr.*dicit tum solam contritionem præmittendam, & potiùs totam Confessionem differendam, quàm dimidiandam; quas omnes sententias Tamb.*de Commun.c.*1.*à num.*36. vocat probabiles, Notant tamen omnes communiter,onus Capellaniæ non esse necessitatem sufficientem; quia obligatio celebrandi censetur suscepta, quantum fieri potest cum debita decentia. Nec sufficit paupertas egentis Sacerdotis, nisi esset valde gravis: Nec observatio voti, & probabiliter etiam nullius præcepti humani, quia hæc non obligant, quando est moralis impossibilitas implendi debitè & legitimè, Lugo *n.* 117. Tamb.*n.*43.

536 §. 4. Ad necessitatem hìc ratione scandali vel infamiæ, requiritur prudens metus, non cujuscunque scandali vel infamiæ, sed scandali gravis vel infamiæ notabilis, S. Thom. Suar. Præpos. Gob.*t.*4. *n.* 256.Hinc non sufficit, quòd sis habendus minùs devotus quàm alii, aut quòd alii in genere mirabuntur. Putant tamen aliqui apud Dian.*p.*9. *t.* 3. *R.* 20. sufficere metum admirationis in populo, eò quòd hæc non soleat esse sine suspicione peccati, sed DD.communiter sentiunt contrarium, teste *Dian.* Hinc limitant & dicunt *Suar. & Gob.* tunc sufficere, quando timetur, ne ex illa admiratione leves homines accipiant occasionem temerè judicandi & detrahendi. *Nec obstat*, quod opponit Lugo *num.* 118. nempe etiam occasionem dari sic judicandi, si confiteretur, neque tamen excusari à Confessione; *nam* contrà est, quòd omnes sciant Sacerdotem sæpè confiteri,quamvis mortalia non habeat, ergo ex Confessione non ita suspicaretur populus, adesse mortale.Addunt Authores communiter, inter cætera etiam hoc consilium ut qui est in mortali, nec potest confiteri vel conteri, comedat aut bibat aliquid coram aliis, quasi per inadvertentiam, sicque se excuset ob defectum jejunii & quamvis fortè nascatur levis suspicio mali status, hæc non est tanti facienda, debetque hoc attribuere suæ malitiæ, & impœnitentiæ.

537 §. 5. Peccat, qui in Paschate indignè communicat, ne infamiam subeat, deberet enim se disponere per contritionem & Confessionem, aut posset aliter declinare infamiam. Gob. post *n.* 257.

538 §.6. Etiam excommunicato licitum est in necessitate communicare, uti contra *Sot.Silv.Rosel.*& alios docent Suar. Vasq. Lugo *à n.* 99. Tamb.*n.*26.*&* 44. Dicast.*n.*80 & iterùm *à n.* 126. Si enim hoc possit peccator, potest excommunicatus, cùm hic præcepto tantùm humano, ille divino prohibeatur, neque præcepta humana vel censuræ obligant in tanta necessitate, & cum tanto damno. Notant autem *Suar. & Sanch.* contra *Vasq.* talem excommunicatum, si habeat reservata, posse, imò *Lugo & Dicast.*dicunt debere, si potest, confiteri non reservata, & absolvi etiam à reservatis indirectè, quod etiam valet de suspenso & irregulari.

539 §.7.Qui confessus est,sed inculpabiliter omisit mortale, tenetur hoc confiteri,antequàm communicet,uti habet communissima cum Lugo *n.*126.& Dicast.*à n.* 20. *&* 81 neque opposita videtur tuta in praxi, quamvis illam aliqui teneant, & alii probabilem judicent cum Honor. Fabri *in Apolog.t.*1.*pag.*384.& malè pro hac citatur *Regin.*uti ostendit Moya *t.*4 *qu.* 5. Item malè citatur Præpos.uti ostendit Gob. *à n.* 243. Rationes autem communiter afferri solitæ pro ultima sententia nihil evincunt, uti ostendunt Lugo, & Dicast. Sylv.*p.*2.*V.Confessio*, *cas.*3.ideoque Arr. *d.* 46.*n.* 27. dicit absolutè defendi non posse:Moya *n.*9. vocat improbabilem: hinc sententia nostra probatur, tum quia talis est praxis,& sensus omnium fidelium, tum etiam quia non tantùm est præceptum confitendi mortalia ante Communionem, sed etiam confitendi omnia mortalia.

§.8.Si quis confessus sit mortale tanquàm dubium, 540
& ante communionem agnoscat esse certum, probabilius est cum Dian.*p.*9.*t.* 3.*R.*6.*&* Schild.*de Conf.t.*6. *num.* 25. debere iterum confiteri tanquam certum, priusquàm communicet, quia necdum est confessus, uti illius est sibi conscius: Alii tamen cum *Henr. Caram. & Leand.*dicunt non teneri, quod Gob. *nu.* 214. dicit esse probabiliter tutum in conscientia, *Pelliz & Tamb.*apud *Dian.* suprà dicunt esse probabile, quia ab illo peccato ut dubio directè est absolutus, nec apparet necessitas petendi ante Communionem absolutionem alteram directàm ab illo tanquam certo, estò in proxima Confessione ad hoc teneatur, ut dicetur de Pœnitentia.

Objic. Apostolus tantùm promulgat præceptum 541
probandi se, atqui probare se non est confiteri, sed tantùm est se examinare, ut docent SS. PP. Thom. apud. Bosco.*s.*10.*n.* 15. ergo. R. Apostolus vult examen, sed tale, ut si reperit se innocentem, sufficiat examen, si autem agnoscat se nocentem, confiteatur, quia nondum probatus est ea probatione, quam Ecclesiastica consuetudo declarat esse necessariam, quæ est, ut homo judicet se non habere mortale, quod non sit confessus; ut ex Trid. constat, cujus verba referam *n.* 543.

§.9. Si quis non potens recedere à scamno com- 542
municantium, recordetur mortalis, non quidem confessi, sed commissi ante ultimam contritionem vel absolutionem, pro qua dolorem universalem habuerat, potest communicare sine novo dolore, quia est in gratia, & tantùm tenebitur suo tempore peccatum illud directè subjicere clavibus. Lugo *n.* 122.Dicast. *d.* 9. *dub.* 1. Gob. *n.* 255.

*Q.*106.*Quid addendũ sit circa Sacerdotẽ qui necessi-* 543
tate urgente absque prævia Confessione celebravit? R. seqq

§. 1.Trid. *s.* 13. *c.* 7. sic habet, *Communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum: probet autem seipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessarii, quòd si necessitate urgente, quam primùm confiteatur* His autem verbis non proponi tantùm consilium, sed esse præceptum declaravit Alex.VII. damnans hanc prop. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.* Est itaque præceptum communis cum Lugo *d.* Ecclesiasticum, uti habet 14. *s.* 7. Dicast. *d* 9. *n.* 154. Obligat tamen sub Confessio est de se materia gravis præcepti, & multùm facit ad reverentiam hujus Sacramenti, tum etiam, quia obligatio levis non solet tam seriò & reflexè inculcari: Gob *t.*3.*num.*438.

Quia tamen latum est à Trid. ubi hoc Concilium. non est receptum, ibi non obligat illud præceptum.

544 § 2. Si Sacerdos non celebrans communicarit in mortali, non tenetur posteà quamprimum confiteri, sed satis est, si confiteatur, quando volet iterum communicare, quia Trid. loquitur de Sacerdote celebrante, & cum materia sit odiosa, non debet extendi; ita præter citatos à Busemb. Marchant. Dicast. Aversa *q.* 8. *f.* 7. §. *Nonò.*

545 §. 3. Tò quamprimum: explicari non debet, quamprimum talis Sacerdos volet iterum celebrare, ista enim obligatio antecedenter erat, & *Trid.* imposuit novam, quæ non erat: *Nec obstat*, quòd fortè sit praxis contraria apud quosdam Sacerdotes in Germania, uti testatur Gob. *t.* 3. *n.* 438. *Nam* praxin illam reprobat, partim S. Congreg. declarans teneri quamprimùm, id est, tertio saltem die post illam Missam sine Confessione peractam, quod etiam plures tenent apud Leandrum *n.* 390. partim Alexander VII. damnans hanc prop. 37. *Illa particula, quamprimùm, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Addit rectè Lugo *n.* 162. fieri posse, ut eadem die obligetur, si nempe prævideat, se intrà triduum debere celebrare, & post hanc diem non habiturum copiam Confessarii; sed rectè notat Dicast. *n.* 173. istam obligationem hodie confitendi potiùs nasci ex præcepto divino confitendi omnia mortalia ante Communionem.

546 §. 4. Docent Suar. Vasq. Say. Marchant. Nugn. Lug. *n.* 150. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 61. Dicast. *n.* 155. Aversa §. *Quintò*, Jo. Sanch. *d.* 31. *n.* 12. Gob. *n.* 440. Pelliz. *de Regular. t.* 6. *c.* 1. *n.* 69. Leander. *n.* 385. & in hoc conveniunt ferè omnes, inquit Moya *t.* 4. *q.* 6. *c.* 1. citans valdè multos, quòd Sacerdos non teneatur hoc præcepto, si habens copiam Confessarii non sit confessus ex malitia, quia licet gravius peccet, tamen in præceptis positivis non valet argumentum à minori ad majus, vel ad simile, uti cum communi Lugo *in Resp. Mor. l.* 4. *dub.* 47. *n.* 5. *Trid.* autem tantùm loquitur de eo, qui necessitate urgente celebravit sine Confessione prævia, sed si fuerit copia Confessarii, non fuit necessitas urgens celebrandi absque Confessione prævia, ergo nec tunc tenebitur ad confitendum quamprimùm. Hæc sententia est probabilis, sed *Sylvius* & alii, etiam probabiliter contradicunt, quia *Trid.* non supposuit, tantam fore malitiam Sacerdotis; quæ si adsit, mens ejus videtur fuisse, ut saltem statim post Missam obligationi satisfaceret; unde etiam secundùm *Gob.* & alios multò magis tenebitur quamprimùm confiteri, qui celebravit carens Confessario, & ita dispositus, ut quamvis adfuisset Confessarius, tamen noluisset confiteri, hic enim reipsa in defectu Confessarii, urgente necessitate celebravit: Item ille tenebitur, qui habens copiam Confessarii celebravit etiam omissa contritione, ut rectè *Lugo* suprà, Amic. *d.* 26. *n.* 33. quamvis Dicast. *n.* 156. etiam hìc subdubitet, si non celebrarit ex necessitate, sed pura malitia.

547 §. 5. Si Sacerdos confessus est, sed oblitus fuit mortale, quod occurrerat memoriæ ante celebrationem, neque tamen potuit iterum confiteri, tenebitur statim post confiteri, quia celebravit sibi conscius mortalis, sine prævia illius Confessione, Lugo *n.* 151. Dicast. *n.* 160. Aversa §. *Octavò, Peliz.* supr. Leander *n.* 389. dicens esse certissimum. Et idem est, si omiserit peccata reservata, *Pelliz.* E contrà, si præmissa Confessione celebrarit immemor alicujus mortalis, quod tamen commiserat, probabile est cum *Marchant.* non teneri statim post confiteri, quia non celebravit absque prævia Confessione, sibi *conscius* peccati mortalis; ex quo inferunt Marchant. Gob. Dicast. *n.* 150. contra *Lugo* quamvis non præmisisset Confessionem, si tamen celebravit immemor mortalis, etiam non teneri; etiamsi in Missa post Communionem recordetur mortalis, uti habet Bonac. Averf. §. *Sextò*, Leander *n.* 385. quia *Trid.* priùs dixerat, ut nemo conscius peccati mortalis accederet, ergo quando addit, *quòd si Sacerdos celebraverit*, videtur innuere, si celebraverit conscius peccati mortalis, & absque prævia Confessione, ergo si non fuerit conscius, non tenebitur statim post confiteri. Ex quo infert Moya *n.* 5. idem esse, quamvis Sacerdos ex negligentia graviter culpabili non agnovisset suum peccatum, quia reipsa tunc adhuc non celebrat, conscius sibi peccati mortalis.

548 §. 6. Plerique cum *Gob.* suprà docent, Sacerdotem teneri sub præcepto, si ante consecrationem, vel etiá priùs ante Communionem committat aut recordetur peccati mortalis, tum enim est urgens necessitas celebrandi sine prævia Confessione, néq; tum adest copia Confessarii; sed contradicunt alii cum Pelliz *n.* 70. quia rubrica de illo, qui ante Missam, dicit, ut conteratur, & statim post confiteatur: de illo autem, qui intrà Missá, tantùm dicit ut conteratur: Putant etiá *Vasq. Sayr. Sylv. Moya* suprà, Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 61. & defendi posse dicit Aversa §. *Septimò*, si Sacerdos ante Missam omittat confiteri, non quia desit copia Confessarii, sed quia timet infamiam vel scandalum, non teneri illo præcepto, tum quia non omisit confiteri propter defectum Confessarii, quod *Trid.* videtur requirere, tum præcipuè, quia ibi non omisit prævium Confessionem, cum prævie ante Missam non habuerit conscientiam peccati; & hanc sententiam probabilem esse dicunt Lugo *n.* 140. Dicast. *à n.* 151.

549 §. 7. Dian. Lug. Amic. Pelliz. Leander *n.* 385. Jo. Sanch. *d.* 31. *n.* 13. Aversa §. *Nonò*, dicunt etiám illum teneri præcepto, qui die Veneris sancto celebrans officium, communicavit sine Confessione peccati mortalis, quia, quamvis non consecret, tamen communicat sacerdotaliter. Idem dicunt cum *Suar. Vasq.* & aliis, si post consecrationem compleat Sacrificium alterius Sacerdotis deficientis. Rectè tamen notat Dicast. *à n.* 157. ista non esse adeò certa, cum enim hæc materia sit odiosa, posset aliquis dicere *Trid.* intelligi debere in rigore de illo, qui verè ipsemet celebrat Missam, id est, consecrat & communicat.

ARTICULUS II.

Quæ requiratur dispositio corporis.

550 RESP. 1. Nulla corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiæ, cum parum faciat ad bonitatem vel malitiam moralem; potest tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus secutos. *Ita commun. Unde resolves:*

I. Non impedit pollutio involuntaria, imò nec voluntaria per pœnitentiam expiata, nisi effectum malignum, v. g. turpem recordationem ac delectationem, vel distractionem, & perturbationem animi relinquat: eo enim casu, uti & semper, post culpabilem, præstat, ac secundùm sententiam communem, sub veniale debet differri, nisi aliud suadeat justa aliqua causa, v. g. magnus fructus festivitatis, regula Ordinis: vel si à dæmone excitata pute, tur, ad Communionis frequentiam impediendam, Sanch. *l.* 9. *de Matrim. d.* 13. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2. Lugo *d.* 15. *f.* 1.

II Neque actus conjugalis impedit; etsi decens, & consilii sit, abstinuisse saltem nocte proximè antecedente, si rarò communicet Ita Fill. & Sanc. *l.* c. Escob. *t.* 7. *E* 6. *n.* 83. intelligo, si debitum petitum ex necessitate reddidit, nec ullam inde animi perturbationē aut affectum ad res venereas patitur

„ tur : si verò voluptatis causa feciſſet, eo die abſti-
„ nendum esse, (præsertim si malignus effectus sub-
„ secutus fuisset) docet Regin. *l.* 29. *n.* 117. Laym.
„ *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 0. & 16. Mart. Perez. *d.* 49. *s.* 3.
„ *n.* 8. addens esse tantùm veniale; imò indecentiam
„ justa causa posse resarciri.

„ III. Similiter etsi decens & consilii sit, sumpta
„ Communione abstinere eo die à copula ; licita ni-
„ hilominus est ex bono fine, v.g. ex amore prolis, ad
„ vitandum incontinentiæ periculum, vel ad debi-
„ tum reddendum. Tamb. *c.* 3. §. 6. ex Sanch. *l.* 9.
„ *d.* 13. & *Marchin.*

„ Resp. II. Ex præcepto Ecclesiæ tenetur commu-
„ nicaturus, sub mortali, regulariter esse jejunus, je-
„ junio naturali, id est, ut à medio noctis nihil om-
„ nino per modum cibi, potus, aut medicinæ sump-
„ serit. Ita commun. Et est certum ex Conciliis,
„ quæ vide apud Fill. Laym. Bonac. Lugo *loc. cit.*
„ *Unde resolves.*

„ I. Et si parvitas materiæ non excuset hìc, non ob-
„ stat tamen Communioni, *Primò*, Reliquias cibo-
„ rum inter dentes hærentes trajicere casu (negat
„ enim *Præp Vasq.* & aliis, si fiat de industria, con-
„ tra Tann. Kon. *q.* 80. *a.* 4. *n.* 47. & Dian. qui con-
„ trarium probabile affirmant (licèt eas expuere
„ omninò deceat, Dian. *t.* 4 *de. sacr. res.* 37. & *p.* 4 *t.* 4.
„ *res.* 104. V. Escob. *t.* 7. *E.* 6. & Lug. *n.* 63. ubi notat,
„ sententiam istam *Tann.* & *Dianæ* ad hoc servire, ut
„ studiosè dentes ante expurgare, ne quid fortè ca-
„ su decidat, non tenearis. *Secundò*, Sanguinem vel
„ alium humorem ex capite defluentem vel guttu-
„ lam aquæ aut vini, casu per ablutionem oris ; vel
„ guttulam jusculi, dum sapor explorator, per mo-
„ dum salivæ, cui mixta est, vel culicem inter respi-
„ randum trajicere. Ratio, tum quia hæc aut non su-
„ muntur, scilicet ab extrinseco, aut non per mo-
„ dum cibi aut potus. V. Fagund. *præc.* 5. *c.* 3. Lug. *n.* 23.
„ *Tertiò.* Si aromata vel folium tabaci, ex causa ori
„ imponas, mastices, vel quid aliud gustes, modò ni-
„ hil transmittas. Præp. *in* 3. *p. q.* 80. *a.* 8. *d.* 1. *n.* 39. Lug.
„ *Resp. mor. l.* 1. *d.* 9. Idem de fumo tabaci, docet Gran.
„ *in* 3. *p. c.* 5. *t.* 10. *d.* 8. *n.* 4. (licèt indecens valdè id vi-
„ deatur, nisi justa ex causa fiat) & Escob. *t.* 7. *E.* 9.
„ ubi de ejusdem pulvere per nares attracto idem
„ colligit ex *Suar.* & *Fagund.* Idem tenet Diana *p.* 8.
„ *t.* 7. *R.* 3. & Lugo *ibid.*

„ II. Probabile est non impedire Communionem,
„ si frustillum ligni, chartæ, unguium, vel lapillum
„ deglutias, quia non habet rationem cibi vel potus.
„ Ita Dian. *R.* 38. & *tr. de celeb. R.* 52. ex *Ledesm.* &
„ *Sanch.* contra *Henriq. Regin Laym.* & alios, quorum
„ sententia tutior est, *V. Lug. Escob.*

„ III. Non licet communicare his casibus :

„ 1. Si sacharum, liquorem glicyrrhizæ, oræ reso-
„ lutum cum saliva trajicias : Si verò dubium sit,
„ numquid deglutiveris, vel an factum sit post duo-
„ decimam, probabiliter docet Lay. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 1. con-
„ tra *Sanc. Fag.* non impedire Communionem vel Sa-
„ crificium. V. Dian. *R* 29. & *suprà l.* 1. *t.* 1. *c.* 2. *d.* 3.

„ 2. Si vesperi incumbens aliquid ori contra rauce-
„ dinem imposueris, nisi certus sis, post medium noc-
„ tis te nihil transmisisse. Ita Suar. Fill. Lug *n.* 37. &
„ alii. Licitum autem est, inter horologia dissonan-
„ tia quod vis sequi etiam ultimum, modò non cons-
„ tet errare, quia habet se ut author bonus, faciens
„ opinionem probabilem, ut habet Sanch. *l.* 2. *d.* 1.
„ *de Matr.* Fagund. Jo. Sanc. Lugo *n.* 45. Dian. *R.* 36.

„ 3. Si aliquid sumpseris, licèt mox rejeceris.

„ 4. Si tabaci fumum in stomachum trajeceris, ut
„ docet *Præp.* etsi alii meritò dubitent. Tan. *t.* 4. *d.* 5.
„ *Gran.* autem *in* 3. *p. c.* 10. *d.* 8. negat.

„ 5 Si Sacerdos nocte Nativitatis, in prima Missa
ablutionem, vel lambendo digitos modicum aquæ „
aut vini sumpserit. V. Bon. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2.

IV. Non est peccatum, per se loquendo, cibum „
sumere (vel expuere, Tamb. *c.* 1. §. 1.) statim à „
Communione, ut ex *S. Th.* docet Az. Sanch. Bon. *p.* „
1. *n.* 25. unde eum, qui paulò ante medium noctis „
cœnasset in Dominica pridie Nativitatis Domini, „
posset nihilominus statim post mediam noctem „
celebrare, docet, *Dian.* & alii 3. *p. t.* 4. R. 44. etsi „
ob Sacramenti reverentiam, consilii sit abstinere, „
donec species sint consumptæ, quod saltem intrà „
dimidium quadrantem in laico (in Sacerdote intrà „
quadrantem) fieri certum videtur, Lug. *d.* 12. *s.* 3. „
n. 54. Ex judicio Medicorum à se consultorum, „
Tamb. autem *c.* 3. §. 4. ex J. Sanch. *d.* 38. notat citiùs „
à valido quam debili stomacho, regulariter tamen „
ab omnibus intrà horam consumi, refertque infir- „
mum quendam post mediam horam species inte- „
gras rejecisse. „

Dixi in Responsione, *regulariter;* quia non jeju- „
nus licitè communicat, in seqq. casibus, si quidem „
jejunus non possit sine notabili incommodo, ut „
monet *Lug. & Bon.* apud Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 42. „

I. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, „
vulnere, veneno, sive ex sententia Judicis. Et qui- „
dem in eodem morbo, etsi non tenearis, potes ta- „
men post aliquot, v. g. sex, 7. vel etiam, ut putat „
Laym. duos dies, (etsi quoad hoc potissimum atten- „
dendum esse ad consuetudinem, moneat *Lugo*) re- „
petere Viaticum non jejunus, dummodò nequeas, „
jejunus sumere, & periculum mortis recutrat, ut „
docetur *commun.* vel etsi maneat, ut contra *Vasq.* „
Præpos. & alios docet Nav. Tol. Regin. Suar. Lug. „
s. 3. *n.* 65. Imò etsi non liceat ægro ex sola devo- „
tione communicare fracto jejunio, si tamen mor- „
bus esset diuturnus, nec posset dari Communio, nisi „
post medicinam, probabile esse id licere, docet *Ar-* „
mil. Tol. Kon. Regin. Henriq. Suar. Escob. &c. quo- „
rum aliqui exigunt longum intervallum, v. g. 30. „
dierum, ut *Nav. & Villal.* alii 8. vel 10. dies, *ut* „
Suar. Henr Fag. alii 7. *ut Syv.* alii 6. ut *Arm. Zambr.* „
Posse v. & Fill. quos sequitur Dian. *de celeb. R.* 77. „
alii permittunt toties, quoties sano posset dari jeju- „
no; ita Esc. *t.* 7. *E.* 6. ex *Hurt.* alii denique posse „
sequenti statim die dari, ob justam causam, ut si „
propter consuetudinem & desiderium aut devotio- „
nem difficulter abstineat, & moraliter videatur inf- „
tare periculum mortis; sic Laym. *c* 9. *n.* 10. Verum „
ea in re loci consuetudo spectanda est, quæ nunc „
saltem videtur permittere, ut quando morbus & „
periculum diu protrahitur, post 7. & 8. dies iterum „
detur Communio non jejuno. V. Lugo *d.* 15. *s.* 3. „
Denique, licèt probabile videatur Fill. *tr.* 4. *n.* 242. „
& Lug. id quod docet Maj. *in* 4. *d.* 9. *c.* 3. Fern. „
de hared. &c. (*Laym.* verò *c.* 6. *n.* 21. limitat ad „
casum necessitatis, quo moriturus aliud Sacramen- „
tum suscipere non posset & scandalum cessaret) „
posse non jejunum celebrare ad dandum alteri Via „
ticum, eò quòd hoc sit juris divini, jejunium verò „
Ecclesiastici tantùm ; ideóque non tantùm posse, „
sed etiam teneri dicat Gran. *in* 3. *p. c.* 6. *t.* 10. *d.* 8. „
n. 12. id tamen meritò communiter rejicitur, tum „
quia major est habenda ratio Sacramenti, quàm ali- „
qualis necessitatis proximi, tum quia præceptum „
Viatici non obligat quando non potest rite dari. „
Ita Bon. ex Kon Hurt. *de Euch. d.* 9. *dif.* 17. Suar. „
Vasq. &c. *commun.* docetque *Lugo* esse probabilius „
V. Dian *to.* 1. *t.* 4. *R.* 33. Sacerdos autem morti „
(sive naturali, sivè violentæ) vicinus, celebrare „
sine dubio potest non jejunus ad dandum sibi Via- „
ticum, *si illud aliter* haberi non potest, quia non „
plus est celebrare quàm communicare sumpto ci- „
bo.

„ bo. Lugo *ſ.* 4. Laym. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 36.
„ II. Si periculum ſit, ne Euchariſtia pereat vel
„ malè tractetur, poteſt ſumi à non jejuno, etiam
„ laico, ſi alius deſit; imò probabiliter poteſt etiam
„ à præſente Sacerdote laicus accipere, ut docet Lu-
„ go *n.* 87. Suar. & Vaſq. *d.* 221. *n.* 48.
„ III. Si grave ſcandalum ſit oriturum ex omiſſio-
„ ne Sacrificii, vel Communionis: Quod tamen qui-
„ dam putant vix fieri poſſe, eò quòd occurri poſſit
„ ſcandalo, dicendo Sacerdotem caſu aliquid ſump-
„ ſiſſe, ideóque impediri.
„ Dixi, *ſcandalum*: quia turbationem vel incom-
„ modum aliquod ſecuturum, v. g. ſi celebraturus
„ primitias aliquid ſumpſiſſet, non ſufficere, notat
„ *Præp.*
„ IV. Si perfectio Sacrificii vel Communionis ur-
„ geat: quod fieri poteſt quinque modis;
„ 1. Si pro ſpeciebus vini ſumpſit aquam, (quam
„ ſi advertat, dum habet in ore, non eſt expuenda ob
„ periculum ejiciendi fragmentum hoſtiæ, & irreve-
„ rentiam; ſed deglutienda. Tamb. *de exped. Sac. l.* 2.
„ *c.* 8. Lug. *d.* 15. *ſ.* 4.) tunc enim tenetur denuò
„ conſecrare, quod fieri etiam poteſt, conſecrando
„ & offerendo ſtatim, ſine nova hoſtia: V. apud *Suar.*
„ Quòd ſi id poſt Miſſam concluſam advertas in ſa-
„ criſtia, omittas: Si autem intra Miſſam poſt ſump-
„ tionem, vel etiam ante eam, poſt conſecrationem
„ tamen, dubites, an fuerit vinum, pro vino præſu-
„ mendum eſſe, & pergendum, ait *Tamb.*
„ 2. Si celebrans poſt conſecrationem deficiat, tum
„ enim tenetur alius, etiam non jejunus, ſi jejunus
„ haberi nequeat, perficere.
„ 3. Si poſt conſecrationem, etiam unius ſpeciei,
„ recordetur ſe non eſſe jejunum; tenetur enim per-
„ gere, imò etiam poteſt pergere, ſi ante conſecra-
„ tionem recordetur, & abſque ſcandalo & nota non
„ poſſit deſiſtere, v. g. in ſolemni Sacro, ut docet
„ *Suar. Kon. &c.* Si tamen privatim celebret, & com-
„ modè poſſit abrumpere, tenetur, uti ex S. Th. *q.*
„ 83. *art.* 6. docet *commun.*
„ 4. Si poſt ablutionem ſumptam, licèt diu com-
„ munionem diſtribuerit, ſumendæ ſunt reliquiæ,
„ etiam grandiores, conſecratæ eodem Sacro, (quod
„ addo, quia non licet tunc ſumere particulas alte-
„ rius Sacrificii, quæ ſunt in Ciborio, ad illud ex-
„ purgandum, ut docet Suar. Lug. *l. c. cum commun.*
„ licèt contrarium probabile dicat Tamb. *de expedit.*
„ *Com. c.* 2 § 8. ex March. *t.* 3. *p.* 3. *c.* 3. uti nec ejuſdem
„ Sacrificii, ſi illud planè ſit abſolutum, & ab Altari
„ receſſeris) ſed debent ſervari, donec ſumantur à
„ jejuno, Eſcob. *t.* 7. *E.* 6. Fagun. &c. quia convivium
„ jam finitum eſt: Niſi tamen aliud ſuadeat pericu-
„ lum indecentiæ, v. g. ſi plures Miſſæ eodem die
„ iſtic futuræ non eſſent & Sacramentum aſſervari
„ non ſoleret, tunc enim minore irreverentia ſume-
„ ret, quàm aſſervaret. Imò Lugo *d.* 14. *p.* 4. *n.* 82. &
„ Gran. non damnant Sacerdotem, qui priùs, quam
„ ſacras veſtes exuat, particulam inventam abſumit,
„ eò quòd non ſit Communio nova, ſed complemen-
„ tum præcedentis. V. Bon. Lugo, Eſcob. *ll. cc.*
„ 5. Si pars hoſtiæ poſt ablutionem ſumptam cali-
„ ci aut palato adhæreat; (quæ decentiùs nova ablu-
„ tione, quàm digito attrahatur ad labium calicis
„ & ſumatur ante ablutionem) quomodo etiam ii
„ excuſantur, qui ex devotione hoſtiam in ore diu
„ retinentes, caſu præmittunt aliquid ablutionis:
„ ſponte tamen id non licet, niſi bona fides & ſanc-
„ ta ſimplicitas excuſet. Ratio horum omnium eſt,
„ quia talis ſumptio, moraliter cenſetur completio
„ uniusSacrificii. Regin *l. c. n.* 123. Bon. *l.* 1. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2.
„ Unus caſus eſt in metu mortis, ad quam evaden-
„ dam, ſicut ſine altari, vel calice conſecrato aut veſ-
tibus ſacris, ita etiam non jejunum poſſe celebrare
„ docet *Dian.* cum *Sylv. &c. p.* 3. *t.* 6. *R.* 48. *& par.*
„ 5. *t.* 3. *R.* 39. dummodò celebratio non exigatur
„ in contemptum Religionis, Eccleſiæ, vel ejus præ-
„ ceptorum.

ADDENDA.

Quæſt. 107. *Quid præterea notandum ſit circa diſpo-* 551
ſitiones ex parte corporis requiſitas? R. Seqq.

§. 1. Stomachus communicantis debet ita eſſe diſpoſitus, ut potens ſit retinere & conſumere ſpecies; unde ſi vel continuò revomat, vel ſtatim per ſeceſſum emittat omnes reliquos cibos planè immutatos, gravis irreverentia eſt communicare. Sanch. Quarti, Gob. *t.* 4. *n.* 165. Si tamen bona fide ſic communicet; & ſtatim revomat, accipit effectum Sacramenti ſive gratiam, Leand. *n.* 410.

§. 2. In dubio, an ſumens ſit revomiturus, Au- 552
thores communiùs & probabiliùs negant licitum eſſe putant Tann. Reiff. Gob. *n.* 163. quia videtur melius eſſe, ut Sacramentum exponatur incerto periculo irreverentiæ materialis, quàm hominem, in cujus bonum Sacramenta ſunt inſtituta, privare certo fructu Communionis: & addunt Suar. Tamb. Gob. *n.* 164. in hoc & ſimilibus caſibus licitum eſſe ægro minimam particulam, etiam in liquore vel juſculo, licet hoc moraliter certò ſit priùs deſcenſurum.

§. 3. Qui aliquando, etiam ſæpiùs per diem vo- 553
mit, non ideò tenetur abſtinere à communione, quia non eſt morale periculum, ut eo præcisè tempore eveniat; neque illa prudenter timentur, quæ rarò veniunt, Gob. *n.* 170. Si tamen caſu fiat, ut ſpecies rejiciantur, purgari debent & ſumi; ſi autem purgari non poſſint, vel ſi nemo ſit, qui velit ſumere, nefas eſſet comburere, ſed immitti poſſunt aquæ, donec diſſolvantur, tumque aqua injiciatur in ſacram piſcinam, Gob. *n.* 166.

§. 4. Qui ferè continuò tuſſiunt, non ideò te- 554
nèntur abſtinere à Communione, quia quamvis materia, quam ejiciunt, plerumque aſcendat è pectore, tamen non eſt periculum ejiciendi ſacras ſpecies, dummodò ad ſtomachum deſcenderint, quia via, per quam ſputa tuſſiendo excutiuntur, non eſt œſophagus, ſeu via cibi & potus ad ſtomachum, ſed eſt vena aſpera, ſive via reſpirationis ad pulmones. Decens tamen eſt ad vitandum ſcandalum, ut ſputum ſaltem intrà quinque *Pater & Ave*, ſi nimium abundet, poſt ſuſceptam Communionem, excipiatur ſtrophiolo, Caſtrop. *t.* 4. *n.* 171.

§ Si quis poſt communionem incidat in morbum 555
gravem, vel cum communione ſumpſerit venenum, ita ut Medicus judicet neceſſe eſſe, ut ſtatim vomat, ſumere poteſt potionem, *ne Calix vitæ vertatur in mortem*, inquit S. Th. *q.* 83. *a.* 6. *ad.* 3. Et rejectæ ſpecies ſeparatæ à ſordibus erunt detinendæ aut injiciendæ in aquam, donec conſumantur, & poſteà, quod ſupererit, in ſacram piſcinam conjiciendum, ſecundùm dicta *n.* 553. Si autem quis paulò poſt ſumptionem revomat, & ſpecies non appareant, *Rubr. Miſſ. de defect. tit.* 10. *n.* 14. præſcribit ut vomitus comburatur, & cineres in ſacrarium mittantur.

§. 6. Sacerdos more laico communicans, debet 556
eſſe indutus ſtola, uti ex *Conſt. Bracharenſi III.* præcipitur. *Cap. Eccleſiaſt.* 9. *diſt.* 23. ſub interminatione excommunicationis. Putat tamen Suar. *d.* 68. *ſ.* 1. Barb. Henriq. Bon. Gavant. Leand. *n.* 371. Gob. *n.* 47. nunc non peccare graviter, ſi ſtolam omittat. Imò Az. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 12. & Tamb. *de Commun. c.* 2. *num.* 10. abſolutè dicunt non peccare, quia decretum illud videtur abrogatum, & ſolùm ex decentia & convenientia ſervari ſolet inquit Averſ. *q.* 8. *ſ.* 8. *Duplex* Si tamen alicubi ſit mos, ut fiat, ſervari debet ſub veniali, uti docet Eſcob. *l.* 20. *n.* 469.

§. 7.

557 §. 7. Secluso scandalo (quod facilè non erit grave, inquit Tamb. *n.* 11.) licitum est communicare etiam gladiatum, Gob. *n.* 350. Imò hoc decet Equites S. Joannis & similes, inquit J. Sanch. *d* 45. quia gladius pro fide gestandus, est eorum insigne.

558 §. 8. Si hostia palato agglutinetur, paulatim solvenda est vino vel saliva, neque enim decet digito solvi, si tamen laicus digito solveret, putat Gob. *n.* 381. non nisi venialiter peccaturum. Ut autem non agglutinetur, expedit aliquanto tempore relinquere immotam in lingua, sic enim affluet saliva, aut humectatio oris ipsius impediet, ne agglutinetur.

559 §. 9. Post Communionem non statim bibendum aut comedendum, quia reverentia erga spiritualem cibum & Christum hospitem videtur hoc postulare, & ideò etiam *Cap. Tribus gradibus, de Consecr. dist.* 3. dicitur, si manè dominica portio editur, usque ad sextam jejunent Ministri, qui eam sumpserunt. Attamen, præter citatos à *Busemb.* docent Suar. Avers. §. *Post hæc*, Quarti *de Missa p.* 2. *tit.* 12. *dub.* 5. si adsit causa aliqua, ne quidem esse veniale; & decretum illud esse consuetudine abrogatum testatur *S. Th.* Ad 6. hinc potest Religiosus dato signo statim post Missam vel Communionem accumbere mensæ cum aliis, præsertim si alioquin molestia vel inordinatio aliqua causanda esset, cùm enim in mensa servet silentium, videtur pro reverentia manere satis collectus Dicast. *d.* 9. *n.* 413.

560 *Q.* 108. *Quid præterea sit addendum circa jejunium naturale ad Communionem prærequisitum?* R. Seqq.

§. 1. Ut aliquid frangat jejunium naturale, requiruntur hæc tria, 1. Ut hoc, quod sumitur, habeat rationem cibi vel potus. 2 Ut sumatur per modum comestionis vel potationis. 3. Ut sumatur ab extrinseco. Et de his tribus judicandum est, secundùm communem æstimationem Ecclesiæ.

561 §. 2. Per cibum aut potum intelligitur id solùm & omne, quod à stomacho alterari, & saltem ex parte digeri potest, sicque in substantiam hominis aliquo modo converti, Lugo, Castrop. Dian. Dicast. Gob. *t.* 4. *n.* 262. J. Sanc. *d.* 42. *n.* 23. Tamb. *de Comm. c.* 2. *n.* 16. contra Nugn. Laym *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 18. Bernal. *d.* 43. *n.* 7. qui non requirunt, ut si aliquid digestibile; sed tenendum est cum prioribus: unde qui cum aere deglutiret fumum, nebulam, & similia non fregisset jejunium, quia hæc non censentur comestibilia vel potabilia, sed tantùm respirabilia, Dicast. *d.* 9. *n.* 280. neque possumus ab his expurgare aerem, quem trahimus aut deglutimus, inquit Lugo *d.* 15. *n.* 35. Quamvis autem aliquid secundùm se totum digeri non possit, si tamen sit aliquid instar cibi vel potus, & aliquam partem habeat digestibilem, uti probabiliter habent uniones in pulverem redacti, aurum potabile &c. franget jejunium, Tamb. *n.* 22.

562 § 3. Probabile est cum Ledesma, Lugo, Jo. Sanch. Dian. Tamb *n.* 18. Aversa *q.* 8. *f.* 8. §. *Septimò*, contra *Castrop.* & alios, quòd capilli, officula fructuum, plumbum, aurum, fila ex serico vel lana, &c. non frangant jejunium, cùm non habeant rationem cibi nec sint digestibilia. *Nec obstat*, quòd S. Th. *q.* 80. *a.* 8. *ad* 4. dicat, *Nec refert, utrum aliquid hujusmodi nutriat vel non nutriat: non* enim ideò negat debere esse aptum nutrire, seu digestibile. Addit *Dicast.* terram, quàm prægnantes extraordinariè appetentes quandoque comedunt, etiam non frangere, sed probabilius est, quòd talis terra frangat; uti & creta, quam domicellæ edunt, ut albescant, quia in eis continentur partes mixtæ, quæ à stomacho sunt alterabiles. Putat enim Tamb. *n.* 19. per cartam, & filum ex lino frangi jejunium, quia ex herbis fiunt: Item per fœnum, & paleam, quæ in substantia sua sunt herbæ: Item per pulveres medicinales, etiam ex ossibus, & lapidibus contritos, quia habent se tanquàm cibi medicinales corporum. Idem dicit Tamb. *n.* 20 de cera, quamvis contradicant *Dian & Bern.* quia cera ferè semper aliquid retinet mixtum de melle. *Pasq* autem putat veneno non frangi jejunium, eò quòd ex natura sua non ordinetur in cibum humanum, sed probabilius est in eo contineri partes, quæ ex natura sua sint cibus humanus. Aqua verò, licèt non nutriat, tamen nutritionem valdè juvat, & est propriè humanus potus ideóque frangit naturale jejunium.

563 §. 4. Si quis deglutiret parvam nucem cum cortice clauso, Jo. Sanch. & Leand. *n* 373. putant frangi jejunium, quia nucleus inclusus est materia comestibilis, & per accidens non alteratur; sed meritò dubitat Tamb. *n.* 21. quia prout hìc existit, dum trajicitur, sic non est alterabilis nec digestibilis.

564 § 5. Tunc aliquid sumitur per modum comestionis vel potationis, si hoc, quod trajicitur, & modus trajiciendi, sufficiat in morali æstimatione, ut quis censeatur comedisse aut bibisse, Tann. Leand. Gob. *n.* 260. Unde si musca involaret in fauces, & sic se ipsam in stomachum inferret, non violaret jejunium: è contrà violaret, si involaret in fauces, & homo postmodùm deglutiret, Lugo, Rhod Tamb. *n.* 24. Gob. *n.* 264.

565 § 6. Quod fuit aliquid quasi spectans ad corpus, & censetur permansisse in corpore, non dicitur sumi ab extrinseco, S Th. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. *a.* 4. *quæst.* 2. Hinc si sanguis è gingiva, aut sanies è pustula oris fluens deglutiatur, non frangit jejunium, Suar. *d.* 68. *s* 4. Tan. *d.* 5. *q.* 8. *n.* 79. Et idem dicit *S. Th. supra, de eructationibus*: Notat etiam Quarti *p.* 3. *t.* 9. *s.* 1. *d.* 2. citans *S. Th. Suar. Lugo* & alios, quamvis sanguis in os defluens ex industria deglutiatur, etiam animo se nutriendi, non violari jejunium, quia intentio illa non potest dare sanguini rationem cibi ab extrinseco: si tamen quis sanguinem è vulnere digiti & deglutiret, frangeret jejunium, quia cùm sumatur à membro ita distante, censetur *sumi* ab extrinseco, Lugo *n.* 32. Tamb. *n.* 22. Et idem est, si mulier è suis mamillis lac suggeret, Aversa §. *Tertiò* Imò puto, si id, quod ex oculis vel naribus defluit, in os admittatur & deglutiatur, frangi jejunium, quia venit ab extrinseco.

566 §. 7. Quidquid se habet per modum salivæ, etiamsi planè ab extrinseco, salivæ advenerit, non censetur esse ab extrinseco, nec frangit jejunium. Hoc autem se habet per modum salivæ, quòd, cùm sit quid minimum, & à saliva inseparabile, estò nondum in illam sit conversum, tamen cum saliva trajicitur, uti si quis os abluerit aqua, cujus stillula mixta salivæ posteà deglutiatur, Suar. Vasq. Gran. Dic. Gob. *n.* 270. Requirunt autem *S. Th Lugo, Fill. Bonac.* ut hoc trajiciatur præter directam intentionem, sed *Henriq. Con Tab.* & alii apud Avers. §. *Quintò*: dicunt non obstare, etiamsi advertenter trajiciatur.

567 §. 8. Si hoc, quod dentibus inhæret etiam dedita opera deglutiatur, putant Suar. Castrop. Gob. *n.* 268. Leand. *n.* 373. non violari jejunium, quod etiam ut probabile defendit Ochagav. Tann. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 104. Si tamen illæ reliquiæ essent ita magnæ, ut sensibiliter perciperentur in lingua, demberemus expuere, inquit Lugo *n.* 36. Et si deglutirentur, frangerent jejunium, quia non habent se per modum salivæ, nec censentur sumptæ heri, sed hodie sumuntur, veluti distinctæ partes ab hesternis, & veluti ab extrinseco, cùm non fuerint pars, nec corporis nec salivæ humanæ, ergo frangunt jejunium, licèt casu deglutiantur, *Nugn.* contra *Gob.* & alios.

568 §. 9. Si quis in flumen lapsus, invitus sumat aquam, aut si alicui in somno vel violentè ingeratur cibus

in

in fauces, *Bosco* dicit non frangi jejunium, sed probabiliùs contradicunt Lug. Pasq. Tamb. Dian. *p.* 1. *t.* 16. *R.* 49. Averſ. §. *Sextò*, quia vitaliter ſumitur per potationem vel cibationem, ſic enim etiam bruta cibantur, licèt invitis ingeratur cibus.

569 §. 10. *Lezana* & alii apud Dian. *p.5.t.13.R.1. & p.8.t.7 R.3.* putant tabacum tam maſticatum quam fumatum frangere jejunium, quamvis nihil ſenſibile dimittatur, quia aperit ſtomachum, & inde trahit humores, ergo id facit per qualitates & accidentia, quæ deſcendunt, accidentia autem non deſcendunt ſine ſubjecto, ergo ſimul deſcendunt tenues ſubſtantiæ alterantes ſtomachum: è contrà Dian. & Burgh. *cent.* 3. *caſ.* 45. citantes alios plures negant per tabacum ſolvi jejunium, dummodò de folio nihil deglutiatur: ſi autem aliquid fumi deglutiretur adhuc negant *Burgh. & Marchant.* contra Rayn. *in Heter. t.* 16. *ſ.*1. *p.*3. *n.*23. tolli jejunium, quia deſcendit per modum aeris, & veluti per actionem reſpirationis, uti *n.*561. dictum eſt. Ad hoc autem ut tabacum attrahat humores, notant Lugo *in Reſp. Mor. l.*1. *d.*9. & Gob. *n.*265. opus non eſſe, ut aliquid deſcendat quia fieri poteſt vel per vim aliam attractivam, vel ex conſenſu linguæ, & palati cum ſtomacho, cerebro, aliiſque partibus humorem continentibus.

570 §. 11. Sumptio tabaci per nares, ſive in folio ſive in pulvere, ſive in fumo, imò ſecundùm aliquos etiam guttulæ humoris attractæ per nares non ſolvunt jejunium, quia hæc omnia non ſunt comeſtio vel potatio, ſed vel trajectio ſalivæ, vel reſpiratio, vel attractio ſeu afflatio narium, Boudev. *p.* 2. *q.* 17. Averſ. §. *Tertiò & Sextò.* Præterea non violat odor qualiſcumque, quia nec eſt cibus vel potus, nec ſumitur per comeſtionem vel potationem, ſed velut, aer per reſpirationem, Tamb. *n.* 23. Gob. *n.* 264. Pignat. *t.*1. *conſ.*155. contra De Leon.

571 §. 12. Si Sacerdos Communionem diſtribuens, particulam repertam ſumat, non poteſt poſtea illa die Miſſam legere, quia ſi conſecrata non eſt, ſolutum eſt jejunium; ſi conſecrata eſt, bis communicaret una die, Lugo hìc *d.* 15. *n.* 27.

572 §. 13. In jejunio naturali ad Communionem requiſito non dari parvitatem materiæ, rectè probant Diana *p.*6. *t.*8. *R.*8. & Carden. *in criſi d.*12. *c.*3. contra quoſdam apud Mendo *diſſ.* 11. *q.*1. *n.*7. Poteſt tamen aliquid modicum, habens ſe per modum ſalivæ, non frangere jejunium, ſecundùm *dicta n.* 566.

573 §. 14. Quamvis priùs defluat vinum, quam degluliatur hoſtia, nihil obſtat jejunio, quia ſumptio illa vini & hoſtiæ manet una moraliter.

574 §. 15. Certum eſt non requiri, ut poſt ſumptum cibum intercedat ſomnus vel digeſtio cibi, uti habet communis cum S. Th. *a.*8. *ad* 5. Averſ. §. *Octavo. Nec obſtat*, quod *Cap. ſi conſtiterit, de accuſat.* jubeatur puniri Sacerdos, qui nulla dormitione noctu præmiſſa manè celebravit: & *Gloſſa* addit, quia non videbatur jejunus propter indigeſtionem, *nam*, non ideo jubetur puniri, ſed quia totam noctem in taberna exegiſſet.

575 *Q.* 109. *Quid faciendum ſit in dubio, an ſis jejunus?* Reſp.

§. 1. Si Probabiliter judices te jejunum, potes communicare uti ſequitur ex dictis *l.* 1. *à n.* 268. & ſignanter hìc notat Averſa *q.*11 *ſ.*8. §. *Nonò.* Si autem mere negativè dubites, *Verjuys* citans alios *t.*8. *a.*3. abſolute negat te poſſe communicare, quia in dubiis pars tutior eſt eligenda; & quando dicitur, quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis, id habet locum tantùm in materia juſtitiæ; ſed cùm ſententiam illam rejecerim *l.* 1. *n.* 302. aliter eſt diſtinguendum.

576 §. 2. Si ſcias te poſt medium noctis fuiſſe jejunum, & dubites, an poſtea aliquid deglutiveris, Sanch. Fagund. Rodr. Villal. Lugo, Bonac. Caſtrop. Oviedo, Schild. *t.*6. *c.*4. §. 1. dicunt tibi non eſſe licitum communicare, & *Salas* dicit oppoſitum eſſe contra mentem omnium. Rationem dant, quia jejunium prærequiritur velut conditio ad participandum illud Dei beneficium, ergo qui vult illius eſſe compos, debet probare ſe habere conditionem illam; ſicuti in foro externo, qui vult frui Beneficio, quod conceditur nobili, debet probare ſe eſſe nobilem Nihilominus Card. Lugo, Laym. Caram. Paſq. Bardi, Dicaſt. Carden. Boſſ. Rayn. *in heterocl. ſpirit. T.*16. *ſ.*1. *p.*3. *n.*25. Dian. *p.*3. *t.*4. *R.*29. *Ber. d* 43. *n.*12. probabiliùs dicunt licitè communicare, quia quivis habet jus certum communicandi, niſi ſciat ſe prohiberi; deinde certus eſt, ſe fuiſſe jejunum, v. g. hora ante primam noctis, neque hìc tenetur poſitivè probare ſe eſſe idoneum, ſed ſatis eſt, quòd ſciat ſe fuiſſe idoneum, & non ſciat ſe non eſſe ampliùs, tum enim eſt in poſſeſſone ſui juris & libertatis, ergo non debet dejici de illo jure, & poſſeſſione per incertum impedimentum, præſertim cùm fractio jejunii, quæ eſt res facti, præſumi non debeat in dubio ſed probari, ſicuti ſi ſcias te heri non fuiſſe irregularem, & dubites, an hodie ſis factus, ſupponere poteris te non eſſe, & ſuſcipere Ordines, quia antecedenter eras, & manes in poſſeſſione libertatis ad Ordines ſuſcipiendos, niſi dubitares de homicidio, jus enim tunc ſpecialiter prohibet ſuſceptionem Ordinis.

§. 3. Si ſcias te aliquid cibi vel potus deglutiviſſe, ſed neſcias an ante vel poſt duodecimam noctis J. Sanch. *d.*42. Dicaſt. *d.*9. *à n.*284 Gob. *t.*4. *n.*280. Boſco *ſ.*11. *concl.*6. adhuc putant te poſſe communicare, ideque defendunt velut probabile Med. Lay. Rhod. Tamb. Burgh. *cent* 3. *caſ.*96. Carden. *in* 1. *criſi d.*26. *n.* 87. Dian. *R.*29. Bardi *diſc.*6. *c.*11. *p.*3. §. 1. & 2. quia adhuc videtur poſſidere jus communicandi, uſquedùm probetur ſuperveniſſe impedimentum; ſicuti enim ille, qui dubitat, an ſit irregularis non tenetur probare ſe non eſſe, ita etiam volens communicare, non tenetur probare ſe eſſe jejunum, ſed ſatis eſt, ſi illi non conſtet non eſſe jejunum; qui autem vult illum repellere, illi incumbit probare, quòd jejunus non ſit. Alii tamen cum Th. Sanch. Boſſio, Lugo, Bernal. ſuprà Tamb. *de Commun. c.*2. *n.*29. dicunt talem non poſſe communicare, quia cùm ſciat ſe comediſſe, poſſeſſio non videtur eſſe pro libertate, ſed pro præcepto prohibente; quod *Lugo* confirmat à pari, nam qui ſcit ſe voviſſe, & dubitat, an ante vel poſt ſeptennium, tenetur voto, & onus probandi, quòd fuerit ante ſeptennium, incumbit voventi, ergo etiam, qui certus eſt ſe comediſſe, ſed neſcit, an ante vel poſt mediam noctem, ei incumbet onus probandi non fuiſſe poſt. Hæc ratio eſt probabilis; & quod votum attinet; videri poſſunt dicta *l.*3. *p.*1. *n.*387. Bardi autem dicit eſſe diſparitatem, quòd pro voto ſit poſſeſſio, quia obligatio eſt certa, quæ fundatur in natura voti facti cum uſu rationis: uti ſupponitur, ſive adſit ſeptennium ſive non; exceptio autem ſeptennii, ante quod non ſupponitur eſſe uſus rationis, eſt dubia, ideóque à vovente probanda eſt. E contrà in noſtro caſu, poſſeſſio non eſt pro præcepto prohibente, nam prohibitio tantùm obligat ſuppoſita comeſtione, non qualicumque, ſed pro tali differentia temporis exercita; ergo ſi non probetur facta tali tempore, poſſeſſio non eſt pro præcepto prohibente. Hæc reſponſio eſt probabilis, nihilominùs ſententia oppoſita videtur probabilior.

577

§. 4. Si quis noctu expergefactus bibat, non potens ſcire quæ ſit hora, ideóque manè ſit omninò dubius an poſt an ante mediam noctem biberit, Bardi & Tamb. *in dec. l.*1. *c.*3. §. 7. rectè docent contra *Gob.* non poſſe communicare, quia talis prudenter examinare non poteſt, an fuerit ante vel poſt mediam noctem,

578

ctem, cum nequeat judicare de horis in somno transactis, ergo non est potens ad determinandum se prudenter pro sua libertate, hæc enim determinatio fieri debet post prudens examen, quale tunc tantùm institui potest, quando respectu vigiliæ oritur dubiũ.

Quæ hìc dicta sunt de volente communicare, valent de Sacerdote volente celebrare Missam.

579 *Q.* 101. *Quid hìc intelligatur per mediam noctem, à qua debet esse jejunium?* Resp.

§. 1. Per mediam noctem in his partibus intelligitur hora duodecima noctis, non præter propter, sed in momento, non quidem mathematico, attamen Ecclesiastico, & attendendo ad horologia, secundùm dicta *l.* 1. *à n.* 582. hinc rejici debet sententia aliquorum apud Dian. *p.* 10. *t.* 16. *R.* 48. qui dicebant non obstare huic jejunio, si quis statim post duodecimam aliquid sumeret, eò quòd moraliter censeretur adhuc esse duodecima.

580 §. 2. Tunc est duodecima, aut quævis hora, quando auditur primus pulsus horologii, uti dictum est *l.* 4. *n.* 486. Unde si quis tum aliquid cibi vel potus habeat in ore, probabilius est cum Con. J. Sanch. *d.* 42. *n.* 19. contra Gob. *in Exp. t.* 4. *n.* 272. teneri ejicere, si velit manere jejunus, sicuti debere ejicere saccarum, quod ante mediam noctem ori imposuisset, uti habet communis & certa contra *Amic.* & alios apud Gob. *n.* 279.

581 §. 3. Horologia ordinariè non benè directa attendi non possunt, sed aliunde ferendum est judicium, secundùm dicta, *l* 4. *n.* 487. si tamen alicubi sint plura horologia, quæ ordinariè benè dirigũtur, & quis aliquid sumat post duodecimam in uno, & necdum in aliis auditam, Rodr. Merol. Sal. Ovied. Schild. *t.* 6. *c.* 4. §. 1. dicunt non esse licitum communicare, quia uterque sonus est incertus, & causat dubium positivum de jejunio, hinc Avers. *q.* 8. *dub.* 8. §. *Ubi autem*: ait etiam eum esse dubium de jejunio, qui comederet paulò ante sonum duodecimæ in omnibus horologiis, quia horologia vix unquam attingunt horam naturalem: sed quidquid sit de hoc, oppositа sententia est practicè tuta, uti citatis Authoribus notat hìc *Busemb.*

582 *Q.* 111. *Quandonam præterea possit aliquis non jejunus communicare?* R. Proponi solent hi casus.

§. 1. Cajus Parochus ad festum suæ dedicationis invitarat Titium vicinum Parochum, ut pro eo caneret Missam: Titius non intellexit se invitari ad Missam canendam, hinc legit manè in suo templo, jentat & venit ad Cajum, qui etiam manè legerat: hìc expectat populus Missam. *Quæritur*, an Titius in hoc casu possit non jejunus Missam legere? Resp. Nav. & Verj. *t.* 8. *art.* 3. dicunt ob nullum scandalum posse Sacerdotem celebrare non jejunum, quia vitari potest scandalum, dicendo, neutrum esse jejunum; nec turbabitur populus, si dicatur in eo casu non obligari ad Missam. Alii contrarium tenent cum Tann. *d.* 4. *d.* 5. *q.* 8. *n.* 64. quia si populus nesciat Titium non esse jejunum, minus malum est hunc legere non jejunum, quàm cum scandalo offendi totum populum, & tali die privari Missa: quòd si populus sciret neutrum esse jejunum *Tann.* dicit melius esse admoneri de errore, & dimitti sine Missa; è contrà Gob. *t.* 4. *n.* 329. dicit melius fore, si Cajus celebret, quia scandalum cavetur, si edoceatur populus, quòd Ecclesia id permittat in ejusmodi circumstantiis; si autem non fiat, gravius orietur scandalum dicteria contra Sacerdotes, sarcasmi, irrisiones, &c.

583 §. 2. Titius diù se probavit pro prima Missa, quam cogitat hodie hora octava canere, interim hoc manè iterum se probat, & uti aliis diebus fecerat incogitanter sumit hostiam non consecratam. *Quæritur*, an possit primitias legere non jejunus? R. per se loquendo non potest, possunt tamen adesse circumstantiæ, ob quas liceat, v. g. si Titius sit familiæ perhonestæ, ad cujus primitias conveniunt cognati multi, pro quibus etiam fit convivium lautum apparatum; item si publicè notum est vel proclamatum, eum hodie lecturum primitias: & è contrà error illius sumpta hostia non consecrata sit occultus, hoc casu licitum ei erit celebrare, tum per epiikiam, nam nullus Papa, si adesset vel interrogaretur, vellet hunc casum lege inclusum; tum propter publicum scandalum aliàs oriturum: Gob. *t.* 3. *n.* 411.

584 §. 3. Titius Dominica in Albis communicare voluit pro Paschate, sed manè casu deglutivit aquam: *Quæritur*, an communicare possit non jejunus, ut præceptum annuæ Communionis impleat? R. Affirmat Tolet. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 24. quia videtur prævalere utilitas hujus præcepti, Præp. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 104. & alii probabiliùs negant, quia cum sine incommodo possit sequente die utilitatem istam percipere, prudenter præsumitur, quòd Ecclesia velit obligationem tantisper differri.

585 *Q.* 112. *Quis hìc intelligatur constitutus in periculo mortis, ita, ut non jejunus possit communicare?* R. Omnis ille, cui invito mors imminet, uti magis explicabitur *n.* 623. nam si ipse se conjiciat in mortem, non censetur esse in illius periculo. Non est tamen opus, ut mors certò immineat, sed satis est, quòd prudenter timeatur, v. g. si Medicus aut alius homo prudens judicet ex illo morbo decessurum, Dicast. Gob. *t.* 4. *à n.* 308. An autem, sicuti licitum est in tali casu communicare, etiam liceat celebrare non jejuno, ut talis moribundus communicare possit, dicetur *n.* 611.

ARTICULUS III.

Quæ & quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam.

586 RESP. I. Sumptio Eucharistiæ fidelibus adultis est necessaria, necessitate, non medii, sed præcepti divini, obligantis tum in articulo mortis permodum Viatici, tum etiam sæpiùs in vita, ut docet, *Suar. Vasq. Laym. Fagn.* & alii *com.* probantque tum ex Scripturâ, tum ex Conc. Nicæno & Trid. *s.* 3. *c.* 6. tum ex praxi Ecclesiæ, tum quia Eucharistia est instituta per modum cibi, cujus usus sæpiùs est necessarius, Bon. *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 8. *Unde resolves*:

I. Quisque fidelis in periculo vitæ, quod prævidet vel meritò timet, v. g. in gravi morbo, ante conflictum vel puerperium præsertim primum, ante navigationem, &c. tenetur sub mortali communicare Suar. Vasq. *d.* 214. Nisi tamen paucis, v. g. octo diebus ante communicasset, talis enim Communio censeretur habere rationem Viatici, ut docet *Suar. Reg. Fill.* contra quosdam, ut Gasp. Hurt. *d.* 10. *dif.* 2. *&c.* apud *Escob.* qui manè communicavit, si à prandio incurrat periculum vitæ, teneri iterum sumere Communionem, tanquam Viaticum; imò Sà & Sylv. *v. Euch.* Fumus, &c. & Caj. *v. Communio*, putant non esse saltem mortale, Communionem omittere, dummodò Paschate sumpseris.

II. Si in ægro esset periculum vomitus, docet Sanctius apud Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 55. posse ei parvam particulam dari, quæ stomachum alteratura non putetur, aut si de hoc ipso dubium sit, securitatis causa priùs dari particulam non consecratam, quam, si rejiciat, nullo modo dandam consecratam, secus, si retineat. Si verò independenter à cibo perpetuò evomat, nullo modo dandam, nisi fortè per sex saltem horas liber à vomitu fuisset.

III. Pueris doli capacibus, qui sciunt distinguere Eucharistiam ab alio cibo, probabilius est in

„ periculo mortis eam esse dandam pro Viatico, ut „ contra Vasq. insinuat Laym. *t.* 4. *de Euch. c.* 4. & ex- „ presè docet Suar. *d.* 40. *s.* 1. confirmatque Lug. „ *d.* 13. *s.* 4. *n.* 38. & addit, contra *Sanch.* si de ca- „ pacitate pueri sit dubium, posse nihilominus dari, „ etsi non sit necesse.

„ IV. Qui post Viaticum sumptum peccavit mor- „ taliter, non tenetur denuo communicare. Ita *Re-* „ *gin. Fill. Lug.* & alii.

„ V. Qui non communicavit in periculo mortis, „ non tenetur postea supplere. Ita Bon. *p.* 1. ex *Hen-* „ *riq. Reg.*, *&c.*

„ VI. Judex tenetur, per se loquendo, reis conce- „ dere tempus communicandi, ut docet Suar. Bon. „ *l. c. & alii communiter*, contra *Nav.* Quòd si reus „ noluerit, potest judex procedere, Fill. *t.* 4. *c.* 8. *q.* „ 11. *n.* 238.

„ Resp. II. Etsi Christus tempus Communionis, „ extrà periculum mortis non præceperit, Ecclesia „ tamen pro eo determinavit tempus Paschale, quod „ communiter numeratur à Dominica Palmarum, „ usque ad Dominicam in albis inclusivè, alicubi ta- „ men totam Quadragesimam comprehendit; alibi „ extenditur ex consuetudine vel indulto; potestque „ Confessarius, ex justa causa, extendere, ut docet „ Sà & alii. V. Bon. *p.* 2. *Unde resolves.*

„ I. Præceptum hoc impletur etiam per Commu- „ nionem sacrilegam, ut habet communis, contra „ *Durand. & Sylv.* Et patet, quia Ecclesia tantùm „ præcipit actum externum, nec finis præcepti cadit „ sub præceptum. An verò, qui non satisfecit tenea- „ tur postea implere, utrimque probabiliter defendi- „ tur, etsi affirmativa videatur probabilior. Bon. *l.* „ *c. Suar. Kon. Lug. &c.*

„ II. Non tenetur prævenire, qui prævidet tempo- „ re Paschali se impediendum, ut contra *Vasq. Sylv.* „ *& Fagund.* probabiliter docent Azor. *tom.* 1. *l.* 17. „ *c.* 41. *Suar. &c.* Qui verò sic præveniisset, & postea „ tolleretur impedimentum, teneretur rursus com- „ municare, secundùm Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 5. Lug. *n.* „ 78. quia non satisfecit præcepto obliganti ad Com- „ munionem, & ad illud tempus. Negat tamen *Dian.* „ etiam *Fernand. & Suar.*

„ Resp. III. Tenetur quis Communionem Pascha- „ lem sumere in Parochia, à Pastore suo, nisi hujus „ licentia, privilegio, aut consuetudine eximatur. „ Nav. Suar. *d.* 72. *s.* 2. *&c. Unde resolves:*

„ I. Sacerdos ubivis celebrando satisfacit. Bon. *d.* „ 4. *q.* 7. *p.* 2.

„ II. Eximuntur peregrini & vagi, qui Parochiam „ non habent, aut ab ea absunt, Bon. *l. c.*

„ III. Non eximuntur laici inservientes Religiosis, „ ut habet Sà *V. Eucharist.* nisi, ut dicit *Bon.* degant „ in Monasteriis, aliisque locis à cura Parochorum „ exemptis. V. Sanch. *de Matr. l.* 3. *d.* 23. *n.* 12.

„ IV. Non satisfacit huic præcepto, qui in Pas- „ chate extrà Parochiam, sine consensu Pastoris „ communicat, ut habet *Nav. Az.* & alii *comm.* ni- „ si tamen communicet in Cathedrali Ecclesia; hunc „ enim satisfacere præcepto, censet Bon. *l. c.* sed ne- „ gat Lug. *l.* 1. *Resp. mor.* nisi Episcopus expresè vel „ tacitè consentiat. Bon. *l. c. V. supra c.* 2. *d.* 1. *a.* 1. „ *c. n.* 78. *& 9.*

„ Dixi *sine consensu Pastoris*: quia cum consensu „ summi Pontifices, vel Episcopi sive Ordinarii, aut „ ejus Vicarii generalis, vel Parochi (hi enim om- „ nes intelliguntur nomine Pastoris) extrà Paro- „ chiam communicando satisfieri præcepto, Doc- „ tores concedunt: Et quidem sufficere consensum „ interpretativum sive præsumptum, notat Tamb. „ *de exp. Com. c.* 4. §. 4. Imò Baun. *in Theol. mor. p.* „ 1. *t.* 5. *q.* 19. *Beja* & quidam alii apud Tamb. *l. c.* & „ Lug. *d.* 18. *s.* 2. *n.* 29. item Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 73. „ *& p.* 6. *t.* 7. *R.* 38. putant posse satisfieri præcepto „ Communionis Paschalis (præsertim extrà diem „ Paschæ) apud Mendicantes, ex privilegio Nicolai „ V. S. Pii V. & Pauli IV. certis concesso, quod cæ- „ teri participent; verùm hoc alii communiter ne- „ gant. V. Aversa. *q.* 10. *s.* 4.

ADDENDA.

Quæst. 113. *Quid præterea notandum sit circa ne-* 587
cessitatem Eucharistiæ? R. seqq.

§ 1. Aliquid potest esse necessarium necessitate medii, vel in re, vel saltem in voto. Hoc in re dicitur ita esse necessarium, quod in seipso debet haberi; & hoc modo fides actualis, supernaturalis & explicita, saltem quòd Deus sit & remunerator sit, necessaria est ad salutem homini adulto, secundùm dicta *l.* 2. *à n.* 11. Hoc dicitur in voto ita necessarium, quod si in re haberi non possit, debet optari, saltem implicitè, vel quæri per aliquid, quod ex Dei ordinatione hic, & nunc suppleat, & ejus loco causet effectum, quem illud causare deberet: sic Baptismus aquæ (extrà casum Martyrii) est ad salutem necessarius saltem in voto, quia si in re haberi non possit, homo debet illum optare, non quomodocumque, sed per actum contritionis, vel amoris perfecti in Deum, qui suppleat gratiæ causalitatem, quam haberet Baptismus aquæ: in tali enim actu censetur implicitè contineri votum Baptismi aquæ, & Deus ordinavit, ut talis actus esset loco Baptismi aquæ, quando in re haberi non posset. Atque ex his patet, cur v. g. restitutio non sit necessaria necessitate medii, nequidem in voto, sed tantùm necessitate præcepti, nam quamvis post factam injuriam damnosam necessaria sit pœnitentia, quæ etiam est votum implicitum restitutionis, hæc tamen pœnitentia non est necessaria ad supplendum effectum, quem haberet restitutio, (quæ gratiam non causaret) sed pœnitentia est necessaria ratione sui, ita ut quamvis per errorem non esset votum restitutionis, adhuc esset necessaria, & reipsa causaret gratiam, ac salvaret. Ubi vides, quamvis votum restitutionis, quod est pœnitentia, sit medium salutis, non ideò restitutionem in voto esse medium salutis. Et idem est de similibus rebus necessitate præcepti tantùm necessariis.

§. 2. Eucharistia in re suscepta non est necessaria 588
necessitate medii, uti tenent omnes Catholici cum Arcudio *l.* 3. *c.* 42. *& seqq.* contra Armenos apud Suar. *d.* 40. *s.* 2. qui dixerunt realem susceptionem Eucharistiæ esse omnibus necessarium medium salutis, ideóque cum Baptismo dabant Eucharistiam infantibus: ex quorum errore putat Arr. *d.* 29. *n.* 29. fluxisse abusum dandi Eucharistiam mortuis, aut etiam cum illis sepeliendi, uti refert Bernal *d.* 41. *n.* 72. quamvis Lugo *d.* 3. *n.* 34 dicat aliunde potuisse esse hunc errorem, sed necessariam non esse parvulis definit Trid. *s.* 21. *Can.* 4. *Si quis dixerit parvulis, antequàm ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit*: Quod omnes autem homines, constat ex communi sensu omnium fidelium, qui censent salvari eum adultum, qui credens, statim post Baptismum moritur, secundùm illud *Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: quod etiam definit Trid. *s.* 5. *in Decreto de pecc. Origin. n.* 5. dicens simpliciter omnem baptizatum esse hæredem Dei, cohæredem autem Christi, ita ut nihil prorsus eum ab ingressu cœli remoretur: Ratio autem est, quia Eucharistia non est medium necessarium ad justificationem, quæ ante ipsam supponitur, cum ipsa sit Sacramentum vivorum: Neque est medium ad moriendum in justificatione obtenta, ut per se patet. Denique etiam in rigore non est medium necessa-

rium

ad perseverandum in gratia, cum gratia aliter haberi & conservari possit, nempè per alia Sacramenta, per orationem, per opera virtutum, &c. *Suar.* suprà, Lugo *à n.* 39. contra Escob. *l.* 20. *n.* 393.

589 §. 3. Eucharistia nequidem in voto est necessaria necessitate medii, S. Th. *q.* 65. *art.* 4. Arcud. *c.* 46. Bernal. *d.* 44. *s.* 2. Dicast. *d.* 1. *n.* 102. quamvis Gon. *d.* 2. *a.* 4. videatur contradicere, cui quoad adultos, in aliquo sensu favet Aversa *q.* 1. *s.* 5. Ratio est, quia Eucharistia non causat aliquid ad salutem necessarium, quod suppleri possit per solum votum Eucharistiæ, hoc enim votum nec causat primam gratiam, nec perseverantiam in illa, imò Eucharistia, per se loquendo, non causat unquam primam gratiam, ergò multò minùs votum Eucharistiæ est necessarium ad primam gratiam vel ad salutem.

590 *Objic.* 1. S. Th. *quæst.* 73. *a.* 3. expresè docet Eucharistiam in voto esse de necessitate salutis. R. Per Eucharistiam in voto intelligit Baptismum, nam *S. Aug.* quem refert *S. Th. ad* 1. dicit, nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis Sanguinisq; Domini participem fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur. Dicitur autem Baptismus specialiter votum implicitum Eucharistiæ, imprimis quia est ingressus ad gratiam & ad Sacramenta omnia: Eucharistia autem, inquit *S. Th.* est omnium Sacramentorum finis; unde sicuti media ordinantur ad finem, ita homo per Baptismum ordinatur ad Eucharistiam. Deinde, quia Baptismus dat spiritualem vitam, vita autem est capacitas & exigentia alimenti spiritualis, quod propriè est Eucharistia, quam *S. Th.* etiam ideò vocat consummationem spiritualis vitæ. Videri potest Arcud. *c.* 47. ubi concludit Eucharistiam esse necessariam in voto, tanquàm finem, propter quem datur & suscipitur Baptismus: hoc tamen non est esse propriè necessarium in voto.

Inst. S. Th. *q.* 80. *a.* 11. ait, sine voto percipiendi hoc Sacrementum non potest homini esse salus. R. Ibi tantùm agi de necessitate præcepti, & dicit ratione præcepti necessarium esse votum Eucharistiæ, sicuti necessarium est votum restituendi.

591 *Objic.* 2. Cibus est medium necessarium vitæ corporis, sed Eucharistia habet rationem cibi respectu animæ; ergo erit medium necessarium animæ. R. Similitudinem inter cibum, & Eucharistiam non esse adæquatam, cum dentur etiam alii cibi spirituales præter Eucharistiam, nempè alia Sacramenta, bona opera, actus virtutum, &c. Itaque tantùm habet rationem cibi, quoad effectus similes illis, quos cibus corporalis præstat, nempe sicuti hic supponit vitam corporis, quam posteà nutrit, sustentat, roborat, ita etiam Eucharistia.

592 *Objic.* 3. Baptismum & Pœnitentiam esse necessariam necessitate medii, colligimus ex his verbis Joan. 3. v. 3: *Nisi quis renatus fuerit.* Et Lucæ 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, &c.* sed Christus simili modo Joan. 6. v. 54. dicit. *Nisi manducaveritis Carnem filii Hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*, ergo Eucharistia erit similiter necessaria necessitate medii. R. Necessitas illa Baptismi, & Pœnitentiæ non potest colligi ex illa præcisè voce, *Nisi*, nam sæpè significat necessitatem tantùm præcepti, uti quando dicitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; nemo salvatur, nisi servet præcepta Dei & Ecclesiæ, &c. Itaque colligitur partim ex *To Nisi*, partim ex subjecta materia, quæ ex duobus prioribus locis est aliquid, vel in re, vel in voto ex Dei voluntate ordinatum ad causandam primam gratiam, uti aliunde rescimus, quale quid non est Eucharistia.

593 *Objic.* 4. Eucharistia est medium ad salutem, quia causat gratias: deinde est necessaria ad salutem, saltem in fine vitæ, si enim homo tunc negligat, damnatur, ergo est medium necessarium ad salutem. R. Similiter probabo Extremam Unctionem esse medium necessarium ad salutem. Itaque n. conf. quæ continet fallaciam diversæ appellationis, uti hæc, Petrus est magnus, & Petrus est Philosophus, ergo Petrus est magnus Philosophus. Si vis, distingue, Eucharistia est medium salutis, utile & valdè conducens, c. necessarium, subdist. necessitate medii, n. præcepti, c.

§. 4. Datur præceptum divinum de Eucharistia 594
sumenda. Inn. III. *de Myst. Miss. l.* 4. *c.* 42. S. Th. *q.* 80. *a.* 11. Escob. *l.* 20. *n.* 402. Aversa *q.* 8. *s.* 2. Dicast. *d.* 10. *n.* 4. contra Alensem S. Bonav. & alios apud Amic. *d.* 29. *n.* 2. qui putarunt esse præceptum tantùm Ecclesiasticum; sed probatur ex verbis Christi Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Similiter Trid. *sect.* 13. *c.* 2. dicit, quòd Christus præceperit illius sumptione, quæ omnes concernit, coli sui memoriam.

§. 5. Sot. Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 12. *n.* 15. Castrop. *tr.* 565
21. *p.* 15. *n.* 11. Leand. *n.* 557. *Aversa* suprà, Dic. *dub.* 5. Tamb. *de Commun. c.* 4. *n.* 2. valdè probabiliter putant solos baptizatos obligari hoc præcepto, sicuti hi soli obligantur præcepto jejunii vel Confessionis. Oppositum tamen videtur probabilius, nam præceptum jejunii videtur Ecclesiasticum, ergo illo non obligantur cum non subsint Ecclesiæ; præceptum autem Confessionis quamvis sit divinum, tamen est tantùm de peccatis post Baptismum commissis, ergo non est mirum, quòd obliget solos baptizatos; Christus autem etiam ad non baptizatos Capharnaitas dicit, *nisi manducaveritis*, & designatio Ecclesiæ, quæ ex commissione Christi determinat certa tempora Communionis, est tantùm conditio, qua posita præceptum Christi obligat omnes, & consequenter specialiter peccant non baptizati, si non procurent Baptismum, sicque se reddant aptos ad communicandum, Suar. Vasq. Con. Regin. Lugo *disp.* 16. *n.* 17. Similiter peccant excommunicati, si non procurent absolutionem ab excommunicatione, ut communicare possint, uti dicetur *n.* 626.

§. 6. Si quis ante Baptismum, etiam bona fide 596
communicasset, non satisfecisset huic præcepto, quia non fuisset sumptio Sacramentalis, nec apta in hoc subjecto significare gratiam, quia non baptizatus, etiamsi per contritionem justificatus sit, non est capax fructus ex hoc Sacramento, secundùm dicta *n.* 165. & docent Vasq. Lugo *n.* 20

§. 7. Præcepto hoc obligantur baptizati omnes, 597
etiamsi pueri, secundùm dicenda *n.* 625. Unde etiã adultus hodie baptizatus, & statim ducendus ad supplicium communicare deberet, Tamb. *c.* 5. *n.* 6. Jo. Sanch. *d.* 39. addens teneri etiam pro Paschate.

§. 8. Hoc præceptum obligat sub tempus adepti 598
plenè usus rationis, cum sit veluti totius vitæ Viaticum, inquit Bernal. *d.* 44. *n.* 65. Neque satisfit semel tantùm communicando per vitam, uti habet communis cum Suar. *d.* 69. *s.* 3.

§ 9. Quandonam hoc præceptum per se obliget, 599
est incertum, hinc Gabr. Sot. Valent. apud Dicast. *n.* 59. dixerunt obligare, cum ingruit *gravis* tentatio: sed contrà est, quia tentatio aliter superari potest, aut si aliter superari non possit, obligatio illa est per accidens, & directè ex præcepto naturali virtutis, contra quam est tentatio: unde *Suar.* & alii cum *Aversa q.* 8. *s.* 3. §. *ult.* dixerunt non obligare, nisi singulis trienniis vel quadriennis, sed alii cum *Lugo n.* 28. dicunt Christum non determinato ullo tempore, direxisse præceptum ad Ecclesiam, ut hæc tempora determinaret.

600 §. 10. S. Th. *a.* 10. *ad* 5. aliique multi apud Amic. *n.* 22. putant Ecclesiam olim determinasse quotidianam Communionem fidelibus, ut huic præcepto divino satisfieret, sed contradicunt Suar. Bellarm, Amic. Lugo *àn.* 29 Quidquid sit de hoc, Fabian. Papa aliaque Concilia posteà determinarunt fieri ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste. Soter Papa determinavit diem Cœnæ Domini: sed nunc satis est si semel fiat circa Pascha, ut dicetur *à n.* 625. remisit enim Ecclesia de hoc onere propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, inquit D. Th. *suprà.*

601 §. 11. Hoc præceptum divinum etiam obligat determinatè pro articulo mortis ad sumendum Viaticum, de quo plura *à num.* 604.

602 §. 12 Non datur præceptum sumendi sub utraque specie nisi pro illo, qui sacrificat. S. Th. *q.* 80. *a.* 12. Arcud. *l.* 3. *c.* 51. *& seqq.* Estque de fide contra hæreticos apud Bellar. *l.* 4. *c.* 20. Hinc Trid. *s.* 21. *Can.* 1. sic definit: *Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Quòd autem Ecclesia hoc justè prohibuerit, definit *Can.* 2. *Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* An verò causæ possint cessare, vel concedendus sit aliquibus laicis usus Calicis Trid. *sess.* 22 in fine committit judicio Papæ, *qui*, inquit, *pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reip. Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis, fore judicaverit.*

603 §. 13. Datur præceptum etiam Ecclesiasticum, ut fideles omnes adepti usum rationis communicent singulis annis circa Pascha, ut insinuatum est *n.* 600. & pluribus declarabitur *à n.* 625. Similiter datur præceptum etiam Ecclesiasticum in fine vitæ sumendi Viaticum, ut jam declarabitur.

604 *Q.* 114. *Quid addendum sit circa sumptionem Viatici?* R. Seqq.

§. 1. Dari præceptum communicandi pro Viatico certum est, ex Conc. Nicæn. & refertur *Cap. De his 9. Caus.* 26. *q.* 6. his verbis: *De his verò, qui recesserunt ex corpore, antiquæ legis regula observabitur etiam nunc, ita, ut si fortè quis recedit ex corpore, necessario vitæ suæ Viatico non defraudetur.* Prætereà testatur Trid. *sess.* 13. *c.* 6. hoc præceptum in multis Conciliis inveniri, & vetustissimo Ecclesiæ Catholicæ more observari.

605. §. 2. Hoc præceptum Viatici obligat sub mortali, ut habet communissima cum Esc. *l.* 20. *n.* 405. qui dicit esse certum, licèt aliqui contradicant apud Mendo *diff.* 11. *q.* 1. Ratio est, quia materia est gravis & valdè conducens ad animæ bonum pro articulo periculosissimo. Estque duplex mortale, si quis in Paschate moribundus Communionem negligat, quia est diversus finis utriusque præcepti, in Paschate enim est, ut cum tota Ecclesia festum celebret, & commemorationem faciat ultimæ Cœnæ, passionis ac mortis Christi; pro Viatico autem, ut se præparet pro transitu ex hoc in alteram vitam, Dicast. *d.* 10. *n.* 94.

606 §. 3. Excommunicatus tenetur procurare absolutionem, ut possit suscipere Viaticum, uti à fortiori colligitur, ex dicendis *n.* 626. An autem dari possit infantibus, pueris, fatuis, phreneticis, energumenis, surdis, & mutis dicetur *à n.* 645. *&* 654.

607. §. 4. Præcipitur expressè in Jure Canonico apud Avers. *q.* 8. *s.* 3. §. *Undecimò*, ut afficiendis ultimo supplicio detur tempus & commoditas sumendi Communionem pro Viatico. Estque communis sententia cum Pax. Jord. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 39. ab Episcopis etiam per excommunicationem cogendos esse Judices, ut permittant communicari supplicio afficiendos, ita enim etiam statuit S. Pius V. Putatque Dicast. *n.* 29. etiam jure naturali ad hoc teneri Judices: non tamen tenentur differre executionem mortis, ut reus communicet jejunus: hinc potest tum illi non jejuno dari Viaticum. Si autem esset periculum, ne reus evaderet, putat adhuc *Bonac.* debere ei dari spatium communicandi, quod limitat Tamb. *de Comm. c.* 5. *n.* 2. nisi ex fuga illa damnum publicum, vel mors Judici posset oriri; è contrà Fagn. Quintan. Dicast. *n.* 30. Gob. *t.* 4. *n.* 103. dicunt non teneri, quandocumque est periculum fugæ. Quòd si reus vel noluerit vel non potuerit uti spatio concesso, aliqui dicunt Judicem non teneri spatium aliud concedere: sed, si sit spes fructus, & sine gravi incommodo fieri possit, charitas postulat, ut concedat ad unum aut alterum diem, Bonac. Dicast. *n.* 31. qui rectè addit Judicem non posse negare tempus pro Communione, ex hoc, quòd timeat, ne reus simul apud Principem agat pro liberatione sui, nam habet jus implorandi gratiam Superioris, imò dicit *Dicast.* nequidem hoc posse negare, quamvis prævideat malis artibus impetrandam gratiam, hoc enim per accidens est, & ipse tenetur relinquere ordinarium cursum in tribunalibus.

608 §. 5. Viaticum debet dari tali reo, non tantùm si una hora post sit occidendus, uti admittunt Sà, Fagn. Dian. Dicast. *n.* 26. sed etiam licèt statim post sit occidendus; item vulnerato, quamvis statim sit moriturus, quia *Cap. Is qui* 8. *Caus.* 26. *q.* 6. dicitur *Si quis continuò creditur moriturus, infundatur ei Eucharistia, Jord. Dian. Gob. Lohner.* Neque inconveniens est, quòd sacræ species consumantur in corpore mortuo, excusat enim necessitas & utilitas. Nec etiam refert, quòd forte pridiè communicarit, & hodie etiam jejunus non sit, Jo. Sanch. Quint. Dicast. *d.* 9. *n.* 341. Imò si per viginti dies quotidie suspendatur executio, poterit toties communicare pro Viatico, Quintan. Con. *n.* 207. Dicast. *n.* 342.

609 §. 6. Viaticum non est dandum ebrio, si constet ebrietatem fuisse plane voluntariam; de quo si dubitetur, dandum est, dummodò absit periculum irreverentiæ, quia possessio est pro ipso, & præsumitur velle. Quòd si solitus est se voluntariè inebriare, idem etiam nunc præsumitur, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio, Gob. 195.

610 §. 7. *J. Major* putat in necessitate licitum esse consecrare hostiam pro Viatico, etiam extra Sacrificium, sed meritò contradicunt omnes cum Dicast. *n.* 344. In simili necessitate docet *Major* licitum esse Sacerdoti latino consecrare in fermentato, quam sententiam *Tann.* & alii non audent damnare, fateturq; Dicast. *d.* 2. *n.* 67. se amplexurum, nisi obstaret authoritas DD. absolutè tamen oppositam tenet *n.* 66. cum communi, quia præceptum Viatici non obligat cum tanta difformitate ritus. In defectu tamen latini Sacerdotis, posset moribundus hìc sumere Viaticum à Græco consecratum in fermentato, Tamb. *c.* 2. §. 9. *n.* 12. Laicus verò Latinus, si sit in Græcia peregrinus, & ibi nullum sit latinum Templum, potest communicare, in quo ritu vult, & idem est de Græco in his locis: si autem adsit Templum proprii ritus, putat *Fagnan.* non posse nisi suo ritu communicare, sed Tamb. *n.* 14. affert multa exempla, ubi Græci in azymo communicant, etiam ubi Templa sui ritus habent.

611 §. 8. Quamvis *Nugn. & Ochag.* dicant debere sumi Viaticum sub specie vini, si nequeat sumi sub specie panis, eò quòd præceptum divinum prævaleat humano, idque probabile esse dicant Dian. & Escob. *num.* 414. atque etiam ideò Leand. *num.* 440. dicat posse sumi, tamen proba-

babilius videtur non teneri, non quòd præceptum humanum prævaleat divino, sed quia divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia, principalibus ritibus & quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, Suar. Fagnan. Dian. Amic. Lugo, Tamb. *c.* 5. *n.* 3. Dicast. *d.* 10. *dub.* 11. Platel. *n.* 454. Atque etiam ideò docent S. Antonin. Suar. Azor. Jordan. *n.* 33. Verj. *t.* 8. *art.* 2. aliique plurimi cum Dicast. *d.* 9. *n.* 345. Sacerdoti non jejuno licitum non esse celebrare pro consecrando alicui Viatico, quamvis oppositum teneant *Maj. Zanard. Zamb. Philiarch*, aliique, quorum sententiam *Suar. Fill. Lugo, Dicast.* meritò vocant probabilem, uti & *Laym.* saltem si infirmus aliud Sacramentum non possit suscipere. Non esse autem licitum pro consecrando Viatico celebrare absque sacris vestibus, vel sine altari notant Lugo & Dicast. *n.* 329. quamvis Jordan. *n.* 35. dicat probabiliter licere. Quidquid sit de hoc, rectè consuluit *Tamb.* in casu, quo infirmus non posset deglutire species panis, sed tantùm vini, melius esse dare minimam particulam specierum panis, cum vino vel jusculo, quàm species vini. Plura de sumptione sub specie vini dicta sunt *à n.* 509

612 §. 9. Ut infirmus non jejunus communicet, faciliùs permittit Ecclesia, quia defectus jejunii nimis sæpè contingit; hinc notant Tamb. & Dicast. *d.* 9. *n.* 329. Sacerdotem non debere hìc scrupulosè velle expectare, si Medicus judicet ægrotum, non posse commodè expectare jejunium sequentis diei. Addit Aversa *q.* 8. *s.* 9. §. *Sextò* satis esse, quòd ægroto incommodum esse absque cibo expectare à media nocte usque manè. Similiter, inquit Gob. *n.* 323. si æger longè distet, v. g. 2. horis, & periculosè ægrotet, poterit non jejuno dare Viaticum, quamvis probabiliter posset postridiè jejunus illud sumere, minus enim periculum requiritur ad Viaticum à non jejuno sumendum, quàm ad suscipiendam Extremam unctionem; unde potest communicare non jejunus, si etiam Pastor commodè expectare non potest sequentem diem, v. g. quia manè est impediendus in Ecclesia, quia statim post mediam noctem surgere deberet, Lugo Tamb. *à n.* 19. Addunt aliqui, si vesperi cum majori reverentia deferet comitantibus laicis, praxis enim docet, inquit *Tamb.* jejunium in occasione Viatici, non esse tam rigorosè accipiendum. Monet autem Gob. *n.* 409. Sacerdotem semper debere secum deferre duas hostias, ut unam à domo ægri referat in Templum, alioquin quando redibit, obviantes adorabunt pyxidem vacuam.

613 §. 10. Quoties aliquis possit in eadem infirmitate non jejunus communicare, adducunt plures sententias Aversa *q.* 8. *s.* 9. § *Septimò*, & Bus. *n.* 550. *relatus*. Quòd omni die possit, præter citatos à *Busemb.* docent etiam Armil. & Dicast. *n.* 334. ac probabile vocat Tamb. *n.* 24. quia *Conc. Const.* & Ecclesiæ consuetudo videtur absolutè à præcepto jejunii eximere periculosè infirmos, si commodè non possint manere jejuni.

614 §. 11. Quamvis Jordan. *n.* 32. dicat non convenire, ut Parochus currat, si sit periculum, ne æger moriatur sine Viatico, ideóque eum non teneri currere; tamen etiam probabile est cum Gob. *n.* 506. eum sine irreverentia posse currere, quia excusat necessitas, adeóque teneri. Et *n.* 407. dicit *Gob.* in tali casu deferri posse sine lumine & campanula. Addit *Marchant.* omitti posse lumen, quando fertur ad ægrum longè distantem, ita ut lumen commodè conferri nequeat. Deinde Pasq. *q.* 8, 3. docet Episcopos & Superiores regulares cum causa dispensare posse, ut deferens Viaticum utatur pileolo, sic enim fit in pagis & villis. Addit tamen esse mortale, si sine justa causa feretur tecto capite. Præterea notat Gob. *n.* 323. si vocatus ad ægrum nesciat, an sit periculum necne, posse secum conferre Viaticum & oleum, tumque facere, quod ratio & necessitas postulabit.

§. 12. Si æger Eucharistiam sumere non possit, 615
illicitum est ad eum deferre, ut saltem pro consolatione adoret vel osculetur, id enim prohibuit S. Pius V. teste Lugo *in Resp. Mor. l.* 1. *d.* 11. & habetur ad *s.* 13. *Trid. post Canones, in declarat. num.* 1.

§. 13. Si quis post octo dies à Communione inci- 616
dat in mortis periculum, quamvis probabilius sit obligari, tamen etiam probabile est non obligari denuò communicare pro viatico, uti præter citatos à *Bus.* docent Sot. Palud. Henr. Con. Aversa *q* 8. *s* 3. §. *Octavò*, Lugo *d.* 16. *à n.* 36. Ills. *n.* 129 Quod. Esc. *n.* 408. & Amic. *d.* 29. *num.* 17. extendunt etiam ad 15. dies. Rationem dant, quia cum habeatur finis præcepti, qui est, per Communionem se disponere ad mortem vicinam, videtur esse satisfactum, quamvis mors non fuerit prævisa, reipsa enim fuit vicina. Si tamen quis mense post Pascha incideret in tale periculum, non satisfeciisset, quia illa Communio non fuisset dispositio ad mortem vicinam, *Suar.* & alii cum Tamb. *c.* 5. *n.* 7.

§. 14. Si ille, qui manè ex devotione communica- 617
vit, postea eodem die incidat in periculum mortis, *Vasquez, Dian. Turr. Kellison. Ochagav. G. Hurt. Quintanadv.* putant teneri iterùm communicare pro Viatico, quia præceptum Viatici manè non obligabat, ergo ei tunc non satisfecit; & hanc sententiam vocat probabilem ac tutam Dicast. *d.* 10. *dub.* 3. E contrà Suar. Aversa §. *Quod si*, Con. Lugo *s.* 3. Bernal, Verj. *tr.* 8. *art.* 14. & alii communiùs dicunt non posse iterum communicare, tum quia duplex una die Communio prohibetur, tum etiam, quia communicavit, quando erat vicinia mortis, ergo censetur satisfeciisse præcepto Viatici, aliqui cum *Illf.* suprà dicunt posse quidem communicare, quia reipsa non communicavit in periculo mortis, attamen non teneri quia non est usus bis communicandi eadem die; Castrop. *p.* 14. *n.* 8. dicit, per se loquendo, teneri, sed excusari propter præceptum non communicandi bis una die: *Dicast.* ita distinguit, si mane communicavit sanus, videtur iterum posse & debere, quia manè abfuit periculum; si autem ita ægrotabat, ut si illud periculum, quod erat, fuisset animadversum, potuisset ei dare Viaticum, non poterit, quia communicavit, quando reipsa erat periculum mortis, hinc febricitans, qui manè communicavit, non poterit iterum vesperi, nisi Medicus vel alius peritus dicat, quòd periculum mortis, quod vesperi est, non fuerit manè, nec sit à febri, sed ab alio casu. Omnes illæ sententiæ sunt probabiles, uti fatetur Leander *n.* 357. sed sententia *Suar.* videtur probabilior.

§. 15. Qui prævidet se casurum in mortis pe- 618
riculum, & tum non habiturum occasionem communicandi, tenetur prævenire, quia ex illa prævisione dici potest jam ei imminere mortem, & per illam Communionem satisfeciisse obligationi supervenienti mox periculo, docet Aversa §. *Nov.*

§. 16. Viaticum dari debet die Veneris sanc- 619
to, Jordan. *num.* 30. Tamb. *cap.* 6. *num.* 4. Item tempore interdicti generalis, Suar. Tamb. *num.* 33. quia Ecclesia non prohibet Communionem in ejusmodi necessitatibus. Quæ autem sit obligatio Parochi ad dandum Viaticum tempore pestis, dictum est *à n.* 484.

§. 17. Probabilius est Viaticum peti debere à 620
Sacerdote hæretico, excommunicato, suspenso, &c. si alius desit, quamvis occasio esset suscipiendi alia Sacramenta præter Eucharistiam potest enim ab illis peti

uti docent *Suar. Sanch.* & alii cum Tamb. *n.* 3. contra *Durand Palud.* & alios, ergo etiam debet peti, nam talis neceſſitas excuſat à cooperatione peccati illius. *Nec obſtat*, inquit Verj. *t.* 8. *a.* 16. & 17. quòd fortè ſit denunciatus; *nam* credendum non eſt piam matrem Eccleſiam velle pro tali articulo repellere à miniſterio tam utilis Sacramenti: neque de hoc caſu neceſſitatis loquitur *S Th. q.* 82 *a.* 9. Qui tamen petere nollet, poſſe ſequi contrariam ſententiam, quæ probabilis eſt inquit *Tamb.*

621 §. 18. An huic præcepto de ſumendo Viatico ſatisfiat per Communionem ſacrilegam, colligi poterit ex dicendis *à* 628. Dixi autem *n.* 480. Diaconum abſente Sacerdote teneri deferre Viaticum moribundo. Et *n.* 481. Sacerdotem poſſe ſibi ipſi dare. An autem laicus poſſit ſibi vel alteri dare, dictum eſt *n.* 482.

622 §. 19. Sive obligatio Viatici ſit ex præcepto divino per ſe immediatè determinante hoc tempus, uti volunt Suar. Vaſq. Amic. *n.* 12. Dicaſt. *d.* 10. *à n.* 16. aliique communiter; ſive ſit immediatè ex ſola determinatione Eccleſiæ, nihilominus juſtè poteſt Eccleſia, cui horum Myſteriorum diſpenſatio commiſſa eſt, quoſdam in pœnam ſcelerum privare Viatico, uti aliquando privaſſe teſtatur Lug. *d.* 13. *à n.* 67. & *d.* 16. *n.* 33. tum autem non diſpenſat in præcepto divino, ſed tantùm ſubducit materiam, & Sacerdotibus ſuis prohibet adminiſtrationem; ſed rectè notat Dicaſt. *à n.* 128. Eccleſiam jam à tempore Inn. III. mandaſſe, ut Viaticum abſolutè nulli pœnitenti negaretur, ut etiam habetur *Cap. Quod in te*, 11. *de pœnit. & remiſſ.* Imò Averſa *q.* 8. *ſect.* 3. § *Undecimò*, dicit Innoc. I. id ſtatuiſſe. Et quamvis adhuc abſolutè negari poſſet Viaticum, attamen non cenſetur jam expedire. Notat tamen *Averſa* Romæ & alibi ſervari, ut publicis meretricibus detur abſolutio & Extrema Unctio, ſi pœnituerint, Viaticum autem non detur, niſi fuerint tranſlatæ ad honeſtam domum, extra illam, in qua pravam vitam egerunt.

Non eſſe dandum illi qui in articulo mortis nulla dat ſigna doloris de peccatis, dicetur *n.* 657.

623 *Q.* 115. *Quandonam cenſeatur eſſe periculum vel articulus mortis?* R. Periculum mortis eſt ſtatus, in quo homines communiter moriuntur, ſive, ex quo mors ut plurimum ſequitur, uti quando quis in bello eſt pugnaturus: Vide tamen dicta *n.* 585. Articulus mortis tum eſt, quando mors proximè inſtat, eſtque moraliter certa, & ferè inevitabilis, ſive ex naturali cauſa, uti in morbo, ſive per ſententiam judicis aliquis ſit occidendus; putantque *Sot. Valent. Ledeſ.* & *alii*, quando datur poteſtas v. g. abſolvendi in articulo mortis, non intelligi de periculo: ſed oppoſitum probabiliter tenet Sylv. *poſt reſolut. varias orat.* 1. *de ſol. moribundi*. Idem dicit poſſe fieri in periculo amentiæ, quia cùm ante mortem non putetur futurus ſapiens, eſt veluti articulus, quo ſapiens emoritur.

624 *Q.* 116. *Quid faciendum, ſi adſit periculum, ne communicaturus revomat?* R. De hoc dictum eſt *à n* 551.

625 *Q.* 117. *Quid circa Communionem Paſchalem ſit addendum?* Reſp. ſeqq.

§. 1. Præceptum Communionis Paſchalis tulit Innoc. III. in *Conc. Lateran.* & refertur *Cap. Omnis utriuſque ſexus*, 12. *De pœnit. & remiſſ.* his verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, confiteatur, &c. ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus abſtinendum; alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*: Idem declarando ſtatuit Trid. *ſeſſ.* 13. *Can.* 9. *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Eccleſiæ, anathema ſit.* Hoc autem præcepto obligari etiam Papam, docent Auctores communiter, poteſtque de hoc videri Bernal *d.* 44. *à n.* 61.

§. 2. Excommunicatus vel ſimili cenſura innodatus tenetur, quàm primum poteſt, tollere hoc impedimentum Communionis Paſchalis. *Nec obſtat*, quòd ex præcepto Miſſæ non teneatur tale impedimentum tollere, ſecundùm dicta *l.* 1. *n.* 794. *Nam* diſparitas eſt, quòd præceptum Communionis ſit etiam divinum & majoris momenti, magiſque utile, quod in tali homine etiam communiter prærequirit Confeſſionem tanquam medium illi ad ſalutem neceſſarium, Suar. Con. Fagund. Lug. Dicaſt. *d.* 10. *n.* 92. Tamb. *de Comm. c.* 4. *n* 41. Qui tamen *n.* 40. dicit aliquem non ideò obligari ad petendam dimiſſionem è carcere, vel ad curandã extraordinariè valetudinem, cùm hæc non ſint mala ſpiritualia. An autem præcepto iſto, prout Eccleſiaſticum eſt, comprehendantur etiam hæretici, videri poteſt Bern. *à n.* 69. qui probabiliter negat; quamvis alii communiter, & probabiliùs affirment. 626

§. 3. Ut ſatisfiat huic præcepto, debet Euchariſtia ſumi à Baptizato, ſecundùm dicta *n.* 165. & 596. Deinde ſumptio debet eſſe Sacramentalis & actio humana, uti dictum eſt *n.* 178. 627

§. 4. Huic præcepto non ſatisfit per Communionem ſacrilegam, nam Inn. XI. damnavit hanc prop. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Unde hìc corrigendus eſt *Buſemb.* tenens oppoſitum cum aliis plurimis quos citat, & ſecutus fuerat Dicaſt. *d.* 10. *dub.* 8. Neque horum ratio aliquid evincit; nam dato, quòd hoc præceptum ſit purè Eccleſiaſticum, cujus tamen oppoſitum conſtat ex dictis *n.* 594. nihilominùs dicendum eſt Eccleſiam poſſe præcipere actum internum, ſaltem indirectè, ſi hic neceſſarius ſit ad actum externum, quem præcipit debitè ponendum, uti oſtenſum eſt *l.* 1. *à n.* 643. Itaque Eccleſia præcipit Communionem fructuoſam, quæ nempè ſit cibus & vita animæ, ad quod requiritur, ut ſit digna. 628

§. 5. Probabilius videtur non ſatisfieri per Communionem etiam materialiter tantùm ſacrilegam, ut ſi quis cum invincibili ignorantia communicaſſet in ſtatu peccati mortalis, niſi forte Sacramentum reviviſcat, antequam ſpecies conſumantur, ſecundùm dicta *n.* 100. Quamvis enim in rigore non communicaſſet ſacrilegè, cùm ſic communicando non peccarit, tamen non communicavit cum fructu, quod fieri vult Chriſtus, & Eccleſia. *Nec obſtat*, quòd finis præcepti non cadat ſub præceptum, uti habet commune axioma; *Nam* ſæpè poteſt cadere, uti rectè Suar. *d.* 70. *ſ.* 2. ſi nempè finis ipſe præcipiatur, ſicque fiat etiam materia legis ſeu res præcepta, & ita hìc eſſe, colligimus inde, quia Chriſtus præcipiens Communionem, indicavit hunc finem, dicendo eſſe cibum, eſſe vitam animæ. Quando autem legiſlator ſimul indicat finem legis, etiam hunc præcipit, Platel. *n.* 418. Quando verò finis præcepti dicitur non cadere ſub præceptum, ſenſus eſt, ad ſatisfaciendum præcepto non requiri intentionem ſatisfaciendi præcepto, aut attingendi omnes fines, quos fortè habuit præcipiens, cum hoc tamen ſtat, quòd poni debeat illud, quod hìc poni voluit. 629

§. 6. Qui in ſua Parochia communicavit ſacrilegè non videtur obligandus, iterum communicare in Parochia, quia præceptum videtur diviſibile, communicandi rectè pro bono animæ, & communicandi in Parochia ad recognoſcendum Paſtorem, hæc autem pars eſt impleta; ut ſi præceptum ſit, ut 630

Horæ

Horæ devotè recitentur in choro, qui indevotè recitavit in choro, satisfacit, si domi repetat, quia illam partem præcepti, quæ erat de assistentia in choro, implevit.

631 §. 7. Illf. *t.* 6. *d.* 4. *n.* 134. supponit à proprio Parocho Communionem suscipiendam: Tamb. *in Præcept. Eccl. t.* 3 *c.* 4. *n.* 1. docet non inveniri præceptum communicandi in Parochia, sed tantùm ut fiat è manibus Parochi, unde ubicumque à manibus Parochi communices dicit te satisfacere; è contrà, si in Parochia communices, non è manibus Parochi aut delegati ab eo, dicit te non satisfacere: Gob. *t.* 4 *n.* 68. docet non peccare, qui communicat extra Parochiam, attamen peccare mortaliter si non communicet è manibus Parochi vel delegati ab ipso. Idem dicunt *Bonac. Jordan. Castrop.* teste *Gog. suprà & n* 73. qui omnes provocant ad *Cap. Omnis utriusque sexus*, quod retuli *n.* 625 in quo tamen non dicitur, ut Communio suscipiatur in Parochia aut è manu Parochi, sed declaratio S. Congr. apud Gallem *ad Trid. sess.* 13. *can.* 9. dicit, sicut, *Caput Omnis*, vult, quòd quis proprio Parocho confiteatur, ita à proprio etiam Eucharistiam sumat: hinc dicendum est esse obligationem gravem communicandi in Parochia, non jure scripto, sed usu & consuetudine quam obligatoriam esse satis declararunt, tum citata S. Congr. tum plerique Episcopi severè prohibentes in die Paschatis alibi distribui Communionem, ac dum permittunt fieri aliis diebus Paschalibus, edicunt mentem suam esse quòd alibi non satisfiat præcepto. Deinde etiam satisfacit, qui alibi ex manibus proprii Parochi, vel cum ejus consensu extra Parochiam communicat, potest enim ad hoc dare facultatem, dummodò certior, reddatur de Communione peracta.

632 §. 8. Si quis absque contemptu & scandalo communicet uno vel altero Paschate extra Parochiam sine venia Parochi, Tamb. *n.* 50. putat non fore mortale, impletur enim substantia præcepti, & videtur dari parvitas materiæ in hac re. Vide tamen Decretum S. Congr. *n.* 637. referendum, in quo videtur major obligatio insinuari.

633 §. 9. Non satisfit communicando in Ecclesia Cathedrali, nisi licentiam dederit Ordinarius vel Parochus, Bonac. Dicast. *d.* 10. *n.* 170. Dian. *p.* 9 *t.* 9. *R.* 64. Lug. *Resp. Mor. l.* 1. *dub.* 15. contra *Possev. Sà* & alios. Consequenter Archi-Presbiter Cathedralis non potest dare licentiam communicandi extra Parochiam, Tamb. *de Comm. c.* 4. *n.* 59. quia licèt Ecclesia Cathedralis sit Superior, & Archi-Presbiter sit excelsior Parochus, tamen singulæ Parochiæ habent suos terminos, & singuli Parochi sua jura, non aliter ac singulæ Diœceses & singuli Episcopi pro sua Diœcesi, quamvis Archi-Episcopus sit illis excelsior.

634 §. 10. Si plures sint simul Parochi ejusdem Ecclesiæ, singuli possunt licentiam dare alibi communicandi, Tamb. *n.* 62. Quamvis autem ad communicandum alibi pro Paschate sufficiat consensus Parochi rationabiliter præsumptus, uti docet Nav. Rodriq. Aversa *q.* 10. *s.* 4 Tambur. *n.* 43. rectè tamen notat Lugo *hic d.* 18. *n.* 51. non facilè posse præsumi, nec semper sufficere, quòd certò daturus esset licentiam, si petereturr, nam si petereturr jam hoc ipso recognosceretur ut Pastor, & ipse confusè cognosceret Ovem suam: si autem non petatur, manet rationabiliter invitus, quoad modum & substantiam, habet enim jus, ut aliquo modo recognoscatur, & vicissim recognoscat Oves suas.

635 §. 11. Non satisfaciunt sæculares, si communicent in Ecclesiis Regularium. Et quamvis Tamb. *à n.* 52. & Moya *t.* 4. *q.* 4. multa afferant pro opposita sententia, meritò addunt non esse practicè probabilem. Sed quoad famulos domesticos intrà sepia Religiosa habitantes, habet Societas Jesu expressum privilegium in Compendio *v. Familiaris* §. 1. & 2. ideòque hos satisfacere, si communicent in Templis Societatis, docet absolutè Illf. *n.* 154. *Nec obstat*, quòd Sà *v. Eucharistia, n.* 9. dicat Congregationem Concilii aliud declarasse, & fortè est hoc, quod refertur ad *sess.* 13. Trid. *post Canones n.* 4. *Nam* declaratio non est universalis: & notat Dicast. *n.* 171. tantùm declarare, quid per se loquendo, fieri debeat, præscindendo à privilegiis. E contrà tamen Convictores habitantes in Seminariis nostris non ideò satisfaciunt, si apud nos communicent, quia de illis non loquuntur privilegia. Lug. *in Resp. mor. l.* 4. *dub.* 33.

§. 12. Quoad puerperas, statuit *Synodus Colon. sub Maximil. Henrico p.* 85. *Ut Paschalem Communionem domi saltem sumant, neque donec in Ecclesiam introductæ fuerint, eam differant, nisi Parocho aliud videatur.* 636 quoad discipulos in scholis nostris, Gob. *tr.* 4. *n.* 77. dicit eos satisfacere, si ad illos attendant Professores, & in Templo nostro communicent, *consuetudine*, inquit, *ferè ubique id obtinente*. Et ita fit etiam, saltem in plerisque hujus Provinciæ locis, uti partim scio per me, partim per litteras edoctus sum hoc anno, prudenter conniventibus Ordinariis, etiam ideò, quia Professores longè faciliùs observant defectum, & ad Communionem urgent. Id tamen non videtur extendendum ad Theologos, quorum cura communiter quoad hoc non habetur. Quod si Ordinarii vel Parochi alicubi contradicerent, studiosi essent mittendi, singuli ad Parochias, in quibus habitant, & in quibus acquirunt quasi domicilium per voluntatem ibi commorandi majori anni parte, uti ostendam quando de Matrimonio.

§. 13. *Nav. Henriq. Azor. Sà*, & alii dicunt non 637 esse licitum Regularibus in die Paschæ Communionem dare sæcularibus, quamvis alio die in Parochia communicarint vel præsumantur communicaturi pro quo adducunt declarationem, quæ refertur ad *sess.* 13. Trid. *post Canones n.* 3. & recenter emanavit alia hujus tenoris.

Mechlinien. ministrationis Ss. Eucharistiæ Sacramenti.

COnquerentibus nonnullis Parochis & dubium infrascriptum proponentibus in S. Congreg. Conc. Trid. An. PP. Societatis JESU, aliique Regulares possint ministrare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum personis sæcularibus à Dominica Palmarum, usque & per totam Dominicam in Albis. Die 31. Januarii 1682. Sac. Congreg. respondit *Affirmativè*, excepto die Paschatis: Ita tamen, ut sæculares sumentes Eucharistiam in Ecclesiis Regularium in aliis diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè, non satisfaciant præcepto Ecclesiastico. Et quamvis Suar. Vasq. Con. Bonac. Dian. Tamb. Escob. *l.* 20. *n.* 440. Castrop. *p.* 19. *n.* 2. Aversa *q.* 10. *s.* 4. Lugo *d.* 18. *n.* 50. Dicast. *d.* 11. *dub.* 4. Illf. *n.* 136. putarint per ejusmodi declarationes hoc solùm significari, quòd Communione apud Regulares in die Paschatis facta non satisfiat præcepto, tamen standum est verbis, prout jacent; & ideò in hac provincia in nostris Templis festo ipso Paschatis non sternitur mensa communicantium: si tamen aliquis ad pedem Altaris Communionem petat, non repellitur sed ei datur, notarque *Laym.* in dubio præsumi debere, talem satisfeciisse vel satisfacturum esse etiam in Parochia.

§. 14. Vagi & peregrini satisfaciunt, communi- 638 cando ubi volunt, Sanch. *de Matr. l.* 3. *d.* 33. *n.* 17. Castrop. *p.* 15. *n.* 10. Lugo suprà. Patel. *n.* 432. & certum esse dicit Tamb. *n.* 46. quia cum alibi non acquirant

acquirant nequidem quasi domicilium, non fiunt his Parochis subditi, proprii autem Parochi censentur consentire, ut, ubi volent, communicent, *Nec obstat*, quòd *Eug. IV.* apud Bosco *s.* 12. *concl.* 7. concedat peregrinis, ut in ordine ad Communionem, Paschalem censeri possint in Parochiis acquisivisse, quasi incolatum, *nam* hoc fuit in gratiam peregrinorum, qui non tenentur isto privilegio, satisfaciunt nihilominus, ubi communicant.

639 §. 15. Quamvis Sacerdos satisfaciat pro Communione Paschali, ubicumque celebret Missam, tamen si non celebret, tenetur communicare in Parochia, quia quando agit, ut laicus, tenetur præcepto, ut laicus, Lugo *n.* 31. Gob. *n.* 74.

640 §. 16. Ex hoc, quòd alicui detur facultas confitendi, cui volet, non ideò datur facultas communicandi, ubi volet, quia hi actus sunt diversi & separabiles, Bosco *concl.* 8.

641 §. 17. *Eugenius IV.* in Bulla, *Fide digna*, 20. *t.* 1. Bullarii anno 1440. die 18. Julii declaravit, per Pascha hìc intelligi quindecim dies à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Hoc tamen tempus per consuetudinem in aliquibus locis extenditur, uti habet *Busemb.* Et notat Illsung. *n.* 133. si festum Annunciationis incidat in Sabbatum ante Palmas, communiter annumerari: sed sequenda locorum consuetudo. Deinde aliqui Episcopi illud tempus Paschale extendunt occasione Missionum, uti patet in facultate subjecta.

FERDINANDUS DEI ET APOSTOLICÆ Sedis Gratia Episcopus Paderbonensis & Monasterienſis, &c.

Devotis nobis & in Christo Dilectis Diœcesium nostrarum è Societate JESU Missionariis salutem in Domino.

CUm ex parte vestra nobis humillimè supplicatum sit, pro bono Missionis & ampliore animarum messe proficuum fore, ut in locis Missioni vestræ subjectis Paschale tempus ad totam Quadragesimam & quatuordecim dies post Pascha extendatur, ne Missio quinque primis acceptabilis pœnitentiæ & salutis hebdomadibus cum magno animarum detrimento cogatur interquiescere, quandoquidem rustici in Quadragesima confessi, & Sanctissima Eucharistia refecti vix adigi possunt, ut eadem Paschali tempore iteratò recipiant Sacramenta, ita nos, qui præter animarum salutem institutis hisce Missionibus nostris nihil aliud intendimus, libenter postulatis vestris acquievimus, ut iis dumtaxat locis, quibus per Quadragesimam exercebitur Missio, pro Paschate tempore supradicto possint subditi nostri & Exomolesin facere delictorum, & Sacram Synaxin devotè percipere.

In quorum fidem hasce manu nostra subscriptas & sigillo nostro communitas dedimus. In Aula & Residentia nostra Neuhausana 6. Febr. 1681. *Ferdinandus*

642 §. 18. Siquis prævideat se toto tempore Paschali impediendum, Suar. Az. Bon. Regin. Aversa. *q.* 8. *s.* 3. §. *Quintò*, Dicast. *d.* 10. *n.* 155. dicunt non teneri prævenire, quia necdum urget præceptum, neque tum potest illi satisfacere, posteà enim adhuc teneretur communicare in Paschate, si cessaret impedimentum, uti communiùs tenent AA. cum Platel. *n.* 430. contra Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 42. & alios hoc negantes, quorum sententiam Suar. *d.* 70. *s.* 2. agnoscit esse probabilem: Quidquid sit de hoc alii cum Suar. Lugo *d.* 17. *n.* 76. Castrop. *p.* 15. *n.* 8. Bernal. *n.* 76. Burgh. *cent* 2. *cas.* 75. Platel. *n.* 433. Illsung. *n.* 137. probabiliùs dicunt hoc præceptum Communionis Paschalis esse virtualiter duplex, & continere, imprimis præceptum communicandi semel in anno; deinde communicandi circa Pascha, quod partiale præceptum etiam graviter obliget, sitque magni momenti propter venerationem festi, & commemorationem tum Cœnæ Domini, tum cruenti in Cruce Sacrificii circa illud tempus peracti: hinc inferunt eum, qui semel eo anno communicasset vel esset communicaturus, non teneri prævenire, qui autem nec ante communicasset nec posteà habiturus esset occasionem, teneretur prævenire, ut satisfaceret præcepto Communionis annuæ: & ita etiam docet Amic. *d.* 39. *n.* 41. Addit Platel. *n.* 435. etiam prævenire, si prævideat se priùs diu post Pascha habiturum occasionem, quia Ecclesia videtur etiam ideò determinasse Pascha, ne Communio nimis diu differatur. Varii autem varie statuunt terminum hujus anni, Vasq. Castrop. & alii numerant à 1. Januarii: alii à Communione ultima: *Eug. IV.* suprà dicit Ecclesiam statuisse à Paschate ad Pascha; & ita etiam numerant Suar. Con. Laym. Bon. ostenditque rectè Illsung. *n.* 133. non esse numerandum à die lapsus in peccatum Quomodocumque autem numeretur, non potest per unicam Communionem satisfieri pro duobus annis, quia Ecclesia singulis annis unam Communionem assignat, Borgia *in QQ. Mor. q.* 10.

§. 19. Qui prævidet se impediendum in secunda 643
septimana, tenetur prævenire in prima, quia tunc urget præceptum, & certò potest utrique partiali præcepto tunc satisfacere, *Suar.* & *Illsung.* suprà

§. 20. Si quis ex malitia vel impotentia non com 644
municarit in Paschate, S. Anton. Vict. Tolet. Medin. Gran. Præpos. Valent. Henriq. aliique cum Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 41. dicunt non obligari isto anno, quia Communio videtur per præceptum fuisse alligata isti determinatè tempori, uti obligatio audiendi Missam vel jejunandi alligatur certæ diei, qua transacta non est ampliùs obligatio: & hanc sententiam vocant probabilem Dicast. *n.* 136. & Illsung. suprà. Probabilior tamen est, & in praxi sequenda opposita, quam tenent S. Th. Nav. Suar. Vasq. Az. Conc. Sylv. Fagund. Laym. Hurt. Lugo *à n.* 63. Bernal. *n.* 75. Aversa §. *Quartò*, *Illsung.* & *Platel.* suprà: Ratio est, tum quia tempus Paschale est designatum, non ad terminandam, sed ad urgendam obligationem, quod colligitur ex verbis præcepti, nam dicit, ad minùs in Pascha; tum etiam quia hìc videtur esse duplex præceptum, uti antè dictum est, imprimis Communionis annuæ; deinde ut fiat circa pascha, quamvis autem hoc posterius non possit ampliùs impleri, tamen prius, si ante hac impletum non est, adhuc impleri potest, ergo etiam debet; sicuti si ex pœnitentia debeas jejunare die Veneris, vel festo trium Regum solvere debitum quamvis tum negligas, vel non possis, teneris tempore insequente: probatque idem Card. *in* 1. *crisi d.* 52. dicens esse moraliter certum, quamvis *Illsung.* putet esse ad summum probabilius. Putant autem Lugo *n.* 69. & Bernal. *n.* 76. post neglectum tempus Paschale non esse novam culpam, si Communionem diu differat, dummodò ante sequens Pascha communicet, quia tempus Paschatis ampliùs observari non potest, & Communio annua non determinat sibi potiùs hoc, quam illud tempus, sed probabiliùs contradicunt Suar. Vasq. Aversa. Platel. *n.* 434. quia Ecclesia videtur etiam ideò determinasse Pascha, ne diutiùs differatur, & ideò etiam Superiores Ecclesiastici urgent, ut si quis in Paschate non communicarit, statim faciat, quantùm potest.

De pœna privationis sepulturæ, si negligatur Communio Paschalis dicetur *lib.* 7. quando de censuris, & de privatione sepulturæ.

Q. 118. *An & quando Communio danda sit pue-* 645
ris? R. Colligetur ex seqq.

§. 1.

§. 1. Infantes etiam ante usum rationis possent cum fructu Eucharistiam suscipere, quia per Baptismum sunt Oves Christi, capaces nutritionis & augmenti gratiæ, uti habet communis cum Dicast. *d.* 9. *d.* 11. contra *Maj. Sot. Cathar.* & alios apud Suar. *d.* 62. *s.* 4. Et ita legimus in primitiva Ecclesia eis datam esse Communionem, uti referunt Trid. *sess.* 21. *c.* 4. & Lug. *d.* 13. *s.* 2. Nunc tamen dari non debet, saltem in latina Ecclesia, S. Th. *q.* 80 *a.* 9. Aversa. *q.* 8. *s.* 1. §. *Tertiò.* Et hoc esse illicitum colligimus ex ipso non usu, & communi sensu in Ecclesia. *Dixi*, in latina, nam testatur Arcud. *l.* 3. *c.* 40. Græcos infantibus (quia species panis sumere non possunt) instillare species vini, saltem madefacto digito Sacerdotis; quod licèt Ecclesia non damnet, tamen nunc etiam non approbat.

646 §. 2. Quamvis usus habeat, ut pueri non communicent ante annum decimum vel undecimum, tamen ut communicent, non requiritur certa ætas, sed sufficit illa, cui conjuncta est capacitas discernendi hunc cibum spiritualem à corporali; uti colligitur ex illis, quæ congerit J. Sanch. *d.* 26. Unde qui judicatur capax absolutionis Sacramentalis absolutè accipiendæ, potiùs est capax Communionis, cum ad hanc minus prærequiratur: Et rectè notat Aversa. *s.* 2. intra latitudinem ætatis à 10. ad 14. annum debere pueros ad Communionem admitti; quòd autem attinet ad ætatem, qua obligentur, rectè notat priùs obligari ad Missam, ad abstinendum à carnibus, ad Confessionem quam Communionem, & quamvis admitti possint, non ideò statim esse obligationem, sed tum teneri pueros, quando à parentibus vel Parocho fuerint moniti.

647 §. 3. Pueris, quamvis ante hac non communicarint, dandum est Viaticum, nisi alicubi sit contraria consuetudo, Suar. Laym. Lug. *n.* 37. Bern. *d.* 34. *n.* 91. Aversa. *sup.* Dicast. *d.* 10. *à n.* 110. Tamb. Lohn. aliique. Consentiunt *Diana* & alii, licèt vix septimum vel octavum annum sint egressi, dummodo instrui possint, quia sunt capaces talis Sacramenti, & sæpè indigent effectu illius: cumque præceptum divinum obligans determinatè ad Viaticum nihil committat judicio Ecclesiæ vel Confessarii circa ætatem, neque tum expectari possit plenior usus rationis, non est ratio, cur non obligentur statim, si habeant plenam cibi hujus spiritualis discretionem. Unde audiendi non sunt *Ochagav. Gran. Merat. Hurt.* aliique, qui ejusmodi obligationem absolutè negant: Nec *Vasq.* qui absolutè dicit non esse licitum tali puero dare Viaticum: Nec *av.* qui dicit esse licitum, consulitque fieri, sed putat non esse obligationem.

648 §. 4. In dubio, an puer habeat plenum usum rationis, rectè docent Lugo *n.* 40. Dicast *n.* 121. Dian. *p.* 10. *t.* 16. *R.* 36. Tamb. *de Comm. c.* 5. *n.* 14. posse dari Viaticum, quia certò proderit: tamen addunt non esse obligationem dandi, quia in dubio est possessio pro libertate contra legem; sed in hoc ultimo contradicit Bernal. suprà, dicens si possit, etiam debere dari: hinc Schil. *tr.* 6. *n.* 21. absolutè negat eis dandum, ob periculum irreverentiæ, sed tenenda est una è prioribus sententiis.

649 §. 5. *Antonin. Castrop.* aliique gravissimi AA. cum J. Sanch. *d.* 26. rectè evincunt, pueros septennium egressos, aut etiam ante septennium, si discernant hunc cibum spiritualem, per se loquendo, teneri præcepto Communionis Paschalis, nisi proprius Sacerdos judicet differendum, cui hoc judicandum committit Concilium Lateran. *n.* 625. relatum, cum enim Ecclesia non determinet ætatem, sed tantùm prærequirat annos discretionis, & S. Th. *q* 80. *art.* 9. *ad* 3. dicat hoc Sacramentum posse conferri pueris habentibus aliquem usum rationis, quando anni discretionis adsunt, etiam adest per se loquendo, obligatio præcepti. Rectè tamen notat Lugo *num.* 36. non obligari nunc hoc ipso, quòd hunc cibum spiritualem discernant à corporali, quod probat Dicast. à *num.* 103. ex usu & praxi Ecclesiæ interpretante hoc præceptum, & non ideò statim pueros admittente ad Communionem. Quamvis autem Escob. *l.* 20. *num.* 85. citans *Navar. & Cordub.* absolutè dicat usum habere, ut non obligentur ante pubertatem, id est, masculi ante 14. fœminæ ante 12. annum, tamen alii communiter & melius dicunt, attendendum esse, non ad annos præcisè, sed potissimùm ad maturitatem judicii, & spem reverentiæ debitæ ab illis exhibendæ. Addit Lugo *n.* 39. tempus hujus obligationis non incipere pueris in indivisibili, sed potiùs esse multos, quibus licitè posset dari hoc anno Communio, & tamen licitè differri post unum, aut etiam secundum, Suar. *d.* 70. *s.* 1. & Amic. *d.* 29. *n.* 71. ut nempè melius se præparent, & cum majori reverentia accedant; obligantur tamen parentes, aut alii, qui sunt loco parentum, curare, ut interrogentur proprii Sacerdotes.

650 §. 6. Per proprium Sacerdotem, ad cujus consilium remittitur pro differenda quandoque Communione Paschali, secundùm Dicast. *n.* 90. intelligitur Parochus, vel qui cum illo ordinariam jurisdictionem habet; nihilominus *Suar.* suprà, *Busemb.* & alii communissimè loco proprii Sacerdotis, utuntur nomine Confessarii, & sic videtur habere usus, ex consensu ac tacita approbatione Parochorum, unde Bernal. *num.* 64. dicit, si puer non indigeat Confessione, nec habeat Confessarium, quem interroget, posse stare determinatione parentum, vel eorum, qui sunt loco parentum.

Q. 119. *Quomodo sit instruendus, qui prima vice vult communicare?* Resp. Hoc modo:

1. *Quid est communicare?* Resp. Est Sacramentum Altaris, sive Sacratissimam Eucharistiam ore excipere, & in stomachum deglutire, in eum finem, ut sit spiritualis refectio animæ nostræ.

2. *Quid accipimus in Communione?* Resp. Christum Dominum.

3. *Quid intelligis per Christum Dominum?* R. Filium Dei, sive secundam Personam factam hominem.

4. *Estne Christus ubique?* Resp Secundum Divinitatem est ubique, secundùm Humanitatem non est ubique, sed tantum in cœlo ad dexteram Dei Patris & in terra in Sacramento Eucharistiæ.

5. *Quandonam est præsens in Sacramento Eucharistia?* R. Post verba consecrationis, quæ proferuntur statim ante elevationem hostiæ, & calicis.

6 *Quid est sub hostia & in calice ante & post prolata verba consecrationis?* R. Ante prolata verba, est tantùm panis in hostia, & tantùm vinum cum admixtione parva aquæ in calice: sed post prolata verba, in hostia est totus Christus, cum Divinitate & Humanitate, cum corpore & anima, cum Carne & Sanguine, & nihil panis est amplius ibi, sed tantùm sunt species figura, color, odor, sapor panis. In calice autem est idem totus Christus cum Divinitate & humanitate cum corpore & anima, cum Carne & Sanguine, & nihil vini est amplius ibi, sed tantùm sunt species vini, uti ante dictum est de panc, nam panis & vinum convertuntur in Corpus & Sanguinem Christi; quia tamen totus Christus, vivus sicuti est in cœlo, ita etiam est ibi, hinc non tantùm Corpus est in hostia, & non tantùm Sanguis in calice, sed & in hostia & in calice sunt illa omnia quæ dixi.

7. *Tamen non videmus Christum ibi, sed omnia apparent, sicuti antea: & quomodo est possibile, ut*

tantus homo sit sub tam parvis speciebus? R. Quamvis non videamus, hoc credimus; & multa non videmus, quæ tamen credimus: hoc autem totum fit per Omnipotentiam divinam, cui nihil est impossibile.

8. *Unde sumus certi, quod hoc ita sit, ita, ut hoc possimus firmiter credere?* R. Inde sumus certi, & ideò firmiter credimus, quia Deus dixit, qui nec potest falli nec fallere, nec errare, nec mentiri, cum sit infinita veritas

9. *Unde scimus, quod Deus hoc dixerit?* R. Scimus ex Evangelio in multis locis; & nobis est satis, quòd ita nos doceat Ecclesia Catholica, quæ est magistra veritatis, & cui Deus appromisit assistentiam Spiritus S. in illis docendis, quæ credere debemus.

10. *Quid est in scypho illo, quem custos porrigit post Communionem?* R. Est tantùm vinum, quod ideò sumitur, ut si quæ particulæ sacræ hostiæ adhæsissent linguæ vel palato, sic deglutiantur: hinc oportet facere, quantum fieri potest, ut hostia prius deglutiatur, & tum illud vinum sequatur. Si tamen aliquis non velit, potest non sumere illud vinum.

11. *Quomodo debeat aliquis esse dispositus, ut dignè communicet?* R. Quoad corpus, debet esse jejunus à media nocte, ita, ut nihil cibi vel potus sumpserit, nequidem guttulam aquæ: non obest tamen, si salivam suam deglutiverit, aut sanguinem, ex capite vel gingiva defluentem. Quoad animam autem, debet esse liber ab omni peccato mortali, & si aliqua mortalia anteà commiserit, debet omnia esse integrè confessus cum vero dolore & proposito, & ab iis esse absolutus: qui enim communicant in statu peccati mortalis, fiunt fratres Judæ, & committunt gravissimum sacrilegium.

12. *Quid si aliquis haberet sola venialia?* Resp. Non peccaret communicando cum illis, dummodò non habeat actualem affectum ad illa: sed quò aliquis melius se disponit, & conscientiam magis expurgat etiam à venialibus, eò majorem per Sacramentum Eucharistiæ gratiam obtinet.

652 13. *Quanam est optima præparatio ad Communionem?* Resp. Præter puritatem animæ, de qua jam actum est, optima præparatio est, elicere, imprimis actus *Fidei*, etiam circa hanc Christi præsentiam in Eucharistia: Deinde actus *Spei* vitæ æternæ, & desiderii dignè suscipiendi Christum: maximè autem actus ardentissimi *amoris* erga Jesum, volentem se nobis benignè communicare. Formulas horum actuum habebis in tuis Libellis.

14. *Quid post Communionem est faciendum?* Resp. Cum omni modestia & reverentia recedendum ad locum suum; ibi renovandi actus amoris erga Christum, quem jam præsentem amplectemur. Gratias egemus ipsi, proponemus ei nostras necessitates, petemus gratias & auxilium pro omnibus actionibus nostris. In prima autem hac Communione, & etiam quandoque in sequentibus, petemus singulariter, tum ut non permittat nos unquam indignè communicare, tum ut in fine vitæ habeamus gratiam illum dignè suscipiendi pro Viatico ad æternitatem: præterea die, qua communicavimus, erimus specialiter addicti operibus devotionis, non negligemus Concionem, Vesperas vel Completorium.

15. *Quamdiù oportet abstinere ab expuendo post sumptam Eucharistiam?* Resp. Si quis bene deglutiverit hostiam, maximè, si etiam sumpserit vinum pro ablutione, posset statim post expuere, expedit tamen propter reverentiam & ad cavendum scandalum continere se saltem ad unum Miserere.

16. *Quamdiù ergo abstinendum est à cibo vel potu alio sumendo?* R. Posset statim post sumi, sed expedit saltem ad quadrantem expectare.

17. *Quare laici non sumunt Christum ex Calice sub speciebus vini?* Resp. Quia Christus hoc non præcepit, & Ecclesia non permittit propter graves causas, quas habet; sed nec opus, est nam laici æquè multum accipiunt sub solis speciebus panis, cum accipiant totum Christum, sicut ante dictum est.

18. *Quandonam tenemur communicare?* R. Imprimis omni anno circa Pascha, nempè intrà 15. dies numerando 8. ante, & 8. post Pascha. Deinde in fine vitæ, quando adest periculum mortis.

Notandum, quòd, cum pueri per ætatem non ha- 653
beant judicium, quo sufficienter æstiment hoc divinissimum Sacramentum, rarò admittendi sint ad Communionem, & non nisi quando aviditatem, & spiritualem quandam famem ostendent, ac se diligentiùs solito præpararint, ne frequentia paulatim gignat contemptum & quoddam fastidium.

Q. 120. *An & quando Communio danda sit amen-* 654
tibus, semifatuis, phreneticis, energumenis, surdis & mutis? R. Colligetur ex seqq.

§. 1. Perpetuò amentes, si baptizati sint, possent cum fructu suscipere Eucharistiam, nam æquiparantur infantibus, de quibus *n.* 645. dictum est: attamen non legitur datam esse illis Eucharistiam; nec dari debet, inquit S. Th. *q.* 80. *art.* 9. in *O*, quia id prohibet Rituale Pauli V.

§ 2. In dubio, an adulti amentes utantur ratione 655
Schild. *t.* 6. *n.* 23. dicit non esse dandum Viaticum, sed Gob. *t.* 4. *n.* 173. 417. & 418. melius dicit esse dandum, quia in dubio favendum est potiùs homini, pro quo institutum est Sacramentum, cum certò ipsi prosit, & probabiliter possit etiam causare primam gratiam, si fortè homo ille in mortali esset, de quo saltem attritionem habuisset.

§. 3. Illis, qui usum rationis habuerunt, nec 656
sciuntur amisisse in mortali, dandum est Viaticum, S. Th. *suprà*, & Catech. Rom. *de Euch. c.* 11. *n.* 2. Requirunt tamen, ut prius ostenderint devotionem ad illud, sed Gob. *n.* 155. absolutè dicit dari posse, quia censendi sunt voluisse, & probabile est in eo casu sufficere voluntatem interpretativam secundum dicta *num.* 170. Ideóque etiam Dicast. *d.* 9. *n.* 163. plus non requirit, quàm quòd aliquis ante amentiam bene vixerit, & bonus vir sit habitus. Addunt Villal. & Tamb. *de Comm. c.* 4. *n.* 4. contra Baunium, etiam aliquoties dari posse, præsertim si aliquam reverentiæ speciem retineat. Hoc ipso autem, quòd nescias amisisse usum rationis in mortali, præsume esse in gratia, quia potuit vel sine ulla vel cum levi tantùm culpa amisisse, Gob. *n.* 151. cum communi. E contrà, si certò scias paulò post mortale incidisse in amentiam, nec habes positiva fundamenta pœnitentiæ, semel malus præsumitur semper malus, hinc non erit illi danda Communio. Gob. *n.* 154.

§. 4. Si moribundus nullum exhibeat signum 657
doloris de peccatis, sed tantùm conqueratur de doloribus corporis, attendi debet, an omnibus consideratis censeatur compos mentis, si enim censeatur compos, dandum non est Viaticum, sed habendus est pro impœnitente: Si non censetur compos, dari debet nisi positivè constet esse in mortali, secùdù jam dicta.

§. 5. Adulti, si sint semifatui, vel debilem ratio- 658
nis usum habeant, obligantur præcepto Communionis Paschalis, si judicentur capaces absolutionis, & absit periculum irreverentiæ, S. Th. *suprà*, Tamb. *n.* 4. Bernal. *d.* 44. *n.* 66. Lugo *d.* 13 *s.* 5. Gob. *n.* 138. dicens ita sentire omnes, Dicast. *d.* 10. *à n.* 122. in his enim non est, cur expectetur plenior usus rationis, ut fit in pueris, cum in prioribus non sit spes pleniores usus: Et quod de semifatuis dictum est, magis valet de planè fatuis tempore lucidi intervalli: addit que *Gob.* se daturum semifatuis etiam omni mense.

§. 6. Si quis, non quidem perpetuò, attamen à 659
longo

longo tempore hactenus stultus, cum aliis accedat ad scamnum communicantium, putat J. Sanch. *d.* 38. *n.* 9. præsumi posse habere lucidum intervallum, ideóque dari posse Communionem, sed rectè contradicit Gob. *n.* 136. quia stulti agunt, uti simiæ, quod ab aliis fieri vident.

660 §. 7. Phrenetico aut deliranti, sive ex mania, sive ex morbo, si quando alligatur, accipiat cibos, debet etiam alligato dari Viaticum, S. Th. Aversa *q.* 8. *s.* 1. §. *Quartò*, Sanch. Dian. Gob. *n.* 115. Si dubites, an reverenter susceperurus sit, proba in hostia non consecrata; si non succedat in una, proba in altera etiamque pluribus, & si aliquam reverenter suscipiat, da etiam consecratam, *Laym. Castrop. Dian. Gob.*

661 §. 8. Quamvis aliquis in phreneſi dicat se nolle Viaticum, est nihilominus dandum, si probabiliter præsumatur voluisse, & absit periculum irreverentiæ, uti dictum est *n.* 176.

662 §. 9. Energumeni, etiamsi propter peccata prius commissa obsideantur à dæmone, possunt post pœnitentiam cum fructu Eucharistiam suscipere, S. Th. *ad* 2. J. Sanch. *d.* 38. Aversa §. *Quintò* Lugo *n.* 67. Dicast. *d.* 9. *à n.* 206. Rayn. *in Heterocl. spirit. tom.* 16. *s.* 1. *p.* 4. *n.* 44. Ratio est, quia, quamvis in primitiva Ecclesia non fuerit usitatum, ideóque fieri non debere dixerit S. Dionys. *de Eccleſiaſt. Hierarch. c.* 3. tamen non ideò nunc est prohibitum, præsertim post Conc. Arausicanum I. quod Can. 14. ita habet: *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curent, & se sollicitudini Clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonii, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior.* Pro hoc etiam authoritatem SS. Cassiani & Prosperi adducit Dicast. *suprà:* ex quibus inferunt Laym. & Gob. *à n.* 148. crebrò illis dari posse, si hoc ad solatium spirituale conducat, maximè autem dari debere pro Viatico & Paschate, quamvis dæmon impediat, quominus profiteatur Christum præsentem, *Laym. Gob. Lohner.* Semper tamen abesse debet periculum irreverentiæ.

663 §. 10. Adultus, à nativitate surdus & mutus, est capax Eucharistiæ, quia instrui potest per signa, ut sciat hunc spiritualem cibum discernere à corporali, ut exempla docent, Sanch. Dian. Laym. Castrop. Gob. *tr.* 4. *cas.* 7. qui addunt dandam in Paschate & articulo mortis: an autem sæpius, decernet Confessarius pro ratione intelligentiæ, modestiæ, pietatis, & aliorum, quæ in eo advertet. E contrà si à nativitate sit simul mutus, surdus & cæcus, censendus est veluti infans aut perpetuò amens, cum nullo modo instrui possit, vel rescire de hoc Mysterio, unde illi non debet dari Eucharistia, *Gob. Lohner.* Denique si post usum rationis & instructionem aliquam factus esset surdus, mutus & cæcus, secundùm *Lohner*, dari posset illi sola Extrema Unctio; sed non video, cur non etiam Eucharistia, saltem pro Viatico.

664 *Q.* 121. *Quid notandum sit circa Communionem quotidianam?* Resp. Authores fuerunt in hoc puncto valdè diviſi, teste Rhodes *d.* 1. *q.* 4. *s.* 1. §. 2. *&* 3. Et ideò J. Sanch. *d.* 22. adducit plures quàm 40. qui absolutè dissuadebant; è contra alios valdè multos, qui Communionem quotidianam absolutè suadebant, cum quibus ipse tenet, quamvis, inquit, aliquis sine speciali devotione, etiam ex sola consuetudine accederet. Idem tenuerunt multi Hispani apud Card. *in* 1. *crisi d.* 66. *c.* 1. sed dicendum est cum S. Th. *q.* 80. *art.* 10. Suar. *d.* 69. *s.* 4. Bosco *s.* 10. *concl.* 10. Rayn. suprà aliisque nunc communiter, quamvis unicuique expediat quotidiana Communio, si adsit status gratiæ, actualis devotio & debita reverentia, tamen, quia difficile est, ut omnes, præsertim sæculares, ista quotidie habeant, hinc quotidiana Communio, absolutè loquendo, non expendit omnibus differenter, sed hoc relinquendum est judicio prudentis Confessarii; absolutè autem omnibus adultis convenit valdè frequens. Declaravit hæc omnia sufficienter S. Congreg. approbante Innocentio XI. in Decreto, quod subjicio.

DECRETUM.

Circa Communionem Quotidianam.

Datum Romæ 12. *Februarii* 1679.

665 CUm ad aures Sanctissimi D.N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Paraſceve, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse à jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inoleviſſe; videlicet, quòd aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, imò cubantes in lecto & non laborantes ulla gravi infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes sæculares aut regulares; aliique in Communione accipiant plures formas ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini interpretum, eadem S. Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus, fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm indicavit, cum inquit. Optaret quidem Sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contrà gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate atque integritate, & consequenter de frequentiore aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatores attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant tantò magis eò Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam contingentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui denterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut Parochos seu Confessarios sibi decernendum putet;

illudque omninò provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seu frequenter seu quotidiè accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis & præparationis modo rariùs aut crebriùs Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem moniales quotidiè Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam; opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac Divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi & Parochi seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis seu Oratoriis privatis, ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè & cum pompa juxta formam Ritualis Romani. Si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Paraseeve, Missalis Rubricæ & Ecclesiæ Romanæ usus serventur; Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum & Ordinariorum ac rigorosam animadversionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis JESU, facultate ipsis Episcopis & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari ac publicari voluit. In quorum, &c.

Idem dudum ante expresserat Inn. III. *de Myst. Miss. lib. 4. cap. 42. Dixerit ergo quisquam communicandum esse quotidie, dixerit alius quotidie communicandum non esse*, subjungit ipse mentem suam, & ait: *faciat unusquisque, quod piè crediderit faciendum.* Pro quo adducit hæc verba S. August. quæ referuntur *Cap. Quotidie, 13. de cons. dist. 2. Quotidie Eucharistiam suscipere, nec laudo nec vitupero, omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo.* Qui autem pro quotidiana Communione voluerit sententias PP. legat Salmeronem *in Evang. tom. 9. t. 41.* qui volet rationes, videat *J. Sanch.* suprà ubi egregiè tuetur usum, & probat fructum quotidianæ Communionis, confutatque omnia, quæ communiter opponuntur. E contrà qui volet authoritates & rationes pro usu minùs frequente, videat Lugonem *d. 17.* & Dicast. *d. 9. dub. 18.* qui rem illam optimè tractant. Decretum autem relatum rectè exponit *Carden.* suprà, & ex illo reprobat omnes sententias, tum nimium approbantes, tum nimium damnantes frequentiam Communionis, ubi etiam varia variorum Conciliorum decreta ostendit non esse huic decreto contraria. Adhuc tamen aliqua notanda sunt pro Praxi.

§. 1. Decreto relato obliganturConfessarii omnes, 667
etiam Societatis JESU, quia Pontifex etiam hoc exprimit in fine, non obstante apud ipsos hac regula 26. Sacerdotum: *Ut pium est ad frequenter communicandum fideles exhortari, ita, quos ad id propensos viderint, admonere debent, ne crebrius, quàm octavo quoque die accedant, præsertim si Matrimonio sint juncti*: Regula enim illa accommodanda est ad sensum Pontificis, potestque de hoc videri Dicast. *à n. 422.*

§. 2. Possunt Confessarii devotis personis, quas di- 668
rigunt, determinare dies, quibus communicent, sed petentibus sæpiùs, aut etiam quotidie, negari non potest Communio, posito, quòd dignæ judicentur, neque deterreri debent à quotidiana Communione, uti patet ex verbis decreti.

§. 3. Si personæ tales interrogent, quoties com- 669
municare possint, negari non debet, quòd jus habeant quotidie communicandi, si nempe judicentur dignæ; si tamen non judicentur dispositæ ad toties communicandum, quoties forte vellent, potest dissimulari vel negari Communio, quia Pontifex hoc totum, ut fiat frequenter, vel non frequenter, relinquit judicio Parochi vel Confessarii.

§. 4. Possunt, per se loquendo, Confessarii ema- 670
nare è Confessionali, aut Superiores ordinare, ut certis tantùm diebus ad illud accedant, quia per hoc nequidem indirectè impeditur Communio, nam personæ volentes communicare quotidie, censentur esse tales, quæ non indigeant quotidiana Confessione, si tamen judicentur dignæ, & alia quàm designata die, petant Confessarium, cui solent & nunc vellent confiteri, alioquin ob teneritudinem conscientiæ aut aliâ rationabilem causam non communicaturæ, audiri debent, etiamsi quotidie peterent, alioquin deterrentur, imò, quod plus est, reipsa detinentur à Communione, nolle enim audire his potiùs diebus, quàm aliis, est nolle, & causam esse, ut his diebus non communicent, cum tamen judicentur esse dignæ; ergo est contra decretum. Hinc *num. 133.* dixi cum communi illum, qui obligatus est ad curam, peccaturum etiam contra justitiam, si nollet audire talem Parochianum, etiam quotidie volentem confiteri: alius, qui non obligatur ex officio, attamen curam suscepit, agit saltem contra consilium, inquit Joan. Sanch. *d. 31. numer. 12.* (cujus tempore, si hoc decretum extitisset, procul dubio dixisset agere contra illud) tum quia reipsa impedit

pœni-

pœnitentem à Communione, tum etiam, quia sine justa causa defraudat incremento duplicis gratiæ sacramentalis. *Nec obstat*, quòd confessarius, ne quidem tunc post decretum teneatur præstare, quidquid talis pœnitens, alioqui non communicaturus, fieri vellet, *Nam* Confessarius tenetur pœnitenti, cujus curam suscepit, non negare saltem hoc, quod est optima & ordinaria dispositio ad Communionem, optima autem & ordinaria dispositio ad Communionem, præsertim apud laicos est Confessio, nam plerique quoties communicant, toties confitentur, ergo. Et ideò etiam Catech. Rom *de Pœn.* c. 9. ait: *Nulla res fidelibus adeò curæ esse debet, quàm ut frequenti peccatorum Confessione studeant expiari*, à quo consilio neminem revocare debent Confessarii, nisi ex justa causa, uti jam dicetur.

671 §. 5. Sustineri non debent ampliùs duæ sententiæ *J. Sanch.* qui imprimis *d.* 28. dicit, pœnitenti semper fieri injuriam à Confessario, si ex fine emendandi venialia, vel imperfectiones ipsius, prohibeat adire Communionem. Deinde *d.* 29. dicit pœnitentem non debere sequi consilium Confessarii ob certas causas dissuadentis Communionem. Utrumque enim oppositum patet ex decreto, quo datur hoc jus Confessario, & cujus arbitrio submittitur pœnitens, dummodò serventur reliquæ clausulæ decreti. Unde etiam probabilius videtur contra eundem J. Sanch. *d.* 30. posse esse circumstantias: (rarò tamen) in quibus Superior vel Confessarius prudenter prohibeat pœnitenti vel subdito Communionem aliquam, imò & pro pœnitentia imponat abstinere, quidquid idem Author contradicat *d.* 33 *à n.* 15. v. g. ad augendam in pœnitente sacram famem, vel curam se meliùs disponendi, aut etiam aliquando ad frangendum caput hominis nimium adhærentis proprio judicio, vel semper volentis concedi quod petit

672 §. 6. Quando commendatur frequens usus Communionis intelligi debet sola Communio digna, uti per se patet, quia sola digna Communio est utilis ad salutem, hinc Inn. XI. rectè damnavit hanc prop. 56. *Frequens Confessio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Estque propositio illa maximè scandalosa, nam qui gentiliter vivunt continuò in depravatis & corruptis moribus, sacrilegè communicant, si enim per Confessiones bonas & efficaciora proposita se semper disponerent ad dignam Communionem, moraliter impossibile esset, ut pergerent gentiliter vivere. Carden. *in* 2. *crisi d.* 35. *n.* 3.

673 *Q.* 122. *An licitum sit sæpius una die communicare?* Resp. Ordinariè non est licitum, uti colligitur ex *Cap. Sufficit*, 53. *De Consecrat. dist.* 1. S. Th. *quæst.* 80. *a.* 10. *ad.* 4. Suar. *d.* 69. *s.* 4. Hoc ipsum probat praxis Ecclesiæ ac usus fidelium. *Dixi*, ordinariè, nam 1 Sacerdos celebrans, ter communicat in Natali Domini 2. Si quis sanus communicarit, & posteà incidat in periculum mortis, probabile est, secundùm dicta *n.* 617. posse, & consequenter teneri iterum eadem die communicare pro Viatico. 3. Potest Communio sæpiùs sumi in die, ad impediendam dehonorationem Eucharistiæ, uti si esset profananda ab hæreticis, &c.

674 *Inferes.* Si quis è manu Angeli hodie communicasset, non posset iterum hodie è manu Sacerdotis, Lugo *in Resp. Mor. l.* 1. *d.* 16. *n.* 8. Similiter si quis ante Missam distribuens Communionem sumpsisset particulam adhærentem digito, non posset illa die Missam legere, uti dictum est *n.* 571. aliud est, si particulas sui vel alieni Sacrificii sumat post distributionem Communionis in Missa factam, tum enim censebitur una moraliter Communio, uti dictum est *à num.* 496.

Q. 123. *An licitum sit dare Communionem ad explorandam, aut suscipere ad probandam innocentiam?* 675
Resp. Non esse licitum docent S.Th. *q.* 80. *a* 6. *ad* 3. Suar. *d.* 67. *s.* 6. Dicast. *de Sacram. d.* 3. *n.* 285. aliique communiter, & probatur, quia Pontifices *Cap. Ex tuarum* De purgatione Canonica; *& Cap. Dilecti.* De purgatione vulgari; *& Cap. Consuluisti* 20. *Causa* 2 *q.* 5. prohibent ejusmodi probationes, tum quia videtur tentari Deus, à quo exigitur miraculum subitæ punitionis, si suscipiens Eucharistiam sit nocens; tum quia medium illud est vanum & superstitiosum, nam Deus nullibi promisit subitò punire nocentem, quamvis pro contestatione innocentiæ Eucharistiam susciperet; & non plerumque, fortè etiam nunquam, subito puniretur, atque ita nocentibus daretur occasio Eucharistiam indignè suscipiendi. Notant tamen rectè Suar. & Castrop. *hic p.* 20. *n.* 33. non apparere malitiam in hoc, si quis liberè, vel etiam si duo ex mutuo consensus, Eucharistiam suscipiant, veluti in juramentum pro sua innocentia, & ita Greg. VII. invitavit Henricum IV. ad Communionem, in contestationem innocentiæ suæ vel ipsius; Henricus autem Communionem detrectavit; sed meritò etiam ista dissuadet *Suar.* propter periculum irreverentiæ vel sacrilegii. Addit Arriaga *d.* 21. *n.* 28. suscepto imponi non posse istum peregrinum modum jurandi, hinc *Sot* apud Escob. *l.* 8. *n.* 381. meritò damnat peccati mortalis maritum, qui cogit uxorem ad communicandum coram se, in testimonium, quod non sit adultera.

Obj. Ex quodam Conc. Wormat. sic statuitur 676
c. Sæpè contingit, 23. *& cap. Si Episcopo*, 26. *causa* 2. *q.* 5. ut si in Monasterio furtum perpetretur, aut Episcopo imputetur scelus, Monachi communicent, dicentes, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*; Episcopus autem desuper celebret, & communicet, sicque se innocentem ostendat. Resp. Concil. *illud* fuisse tantùm Provinciale; neque constat fuisse approbatum ab ullo Pontifice. Hinc S. *Th. ad* 3. dicit, decreta illa esse abrogata per contraria documenta Pontificum, quæ retulimus: *Castr.* dicit Conc. tantùm permisisse, ut Communio illa fieret tanquam juramentum, uti ante dictum est; Alii apud Avers. *q.* 10. *s.* 5. §. *Septimò*, dicunt ad terrorem tantùm id fuisse propositum.

Q. 124. *An Communio peti possit, vel recipi à* 677
Ministro indigno? R. De hoc dictum est *à n.* 209. De Viatico à tali Ministro petendo, dixi *n.* 620.

Q. 125. *Quinam sint effectus Communionis?* Resp. 678
§. 1. Primarius effectus sunt gratiæ, tam habituales, quàm actuales, de quibus agitur in Scholastica; secundarii autem effectus sunt plures, de quibus generatim habet sequentia Conc. in decret. Eug. IV. ad Armenos. *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignæ salutis, est adunatio hominis ad Christum, &c. omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam alunt corporalem sustentandam augendo, reparando, delectando, Sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum perficimus incrementum.* Similiter Trid. *sess.* 13. *c.* 2. dicit Christum voluisse sumi hoc Sacramentum, *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Addit, *Pignus præterea id esse voluit, futuræ nostræ gloriæ & perfectæ felicitatis.* Quibus locis insistunt plures effectus Eucharistiæ, quorum alii spectant ad animam, alii ad corpus, de quibus ordine aliquid addemus.

§. 2. *Effectus* secundarii, quos in anima causat 679

Eucharistia, sunt sequentes: 1. Augmentum omnium virtutum supernaturalium, uti habet Florent. & Inn. III. *De Myst. Missæ l.* 4. *c.* 44. his verbis: *Per hujus Sacramenti virtutem universæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant.* Ratio autem est, quia hi habitus crescunt secundùm mensuram gratiæ habitualis, unde sicuti gratia ex opere operato augetur, ita etiam hi habitus, Rayn. *in Candel. s.* 4. *c.* 2. ubi per singulas virtutes Theologicas & morales discurrit, probatque causari & augeri per Eucharistiam. Hæ autem virtutes vel earum augmentum causatur eodem instanti reali cum gratia, sunt enim veluti proprietates gratiæ, quæ est tanquam natura exigens illas.

680 2. Gratiæ actuales, nam gratia habitualis & habitus supernaturalis exigunt gratias actuales, quibus homo suo tempore & loco excitatur vel juvatur in operando utiliter ad salutem, Suar. *d* 66. *s.* 9. Adeóque etiam hæ causantur per Eucharistiam ex opere operato, sed mediatè tantùm, neque statim cum gratia habituali, sed quando occurrit occasio exercendæ virtutis, vel declinandi vitii, vel aliàs, quando exigit necessitas spiritualis. Et ostendit *Rayn. c.* 1. Eucharistiam esse ad specialiter illuminandas mentes fidelium: descendendo autem ad particularia, *c.* 2. probat specialiter illuminare quod exercitium omnis generis actuum supernaturalium, adeóque ab illa esse subitas gratias, quæ nos sæpè nil minùs cogitantes, in quibusvis occasionibus illustrant vel movent.

681 3. Fervor charitatis, qui est specialis fructus Eucharistiæ, quæ etiam ideò dicitur Sacramentum amoris *Rayn. à n.* 13. ubi ostendit, quomodo Eucharistia, sit specialiter Sacramentum charitatis. Et huc spectat, quod sæpè dicit S. Chrys. *homil.* 45. & 61. *ut leones flammas spirantes, sic ab illa mensa discedimus.*

682 4. Actualis dulcedo & delectatio, uti habet Florent. & Urbanus VI. ac Clemens V. In Clement. De Reliq. & Vener. SS. ubi ait: *In hoc Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Similiter loquuntur SS. PP. apud Rayn. *s.* 5. *v. Calix inebrians.* Ideóque Inn. III. suprà applicat Eucharistiæ illud Psal. 33. v. 9. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*, & SS. PP. applicant Psal. 67. v. 11. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et Gen. 49. v. 20. *Pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus* Plura videri possunt apud Lugo *d.* 12. *à n.* 90. qui notat hunc effectum nasci ex actibus fidei & dilectionis per hoc Sacramentum excitatis, ubi enim est perceptio rei amatæ præsentis, ejusque amor, naturaliter consequitur dulcedo & delectatio; maximè autem impeditur, si palatum animæ sit præocupatum amore sensibilium.

683 5. Debilitatio habituum malorum, & emendatio vitiorum, uti innuit Florent. & habet Rayn. *s.* 4. *c.* 3. ubi ostendit singula vitia expelli, vel certissimè imminui per Eucharistiam. Specialiter autem cohibet libidinem, uti notat Catech. Rom. *de Euchar. c.* 9. & docent SS. PP. quos citat, ideóque illi applicatur illud Zachariæ 9. v. 17. *Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines.* Atque ideò est, quòd dæmon soleat impudicis maximam Communionis nauseam inicere.

684 6. Remissio peccatorum venialium, uti habent *Trid. & Catech. Rom.* suprà, SS. PP. apud Suar. *s.* 10. S. Th. *q.* 79. *art.* 4. & Theologi omnes, inquit Lugo *n.* 82. Docent autem aliqui cum Gob. *t.* 4. *n.* 474. non requiri aliam dispositionem, quàm ut ante Communionem adsit status gratiæ, & in Communione non sit actualis affectus ad tale peccatum, putant enim illum immediatè remitti venialia ex opere operato, fatenturque Lugo & Dicast. *d.* 8. *n.* 124. hanc esse communiorem sententiam, quamvis aliqui requirant aliquam detestationem ejusmodi venialium, ad quam excitent speciales gratiæ per Eucharistiam causatæ: Alii cum Con. Bonac. & Escob. *l.* 20. *n.* 115. dicunt sufficere detestationem virtualem contentam in voluntate suscipiendi Eucharistiam; hoc ipso enim quòd sit voluntas majoris & intimioris conjunctionis cum Christo, putant esse virtualem detestationem venialium, quia hæc illam impediunt vel dedecent.

7. Remissio pœnæ peccatis debitæ, *secundùm modum devotionis & fervoris*, inquit S. Th. *a.* 5. causat enim in nobis actus perfectos, quibus pœnæ alicujus remissio respondet, saltem ex opere operantis; attamen cum venialibus remittitur etiam pars pœnæ ex opere operato, Lugo *n.* 98. Imò probabile est cum Dicast. à *n.* 128. contra Maurum *q.* 158. *n.* 5. quòd Eucharistia ex opere operato remittat partem pœnarum debitarum peccatis, etiam aliunde antecedenter remissis. 685

8. Præservatio à peccatis, etiam mortalibus uti habent *Trid. & Catech. Rom.* Suprà; SS. PP. apud Lugo *n.* 85. Inn. III. suprà, S. Th. *a.* 6. Ratio est, *quia hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, uti habetur *Joannis* 6. *v.* 50. quia nempe causat ex opere operato illustrationes mentis moventes ad odium peccati, firmat animam in charitate, imminuit concupiscentias, uti ante dictum est, exigit auxilia externæ protectionis, uti pluribus ex Scriptura ac SS. PP. deducit Lugo *à n.* 86. Quia tamen hæ gratiæ & auxilia quoad usum subsunt nostræ libertati, hic effectus non est infallibilis, sed esset, si vellemus cooperari. 686

9. Æterna gloria, uti habent S. Th *a.* 2. Catech. Rom. suprà, multi PP. apud Lugo *n.* 89. Quod verum est, non solùm quia causat gratiam, quæ est pignus gloriæ, sed quia Christus per Eucharistiam dat speciale jus ad gloriam, hinc *Joan.* 6. *v.* 55. dixit: *qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam.* Ideóque etiam *Trid.* suprà dicit Christum voluisse, ut ipsamet Eucharistia nobis esset pignus futuræ gloriæ. Possunt plura circa hoc videri apud Gonet *d.* 8. *art.* 9. & Rayn. *s.* 5. *v. Pignus.* 687

§. 3. Effectus, quos in corpore causat Eucharistia, sunt seqq. 1. Quædam cordis dilatatio, vultus lætitia, coloris vivacitas, oculorum modestia, linguæ refrænatio, maturitas incedendi, totius corporis reformatio, omnis externi gestus modestia venustaque ordinatio. Lugo *num.* 99. Hos autem effectus operatur mediatè, sequuntur enim ex fervore charitatis & virtutibus quas operatur in anima. 688

7. Imminutio fomitis peccati, S. Th. *art.* 6. *ad* 3. Escob. *num.* 119. & rectè explicat Lugo *à num.* 87. qui *num.* 100. cum Suar. *d.* 64. *s.* 1. putat hunc effectum immediatè excusari ab Eucharistia, partim fugando dæmones, ne excitent species turpis objecti; partim comprimendo activitatem humorum & amoliendo naturales causas ardoris concupiscentiæ. 689

3. Summa unio inter Carnem Christi & hominis, secundùm illud Joan. 6. v. 57. *qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo.* De qua unione habent mira SS. PP. apud Suar. *s.* 3. & apud Bernal. *d.* 41. *s.* 6. Et hanc post *Vasq.* optimè explicant Rayn. *s.* 3. *c.* 1. *à n.* 12. Maurus *q.* 162. Bernal. suprà, Dicast. *d.* 8. *dub.* 5. nam licèt non sit verè physica, sed moralis tantùm attamen non est per solam fidem, vel charitatem tantùm, sed quasi realis, & naturalis, ideòque eam SS. PP. vocant corporalem: consistit autem in hoc, quòd Christus tencatur carnem nostram, in qua Caro 690

ipsius tanquam cibus spiritualis liberè, & dignè susceptæ est, habere quasi propriam, & è contra nos Carnem Christi, quam liberè, & dignè suscepimus in cibum spiritualem, teneamur habere tanquam carnem nostram, ad modum similem, quo conjuges mutuam carnem æstimant veluti suam, ideóque dicuntur fieri una caro. Perseverat autem hæc unio consumptis speciebus, quandiu perseverat gratia per hoc Sacramentum causata, *Dicast.* suprà, Escob. *n.* 497.

69. 4. Gloriosa resurrectio corporis, de qua fusè Suar. *s.* 2. qui effectus non tantùm causatur ratione gratiæ, quæ est semen gloriæ, sed etiam specialiter attribuitur Eucharistiæ, secundùm illud Joan 6. v. 55. *qui manducat meam Carnem, &c. resuscitabo eum in novissimo die.* Et circa hoc videri possunt sententiæ Conc. Nicæni, & SS. PP. idem asserentium apud Bernal. *n.* 71. Falsum tamen est, quod aliqui dixerunt, per Eucharistiam produci in corpore nostro qualitatem aliquam, per quam præpararetur ad immortalitatem, qualitas enim illa sine fundamento confingitur, Suar. *s.* 1. Escob. *n.* 499. Dicast. *n.* 91. sed hoc tantùm fit per exigentiam, & jus quoddam, quod gratia causata ab hoc Sacramento, tribuit homini ad gloriam corporis, quod ita communicavit Christi Corpori, & Sanguini, & specialem cum his unionem habuit. Probantque Rhod. *d.* 1. *q.* 3. *s.* §. 2. Lugo *n.* 196. contra *Suar.* hìc non esse tantùm novum titulum ad eandem gloriam, sed reipsa ideo conferri aliquid, quo augeatur gloria, hinc aliqui apud Gonet *n.* 17. dicunt eos, qui sæpè devotè communicarunt, specialem in altera vita corporis splendorem esse habituros. Rectè tamen notat Dicast. *n.* 88. sumptioni Eucharistiæ non respondere specialem laureolam in cœlo, uti aliqui putarunt, pro hoc enim nullum est fundamentum: Et de hoc aliisque effectibus, qui sine fundamento assignantur Eucharistiæ, videri potest etiam Raym. *To* 16. *in Heteroclitis spiritualibus, sect.* 1. *punct.* 5. *à n.* 8. Ex dictis,

Colliges, quanta sint, & quàm rationabilia moti- 692
va, ut quivis homo quàm sæpissimè dignè frequentet Eucharistiam. Possuntque hæc etiam utiliter proponi populo, ut excitetur ad frequentem, & devotam Communionem, sed simul instruendus est de modo dignè, & devotè communicandi, atque etiam admonendus de malitia indignè communicantium, de qua aliquid insinuavi *n.* 515.

LIBER SEXTUS,

De Sacrificio Missæ, & Sacramento Pœnitentiæ.

PARS SECUNDA,

TRACTATUS III.

De Eucharistia.

CAPUT TERTIUM.

De Eucharistia, ut est Sacrificium.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit Missa, & quæ obligatio Sacerdotum circa illam.

1 „ REsp. Missa est Sacrificium, consistens
„ in consecratione panis, & vini: est-
„ que actus latriæ, qui fit in recogni-
„ tionem supremi Dominii Dei, & sig-
„ num nostræ servitutis. Quod non ob-
„ stat, quin secundariò possit etiam ad alium finem
„ partialem offerri, ut ad agendas gratias, vel impetra-
„ tionem beneficii, ad remissionem peccatorum, ad
„ Sanctos honorandos, &c. Principalis fructus Mis-
„ sæ, ex opere operato, est independens à probitate
„ Sacerdotis, à quo pro omnibus, seu vivis, seu de-
„ functis, etiam accepto stipendio, applicabilis est;
„ estque actu, tam intensivè, quàm extensivè finitus;
„ etsi enim hostia ipsa, & principalis offerens, id
„ est Christus infinitè sit Deo gratus, itaque ita
„ Deus per hoc Sacrificium infinito honore afficia-
„ tur, videtur tamen Christi esse voluntas, ut offe-
„ ratur, & prosit tantùm ad certum, & finitum
„ effectum. Quod etiam patet ex usu, & sensu Ec-
„ clesiæ, dum missæ pro eadem re reperuntur, quod
„ signum est non habere infinitum effectum. V. Bon.
„ *d.* 4. *q. ult. p.* 4. *Unde resolves*:

„ I. Sacerdotes ordinariè peccant graviter, si non
„ aliquoties in anno, saltem ter, vel quater solem-
„ nioribus festis celebrent, nisi legitimè sint impediti.
„ Ita *Sylv. Reg. Suar. Kon.* & alii comm. contra
„ Angles, Bon. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 19. item C. Lug.
& Tamb. *l.* 1. *de exp. com. cap.* 6. qui excusant sal- „
tem à mortali, dummodò communicent in Pascha- „
te, absitque contemptus, & scandalum. Imò ubi „
Tridentinum est receptum, tenentur ex mandato „
Episcopi sub gravi culpa, celebrare saltem Domini- „
cis, & festis: excusantur tamen, si episcopi nullum „
mandatum extet. „

II. Etsi in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, „
& Conventualibus, (ubi est competens Sacerdo- „
tum numerus) quotidiè debeat una saltem Missa „
privata celebrari, & altera cantari, peccentque „
mortaliter dictarum Ecclesiarum Rectores, si in „
hoc deficiant, *Suar. Kon. Laym. March. &c.* non esse „
tamen mortale (præscindendo à peculiari obliga- „
tione talis Ecclesiæ) semel, vel bis in hebdomada „
omittere alterutram, docet Tamb. *l. c.* uti neque „
si in Ecclesiis Collegiatis die festo cadente in fe- „
riam privilegiatam (v. g. Vigiliæ, quatuor tem- „
porum, Quadragesimæ, vel Rogationum) Mis- „
sa solemnis de feria post nonam canenda, semel „
omittatur. Ib. ex *Abb. Marc. &c.* „

III. Peccat graviter, qui tenetur pro alio „
offerre Missam, fructum tamen principalem „
applicat aliis, quia id alii est fraudi in re „
gravi. „

IV. Graviter peccat. 1. Qui ad Sacrum ex „
justitia obligatus, illud diu differt, quia mag- „
no fructu alterum privat, Sylv. Regin *l.* 23. „
num. 236. *Fernand. &c.* multòque magis, si „
planè omittit; teneturque hoc casu ad stipen- „
dii restitutionem. Tamb. *De exp. sac. lib.* 3. „
cap. 1. §. 1. 2. Si quis accipiat plura stipen- „
dia, quibus nonnisi post longum tempus pos- „
sit satisfacere. Ratio eadem Sylv. Reg. Fern. „
pag. 3. *cap.* 5. 3. Qui Sacrum animo se obli- „
gandi promisit, & non præstat, Bon. *pag.* „
8. etsi probabile sit, hoc non esse mortale, „
ut habet Sanch. *de Matr. lib.* 1. *dist.* 5. V. „
Dian. *p.* 2 *tit.* 3. *misc. R.* 9. item *p.* 4. *t.* 4. *R.* „

196.

„ 196. & p. 6. t. 6. R. 6. p. 5. t. 14. R. 81. ubi citat *Cajet.* „ *Vasq. &c.* affirmantes, quòd pluribus Missam „ gratis promisit, possit unica satisfacere, quod ta„ men alii communiter negant.

„ V. Si quis det justum stipendium (id à consue„ tudine, vel lege taxatum esse debet, aut si non est, „ secundùm *Sotum*, & *Caj.* est frugalis victus unius „ diei; quod *Suar. Laym.* & alii reprobant, putantque „ sufficere mediam, vel tertiam partem sustentatio„ nis diei,) ut pro se dicatur Missa, non potest secun„ dum accipi ab alio, & pro duobus una tantùm Mis„ sa dici, Lugo *d.* 19. *n.* 259. Secus si ambo dimi„ dium tantùm judicarent, uti contr *Vasq. Reg.* & „ alios probabiliter docent Sot. Herin. Fill. Kon. Lu„ go *l.c.* quod tamen jam est prohibitum per Bullam „ Urbani VIII. V. Bonac. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 7.

„ VI. Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo „ celebret, aut fieri curet, per se loquendo potest cu„ rare Missam per alium bonum Sacerdotem, minùs „ dando, quàm accepit.

„ Dixi I. *Per se*: quia Urbanus VIII. ob speciem „ turpis quæstus id fieri vetuit.

„ Dixi II. *Bonum*: quia si per malum curet, per„ ditur fructus, qui ex opere operantis. *V. Lugo.*

„ VII. Beneficiati, etiam Curati, ad Missas obli„ gati, possunt pro iis accipere stipendium, & appli„ care, cui volunt, qui non semper habent obligatio„ nem applicandi ad certam intentionem; nisi tamen „ contrarium constet, ut de Missa conventuali, do„ cet *Sanch.* Ita Lug. *d.* 21. *n.* 21. ex *Suar. Vasq. &c.* „ contra *Gavant. Barbosam, & Dian.* qui negant de „ Parocho: refertque Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Resp.* 232. de„ terminasse Congregationem Cardin. quòd ei non „ liceat pro Missa accipere eleemosynam manualem „ quando tenetur celebrare; de Missa tamen conven„ tuali contra *Bon. &c.* ipse affirmat *p.* 5. *t.* 13. *R.* „ 51. ex aliis. 3.

„ VIII. Qui stipendium pro sacro accepit, tenetur „ dicere Missam pro defunctis, vel votivam, vel in „ hoc, aut isto altari pro ut pecuniam offerens peti„ vit (quantùm tamen rubricæ permittunt, quibus „ neglectis Ecclesiæ ordinem invertere ob alterius „ devotionem, non convenit) quia ob ejus devotio„ nem, & speciales orationes, major fructus prove„ nire solet. Si tamen aliter faciat, non erit grave, „ imò nullum, si fiat justa de causa V. Dian. *p.* 2 *t.* „ 14. *R.* 29. & 31. Lug. *n.* 35.

„ IX. Is, qui quoad locum, tempus, intentionem, „ qualitatem Missæ, non satisfacit sine justa causa vo„ luntati fundatoris, peccat, & quidem graviter, si „ sæpè faciat; estò consentiant hæredes, cùm ii in „ hoc voluntati testatoris non possint derogare, ut „ docet *Sylv. Nav. Azor. &c.* Episcopus tamen potest „ in hoc dispensare ex causa, ut habet *Henriq. Sylv.* „ *Tann.* Quòd si quis quoad locũ impediatur, tenetur „ in alio, ut habet *Azor. t.* 1. *l.* 10 *c.* 14. & Sà V. Miss. „ Dian. *l.c. R.* 29. ubi docet ex *Nav. Rodriq. Fagund.* „ & *Az.* esse mortale celebrare in alio templo, vel „ altari, quàm quis tenetur, quod negat *Lugo*, si ra„ rò, & ex causa fiat. V. *n.* 36. Imò nec esse veniale, „ si obligatus quotidie celebrare, rarò & ex rationa„ bili causa celebret alibi. Similiter Tamb. de *Exp.* „ *Sacr. l.* 3. *c.* 2. excusat à mortali eum qui uno alte„ rove die singulis mensibus alibi celebrat, nisi ta„ men teneatur celebrare in altari privilegiato: no„ tatque poss. Sacerdotem contra hoc onus Missa„ v.g. certum earum numerum, præscribere annis 30. „ si adsit possessio, titulus, & bona fides.

„ X. Beneficiatus ex justitia obligatur sub morta„ li, & pœna compensationis, ad eum numerum Mis„ sarum, per se vel) prout mens fundatoris ex „ verbis colligenda permittit) saltem per alium, quem numerum litteræ fundationis requirunt: eum „ verò numerum ex justa causa, ut v. g. reditus jam „ non sufficientes respondeant, potest minuere Epis„ copus in Synodo: quam potestatem *Bonac.* restrin„ git ad Missas defunctorum, & quidem post *Trid.* „ impositas. V. Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 8. „

XI. Qui ratione Beneficii tenetur quotidie cele„ brare, tenetur etiam Missam pro fundatore (nisi „ de hujus intentione contraria constet) applicare, „ *Bon.* & alii 4. cum Dian. *p.* 6. *t.* 6. *Resp.* 13. qui „ tamen concedit, posse eum pro se ipso quater aut „ sexies in anno, & in die Commemorationis om„ nium defunctorum, pro particulari defuncto cele„ brare; item quavis hebdomada unam Missam omit„ tere devotionis, & reverentiæ causa; idque ex præ „ sumpta intentione fundatoris: quod Tamb. *c.* 3. §. „ 1. ex Gayant. *p.* 3. *tr.* 12. limitat, nisi de contra„ ria fundatoris voluntate constet, vel sit onus Eccle„ siæ, aut Monasterii, curare Missam quotidianam. „ V. Tamb. *l. c.* Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 28. *p.* 4. *t.* 4. *R.* „ 86. & *p.* 5. *t.* 5. *R.* 23. & *t.* 13. *R.* 51. 2. id ip„ sum limitat Lug. *R. mor. l.* 5. *d.* 9. si obligatio di„ rigatur ad ipsum Sacerdotem, v. g. si dicatur; („ *Qui debet quotidie celebrare*) quo casu concedit: „ si verò dirigatur ad celebrationem in tali loco, v. „ g. *volo ut in tali Ecclesia celebretur quotidie Missa*, „ teneri eum pro se alium substituere eo die, quo ip„ se non celebrat. „

XII. Qui non potest fundationi satisfacere, prop„ ter morbum, non tenetur, si brevis sit, (v. g. 15. „ dierum, ut docet *Bon.* aut etiam unius alteriusve „ mensis, ut probabiliter docet Lug. *de Euch. d.* 21. „ *n.*) substituere alium aut compensare, cùm tam „ strictè, nec Domini quidem honesti cùm famulis „ agant: secus tamen, si sit diuturnus morbus, nisi „ reditus sint nimis tenues, aut in morbum absuman„ tur, ut contra *Sylv. & Azor.* docet *Bon.* ex *Rodriq.* „ Impeditus vero aliis negotiis, licèt justis,) cùm „ hæc non debeant obesse fundatori) debet satisfa„ cere per alium, vel compensare posteà, præsertim „ si fiat sæpiùs. Ita Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 7. „

ADDENDA.

QUæst. 1. *Quid præterea notandum sit circa Mis-* 2
sam, & rationem Sacrificii?

Resp. seqq. §. 1. Per Missam intelligitur totus ille ritus, quem Sacerdos peragit ad Altare, ab initio usque post sumptionem Corporis, & Sanguinis Christi. Unde dicatur *Missa*, variant opiniones, aliqui derivant ab hebraico Missah, id est, oblatio voluntaria. Alii à mittendo, vel quia per eam mittitur legatio, aut hostia Deo, ut habent Rupert Abbas *l.* 2. *de div. off. c.* 23. & S. Th. 3. *p. q.* 83. *a.* 4. *ad* 9. vel quia olim ad illam mittebantur symbolæ ciborum, unde fiebat cœna; vel uti putant Bellar. *Missal. l.* 1. *c.* 1. & Dicast. *de Missa d.* 1. *dub.* 4. quia post eam mittebatur, seu dimittebatur populus; vel quia sub illa post Evangelium dimittebantur Cathecumeni, uti vult Pasq. *de sacrif. q.* 1 potestque videri etiam Rayn. *in Candel. septilustri. sect.* 5. *V. Missa.*

§. 2. Sacrificium sumitur, vel latè, & impropriè, 3
vel strictè, & propriè: Latè sumptum est, quidquid Deo offertur ad cultum, uti sunt orationes, laudes adorationes, cæterique actus virtutum, præsertim religionis, & in hoc sensu dicitur 1. Petri 2. de omnibus Christianis, quod sint sacerdotium sanctum ad offerendas Deo spirituales hostias. In simili sensu loquitur Apostolus ad Hebræos 13. v. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*: Et *David* Ps. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*: Et *S. Aug.* apud Bellarm. *c.* 2. dicit verum Sacrificium esse om-

no

ne bonum. Admittuntq; omnes hæretici Missam illo sensu esse sacrificium, sed certum est, debere esse sacrificium in alio proprio sensu, quia S. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt hanc 45. Baii prop. *Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate homo Deo inhæreat.* V. Pasq. *q.* 2. Sacrificium strictè sumptum est cæremonia sacra legitimè instituta, quia per destructionem, vel notabilem immutationem rei sensibilis Deo soli oblatæ profitemur nostram subjectionem, Dei autem supremum dominium in vitam, & necem, in esse, & non esse rerum omnium. Dicitur *cæremonia sacra*, quia debet esse actio externa ponenda ad cultum Dei. Additur, *legitimè instituta* à Deo, vel Rep. quæ, per se loquendo, etiam potestatem habet ejusmodi signa communia instituendi, & per hoc differt sacrificium à martyrio, quod non est publica authoritate institutum ad Dei cultum; per hæc autem præcipuè differt à Sacramento, quòd fiat *in protestationem supremi dominii Dei, per destructionem, vel notabilem immutationem rei*, vel physicam, uti quando animal occiditur, vel moralem, uti, quando vinum libatur, & effusum redditur inutile ad communes, & ordinarios usus humanos. Videri possunt Dicast. *dub.* 1. & Pasq. *à q.* 4. usque ad 16. ubi inquirunt in varias conditiones ad essentiam sacrificii requisitas.

4 §. 3. Sacrificium dividitur; *Ratione materiæ*, in cruentum, in quo funditur sanguis; & in incruentum, in quo sanguis non effunditur: Item aliud dicitur Victima, seu hostia, in quo aliquid animatum offertur, uti bos; aliud immolatio, in quo aliquid inanimatum, sed solidum, uti panis; aliud libamen, in quo aliquid inanimatum, sed liquidum offertur, uti vinum: sæpè tamen confunduntur hæ voces, & una ponitur pro altera. *Ratione formæ*, aliud dicitur holocaustum, in quod id, quod offertur, totum per ignem consumitur; aliud hostia pro peccato, in quo id quod offertur consumitur partim per ignem, partim per Sacerdotem; aliud hostia pacifica, in quo id, quod offertur, consumitur, partim per ignem, partim per Sacerdotem, partim per illum, qui donat. *Ratione finis*, aliud est latreuticum, quod purè ad cultum Dei; aliud Eucharisticum, quod specialiter in gratiarum actionem; aliud propitiatorium, quod ad remissionem culpæ, vel pœnæ, aliud impetratorium, quod ad aliquid aliud à Deo obtinendum offertur. Pro latreutico est holocaustum; pro Eucharistico, & impetratorio, hostia pacifica; pro propitiatorio, hostia pro peccato; Videri possunt S. Th. 1. 2. *q.* 102. *a.* 3. Bellarm. *c.* 4. Arcud. *In concordia Eccl. Occid. & Orient l.* 3. *c.* 8.

5 §. 4. In Cruce oblatum est verum, & propriè dictum sacrificium, in quo Christus erat Sacerdos, & idem ipse victima, secundùm illud ad Ephes. 5. v. 2. *Tradidit seipsum pro nobis in oblationem, & hostiam*, 1. ad Corinth. 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Altare erat Crux: Aderat institutio Dei, qui posuerat eum Sacerdotem maximum, ut sanguine suo interveniret pro salute nostra, ideóque ipse in sacrificio illo fuit propitiatio pro peccatis nostris. 1. Jo. 2. v. 2. Pacificans per Sanguinem Crucis. ad Coloss. 1. v. 20. *Nec obstat*, quòd ipse non occiderit se, neque idem moraliter hoc sensu, quasi senserit, vel intenderit actionem, qua à Judæis occisus est, *nam* occidit se moraliter isto sensu, quòd mortem sibi illatam, quam effugere poterat, acceptando liberè, & sponte, quando & sicuti voluit, tantundem fecerit in ordine ad colendum, & propitiandum Deum, ac si se ipse occidisset, *oblatus est, quia ipse voluit*, Isa. 53. v. 7. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam*, Joan. 10. v. 17. & 18. Neque simile est in acceptatione martyrum, quia eorum acceptatio non est specialiter publicè instituta ad cultum Dei, vel propitiationem pro peccatis, sed ipsi intendunt pati pro contestanda veritate fidei, neque ipsi sunt Sacerdotes à Deo ad hoc deputati, neque poterant mori, quando volebant, neque mortem effugere, uti volebant.

§. 5. In Missa est verum, & propriè dictum sacrificium. 6 Est de fide contra hæreticos apud Bellarm. *c.* 5. & habetur in multis Conciliis apud Pasq. *q.* 22. *n.* 2. novissimè Trid. *s.* 22. *Can.* 1. sic definit. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Idem probatur ex unanimi consensu Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, omniumque PP. qui in utraque floruerunt ab initio: nam quòd Ecclesias attinet, demonstrat hoc Bellarm. *c.* 23. & constat ex antiquis libris liturgiarum, SS. Jacobi Apostoli, Clementis, Basilii, Chrysostomi, &c. de quibus Bellarm. *c.* 18. Item ex ritu altarium, & ministerio Sacerdotum, quibus utraq; Ecclesia semper usa est, uti ostendit Bellarm. *c.* 16. & 17. Quod autem utriusque Ecclesiæ Patres attinet, eos copiosissime adducit Petavius *de Incarn. l.* 12. *c.* 13. & 14. Ratio est, quia in Missa datur cæremonia sacra à Christo instituta, per quam res sensibilis moraliter destruitur in protestationem supremi Dominii Dei, & nostræ ad eum subjectionis, nam imprimis consecratio est cæremonia sacra à Christo instituta, quando Eucharistia instituta est, secundum dicta *num.* 3. Deinde per consecrationem fit destructio rei sensibilis sufficiens ad sacrificium, uti ostendetur *à n.* 704. Denique hæc tota actio fit in dictam protestationem, hæc enim est intentio Ecclesiæ, & institutio Christi, qui etiam eum in finem consecravit, nosque idem facere jussit, dicens: *hoc facite*, & quod se ipse in Cœna ita Patri æterno obtulerit, apertissimè docent *SS. Iræn. Cyp. Ambr. Greg. Nyss. Chrysost. Aug. Isichius, Rup.* quorum verba ad longum refert Bellarm. *c.* 12. in fine.

Obji. Sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam, ergo sacrificium Missæ superfluit. *Conf.* nam Apostolus ad Heb. 9. dicit: *Neque necesse est, ut sæpè offerat semetipsum.* Item *c.* 10. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: & infrà: *Ubi autem horum* (peccatorum) *remissio, jam non est oblatio pro peccato.*

Resp. Si argumentum valet, ergo etiam superfluit Baptismus, & multò magis superflua erant omnia sacrificia in lege naturæ, & Mosaica, nam etiam isto tempore dabantur gratiæ propter Christi passionem, & mortem prævisam. Itaque N. conseq. Ad *Conf.* dico Apostolum tantum velle, opus non esse, ut Christus sæpè se offerat cruentè, quia unicum sacrificium Crucis sufficit quoad sufficientiam, & quoad efficaciam rei oblatæ, non tamen quoad participationem omnium, quibus applicari debet per sacrificium Missæ, uti & per alia Sacramenta, & bona opera. Deinde licèt hoc non esset, debuit in Ecclesia perpetuò offerri aliquod sacrificium, & ideò Christus ipse est Sacerdos usque ad finem mundi. Denique Christus voluit hoc sacrificium fieri tanquam vivam repræsentationem sacrificii cruenti in Cruce peracti.

§. 6. Principalis res, quæ sacrificatur in Missa, est 7 Christus, minùs autem principalis est substantia panis, & vini. *Pars prima est de fide ex Conc. Later. c. Firmiter*, ubi sic dicitur. *Idem ipse Sacerdos est Sacrificium* JESUS CHRISTUS. Similiter Trid. sess. 22. *c.* 2. ait: *Idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis cruentè seipsum obtulit.* In eundem sensum dicebat S. Andr. Apost. *Ego immaculatum Agnum in Altari offero, uti*

refertur in horis Canonicis ejus festo. Idem expressis verbis docent SS. Ambr. & August. relati *cap. semel, 52. & c. In Christo 53. de Consecr. dist. 2.* aliique apud Suar. *d. 75. s. 1.* Quòd autem Christus totus per se primò offeratur in Missa, Corpus verò, & Sanguis ejus quasi consecutivè, rectè probat Pasq. *q. 27. & 28. Pars secunda*, est Suar. Bellarm. Tann. Lugo, Becani *de triplici sacrif. l. 3. c. 8.* Avers. *q. 11. s. 3.* contra Vasq. Valent. Dicast. *d. 1. dub. 7.* Pasq. *q. 26. & 30.* Probatur autem inde, quia hoc videtur conformius verbis Ecclesiæ, quæ in Missa pro oblatione panis dicit: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam*: & posteà signans panem, & vinum dicit, *Veni sanctificator, & benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum* Item in antiphona ad vesperas infesto Corporis Christi dicit, *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit*: similiter loquuntur SS. PP. apud Bellarm, *l. 1. c. 27. in 1. propositione.* Ratio autem est, quia hoc est res sacrificata, quod ex vi actionis sacrificativæ destruitur in contestationem supremi dominii Dei; sed substantia panis, & vini destruitur ex vi actionis sacrificativæ, quæ consecratio est, uti à *n. 12.* dicetur, & ad veritatem suam exigit transire substantias panis, & vini, ac succedere Corpus & Sanguinem Christi, ergo. Porrò substantiæ illæ non tantùm destruuntur in honorem Dei, uti fatetur *Dicast.* sed etiam in contestationem supremi Dominii Dei, cum hic sit finis consecrationis, prout est actio sacrificativa, ergo.

8 §. 7. Sacrificium Missæ est idem numero cum sacrificio Crucis, quoad præcipuam substantiam rei oblatæ, & principalem offerentem, quia utrobique res præcipua oblata, & principalis offerens est idem Christus. Quoad motivum, seu finem principalem, & intrinsecum est idem specie, quia utrumque est ad similem Dei cultum. Diversa tamen sunt ista duo sacrificia, 1. quoad modum, & ritum, nam in Cruce erat cruentum, & fiebat per actionem physicè destructivam Christi, hìc est incruentum, & fit per actionem moraliter tantùm destructivam Christi, uti n. 14. explicabitur. 2. Quoad speciem externam, nam in Cruce erat sub propria forma Christi, hìc sub forma panis, & vini. 3. Quoad accidentia rei principalis oblatæ, nam in Cruce offerebatur Christus mortalis, passibilis, extensus, &c. hìc immortalis, impassibilis, inextensus. 4. Quoad partem rei oblatæ, nam in Cruce offerebatur solus Christus, hìc pars rei oblatæ est panis, & vinum 5. Quoad proximum offerentem, nam in Cruce offerebat solus Christus per seipsum, hìc offert per Sacerdotem instrumentaliter operantem. 6. Quoad effectum moralem, nam in Cruce erat meritorium, hìc non est ex parte Christi meritorium, cum Christus sit extra statum viæ, est tamen applicativum meriti. 7. Quoad significationem, nam in Cruce non erat significativum alterius sacrificii, hìc est significativum sacrificii in Cruce facti. 8. Quoad multas circumstantias, partim physicas loci, & temporis, partim morales cæremoniarum, rituum, vestium, altaris, &c. Atque ex his facilè colligitur, quomodo sacrificium sit idem vel diversum à sacrificio incruento, quod Christus obtulit in ultima cœna Videri potest etiam Dicast. *d. 1. dub. 15.*

9 §. 8. Sacrificium Missæ est hostia, & victima, in quantum in eo offertur Christus. Item est immolatio, & libamen, in quantum in eo offeruntur panis, & vinum. In rigore non est holocaustum, nec hostia pro peccato, vel pacifica, quia nihil illius comburitur: est tamen perfectius, quàm illa, & excellentius habet eorum virtutem, ac effectum, potestque dici mysticum holocaustum, in quantum per sumptionem totum consumitur uti notat Dicast. *d. 1. àn. 160.* Est autem hoc sacrificium in omni rigore latreuticum, Eucharistiam, propitiatorium, & impetratorium.

§. 9. Congruum fuit, ut in Ecclesia Christi esset unicum Missæ sacrificium, nam continebat in se omnem dignitatem, sufficiebat ad omnes fines, & effectus, erat tanquam omnium perfectio, & absolutio, complebat differentiam omnium hostiarum, uti loquuntur Trid. *s. 22. c. 1.* Catech. Rom. *de Eucharist. c. 13.* & SS. PP. apud Pasq. *q. 44. n. 3.* Estque probabilius, quòd Deus non reliquerit Ecclesiæ potestatem instituendi ullum aliud sacrificium, uti tenent Suar. Vasq. Dicast. *n. 272.* aliique communissimè cum Pasq. *q. 24.* qui tamen *q. 25.* docet, gentiles non subditos Ecclesiæ non peccaturos, si quamdiù eis non licet ingredi Ecclesiam, offerrent Deo aliud sacrificium, quia hoc illis tantùm prohibetur, quibus convenit offerre sacrificium Missæ, quod convenit solis in Ecclesiam receptis. Oppositum valdè probabiliter tenet Præpos. quia Christus instituendo sacrificium Missæ videtur abrogasse omnia alia, fateturq; Pasqual. peccaturos saltem cathecumenos, si aliter sacrificarent Deo, quia hi pertinent ad Ecclesiam, sicuti Novitii ad Religionem. 10

§. 10 Substantiæ panis, & vini faciunt materiam unius sacrificii cum Corpore, & Sanguine Christi, quia substantiæ illæ, non sacrificantur secundum se, sed ut transmutandæ in Corpus, & Sanguinem Christi, ac vice versa, Corpus, & Sanguis Christi non sacrificantur secundum se, sed ut vi verborum substantes speciebus panis, & vini præexistentis, adeóque ab eadem consecratione attinguntur, prout dicunt mutuum ordinem ad invicem, ergo faciunt materiam unius sacrificii. 11

Q. 2. In qua actione consistat essentia sacrificii Missæ? R. Variæ sunt partes Missæ, secundum dicta *l. 3. p. 1. n. 662.* in qua autem earum consistat essentialiter actio sacrificativa, non conveniunt AA. uti constabit ex seqq. 12

§. 1. Actio sacrificativa non consistit in oblatione panis, & vini, uti vult Scotus *in 4. dist. 13. §. Ad quæstionem.* Nec in secunda oblatione, quæ sequitur statim post elevationem, uti docuerunt *Gob. Eckius* & alii. Neque etiam partialiter in fractione hostiæ, vel immissione particulæ in Calicem, uti voluerunt *Canus, & Valent.* Neque etiam partialiter in sumptione Sacerdotis, uti volunt Sot. Bellarm. Bonac. Avers. *q. 10. s. 2. & alii*, multò minus totaliter consistit in illa sumptione, uti dixerunt *Alb. M. & Ledesm.* minimè autem consistit in distributione, vel sumptione populi: quorum omnium ratio est, imprimis quia per neutram oblationem, uti nec per fractionem, nec immissionem in Calicem, fit sufficiens destructio, aut immutatio rei saltem principalis sacrificatæ, quæ est Christus: deinde neutra oblatio est facta à Christo, sed est ritus ab Ecclesia introductus; fractio etiam potest omitti, si hostia inciderit in Calicem uti notant omnes. Denique nulla illarum actionum, nequidem sumptio fit à Christo, actio autem sacrificativa debet fieri à Christo, qui est principalis sacrificans, ac sacerdos, uti *à n. 19.* dicetur, ergo.

§. 2. Dicendum videtur, quòd actio sacrificativa sit sola consecratio, ita S. Th. *p. 3. q. 82. art. 4. ad 1.* & multum favent SS. Cyp. Chrys. Greg. aliique apud Suar. *d. 75. s. 5.* & sequuntur cum eodem Suar. Alanus, Ruard. Turr. Vasq. Con. Less. Tann. Bacan. Rayn. Pasq. *q. 31. & seqq.* Dicast. *d. 1. dub. 10.* & certum esse dicit Arcud. *l. 3. c. 57.* Ratio est 1. quia sola consecratio est actio Christi, quam etiam ideò profert Sacerdos in persona Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum Christi, &c.* 2. Quia in sola consecratione salvatur, quidquid ad sacrificationem requiritur. 13

Objic.

Objic. 1. Con. Toletanum apud S. Th. *q.* 83. *a.* 4. *in O* sic habet: *Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*: ergo sumptio est de essentia Sacrificii. R. N. cons. alioquin nullum holocaustum, imò nec sacrificium Christi in Cruce fuisset Sacrificium. Itaque *Conc.* tantùm declarat esse præceptum etiam sumendi hoc Sacrificium incruentum, eò quòd sit simul Sacramentum per modum cibi, & & potus, quæ non prosunt, nisi sumantur.

Objic. 2. Die Veneris sancto non fit consecratio, & tamen offertur Sacrificium, nam celebrans dicit, *sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie*, &c. Item *Orate fratres, ut meum & vestrum Sacrificium*, &c. Et S. Aug. *Epist.* 118. *c.* 2. ait *Omnibus diebus offertur Sacrificium in Ecclesia*, quæ vera non sunt, si in sumptione non consistat essentia Sacrificii. R. cum Pasq. *q.* 23. *& aliis* communissimè illo die non offerri Sacrificium. Rationem dat S. Th. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 2. quia cum eo die Christus ipse realiter visibiliter obtulerit Crucis sacrificium, non congruebat eo die fieri ejus imaginem per Ministros, maximè cum tempus ipsum ejus recordationem satis ingereret. Hinc Hugo de S. Victore apud Becan. *De tripl. sacrif. c.* 8 *n.* 12. dicit; *non sacrificant amici dum trucidant inimici*. Addit aliam congruentiam *Suar.* ne Christus inducatur vivens, & loquens illo die, quo primum mortuus recolitur, quando autem celebrans vocat sacrificium, Tò *sacrificium*, sumitur pro re sacrificata, quæ est Christus tum sumendus. S. Aug. intelligit omnibus diebus ordinariè, & per se loquendo, pro die autem Veneris sancto est aliquid extraordinarium, neque communiter ulla est regula, quæ, quamvis sit universalis, non patiatur exceptionem. Dicunt quidem aliqui sumptionem Eucharistiæ illo die dici sacrificium, eò quòd sit completio hesterni Sacrificii, in quo consecrata est ea hostia, sed *Henao* rectè contradicit, quia non manet continuatio physica, aut moralis inter consecrationem hesternam, & sumptionem hodiernam, præsertim si sit alius Sacerdos, qui hodie sumat.

Objic. 3. Externum sacrificium, quale est Missa, requirit sensibilem immutationem hostiæ sensibilis: atqui consecratio non est sensibilis immutatio panis, Christus quoque, qui deberet esse principalis hostia, nequidem ibi est sensibilis: ergo consecratio panis in Corpus Christi non est sacrificium Missæ, sed sola sumptio specierum. R. N. min. nam licèt immutatio panis, & Christus, prout hìc, sint insensibiles secundum se, tamen immutatio panis fit sensibilis per verba consecrationis, quorum veritas exigit destructionem panis, Christus autem fit sensibilis partim per eadem verba; partim per species, sicuti dolor animi secundum se insensibilis fit sensibilis per confessionem pœnitentis.

14 §. 3. Christus per consecrationem destruitur moraliter & mysticè, uti rectè Pasq. *q.* 43. nam vi consecrationis formaliter ponitur solum Corpus sub specie panis, & solus Sanguis sub specie vini, sub neutra autem specie vi verborum formaliter ponitur anima, hoc autem est moraliter, & mysticè destruere Christum, quia solum Corpus sine anima, & sanguine non intelligitur vivere, nec solus sanguis sine anima, & corpore, ad hoc autem Sacrificium non debuit Christus physicè, & realiter destrui, quia debebat esse Sacrificium incruentum, quod tantùm esset repræsentatio cruenti. Plures modi explicandi videri possunt apud Aversa *q.* 11. *s.* 4

15 §. 4. Sacrificium Missæ, prout de facto institutum est, requirit consecrationem utriusque speciei, uti habet communis cum Pasq. *q.* 44. Quamvis autem absolutè salvari posset in consecratione unius tantùm speciei, uti valdè probabiliter docent *Henriq. Bonac. & alii*, tamen esset mortale consecrare unam speciem sine altera, quia esset contra institutionem Christi, qui voluit hìc fieri expressam repræsentationem Sacrificii Crucis, in quo totus Christus immolatus est per positionem Corporis sine Sanguine, & Sanguinis sine Corpore, uti pluribus declarant Dicast. *d.* 1. *dub.* 11. & 12. Aversa *sect.* 5. Pasq. *q.* 45. addens *q.* 46. Papam dispensare non posse in eo, ut consecretur una tantùm species: An autem fieri possit ex metu mortis, vel aliàs, dicetur *n.* 245.

Q. 3. *A quo offeratur Sacrificium Missæ*: Resp. 16

§. 1. Christus est principalis Sacerdos offerens quamlibet Missam. Est de fide *Psal.* 109. *v.* 4 *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: quæ verba intelligit de Christo *Apostolus ad Hebr.* 6. *v.* 20. dicens: *Præcursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum*: quem utrumque locum Ecclesia, & SS. PP. apud Bellarm. *l.* 1. *c.* 6. Le Blanc. *in Psal.* 109. *v.* 67. & Petav. *de Inca n. l.* 12. *à c.* 11. explicant de Christo tanquam adhuc offerente Sacrificium usque ad sæculi consummationem. Idem seqq. verbis definiverunt *Conc. Lateran. c. Firmiter. Idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus Christus*: Florent. *in decret. Eugen. IV. ad Armenos*: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.* Trid. *sess.* 22. *c.* 2. *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Idem docent *SS. Gregor. Nyss. Ambros. Chrys. Aug. Irenæus* quorum verba refert Pasq. *q.* 133. *n.* 2. Rationem insinuavit *Florent.* quia Sacerdos loquitur enuntiativè in persona Christi, verba enim consecrationis sunt verba Christi, cum dicat, *Hoc est Corpus meum Christi*; uti in ultima cœna dicebat, ergo cum consecratio sit sacrificatio, Christus est, qui consecrat, non instrumentaliter, cum ipse Sacerdotem tanquam Ministrum sibi subordinet, ergo principaliter.

§. 2. Christus offert hoc sacrificium etiam imme- 17
diatè per seipsum. Suar. Gran. Con. Azor. Valent. Bellarm. Tann. Castrop. Fill. Lugo, Pasq. *quæst.* 133. Dicast. *d.* 2. *dub.* 1. contra *Gabr. Henriq. Vasq. Prap. Fagund. Becan. Amic. & alios*, qui putant eum offerre tantum mediatè, partim, quia illud instituit, & ordinavit nomine suo offerri, partim, quia ad illud se semper dat, ut victimam. Probatur 1. quia *Apost. ad Hebr.* 7. *à v.* 23. loquens de Sacerdotibus legis antiquæ, qui habuerunt successores, ait: *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere, hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum*; quæ verba non videntur explicari posse, nisi dicamus Christum de facto adhuc esse Sacerdotem, ideóque non habere successores in Sacerdotio, sed tantùm coadjutores, & Ministros subordinatos. 2. Quia Trid. *sess.* 22. *c.* 1. dicit Sacerdotium Christi per mortem non fuisse extinguendum, & addit *c.* 2. Christum esse nunc eundem offerentem, qui fuit in Cruce; item Sacrificium Crucis, & Missæ, nisi sola ratione offerendi differre, quia nempè ante dixerat in Cruce factum esse cruentè, hìc autem fieri incruentè. Ideoque etiam *Conc. Lateran.* suprà dicit ipsum Christum adhuc de facto esse Sacerdotem, quæ in rigore vera non sunt, nisi adhuc immediatè sacrificet, sicuti si Papa authoritate Dei institueret sacrificium, velletque nomine suo offerri à Sacerdote, & victimam dare ad illud, non ideò ipse diceretur esse Sacerdos. 3. Christus à *Trid.* dicitur seipsum offerre hominis ministerio, ergo cum homo verba proferat in persona Christi, Christus est, qui moraliter loquendo principaliter loquitur, ergo

ergo Christus est, qui immediatè principaliter consecrat, & sacrificat, seque ut homo, submittit Deo per volitiones creatas, quibus seipsum offert in contestationem supremi dominii.

18 §. 3. Sacerdos celebrans dici debet offerens minus principalis, nam cum physicè ponat consecrationem, quæ est sacrificatio, propriè offert, & in rigore sacrificat, non ut principalis Sacerdos, quia hic est Christus, ergo ut minus principalis, & Christo subordinatus.

19 §. 4. Tota Ecclesia etiam dici debet offerens hoc Sacrificium per Sacerdotem, uti habet communis Catholicorum, teste Suar. *d.* 77. *s.* 3. & certum esse dicunt Stratius *de sacrif. l.* 1. *c.* 6. & Pasq. *quæst.* 134. nam ita dicunt *SS. Iren. Aug. Damian. Leo. Rupert.* apud *Suar. & Pasq.* Ratio est, quia per Ecclesiam intelliguntur fideles sub uno capite visibili constituentes Corpus Christi mysticum, hi autem offerunt, quia in Canone dicitur de fidelibus, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, hinc Innoc. III. *de Myst. Miss. l.* 3. *c.* 5. ait: *Sacerdos non tantùm in sua, sed in totius Ecclesiæ persona sacrificat.* Additur in Canone: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, id est, Ecclesiæ. Deinde Christus Ecclesiæ tanquam dilectæ sponsæ suæ reliquit hoc sacrificium, uti habet Trid. *sess.* 22. *c.* 1. ergo illi commisit ejus oblationem, non per seipsam, ergo per Sacerdotem, ergo etiam Ecclesia dici debet offerre. Denique Sacerdos est ab Ecclesia ordinatus, ut etiam tanquam Ecclesiæ Minister offerat hoc Sacrificium, ergo sicut Dominus dicitur aliquid facere per Ministrum, Rex per Legatum, ita Ecclesia dicetur offerre per Sacerdotem: videri potest Dicast. *d.* 3. *à n.* 60.

Objic. Ergo tota Ecclesia dici poterit sacrificare. R. Si per Tò sacrificare intelligas offerre sacrificium per se vel per partem sui, c. Ecclesiam sacrificare: *si intelligas*, non quomodocumque offerre sacrificium, sed physicè immediatè per seipsum, Ecclesia secundum omnia membra non sacrificat & in hoc sensu sumit Pasq. *q.* 135. negans Ecclesiam sacrificare.

20 §. 5. Fideles, qui Missæ assistunt vel positivè ad eam cooperantur, dicuntur adhuc alio speciali modo offerre hoc Sacrificium, quia non tantùm offerunt, in quantum sunt membra totius Ecclesiæ, quæ offert; neque tantum ideò quia etiam eorum nomine offert Sacerdos, utpotè offerens nomine omnium fidelium etiam absentium, sed ipsi actualiter communicant in illa actione sacrificativa, partim physicè cooperando, uti faciunt ministrantes Missæ, partim exhibendo sensibilem assistentiam, uti adstantes, qui censentur unum cultum exhibere Deo cum Sacerdote, partim moraliter cooperando, uti dantes stipendium pro Missa, vel petentes sibi applicari, unde sicuti illi, qui ministrant in culti idoli, vel tanquam pars communitatis assistunt, vel procurant fieri, dicuntur idololatræ modo magis speciali, quàm alii absentes, qui eosdem falsos Deos agnoscunt, sed hìc & nunc nihil sciunt de oblato sacrificio, ita hi cooperantes, Pasq. *q.* 134. *à n.* 10. Dicast *d.* 2. *à n.* 30. Qui tamen nec procurat nec præsens est, non potest dici ex hoc specialiter offerre, quòd internè velit offerri, quia cum hoc Sacrificium sit externum & sensibile, offerens etiam debet exhibere aliquid externum & sensibile, Suar. Fill. Trull. & alii cum Henao *post histor. de scient. media à n.* 1593.

21 §. 6. Hi fideles specialiter concurrentes ad sacrificium etiam possunt illud applicare alteri, cui volent, nam sacrificium est de se alteri applicabile ab offerente, sicut omne aliud opus satisfactorium vel impetratorium, prodestque etiam alteri, sicuti oratio, ergo pro quo applicabitur ab illis coofferentibus, illi proderit oblatio, quatenus ad istos spectabat, Suar. Vasq. Henr. Pasq. *q.* 136. *n.* 9. Rayn. mox citandus. Atque hinc intelligitur, quid sit audire Missam pro alio, nam est specialem fructum, quem audiens perciperet tanquam assistens, & coofferens, applicare alteri.

§. 7. Omnes fideles etiam quatenus offerentes 22
participant de fructu Sacrificii, si dispositi sint Dicast. *d.* 3. *à n.* 139. Illi autem magis participant, qui magis vel propius concurrunt, nimirum hoc ordine. 1. Sacerdos. 2. Pro quo Sacerdos applicat. 3. Ministrantes. 4. Assistentes; & alii omnes ex opere operato. Suar. Henr. Rayn. *in Heter. T.* 15. *p.* 2. *s.* 3. *punct.* 4. *q.* 12. & alii apud Dicast. *n.* 148. 5. Reliqui in Ecclesia fideles, sed tantum ex opere operantis, Dicast. *n.* 141. Quorum autem sit specialiter mentio in Missa, vel qui specialiter approbant pro se offerri, illi videntur sibi magis quasi appropriare Sacrificiũ, ideóq; cæteris paribus plus de illo participant, Pas. *q.* 134. *n.* 14.

§. 8. Angeli non possunt in rigore dici, nequidem 23
offerre Sacrificium, quamvis enim affectum habeant, ut fiat, illudque repræsentent Deo tanquam objectum complacentiæ; aut etiam in protestationem divini dominii, tamen nec Sacerdos offert nomine Angelorum, neque Angeli sunt membrum Ecclesiæ, quæ offert, neque sunt pars populi fidelis assistenti Sacrificio. Nec Animæ Purgatorii computandæ sunt inter offerentes, quia non sunt pars Ecclesiæ militantis, Scot. & alii cum Henao *à n.* 1597. contra *Henriq.* & paucos alios.

Q. 4. *Pro quibus offerri possit Sacrificium Missæ?* 24
R. §. 1. Potest offerri pro Sacerdote ipso, pro assistentibus, pro Ecclesia tota, & pro quibusvis, etiam absentibus, fidelibus in Ecclesia, quibus prodest, etiamsi de hoc nihil resciant, Suar. Dicast. *d.* 2. *dub.* 3. Pasq. *q.* 137. & 138. Aversa *q.* 11. *sect.* 10. *Pars* 1. & 2. quòd offerri possit pro Sacerdote, & aliis ab ipso distinctis, est certa, *ex Apost. ad Hebr.* 5. *v.* 1. & 3. ubi dicit Sacerdotem pro hominibus constitui in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso, quod repetitur *c.* 7. *v.* 27. Idem habet praxis universalis Ecclesiæ, & communis sensus omnium fidelium, item Canon Missæ, in quo hoc sæpius dicitur. Denique Sacrificium habet se instar publicæ, & communis orationis, quæ pro orante, & aliis offerri potest. Et specialiter, quòd pro alio offerri possit, docuit Christus, offerens Sacrificium Crucis pro hominibus. Atque inde infert cum Communi Pasq. *q.* 138. Sacerdotem peccaturum mortaliter, si aliquem de Ecclesia vellet excludere ab universali oblatione, & fructu sui Sacrificii; etenim ex institutione Christi, & ex præscripto Ecclesiæ manere debet Sacrificium publicum, & commune: attamen opus non est per intentionem expressam offerre pro omnibus, sed sufficit virtualis vel implicita in eo contenta, quòd celebrare velit secundum Christi institutionem, & Ecclesiæ voluntatem, vel ritum, quæ hanc communem oblationem satis sæpè exprimit in verbis Canonis: imò docent plerique cum *Pasq.* suprà contra *Lugo*, & alios, licèt Sacerdos vellet, tamen non excludendum fidelem à communione talis Sacrificii, & fructus ex illo, quia cum agat, ut minister Christi, & Ecclesiæ, horum intentio, & voluntas videtur prævalere apud Deum. Atque illum fructum, qui semper necessariò provenit etiam aliis, esse non tantum impetratorium, sed etiam satisfactorium, docent Sot. Navarr. Vasq. Ronac. & alii cum Pasq. *q.* 139. contra *Suar. Kon. Fill. Lugo*, & alios, sic enim videtur asseri in Canone Missæ his verbis: *Pro quibus tibi offerimus, velqui tibi offerunt, pro se suisq; omnibus pro redemptione animarũ suarum.* Et ratio est, quia sacri-

sacrificium ex natura sua est æquè satisfactorium ac impetratorium, ergo non est ratio, cur etiam aliis non prosit quoad utrumque fructum, nam ita reipsa profuit Sacrificium Crucis. *Pars* 3. quòd prosit etiam ignorantibus, constat ex dictis, quia sic prodest oratio, & sic profuit Sacrificium Crucis, omnibus etiam necdum natis: sic etiam sacrificia, quæ offerebat Job proderant filiis, quamvis ad illa non concurrerent, & fortè etiam nescirent fieri.

25 §. 2. Etiam potest directè offerri pro infantibus, uti habet communis, cum Dicast. *d.* 2. *n.* 39. & Pasq. *q.* 140. ubi refert Constitutionem à S. Clemente factam his verbis: *Infantum Ecclesiæ memores simus, ut Dominus perfectos eos in timore suo ad adultam ætatem perducat.*

26 §. 3. Etiam pro energumenis, Pasq. *q.* 141. Avers. suprà. *Nec obstat.* Conc. Eliberitanum his verbis: *Energumeni nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret*: nam non prohibet pro ipso offerri Sacrificium, sed ne ipse faciat ullam oblationem ad altare, uti faciebant alii fideles, & ne ministret Sacrificio.

27 § 4. Etiam pro peccatoribus, uti certum est ex Trid. *sess.* 22. *c.* 1. & 2. ubi dicitur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Ratio autem est, quia est sacrificium propitiatorium, quale fuit etiam Crucis Sacrificium pro peccatoribus oblatum.

28 §. 5. Etiam pro hæreticis, & schismaticis, uti docent Nav. Henriq. Bellarm. Suar. Vasq. & alii, cùm Pasq. *q.* 150. & Dicast. *n.* 69. contra *Sot. Gabr.* & alios, quamvis sint membra præcisa ab Ecclesia, tamen sunt capaces fructus impetratorii: ideóque etiam similibus profuit Sacrificium Crucis, ergo nisi prohiberet Ecclesia directè offerri pro illis tanquam excommunicatis, licitè pro illis offerretur.

29 §. 6. Etiam pro cathechumenis, uti habent *Henr. Bellar. Suar.* aliique sexdecim graves Authores cum Dicast. *n.* 58. & Pasq. *q.* 151. Quod de aliis etiam infidelibus docent iidem cum Dicast. *n.* 47. Pasq. *q.* 152. Arr. *d.* 4. *à n.* 6. Burgh. *d. t.* 3. *cas.* 74. Azo. Vasq. Gran. Hurt. Castrop. & alios utrobique contradicentes. Probatur autem inde, quia Inn. III. *cap. Apostolicam*, 2. *de Præsbitero non baptizato*, expressè vult catechumeno, id est, non baptizato, attamen credente in Christum, offerri Deo preces, & hostias, citatque pro hoc authoritatem SS. Aug. & Ambr. Idem autem est de aliis, qui nec baptizati sunt, nec in Christum credunt, & veniunt nomine infidelium, quia utrique sunt capaces fructus saltem impetratorii, uti rectè Avers. *q.* 11. *s.* 10. Hinc Sacrificium Crucis pro illis oblatum, etiam illis profuit, neque Ecclesia ullibi prohibet pro illis offerri. *Nec obstat*, quòd Christus soli Ecclesiæ reliquerit Sacrificium, *nam* licèt soli reliquerit offerendum, non tamen pro sola ipsa, sed etiam pro extraneis, ubi Ecclesia non prohibet. Et hanc nostram sententiam etiam rectè defendit Rayn. *in Heter, T.* 15. *p.* 2. *s.* 3. *p.* 3. *q.* 3.

30 §. 7. Sacrificium oblatum pro infantibus, vel pro constitutis in peccato mortali, non prodest in ratione satisfactorii, quia infantes non habent, pro quo satisfaciat, cum Baptismus remittat culpam, & pœnam: in peccatoribus autem ante culpam non dimittitur pœna, uti habet communis cum S. Th. & *Pasq. q.* 142. *n.* 5. *ubi n.* 6. docet cum peccaturum mortaliter, qui offerret Sacrificium pro remissione pœnæ debitæ peccato mortali necdum remisso: imò probabilius est cum Lugo, Pasq. *n.* 7. *Avers.* contra *Nav.* & alios, sic oblatum pro remissione pœnæ posteà non habere hunc fructum post remissam culpam; quamvis enim Sacramenta, quæ caruerunt effectu primario, ad hunc reviviscant sublato obice, tamen non est fundamentum idem asserendi de Sacrificio, quod jam antecedenter, dum ponebatur, habuit suum effectum primarium, qui erat esse cultum Latriæ, & testificationem supremi Dominii Dei.

§. 8. Sacrificium Missæ offerri non debet directè 31
pro excommunicativis vitandis: quinam autem sint vitandi dictum est hìc *in p.* 1. *n.* 210. nam vitandi sunt iidem, qui non tolerati. Et certum est pro illis posse indirectè offerri, v. g. offerendo pro omnibus peccatoribus, pro reductione hæreticorum vel impiorum, uti habet Dicast. *d.* 2. *n.* 73. Ratio est, quia sunt capaces effectus impetratorii, & Ecclesia prohibens communicationem in divinis censetur loqui de communicatione directa, prohibitio enim illa est odiosa, ideóque restringenda, Pasq. *q.* 143. *n.* 1. Aversa §. *Decimò.*

§. 9. Peccat mortaliter, qui Sacrificium offert di- 32
rectè pro excommunicato vitando, S. Th. Dicast. *n.* 61. Pasq. *n.* 2. & 7. etiamsi generaliter pro illis offerret, nullum in particulari nominando, vel determinando, uti habet communis sententia, ideóque oppositam esse improbabilem docet Dicast. *n.* 60. Ratio est, quia agit contra prohibitionem gravem Ecclesiæ imponentis tali excommunicato hanc pœnam medicinalem privationis communium suffragiorum, quale est Missa, donec corrigatur, & se debitè submittat. *Nec juvat*, quòd fortè per contritionem sit justificatus, uti probabiliùs tenent Sot. Suar. Dicast. *n.* 74. & alii cum Pasq. *q.* 148. contra S. Anton. Nav. Henr. Bonac. & alios, *quia* non ideò ab excommunicatione solutus est, ergo adhuc est illicitum pro illo offerre sacrificium, quod videtur esse decisum ab Innoc. 3. *cap.* 1. *nobis* 28. *& cap. Sacrif.* 38. *de sententia excomm.* his verbis: *Excommunicatus ille, licèt ad cor rediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos priùs foverat, expugnaverit, non tamen, priusquàm absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt absolutiones vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Deo porrigendæ: nisi cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, & juxta cujusdam constitutionis nostræ tenorem defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Ex quibus infert Pasq *q.* 149. si talis excommunicatus sciretur esse mortuus in gratia Dei, adhuc non posse pro illo directè Missam offerri, donec etiam mortuus ritu cæremoniali esset absolutus. Addunt S. Th. Nav. Henr. & Suar. & alii cum Pasq. *q.* 144. nequidem licitum esse directè offerre Missam pro ejusmodi excommunicatis tanquam externis ab Ecclesia, ad impetrandam illis reductionem vel solatium, nam sunt semper externi, seu ejecti extra Ecclesiam, ergo quando Ecclesia prohibet offerri pro illis prohibet offerri tanquam pro externis. Putant tamen Suar. Avila, Henriq. Præpos. & alii cum Pasq. *q.* 143. *n.* 4. & Rayn. *n.* 28. Sacrificium illicitè applicatum pro tali excommunicato, fore huic utile, quoad fructum specialem impetratorium respondentem Sacrificio, prout est actio Christi, quia pœna Ecclesiæ non videtur præjudicare institutioni Christi, sed de hoc meritò dubitat Dicast. *n.* 68. & benè concludit rem esse omninò incertam, docet tamen *n.* 74. cum *Avila*, & aliis excommunicatum ex benigna voluntate Ecclesiæ posse contritum ex benigna voluntate Ecclesiæ posse gaudere suffragiis, quamvis prohibitum sit, ne publicè, & directè pro illo offerantur.

§. 10. Licitum est privatim orare pro excommu- 33
nicatis vitandis, unde potest Sacerdos in Missa sub *Memento* internè pro illis orare, Suar. Lugo Dicast. *num.* 78. aliique communiter contra *Sot.* Idem

 potest,

potest, dum publicè orat nomine totius Ecclesiæ, privata intentione & in propria persona pro iisdem orare. Item potest quodvis pium opus, etiam Missam, quatenus est proprium opus tali privatæ personæ, in ordine ad satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis offerre pro iisdem, quia sic censentur privata oratio, satisfactio, vel impetratio, & prohibemur tantùm opera publica pro illis offerre. *Sylvest. Angel. Armil. Covar. Nav. Suar. Dicast. supra.*

34 §. 11. Probabilius videtur cum *Nav. Con. Sanch. Fagund. Hurt.* & aliis quos citant, & sequuntur Lugo *d.* 19. *n.* 187. & Pasq. *q.* 146. ac propendit Dicast. *n.* 63. contra *Sot. Avil. Suar. Vasq Bonac. Azo. Valent. Fill. Amic.* & alios, licitum esse publicè, & directè offerre Sacrificium Missæ pro excommunicatis non vitandis; quia *in Extrav. Martini V. in Conc. Constant. Ad evitanda*; conceditur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in sacris, & divinis, ergo sicuti licitum est sepelire in loco sacro, uti fatentur *Suar.* & alii, ita licitè admittuntur ad Missam publicam, censeturque Ecclesia iterum admittere ad hoc, ut possint participare fructum. *Nec obstat*, quòd maneant excommunicati, ideóque præcisi ab Ecclesia, *nam* propter hoc tenentur ipsi se gerere tanquam excommunicatos, & quantù est de se abstinere à communicatione cum cæteris, ideóque tenentur emanere nec possunt petere Missas, vel suffragia communia, sed non ideò aliis illicitum est, cum illis communicare, neque Ecclesia ex parte sua est ab illis præcisa, sed licitè cum eis communicat, uti concessit Martinus V. ergo etiam licite pro illis applicat Sacrificia. Atque ex his inferunt aliqui cum Pasq. *q.* 147. contra *Marchinum* posse Sacerdotem ab excommunicato non vitando acceptare stipendium pro Sacrificio, quamvis enim excommunicatus peccet, quòd petat, ut pro se legatur, tamen suppositio illo peccato non peccat acceptans, quia huic licitum est cum ipso communare; neque priori ejus peccato jam antecedenter posito censetur cooperari.

35 §. 12. Sacrificium Missæ utiliter offertur pro defunctis in purgatorio existentibus, uti latè Bellarm. *l.* 2. *c.* 7. & definit Trid. *sess.* 22. *Can.* 3. cujus verba referam *n.* 45. Idemque repetit *sess* 25. *in decret. de purgat.* putatque Dicast. *d.* 2. *n.* 111. posse Missam offerri pro catechumeno defuncto, uti insinuatum est *n.* 16. & 29.

36 §. 13. Sacrificium Missæ, nec offerri debet pro damnatis, nec eis prodesse potest, uti certum est, & tenetur communissimè cum Rayn. *in Heter T.* 15. *p.* 1. *s.* 3. *q.* 2. & Pasq *q.* 116. contra nonnullos, qui putarunt posse prodesse, vel ad carendum pœnis usque ad diem judicii, vel ad levamen aliquod, si essent damnati ob crimina non ingentia, vel ad confortationem in patiendo, vel saltem ad solatium, si resciant viventes adhuc sui esse memores, sed quod diximus probatur, nam imprimis id expressè prohibetur *cap. Pro obeuntibus* 21. & *seqq. causa* 13. *q.* 2. item *in Conc. Trib. & Brach. I.* apud Dicast. *d.* 2. *n.* 88. Deinde nec prodesset illis, tum quia non sunt membra Christi ampliùs, neque actu neque potentia, cum non sint ampliùs capaces gratiæ, & hæreditatis æternæ, ut pote infallibili decreto destinati ad infelicem æternitatem, tum quia pœna secundùm præsentè Dei providentiam non potest remitti stante culpa, adhuc taxante sibi talem pœnam, culpa autem damnatorum est perpetua. Hinc mortale est offerre pro eo, qui omninò voluntariè, & compos sui se occidit: attamen offerri potest, secluso scandalo, pro mortuo in duello, quia non constat objisse in mortali, *Dian. Portell.* & alii.

Obje. Multæ leguntur revelationes in contrarium. R. Has esse suppositicias, rectè docet cum communi *Pasqual.* suprà, ex rationibus, & circumstantiis prudentibus ita judicandi.

Inst. Ecclesia in Missa pro defunctis orat, *Libera animas de pœnis inferni*, &c. R. *Sot. Azor. Henriq.* putant orare, ut liberentur è purgatorio. Sed contra est, quia addit, *ne absorbeat eas tartarus*; item *non pœnas æternas sustineant*, certum autem est, eas jam in purgatorio esse absorptas, nec habere periculum subeundæ pœnæ æternæ, ergo orat liberari ab inferno, vel per modum approbationis, & pii affecturs erga rem factam, uti vult Dicast. *n.* 106. vel secundùm *Lugo*, *Pasq.* & alios Ecclesia considerat statum animarum, non illum, in quo nunc sunt, sed repræsentat exitum illarum è corpore, & quasi jam decederent sistendæ Dei judicio, orat, ne damnentur, sed præservativè liberentur à pœnis inferni, Deum enim posse antecedenter moveri per preces, quas prævidet posteriùs ponendas, patet in orationibus aliisque meritis Christi, quæ gratias jam ante Adamo datas merebantur, & simili sensu oramus pro adventu Christi, *Veni Domine, & noli tardare*, &c. quasi nos reponendo, in tempus antecedens adventum futurum.

§ 14. Esset mortale, si quis pro damnato offerret 37
Sacrificium, non tantùm, quia prohibitum est ab Ecclesia, sed etiam quia si offerens excederet terminos sui officii, ageretque contra institutionem, Pasq. *q.* 157. Idem videtur dicendum, si offerat pro infante defuncto sine Baptismo, quia nec est, nec potest esse membrum Christi, Dicast. *n.* 113. Si tamen defunctus fuisset adultus, & inter Christianos educatus, qui præsumi posset esse justificatus per contritionem vel amorem Dei, licitè offerretur pro eo, Pasq. *q.* 158.

§. 15. Sacrificium Missæ offerri potest Deo in ho 38
norem, & memoriam Sanctorum, item in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Deus illis concessit, Trid *sess.* 22. *c.* 2. Item ad obtinendam eorum intercessionem apud Deum, ut Trid. definit *ibid. Can.* 5. quæ omnia pluribus probat ex antiquissimis liturgiis, & PP. Bellarm. *l.* 2. *c.* 8. Offerri tamen non potest, neque ut propitiatorium pro illis: quia cùm sint Beati, nulla tenentur sub culpa, vel pœna; neque impetratorium gratiæ, vel gloriæ essentialis, quæ illis utpote in termino constitutis jam decreta est, & data in mensura debita, putarque Pasq. *q.* 160. etiam non posse offerri directè, ut impetratorium illis alicujus gloriæ accidentalis extremæ, quia impetratio videtur supponere aliquam indigentiam, sed probabiliùs contradicunt Suar. Valent. Lugo aliique cum Dicast. *d.* 2. *n.* 82. quibus videtur præviisse Inn. III. *cap. cum Martha de celebr. Missar.* §. 3. quia satis est suppoini carentiam boni, cujus sim proximè capax, quamvis strictè non indigeam: Beati autem reipsa non habent omnem gloriam accidentalem externam, quam etiam obtinere possunt, hinc Ecclesia orat, ut Sacrificium *Sanctis prosit ad honorem*; item, ut *sicut Sanctis ad gloriam*, ita nobis prosit ad veniam.

§. 16. Quod dictum est de Sanctis, valet de om- 39
nibus, qui post baptismum mortui sunt ante usum rationis, sunt enim reipsa sancti in cœlo, unde, qui pro tali legeret Missam de *Requiem*, secundùm Pasq. *q.* 159. peccaret mortaliter, quia in re gravi faceret contra ritum Ecclesiæ, & reipsa ostenderet se non bene sentire de efficacia Baptismi, & sufficientia ad Beatitudinem. Docent tamen Joan. Sanchez, *dist.* 4. *à num.* 5. *Mascarenh.* & alii sacrificari posse pro homine adulto baptizato in agone, qui potuit postea commisisse veniale. *Nec obstat*, quòd non sacrificetur pro Martyre, qui similiter habere posset veniale, *nam* hoc non ita facilè præsumitur, cùm moriatur pro fide, & ordinariè ex perfecto amore Dei. Quamvis autem

Henao.

Henao post Historiam scient. mediæ parergo 23. putet pro tali baptizato posse legi Missam de *Requiem*, tamen meliùs dicunt alii legendum esse de Angelis, vel gratiarum actione, ut fit in funere infantium, ne populo detur scandalum, & occasio judicandi quòd baptismus non remittat omnem culpam, & pœnam.

40 *Q. 5. Quid addendum sit circa effectus Sacrificii Missæ?* R. seqq. §. 1. Sacerdos in Missa potest considerari quadrupliciter, 1. Prout gerit personam Christi principaliter consecrantis, cujus est velut instrumentum. 2 Prout est publicus Minister Ecclesiæ cujus nomine offert Deo hoc Sacrificium, & in cujus etiam persona orat illa, quæ in Missa recitantur 3. Prout est privata persona etiam nomine suo offerens & orans. 4. Prout offert, & orat nomine illorum, qui ad hoc Sacrificium specialiter cooperantur, vel concurrunt, quales sunt Ministri adstantes; item illi, qui Sacrificium petierunt.

41 §. 2. Fructus Sacrificii est triplex: *Primus* respondet Sacrificio secundùm se, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in persona Christi, & dicitur fructus specialis, vel substantialis. *Secundus* respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in nomine, vel persona Ecclesiæ, & dicitur fructus generalissimus, de quo participant omnes Christi fideles per se loquendo. *Tertiùs* respondet sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in nomine, & persona privata, vel prout est positum ab illis, qui specialiter ad illud cooperantur, aut concurrunt, & dicitur fructus specialissimus. Singuli hi fructus sunt satisfactorii saltem late, seu applicativi satisfactionum Christi, vel impetrativi, remissionum: Item impetratorii aliorum beneficiorum uti notant communiter AA. quamvis aliqui cum Pasq. *q.* 107. dissentiant, putantes non omnes esse satisfactorios: de quibus omnibus videri potest Pasq. *à q.* 88. *usque ad* 102. ubi accuratè explicat, in quo singuli hi fructus fundentur, & quibus conveniant, vel applicari possint.

42 §. 3. Sacrificium Missæ est secundùm se valoris in actu secundo simpliciter infiniti, *Laj. Sylv. Suar. Vasq.* & alii 27. AA. gravissimi, quos refert, & sequitur Pasq, *q.* 117. contra Bellarm. Lug. Palav. & alios multos cum Cardin. Bona *de Missa c.* 1 §. 55. quorum tamen plerique in re non dissentiunt, sed tantùm volunt non esse actu infinitum quoad vim proximam causandi, vel quoad effectum in actu secundo, quod etiam dicemus n. 47. Ratio nostra est, quia valorem actionis constituit dignitas operantis, sed dignitas personæ operantis actionem sacrificativam est simpliciter infinita, cùm sit persona Christi Hominis Dei, & ob illam rationem docent omnes, Sacrificium in Cruce, & ultima cœna oblatum, quod cum hoc in substantia erat idem, fuisse infiniti valoris; consequenter singulæ Missæ habent in actu secundo secundùm se comproportionem, & condignitatem ad omne bonum possibile obtinendum, non prout ponuntur nomine Ecclesiæ, Sacerdotis, vel adstantium sed nomine, & in persona Christi.

Objic. Si ita est, Sacrificium Missæ non deberet esse iterabile, uti ideò illarum non fuit Sacrificium in Cruce. R. n. seq. Nam imprimis aliquod juge Sacrificium esse debuit, quod constitueret Religionem Christianam. Deinde iterari debuit ad exhibendam Deo sæpè, & ubivis supremam latriam, & gratiarum actionem. Denique cùm Deus voluerit successivè per vices, & tempora applicari diversis hominibus merita, & satisfactiones, & fructus sacrificii cruenti, debuit incruentum Sacrificium pro diversis temporibus, & locis esse iterabile non aliter ac Sacramenta, aliaque opera, per quæ repetita Deus voluit applicari virtutem passionis Christi secundùm se infinitæ.

§. 4. Effectus Sacrificii Missæ sunt sequentes, 1 43
Dei complacentia tam ratione rei oblatæ, quàm principalis offerentis, qui est Deus homo exhibens per hoc Sacrificium sanctissimæ Trinitati perfectissimum cultum latriæ.

2. Quædam excusatio gratiarum pro beneficiis 44
Dei, nam hoc Sacrificium, in quantùm Eucharisticum, est recognitio beneficiorum Dei cum oblatione reciproca hujus hostiæ pro exsolvendo debito gratiarum

3. Remissio peccatorum quoad culpam, & pœnam, 45
nam esse Sacrificium propitiatorium, de fide est ex Trid. *sess.* 22. *Can.* 3. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Idem habent Concil. Brach. Liturgia S. Jacobi Apostoli, antiquissimi PP. quorum loca, & verba referunt Bellarm. *l.* 2. *c.* 2. Becan. *de tripl. sacrif. l.* 3. *c.* 12. *à n.* 5. Pasq. *q.* 54. Dicast. *d.* 1. *dub.* 17. Quando autem Trid. *Supra c.* 2. inde videtur probare hoc Sacrificium esse verè propitiatorium respectu culparum, quia *per ipsum fit: ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno, eo quòd hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia remittat*, satis innuit hanc remissionem peccatorum causari per Sacrificium mediatè tantùm, in quantum propter illud Deo oblatum dantur gratiæ actuales, & auxilia operativa contritionis, vel aliorum actuum supernaturalium, quibus peccata deleantur, quas gratias, & auxilia immediatè causet, seu exigat Sacrificium: ita *S. Th. Suar.* & alii 50. quos relatis locis cit. & sequitur Pasq. *q.* 63. videtur autem esse contra *Catharinum*, & alios, quibus tribuitur, quod docuerint per Sacrificium conferri gratiam uti per Baptismum, vel Pœnitentiam, consequenter per illud remitti mortalia attrito, quam opinionem graviter notant aliqui apud Mendo *d.* 7. *q.* 1. *n.* 7. eamque rectè confutant Bellarm. *c.* 4. *prop.* 2. & pluribus Dicast. *d.* 3. *à n.* 5. Imò probabilius videtur cum Suar. Vasq. Bon. Con. Laym. Rayn. Dicast. *n.* 31. Pasq. *q.* 68. & 69. contra *Canum*, *Henr. Cordub. Valent.* & alios, etiam venialia ita mediatè tantùm remitti per Sacrificium, quia Concilia, & PP. eodem modo loquuntur de utrisque. E contrà pœnas remittit immediatè, uti docent communiter omnes Catholici cum Pasq. *q.* 72. per hoc nempe, quòd applicet satisfactiones Christi, uti habet Trid. *sup. c.* 1. & 2. Hinc infert Pasq. *q.* 56. *n.* 4. hoc sacrificium non esse satisfactorium ratione sui independenter à Sacrificio Crucis, sed dependenter ab illo, sicuti enim victima eadem quasi transmittitur ab illo, sicuti ad hoc Sacrificium, ita etiam virtus Sacrificii Crucis in hoc Sacrificium.

4. Impetratio omnis generis beneficiorum, etiam 46
temporalium, quatenus saluti conducunt, nam Trid. supra definit offerri etiam pro aliis necessitatibus, & Liturgiæ omnes SS. Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi præcipiunt offerri pro pace, pro copia fructuum, &c. Idem dicunt PP. quorum verba referunt Bellarm. *cap.* 3. Becan. *num.* 3. Pasq. *q.* 55. & 77. Dicast. *num.* 53. Imò Missam nunc habere præcipuam vim ratione impetrationis, probat inde Bellar. *c.* 4. prop. 3. quia vim præcipuam habet, prout offertur à Christo, ut principali Sacerdote, sed Christus nunc non potest satisfacere, vel mereri, sed tantùm impetrare: unde etiam ideò est propitiatorium, quia impetrat gratias actuales, & auxilia pœnitendi: & hoc modo dici potest etiam satisfactorium pro pœnis, quòd impetrare possit

sit earum remissionem, saltem mediatè, uti vult Pasq. *q.* 73. fortè etiam immediatè uti probabiliter tenent *Lay.* & *Lug.* Simili modo potest hoc Sacrificium mediatè esse meritorium, etiam prout est actio Christi, in quantùm impetrat gratias, & auxilia ad merendum: est autem etiam immediatè meritorium prout est actio Ecclesiæ, Sacerdotis vel cooferentium, uti rectè Pasq. *q.* 114. *n.* 3. rectè probans *q.* 64. habere nihilominus propriam rationem propitiationis distinctam à ratione impetrationis, in quantùm per gratias & auxilia, quæ causat, tendit ad placandum Deum, & præterea repræsentat Deo Sacrificium Crucis, directè intentum ad remittenda peccata. Denique notant Suar. Con. Dicast. *n.* 36. Pasq. *q.* 71. contrà *Sot. Tol.* & alios, secundam gratiam habitualem per Sacrificium impetrari posse illi, pro quo Sacrificium offertur, sed tantùm mediatè uti *n.* 45. dictum est de prima gratia seu remissione culparum.

47 §. 5. Sacrificium Missæ, respectu duorum priorum effectuum, qui sunt Dei, complacentia & solutio gratiarum, causat in actu secundo simpliciter infinitè quia Deus actu infinitè sibi complacet in hoc Sacrificio, & in illo pro gratiis redditur bonum actu infinitum: sed respectu duorum posteriorum effectuum qui sunt remissio peccatorum & impetratio donorum causat actu simpliciter finitè, quia Christus non ordinavit, nec Deus acceptat nisi ad remissiones & impetrationes actu finitas, & inde etiam est, quod in Ecclesia multiplicentur Sacrificia in ordine ad eundem finem, & plura plùs obtineant, quàm unicum; item quòd Sacrificium plùs prosit uni, pro quo solo offertur, quàm prodesset singulis, si pro multis offerretur, uti notant Suar. *d.* 68. *sect.* 1. Barb. *de potest. Episc alleg.* 24. *n.* 7. Rayn. *s.* 4. *c.* 4. *n.* 11. Gob. *t.* 3. *n.* 134. Card. Bon. *c.* 1. §. 4. Dicast. *dub.* 5. Henao *à n.* 1446. Pasq. *q.* 123. 125. quamvis 126. quoad vim impetrandi dissentiat cum Vasq. Castrop. Dicast. Steph. *t.* 4. *d.* 4. *n.* 58. Aversa. *q.* 11. *s.* 7. Ratio nostra est quia etiam impetratio fit per modum orationis, sed omnes communiter dicunt, & fatetur etiam Pasq. *q.* 127. *n.* 7. si oratio distinctè offeratur pro 20. hominibus, plùs valere, quam si confusè offeratur pro illis 20. ergo à potiori plùs valebit, si offeratur distinctè pro uno, quàm si pro 20. Manet tamen incertum, quid & quantum huic aut illi Sacrificio respondeat.

48 §. 7. Sacrificium, prout fit in persona Christi, causat hos suos effectus ex opere operato, id est, ex vi operis positi præscindendo à merito & dignitate Ministri vel subjecti, S. Th. & alii cum Pasq. *q.* 57. non tamen sic causat, prout fit nomine Ecclesiæ vel sacrificantis hominis, uti contra *Scot. Gabr. Henriq.* probabiliùs docent Suar. Vasq. Pasq. *q.* 108. & 114. quamvis Christus instituerit ponendum etiam nomine Ecclesiæ & à Sacerdote, non ideò illi attribuit effectum distinctum, quia ab illis fieret; sicuti instituit Sacramenta, ut à Sacerdote conferantur, sed non ideò Sacramento, prout à privata persona Sacerdotis ponitur, respondet distincta gratia. Potestque de his omnibus fusè videri Rayn *in Heter T.* 15. *p.* 2. *s.* 3. *Punct.* 4.

49 §. 8. Ut Sacrificium in aliis causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in sacrificante status gratiæ, nam Trid. *sess.* 22. *c.* 1. dicit nulla offerentis indignitate aut malitia inquinari posse, id est, impediri virtutem causandi, tenerque recepta omnium sententia, inquit Dicast. *n.* 160. & habetur pluribus locis in Jure Canonico; Hinc docet S. Th. 3. *p. q.* 82. *art.* 6. aliique cum Vasq. *q.* 130. Missam mali Sacerdotis ex opere operato æquè prodesse quàm boni, quamvis esset etiam hæreticus, excommunicatus, denunciatus, etiam degradatus, quia hic fructus specialis sequitur ad substantiam Sacrificii, prout est actio Christi principaliter offerentis, quod secundùm *Gabr. Sot.* & alios, in quos inclinat Dicast. *n.* 215. valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiæ, quidquid contradicat Pasq. *q.* 113. negans hoc, si minister sit excommunicatus non toleratus, idem tamen *q.* 106. *n.* 2. fatetur huic fructui non obstare, quòd fortè non sit in statu gratiæ; sed ratio nostra universalis est, quia Ecclesia illud offerens semper est sancta & Deo grata *Nec obstat*, quòd Ecclesia tali prohibeat sacrificare, *nam* etiam Christus prohibet, & tamen, si fiat, offertur, uti à Christo, ita etiam ab Ecclesia. Recte autem contra *Cai. Sot. Henriq.* & alios docet cum communissima Pasq. *q.* 102. & 103. ex hoc, quòd Sacrificans habeat majorem gratiam vel devotionem, non augeri in aliis fructum ex opere operato, quia vis operis operati non est ab actione, prout est Ministri, sed prout Christi: consequenter etiam dicendum est cum Pasq. *q.* 116. cooperationem Ministrorum ad Sacrificium esse fructuosam Ecclesiæ, quamvis Ministri non sint in statu gratiæ, quia ponitur nomine Ecclesiæ & est moraliter actio illius, quæ semper Deo est grata. Addit probabiliter Pasq. *q.* 131. contra Rayn *n.* 27. qui probabiliùs negat Missam solemnem esse ex opere operato efficaciorem quàm non solemnem, tum ob actiones intrinsecas plures, tum ob assistentiam & cooperationem plurium: illa autem est solemnis, quæ fit cum Diacono & Subdiacono; imò & illa, uti putat Lohn. *p.* 1. *t.* 1. *q.* 1. quæ tantū cantatur.

§. 9. Ut Sacrificium specialiter prosit uni potiùs quàm alteri, requiritur applicatio sacrificantis, quia cùm sit institutum pro bono communi, & sit secundùm se indifferens, ut specialiter prosit huic vel illi, debet determinari per Sacerdotem, & S. Th. & alii communissime cum Pasq. *q.* 161. Ut tamen fidelibus causet fructum generalissimum & cooferentibus specialissimum, & nulla requiritur applicatio Sacerdotis, quia hoc ipso, quòd ponatur secundùm præscriptum Ecclesiæ & ex cooperatione coofferentium, tanquam opus publicum, & commune, est de se operativum illorum fructuum: Pasq. *suprà n.* 1. & iterùm *q.* 93. Hinc si Sacerdos sit in gratia, quamvis fructum specialem nulli applicet, Scrificium ipsi proderit, quia obtinebit fructum specialissimum, qui forte major est quàm specialis, Pasq. *q.* 97. & 98. Potestque Sacerdos, etiamsi accepto stipendio celebret pro alio, totum hunc fructum sibi retinere, aut, si velit, partem ejus applicare alteri, uti probabiliter tenent *Cajet.* & alii 20. cum *Aversa* contra Suar. Laym Pasq. *q.* 99. Imò probabile est coofferentes etiam posse applicare alteri, *Nav.* & alii contra Pasq. *q.* 115. Et ad illum fructum specialissimum à Sacerdote obtinendum sufficit voluntas virualis vel implicita, quam sacrificans semper habet, ut sibi prosit, quamvis *Suar.* & alii cum Dicast. *n.* 164. suadeant formari semper intentionem, ut si ille, cui applicat, non indigeat, vel non sit capax, prosit sibi aut alteri. Quòd si Sacerdos ipse non sit in gratia, communiter nihil obtinebit de hoc fructu, quia sacrificando peccabit, ergo per hoc nihil poterit à Deo sperare beneficii vel doni: si tamen putans se esse in gratia, bona fide sacrificaret, esset secundùm se actus religionis & honestus, cui de congruo respondere posset fructus, sicuti attritio aliique actus supernaturales à peccatore eliciti sunt de congruo meritorii, satisfactorii, impetratorii. Videri potest Dicast. *d.* 3. *dub.* 8. & Pasq. *qq. citatis.*

§. 10. Probabilius videtur, quòd Sacerdos, prout præcise est offerens, non participet ex opere operato ullum fructum ex Sacrificio, sed tantùm in quantùm est unus ex illis, pro quibus offertur, ita Vasq. Con. Pasq.

Pasq. *q.* 58. contrà *Suar. Bonac. Amic. Fill.* Atque idem videtur dicendum de Ecclesia, prout offerens est, Suar. Vasq. Henriq. Con. Pasq. *q.* 59. Idem consequenter & probabilius dicunt Vasq. Con. Pasq. *q.* 60. contra *Suar. Henriq.* etiam de Ministris & aliis adstantibus, prout coofferentes sunt, quia Sacrificium non videtur institutum ad causandum, nisi prout offertur à Christo pro illis, quibus per Sacerdotem applicatur, unde sicuti Sacramenta ex institutione sua & ex opere operato non prosunt Ministris, quà talibus, sed tantum illis, qui suscipiunt, ita Sacrificium illis tantum, quibus applicatur. Docent autem aliqui cum Dian. *p.* 9. *t.* 2. *R.* 8. Missas pro defunctis plus quàm Missas pro vivis prodesse Sacerdoti, quia defunctis applicatur sola vis satisfactoria & reliquæ virtutes Missæ manent celebranti; sed Gob. *n.* 634. meritò tenet oppositum, quia ex mente illorum, qui Missam constituunt & quibus se accommodare debet legens, reliqui fructus cedunt amicis vivis defuncti.

52 §. 11. Sacrificium causat effectus suos infallibiliter, nam imprimis Dei complacentiam & quandam exolutionem gratiarum infallibiliter causat, ut per se patet: deinde etiam infallibiliter, quantum de se est, causare remissionem peccatorum, docent Valent. & alii plurimi cum Pasq. *q.* 67. & 70. eamque sententiam probabilem ac piam vocat Dicast. *d.* 3. *n.* 20. Quoad remissionem pœnarum pro culpis remissis, consentiunt ferè Theologi omnes cum S. Th. Dicast. *dub.* 2. Pasq. *q.* 74. Et absolutè etiam quoad impetrationem tenent *Lugo, Garzias* & alii contra Pasq. *q.* 78. *& alios*, nam Christus instituit ad illos fines uti constat ex dictis *à n.* 43. & consequenter; si ex parte nostra non sit obstaculum, Deus ad eosdem fines oblatum acceptabit: & hoc ipsum cognovimus per traditionem, inquiunt Becan. *sup. n.* 7. & Dicast. *n.* 47.

Objicies. Sæpè offeruntur Sacrificia pro peccatoribus, qui non convertuntur; item pro beneficiis, quæ non impetrantur. R. Docent 20. AA. gravissimi cum Pasq. *q.* 67. peccatori certò & infallibiliter impetrari gratias actuales & auxilia, quæ Deus dabit aliquando, cum volet, per quæ possit pœnitere: unde quamvis fortè pro libertate sua non cooperetur, effectum tamen suum habuit Sacrificium, quia ipsius non erat immediatè causare remissionem peccatorum, sed tantùm gratias & auxilia. Estque valde probabile cum S. Th. & Pasq. *q.* 67. contra *Suar.* & alios hæc auxilia esse semper efficacia, si homo sit aliunde dispositus, nam Trid. *sess.* 22. *c.* 2. absolutè dicit per Sacrificium fieri, *ut si cum vero corde, &c. accedamus ad Deum, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Similiter Sacrificium impetrat certò & infallibiliter beneficia, si expediat saluti, & quis per indignitatem suam non obstet, ideóque debeat Deus prius placari: quandoque tamen Deus differt beneficium vel commutat in aliud, quia sic utilius est: atque sic semper impetratur, quod petitur, quia mens Sacerdotis per Sacrificium petentis est, ut ita obtineat, non autem omninò absolutè & statim, alioquin esset irrationabilis petitio nec institutioni Christi conformis.

53 *Instabis.* Saltem non est infallibiliter remissivum pœnæ, quam debet in Purgatorio anima, pro qua offertur Sacrificium. R. Assumptum negant *S. Th. Alb. M.* & alii 36. AA. gravissimi cum Pasq. *q.* 74. contrà *Sot. Canum, Cordub. & Tolet.* qui putant hunc effectum in illis esse tantum ex benigna Dei voluntate: sed contra est, quòd Sacrificium sit institutum etiam pro expiatione animarum in Purgatorio, uti docet Trid. *n.* 35. & 45. relatum, voluitque Christus & Deus per illud juravi animas, ergo si offeratur, nihil obstat, quominus infallibiliter juvet. Communior tamen est sententia S. Th. plerorumque cum Pasq. *q.* 74. non remittere infallibiliter totam pœnam sed tantum partem, juxta taxationem à Christo factam in institutione hujus Sacrificii: hinc *Trid.* dicit eas per Sacrificium *juvari*, non autem absolutè liberari. An autem idem sit de Missa ad Altare privilegiatum, dicetur n. 524.

§. 12. Sacrificium causat complacentiam in Deo 54 & quandam gratiarum exolutionem, quamprimum exiitit; remissionem autem peccatorum & impetrationem beneficiorum non semper statim, uti constat ex dictis n. 52. Unde quia secundum dicta n. 15. Sacrificium tum prius completè existit, quando intrinsece finitur consecratio secundæ speciei, si unius tantum speciei consecratio poneretur, causaretur quidem aliqua complacentia & aliqua exolutio gratiarum Deo, quia esset aliquod Sacrificium incompletum ponens objectum summè gratum Deo, & recognoscitivum beneficentiæ ipsius; an autem aliquid causandum esset circa remissionem vel impetrationem, planè incertum est, nec divinare libet, pendet enim à voluntate Christi, cujus institutio, qualis circa hoc fuerit ignoramus, neque nobis suggerunt aliquid Con. vel PP.

Q. 6. *Quæ conditiones & dispositiones requirantur*, 55 *ut quis per Sacrificium obtineat fructum satisfactorium aut impetratorium?* R. Intelligitur ex seqq. §. 1. Soli viatores sunt propriè capaces horum fructuum, quia Sacrificium est institutum pro Ecclesia militante: animæ tamen purgantes adhuc censentur esse quasi in via, cum necdùm sint in patria seu termino. Quomodo autem etiam Beatis per Sacrificium impetrari possit major gloria accidentalis, dictum est n. 38.

§. 2. Ut quis sit capax eorundem fructuum quasi 56 de condigno, debet esse baptizatus & in statu gratiæ, quia cum hoc Sacrificium sit pro Ecclesia institutum, videtur illis tantum ex justitia exigere fructum, qui sunt in Ecclesia: si autem sint in mortali, sunt hostes Dei, ergo resistit eorum indignitas, quominus Deus ex justitia teneatur *illis* concedere ejusmodi fructus, Pasq. *q.* 80. contra *Durand.* qui ad satisfaciendum pro pœna peccato remisso debita non requirit nunc statum gratiæ: imò probabilius tenent Dicast. *d.* 3. *n.* 166. Pasq. *q.* 81. Avers. *q.* 11. *s.* 10. §. *Item*, contra *Scot. & Nav.* si Sacrificium oblatum sit pro aliquo in mortali constituto, posteà non revivisscere ad causandos fructus, si restituatur gratiæ, pro hoc enim non est satis solidum fundamentum. E contrà tamen si offeratur pro conversione infidelis vel peccatoris, aut etiam pro remissione pœnæ propter culpam, quam homo infidelis per contritionem deposuerit, poterit Sacrificium de congruo prodesse, Dicast. *n.* 155.

§. 3. Ut Sacrificium, etiam mediatè tantum causet 57 remissionem venialium, prærequiritur aliquis affectus cordis, quo velit satisfacere Deo & à venialibus recedere: ut autem causet remissionem mortalium, prærequiritur etiam motus cordis ad Deum, actus fidei & attritio de illis peccatis, uti innuit Trid. *s.* 22. *c.* 2. dicens *per ipsum fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti* (intelige contritione imperfecta) *ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*: illis enim suppositis dabit Deus gratias, ut ex attrito fiat perfectè contritus, vel moveatur ad dignè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, secundum dicta n. 45. potestque videri etiam Avers. *q.* 11. *s.* 6.

§. 4. Ad remissionem pœnæ prærequiritur indi- 58 gentia actualis, *id est, ille* pro quo petitur, debet esse actu obnoxius debito alicujus pœnæ. Dicast. *n.* 172. Pasq. *q.* 80. *n.* 1. Avers. §. *Nono.* Remitti autem *potest* pœna, quamvis reus non resciat ex-

 pressè

presè de sacrificio pro se oblato, quia relaxatio debiti est actus solius creditoris. Si tamen positivè nollet sibi remitti, *Suar.* contra Lugo, Avers. Pasq. *q.* 82. probabilius dicit non remittendam, quia cum invito ordinariè fieri non debeat gratia, credibile est Deum pro dispositione requisivisse consensum saltem interpretativum.

59 §. 5. *Cajet. Vasq. & Merat.* putant in animabus Purgatorii ad remissionem pœnarum per sacrificium causandam prærequiri tanquam dispositionem, ut in vita curam habuerint satisfaciendi pro peccatis propriis, & juvandi alios defunctos: cui sententiæ multùm favent S. Aug. *de Cura pro mortuis cap. ult. & in Enchir. c.* 109. & S. Th. 3. *p. q.* 52. *a.* 8. *ad* 1. quibus authoritatibus non videtur satisfacere Pasq. *nec q.* 84. *nec q.* 155. Nihilominus plurium sententia cum Pasq. *q.* 83. *&* 155. & Rayn. *T.* 15 *p.* 2. *sect.* 3. *punct.* 1. *à n.* 14. tenet nihil requiri præter statum gratiæ, in qua sunt, quia Trid. absolutè definit illis prodesse, & sine sufficiente fundamento videntur ista requiri: Hinc concludit Pasq. *q.* 85. contra *Caj. & Vasq.* hunc fructum etiam non communicari animabus secundum mensuram devotionis, quam ipsæ in vita habuerunt erga sacrificium, sed secundum mensuram à Christo determinatam independenter ab omni alia ipsarum dispositione. Quid autem fiat, quando anima, cui applicatur, non indiget, quia Beata est, vel non est capax, quia est damnata, colligetur ex dicendis n. 1330.

60 §. 6. Fructus sacrificii tam satisfactorius quàm impetratorius est major pro meliore dispositione illius, pro quo offertur, S. Th. Dicast. *n.* 170. Avers. §. *Octavò*, aliique plurimi cum Pasq. *q.* 76. *&* 87. *Suar. Valent. Fill. Fagund.* videtur enim eodem modo loquendum, quo de Sacramentis quæ pro meliore dispositione subjecti habent majorem effectum, secundum dicta *p.* 1. *n.* 185. Et hoc fortè innuit Ecclesia in Canone Missæ, quæ loquens de illis, pro quibus offert, ait, *quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.* Et contra irreverenter adstantes aut fabulantes gravissimè scribunt SS. PP. apud Rayn. *sup. s.* 2. *punct.* 7. *à n.* 15. 21. 25. *ubi n.* 27. ex iisdem SS. PP. docet mendicos tum esse arcendos à templo, utpotè turbantes devotionem fidelium, quod etiam Decretis Pontificiis & Episcopalibus, sæpè sancitum est. Oculorum autem impuritatem acerrimè perstringunt iidè SS. PP. apud Rayn. *à n.* 28. Quas omnes irreverentias etiam ab Ethnicis, Turcis & Judæis non tolerari in suis sacris, ostendit idem Rayn. *à. n.* 43.

61 *Q.* 7. *In quo conveniant & disconveniant Sacramentum Eucharistiæ & Sacrificium Missæ?* R. in his *conveniunt*, 1. Quòd sit eadem realiter actio, per quam ponuntur, nempè eadem consecratio. 2. Quod utrobique sit idem terminus ultimatus actionis, nempè idem Christus sub specie panis & vini. 3. Quòd essentia Sacramenti & sacrificii includat istam actionè & istum terminum, sacrificium enim adæquatè & prout communiter sumitur, supponitur, non tantùm pro sacrificatione sed etiam pro victima. 4. Quòd ratio Sacramenti & ratio Sacrificii possint ab invicem absolutè separari, nam Christus potuisset instituere vel in ratione Sacramenti tantùm, vel tantùm in ratione Sacrificii, ut rectè Vasq. & Pasq. *q.* 53. *n.* 1.

62 *Disconveniunt* in his, 1. Quòd Sacramentum includat aliqua, v. g. species; panis & vini, quæ non includit sacrificium. 2. Quòd Sacramentum per se immediatè ordinetur ad sanctificandum hominem, sacrificium ad cultum & honorem Dei. 3. Quod essentia Sacramenti salvetur per consecrationem unius speciei, uti rectè Suar. Tann. Pasq. *n.* 3. quia quamvis non habeatur completum signum integri convivii spiritualis, tamen habetur signum sensibile ex opere operato causativum gratiæ, quæ est cibus & potus animæ: è contrà essentia Sacrificii includit consecrationem utriusque speciei, quia institutum est, ut sit expressa repræsentatio cruenti Sacrificii Crucis, seu separationis etiam Sanguinis à Corpore, hinc si non consecretur utraque species, Sacrificium non causat ex opere operato. 4. Quòd Sacramentum sit prius ordine executionis, cum salvetur in una specie: sacrificium autem, spectato fine ultimato, sit simpliciter & absolutè prius ordine intentionis, quidquid contradicat Dicast. *d.* 1. *dub.* 16. quia Sacramentū & ipsa sanctificatio hominis intenditur propter cultum & honorem Dei, qui est finis Sacrificii. 5. Quòd Sacramentum sit permanens, quia cum ratio Sacramenti sit esse signum sensibile, principaliter supponit pro speciebus & Christo, qui permanent: sacrificium autem sit transiens, quia cum ratio Sacrificii sit esse cæremoniam sacram, principaliter supponit pro actione sacrificativa, quæ est transiens. 6. Quòd Sacramentum non causet ante usum sive sumptionem, Sacrificio autem ad causandum satis sit existere. 7. Quòd Sacramentum ex opere operato prosit soli sumenti, sacrificium etiam aliis, quamvis nec sacrificantibus nec sumentibus.

63 *Q.* 8. *Quid Pontifices & Sacr. Congregatio statuerint circa celebrationem Missarum?* R. Constabit ex verbis Constitutionis Innocentii XII. datæ Romæ 23. Decembr. 1697. prout sequitur.

CONFIRMATIO DECRETORUM CONGREGATIONIS S. R. E. CARDINALIUM CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM,

Super Celebratione Missarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, authoritate fel. record. URBANI *Papæ VIII. desuper alias factorum.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet:

Aliàs super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, necnon super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religiosorum numero ultrà redditus & consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Cong. S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, authoritate per fel. rec. Urbanum P. VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis:

Cum sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis

tiis Defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indéque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cùmque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Missas super vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesiis sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera missarum, absque ullo emolumento, aut quòd eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & redditus Ecclesiæ aut Monasterii adeò exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica convellere atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit:

Ac primò districtè prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

64 Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia quantumcunque incongrua, & exigua, sive ab una sive à pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus ac locis piis quibuscunque, tam sæcularibus quàm Regularibus, Sac. Congr. sub obtestatione Divini Judicii mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

65 Id verò ut deinceps observetur exactius, Sac. Cong. eadem authoritate revocat Privilegia & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac locis piis, tam Sæcularibus quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

66 Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

67 Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus ac locis omnibus, tam sæcularibus quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram vel personam fide & facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quàm primùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia authoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium, sub eadem pœna ut suprà, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sac. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus & Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum ac piorum locorum, tam sæcularium quàm Regularium superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, nè imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem sine Episcopi vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis vel Provincialis consensu & licentia in scriptis & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis verò pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

Eleemosynas verò manuales & quotidianas pro 68 Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus verò seu ejus Vicarius, aut Generalis 69 vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio aut loco pio incumbentibus; nec anteà assensum hujusmodi aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis & locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundùm morem cujusque Civitatis vel Provinciæ, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò Illustrissimi Patres non sine gravi animi 70 dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant reditus & eleemosynæ cujusque Monasterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, Sanctissimi Do-

mini Noſtri authoritate præcipiunt ac mandant omnibus & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum ac Domorum Regularium bona immobilia poſſidentium vel non poſſidentium, cujuſcunque Ordinis, Congregationis & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ & inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, reditus & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones tam communes Monaſteriorum, Conventuum & Domorum ejuſdem Provinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas ſeu permiſſas in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter & maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates aliave cujuſlibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo ſeu Congregatione Generali vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi reditibus, eleemoſynis & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſuprà, detractis ſedulò examinent, quot Religioſi homines connumeratis etiã laicis aliiſque neceſſariis ſervientibus in unoquoque Monaſterio, Conventu & Domo regulari juxta regionis & proprii Inſtituti morem, victum & veſtitum & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, *redituum* eleemoſynarum & onerum præciſam notam *ipſimet Capitulo* ſeu Congregationi exhibeant, ut *in illo diligenter omnibus* diſcuſſis, cujuſque Familiæ, *Monaſterii, Conventus* ac Domus Regularis in ſingula quaque Provincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemoſynis & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint.

Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſeriùs aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant; mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitulum Generale vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere Capitulariter geſta in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque familiæ ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli ſeu Congregationis Generalis vel Provincialis ſententia & authoritate præfinitum, *iidem* Superiores tam Generales & Provinciales omnes, quàm locales perpetuò ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia; Superiores autem hujuſmodi, *qui prædicta* omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſuprà præſcriptum quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocisque activæ ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis Officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubjacere voluit & declaravit.

71 Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religioſorum ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres aut Monachi ſeu Religioſi degere, & ex reditibus & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſuprà, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum Decreti felicis recordationis Gregorii XV. hac de re editi; Alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſuprà, ſuſtentari atque inhabitare non poterunt & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni atque omnimodæ Juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivio- 72
nem ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus ac Domus Regularis curare atque efficere teneantur, ſub pœna privationis Officii, vociſque activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, id eſt, feria ſecunda poſt primam Dominicam adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica Menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis & gradus, quàm Laicis quocumque honore & poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum atque Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Militarium etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſlibet alterius Inſtituti, etiam neceſſariò & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tam Sæcularium quàm Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis & litteris Apoſtolicis, etiam Mari magno ſeu Bulla aurea aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac eum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia requiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis ſuæ authoritate ſpecialiter & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignoranti à quoquam præten- 73
di poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes ordinationes in valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Utque

Utque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Junii 1625.

74 Excitatis autem super præmissorum Decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt à memorata Congregatione simili authoritate illi à præfato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferiùs apponendæ.

Super 1. Sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant, onera ullà Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum in sumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

75 2. Super 2. ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint,

Q. An verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

76 3. An cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare?

77 4. An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellæ, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utique oneri satisfacere?

78 5. Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ.

Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

79 6. Super 3. Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, satisfiat.

Q. An verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

80 7. Super 4. ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat,

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, Iuservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ & similium?

81 8. An hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium, ad rationem redituum Beneficii?

82 10. An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna, major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt? An verò satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

11. Super 5. ejusdem Congregationis Decreto, 83
quo inter cætera statuitur in hæc verba (eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demum iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque obire valeant. Alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quò minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

12. Quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cùm poterit?

13 An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem 84
Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi scriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

14. An in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis, in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (*Casse de Morti*?)

15. An Administratores Ecclesiæ, die magnæ de- 85
votionis & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ & devotio ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur.

16. Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus 86
directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum & piorum locorum, tam Sæcularium quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& aliis, ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

17. Super 7. ejusdem Sacræ Congregationis De 87
creto quo cavetur, in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commodè possit sustentari.

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in similis Decreti Sanctæ memoriæ Pauli V. absque tamen computatione redituum cujusque Religiosi, sit denuò facienda nec ne?

18. An Novitii, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

19. Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi reci- 88
piantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, itaut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarii,

Quæritur, An hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis JESU?

Ultimò, an idem Decretum, ubi disponit, ut nulli bi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat; ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens; an verò etiam extrà Italiam?

Declarationes seu responsiones ad supradicta Dubia. 89

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, authoritate sibi à Sanctissimo Domino

Noſtro attributa, ad ſingula Dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet:

Ad 1. Etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſuprà impoſiti, ab iis ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe judicaverit: Verumtamen, ſi in ipſa Beneficii erectione expreſsè cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam & obſervandam.

90 Ad 2. Eſſe intelligenda de *præſcriptione facta* ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab ordinario Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem Civitatis vel Provinciæ.

91 Ad 3. Teneri.

92 Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii ſeu Capellæ, legati aut Salarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſas utrique obligationi ſatisfacere.

93 Ad 5. Cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Civitatis vel Provinciæ.

94 Ad 6. Ita eſſe intelligenda.

95 Ad 7. Reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, ut cumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cùm Eccleſiæ & loca pia alios non habent reditus, *quos in uſum* earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm *Miſſæ Sacrificio* neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab Offerentibus eleemoſynas.

96 Ad 8. Non habere locum: ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundùm morem Civitatis vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

97 Ad 10. Decere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

98 Ad 11. Reſpondit non prohibere abſolutè; Ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad 12. Quamvis onera ſuſcepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iisdem Miſſis juxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

99 Ad 13. Has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis vel Provincialis.

Ad 14. Comprehendi.

100 Ad 15. Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſuprà in reſponſione duodecima.

Ad 16. Comprehendi etiam privatos Sacerdotes. 101

Ad 17. Numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervata forma Decreti hac de re editi. 102

Ad 18. Eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commodè ali poſſint.

Ad 19. Cenſuit comprehendere. 103

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cùm autem ſuper præmiſſis diverſi irrepſerint abuſus, illorumque occaſione quam plures querelæ, & recurſus ad Apoſtolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujuſmodi deteſtabiles abuſus à Chriſtiana Republica pro viribus evellere ac opportunè providere, ut ſublatis fraudibus ac emendata negligentia piæ Diſponentium ſeu Benefactorum voluntati fides illibata ſervetur, Defunctorum animabus integra & prompta præſtentur ſuffragia, itidemque Deo major gloria, Eccleſiis præſtantior cultus reddatur prævia authoritate per SS. D. N. Innocentium Divina Providentia Papam XIII. ei ſpecialiter attributa infraſcripta Decreta, priùs in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem ſuam deputata, & poſteà in Generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè diſcuſſa, recognita & examinata edidit. 104

Imprimis, præinſerta Decreta cum præmiſſis illorum declarationibus pleniſſimè & ampliſſimè approbat, confirmat & innovat, omniaque & ſingula ibidem contenta & expreſſa iterum omnia meliori modo decernit, ſtatuit ac ab omnibus & ſingulis etiam ſpeciali & individuali nota ſeu expreſſione dignis penitus obſervari & omnimodæ executioni demandari decernit, ſancit & præcipit.

Inſuper, ut in re tanti momenti conſultiùs, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur; Si qui forſan fuerint vel ſint, qui ſuis pravis & erroneis intentionibus ſeu opinionibus blandiri volentes, Miſſarum celebrationem omittunt ſub malitioſa vel irrationabili ſpe, earumdem condonationem vel reductionem à Sede Apoſtolica, vel compoſitionem à Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi, Congregatio præfata tum eoſdem tum quoſcumque alios qui poſt hac in adeò deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri & monitos eſſe voluit præfatas condonationes & reductiones ab eadem Sede, non niſi ex rationabili cauſa ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones verò à dicta Fabrica utente ſuis facultatibus, & privilegiis, non niſi ex cauſa pariter rationabili & cum clauſulis opportunis, & præſertim cum illa: *dummodò malitioſè non omiſerint animo habendi compoſitionem, aliàs gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe & ſolere; quapropter, ut locus omnis impoſterum hiſce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto ſive in parte verſiones in alium, quam præfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem & quaſcum alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones ſeu circumventiones declarat prorſus irrationabiles, injuſtas & illicitas, illaſque omnino reprobat, damnat & interdicit. 105

Cúmque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant quòd onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur, caveant omnes & ſinguli Rectores Superiores & Miniſtri quarumcumque tum Sæcularium tum Regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera ſeu Miſſas tum perpetuas tum temporales, tum etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant, utque id 106

ipſum

ipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum & temporalium litteris perspicuis & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter & intrà præscriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa duntaxat & non ulteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas sive temporales, sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omninò desistant seu abstineant, & ulteriùs tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis & celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua & temporalia, in altero autem Missas manuales, & tam illorum quàm istarum adimplementum & eleemosynas distinctè & diligenter annotare, & annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes & singulas rationes hujusmodi in præfatis respectivè libris simili distinctione & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respectivè curare.

107 Quibus semper salvis, debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes & quascumque eleemosynas tum manualium tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus discretis seu Consiliariis vel alio simili modo ne occupatis singulis mensibus distrìctam rationem exigere & respectivè reddere.

Quòd si prædicti, ad quos cura Tabellæ, capsæ & librorum præfatorum respectivè pertinet seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores tum Sæcularium tum Regularium Ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam Tabellarum & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respectivè casibus Sæculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares verò voce activa & passiva, ac gradibus & officiis, quæ obtinent ipso facto, & absque alia declaratione privati sint & intelligantur, necnon ad hujusmodi gradus & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

108 Porrò, ne ullo unquam tempore omnia & singula Decreta prædicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publicè exposita in eodem Sacrario; Superiores verò locales cujuscumque Monasterii, Conventus ac domus Regularis curare & efficere teneantur sub pœna privationis officiorú quæ obtinent, vocisque activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est, feria secunda post primam Dominicam Adventus, & sexta feria post Octavam Corporis Christi omnes & singulæ præmissæ tum incertæ seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes unà cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

109 Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut à personis, & in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide & diligentia celebrentur, & cuncta & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus seu instantibus reddentes, sed officio tum in Visitationibus tum in aliis actibus & modis, quos expedire & convenire toties, quos judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus & singulis Decretis adversetur.

Caveant etiam respectivè omnes Regulares tum 110
Subditi tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christi fidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur, alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ & passivæ, ac graduum & officiorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & promptè etiam per inquisitionem animadvertere & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis seu Congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam & juratam, quod omnibus & singulis tum perpetuis tum manualibus Missarum oneribus seu obligationibus ad limites & tenorem præsentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum distinctè referendarum intrà breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta & omnino adimplenda conditione, quòd ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumquè Superiores locales prædicti vocem activam seu passivam in memoratis Capitulis seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii & Visitatores Provinciarum seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quòd executioni præsentium Decretorum sedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus & singulis Conventibus seu Monasteriis vel Domibus Regularibus Provinciæ seu Congregationis de omnibus & singulis oneribus & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem & executionem respectivè pœnarum in Decretis contentarum processerint, & adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Cæterum, quia etiã ad quam plures Archiconfrat. 111
Confraternitates Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ quicumquè curæ seu regimini aut administrationis vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis & præeminentiæ, etiam speciali & individuali nota dignorum duntaxat, vel quorumcunque Ecclesiasticorum & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa vel attributa sunt, onus seu cura celebrationis Missarum, sive manualium sive ad tempus vel in perpetuũ pertinet, hinc salvis semper iis, quæ in præinsertis Decretis

continentur,

continentur, omnes & quicumque hujuſmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, & Eccleſiarum ac aliorum locorum & operum piorum Rectores ſeu Adminiſtratores vel Directores, & alii hujuſmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura Tabellæ & librorum in præmiſſis ſpectat, Tabellam, libros & hæc Decreta reſpectivè juxta modos ſuperiùs expreſſos, ſimiliter retinere, nec non de oneribus ac celebrationibus & eleemoſynis dictarum Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpectivè, iis ad quos pertinet reddere ſub pœnis arbitrio, & in ſubſidium excommunicationis, teneantur

112 Poſtremò omnibus, & quibuſcumque tam Eccleſiſticis perſonis cujuſcumque Ordinis, Status, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis & dignitatis exiſtant, quàm Laicis quocumque honore ac poteſtate præditis, omnia & ſingula præmiſſa Decreta interpretandi, nec non Eccleſiaſticis prædictis pœnas in hujuſmodi Decretis relaxandi ſuo quoquo modo circa præmiſſa diſpenſandi, omnis & quæcumque facultas ſit penitus interdicta.

113 Non obſtantibus, quoad ſuprafcripta omnia & ſingula in hujuſmodi Decretis contenta, Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum atque Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum ac cujuſlibet alterius Inſtituti etiam neceſſariò & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum & aliorum quorumcumque Sæcularium quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam mari magno ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum deragotoriis aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sac. Congregatio Sanctitatis ſuæ authoritate ſpecialiter & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

JOSEPH *Card. Sacripantes Præfectus.*

114 Quocirca, cùm dilectus filius noſter Joſeph Tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ S. R. E. Preſbiter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta nobis retulerit, nos conſiderantes eadem omnia, & ſingula Decreta, ea qua decet maturitate digeſta, & examinata, ac in vim Apoſtolicæ authoritatis, eidem Congregationi ſpecialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore conſentes, illaque propterea perpetuò, & inviolabiliter obſervari: necnon Conſtitutionis noſtræ munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cujuſquam nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præinſerta Decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta tenore præſentium authoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimò motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia & ſingula in ſupradictis Decretis contenta, de novo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque, etiam ſpeciali, & individua nota dignis omninò exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſancimus & mandamus.

Decernentes præſentes litteras, cum omnibus, & ſingulis inibi contentis ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari, ſicque & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, quavis authoritate, præeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ſublata eis & horum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; Ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ præfata Congregatio, authoritate per ejuſdem recordationis Urbanum Papam VIII. reſpectivè per Nos illi ſpecialiter attributa, decrevit non obſtare, decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno 1697. die 23. Decembris.

Hactenus Conſtitutio Inn. XII. renovans decre- 115
ta Urbani VIII. & S. Congregationis, quæ per ſequentes quæſtiones adhuc magis declarabunt.

Q. 9. Quid præterea ſit addendum circa re- 116
ductionem Miſſarum? R. ſeqq. §. 1. Magiſtratus laici, vel quicumque alii ſæculares nihil poſſunt circa reductionem Miſſarum, etiamſi eſſent Capellaniæ vel fundationes merè laicales, Caſtrop. *tr.* 22. *p.* 15. *n.* 6. Paſq. *q.* 1170. contra Fagund. Facultas autem, quam Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de Ref.* dederat Epiſcopis, & Generalibus Ordinum pro reductione Miſſarum, erat tantùm pro oneribus uſque ad illud tempus, non autem pro futuro, uti declaravit S. Congregatio apud Barboſ. *De Offic. Epiſc. Alleg.* 29. *n.* 5. & Paſq. *q.* 1164. Neque concernebat Miſſas ex Beneficio vel fundatione debitas, ſed tantùm ex relictis defunctorum vel piis eleemoſynis, Barb. *à n.* 11. Diana *p.* 2. *tr.* 2. *R.* 1. Sylv. *p.* 2. *v. Miſſa caſu* 5. Et ex vi ſaltem juris communis, poſſent adhuc Epiſcopi & Generales moderari onera ſuſcepta ante Trid. & non impoſita in limine fundationis, Paſq. *q.* 1162. 1163. 1175. ubi explicat, quænam in tali reductione obſervari debeant.

§. 2. Si in Beneficii erectione ſtatuatur, ut pro 117
neceſſitate liceat Epiſcopo onera Miſſarum moderari, poterit hoc facere Epiſcopus, uti dixi L. 4. n. 808. Docentque etiam Paſq. *q.* 1167. & Averſ. *qu.* 11. *ſ.* 8. §. *Tertio.* Imò Leſſ. *in auct. v. Miſſa caſ.* 26. dicit ſi non percipiantur fructus congruentes, Epiſcopos poſſe facere moderationem, docentque Tamb. & Gob. *num.* 589. adhuc in Diœceſibus apud ſe moris eſſe, ut Epiſcopi id faciant, & teſtantur plures cum

ut Episcopi id faciant, & testantur plures cum Castrop. *n.* 4. decretum à n. 63. relatum non observari saltem pro fundationibus Sacerdotum sæcularium pro qua sententia alios prætereà retuli l. 4. n. 854. ubi quamvis dixerim, standum esse decreto id prohibente, tamen hìc addo spectandam esse consuetudinem cujusque Diœcesis. Ipsimet autem beneficiati non possunt tales reductiones facere, uti omnes notant cum Castrop. *tr.* 13. *d.* 1. *punct.* 6. *n.* 26. & Gob. *à num.* 592.

118 §. 3. Si reditus vel omnes vel ex parte uno anno emaneant, Bordon. quem refert & non rejicit Aversa suprà, dicit, Sacerdotem ipsum posse cum proportione imminuere numerum Missarum, sed videnda sunt dicta l. 4. n. 855.

119 §. 4. Si legatum factum pro Missis videatur incongruum, potest Episcopus moderari, antequam ullus acceptarit: è contrà si primus aliquis eo modo acceptarit, est jam extra potestatem Episcopi, Tamb. Pasq. *q.* 1168. Addit *q.* 1189. si legatum incongruũ & necdum admissum ab aliquo sit factum ad Missas perpetuas, non posse per Episcopum converti in Missas manuales pro una vice celebrandas, sed debere onus perpetuum Missarum reducere ad æquitatem.

120 §. 5. Episcopus moderari non potest mutando Missam solemnem in non solemnem, Pasq. *q.* 1169. Excipit tamen *q.* 1188. *n.* 5. si necessitas sit, posse id Episcopum, dummodò Missæ totidem legantur, quia Trid. *s.* 22. *c.* 2. *de Ref.* concedit facultatem ex necessaria causa immutandi ultimas voluntates, possuntque videri dicta l. 4. n. 844. & à n. 846. Addit Pasq. cum aliis multis *q.* 1169. & *q.* 1186. quamvis Trid. *s.* 25. *c.* 5. *de Ref.* prohibeat mutari qualitates fundationum, uti pluribus explicavi l. 4. à n. 838. has tamen qualitates quoad substantiam relictas posse reduci ad æquitatem, v. g. concedendo, ut alio loco, die, hora legatur, si moraliter impossibile foret, vel nimis molestum ista in rigore observare, sed rectè excipit, nisi celebratio Missæ esset certo loco, die, hora præscripta propter commoditatem populi audituri Missam; hæc enim principalis intentio testatoris immutari non posset, possuntque etiam videri dicta l. 4. n. 824.

121 §. 6. Episcopum moderari posse officia, preces & eleemosynas annexas anniversariis docet Pasq. *q.* 1170. contra Tamb. quia de illis non loquitur prohibitio, uti nec de istis Missis, ad quas sine stipendio congruo se homo privatus obligasset; id enim esset in præjudicium Ecclesiæ & successorum, Pasq. *q.* 1174. An autem Fratres Minores vi cujusdam privilegii possint nunc reducere Missam, examinat idem Pasq. *q.* 1182.

122 *Q.* 10. *An possit præscribi circa onera Missarum?* R. Dixi de hoc l. 4. à num. 852. Hoc adde, quòd Beneficiati, Capellani, &c. non videantur posse præscribere, quominùs applicent fructum Sacrificii Fundatoribus aliisque, ad quorum intentionem legere tenentur ex stipendio singulis Missis respondente, nam obligantur hunc semper in singulis Missis ob tale stipendium applicare, ergo non apparet, quomodo præscribere possent, cum singula stipendia, si debeant fieri ipsorum, postulent applicari singulas Missas, ita Pasq. *q.* 1194. & satis insinuatum est l. 4. n. 833.

123 *Q.* 11. *A quo & quomodo taxandum sit stipendium pro Missa?* R. §. 1. Non est illicitum paciscì de stipendio pro Missa, & quando hoc videtur prohiberi, intelligi debet de pactione, per quam vendatur Missa pro pretio, Gob. *n.* 560. Possuntque etiam divites Sacerdotes, qui aliunde ex proventibus Ecclesiasticis sustentationem habent, exigere stipendium Pro hoc ministerio Missæ; neque hoc prohibitum fuit, nisi quando vergebat in præjudicium pauperum, uti habet communissima cum Pasq. *q.* 955. Avers. *q.* 11. *s.* 17. §. *Secundò*, Gob. *n.* 569. contra *S. Anton. Rich. Sylv. Caj. Arm. Tol.*

124 §. 2. Quamvis Trid. *sess.* 22. *in Decreto de observ. in celebr.* mandet, ut Episcopus contra avaritiam Sacerdotum ordinet circa mercedem, conditiones & pacta pro Missis, Episcopus tamen non potest idem stipendium taxare pro omnibus, nam si Missa sit cantanda aut legenda tempore vel loco incommodo aut longe distante, &c. potest exigi majus stipendium, Bon Lugo *Resp. mor. l.* 5. *dub.* 18. Aversa §. *Septimò.* Sporer. *n.* 359. Potestque pro Missa solemni exigi duplum vel triplum, quia longior est & difficilior ac habet plures Ministros, maximè cum secundum dicta n. 49. probabile sit habere majorem efficaciam ex opere operato, Pasq. *q.* 912.

125 §. 3. Episcopus spectatis circumstantiis potest taxare rationabile stipendium, itaut excessus sit injustus, & restitui debeat, quamvis enim stipendium non sit propriè pretium Missæ, quæ in se est invendibilis, tamen imitatur rerum pretia, ideóque debetur ex justitia ad sustentationem Sacerdotis, & quando negatur Sacerdoti, qui celebravit, huic contra negantem conceditur actio in foro externo, Pasq. *q.* 904. ergo sicuti id, quòd supra legitimum pretium accipitur pro merce, debet restitui, ita hìc, Pelliz. Lug. suprà & *de Euch. disp.* 21. *s.* 1.

126 §. 4. *Caj. Henriq.* & alii putant, solum illud stipendium esse justum, quantum requiritur ad sustentationem unius diei, additque *Pet. Nav.* nec lege nec consuetudine posse minus induci; sed meritò sententiam illam rejiciunt Suarez, Vasqu. Dicast. Gob. *n.* 563. quia per alia potest acquiri victus quàm præcisè per laborem mediæ horulæ; itaque hoc stipendium censeri debet justum, quod lege vel consuetudine est taxatum.

127 §. 5. Si illi, qui Missam petunt, *sponte velint* dare majus stipendium, frustra prohibebit Episcopus, ne sic detur aut à Sacerdotibus accepretur, dicent enim se non dare vel acceptare velut stipendium pinguius, sed merè ut aliquid gratis donatum, Pelliz. Lugo, Pasq. *q.* 929. Et similiter possunt Sacerdotes libere acceptare stipendium minus taxato. Id unicum potest prohibere Episcopus, ne ex pacto plus exigant Sacerdotes, vel solvant alii, hoc enim unum est contra reverentiam Missæ & habet speciem avaritiæ, *Lugo* suprà.

128 §. 6. Sacerdos non ideò potest plus exigere pro Missa, quòd nunc omnia ad sustentationem necessaria sint cariora, nam etiam pecunia est hoc ipso carior, & rarior secundum Sporer *n.* 359. Et saltem praxis ac Episcopi id non permittunt.

129 *Q.* 12. *Quid prætereà notandum sit circa Missas pro stipendio?* R. seqq. §. 1. Quamvis n. 50. dixerim probabile esse, quòd Sacerdos possit sibi retinere vel alteri applicare saltem partem fructus specialissimi, tamen celebrans pro stipendio debet habere talem intentionem, ut velit stipendium dantì hoc applicari, quod ei de jure debetur: Certum autem est, non posse ideò accipere duplicatum stipendium, nam Alex. VII. damnavit hanc 8. prop. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum* Urbani VIII.

130 §. 2. Quæ n. 66. & 97. dicta sunt de retinente partem stipendii, & curante per alium legi Missam, confirmat idem Alex. VII. damnans hanc 9. prop. *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traditur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*

131 §. 3. Non tantùm beneficiatus potest per alium legere Missas, dato solum ordinario stipendio, uti habet declaratio, & notavi l. 4. n. 820. sed hoc potest etiam Capellanus amovibilis. Item ille, cui commissa est celebratio Missarum perpetuarum, Pasq. *q.* 970. *&* 973. Gob. *n.* 572. ubi notat Ecclesiam vel locum, cui relinquitur Missa perpetua, si proprios Sacerdotes non habeat, teneri erigere Sacellanum, qui celebret, tribuendo ipsi totum proventum istius fundationis, eò enim ipso quòd Sacerdotes non habeat, censetur eligi ut executor, vel ut procurator.

132 §. 4. Cui datur stipendium pinguius, quia putatur devotiùs celebrare, secundum Pasq. *q.* 976. non potest Missam alteri committere, etiamsi huic det totum stipendium, nisi impedimentum vel justa causa excuset, quia devotio ipsius quasi in contractum ducta est: si tamen committeret æquè devoto, non videtur peccaturus; aut si etiam alteri non æquè devoto, non esset obligatio restituendi; nec facilè erit mortale, quia hic excessus devotionis non est tanti.

133 §. 5. Si quis pro Missis dederit stipendia majora, non præcisè intuitu Missarum, sed ex affectu speciali ad hunc Sacerdotem vel ad hoc Monasterium specialiter juvandum in sua paupertate, putant Pasq. *q.* 976. & Mendo *diff.* 13. *n.* 80. Missas posse committi aliis Sacerdotibus pro ordinario stipendio, excessu retento, cum hìc non sit species turpis lucri: Sed Steph. meritò hoc tantùm admittit, si constituens hunc suum specialem affectum verbis expresserit.

134 §. 6. Si *Cajo* incumbat hodie legere Missam, pro qua accipit tres solidos, & petat à *Titio*, ut pro se legat, spondens se cras lecturum pro *Titio*, qui pro sua crastina Missa tantùm duos solidos accipit, hoc videtur licere, quia in hoc fit tantùm permutatio Missarum & dierum.

135 §. 7. Qui contra prohibitionem, partem stipendii retinet, & facit Missas legi per alium, peccat graviter vel leviter pro quantitate partium stipendii, quas retinet, estque probabilius teneri ad restitutionem faciendam illis, qui Missas legunt, aut saltem qui constituit, uti notat Pasq. *q.* 969. quia pecuniam acceperat, non ut constitueret Missas pretio, quo posset, sed tantùm ut acquireret eam titulo celebrationis, ergo quod retinet, quando non celebrat, retinet sine titulo, ergo injustè, alter autem qui celebrat hoc ipso habet jus ad stipendium, Du Bois ad prop. damnatas n. 232.

136 § 8. Putant Lugo & Aversa *q.* 11. *s.* 17 § *sextò*; si alter, cui Missa committitur, sit contentus, etiamsi retineatur pars stipendii, nihil peccari, quia sicuti potuit obligationem legendi admittere gratis, ita potest pro minore stipendio: sed rectè monent Diana, Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 71. Pasq. *q.* 975. in praxi hoc periculosum esse, nam communiter fiet, ut alteram partem remittat, quia timet, ne in futurum non committantur sibi Missæ, vel videatur ingratus, ideóque potiùs coactè cedit juri suo.

137 §. 9. Quod dictum est n. 69. non posset per unam Missam satisfieri pluribus obligationibus, declarat idem Alex. VII. damnans hanc 10. prop. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Posset tamen Papa facere, ut additis in una Missa pluribus Collectis satisfieret pro pluribus Missis, supplendo de thesauro Ecclesiæ fructum, qui per Missas obtineretur & totus per Collectas non ponitur, Pasq. *q.* 1151. Aversa §. *Rursus.* Probabilius tamen est, quòd in Missa pro stipendio licitè addatur Collecta pro aliquo alio, sicuti in *Memento* licitè oro pro alio, hoc enim nihil præjudicat stipendianti, ita plures cum Gob. *n.* 154. contra *Bon.* & alios.

138 §. 10. Ordinariè non excusat paupertas Sacerdotis, ut accipere possit plura stipendia pro una Missa, Gob. *n.* 568. & doctè Sylv. *p.* 1. *v. Missa casu* 2. Nequidem si paupertas sit gravis, Henao *à n.* 1466. contra Th. Hurt. & Steph. *n.* 66. Addit tamen Henao *à n.* 1484. constitutum in extrema necessitate id posse; probatque *Steph.* ex eo, quia probabile est Sacrificium oblatum pro multis æquè prodesse singulis ac si offerretur pro unico: sed ratio ista nihil evincit, quia secundùm dicta n. 47. hoc valdè incertum est, & si verum non sit, probabilitas non faciet, ut Missa ita prosit singulis, ergo Sacerdos exponit se periculo formali defraudandi proximum. Itaque ideò tum licebit pro una Missa accipere plura stipendia, quia extrema necessitas facit omnia communia, & magis convenit, ut accipiat necessaria ab illis, pro quibus Missam offert, quàm ab aliis, in quorum utilitatem nihil facit.

139 §. 11. Quamvis multi, & graves AA. apud Pasq. *q.* 942. antehac docuerint, si quis acceptarit stipendia incongrua, minora taxato, non ideò teneri legere tot Missas, sed posse reducere ad numerum taxæ ordinariæ, tamen oppositum nunc tenendum est, secundùm dicta n. 76. & 91. Imò in dubio, an acceptando decem incongrua stipendia intenderit se obligare ad decem Missas, tenetur ad decem, etiamsi sit pauper, quia per acceptationem jus est aliis acquisitum, & ipse sibi imputet, quòd acceptarit, Pasq. *q.* 943. Aversa §. *Quòd si*, qui addit, quando offerunt incongrua stipendia, posse admonere dantem de incongruitate, & sic ejus consensu posse Missas reducere ad taxam ordinariam. Quòd si quis pecuniam acceptarit pro Missis absque præscripto harum numero, satisfacit numerando eas juxta taxam ordinariam stipendii, quamvis in illa regione à quibusdam acceptetur pro Missa stipendium minus taxato, Pasq. *q.* 944. Similiter si putavit in pecunia data esse decem stipendia, & postea invenit tantùm esse octo, tenetur tantùm ad octo Missas, quia non consentit in plures, quàm decem stipendia Pasq. *q.* 945. Putat tamen Aversa §. *Et similiter*, admonendum eum, si fieri potest, qui stipendia dedit. Si verò inscius admiserit monetam adulterinam, vel eo tempore statim ubique decedentem de valore, potest reducere ad numerum justi stipendii.

140 §. 12. Sacerdos non potest accipere duplex stipendium ex eo quòd uni applicet Missam, alteri Indulgentias, v. g. altaris privilegiati, quia enim pro tali Missa vel indulgentia dat stipendium, petit sibi applicari utrumque, sicque fieri judicant omnes communiter, ergo ad hoc tenetur saltem ex fidelitate, Lezana, Steph. *n.* 65. Hinc etiam quando acceptasti stipendium ordinarium pro Missa, ubi voles celebranda, non potes petere majus, quia celebrabis in altari privilegiato, applicaturus Missam Defuncto, uti contra *Bordon.* probabiliùs tenent Tamb. & Gob. *n.* 511. Si tamen stipendium acceperis pro Missa, ubi & quando voles, celebranda, & roget te aliquis, ut te obliges ad celebrandum certo loco vel tempore, putant Caram. & Gob. *n.* 556. te posse pro hac obligatione aliquid accipere, & quidem, si consuetudo non taxarit aliquid certum, quintam partem ordinarii stipendii, quia obligatio & onus illud videtur pretio æstimabile, possuntque videri dicta n. 324.

141 §. 13. Quamvis certum esset ab aliquo non peti nisi unum fructum, v. g. satisfactorium pro defunctis, & non impetratorium, tamen adhuc rectè dicit

Pasq.

Pasq. *q.* 649. illicitum esse acceptare secundum stipendium, nisi fortè liberaliter offeratur, quia qui dat ordinarium stipendium, illi debetur uterque fructus, qui saltem ejus amicis vel ipsimet aliter proderit. Gob. *n.* 155. Si tamen convenerit de fructu specialissimo aut alia parte fructus non petiti applicanda tertio, ut ei prosit, quantùm potest, posse aliquid ideò sumi notat Gob. *n.* 512. dummodò admoneat dantem de incertitudine, an ei prosit talis applicatio. Non potest tamen aliquid peti pro fructu ex opere operantis, uti contra Con. notant Aversa *s.* 18. §. *imò* & Gob. *n.* 510. Nec pro lectione plurium collectarum, nec pro majori devotione; quod ultimum, etsi asserant *Palud. Sylv. Comit.* tamen communiter rejiciuntur, Pasq. *q.* 957.

142 §. 14. Potest quis in Natali Domini pro tribus missis acceptare tria stipendia, Pasq. *q.* 906. Aversa *s.* 18. An autem obligatus quotidie celebrare, possit aliquando abstinere, aut quando abstinere potest, si celebret, pro ea Missa acceptare stipendium, dictum est l. 4. à n. 840.

143 §. 15. Si alicubi sit penuria Sacerdotum, aut difficiliùs haberi possit, qui legat, v. g. die festivo, putant aliqui plus peti posse pro stipendio, sed meritò contradicit Gob. *n.* 509. est enim species simoniæ, & quasi venditio Missæ; sicuti si majus pretium petatur pro merce, quia plures sunt, qui petunt, & pauciores qui vendunt.

144 §. 16. Sacerdotes in diebus illis, quibus tenentur celebrare ratione Beneficii, Capellaniæ vel legati, non possunt acceptare aliud stipendium pro Missa talis diei, uti dictum est n. 92. limitat Barb. *de off. parochi c.* 11. *n.* 13. nisi in fundatione expressè ponatur, aut aliunde sciatur, quòd non teneatur Sacrificium applicare Fundatoribus. Quid autem præsumendum sit, si in fundatione Missarum expressè non præscribatur quoties vel ad quam intentionem sit celebrandum, dixi l. 4. à n. 831. Item an Parochus possit accipere stipendium pro Missa, quando tenetur celebrare, dixi l. 3. p. 1. n. 762. potestque videri etiam Aversa §. *Illi*, ubi probabiliter docet non semper, quando tenetur celebrare, teneri applicare parochianis.

145 §. 17. Sacerdos, qui celebrat in quodam loco, v. g. in templo Monialium, si ideo stipendium habeat ab Ecclesia vel Monialibus, non potest recipere aliud stipendium pro applicatione talis Missæ, uti à pari colligitur ex dictis n. 92. Si tamen alio titulo obligetur ad celebrandum, v. g. pro ornatu templi vel ut homines Missam audiant, Suar. Vasq. Lugo aliique multi cum Pasq. *q.* 908. & Aversa *s.* 17. §. *Admittendum* dicunt pro applicatione talis Missæ posse accipere stipendium, quia hoc nullibi prohibetur, & applicatio mansit ipsi libera. Et idem intelligunt iidem AA. cum Aversa §. *Juxta* de legente Missam solemnem aut conventualem, si simul non obligetur ad alium finem applicare. Docet tamen rectè Pasq *q.* 955. pro missa, quæ in Confessione imponitur pro pœnitentia, non posse accipi stipendium, nisi Confessarius expressè addiderit applicationem fore liberam.

146 §. 18. Sacerdotem Societatis JESU non posse acceptare pro se vel proximo stipendium ratione Missarum quas legit, dixi l. 4. à n. 136. Unde si offeratur pecunia pro Missis, potest per Superiores admitti, non cum rigida obligatione, sed ut, v. g. aliquæ Missæ spatio medii anni, vel etiam singulis annis una aut altera legatur ex gratitudine, & quasi fidelitate inquit Cast. *t.* 16. *d.* 3. *p.* 11. *n.* 6. sicque declarasse Mutium Generalem testatur Burg. *cent.* 3. *cas.* 25. Item potest pecunia admitti liberaliter, & vicissim liberaliter promitti Missæ, ita tamen ut posterior promissio non sit veluti compensatio seu solutio reciproca pro stipendiis, sed ut offerenti significetur admitti titulo eleemosynæ, uti dictum est l. 4. n. 136. Item potest Sacerdos Societatis, cui pecunia offertur pro missis legendis, dicere offerenti, Missas gratis legendas ad ipsius intentionem, & vicissim rogare ipsum, ut liberaliter applicare velit pecuniam oblatam ad hanc vel istam piam causam, sic enim ipsum, habiturum duplicatum fructum, imprimis ordinarium missæ, non aliter ac si pro stipendio legeretur, deinde etiam cooperationis ad illam alteram piam causam.

§. 19. Quod dictum est n. 67. non posse absque li- 147
centia Superioris admitti nova onera missarum, intelligitur de missis in perpetuum. Notatque rectè Aversa, si alicui Ecclesiæ vel Monasterio offeratur certa pecunia cum onere celebrandi, v. g. ad 30. annos tot missas, non esse æquum, si jam expendatur tota illa pecunia, & successoribus relinquatur solum onus celebrandi, sed saltem pars, quæ futuris oneribus respondeat, applicanda erit ad censum, aut asservanda successoribus.

§. 20. Docent multi, quòd colligens missarum 148
stipendia non possit sibi ratione laboris aliquid etiam modicum retinere, sed debere illi ab Ecclesia satisfieri: oppositum tamen tenent Sot. Rodriq. Henriq. Vasq. Fill. Fagund Tamb. Dicast. Pasq. *q.* 977. Administratores autem Ecclesiarum nihil possunt ex stipendiis deputatis ad missas retinere ratione expensarum pro ipsismet missis, nisi aliunde non haberent: & tum non licet, nisi quantum postulant expensæ, relicto adhuc missarum fundatarum numero, uti dictum est n. 95.

§. 21. Si moriturus determinarit pro se legi, v. 149
g. 100. Missas, sed nihil statuerit de quantitate stipendii, hæres tenetur ad justum stipendium, non indignum qualitate defuncti, ut ait Schild. *t.* 6. *c.* 4. §. 2. Quòd si hæres Sacerdoti, quem putabat probum, & fidelem, solverit stipendium pro missis legendis, licèt posteà dubitet, an eas legerit, videtur satisfeciisse, quia Defunctus censendus est tantùm voluisse obligare ad dandum stipendium, & curandum prudenter, quantum in se est, ut missæ fierent, *Bardi*, *Schild.* suprà.

§. 22. Legatarius, si tantum sit executor vel pro- 150
curator, tradere debet, quidquid legatum est pro largiori stipendio Missarum; E contrà si esset verè legatarius, legans, qui voluit, v. g. singulis mensibus pro se unam Missam legi & ad hoc destinavit stipendium superfluum, præsumitur erga legatarium exercuisse liberalitatem, & donationem, hinc secundùm Pasq. *q.* 971. satisfaciet, si minore stipendio Missas procuret. Videri potest Pasq. *à q.* 978. usque ad 1116. ubi plura habet de legatis missarum. Occasione autem hìc dictorum resolvuntur seqq. casus.

§. 23. Titius testator assignatis 100. florenis vo- 151
luit fundari in perpetuum missam anniversariam pro se in Monasterio aliquo, Superior Monasterii re malè intellecta indixit Religiosis tot missas statim legendas, quot respondebant isti pecuniæ, *Quæritur*, an hæres teneatur solvere hæc stipendia & nihilominus fundare anniversarium? *Resp.* 1. Si hæres non fecerit legi eas missas, non tenetur pro eis lectis dare stipendium, sed sibi imputet ille Superior, quòd sine mandato processerit. 2. Si hæres fecerit legi, aut, licèt non fecerit legi, si pro lectis missis dare velit stipendia, nihilominus tenetur instituere anniversarium, quia ita voluit testator. *Nec obstat*, quòd utilius esset testatori statim pro eo legi tantò plures missas, *nam* hoc dato, non est in potestate hæredis, imò nec semper Episcopi, piam testatoris voluntatem convertere in aliquid etiam evidenter melius, sed fieri debet determinatè hoc, licèt minus bonum, quod testator

fieri voluit, ut dixi l.4.n. 841. & 847. maximè cum potuerit hoc intendere, tum ad retinendam semper sui memoriam, tum ut secuturis temporibus missa illa annuè legenda prodesset, si non ipsi, saltem aliis de familia mortuis aut morituris.

152 § 24. Cajus ex legato 100.florenorum tenebatur curare singulis annis missam pro testatore, & quia id per plures annos non potuit ob bellica tempora, *Quæritur*, an nunc, dum potest, teneatur facere suppleri anniversaria prætermissa? *Resp.* Gob. *tr.3.post n. 636. litt. B. & seqq.* negat, 1. quia tale legatum habet se sicuti res locata, uti notant *Barb.* & alii, si autem res locata nullos afferat fructus, non debetur ulla pensio, ergo. 2. Talis obligatio curandi annuam missam videtur esse affixa anno, ergo hoc elapso, illa desinit. 3. Talis videtur esse prudens interpretatio voluntatis in testatore, quòd tantū intenderit obligare ad annua stipēdia missæ, quando ex tali legato provenirent.

153. §. 25. Quando quis à 10. hominibus accepit 10. stipendia, an teneatur sigillatim pro singulis applicare singulas missas, an verò sufficiat in confuso: Item, an possit in 10. illis missis applicare singulis decimam partem cujusvis missæ, dicetur n. 209. & 210.

154 *Q.* 13. *An sit mortale unicam Missam omittere, quam quis promisit, vel pro qua accepit parvum stipendium, v. g. quatuor blaffardos?* R. De missa, quam quis promisit, dixi l.3.p.2.n. 775. non esse mortale; ubi addidi, si quis seorsim tribus missam promiserit, non satisfacere legendo unicam, sed teneri pro singulis unam legere. Quod attinet ad missam debitam pro stipendio, Fagund. Pelliz. Herincx, Gob. *n.* 489. Sporer *n.* 353. negant esse mortale unicam negligere, quia stipendium illud non est materia requisita ad mortale, ex illa autem videtur debere colligi magnitudo peccati. E contrà affirmant communiùs & probabilius alii, quia quamvis stipendium non sit materia tanta, valor tamen missæ, qua privatur alter, est maximus, neque stipendium habet se ut pretium æquale missæ, nam missa est intrinsecè invendibilis, & infiniti valoris; sed Sacerdos, Ecclesia indulgente, pecuniam acceptans veluti stipendium pro sustentatione vitæ, absolutè se obligat ad opus hoc maximè utile præstandum illi, qui stipendium dedit. Ita Aversa. *q.* 11. *s.* 18. Steph. *n.* 72.

155 *Q.* 14. *Quisnam censeatur diu differre Missam, ad quam obligatur, ideóque peccare mortaliter?* R. Ledesm. Villal. Dian. Lugo *De Euch. d.* 21. *n.* 34. dicunt, eum non diù differre, qui non ultrà 50. aut 60. dies, qui autem ulteriùs; dicunt differre diù: Pasq. *q.* 965. dicit vix plùs concedi à quoquam, quàm tres menses. Si autem ultrà terminum concessum adderentur duo vel tres dies, dicit adhuc moraliter pertinere ad hunc terminum: sed Gob. *n.* 597. Steph. *n.* 69. Sporer *n.* 354. rectè dicunt attendendum esse ad circumstantias, præsertim causæ, ob quam missa petitur, nam pro defuncto debet minùs differri quam pro vivo, cum defuncto gravissimum incommodum sit, carere levamento in tantis pœnis. Item pro necessitate, quæ non patitur moram, v. g. pro præsenti periculo vel infirmitate adhuc minùs differri debet, uti patet, & ideò Urbanus in suo decreto mandat, non plures Missas suscipi, quàm quæ *intrà modicum tempus* possint legi.

156 *Q.* 15. *Quid faciet, quid obligatus est ad plurimas Missas, quas omnes legere non potest?* R. Imprimis pecavit tot onera acceptando, sed supposito quòd acceptarit, & stipendia illa consumpserit, ita ut nec per se possit satisfacere, quia alias Missas legere debet, nec per alium, quia pecuniam non habet, conari debet satisfacere, quantum potest v. g. gratis petendo Missas ab aliis, si speret obtinere, quotidianas Missas offerendo, ut prosint, quantum possunt illis, à quibus accepit ea stipendia, applicando his, quantùm licitum erit, partem specialissimam sibi competentem, item eisdem applicando alia opera, v. g. jejunia, orationes, demum etiam audiendo missas eisque applicando fructum.

Q. 16. *An Sacerdos possit pro libitu disponere de illis pecuniis, quas accipit pro stipendiis Missarum?* R. Posse, quia sunt velut fructus propriæ industriæ & laboris. *Nec obstat*, quòd fortè ad tales Missas stipendiatas teneatur ex Capellania collativa, *nam* adhuc hi fructus computantur inter bona quasi patrimonialia, quia acquiruntur ratione proprii ministerii. Sot. Nav. Vasq. Sanch. Lugo, Diana, Quarti, Henao suprà Parergo 30. 157

Q. 17. *Quid dicendum sit de illo, qui accepto stipendio non legit Missam talem, qualis petita est, aut non eo tempore?* R. § 1. Quamvis multi cum Aversa *q.* 11. *s.* 18. §. *primò* dicant eum satisfacere, qui legit Missam de tempore, quando ad hanc magis afficitur, licèt stipendium acceperit pro Missa de *Requiem*: idemq; admittant Nav. & Lugo *de Euch. q.* 21. *n.* 35. Si non ideò acceperit stipendium notabiliter majus; tùm quia est eadem substantialiter Missa, tùm etiam, quia alia Missa est longior, & devotio Sacerdotis erit major, ideóque addunt, nequidem opus esse addere collectam pro defuncto; tamen rectè dicit Gob. *à n.* 617. si expressè promiserat Missam de *Requiem* sub veniali ad hanc teneri, si per Rubricas tum possit legere, maximè quia Missa de *Requiem* ex se magis prodest defuncto, pro quo fiunt speciales orationes etiam nomine Ecclesiæ, Pasq. *q.* 187. 158

§. 2. Quando per Rubricas non est licitum legere talem Missam, qualis petita est, per missam de tempore obtinetur omnis indulgentia, quæ obtineretur per Missam de *Requiem*, uti statuerunt Alex. VII. die 5. Aug. 1662. & Clemens IX. die 23. Sept. 1669. ut sic nulla superesset causa rationabilis mutandi ritum ab Ecclesia præscriptum. 159

§. 3. Ad quid sit obligatio quando fundatio præscribit Missas certo loco vel tempore, in certo altari vel certis diebus legendas, dixi l. 4. à n. 823. Putantque Henriq. Graff. Bon. Barb. *de pot. Episc. alleg.* 29. *n.* 8. Episcopum posse concedere, ut missa in alia Ecclesia vel altari celebretur, si ob justam causam celebrari nequeat in loco constituto. Quòd si corruat vel impediatur templum, in quo tenebatur legere, si Missæ intendebantur principaliter ob splendorem & cultum loci, erit interim liber ab onere missarum. E contrà si principaliter intendebatur missa ipsa, ad hanc tenebitur in alio templo, Aversa *s.* 18. *in fine.* 160

§. 4. Si Sacerdos teneatur, v. g. ter de septimana legere, potest hac septimana anticipare pro sequente, nisi aliud colligatur ex verbis, vel fiat in præjudicium alienum, ut si Missæ essent constitutæ pro commoditate audientium aut pro necessitate successivè morientium; tum etiam anticipari non possent, P. Nav. Bon. Lugo & alii cum Aversa §. *septimò.* 161

Q. 18. *Quid notandum sit circa Sacerdotem, qui ex voto tenetur ad Missam?* R. §. 1. Qui vovit legere Missam, v. g. in gratiarum actionem, quia sanatus est, non potest pro tali Missa acceptare stipendium, quia intentio voventis præsumitur esse, quòd velit Deo dare Missam non aliunde debitam ex justitia, Pasq. *q.* 875. & 954. 162

§. 2. Si quis sibi reservasset applicationem fructus Missæ, quam vovisset, docet *Pasq.* posse quidem hunc gratis applicare, cui volet, sed non ideò posse acceptare stipendium, quia videretur fructum illum vendere: Contradicit *Tamb.* quia non ideò vendit, sed pro ejus applicatione acceptat stipendium, uti pro tota Missa acceptare posset. 163

§. 3. Pro-

164 §. 3. Probabile est votum etiam unius Missæ obligare sub mortali, quia materia hujus voti, quæ negligitur, est gravis, cùm sit oblatio Sacrificii infiniti Deo debiti, cultus Religionis perfectissimus Deo debitus, actio præcipua, per quam homo uniri potest Deo &c. Pasq. *q.* 871.

165 §. 4. Votum Missæ tum tantùm est personale, & impleri debet à vovente ipso, quando promittitur propria actio voventis, uti si voveat ex motivo, ut ipsemet colat Deum, si autem voverit ex alio fine, qui per quodcumque Sacrificium obtineri potest, erit votum reale, licet promiserit se celebraturum, & poterit impleri per alium. Quòd si nequeat se reflectere, an cogitarit de propria actione censeri debet votum personale, quia si celebrationi non sit appositus finis extrinsecus, votum sistit in actione propria, Pasq. *q.* 872.

166 §. 5. Potest per unam eandemque Missam satisfieri, imprimis voto, & promissioni, si promittens respexit ad fructum; nam ratione voti non debetur fructus; non tamen poterit, si petita sit Missa pro gratiarum actione vel cultu divino. Deinde duplici voto, si unum illorum respiciat tantùm Dei cultum, alterum tantùm fructum, uti semper est, quando votetur pro animbus: Unde si tertio vovissem Missam ratione tantùm impetrationis alicujus beneficii, imò & quarto pro impetranda remissione peccatorum, putat Pasq. *q.* 875. me per unam & eandem Missam quatuor votis satisfacturum: dicitque hoc valere, sive vota ab uno sive à pluribus sint emissa: sed notanda sunt dicta l. 3. p. 2. n. 775. & spectanda est intentio voventis. Hoc certum est, si utrumque votum eundem finem respiciat, non satisfieri utrique per unam Missam.

167 *Q.* 19. *Quanta sit obligatio ad Missas, quas Episcopus in ordinatione injungit Presbyteris, & quando hi primam Missam legere teneantur?* R. Utrumque resolvetur, quando de Sacra[illegible] Ordinis.

168 *Q.* 20. *Quanta sit obligatio Sacerdotum Societatis JESU ad Missas, quæ ipsis quandoque præscribuntur legendæ?* R. §. 1. Quamvis peccare possint Superiores, si curam non habeant, ut scribantur, qui Missas legant vel orent, præsertim pro fundatoribus, & benefactoribus, uti responsum Romæ Anno 1604. tamen particulares, qui Missas & preces præscriptas non persolvunt, per se loquendo, non peccant. Suar. *de Relig. To.* 4. *t.* 10. *l.* 8. *c.* 2. *n.* 5. Hautin. *in patroc. Def. l.* 2. *n.* 612. Non videntur tamen satisfacere Regulæ, qui Missas à se legendas legunt per alium, ut responsum, Roma Prov. Rheni sup. 1634. Attamen satisfacit cras lecturus primitias, si hodie pro obligatione, cujus tempus advenit, oret Rosarium, uti eidem responsum 1639. sed debere non in genere sed in particulari applicari pro illis necessitatibus, quibus assignatæ sunt, responsum est Prov. Venetæ 1619.

169 §. 2. Missæ pro Defunctis ejusdem Ordinis, sive inducantur per generales constitutiones Ordinis, sive ex particularibus Regulis, sive ex Superiorum præscripto, non obligant sub mortali, quia ista tantùm habent rationem simplicis mandati, nisi accedat præceptum obedientiæ: & hoc esse omnium judicium ac usum, dicunt Pellizz. *Tom.* 1. *t.* 5. *c.* 9. *n.* 12. Hautin. *n.* 617. Quoad Missas, quas in aliis Ordinibus præcipiunt, Superiores accepto pro eis stipendio, vide dicenda n. 214. An autem Sacerdotes Societatis JESU possint legere Missas pro stipendio, dixi l. 4. à n. 136. & hìc n. 146.

170 §. 3. Ex Decreto Octavo Congreg. generalis XIII. Missa & Rosarium pro Defunctis in Societate legitur post festum Animarum prima die non impedita per Ecclesiam, non obstante renovatione studiorum, ut testatus est, qui Congregationi illi interfuit; & ita observatur hìc Coloniæ. Cantatur tamen pro renovatione Missa votiva de Spiritu Sancto. Pro Defunctis verò reliquæ Missæ leguntur, prout festo Animarum, omisso in orationibus *famularumque*. Et pro renovatione studiorum Missa, & Rosarium indicuntur pro die sequente.

§. 4. Missas affixas tempori, nempe quæ legi debent omni mense vel septimana, præponendas esse illis, quæ legendæ sunt pro Defunctis, respondit P. Mutius Germaniæ 1634. quod puto intelligi, si aliàs essent omittendæ, nam si omnes legi possint intrà statutum tempus, charitas videtur suadere, ut priùs juventur Animæ magis indigentes. 171

§. 5. Missæ dictæ, quarum obligatio affixa est certo tempori, v. g. septimanæ, si eo tempore ob impedimentum, v. g. ob morbum, non potuerint legi, non necessariò posteà supplendæ sunt sed omitti possunt, uti responsum Prov. Rheni 1585. E contrà si ex negligentia sint omissæ, debent suppleri, Prov. Tolos. 1629. 172

§. 6. Si Missæ vel preces indicantur ad tempus indefinitum, satis est dicere ad duos vel tres menses Prov. Neapol. 1603. 173

Q. 21. *Quid præterea notandum sit circa alias obligationes Sacerdotum circa Missas?* R. seqq. §. 1. S. T. 3. *p. q.* 82. *art.* 10. Sot. Sylv. Suar. Laym. Regin. aliique cum Aversa *de Euch. q.* 10. *s.* 1. §. *Quartò*, docent Sacerdotem, etiam non habentem curam animarum, peccare per se loquendo, si non celebret in præcipuis festis, & maximè illis diebus, quibus fideles communicare solent, ideóque Inn. III. Cap. *Dolentes de celeb. Miss.* inter peccata Sacerdotum numerat, quòd vix quater in anno celebrent; & hæc sententia est communior ac fine dubio probabilior, inquit Sporer *n.* 461. quamvis contradicant *Angles, Bonac. Diana, Lugo, Tamb.* Ratio nostra est, tum quia talis non utitur gratia sibi concessa, quod est contra verba Apostoli 2. ad Cor. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, tum etiam, quia eam obligationem satis interpretatur sensus communis & praxis Sacerdotum timoratorum. Nec verum est, quod S. Hieron. presbyter Missas non celebrarit, *nam* oppositum demonstrat Surius in ejus vita n. 22. Quale autem peccatum censeri possit, si hoc negligatur, refert duplicem sententiam *Busemb.* suprà. 174

§. 2. An ille, qui ex vi fundationis tenetur legere Missas, ad hoc teneatur per seipsum; & quæ tum sit obligatio, quando per seipsum tenetur, dixi l. 4. à n. 817. An autem Parochus teneatur aliquando celebrare pro suis parochianis, dixi l. 3. p. 1. n. 762. Et circa hoc refert Genettus post tractatum de Sacrificio, Decretum S. Congr. 10. Maii 1681. declarans teneri applicare, *si reditus pingues sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem diebus festivis.* Videtur autem satis certum cum Pasq. *q.* 138. contra *Thom. Hurt.* quemvis Sacerdotem nec ex charitate nec ex officio teneri applicare Missam vel partem fructus pro quovis, qui vel petit vel optat; ut sibi prosit, quantum potest: non enim est fundamentum talem obligationem imponendi celebranti, cui liberum est determinare personas, quibus Sacrificium prosit. 175

§. 3. Capellanus obligatus per seipsum celebrare, secundùm Castrop. *t.* 13. *d.* 1. *p.* 6. *n.* 25. contrà *Barbosam* & alios, quantocumque tempore legitimè impeditur, v. g. morbo, captivitate, non tenetur curare vel supplere missas omissas, quia excusatur per impotentiam, non aliter ac Beneficiatus non potens residere, non ideò privatur fructibus. *Sententiam* illam admittunt *Laym.* & alii cum *Henao à numer.* 1608. si non habeat *alia bona*, ex quibus honestè sustentetur, 176

sustentetur, alii autem Doctores brevius tempus, & satis timidè duos menses concedunt. Videri potest Pasq. *q.* 1123. *à. n.* 7.

177 §. 4. Conficiens Eucharistiam debet esse liber, non tantùm ab omni censura, sed etiam ab omni peccato mortali, secundùm dicta in p. 1. n. 86. & 102. Attamen est satis ad vitandum mortale, si conteratur ante consecrationem, secundùm dicta ibidem n. 88. & 97. Quòd si consecret & præterea communicet in mortali, contrahit plures specie malitias secundùm dicta ibidem n. 93.

178 §. 5. Quid faciendum sit in casu, quo in Missa recordatur vel committit mortale, sufficienter explicat *Busemb.* relatus *p.* 1. *n.* 511. Hoc tamen adde, si non possit nec confiteri nec conteri nec Missam abrumpere sine gravi infamia vel scandalo, gravissimè peccare, si proferat verba consecrationis sine intentione consecrandi, aut si elevet hostiam non consecratam, & quidem peccat graviùs, quàm si in mortali consecraret, uti dictum est in eadem p. 1. n. 161. Undè in hoc casu secundùm Tamb. *de comm. c.* 1. *n.* 75. & alios apud *Busemb.* suprà, ordinariè loquendo, etiam non teneretur desistere vel simulare deliquium animi, quia saltem minister violentè suspicaretur malum ipsius statum, ideóque non peccaturum mortaliter, si pergat, docent Vasq. Hurt. Tamb. Lugo *de Sacram. d.* 9. *n.* 8. *& de Euchar. d.* 14. *n.* 3. Gob. *t.* 3. *n.* 354. eò quòd tanta necessitas videatur excusare irreverentiam, quod licèt probabile dicat *Diana*, tamen non omninò consentit Bosco *de Sacram. d.* 1. *s.* 1. *n.* 58. Aversa *autem q.* 8. *s.* 5. dicit casum non posse moraliter contingere, quia quisque cum gratia Dei potest contritionem elicere. Quòd si recordaretur mortalis, non quidem confessi, attamen commissi ante ultimam contritionem vel confessionem, posset pergere sine nova contritione, uti dictum est *p.* 1. n. 542.

179 §. 6. Celebrans Missam debet proferre verba cum attentione aliqua, secundùm dicta p. 1. n. 84. & de attentione iterum dicetur hìc à n. 443. Deinde etiam proferre debet cum intentione debita, de qua etiam dictum est p. 1. à n. 54. & 457.

180 §. 7. Quando agitur de valore Sacramenti conficiendi, non potest sequi sententiam quamtumvis probabiliorem vel etiam probabilissimam omissa tutiore; secundùm dicta p. 1. à n. 104 Nec licitum est ei adhibere materiam vel formam dubiam, quando potest haberi certa, secundùm dicta ibidem n. 122.

181 §. 8. Celebrans potest in aliquibus casibus dare laico partem majoris suæ hostiæ, secundùm dicta p. 1. n. 508. An autem unquam licitum sit consecrare vel sumere unam speciem sine altera, dicetur à num. 547. Præterea an aliquando licitum sit consecrare vel sumere unam speciem sine altera, dicetur à n. 547. Præterea an aliquando licitum sit consecrare sine altari, sine sacris vestibus, &c. dicetur à n. 338. & jam de hoc aliquid dixi p. n. 1. 611.

182 §. 9. Quandonam celebrare liceat non jejuno, colligitur ex dictis p. 1. à n. 582. & à n. 611. Quid autem fieri possit, si quis dubitet, an fregerit jejunium, dixi ibidem à n. 575.

183 §. 10. An Sacerdos possit eadem die post commissam pollutionem vel fornicationem legere Missam, colligi potest ex dictis de Communione, p. 1. n. 550. nam S. Bonav. Gers. Sot Suar. Vasq. Con. aliique cum Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *à n.* 14. rectè dicunt post veram de eo peccato pœnitentiam posse legere, si nulli manserint maligni effectus quales sunt perseverans commotio carnis, perturbatio animi & phantasiæ, defixio imaginationis in actu vel voluptate præterita &c. cum his enim celebrare foret s. item veniale, hinc quia ista omnia difficulter abe[illegible]int, consultum est ob humilitatem & reverentiam tanti Sacramenti eo Die à Missa abstinere, nisi adsit justa & peculiaris ratio celebrandi. Nec plus evincunt illa, quæ fusè adducit Wendroch. *ad Epist. 5. Provinc. Montaltii Not.* 1. *s.* 3

184 §. 11. Quamvis p. 1. n. 438. dixerim potiùs abrumpendam esse missam, saltem ante Canonem, quàm vinum consecrandum sine admixta aqua, tamen cùm secundùm ibidem dicta n. 437. admixtio illa fiat ex præcepto tantùm Ecclesiastico, probabile est cum Ledesm. Martinon Henao *n.* 1662 si v. g. in urbe obsessa absolutè haberi non posset aqua & cives graviter egerent Communione, aut aliquis alioqui sine Viatico decederet, licitam fore consecrationem. *Nec obstat*, quòd Leander dicat oppositum sibi esse certissimum, *nam* per ipsius dictum vel sensum non eliditur authoritas & ratio opposita, nempe quòd tanta necessitas soleat excusare à præceptis purè humanis. An autem ob admixtionem aquæ interrumpi possit forma consecrationis, dicetur n. 251.

185 §. 12. Celebrans tenetur complere Sacrificium, non tantùm supplendo consecrationem illius speciei quæ fortè invalidè facta est, uti dicetur à n. 535. & 547. sed etiam sumendo saltem partem utriusque speciei à se consecratæ. Hinc volens renovare hierothecam male faceret imponendo hostiam à se consecratam & sumendo illam, quæ in hierotheca fuerat, sic enim non sumeret hostiam de suo Sacrificio, uti rectè Præp. Lugo, Diana, Dicast. *De sacrif. d.* 1. *n.* 201. Pasq. *q.* 40. contra *Henriq. Fagund.* & alios: Itaque consecrare debet duas, quarum unam etiam sumat cum illa, quâ accipit ex hierotheca renovanda.

186 *Q.* 22. *An Sacerdos laborans morbo caduco vel lepra licitè celebret?* R. §. 1. Laborans morbo caduco cum spuma aliisque horrorem incutientibus, quâvis antequam labatur, præsentiat casum, celebrare non debet, nisi probatione per annum durante ita curetur, ut numquam [illegible] sic casurus. Neque sufficit, quòd rarò cadat vel rarò casurus putetur, si enim adhuc aliquando sic cadat, est irregularis, & peccat mortaliter, si celebret. Nav *c.* 27. *n.* 203. & alii, ex cap. *In litteris* 7. *q.* 2. Quòd si rarò caderet, id est, semel in mense, inquit *Tamb.* & sine spuma talibusque signis, non posset quidē ordinari, attamen ordinato posset permitti celebratio, dummodò assistat alius, qui juvet & suppleat, si quid adversi accidat, Less. *in auct. v. Missa cas.* 7. Gob. *t.* 3. *n.* 819. ex Cap. *Nuper.*

187 §. 2. Si cui jam ordinato superveniat lepra, licitè leprosis celebrat privatim, vel coram alii publicè, quibus etiam licitè administrat Sacramenta, *Tam.* Gob. *n.* 831.

188 *Q.* 23. *An liceat legere Missam siccam & Gregorianas? R.* §. 1. Missa sicca dicitur, in qua non fit consecratio, sed tantùm fiunt aliæ solitæ cæremoniæ, v. g. apud navigantes in mari: Et licèt aliqui cum Pasq. *q.* 234. putent talem Missam esse illicitam, saltem quia est aliquid insolitum, ac etiam ideò prohibeatur in Synodo Colonienſi anno 1662. p. 91. tamen alii probabiliter dicunt esse, per se loquendo, licitam, nam sunt orationes, lectiones & cæremoniæ de se piæ ac devotioni conformes; ideóque etiam Gob. *n.* 71. dicit pueros vel quemcunque alium non esse reprehendendum, qui sine vestibus Sacerdotalibus piè & decorè recitat, quæ in Missa latina dicuntur à Sacerdote, exceptis verbis consecrationis. An autem aliquando licitum sit consecrare in navi per aquas vecta, dicetur n. 261.

189 §. 2. Missæ Gregorianæ sunt 30. Missæ de Requiem, quæ celebrantur sine interruptione dierum ab eodem Sacerdote: inde autem habent initium, quòd S. Greg M. rescripserit Abbati *Pretioso*, ut per se

vel

vel alium illas legeret pro aliquo Monacho defuncto uti refert Gob. *n.* 731. ubi cum aliis notat, non esse opus, ut legantur ab eodem, neque ut sint de Requiem : imò Beja *p.* 1. *Cas.* 23. dicit solam ultimam esse de Requiem, reliquas de aliis, quas omnes ibi enumerat; additque plura, quæ à celebrante facienda sunt ante & post Missas, ut censeantur Gregorianæ. Et has legere aut curare legi, est, per se loquendo, licitum, dummodò vis non ponatur in tali præcisè numero aut in hac vel illa conditione requisita. Quamvis autem aliqui putent eas habere majorem cæteris efficaciam, tamen non apparet, unde illa esset, Pasq. *q.* 296. Denique Aversa *q.* 11. *s.* 18. §. *primò*, etiam dicit eum, qui eas legendas suscepit, non teneri continuatè legere per 30. dies : Excipe tamen, nisi accepto stipendio hoc ipsum expresè appromiserit, secundùm dicta n. 158. Plura de 30. Missis Gregorianis videri possunt apud Raynaudum *in Heter. tom.* 15. *p.* 2. *s.* 3. *punct.* 4. *q.* 9.

190 *Q.* 24. *Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus?* R. Sacerdos specialiter tenetur excludere scrupulos in Sacrificio, quia summè dedecent hunc Ministrum non tantùm nomine sed etiam in persona Christi operantem, inhonorant hanc divinissimam actionem, pariunt apertum scandalum populo, cujus etiam devotionem maximè turbant. Ut autem hos scrupulos emendet poterit Sacerdos sequentibus principiis se dirigere.

191 §. 1. Si laboret circa intentionem consecrandi, notet doctrinam, quam dant omnes cum Pasq. *q.* 322. Gob. *tr.* 3. *n.* 783. Herincx. *d.* 3. *n.* 32. Bosco *d.* 1. *s.* 7. *n.* 115. nempe vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti & alicujus conscientiæ desit intentio sufficiens, nam secundùm dicta p. 1. n. 58. & 59. sufficit intentio virtualis, directa & exercita, contenta in actionibus, quibus lavat manus, apponit hostiam, induit vestes, accedit altare &c. hæc enim faciendo vult aliquid, & [illegible]liud quàm sacrificare & consecrare, uti hactenus solit[illegible]s est velle per ista. Neque illa intentio impeditur at[illegible] revocatur per distractionem, Henriq. Reg. Tamb. Burg. *cent.* 2. *cas.* 62. ergo irrationabiliter ex hac parte dubitat posteà de valore consecrationis.

192 §. 2. Securissimus erit quoad intentionem, si ante Missam recitet orationem : *Ego volo celebrare Missam &c.* quòd si faciat, etiam lucrabitur 50. annorum indulgentias ex concessione Greg XIII. Postmodùm in Missa non cogitet de intentione renovanda, nec dicat, nequidem internè, volo consecrare &c. sed certus sit, hoc ipso quòd timeat, ne non habeat intentionem sufficientem, se habere sufficientissimam, Caj. Suar. Tamb. Gob. *n.* 787.

193 §. 3. Assuescat verba consecrationis dicere non altiùs quàm reliqua, quæ secretè dicuntur : & quamvis fortè ob strepitum vel turbationem non advertit se illa proferentem, non ideò repetat quicquam, si enim moverit linguam & organa vocis, uti solet, quando audibiliter loquitur, imprudenter timet, ne nunc non satis expresserit. Accedit, quòd mutatio vel abscissio alicujus etiam syllabæ rarò invalidet formam, uti dictum p. 1. n. 360. unde ex eo capite adhuc non esset ipsi licitum quicquam repetere

194 §. 4. Proferat verba consecrationis sine timore, nec vi quasi exprimens, nec halando super hostiam vel in calicem, in hoc enim est irreverentia, nec ullum nutum det capite, sed continuatè & immotus proferat, sicuti profert alia : certum enim est, quòd nimia sollicitudo rectè proferendi causa sit non proferendi rectè.

195 §. 5. Caveat, ne verbum ullum repetat, quamvis timeat, ne non bene expresserit, uti jam insinuatum est, hoc enim foret peccatum secundùm dicta p. 1. n. 129. Et de hoc sic scribit Gob. *n.* 94. *Qui ita unum verbum bis terve repetunt, per se loquendo peccant graviter, quia inducunt novum ritum circa actionem dignissimam, mutant formam Sacramentalem, repræsentant nobis Christum ridiculè loquentem : Credo tamen*, inquit, *tales coram Deo non peccare graviter, quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam.*

§. 6. Si incidat apprehensio, quasi per Tò *meum* 196
vel *mei* significet aut significarit corpus vel sanguinem suum Sacerdotis, aut ne per Tò *hic* velit aut voluerit significare in hoc loco, quamvis hoc ipsum vivaciter imaginetur, dum consecrat, nihilominus pergat contemnendo, nec curet formare intentionem contrariam, certum enim est illum habere & habuisse intentionem generalem prævalentem significandi hoc, quod significari debuit, quod etiam inde evincitur, nam certum est ipsum potiùs voluisse proferre, sicuti proferri debent, quàm voluisse peccare mortaliter, voluisset autem peccare mortaliter, si exclusa intentione generali maluisset proferre in sensu illo, de quo scrupulum habet, ergo certus est se habere & habuisse intentionem sufficientem.

§. 7. Si distractus fuerit, & posteà nesciat, an 197
non fortè omiserit aliquid, imò si non recordetur se consecrasse, non debet ex hoc turbari, inquit S. Th. *q.* 83. *a.* 6. *ad* 5. non enim, qui multa dicit recordatur omnium, quæ dixit, hinc monent omnes cum Pasq. *q* 117. *n.* 4. ut pergat & supponat se omnia debitè dixisse, & fecisse, nam solet ista facere sine errore, & ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.

§. 8. Si circa aliquid fiat quasi perplexus, & nes- 198
ciat, an hoc an illud facere debeat, non hæreat, sed statim faciat, quod primo ipsi videtur esse melius, quod autem semel resolverit, in eo permaneat, nec rursus examinet, an bene statuerit, sed pergat. Et quamvis posteà reperiat se errasse, non ideò debet inquietari, quia bona fides excusat nec debebat hærere, tum ne in populo causaret admirationem, tum etiam quia debet in ista actione se ostendere irreprehensibilem, uti dicetur n. 533.

§. 9. Timor, ne sit in malo statu, excuti debet se- 199
cundùm principia communia, de quibus dictum est L. 1. à n. 546. hinc generaliter loquendo judicet se non amisisse gratiam, quamdiu indubitanter & certò non scit se amisisse.

§. 10. Denique *in his aliisque ejusmodi exquirat* 200
judicium probi, prudentis & docti Confessarii, cui se totum humiliter aperuerit, quod hic dicet faciendum, illo stet, quamtumcumque remordeat conscientia vel obluctetur judicium proprium, hæc enim debet deponere. Atque hoc ultimum est universale, tutissimum simulque facillimum remedium, uti dictum est l. 1. n. 540.

DUBIUM II.

Cujus sit applicare fructum Sacrificii.

RESP. Solus Sacerdos offerens validè *id facit*, „ 201
per suam intentionem : quia est actus potesta- „
tis sacerdotalis. Ita commun. Suar. Lug. *d.* 19. *n.* „
511. *&c. Unde resolves* ; „

I. Is validè applicat, etsi peccet *sacrificando* vel „
applicet contrà voluntatem *Superiorum*. Ita Suar. „
Laym. Dian. Lug. *l. c.* contrà *Nav. Ledesm.* & alios; „
quorum sententiam *probabilem* dicit Dian. *p.* 2. „
t. 14. *R.* 72. „

II. Sacrificium, *quod* neque formaliter neque „
virtualiter ulli *applicatur*, vel ante vel in ipsa con- „
secratione *saltem* secundæ speciei, non potest „
posteà ulli applicari saltem adæquatè ; quia „

„ producit effectum, quando existit, neque is sus-
„ penditur: ideóque nec licet accipere stipendium
„ pro Missa præterita V. Laym. *l. 5. t. 5. c. 2.*
„ Dixi, *vel ante*: quia non requiritur, ut applica-
„ tio fiat in ipso Sacrificio; sufficitque, si pridie fac-
„ ta sit etsi ipso die de ea non cogitet. Bon. *d. 4. q.*
„ *3. p. 2.* ex Suar. & Dian. *R.* 47. contrà *Vasq.*
„ III. Si nulli applicetur, vel incapaci, fructus ma-
„ net in thesauro Ecclesiæ, ut docet *Suar.* vel cedit
„ ipsi Sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur specia-
„ liter offerre, quòd ita implicitè censeatur intendis-
„ se. Ita Laym. *c. 2. v.* Lug. *n. 225.*
„ IV. Applicatio sub conditione jam impleta, est
„ valida v. g. ad intentionem, quam habuit hodie
„ Superior, non autem sub conditione futura con-
„ tingente, v. g. applico illi, cui Titius interrogatus
„ voluerit; vel ei qui priùs morietur, vel qui primo
„ stipendium offeret. Ita Suar. *in 3. p. t. 3. d. 79. s.*
„ 9. Laym. *l. c.* Dian. *R.* 15. Lugo *n.* 209. contra
„ Bon. *q. ult. p. 7. §. 5.* qui tamen ipse in praxi dissuader.
„ V. Non satisfecit, qui te mortuum putans, Mis-
„ sas, quas pro defuncto teneretur, celebravit.
„ VI. Sacerdotes Societatis non satisfaciunt, cele-
„ brando pro defunctis per anticipationem; nisi ta-
„ men jam mortui sint, etsi posteà promulgentur.
„ Laym. *l. c.*
„ VII. Non omnes Sacerdotes tenentur die anima-
„ rum applicare Missam pro omnibus defunctis.
„ Tamb. *l. 3. de Exp. Sacr. c. 3. §. 2.* contra praxim,
„ & Gavant. *p. 4. t. 15.*
„ VIII. Missa celebrata in altari privilegiato pro
„ defunctis, non suffragatur illis, nec satisfit indulto,
„ nisi sit de Requiem, Dian *p. 4. t. 4. R. 233.* ex
„ *declar. Card. & p. 9. tr. 2. R. 8.*

ADDENDA.

202 *Quæst. 25. Quid præterea notandum sit circa illum, à quo & pro quo applicari potest Missa?* Resp. §. 1. Quamvis *Busemb.* dicat solius Sacerdotis esse applicare Missam, tamen tenendum est, quod dixi n. 21. nempe etiam illos, qui Missæ assistunt; vel ad eam positivè cooperantur, posse alteri applicare hoc quod ad ipsos spectat, cùm sint simul offerentes, secundùm dicta n. 20.

203 §. Missa potest applicari pro illis omnibus, pro quibus à n. 24. recensui, posse offerri.

204 *Q. 26. Quid addendum sit circa intentionem pro applicanda Missa?* R. seqq. §. 1. Requiri intentionem applicantis, ut Missa prosit uni potiùs, quàm alteri, dixi n. 50. attamen non requiritur intentio formalis & explicita, sed sufficit virtualis & implicita; hinc si Religiosus nemini applicavit suam Missam, censetur esse voluntas, ut prosit illis, pro quibus sacrificari mandavit Superior. Gav. Dian. Gob. *t. 3. n. 662.* Steph. *t. 3. d. 4. n. 6.*

205 §. 2. Etiam sufficit intentio habitualis, id est, intentio semel posita & non revocata, quamvis ante 10. annos præcesserit, Suar. Con. Bon. Tamb. Gob. Quartus, Steph. Pasq. *q.* 162. contra *Vasq. Gran.* & alios. Ratio est, quia applicatio Missæ est veluti donatio de præsenti, sive assignatio rei futuræ quæ fieri potest anticipatò & sub conditione, qua posita sortiatur effectum.

Obj. Applicare Missam est illam offerre pro aliquo, sed ad offerendum non sufficit intentio habitualis, secundùm dicta *p. 1. n. 56.* ergo. R. Applicare missam est illam offerre, donando & transferendo jus ad illius fructum, C. est illam offerre actu, exhibendo Deo sacrificium vel consecrando, N.

Inst. Sacerdos applicat missam, ut minister Christi, sed non est minister Christi, nisi quando actu exhibet sacrificium, ergo. R. Applicat ut minister Christi, officio, & potestate & Caractere. C. ut minister exercitio, actu & exhibitione suæ functionis, N.

§. 3. Etiam probabile est secundùm Laym. Gob. 206
n. 164. Pasq. suprà sufficere intentionem interpretativam, id est, illam, ad quam velles sacrificare, si cogitares de intentione facienda, sic enim benignè præsumimus de acceptatione Dei, qui novit nostri animi comparationem. Hinc probabiliter dicit Pasq. *q.* 167. si scias aliquem habere onera Missarum, te posse etiam illo inscio valide applicare juxta illius intentionem, quia habebit voluntatem saltem interpretativam adimplendi obligationes suas.

§. 4. Communis sententia est, intentionem fieri 207
debere ante consecrationem saltem secundæ speciei, quamvis Lugo, Tamb. Pasq. *q.* 163. putent, sed minùs probabiliter, satis esse, quòd præcedat Communionem, eò quòd adhuc substantialiter duret sacrificium.

§. 5. Secundùm dicta *n.* 50. nulla requiritur ap- 208
plicatio ad hoc, ut sacrificium fidelibus causet fructum generalissimum, aut Sacerdoti & cooferentibus specialissimum.

§. 6. Si quis acceperit à 10. hominibus stipendia 209
pro 10. Missis, Bonac. Dian. Avers. *q. 11. s. 17. §. Hinc*, dicunt satis esse, si primas decem Missas legendas conjunctim & in confuso applicet: Alii requirunt, ut sigillatim determinet dies & Missas pro singulis, quod tutius est, & omnino faciendum esse dicit Steph. *n.* 75. si stipendia data sint pro Missis dicendis ad diversas intentiones, quæ suis temporibus essent faciendæ.

§. 7. Si quis acceptis 10. stipendiis obligatus sit 210
pro 10. hominibus legere 10. Missas, Possev. & alii cum Pasq. *q.* 95. dicunt non satisfacere, si in singulis Missis applicet ad intentionem singulorum hominum partem decimam illarum Missarum: sed *Bonac. Avers.* aliique cum Henao *parergo* 29. docent satisfacere supposito, quòd usque ad decem dies posset differre Missam pro singulis legendam, quia singulis melius est, quòd maturiùs aliquid participent de fructu Missæ & quotidiè dividendo partem fructus in singulos, in fine omnibus solutum est, quantum debetur: quod maximè valet, si vera est aliquorum sententia de qua *n.* 47. quòd Missa pro multis oblata tam prosit singulis, quàm oblata pro uno, Rayn. *tamen in Heter. spirit. T. 15. p. 2. s. 3 p. 3. n. 50.* non probat hoc fieri.

Q. 27. Quid præterea sit notandum circa appli- 211
cationem Missæ? R. Seqq. §. 1. Quando aliquis applicavit ad unum finem, & posteà immemor illius applicationis applicat ad alium, multi dicunt posteriorem applicationem semper prævalere, uti ultimum testamentum prævalet omnibus: E contrà *Tamb.* dicit priorem valere, quia illa posita Deus jam acceptavit Missam ad illum finem. Pasq. *q.* 172. probabiliùs dicit attendendum esse ad causam seu motivum posterioris applicationis, si enim nulla sit specialis causa ultimæ applicationis ponendæ, & primæ mutandæ, prævalet prior, quòd autem prius testamentum numquam prævaleat, est ex dispositione juris positivi, & quia testamentum non censetur firmari nisi morte testantis. Si autem adsit specialis causa, valet posterior, quia voluntate interpretativa revocat priorem, neque Deus absolutè acceptarat, sed sub conditione, si non revocaretur, maximè cùm Deus prævideat quandonam sit aliquis revocaturus. In praxi autem ille, cui casus contigisset, certus esse potest, quòd pro uno ex illis finibus satisfecerit, hinc secundam Missam offerat pro eo, qui non participavit primam.

§. 2. Quando aliquis voluit primam applicatio- 212
nem valere, etiamsi posteà alio modo applicaret, si posteà aliter applicet memor prioris applicationis, volensque ei derogare, posterior valet, quia

revocatur

revocatur prior voluntas. Si applicet immemor prioris applicationis, prior valet, quia prior voluntas derogavit posteriori applicationi: Si applicet memor quidem prioris applicationis, sed nolens ei derogare, *Tamb.* dicit neutram applicationem valere, è contrà Pasq. *q.* 171. probabiliùs dici valere æqualiter ad utrumque finem, minus tamen, quàm si ad unum tantum esset facta.

213 §. 3. Missa potest gradatim pro pluribus applicari, v. g. ut si non prosit huic, prosit illi, si quantùm obligor acceperit Titius, reliquum habeat Cajus, &c. Pasq. *q.* 173.

214 §. 4. Si Superiores Ordinum, qui legunt pro stipendio, præcipiant missas, tenentur subditi eas legere ad eorum intentionem, Pasq. *q* 176. 178. Attamen nimis durum videretur, si de septimana nequidem unicam missam relinquerent subditis liberam, nisi aliter non posset subveniri necessitati Monasterii, Pasq. *q.* 179. Potestque etiam Episcopus Sacerdotibus sæcularibus imponere applicationem missarum, si sit causa & necessitas publica urgens, Pasq. *q.* 180. Et ut missa prosit, sufficit applicatio Superioris, si non contradicat subditus. E contrà si Superior applicet contra voluntatem subditi, prævalet subditi applicatio, etiamsi esset contra obedientiam, charitatem vel etiam justitiam, *Durand. Suar.* aliiq; plurimi cum Pasq. *q.* 183. & Rayn. *suprà s.* 2. *p.* 2. *n.* 8. contra *Scot.* & alios: vide dicenda *n.* 1335.

215 §. 5. Si Sacerdos offerat pro illo, qui petit offerri, hic non potest applicare alteri, attamen posset, si peteret offerri ad suam intentionem, Pasq. *q.* 185. Dixi autem *n.* 175. non teneri Sacerdotem applicare pro unoquoque, qui petit vel optat sibi applicari.

216 §. 6. Si putasti stipendium tibi priùs à Titio solvendum, ideóque crastinæ Missæ applicationem, quam anteà feceras pro Cajo, posteà facias pro Titio, qui tamen tibi priùs non solv[it], Pasq. *q.* 187. putat hanc posteriorem applicationem esse irritam, & manere primam factam pro Cajo, quia errantis nullus est consensus. Sed oppositum v[i]detur probabile, nam applicasti Titio, non sub conditione, si priùs solverit, sed quia erat spes, ut priùs solveret, in quo non fuit error, quòd autem non sequatur res, non ideò tollitur valor applicationis: sicuti si mihi conferas Beneficium ex spe remunerationis, licèt remuneratio non sequatur, non ideò valida est collatio. Hoc tamen videtur verum, quòd quando applicas alicui missam putans te accepturum stipendium ab eo, si non es accepturus, applicatio fit nulla, quia videris ei voluisse applicare sub conditione, si esses ab eo stipendium accepturus, quia non voluisti pro eo gratis legere, ergo Deus videns te non accepturum, etiam non acceptavit missam pro illo. Denique rectè docet Rayn. *suprà s.* 3. *p.* 4. *n.* 40. si per errorem missas offeras pro aliquo tanquam mortuo, qui tamen vivat, vel contrà, æqualiter prodesse secundùm fructum, qui vivo aut mortuo potest competere; quia Deus eum confert pro exigentia necessitatis secundùm interpretativam tuam intentionem.

217 §. 7. Si dubites de posteriore applicatione contraria, censendum est mansisse priorem, quæ in possessione erat, hinc censere potes te celebrasse secundùm hanc, Pasq. *q.* 187.

218 §. 8. Obligatus applicare Missam, non liberatur, si applicarit secundum opinionem, quam putabat certam, si reipsa sit incerta, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam, neque probabile est, quòd applicatio missæ incerta extinguat obligationem certam, Pasq. *q.* 184.

219 §. 9. Neomysta in Ordinatione consecrans cum Episcopo, secundùm Pasq. *q.* 170. non potest applicare illam missam, nisi secundum intentionem Episcopi, quia Episcopus est primarius celebrans: secundùm Marat. & Gob. *t.* 3. *n.* 117. potest æquè ac si solus celebraret, quamvis enim non sit primarius celebrans, revera tamen etiam ipse celebrat, neque ulla ratio est, cur non possit discordare ab applicatione Episcopi.

§. 10. Possum missam applicare pro illo, quem 220
scio de facto velle à me petere missam, quamvis necdum petierit. Excipe, nisi scirem, velle petere pro aliquo effectu, ad quem necdum juvaret Sacrificium, Pasq. *q.* 167. Sylvius *in append. ad* 2. *p. Resol. Orat.* 2. *concl.* 2. *& seqq.*

§. 11. Valet applicatio facta pro eo, pro quo 221
Deus vult applicari, *Scot. Suar.* & alii communiter cum Pasq. *q.* 169. contra *Tamb.* & alios, qui negant, eò quòd putent Deum non velle applicare, sed hoc relinquere homini: verùm in rigore Deus non applicat, sed tantùm acceptat applicationem hominis secundum beneplacitum Dei factam.

An vivens validè applicet missas pro se mortuo legendas, dicetur *n.* 2334. Cui autem prosit fructus applicatus alicui, qui illius est incapax, vel non indiget, dicetur *n.* 1330.

Q. 28. *An satisfaciat, qui celebrat pro illo, quem* 222
Deus novit primò daturum stipendium? Resp. Affirmant Pelliz. Dian. *p.* 11. *t.* 2. *R.* 15. Burgh. *cent.* 2. *c.* 98. Rayn. *suprà s.* 3. *punct.* 3. *n.* 40. aliique multi, quos referunt Mendo *d.* 13. *q* 7. & Aversa. *q.* 11. *s.* 18. §. *Sextò*, quia cum apud Deum omnia sint præsentia, intentio illa in præcognitione Dei est absoluta, & missa æquè proderit sic applicata, quam aliter post datum stipendium: unde sicuti Sacellanus obligatus ad sex missas intrà 20. dies, satisfacit, si legat illas intrà dies sex, ita hìc poterit fieri anticipatio, Castrop. *t.* 22. *p.* 6. Lugo *de pœn. d.* 13. *n.* 137. & alii dicunt talem applicationem esse validam sed illicitam, quia ita fieri prohibuit *Clemens VIII.* cujus decretum posteà promulgavit *S. Pius V.* die 15. Nov. 1605. uti refert Basæus *in morali v. Miss.* 4. *n.* 4. Hinc dicendum est cum communi apud Gob. *n.* 169 & 609. Pasq. *q.* 168. Aversa. *supr.* semper illicitè, & sæpè etiã invalidè fieri talem applicationem, quia cum missa consistat in actione transeunte, si non prosit, quando fit, fructus ejus reponitur in thesauro Ecclesiæ, communiter autem non posset prodesse, quando fit, quia illo tempore necdum existit intentio petentis; imò nec sæpè motivum vel causa petendi: vel quandoque ille, pro quo petitur, esset in peccato & incapax gratiæ: opposita omnia sunt in Sacellano, de quo *Burgh.* Admittunt tamen *Vasq. Rayn. Aversa.* posse missam legi pro actualiter defuncto, pro quo posteà primò petetur Missa oblato stipendio, quia sic utiliter offertur pro illa determinata persona jam indigente, & capace totius fructus.

DUBIUM III.

Quando & quoties liceat celebrare.

RESP. I. Ordinariè non licet celebrare post me- „ 223
ridiem, sed debet inchoari ante duodecimam; „
nec ante auroram, quàm ante solis ortum, *Rigin.* „
quadrantem horæ, *Hen. & Kon.* mediam horam, „
Azor, horam cum quadrante, *Suar. Fernand. & Pos.* „
seq. sesquihoram comprehendere dicunt; & conse- „
quenter cum secundum *Hen. Suar.* & alios, missa „
possit inchoari tantò ante auroram, ut sub ejus ini- „
tium finiatur, licet duabus horis ante solis ortum in- „
cipere; Ita *Rodrig. & alii.* Unde ulterius inferunt „
quidam, cum *Suar.* Religiosis habentibus privile- „
gium celebrandi hora ante diem, licere tribus ho- „
ris ante ortum Solis incipere: quod Lugo *de Euch.* „
d. 10. *n.* 32. non improbat, etsi *Laym.* tantum per- „
mittat

„ mittat horis duabus cum dimidia, *Diana* vero duabus horis post mediam noctem, Lug. *l.c.* Quacumque autem hora licitè (sive ex, sive sine privilegio) celebrant, eadem etiam, (atque adeò in missa, quæ nocte Nativitatis, cæterisque, quæ post illam celebrantur) licere iis Eucharistiam aliis ministrare, contra Bordon. docet Dian. *p.* 9. *t.* 7. *R.* 43.

„ Dixi *ordinariè*: quia antevertere licet sequentibus casibus, in quibus etiam paulò post meridiem, v. g. uno vel altero quadrante inchoari potest, uti etiam secundùm *Sot. & Palud.* ex quavis rationabili causa, v. g. ob supplicationem vel concionem publicam protractam ultrà meridiem, ob funus Principis, vel quia Sacerdos die festo propter iter fuit impeditus, quo casu etiam integra hora post, licere inchoare dicunt. V. Laym. *l. c.* Fern. *hic c.* 3.

„ 1. In necessitate, v. g. ut morituro detur Viaticum, quo casu licere media nocte celebrare, ait Dian. *p.* 1. *t.* 14. *R.* 33. ex *Laym. &c.*

„ 2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices & famuli summo manè possint audire Sacrum, Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 4. *n.* 3. ex Nav. *&c.* (v. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R* 34.) non tamen idcircò post meridiem licebit.

„ 3. Ex privilegio, de quo suprà.

„ 4. In Nocte Nativitatis, in qua omnes tres missas ante auroram dici posse probabiliter docet Suar. Kon. Laym. Diana *p* 4. *tr.* 4. *R.* 236. contra *Sylv. Fern.* & alios. *Unde resolves.*

„ I. Graviter peccat, qui sine aliqua harum, aut saltem justa causa, citiùs manè, vel seriùs post prandium: celebrat: ubi *Az.* tertiam horæ partem, *Laym.* mediam horam, *Bon.* tres quadrantes, *Sylv.* horam requirit, ut differendo peccet mortaliter, V. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 34. ubi notat Religiosos ex suis privilegiis, posse celebrare usque ad tres horas post meridiem, post tertiam verò nullo modo. V. Bon. *l. c.*

„ II. Non est peccatum, celebrare ante dictam Primam, vel etsi ob infirmitatem non possis Horas dicere; vel etiam ante Matutinum, si causa subsit, sine qua erit veniale, ut docet *Fill. Laym.* & alii; videturque sententia tuta, contra multos dicentes esse mortale.

„ *Resp. II* Per se loquendo, quotidie licet celebrare. *Dico per se*, quia præcepto obligante sub mortali, prohibentur die Veneris Sancto, (non tamen Eucharistiam sumere, vel aliis præbere, ut habet Hurt. *de Sac. d.* 4. *dif.* 3. Quint. ex Suar. Vasq. Tann. *&c.* licèt suppositis declarationibus *Cardin.* non licere ministrare, nisi solis infirmis, velit Dian. *p.* 4 *t.* 4. *R.* 237. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 19. *& p.* 9. *t.* 9. *R.* 24. ex *Barb. Gavant. &c.*) in Cœna Domini verò, etsi ex consuetudine, uno celebrante reliqui communicare debeant; plures tamen ex causa licitè privatim celebrant, non tamen post finitam Missam solemnem, & sacrarium reconditum, ut vult Palaus *t.* 22. *p.* 7. *n.* 2. licèt alii id non admittant, apud Dian. *p.* 9. *tr.* 9. *R.* 24. De Sabbato sancto alii negant licere, ut *Vasq. &c.* alii probabiliùs affirmant, ut Suar. Fag. Dian. Gasp. Hurt. *dif.* 3. Palaus *n.* 5. qui non vult fieri ante inchoatam Missam solemnem; & Lugo *n.* 18. qui addit, non esse tunc legendas prophetias, quia non sunt pars Missæ; neque benedictionem cerei; imò nec Litanias, quia est ratio eadem. V. *l. c. n.* 20. & Bon. *p.* 2. ubi notat, quod usus id vix habeat. V. etiam Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 237. ubi cum *Mercero*, contra *alios* permittit eo die ante Missam solemnem celebrare de Sancto incidente vel votivam.

„ Resp. III. Sæpiùs in die celebrare non licet ordinariè; quod addo, quia si sis jejunus, licitè in est sequentibus casibus bis, vel etiam ter, requisito tamen, si facilè haberi possit, Episcopi judicio, præterquàm in primo.

1. Nocte Nativitatis: quia tamen non tenetur, ne Parochus quidem, celebrare tres Missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere Dian. *R.* 236. Neque ter communicare, vel semel communicare & bis celebrare *p.* 8. *t.* 1. *R.* 87.

2. Si Pastor habeat duas Parochias diffitas, Filiuc. Lugo *n.* 46.

3. Si concursus populi sit tantus, ut Ecclesia non capiat, ut habet Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 4. *n.* 6. & v. Lug. *l.c.* etsi tunc potiùs expediat celebrare extrà

4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, & suam jam hostiam sumpserit, nec sit alius Sacerdos *Sylv. Navar.* Sed casum esse metaphysicum, dicit Lugo *n.* 44.

5. Si die festo adveniant personæ, quas non deceat Sacrum omittere, v. g. Rex aut Princeps; quamvis hic ultimus dicatur non esse in usu, v. Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 7. *n.* 9. Lug. *l. c.* Lay. *c.* 4 Kon. Dian *p.* 2. *tr.* 14. *R.* 65. ubi rectè monet, in his omnibus attendendum ad loci consuetudinem, quæ ferè omnes nunc sustulerit.

Quæres. An aliquando liceat interrumpere Missam?

Resp. Etsi abrumpere essentialiter, sive unam tantùm speciem consecrare, nullo casu liceat, ut dictum suprà *c.* 1. *d.* 2. accidentaliter tamen abrumpere, vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his casibus:

1. Ob concionem post Evangelium, vel processionem excipiendam.

2. In gratiam supervenientis Principis vel turbæ peregrinorum die festo, quo aliàs Missam audire non possunt, vel simili justa causa, ex qua si non sit facta oblatio, posse incipere de novo, ut totum Sacrum audiant, etsi non teneantur, docent varii Authores cum Sà apud Bonac. *n.* 9. qui bene monet, consuetudini eorum standum. *Henr.* autem, docet, id tantùm licere finita Epistola vel Evangelio, *Tamb.* planè improbat.

3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v. g. se non esse jejunum vel in gratia, vel irregularem, vel excommunicatum; vel excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli.

4. Si urgeat gravis necessitas, vel propria, v. g. morbus, vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus, Trull. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 78. In aliis tamen Sacramentis non ita necessariis, non decet inter consecrationem & sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere, vel nisi Pœnitentiæ Sacramentum ob phrenesim suscipere non posset, Laym. Tamb. *lib.* 2. *de exp. Sac. cap.* 7. Revertens autem ad Sacrificium Sacerdos, si fuerit anteà facta consecratio, incipiet, ubi deserat; uti & si facta non fuerit, & parva mora interceserit, v g. minor quàm unius horæ; si autem longior, ordietur ab initio. Tamb. *cap.* 8. §. 7.

ADDENDA.

224 *Quæst.* 29. *Quid præterea notandum sit circa horam pro legenda Missa*: R. Seqq. §. 1. Amissio notabilis lucri apud omnes, qui negotiatione victitant vel non abundant, æquiparatur damno gravi, ideóque censetur causa sufficiens anticipandi ob illis horam Missæ, Pasq. *q.* 409. Inter alias autem causas præveniendi auroram ponit *Henriq.* etiam occasionem itineris, ut commodiùs fiat, quod tamen

Sot.

Sot. Laym. Quartus *in Rubr. Missal. p. 1. t. 15. d.* 4. tantum admittunt in casu, quo v. g. populus deberet ire peregrè; sed etiam admitti potest, si tu alioquin deberes & non posses solus proficisci.

225 § 2. Generales, Provinciales & Superiores locales possunt etiam seclusis privilegiis cum suis Religiosis dispensare, ut concurrente causa rationabili anticipent aut postponant tempus celebrandi: sunt enim Ordinarii ipsorum, & possunt, quod potest Episcopus cum Sacerdotibus sæcularibus, Pasq *q.* 422.

226 §. 3. Aurora in Martio circa æquinoctium præcedit Solem per horam cum quadrante. In Junio circa Solstitium, & per duas horas cum quadrante. In Februario, & Septembri, per horam & mediam. In aliis mensibus, aliquando per duas horas vel per unam cum tribus quadrantibus. Itaque excepto Martio semper durat saltem per horam & dimidiam, Averss. *q.* 1. *s.* 15. § *Quartò*, Quartus *suprà d.* 2. notans auroræ tempus sumendum esse non mathematicè sed moraliter, ideóque nihil peccare, qui tum celebrat, ut dici possit adhuc in aurora celebrasse vel absolvisse cum aurora, ita ut saltem finis Missæ attingat auroram, *Suar. Averss.* & alii.

227 §. 4. Inter causas expectandi post meridiem etiã est solemnitas, nam *Suar. Vasq. Averss. Tamb.* dicunt, & praxis confirmat, inquit *Quart.* si Missa solemnis & concio diu durant, post eam Missam dici solere aliam privatam ob commoditatem populi, etiam usque ad tertiam; attamen quoad hoc attendenda est consuetudo locorum: Hinc quamvis Nav. Vivald. Dic. Gob. *t.* 3. *n.* 202. dicant & probabile agnoscat Tann. *d.* 5. *q* 10 *n.* 6. Sacerdotem licitò incipere Missam etiam hora tertia post meridiem, ut sic festo die ipsemet Missam audiat, tamen *Suar.* & alii melius negant, quia non videtur esse tanti, ut unus privatus Missam audiat.

228 §. 5. Docet *Quartus* meridiem etiam sumi debere moraliter, & non mathematicè, ex quo videtur sequi, posse etiam sine causa differri inchoationem Missæ, quamdiu non longè distatur à meridie: sed quamvis possit esse veniale tantùm, si non sit notabilis distantia à meridie: aut etiam nullum, secundùm *Averssam*, si sit parva; quia sic habet consuetudo, tamen probabilius videtur assignatum tempus meridiei debere attendi ad momentum, quia quando Leges, uti hìc, determinant tempus, intelligendæ sunt ad momentum, si hoc cognosci possit, uti dixi *l.* 1. *n.* 583. quamvis autem certò non cognoscamus punctum mediæ diei mathematicum, tamen per horologia communiter bene ordinata certò cognoscimus punctum mediæ diei Ecclesiasticum, & ad hoc tempus Ecclesiasticum nos astringit Ecclesia, uti *ibidem n.* 584. est dictum. *Neque his obstat*, quòd *n.* 226. dixerim tempus auroræ sumendum esse, non mathematicè sed moraliter, *nam* disparitas est, quòd tempus auroræ resciri non possit, nequidem secundùm punctum temporis Ecclesiasticè sumpti, oppositum autem est de meridie, uti dictum est.

229 §. 6. Putant aliqui licere apud Principes Germaniæ per consuetudinem receptam differre Missam usque ad Primam, quod verum est etiam pro die feriali, si causa publica ita postulet, v. g. si Princeps debeat interesse consilio, excipere Legatos, dare necessarias audientias, nec aliter sine magno incommodo disponi possit de tempore Missæ. Et pro Sacerdotibus Societatis JESU habetur facultas *in Comp. Privileg. v. Missa* §. 3. itineris vel alterius legitimi impedimenti causa legendi infra Primam, quæ facultas communicatur omnibus Superioribus, & iis, quibus ipsi commiserint. Putantque plures cum Averss. §. *Admittunt* & Spor. *n.* 449. absque ullo privilegio etiam licere cuivis Sacerdoti per horam post meridiem celebrare die festo, si ante fuit impeditus ratione itineris.

230 *Q.* 30. *Quid addendum sit circa obligationem orandi Matutinum, & Laudes ante celebrationem Missæ?* Resp. Hoc unicum, quòd quamvis multi graves Authores ex Antiquis, quorum octodecim recensèt Averss. *q.* 11. *s.* 12. § *Octavò*, dixerint esse mortale hoc negligere, tamen præter citatos à Busemb. *n.* 223. & 308. docent *Sylv. Arrag. Henriq. Valent. Vasq. Bellarm. Victor. Bonac. Can. Con. Sanch. Less. Bass. Baldel. Castrop.* aliique plurimi cum Fagund. *præcepto* 1. *l.* 3. *c.* 17. Illsf. *t.* 5. *n.* 36. non esse mortale, & quando adest causa rationabilis, licèt non omninò gravis, v. g. major commoditas studii vel itineris, nequidem esse veniale. Imò *Sot. Suar. Tambur.* & alii apud Gob. *t.* 3. *n.* 667. dicunt per se loquendo, nullum esse peccatum, quia nullibi invenitur præceptum, nec videtur esse ulla specialis connexio aut dependentia Missæ ab illis precibus: hinc etiam Marchant. & Quartus *p.* 2. *t.* 1. *d.* 1. dicunt esse consilium, & quandam congruentiam, ut fiat. Attamen probabilius est cum *Averssa* & aliis communiter esse veniale, nam in *Rubrica* §. 10. hoc numeratur inter defectus peccaminosos, & ratio præcipiendi potuit esse, ut celebraturus advertat, quas orationes & commemorationes facere debeat, an dicere debeat *Gloria* vel *Credo*, &c. quæ omnia colliguntur ex recitatione Matutini & Laudum.

Objicies. In Missali præscribitur, ut Matutinum cum Laudibus præmittatur Missæ, *S. Pius V.* autem in suo Brevi ante Missale præcipit in virtute S. Obedientiæ Missam dici juxta ritum Missalis, ergo gravis est ad hoc obligatio. R. n. conseq. nam non est obligatio sub peccato ad servanda singula, quæ in Rubricis habentur, cum certum sit multa esse tantùm directiva: & quamvis sub peccato sit obligatio ad aliqua, ut tamen sit sub mortali, debet materia esse magni momenti & spectare ad substantiam vel reverentiam notabilem Sacrificio debitam, quale quid non est præmittere Maturinum & Laudes. Denique ex vi præcepti *Pii V.* tantùm est obligatio gravis ad generaliter utendum eo ritu, & non inducendum alium.

231 *Q.* 31. *Quid addendum sit circa Missam tribus ultimis diebus Quadragesimæ?* R. §. 1. Est sententia satis communis; quòd die Jovis S. liceat omni Sacerdoti privatim celebrare, saltem ante incæptam Missam solemnem, ita enim docent Nav. Ang. Suar. Vasq. Lugo, Diana, Quartus, Gob. *t.* 3. *n.* 219. Averss. *q.* 11. *s.* 15. *& alii passim.*

232 §. 2. Habens plures Parochias debet in Cœna Domini Missam habere, & erigere sepulchrum in sola principaliori, si tamen per errorem erexerit in utraque, Pasq *q.* 385. dicit debere die Veneris habere officium in sola principali, & in altera hostiam reponere in sacrario. Quòd si utraque Parochia esset multùm populosa, & ab invicem distans, deberet uno anno in una, alio in alia Missam, & officium peragere, Sylv. *in Append. ad* 1. *p. resol. Orat.* 4. quamvis *Suar. Præpos.* aliique cum Gob. *n.* 189. dicant non solum die Jovis sed etiam veneris posse in utroque loco habere officium, non facta infusione, nec immissa hostia, nisi in ultimo loco, & rationem dant, quia cum æquivaleat duplici Parocho, videtur posse, quod duo possunt: sed contrà est, quia infusio vini, & immissio hostiæ in illud videtur esse primaria cæremonia illius officii, quæ omitti deberet propter jejunium servandum.

233 §. 3. Si Parochus die Jovis Sancto nullam reliquerit hostiam pro die Veneris, debet potiùs omittere omnia, quàm consecrare in officio diei Veneris, tum quia eo die prohibetur fieri consecratio, tum

etiam quia illicitum est consecrare panem sine vino Si tamen habeat parvam hostiam consecratam, utitur illa, si nec illam habeat sitque in pago, Gob. *n.* 217. dicit posse celebrare manè privatim Missam de Passione & consecrare duas hostias ablutione non sumpta. Si sit in urbe, facilè habebit Sacerdotem, qui tum celebret de Passione, eique hostiam consecret, putat enim melius esse observari, præceptum naturale de scandalo populi vitando, quàm Ecclesiasticum de non celebrando illa die. Et in omnibus consentit Spor. *n.* 452.

234 §. 4. Sabbato Sancto cuivis licere celebrare saltem incæpta Missa solemni, præter citatos *à Busemb.* docuerunt Sot. Sylv. Mercer. Pers. Garc. Amic. Quartus, Leand. *n.* 445. Gob. *n.* 221. sed *Aversa* suprà rectè dicit hoc consultum non esse: Directoria autem Colonienſe & Leodienſe jam pluribus annis dicunt id recenter esse prohibitum à S. Congregatione. An autem liceat præsente funere, dicetur *n.* 507.

235 *Q.* 32. *Quid addendum sit circa Missam eodem die sæpius ab eodem legendam?* R. §. 1 Olim liberum fuit toties de die Missam legere, quoties quis vellet, hinc de S. *Leone III.* referunt Gob. *t.* 3. *n.* 183. & Aversa. *q.* 11. *s.* 15. quòd de die quandoque novies legerit, nunc autem peccat mortaliter, qui sine legitima causa bis in die celebrat, quia prohibetur tum per Canones tum per universalem consuetudinem. Et ob eam etiam causam non potest aliquis eodem die ordinari Sacerdos & Episcopus, quia deberet cum ordinante bis celebrare. In regno tamen Valentiæ possunt Sacerdotes sæculares in die commemorationis animarum dicere duas Missas & Religiosi in eodem regno ac pluribus aliis Hispaniæ tres. Idem possunt Dominicani Conventus Pampilonensis, S. Jacobi & Trinitarii per communicationem privilegii, uti pluribus notat Leand. *à n.* 1885.

236 §. 2. Causam sufficientem pro iteranda Missa dicit *Pasq.* non esse, nec officium Conventuale duas Missas postulans, nec benedictionem nuptiarum, nec adventum Episcopi vel Principis in die festo, nec supervenientem magnum numerum itinerantium, nec paupertatem Ecclesiæ aut Sacerdotis: pro singulis tamen illis sententiis refert graves, & multos Authores. Addit ipse contra alios 10. si Princeps vel Magnas superveniat, Missam non debere repeti ab initio, quamvis necdum ad Offertorium pervenerit, sed celebrantem debere pergere, quamvis *q.* 386. fateatur sufficientem causam diebus festis iterandi Missam esse, si celebraturus pro populo, celebrarit manè pro Episcopo, Principe aut Magnate, aut si in aliqua Parochia desit, qui celebret, aut si aliter non possit vitari scandalum vel gravis querimonia populi. E contrà Gob. *n.* 192. Leand. *n.* 447. & alii admittunt, si superveniat Princeps vel Magnas, celebrantem posse peragere illam Missam, & retento jejunio pro adventantibus inchoare alteram, Gob. *ibid.* adducit quosdam, qui dicunt Sacerdotem ratione defuncti manè sepeliendi, si sine Missa sepulturæ fieri non soleant, posse iterare missam. Et pro Viatico habendo dicit *n.* 193. cum Quarti, Tamb. Leand. *n.* 447. & aliis posse etiam non jejunum iterare, de quo tamen dubitat Henao *n.* 1518. Dicunt etiam Sylvest. & Nav. apud Aversam §. *Plures*, quando quæcumque alia similis causa occurrit, quæ arbitrio viri prudentis sufficienter judicetur, Sacerdotem posse iterare missam. Præterea putant *Suar. Lugo* aliique cum Gob. *n.* 189. etiam die profesto posse ab uno legi duas vel tres missas, si devotio populi id exigat, v. g. si superveniat inexpectata processio. Item in locis hæreticis, inquit Verjus *t.* 8. *n.* 1. ubi frequens populus solatio illo non videtur privandus, sed sic fovenda est Catholicorum pietas, nam talis gravis causa videtur æquiparari necessitati, in qua Pontifices dicunt licere. Sed non obstantibus omnibus illis sententiis Henao *n.* 1502. ex sequente declaratione colligit requiri graviores causas: *Cum in civitate, quam dicunt de La Assumpta in Provincia Paraquariensi pars magna nobilium domi se contineat, quòd apparatu decente careret, ideò ut Nobiles mulieres, ac viri è domibus ad templa educerentur, opus fuerit Missam ante Solis ortum celebrare, sed non reperto Sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, Episcopus prædictæ civitatis Missam antelucanam nobilium gratia celebravit. Proposito dubio in S. Congregatione Eminentiss. Card. Conc. Trid. interpretum, an Episcopus absque Apostolico indulto posset bis in die Sacrificium offerre ex prænarrata causa, Die* 1. *Septemb.* 1657. *eadem S. Congregatio censuit non posse.* Hinc etiam cum Archiepiscopus Sipontinus obligatus esset in Ecclesia Sipontina die Jovis Sancto celebrare, conficere chrisma, quamvis deberet in Ecclesia Garganica recipere peregrinos, ideóque cum Clerus, & Populus compelleret ad hìc priùs celebrandum, *Honorius III. c. Te referente de Celeb. Missarum*, sic decrevit: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & valdè felix est, qui celebrat dignè unam, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.*

237 §. 3. Si Parochus habens plures Parochias, & ideò potens binare, impediatur, rogetque alium Sacerdotem, etiam Societatis JESU, potest hic pro ea necessitate binare, Suar. Henriq. *l.* 9. *cap.* 30.

238 §. 4. Pasq. *q.* 392. dicit Regulares non teneri recurrere ad Episcopum pro examinanda causa sæpiùs celebrandi eadem die, sed illis sufficere judicium & licentiam suorum Superiorum: Quòd si ad neminem recurri possit, prudens quisque potest de causa judicare.

239 §. 5. Non est opus causam pro tertia celebratione esse graviorem, quàm pro secunda, Lugo *in Resp. Mor. l.* 1. *d.* 12. Pasq. *q.* 190. Henao *n.* 1511. Aversa contra *Henriq. & Castrop.* Ratio est, quia quamvis sæpiùs repetita celebratio sit minus usitata, tamen quandocumque est vera necessitas, cessat præceptum prohibens.

240 §. 6. Habens duas Parochias, posset in Natali Domini legere sex Missas, utrique enim Parochiani ad fovendam devotionem suam quasi jure suo petunt tres missas; & cum ipse Parochus æquivaleat duobus, frui potest privilegio duorum. Putantque *Suar. Lugo* suprà & alii contra *Nugnum* etiam tali Parocho posse concedi, ut in singulis Parochiis repetat missam diebus ferialibus, ne alteruter populus privetur potestate offerendi Sacrificium.

241 §. 7. Qui uno loco, ubi est novum Kalendarium celebravit tres missas in Natali Domini, si eodem anno veniat ad locum, ubi est Kalendar. vetus, potest iterùm cum his tres missas celebrare, applicando sibi præsens privilegium loci, Gob. *n.* 188.

242 §. 8. Pessimè ageret Sacerdos, inquit Gob. *n.* 185. si die Natali Domini bis celebraret & semel communicaret more laico, quia datur tantùm potestas triplicandi Sacrificium. Posset tamen Episcopus ea die Ordinatus communicare in missa, in qua ordinatur, & posteà legere alias duas missas, nam in missa, in qua ordinatur, est etiam simul sacrificans.

243 §. 9 Si Sacerdos in missa post consecratam majorem hostiam ante consecrationem calicis advertat appositas fuisse minores hostias consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores repetere formam, quia sic poneret duo Sacrificia, & eadem die bis celebraret, nam

&

& minores hostiæ non haberent se per modum unius hostiæ vel unius materiæ totalis consecrandæ, prior enim consecratio fuisset completa in majore hostia, & minores terminarent unam novam totalem consecrationem, neque una harum consecrationum de se esset referibilis ad alteram: si autem aliquid sciverit de appositis hostiis minoribus, & posteà dubitet, an intentionem sufficienter extenderit etiam ad illas, agendum erit secundùm dicta *p.* 1. *n.* 458. Quòd si dubitaret de valore consecrationis majoris hostiæ, quamvis certus esset de *invaliditate* consecrationis minorum, posset repetere formam cum intentione conditionata circa majorem & absolutè circa minores, & tum omnes haberent se per modum unius materiæ.

Objic. S. Thom. docet, si Sacerdos post consecratam hostiam deficeret, debere supplentem de novo consecrare aliam hostiam, & tamen ibi censetur esse unum sacrificium, ergo idem censeri posset in nostro casu. R. N. conf. ideò *S. Th.* vult consecrari novam hostiam, quia putat hoc spectare ad integritatem hujus sacrificii (quamvis alii hoc negent, secundùm dicenda *n.* 545. fortè probabiliùs.) E contrà dici non potest, quòd altera consecratio parvarum hostiarum spectet ad integritatem talis sacrificii, nam consecratio parvarum semper per accidens se habet ad sacrificium, quod integraliter habetur per consecrationem majoris hostiæ & calicis, ac per reliquas partes substantiales, ergo.

244 *Q.* 33. *Quid addendum sit circa illum, qui abrumpit vel interrumpit Missam?* R. §. 1. Deserens missam parva etiam parte incæptam, secundùm Pasq. *q.* 188. peccat mortaliter, incurritque suspensionem: sed hoc aliis videtur durum. Si in fine parvam partem omittat, est veniale tantùm Pasq. *q.* 189.

245 §. 2. Probabile est ob periculum mortis relinqui posse missam imperfectam absque sumptione vel etiam absque consecratione alterius speciei: Gob. *t.* 3. *n.* 807. Imò & ex urgentissima necessitate ad vitandum gravissimum incommodum relinqui posse substantialiter imperfectam, v. g. sine sumptione, docet Pasq. *q.* 190. 191. addit. *e q.* 192. alias caussas missæ relinquendæ: sed quòd unius tantùm speciei attinet, Castrop. *tr.* 12. *p.* 2. & 11. putat esse ita intrinsecè malam, ut nullo casu liceat, eò quòd sit de jure Divino per homines indispensabili, & quia esset positiva irreverentia vitam suam præferre essentiæ & integritati Sacrificii nunc ita pro hominibus instituti. Henao *n.* 1785. in re consentit, putat tamen Papam posse dispensare, sive hoc permittere, interpretando præceptum Christi. Quidquid sit de hoc, fatetur etiam *Castr.* posse à Sacerdote ex metu mortis unam speciem consumi sine altera, potestque videri Pasq. *q.* 47. ubi refert casus, in quibus excusat alia moralis impossibilitas utramque speciem consecrandi.

246 §. 3. Interruptio per quadrantem vel mediam horam non est notabilis. Quòd si facta sit per horam in negotio impertinente, præsertim exutis sacris vestibus, non debet reassumi missa sed reinci-pi, nisi longitudo interruptionis fuisset prævisa, & sic per intentionem interrumpentis conjungerentur parte, Pasq. *q.* 195. 196.

247 §. 4. Si tempore missæ fiat concio ab alio, non debet celebrans vestes Sacerdotales exuere, multò minùs exire è Templo, quia quantùm fieri potest, debet moraliter permanere in celebratione, Gob. *n.* 810.

248 §. 5. Ante consecrationem potest tantisper relinqui missa, ut ministretur Viaticum vel Extrema-Unctio, quamvis moribundus receperit alia Sacramenta, Pasq. *q.* 197. Henao *num.* 1789. contra *Lugo & Tamb.* Idem fieri potest post consecrationem, si moribundus sit in Templo, *Castrop.* Aut si sit in vicinia, saltem si Sacerdos indutus eò accedat, Zambr. Dian. Averf. *q.* 11. *f.* 12. §. *Debet*, Quòd si confessio moribundi longior ultra mediam horam fieri deberet, auditis quibusdam peccatis, esset absolvendus & Sacramentis muniendus, ac post peractam missam residuo confessionis audito iterùm absolvendus, & in agone juvandus. Et Sacerdotem saltem ex charitate ita teneri interrumpere Missam docet Pasq. *q.* 198. contra *Henao*. Potest idem fieri ob corporalem gravem proximi necessitatem, v. g. ut à morte liberetur, *Pasq.*

§ 6 Putat Pasq. *q.* 199. grave peccatum esse mis- 249
sam etiam necdum ad Offertorium perductam deserere & ab initio repetere ob adventum Principis, alii putant esse veniale tantum, multi omninò nullum, uti relatum est *n.* 236.

§. 7. Aliqui putarunt communionem posse dari 250
populo statim post introitum absoluta confessione & osculato altari, sed rectè contradicit Henao *num.* 1620. nisi adsit notabilis necessitas, quia talis interruptio est de se illicita & contra usum.

§. 8. Si quis post incæptam formam calicis recor- 251
detur non esse admixtam aquam, secundùm Henao *n.* 1782. potest interrumpere, quia est justa causa ob ritum gravissimum: secundùm Pasq. *q.* 308. non potest interrumpere, quia hæc interruptio est major inconvenientia, quàm omissio illius ritus. Utraque sententia est probabilis: sed in prima, deberet saltem mente fieri oblatio illius aquæ, quia nihil consecrari debet, quod priùs oblatum non fuerit, *Henao* contra *Quarti*.

§. 9. *Dicast.* reprehendit Gob. *n.* 756. *& Lohn.* 252
melius laudat eos, qui ante Communionem in missa eliciunt affectus privatæ pietatis, etiam ad tempus unius Pater & Ave, uti cum eisdem habet *Merolla*, nam si permittatur brevis meditatio post sumptionem, cur non ante? maximè quia censetur continuatio, cum mens maneat applicata Communioni, quæ est mysterium missæ.

§. 10 Si tempore Missæ Ecclesia polluatur, v. g. 253
notoria effusione sanguinis, si adhuc *sit ante* consecrationem, abrumpi debet missa, Con. Gob. *n.* 802.

§. 11. *Rubrica* §. 8. *n.* 5. ait, *si Sacerdos recordetur* 254
se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem: Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet missam incæptam deserere. Et quia S. Th. *q.* 803. *a.* 3. *ad* 2. tantùm dicit esse tutius deserere, Pasq. *q.* 194. *n.* 10. notat probatque pluribus textibus Juris, quòd verbum, *Debet*, aliquando, & speciatim hic tantùm significet decentiam.

DUBIUM IV.

Quo loco celebrandum sit.

RESP. Communiter non licet celebrare, *nisi* in „
Ecclesia, eaque consecrata, *vel saltem be-* „
nedicta, & non violata vel execrata, *nec interdic-* „
ta, patet ex Trid. *f.* 22. Lugo *d.* 20. *n.* 48. „

Dixi, *communiter*: quia in decenti loco, & altari „
portatili, (quod semper *sub mortali* requiritur), „
cùm licentia Episcopi, *si adsit*, vel sine ea, si absit, „
licet sequentibus *casibus*, extra quos si fiat, esse „
mortale docet *Fill. Ly. & alii commu.* contra *Sot. & Sa.* „

Primò, si sit *necessitas*; qualis esse censetur „
1. Si Ecclesiæ *diruta* sint. 2. Si populum in so- „
lemni *festo* Templum non capit. 3. In castris pro ex- „
ercitu; *sed festis tantùm diebus*, *Fag. & Lug. &c.* „

licet Pasq. apud Dian. *p. 9. tr. 1. R. 44.* etiam non festis censeat posse permitti Generalibus, & primariis Ducibus in suis tentoriis: 4. In portu pro appulsu navis, non tamē in flumine vel mari, propter periculum effusionis Sanguinis, ut *comm.* docetur apud *Bon.* Contrarium tamen dicitur jam habere praxis Lusitanorum euntium in Indiam, ex permissione *Clem. VIII.* & *Pauli V.* ex qua licitè tunc fieri docet *Fag. Gran.* nec improbat *Lugo*, Limitat autem Dian. *p. 5. t. 3 R. 40.* cum *Hurt. Marcer. Trill. &c.* si magna sit tranquilitas sine ullo tempestatis indicio, adsitque præter celebrantem Sacerdos alius, qui post consecrationem firmiter teneat calicem. Cùm qua cautione etiam Episcopum posse ad hoc concedere facultem in necessitate (v. g. ne magna multitudo non audiat Sacrum, vel moribundus decedat sine Viatico) docet Gran. apud Dian. *l. c.* contra *Kon. & Tur.* qui soli Papæ eam reservatam volunt. V. etiam Dian. *p. 9. t. 1. R. 45.* ubi adducit declarationem Cardinalium, qua jubentur Episcopi id prohibere.

Secundò. Ex dispensatione Episcopi, ob rationabilem causam, etsi in Trid. *sess. 22.* id permittere prohibeantur, nisi ex justa causa, in oratoriis privatis divino cultui destinatis licèt non benedictis: Verùm etiam hanc potestatem illis nunc esse ademptam, docet Gav. *l. c.* & Dian. *R. 42.* Eo tamen non obstante, posse eos in aliquo casu particulari, ex justa causa permittere, ut celebretur extra Ecclesiam in altari portatili, docet idem Dian. *R. 41.* ex *Marchin. Garc. Hurt. Lugo, Aversa, Persic. &c.*

Tertiò. Ex privilegio, quale dicuntur habere Minores, & qui cum iis participant: quod esse revocatum à Trid. *sess. 22.* licèt multi velint, negant tamen Dian. *p. 3. t. 2. R. 80. & p. 4. t. 4. R. 106 Salas. Rod. &c.* Idque secundùm Lug. *d. 20. s. 2. n. 5* 1. probabiliter, & Tamb. *de exp. cel. l. 1. c. 3. §. 3.* probabiliùs. V. Barbos. in Trid. *l. c.* Item religiosi Societatis, à Gregorio XIII. ut possint tum in missionibus cum facultate Superioris, in quovis loco decenti; tum in domibus suis, in loco honesto, à Provinciali designato, Missas dicere; in quo idem licebit aliis.

Dixi II. *Non violata*: quia in Ecclesia interiùs violata, nisi priùs reconcilietur, non licet sub gravi peccato, ut Laym. *l. 5. t. 5. n. 7.* ex *Nav. Suar. Kon. &c.* nisi in necessitate, cum venia Episcopi, (si is adiri possit; alioquin sine ea, ut habet Lug. *n. 63.*) celebrare, aut mortuos sepelire.

Addo I. *Ecclesia*: quia Oratoria, etsi deputata ad cultum divinum, cùm tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis extet altare ad facienda divina, ut Bon. *to. 1. de Matr. q. 4. p. ult. n. 9.* non sunt capacia violationum. Quod etiam consequenter de hospitalibus docent *Nav. Sot. &c.* sed probabiliùs contrarium docent alii, cum Lugo *n. 60.*

Addo II. *Interius*: quia quod fit in turri, sacristia, supra tectum vel fornicem, in cripta, sub pavimento (nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta) non violat Ecclesiam.

Addo III. *Nisi reconcilietur*: quod fieri debet ab Episcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papæ (quale Superiores Regularium pro suis templis habere, ex Avila notat Dian. *p. 4 t. 4 R. 91.*) si fuit consecrata, (quod præsumendum est, si celebretur festum Dedicationis) si verò tantùm fuit benedicta, potest fieri reconciliatio à simplici Sacerdote, aspersione aquæ benedictæ, cum facultate Episcopi, vel sine ea secundùm Dian. *R. 91.* Censet etiam reconciliatam, si Sacrificium in ea peractum fuerit, docet Tamb. §. 4. ex *Henr. Sà & Dian.* esse probabile, negat autem Lugo *n. 62.*

Porrò Ecclesia, uti & cœmeterium, violantur seu polluuntur sequentibus casibus, non tamen nisi postquam res evulgata fuerit, Laym. *c. 5.*

I. Per factum in ea homicidium mortaliter malum seu injuriosum, saltem immunitati Ecclesiæ; quale etiam est; quòd aliàs justum esset per sententiam Judicis: nisi tamen Reip. perturbator aliter capi non posset. Non est autem tale. 1. Quod fit casu, vel ab amente. 2. Quod in sui defensionem. 3. Cujus causa data est extra Ecclesiam: quia requiritur, ut vulnus sine causa physica fiat intrà Ecclesiam V. Lug. *n. 53.*

II. Per mortaliter malam effusionem proprii, vel alterius sanguinis, vel seminis, causatam vel factam in templo, licèt non in templum: Unde non violat. 1. Si pauculæ guttæ effluant, quia non effusio. 2. Si ex percussione, vel vulnere levi, v. g. narium, in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat. 3. Si fiat ex sectione venæ. 4. Actus conjugalis, quando excusatur à sacrilegio. 5: Fornicatio facta ab mente. 6. Pollutio inculpata. V. Lugo *n. 54. & 55.*

III. Per sepulturam excommunicati non tolerati, vel infidelis, (quo nomine hìc non comprehendi hæreticum, docet Lugo *n. 57.*) etiam infantis, ut ex *c. Ecclesiam, de consecratione* docet *Præpos.* Quamvis, si pueri parentes sint fideles, neget Sayrus. V. Bon. *de Euch. & Matr. d. 4. q. 4. punct. ult.*

IV. Per destructionem Ecclesiæ ex toto, vel majore parte, (quanquam eo casu dicatur potiùs execrari, quàm pollui) non autem, si solùm tectū, vel si successivè per partes modicas destruatur & reficiatur; neque etiam per desolationem, exercitium hæreticum, spurcitias hominum vel animalium istic stabulatorum &c. etsi deceat & praxis habet, ut per Episcopum, vel saltem Sacerdotem, cum aliqua cæremonia reconcilientur & abluantur; quod in simili casu intellige de altari, Laym. *c. 5.*

Quæres Quid sit, quando fiat execratio, seu resecratio? R. Execratio dicitur, cùm res sacra perdit suam consecrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit, quando ita destruitur, ut formam & usum suum perdat. *Unde resolves.*

I. Polluta Ecclesia, polluta etiam sunt altaria ejus fixa, non tamen execrata Ecclesia execrantur altaria: nec contrà.

II. Ecclesia execratur, si parietes secundùm majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur. Secus autem, si una post alteram. V. Lug. *n. 56.* non autem, si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus. V. Laym. *l. c.*

III. Altare execratur. 1. Si cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiore structura. 2. Si ita frangatur, sive fixum sive portatile sit, ut in nulla ejus integra parte calix cum patena possit consistere. 3. Si spolietur sepulchrum, quod tamen quidam negant, ut Lugo, Tamb. *l. 1. c. 5.*

IV. Calix execratur; si notabiliter frangatur, vel ita ut fiat inutilis ad usum Sacrificii, v. g. si foramen sit in fundo, licèt minutissimum: vel si figura destruatur: non tamen si in tornatili pes separetur à cuppa, quia in tornatili consecratur sola cuppa, Bon. *d. 4. q. ult. p. 9* ex *Sua. &c.* Neque execratur, si pereat inauratio. Unde licèt communiter calix & patena post novam inaurationem quoad eam partem, qua Christi Corpus, vel Sanguinem contingunt, denuò consecrentur, id tamen necessarium non esse docet *Durand Kon. & alii*:

contra

„ contra *Suar. Bonac. & alios* : etsi deceat, ut ablua
„ tur aqua benedicta. Ita Dian. *p. 2. tr. 15. R. 3.* &
„ Laym. *hic* Item Lug. *n. 94.*

„ V. Vestes Sacræ execrantur, quando ita destrunn-
„ tur ut perdant suum usum : ut si cinguli parte te
„ non ampliùs cingere possis; vel si manica ab alba
„ separetur, etiamsi posteà reparetur. Non perdunt
„ autem, etsi attritis pars aliqua asuatur, vel singu-
„ li parti, aptæ adhuc ad cingendum, altera annec-
„ tatur quia tunc accessorium sequitur principale,
„ Lugo, Tamb. *de exp. sacrif. l. 1. c. 3.* § Similiter si
„ stola, vel casula duplicata, facili separatione fiant
„ duæ, quarum utraque apta sit ad Sacrificium, non
„ perdunt benedictionem, Tamb. *l. c.*

„ VI. Partes avulsæ à re consecrata, destructa ejus
„ forma desinunt esse sacræ, v.g. ligna & lapides Ec-
„ clesiæ dirutæ, vel altaris : ob respectum tamen ad
„ rem sacram, cujus sunt reliquiæ, non possunt ap-
„ plicari ad usus profanos, aut dividendi sine licen-
„ tia Papæ. Statuæ autem sacræ, & Imagines tem-
„ pli destructi, debent in alio collocari, & in loco
„ Ecclesiæ Crux erigi. Lacera etiam paramenta
„ aut vetustate consumpta, debent igne absumi, &
„ non adhiberi ad usus profanos, ut habetur *in c. al-*
„ *taris, de cons. dist.* 1. V. Suar. & Sà V. *Missa*, Laym.
„ *loc. cit. c. 6.* Tamb. tamen *c. 2.* § 3 ex *Palao* ; item
„ Dian. *p. 5. tr.* 13. *R.* 76. docet, probabile esse, quòd
„ non sit saltem mortale, si mutata forma ad profa-
„ nos usus applicentur, v. g. calix confractus, alba
„ dissoluta, frustula corporalis, &c. v. suprà *l. 3. t.*
„ 1. *c. 2. d. 2.*

ADDENDA.

256 Quæst. 34. *Quid præterea sit notandum circa ce-*
lebrationem extra Ecclesiam, vel locum suæ ju-
risdictionis ? Resp. Seqq §. 1 Si non improvisò sed
certo die concurrere soleat tantus populus, ut Eccle-
sia non capiat omnes debet Parochus prævenire &
petere ab Ordinario facultatem celebrandi extra Ec-
clesiam, talis enim facultas non censetur data, nisi
quando casus est improvisus, Gob. *tr. 3. Append ad*
num. 265.

257 §. 2. Potest quivis Sacerdos absque privilegio
vel speciali licentia celebrare in altari fixo consecra-
to, ubicumque sit positum nam cùm erigatur author-
itate Episcopi, celebrabitur in loco publica author-
itate destinato, & non ubi quis voluerit, Pasq. *q. 705.*
qui q. 706. idem dicit de celebratione cum altari
portatili in quocumque loco destinato pro celebra-
tione, sive sit Ecclesia consecrata, sive tantùm bene-
dicta, sive oratorium, dummodò ad divinum cultum
sit deputatum authoritate Episcopi.

258 §. 3. *Cap. ult. de privil. in 6.* conceditur Episcopo
ut in itinere possit quovis die in loco decenti non
sacro, in portatili celebrare vel facere celebrari co-
ram se, dum non poterit commodè ad Ecclesiam ac-
cedere, : quod *Nav. & Sà*, limitant ad propriam
Diœcesim, sed Gavant Ugol Dian. Portel. Avers. *q.*
11. s. 14. §. Item, rectè contradicunt, tum quia non
est actus jurisdictionis contentiosæ, sed usus privile-
gii personalis, tum maximè quia textus habet de Epis-
copo iter agente etiam per alienas Diœceses. Observari
tamen debet nunc decretum seqq.

DECRETUM
CLEMENTIS XI.

De Celebratione in Oratoriis privatis, emanatum
15. Decembr. 1703.

NOnnulli Episcopi, & cõplures Regulares sub præ-
textu privilegiorum ea sibi licere putant, quæ pro-
hibita sunt: siquidem Episcopi, etiam in aliena Diœ-
cesi extra domum propriæ habitationis in privatis lai-
corum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum
aut plures è suis Capellanis vivificam Christi hos-
tiam immolare; Regulares verò in quibusdam Mag-
natum, seu aliarum nobilium personarum privatis
oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à Sede
Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plu-
res Missas, quàm in iis sit indultum, vel absque præ-
sentia personarum, quarum contemplatione gra-
tiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas,
& post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per
Constitutiones Diœcesanas, aut etiã Decreta S. Con-
gregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ
in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quò minùs
in illis celebrari possit, aut etiam altari portatili uti
non vererentur in sanctarum sanctionum contemp-
tum, ac sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem
ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instauran-
dam venerationem, tremendo Mysterio debitam,
Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi voto S.
R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum,
inhærendo declarationibus, aliàs hac de re editis, ex-
pressè declarat, Episcopis & his majoribus Prælatis,
etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque
sub prætextu clausi in Corpore Juris, neque alio
quocumque titulo, nullo modo licere extra domum
propriæ habitationis, in domibus Laicis, etiam in
propria Diœcesi, quod fortiùs intelligitur in aliena
etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere al-
tare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebra-
re, sive celebrari facere. Ac pari modo in oratoriis
privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non li-
cere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu
Congregationis, etiam Societatis JESU, aut etiam
cujuscumque Ordinis militaris, etiam S. Joannis Hie-
rosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus,
etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus
Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini,
aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indul-
to exceptis : in reliquis verò diebus prædictis Regu-
laribus, & Sacerdotibus, quibuscumque etiam Episco-
pis in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi
etiam unica Missa, quæ in indulto conceditur, fue-
rit celebrata, super quo celebraturus teneatur
diligenter inquirere, & de eò se optimè infor-
mare : atque illa etiam in casibus permissis ce-
lebrari nequeat post meridiem, demandando ul-
teriùs, ac declarando in omnibus hujusmodi ca-
sibus personas quascumque dictas Missas audien-
tes, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quò
verò ad altare portatile, iterùm inhærendo de-
clarationibus supradictis, censuit licentias, seu
privilegia concessa nonnullis Regularibus in *cap.*
in his de priv. & per aliquos Summos Pontifices
aliis Regularibus communicata, utendi dicto
altari portatili, in eoque celebrandi absque Or-
dinariorum licentia in locis, in quibus degunt,
omnino revocata esse per idem Concilium (Tri-
dentinum) atque idcircò eosdem Regulares
prohibendos, ne illis utantur ac mandandum,
prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliis-
que Ordinariis locorum, ut contra quoscum-
que contravenientes, quamvis Regulares, pro
cedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Dele-
gati ad pœnas præscriptas per idem S. Concí-
lium in dicto decreto *S. s. 22. cap. unico*, usque
ad Censuras latæ sententiæ, tributa etiam iis-
dem facultate per hoc decretum, ita procedendi,
perinde ac si per S. Sedem specialiter conces-
sa fuisset. Et ita sanctitas Sua declarat, & ser-
vari mandat.

§. 4.

259 §. 4. Episcopum posse in alterius Diœcesi conferre tonsuram, consecrare portatilia &c. etiam dare benedictionem solemnem, canere missam Pontificalem absque facultate Episcopi ejus loci docet *Henriq.* nec reprobat Dicast. *t.* 3. *n.* 132. quia hoc nullo jure videtur prohiberi, cùm tonsura conferri possit domi privatim sine Pontificalibus, benedictio autem & Missa solemnis non videantur comprehendi nomine Pontificalium, quæ Trid. *sess.* 6. *c.* 5. *de reform.* prohibet fieri in aliena Diœcesi Henao *parvgo* 28. fusè in utramque partem discurrit, sed meritò cum *Sanch. Bonac.* & aliis inclinat in eam partem, quòd ista non liceant Episcopo.

260 §. 5. An Abbas in Ecclesiis suæ jurisdictionis possit constituere capellam, id est, indutus pluviali & mitra in Sede Pontificali assistere Missæ vel officio per alium celebrato, & exercere prærogativas Pontificales, benedicere incensum &c. item in fine benedicere populo, examinat in utramque partem Sylv. *p.* 1. *v. Abbas casu* 4. & concludit ex Jure Canonico *Cap. Abbates in* 6. *de privil.* non posse, nisi ipsemet celebret. Potest videri *Henao* suprà ubi multa discutit circa Abbatum potestatem ad varias consecrationes.

261 *Q.* 35. *Quid addendum sit circa celebrationem in navi?* R. Hoc unicum: Si absit periculum effundendi calicis, licitum esse in ea celebrare, præter citatos à Busemb. & Avers. *q.* 11. *s.* 14. §. 1. docent Gob. *t.* 3. *n.* 238. *& alii*, & etiam docent plurimi licere servare Eucharistiam loco decenti in navi. An autem sit licitum etiam tempore tempestatis legere saltem siccam Missam, dictum est *n.* 188.

262 *Q.* 36. *Quid addendum sit circa celebrationem Missæ in privatis oratoriis?* Resp. quis locus dicatur privatum oratorium, & an die festivo satisfiat, si in illo aut in alio quocumque loco audiatur missa, dixi, *l.* 3. *par.* 1. *à n.* 626. ubi etiam *n.* 676. dixi, an talis habens privilegium privati oratorii teneatur procurare, vel saltem audire Missam, si die festivo ibi legatur. Hic adde seqq.

263 §. 1. Tridentinum *sess.* 22. *in decreto de celebratione Missæ*, mandat, ne Episcopi patiantur in privatis domibus celebrari à quoquam, hinc Gallen. *in declar. ad illum Trid. locum n.* 6. aliique communiter & probabiliùs dicunt, nunc post *Trid.* Episcopos non posse concedere oratoria privata sæcularibus, ut in iis semper & per modum habitus celebretur, possunt tamen dispensare, ut pro gravi persona ægrotante Missa celebretur aliquoties in anno, Fagun. Hurt March. Dian. *p.* 8. *tr.* 3. *R.* 9. Pasq. *q.* 447. Quartus *p.* 3. *t.* 10. *n.* 1. *s.* 3. & alii contra alios multos: Dicitque Pasq. *q.* 451. etiam posse Episcopos dispensare, ut celebretur indefinitè pro infirmo vel pro dando Viatico: Item si tutus alicui non fit egressus, v. g. tempore belli aut pestis. Et docet praxis; quòd Episcopi in Germania habeant potestatem ex causa justa concedendi privata oratoria, etiam ad longum tempus, v. g. ad vitam alicujus, qui aliàs diebus festis carere deberet Missa, quòd ipsi nimis grave foret. Et idem posse etiam Episcopos alibi, insinuat alia declaratio apud Gallen. *eodem n.* 6.

264 §. 2. Oratoria in aulis publicis civitatis, ubi Senatores conveniunt, sunt privata, attamen Capellæ carcerum publicorum non comprehenduntur Decreto tollente oratoria privata. *Dian. Quarti.*

265 §. 3. Si oratorium privatæ domus habeat ingressum publicum, potest Episcopus dare licentiam, ut per modum habitus ibi celebretur, censetur enim publicum eo ipso, quòd aditum & liberum ingressum habeat per viam publicam, semelque destinatum ad usus sacros, unde non poterit redire ad profanos, si semel factum sit cum destinatione publica, ita quoad omnia Avers. §. *Quintò*, *Naid. Homob. Quart. Diana*, qui addit ex *Pasq.* posse in tali oratorio nihilominus celebrari januis clausis, ita ut accedant tantùm Dominus & alii, quos ipse admittere voluerit, non enim præcipitur, ut publicè celebretur, sed ut in publico oratorio. Alia privata oratoria possunt iterùm converti in usus profanos, si quis nolit amplius uti privilegio, *Sanch. Tamb. Quart.*

266 §. 4. Non est opus esse quatuor muros, qui tale oratorium separent ab aliis locis, sed potest pro quarto muro aptari tela seu tapes, qui aperiri possit & claudi ad commoditatem audientium Missam. Et qui in tali oratorio prandium institueret, biberet, aliosque similes usus profanos haberet, peccaret tantùm venialiter, licèt faceret sine necessitate, quia actiones illæ de se licitæ non trahunt ratione loci gravem deformitatem, nam licèt ista fierent in Ecclesia consecrata, tamen non esset mortale, uti habent DD. apud Bon. & Suar. *de Relig. t.* 1. *l.* 3. *c.* 5. Si tamen id fieret constanter & per modum habitus, utendo eo loco, velut alio profano, videtur esse mortale. Supra oratoria autem & Ecclesias non est illicitum ponere lectos aut alia profana exercere, *Quarti* suprà.

267 §. 5. Privilegium oratorii privati datū à Papa durat ad mortem privilegiati tantùm, *Sanch. Dian. & alii.* Nec perit mortuo Papa, qui concessit, vel Episcopo, qui designavit, quia est gratia, *Sanch. & Tamb.* Unde nec erit opus licentia & approbatione novi Episcopi.

268 §. 6. Si in privilegio dicatur, ut una Missa quotidiè celebretur, communior interpretatio est, quod permittatur unica uno die: Hinc *Quarti* putat peccari mortaliter, si plures legantur: è contrà tamen P. March. *in res. Miscellaneis cas.* 3. dicit non ideò prohiberi plures, quia Tò *una*, nisi dicatur unica, vel addatur tantùm una, non est particula exclusiva plurium, ut si in fundatione dicatur: volumus, ut una quotidiè Missa celebretur in illo altari, non ideò prohibentur plures: & saltem secundùm Quarti *dub.* 4. & alios, qui habent Bullam Cruciatæ possunt in suis oratoriis jam constitutis facere legi plures Missas quotidiè: Et quoad oratoria à S. Sede concessa observari debet, quod habet Decretum *Clementis XI. n.* 258. *relatum.*

269 §. 7. Quamvis privilegiatus mutet domicilium in aliam Diœcesim, secum fert privilegium Papæ, quia est personale, tamen requiritur inspectio loci approbatio novi Episcopi, *Sylv. Bon. Barb. Pelliz. Aversa, Tamb.* & alii cum Diana *p.* 9. *t.* 1. *R* 7. Valetque magis, si in eadem civitate in domum mutet: & à fortiori mutare potest ex uno loco domus in alium. Quòd si in eadem civitate vel domo fiat mutatio loci, putat *Quint.* & consentire videtur *Dian.* non esse opus nova approbatione Episcopi, sed opus esse probabiliùs putant *Tamb. & Quarti*, quia prima non extendebat se ad hunc locum. Quòd si privilegiatus sit alibi tantùm peregrinus, non potest curare hic celebrari privatim, neque etiam potest habere unum oratorium domi, alterum in prædio seu villa, non vi talis privilegii conceditur potestas habendi uno in loco tantùm, licèt contrarium sentiat *Pasq.* putans haberi etiam posse in villa.

270 §. 8. Ut Sacerdos sæcularis etiam licitè celebret in concessis privatis oratoriis sæcularium, sufficit approbatio Generalis celebrandi Missam, Pelliz Diana, Quartus *d.* 8. Sacerdoti regulari sufficit etiam generalis approbatio & licentia tacita seu præsumpta suorum Superiorum, *Quint. Pelliz. Dian. & Quartus & alii*: unde non requiritur licentia Parochi, quamvis hic non debeat exerceri munus parochiale nisi cum licentia illius saltem tacita: extra Pascha tamen potest præsumi licentia ad Pœnitentiam & Eucharistiam,

Eucharistiam, ad denuncianda festa, &c. *Tamb.* & alii cum Quarti *dub.* 9.

271 §. 9. S. Congregatio 17. Novembr. 1607. apud Gavant. *p.* 1. *t.* 20. declaravit quòd in his oratoriis sæcularium non liceat celebrare festis Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, Assumptionis, Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum; quæ confirmantur Decreto *Clementis XI.* quod *n.* 258. retuli. Aliis diebus licitum est, v. g. in Corporis Christi & Ascensionis festo, item in feria 2. & 3. Paschatis ac similium festorum, *Quarti* suprà. Optant tamen Ordinarii, ut etiam abstineatur festo Patroni principalis, *Gavant.* sed notandum est, quod quando tale oratorium concessum est propter infirmitatem, non sit opus ratione personæ infirmæ, quæ Ecclesiam accedere non potest, excipi ullos dies solemniores.

272 §. 10. Nomine familiæ intelliguntur, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, uti dictum est *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 627. alioquin merè per accidens habitantes in ea domo non sunt de familia, uti nec illi secundum plerosque qui aluntur solo titulo amicitiæ vel simili, quod non est servitium. *Pelliz.* putat privilegium hoc extendi ad fratrem privilegiati, ejusque uxorem, habitantes in eadem domo, licèt habeant separatos reditus, & mensam aliam, idemque affirmat de filiis & filiabus nupris, separatis tamen à convictu parentum, modò habitent cum parente privilegiato, & consentit in hoc *Tamb.* contra *Bardi, Quintanadv. & alios.* Admittendum tamen est hoc quoad fratres, commensales, & non omnino separatos quoad reditus. Quòd si famulus vivat ex salario privilegiati, sed habitet & dormiat extrà illius domum, si ex officio in ejus domo famuletur semper, adhuc censeri de familia dicunt *Castrop. Pelliz-Dian. Tamb. Quarti & alii* contra Bonac. Barb. Lezan. Gob. *in* [illegible] *t.* 5. *c.* 42. *n.* 170. qui probabiliter contradicunt. Posse autem familiares seu familiam curare celebrari Missam, licèt Dominus privilegiatus non adsit, docuerunt *Quintanadv. Pelliz. Averss. Castrop. Dian. & alii* cum Quarti *dub.* 11. sed quoad oratoria à Sede Apostolica concessa, videtur oppositum declarare *Clemens XI.* relatus *num.* 258. Additur autem, nec non in hospitum tuorum nobilium præsentia, per quos putat *Pelliz.* intelligi eos, qui ejusdem civitatis sunt, si invitentur etiam ad solum prandium, licèt eo fine, ut in privato oratorio possent audire Missam, & consentit Tamb. sed Quarti *dub.* 12. cum *Dian.* putat intelligi solos hospites ex alia civitate advenientes, quia quod est contra Jus commune, strictè interpretandum est.

273 § 11. *Gregorius XIII.* die 1. Octob. 1572. dedit hoc privilegium bullatum Generali, & Presbyteris Societatis JESU: dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Usum Altaris viatici Societatis vestræ à fel. record. *Paulo Papa III.* concessum, deinde à *Conc. Trid.* universè sublatum vobis eatenus restituimus, ut inter missiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri vestri servata aliàs forma dictæ concessionis Missæ sacrificium licitè valeant celebrare super hujusmodi altare ubique Gentium, etiam in castris militum, modò loca, etsi communia & profana, tuta & honesta sint, & Generalis aut per eum Provinciales præpositi eo tum utendum fore judicaverint, itidemque possint ibi Presbyteri ipsi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentú ministrare fidelibus ad illud sumendum debitè præparatis, non obstantibus, &c.

274 §. 12. *Cap. In his, de privilegiis*, conceditur FF. Prædicatoribus, & Minoribus, ubicumque fuerint, attamen absque præjudicio juris Parochialis, non requisito Ordinariorum assensu in altari portatili celebrare, sed *in Comp. v. Missa* §. 8. dicitur solius Generalis esse, Sacerdotibus Societatis JESU usum hujus facultatis concedere. Hoc autem privilegium non esse revocatum per *Trid.* putarunt *Rodriq. Salas, Dicast. & alii* cum Sporer *n.* 440. quia est clausum in corpore Juris, multi autem tenent, ista non revocari per generales clausulas, uti dixi *l.* 1. *n.* 837. Et præcipuè quia tantùm dicitur, ut Episcopi non patiantur in privatis domibus celebrari, ergo quandiu patiuntur, & non prohibent, manet istis Religiosis illud privilegium. Oppositum tamen tenendum est cum *Nav. Suar. Henriq.* & aliis quia *Greg. XIII.* relatus *n.* 273. *& Clemens XI.* relatus *n.* 258 dicunt usum Altaris viatici à *Conc. Trid.* universè sublatum esse.

275 §. 13. Provinciales Societatis JESU aliique participantes privilegia, possunt nullius licentia requisita erigere privata oratoria. Et quamvis pro Societate notetur *in Comp. priv. v. Oratoria* §. 1. ut non utantur hac facultate, nisi in locis remotis ab oppidis, in quibus Ordinarii existunt, tamen nunc passim videmus etiam in hujusmodi oppidis fieri. Similia oratoria erigere possunt in villis suis aliisque locis, in quibus non sunt Ecclesiæ vel capellæ, uti habetur *ibid. in Comp.* §. 2. Neque Regularium oratoria indigent Episcopi designatione vel approbatione, possuntque in illis legi plures Missæ eodem die, non tantùm à Regularibus sed etiam à quocumque alio Sacerdote, quia privilegium illorum non est personale tantùm sed etiam locale, seu redundat in locum ipsum: ideóque gaudent immunitate, non autem sæcularia: Lez. Dian. *p.* 9. *t.* 1. *R.* 32. & 33. Quartus *p.* 3. *t.* 10. *n.* 1. *dub.* 9.

276 §. 14. Ad constituendum oratorium, verba privilegii requirunt, ut Provinciales per se ipsos, locum inspiciant & designent, hinc putat Lugo *in Resp. Mor. l.* 1. *d.* 14. id non posse committi alteri, quia videtur postulari hujus personæ industria: Potest tamen Provincialis committere Rectori vel alteri, ut judicet de decentia & idoneitate loci, tumque ab eo informatus & ei fidens debet approbare per se & deputare, quamvis absens sit nec viderit, non enim magis hìc videtur requiri præsentia, quàm in absolutione à censura, quæ ab absente fieri potest. Plus adhuc concedunt Dian. & Quarti *dub.* 8. putant enim Superiorem localem posse designare & approbare locum saltem ex ratihabitione aut commissione præsumpta Provincialis, sed standum est sententiæ *Lugonis.*

277 §. 15. Regulares non possunt permittere, ut in schola vel aula aliqua celebretur Missa v. g. nocte Nativitatis Christi, quia tantùm habent potestatem deputandi capellas, vel oratoria ad Missas & usus Sacros, per hoc autem quòd semel ibi legatur Missa, non fit capella vel oratorium, nec deputatur ad usus Sacros, Lugo *d.* 13.

278 §. 16. Quamvis non præjudicet Juri Parochialis Ecclesiæ, si in oratorio privato cantetur Missa solemnis, tamen ob rei novitatem putat Henao *Par.* 17. id non videri esse faciendum sine licentia Ordinarii.

279 *Q.* 37. *Quid addendum sit circa benedictionem, consecrationem & pollutionem Ecclesiæ?* R. Seqq. §. 1. Benedictio Ecclesiæ committi potest simplici Sacerdoti, sed consecratio perfecta fit à solo Episcopo, hinc Episcopus non potest simplici Sacerdoti licèt in dignitate constituto committere consecrationem vel reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, etiamsi aqua ab Episcopo esset benedicta, uti statuitur *Cap. Aqua, de consecr. Eccles. & Altar.* ubi *Greg. IX.* contrariam consuetudinem vocat corruptelam, datque causam, quia licèt committere possit simplici Sacerdori ea, quæ sunt jurisdictionis, non tamen quæ sunt Ordinis Episcopalis. Potest tamen Papa consecrationem Ecclesiæ committere simplici Sacerdoti, quia hoc

est tantùm ex institutione Ecclesiæ annexum Ordini Episcopali. Notat autem rectè Pasq. *q.* 271. Missa Dedicationis legi non posse, nisi Ecclesia sit consecrata.

280 §. 2. Docent *Castrens. Rodriq. Sylv.* invalidè consecrari Ecclesiam ab Episcopo hæretico aut excommunicato vitando, quia sunt extra Ecclesiam, sed probabiliùs contradicunt *Laym.* & alii cum *Henao*, quia non obstante quòd sint extrà Ecclesiam, validè baptizant & consecrant Corpus Christi, ergo etiam Ecclesiam. Addit *Henao* cum communissima recentiorum contra antiquos nequidem censeri debere ideò polluta, uti nec polluta est, si in ea celebret degradatus, cum nec ideò polluantur vestes sacræ vel Altaria, *c. A nobis 2. de Sacram. non iterandis.*

281 §. 3. Probabilius est Ecclesiam per hoc non esse consecratam, quòd in ea oblatum sit Sacrificium, alioquin omne oratorium, in quo esset celebrata Missa, hoc ipso esset consecratum, & hoc ipso quòd semel iterùm esset celebratum in Ecclesia publicè polluta, non esset opus nova consecratione, Gob. *t.* 3. *n.* 366. Pasq. *q.* 509. 526. Verjuys *t.* 8. *a.* 6. contra Dian. *p.* 5. *tr.* 13. *R.* 60. *& p.* 9. *t.* 7. *R.* 18. quæ magis confirmabuntur ex dicendis *n.* 352.

282 § 4. Gob. *in app.* 1. *ad n.* 265. *lit. H.* dicit Ecclesiam pollui per actionem lethiferam, quando nimirum alicui existenti in Ecclesia infertur vulnus lethale, ex quo debeat ibi vel alibi mori, estò in Ecclesia non effundat sanguinem, dummodò illa actio lethifera fuerit mortaliter injuriosa: Et consentit Delb. *de Imm. Eccl. c.* 2. *d.* 2. *s.* 1. *n.* 2. *&* 50. citans pro se alios 15. addit tamen non esse improbabile, quòd requiratur sanguinis effusio in Ecclesia, quia Jus Canonicum hoc dicit, & materia est odiosa

283 §. 5. Si perturbator Reipub. quia aliter tolli & alibi capi non potest, occidatur in loco sacro, hic locus non ideò polluitur, quia ob necessitatem prudenter præsumitur consensus Ecclesiæ, Sà, Henriq. Delb. Passer. Busemb. suprà, Henao *Parergo* 26. contra Fagund. & Dianam *p.* 6. *t.* 1 *R.* 35.

284 §. 6. Si hostia consecrata perfoderetur, ita ut copiosùs inde sanguis effluere, non ideò pollueretur Ecclesia, tum quia humor ille effluens non esset verus sanguis, tum etiam quia non effunderetur ex corpore hominis, cum Corpus Christi ibi sit impassibile *Passer Henao.* Imò si quis perfoderet cadaver hominis mortui, ex quo effunderetur sanguis, non ideò pollueretur Ecclesia, uti habet communis cum Henao contra Sylv. Bachon. & Sà *v. Ecclesia n.* 13.

285 §. 4. Quamvis in sacristia facta sit percussio, & effusio sanguinis fiat in Ecclesia, non ideò semper violatur Ecclesia, uti præter Lugo & Busemb. tenet Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 5. *n.* 7. Gob. *lit. L.* Sanch. *de Matr. l.* 9. *d.* 15. *n* 31. quia hìc nomine Ecclesiæ intelligitur, quod est intrà tectum & pavimentum ipsius, unde si sacristia proprio muro dividatur, percussio non censebitur facta in Ecclesia.

286 §. 8. Licitum est celebrare in Ecclesia, in qua hæretici sua sacra habent & sepeliuntur, si catholicis non permittatur celebratio aliis locis, nam sepultura hæretici non denunciati non violat Ecclesiam Verj. *a.* 9. Gob. *lit. I.*

287 §. 9. Probabile est Ecclesiam non pollui per sepulturam Cathecumeni, uti nec polluitur per sepulturam dubiè baptizati, Gob. *lit. K.* Si autem in Ecclesia sepeliatur non baptizatus infans parentum infidelium, communis est cum Pasq. *q.* 582. pollui, quia Jura dicunt pollui per sepulturam infidelis, talis autem infans censetur infidelis in professione parentum. Quòd si sit infans fidelium, pollui affirmant Gloss Hostiens. Tabien. Arm. Angel. Rod. q. Piasec. Suar. Avila, Az. Fagund. Reginald. Laym. Con. Castrop. Less. Dicast. Amic. uterque Lugo, Quarti, Delb. & alii, quos citat Pasq. *q.* 584. quia talis infans est infidelis saltem negativè: Negant pollui Palud. Sayr. Ugol. Paxjord. Bordon. Alan. Pass. Pasq. & probabile dicit Gob. *lit. I.* tum quia infantes non baptizati censentur tales, quales sunt parentes, tum etiam quia Jura odiosa intelligi debent de illo, qui positivè est infidelis saltem professione parentum, & quandoque nominatur paganus, paganus autem est, qui professione est infidelis. Et idem dicit *Passer.* si saltem unus parentum sit fidelis, imò etiam quando dubitatur de hujus parentis fide; sed in hoc postremo contradicit *Pasq.* Saltem talis infans sepeliri non debet in loco sacro sepulturis fidelium destinato, sed in loco diviso à cœmeterio per murum vel sepem interjacentem, uti habet consuetudo.

288 §. 10. Ecclesia polluitur per emissionem mortaliter peccaminosam seminis, sive muliebris sive virilis, non tamen per emissionem menstruorum, seminis corrupti vel similium, nec per distillationem. Et requiritur copia seminis, alioquin non dicitur effusio, Pasq. *q.* 570.

289 §. 11. Si effusio sanguinis aut seminis non sit publicè notoria per evidentiam facti aut per Juridicam confessionem, ita ut inducta sit opinio communis de maculata sanctitate Ecclesiæ, hæc censeri non debet polluta, Pasq. *q.* 502. Gob. *lit. G.* Verj. *t.* 8. *a.* 9. Hinc Sacerdos sciens ex confessione, quòd in Ecclesia contingant pollutiones, imò & Sacerdos, qui in ea commisit, potest pergere in ea celebrare, Pasq. *q.* 597.

290 §. 12. Henao *Parergo* 24. docet, si crimen, ob quod, si ab initio fuisset notorium, polluta esset Ecclesia, priùs innotescat etiam post 50. annos, tum Ecclesiam pollui: è contra *Mascaren.* putat pollutionem aboleri, si crimen maneat occultum per tres vel quatuor menses, sicut [illegible] *præterea*, 2. *De clerico percussore*, dicitur; Episcopum non esse irregularem ex cujus mandato cæsa mulier post 8. menses obiit, putantque probabiliter Paxjord. & Passer. *de pollut. Eccles. d.* 5. *c.* 6. *n.* 15. si fidelium scandalum vel sublatum vel temperatum sit ex longi temporis lapsu, tunc ex facti circumstantiis posse prudentem Episcopum arbitrari Ecclesiam non esse pollutam.

291 §. 13. Si solum tectum cum fornice sit destructum, non desinit consecratio, sed si etiam paries unus sit destructus, videtur desinere, quia de Ecclesia, quæ tectum amiserat, dicitur *cap. Vigneis, de consecr. Eccles.* quòd non amiserit consecrationem *cum parietes in sua integritate manserint*, ergo cum ablato uno pariete parietes non manserint in sua integritate, periit consecratio, quia nempè periit forma veri templi, quod constare debet quatuor parietibus, Pasq. *q.* 537. *n.* 3. Docet tamen *Paxjord.* manere consecrationem, si tantùm modica pars cum tecto perierit, sed intelligi debet, si sit tam modica pars, ut moraliter censeatur manere etiam iste paries. Per dealbationē etiam totius Ecclesiæ non perit consecratio.

292 §. 14. Per hactenus recensita polluitur vel execratur sola Ecclesia strictè dicta & non quivis locus sacer; per Ecclesiam enim intelligitur locus communis ab Episcopo consecratus vel benedictus. Suar. Lugo *de Euch. d.* 20. *n.* 59. Gob. *lit. E.* Putat tamen *Laym.* etiam pollui illam, quæ per Episcopum est deputata ad officia divina, v. g. per solam erectionem Crucis. Addit Gob. *lit. T.* illicitè deponi beatos in aulis Gymnasii, in quibus quotidiè legitur Missa.

293 §. 15. In dubio, an polluta sit Ecclesia, habenda non est polluta, quia possessio est pro illius sanctitate, Pasq. *q.* 502. Si autem aliqui affirment, alii negent esse pollutam, standum est judicio Episcopi, qui si toleret, hoc ipso tollit pollutionem, Pasq. *q.* 598,

§. 16.

294 §. 16. Polluta Ecclesia etiam pollutum est cœmeterium, sed polluto cœmeterio non ideò est polluta Ecclesia, Gob. *lit. K.*

295 §. 17. Alicui putarunt Ecclesiam violatam reconciliari substantialiter per Sacrificium in ea post violationem, etiam mala fide celebratum, attamen indigere reconciliatione rituali, antequam in ea licitè celebretur, Pasq. *q.* 509. Imò Sà, Gob. & alii cum eodem Pasq. *q.* 526. videntur dicere non peccari, si celebretur in ea non reconcialiata ritualiter, sed secundùm dicta *n.* 281. probabilius est non ideò reconciliari, quòd in ea celebretur etiam bona fide, & consequenter illicitum erit in ea ritualiter non reconciliata celebrare.

296 *Q.* 38. *Si destruatur Ecclesia, quid fieri debeat de lignis, lapidibus, fundo?* R. §. 1. *Cap. Ligna, de Consec. dist.* 1. sic habetur, *Ligna Ecclesiæ dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio Fratribus: in laicorum opera non debent admitti:* Hoc est, uti explicat Az. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 11. Si Ecclesiæ destruantur, ligna & lapides converti nequeunt ad privatos laicorum usus, quamvis, ut Gloss. *ad c. Quæ semel*, ex hujusmodi lignis & lapidibus construi possit dormitorium vel capitulum Religiosorum, quod vocant, vel possunt hujusmodi ligna in coquina Monachorum comburi: Eadem habet Paxjord. *l.* 5. *t.* 18. *n.* 49. & Less. *in Auct. v. consecratio, casu* 4.

297 §. 2 *L. Æde sacra* 72. *ff. de contrah. emp.* dicitur, *Æde sacra terræ motu diruta, locus ædificii non est profanus, & ideò venire non potest.* Nihilominus Zerola, qui fuit Episcopus, *in praxi p.* 1. *v. Visitatio, dub.* 9. ait: *passim vidi in civitatibus magnorum Archiepiscopatuum ex causa rationabili profanari Ecclesias & vendi, & emptores ibi ædificare domos & quidquid velint:* Et ratio est, quia licèt fortè locus maneat sacer, uti docet etiam Sylv. *v. Ecclesia n.* 7. tamen ex *cap. Quæ semel* 19. *q.* 3. Trid. *s.* 21. *c.* 7. *de Refor.* dat Episcopis potestatem, si Ecclesiæ dirutæ reædificari non possint, eas (id est, locum ipsum & materialia, uti explicat Engel *l.* 3. *t.* 48. *n.* 9.) convertendi in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce.

298 §. 3. Declarationes apud Galiem. ad dictum lo- cum *Trid. n.* 8. habent, quòd Ordinarius sine causa non debeat profanare capellas, si autem causam habeat, cæmenta danda potiùs Ecclesiæ, quæ est caput capellarum. *Ibid. n.* 7. postquam dictum est de profanando loco Ecclesiæ translatæ ad matricem, additur, cœmeterium item profanandum & deinde ossa transferenda sunt ad novum cœmeterium: Hinc videtur inferri contra *Farin. & Engel.* posse authoritate Episcopi etiam cœmeterium profanari: Probat tamen *Az.* suprà ex Jure Canonico oratoria converti non posse ad usus profanos.

299 §. 4. Ex dictis resolvitur sequens casus: Titius ædificaverat sacellum in suo fundo ad viam: Pastor aliquot annis post, cum potestate ab Episcopo accepta benedicit illud sacellum inscio Titio: *Q.* an Titio jam contradicente possit sacellum destrui & fundus per Episcopum redire ad usus profanos? Resp. Videtur non posse, imprimis quia hoc nullibi conceditur Episcopo. Deinde quia sacellum est sacrum & censetur acquisitum Ecclesiæ, res autem acquisita Ecclesiæ non potest, præsertim sine utilitate Ecclesiæ alienari per Episcopum; si autem remitteretur ad usus profanos, reipsa virtualiter alienaretur. *Si dicas*, saltem fundum mansisse Titii: *Contra est*, nam si Ecclesia ædificetur fundo profano, Ecclesia non cedit fundo sed fundus Ecclesiæ, quem ad se trahit & reddit sacrum, Sperell. *decis.* 57. *n.* 20.

300 *Q.* 39. *Quid addendum si circa execrationem Altarium?* R. §. 1. Si fractura Altaris non sit enormis, non amittitur consecratio, sive altare sit fixum sive portatile: Tum autem censetur enormis, si ita destructa sit forma artificialis, ut non censeatur esse idem, quod ante, hoc autem tum est, si tercia saltem pars sit destructa, item si sit ea mutatio, ut qui ante vidisset, jam non recognosceret pro eodem: non ideò tamen amittit consecrationem, quòd fractum sit in quatuor cornibus, Laym. Castrop. Lugo, Pasq. *q.* 689.

301 §. 2. *Si lapis consecratus frangatur in duas partes,* quarum quælibet apta sit sustentare hostiam & calicem, secundùm communem sententiam apud Henao *n.* 1807. potest utraque pars posteà servire pro duplici ara, totus enim lapis erat consecratus, & cum partes divisæ non amittant usum ac finem, non est cur illarum desinat consecratio: E contrà si neutra partium fractarum possit continere hostiam & calicem, uni tamen earum majori agglutinetur aliquid, cum quo jam continere possit, non ideò recipit consecrationem, tam parum, quàm duæ partes cinguli fracti, uti dicetur *n.* 329. Notat tamen Aversa *q.* 11. *s.* 13. § *Primò*, ad Altare sufficere, quòd calicem & patenam saltem pro majore parte capere possit.

302 §. 3. Missionariis conceditur privilegium, ut celebrare possint in portatili fracto aut læso, etiam carente Reliquiis, attamen requiritur, ut adhuc capere possit calicem & hostiam, Verj. *t.* 8. *a.* 7. *n.* 1. quod quamvis nunc ubique liceat, antehac tamen non licebat, ideóque appositum est inter missionum privilegia.

303 §. 4. Si Altare non sit fractum sed tantùm fissum dummodò partes nec ab invicem nec ab inferiori structura separentur, non amittit consecrationem, quia illa fissura non tollit formam nec facit aliud Altare, sed se habet sicut vulnus, quòd relinquit idem numero corpus hominis, unde sicuti sanatur vulnus, ita potest illa scissura glutine aliquo sanari seu uniri, Pasq. *q.* 689. *n.* 10. *Nec obstat*, quòd Altare debeat constare uno lapide, *nam* hoc dato, de quo dicetur *n.* 314. gluten uniens partes facit remanere unum lapidem, nec ratio est, quare talis unitas artificialis non sufficiat.

304 §. 5. Si structura Altaris fixi tota integra cum superiore & inferiore parte simul transferatur ad alium locum Ecclesiæ, non amittit consecrationem, Suar. Aversa. *Deperditur.* Notat autem Gob. *n.* 275. tum tantùm Altare fixum amittere consecrationem separata parte superiore ab inferiore, si simul consecrata sit pars superior & inferior.

305 §. 6. Portatile non polluitur polluta Ecclesia, neque si addatur vel removeatur capsula, cui includitur. Suar. Aversa. Pasq. *q.* 694.

306 *Q.* 40. *Si frangatur sigillum vel removeatur sepulchrum cum Reliquiis, an altare per hoc amittat consecrationem?* R. §. 1. Affirmant absolutè Dur. Azor. Angel. Henriq. Bonac. Barbos. *de potestat. Episcopi, alleg.* 27. *n.* 26. aliique Canonistæ, Consentit Gob. *in Quint. t.* 5. *n.* 540. dicens esse certum: Sporer *in Theol. Sacram. de Sacrif. n.* 376. dicit videri certum: Rationem dant 1. ex his verbis *Cap.* 1. *de Consecr. Eccles. Ad hæc si altare motum fuerit aut lapis ille solummodò suprà positus, qui sigillum continet, confractus aut etiam diminutus, debet denuo consecrari:* quod Barbos. Tann. *de Euchar. d.* 5. *q.* 10. *n.* 47. Amic. *de Euchar. d.* 33. *n.* 354. dicunt tenere, si sigillum frangatur etiam in Altari portatili. 2. Quia sigillum videtur esse de essentia & forma Altaris, nam circa impositionem Reliquiarum & consecrationem sepulchri præcipuæ benedictiones, inunctiones, & cæremoniæ in Pontificali præscribuntur. 3. Quia in multis Diœcesibus usu receptum est, ut violato sepulchri non amplius in altari illo, sed in alio portatili

tatili superposito celebretur. 4 Si absint Reliquiæ, non est verum, quod Sacerdos post introitum osculans Altare dicit, *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hîc sunt.* E contrà Altare ideò perdere consecrationem negant absolutè Panormit. Lugo, Sot. Vasq. Con. G. Hurt. Dicast Tamb. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 43. Idem senserunt *Busens* aliique Theologi Romani, ideóque Gob. *in Exp. tract.* 3. *n.* 276. se corrigit, & ea, quæ suprà dixerat *in Quint.* scribit se retulisse ex *Pasq.* de cætero se non damnaturum peccati illum, qui pergeret celebrare in tali Altari sine nova consecratione: Et hanc sententiam Arr. *de Euchar. d.* 55. *n.* 4. dicit esse tutam: Rationem dant Suar. *de Euchar. d.* 81. *s.* 5. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 6. *n.* 8. Dicast. *de Missa d.* 4. *n.* 148. quia quamvis in VII. Synodo aliisque Conciliis provincialibus olim dicatur, ut nullum Altare, nequidem portatile, consecretur absque Reliquiis SS. tamen Con. & Castrop. *tr.* 22. *p.* 9. *n.* 5. probant consideratis omnibus textibus nunquam id fuisse de præcepto sed de congruentia factum, ad resistendum eo tempore hæreticis, qui negabant honorem Reliquiis, nullo autem modo esse de necessitate, & si fuisset præceptum, *Vasq.* & alii dicunt consuetudine contraria exoleviſse, ideóque Altaria nunc consecrari absque ulla dependentia à Reliquiis, quod certum est & usus habet de portatilibus, de fixis autem etiam docent *Suar.* & alii, ideóque cum Sà & Lugo *de Euchar. d.* 20. *n.* 75. absolutè dicunt, non esse necessarium imponi Reliquias, saltem ideò, inquiunt Laym. Castrop. & Tamb. *de sacrif. l.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 10. quia pro tot Altaribus non facilè reperirentur satis probatæ Reliquiæ: Hinc *Ad* 1. Respondet Laym. *n.* 9. his verbis: *Non dicitur altaris consecrationem amitti, si sigillum frangatur sed si lapis sive mensa consecrata frangatur, in qua sigillum seu Reliquiarum receptaculum continetur.* Addit tamen ejusmodi Altaria esse iterùm consecranda, quia ita habet consuetudo, sed alii dicunt id esse consilii tantùm, hinc Castr. *n.* 6. tantùm dicit indecens esse recedere ab ea consuetudine. *Ad* 2. Etiam ista fiunt, quando consecratur Altare portatile, nam in Pontificali, De Altaris portatilis consecratione, sic habetur, *parantur: aliquæ Reliquiæ cum tribus granis incensi in altari recludendæ:* & postea Episcopus dicit, *consecretur & sanctificetur hoc sepulchrum, &c.* Et tamen nemo jam dicit de necessitate debere inesse sepulchrum vel Reliquias. Item quatuor cornua altaris tam fixi quàm portatilis sæpiùs signantur crucibus, inunguntur chrismate, thurificantur, cera & thus in eis cremantur, &c. adeóque circa ea cornua fiunt etiam præcipuæ cæremoniæ, & tamen, secundùm dicta *n.* 300. illis fractis & amissis licitum est celebrare in Altari, quamdiù sufficit ad sustentandum calicem & patenam. *Ad* 3. Id faciunt sequendo sententiam primam, quæ tutior est & consilii, vel quia non omnes sciunt secundam sententiam esse practicè probabilem. *Ad* 4. Respondet *Tamb.* suprà per hoc verum dici, quia Reliquiæ communiter adsunt & saltem sunt super Altare vel in templo, aut debet intelligi conditionaliter, si ibi sint, inquit *Castrop.* suprà, sicuti dicitur, Dominus vobiscum, orate fratres, ite Missa est, quamvis unicus Minister adsit.

Hæc sunt fundamenta utriusque sententiæ, quarum prima videtur probabilior, nam ratio secundæ plus non evincit, quàm quòd Altare fortè nunc consecrari possit sine sepulchro, & in eo sic consecrato licitè sacrificetur, non autem si consecratum sit cum sepulchro, quod postea effringatur, hoc tamen non obstante puto etiam secundum sententiam esse absolutè probabilem, nam si Altare sufficienter consecretur sine sepulchro, ideóque sepulchrum per accidens habeat ad consecrationem Altaris, non apparet, cui Altare non remaneat sufficienter consecratum, etiamsi tollatur sepulchrum.

§. 2 Si supponamus cum prima sententia, quòd 307
facto sepulchro tollatur consecratio, hæc non ideò rediret, per se loquendo, si per Episcopum reponerentur Reliquiæ, & iterum clauderetur sepulchrum, quia Altare semel execratum habet se, ac si nunquam fuisset consecratum, si autem nunquam fuisset consecratum non posset ab Episcopo consecrari per impositionem solius sepulchri. *Dixi*, per se loquendo, nam sicuti, secundum Gob. *n.* 337. Altaria & alia ejusmodi possunt desinere esse sacra ex voluntate solius Papæ, ita multo magis posset Papa dispensare ac velle, ut si reponatur sepulchrum, hoc ipso restituatur consecratio.

DUBIUM V.

Quæ sint requisita ad Missam.

RESP. Hæc sequentia. 1. Et quidem suo gra- 308
vi sacrilegio, Altare consecratum ab Episcopo „
vel Abbate (hunc enim Altaria, calices & campanas „
posse consecrare, etiam ad usum alienarum Ecclesia- „
rum docet Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 15. cum *Barbos. &* „
aliis 4. ex declaratione Card. & privilegio Inno- „
centii III.) vel Sacerdote privilegiato, stabile vel „
portatile: utrumque tamen ex integro lapide, „
quantum ad superiorem mensam, quæ consecra- „
tur; debetque esse tanta, ut possit capere cali- „
cem cum patena. Non sufficit autem hostias esse „
in ara consecrata, dum consecrantur, verum e- „
tiam debent (tam parvæ, quàm magnæ) in ea- „
dem relinqui tempore Sacrificii, & non alibi (li- „
cèt suprà aliud corporale) deponi, v. g. propter „
loci angustias; quia omnes sunt unica victima, „
& per modum unius consumuntur. Quaporter ru- „
bricæ Missalis eas supra corporale, ante vel „
post calicem poni vellunt. Hinc etiam minùs re- „
ctè faciunt, qui consecratione facta mox hostias „
minores à se consecratas, dant alteri Sacerdo- „
ti distribuendas populo; quia sicut Sacerdos „
non debet de sua hostia dare, priusquam ipse „
sumpserit, sic nec de aliis, cum sint una victi- „
ma & hostia, omnesque orationes, oblationes, „
& benedictiones sequentes non minùs spectent „
ad parvas hostias, quàm ad magnam: neque „
ante sumptionem Sacerdotis perfectè & integrè „
sacrificata sit victima, Lugo *d.* 20. *num.* 69. „
Eum tamen, qui contrarium fecerit, à peccato „
saltem mortali, imò si necessitas fuit expediendi „
Communionem populi, ab omni excusat Tamb. „
lib. 5. *exp. sac. c.* 5. „

2. Mappa linea triplex: etsi enim secundùm „
quosdam, una duplicata, imò secundùm Sà, „
Ang. Az. *c.* 28. *q.* 8. & Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 6. „
num. 17. una simplex sufficit in necessitate, „
Missale tamen Romanum, authoritate Clemen- „
tis VIII. & S. Pii V. editum expressè tres re- „
quirit, *tit. de defect.* uti & *Gav. Lug.* Ut ea be- „
nedicta sit, non est omninò necessarium, ut „
habet *Sylv.* Unde in necessitate vulgaris adhibe- „
ri potest, & aliis usibus reddi Laym. *l. c.* „

3. sub gravi sacrilegio, vestes sacræ, (hoc est be- „
nedictæ ab Episcopo, vel Sacerdote habente privi- „
legium, ut habent Mendicantium saltem Superio- „
res, sive Prælati: Vid. Tamb. *l.* 1. *c.* 3. §. 2. *exp.* „
sac.) quarum tamen colores non esse præcepti, sed „
directionis, notat Homob. apud Dian. *p.* 2. *tr.* 14. „
R. 57. In gravi autem necessitate etsi præstet, si „
sine scandalo fieri possit, Missam (cujus audien- „
dæ, vel faciendæ obligatio tunc cessat) omittere, „

licere

licere celebrare sine stola vel manipulo, vel etiam uti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere, vel stola pro cingulo, vel manipulo pro stola, docet Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. Dian. *R.* 57. *&* 67. contra Fill. *t.* 1. *l.* 5. *c.* 5. qui tamen concedit in necessitate sine ulla vel altera & minoribus, v. g. stola, vel cingulo celebrare, non esse mortale. V. Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 62. ubi contra Fill. ex Henr. & aliis sex, docet esse probabile, quòd ex parvitate materiæ excusari possit à mortali, qui secluso scandalo, & contemptu, aliquam harum circa necessitatem omittit, v. g. qui celebrat cum cingulo non benedicto, vel ejus loco utitur alia re. Denique metu moris aut gravissimi damni, licere aliquando celebrare sine sacris vestibus, & Altari, (dummodò non fiat in contemptum religionis) ex Az. *t.* 1. *l.* 1. *c.* 11. *q.* 11. docet Escob. *E.* 2. *c.* 2. Nav. Hurt. &c. Limitat autem Tamb. *c.* 5. §. 1. ita ut permittat sine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri ob scandalum, & irreverentiam, v. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 48. *& p.* 5. *t.* 3. *R.* 39. Porrò hujusmodi sacras vestes conficere ex profanis, v. g. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitum, Suar. Palaus, Tamb. *c.* 2. §. 4. qui monet §. 1. cavendum esse; ne sint valdè attritæ, ut & ne reliqua suppellex sacra sit valdè immunda, in quo graviter peccari potest, Suar. *l. c.* 2.

4. Sub mortali requiritur calix, & patena consecrata: si tamen in nondum consecratis aliquis bona, imò addit *Bord. & Tamb.* mala fide celebrasset, (licet celebrando peccasset mortaliter) probabile esse, quòd hoc ipso censeantur consecrata, liceatque in iis celebrare, contra Lug. & Laym. docet Dian. *part.* 2. *tract.* 14. *Resol.* 69. *par.* 5. *tr.* 13. *R.* 69. *& p.* 9. *t.* 7. *R.* 18. *& ex aliis octo.* Idemque de sacris vestibus, item de corporali, pyxide, &c. quæ immediate tangunt species, censet Tamb. *cap.* 3. §. 1. Ac licet decens sit, ut etiam pyxis, sive ciborium & luna seu sphærula hierothecæ, & quodcumque vas continens & immediatè tangens Eucharistiam, uti etiam, secundùm Lay. *l.* 5. *t.* 5. *cap.* 6. vasculum chrismatis continens benedicatur (benedicere autem præterea, in quibus unctio adhibetur, potest idem, qui cætera ornamenta) cum in Rituali Romano propria sit pyxidis benedictio, id tamen necesse esse, negant Suar. Hurtad. Lug. Tamb. *c.* 1. §. 6. nec esse necesse imponere pyxidi vas lineum benenedictum benedictione corporalis: Porrò calix, & patena confecta esse debent ex auro, argento, vel stanno, saltem quoad cuppam, (admittunt etiam aliqui ex plumbo, sed non ex ære, *C. ut calix, de cons. dist.* 1. quamvis Tamb. *c.* 1. cum *Hurt. Fag. & Gavant.* admittant etiam ex gemma, quæ æquè pretiosa sit ac aurum vel argentum, modò species non imbibat, nec sit periculum, ne effringatur: Ac licèt rubrica præscribat, ut saltem cuppa, & superior pars patenæ sit deaurata, eam tamen non obligare sub mortali *Gran.* imò nec sub veniali, propter usum contrarium, vult Tamb. *l. c.*

5. Corporale lineum, saltem quoad eam partem, qua hostiam vel calicem tangit *C. consulto, de cons. dist.* 1. (nam in extremitatibus potest esse sericum, vel auro elaboratum,) & benedictum ab Episcopo, vel privilegiato, *vid. comp. priv. Societatis JESU v. Bened.*) non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur. S. Th. Sylv. Bon. *d* 4. *q. ult. p.* 9. Lug. *d.* 20. *t.* 76. & Gav. *p.* 2. *t.* 1. ubi addit *Sa*; (& dicit esse communem) peccare mortaliter, qui utitur notabiliter immundo.

6. Palla item linea, qua parte calicem tegit (superiore enim parte potest auro constare, vel serico) quæ cùm habeat communem cum corporali benedictionem, ut potè cujus pars antiquitùs fuit, pro eodem servire posse, docet idem Lug. *l. c.* si sit satis capax.

7. Purificatorium item lineum, non tamen necessariò benedictum, ut contra *Laym.* docet *Suar. Gav. & Lug.* neque ulla reperitur in Ritualibus ejus benedictio.

8. Sub gravi peccato Missale, Canonem saltem continens, uti habet Bon. *& alii commun.* etsi *Led. & Laym.* doceant in gravi necessitate, licitum esse celebrare sine libro, ei, qui moraliter sit certus se non erraturum, & sic Lug. *loc. cit.* cum *Dian. &c.* probabiliter excusat eum, qui propter visus debilitatem legere non potest.

9. Minister (secundum *Nav. Fag. & Zerol.* sub mortali) & quidem masculus: in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi vel dandi Viaticum, posset quis sibi respondere, inquit Sà, Bon. & Dian. *Resol.* 43. ex aliis. In quo casu etiam fœminam adhiberi posse, docet Nugnus *art.* 6. *d.* 1. *& Sylv.* (idque quibusdam Belgii partibus consuetudine inductum esse, docet March. *Resol. past. cap.* 4.) contra communem, apud Laym. Fernand Dian. *loc. cit.* Tamb. *loc. cit.* & March. *de Ord. t.* 3. *cap.* 15. ubi vult id esse mortale. Ministrante tamen circa Altare viro, qui nesciat respondere, Moniales ex choro respondere non esse prohibitum notat Lugo, & Tamb. *l. c.* ubi etiam cum *Henriq. & Hur.* permitti celebranti, Missam ceptam prosequi sine Ministro, si hic fortè abiit, & aliquantulum expectatus non revertatur.

10. Crucifixus (nisi sit expositum Venerabile Sacramentum) non tamen sub obligatione gravi. Idem de velo Lug. *n.* 79. Gavant.

11. Candela accensa duplex ex cera, & quidem secundùm *Fag. Regin. Vasq. & alios*, sub mortali, contra *Nugnum & Machinum*: In necessitate tamen, præciso scandalo sufficit una etiam ex sebo; vel lucerna, aut lampas ex oleo V. Dian. *l. c.* Laym. *c.* 16. *num.* 17. Az. *cap.* 28 *q.* 15. Sine omni autem lumine celebrare nunquam licet, Lugo *n.* 77. adeò ut si extingueretur ante consecrationem, & aliud haberi non posset, Missam esse relinquendam, etiam in necessitate consecrandi pro moribundo Viaticum, dicit Fagund. *p.* 1. *lib.* 3. *c.* 22. *n.* 19. & Quint. *t.* 4. *f.* 1.

12. Requiritur etiam antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium, sed non benedicta, & si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis mutuò accipi, & deinde priori usui reddi potest. Tamb. *l.* 1. *c.* 1. §. 3.

13. Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate, sine licentia, ut docet Fag. Laym. Dian. *R.* 58. Et quidem Summi Pontificis, ut ex declaratione Cardinalium notat *Gav. & Tamb.* licet *Laym. & Scot.* Episcopis & cum Regularibus eorum Prælatis permittant: Quod Tamb. *l. c.* recte limitat ad casum necessitatis, in quo ad Papam difficilis sit recursus. Qui tamen sine venia faceret, eum non peccare mortaliter (secluso contemptu & scandalo) vult Ledesm. & Tamb. *l. c.* Quod Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 58. censet probabile, si tempus Canonis excipiatur.

Plura de his omnibus v. *apud* Auth. cit Gav. Dian. Laym. Bon. Lug. *d. 20. s.* 4. Escob. *E.* 11. ubi notat, etsi gravis sit obligatio servandi ritum celebrandi præscriptum *in rubricis* Missalis, ideóque grave sit, omittere v. g. oblationem hostiæ vel calicis, vel infusionem modicæ aquæ, Tamb. *l.* 2. *c.* 5. §. 2. nihilominus levitatem materiæ sæpè excusare à culpa, omissionem, etiam intrà canonem, mortali

„ net Esc. *l. c.* unde veniale tantùm erit.

„ I. Omittere orationes dici solitas, dum Sacerdos „ se induit, ut contra Nav. Sylv. & Azor. docet „ Lay. Fag. Dia. *R.* 21. *&c.* Lotionem autem ma- „ nuum ante vel post Missam (etsi facile omitti non „ debeat) non videri sufficientem materiam rigo- „ rosi præcepti tenet Suar. & Tamb. §. 6.

„ II. Omittere Gloria vel Credo; vel in Canone „ nomen alicujus Sancti; vel ea, quæ tempore Pas- „ chali interponuntur inter Communicantes, aut „ infra actionem, Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 49. *&* 89. ex „ *Fill. Quint. &c.* In Missa autem, quæ canitur, non „ legere Evangelium submissa voce, Dian. *R.* 4 negat „ esse peccatum, ex *Sanch. & aliis* 10 quòd Rubrica „ sit tantùm directiva: Si quis autem in Missa adver- „ tat aliquid à se omissum, regulariter non esse repe- „ tendum, ait Suar. Tamb. *c.* 5. Dicit *regulariter*: „ quia 1. Si sit de substantia, v. gr. aliquid pertinens „ ad consecrationem, certum est debere repeti, 2. „ Si dum secretò orat, post pauca verba certò adver- „ tat, se aliquid notabile omisisse, (v.g. die Paschæ, „ Communicantes,) paululùm regrediendum esse, & „ repetendum censet Tamb. *l. c.* Ita Fill. Dian. *R.* „ 59. Esc.

„ III. Ex devotione leve aliquid in Missa (etiam „ dum secretò orat) addere, v. g. orationem Domi- „ nicam, vel Psalmum aliquem; vel in Canone no- „ minibus Sanctorum nomen Patroni loci, Tamb. *l.* „ 5. *c.* 5. Dixi, *leve*; quia notabiliter addere, esse „ mortale vult idem Tamb. *l. c.* ex Bon. *d.* 4 *q. ult.*

„ IV. Celebrare ante dictum Matutinum, ut con- „ tra *Az. & Reg.* docet *Sylv. Valent. Suar. Vasq. Less.* „ *Fag. Laym. &c.* quorum plerique tamen cum *Palao* „ dicunt esse veniale, si fiat sine causa; licèt & hoc „ Tamb. *l.* 1. *a.* 7. §. 1. in dubium vocet.

„ V. Quæ alta voce dicenda præscribuntur, adeò „ submissa dicere, ut adstantes audire non possint, „ Tamb. *l.* 2. *c.* 9. quidquid dicat Nav. apud Sà. v. „ *Missa.* Imò notat idem Tamb. ex Lug. *d.* 22. *sect.* „ 2. à timoratis passim sine scrupulo voce depressa „ legi.

„ VI. Mutare Missam, & die Dominico vel festo „ duplici, vel iis diebus, quibus prohibetur fieri de „ festo duplici (v. g. infra Octavas Epiphaniæ, Pas- „ chatis, &c. Feria IV. Cinerum, infra hebdomadam „ majorem; Vigilia Nativitatis Domini) sine gravi „ causa legere votivam, vel pro defunctis, vel de „ alio Sancto in numerum SS. relato, Suar. Dian. „ Lug. *l. c.* Escob. contra Quint. *qui t.* 7. *s.* 4. putat „ in hebdomada sancta licere legere votivam; quod „ refutat Gav. Dian. *p.* 9. *tr.* 8. *R.* 53. ex *Dec Card.*

„ Dixi 1. *sine gravi causa*: talis autem censetur, 1. „ quæ spectat ad bonum Reip. vel Principis, v. g. „ necessitas pluviæ, ingruentis belli vel pestis vel si- „ milis mali universalis: item solemnis gratiarum „ actio, solemnis expositio Eucharistiæ, v. g. diebus „ antecineralibus in oratione 40. horarum, Tamb. „ *l.* 2. *c.* 6. 2. Quando cadaver præsens est in Eccle- „ sia, ubi usus obtinuit, Gav. *p.* 1. *t.* 5. 3. Si quis „ celebret in Ecclesia, in qua agitur dies festus loci „ proprius; hunc enim non tantùm posse, sed debe- „ re ex congruitate conformare se loco, notat Gav. „ V. Tamb. *qui* §. 2. *&* 4. addit etiamsi Sacerdos (accep- „ to stipendio) homini promiserit votivam, vel pro „ defunctis, etiam in Altari privilegiato, non solùm „ posse, sed debere celebrare Missam currentem die- „ bus, quibus istæ prohibentur. Imò etsi Deo per vo- „ tum, tales Missas promiserit, non tamen ad eas obli- „ gari istis diebus, eò quòd votum non obliget, quan- „ do impedit bonum majus, quale esse dicit confor- „ mitatem Officii cum Missa; secus diebus aliis.

„ Dixi 2. *In numerum Sanctorum relato*, quia sit Beatificatus tantùm, de quo certis Sacerdotibus, „ (v. g. quorum Ordinis fuit,) concessum sit Mis- „ sam legere, docet Gran. 2. 2. *cont.* 1. *c.* 7. *d.* 4. *s.* 2. „ *n.* 2. *& Esc.* ob. contra *Palaum*, non licere aliis Sacer- „ dotibus, etsi nullum aliud sit festum, de eo lege- „ re, eò quòd sic expressè determinarit Sacrorum ri- „ tuum Congregatio, apud Gav. V. Esc. *n.* 41. & „ Tamb. *l. c. cap.* 6. ubi *Palaum* sequens dicit con- „ trarium esse probabilius, ac magis pium: Imò de „ Sanctis Societatis certum esse, si celebrent in tem- „ plis ejusdem Societatis, ex concessione Pontificum: „ Idem tenet Quintan *t.* 7. *sing. l. c.* „

VII. Si quis violet rubricam spectantem ad essen- „ tiam vel quasi essentiam Missæ, vel si nullam planè „ servet, peccat mortaliter, Esc. ex Fag. *p.* 1. *l.* 3. „ *c.* 21. *n.* 9. „

ADDENDA.

Quæst. 41. *Quid circa altaria sit prætereà notan-* 309
dum? R. Præter dicta *à n.* 300. de Altarium execratione, advertenda sunt seq. § 1. Si quis sine Altari consecrato, vel enormitet fracto ideóque execrato celebret, peccat mortaliter, Pasq. *q.* 699. Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 279. Non est tamen opus petere aut inspicere, an Altare sit consecratum & integrum, ut enim prudenter censeatur esse tale, quale esse debet, sufficit, quòd sit celebrationi expositum ab iis, ad quos pertinet attendere, Pasq. *q.* 700.

§. 2. Post Communionem Sacerdotis possunt parvæ 310
hostiæ ab eo consecratæ poni extra aram in corporali, uti habet communis cum Aversa *q.* 11. *s.* 13. §. *Super*, contra *Vasq.*

§. 3. *Az. Barb. Quart. Tamb.* aliique communiter 311
cum Less. *in Auct. Consecratio cas.* 2. docent solum Papam posse simplici Sacerdoti committere consecrationem Altaris fixi, quamvis aliqui apud Henao *n.* 1796. putarint posse Episcopo committi Abbati. Quoad portatilia sciunt Nuntios Apostolicos Missionariis sæpius ad hoc dedisse potestatem.

§. 4. Joannes Andræ putavit, si desint Reliquiæ, 312
posse earum loco in sepulchro Altaris recondi particulam hostiæ consecratæ, sed Aversa §. *Debet*, meritò hoc reprehendit tanquam alienum à lege & ratione.

§. 5. Secundùm aliquos cum Pasq. *q.* 683. & 313
Gob. *suprà*, Altaria per hoc sanctificantur substantialiter & sufficienter in ordine ad licitè celebrandum, si quis etiam mala fide in eis Missam legerit, quia Missa est sanctissima actio, & attactus Corporis Christi censetur afferre consecrationem: alii tamen melius contradicunt, secundùm dicta *n.* 281. & dicenda *n* 352.

§. 6. Communis sententia est Authorum, quos re- 314
latis locis citat, & sequitur Henao *n.* 1797. lapidem altaris fixi debere esse unum, qui simul contineat hostiam, & calicem, nec posse constare duobus adunatis, quia alioquin in duobus altaribus fieret consecratio, in uno hostiæ, in altero calicis, sicque quasi divideretur Sacrificium, quod illicitum est. Sed quod altare portatile attinet, putat Hurt. & Pasq. *q.* 694. tot modis posse fieri ex duobus lapidibus, quot modis conjungi possunt hi unione aliqua artificiali, adeóque secundùm ipsos sic formari potest, 1. ut capsula lignea habeat in se immobiliter insertos duos lapides, qui ratione capsulæ claudi, & aperiri possint instar libri, ita tamen ut maneant contigui, quando aperiuntur, sic enim putant fieri unum ratione capsulæ, in qua continentur. 2. Ut duo lapides ad modum libri nexu ferreo, aut alterius materiæ permanente inficem connectantur ante consecrationem. 3. Ut duo lapides alio modo artificiali jungantur, sicut calix tornatilis, cujus pars superior potest separari ab inferiore.

inferiore. Et ideò docet etiam Gob. *n.* 269. altaria fixa fieri posse ex gypso, aut solis lateribus admixto cæmento lateres illos conglutinante: sed etiam altaria portatilia debere constare unico lapide, docent plerique cum *Henao* suprà.

315 §. 7. Altare fixum consecratum destrui non potest inconsulto Episcopo, etiamsi nulli esset usui, Barb. Tamb. *n.* 272. An autem Episcopus possit altare, & cum eo fundationem transferre de uno loco Ecclesiæ in alium, dixi *L.* 4. *à n.* 856.

316 §. 8. Decretum, quod olim fuit, ne quis celebret in eodem altari, in quo celebravit eo die Episcopus: nunc exolevit, Az. Laym Castrop. Tamb. Quarti, Dicast. Pasq. *q.* 1235. Imò si Episcopus celebrans deficeret, posset ejus Missam complere simplex Sacerdos, uti dicetur *num.* 551.

317 §. 9. Si unum portatile non possit cum hostia, & calice capere omnes particulas consecrandas, illicitum esset has collocare, & consecrare in alio portatili vicino, quia ratione duplicis altaris resultaret duplex victima. In necessitate tamen communicandi exercitus ituri ad prælium putant aliqui id fore licitum, quod probabile esse agnoscit Henao *n.* 1802.

318 *Q.* 42. *Quid addendum sit circa Crucem pro Missa?* Resp. seq. §. 1. *Jord. Gav. Laym. Busemb.* & alii requirunt Crucifixum pro Missa: E contrà Missale, *Suar. Vasq. Dicast. Verj.* aliique multi loquuntur solùm de Cruce, ideóque probabile est saltem in necessitate sufficere solam Crucem, etiamsi absit imago Christi affixi, præsertim cùm crux sit vera imago Crucifixi. Usus tamen habet, ut sit simul Crucifixus.

319 §. 2. Sufficit, si pro icone altaris depictus sit, aut aliter fabrefactus Crucifixus, *Tamb. Quarti*, & alii contra Gav. *p.* 1. *t.* 20. *l. V.* Etiam sufficit crux, qualis est in depositione Christi, uti Beata Virgo Christum de Cruce depositum tenet in sinu, Pasq. *q.* 716. Etiam sufficit Crucifixus depictus in tabernaculo, aut carta aliqua, si alius facilè haberi non potest, *Gob.* Imò. *Tamb.* est contentus Crucifixo, vel Crucifixo depicto in pariete, aut in tabula ad latus, sed probabiliùs repugnat *Gav.* suprà, quia debet in medio exponi ad venerationem, ideóque rubricæ præcipiunt, ut ad Crucem in medio altaris sæpè fiat inclinatio capitis. Hinc etiam rectè notat *Pasq.* suprà, si tantùm adesset imago Christi bajulantis Crucem, non sufficere, quia Crux illa non censetur exposita ad venerationem.

320 §. 3. Melius est etiam ex sola devotione celebrare sine omni Cruce, quàm ob defectum Crucis non celebrare, Vasq. Fagund. Gob. *t.* 3. *num.* 296. Pasq. *q.* 717. Sporer *num.* 386. nam communis, & probabilior sententia est ad summum sub veniale requiri Crucem, Suar. *de Euch. d.* 81. *s.* 6. Vasq. Lugo, Vill. Bonac. Eusemb. Quarti *p.* 1. *t.* 20. *dub.* 10. Dian. *part.* 1. *t.* 15. *R.* 28. Sporer suprà, quia ubi non constat, non sunt inducendæ obligationes sub mortali, *S. Th. Suar.* aliique cum Dian. *p.* 10. *t.* 12. *R.* 57. In tali autem casu obligationis venialis tantùm, excusat impotentia habendi.

321 §. 4. Si Venerabile sit expositum, non est opus Cruce secundùm Vasq. Jord. Aversam, Tamb. Lugo, Gob. Busemb. Lohn. *p.* 1. *tit.* 3. *n.* 5. contra Pasq. *q.* 715. & alios; non tamen contra *Gav.* suprà, qui tantùm loquitur de altari, in quo Venerabile semper asservatur clausum. Referunt tamen aliqui hanc declarationem S. Congr. 14. Maii 1707. *Quando super altare expositum est Venerabile, debet etiam in eo collocari Crux cum Imagine Crucifixi.*

322 *Q.* 43. *Quid circa mappas, & antipendium sit addendum?* R. seqq. §. 1. Duas mappas nunc sufficere, etiamsi non tegant totum altare, docent Henriq. Suar. Laym. Bonac. Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 289. Spor. *n.* 378. & alii plures contra *Gav. & Jord.* sic enim habet usus, & pro tertia servit corporale, Verj. *t.* 8. *a.* 7. *n.* 2.

§. 2. Mappa non debet esse ex serico, vel lana, sed 323
ex lino, cannabe, vel gossipio: partes tamen dependentes possunt aliter ornari, Pasq. *q.* 708.

§. 3. Una longa mappa potest servire pro pluri- 324
bus, si duplicetur vel triplicetur saltem quoad illam partem, in qua est lapis consecratus, aut si totum altare sit consecratum, in qua reponitur calix, & patena, Pasq. *q.* 707.

§. 4. Sine necessitate celebrare absque ulla mappa 325
est mortale: si autem adsit gravis necessitas, nullum est peccatum, Pasq. *q.* 712. Hinc Sylv. Az. Suar. Laym. Tann. Tamb. Spor. *n.* 379. dicunt in necessitate adhiberi posse non benedictam, quæ peracto Sacrificio redeat ad usus profanos.

§. 5. Antipendium potest esse ex asseribus, vel 326
alia materia coloribus inducta, Jordan. Gob. *n.* 290. Potest etiam relinqui nudum marmor, vel lapis politus, quia seipso est ornamentum: putatque Pasq. *q.* 713. nullum esse peccatum celebrare absque omni ornatu, & antipendio, maximè si fiat ex paupertate, sed *Quarti* dicit fore veniale omittere, si haberi possit.

Q. 44. *Quid circa vestes sacras, Corporalia, Purifi-* 327
catoria, & alia paramenta sit præterea notandum? R. seqq. §. 1. Humerale seu amictum non adhibere est tantùm veniale in illis, qui non ad caput tegendum, sed in solis humeris ferunt, Pasq. *p.* 810.

§. 2. Si Parochus non haberet ullam Albam be- 328
nedictam, posset die festivo celebrare in non benedicta, Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 323.

§. 3. Cingulum, cujus nulla pars sufficit ad cin- 329
gendum, amisit benedictionem, Pasq. *q.* 806. Pars sufficiens ad cingendum retinet benedictionem, & ad majorem commoditatem potest ei iterum innodari pars altera insufficiens, quamvis enim per hoc non recipiat benedictionem, tamen totum licitè adhibetur ad usum, Averf. Sporer *n.* 413. Et licèt idem dicant plures, quamvis neutra pars de se sufficiat, tamen rectè cum aliis contradicunt Averf. & Henao *n.* 1809. Si Casula haberet ligamina, quibus Alba posset substringi, hæc servire possent loco cinguli, Pasq. *q.* 810.

§. 4. Celebrare sine velo calicis, quando nullum 330
habetur, non est peccatum, nam velum, manutergium, pulvinar pro libro requiruntur ob decentiam tantùm, nec benedicuntur. Bursa sive theca corporalis potest planè omitti, Sporer *n.* 4000.

§. 5. Non est mortale celebrare sine purificatorio, 331
quando non potest facilè haberi, Gob. *n.* 314. Et cùm purificatorium non requirat benedictionem, potest pro eo adhiberi, strophiolum mundum, quo tamen postea non ampliùs erunt tergendæ nares, *Suar. Averf. Gob. Sporer suprà.* Debetque purificatorium prima lotione ablui à persona sacra, Pasq. *q.* 784. qui cum *Suar.* dicit sufficere, si habeat primam tonsuram.

§. 6. Putat *Suar.* mortale esse extra necessitatem 332
celebrare sine palla calicis: sed hoc negant *Sot & Rod.* Si autem desit, aut per quadrantem expectari deberet, potest loco ejus ad tegendum calicem adhiberi aliud corporale, aut hoc deficiente, purificatorium, aut etiam bursa, Gob. *n.* 316. Spor. *n.* 398.

§. 7. Mortale est nullum habere corporale, aut 333
uti non benedicto, nisi excusat gravis necessitas, Pasq. *q.* 790. Putatque *Dicast.* fore duplex mortale, si celebretur, & absque altari, & absque corporali, cujus ratio dabitur *n.* 1112. Posse autem corporale, & pallam esse etiam ex cannabe, probat usus, Gob. *n.* 314. Etiam posse esse ex gossipio docet *Verr.* & in Indiis talis usus est communior, Verj. *a.* 7. *n.* 3.

§. 8. *Corporalia* post primam lotionem lavari 334
possunt à Monialibus vel laicis, quamvis *Suar.*

Bonac.

Bonac. & alii dicant convenientius esse, ut tribus lotionibus laventur à persona sacra. Non est mortale, si laicus prima lotione lavet: & sufficere esse clericum tonsuratum dicunt Suar. & Pasq. *q.* 784. Neque peccatum est, secluso contemptu, si aqua primæ lotionis non injiciatur in sacrarium, sed in alium locum decentem. Unde nec erit mortale, si abluantur in fluvio currente, Pasq. *q.* 795.

335 §. 9. Si infirmus esset communicandus, & deesset alicui stola, vel Alba, Verj. *a.* 6. putat fore mortale, sine uno horum ei Communionem porrigere, quia hæc videntur spectare ad reverentiam intrinsecam Sacramento debitam; sed probabilius est oppositum, quia non est positiva irreverentia, sed tantùm omissio majoris reverentiæ, & necessitas hominis, propter quem instituta sunt Sacramenta, videtur excusare.

336 §. 10. Si paramenta non sint enormiter immunda, est tantùm veniale in illis celebrare, quamvis foret ipsum corporale, *Marchant.* Imò usurpare vestes, aut paramenta non munda, quando alia haberi non possunt, non est peccatum. Su. Gob. *n.* 389.

337 §. 11. Vestibus sacris uti ad comœdiam profanam vix vacat culpa mortali, Suar. Gob. *n.* 389. Detritæ autem non sunt adhibendæ ad usus profanos, sed vel exurendæ, vel è majoribus faciendæ minores, v. g. ex Albis humeralia, aut superpelliceum, ex Stola manipulus, *Tann. Gob.*

338 *Q.* 45. *Quid dicendum sit de casu, in quo mors intentatur Sacerdoti, nisi consecret extra Missam, sine sacris vestibus, sine Altari, calice &c.* Resp. Præter illa, quæ habet *Busemb.* hìc notanda sunt seqq. §. 1. Dixi *p.* 1. *à n.* 156. talem Sacerdotem gravissimè peccaturum, si verba consecrationis proferret sine intententione consecrandi, sed posse alia verba submissè dicere: possuntque de hoc plura videri apud Henao *à n.* 1776.

339 §. 2. Si mors intentetur, nisi celebret sine sacris vestibus altari aut calice Caj. Nugn. Sanc. Castr. Fill. *t.* 5. *n.* 148. Verj. *t.* 8. *a.* 6. dicunt celebrare non posse, aut consecrare, quia est intrinsecè malum, eò quòd ista spectent ad intrinsecam reverentiam Sacramento debitam. E contrà Az. Pasq. Valent Sal. Becan. Bonac. Dian. *par.* 11. *t.* 6. *R.* 15. & 25. Pasq. *q.* 701. Gob. *t.* 3. *n.* 339. Requel. *d.* 15. *n.* 65. Sporer *n.* 396. & 408. dicunt non esse intrinsecè malum; ideoq; licere ex metu mortis, sed rectè notat Av. *q.* 11. *s.* 13. casum in praxi vix habere locum, quia vix aberit contemptus fidei, vel Religionis, qui si adsit, erit illicitum. Videri potest Henao *à n.* 1784.

340 *Q.* 46. *Quid circa colorem paramentorum sit notandum?* Resp. seqq.

§. 1. Rubricam de coloribus esse tantùm directivam, nec inducere obligationem, præter citatos à *Busemb.* docent Suar. Averl. Quarti *p.* 1. *t.* 18. *dub.* 1. Innuit tamen Gob. *t.* 3. *n.* 382. fore mortale, si in Paschate celebraretur in nigris. Color autem aureus sive croceus æquivalet omni colori, quia omnes ad illum concurrunt, Quarti *dub.* 2.

341 §. 2. In defectu adhiberi potest manipulus, vel Stola diversi coloris, & materiæ ab invicem, & à casula, Pasq. *q.* 807. Addunt Gob. & Spor. *n.* 415. melius esse quocumque die celebrare in quocumq; colore, quàm non celebrare, potestque facilè velum alterius coloris adhiberi, si non adsit ejusdem.

342 §. 3. Color *violaceus* adhibetur in Adventu, quatuor temporibus, & vigiliis omnibus non excipiendis; Festo S. Marci, & in Rogationibus. A Septuagesima, & per Quadragesimam. In Missis de Passione, tempore belli, pro pace, iter agentibus, infirmis, & pro aliis similbius necessitatibus (exceptо pro electione Papæ, tum enim est liber) Festo SS. Innocentium, si non incidat in Dominicam; octava autem, aut si incidat in Dominicam, habet rubrum.

Albus color adhibetur die Jovis sancto. A Sabbato sancto inclusivè usque ad vigiliam Pentecostes. Vigilia Epiphaniæ, & in Epiphania. Festis SS. Trinitaris, Christi, B. Virginis, Angelorum, omnium Sanctorum, Sanctorum non Martyrum, Conversionis S. Pauli, S. Petri ad vincula, & utriusque Cathedræ, stigmatum S. Francisci, SS. Joannis Evangelistæ, & Baptistæ, omnibus dedicationibus, pro sponsis.

Ruber, Vigilia Pentecostes, per Pentecosten, quatuor temporibus post Pentecosten: De Spiritu sancto, De Cruce, De Apostolis, De Martyribus; in Decollatione S. Joannis Baptistæ: Festo S. Joannis Evangelistæ ad portam latinam: In commemoratione S. Pauli.

Viridis, ab octava Epiphaniæ ad Septuagesimam exclusivè. Ab octava Pentecostes ad Adv. exclusivè.

Niger, In commemoratione omnium fidelium: Die Veneris sancto, pro defunctis semper.

343 §. 4 Color festi servatur per octavam, quando fit de octava, & in Dominicis occurrentibus infra octavas, quamvis officium & Missa sit de Dominica. Excipe, si Dominicæ infra octavam occurrentis color esset violaceus: tum enim adhibetur violaceus.

344 §. 5. Quando infra octavas licebat facere de festo ad libitum, ad summum sumebatur casula, & velum convenientia huic festo, aliqua habebant colorem Octavæ, uti notant Guyetus, & Gob. *in experientiis tract.* 5. *n.* 650. *Lit. X. Dixi*, quando licebat, nam nunc prohibitum est, non quidem per Decretum 24. Januarii 1682. datum, quod retuli *lib.* 4. *n.* 1269. illud enim tantùm loquitur de diebus octavis, non autem de diebus infra octavas, sed per aliud Decretum datum posteà 19. Januarii 1693. quod referam *n.* 1355. & est Decretum ibi. 220.

345 *Q.* 47. *Quid adhibendum sit circa Calicem, patenam, ciborium, Pierothecam, sive Monstrantiam?* Resp. seq. §. 1. Si calix stanneus si antehac consecratus, v. g. ob paupertatem, certum videtur posse in eo celebrari, Synodus tamen Colonienſis anno 1662. habita mandat p. 89. ut saltem omni mense mundetur, & defricetur. Et idem est de calice ex ære, aut quovis alio metallo, dummodò cuppa sit interiùs inaurata. Pasq. *q.* 767. Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 306. Et multò magis ex stanno, quamvis cuppa non esset deaurata, Pasq. *q.* 765. 770. Et licèt pes ejus esset plumbeus, *Cob. suprà.*

346 §. 2. Major difficultas est, an etiam nunc, quamvis non cogat paupertas, primò consecrari possit calix, si sit tantùm stanneus: Affirmant S. Th. 3. *p q.* 83. *a.* 3. *ad* 6. Suar. *de Euch. d.* 81. *s.* 7. *concl.* 2. Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 9. *n.* 17. Art. *d.* 55. *n.* 10. Pasq. *q.* 765. Dic. *de Euc. t.* 5 *d.* 4. *dub.* 9. *n.* 170. Bus. suprà: Fundamentum sumitur ex Rubrica Missalis *tit. de defectibus* §. 10. ubi absolutè dicitur cuppam calicis debere esse auream, vel argenteam, vel stanneam. Huic opinioni contradicunt *G. Hurt. Lugo, Quarti, Tamb. & alii*, qui probant ex anteriore Rub. *tit. de ritu servando* §. 1. ubi dicitur calicem debere esse aureum, vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteâ deauratam. Rubricam *tit. de defectibus* explicant secundùm cap. *Ut calix*, 45. *de cons. dist.* 1. ubi statuitur ut calix ex auro, vel argento fiat, aut si quis tam pauper est, ex stanno; hinc plerique admittentes posse fieri ex stanno, expresè addunt, si paupertas postulet, uti Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 6. *n.* 12. Præp. *de Euch. q.* 83. *a.* 3. *dub.* 5. & alii passim: Reliqui, uti *Az. Reg. Fill. Castrop. Amic.* expresè referunt se ad cap. *Ut calix*, ubi

ubi dicit, *si tamen pauper sit*: unde perperàm citantur pro prima sententia, sicuti & Gav. *p. 2 t. 1. §. 1. Lit. F.* ubi tantùm dicit potiùs faciendum esse ex stanno, quàm ex ære, vel aurichalco.

Puto utramque sententiam esse probabilem, per se loquendo, nam ex Rubrica tit. de ritu, non concluditur efficaciter, alioquin cuppa etiam argentea deberet intus deaurari, quod passim negant authores. *Dixi*, per se loquendo: nam si propter exemplum prævideretur futurum, ut passim in Ecclesiis usus calicum stanneorum invalesceret, putarem nullum consecrandum, sed requirendum saltem quoad cuppam argenteum, prout nunc habet communissimus usus, multum conferens ad reverentiam, & honorem sanctissimi Sacramenti, qui temerè, & sine justa causa imminuendus non est. Notat tamen *Gob.* Theologos in magna paupertate nequidem repudiare plumbeum; admittitque etiam *Fagund.* ex ære, vel aurichalco, dummodò cuppa sit inaurata, quam inaurationem, si sit stanneus, non requirunt *Tamb. Gob. Sporer*, & alii communiter, nequidem sub veniali, quamvis præscribat Rubrica.

347 §. 3. Non est opus, ut patena sit ejusdem materiæ cum calice, debet tamen esse materiæ alicujus, cujus debet esse calix, Gob. *n.* 317. Spor. *n.* 393. Attamen Fill. *t. 5. n.* 130. notat confici solere etiam ex aurichalco, sive ære deaurato, saltem ex parte superiore, ut habent Spor. suprà, & Aversa *q. 11 s. 13. §. Secundò*; Mandatque *Syn. Colonienſis* pag. 82. ut pyxides, quibus hostiæ ad ægros deferuntur, sint ad minimum ex ebore, vel stanno, non ligno, nec ære, vel cupro.

348 §. 4. Trullench. apud Pasq. *q* 778. putat ciborium debere consecrari, sed probabilius negant *Gav. & Pasq.* quia in Pontificali Romano tantùm habetur benedictio, in qua nulla fit mentio chrismatis, vel unctionis; si tamen consecraretur, uti morem esse Romæ dicit Pelliz. *de Regul. t. 8. c. 5. §. 104.* illi soli possent consecrare, qui calices, uti ex declaratione S. Congregationis habet Novarius in Lucerna Regularium v. *Benedicere n.* 3. Quamvis autem non consecretur Ciborium, tamen de necessitate esse benedicendum, docent *Durand. Suar. Barb. Fill. Amic. March. Dicast.* aliique valdè multi apud *Pasq.* suprà: E contrà esse tantùm de congruentia benedicendum, docent *Sylv. Sot. Vasq. Bon. Pasq.* & alii etiam multi cum Sporer *n.* 401. Quòd Laym. *l. 5. t. 5. c. 6. n.* 22. dicit esse usitatum in his partibus, & valdè decens, ut benedicatur: possuntque benedicere Superiores Mendicantium, uti & cætera paramenta, in quibus non intervenit unctio.

349 §. 5. *Dicast.* putat esse quidem decens, non tamen obligationem ullius legis, aut consuetudinis, ut ciborium continens particulas sacras collocetur supra aliquod corporale, sed Gob. *n.* 336. rectè notat apud nos Germanos esse saltem consuetudinem, & reipsa est obligatio ad istam reverentiam. Claves tabernaculi, nec relinqui debent in Sacristia, nec à laico servari, sed à solo Sacerdote, S. Congr. 22. Feb. 1593.

350 §. 6. Monstrantiæ benedictio non requiritur, *Laym.* tamen innuit benedici lunulas, quibus imponitur hostia consecrata: & *Quarti* consulit, uti benedicatur eadem benedictione, qua pyxis, sed *Pasq.* dicit nequidem de congruentia esse opus lunulam benedici, cum pro hac non sit instituta benedictio: verùm cum sit usus, & decentia, videtur sequendum consilium *Quarti*.

351 §. 7. Fieri debet aliquando renovatio Ciborii & Monstrantiæ, ne species nimium antiquæ corrumpantur, vel muceſcant. Et si aura sit humida, facilius corrumpuntur, quàm si sit sicca, hinc tum non debet tamdiù expectari, præsertim in hyeme. Meritò fit singulis mensibus. Quando autem renovabitur Monstrantia, Sacerdos debet consecrare duas hostias majores, quarum unam ponat in Monstrantia alteram sumat cum illa, quam è Monstrantia recipit, quia debet sumere hostiam de suo Sacrificio.

352 *Q.* 48. *Quid præterea sit notandum circa benedictionem vestium, consecrationem vasorum, & locorum sacrorum?* R. seqq. §. 1. Putant aliqui cum Dian. & Pasq. *q.* 840. Vestes, & ejusmodi paramenta, imò & vasa per usum in Sacrificio etiam mala fide factum substantialiter benedici, ideóq; alium eis utentem non peccare, quamvis fateantur posteà pro occasione esse ritualiter benedicenda, quod probabile esse dicit *Jordan.* & admittit *Gob.* de solis rebus Christum immediatè contingentibus: sed conformiter ad dicta *n.* 281. meliùs contradicunt Lugo, Dicast. Tamb. Aversa *q. 11. s. 13.* Sporer *n.* 412. Verj. *t. 8. ar. 6.* quia talis consecratio, vel benedictio extraordinaria deberet provenire à voluntate Papæ, qui nunquam declaravit, imò si interrogaretur, certò reclamaret, maximè contra talem usum illicitum, quia *non est malitiis hominum indulgendum*, Cap. *Plerumque*, De Rescriptis.

353 §. 2. Aversa §. *Sextò*: sic habet: *Abbates Pontificalia exercentes, etiam Regulares, habent facultatem benedicendi sacra vasa, id est sacrum lapidem, & calicem cum patena, &c. in quibus intervenit unctio sacri chrismatis: & habere adhuc hanc facultatem non solùm pro suis Ecclesiis, sed etiam pro extraneis, defendunt* AA. Tamb. Bord. Gav. *dicentes non fuisse per declarationes S. Congreg. revocatam hanc facultatem pro Ecclesiis extraneis quantum ad hæc sacra vasa quamvis revocata sit quoad sacra indumenta.* Prælati *Regulares habent facultatem benedicendi sacra ornamenta & indumenta, non autem sacra vasa, in quibus intervenit unctio sacri chrismatis.* ∴ *Jam verò id non possunt Regulares pro extraneis Ecclesiis, ex declaratione S. Rituum Congr. 24. Aug. 1609. & 18. Aug. 1629. Nec Episcopus potest absque licentia hanc benedictionem aliis delegare, ex S. Congr. 14. Nov. 1615.* Hucusque *Aversa*. Docet tamen A. Tamb. *de Jure Abbatum d. 22.* Superiores Ordinum mendicantium adhuc posse etiam pro extraneis, ubi est usus. Et Spor. *n.* 411. testatur Superiores sui Ordinis Seraphici bona fide id facere passim, permittentibus, & sæpè ad eos remittentibus Episcopis. Scio etiam factum sæpiùs per Rectores Societatis JESU: Et idem innuit Pelliz. *t. 2. tr. 8. c. 5. n.* 110. & absolutè docent Tamb. Pasq. *q.* 803. Gob. *t. 3. à n.* 356. Nomine rectoris autem in Societate putat Lugo *in Resp. mor. l. 4. d. 39. n. 6.* venire etiam Rectorem Seminarii habentem sub se personas Societatis.

354 §. 3. An Abbates de Jure communi habeant, disputat fusè in utramque partem Mendo. *d. 13. q. 21.* & concludit habere, vel ex privilegio, uti innuit *Aversa*, vel saltem ex consuetudine, uti habent Zab. Mend. Less. *in auct.* v. *Consecratio, Casu 1.*

355 §. 4. De consecratione Ecclesiarum, dictum est *à n.* 279. & de consecratione altarium, *à n.* 300. & 309. De benedictione autem campanarum dicetur, *n.* 406.

356 §. 5. Docent cum communi Aversa & Gob. *n.* 367. si vestis aliqua ita frangatur, aut laceretur, ut amplius non serviat ad usum, ad quem benedicta est, amittere benedictionem, uti si anterior pars casulæ à posteriori separetur, si albæ detrahatur una manica, quamvis reassuatur, Verj. *n.* 6. Excipit *Aversa*, nisi manicæ ita fuissent ab initio aptatæ, ut globulis, vel funiculis possent alligari, & solvi, idem enim tum esset, quod de calice habente junctura tornatilem inter cuppam, & pedem, Addit Gob. *n.* 369. si ex Albis fiant humeralia, probabilius esse, quòd hæc debeant de novo benedici, quia amiserunt benedictionem

nem humeralis, fatetur tamen probabile esse, quòd sint benedicta, quia Alba, & humerale unam habent benedictionem. Quòd si v. g. casula nova tela, vel serico suffulciatur, non est opus benedictione, uti nec tum, si talis aliqua vestis resarciatur, Sporer *n.* 397. De cingulo, quando amittat benedictionem, dictum est *n.* 329.

357 *Q.* 49. *Quid notandum sit circa contactum sacrorum vasorum?* Resp. seq. §. 1. Clericos sola prima tonsura initiatos tangere posse sacra vasa extra Sacrificium docent Suar. Tambur. Quarti, & alii apud Gob. *t.* 3. *à n.* 329. contra Fill. *t.* 5. *n.* 135. qui id negat, eò quòd tonsuratis hoc concedatur per privilegium: sed contrà est, nam multa privilegia conceduntur propter opiniones contrarias ad tollendos scrupulos; quamvis autem videatur esse consuetudo contraria non tangendi, tamen secundùm *Suar.* non obligat, quia introducta est ex errore, quòd esset prohibitio, quæ non est: & fatetur Fill. apud Pasq. *q* 837. acolythis ministrantibus licere etiam in Sacrificio tangere sacra vacua per concessionem Martini Papæ Cap. *Non liceat*, penult. dist. 23.

358 §. 2. Sà v. *Sacra num* 3. dixerat sacra vasa vacua à laicis sine contemptu tangi, aut nullum, aut leviſſimum esse peccatum: sed Magister sacra palatii correxit, ac substituit non esse mortale, hinc Pasq. *q.* 328. *n.* 4. & alii dicunt esse tantùm veniale si laicus vel mulier absque causa rationalibili tangat etiam calicis, purificatoria, corporalia: imò *Sot. Henriq. Sanch. Fagund. Tamb.* & alii putant nequidem veniale esse, uti refert Pasq. *qu.* 838. ubi etiam notat ex *Laym. Sanch. Castrop. Quarti*, quibus consentit Gob. *n.* 328. laicis licitum esse tangere sacras Reliquias: an autem licitè tangant ceram Agni Dei, dixi *l.* 6 *p.* 1. *n.* 225. Certò nequidem venialiter peccant laici, inquit Sporer *n.* 406. si res sacras tangant, quæ nec immediatè attigerunt Corpus Christi, nec sacro chrismate unguntur, uti vestes benedictas; item corporalia, & purificatoria post lotionem, aut calices consecratos priusquam adhibiti sint in Sacrificio.

359 §. 3. Sporer. *num.* 404. dicit Ordines mendicantes habere, ut omnes sui Religiosi etiam laici, dum sacristæ officio funguntur, omnia sacra vasa, corporalia, purificatoria tangere, & lavare possint. In Societate nostra Sacristani laici ex venia Superiorum licitè ista tangunt, sed Sacerdos, qui est præfectus Ecclesiæ, non autem Sacristanus laicus, primò abluit purificatoria, & corporalia, quibus adjici solent pallæ, quando lotione indigent.

360 §. 4. Si sacra vasa actu contineant Corpus, vel Sanguinem Christi, tangi possunt à solo Sacerdote, & Diacono: quòd si inferior tangat, omnes communiter cum Sporer *n.* 403 damnant mortalis, quamvis Ochag. & Gob. *n.* 327. negent esse mortale.

361 *Q.* 50. *Qualis debeat esse figura hostiæ consecrandæ?* R. §. 1. Græci in majore hostia utuntur figura quadrangulari; in minoribus, etiam triangulari: sed latini in utrisque utuntur orbiculari, de quibus doctè discurrit Arcud. *in Concord. & Occid. & Orient. Eccl. l.* 3. *c.* 38. & Card. Bona *Rer. liturg. l.* 1. *c.* 23. *n.* 11. Estque his mos sub præcepto servandus in utraque Ecclesia. Magnitudo hostiæ, quam sumit Sacerdos, apud latinos in diametro circiter tres pollices adæquat

362 §. 2. Dian. Marchant. Tamb Av. *q* 11. *s.* 12. docent licitum esse Missam legere cum parva hostia secluso scandalo sit defit major, etiamsi non sit necessitas celebrandi, sed sola devotio: si tamen habeat majorem consecratam putant multi hanc posse elevari, ut vitetur admiratio populi. Quid facere debeat celebrans, quando advertit hostiam esse fractam, dixi *l.* 6. *p.* 1. *num.* 432.

363 *Q.* 51. *Quid circa Missale, & ritum celebrandi sit notandum?* Resp. seqq. §. 1. Non est opus, ut Missale sit benedictum, si autem in necessitate celebrandi, desit Missale, satis est, si Sacerdos aliquam descriptam ante se habeat, Tamb. Gob. *t.* 3. *n.* 304. Lohn. *p.* 1. *t.* 3. §. 1. *num.* 6. aut ex memoria dicat, Laym. Gob. Verj *t.* 8. *a.* 7. *n.* 6. Spor. *n.* 388. contra *Tann.*

§. 2. Si quis visu careat ad legendum Missale 364
possit tamen adhuc videre hostiam, & calicem, nec periculum sit amittendi particulas, aut irreverenter tractandi Sacramentum, dicere potest Missam, quam de memoria scit, nam non requiritur, ut quis Missali utatur, sed tantùm præcipitur, ut adsit in altari ad usum, si sit opus. Ut autem vitetur scandalum, debet Sacerdos talis omnia peragere cum Missali, atque si videret. Gob. *num.* 302.

§. 3. Sacerdos v. g. Dominicanus, si sit in mis- 365
sione, debet se accommodare Ritui Romano in legenda Missa, saltem quoad illa, quæ exteriùs apparent, ut sit conformitas, & non turbetur populus, Verj. *art.* 13.

§. 4. Sacerdos Coloniæ beneficiatus, & resi- 366
dens, non potest legere Missam ex Missali Trevirensi, potest tamen semper, & ubique uti Missali Romano tanquam matricis Ecclesiæ, Less. *in Auct. V. Horæ canon. Casu* 7.

§. 5. Sacerdos ritus Romani non potest nequi- 367
dem in Ecclesia Regularium uti Missali talis Ordinis proprio, peccatque graviter, si celebret alio ritu quàm suo, quem servare posset; Pasq. 207. Unde quamvis *Præp.* dicat peregrinantes posse celebrare juxta ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, in qua sunt, tamen rectè contradicunt Quarti *p.* 1. *t.* 14. *d.* 4. & Averſ. *q* 11. *s.* 12. §. *Decimò* quoad ritum proprium alicui Ordini, vel congregationi: hic etiam Missæ, quæ non sunt in Missali communiori, vel tantùm conceduntur certis Regularibus, vel in certis locis, non possunt ab aliis, vel alibi dici nequidem in Ecclesiis illorum Regularium, uti resolvit S. Congreg. 19. Nov. 1622. apud Gav. *p.* 3. *t.* 10. & Averſam §. *Quando* contra *Castrop.*

§. 6. Peregrinus, qui servat ritum Romanum, 368
sive sæcularis, sive regularis, licitè utitur ritu, & Missali Diœcesis, in qua reperitur, *Con. Tamb.* & alii communiter: Neque S. Pius V. revocavit Jus commune, quo potest advena se conformare consuetudini Diœcesis, quam transit.

§. 7. Missalia habentia in canone, *pro Rege* 369
nostro, sunt quidem suspensa, & prohibita, attamen censuit doctus Casuista prohibitionem illam in praxi non observari, & nunc supponi posse illa missalia cum authoritate excusa: cùm in Hispania, & Gallia licitum sit hoc addere, & uti ejusmodi missalibus. Viri autem probi, & docti etiam legunt, quamvis reperiatur, *pro Imperatore*, alium enim in Germania Regem non habemus: unde etiam circa Missalia, quæ reperiuntur in pagis, & habent illud, *pro Rege nostro*, non videtur ulli faciendus scrupulus.

§. 8. Missale Gallico idiomate impressum, 370
est prohibitum hoc decreto Alexand. VII. Ad aures nostras ingenti cum animi mœrore pervenit, quòd in regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes, & Ecclesiasticas sanctiones, ac praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum latino idiomate longo tot sæculorum usu in Ecclesia probato conscriptum, ad Gallicam vulgarem linguam convertere, sicque conversum typis evulgare, & ad cujusvis ordinis, & sexus Personas transmittere, ausi fuerint, & ita sacrosancti ritus Majestatem latinis vocibus comprehensam dejicere, & proterere, ac sacrorum Mysteriorum dignitatem

vulgo

vulgo exponere temerario conatu tentaverint. Nos quibus licèt immeritis, vineæ Domini Sabaoth à Christo Salvatore nostro plantatæ, ejusque pretioso Sanguine irrigatæ cura demandata est, ut spinarum ejusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumque, quantùm in Deo possumus, radices succidamus, quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis aliorumque plurium malorum facilè productricem abhorremus, & detestamur, ita Missale præfatum Gallico idiomate à quocumque conscriptum, vel in posterum aliàs quomodolibet conscribendum, & evulgandum, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, perpetuò damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejusque impressionem, lectionem, & retentionem universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ, licèt illis specialis, & individua mentio habenda foret, existant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso Jure incurrendæ perpetuò prohibemus; mandantes quòd statim, quicumque illud habuerint, vel in futurum quomodocumque habebunt, realiter, & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria igne comburant, & comburi faciant, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 12. Januarii 1661.

Attamen non videtur illicitum, si Controversista Catholicus faciat imprimi aliquam Missam gallicè, vel germanicè redditam, ut hæreticis ostendat in ea nihil contineri superstitionis, vel indebiti cultus.

371 *Q.* 52. *Quænam quotidie Missa legenda sit?* Resp. §. 1. Legenda est missa de die, seu concordans officio, prout à Rubricis præscribitur, nisi quis legere voluerit votivam, vel de *Requiem*, ut dicetur *à n.* 495. nam nequidem votum de Missa alia contra præscriptum Rubricæ legenda, neque promissio ob acceptum stipendium obligat, cum sit de aliquo non licito, aut saltem minus laudabili, Sennyei *de Missa n.* 161. Spor. 431. Notatque Gav. *p.* 1. *t.* 4. sæpiùs declaratum esse à S. Congreg. quòd Canonici, ut lucrentur præsentias, teneantur ad cantandam Missam de die: Seclusо tamen scandalo, vel contemptu venialiter tantùm peccat, qui Missam unius diei legit pro Missa diei alterius, Suar. Lay. Lugo. Dian. Tamb. Gob. *à n.* 703. Spor. *n.* 429.

372 §. 2. Quivis Sacerdos licitè celebrat Missam secundùm publicum officium illius Ecclesiæ, in qua celebrat, quamvis discordet ab officio, quod ipse recitat, non tenetur autem talem Missam legere, sed potest retinere conformem suo officio: estque melius, & pro communi ædificatione se conformare publico ritui Ecclesiæ, in qua celebrat exceptis illis, de quibus in §. seq. Tamb. Quarti, Sennyei *n.* 155. Et quidem Capellanus Monialium non utentium Breviario Romano, quo ipse utitur, deberet ex Missali Romano celebrare Missam conformem Breviario Monialium, vel saltem affinem, si non habeatur conformis, uti dicetur *n.* 376.

373 §. 3. Missas certis Religiosis concessas non possunt alii, qui ejus Religionis non sunt, legere, uti dictum est *n.* 367.

374 *Q.* 53. *De quo legi possit Missa, & speciatim an legi possit de Sancto, de quo habentur Reliquiæ?* R. §. 1. Per se loquendo de eo legenda est Missa, de quo fit officium, de quo autem fieri possit officium, colligi debet ex dictis *l.* 4. *à n.* 1245. 1250. 1257. 1262.

375 §. 2. *Castrop. Quintanadv.* negant, *Tamb.* & alii cum Pasq *q.* 277. dicunt Missam legi posse de Beatis necdum canonizatis, non tantùm in die festo, sed etiam votivam per annum, sed plures cum Quarti, & Gob. *in Exp t.* 3. *n.* 676. probabiliùs dicunt id licere tantùm in die assignato, nec licere extra eum diem in Missa alia addere commemorationem de tali Beato, uti nec Horas legere, secundùm Decretum, quod retuli *l.* 3 *p.* 1. *n.* 18. & 19. Notat autem *Gob.* de martyribus Japonensibus posse Missam legi in Ecclesiis Societatis eorum festo, quod ex Decreto S. Congreg. 25. Septembr. 1629. extensum est ad Sacerdotes etiam sæculares, uti habetur in novo Compendio v. *Festivitas* §. 2. Attamen nequidem nos obligari ad talem Missam, notat Gob. *n.* 677. contra *Tamb.* quia Bullæ tantùm habent, *concedimus, licentia, potestas, possit, &c.* nullum autem est verbum præceptivum. Potest tamen tale festum transferri, Gob. *in app. ad n.* 696. *lit. O. ubi lit. AA.* addit, nihilominus sibi Roma rescriptum esse, quod specialiter festum B. Stanislai nobis sit de præcepto, & non ad libitum. Posse autem hujus festo etiam Sacerdotes sæculares ad Ecclesias Societatis confluentes habere officium, & Missam de B. Stanislao, habet Bulla Beatificationis, & Indultum Clementis X. 16. August. 1670. quod ampliùs explicatum est 30. Sept. 1671. Et quoad Missam idem est de festo B. Aloysii, uti habet Compendium privil. suprà §. 1. Quandonam autem nobis liceat in septimana legere officium, & Missam de S. Ignatio, dixi, *l.* 4. *n.* 1248.

376 §. 3. Si Moniales habeant officium de Beato Ordinis, potest Sacerdos illis legere Missam de Beato eodem, sed ex Missali Romano de communi, quamvis Introitus, Graduale, & Offertorium, quod chorus canit, discreparent, Sylv. *p.* 2. v. *Missa casu* 3. Et 19. Nov. 1622. iterumque 9. Jun. 1668. emanavit hæc declaratio: *Qui celebrat Missam in aliqua Ecclesia Regularium, aut etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de festo, sed cum Missali Romano.*

377 §. 4. Potest legi Missa de quovis Canonizato quamvis necdum relato in Martyrologio, canonizatio autem differt à beatificatione, partim accidentaliter, eò quod ad canonizationem adhibeantur plura examina, plures invocationes Spiritus sancti, major pompa exterior, partim etiam veluti substantialiter, nam per beatificationem solùm permittitur cultus publicus, & quidem cum multis restrictionibus, ita ut nec liceat pro privata pietate inserere Litaniis. Per canonizationem verò definitur talem cultum sancto deberi ab omnibus, Gob. *in app.* 1. *ad n.* 696. *Lit. P. Q.* Omnes autem Sancti, quorum nomina exprimuntur in Martyrologio Romano, sunt canonizati, vel ab Ecclesia communi, vel à Papa, vel ab Episcopis, hinc potest de illis in festo legi Missa, Gob. *n.* 673.

378 §. 5. Quintanadv. & Gob. *n.* 679. dicunt quamlibet Ecclesiam posse (imò debere, si vera sunt quæ habet Gob. *in App.* 2. *ad n.* 696. *Lit. EE. LL. KK.* quamvis aliter loquatur posteà in *App.* 3. *Lit. O.*) singulis annis cum Missa, & officio celebrare diem dedicationis suæ, etiamsi tantùm sit benedicta, sed si consecrata sit, verum est fieri debere, si autem sit tantùm benedicta, probabilius est cum Pasq. *q.* 271. nec debere nec posse fieri. Notant tamen communiter Authores non posse sine consensu Sedis Apostolicæ diem consecrationis transferri, etiam ab Episcopo, qui consecravit, Gob. *Lit. M.* Si tamen alicubi facta sit talis translatio in alium diem, valet & potest manere. Quid autem veniat nomine Ecclesiæ & an etiam [illegible] Gob. *in app.* 2. *lit. CC. & seqq.* Quòd si [illegible] duæ Ecclesiæ, una nova, altera vetus, an hujus an illius dedicatio celebrari debeat, explicat in *App.* 3.

379 §. 6. De omni Sancto potest celebrari Missa cum officio sub ritu duplici in ea Ecclesiâ, in qua habetur insignis Reliquia, secundùm dicta *l.4.n.1250. 1260.* Si autem non sit insignis Reliquia dicunt aliqui posse haberi Missam,& officium sub ritu semiduplici,sed probabilius est oppositum: docet tamen Gob. *in app. 4. lit. T.* Episcopum posse id concedere, maximè si dubium sit, an Reliquia dici debeat insignis necne; insignes autem non dicuntur maxilla, auris, digitus, imò nec pes, secundùm aliquos. Et si Reliquiæ in particulas diffractæ sint, dummodò partes sint iterum unitæ vinculo vel glutine, sufficit, Quart.Lohn. Gob. *lit. H.* ubi *lit. I.* citat *Neusser* contra se, merito dicentem nullas Reliquias B. Virginis posse dici notabiles, cum totum Corpus illius sit assumptum in cœlum, vestes autem, & similia non censeantur insignis Reliquia.

380 §. 7. Ad habendam Missam, & officium ob Reliquias, debet locus, in quo sunt Reliquiæ, esse Ecclesia, vel ejus sacristia, aut saltem vicinus locus ad Ecclesiam spectans, & non sufficit esse sacellum privatum alicujus Laici, Gob. *lit. F.* Sufficit autem esse ad hanc Ecclesiam deportatas, v. gr. ob metum militum, quamvis ad aliam Ecclesiam spectent, *Gob.* suprà, qui *lit. G. & n. 633.* dicit Episcopum non posse dare potestatem certa die legendi Missam de aliquo Sancto titulari, præcisè ratione insignis Reliquiæ ad aliquem locum translatæ, præter Missam, quæ festo talis Sancti legitur, sed contradicit *Neusser*, cujus sententiam etiam probabilem esse fatetur *Gob.*

381 §. 8. Non est obligatio legendi Missam, vel officium de Sancto, cujus habetur insignis Reliquia, non enim dicitur debere, sed tantùm posse legi, Neusser, Gob. *lit. H.*

382 §. 9. Si festum Sancti, de quo habetur Reliquia sit, v. g. secundæ classis, posse eo die ob Reliquias evehi ad altiorem ritum primæ classis, docent *Quintanad. Pasq. Gob.* suprà. Putat etiam *Neusser* festum de Reliquia posse transferri, si Sanctus sit titularis, quia de eo ut titulari agendum est in die festi.

383 §. 10. Ut Missa de Reliquiis, & officium haberi possit, prærequiritur, ut Ordinarius illas approbarit, sic enim habet decretum *l. 4. n. 1250* relatum. Potest autem Ordinarius approbare extra Diœcesim existens, cum sit actus jurisdictionis non contentiosæ. Quòd si saltem per decem annos culta fuerit talis Reliquia, non requiretur alia approbatio, Neuss. Gob. *lit. G. & H.*

384 §. 11. Potest celebrari Missa, & officium de insignibus Reliquiis approbatis, etiamsi sint ita mixtæ non approbatis, ut discerni nequeant, Bonac. Trull. Neuss. Gob. *lit. H.*

385 *Q. 54. Quid circa Ministrum sit addendum?* R. seqq. §. 1. Laym. *l. 5. t. 5. c. 6. n. 13.* & Sporer *n. 390.* non damnant eos, qui in Germania, maximè in pagis, ubi talis usus est, & toleratur, celebrant sine Ministro, qui respondere noverit. Putantque probabile aliqui apud Henao *n. 1628.* posse celebrari sine Ministro, si aliàs multis diebus etiam tantùm ferialibus omittere deberes Sacrificium: quod Suar. Lug.Con.Sylv. Averf. *q. 11. f. 9?* Spor. *n. 389.* dicunt saltem de festo, si aliàs non audires Missam: Quòd magis valet, ut Viaticum habeas pro moribundo.

386 §. 2. Si quis debeat se alere celebrando, potest tempore pestis sine ministro celebrare, quando ab hoc esset periculum contagionis, Pasq. *q.* 340.

387 §. 3. *Sot. Palud.* & alii putant Eremitam posse tuò posse celebrare sine ministro, & favet Pasq. *q.* 341. quia Ecclesia videtur id permittere propter perfectionem illius status: sed *Suar. Tamb.* & alii cum *Averf.* contradicunt, nullum enim pro eo reperitur privilegium, nec scitur de tali permissione Ecclesiæ.

§. 4. *Sylv. & Nugn.* putant peccari tantùm venia- 388
liter, si mulier ministret ad altare, sed contradicunt alii cum Pasq. *q.* 342. qui *q.* 343. cum Gob *n.* 394. Spor. *n.* 392. aliisque communiter dicit melius esse celebrare sine Ministro, quàm permittere mulierem servire ad altare. Rationem dat Sylv. *p. 2. v. Missa casu 2.* quia expressè prohibetur in Missali §. 10. de defectibus, & Cap. *Inhibendum, De cohab. Cler. & mulier.* ubi sic statuitur. *Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, & si mulier in Ecclesia tacere debeat, uti habetur 1. ad Corinth. 14. multò magis abstinere à ministerio altaris.* Idem prohibetur in Synod. Colon. 1662. pag. 89. contradicit tamen Verj. *t.8.a.5.* cum *Marchant.* dicens contrariam praxim, ut nempè fœminæ ministrent, esse ita communem in missionibus, ut imprudentiæ foret eam condemnare; hinc absolutè dicit melius fore legere ministrante fœmina quàm nullo, sed *Sporer* quamvis non damnet omnes, ubi consuetudo est, tamen meritò improbat; & reipsa hoc abrogandum esset.

§. 5. Filii ante ordinationem patris legitimè na- 389
ti possunt patri suo ordinato ministrare, prohibentur tamen sub mortali illud facere filii illegitimè nati, nisi occultum esset, quia tum cessat indecentia, Pasq. *q.* 349.

§. 6. Errores ministri non sunt facilè in Missa ipsa 390
corrigendi, nam corrigendo turbabit ordinem Missæ vel seipsum, vel circumstantes. Si tamen minister aliquid non respondeat, Sacerdos ipse suppleat dicendo, Gob. *t. 3. n. 399.* Quarti *q. proœm. f. 2. p. 2.* ubi docet Rubricas circa ritus ab alio quàm Sacerdote servandos esse solùm directivas, nec obligare sub culpa. Addit Gob. *n. 401.* Quis in summo altari celebret, & minister omittat pulsum ad *Sanctus*, moneri posse, ut quærat campanulam; si autem sub elevatione neglegat pulsare, dissimulandum esse, quia tum admonere esset seipsum turbare in sanctissimo ministerio.

§. 7. Illi, qui instruuntur pro ministratione Mis- 391
sæ, admonendi sunt, ut qua voce Sacerdos celebrat ipsi æquè alta respondeant. Item ut integrè dicant ea, quæ ab ipsis dicenda sunt, sæpè enim miserè truncant exprimendo tantùm prima, & ultima verba, ac delinquunt etiam Sacerdotes,qui antequam minister edixerit sua, præripiunt verba ante finem, nimium properando.

Q. 55. Quid addendum sit circa lumen? R. seqq. 392
§. 1. Qui sine necessitate, vel causa adhibet unicum tantùm lumen, peccat tantùm venialiter, *Bassæus*: Estque etiam probabile cum Pasq. *q.* 725. quamvis plures probabiliùs contradicant, quòd in gravi necessitate celebrari possit sine ullo lumine, quia non est secundùm se necessarium ob reverentiam, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ, à quo excusat gravis necessitas. Et quia sæpè fit, ut quando pueri inserviunt, obliviscantur accendere candelas, Sacerdos bene facit, si ad hoc se assuefaciat, ut ante missam, quando disposuit missale, & redit ad medium, attendat, an candelæ ardeant; item an in altari sit Crux, quandoquidem enim etiam hanc non reposuerunt æditui.

§. 2. Si Missa sit cœpta cum lumine,& perducta post 393
offertorium,quamvis adhuc sit ante consecrationem, si utrumq; lumen extinguatur,nec possit reaccèdi,probabilius est cum Lug,Leand.Gob.*t. 3.n.292.*Sporer *n. 381.*contra *Fag.*Missam esse cõtinuandam quia carentia luminis est minùs incõmodũ, quàm talis abruptio.

§. 3. Si inter celebrandum una candela ex- 394
tinguatur, non est sistendum, sed monito ministro

tro, ut reaccendat, pergendum, quia continuatio sine isto lumine est minus incommodum quàm illa interruptio: E contrà si utraque candela extinguatur, & possit reaccendi, sed non statim, *Quintan.* putat non esse sistendum, sed pergendum, dummodò ad altare ardeat lampas olei: si autem hæc desit, dicit ante conseerationem esse expectandum etiam ad mediam horam, post consecrationem autem necendi, sivè lampas ibi ardeat sive non, *Pasq.* putat meliùs esse pergere, quia continuatio Missæ est de essentia intrinseca, quæ magis curari debet, quàm extrinseca decentia luminis.

395 §. 4. Quando lumen ex cera haberi potest, veniale tantùm est adhibere ex alia materia: Sebum tamen in defectu ceræ præferri debet oleo, Pasq. *q.* 716. 718. Quòd si sebaceæ tantùm candelæ haberi possint, Gob. 291. & alii docent, licitè posse celebrari etiam ex sola devotione.

396 §. 5. Profana candelabra posunt in Missa adhiberi. Quòd si desint candelabra, satis est adesse lumen quia candelabra requiruntur non ratione sui, sed ob lumen Pasq. *q.* 721.

397 §. 6. Nequidem est veniale lumine extincto recitare Evangelium S. Joannis, probabile enim est non esse partem Missæ cùm dicatur post, *Ite Missa est*, Quarti, & alii: Oppositum tamen etiam est probabile; hinc sub veniali requiretur saltem unum lumen.

398 §. 7. Quando distribuitur Communio, sub veniale ardere debet lumen, ut dictum est *p. n.* 489. Nullum tamen est peccatum non accendere specialem candelam post Sanctus, vel sub elevatione, Sporer *n.* 384.

399 *Q.* 56. *An licitum sit celebrare sine calceis, cum pileolo, ficto capillitio, baculo, annulo?* Resp. §. 1. Rubrica præscribit, ut celebrans sit calceatus. Non esset tamen mortale celebrare nudis pedibus, Bonac. Aversa *quæst.* 11. *s.* 13. §. *Septimò*, contra *Silv.* Imò nec veniale urgente necessitate, vel rationabili causa, Pasq. *q.* 824. Gob. *t.* 3. *n.* 389. Sporer *n.* 416. Et sufficit esse indutum crepidis.

400 §. 2. Celebrans debet esse capite nudus, c. *Nullus Episcopus, De consecr. dist.* 1. Putat tamen *Ledesma & Spor.* putant probabile, aliquali tantùm causa subsistente: *Sylv.* autem dicit ex rationabili causa esse licitum; hinc *Vasq.* dicit omnes Sacerdotes, etiam Religiosos, in Polonia tegere caput usque ad consecrationem; ad quod *Suar. Fill. Rodr. Laym. Bon.* & alii cum *Spor.* requirunt licentiam Episcopi, vel Prælati, sed Gav. Aversa §. *Tandem*, & alii dicunt neminem jam posse ad hoc dare licentiam præter Papam. Apud Chinenses tamen licitum est tecto capite, quia detegere est probrosum, & tegere est signum honoris. *Præpos. Tamb. Verj.* Quòd si quis apud nos omninò sine gravi incommodo non posset aliter celebrare, tegere posset usque ad Consecrationem, & rursum post Communionem peractã, Nav. Dicast. Gob. *n.* 383. In dubio tamen de sufficientia causæ, dicit *Verj.* solum Papam posse dispensare, nam in mistali jussu Urb. VIII. reformato sic habetur, *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine,*

401 §. 3. Verj. *t.* 8. *art.* 8. dicit peccare mortaliter, si celebretur cum capillitio ficto, sive perruca, sed de hoc dubitat Pasq. *q.* 832. affertque rationes pro eo, quòd liceat in casu necessitatis vel rationabili causæ, quia cum tali capillitio salvatur honor exterior, nam quisque ita tectus loquitur cum Rege, vel Cæsare. Quidquid sit de ratione ista, saltem hoc jam est prohibitum per Innoc. XI. cujus decretum in hac Diœcesi Colonienſi sic promulgatum est.

Cùm informato non ita pridem, & consulto S. D. N. Papa Innoc. XI. super rationibus, & motivis, quare usus comarum adscititiarum in hisce rigidioribus partibus saltem apud illos qui de S. Sedis Apostolicæ, seu Legatorum ejus, aut Episcoporum Diœcesanorum, vel Vicariorum eorumdem licentia longo temporis intervallo illis usi, iisdem sine præsent valetudinis discrimine deinceps carere non posse dignoscerentur, modo & forma juxta Edictum sub 14. Mensis Decembris anni novissimè lapsi præscriptis tolerandus videretur, ejusdem suæ sanctitatis hìc residente Legato Illustriss. & Reverendiss. Archiepiscopo Damasceno renuntiatum fuerit, *non esse mentem Sanctitatis suæ, quòd Nuntiis Apostolicis, aut Episcopis liceat licentiam sacerdotibus concedere ejusmodi comas in actu celebrationis gestandi*: Hinc justissimis sanctiss. Patris nostri monitis devotissimè in omnibus obsequendo, revocatis cum hoc quibuscumque aliàs etiam post emanatum prætactum Edictum obtentis licentiis, aut concessionibus, seu earum declarationibus, monentur omnes, & singuli harum tenore serio, ac paternè in Domino, ut memores humilitatis, & reverentiæ tam tremendo mysterio debitæ, Sacrificio Missæ, aut altari Dei nonnisi detecto, ac nudato capite assistere præsumant, idque sub pœna suspensionis à divinis officiis, aliisque juxta superius Edictum, cujus tenor in reliquis quoque quoad vestium prohibitarum, annulorum, comæ & coronæ etiam Sub & Diaconalibus Ordinibus proportionatæ gestationem exactiùs, quàm hactenus ubique observabitur. Signatum Coloniæ die 21. Martii 1689.

Joannes Henricus Anetha Episc. Hierap. Suffrag. & Vicarius Generalis Colonienſis.

Non obstantibus illis, videmus quotidie Sacerdotes celebrantes in capillitio ficto, qui putant se per hoc satisfacere conscientiæ, si ita celebrent habito judicio unius, vel alterius prudentis medici, quòd aliter non possint absque periculo gravis incommodi.

§. 4. Potest quis uti baculo, si ita sit debilis, ut 402
non possit celebrare, nisi quandoque illi innixus, nulla enim lex, vel consuetudo vim legis obtinens id prohibet. Vasq. Dicast. Gob. *n.* 385. addens *n.* 745. si quis ita vertigine laboret, ut nequeat stare, nisi altari innitatur utraque manu, vel alterutro brachio aut cubito, posse nihilominus privatim celebrare non autem publicè nisi ex necessitate.

§. 5. Usus annuli in Missa prohibitus est à S. 403
Congr. Protonotariis non participantibus speciale privilegium, item quibusvis Doctoribus, & Canonicis Cathedralibus, etiam in dignitate constitutis, Gav. *p.* 2. *t.* 1. *n.* 6. Et hæc prohibitio renovata est in Syn. Colon. anno 1662. pag. 89. etiam respectu Præpositorum, Archi-Diaconorum, Decanorum. Vide tamen dicenda *n.* 2075.

Q. 57. *Quid circa campanulam in Missa, &* 404
campanas templi sit notandum: R. Seqq. §. 1. Campanula in Missa non benedicitur. Et illa non datur signum tempore concionis, *nec nisi* ad Sanctus, & utramque elevationem.

§. 2. Docet Sylv. *p.* 1. *v. Campana*, non esse 405
licitum uti campanis benedictis ad monendum populum de re profana, v. g. quòd malefactor sit educendus ad supplicium, quia videtur indecens rem sacram adhibere ad usum profanum: sed necessitas excusat, si desit alius modus manifestandi aliquid populo, *hinc passim* fit, ut pulsetur campana in signum inchoandi, vel finiendi laboris pro vindemia, ita signum orti incendii, adventantium militum, &c.

§. 3. Aversa

406 §. 3. Aversa *q.* 11. *s.* 13. §. *Sextò* docet Abbates Pontificalia exercentes habere facultatem benedicendi campanas etiam pro Ecclesiis extraneis, uti de aliis sacris vasis dictum est *num.* 353. Et cùm eis benedicendis interveniat unctio sacri chrismatis, notant communiter Authores solum Papam id posse committere alteri non Episcopo. Dicitur tamen esse praxis in Colonienſi, & Trevirenſi Archidiœcesibus, ut committatur etiam Superioribus Ordinum mendicantium, & Societatis JESU, quamvis eam praxim hactenus sequi noluerint in Diœcesi Monasterienſi in Vvestphalia, sed sub annum 1704. recurrerunt ad Nuncium Apostolicum, qui eam facultatem ad tempus dedit Vicario generali; dum visitans obiret Diœcesim. De ritu benedicendi campanas videri potest Rayn. *in Heteroclit. Tom.* 15. *par.* 2. *s.* 2. *p.* 7.

407 *Q.* 58. *Quid universim notandum sit circa Rubricas?* Resp. seqq. §. 1. Rubricæ sunt aliquæ ordinationes, seu directiones Ecclesiæ, secundùm quas aliqua sunt agenda: & quia rubro caractere sæpè scribuntur, dicuntur Rubricæ.

408 §. 2. Rubricæ, quæ sunt circa aliquid ad valorem Sacrificii requisitum, sunt præceptivæ, & graviter obligant, uti & illæ, quæ graviter præcipiunt, aut expressè dicuntur esse observandæ sub mortali. E contrà multæ ex aliis obligant sub veniali tantùm, quando nempè non imponitur grave præceptum, neque materia est adeò gravis, specialiter tamen ordinant aliquid, quod ad debitam reverentiam spectat. Præterea etiam illæ sunt præceptivæ, de quibus dubitatur, an sub mortali obligent.

409 §. 3. *Gav.* putat dubium esse, an Rubricæ sequentes sint præceptivæ, an tantùm directivæ, nempè de principio auroræ; & fine meridiei pro Missa legenda de Cruce in altari, de pedibus calceandis, de veste talari, de pileoli usu concedendo extra canonem, de orationibus ad vestes, & post Missam, de Missa privata ad arbitrium sine causa, de Missa non approbata, nisi pro quibusdam Ecclesiis, de votivis, vel *Requiem* diebus prohibitis, de orationibus additis ex devotione, de his enim omnibus DD. utrimque disputant, sed quidquid de illis omnibus tenendum sit, dictum est vel dicetur per decursum.

410 §. 4. Quamvis Rubrica aliqua non sit præceptiva, sed directiva tantùm, putat tamen probabiliter Quarti contra Tamb. & Gob. *in Exp. t.* 3. *num.* 737. si absque causa non observetur, peccari venialiter, quia est neglectus temerarius rei meritò observandæ, & deordinatio à communi sine rationabili causa, quod videtur esse saltem venialiter malum.

411 §. 5. Quamvis contemnatur observatio Rubricæ, quia nempè levis est, ideóque etiam quamvis contemneretur cæremoniæ levitas, adhuc esset veniale tantùm, Sot. Laym. Tamb. Gob. *num.* 738. Mortale tamen esset contemnere potestatem Ecclesiæ, vel Papæ, aut alterius Superioris hoc disponentis, uti dictum est *l.* 5. *n.* 242.

412 *Q.* 59. *Quid notandum sit circa lotionem manuum, orationes ante, & post Missam, vel inter induendum dicendas?* R. seqq. §. 1. Manuum lotionem sub veniali præmittendam esse docent multi apud Dian. *p.* 1. *t.* 12. *R.* 19. quia facit singulariter ad reverentiam Sacrificii: Admittit Gob. *num.* 828. si manus essent immundæ, & addit, si in Missa advertas digitum atramento notatum, deterge ad *lavabo*, non tamen solicitus sis de omni abstergendo, esset enim nimia mora: Si advertas post *lavabo*, perge, neque enim decet tum abluere nequidem saliva, cùm non censeatur macula.

413 §. 2. Post Missam non lavare manus, nequidem veniale est, Quarti *p.* 1. *t.* 2. *d.* 4. Et quamvis Rubrica dicat Missam ante lotionem manuum esse prævidendā, nullum peccatum est id non facere, Lohner *p.* 2. *t.* 1. *q.* 3.

§. 3. An & quanta sit obligatio orandi matutinum ante Missam, dictum est *n.* 230. preces autem reliquæ ante Missam, quæ in Missali dicuntur *Præparatio*, non cadunt sub ullum præceptum, non cadunt sub ullum præceptum, nam signanter dicendæ, *pro opportunitate*, Suar. Castr. Gav. Aversa. *d.* 11. *s.* 12. §. *Septimò*, Quarti *dub.* 4. idem est de hymno, *Benedicite*, *Laudate*, & aliis precibus post Missam, Tamb. Quart. Bonart, *de Missal.* 2. *c.* 34. addens aliquos earum loco dicere, *Te Deum laud.* melius tamen est sequi Rubricam, & dicere notatas. 414

§. 4. Omittere orationes inter induendum, Nav. Az. Gav. Sylv. & alii dicunt esse mortale: Henriq. Rodr. Castrop. Aversa, Gob. *n.* 387. dicunt esse veniale tantùm; *Fagund.* dicit fore veniale, nisi earum loco dicantur aliæ preces, quod à quibusdam fieri testatur ipse, & non improbat Tamb. *de Sac. l.* 1. *c.* 7. §. 1. Quarti *dub.* 8. Pasq. *q.* 819. nullum invenire præceptum, putant enim Rubricam tantùm esse directivam; sed communis sententia rectè dicit esse veniale. 415

Q. 60. *Quid addendum sit circa omissionem partium in Missa?* R. Dixi in *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 662. quomodo peccetur per omissionem hujus, vel illius partis in Missa audienda, quæ multò magis valent de omissione partis in Missa legenda, hinc aliqua hìc addi debent. 416

§. 1. Partes Missæ sunt vel ordinariæ, vel non ordinariæ. Ordinariæ sunt, quæ semper dicuntur, uti confessio, oratio, epistola, evangelium, præfatio, canon, pater noster, agnus Dei. Non ordinariæ sunt, quæ non semper dicuntur, uti *Gloria*, orationes secundariæ, *Credo*, pluralitas epistolarum, vel sequentiarum, diversitas præfationum, vel quorundam intrà canonem. 417

§. 2. Omittere partem ordinariam, per se loquendo, est mortale; excusat tamen sæpè parvitas materiæ, aut si non sit ritus ob speciale mysterium notabilis, hinc omittere Kyrie eleison, vel tractum non est mortale: Neque si omittatur psalmus *Judica*, etiam supposito quòd sit pars ordinaria, uti vult Pasq. *q.* 201. contra *Quarti*, qui meritò negat, cùm non dicatur in Missa pro defunctis, nec tempore Passionis. Similiter veniale tantùm est omittere ablutionem digitorum in Missa, aut crucem super aquam quia videntur esse non tanti momenti, vel mysterii, *Quarti*. 418

§. 3. Omittere in canone quamlibet orationem, aut etiam aliqua tantùm verba omittere, variare, vel corrumpere, ita ut mutetur sensus, est mortale, si autem non immutetur sensus, non erit mortale, quamvis plura verba omittantur, v. g. plura nomina Sanctorum, Fill. Dian. Av. *q.* 11. *s.* 12. contra Nugn. Quòd si verba in canone sint detrita, nec sciantur memoriter, nec nisi post longum tempus haberi possit aliud Missale, omittens excusatur, Pasq. *q.* 202. Verric. apud Gob. *in Exp. t.* 3. *n. n.* 763. 419

§. 4. Si tot partes ordinariæ omittantur, aut simul constituant materiam notabilem, erit mortale, Pasq. *q.* 201. addens satis rigidè *q.* 202. fore mortale si omittatur Pater noster, vel agnus Dei, quia singulæ hæ partes videntur constituere functionem gravem. Similiter putant Suar. & Gob. *num.* 746. fore mortale, si quis omittat fractionem hostiæ, aut illis cum calice mixtionem, vel signa multa, quæ fieri debent super oblata: item omittere epistolam vel evangelium est mortale Gob. *num.* 799. Imò si quis omittat solam affusionem aquæ in media Missa, peccat mortaliter, quia illa mixtio singulariter mysteriosa est, utpotè significans effusionem sanguinis, & aquæ è latere Christi mortui: Hinc Aversa §. *Quintò* putat sine illa ob nullam necessitatem celebrari posse. Etiam mortale est omittere purificationem patenæ, & 420

calicis

& calicis post communionem, Pasq. *q.* 208

420 §. 5. Est veniale tantùm omittere unam è partibus non ordinariis, v. g. *Gloria*, vel *Credo*, Fill. Dian. Lugo contra Aversa §. *Sextò*, qui putat tum saltem esse mortale, si *gloria*, vel *credo* omittatur, *Lauda Sion Salvatorem*, *Victimæ paschali laudes*, *Veni sancte Spiritus*, *Dies iræ*, Gob. Imò Quarti, & Pasq. *q.* 200. putant tantùm esse veniale, si multæ similes partes non ordinariæ omittantur, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in quatuor temporibus si omittantur omnia *flectamus genua* cum omnibus secundariis orationibus, secretis, & postcommunionibus, item cum secundariis epistolis. Quod si esset causa rationabilis omittendi, v. g. nimia fatigatio, vel debilitas, nullum foret peccatum, Pasq. *q.* 201. Etiam venialiter tantùm peccat, qui omittit specialem præfationem, vel in canone speciale *Communicantes*, vel *hanc igitur*, quæ certis tantùm diebus leguntur, dummodò legat ordinaria, seu communia, Suar. Fill. Gob. Sporer. *n.* 762. *n.* 426. contra Aversa. qui putat esse mortale.

421 §. 6. Si quis principalem orationem omittat uno tantùm loco, est tantum veniale: si autem omittat initio, & secretam, & post communionem, Quarti putat esse mortale.

422 §. 7. Omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, inclinationes, genuflexiones, est tantùm veniale, cùm non sint ritus graves, nisi constituerent simul partem notabilem Missæ: facere autem ea nimis celeriter, aut nimis maturè, etiam est tantùm veniale, Pasq. *q.* 208.

423 §. 8. Non uti vino, sed sola aqua in purificatione est tantùm veniale, imò nullum peccatum, si celebrans sit abstemius, qui vinum horreat: Ad secundam autem ablutionem uti sola aqua nequidem veniale esse putant *Tamb. Quarti*, *Gob.* in hac verò non uti aqua, sed solo vino, putat *Lohn.* esse veniale, quia sic præscribit Rubrica. Gob. *n.* 853. negat ob praxim multorum, & quia Rubrica non videtur esse præceptiva circa aquam, quamvis enim præcipiatur purificatio, & ablutio, non tamen præcipitur illius modus, *Quarti*.

424 §. 9. Omittere Evangelium S. Joannis, aut aliud, quod post Missam legitur, est tantùm veniale, vel enim non est stricta pars Missæ, vel non est pars ordinaria, aut notabilis.

425 §. 10. Omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solemnis est mortale, quàmvis non cantetur ex obligatione, Pasq. *q.* 212. putatque Fr. *Lugo* sacerdotem peccaturum mortaliter, qui in Missa solemni omitteret omnia, quæ à choro, & Ministris canuntur, Card. *Lugo*, *& Averss.* putant peccaturum tantùm venialiter, Gob. *n.* 760. Lohn. *p.* 2 *t.* 10. *n.* 4. dicunt ad illa saltem teneri, quæ à choro canuntur, v. g. ad *Gloria*, & *credo*, quia illa non recitantur ab aliquo, qui ad illud munus sit ordinatus, *Sà*, & *Sanch.* dicunt melius esse, si audiat epistolam, & evangelium, quàm si legat, hinc *Tamb. Peliz. Quarti* ab omni peccato excusant omittentem ea omnia, si dum canuntur, ad illa attendat, quia de eis recitandis nullum est præceptum, Pasq. *q.* 209. multos citat docentes nullam quidem ad ea dicenda esse obligationem sub peccato, addit tamen difficulter omittenda sine veniali, cùm sit usus ea recitandi, ideóque *Gob.* prudenter suadet, ut in his se accommodet consuetudini suæ patriæ, vel Ecclesiæ.

426 §. 11. Qui prævidet se non posse celebrare, nisi omittendo aliquot cæremonias, debet collatâ inter se harum gravitate, & causis celebrandi videre, sit ne consultius sine his celebrare quàm obharum defectum Missam omittere, Suar. Tamb. Gob. *n.* 743.

§. 12. Qui potest omnia peragere excepta elevatione hostiæ, & calicis; potest his omissis celebrare privatim, quia defectus ille non est tantus, ut privet jure acquisito ad celebrandum: Non debet tamen celebrare publicè nisi in necessitate, & populo admonito, ne murmur in eo, vel turbatio oriatur, Gob. *n.* 745. 427

§ 13. Llamas negat peccare cum, qui celebrare vult præsciens se non posse recitare illa, quæ præcedunt evangelium, quia talis adhuc censetur legere Missam integram, sed de hoc judicet, inquit Gob. *n.* 763. quidquid autem sit, probabile est, quod dicit Llamas, quia qui ea non audit, quæ præcedunt evangelium, nihilominus Missam audit, ergo etiam verè dicitur legere Missam, qui reliqua legit, impotentia autem excusat à præcedentibus. 428

Q. 16. *Quid dicendum sit de illo, qui addit, commutat, vel invertit aliquid in Missa?* R. §. 1. Addere collectam ultra præscriptas vix erit peccatum, excusat enim facilè causa aliqua vel devotio, Pasq. *q.* 215. contra Gob. *in Exp. t.* 3. *num.* 748. qui dicit sub veniali requiri causam peculiarem: Dicere autem *Gloria*, aut *credo*, cùm omittendum esset, est tantùm veniale, Suar. Gob. *n.* 747. Excipit Averss. *q.* 11. *s.* 12. §. *Sextò*, nisi fieret cum magna deformitate, uti si alterutrum diceretur in Missa de *Requiem*. Putat etiam Spor. *n.* 427. fore mortale, si notabiliter multùm adderetur ad Missam. 429

§. 2. Non peccaret, qui sub longo cantu ad *Gloria*, vel *credo* modestè oraret vocaliter, aut etiam recitaret parvas Horas, quas teneret memoria. Quod multò magis valet de Diacono, & Subdiacono in solemni Missa, Caj. Tan. Gob. *n.* 753. contra Tamb. Lohn. *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 5. qui dicunt esse veniale, si celebrans faciat. 430

§. 3. Intermiscere meditationem, seu consideratione circa ea, quæ tum geruntur in Missa, *nullum* est peccatum, quamvis fiat quædam *interruptio*, quia censetur esse mortalis *continuatio*, cùm mens maneat applicata Missæ, Nav. Quarti V. dicta *n.* 52. 431

§. 4. Commutatio voluntaria precum in alias preces non approbatas, si fiat in materia *notabili*, est mortale; si autem mutatio fiat in *alias preces* approbatas in Missali, v. g unius *epistolæ*, Evangelii vel præfationis in aliam, secundùm Pasq. *q.* 221. regulariter est veniale tantùm, *quia* non inducitur magna deformitas, qualis tamen esset, inquit Averss. §. *Nonò*, si evangelium Paschatis conjungeretur cum epistola defunctorum, aut alio simili modo. 432

§. 5 Mutare in alia verba Synonima putat *Quarti* semper esse veniale tantùm, quia per hoc etiam non inducitur magna deformitas, quamvis *Pasq.* dicat in materia notabili etiam fore mortale. 433

§. 6. Imperfectè mutare actiones, v. g. brevio- rem crucem facere, inclinare os propè altare, & non formare osculum, *Suar. & Quarti* putant esse veniale, quamvis contradicat Pasq. *q.* 124. nullum in ea agnoscens peccatum. 434

§. 7. Quando dicitur Missa, vel *collecta* contra Paganos, nomen Paganorum mutari *non* potest, dicendo Turcarum, Hæreticorum, *S. Congreg.* 29. Junii 1689. 435

§. 8. Si quis loco Episcopi *nominandi* in canone nominet Generalem sui *Ordinis*, Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 4. dicit à Papa, *& S. Cong.* damnari mortalis, sed Rodriq. Bordon. Tamb. Sporer *n.* 428. dicunt non constare de tali *declaratione*, adeóque non fore mortale, nisi fieret *animo* mutandi ritum, vel in contemptum *Episcopi*. 436

§. 9. *Inversio* partium ejusdem rationis est tantùm veniale uti si recitetur una oratio, vel una epistola ante aliam, quod probabile etiam est, licèt 437

principalis

principalis oratio non diceretur primo loco. Si autem partes sint dissimiles, ex proposito eas invertere erit mortale, uti si evangelium legatur ante epistolam, in his enim est magna deformitas: & colligitur ex iis Doctoribus, qui volunt omissam unam partem Missæ non esse repetendam, Pasq. *q.* 222.

438 *Q.* 62. *Quid notandum sit circa expressionem verborum in Missa?* R. seqq. §. 1. Si quis notabilem partem verborum Missæ formet intra labia, & dentes, ut secluso omni impedimento seipsum audire non posset, peccat mortaliter, quia non legit Missam vocaliter, nam oratio vocalis, prout à mentali distinguitur, debet habere sonum, omnis autem sonus est audibilis, cùm sit objectum auditus, uti dixi *l.* 4. *n.* 1294. & docet cum communiore Pasq. *q.* 231. contra Az. Tamb. Caram. Bass. *de Horis* §. 2. Quarti *p.* 1. *t.* 16. *d.* 2. & alios apud Dian. *p.* 2. *t.* 12. *R.* 9. qui putant sufficere, quòd verba formentur per motum oris, & linguæ, dicunt enim orationem esse non purè mentalem, ergo vocalem: quam sententiam Gob. *n.* 813. videtur admittere ut probabilem: notantque *Nav. & Fill.* posse servire scrupulosis.

439 §. 2. Si quis omnia, quæ dici debent altè, legat submissè, non peccat mortaliter, Quart. Pasq. *q.* 231. Peccare autem venialiter, docet cum aliis Sanch. *in Conf. l.* 7 *cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 6. quia Missa est officium publicum, quod communicari debet cum populo, ut sic excitetur ad devotionem, Pasq. tamen *q.* 230. probabiliùs dicit nullo modo peccare celebrantem, dummodò ita altè exprimat verba, quæ altè dici debent, ut excedant terminos secretæ orationis: licèt populus audire non possit, eò quod Rubrica id ordinans nullum contineat præceptum. Quarti *dub.* 1. dicit Rubricam illam continere quidem præceptum, attamen esse nonnullos timoratos, qui voce omninò depressa celebrant sine scrupulo peccati etiam venialis, quod *Sanch.* & alii admittunt, si quis non celebret coram aliis, fatentur enim tum satis esse, si Minister audiat ea, quæ altè dici debent. Quòd si quis celebret non in summo altari, sed in laterali, Nav. & alii cum Gob. *n.* 813. planè excusant à peccato, si omnia submissè dicat, ideóque Beja *p.* 1. *cas.* 21. sic scribit: *In nostra religiosissima Lusitania, ut devotioni, & contemplationi sacrificantium consulatur, in more est positum submissa adeò voce privatas Missas dicere, ut nonnisi à se solo sacrificans audiatur, & ab eo, qui Missæ inservit, quoad ultima verba, quibus est respondsurus.*

440 §. 3. Qui partem notabilem eorum, quæ submissè dici debent, recitat altè, secundùm *Gav. Quarti Pasq.* peccat mortaliter; docent tamen communiter authores veniale tantùm esse ita altè proferre verba consecrationis, ut audiantur ad sex, vel octo passus, si autem audiantur ad quadraginta passus, dicunt communiter omnes cum Gob. *n.* 69. esse mortale: Et universaliter quamvis ad decem tantùm passus audiri possint, si tamen magna pars populi soleat esse intrà totidem passus, erit mortale, quia ratio, ob quam graviter prohibemur altè exprimere, hìc invenitur, nempe ne populus verba illa sciens postèa temerè, aut ad jocos eisdem utatur: nullum tamen erit peccatum, si ita altè proferantur, ut Ministri audiant, *Gav. Gob.*

441 §. 4. Media voce, id est, nec omninò alta, nec omninò submissa dicuntur, *Orate fratres, Sanctus*, & quæ sequuntur usque ad canonem, *Nobis quoque peccatoribus: Domine non sum dignus.* Errant autem, qui alta voce dicunt *Memento Domine: Omnis honor, & gloria*, dici enim debent submissa.

442 §. 5. Si nimia acceleratione causetur mutilatio ultimarum syllabarum, aut syncope interjectionum, dummodò maneat sensus, & significatio absitque scandalum, est tantùm veniale. Nullum erit peccatum, si fiat ex defectu naturali, Quarti Pasq. *quæst.* 232.

Q. 63. *Quid notandum sit circa distractiones in legenda Missa?* 443 R. §. 1. Distractio quamvis longa extra canonem, & sumptionem est tantùm venialis, Tamb. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 3. *num.* 8. Diuturna sub canone est mortalis saltem ob periculum in eo committendi errores, Tamb. Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 817. Attamen *Diana, & Bardi* non agnoscunt culpam adeò gravem, quamvis magna esset distractio, & si absit periculum errandi, quod tamen vix aberit: probabile tamen est quamcumque distractionem internam etiam sub consecratione, vel communione fore veniale tantùm, secundùm sententiam, quam retuli *l.* 4. *à n.* 1341. nempe, quòd cum distractione interna consistat essentia orationis, & attentio interna non præcipiatur graviter: quam sententiam fusè defendit etiam Quarti *p.* 1. *tit.* 16. *dub.* 5. Ratio autem est, quia intentio virtualis, quæ tum manet, sufficienter dirigit omnes illas actiones, facitque esse opus religionis.

§. 2. Si celebrans sub Communione distrahatur 444 voluntariè, aliqui putarunt peccare mortaliter, tum quia Communio requirit parem cum consecratione reverentiam, uti habet *Tamb.* tum etiam quia consumptio utriusque speciei est de præcepto divino, qui autem sponte distrahitur sub actu à Deo præcepto, peccat mortaliter, inquit Sanch. *in conf. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 28. *num.* 8. E contrà *Gob.* meritò dubitat de tanto rigore, præsertim cùm *J. Sanch.* apud eundem neget laicum mortaliter peccaturum, qui communicaret voluntariè distractus, nam sub tam brevi actione distrahi, ubi non est periculum errandi, vel invalidandi Sacramentum, videtur manere intra terminos materiæ levis.

§. 3. *Ant. Molina, & Cotonius* ita requirunt 445 actualem intelligentiam, & attentionem ad omnia, ut putent eum, qui recitaret v. g. *Credo*, & non recitaret significativè, id est, simul non eliceret internos actus fidei per illa verba significatos, peccaturum, quia mendaciter profiteretur se credere, cùm tamen non haberet actum formalem fidei. E contrà Gob. *n.* 823. probabiliùs dicit, & multis argumentis probat sufficere ea dici recitativè, seu historicè, nullum enim reperitur præceptum de hoc, ut eliciantur omnes affectus, quos verba continent, præsertim cùm Missa absque hoc sit vera oratio, & actus religionis.

§. 4. Pro retinendo animo collecto, & exclu- 446 dendis distractionibus facile medium est, si Sacerdos consideret Missam tanquam memoriale Passionis Christi, considerando singulas actiones veluti repræsentativas alicujus mysterii Passionis, uti explicavi *l.* 3. *p.* 1. *n.* 661.

Q. 64. *Quid circa orationes, collectas, sive commemorationes in Missa sit observandam?* 447 R. seqq. §. 1. In festis duplicibus, & diebus octavis, per se loquendo, tantùm est una oratio, nisi festa occurrant, de quibus addi debeat commemoratio. In semiduplicibus ordinariè sunt tres tantùm, nisi plures specialiter faciendæ sint commemorationes, vel addatur collecta ob publicam necessitatem, vel ad altare privilegiatum pro liberatione animæ.

§. 2. Tempore Passionis, item infra octavas Pas- 448 chæ, & Pentecostes, si occurrat commemoratio de simplici in Missa de tempore, aut die infra octavam, tertia collecta omittitur; In omnibus autem Dominicis infra octavas communiter fit solius Octavæ commemoratio.

§. 3. In Missa de festo simplici (idem est de fe- 449 riis, excepta septimana Passionis, & Palmarum) dicuntur tres, vel quinque vel septem, vel etiam plures, sed semper numero impari, *Gav. Arnaud, Lohner*, quamvis

quamvis contradicat Guyet *in Heortologia l.4. c. 21. q. 23.* putans hunc numerum imparem non esse necessariò observandum, sed non est recedendum à communi.

450 §.4. Quando tertia est ad libitum etiã in semiduplicibus, sumi potest oratio *Fidelium*, aut quæcunque alia in Missali, vel pro Vivis, vel pro Defunctis tantum, v. g. pro Patre & Matre: etiam ex quibusvis aliis Missis tam votivis quàm aliis: illa autem, quæ est liberè assumpta semper est ultima, excepta, *Fidelium*, quæ extra Missam *de Requiem* semper est penultima. Exposito venerabili Sacramento nulla fit Oratio pro Defunctis solis.

451 §. 5. Præscripta ob publicam necessitatem potest esse tertia ad libitum; vel addi pro quarta. Quòd si tertia sit præscripta, addi debet pro quarta, S. Congreg. 2. Decemb. 1684. Omittitur autem in duplici primæ & secundæ classis, uti habet communior, quamvis *Piscara* admittat dici in duplici secundæ classis: Idem putat pro privata necessitate addi posse aliquam, & ita peritos respondisse, sed addit melius esse suam necessitatem commendare in *Memento*.

452 §. 6. Potest fieri commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de duplici, quod non sit primæ, aut secundæ classis, S. Congr. 2. Decemb. 1684.

453 §. 7. In privata Missa fit commemoratio, 1. illius, de quo in Laudibus facta est; excepta Dominica Palmarum, & vigilia Pentecostes. 2. De feria majore, & vigilia, si Missa sit de festo tum occurrente: In festo tamen primæ classis nihil fit de vigilia, nec de festo simplici, nec de die infra Octavam: attamen fit de feria majore, Dominica, die Octava occurrente. 3. In festo Sancti, si ad ejus altare celebretur, licèt de eo non sit Officium vel Missa, prima est de illo Sancto; secunda, de quo est Officium; tertia, quæ aliàs erat secunda. 4. In missa solemni festo secundæ classis non fit commemoratio de simplici.

454 §. 8. Missa, quæ canitur etiam in pagis, censetur solemnis, Lohner: non tamen, ut eam etiam in Dominica legat Parochus sine cantu. Missa secunda in Natali Domini, quamvis canatur, & festum sit primæ classis, habet commemorationem de Sancta Anastasia, quia rubrica absolutè ita præscribit.

455 §. 9. Quando fieri debent commemorationes festorum aut feriæ occurrentis, omittuntur collectæ secundariæ festis simplicibus aut semiduplicibus assignatæ, quæ alioqui, si aliæ non assignentur, sumuntur ex Dominica de tempore.

456 §. 10. Quando officium fit de aliquo festo B. Virginis, non fit commemoratio de alio illius occurrente festo, quod inde colligitur, quia sic habet Rubrica Breviarii in Dominica infra octavam Nativitatis B. Virginis, in qua legitur de festo Nominis B. Virginis: si dies immediatè sequens post festum Nativitatis sit Dominica, vesperæ dicuntur integræ de Nativitate sine commemoratione festi Nominis: si autem festum Nominis incidat in diem octavam Nativitatis, faciendum est Officium de Nomine B. M. absque commemoratione Octavæ: Consequentet si festum Nominis B. V. transferatur in diem ante festum B. Virg. de Mercede, pridie fit officium totum de Nomine sine commemoratione, & alterius diei Officium de Mercede incipit à matutino.

457 §. 11. Infra Octavas Paschæ & Pentecostes, secunda oratio est *Ecclesiæ* vel *pro Papa*: tertia non dicitur. Infra Octavas B. V. & omnium Sanctorum, 2. est, *Deus qui corda*: 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Infra alias Octavas, 2. est, *Concede*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*, uti & in vigiliis, quæ jejunantur, si fiat missa de vigilia: Excipe vigilias Nativitatis Christi & Pentecostes. Quòd si in vigilia fieret de festo, v. g. semiduplici, 2. est de vigilia, 3. de tempore.

458 §. 12. Orationes de tempore sunt: In adventu. 2. *Deus qui de B. Maria*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. A Dominica post Octavam Epiphaniæ usque ad purificationem, 2. *Deus qui salutis* 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Post purificationem usque ad diem Cinerum, & ab Octava Pentecostes ad Adventum, 2. *A Cunctis*, 3. *ad libitum*. A die Cinerum ad Dominicam Passionis, 2. *A Cunctis*, 3. *pro Vivis & Defunctis*. Septimana Passionis, item per Octavas Paschæ & Pentecostes, 2. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*, 3. non dicitur, post Octavam Paschæ ad Ascensionem, 2. *Concede*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. In festis semiduplicibus & simplicibus ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, & à Purificatione usque ad Quadragesimam, 2. est *A cunctis*, 3. *ad libitum*. Ab Octava Epiphaniæ ad Purificationem, 2. est, *Deus qui salutis*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. A die Cinerum ad Dominicam Passionis, 2. *de feria*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Ab Octava Paschæ ad Ascensionem, 2. est *Concede*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Octavarum Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Corporis Christi, fit semper commemoratio, etiam in festis 1. Classis, *Rubrica* dicens sic fieri in missa, sicut in Breviario, quod ita habet *tit. De Octavis & Commem.*

459 §. 13. Ordo commemorationum in missa servatur secundum classem, in eadem autem classe servatur ordo secundùm dignitatem designatam in Litaniis, nisi aliud notetur in missali. Festum simplex commune toti Ecclesiæ præfertur particulari simplici.

460 §. 14. Si occurrant eadem die plures collectæ si miles dicendæ, mutatur earum altera cum diversa, vel ex proprio vel ex communi, ne bis dicatur eadem, v. g. si festum S. Martini incidat in Dominicam 22. post Pentecosten, oratio secreta est eadem, hinc pro S. Martino accipi debet ex communi de Sanctis.

461 §. 15. Si infra Octavam propriæ Dedicationis facienda sit commemoratio alienæ Dedicationis, pro hac accipitur oratio, quæ est pro prima Dedicatione, & omittuntur ea, quæ soli primæ conveniunt.

462 §. 16. In oratione *A cunctis* nominari potest quivis S. canonizatus sub N. Item videtur licere nominare duos, non plures, uti consuetudo Ecclesiæ habet. Addi potest cognomen S. ad distinctionem: si tamen Ecclesia orationem posuerit & non addiderit cognomen, etiam addendum non est à celebrante.

463 §. 17. Extra Adventum, Quadragesimam & tempus pascha le, prima die cujuscumque mensis: item extrà Quadragesimam & tempus paschale omni die Lunæ, loco missæ conventualis pro defunctis addunt alii orationem, *Fidelium* penultimo loco, nisi isti dies primi impediantur duplici vel semiduplici, etiam ad libitum, tum enim pro die Lunæ planè omittitur, pro mense autem transfertur in proximam diem non impeditam. Si autem prima dies mensis non impedita sit die Lunæ, hac die dicendo satisfit utrique obligationi, quia fit, quod præscribitur utraque rubrica: sicuti si una lex vellet jejunari prima die mensis, altera lex vellet jejunari prima die Lunæ in quovis mense, si prima dies mensis esset Lunæ, & hac jejunaretur, satisfieret utrique legi. Quòd si vigilia incidat in primam diem non impeditam mensis, vel in similem diem Lunæ, secunda oratio est *Fidelium*, quia rubrica vigiliam habet tanquam feriam, cum in ea fiat officium de feria, in rubricis enim generalibus *Tit. 6. de vigiliis n. 4.* dicitur, *Officium vigiliæ totum fit de feria occurrente, ut in Psalterio.*

464 *Q. 65. Quando dici vel omitti debeat, Gloria aut Credo?* R. §. 1. *Gloria* dicitur, quando in matutino dictum est, *Te Deum Laudamus*: excipe feria 2. & 3. Rogationum; item si missa non concordet cum officio Horarum, uti in vigiliis votivis, *De Requiem*: tamen dicitur in votivis Angelorum & B.

Virginis in Sabbato, ut rectè Gav. & Gob. *t.* 3. *n.* 722. in votivis autem B. Virginis extra Sabbatum, non dicitur: item dicitur, quando legitur de Sancto, die, quo obiit, aut de Sancto, qui est titulus Altaris, licèt de his non sit dictum Officium. Dicitur quoque in votiva pro gravi & publica causa; item in solemni gratiarum actione, si non sint paramenta violacea.

465 §. 2. *Gloria* non dicitur, quando in matutino dictum non est *Te Deum laudamus*: excipe, in cœna Domini & Sabbato Sancto, quibus dicitur.

466 §. 3. *Credo* dicitur in omni Dominica, qualecunque sit Officium, & etiamsi missa sit votiva, dummodò non sit *De Requiem*; item in solemni votiva pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, v. g. in precibus 40. horarum: item in omnibus Dedicationibus item in festis incidentibus infra Octavas habentes *Credo*, non tamen in vigilia incidente infra Octavam, nec in Rogationibus, item dicitur in Missa de Sancto cujus insignes Reliquiæ habentur in Ecclesia, in qua legitur missa, si autem missa fieret extrà hanc Ecclesiam, non ideò dicitur, *Credo*, S. Cong. 2. Dec. 1684.

467 § 4. Octavæ totæ habent *Credo*, si festum habeat, quamvis Officium non fiat de Octava.

468 §. 5. Regulariter MUC non credit, id est, Martyres, Virgines (& Viduæ) Confessores (nisi sint Doctores) non habent, *Credo*: tamen *Credo* dicitur in festo Patroni Titularis Ecclesiæ, non autem capellæ vel altaris. Item dicitur in festis principalibus Sanctorum apud Regulares: non tamen Beatorum, nisi sit missa solemnis. Nec ideò dicitur, *Credo*, quòd expositum sit venerabile Sacramentum, S. Cong. 2. Decemb. 1684. Nec dicitur in Sabbato, quando Missa legitur de Dominica alioqui omittenda.

469 *Q.* 66. *Quandonam dicatur*; *Ite Missa est*, *& Evangelium S. Joannis*? R. §. 1. *Ite Missa est*, dicitur quandocunque dictum est *Gloria in excelsis*: si, *Gloria*, non sit dictum, dicitur, *Benedicamus Domino*: tamen in Missis *De Requiem*, semper dicitur, *Requiescant in pace. Ite Missa est*, dicitur facie ad populum conversa, *Benedicamus Domino*, *& Requiescant in pace*, facie ad altare conversa.

470 §. 2. Evangelium S. Joannis legitur in fine Missæ, 1. In omni votiva & *De Requiem* 2. Etiam aliàs semper, nisi nona lectio fuerit Evangelium cum Homilia, quod Evangelium tum legitur in fine Missæ.

471 *Q.* 67. *Quid specialiter notandum sit in Missis vigiliarum & quarundam feriarum*? R. §. 1. In missis vigiliarum simplicium non dicitur *Gloria* nec *Credo*, licèt *Te Deum* dictum sit in officio, quia missa non concordat cum Officio. *Dixi*, simplicium, propter vigilias Paschæ, Pentecostes, &c.

472 §. 2. Si in vigiliam incidat semiduplex, secunda oratio est de vigilia, tertia de tempore, non, *Concede*, quæ aliàs secundo loco in vigilia dicitur.

473 §. 3. In vigilia infra Octavam, si Officium est de Octava, missa est de vigilia cum commemoratione Octavæ: Si Officium est de alio festo, missa etiam est de hoc festo cum oratione secunda de octava, tertia de vigilia. Excipe, si vigilia SS. Petri & Pauli vel S. Joannis venerit infra Octavam Corporis Christi, tum enim missa est de Octava & commemoratio vigiliæ.

474 §. 4. In vigiliis semper dicitur præfatio communis (excipe Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes) licèt sit infra Octavas habentes propriam, uti videre est in vigilia S. Joannis occurrente infra octavam Corporis Christi.

475 §. 5. Si vigilia impediatur à festo digniori ultimum Evangelium est de illa exceptis feriis Quadragesimæ vel temporum, tum enim legitur Evangelium feriæ.

476 §. 6. In feriis Adventus, si resumatur missa Dominicæ, omittuntur *Alleluya* & versus sequens. A septuagesima ad Quadragesimam, si resumatur missa Dominicæ, etiam omittitur Tractus.

477 *Q.* 68. *Quid observandum sit, si concio habeatur tempore Missæ*? R. §. 1. Concio habetur statim post Evangelium vel post *Credo*, si dicatur; & Rubricæ vetant, ne habeatur post oblationem. Quòd si celebrans ipse concionetur, deposita casula, & manipulo sedet ad cornu Evangelii, vel ascendit cathedram.

478 §. 2. Qui coram Episcopo loci sub missa tantum est concionaturus, circa initium Evangelii genuflexus petit ab illo benedictionem per *Jube domne benedicere*, osculata Episcopi manu, postmodum in cathedra facit profundam Episcopo, aliis autem capitis inclinationem.

479 §. 3. Si Venerabile sit expositum in concione, stat nudo capite, nisi velum interponatur ante Sacramentum: aliqui tamen volunt hoc tantùm esse observandum, si concionetur intra Chorum, in quo Sacramentum prostat, secus si cathedra sit in navi templi seu infra Chorum, *Lohner*; sed praxis habet, si inter cathedram & Sacramentum expositum nihil intercedat, ut concio fiat nudo capite.

480 *Q.* 69. *Quid notandum sit circa inclinationes in Missa*? R. seqq. §. 1. Quadruplex est inclinatio, 1. solius capitis: 2. humerorum simul: 3. profunda seu medii corporis: 4. genuflexio.

481 §. 2. Solius capitis inclinatio versus crucem fit, quoties dicitur, *Gloria Patri*, vel *Oremus*. Ad Gloria in excelsis, quando dicitur *Deo*, *adoramus*, *gratias agimus*, *Jesu Christe*, *Suscipe deprecationem*. Ad *Credo*, quando dicitur, *In unum Deum*, *Jesum Christum*, *Adoratur*. Ante præfationem, quando dicitur, *gratias agamus Domino Deo nostro*. Dum facit memento pro vivis. Ad *tibi gratias agens* ante consecrationem, & sub utraq; consecratione. Post memento pro defunctis, quando dicitur, *per eundem Christum Dominum nostrum*. In Quadragesima, quando dicitur, *humiliate capita vestra Deo*. Post, *Ite Missa est*, quando dicitur, *placeat tibi S. Trinitas*, & statim post, quando dicitur, *benedicat vos omnipotens Deus*. Etiam fit quoties abit vel redit ad medium altaris non habentis Venerabile expositum. Item quoties pronunciat nomen *Jesu* vel *Mariæ* vel *Sancti*, de quo celebratur, aut fit commemoratio, Avendannus apud Gob. *tr.* 3 *in App. ad n.* 731. dicit etiam fieri ad nomina, *Trinitas & Venerabile Sacramentum*, quando de his legitur missa. Si sub Evangelio occurrat aliquod sacrum nomen, inclinatio fit versus librum. Quamvis autem *Lohner* dicat ad nomen Papæ etiam inclinandum esse caput, tamen hoc nullibi reperio præscriptum.

482 §. 3. Humerorum inclinatio fit post psalmum *Judica*, quando dicitur *Deus tu conversus vivificabis nos*. Post obligationem, quando dicitur, *In spiritu humilitatis*, &, *Suscipe S. Trinitas*, Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus*, *qui venit*, exclusivè. Ad *Agnus Dei* & orationes sequentes. Ad *Domine non sum dignus*.

483 §. 4. Profunda reverentia fit; quando accedit vel recedit ab Altari, quando ab Altari descendit ad infimum pedem volens missam incipere; Ad *Confiteor*; Ad *Munda cor meum*; Ad *Te igitur clementissime Pater*: Post elevationem ad *Supplices te rogamus*. Denique quando sumit sacram hostiam. Sacerdos inclinatus sub *Confiteor*, in sola missa solemni movet corpus à sinistra ad dextram ad Subdiaconum & Diaconum.

484 §. 5. Genuflexio fit, quando transit, accedit vel recedit ab Altari, ubi est Venerabile expositum vel reconditum: Quoties accedit vel recedit à medio Altaris, & quoties se convertit ad populum & iterùm ad Altare, ubi Venerabile est expositum. Antequam incipiat missam ad altare, in quo est

Vene-

Venerabile saltem reconditum. Quoties in missis privatis dicitur, *Flectamus genua*, vel in Missali ad marginem notatur genuflexio. In *Credo* ad *incarnatus est*. Quoties post elevationem movet hostiam vel calicem. In fine Evangelii S. Joannis, ad *Verbum caro factum est*. Debet autem genuflexio fieri usque ad terram, non præpoperè vel cum impetu, sed tardè & graviter. Ordinariè fit uno tantùm genu, aliqui tamen dum accedunt aut recedunt ab altari, & antequam incipiant Missam, ubi Venerabile est expositum, flectunt utroque genu.

Varia de honore, salutatione & reverentiis, quæ quandoque exhiberi debent magnatibus vel aliis, possunt videri apud Steph. Grat. *t.* 2. *c.* 284.

485 *Q.* 70. *Quid notandum sit circa benedictiones & ritus manuum?* R. seqq. §. 1. Benedictiones aliæ sunt consecrativæ, uti illa, qua benedicitur aqua: Aliæ invocativæ, uti si Pater benedicat filio: Aliæ tantùm significativæ, & tales sunt illæ, quas Sacerdos facit super species consecratas, significant enim Christum, qui ibi continetur, esse omnis benedictionis authorem.

486 §. 2. Manus post consecrationem semper tenendæ sunt supra Corporale, aut deponuntur in illo; ante consecrationem autem ponuntur supra altare, proximè ad Corporale.

487 §. 3. Qui utuntur ritu Ambrosiano, Dominicanorum vel Franciscanorum, post elevationem extendunt brachia in crucem: Reliqui eo ritu non utentes nunquam manus extendunt ultra latitudinem corporis sive casulæ, quia non debent posse videri ab eo, qui esset directè post tergum Sacerdotis: Junctæ autem ita teneri debent, ut digiti altum respiciant.

488 §. 4. Manus prius elevatæ junguntur ad *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Veni sanctificator*, *Sursum corda*, & *Gratias agamus*, in Præfatione. Ad initium Canonis, *Te igitur*. Ad utrumque *Memento*. Ad benedictionem populi, *Benedicat vos*. Sine elevatione junguntur, quoties dicit, *Oremus*: quando ad populum dicit, *Dominus vobiscum* & *Orate Fratres*: Ad *Sanctus* in fine Præfationis: Post consecrationem, quando dicit, *De his donis*. Ad *Supplices te Rogamus*: Ad *Sacrosanctum Filii tui Corpus*: Post orationes, quando dicit, *Per Dominum nostrum*, vel *Per Christum*: Si autem oratio claudatur per, *Qui vivis* vel *vivit*, jungit manus, cum dicit, *In unitate Spiritus*, *&c.*

489 §. 5. Manus junctas super altare tenet, postquam ascendit & dicit, *Oramus te Domine per merita*. Ad *In spiritu humilitatis* & *Suscipe S. Trinitas*. Ad initium Canonis. *Supplices te rogamus*: Ad orationes ante communionem. Ad initium Canonis. *Supplices te rogamus*: Ad orationes antè communionem. Ad *Placeat tibi S. Trinitas*. Manus extensas super altare ponit quoties osculatur altare: Ad *Per omnia sæcula sæculorum* ante Præfationem & *Pater noster*: si legens Epistolam non applicet manus libro.

490 §. 6. Quando dextera signat aliquid in altari, tum ponit sinistram super altare. Si autem se ipsum vel alios signet, admovet suo pectori, uti etiam ad *mea culpa* in *Confiteor*. Quando autem sinistra movet aut vertit librum, deponit dexteram in altari.

491 §. 7. Cruces in Missa non fiunt manu plicata vel inflexa sed recta & digitis conjunctis, S. Congr. 4. Aug. 1663. Et formantur cruces, non signando manu quatuor quasi puncta in aere, nec manu ducta in circulum, sed per duas lineas, alteram rectam versus Sacerdotem, alteram diametraliter transversam. Quæ super calicem fiunt, non excedunt pallæ magnitudinem, quæ autem fiunt super calicem & hostiam, simul incipi debent à labio extremo calicis usque ad spatium imminens primæ parti hostiæ versus Sacerdotem, non debet tamen manus deprimi ad hostiam, sed recta trahitur hæc crux æqualiter altè super calicem & hostiam.

§. 8. Quando sub Canone ad *Hanc igitur oblationem* palmæ apertæ super oblata extenduntur, aliqui cum *Lohner* tenent pollices infra palmas, alii cum Gav. Quarti, Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 204. ponunt supra palmas in formam crucis, dextero super sinistrum posito, secundum Decretum 238. S. Cong. referendum *n.* 2055. 492

§. 9. Dum elevatur hostia, pollices, indices & musculi manuum junguntur, ut firmius teneatur hostia, tres autem ultimi digiti extensi adinvicem junguntur. 493

§. 10. Quando Sacerdos post consecrationem an te Communionem percutit pectus, facit hoc tribus tantùm digitis ultimis dextræ, quia pollex & index non debent post consecrationem tangere casulam, *Gav.* 494

Q. 71. *Quid notandum sit circa ritus oculorum?* R. seqq. §. 1. Oculi elevantur ad *Munda cor meum*, *Veni sanctificator*, ad oblationem hostiæ & calicis, sed offerens hostiam statim iterum deprimit in hostiam, offerens autem calicem tenet elevatos. Item elevantur oculi ad *Suscipe S. Trinitas*, *Te igitur clementissime*, *Gratias agamus*, dum dicit, *Deo nostro*, *Qui pridie*, dum dicit, *Elevatis oculis*: Quando hostiam & calicem elevat, hæc enim respicit, donec deponat. In fine ad *Benedicat vos Omnipotens*. 495

§. 2. Oculos demissos tenet, dum accedit vel recedit ab altari: Quandocunque se vertit ad populum: Sub utroque *memento*: Post consecrationem plerumque conjiciuntur in hostiam, nisi occupentur in legendo. 496

Q. 72. *Quid observandum sit circa Missas votivas?* R. seqq. §. 1. Missa votiva est, quæ ex voto seu arbitrio Sacerdotis legitur præter directionem Rubricæ, & discrepanter ab Officio. Licita est autem votiva, si adsit rationabilis causa, alioquin non est temerè recedendum à rubrica & usu communi. 497

§. 2. Prohibentur votivæ, 1. diebus Dominicis & festis duplicibus, nisi sint ad libitum, tum enim licent, quia privilegium orandi Officium potest acceptari sine privilegio legendi Missam, 2. Infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ & Pentecostes. Et per decretum Clementis X. 21. Jun. 1670. Intra octavam Corporis Christi. 3. Die Cinerum, Septimana Sancta, in vigilia Nativitatis Christi & Pentecostes, item in vigilia Epiphaniæ per S. Congr. 27 Aprilis 1698. 498

§. 3. Pro causa publica legi possunt etiam in duplicibus, si non sint primæ classis, *Gav. Dian.* & alii. Imò & in duplici primæ classis aut in Dominica vel festo de præcepto, si sit pro causa publica & Missa solemnis, Sennyei: Necessitas autem sufficiens ad privatam votivam in duplicibus non primæ classis sunt preces 40. horarum, publica gratiarum actio, &c. Putantque *Henriq. Tann.* & alii sufficere quamcunq; rationabilem causam, v. g. ut satisfacias fundationi: addunt *Jord.* & alii, si promiseris accepto stipendio, sed Tamb. & Gob. *t.* 3. *n.* 715. probabiliùs dicunt, quamvis juraris aut voveris, te non teneri legere, quia nemo obligatur ad aliquid prohibitum, & æquè multum prodest Missa de tempore. Putat tamen *Tamb.* excusare notabile incommodum, v. g. cui valdè difficile esset legere Missam, *in qua* est longa Passio, posset, secundùm ipsum, accipere votivam de Passione Christi. Præterea Tamb. & Gob. *n.* 712. putant excusare singularem devotionem lecturi vel audituri talem Missam, sed optima devotio est se accommodare directioni Ecclesiæ per Rubricas. 499

§. 4. Licita est votiva, quando die feriali recitatur Officium Dominicæ omissæ vel anticipatæ. Putat tamen *Gav.* non debere tum dici loco Missæ principalis. 500

501 §. 5. *Angel.* & alii damnant eum mortalis, qui absque rationabili causa die prohibito legeret votivâ sed Suar. Bon. Fill. Regin. Dicast. Jord. Lohn. Port. Burg. *cent. 2. casu 5.* aliique apud Quarti *in q. præm. s. 6. p. 7. & p. 1. t. 4. d. 5.* dicunt Rubricas istas de votivis esse tantùm directivas nec obligare sub peccato. *Quarti* tamen & *Aversa* probabiliùs dicunt, dato Rubricas illas esse directivas, tamen fore venialia, si quis sine rationabili causa se ab illis, & à communitate difformet: imò si quis in Dominica sine rationabili causa legeret votivam solemnem, putat *Suar. & Quarti* fore mortale, alii tamen meritò non agnoscunt tantùm rigorem.

502 §. 6. In votivis omittitur *Gloria & Credo.* Si tamen fit de Angelis vel de B. Virgine in Sabbato, vel in die, quo Sanctus obiit, vel in solemni pro causa publica, dicitur *Gloria*, nisi sint paramenta violacea, tum enim semper omittitur *Gloria* uti & *Credo*, excepta Dominica, si fiat votiva solemnis, aut etiam privata, tum enim dicitur *Credo.*

503 §. 7. Infra Octavam non fit votiva de eo, de quo est Octava, sed dicitur Missa festi conveniens Officio cum *Gloria.* Quòd si sit infra Octavam v. g. B. Virginis, & fiat Officium de aliquo Sancto, pro votiva de B. Virgine dicitur Missa festi B. Virginis, sed extra Sabbatum sine *Gloria*, & semper sine *Credo.* Et idem est de Sanctis, inquit Arnaudus. Quòd si petatur votiva, v. g. de Pentecoste aut de Assumptione, putant *Quarti & Aversa* non esse legendam de diebus illis, sed votivam in fine positam de Spiritu Sancto, & de B. Virgine, voluntque multi idem fieri, quando petitur de Sancto aliquo, sed alii cum *Lohn.* melius dicunt liberum esse hanc vel illam legere, præsertim quoad votivas de Sanctis, mutatis mutandis, v. g. mutando *To natalitia* vel *festa* in *To commemorationem.*

504 §. 8. In votivis semper dicitur psalmus *Judica*, item ad introitum & *Lavabo*, *Gloria Patri*, etiamsi sit Missa de Passione etiam infra hebdomadam Passionis, Sac. Congr. 10. Febr. 1647. In votivis privatis dicuntur orationes plures, ut in festis simplicibus, semper impari numero: Secunda oratio est, de quo fit Officium: Tertia, quæ aliàs fuisset secunda, & hoc servatur etiam tempore Passionis & infra Octavas. In votivis tamen de B. Virgine tertia est, *Deus qui corda.* Et de Sanctis Apostolis, Petro & Paulo, si secunda esset *A Cunctis*, loco ejus dicitur, *Concede.* In votiva solemni est tantùm una oratio, & si quis velit addere alteram pro gratiarum actione, utraque dicitur sub una clausula, non item in privata Missa, *Gav. Lohn.* contra *Quarti.*

505 § 9. Præfatio dicitur propria, si habeat, aliàs de tempore, vel de Octava vel de communi. Si fiat votiva infra Octavam Nativitatis Christi, dicitur præfatio de Nativitate, licèt votiva haberet propriam. Dicitur etiam *Communicantes & hanc igitur*, si votiva dicatur infra Octavam, quæ illa habet propria. In fine semper dicitur Evangelium S. Joannis.

506 *Q. 73. Quid observandum sit circa Missas de Requiem?* R. seqq. §. 1. Missa de *Requiem* licita est aut prohibetur iisdem diebus & temporibus, quibus votiva, potestque similis necessitas vel causa excusare, ut legi possit diebus aliquibus prohibitis, *Gav. Lohn.* Non legitur exposito Venerabili.

507 §. 2. Præsente corpore licita est una solemnis de *Requiem* quamvis sit dies Dominica vel festum de præcepto, dummodò non primæ classis; si tamen non sit de majoribus primæ classis, docet Sennyei *de Missa n.* 184. licere, uti & die Jovis Sancto ante, & Sabbato Sancto post alteram Missam solemnem. Putat autem *Gav. & Arnaud.* non licere in talibus festis vel Dominicis plures privatas, sed contradicunt alii cum Sennyei *n.* 182. quia censetur tantisper suspensum officium diei, & scio alicubi id permisisse Vicarium Generalem in Sabbato Sancto. Verùm ad tollendum dubium S. Cong. 10. Jun. 1693. declaravit tanquam abusum abolendam consuetudinem celebrandi Missas privatas pro defunctis corpore præsente & insepulto his diebus, in quibus fit de duplici, vel de duplici fieri non potest, quod à fortiori intelligendum est iis diebus, qui rejiciunt duplicia primæ classis, quales sunt ultimi in septimana Sancta, & omnes infra Octavas Paschæ & Pentecostes, & aliquot alii. Prætereà Alexander VII. 5. Aug. 1662. sub gravibus pœnis prohibuit Missas privatas pro Defunctis in omni duplici, cujus decretum Clemens XI. innovavit 30. Aug. 1706. voluitque omninò observari Rubricam de non celebrandis Missis privatis pro Defunctis in duplicibus, eò quòd æquè utiles sint, quæ sunt conformes Officio, cum applicatione Sacrificii. Sed quamvis ista tam sæpè sint præcepta, attamen passim videmus non observari: quod improbandum est.

508 §. 3. Anniversaria de *Requiem*, aut de tertia & septima die dici non possunt in festo de præcepto, nequidem solemni: S. tamen Cong. 1. Septemb. 1607. & 20. Jun. 1626. concessit pro implenda voluntate testatorum dici Missas de *Requiem* in festo duplici, quod non est de præcepto. Et notandum est decretum Alexandri VII. *Credite* 22. Jan. 1667. datum, & habetur ultimo loco inter ejus Bullas, quo declarat anniversaria & Missas de *Requiem*, si canantur, & eas dispositerint Testatores, quot annis in die ipsorum obitus, non prohiberi etiam in duplici majore, Missas tamen privatas in eum finem S. Cong. 28. Aug. 1627. & 21. Jun. 1670. non permisit legi in duplicibus, & quandocunque est Officium excludens duplicia.

509 §. 4. Alexander VII. in eodem decreto, *Credite*, dicit Missas in altaribus privilegiatis in diebus, quibus non licent, quamvis non sint de *Requiem*, sed de festo currente, habere eandem vim & indulgentias, quas haberet Missa de *Requiem.* Idem statuit etiam Clemens IX. & Innocentius IX. & Innocentius XI. die 4. Maii 1688. Unde jam nulla rationabilis causa potest esse, cur in tali die prohibito petatur aut legatur Missa de *Requiem.*

510 §. 5. Si Missa defunctorum certo die dicenda, v. g. anniversaria, vel de tertia aut trigesima die, incidat in diem prohibitum transferri potest in diem sequentem. S. Cong. 27. Sept. 1607. Durand. tamen, Corsettus & Rayn. *in Heter. T. 15. p. 2. s. 3. punct. 3. n. 45.* rectè dicunt anticipari posse, ut citiùs succurratur Defunctis.

511 §. 6. In Missa de *Requiem* omittitur psalmus *Judica*: Ad introitum Sacerdos non signat se, sed librum: Omittitur *Gloria Patri* ad introitum, *Gloria in excelsis*, omnis oratio pro vivis, vel pro vivis & defunctis simul: *Jube domne benedicere*: *Dominus sit in corde*: Osculum libri post Evangelium, *Per Evangelica dicta*, *Credo.* Benedictio aquæ, *Gloria Patri*, post *Lavabo*, percussio pectoris ad *Agnus Dei*; sed manibus junctis, & non impositis altari additur, *dona eis Requiem*, & ultimo, *sempiternam.* Post *Agnus Dei* prima oratio pro pace omittitur. In fine loco *Ite Missa est*, dicitur versus altare, *Requiescant in pace*, Omittitur benedictio populi; sed dicto *Placeat*, & osculato altari, itur ad Evangelium S. Joannis, quod semper legitur. Communio non distribuitur in paramentis nigris, nec intra solemnia cujuscunque Missæ de *Requiem.*

512 §. 7. *Dies iræ* dicitur, quando est unica oratio; si autem sint plures, liberum est dicere vel omitte-

re

re : semper legitur præfatio communis.

513 §. 8. In solemni de *Requiem* est unica oratio, uti & festo Animarum, die propositionis & Anniversaria, die tertia, septima, trigesima, in aliis autem Missis sunt plures, & in his oratio *Fidelium* semper dicitur, & semper est ultima. Quamvis legatur pro patre tantùm vel matre tantùm, in oratione dicitur, *Deus qui nos patrem & matrem.*

514 §. 9. Tertia dies numeratur à die sepulturæ : Inter diem tertiam & septimam, inter septimam & trigesimam legitur, uti aliàs *Missa quotidiana.* Ante sepulturam, die tertia, septima & trigesima legitur Missa *De die obitus sive depositionis.*

515 §. 10. Communis sententia hactenùs habuit, quòd festo Animarum Missa ex intentione Ecclesiæ applicetur omnibus Defunctis in communi, legitur tamen declaratio S. Cong. data 4. Aug. 1663. quòd applicari possit tum in genere pro omnibus, tantum in specie pro aliquibus Defunctis. De Missa post festum Animarum legenda pro Defunctis in Societate, dictum est *n.* 170. Quandonam autem in Missa, quæ non est de *Requiem* addi debeat oratio *Fidelium*, dixi *n.* 463.

516 *Q.* 74. *An licitum sit pro vivo legere Missam de Requiem?* R. §. 1. Negant absolutè Laym. Castrop. Garz. Tamb. Diana *p.* 5. *t.* 13. *R.* 2. *p.* 9. *t.* 2. *R.* 19. Aversa. *q.* 11. *s.* 12. Mendo *diss.* 13. *q.* 8. quia cum illa pro Defunctis tantùm sit instituta, nec est immutandus hic ritus Ecclesiæ ; imò tales Missæ non prosunt jam vivis, neque earum effectus suspendi potest usque ad mortem illius, pro quo fiunt, ergo malè leguntur. E contrà Nav. Fagund. Zerol. Barb. Lez. Hautinus, Gob. *t.* 3. *n.* 631. aliique apud *Aversam* suprà dicunt, licitum esse & pium, quod *Mendo* agnoscit probabile, & fusè defendit Rayn. *in Heter. to.* 15. *p.* 2. *sect.* 3. *pun.* 3. *à n.* 32. quamvis enim istæ sint pro mortuis institutæ, tamen ex natura sua etiam prosunt, si offerantur pro vivis, imò plus quàm si pro mortuis, quia his tantùm prosunt per vim satisfaciendi, vivis autem etiam per vim merendi, & impetrandi. Utraque sententia est probabilis, sed prima sensui communi & praxi Ecclesiæ conformior : Multa tamen exempla pro secunda affert *Rayn.* suprà.

517 §. 2. Si posterior sententia practicetur, omitti debent orationes, in quibus ille, pro quo legitur, dicitur esse mortuus, id enim foret mendacium, nisi fortè verba per intentionem celebrantis referantur ad tempus, quo mortuus erit. Videri potest Henao *de Sacrif. d.* 17. *pag.* 379. & Rayn. *n.* 34.

518 *Q.* 75. *Quid sit notandum circa Missas ad altare privilegiatum?* R. seqq. § 1. Qua forma concedatur illud privilegium, & quomodo ejus verba sint explicanda, videri potest Gob. *in Exp. t.* 3. *à n.* 639. & Sylv. *p.* 2. *v. Altare privil. cap.* 2. Conceditur autem, ut per Missam & applicationem fructus è thesauro Ecclesiæ anima, pro qua legitur, liberetur è purgatorio : unde in hoc consistit illud privilegium seu vis sacrificii oblati, quod per concessionem Papæ habet ex thesauro Ecclesiæ annexam tantam satisfactionem, quæ pœnam ab anima luendam adæquet, vel sola, vel conjuncta simul cum satisfactione proveniente à Sacrificio, adeò ut ista Pontificis actio sit actus justitiæ commutativæ talis, qualis inter Deum, & creaturam datur. Et hæ satisfactiones adjunguntur Sacrificio, non per modum absolutionis, cum Pontifex non habeat jurisdictionem in animam purgantem, sed per modum solutionis seu suffragii, quo non obstante dicendum est, quod Papa hic utatur potestate clavium, quæ se extendit ad utrumque modum satisfaciendi, Pasq. *q.* 729.

519 §. 2. Quando Papa exprimit, debere esse Missam de *Requiem*, si legatur alia, non obtinetur Indulgentia. Si tantùm requirat Missam, Pelliz. & Sylv. *c.* 1. putant posse esse Missam aliam, sed Quarti, Pasq. *q.* 731. Gob. *n.* 650. ex declaratione Cardinalium, dicunt, debere esse de *Requiem.*

520 §. 3. Si concedatur, ut liberetur anima etiam per aliam Missam, quàm de *Requiem*, addenda est collecta pro defuncto, exceptis festis primæ classis, Gob. *n.* 651. Estque probabilius, non sufficere commemorationem pro defuncto sub solo *Memento*, quamvis id putent Nav. Bellarm. Garz. Castrop. & alii apud Gob. *n.* 652.

521 §. 4. Privilegium altaris non censetur concessum nisi pro diebus deputatis, & quando per Rubricas licitum est celebrare de *Requiem*, *Alviset*, apud Gob. *n.* 654. ex declaratione Cardinalium. Quòd si Papa det Privilegium lucrandi diebus alioqui prohibitis, putat *Sylvius* hoc ipso potestatem dari, ut illis diebus legatur de *Requiem* ; sed oppositum constat ex dictis n. 509. quia volunt per aliam Missam obtineri, quod obtineretur per Missam de *Requiem.*

522 §. 5. Si in Brevi habeatur, ut quotidie ad tale altare legantur saltem septem Missæ, *Sylv.* putat non obstare, si per accidens bis aut ter tot Missæ non legantur, dummodò alias censeatur semper fieri, id enim intelligi debet moraliter nam etiam die Jovis, Veneris & Sabbati in septimana sancta non dicuntur tot Missæ.

523 §. 6. Si Ecclesia, in qua est tale altare destruatur, manente altari, perit privilegium, uti decisum esse testantur Dian. Gob. *n.* 657.

524 §. 7. Effectum illum liberationis animæ non esse absolutè infallibilem sed tantùm ex benigna Dei acceptatione, docent S. Bonav. Ric. Dur. Caj. Cord. Bon. Laym. Amic. & alii multi cum Pasq. *q.* 729. & Dicast. *t.* 9. *dub.* 18. quia Deus, qui est supremus Judex, non tenetur nec promisit se acceptaturum commutationem pœnæ debitæ. E contrà si impleantur conditiones requisitæ, esse infallibilem tenent S. Th. Ledesm. Sot. Valent. Con. Less. Fill. Castrop. Dian. Gran. Lugo, Tann. Mendo *d.* 13. *n.* 96. Arr. *d.* 15. *s.* 1. optimè Suarez *d.* 79. *s.* 10. ubi ostendit S. August. Chrys. & Cyrill. idem sentire. Bellarm. *l.* 1. *de Indulg. cap.* 14. neutram sententiam audet reprobare, vocatque priorem valdè rationabilem, posteriorem valde piam. Rationes utrimque fusè discutiunt Mendo suprà & Gob. *à n. n.* 658. & iterum de Indulgentiis *à n.* 485.

525 §. 8. Quando in Bulla concessionis habetur dari privilegium, v. g. ad septennium, hoc septennium videtur incipere non à die gratiæ concessæ Romæ ; sed à die publicationis factæ, quia Papa vult usum illius esse pro septennio, usus autem non est ante approbationem Episcopi, & publicationem, uti habetur in Trid. *sess.* 21. *c.* 9. *de refor.* Ita senserunt hactenus Authores, sed emanavit.

Decretum hoc S. Congregationis Indulgentiis & Reliquiis præpositæ.

Discusso dubio in Sacr. Cong. Indulgentiis, & S. Reliquiis præposita : An attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solent, *Præsentibus ad septennium tantùm valituris*, septennii initium à die publicationis Brevis desumendum sit ? Eadem S. Cong. die 18. Maii 711. declaravit, non à die publicationis, sed à die datæ Brevis septennii tempus incipere. Et facta relatione sanctissimo Domino nostro per me infrascriptum Secretarium die 20. ejusdem mensis, Sanctitas sua Congregationis sententiam approbavit.

J. M. Card. Gabriellius Præf. Raphael Cosmus

de Hieronymis Secret. Romæ, typis Cameræ Apostolicæ 1711.

525 §. 9. Probabile est privilegium altaris pro liberanda anima adhuc vigere pro Societate JESU, si ex concessione Generalis applicetur locis, & personis per Provinciales designandis, nam Societas habuit privilegium illud, uti constat tum ex illis, quæ habet Gob. *n.* 651. 656. tum ex Responsis Romanis V. *Altare*, ubi dicitur, illud altare esse privilegiatum, quod Provincialis denominaverit, ita ut etiam externi Sacerdotes in eo celebrantes possint liberare animam. Deinde additur Sacerdotes de Societate, quibus privilegium fuerit applicatum posse liberare animam in quocunque altari legant Missam, & quamvis non de *Requiem*, dummodò addant collectam pro defunctis, hoc autem privilegium fuit perpetuum, nec videtur esse revocatum, ergo.

Dices 1. privilegia vivæ vocis, quale hoc fuit, revocata sunt per Greg. XV. & Urban. VIII. R. Quamvis *l.* 1. *à n.* 850. dixerim, revocata esse, *& ibi n.* 861. idem insinuaverim etiam de privilegiis, quæ concernebant Indulgentias, tamen valdè probabile manet, hæc ultima privilegia non esse revocata, præsertim quoad Indulgentias pro solis defunctis, quale est hoc privilegium, nam nulla privilegia vivæ vocis concernentia Indulgētias esse per dictos Pontifices revocata docent absolutè *Escob. Pelliz. Bordon. Peyrin.* ac probabile agnoscunt *Lez & Gob.* tenueruntq; velut probabilius Revisores Romani in resolutione data ad hanc provinciam 12. Septemb. 1694. quorum ratio fuit 1. quia *Card. Lugo* testatus est ex relatione multorum fide dignorum Urb. VIII. post revocationem ultimam à se factam declarasse non fuisse suam intentionem revocare Indulgentias viva voce datas. 2. Quia in revocatione non fit expressa mentio de Indulgentiis, quæ cum sint maximum privilegium, sicuti non censentur concessæ nomine aliarum gratiarum, ita nec censeri debent sublatæ per generalia nomina, nisi de illis expressa fiat mentio. 3. Quia Indulgentiæ nulli præjudicant, neque earum usus vergit in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, cujus observatio fuit finis & scopus Pontificum, uti exprimitur in Bullis revocatoriis.

Dices 2. In præfatione novi compendii privil. Societatis dicitur, *Porrò nullis aliis gratiis & privilegiis, quacunque etiam communicatione Societati nostræ illa competant, quæ in hoc compendio comprehensa non sint, iis nunquam licebit*: hoc autem privilegium non comprehenditur in novo compendio; ergo. R. Non licebit uti, nisi specialiter communicetur à Generali, nam statim additur, *si tamen illorum usus*, id est, privilegiorum, quæ hìc comprehensa non sunt *alicubi necessarius fuerit, is à Præposito Generali impetrandus erit*: hoc autem Privilegium, à Generali impetrant, & nobis communicant Provinciales, ergo.

527 *Q.* 76. *Quid specialiter notandum sit circa Missas in festo Nativitatis Christi?* R. seqq. §. 1. Tres hac die permittuntur in honorem triplicis Nativitatis Domini, æternæ ex Patre, temporalis ex Matre, spiritualis in anima justi. Notant tamen Bon. Barb. Lohn. Leand. *n.* 447. nequidem Parochum teneri ad tres, quia est tantùm permissio, & privilegium legendi plures: rectè tamen monent Gob. & Spor. *n.* 456. debere observare morem suo loco receptum. Addunt *Suar. Gav. Averss. Cand.* has Missas legi posse ante auroram, sed norat Pignat. *t.* 7. *cons.* 25. ex declarationibus S. Cong. quarum unam referam n. 2055. Decreto 221. non posse omnes tres consequenter dici à media nocte, neque tum esse laicis Communionem ministrandam. Addunt *Suar.* & alii eum, qui unicam Missam vult dicere, posse quamcunque; suadent tamen *Arnaud.* & *Lohner*, ut legat tertiam, quia oratio illius concordat cum Officio: alii suadent, ut accipiat accommodatam tempori, quo legit, nempè si legat in nocte, ut accipiat primam, si in aurora, secundam, in pleno die, tertiam; quamcunque autem legat, si legat unicam, debet in ea facere commemorationem S. Anastasiæ. Nec licitum est legere duas Missas & loco tertiæ communicare more laico, ut dictum est n. 242.

§. 2. Communior praxis in germania habet, uti in 528
primis duabus Missis non fiat prima purificatio solius calicis, sed sumpto sacro Sanguine, statim fiat ablutio digitorum supra calicem, interim tamen dicitur utraque precatio aliàs dici solita in purificatione calicis, & ablutione digitorum, *Gav. Arnaud.* Vinum autem illud effunditur in aliud vas impositum corporali, & palla tectum, calixque extergitur. Romæ, Leodii & alibi alia est praxis, quæ ibi servanda est.

§. 3. Si jejunium esset fractum etiam inadverten- 529
ter; non debet ulterior Missa legi. Quandonam autem frangatur jejunium requisitum ad Communionem dictum est *in p.* 1. *n.* 550. *& à n.* 560. ex quibus resolvitur hic casus: Titius in prima Missa incogitanter sumpsit in os quinque aut sex guttulas ablutionis, sed se reflectens & non audens vel expuere, quia sacræ species erant admixtæ, nec deglutire, ne facto jejunio impediretur ab aliis Missis legendis, tam diù in ore retinuit, donec ore saliva repleto nihil amplius reperiretur de vino, sicque deglutiit tamquam salivam. *Quæritur*, an manserit jejunus? R. *Sporer* dubitavit, propendens magis, quòd fractum esset jejunium, quod omnino puto factum fuisse, quia vinum illud non poterat dici se habere per modum salivæ, ut colligitur ex dictis *p.* 1. *n.* 566. Nec saliva illa videtur potuisse sufficienter diluere vinum, adeóque dici debuit potiùs saliva descendere per modum vini, quàm vinum illud per modum salivæ.

§. 4. Quamvis *p.* 1. *n.* 459. dixerim guttas vini in- 530
ternè adhærentes, & non vicinas fundo calicis meliùs excludi ab intentione consecrandi, tamen in his duabus primis Missis melius in intentione includuntur, ne posteà sumatur aliquid non consecratum & frangatur jejunium. Idem fortè suaderi posset de parvis partibus panis, quæ jacent in eo loco corporalis, unde posteà colliguntur particulæ, & cum sacro Sangine sumuntur, nam si non fuerint consecratæ, etiam frangunt jejunium; sed quoad has Ecclesia non videtur tam scrupulosè requirere jejunium.

Q. 77. *Quomodo defectus in Missa sint corrigendi* 531
vel supplendi? R. §. 1. Defectus, qui non sunt circa substantiam missæ, non sunt supplendi: si quis longè progressus sit, vel per hoc deberet invertere ordinem missæ. Pasq. *q.* 297 Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 777. Hinc longiùs progressus non teneris supplere omissionem orationis etiam in canone aut similis actionis, tum quia vix fiet sine nota, tum etiam quia omnia, quæ hìc dicuntur vel aguntur, ita sunt connexa, ut si à propriis locis extrahantur, non cohæreant S. Th. Suar. Con. Bon. Castrop. *t.* 22. *p.* 11. *n.* 6. Addunt cum aliis multis Gob. *n.* 42. & Quarti *q. proœmiali s.* 2. *p.* 2. *& s.* 6. *p.* 4. etiam ideò non teneri post errorem positum quia Rubricæ de defectibus corrigendis sunt tantùm directivæ non obligantes sub culpa. Hinc si omisisti *Gloria* vel *Credo*, cum dicendum esset, & aliquantùm es progressus, non est repetendum, *Suar. Gav. Gob.* nec si paulò post recorderis, inquit *Marchan.* Imò nec si statim post *Oremus*, vel *Dominus vobiscum*, quia non fiet sine turbatione populi vel confusione celebrantis.

§. 2. Si quis initio omiserit aliquam oratio- 532
nem quam dicere debebat, addat illius secretam & postcommunionem; si autem omiserit etiam secre-

secretam, Lohn. & Gob. *n.* 780. volunt omitti etiam post communionem.

533 §. 3. In dubio, an aliquid non essentiale omiseris, nihil teneris repetere, consultum tamen est, si sit aliquid grave, & non longè processisti, S. Th. & alii apud Lohn. *p.* 2. *t.* 35. Et universaliter in dubio, an aliquid non essentiale sit supplendum, hoc est eligendum, quod minorem admirationem, & commotionem causabit in adstantibus, in ista enim actione debet Sacerdos ostendere se irreprehensibilem, uti ex S. Th. & aliis notat Pasq *q.* 207. *in fine* Sic S. Th. 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. ait. *Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est, quod habet minus de periculo.* Et Suar. *d.* 84. *s.* 2. ait, *Si unusquisque in eo casu id faciat, quod magis expedire censuerit, non peccabit; illud solum præ oculis habendum est, ut scandalum semper caveatur.* Itaque quia sæpè oriri potest Sacerdoti perplexitas in Missa, ita ut nesciat, quid potiùs facere debeat, *Suar.* suprà aliique multi cum Pasq *q.* 210 *n.* 7. dant hanc regulam, ut consideret, quidnam videatur esse minus incommodum, & hoc bona fide faciat.

534 §. 4. Si suboriatur prudens dubium circa valorem peractæ consecrationis, putant quidem Nugn. & Gob. *n.* 791. celebrantem non teneri reiterare, si plus propendeat in hoc, quòd nihil essentiale neglectum sit, sed oppositum tenendum est secundùm dicta *p.* 1. *n.* 123. Rectè tamen monent omnes cum Aversa *q.* 11. *s.* 16. non esse facilè admittenda ejusmodi dubia, cum ordinariè sint scrupuli, & ideò etiam Rubrica *p.* 3. *t.* 5. *n.* 2. dicit iterandam esse consecrationem, si valdè probabiliter dubitet se aliquid omisisse, Pasq. *q.* 318. dicit si probabilitas sit fundata.

535 §. 5. Putant. Tamb. & Gob. *n.* 775. si dubium, v. g. de sufficientia materiæ oriatur post consecrationem, Sacerdotem debere pergere, & judicare omnia esse facta validè, quia est quædam possessio pro eo, quòd omnia fuerint sufficienter, talia enim antèà habebantur, nec jam certò scitur contrarium. Sed oppositum meritò tenent Aversa *suprà*, & Pasq. *q.* 301. quando dubium est prudens, alioquin Sacramentum relinqueretur in periculo non integritatis, in quo esset gravis irreverentia. Unde multò magis si prudens dubium oriatur ante consecrationem, vel deponi debet per aliam rationem prudentem, vel substituenda est alia materia certa, ne subeatur periculum invalidè consecrandi. Etli prior materia fuerit oblata, sumenda est cum purificatione calicis. Si haberi non posset alia materia certa, Tamb. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 5. putat posse pergere, si incæptus sit canon, quia cum incæpta sit velut substantia Sacrificii, videtur melius esse deposito dubio consecrare sub conditione, si materia valeat, quàm abrumpi, sed si haberi posset alia materia certa, petenda esset, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Denique si probabile dubium oriatur post sumptionem, Pasq. *q.* 318. dicit, quamvis etiam probabile esset materiam fuisse validam, nihilominus esse supplendam illam consecrationem, ne Sacrificium relinquatur in periculo non integritatis.

536 §. 6. Si nimis diu esset expectanda alia materia pro supplendo defectu consecrationis in utraque specie, pergendum est omissis illis, quæ ad deficientem speciem pertinent, Rubrica enim dicit aliquandiu expectandum. Idem dicunt Bonac. Gob. *n.* 400. Lohn. *suprà* si materia alia per medium populum esset afferenda cum scandalo, sed Vasq. & Aversa *Sextò* rectè notant hic non esse periculum veri scandali dandi, quia homines tantùm judicabunt errorem casu interveniisse.

537 §. 7. Sacerdos latinus, si post consecrationem reperiat panem fuisse ineptum consecrationi, potest pro complendo Sacrificio uti pane triticeo fermentato, si azymus haberi non posset, & absit scandalum, quia præceptum divinum de complendo Sacrificio prævaleret humano de adhibendo azymo, Pasq. *q.* 47. *n.* 5. Henao *n.* 763.

538 §. 8. Qui aliquid omissum supplet, nil debet repetere, nisi quod omisit, dummodò id suppleri possit se solo, quia nempe suam de se significationem habet, S. Th. Lohn. *sup.* Et suppletio consecrationis panis fit ab illis verbis, *Qui pridie*, calicis autem ab illis, *Simili modo.* Nec debet iterum elevare hostiam, vel calicem, debet tamen præmittere oblationem saltem mente conceptam.

539 §. 9. Si post consecrationem utramque factam una tantùm è speciebus vel casu, vel aliter deficeret, v. g. quia effunderetur totus Sanguis, ita ut nihil, nequidem quod lambi posset, remaneret, aut si Sanguis veneno inficeretur, solum novum vinum esset offerendum, & consecrandum, S. Th. Sot. Castrop. Averſ. Tamb. Pasq *q* 302. Henao *n.* 1745. E contrà si deficeret utraque species, aut utraque veneno infecta esset, nihil esset supplendum, quia non remaneret Sacrificium, quòd suppleri posset, & si celebrans suppleret, bis eadem die sacrificaret, nec consumptio, quæ posteà fieret, compleret Sacrificium præteritum, sed solum illud, quod de novo esset factum, Pasq. *sup.* Henao *n.* 1742. Putant quidem probabile esse Pasq. *q.* 300. & 320. & Quarti *p.* 3 *t.* 10. *n.* 6. *dub.* & *concl.* 1. quòd possit de novo consecrari utraque species, ne cultus ille ritualis Missæ, qui per se ordinatur ad complendum Sacrificium, maneat vacuus & falsus, sed Henao *n.* 1771. non acquiescit, nam si cultus ille fuit vacuus & falsus, quando ponebatur, non potest jam reddi alius; si talis non fuit, nec talis fiet, licèt omittatur consecratio. Quid autem faciendum sit, si utraque vel alterutra è speciebus consecratis constanter vel ad tempus transformetur aut dispareat, dixi *p.* 1. *n.* 475. Potestque videri Pign. *t.* 9. *conf.* 98.

540 §. 10. Si neutra consecratio fuisset valida, hic defectus non esset supplendus, quia Sacrificium ex nulla parte esset positum, unde si tum fiat utraque consecratio, reipsa prius inchoabitur Sacrificium, Aversa §. *Quartò.*

541 §. 11. Si sacræ species vini fulminentur vel inficiantur veneno, purificatorium potest illis imbui, ut sic exsiccentur. Si Sacerdos unam vel utramque speciem revomat, nihil est supplendum, uti rectè Pasq. *q.* 305. *n.* 4. contra *F. Lugo*, quia Sacrificium est completum & Communio peracta, quæ etiam habuit suum effectum gratiæ, secundum dicta *p.* 1. *n.* 415. Et si nemo sit, qui tales species sumere velit, debent dilui aqua, donec dispereant, & aqua illa accipienda est linteo, quod exsiccetur, Gob. & *alii.*

542 §. 12. Si hostia è manu decidat in sacrum Sanguinem, & tota madefiat, non debet extrahi, sed dicantur omnia de more fiantque utræque cæremoniæ supra calicem, & si nil sumantur hæ species, dicendo, Corpus & Sanguis Domini nostri, &c. Quòd si posset, deberet recipi pars hostiæ non madefacta ad cæremonias omnes circa illam perficiendas.

543 §. 13. Si Sacerdos, postquam ab altari discessit, advertere defectum, v g. se unam speciem non consecrasse validè, redire non debet nec aliquid supplere, quia prior actio jam censetur completa, Pasq. *q.* 298. *n.* 9. Aversa §. *Quinto.*

544 *Q* 78 *Quid facere debeat Sacerdos, si sumens calicem advertat se prius minus habuisse aquam, aut dubitet, an non sit accetum?* R. Præter illa quæ habet Busemb. notanda sunt seqq. §. 1. Si fuit rectus *p.* 1. *n.* 550. aquæ & aliquid illius in os sumpsit, hoc deglutiat, reliquum

reliquum autem, si illi adhuc innatet particula hostiæ consecratæ, infundat alteri calici, & reponat in corporali : si autem particulam illam simul hauserat, illud, quòd supereſt, infundat vasi mundo posteà sumendum cum prima ablutione. Deinde abstergat calicem, infundat de more vinum & aquam, aut si velit, & maximè si parvæ quantitati aquæ adhuc innatet particula hostiæ, retineat hæc in calice & affundat vinum pro nova consecratione : quòd si multum aquæ supereſset, potest partem effundere in dictum vas mundum, & cum aliqua aqua retinere partem hostiæ in calice, ac affundere vinum consecrandum.

545 §. 2. Putant multi cum S. Th. *q.* 83. *a.* 6. *ad.* 4. in eo casu iterum consecrandum esse novam hostiã, incipiendo à verbis, *Qui pridiè quam pateretur*, estque consultius, saltem si celebretur privatim, nam cum species panis sint sumptæ, non videntur ampliùs posse conficere unum Sacramentum cum speciebus vini, quod nondum fuit positum in altari nec simul oblatum est. E contrà Scot. Nav. Suar. Cou. Laym. Dicast. Averſ *q* 11. *ſ.* 16. § *Octavò*. Tamb. *de Commun. c.* 2. *n.* 31. Gob. *in Exp. t.* 3. *à n.* 770. Lohn. *de Sacr. p.* 2. *t.* 35. aliique plures quàm 30 graviſſimi Authores cum Pasq. *q.* 299. volunt tum offerri solum calicem & consecrari, incipiendo à verbis *Simili modo*, quia *Cap. Pastoralis, & Cap. Presbyter.* de Sacramentis non iterandis, dicunt duo Pontifices in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quòd incautè fuerat prætermiſſum. Quod *Conf.* nam aliter non diceretur compleri Sacrificium incæptum sed aliud integrum de novo poni: Et utramque sententiam, si in publico celebretur approbat Rubrica Missalis.

546 §. 3. Quod attinet ad vinum, aliquantum acescens, adhiberi potest sine ullo scrupulo, inquit Gob. *n.* 54. post *Suar.* est enim reipsa vinum, & praxis habet, ut etiam à viris probis & doctis adhibeatur, præsertim ruri. Si tamen esset ita acidum, ut prudenter dubitaretur, an esset acetum, tenendum esset, quod dixi *n.* 545.

547 *Q.* 79. *Quomodo Missa aliquando sit per alium complenda* ? R. §. 1. Quando celebrans ita infirmatur, ut pergere nequeat, quamvis Canon sit incæptus, imò & forma primæ consecrationis si hæc nec dum absoluta sit, nihil debet per alium suppleri, quia nulla pars Sacrificii adhuc posita est, S. Th. Pasq. *q.* 324. Averſa *q.* 11. *ſ.* 16. §. *Quare*, contra multos alios. Si vero consecravit saltem unam speciem, alius si adsit jejunus, aut in defectu etiam non jejunus Sacerdos, supplere debet, ne Sacrificium sine altera consecratione vel sumptione maneat substantialiter incompletum.

548 §. 2. Si celebrans deficiat post sumptionem utriusque speciei, nihil est supplendum, quia expleta est tota substantia Sacrificii. Si deficiat post sumptionem solius Corporis Christi, *Bon.* putat nihil opus supleri, sed calicem posteà posse sumi in alia Missa, quia videtur essentialiter posita substantia Sacrificii : sed alii cum Averſa *supra*, & Pasq. *q.* 325. meliùs contradicunt, quia de substantia Sacrificii est etiam utraque sumptio.

549 §. 3. Omnes etiam excommunicati & irregulares, si alii desint, tenentur hic supplere, quando possunt sine graviſſimo incommodo, quia videtur esse minor irreverentia, quàm non compleri Sacrifi ium, Pasq. *q.* 330. contra Henriq. Sot. Sà & *alios*. Hinc Tamb. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 1. *n.* 2. dicit quærendum esse, qui etiam post sex vel septem horas supleat : E contrà Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 806. putat non esse diutius quærendum quàm per unam, circiter horam, & consentit Pasq. *q.* 328. dicens non longum tempus debere interceſſiſſe, sed requiri unum tempus morale, alioqui censendum non esse unum Sacrificium. Unde quia Sa *v. Missa n.* 38. docuerat etiam sequenti die esse ab alio pergendum, ubi prior desierat, & sic complendum Sacrificium, hoc correxit Magister sacri palatii rectè volens sequenti die sumi in alia Missa, quod supereſset, quia peracta est actio tota hesternæ Missæ, nec censeretur esse idem Sacrificium : potestque de hoc videri Henao Parergo 20.

550 §. 4. Secundum Pasq. *q.* 332. obligatur supplere etiam existens in peccato mortali, de quo conteri non posset, putat enim minorem esse irreverentiam Sacrificium fieri vel sumi in mortali, quàm relinqui imperfectum.

551 §. 5. Si Episcopus ordinans Sacerdotes deficiat post consecrationem solius panis, nec haberi possit alius Episcopus, secundum Amicum & Henao *à n.* 1791. posset alius veteranus Sacerdos substitui & præire neo-Presbyteris in consecratione calicis, ne turbentur vel errent. Si autem Episcopus deficeret post consecrationem utriusque speciei, possent soli neo-presbyteri peragere, uno illorum posteà ad aram sumente utramque speciem, Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 44. Averſ. *q.* 10. *ſ.* 2. §. *sic ergo*. Alius autem Episcopus deberet illis imponere manus pro accipienda potestate absolvendi à peccatis.

552 §. 6 Si Sacerdos in infirmitatem lapsus posset sumpto, v. g jusculo ad vires revocari, melius esset hoc fieri & ab eo etiam non jejuno compleri Sacrificium, quàm substitui alium quamvis jejunum, præceptum enim ut sit idem, qui incipit & perficit, prævalet præcepto jejunii, Gob. *suprà*.

553 §. 7. Si dubium sit, an prior Sacerdos aliquid consecrarit, potest consecrari nova materia absolutè, & prior sub conditione, uti habent S. Thom. Sot. Sylv. Bonac. Dicunt tamen Dicast. Quarti, Pasq. *q.* 326. melius esse solam priorem sub conditione consecrari.

554 §. 8. Convenit, ut Sacerdos supplens secundam consecrationem faciat intentionem secundum intentionem illius, qui defecit, cum enim Sacrificium ex parte sit positum ex illa intentione, quæ mutari non potest, congruum est, ut ex eadem compleatur. Si tamen supplens absolutè vellet aliam intentionem, rectè docent Averſa §. *Debitis*, & Sporer *n.* 349. hujus intentionem prævaliturum, quia effectus non confertur, nisi expletum sit Sacrificium, & sicuti si Sacerdos deficiens mutasset intentionem ante consecrationem calicis, posterior intentio prævaluisset, ita etiam prævalet intentio supplentis.

555 §. 9. Potest dari, attamen non est obligatio dandi partem hostiæ consecratæ Sacerdoti, qui defecit. Si tamen deesset alia hostia, & muniri deberet viatico, danda illi esset pars, Pasq. *q.* 334.

556 *Q.* 80. *Quid agendum sit, si vinum vel Sanguis congeletur, aut ne congeletur* ? R. §. 1. Vinum congelatum necessariò debet solvi, priusquam consecretur, nam aliqui putant esse materiam dubiam, uti habet Busemb. relatus *p.* 1. *n.* 434. Solvi autem potest complectendo calicem manibus, vel ignem aut calidos pannos applicando.

557 §. 2. Si apud Græcos sacer Sanguis congeletur, facile solvitur, nam Græci infundunt calici aquam ferventem immediatè ante Communionem, ut significent cum Sanguine è latere Christi morientis fluxisse aquam naturalem, uti refert Arcud. *l.* 3. *c.* 39. id autem illicitum est apud Latinos : hinc solvi debet, uti dictum est de vino, aut etiam solvi potest digito. Improbant autem Suar. & Gob. *in Exp. tr.* 3. *n.* 55. tanquam irreverentiam, si solvatur halitu.

558 §. 3. Ne fiat congelatio, potest calidum ferrum, silex vel globus æneus mundo linteo involutus imponi calici usque ad infusionem vini, ut sic caleſiat totus,

totus, Gob. *in app. ad n.* 65. Commodius tamen est carbones accensos ad latus corporalis admovere, & quandoque illis obvertere calicem.

559 *Q.* 81. *Quid adhuc circa celebrationem Missæ sit observandum?* R. seqq. §. 1. Sa ait missam celebrari debere cum A. B. C. D. id est, Altè, Breviter, Clarè, Devotè: quas omnes particulas rectè explicat Gob. *in Exp. t.* 3. *n.* 813. Addit *Gav.* debere celebrari etiam cum E, id est, Exactè secundùm Rubricas. Quod brevitatem attinet, Synodus Colonienſis anno 1662. p. 91. vult mediam horam impendi Missæ privatæ. Pro Sacerdotibus Societatis JESU, *P. Mutius* 20. Mart. 1628. declaravit impendendam esse mediam horam ad altare, id est, à formatione crucis in Introitu usque ad finem ultimi Evangelii. Sanè valdè indecorum est festinare in Sacrificio, nam festinans significat, ac si censeret perditum vel minùs bene collocatum tempus, quod ponitur ad aram, cum tamen sæpè ante vel post Sacrificium longas horas det otio aut inutilibus fabulis. Si aliquando causa esset solito citiùs celebrandi, cavendum, ne populus advertat, quod festinetur, sed debent publica plenè enuntiari cum gravitate, & tarditate, lucrum autem temporis potiùs quærendum est sub utroque *Memento* vel sub aliis, quæ secretò dicuntur, omittendo privatas devotiones, & non sistendo inter actiones. Vanissimum autem esset quærere gloriam in legenda celeriter Missa. Pro formanda ante Missam intentione secundùm quadruplex genus Sacrificii, utilissimè legetur Card. Bona *de Missa c.* 4. §. 6. 8. *& seqq.* Et cum S. Bonav. *de purit. conſc. c.* 9. putet Sacerdotem obligari ad rememorandam Christi Passionem, Bona §. 13. tradit praxim illius rememorationis, & §. 14. addit devotas orationes pro dispositione ad Missam.

560 §. 2. Urb. VIII. Const. 161. & Synodus Colon. pag. 88. prohibent, ne ullus Clericus vel laicus ante Missam vel communionem sumat tabacum nasale: si autem tabacum traheretur fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant Authores cum Busemb. relato *p.* 1. *n.* 550. & multò maximè dedeceret, si masticaretur. An verò tum frangeretur jejunium, dictum est de illo *n.* 550. *&* 569.

561 §. 3. Guttæ ad infusionem vini & aquæ calici inspersæ absterguntur purificatorio, vel calix circumagitur, ut cum reliquo vino continuentur, *Gav. Lohn.* Si tamen utrumque negligatur, nullum est peccatum, inquit Tamb. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 1. § 3. *n.* 29. Neque convenit, ut illa abstersio fiat immediatè ante consecrationem, *Tamb.* Cum autem celebrans lavit manus, intereà dum absterget & decurrit psalmum, *Lavabo*, corpus & vultus vertitur versus medium altaris.

562 §. 4. Episcopus, qui in canone nominatur, est Episcopus celebrantis, uti habet praxis & communius tenent Authores apud Lohn. *p.* 2. *t.* 21. *n.* 4. quamvis Arnaud. Gav. & Gob. *n.* 749. dicant à S. Cong. declaratum esse, quòd nominandus sit Episcopus loci, in quo celebratur & non præcisè celebrantis, de illa enim declaratione non scitur authenticè. Praxim bonam faciendi *Memento* pro vivis & defunctis, tradit *Bona* suprà §. 7.

563 §. 5. Patena post *Pater noster* suppositа hostiæ non deponitur in medio altaris, ubi jacuit hostia, sed ad latus dextrum ne particulæ in altari relictæ exteriùs patenæ adhæreant: hostia autem relinquitur ad latus sinistrum patenæ, ut immineat eidem loco, in quo ante jacuit, sic enim postea etiam faciliùs ex illa tantùm parte patenæ colliguntur particulæ, nisi fortè longiùs transilirent.

564 §. 6. Fractio hostiæ ante *Agnus Dei*, commodissimè fit, si à parte superiore usque ad inferiorem priùs inducatur plica, quam postea sequitur facilis distractio. Postquam autem dextera deposuisti partem mediam, decerpis à parte inferiore, quam tenet sinistra, particulam, quæ calici immittitur.

565 §. 7. Hostia sumpta parum relinqui debet in lingua, ut affluente saliva humectetur, alioquin facilè allidit & adhæret palato: Quòd si fiat, debet paulatim revelli lingua vel vino sumpto, non autem digito.

566 §. 8. Lohn. *t.* 25. vult calicem ebibendum appre-hendi infra nodum, uti rubrica habet: *Gav. & Baldrius* explicant de apprehensione in nodo ipso.

567 §. 9. Si particula hostiæ adhæserit calici, decentius est, ut cum infuso vino adducatur, quàm ut digito attrahatur ad labium calicis.

568 §. 10. Melius est, ut sacer Sanguis uno haustu sumatur calice paulò diutiùs retento ad os. Et decens est, ut vinum pro purificatione sit ejusdem quantitatis, cujus erant sacræ species. Si autem sit minoris quantitatis, calix inflexus debet semel aut bis circumagi, ut abluatur pars calicis sacris speciebus tincta: Et tum debet hoc vinum eadem parte calicis sumi, qua sacer Sanguis sumptus est. Purificatio semel, ablutio ad summum bis hauriri debet. Indecorum est ita sugere calicem, ut populus audiat.

569 §. 11. Quando calix extenditur ad Ministrum pro accipiendo vino purificationis, debet teneri in aere supra altare, & non deponi in altari: si tamen Minister sit nimis parvus, potest extra altare teneri.

570 §. 12. Missale secundùm *Gav.* clauditur manu dextera, ita ut clausula respiciat sinistram. Alii volunt clausuram semper verti ad medium altaris, sed cum Rubrica neutrum præscribat, uti nec in multis antecedentibus, hinc liberum est facere, prout voles.

571 §. 13. In fine benedicturus populo coram Episcopo habente jurisdictionem loci inclinat huic caput, quasi licentiam petens, & posteà benedicit populo ab ea parte, in qua non est Episcopus: qui si sit in medio, celebrans benedicit stantibus ad latus Evangelii. Si Venerabile sit expositum, dicto: *Omnipotens Deus*, genuflectit & se retrahit ad latus Evangelii, ibique benedicit populo, & non perficit circulum, nec iterum genuflectit, sed conversus inchoat ultimum Evangelium.

572 §. 14. Si celebrans ad ultimum Evangelium non utatur libro vel tabella, tum signat altare, & posteà se in fronte, ore & pectore. Si Venerabile sit expositum, non signat altare, cum illud jam benedicatur per Authorem omnis benedictionis in altari expositum, sed signat aliquid aliud, v. g. pulvinar, Gav. Lohn. *t.* 30.

573 §. 15. In fine Evangelii S. Joannis ad *Verbum Caro factum est*, semper genuflectitur ad cornu altaris, nec debet celebrans convertere se ad medium, quamvis Venerabile esset expositum, *Lohn.* & alii contra *Arnaud.*

574 §. 16. Si ante vel post Missam, aut aliàs sit exponendum vel reponendum Venerabile, ad *Panem de cœlo*, semper additur *alleluia*, præterquam à Septuagesima ad Sabbatum Sanctum S. Cong. 23. Feb. 1666.

575 §. 17. Sacerdos regressus ad locum, in quo se in sacristia induit, habens impositum biretum inclinat caput Cruci, quod similiter fiat ante egressum è sacristia ad altare. Ubi commoditas alia non est, possunt paramenta deponi in loco Evangelii, ibique potest Sacerdos se illis induere, sed non in medio, quia hoc solis Episcopis convenit.

576 §. 18. Posse aliquem ex aliqua saltem causa, sitim posquam communicavit comedere aut bibere, dixi *in p.* 1. *n.* 559. quod magis valet de illo, qui Missam legit, cum jam satis diu præcesserit communio, & species cum Missa fortasse desinant, se-

cundùm ibidem dicta *num.* 476. Videri potest etiam Henao *num.* 1649.

Hic addo ritum ubique à Societate JESU observandum ex Decreto Congregationis Generalis XV. anno 1706. 1. In festo S. P. N. Ignatii fit officium primæ classis, & primæ lectiones dicuntur de communi, *Justus si morte.* 2. In festo S. Francisci Xaverii fit officium 2. classis, & primæ lectiones ut in festo S. Ignatii. 3. In festo S. Franc. Borgiæ officium 2. classis: primæ lectiones de communi, *Beatus vir.* Missa, *Os justi*, De communi, & solum Evangelium De communi Abbatum. 4. In festo SS. Martyrum Pauli, Joannis, & Jacobi, officium duplicis majoris, & totum, etiam in 1. Nocturno, De communi plurimorum Martyrum in 1. ordine. Missa, *Salus autem justorum*: Evangelium ex 1. Missa. *Cum audieritis.* Non dicitur *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solemniori Missa. 5. In festo B. Aloysii Gonzagæ (præterquam in ditione Mantuana) officium duplicis majoris, totum De communi, etiam in 1. Nocturno, ut in 1. ordine Missa, *Os justi*, sine *Credo* nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solemniori Missa. 6. In festo S. Stanislai Kostkæ officium eodem ritu (præterquam in Polonia, & Lithuania, ubi fit etiam octava) & totum de 1. ordine ejusdem communis, excepto Evangelio, quod sumitur ex secundo, nempe, *Nolite timere pusillus grex.* Missa, *Justus ut palma*, sine *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solemniori Missa. 7. Octava fit de SS. Ignatio, Franc. Xaverio, & Franc. Borgia. Estque Octavarium Neapoli impressum anno 1696. quo possunt Nostri liberè uti, etiam per annum, cum sit conforme octavario à S. Rituum Congregatione approbato. 8. Pro commemoratione omnium in Societate Defunctorum, Missa prima, ut in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, omisso dumtaxat in oratione verbo, *Famularumque.*

Ex concessione SS. D. N. Clementis XI. agimus 14. Jan. de SS. nomine JESU sub ritu 2. classis.

577 *Q.* 82. *Quomodo possit aliquis discere accuratè legere Missam?* R. pro hoc necesse est attentè legere Rubricas, & initio ad illas in praxi sollicitè se attinere; si enim quis in principio negligat, quando est Neopresbyter, nunquam discet, & prout malè assuescet, semper malè leget. Multum etiam juvabit legere vel Lohn. *de Missa p.* 6. *tit.* 14. vel alium libellum, cui titulus, *Methodus sacrum Missæ Sacrificium celebrandi Romano ritu*, ubi Missam ponunt ad longum, cum annotatione observandorum circa ritus singulos. Neque censeri debet has esse minutias parvi momenti, cum singula suam significationem habeant, & plurimum conferant ad decorem ac reverentiam tanto Mysterio debitam.

TRACTATUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

578 POenitentia sæpè sumitur pro virtute, quæ movet ad dolendum de peccato, quatenus reddit aversum, & frangit pacem cum Deo; adeóque objectum formale motivum virtutis Pœnitentiæ, in probabili sententia, est honestas in eo relucens, quòd is, qui Deum offendit, quærat eum placare, sive pacem cum eo restituere ac imposterum conservare. Et de hac Pœnitentiæ virtute pluribus agant Scholastici; nos hic de Sacramento agimus: De actibus tamen contritionis, attritionis, propositi emendationis, &c. qui possunt saltem partialiter imperari ex motivo virtutis Pœnitentiæ, etiam agemus, in quantùm illi sunt partes vel requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quæ sit ejus materia & forma.

579 RESp. Materia remota & necessaria, est omne peccatum mortale, post Baptismum commissum, & non confessum. Materia sufficiens, etsi non necessaria, est omne veniale post Baptismum commissum: vel etiam mortale, aliàs ritè confessum. Materia proxima sunt actus pœnitentis, contritio, confessio & satisfactio quarum ultima est integralis, tantùm, (ut patet in infirmo, qui si ratione destitutus, solet absolvi absque satisfactione) duæ priores sunt essentiales, ut communiter docent contra *Scotum*, qui totam essentiam ponit in absolutione. Porrò peccata sunt tantùm materia circa quam; actus verò pœnitentis, materia ex qua Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 3. ex communi. *Unde resolves*,

I. Etsi peccatum mortale remissum quomodocunque sit, teneris tamen confiteri, si non feceris Trid. *sess.* 14. *c.* 5.

II. Omitti possunt venialia, vel omnia, vel aliqua; item mortalia semel ritè confessa, v.g. in Confessione generali, ut docet Dian. *p.* 3. *t* 4 *R.* 56. Lug. *d.* 16. *n.* 56. contra Victoriam, *edesm.* & alios. In qua etiam non esse necessarium addere peccato mortali, quòd post ultimam confessionem sit commissum, docet Bon. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 2 *p.* 2. Dian. *tom.* 2. *t.* 4. *R.* 62. *& to.* 3. *t.* 3. *R.* 65. Lug. *n.* 47. ex Sanch. & Kon. quod est probabile; nisi circumstantia aliqua, v.g. speciem mutans, vel reservatio casus, vel proxima peccandi occasio aliquid requirat, & Pœnitentia sufficiens imponatur, Lug. Tamb. *de exp. conf.* *l.* 2. *c.* 1. Tutius tamen est nova antiquis secernere.

III. Ponenda semper est materia certa, qualem esse negat Sanctius *in scel. d.* 7. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 52. quòd quis non respondent divinis inspirationibus; non fecerit bonum, quod potuit, & similes imperfectiones. In quibus tamen exponendis, non tenetur Confessarius impedire pœnitentem, ut docet Lugo *n.* 103. contra Sanctium. Quòd si haberi certa non possit, pro ratione dubii danda est absolutio; ut sub dubio, si materia prorsus dubia sit; vel absoluta, si certa videatur. Ita Suar. Laym. *c.* 3. & alii commun.

R. II. Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis: EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS; (ubi licèt de essentia tantùm sit, ABSOLVO TE; debent tamen addi reliqua, præsertim in articulo mortis, secundùm quosdam, sub mortali, secundùm alios, sub veniali, ut v. *Granad.*) voce prolata in præsentem; absentem enim Clemens VIII. absolvi prohibuit, sub pœna excommunicationis. *Unde resolves*,

I. Invalidum est absolvere nutu, signo aut scripto: item absolvere absentem; quod docuit *Alensis, Medin.* & alii; sed vetitum nunc, ut modò dictum.

II. Valida est absolutio, si reverentiæ causa dicas: Absolvo dominationem, excellentiam, vel majestatem vestram; &c. quia non mutatur essentialiter, & sunt verba æquivalentia. Aversi. v. suprà *t.* 1. *c.* 1. *d.* 2. Non valet autem, si dicas; Absolvat te Deus,

„ Deus, vel absolvat te Christus, Aversa *q.* 12. *s.* 2. „ III Orationes præviæ, & subsequentes formam, „ ut, *Misereatur tui, &c.* & *Passio Domini, &c.* quæ „ secundùm *Trid.* laudabiliter adduntur, non sunt ne- „ cessitatis; & ex causa rationabili omitti possunt, v. „ g. si breves sint confessiones, vel multi confitentes „ (ut Dian *p.* 3. *t.* 4. *R.* 97. tunc enim sufficit dicere, „ *Absolvo te à peccatis tuis in nomine, &c.*) vel si ti- „ meatur censura, *Absolvo te à vinculo excommu-* „ *nicationis; deinde à peccatis, &c. v.* Sà *V. Ab-* „ *solutio.*

„ IV. Elevatio manus, ejusq; impositio in caput, „ item formatio Crucis, est libera, etsi debeat serva- „ ri consuetudo, Laym. *c.* 5. ubi idem dicit de aper- „ tione capitis. Forma autem Clementis VIII. ut tra- „ dit Sà, & Rituale Romanum, est hæc, qua ut om- „ nes utantur, suadet Paulus V. ideóq; omnibus te- „ nenda memoriter: *Misereatur tui omnipotens Deus,* „ *& dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æ-* „ *ternam. Amen,* deinde elevata manu pergit. *Indul-* „ *gentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum* „ *tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Domi-* „ *nus. Amen. Dominus noster JESUS Christus te ab-* „ *solvat, & Ego authoritate ipsius, te absolvo ab omni* „ *vinculo excommunicationis, suspensionis* (quæ vox „ circa laicos omittatur) *& interdicti, in quantum* „ *possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à pecca-* „ *tis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-* „ *cti. Amen. Passio Domini nostri JESU Christi,* „ *merita B. V. & omnium SS. quidquid boni feceris,* „ *& mali sustinueris, sit tibi in remedium peccatorum,* „ *augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

ADDENDA.

580 *Quæst.* 83. *Quid hìc prænotandum?* R. seqq. §. 1. Hoc Sacramentum variè appellatur à SS. PP. nempe secundus Baptismus; secunda post naufragium tabula; Sacramentum reconciliationis, absolutionis, confessionis; græcè exomologesis, latinè accusatio, &c. frequentissimè dicitur Pœnitentia, quia partes illius pœnam habent, nam contritio habet dolorem, confessio ruborem, satisfactio molestiam: frequenter etiam in communi usu dicitur Confessio, ita ut hoc nomine veniat totum Sacramentum.

581 §. 2. De fide est Christum in Ecclesia instituisse Sacramentum Penitentiæ, nam post varia Concilia ita docet Tridentinum *sess.* 14. *de Pœn. cap.* 1. *ac definit. can.* 1. his verbis, *Si quis dixerit in catholica Ecclesia non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Est autem contra *Montanistas, & Novatianos*, ad quos posteà accesserunt Lutherus, Calvinus aliique assectæ, uti referunt Bellarm. *l.* 1. *c.* 9. Tann. *q.* 1. *n.* 3. Illsf. *n.* 1.

582 §. 3. Hoc Sacramentum est institutum à Christo post resurrectionem, ut nunc tenent omnes passim contra Armacan. apud Dicast. *d.* 4. *dub.* 2. qui putavit institutum esse à Christo sub initium prædicationis; item contra alios apud Tann. *num.* 6. qui dixerunt sub initium mundi in Paradiso esse institutum à Deo: sed probatur ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. *sess.* 7. *de Sacram. in genere can.* 1. *sess.* 14. *de Pœnitent. can.* 1. suprà relato, ubi cap. 1. sic loquitur, *Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos Joannis* 20. *dicens, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* Cùm autem addat, *præcipuè*, innuit aliquid illius jam antecessisse, nor præcesserat promissio Matth. 16. & 18. ubi Petro dixerat, quod daturus esset claves; & discipulis; quòd quæcumque essent ligaturi, vel soluturi in terris futurum esset ligatum, vel solutum in cœlis. Deinde etiam in ultima cœna ante mortem inchoarat institutionem illam, quando ordinaverat Sacerdotes his verbis, *Hoc facite*, impressio enim characteris sacerdotalis erat inchoatio potestatis ad remittenda peccata. Et ideò etiam nunc in Ecclesia adæquata potestas remittendi peccata divisibiliter confertur, primo inchoativè, quando accipitur potestas in corpus Christi verum per traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, adjunctis verbis, *Accipite potestatem offerendi Sacrificium, &c.* Post modùm completivè per impositionem manuum Episcopi, adjunctis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* per quam ultimam partem ordinationis sacerdotalis, vel augetur caracter, uti volunt plerique cum Dicast. *de Ordine n.* 126. vel idem caracter extenditur etiam ad corpus Christi mysticum, uti volunt alii cum Tann. *de Ordine n.* 126. Congruentia autem, cur Christus instituerit post resurrectionem, est hæc, quia hoc Sacramentum supponebat mortem animæ, & erat ad resurrectionem peccatoris.

Objici potest, S. Thomam Apostolum non adfuisse, quando Christus Joannis 20. dixit, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* & tamen æquè ac cæteri habuit potestatem remittendi peccata, R. S. Cyrillus & ex illo Bosco *s.* 1. *nu.* 54. dicunt omnes discipulos Christi etiam absentes vi verborum istorum esse ordinatos, & accepisse potestatem absolvendi: neque tamen inde sequitur nunc posse etiam absentes ordinari, quia pro Ecclesia aliter statuit Christus, qui pro se habebat potestatem excellentiæ, ideóque ipsi licebat ordinare, prout volebat.

§. 4. De Sacramento Pœnitentiæ ita habet 583 *Conc. Florentinum* post sess. ult. in Decreto Eugenii IV. ad Armenos: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, cordis contritio cum proposito non peccandi de cætero, oris confessio, satisfactio: Forma, Ego te absolvo, &c.*

Q. 84. *Quid præterea sit notandum circa mate-* 584 *riam Sacramenti Pœnitentiæ?* §. 1. Sola peccata sunt materia confessionis, uti tenent omnes catholici teste Dicast. *d.* 9. *n.* 296. & colligitur ex Trid. *sess.* 14. *De Pœnit. c.* 4. *& can.* 3. ubi pro materia non assignantur nisi peccata, ideóque simpliciter vocatur confessio peccatorum. Idem evincitur ex forma Sacramenti, nam dicit *absolvo à peccatis.* Denique id satis constat ex communi sensu Doctorum, ac etiam fidelium omnium.

§. 2. B. Virgo non fuit capax absolutionis, ideó- 585 que Dicast. *d.* 6. *n.* 9. explodit sententiam Alberti M. qui ut probaret Beatam Virginem habuisse gratiam Sacramentalem Pœnitentiæ, dixit solitam fuisse confiteri S. Joanni Evangelistæ peccata, quæ apprehendebat se fecisse, nam & hìc error B. Virgine indignus est, & illo supposito adhuc non poterat Sacramentum esse validum, quod requirit verum, & non tantùm existimatum peccatum: *Unde* Scotus *in* 4. *dist.* 17. in fine rectè ait: *Si B. Virgo* fuisset confessa, peccasset confitendo.

§. 3. Quamvis imperfectio de se non sit materia 586 confessionis, tamen ordinariè habet adjunctum peccatum, quod est materia sufficiens, secundùm dicta *l.* 5. à *n.* 211. ubi etiam *nu.* 214. dixi transgressionem Regulæ, quamvis non obligantis sub peccato, ordinariè habere adjunctum peccatum, quod confirmatur ex dictis *l.* 4. *n.* 58.

§. 4. *Censuræ*, v. g. excommunicationis, 587 suspensionis, etiam non sunt materia absolutionis sacramentalis, quamvis debeant ad legitimum

ministrum

ministrum deferri, ut per sententiam Ecclesiasticam auferantur, & quidem quandoque priùs, quàm dari possit absolutio à peccatis.

588 §. 5. Peccata ante Baptismum commissa non sunt materia apta confessionis sacramentalis, S. Th. 3. *p. qu.* 84. *art.* 2. aliique communissimè, inter quos Bosco *d.* 7. *s.* 2. *n.* 3. meritò dicit hunc esse, & semper fuisse totius Ecclesiæ sensum, est autem contra aliquos apud Amic. *d.* 13. *n.* 46. qui innuunt peccata illa esse materiam necessariam; & saltem est contra *Angel.* & quosdam recentiores apud Gormaz *p.* 2. *num.* 71. qui putant esse materiam sufficientem, sed *Vasq. Turr. & Perez.* dicunt oppositum esse certum, *Bonac.* dicit videri tanquam de fide definitum *Amic.* dicit videri non obscurè definitum in *Trid. & Florent.* ideóq; opinionem illam vocat errorem, nam imprimis Trid. *sess.* 6. *cap.* 14. *item sess.* 14. *de Pœn. cap.* 1. 2. 4. *&* 5. constanter docet & novem repetitis vicibus dicit Sacramentum ex institutione Christi esse pro peccatis post Baptismum commissis, tumque Can. 1. sic definit: *Si quis dixerit in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Deinde *Florent.* in Decreto Eugenii IV. ad Armenos dicit effectum Baptismi esse remissionem omnis culpæ originalis & actualis, itemque omnis pœnæ: ergo innuit pro peccatis illis non esse institutum Sacramentum Pœnitentiæ, sed tantùm pro peccatis fidelium ingressorum in Ecclesiam, uti habet Trid. *c.* 2. addens rationem, quia Ecclesia non judicat de illis, quæ extra se fiunt. Accedit consensus Theologorum, qui hoc tanquam certum potiùs supponunt quàm probent: & alioquin dicam etiam peccatum originale esse materiam sufficientem confessionis, quod dicere nemo hactenùs est ausus.

589 §. 6. Peccata ante hac ritè confessa, & per absolutionem remissa sunt materia sufficiens novæ confessionis non tamen necessaria, per se loquedo. *Pars* 1. est S. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *quæstiun.* 5. *ad* 4. & aliorum communissima quam certàm docent Suar. *d.* 18. *s.* 1. *n.* 6. & Averf. *q.* 10. *s.* 2. Vasq. autem *q.* 91. *a.* 3. *dub.* 7. *n.* 1. dicit à nemine negari: refert tamen plures Amic. *d.* 13. *n.* 25. qui dicunt, quamvis sufficiant ad essentiam Sacramenti, tamen non sufficere ad effectum, sed si Sacramentum est validum, non est ratio illi negandi effectum, cùm nullus adsit obex: itaque pars illa probatur ex declaratione Benedicti XI. statim citanda. Idem significatur Cap. *Quem pœnitet*, 88. De pœn. dist. 1. his verbis: *Quantò pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius consequetur misericordiam remissionis, ipsi enim Sacerdotes plus jam possunt proficere, plus confitentibus parcere.* Idem evincit praxis in universa Ecclesia, nam fideles sæpissimè faciunt confessiones generales repetuntque peccata ante confessa & nulla alia, ergo. Et ratio est, quia quòd peccatum sit ante hac confessum, nihil obstat, nam non ideò desinit fuisse peccatum: quod autem jam sit ante remissum, etiam non obstat, uti patet, si quis de peccato nunquam confesso fuerit perfectè contritus, manet enim etiam obligatus ad confitendum; imò sicuti potest etiam eum fructu sæpiùs repeti contritio ejusdem peccati, ita & Confessio. *Pars* 2. quòd peccata confessa, & remissa non sint, per se loquendo, materia necessaria confessionis, est S. *Thom.* suprà & aliorum communissima, quam pariter dicit esse *Aversa* suprà, & etiam constat ex declaratione Benedicti XI. in Extrav. communi *Inter cunctas* De privilegiis, ubi dicit eum, qui semel confessus est, & absolutus etiam à religioso mendicante, non teneri iterum nequidem proprio parocho peccata illa confiteri, & posteà subdit, *Licèt de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Idem de non necessariò repetendis peccatis confessis definit tanquam catholicum dogma Joannes XXII. in Extrav. communi, *Vas electionis* Tit. de hæreticis, itaut oppositũ damnet velut falsũ & erroneũ.

590 *Dixi*, per se loquendo, nam per accidens est obligatio iterum confitendi, 1. Si quis inter cætera esset confessus reservata non habenti potestatem in reservata, hæc enim teneretur iterum confiteri alteri. 2. Si aliquod peccatum omissum non posset explicari, nisi iterum faciendo mentionem peccati aliàs confessi. 3. Si quis voviset iterum eadem peccata confiteri, aut acceptasset Pœnitentiam de iis iterum confitendis, aut si hoc præciperet regula alicujus Ordinis ab ipso liberè acceptata. 4. Si confessus ut dubium posteà agnosceret esse certum, aut si in genere confessus posteà recordaretur illius in specie. 5. Si Confessarius etiam injustè noluisset eum absolvere, vel defectu jurisdictionis non potuisset. 6. Si confessus esset sine debito dolore aut proposito, de quo casu iterum dicetur à n. 1206. An autem Ecclesia posset præcipere iteratam alicujus peccati mortalis Confessionem, dicetur n. 2017.

591 *Objic.* 1. Contrà dicta n. 589. Dolor est de malo ut præsente, secundùm dicenda n. 656. sed quando peccatum est remissum quoad culpam & pœnam, nihil est de præsenti, in quo tendere possit ille dolor, ergo. R. n. min. nam saltem est carentia illius, quod habuissem illo instanti, quo peccavi: aut si supponas me illud aliunde habere, saltem hoc est præsens malum, quod est peccavisse, sive privatum esse bono innocentiæ vel absolutæ immunitatis à peccato, quæ privatio semper existit in eo, qui semel peccavit: unde sicuti illud, quòd est me aliquando bonum egisse, est aliquod bonum præsens, & ideò de illo possum semper gaudere, ita de illo, quod est peccavisse, possum semper dolere, quamdiu sum in statu, qui non repugnat dolor.

592 *Objic.* 2. Forma non potest sæpiùs cadere super eandem materiam. R. Si tantùm sit eadem materia proxima, transeat, si aliquid sit materia proxima, ipsa autem sit materia remota, n. nam possum duos successivè baptizare eadem aqua, duos ægros inungere eodem oleo, quia habebo alias materias proximas, nempe ablutionem & unctionem aliam, super quam immediatè cadet nova forma: similiter hìc duæ absolutiones cadent immediatè super duos dolores vel saltem super duas Confessiones. Quis autem tum sit sensus verborum, *Ego te absolvo*, dicetur n. 641.

593 §. 7. Venialia sunt materia sufficiens, non tamen necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, uti tenent catholici omnes ex Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. his verbis, *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamvis rectè, & utiliter citraque omnem præsumptionẽ in confessione, dicantur, quod piorum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Et quòd sint materia sufficiens, definit Can. VII. his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ, &c. non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.* Idem jam declaverat Leo X. damnans hunc Art. 8. Lutheri: *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia.* Ratio colligitur ex verbis generalibus, quibus Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata remiseritis, &c.* quæ conveniunt tam venialibus quàm mortalibus.

mortalibus. Similiter quòd non sint materia necessaria, ratio est, tum quia valor Sacramenti, & effectus, qui est gratia, non pugnant cum illis, tum etiam quia multis aliis modis remitti possunt, uti habet *Trid.* suprà, & declarabitur à *nu.* 2012. An autem Ecclesia præcipere posset confessionem venialium, dicetur *n.* 2018.

594 §. 8. Etiam sola venialia sunt materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, uti manifestè colligitur ex *Trid.* suprà, nam definit venialia simpliciter esse materiam sufficientem, & supponebat tanquam certum, quod venialia sæpè essent in hominibus piis non habentibus mortalia, qui nullo jure prohibentur confiteri, ergo. An autem expediat frequens confessio venialium, dicetur *n.* 1885. Denique an expediat confiteri sola venialia, & pœnitens non semper sit absolvendus, dicetur *à n.* 1885.

595 §. 9. Materia necessaria confessionis sunt omnia mortalia post Baptismum commissa, & nunquam directè subjecta absolutioni, sic enim docet Concil. Lateranense sub Innoc. III. *Cap. omnis utriusque sexus*, his verbis, *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur*, Similiter *Florent.* in Decreto Eugenii IV. ad Armenos, explicans partes Sacramenti Pœnitentiæ, ait, *Pars secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Similiter Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. dicit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam esse: Et subdit; *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* Addit, *cùm universa peccata mortalia, etiam cogitationis, homines ira filios & inimicos Dei veddant, necessum est, omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo quærere.* Idem sæpiùs repetit eodem Capite, & posteà sic definit Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, &c. anathema sit.* Accedit communis Ecclesiæ traditio, uti ostendit Bellarm. *l.* 3. *à c.* 6. Item consensus Sanctorum Patrum apud Bellarm. *cap.* 2. Item praxis fidelium agnoscens mortalia omnia tanquam materiam hìc necessariò explicandam. Ratio autem à priori est voluntas Christi nobis manifestata per relata Concilia & per universalem Ecclesiæ sensum ac consuetudinem.

596 §. 10. Peccata mortalia etiam inculpabiliter omissa, sunt materia necessaria confessionis, uti constat ex hac propositione 11. ab Alexandro VII. damnata: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Ratio autem est; quia Sacerdos, qui à Christo constitutus est Judex circa mortalia, necdum tulit sententiam de illis, neque pro qualitate delicti potest imponere satisfactionem tum punitivam tum medicinalem, nisi peccata illa exprimantur & directè subjiciantur clavibus, ideóque licèt fortè indirectè remissa sint, tamen manet obligatio, ut directè subjiciantur absolutioni. Ex hìc dictis,

597 *Colliges*, quid sit directè, & indirectè remitti peccatum: nam tum dicitur directè remitti, quando remittitur ratione sui independenter ab alio peccato remisso, quia nempe est materia huic Sacerdoti per hanc confessionem cognita, & subjecta: E contrà tum remittitur indirectè, quando remittitur non ratione sui, eò quòd vel non sit materia per confessionem cognita, vel non sit materia subjecta huic Sacerdoti, attamen remittitur dependenter ab alio peccato huic sacerdoti per confessionem cognito, & subjecto; sic peccatum non reservatum, & in confessione expressum remittitur directè, quia remittitur ratione sui, utpotè de se materia huic Sacerdoti per confessionem manifesta, & ipsius etiam jurisdictioni subjecta. E contrà peccatum vel omissum vel reservatum non remittitur directè, quia omissum non est materia per confessionem cognita; reservatum autem quamvis fortè sit materia per confessionem cognita, tamen non est subjecta jurisdictioni hujus Sacerdotis; nihilominus quia nullum peccatum potest per Sacramentum remitti, nisi simul remittatur omne mortale, & adsit dolor ac propositum sufficiens ad remissionem etiam illius mortalis omissi vel reservati, hæc simul remittuntur, sed dependenter ab illo altero peccato expresso, in quod Sacerdos habebat jurisdictonem. Dependentia autem illa & independentia in hoc consistit, quia si nullum aliud peccatum fuisset expressum, non potuisset per Sacramentum remitti hoc peccatum omissum vel reservatum: è contrà quamvis non adfuisset illud omissum vel reservatum, poterat remitti illud expressum: & hoc sensu dicitur omissum vel reservatum remitti dependenter ab isto peccato expresso; è contrà peccatum expressum dicitur remitti independenter ab illo omisso vel reservato.

598 *Q.* 85. *An peccata dubia sint materia necessaria confessionis?* R. Colligitur ex seqq. §. 1. Dubium hìc potest esse vel de peccato ipso, uti si dubites, an ullo modo peccaveris in materia de se alioqui mortali, vel de qualitate peccati, ut si scias te peccasse, sed dubites, an mortaliter an venialiter, vel de confessione peccati, uti si scias te peccasse mortaliter, sed dubites, an sis confessus.

599 §. 2. Circa hæc singula potest in utramque partem esse dubium vel positivum vel negativum. Tum est positivum, si suspendatur quidem omne judicium directum, attamen pro utraque parte sint gravia motiva, quæ se non elidant, sed vi quorum possit formari prudens judicium pro hac & etiam pro illa parte aut saltem reflexè judicari, quòd pro utraque parte stet ratio momenti simpliciter gravis, uti dictum est *l.* 1. *à n.* 71. Tum est negativum, si utrimque sint aliqua quidem motiva, non omninò levia: hæc enim non sunt digna prudente dubio, attamen etiam de se non sufficientia ad prudens judicium pro alterutra parte, ideóque necessariò suspendi debet omne prudens judicium directum. Quòd si pro una tantùm parte sit grave motivum, sola hæc pars erit positivè dubia; si autem motiva se mutuò elidant, ita ut neutrum in concursu alterius censeatur simpliciter grave, erit dubium negativum vel quasi pura ignorantia. Quandonam autem motiva dicantur se elidere, explicatum est *l.* 1. *à n.* 261.

600 §. 3. Si in utramque partem positivè dubites de mortali commisso, Sylv. Henriq. Sanch. Bonac. Laym. Lug. Castrop. *tract.* 25. *p.* 9. *nu.* 15. Escob. *l.* 15. *probl.* 38. Dicast. *d.* 9. *dub.* 7. Palav. *num.* 302. Aversa *q.* 10. *s.* 3. Stoz. *l.* 1. *p.* 5. *n.* 155. Schild. *tract.* 2. *num.* 122. Tamb. *de confess. l.* 2. *c.* 1. §. 3. Mend. *d.* 10. *n.* 2. dicunt te non teneri confiteri, quam sententiam vocant communem IIIf. *n.* 109. & Sporer *n.* 398. Haun. *l.* 4. *n.* 1004. vocat unanimem Theolog. Con. *d.* 7. *n.* 68. vocat certam. E contrà Gorm. *p.* 2. *n.* 160. dicit quamvis probabile

sit non esse commissum, tam en si etiam probabile sit esse commissum, manere obligationem confitendi, & idem docet *Eliz.* quem ex propriis principiis optimè confutat Teril. *in Regula morum q.* 52. *ass.* 6. & 7. Ratio itaq; prioris sententiæ est, tum quia in hoc casu prudenter judicare potes te non peccasse mortaliter, sicque deponere dubium, tum etiam quia tua libertas videtur esse in possessione contra præceptum confitendi, nam heri, antequam fecisses illud, propter quod hodie dubitas, certò non tenebaris confiteri, hodie autem supervenit solummodò dubium, quòd non debet te dejicere de certa possessione juris non confitendi, uti magis explicabitur *n.* 608. *Nec obstat*, quòd hìc sit dubium facti, in quo non videtur utrumque posse esse probabile, *nam* secundùm dicta *lib.* 1. *n.* 398. falsum est, quòd in dubio facti semper se mutuo elidant motiva. Deinde omne dubium facti pertinentis ad materiam præcepti reducitur ad dubium juris, cùm quæratur de obligatione præcepti ex supposito aliquo facto, uti rectè Castrop. Arr. 1. 2. *d.* 25. *n.* 15. in dubio autem juris, ubi utrimque est probabilitas, licitè sequor utrumlibet, secundùm sententiam communem *lib.* 1. *à n.* 278. probatam, ergo.

601 §. 4. Si scias te peccasse, sed positivè dubites, an mortaliter an venialiter, Authores citati aliique communiter contra *Con.* suprà etiam dicunt, te non teneri confiteri, & rationes sunt eædem, ex hoc enim, quod scias superveniſse veniale, non ideò possides præceptum confitendi, cùm certum sit non esse obligationem confitendi venialia.

602 §. 5. Si scias te peccasse mortaliter, & positivè dubites, an sis confessus, Authores citati aliique cum Præpos. *q.* 5. *n.* 115. Lugo *d.* 16. *n.* 59. Dicast. *à n.* 292. Palav. *n.* 305. Arr. *hic. d.* 31. *n.* 25. Gob. *t.* 7. *n.* 11. Stoz. *n.* 156. Bosco *d.* 5. *s.* 8. *n.* 124. dicunt contra *Meroll. & Con.* te non teneri confiteri, quam sententiam Illſ. *num.* 110. & Platel. *n.* 791. testantur esse communem. Ratio est, quia etiam hìc est probabile & potes prudenter judicare ac deposito dubio dicere te esse confessum adeóque te hìc & nunc non ampliùs teneri præcepto confitendi. *Nec obstat*, quod præceptum confitendi fuerit in certa possessione, *nam* prudenter judicas illi esse satisfactum. Quamvis autem inter homines, si antecesserit ex contractu oneroso certum debitum justitiæ, illi non censeatur satisfactum per probabilem tantùm solutionem, uti nec præcepto Baptismi satisfit per probabilem tantùm susceptionem illius; ista tamen hìc non obstant, nam quoad Baptismum est alia ratio, cùm hic sit de necessitate medii, cujus defectus per aliquid aliud non ita suppleri potest. Quoad onerosum autem debitum justitiæ etiam est disparitas, nam huic satisfieri potest dando tantùm partem secundùm proportionem dubii. E contrà in nostro casu non agitur de medio salutis, nam certum est sufficere confessionem formaliter integram, & deberet poni tota altera confessio peccati dubii, cujus tamen tanquam certi tota Confessio probabiliter etiam antehac posita est, ergo nimium exigeretur. Deinde homines non censentur remittere jus talis onerosi debiti, nisi posita sit perfecta æqualitas: E contrà benignè præsumimus de Deo, quòd ordinarie ad implerionem legum plus non exigat, quàm fecisse hoc, quo posito prudenter judicare possimus nos implevisse legem, alioquin exponeremur infinitis anxietatibus, & molestiis, quia nimis facilè obliviscimur eorum, quæ fecimus.

603 §. 6. Hactenus dicta tenent Authores citati, quamvis pro illa parte, quod peccaris mortaliter, vel quòd non sis confessus, starent rationes probabiliores, supposito, quod aliàs in similibus materiis licitum sit sequi sententiam probabilem relicta probabiliore, cùm etiam hìc non agatur de valore Sacramenti, ad quod certum est non requiri integritatem materialem sed sufficere formalem. Notat tamen *Plat.* suprà in omnibus illis dubiis suadendā esse confessionem, quia non raro postèa nascuntur anxietates animi, an adfuerint rationes verè probabiles necne. Addunt Sanch. Palav. *n.* 302. in articulo mortis fore obligationem eliciendi contritionem de his peccatis dubiis, vel etiam faciendi confessionem ad minimū de aliis peccatis, ut hæc dubia saltem indirectè remittantur, si fortè non sint remissa, ne in extrema necessitate salus exponatur periculo.

§. 7. Si positivè dubites de mortali commisso 604
vel de confessione illius, & non habeas prudens motivum pro eo, quod non fuerit mortale, vel quod si confessus, teneris confiteri, Sylv. Nav. *d.* 22. *s.* 9. *n.* 5. Con. *n.* 69. Et Haun. supra dicit in hoc convenire Theolog. quia cùm judicare debeas te peccasse mortaliter, vel non esse confessum, neque possis oppositum judicare, nequidem probabiliter, si sufficienter convictus es, & præceptū confessionis possidet contra te.

§. 8. Si scias te peccasse mortaliter, & negativè 605
dubites, an sis confessus, teneris confiteri, Con. Schild. Haun. Laym *de conf. c.* 5. *n.* 37. Carden. *in* 1. *Crist. d.* 47. *n.* 41. Lugo suprà dicens in hoc convenire omnes, & plerique cum Castrop. *n.* 16. & Escob. *num.* 27. dicunt certum, Mendo *n.* 1. dicit certissimum, quia in hoc casu certò possidet præceptum confessionis cùm prudenter judicare non possis esse illi satisfactum, debito autem illius certo non satisfit per solutionem dubiam & improbabilem. Et qui contrarium videntur tenere, intelligendi sunt de homine, qui prudenter præsumitur esse confessus.

§. 9. Si negativè dubites, an peccaris mortali- 606
ter, te teneri confiteri docent Catech. Romanus *De Pœn. c.* 9. S. Th. *in* 4. *dist.* 21. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 3. aliique Authores gravissimi & propè innumeri, quorum 40. recensèt & sequitur Sanch. *in Decal. l.* 1. *cap.* 10. *num.* 66. Addunt alios Aversa *qu.* 10. *sect.* 3. Schild. *tract.* 6. *n.* 42. Mendo *num.* 5. Sequitur etiam *Dicast.* suprà: Et id certum esse dicunt plerique cum Gormaz *à n.* 165. E contrà absolutè negant te teneri Totif. *q.* 98. §. 2. Stoz *à n.* 165. Caram. *in Theol. fund. num* 1321. *& alii.* Idem negant Con. *n.* 99. & P. Marschant. *to.* 1. *t.* 4. *tit.* 6. *qu.* 4. si dubites, an aliquando commiseris, quod Lessius *in Auctar. V. Confessio casu* 9. *n.* 10. etiam dicit esse probabile: sed hi Authores addunt, si scias te aliquid commisisse, & negativè dubites, an sit mortale an veniale, te teneri confiteri; in hoc tamen non videntur consequenter loqui, uti rectè Lugo *n.* 61. Arr. *n* 27. Mendo *n.* 42. Bosco *n.* 102. nam mortale manet dubium, sicuti in priori casu, ex hac autem quod superveniat certitudo de veniali, non potest esse obligatio confitendi: hinc sententiam neganten absolutè probabilem vocant Amic. *d.* 3. *n.* 55. aliique multi: Burgh. *cent.* 1. *casu.* 90. & Gob. *n.* 214. non audent ei negare veram probabilitatem, Laym. suprà & Bosco *n.* 113. dicunt apparere probabilem, quamvis addant se nihil determinare velle. *Eliz.* absolutè docet non esse opus confiteri in casu dubii negativi, quod dicit tum esse, si nihil tibi occurrat, ex quo putes te peccasse, sed Teril. suprà *n.* 32. rectè eum confutat, nam ille solùm dubitat negativè, qui ita pro una parte nullas habet rationes, ut etiam nullas habeat pro altera, ac proinde qui non potest sibi persuadere se esse à peccato immunem, quia nullum sufficiens fundamentum habet ad se liberandum à peccato, ideóque interutrum que suspensus hæret, quasi dicens, fortè peccavi, fortè non peccavi.

§. 10. Rationes pro sententia obligationem affir- 607
mante sunt sequentes, 1. quia in dubiis pars tutior

est

est eligenda, uti Sanch. *à n.* 11. fusè probat. 2. Certum est à temporibus Christi dari præceptum confitendi omnia mortalia, ergo obligatio confitendi est in possessione contra mortale dubium, quod jam supervenit. 3. Hoc est materia necessaria confessionis, quod in antiqua lege erat materia necessaria contritionis, confessio enim succedit obligationi contritionis, sed mortalia dubia erant materia necessaria contritionis, ergo. 4. Illa spectant ad tribunal Sacerdotis, quæ spectarent ad tribunal Christi, si adesset, cùm Sacerdos sit Vicarius Christi, sed ad tribunal Christi spectarent mortalia etiam dubia, ergo. 5. Lex favorabilis debet ampliari, ut probat Sanch. *Mat. l. d.* 39 *n.* 5. sed lex confitendi omnia mortalia est favorabilis, quia tendit ad liberationem à peccatis, & liberat ab onere gravi contritionis, ergo debet extendi ad omnia mortalia etiam dubia, 6. Secundùm Trid. *sup. c.* 5. pœnitens tenetur confiteri omnia peccata, quorum habet conscientiam & memoriam, sed qui dubitat de mortali, habet illius conscientiam saltem dubiam, & sicuti actus intellectus rectè dividitur in certum & dubium, ita etiam conscientia. Deinde etiam habet illius memoriam, quia meminit facti præteriti, in quo timet mortale, ergo. 7. In dubio de commisso homicidio incurritur irregularitas, ergo in dubio de commisso mortali incurritur obligatio confitendi. 8. Fideles confitentur mortalia dubia, praxis autem est optima legum interpres, imò consuetudo potest legem inducere. 9. Antiqui omnes docuerunt confitenda esse dubia: ergo credibile est id eos habuisse ex traditione Apostolica, quod enim in Ecclesia fit, & nescitur ejus initium, prudenter creditur esse ex traditione Apostolica. Videri potest Cresp. à Borgia *in qq. Moral. q.* 12. ubi hanc sententiam multis firmat & oppugnat contrariam.

608 §. 11. Rationes pro sententia obligationem negante, sunt sequentes: 1. In dubio melior est conditio possidenti, secundùm dicta *l.* 1. *à n.* 495. Quod valet non tantùm in materia justitiæ, sed etiam in aliis, secundùm dicta *ibidem num.* 502. atqui negativè dubitans de mortali commisso est in possessione innocentiæ, & libertatis contra præceptum confessionis, ergo. *Prob. m. n.* heri antequam accidisset illud de quo nunc dubitat, ipse certò erat innocuus ab illo mortali, & certò non tenebatur illud confiteri, hodie autem, postquam supervenit illud dubium, præceptum confitendi non est certum sed ad summum est dubium; quia fundatur in mortali, quod dubiè supponitur esse commissum, & consequenter sicuti mortale est dubium, ita præceptum confitendi est dubium, ergo per dubium superveniens ipse non debet dejici de certa sua possessione antecedente, ergo ipse manet in certa possessione innocentiæ & libertatis contra præceptum confessionis. *Conf.* 1. quia in dubio, an voverim dare eleemosynam, non teneor hanc dare quia libertas mea est in possessione contra obligationem dubiam, quæ supervenisset, simile autem est hìc, ergo. *Conf.* 2. nam hæc conformia sunt Regulæ 9. ff. de Regulis Juris. *Semper in obscuris, quod minimum est sequimur.* Item Regul. 56. *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* Item Reg. 122. *Libertas omnibus rebus favorabilior est.* 2. Dubium, quod facta diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili, ergo dubium de mortali, quod facta diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili peccati mortalis, sed potest aliquis in confessione tacere mortale, quod ex ignorantia invincibili putat non esse mortale, ergo. 3. In dubio, an lex existat, non est obligatio legis, secundùm dicta *l.* 1 *n.* 272. & 470. docentque Authores communiter cum Suar. Henriq. Sà, Laym. *de legibus c.* 20. *n.* 4. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *c.* 10. *à n.* 32. Item in dubio an aliquid contineatur sub præcepto, censendum est non contineri, uti probat *Sanch.* ibidem, & consentiunt communiter alii apud Moyam. *n.* 10. atqui dubium est, an existat lex confitendi mortalia dubia, sive, an mortalia dubia contineantur sub præcepto confitendi mortalia, si enim hoc esset certum, tot viri sapientissimi re utrimque diligentissimè discussa non negarent. 4. In judicio non admittitur ut legitima accusatio nec auditur necessario testis, nisi prudenter præsumatur delictum, ergo neque hìc sustinetur accusatio; nec necessariò auditur testis, adeóque nec necessariò exigitur confessio, nisi prudenter præsumatur delictum. sed in dubio negativo facta non præsumuntur nec prudenter præsumitur delictum, quia in dubio homo præsumitur innocens, & quisque præsumitur bonus, donec probetur malus, uti habent Regulæ Juris apud Laym. *num.* 30. Neque hìc est motivum prudens judicandi delictum esse commissum, ergo. 5. Illa tantùm tenetur pœnitens confiteri, quorum habet conscientiam, & memoriam; sed negativè dubitans de mortali, imprimis non habet illius conscientiam, quia secundùm S. Bernardum *de Interiori domo cap.* 11. *Conscientia est cordis scientia*, & secundùm S. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *art.* 13. *Conscientia importat ordinem scientiæ ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia*, ergo requirit cognitionem saltem ita probabilem mortalis commissi, ut pro innocentia nulla stet probabilitas, sed possit dicere absolutè se sibi conscium esse de mortali, atqui negativè dubitans non habet cognitionem ita probabilem de mortali, nec potest absolutè dicere se sibi de illo conscium, ergo. *Conf.* nam dubium non est conscientia, conscientia enim est judicium, dubium autem est suspensio judicii, ergo. Deinde negativè dubitans de mortali, non meminit mortalis, nam secundùm Aristotelem *lib. de Memoria*, quem sequitur S. Thom. *ibidem Lect.* 1. *cùm anima memoratur, pronuntiat se vel prius audivisse aliquid vel sensisse vel intellexisse*; atqui negativè dubitans non potest hoc pronuntiare, cùm non possit judicare, ergo non meminit, *Conf.* nam qui meminit se solvisse debitum, non tenetur ampliùs solvere: qui meminit se orasse Horas, non tenetur ampliùs orare: qui meminit se confessum esse mortale, non tenetur ampliùs confiteri: è contrà qui negativè dubitat, an solverit, orarit, confessus sit, adhuc tenetur, uti volunt adversarii, ergo evidens est etiam secundùm ipsos, quod negativè dubitare non sit meminisse, adeóque meminisse importet non purè suspicionem vel quodcumque dubium improbabile, sed saltem opinionem probabilem circa aliquid ut præteritum, ergo. 6. Si *Trident.* sub Tò conscientia, & memoria comprehenderet conscientiam, & memoriam etiam dubiam, ergo ex vi *Trid.* esset obligatio confitendi peccata etiam dubia, hoc autem est contra communem etiam adversariorum sententiam, uti dictum est *n.* 600. 601. 602. ergo. Atque ex allatis rationibus colligitur *Th. Hurt.* immeritò dixisse hanc sententiam negantem esse temerariam; & *Moya* meritò dicit censuram illam esse improbabilem: hinc,

609 §. 12. Sententia affirmans obligationem confitendi mortalia negativè dubia, est spectata authoritate probabilior, uti patet ex dictis *num.* 607. Spectatis tamen præcisè rationibus intrinsecis negans videtur probabilior, uti patebit comparanti rationes intrinsecas *n.* 607. & 608. allatas. Et reipsa longè faciliùs respondetur ad rationes sententiæ affirmantis, nam omnes manifestè retorquentur in peccatis positivè dubiis, ergo

nimium

nimium probant contra dicta *num.* 600. 601. 602. & ſpeciatim ad ſingulas, ſic reſponderi poteſt *Ad* 1. Regula illa non tenet, ubi pro una parte eſt poſſeſſio, uti fatentur adverſarii, ſententia autem negans dicit pro ſe eſſe poſſeſſionem innocentiæ & libertatis. Deinde certum eſt Regulam illam ſæpè eſſe tantùm conſilii, uti dixi *lib.* 1. *n.* 490. *Nec obſtat*, quòd Clemens III. *Cap. Ad audientiam*, 12. *de Homicidio*, dicat, quòd in dubiis ſemitam *debeamus* eligere tutiorem, *nam* Tò *debere* ſæpiſſimè ſignificat tantùm debitum majoris congruentiæ, decentiæ, honeſtatis, uti oſtendit Boſco *num* 96. *Ad* 2. Diſtinguo: certum eſt à temporibus Chriſti dari præceptum confitendi mortalia, ſi ſint tantùm negativè dubia, n. Si ſint ſaltem probabiliter cognita ſine probabilitate pro oppoſito, c. ant. & n. conſ. *Ad* 3. Confeſſio eſt loco contritionis, quoad aliqua, c. quoad omnia, n. alioquin teneremur confiteri poſitivè dubia, quia antiqui tenebantur de illis confiteri. *Ad* 4. n. min. alioquin poſitivè dubia etiam ſpectaſſent ad tribunal Chriſti. *Ad* 5. Si argumentum valet, lex confitendi debet ampliari etiam ad poſitivè dubia, item ad omnes circumſtantias aggravantes: itaque licèt inſtitutio hujus Sacramenti, & poteſtas confitendi ſit favorabilis, ideóque extendatur etiam ad venialia, non ideò obligatio confitendi eſt favorabilis, cùm minuat & reſtringat libertatem illorum, ad quos hoc præceptum dirigitur: & ideò etiam, ſi Chriſtus obligaſſet ad confitenda venialia, fuiſſet obligatio onerosa, ſicuti poteſtas abſolvendi à reſervato eſt favorabilis, non tamen reſervatio. *Nec obſtat*, quòd confeſſio ſit ad bonum animæ, *nam* etiam ad bonum animæ ſunt excommunicatio, reſervatio, imò omnes leges Eccleſiaſticæ, & tamen multæ dicuntur odioſæ, ideóque ſunt reſtringendæ, *Ad* 6. Patet ex dictis *num.* 608. in ratione 5. Et ſi argumentum teneret, eſſet obligatio confitendi etiam poſitivè dubia. *Ad* 7. n. conſ. Quòd autem incurratur irregularitas per homicidium, ideò eſt, quia id exprimitur *Cap. ad audientiam* 12. *de Homicidio*, in dubiis autem circa alias materias non incurritur irregularitas, quia hoc nullibi exprimitur, ergo cùm etiam nullibi exprimatur obligatio confitendi dubia, hæc non eſt aſſerenda, ſi enim eſſet talis obligatio, deberet exprimi, uti ex jure probat Moya *t.* 3. *d.* 1. *q.* 5. *n.* 13. *Ad* 8. Fideles etiam confitentur imperfectiones, venialia & mortalia poſitivè dubia, neque tamen ideò eſt obligatio illa confitendi. Deinde talis obligatio naſci non poteſt ex praxi fidelium, quia nequidem tota Eccleſia poſſet ferre legem de confitendis omnibus mortalibus, uti dicetur *n.* 2017. Nec conſuetudo facit legem, niſi ſit introducta cum animo ſe obligandi, de quo hic non conſtat, & in dubio cenſeri debet introducta ſine animo ſe obligandi, uti habet communis cum Suar. Merat. Bonac. Meroll. Dian. *p.* 1. *t.* 10. *R.* 30. Paſq. *de Sacrif. q.* 351. *n.* 5. & dixi *l.* 1. *n.* 571. Unde, inquit Boſco *num.* 94. forte ideò ex conſilio invaluit iſta conſuetudo, quia plerique diſcernere non poſſunt, quænam peccata ſint mortalia, quænam certa vel dubia, quænam poſitivè vel negativè dubia, & ideò malunt confiteri, quidquid occurrit, quàm ſe exponere periculo committendi mortale. *Ad* 9. Antiqui plurimi non examinarunt eam quæſtionem, & qui examinarunt plerique loquuntur æqualiter de poſitivè dubiis. Deinde pro ratione non afferunt traditionem Apoſtolicam, ſed rationem hanc, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, de qua ratione dictum eſt ad 1.

610 §. 13. Sententia affirmans obligationem confitendi mortalia negativè dubia eſt abſolutè probabilior, ita Arriag. *d.* 31. *n.* 28. Illſ. *n.* 112. Moya *n.* 33. qui per 30. annos ſæpiùs docuerat publicè oppoſitam: Similiter Carden. *in* 1. *criſi d.* 46. *n.* 259. dixerat negantem eſſe probabilem, poſtmodùm *d.* 74. *c.* 2. re magis conſiderata dicit eſſe dubiæ probabilitatis: Dian. *p.* 4. *tr.* 3. *R.* 5. dicit eſſe improbabilem. Ratio noſtra eſt, quia certum eſt hoc Sacramentum à Chriſto inſtitui potuiſſe cum obligatione confitendi mortalia negativè dubia, ergo probabiliùs dicitur eſſe ſic inſtitutum, quia in illis, quæ pendent à voluntate Chriſti, tenendum eſt hoc, quod dixerunt antiqui & adhuc dicunt plerique Authores: præſumendum enim eſt illos de voluntate Chriſti magis reſcire quàm paucos, qui priùs ab annis 50. incæperunt dubitare, præſertim cùm videatur accedere à primis ſæculis communis ſenſus, & praxis fidelium. Hinc ad rationes n. 608. allatas dicendum eſt *tres primas* hìc non procedere, quia ex dictis ſatis certò conſtat nobis de voluntate contraria Chriſti, ita ut præceptum confitendi dubia jam non debeat cenſeri dubium, ſed ſatis certum. *Ad* 4. n. conſ. non enim valet argumentatio à foro externo, in quo principaliter agitur de vindicta & pœna odioſa reo, hìc autem agitur in favorem, & commodum pœnitentis, ut abſolvatur à peccatis & recipiat gratiam, ergo quamvis in foro externo non admittantur delicta dubia, meritò hìc admittuntur. Et quamvis talis pœnitens poſitivè non præſumatur reus, tamen præſumitur reus dubiè, & ideò etiam tantùm obligatur ſe accuſare ut dubiè reum, ſive tenetur confiteri peccatum ſub dubio tantùm. *Ad* 5. dicimus ſufficere conſcientiam, & memoriâ dubiam, S. Bernardus, S. Thom. & Ariſtoteles ibi loquuntur de conſcientia, & memoria certa. *Ad* 6. n. ſeq. nam prudenter poteſt deponere dubium & poſitivè judicare, vel ſe non peccaſſe mortaliter, vel ſe eſſe confeſſum, uti dictum eſt à n. 600. Videri poteſt Gormaz. *p.* 2. *n.* 133. & 155.

611 §. 14. Scrupuloſi non tenentur confiteri peccata negativè dubia, ſed tantùm illa, de quibus certi ſunt eſſe mortalia, uti habet communiſſima cum Sanch. *n.* 85. Com. *n.* 68. Laym. *n.* 37. Averſa §. *Denique*, Stoz. *num.* 200. Platel. *num.* 796. Buſemb. & aliis, quod certiſſimum eſſe dicit Tamb. *n.* 16. Ratio eſt, quia illorum dubia ordinariè ſunt inanes apprehenſiones, & obligatio confitendi dubia, quæ apud ipſos ſunt frequentiſſima induceret in graviſſimas moleſtias, ergo excuſantur ab ejuſmodi integritate materiali confeſſionis, ſecundùm dicta l. 1. num. 534. Similiter non tenentur confiteri peccata, niſi certi ſint ſe nunquam confeſſos, uti habent iidem Authores, & eſt communiſſima cum Caj. Med. Nav. Henriq. Rodriq. Regin. Becan. Jo. Sanch. *d.* 41. *num.* 18. eſt enim incredibile, quòd peccata illis non occurriſſent antehac, quando erant recentiùs commiſſa, ſi autem recurriſſent, fuiſſent confeſſi, unde ſupponere debent, vel non fuiſſe mortalia vel ſe tùm eſſe confeſſos, & licèt reipſa omiſiſſent, jam excuſantur ob graviſſimas moleſtias, in quas ſe conjicerent. Addunt. Sà *v. Dubium nu.* 5. aliique relati l. 1. *n.* 511. ſcrupuloſum non teneri confiteri, niſi quæ poteſt jurare fuiſſe mortalia, & ſe nunquam fuiſſe confeſſum, quod plures cum Stoz. *n.* 202. aſſerunt ſaltem de illo, qui valdè ſcrupuloſus eſt.

612 §. 15. Qui timoratæ eſt conſcientiæ, id eſt, qui non ſolet plenè advertenter, & deliberatè offendere Deum, non tenetur confiteri, ſi dubitet, an peccarit mortaliter, uti conſtat ex illis, quæ dixi l. 1. à n. 546. & l. 5. n. 226. quia ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio, ideóque habet motivum poſitive judicandi ſe non peccaſſe mortaliter. Et idem eſt de illo, inquit Gormaz. *num.* 170 qui multis ab hinc annis fecit confeſſionem generalem, & modò

negativè

negativè dubitat, an tum dixerit certum peccatum, confessio enim est in possessione pro integritate, nisi occurrat positiva ratio prudenter dubitandi: Hinc docet *Joan. Sanch. p.* suprà, quod valdè notandum esse monet Diana *p. 3. t. 4. R.* 107. & sequitur Stoz *p. 3. nu.* 613. quand quis, etiam alioqui non scrupulosus, in vita fecit confessionem generalem, adhibita mediocri diligentia in examinanda conscientia, non teneri ampliùs de vita anteacta cogitare, & si posteà occurrat dubium, an peccatum sit in Confessione expositum, an cum numero, & circumstantia, posse præsumere, quòd ita. Quod Stoz *n.* 614. dicit etiam applicari posse ad confessiones particulares, nam qui semper bona fide præstitit, quæ ad Confessionem requiruntur, non tenetur in prioris vitæ acta ulteriùs inquirere; quamvis hìc & nunc non recorderur se hoc vel illud determinatè peccatum esse confessum: Idem dicunt communiter Authores cum Præposito *q. 5. n.* 115. de illo, qui solitus est sollicitè confessiones suas instituere nec advertenter aliquid reticere, si diu post patratum peccatum suboriatur dubium, an illud sit confessus, non teneri iterum confiteri. Quorum omnium rationem à priori dat Stoz *p. 5. n.* 169. quia non meminisse te tale aliquid esse confessum, non est prudens dubium, quòd confessus non sis, quia sæpè vix hesternorum aut etiam hodiernorum meminimus, & cùm solitus sit se parare diligenter nec voluntariè omittere aliquid, prudenter præsumit se non fuisse oblitum nec omisisse. Contraria omnia sunt dicenda de illo, qui vel non est timoratæ conscientiæ, vel antehac non est solitus cum diligentia & integrè confiteri, nam hìc sunt rationes contrariæ, & ex communiter contingentibus est præsumptio contra ipsum, hinc dirigere se debet secundùm dicta n. 604. & 605. Atq; ex his colligitur vix unquam circa ista fore dubium merè negativum, nisi de aliquo ignoretur, an timoratus sit, vel in confessionibus rectè instituendis antehac sollicitus fuerit necne, quando enim pro pœnitente est præsumptio juris, hæc pars censenda est probabilis, uti rectè Sot. Arrag. Sanch. & alii cum Moya *n.* 23. ideóque talis potest se dirigere secundùm dicta à n. 600.

613 §. 16. Si ex levi omninò fundamento dubites, aut potiùs timeas, aut suspiceris, an non fortè peccaris mortaliter, vel an in confessione non omiseris mortale, non ideò teneris confiteri, quia non est dubium prudens, unde sicuti sine rationabili motivo incidit, sic poteris sine alio motivo contemnere: Et si tum esset obligatio confitendi, orirentur innumeri scrupuli, uti rectè cum aliis Mendo *n.* 2.

614 *Q.* 86. *An peccatum dubium se solo sit materia sufficiens confessionis?* R. Esset materia sufficiens, si reipsa esset commissum, sed quia hoc incertum est, non debet se solo subjici absolutioni dandæ absolutè, uti communissimè omnes cum Platel. *n.* 797. quia cùm possit esse non verè commissum, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: neque per accidens erit obligatio addendi aliud peccatum certum saltem veniale: aut absolutio erit tantùm sub conditione danda, inquit Gormaz. *p. 2. n.* 169. Si tamen certus esses esse veniale, & confitereris sub dubio, an esset mortale an veniale, non esset opus addere aliud peccatum, quia se solo esset materia certa, Sanch. *in Dec. l. 1. c. 10. n. 3.* Dicast. *d. 9. n.* 290. Similiter rectè notat Sporer *n.* 56. si Confessarius ex circumstantiis personæ confitentis advertat pro certio aliquod peccatorum, quæ pœnitens sub dubio confitetur, reverà esse commissum, potest absolutè absolvere, quia peccatum est declaratum, prout in conscientia est, nec Sacramentum exponitur periculo nullitatis.

Q. 87. *Ad quid teneatur, qui confessus est mortale certum tanquam dubium, vel dubium tanquam certum?* 615
R. §. 1. Si confessus sis mortale tanquã dubium, quale tum putabas esse, & posteà agnoscas esse certum, te non teneri iterum tanquam certum confiteri docent Meroll Leander. Caram. & alii, quos Moya *t. 3. d. 1. q. 6. n. 1.* & Mendo *d. 10. n. 68.* referunt. Accedunt Arr. *d. 31. n. 46.* Escob. *l. 15. n. 179.* Bosco *d. 7. s. 8. à num.* 138. quamvis posteà num. 152. revocet in dubium. Idem absolutè tenent Stoz. *l. 1. p. 5. num.* 170. & Sporer *n.* 398. nec dissentit Herincx. *d. 3. n.* 51. quamvis absolutè nihil videatur determinare. Rationem dant 1. quia confessus es, uti habebas in conscientia, & directè es absolutus, nemo autem tenetur iterum confiteri id, à quo directè est absolutus. 2. Dubietas vel certitudo non est circumstantia se tenens ex parte objecti, quòd solùm explicari debet, sed tantùm per accidens se habet ex parte intellectus. 3. Absolutus à censura vel voto dubio non tenetur iterum absolvi, quamvis comperiat fuisse certa. Similiter in judicio forensi absolutus à crimine dubio non potest revocari ad judicium, quamvis crimen posteà agnoscatur certum, uti cum communi Covarr. Sanch. Lug. Tamb. *de confess. l. 2. cap. 1. num.* 25. ergo à pari hic. 4. Et præcipuè, quia si dubites de numero, & ideò dicas te decies circiter fecisse, quamvis posteà comperias te fecisse undecies, non teneris posteà hanc undecimam vicem confiteri, quamvis sub dubio tantùm sis confessus, ergo nec peccatum ut certum, si confessus sis ut dubium. Hæ rationes non sunt exigui roboris, inquit Mendo *num.* 76. & ideò Magister sacri palatii aliique apud Lugo *d. 16. n.* 92. dixerunt sententiam istam esse probabilem, qualem etiam censent Verric. Pelliz. Rosel. Sachus, Delgald. Ferrant. Taner. Perez apud Moyam suprà, Lohner. *de confess. p 2. cap.* 12. §. 2. *q.* 7. dicit pœnitentem in praxi posse sequi, Tamb. *num.* 24. vocat sententiam probabilissimam, *Bress.* non improbabilem, & ideò Gob. *in Exp. t. 4. num.* 214. dixit aliquem sic recordantem mortalis certi, quod ut dubium erat confessus, probabiliter posse tutò communicare sine nova confessione. Econtrà esse obligationem iterum confitendi docent reliqui communiter, quos citat & sequitur Mendo *nu.* 70. quod Gob. *t. 7. num.* 215. tenet ut probabilius, Illsf. *num.* 116. dicit esse omnium ferè Doctorum, Dicast. *d. 9. num.* 141. dicit oppositum esse inauditum in Ecclesia, Sanch. *in Dec. l. 1. c. 10. n.* 69. Card. *in 1. crisi. d. 51. n.* 6. Moya dicunt esse certum, & communi praxi totius Ecclesiæ conforme: Lugo *à num.* 77. postquam in utramque partem optimè discurrisset, concludit se ab hac utpotè communi nolle recedere. Omissis autem aliis rationibus, quæ vel nimium probant vel facilè retorquentur, probatur ex dictis *n.* 610. quia in illis, quæ pendent à voluntate Christi, uti hìc est, tenendum est hoc, quod dicunt plerique, sed plerique dicunt peccatum tale esse repetendum, ergo. Deinde ab initio erat obligatio assertivè illud confitendi tanquam certum, etiam ideò, quia notabiliter immutatur judicium Confessarii, deberque alia ferri sententia, & alia imponi satisfactio, si assertivè proponatur ut certum quàm si ut dubium, ergo cessante dubio, quod per accidens tantùm suspendebat, & tollebat obligationem, redit obligatio assertivè confitendi ut certum. Ad rationes oppositas respondetur.

Ad 1. N. cons. per accidens enim sæpè est obligatio iterum confitendi id, à quo directè es absolutus, uti *n.* 590. dictum est, etiam ideò quia necdum absolutus es absolutè, sed tantùm quasi sub conditione, debes autem, per se loquendo, ab

omni mortali absolvi directè & absolutè.

Ad 2. Quamvis certitudo explicari non debeat, tamen debet explicari peccatum jam subsans certitudini, quia in hoc statu est moraliter aliud à seipso ut substante dubietati, nam subsans dubietati poterat nullum esse peccatum. *Conf.* nam si planè ignorans, an pejeraſses, dixisses, accuso me de perjurio, quod potui feciſse, vel de perjurio, si feci, posteà agnoscens, te feciſse, tenereris absolutè confiteri tanquam factum, uti docent omnes communiter cum *Lugo* & *Moya*, quamvis ab illo æquè dici posses directè absolutus, & certa cognitio non sit circumstantia se tenens ex parte objecti, sed ex parte intellectus tantùm, ergo similiter hìc.

Ad 3. N. conſ. Absolutio à censura, voto, crimine forensi, non pendet ab illo, qui absolvitur, nec ab ejus dispositione vel confeſſione, sed fieri potest à Superiore etiam invito reo: E contrà absolutio à peccato prærequirit asſertivam confeſſionem certi peccati, prout posteà est in conscientia.

616 *Ad* 4. Est difficiliùs respondere, nam Lugo *à num.* 78. Arr. *à num.* 45. Dicaſt. *à num.* 124. & alii putant non posse inveniri disparitatem inter peccatum sub dubio, & numerum sub indeterminatione per Tò circiter expreſsum; hinc Authores primæ sententiæ dicunt in neutro casu esse obligationem aliter posteà confitendi: E contrà G Hurt. Dicaſt. *n.* 140. Steph. *t.* 5 *d.* 5 *n.* 153. Schild. *t.* 6 *num.* 48. Averſ. *q.* 10 *ſ.* 12. §. *Poſtquam*, Carden. apud Illſ. *num.* 150. negant antec. & dicunt esse obligationem confitendi posteà illam undecimam vicem, ad quod etiam dicendum dicit se ratione cogi Gob. *t.* 6. *num.* 443. nam si dixisset, decies dejeravi, & dubito de undecima vice, foret obligatio hanc undecimam vicem confitendi iterùm, si posteà de illa redderetur certus, uti fatentur Moya, Illſ. *num.* 116. ergo etiam in priore casu. His non obstantibus communiſſima sententia Soti, Vegæ, Suar. Vaſq. Bonac. Regin. Con. Stoz *num.* 97. Sporer *num.* 446. & aliorum, quos refert Lugo *num.* 78. dicit non esse opus posteà confiteri istam undecimam vicem; si dixerit, uti cùm putabat pejeravi decies circiter, & hunc esse communem sensum fidelium dicit *Arr. Illſ.* autem dicit esse ferè omnium, hinc conceſſo anteced. neganda est conseq. Disparitatem hanc dat *Moya*, quam etiam ex parte agnoscit Lugo *numer.* 588. quia secundùm interpretationem communem voluntatis Christi, quam dant Authores, non est obligatio fatendi numerum mathematicè sed moraliter, ita ut Confeſſarius intelligere possit aliqualiter multitudinem peccatorum, & statum pœnitentis, hoc enim sufficit, ut imponat satisfactionem debitam: & quod semel aut bis plus vel minùs fecerit, non solet multùm variare judicium Confeſſarii in ordine ad imponendam pœnitentiam. Oppositum est de exprimenda certa entitate peccati, nam Confeſſarius longè aliter debet judicare de certo, quàm de dubio peccato. Cur autem Christus voluerit magis determinatè significari speciem quàm numerum, ratio potuit esse, tum quia numerus longè difficiliùs cognoscitur, & faciliùs è memoria excidit, tum quia Confeſſarius faciliùs conjicere potest veritatem numeri quàm certitudinem peccati. Aliam disparitatem dant Mendo *num.* 76. & Illſ. *ſup.*, quia qui dixit, decies circiter, sufficienter dixit undecimam vicem, nam illam dixit assertivè, quamvis sub disjunctione, nempè dicendo vel decem vel novem vel undecim vices, & assertio illa disjunctiva est absoluta ac certa, propositio autem disjunctiva verificatur in quacunque parte disjuncti, ergo si committerat undecim vicibus, confeſſio assertiva determinatè verificabatur in numero undecimo, sicque hic numerus erat sufficienter assertus, & expreſsus. E contrà in confeſſione peccati ut dubii nullo modo assertivè exprimitur peccatum, neque in ista confeſſione ut dubii verificatur confeſſio ut certi. Aliam adhuc disparitatem dat Burgh. *cent.* 2. *caſ.* 55. quia hoc ipso, quòd parvus numerus contineatur in magno, quasi absorbetur in illo, & censetur in hoc explicatus. E contrà cum dubium separatim exponatur, & certum non imbibatur in dubio, certum debet in seipso exprimi. Denique etiam à posteriori colligitur disparitas, nam peccata decem plus minùs sunt materia certa absolutionis absolutæ, non autem peccata dubia, uti n. 614. dictum est, ergo. Quousq; autem particula illa, circiter, extendatur, dicetur à n. 940.

§. 2. Si confeſſus sis mortale tanquam certum, 617
quale tum putabas esse, quamvis posteà judices esse dubium, non teneris iterum confiteri tanquam dubium, uti habet communiſſima cum Dicaſt. *n.* 287. Bosco *d.* 7. *ſ.* 8. *n.* 134. Tamb. *nu.* 19. & certum esse dicit Lug. *n.* 77. imprimis quia confeſſus es, uti habebas in conscientia deinde quia qui absolvitur à peccato certo, magis absolvitur à dubio, cùm sententia lata in illud ut certum afficiat, & exæquet totam rationem dubii quodammodò inclusam & superatam in ratione certitudinis. Atque idem est, si confeſſus sis majorem numerum, & posteà agnoscas fuisse minorem, aut si confeſſus sis peccatum ut dubium, & posteà agnoscas fuisse nullum, nam posteà aliquid de hoc dicere non esset se accusare sed excusare, quod per se loquendo, non est opus, quando confeſſio jam bona fide peracta est.

§. 3. Si mortale certò cognitum confitearis tan- 618
quam dubium; aut è contrà si dubites de mortali, & te accuses tanquam de mortali certo, teneris iterum confiteri, Tann. *q.* 7. *n.* 45 Dic. *n.* 136. Lugo *n.* 79. Mendo *n.* 79. Illſ. *n.* 114 aliique communiter contra Bosco *n.* 139. Ratio est, quia non es confeſſus, prout habebas in conscientia: imò si hoc advertenter feciſti, mentitus es in re necessaria notabiliter immutante judicium Confeſsarii, sicque peccaſti mortaliter, S. Th. S. Anton. Palud Sot. Led. Sylv. Averſ. *q.* 10. *ſ.* 3. Moya *q.* 5. *n.* 24. Et de hoc dicit Sanch. *n.* 68. neminem dubitare, nam ita confitendo dicebas te sic habere in conscientia, quod tamen falsum erat: unde quâvis non sit necessarium addere te habere certitudinè de existentia peccati, sed satis sit absolutè dicere te feciſse, tamè non debes addere verba significantia certitudinem vel incertitudinem, quando judicium tuum non est tale.

§. 4. Si confeſſus es peccatum integrè, prout fa- 619
ctum est, & prout conscientia tunc te arguebat, v. g. dicendo te osculatum esse virginem, quod peccatum jam nescis sed dubitas, an fuerit veniale an mortale, quamvis etiam tecum dubitaverit Confeſsarius, non teneris iterum confiteri, licèt posteà tu vel Confeſsarius agnoscat fuiſſe mortale, Sanch *n.* 69 Lug. *n.* 93. Tamb. *n.* 26. Stoz. *n.* 170. & tand consentit Arr. *n.* 96. Lug. *n.* 50. dicitq; Bosco *n.* 148. esse communè, quia confeſſus es integrè, neque ex modo confitendi determinaſti Confeſsarium ad falsò judicandum: sed neque advalorem confeſſionis requiritur, ut pœnitens vel Confeſsarius sciat peccatum esse mortale vel veniale, ut pluribus ostenditur Dicaſt. *d.* 10. *n.* 349. & Illſ. *num.* 151. unde etiam quamvis per accidens judicetur esse veniale, quando est mortale, non obstat valori confeſſionis, dummodò pœnitens dixerit factiũ sicuti tunc in conscientia novit. Idem est inquit *Arr.* si rectè dixeris numerum peccatorum, quamvis Confeſsarius præsumpserit alium. Id tamen notandum est, quòd quando aliquod factum de se fuit indifferens ad mortale vel veniale, pœnitens, si meminerit, teneatur addere, an apprehenderit esse mortale vel veniale, uti omnes fatentur.

620 *Q.* 88. *An peccatum in communi sit materia sufficiens vel necessaria confessionis?* R. §. 1. In casu necessitatis sufficit confiteri peccata etiam mortalia in genere tantùm, v g. dicendo, accuso me de peccatis meis, S. Th. & alii 49. gravissimi Authores cum Vindice Gob *propos.* 1. *n.* 12. Aversa *q.* 10. *s.* 16. Dicast. *d.* 9. *n.* 744. Palav. *n.* 293. aliisque communissimè, tum ex Rituali Romano, tum ex praxi Ecclesiæ, quæ absolvit moribundos, quamvis nullum peccatum in particulari expresserint, uti dicetur à num. 1156. Ratio autem est, quia hoc ipso quòd doleat de peccato, & se peccasse manifestet, subjicit materiam aptam absolutioni: & sicuti impotentia excusat ab expressione numeri, ita etiam ab expressione speciei. An verò aliquid, & quid in ejusmodi casu dici debeat directè absolvi, non conveniunt Authores; Dicast. *à n.* 748. dicit directè absolvi omnia, de quibus est dolor & ejusmodi confessio quantumvis generica: Lugo *d.* 17. *à num.* 13. probabiliter dicit formaliter & directè remitti solùm prædicatum genericum peccati in communi, quia hoc solum ex vi confessionis fit Confessario cognitum, materialiter autem, & indirectè remitti unumquodque peccatum mortale, prout à parte rei est identificatum illi prædicato generico.

621 §. 2. Etiam extra casum necessitatis, materia sufficiens, & licita confessionis est veniale secundùm speciem, uti si dicas, accuso me de mendaciis, fui impatiens, nullum exprimendo numerum, ita Authores communiter, & certum esse meritò dicit Card. *in* 2. *crisi d. à n.* 124. contra quosdam recentiores, quia est confessio peccati, & quidem determinatè saltem unius in hac specie, nec obligatio est addendi numerum venialium. *Nec obstat*, quòd consecratio non valeat, si velis consecrare aliquas hostias in cumulo, & non determines quas, *nam* hoc ideò est, quia per pronomen *Hoc* exigitur determinatio materiæ consecrandæ, nihil autem est in forma absolutionis, quod exigat determinationem alicujus peccati, ergo.

622 §. 3. Probabilius videtur non esse licitum extra casum necessitatis se in genere tantùm accusare de solis venialibus, v. g. dicendo, accuso me de multis venialibus, quæ per vitam feci, sed debere aliquod addi saltem in specie, tum quia est contra praxim Ecclesiæ, tum etiam quia hoc Sacramentum est institutum per modum accusationis & judicii: hæc autem, per se loquendo & ordinariè, fieri debent circa materiam saltem in specie certam & determinatam, Suar. *d.* 23. *s.* 1. *num.* 10. Aversa §. *Quartò*, Bosco *d.* 7. *s.* 9. *à n.* 115. Con. & Bonac. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 66. contra Dicast. *n.* 761. Burgh. *cent.* 3. *casu* 41. *& alios.*

623 §. 4. Si quis extra necessitatem ita in genere tantùm se accuset de venialibus, non determinando ullum in specie, validè quidem absolvitur, uti authores communiùs cum Herincx *d.* 3. *n.* 67. & Bosco *n.* 114. valdè tamen incertum est, quæ & quot venialia remittantur ex vi absolutionis, Dicast. *d.* 6. *dub.* 17. & Dian *p.* 11. *t.* 5. *R.* 24. putant remitti omnia, ad quæ se extendit dolor: quia aliqua remittuntur, non est autem ratio, cur unum & non alterum, ergo. E contrà Lugo *d.* 14. *n.* 142. ad quem inclinat Bosco *s.* 4. *n.* 38. putat illa tantùm remitti, quæ Confessarius censetur potuisse secundùm speciem percipere, vel ex verbis pœnitentis vel ex modo confitendi vel saltem ex circumstantiis, quia illa sola censentur directè affici per sententiam absolutionis, cùm illa sola fiant ex vi confessionis sufficienter cognita, & sic censebuntur sufficienter cognosci negligentiæ in officio, distractiones in oratione, item aliqua venialia, quæ pœnitens solet confiteri, ideóque saltem aliqua horum venialium remittentur, reliqua autem non remittentur nequidem indirectè, cùm enim unum veniale remitti possit sine altero, remissio indirecta, de qua dixi n. 597. non habet locum in distinctis venialibus, uti fatetur Dicast. *n.* 320.

§. 5. Si quis in specie tantùm se accuset de ve- 624
nialibus non determinando ullum numerum, sed dicendo v.g. mentitus sum, fui impatiens, Arr. *d.* 28. *num.* 23. Dicast. Dian. & Bosco suprà aliique multi apud Moyam *d.* 5. *q.* 5. *à n.* 115. valdè probabiliter dicunt ex vi absolutionis remitti omnia, ad quæ se extendit dolor, sicuti ad consecrandum omnes hostias, quæ ante me sunt, non est opus scire vel determinare, quot ibi sint, sed satis est, quòd mea consecratio feratur super omnes in confuso: Contradicunt tamè etiam probabiliter Lugo suprà, & alii, qui dicunt tantùm tot remitti, quot Confessarius censetur potuisse percipere ex vi confessionis vel circumstantiarum, & ratio data est n. 123. unde in praxi tutius est addere aliquem numerum, si occurrat.

§. 6. Sciens se peccasse mortaliter, sed nesciens 625
in qua specie, tenetur dicere, peccavi mortaliter, estque hæc materia sufficiens, & necessaria absolutionis, uti dicetur n. 1157. An autem absolvi possit, qui nullum dixit peccatum, sed tantùm dedit aliqua signa doloris, dicetur à n. 1156.

Q. 89. *Quid addendum sit circa formam Sacra-* 626
menti Pœnitentiæ? R. seqq. §. 1. Cùm formæ Sacramentorum secundùm dicta p. 1. n. 11. sint determinatæ ad certam significationem, communis sententia tenet per formam Pœnitentiæ significari debere, 1. personam absolventis. 2. explicitè personam hominis absolvendi. 3. actualem liberationem à peccato.

§. 2. Scotus *in* 4. *dist.* 14. *qu.* 4. putavit nulla 627
præcisa verba hìc esse necessaria, sicuti necessaria sunt in Baptismo, & Eucharistia, sed si velit nulla omninò verba formalia esse necessaria, hoc *sustineri* non potest, uti constabit ex §. seqq. Si autem tantùm velit essentiam formæ salvari in quibuscunq; verbis, dummodò retineant sensum à Christo intentum, hoc verum est, secundùm dicta p. 1. n. 29. sed non video, cur aliud requirat in Sacramento Baptismi vel Eucharistiæ, nam ad horum valorem etiam sufficiunt verba æquivalentia.

§ 3. Ad absolutionem sacramentalem requirun- 628
tur verba formalia, quod meritò dicunt esse certum Suar. *d.* 19. *s.* 1. *n.* 3. Lugo *d.* 13. *n.* 2. Aversa *q.* 12. *s.* 1. Arr. *d.* 49. *n.* 1. Illf. *n.* 16. ita ut uterque Sor. apud Moyam *d.* 6. *q.* 5. *n.* 49. oppositum vocent errorem vel hæresin. *Probatur* 1. ex Flor. in Decreto Eug. IV. ad Armenos, ubi ait, *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert.* 2. Ex Trid. *sess.* 14. *De Pœn. cap.* 3. dicentes formam in illis verbis Ministri positam esse, *Ego te absolvo, &c.* Ex traditione & perpetuo usu Ecclesiæ. 4. Ex consensu Theologorum, & communi sensu fidelium. *Nec obstat*, quòd absolutio in foro externo, imò etiam in interno absolutio à censuris fieri possit scripto, *nam* pro absolutione à peccatis aliter voluit *Christus*, quod nobis constat ex dictis, & ita etiam posset Rex pro suo regno statuere, ut non valeret sententia Judicis, nisi voce prolata in foro.

§. 4. Durand. & Aureol. apud Amic *d.* 11. *num.* 629
5. dicunt præter hæc verba, *Te absolvo à peccatis*, essentialiter etiam requiri illa, *In nomine Patris, & Filii, &c.* vel saltem similia, quæ significent Deum tanquam principale agens, uti in Baptismo exprimitur his, *In nomine Patris, & Filii, &c.* Hæc sententia communiter rejicitur ab omnibus, teste Lugo *d.* 13. *n.* 13. ideóque secundùm Bosco *s.* 3. *n.* 8. non est probabilis, sed opposita est omninò certa, inquit Arr. *n.* 15. nam pro Baptismo habemus fundamentum in Scriptura

Matthæi 28. *v.* 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Tale autem nullum eſt pro Sacramento Pœnitentiæ. Deinde ratio eſt diverſa, quia Sacramentum Baptiſmi eſt ſpecialiter Sacramentum fidei, ergo meritò potuit Chriſtus requirere profeſſionem Dei Unius & Trini, quod ipſum in *p.* 1. *n.* 382. dixi de Sacramento Confirmationis, quod eſt ad roborandam fidem in Baptiſmo acceptam, quæ ratio non eſt de Pœnitentia.

630 §. 5. P. Sot. & Angel. apud Amic. *n.* 8. item Wiggers apud Boſco *n.* 12. dicunt hæc requiri, *Abſolvo te à peccatis tuis*, putatque Gabr. apud Illſ. *n.* 20. etiam addi debere ab omnibus peccatis tuis: ſed contrà eſt, quia certum videtur non requiri Tò *tuis* cum ſignificatio illius vocis ſatis contineatur in Tò *te*, ut apud omnes in confeſſo eſt, inquit Boſco *n.* 15. & ſatis manifeſtè colligitur ex Rituali Romano, quod pro forma in neceſſitate aſſignat iſta verba, *ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis*, omittendo Tò *tuis*. Et idem videtur eſſe de Tò *omnibus*, nam Rituale Romanum in forma ordinaria etiam omittit, & meritò, quia ſæpè non remittuntur omnia venialia, nec directè illa mortalia, quæ quis per oblivionem non eſt confeſſus, hinc Arr. ſuprà dicit Tò *omnibus* debere omitti.

631 §. 6. S. Thom. *p.* 3. *q.* 84. *a* 3. Catech. Rom. S. Anton. aliique 42. graviſſimi Authores cum Dian. *p.* 11. *t.* 6. *R.* 11. ad quos accedunt *Rhodes, Dicaſt. Illſ. Spor.* & recentiores communiſſimè, dicunt ſufficere hæc verba, *abſolvo te*. Sententiam hanc optimè defendit M. Lotz. *d.* 6. *q.* 1. *diff.* 2. *p.* 1. eamque certiſſimam vocat Suar. *de ce ſ. d.* 10. *ſ.* 2. *n.* 7. Eſcob. *l.* 14. *n.* 199. omninò certam, Tamb. *de conf. l.* 3. *c.* 10. *n.* 57. certam: ſed immeritò uti conſtabit ex dicendis: eſt tamen valdè probabilis, tum ex communi Doctorum ſenſu, qui in illis, quæ à Dei voluntate pendent, multùm ponderis habet, tum quia hæc verba videntur ſufficienter ſignificare effectum Sacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum, hoc ipſo enim quòd dolor ſit manifeſtatus per confeſſionem peccatorum, abſolutio ſubſequens ſaltem ex circumſtantiis & intentione Sacerdotis videtur ſufficienter determinata ad ſignificandam liberationem determinatè à peccatis.

632 §. 7. Herincx *d.* 1. *n.* 27. dicit verba illa *abſolvo te*, ut conjuncta cum circumſtantia confeſſionis, & intentione Miniſtri habere vim ſignificandi etiam *à peccatis*, ſi tamen Miniſter intenderet per illa ſola non ſignificare, ſed tantùm ſimul per iſta, *à peccatis*, dicit non ſignificatura ſine his, adeóque ſi adſit hæc intentio, omnia iſta verba *abſolvo te à peccatis*, fore de eſſentia, quia Tò *abſolvo* ſumetur in ſignificatione generali tamquam determinandum per verba ſubſequentia, ſicuti verba æquivoca vel dubia per intentionem loquentis determinari poſſunt ad hanc vel iſtam ſignificationem. Hæc ſententia etiam probabiliter defendi poteſt. Nihilominus

633 §. 8. Probabilius videtur, quod ad eſſentiam formæ Sacramenti Pœnitentiæ ſemper requirantur hæc vel æquivalentia verba, *Abſolvo te à peccatis*. Ita Authores *n.* 629. & 630. *citati*, ad quos accedunt Palud. Maj. Paſq. Martin. apud Dianam ſuprà: ſequuntur Averſ. *q.* 12. *ſ.* 3. Gorm. *n.* 185. & *alii*. *Probatur* 1. ex verbis, quibus Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum *Joannis* 20. per hæc enim fecit expreſſam mentionem peccatorum, nam non dixit, quibus remiſeritis, remittentur eis, ſed *quorum remiſeritis peccata*, ergo ſicuti ex eo, quòd Chriſtus inſtituens Baptiſmum fecerit expreſſam mentionem baptizantis & baptizandi, item Dei Unius & Trini, adverſarii dicunt debere hæc determinatè ſignificari per formam Baptiſmi, ita debent dicere de Tò *à peccatis* ſignificando per formam Pœnitentiæ. *Prob.* 2. nam hoc innuunt Concilia Florent. & Trid. item Rituale Romanum, quando expreſsè dicunt formam hujus Sacramenti eſſe verba. *Ego abſolvo te, &c.* ubi per Tò &c. videntur velle aliquid requiri præter illa, *ego te abſolvo. Nec obſtat*, quòd aliqua exemplaria Florentini, teſte *Dicaſt.* non habeant Tò &c. *nam.* exemplaria Trid. ubique habent, & communiter habent etiam exemplaria Florentini, ſaltem ubi ad longum impreſſum eſt, uti fatetur Boſco *n.* 9. *Quamvis* autem probabiliter dicatur ideò appoſuiſſe Tò, &c. quia alia addi debent ex præcepto, *tamen* incertum eſt, an hoc tantùm intenderint, & oppoſitum colligitur ex ſimili loco Tridentini *nam ſeſſ.* 14. *de Extrema Unctione c.* 1. dicit hujus Sacramenti formam eſſe illa verba, *per iſtam unctionem, &c.* & tamen certum eſt, quòd verba alia incluſa in Tò, &c. ſint de eſſentia hujus formæ: hinc *Conf.* nam omnes communiſſimè dicunt de eſſentia formæ extremæ Unctionis eſſe, non tantùm iſta verba, *per iſtam ſanctam unctionem indulgeat tibi Deus*, ſed etiam iſta, *quidquid deliquiſti*, & quidem ratione ſui, ut fiat expreſſa mentio peccati, ergo multò magis debet fieri mentio peccati in forma Pœnitentiæ, cùm ſit directè, & per ſe ad remiſſionem peccati, ut potè Sacramentum mortuorum, & per Tò *abſolvo*, non ita ſignificatur peccatum, uti per Tò *indulgeat*: unde *Prob.* 3. Quia per formam Pœnitentiæ debet ſignificari remiſſio peccatorum, uti fatentur omnes, ſed per verba illa, *abſolvo te*, non ſignificatur remiſſio peccatorum, verba enim illa ſunt indifferentia ad ſignificandam remiſſionem, vel cenſuræ tantùm, vel peccati tantùm, vel pœnæ tantùm, vel omnium horum, vel aliquorum tantùm; & ſimpliciter nihil horum ſignificant, nequidem æquivocè, tam parùm quàm vox, *comedo*, æquivocè ſignificet carnem vel piſcem, aut vox, *dono*, ſignificet aurum vel pomum, ut rectè probat. Arr. *d.* 49. à *num.* 18. Si tamen quis velit, quòd vox, *abſolvo*, illa omnia ſignificet, ſignificabit univocè, quia propter eandem rationem per nomen ſignificatam, nempe quia ſignificat, *libero* ſecundùm dicenda *n.* 641.

Reſpondent, determinari per circumſtantias confeſſionis factæ, & ſimul per intentionem Sacerdotis, ut potiùs ſignificent hoc quàm illud. *Contrà eſt* 1. Ergo ex ſe non habent ſignificare remiſſionē peccatorum, hoc autem videtur requiri ad formam hujus Sacramenti, ad quam Chriſtus aſsumpſit verba, & non circumſtantias. 2. Si ſufficeret, quòd ſimul loquantur circumſtantiæ, ergo pro Euchariſtia etiā ſufficiet hæc forma, *ecce corpus meum*, ſi ſimul digito demonſtrem hoſtiam præſentem, quod tamen plerique negant: item in hoc Sacramento ſufficit, Tò *abſolvo*, ſi digito demonſtrem hominem jam confeſſum, quod licèt in caſu aliquo concedat *Sotus*, & probabile dicat Arr. *num.* 23. tamen ſententiam illam malè audiviſſe teſtatur Averſ. *ſect.* 2. §. *Septimò*, quia Chriſtus videtur voluiſſe exprimi perſonam abſolvendi, ut ita ſententia judiciaria caderet ſuper determinatum ſubjectum, nam Chriſtus inſtituens dixit, *quorum* remiſeritis peccata, & non dixit, quæ peccata remiſeritis. Deinde ſi ſufficeret abſolvendum & ejus peccata ex circumſtantiis intelligi, ergo ſi quis confeſſus peteret à Confeſſario, nunquid me abſolvis? & Confeſſarius reſponderet, ita, Tò *ita* ſufficeret, quia in his circumſtantiis, & ex intentione proferentis ſignificaret, *abſolvo te à peccatis*, quod quamvis concedat Martinez apud Haun. *lib.* 4. *n.* 977. tamen Lugo *d.* 13. *n.* 25. meritò dicit oppoſitum eſſe certum. 634

Obnic. 1. Hæc forma Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine patria, filia, & ſpiritu ſancta*, eſt valida, ut dictum eſt in *p.* 1. *n.* 36. ſed ideò eſt valida, quia verba ex circumſtantiis erant ſignificativa veri ſenſus, 635

ergo

ergo similiter hæc verba, *absolvo te*. R. n. min. nam ideò est valida, quia in istis circumstantiis erant ex institutione sua secundaria, secundùm se significativa veri sensus, uti ibidem explicatum est: aliud autem est verba ex circumstantiis sive cum circumstantiis esse significativa, uti sunt illa, *absolvo te*, aliud esse de se significativa in circumstantiis, qualia sunt hæc, *in nomine patria*, quæ prout significativa includunt secundariam volitionem instituentium conditionatam, essentialiter respicientem has circumstantias, quia volebant, ut si proferrentur in præsuppositis his circumstantiis, hoc significarent, ergo hæc verba ex institutione illa sua secundaria de se sunt significativa talis objecti, non per circumstantias simul loquentes, sed seipsis ex vi talis institutionis: è contrà verba illa, *absolvo te*, ex nulla institutione nequidem secundaria habent, quòd se solis significent absolutionem à peccatis, sed hanc debent simul significare circumstantiæ.

636 *Objic.* 2. Si quis commiserit unicum peccatum post Baptismum, falsum erit, absolvo te à peccatis, quia non habet peccata sed peccatum. R. Aliqui dicunt originale simul secundò remitti per infusionem hujus gratiæ, sed contrà, quia sola peccata post Baptismum commissa cadunt sub absolutionem Sacerdotis, secundùm dicta *n.* 587. Itaque dicendum est poni in plurali, quia communiter adsunt plura, & si fortè adsit unicum, ex modo loquendi ponitur plurale pro singulari, uti quando dicimus, *nos*, *vos*, pro *ego*, *tu*. Ex dictis.

637 *Colliguntur seqq.* 1. Hæ formæ, *tu à me absolveris à peccatis*: Petrus vel dominatio vestra à me absolvitur à peccatis: Jubeo, volo te absolutum esse à peccatis, sunt validæ, quia est mutatio tantùm accidentalis, cùm verba retineant sensum à Christo intentum: sunt tamen illicitæ, quia fit contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ. Et universaliter dixi *in p.* 1. *à nu.* 40. quandonam mutatio accidentalis censeatur notabilis adeóque sit peccatum mortale, & quandonam non sit notabilis, ideóque sit vel veniale tantùm vel etiam nullum peccatum. Speciatim hìc omittere Tò *ego*, Platel. *num.* 801. dicit nullum esse peccatum, quia sufficienter includitur in Tò *absolvo*: Gormaz *num.* 185. dicit esse saltem veniale, Aversa §. *Sextò*, aliique communiter dicunt esse veniale tantùm, contra *Fagund.* qui putavit esse mortale. Similiter videtur esse veniale tantùm omittere Tò *tuis*. Si tamen omittantur ista, *in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, amen*, aliqui cum Dicast. *num.* 28. dicunt nequidem esse veniale, quia putant consuetudinem Ecclesiæ illa addentis esse liberam: *Gran.* putat vix excusandum à mortali, & videtur in idem inclinare Gormaz *nu.* 193. sed absolutè dicunt esse veniale tantùm *Bosco*, *Platel.* aliique communiter.

638 2. Quamvis ad valorem sufficiat. *absolvo à peccatis tuis*, uti habent Lugo. Dicast. *n.* 53. Aversa. suprà, tamen videtur fore mutationem notabilem, adeóque mortale, imò fortè esset mutatio inducens dubium de valore, qualis etiam est hæc, *mundo te à peccatis*, cùm non habeat speciem judicialis sententiæ, semper autem mortale est extra necessitatem uti materia vel forma dubia, secundùm dicta *p.* 1. *num.* 45. Denique docent Sà, Bosco *n.* 6. Dicast. *n.* 24. Gob. *t.* 7. *nu.* 160. dummodò dicantur hæc verba, *ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen*, quamvis omittantur omnia antecedentia & subsequentia, non fore nequidem veniale, quia *Trid.* dicit tantùm laudabiliter adjungi. E contrà alii dicunt fore veniale, si absque rationabili causa omittantur ista verba. *Dominus noster JESUS Christus te absolvat & ego authoritate ipsius*, quia hæ voces videntur ex Ecclesiæ usu, & voluntate assumpta ad conflandam unam totam propositionem, quæ sit ordinaria forma hujus Sacramenti. Verba illa, *Passio Domini, &c.* de quibus habet Busemb. *n.* 579. relatus, utiliter adduntur, præsertim in confessione generali, aut si tempore abundes, nam probabile est opera pœnitentis per illa elevari ad satisfaciendum, uti dicetur *n.* 1256.

3. Si quis formam mutaret in modum deprecativum, v.g. dicendo, *O Deus absolvo hunc à peccatis suis*, esset invalida, uti habet communissima cum Aversa *s.* 2. & Bosco *à n.* 64. ideóque S. Thom. *opusc.* 22. *cap.* 11. dicit oppositum esse temerarium, quia non esset sententia judicialis, qualem ex Christi institutione debere esse docet. Trid. *sess.* 14. *de pœn. cap.* 2. & *can.* 9. Hinc rectè notat Lugo *n.* 105. & Gorm. *n.* 213. nequidem apud Græcos valere, si fiat more tantùm precatorio: unde quando aliqui SS. PP. absolutionem vocant orationem, volunt esse æquivalenter talem, in quantùm est repræsentatio meritorum Christi, quibus movetur Deus ad dandam gratiam, vel certè loquuntur de tota forma ordinaria, prout includit etiã antecedentia & consequentia. Si tamen diceret; *absolvat te Deus per me à peccatis*, non more deprecativo, sed imperativo, putat Lug. *n.* 106. fore validã: Si autem tantùm dicat, *absolvat te Deus à peccatis*, Arr. *à n.* 7. & Bosco *à n.* 57. dicunt adhuc fore validam, quia persona Sacerdotis sufficienter significatur per exercitam prolationem hujus sententiæ, quæ in foro externo quondoque profertur etiam imperativè, & ita ex Florent. dixi in *p.* 1. *n.* 31. valere hanc formam Baptismi, *baptizetur servus Christi, &c.* E contrà *Lug.* dicit fore dubiam; attamen valituram, si diceret; *sis absolutus*, vel *absolvaris à peccatis*, sedde hoc postremo etiam dubito, nam quòd verbis illis, *baptizetur servus Christi*, sufficienter significet persona baptizans, ideò est, quia actio abluendi, quam ponit baptizans & super quam tanquam materiam Baptismi cadit forma, est exercita significatio personæ baptizantis. E contrà dum absolvens dicit, *sis absolutus*, *absolvaris*, nullam ponit actionem, quæ sit materia Pœnitentiæ & super quam tanquam materiam cadat forma, ergo videtur esse exercita significatio personæ absolventis: Et de his aliisque similibus formis videri possunt Bosco *concl.* 3. & Aversa. suprà: item ea quæ dixi in *part.* 1. *n.* 29.

639

Q. 90. *Quis sit sensus illorum verborum*, *absolvo te à peccatis tuis*? Resp. §. 1. Circa hoc variè loquuntur Authores, nam 1. Magister aliique apud Vasq. *qu.* 84. *art.* 3. *dub.* 2. dixerunt esse hunc, *Declaro te esse liberum à peccatis*, sed hanc sententiam esse falsam patet ex Trid. *sess.* 14. *de Pœn. cap.* 6. *ubi can.* 9. sic definit. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, &c. anathema sit.* 2. Alii dixerunt esse sensum, *libero te ab obligatione peccata illa iterum confitendi*: Sed contrà est, non peccata remittuntur per absolutionem, abstrahendo ab obligatione illa iterum confitendi, quæ obligatio sæpè manet, uti dictum est *num.* 590. deinde datur absolutio de solis venialibus, & tamen nunquam fuit obligatio illa confitendi. 3. Hugo & Ricard. à S. Vict. apud Suar. *d.* 23. *s.* 2. *num.* 8. dicunt esse sensum, *remitto tibi pœnam æternam vel temporalem, prout adhuc debitor es.* Contrà est, quia per absolutionem, etiam ex intentione Confessarii, remittitur culpa, hæc enim venit nomine peccati. Deinde absolvi non poterit, cui peccatum esset remissum etiam quoad pœnam, quod est contra dicta *nu.* 589. & contra sensum Sanctorum hominum & fidelium, qui post exactas longas pro peccatis pœnitentias nihilominus

640

lominus ſine ſcrupulo eadem iterùm confitentur. 4. Con. *d.* 4. *à num.* 61. dicit eſſe ſenſum, *libero te ab indignitate, quam per peccatum contraxiſti*: ſed confutatur ex jam dictis, nam imprimis liberatur à culpa, quæ eſt cauſa illius indignitatis: deinde ſi Deus ſemel & ſimul ſuſtuliſſet illam indignitatem, poſſet peccatum iterùm abſolvi. Et ex his etiam confutantur Eſparſa *q.* 90. *ad* 4. A. Perez & Gorm. *p.* 2. *à num.* 200. qui dicunt eſſe ſenſum, *libero te à ſollicitudine cauſata per peccatum*: *Reddo tibi ſerenitatem animæ, quam ſuſtulerat peccatum*, nam intentio Sacerdotis eſt primò & directè remittere culpam, etiamſi certus eſſem illam aliunde, v. g. per contritionem eſſe antecedenter remiſſam. 5. Suar. *à n.* 15. Arriag. *d.* 49. *n.* 38. Dicaſt. *d.* 15. *dub.* 5. & recentiores communiſſimè non aſſignant alium ſenſum præter hunc, *confero tibi gratiam ex ſe remiſſivam peccatorum*, ſed per hoc non explicatur ſenſus naturalis, quem verba habent & retinent ex inſtitutione humana, quam Chriſtus non immutavit ſed ſuppoſuit, & poſtmodùm ad iſtam aliam etiam ſignificationem ſupernaturalem elevavit: Itaque

641 §. 2. Hæc verba, *abſolvo te à peccatis*, ex inſtitutione humana habent hunc ſenſum, *Quantùm eſt ex me judicialiter libero te à peccatis*: quòd exercitè idem eſt, ac, *volo, ut dependenter ab hac mea ſententia ſis liber à peccatis*. E contrà ex inſtitutione Chriſti habent hunc ſenſum, *Quantùm eſt ex me, confero tibi gratiam per ſe remiſſivam peccati poſt Baptiſmum commiſſi*. *Pars* 1. videtur conſtare ex notione vocum, nam omnes intelligentes latinum, ſi interrogentur, debent dicere hunc eſſe naturalem ſenſum. Notatque Boſco *ſ.* 3. *nu.* 89. Eccleſiam convenientiùs uti verbo illo, *abſolvo*, quàm iſto, *Remitto*, quamvis etiam Tò *remitto* ſufficiat, & Chriſtus in inſtitutione illo fuerit uſus, quia Tò *abſolvo* eſt magis accommodatum ad ſignificandam ſententiam judicialem & authoritativam: ſolius enim Judicis eſt abſolvere, è contrà etiam privatorum eſt remittere offenſam vel injuriam ſibi illatam. *Pars* 2. etiam probatur; nam iſta verba eſſe à Chriſto inſtituta ad ſignificandam & cauſandam gratiam primò & per ſe remiſſivam peccati poſt Baptiſmum commiſſi, certum eſt, quia omne Sacramentum eſt inſtitutum ad ſignificandam & cauſandam gratiam; Pœnitentia autem, cùm ſit Sacramentum mortuorum, eſt ad cauſandam primam, & quidem in illis tantùm, qui poſt Baptiſmum labuntur, uti dictum eſt *num.* 588. ergo licèt ex inſtitutione naturali & humana non habeant ſignificationem illam; tamen habent ex inſtitutione Chriſti, ſicuti verba iſta *hoc eſt corpus meum*, ex inſtitutione humana habent, ſignificare corpus illius, qui profert, attamen à Chriſto ſunt inſtituta ad ſignificandum Corpus, non Sacerdotis proferentis ſed Chriſti: hoc ſolum eſt diſcrimen, quòd forma Euchariſtiæ proferatur non tantùm nomine, ſed etiam in perſona Chriſti, ideóque ſignificet Corpus Chriſti tantùm, forma autem abſolutionis proferatur tantùm nomine Chriſti, & in perſona hominis Miniſtri Chriſto ſubordinati, uti Judex humanus in perſona ſua, ſed authoritate Principis fert ſententiam. Hoc non obſtante ſignificatio, quam verba abſolutionis habent ex inſtitutione humana, non eſt adæquatè eadem, quæ eſt ex inſtitutione Chriſti, uti per ſe patet. *Conf.* utraque pars, nam imprimis per illum ſenſum, quem dicimus habere ex inſtitutione humana, commodè explicatur, quomodo verba abſolutionis maneant vera, quando Sacramentum Pœnitentiæ eſt validum & informe, eò quòd non cauſet gratiam, v. gr. defectu doloris univerſalis, de quo caſu dicetur *à nu.* 672. tum enim abſolvens, quantùm eſt de ſe, liberat à peccatis, quia quantùm eſt de ſe, cauſat gratiam, cùm ponat Sacramentum de ſe cauſativum gratiæ, cujus tamen cauſatio per accidens hìc & nunc impeditur. Deinde per alterum ſenſum, quem dicimus habere ex inſtitutione Divina, meliùs explicatur, quomodo eadem verba maneant vera, etiamſi cadant ſuper ſola peccata quoad culpam & pœnam plene remiſſa, tum enim cauſatur gratia, quæ remitteret illa peccata, ſi non inveniret remiſſa. Et reipſa tum Deus per infuſionem novæ gratiæ iterùm cedit jure ad odium & pœnam: poteſtque etiam remittere venialia per eandem infuſionem eo fine factam. E contrà aliorum Authorum ſententiæ vel non ita ſatisfaciunt his difficultatibus vel incurrunt in alias.

Obj. Gratis dicitur, quòd verba illa conſignificent iſtam modificationem quantùm eſt ex me. Reſp. n. aſs. nam cùm à ſola abſolutione Sacerdotis non pendeat, quòd peccata reipſa remittantur, ſed requirantur etiam multa ex parte pœnitentis, quæ deeſſe poſſunt, verba Sacerdotis non poſſunt omninò abſolute ſignificare, ſed debent tacite imbibere hanc modificationem, quantùm eſt ex me ſive ſuppolitis ſupponendis: & ſimiliter in foro civili ſententia Judicis, præſertim ſubordinati, non eſt omninò abſoluta, ſed imbibit hanc modificationem, quantùm poſſum ſecundùm allegata & probata, &c. hinc etiam in abſolutione à cenſuris communiter additur, *in quantùm poſſum & tu indiges*, uti præſcribit Rituale Romanum.

Inſt. Ergo verba abſolutionis erunt vera, quamvis cadant ſuper nullum peccatum, quia abſolvens adhuc verè dicet, quantùm eſt ex me, libero te à peccatis. n aſs. nam propoſitio affirmativa de ſubjecto non ſupponente eſt falſa, ſi autem pœnitens nullum commiſerit peccatum, hæc propoſitio, *quantùm eſt ex me, libero te à peccatis*, eſt de ſubjecto non ſupponente, quia dicit, tollo peccata tua, ergo ſupponit & dicit peccata fuiſſe, ergo ſi peccata non habuit, enunciat falſum. Neque dici poteſt ſenſum eſſe conditionatum, quaſi dicat, libero à peccatis, ſi peccaveris: nam ſupponit abſolutè peccata, & ea requirit ad valorem ſui, alioquin non habet materiam, circa quam, neque tum eſſet dolor de vero peccato, nec confeſſio veri peccati, ergo nec tum haberetur Sacramentum Pœnitentiæ: *Nec obſtat*, quòd forma Extremæ Unctionis, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti*, ſit conditionata & valeat Sacramentum, licèt quis per ſenſus externos non peccarit, uti habent *Suar.* aliique cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 181. *nam* diſparitas eſt, quòd *S. Jacobus* expreſsè dicat, ſi in peccatis fuerit, dimittentur, ergo non ſupponit abſolutè adeſſe peccatum. Deinde Extrema Unctio non includit dolorem vel confeſſionem de vero peccato. Denique Extrema Unctio habet alium adhuc finem principalem, qui eſt gratia confortativa in ultimo prælio, quamvis fortè non remiſſiva peccati; oppoſita omnia ſunt in Sacramento Pœnitentiæ.

Q. 91. *Quid præterea ſit notandum circa abſolutionem Sacramentalem?* R. ſeqq. §. 1. Quoties abſolutio reperitur, toties cauſatur nova gratia, quia toties completur & fit novum Sacramentum, hinc ſi Superior abſolviſſet pœnitentem à ſolis reſervatis, & pro abſolutione non reſervatorum remiſiſſet ad Confeſſarium inferiorem, aut è contrà ſi Confeſſarius inferior abſolviſſet à ſolis non reſervatis, & Superior poſteà à reſervatis, in utroque caſu eſſent duo Sacramenta & cauſarentur duplex gratia, Suar. Con. Lug. *d.* 20. *n* 81. Dicaſt. *d.* 11. *nu.* 320. dicens eſſe certum. Moya *d.* 1. *q.* 8. *n.* 20. vocans certiſſimum contra paucos. 642

§. 2. Si quis ſine juſta cauſa in eadem confeſſione 643 abſolutio-

absolutionem repetat super eadem peccata graviter, quia frustraneum est, & secunda absolutio est irrita defectu novæ materiæ, Bonac. Stoz. *l. 2. nu. 86.* Si faciat ex scrupulo, quo se vult liberare, Tamb. & Spor. *n. 631.* dicunt saltem ordinariè fore veniale tantùm, quia cum repetit ex metu offendendi Deum & desiderio non nocendi proximo, quæ videtur esse levis imprudentia & injuria non notabilis, quæ non fit Sacramento: sed videri debent dicta *p. 1. à nu. 123.* Si autem sit ita perplexus, ut æquè malum esse putet non repetere, quàm repetere, poterit nullum esse peccatum, secundùm dicta *l. 1. à n. 81.*

644 §. 3. Si pœnitens statim post confessionem redeat & sola venialia afferat aut circumstantias mortalium non notabiliter aggravantes, repetenda non est absolutio, cùm enim id necesse non sit, videtur esse quædam irreverentia, Spor. *nu. 628.* Quòd si tamen quis vellet repetere, expedit tacitè id facere non formata cruce, quod etiam tum videtur observandum, quando ob novum mortale certum vel dubium repetenda solutio, alioquin circumstantes, qui jam anteà viderant absolvi, quandoque suspicabuntur resumpsisse novum mortale. An autem tum priùs renovandus sit dolor, dicetur *n. 707.*

645 §. 4. Absolutio potest ab uno pluribus dari simul sic enim simul absolvuntur multi milites ante prælium dicendo, Absolvo vos à peccatis, Con. Lugo *d. 13. sect. 7.* Arr. *d. 50. s. 5.* Averf. *q. 12. s. 3.* Tamb. *de Conf. l. 2. cap. 10. n. 5.* Esetque talis absolutio non quidem formaliter, attamen virtualiter & æquivalenter multiplex, & essent tot Sacramenta, quot homines ponentes aliquam confessionem & dolorem.

646 §. 5. Etiam potest absolutio simul à pluribus dari uni, uti habent iidem Authores, nam si quis habens sola venialia, vel etiam mortalia semel confessa, partem eorum confiteretur uni, & partem alteri, posset posteà uterque simul absolvere, uti etiam tum, si confessus esset mortalia non confessa uni, & alteri alia venialia. Imò fieri posset, ut idem æger duobus Sacerdotibus diceret: confiteor vobis hæc peccata mea, tumque possent hi eum simul absolvere. Hoc tamen ultimum ordinariè est illicitum, quia est contra Ecclesiæ consuetudinem, *Suar. Averfa.*

647 §. 6. Si talis pœnitens ita à pluribus absolveretur, essent plura Sacramenta, quia essent plura judicia, & multiplicaretur absolutio, quæ in recto importatur, confessio autem & dolor etiam virtualiter multiplicaretur; hinc singulis illis absolutionibus responderent distinctæ gratiæ, Lugo *num. 166.* Averf. *suprà contra* Gorm. *p. 2. num. 218. & alios.* Opponit Arr. *num. 27.* tres ejusmodi absolutiones habere se sicut se habent tres hostiæ, quas aliquis simul sumit, quæ faciunt unum Sacramentum & unicam causant gratiam. *Sed contrà est*, nam tres hostiæ simul sumptæ faciunt unum cibum, & cadunt sub unam tantùm sumptionem, quæ autem hic interveniunt, non faciunt unum judicium, sed singuli seorsim sunt Judices feruntque distinctas sententias, ergo sunt plura judicia. Nec est simile in Baptismo, quem duo simul conferrent uni puero, quia cùm Baptismus non sit iterabile & unicum habeat finem, qui est spiritualiter regenerare, unicus valet, ideóque tales duo Baptismi censeri deberent unus moraliter: è contrà Sacramentum Pœnitentiæ est iterabile, & ejus finis est etiam per plures gratias sæpiùs remittere peccata, ergo plures absolutiones non necessariò faciunt unum moraliter Sacramentum.

648 §. 7. Si pœnitens confessus coram multis voluisset ab uno tantùm absolvi, & plures simul absolverent, non conficerentur plura Sacramenta, quia pœnitens non voluit plura: conficeretur tamen unum, quia quamvis petierit unam tantùm absolutionem, tamen non exclusit plures, nec unius absolutio tollit vim alterius, sed omnes sunt moraliter una, Lugo *n. 175.* Arr. *suprà.*

§. 8. Si plures simul absolventes urerentur hac 649
forma, *absolvimus te à peccatis*, Dur. Suar. Arr. *sect. 6.* Averf. *suprà* aliique probabiliùs dicunt contra Vasq. Con. Lugo *num. 176.* validè absolutos, quia sicuti valori hujus formæ, *absolvo vos*, non obstat, quòd significetur consortium plurium absolvendorum, ita nec valori illius, *absolvimus te*, quòd significetur consortium plurium absolventium, in neutra enim ponitur aliquid repugnans significationi à Christo intentæ. Et simile est, si Deus dispensaret cum aliquo, ut posset duas uxores ducere, si enim diceret, *accipio vos in uxores*, illæ possent respondere, *& nos accipimus te in virum*, foretque velidum cum singulis Matrimonium.

§. 9. Dicendo, *absolvimus te*, possent absolvere, 650
vel singuli totaliter, id est, unus dependenter ab altero, vel singuli partialiter tantùm, id est, unus dependenter ab altero & non nisi cum altero, prout ipsi formarent suas intentiones, verba enim sunt ad hoc indifferentia & per intentiones determinari possunt. *Nec obstat*, quòd volendo absolvere tantùm partialiter, viderentur habere intentionem tantùm conditionatam, *ego volo absolvere, si tu absolvas*, *nam* non obstat intentio conditionata, si sit de re præsente & purificata, uti dictum est *p. 1. n. 79.* Deinde non est intentio strictè conditionata, quia sensus est, *volo absolvere, quia tu etiam absolvis. Nec iterùm obstat*, quòd Christus voluerit Ministrum in hoc Sacramento esse in solidum Judicem, *nam* singuli erunt in solidum Judices, quamvis singuli judicare non velint, nisi etiam judicet alter.

§. 10. Si singuli vellent tantùm partialiter 651
absolvere, & unus proferret formam ante alterum, communis sententia dicit, neutrum absoluturum, quia, quando existeret absolutio unius, non existeret absolutio alterius, & tamen singuli volebant absolutionem suam non valere sine absolutione alterius, Arr. *tamen n. 36.* probabiliter putat utramque valituram, dummodò ita sequantur se, ut adhuc censeantur moraliter coexistere. Quid autem futurum sit in casu, quo singuli vellent absolvere, si alter non absolveret, dictum est *p. 1. n. 74.*

§. 11. Non expedit, ut verba absolutionis 652
omninò altè exprimantur, partim ne plebei ea addiscant & posteà abutantur, partim quia absolutio sæpè datur sub conditione aut omninò non datur, ergo ut circumstantes non advertant, quandonam id fiat, præstat se assuefacere ad absolutionem, vocaliter quidem, attamen submissè dandam.

§. 12. Ritus in absolvendo est servandus pro 653
consuetudine cujusque loci & Ecclesiæ, sic quidam absolvunt tecto capite, ut sic se Judices esse ostendant, alii directo, ut significent se absolvere nomine Christi, tanquam principalis Judicis: & testatur *Rayn.* sententiam *Sà*, qui volebat fieri tecto capite, esse expunctam à sacris censoribus. Item communiter elevatur manus ad verba, *Indulgentiam*, vel *Dominus noster*, formaturque Crux ad verba, *In nomine patris*, &c. Item superpellicco & stola utuntur Confessarii non regulares, quando in Templo publicè audiunt: has tamen cœremonias omittere, per se loquendo, nullum est peccatum, ita cum alii Stoz *lib. 2. n. 83.*

Absolvi non posse absentem, probabitur *num.* 1195. Posse absolutionem dari ante expletam pœnitentiam & ante emendatam vitam, probabitur à *num.* 1230. Posse dari moribundo sine verbali confessione, dicetur à *num.* 1156. Quo sensu dari possit

possit absolutio dimidiata, dicetur à *num.* 1152. Posse absolutionem aliquando sed non semper differri, dicetur à *num.* 1764. Posse & debere aliquando dari sub conditione, dicetur à *num.* 1769.

DUBIUM II.

Qualis contritio requiratur.

„ SUppono, quòd contritio in communi, sit dolor ac detestatio peccati commissi, cum proposito emendandi, ut habet Trid. *sess.* 14. ubi eam dividit in perfectam, quæ absolutè sic dicitur, & in imperfectam, quæ attritio dicitur. Perfecta est, quæ elicitur ex motivo charitatis, propter Deum summè dilectum, & hæc se sola mox justificat, etsi cum voto & ordine ad Confessionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta est, quæ ex inferiore motivo supernaturali tamen, concipitur.

„ Resp. Ad Sacramentum hoc sufficit, & requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax, & universalis, (respectu mortalium) concepta in ordine ad confessionem, vel saltem absolutionem. Est communis v. Bon. *d.* 5. *q.* 5. & Schol. ac colligitur ex Trid. *loc. cit Unde resolves*:

„ I. Non requiritur contritio existimata, ut voluit *Gabriel*.

„ II. Non sufficit, 1. Attritio existimata tantùm, licèt inculpabiliter, quia vera attritio est pars essentialis. 2. Nec desiderium absolutionis sine affectu ad peccata; idque etiamsi tantùm confitearis venialia, ut habet sententia communis contra *Angles* quosdam alios, quos sequitur Tamb. *l.* 1. *exp. conf. c.* 3. v. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 31. Unde peccat graviter, qui etiam sola venialia, vel sola mortalia, aliàs confessa, sine omni formali dolore confitetur, quia non ponit materiam Sacramenti, & saltem periculo sacrilegii se exponit. Ita C. Lug. *d.* 14. *s.* 8. *&c. com.* V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 116. Bon. *s.* 1. *p.* 3. Non tamen est necesse, ut dolor se extendat ad omnia venialia, quorum sibi pœnitens est conscius, *Suar. Laym. Lugo* imò notat Tamb. *l. c.* satis esse de uno veniali dolere formaliter, etsi plurium sis conscius, de quidus nec dolorem, nec propositum emendandi habeas, sive ea confitearis, sive non.

„ III. Non absolvitur, qui dolet, licèt intensissimè, tantùm propter infamiam, damna, aliasve pœnas temporales præcisè, etsi ex inculpabili ignorantia, quia non est dolor supernaturalis, nec ignorantia, aut bona fides potest supplere defectum essentialem, Bon. *l. c. &c.* Limitat tamen Regin. cum Tamb. *c.* 1. nisi doleas propter istas ut à Deo inflictas vel infligendas.

„ IV. Ad attritionem non requiritur ulla intensio vel duratio temporis, ut vult *Durand.*

„ V. Etsi debeat esse de omnibus peccatis mortalibus, non requiruntur tamen singuli dolores de singulis, ut vult *Angles*, sed sufficit unus actus, de omnibus simul sumptis, etiam oblitis, ideóque peccat graviter, qui sciens prudens non atteritur universaliter de omnibus mortalibus nondum remissis, Bonac. *&c. ll. cc.*

„ VI. Non sufficit dolere, quòd non doleas, ut habet *Nav. & Sà*, nec velleitas non peccandi. Ratio utriusque, quia non est dolor de peccatis commissis, cum quo affectus ad ea stare potest, Henriq. Vasq. Bon. *l. c. num.* 7. Ubi rectè notat, cum actu, quo quis dolet se non dolere de peccatis, plerumque conjunctum esse dolorem de peccatis, etsi pœnitens eum non dignoscat.

„ VII. Etsi dolor hic debeat summus appretativè, ita ut nihil magis detesteris quàm peccatum, malisque omnia mala hujus mundi perpeti, quàm mortaliter contra Deum peccare, non tamen opus est, imò nec expedit, particulares facere collationes; v. g. mallem hoc vel illud malum subire, quàm mortaliter peccare, quia periculosæ sunt.

„ VIII. Qui non vult occasiones proximas peccandi à se amoliri, vel non remittere ex animo, vel non restituere aut satisfacere, quibus debet; vel, non habet formale (licèt probabiliter cum C. Lug. *loc. cit. s.* 5. *Lay. Dian.* aliique dicant, virtuale in contritione universali inclusum sufficere, saltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) propositum, peccata mortalia, (quando talia confitetur) vitandi efficax, id est, cum quo non possit consistere affectus actualis erga aliquod mortale, non est sufficienter attritus: Ratio, quia non est dolor & detestatio efficax, quippe cum quo possit stare voluntas peccandi, nec is se ex toto corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne detestabile, Suar. Fernand. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 4. Dian. *p.* 3 *t.* 4. *R.* 119. *& comm.* Et licèt sola venialia confitearis, teneris tamen, sicut dolere, ita etiam proposito, saltem virtuale, circa illa habere. C. Lugo *d.* 14. *s.* 8 *& 9. & alii.*

„ IX. Redire sæpè cum eodem mortali, non est certum indicium deesse attritionem, etsi sit magna præsumptio, præsertim in iis, qui coguntur confiteri à parentibus, magistris, &c. item in iis, qui aliquoties moniti concubinam non separant, aut restitutionem non faciunt; quibus proinde absolutio differenda est, nisi id actu præstent: Quanquã possint esse alia signa veri doloris, v. g. si media præscripta sint adhibita, occasiones vitatæ, si numerus peccatorum imminutus, si pœnitens omninò asserat, cui plerumque credi debet, cùm ipse sit sui accusator, defensor & testis. Qua in re opus est magna prudentia Confessarii, ne pœnitentem severitate avertat, neque etiam lenitate seducat & peccet, pereatque cum illo, Suar. *in* 3. *p. d.* 32. *s.* 2. Sanc. *l.* 2. *in Dec. c.* 32. *& l.* 3. *c.* 5. C. Lug. *n.* 166. *&* 169. contra quorum, aliorumque communem sententiam, docent apud Dian. Vivaldus, & Joannes Sancius, *d.* 10. *num.* 16. posse toties, quoties confitetur absolvi, etiamsi nullus appareat profectus, eò quòd sine illo possit esse verum propositum, sicut est in iis, qui venialia semper afferunt eadem. Verùm id probare non ausim, nec videtur esse par ratio. V. Kon. *d.* 2. *dub.* 14. Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 55. *& p.* 2. *t.* 2. *mis. R.* 45.

„ X. Absolvendi sunt ii, qui ex officio, domo vel negotio, in quo propinquum peccati periculum imminet, discedere nolunt, eò quòd sine maxima difficultate non possint, parati interim media præscribenda adhibere, Ratio, quia occasio, etiam propinqua, non necessitat ad peccatum, ideóque stare potest cum proposito peccata vitandi. *Nec refert*, quòd quis putet vel timeat, se unum vel plura peccata non vitaturum, *quia* propositum est actus voluntatis, existimatio autem illa, est actus intellectus, qui ex illo proposito, ob humanæ voluntatis mutabilitatem non necessariò consequitur. Interim qui certus est, impossibile sibi esse in tali occasione peccata vitare, debet eam deserere, nisi velit perire. Ita Laym. *l. c.* Lug. *n.* 152.

„ XI. Non requiritur dolor sensibilis, sufficit enim intellectivus: qui cùm sit internus, ac spiritualis, scrupulosi non facilè debent angi, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eò quòd nullum sentiant.

„ XII. Is, qui nihil cogitans de confessione, attritionem elicuit, non referens eam ad Sacramentum,

„ non poteſt ſine novo dolore ad id accedere : quia „ pars debet referri ad compartem. Ita Suar. *d.* 20. „ *ſ.* 4. Bon. *d.* 5. *q.* 3. *p.* 2. Contrarium tamen vi„ detur docere Lug. *d.* 14. *n.* 37. quod non eſt im„ probabile Tamb. *l* 1. *c.* 2.

„ XIII. Non ſufficit ad Sacramentum dolor, qui „ ſequitur abſolutionem : imò ſecundùm ſententiam „ ſaltem tutiorem, quam docet Laym. *c.* 4. & Kon. „ debet antecedere etiam confeſſionem, etſi contra„ rium etiam probabiliter doceant Vaſq. Fill. Fag. „ Lug, *ſ.* 2. & Gaſp. Hurt. *d.* 6. *dif.* 5. apud Dian. „ & Eſcob. *t.* 7. *E.* 6. Unde pœnitentes initio ad do„ lorem excitandi : aut ſi poſt peccatorum narratio„ nem fiat, repetant verbo confeſſionem, dicendo „ ſe dolere de peccatis expoſitis. V. Laym. *loc. cit.*

„ XIV. Probabile eſt eum, qui paulò ante confeſ„ ſus iterùm confitetur, vel eadem peccata, vel quæ „ exciderant; de quibus ante (explicitè, & in par„ ticulari) non doluit, non teneri elicere novum „ dolorem, Lug. *ſect.* 3. Dian. *p.* 9. *t.* 3. *R.* 5. & 51. „ & conſequenter poteſt moribundus propter peri„ culum inſtantis mortis abſolvi, audito tantùm uno „ alterove peccato ; & deinde ſi ſuperſtes maneat, „ audire reliquis iteratò abſolvi in virtute doloris „ præcedentis. *Tamb.*

ADDENDA.

655 QUæſt. 92. *Quid generatim notandum ſit circa contritionem & dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitum* ? R. Seqq. §. 1. Contritio ſæpè ſumitur genericè, prout in communi eſt dolor de peccatis, abſtrahendo an ſit perfectus an imperfectus. Et quod attinet ad nomina illa *contritio & attritio*, S. Th. *in Suppl. q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. ſic explicat, quòd ſicuti in corporalibus lapis tum dicitur conteri, quando ita comminuitur in minutiſſimas partes, ut non cenſeatur ampliùs manere lapis, ſed fiat pulvis ; è contrà ſicuti tum dicitur atteri, quando aliquid quidem de illo tollitur, attamen adhuc cenſetur manere lapis : ita in ſpiritualibus tum dicatur conteri peccator, quando habet perfectum actum pœnitentiæ, vi cujus non maneat moraliter peccator, qui fuit, ſed juſtificetur ; tum autem dicatur atteri, quando habet actum pœnitentiæ, cum quo habitualiter quidem adhuc manet peccator, attamen deponit actualem voluntatem peccandi. Hìc ad vitandum æquivocationem, quando loquemur de contritione genericè ſumpta, communiter utemur voce *dolor*, quando autem ſimpliciter & ſine addito utemur voce *contritio*, ordinariè intelligemus dolorem, qui eſt actu, charitatis Theologicè & concipitur ex motivo bonitatis Dei ſuper omnia dilecti, è contrà quando utemur voce *attritio*, intelligemus dolorem conceptum ex aliquo motivo inferioris virtutis.

656 § 2. Dolor & deteſtatio non ſunt idem, nam dolor eſt de malo ut præſente, deteſtatio autem de malo ut præterito : quod ut meliùs intelligatur, generatim notanda eſt diverſitas actuum voluntatis, nam 1. Si objectum repræſentetur ſub ratione boni vel mali, præſcindendo, an ſit præſens an abſens, actus voluntatis circa bonum erit amor, è contrà circa malum erit odium. 2. Si objectum repræſentetur ut præſens, actus circa bonum erit gaudium, circa malum erit dolor. 3. Si objectum repræſentetur ut abſens & poſſibile in futuro, actus circa bonum erit deſiderium, ſi autem ſimul repræſentetur aliqua arduitas in illo bono obtinendo, actus circa illud bonum erit ſpes vel audacia ; è contrà circa malum abſens & poſſibile in futuro eſt fuga ſtrictè dicta, ſi autem ſimul repræſentetur aliqua arduitas in illo malo amoliendo ; actus circa illud erit timor vel ira, 4. Si objectum repræſentetur ut abſens & præteritum, actus circa bonum erit gratulatio, circa malum erit deteſtatio. 5. Omnes hi actus poſſunt ex modo tendendi eſſe vel efficaces, qui determinent ad arripiendum medium pro obtinendo finem neceſſarium ; vel inefficaces, qui ad hoc non determinent. Similiter amor poteſt eſſe vel ſimplicis complacentiæ, qui cum odio oppoſito ſtare poſſit, vel poteſt eſſe efficax, qui excludat ſimile odium ejuſdem objecti : è contrà odium poteſt eſſe vel ſimplicis diſplicentiæ, quod cum amore oppoſito ſtare poſſit, vel efficax, quod excludat ſimilem amorem ejuſdem objecti. 6. Actus prout fertur directè in aliquod bonum tanquam finem obtinendum per media, dicitur intentio ; prout fertur directè in media pro obtinendo fine, dicitur electio : è contrà actus prout directè fertur in malum depellendum per media ad hoc neceſſaria, dicitur propoſitum, prout directè fertur in iſta media in ordine ad depellendum malum, dicitur executio propoſiti. 7. Poſſunt omnes recenſiti actus ex modo tendendi eſſe vel abſoluti, uti hi, amo Deum, odi peccatum ; vel conditionati, uti hi, amare Deum, etiamſi me puniret ; odiſſem peccatum, etiamſi non puniretur.

§. 3. Caj. Nav. Regin. Gob. Boſco, Stoz. *l.* 1. *p.* 2. *n.* 657

6. dicunt pro Sacramento Pœnitentiæ requiri ſolam deteſtationem, ad quam ſequatur dolor veluti proprietas, quod Suar. *d.* 4. *ſ.* 1. *n.* 7. putat eſſe certum. E contrà Gonet. *d.* 7. *n.* 6. & alii dicunt requiri ſolum dolorem, qui præſupponat deteſtationem : Dicaſt. *d.* 2. *n.* 103. & alii communiter dicunt ſufficere alterutrum actum, nempè vel deteſtationem vel dolorem, ſed Con. *d.* 1. *à n.* 10. probabiliùs dicit requiri utrumque actum, hoc enim eſt conformius Trid. *ſeſſ.* 14. *de Pœn. cap.* 4. ubi dicit contritionem eſſe *animi dolorem ac deteſtationem* de peccato commiſſo. Ratio autem eſt, nam imprimis actus requiſitus ad Sacramentum Pœnitentiæ non eſt ſola deteſtatio, alioquin Beati, qui aliquando peccarunt, dici poſſent de facto adhuc habere contritionem de peccatis, cùm habeant illorum deteſtationem, hoc autem eſt contra communem ſenſum, nam per contritionem intelligitur dolor vel triſtitia, qui ſit actus cordis inquieti, turbati, anxii, quod ſine dolore non habetur ; hinc authores communiter, quando negant in Beatis eſſe contritionem, intelligunt dolorem : congruentia autem, cur ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur dolor, hæc eſt, quia cum voluntas per peccatum converterit ſe ad delectationem ſive gaudium circa bonum præſens, decebat, ut pœnitens reciperet dolorem circa malum præſens. Deinde actus requiſitus ad Sacramentum Pœnitentiæ non eſt ſolus dolor prout contradiſtinctus à deteſtatione, qualem etiam damnati habere poſſunt ; hinc omnes intelligunt requiri talem actum, qui reſpiciat peccatum commiſſum, quod retractet, ita ut voluntas vi talis actus ſit ita diſpoſita, ut peccatum phyſicè præteritum impediret, ſi poneretur in circumſtantiis, in quibus illud ab *ipſa* poruit impediri.

Objic. Communis omnium ſenſus eſt eum *vali* 658
dè abſolvi qui accedit cum dolore & propoſito, quá-
vis non cogitarit de deteſtatione, ergo deteſtatio non
requiritur. Reſp. n. conſeq. quia licèt contritio vel
attritio præcipuè ſignificetur per dolorem, tamen
per hunc dolorem non intelligitur actus reſpiciens
malum tantùm præſens, ſed ſimul reſpiciens præ-
teritum : neque nunc elicere poſſumus dolorem,
quin ſit vel adjunctam habeat deteſtationem, uti
nec elicimus deteſtationem, quin ſit vel adjunctum
habeat dolorem, ut ex S. Thom. 3. *par quæſt.* 84.
art. 4. *in O.* notat Con. *ſupra* : Itaque ſive con-
tritio ſignificetur nomine deteſtationis ſive nomine

doloris, per utramque vocem intelligitur actus circa objectum secundùm aliquid præsens & secundùm aliquid præteritum ; quomodo autem peccatum sit malum præsens, etiamsi plenè remissum sit quoad culpam & pœnam, dictum est *num.* 591. Atque exhis,

659 *Inferes*, Etiam illam opinionem Lutheri fuisse erroneam, qua dixit per contritionem nec significari dolorem neque detestationem peccati, sed tantùm amorem justitiæ & novam vitam, oppositum enim constat ex Scriptura & SS.PP. apud Bellarm. *de Pœn. lib.* 2. *Cap.* 4. nam quando loquuntur de pœnitentia, semper meminerunt peccati, cujus sit retractatio & dolor. *Nec obstat*, quòd Scriptura loquens de pœnitentia utatur voce, *metanœa*, quæ vox significat resipiscentiam vel mutationem animi, *nam* pœnitentia est talis resipiscentia & mutatio, quæ simul sit detestatio & dolor de peccato, est enim transitus à malo præterito & præsente ad bonum futurum, illosque actus intellexerunt per nomen Pœnitentiæ SS. Patres & antiqui, uti rectè ostendunt Gormaz *num.* 24. & Bosco *s.* 2. *à n.* 69. hinc Ausonius *de Pœnitentia*, loquens ita canit, *Sum dea quæ facti, non factique exigo pœnam, Nempe ut pœniteat, sic metanœa vocor.*

660 §. 4. Præter detestationem & dolorem, etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur propositum non peccandi de cætero, uti certum est ex *Trid.* suprà & pluribus explicabitur à *n.* 891. adeóque ad valorem confessionis requiritur odium peccati præteriti, præsentis & futuri : præteriti, in quantùm est detestatio ; præsentis, in quantùm est dolor ; futuri, in quantùm est propositum cavendi illud imposterum. Perinde autem est, sive reipsa sint tres physicè actus, sive duo, sive etiam unicus habens illa tria prædicata per respectum ad peccatum præteritum, præsens & futurum, si autem reipsa sint plures actus, etiam perinde est, quo ordine eliciantur, posset enim propositum primo loco elici : connaturalius tamen est, ut præcedat detestatio, quæ post se trahit dolorem atque ex his sequitur propositum.

661 §. 5. Ante actus illos requisitos ad Sacramentum Pœnitentiæ ordinariè præcedunt plures alii actus, uti docent Trid. *sess.* 6. *Cap.* 6. S. Thom *p.* 3. *q.* 85. *art.* 5. Catech. Rom. *de Pœn. Cap.* 1. *n.* 3. 1. Est gratia excitans sive supernaturalis illustratio intellectus & pia motio voluntatis inducens ad pœnitendum, quâ Deus operatur in nobis sine nobis liberè operantibus. 2. Actus fidei circa necessaria creditu necessitate medii ad justificationem. 3. Timor aliquis servilis pœnæ ut infligendæ à Deo. 4. Spes veniæ & salutis per Christi merita. 5. Aliqua ad Deum conversio, quæ sit inchoata dilectio. 6. Quidam timor filialis Dei. 7. Actus supernaturalis prudentiæ dictans hìc & nunc esse pœnitendum. Neque tamen dicimus, quòd singuli hi actus sint necessarii, sed quòd ordinariè interveniant, & per illos tanquam per gradus optimè ducamur ad pœnitentiam : quinam autem ex his sint absolutè necessarii, intelligetur ex dicendis.

662 *Q.* 93. *Qualis actus debeat esse dolor, qui requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ ?* Resp. §. 1. Debet esse actus voluntarius & liber, uti fides docet contra hæreticos apud Bellarm. *l.* 2. *c.* 2. sic enim definit Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. can.* 5. *Si quis dixerit eam contritionem, &c. esse dolorem coactum & non libe[rum] ac voluntarium, anathema sit.*

663 §. 2. Debet esse honestus ; & reipsa est talis, etiam pro statu legis gratiæ, uti iterùm docet fides & *Trid.* suprà contra eosdem hæreticos apud *Bellarm.* suprà, qui dicunt nos per dolorem de peccatis impleri peccatis, ideóque nunc veniam peccatorum obtineri per solam fiduciam de remissione illorum ; sed contrà est, nam imprimis Scriptura nos admonet & provocat ad dolorem de peccatis Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Deut. 4. v. 29. *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris & totâ tribulatione animæ tuæ.* Ezech. 18. v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c. vita vivet.* Matthæi 3. v. 2. & cap. 4. v. 17. *Pœnitentiam, agite.* Marci 1. v. 15. *Pœnitemini.* Lucæ 5. v. 32. *Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam.* Lucæ 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* 2. ad Corinth. 7. v. 10. *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Deinde per pœnitentiam non intelligi inanem illam fiduciam, patet ex Jonæ 3. *v.* 9. ubi Ninivitæ pœnitentes sperabant quidem veniam attamen incerti erant, dicentes, *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus ?* Hinc etiam S. Cyprianus. *Serm. de lapsis.* ait, *Nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes.* Ratio autem est, quia Deus nullibi promisit veniam nihil agentibus, sed simul postulat actus pœnitentiæ, uti patet ex citatis locis, ergo.

§. 3. Angel. Sylv. Rosell. aliique apud Vasq. 664
q. 92. *art.* 1. *dub.* 1. putarunt ad hoc Sacramentum non requiri actualem & verum dolorem, sed sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum cum negatione actualis affectus ad peccatum, sed hanc sententiâ vocat *Vasq.* erroneam, Suar. *d.* 20 *s.* 1. *n.* 2. improbabilem & hoc tempore temerariam, Illsf. *n.* 35. prorsus improbabilem & non securam, Corduba, Beja, Sot. Canus apud Dicast. *d.* 6 *n.* 119 Item Caj. Tolet. Valent. aliique apud Moyam *tract.* 3. *d.* 5 *q.* 3. *n.* 3. putarunt sufficere, si quis bona fide putet se dolere, quamvis reipsa non doleat, sed oppositum certum esse dicit Illsf. *n.* 36. quamvis enim sic confitens excusetur à peccato, non ideò ponitur essentia Sacramenti ; unde sicuti quando *Trid.* dicit peccatorem per contritionem justificari extra Sacramentum, in Sacramento autem per absolutionem, non potest intelligi contritio vel absolutio existimata tantùm sed verè existens, ita & hìc debet verè existere, & adesse dolor. Ratio autem est, quia talis existimatio non potest dare sufficientiam vel efficaciam, quam dolor ex Christi institutione habet, ergo.

§. 4. Palud. Nav. Sà apud Dicast. *n.* 125. puta- 665
runt satis esse, si quis doleat se non dolere, sed hanc sententiam vocat etiam prorsus improbabilem & non securam Illsf. *nu.* 35. eamque rectè refutat Arr. *d.* 37. *num.* 21. Similiter quamvis aliqui dixerint sufficere quamcumque displicentiam peccati, & velleitatem non peccandi de cætero, imò licèt aliqui apud Moyam *qu.* 2. *num.* 3. putarint impediri quidem effectum Sacramenti, attamen non obesse valori, si quis sine ullo actu doloris accedat etiam sciens se per hoc peccare mortaliter dummodò se de hoc ipso peccato accuset & absolvatur, tamen hanc opinionem vocat Suar. *s.* 5. *n.* 4. improbabilem, Aversa *quæst.* 11. *s.* 1. improbabilem, & prorsus falsam ; hinc absolutè tenendum est requiri verum dolorem de peccatis, quia Concilia dicunt dolorem esse partem, nihil autem horum est simpliciter dolor. Notant tamen Arr. *n.* 22. & Dicast. *n.* 127. vix fieri posse, ut quis efficaciter doleat de carentia doloris, & reipsa non doleat, quamvis enim non experiatur sensibilem dolorem, tamen habebit spiritualem, ideóque putant ejusmodi hominem tutò accedere posse ad Sacramentum. Addit. Less. *in anct. v. Confessio casu* 1. abundanter sufficere hunc actum : ô maledicta peccata, quibus Deum meum offendi, vel quibus animam meam gratia divina privavi, & æternis pœnis obstrinxi, &c. V. dicenda *n.* 679.

§. 5. *Sylv. Rosel. Vivald. & alii* putarunt non 666
requiri dolorem formalem sed sufficere virtualem

conten-

contentum in amore Dei, quam sententiam Tamb. *de Conf. lib.* 1. *Cap.* 1. § 5. vocat probabilem. Similiter Moya *qu.* 12. dicit sufficere propositum formale non peccandi de cætero, si sit virtualis dolor: quam sententiam *Victoria* vocat probabilem: sed Amic. *d.* 12. *num.* 2. Tann. *q.* 6. *num.* 73. Dicast. *n.* 4. Platel. *num.* 63. dicunt certum esse, quod requiratur dolor formalis: Suar. *d.* 20. *sect.* 1. putat oppositum esse temerarium, Vasq. *q.* 92. *art.* 1. *dub.* 1. erroneum, quamvis Illsung. *num.* 34. dicat sententiam nostram esse tantùm communiorem & probabiliorem. Ratio autem est, quia *Florent. & Trid.* requirunt contritionem aliquam tanquam partem hujus Sacramenti, quam dicunt esse dolorem ac detestationem de peccato commisso: hæc autem omnia sonant dolorem simpliciter, & sine addito, ideóque formalem, amor enim Dei & propositum non dicuntur simpliciter dolor, sed cum addito, virtualis, ergo quamvis amor Dei super omnia, itemque propositum non peccandi de cætero conceptum ex motivo bonitatis Dei super omnia dilecti justificent hominem, tamen per illa sine dolore formali haberi non posset Sacramentum Pœnitentiæ. *Nec obstat*, quòd Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 3. dicat hunc contritionis motum omni tempore fuisse necessarium ad impetrandam veniam peccatorum, sic autem non fuerit semper necessarius dolor formalis, sed de se sufficiat amor Dei super omnia, *nam* ibi loquitur de contritione, quam præcedit cognitio peccati commissi, quæ semper est dolor formalis: hinc dicit talem dolorem ad Sacramentum requiri, qualis semper fuit necessarius illi qui ex recordatione peccati commissi fertur in Deum, quod semper fit per dolorem formalem; hinc rectè notant *Con. & Tamb.* suprà, si quis post elicitum actum amoris in Deum confessus esset & absolutus, immemor formalis doloris, non debere esse scrupulosè sollicitum, quia moraliter impossibile est, imò absolutè contingere non potest, inquit Escob. *qu.* 88. *art.* 5 ut qui peccatorum memor Deum amat super omnia, simul non detestetur peccata ut mala Deo. Et idem est de proposito non peccandi de cætero, concepto ex motivo universali bonitatis Dei secundùm se complectente etiam peccata præterita.

667 §. 6 Sot. Canus & alii apud Moyam. *sup. q.* 4. putarunt sufficere dolorem honestum & naturalem, sed hanc opinionem aliqui vocant temerariam, alii erroneam & contra fidem, alii dicunt sapere hæresim, hinc Platel. *n.* 636. dicit videri esse de fide, quod dolor ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requisitus debeat esse supernaturalis, nam 1. Trid. *supr. Cap.* 4. docet attritionem, quæ ad gratiam in hoc Sacramento disponit, esse donum Dei, & impulsum Spiritus S. ideóque etiam *sess.* 6. *Can.* 3. dixerat anathema illi, qui assereret sine Spiritus S. inspiratione & adjutorio posse hominem pœnitere, sicut oportet; ubi rationem insinuat, quia dolor disponit ad gratiam & consequenter ad salutem æternam, omnis autem propriè dicta dispositio ad salutem debet esse proportionata ad finem ultimum & supernaturalle, ergo debet esse supernaturalis. 2. *Inn XI.* damnavit hanc 57. propos. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Quæ damnatio, cùm in genere ponat attritionem naturalem intelligenda est de omni attritione naturali, quidquid contradicat *Carden.* ad istam propos. *num.* 8. putans non loqui de illa attritione naturali, quæ respiciat motivum supernaturale. Imò contra *Vasq. Bonac. Hurt. & alios*, quorum sententiam Dicast. *d.* 6. *n.* 12. vocat satis probabilem, longè probabilius est hunc dolorem debere esse in entitate sua supernaturalem, & non sufficere supernaturalem quoad modum, vel tantùm intrinsecè ratione acceptationis divinæ, quia dolor hic requirit principium supernaturale, à quo dependeat, uti pluribus probat Gorm *p.* 1. *à n.* 375. Et quamvis *Suar. Lugo, Con.* & alii putent actum in entitate naturalem, dummodò eliciatur ex gratia per Christum, posse esse etiam meritorii vitæ æternæ, quod Moya *n* 17. dicit esse probabile, tamen probabilius est oppositum, nam gratia non significat actum in se naturalem: sicuti enim si filius Regis faciat opus commune rustico, non ideò meretur præmium regale, ita si homo, etiam habens gratiam, faciat opus naturale, ad quod se per accidens habet gratia: si in illud nullum principium supernaturale influat: Hinc 3. Ad dolorem pro hoc Sacramento prærequiruntur actus fidei & spei supernaturalis, uti constat ex dictis *l.* 2. *à n.* 18. sed non aliam ob causam, nisi quia dolor debet esse in se supernaturalis, uti notant omnes cum Dicast. *n.* 17. & Stoz. *l.* 1. *p.* 2. *nu.* 19. ut nempè ex parte intellectus adsit cognitio supernaturalis & proportionata, quæ dirigat; & ex parte voluntatis motus supernaturalis & proportionatus, qui erigat, ita ut nisi præeant istæ dispositiones, principium supernaturale adjuvans non influat in dolorem, ergo. Videri possunt dicta *l.* 2. *à n.* 19. ubi explicavi, quorum objectorum fides prærequiratur. Et quæ contra ista opponi possunt, solvi *ibid. à num.* 26.

§. 7. Aliqui apud Card. *in* 1. *crisi d.* 70. *c.* 1. do- 668 cuerunt ad effectum hujus Sacramenti requiri, ut dolor sit efficax, attamen ad illius valorem sufficere, si dolor invincibiliter existimetur esse efficax, sed oppositum rectè ostendi *c.* 2. & 3. hinc absolutè dicendũ est dolorem ad valorem & effectum hujus Sacramenti requisitum debere esse efficacem, id est, debere excludere voluntatem peccandi, nam *Trid.* suprà dicit dolorem disponere ad gratiã in Sacramento obtinendam, si voluntatem peccandi excludat, ex quo colligitur non ideò dici efficacem, quòd faciat, ut nunquã ampliùs peccetur, sed quia est talis, ut quamdiù est, cum *illo* componi non possit voluntas efficax illius peccati, de quo est dolor. Ratio autem, cur talis dolor requiratur est hæc, quia alioquin homo simpliciter non convertetur à peccato ad Deum, non est autẽ credibile Deum illi remittere peccatũ, qui ab hoc simpliciter non avertitur, sed ad illud manet actualiter conversus, ergo.

§. 8. Hic dolor etiam debet esse sensibilis, non hoc 669 sensu, quòd debeat elici ab appetitu sensitivo aut sentiri in corpore, nam sufficit, quòd sit purè spiritualis & in sola voluntate habeatur, sed hoc sensu debet esse sensibilis, quòd debeat per confessionem vel aliud signum externè manifestari, uti omnes communiter docent vel supponunt cum Con. *d.* 4. *n.* 44. Laym. *lib.* 5. *t.* 6. *Cap.* 4. *n.* 4. Lug. *d.* 14. *à n.* 15. Arr. *d.* 37. *sect.* 2. Palav. *numer.* 276. contra paucos recentiores & Moyam *d.* 5. *q.* 10. *n.* 2. qui negant. Ratio nostra est, quia confessio, secundùm omnes, ut sit Sacramentalis, debet esse aliquo modo dolorosa, alioquin nec Sacerdos, qui est Judex, cognoscere dispositionem necessariam pœnitentis, nec illa ipsa confessio censeri posset vera accusatio pœnitentis. Congruentia autem est, quia hic dolor est pars Sacramenti, quod est signum sensibile pro hominibus à Christo institutum, ideóque congruebat Sacramentum quoad omnes partes, quas ponunt homines, dici signum humanum & sensibile, vel per se, vel saltem per aliquid aliud, per quod exterius innotescat; unde etiam intentio Ministri manifestari debet saltem per absolutionem, intentio autem pœnitentis per confessionem, vel aliud signum

§. 9. Dolor ad effectum hujus Sacramenti 670 requisitus debet esse universalis respectu mortaliũ, id est, debet se extendere ad omnia mortalia non remissa, nam in hac providentia non remittitur

unum mortale sine altero, quia nullum mortale remittitur sine infusione gratiæ, quæ gratia pugnat cum omni mortali, neque ullum mortale remittitur sine efficaci dolore de illo, uti dictum est *num.* 668. ergo si desit dolor de unico mortali non remisso, deest dolor requisitus ad remissionem cujuscumque mortalis.

Obji. Ad effectum hujus Sacramenti non requiritur confessio nequidem virtualis omnium peccatorum, nam si quis confiteatur furtum,& bona fide dicat se non fecisse perjurium, quamvis fecerit, per absolutionem accipit gratiam, ergo nec requiritur dolor, nequidem virtualis omnium. R.n. conf.Confessio omnium est tantùm de necessitate præcepti, & omitti potest quandoque, etiam scienter, uti dicetur *à n.* 1140. E contrà aliquis dolor sive retractatio omnium mortalium est secundùm præsentem Dei ordinationem de necessitate medii, ad hoc, ut aliquod mortale remittatur, secundùm dicenda *n.*679.

671 §. 10. Non est necesse, ut dolor ad hoc Sacramentum requisitus sit de uno motivo universali se extendente ad omnia mortalia. Suar. Dicast. *d.* 6. *dub.* 4. Avers. *q.*11. *s.* 5.& communis contra *Bonac.* & alios, quia si quis tantùm habeat peccata furti & perjurii, eliciatq; duos actus doloris ex motivis specialium honestatum, quas habent justitia & religio, habet dolorem se extendentem ad omnia sua peccata, ergo habet dolorem hoc sensu universalem, nec ratio est requirendi universaliorem: cur enim tenebitur detestari vel dolere de aliis peccatis, quæ non fecit? Itaque in hoc casu tenebitur tantùm habere propositum universale de vitandis imposterùm omnibus mortalibus, uti dicetur *à n.*898. & sic habebitur totum illud, quod ad contritionem pro Sacramento Pœnitentiæ requirit Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.*4. nempè dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, ubi per dolorem de peccato commisso satis signanter innuit non requiri dolorem absolutè universalem sed de peccatis commissis & non remissis, dummodò adsit propositum excludens omne peccatum pro futuro. Notat tamen rectè Dicast.*n.* 63. si prudenter timeat, ne etiam alia peccata habeat, teneri ad dolorem absolutè universalem, ne exponat Sacramentum periculo saltem carendi suo effectu.

Obji. S. Th. 3. *p. q.* 86. *a* 3. *in O.* ait. *Non potest esse verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet & non de alio.* R. Ait de pœnitentia, quæ extra Sacramentum sit, tractat enim ibi de virtute pœnitentiæ, & posteà prius in *q.* 90. tractat de Sacramento.

672 *Q.* 94. *An Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe ratione doloris se non extendentis ad omnia mortalia?* Resp. Negant Vasq.Con.Laym. Sà, Turr. Fagund. Castrop. Jo. Sanch. Martinon, Amic. *d.* 12. *s.* 6. Arr. *de Sacram. d.* 13. *sect.* 2. Palav. *Cap.* 31. Moya *d.* 5. *q.* 2. *n.* 6. Mlodz *d.* 6. *q.* 2. Gormaz *p.* 2. *n.* 284. Platel. *n.* 720. Haun. *lib.* 4. *n.* 996. Spor. *n.* 263. Todtf. *q.* 97. sed probabiliùs affirmant plurimi antiqui, quos refert & sequitur Avers. *qu.* 14. *sect.* 5. Sequuntur Thomistæ communissimè cum Gonet. *d.* 10. *art.* 1. Item Henriq.Suar. Tolet. Tann. G. Hurt. Valent. Fill. Lugo, Bonac. cum Dicast. *d.* 6. *n.* 84. Item Perez, Salas, Escob. August. Laurentio *in Syntagm.t.*2.*tr.* 3. *d.* 3. *n.* 104. Accedunt Rosmer. Carden. *in* 1. *crist d.* 70. *c.* 1. & 2. aliique recentiores communissimè cum Gob. *in Exp. t.* 6. *n.* 177 Illf. *n.* 49.& hanc sententiam vocat in praxi probabilissimam Dian.*p.*3. *tr.* 4. *R.* 65. *Probatur* 1. authoritate, nam in illis, quæ pendent à voluntate Dei, multum ponderis habet judicium plurium & graviorum Authorum, atqui pro nostra sententia stant plures & graviores, uti certum est, probatque *Dicast.* suprà vix ullum esse contrarium ante tempora *Vasq.*quem reliqui sunt secuti. Accedit, quòd pro nostra sententia videtur esse etiam S. Th. *in sup.q.*9.*art.*1.ubi quærit,an confessio possit esse informis, *& in O.* sic habet, *Confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus,quia potest peccata sua pandere Sacerdoti & clavibus Ecclesiæ se subjicere,& quamvis tum non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis est.* Cùm autem dicat Sacramentum recedente fictione reviviscere, supponit fuisse validum, non cum defectu omnis contritionis, nam paulò ante dixerat aliquam contritionem esse partem Sacramenti, sed cum defectu contritionis alioquin requisitæ ad effectum Sacramenti, quæ nempè se extenderet ad omnia mortalia non remissa.Gratis autem dicit Gormaz *n.*479. S.Th. posteà retractasse illam suam sententiam, nam nec verbo ullibi hoc insinuat.*Prob.*2. ratione,nam si quis commiserit grave furtum & perjurium, ac post diligens examen non occurrat illi nisi furtum, si de hoc doleat propter honestatem virtutis justitiæ & confiteatur bona fide dicens se nullum aliud peccatum habere, sicque absolvatur,Sacramentum non causat gratiam, uti certum est ex dictis *n.* 670. cùm enim unum mortale non remittatur sine altero,& mortale perjurii non retractetur,hoc mortale est obex, quominus causetur gratia, ergo Sacramentum in hoc sensu est informe, quia non causat formam gratiæ. Hoc non obstante videtur hoc Sacramentum esse validum, quia nulla pars essentialis ipsi deest: non confessio, nam integrè est confessus, quidquid occurrebat memoriæ. Nec absolutio, uti supponitur. Neque dolor, quia habet dolorem de furto, eumque manifestat per confessionem furti, dolor autem de perjurio non est pars hujus Sacramenti, quia ille solus dolor est pars Sacramenti, qui per hanc confessionem potest fieri sensibilis, ut enim sit pars Sacramenti, debet esse sensibilis, secundùm dicta *n.* 669. & suppono per nihil aliud hìc & nunc fieri sensibilem,atqui dolor de perjurio,quamvis adesset,non potest fieri sensibilis per hanc confessionẽ, ergo. *Prob. min.* dolor de perjurio non imperat hanc confessionem, nam pœnitens expressè & invinciliter dicit se non habere aliud peccatum, quod velit confiteri, atqui confessio non potest dolorem de perjurio reddere sensibilem, nisi hic dolor imperet, ergo. *Prob. min.* Confessio per hoc tantùm dicitur facere dolorem sensibilem, quòd sit & censeatur esse effectus causatus à dolore, effectus autem manifestet suam causam, ergo talis dolor,quamvis adesset, non fieret sensibilis per hanc confessionẽ, ergo non est pars hujus Sacramenti. *Nec obstat*,quòd hic dolor requiratur ad effectum hujus Sacramenti, secundum dicta *n.* 670. nam non ideò est pars hujus Sacramenti,si enim adsit & nullo signo fiat sensibilis, non est pars Sacramenti, uti adversarii fatentur, & tamen est necessarius ad effectum Sacramenti, uti omnes docent, ergo aliud est requiri ad effectum, aliud esse partem Sacramenti. *Conf.* nam si quis suscepisset Baptismum sine dolore de perjurio ante Baptismum commisso, & post Baptismum commisisset furtum, tumque doleret de perjurio ex motivo religionis, de furto autem ex motivo justitiæ, sicque confiteretur furtum, dolor de perjurio esset quidem necessarius ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ut nempè per illud causaretur gratia, attamen non esset pars Sacramenti Pœnit. quia sicuti perjurium ante Baptismum commissum non est materia Sacramenti Pœn. ita nec dolor de illo est pars hujus Sacram. sed tantùm conditio & remotio obicis, gratiæ, ergo manifestum est,quòd non omnis dolor,qui requiritur ad effectum Sacramenti Pœn.sit pars illius Sacramenti.

673 *Obji.*

673 *Obji.* 1. Trid. *seſſ.* 14. *de Pœnit. c.* 5. ſic habet, *Conſtat nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut poſtquàm quis diligentius ſe excuſſerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum mortaliter offendiſſe meminerit, reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione, incluſa eſſe intelliguntur*: Ergo mortalia, quæ non occurrunt, debent intelligi incluſa, ſed certum eſt illa non includi hac confeſſione, quæ nullo modo per dolorem retractantur, ergo talis confeſſio, & talis dolor non eſt ille, qui ad valorem hujus Sacramenti requiritur. *Conf.* nam Trid. *ibid. Cap.* 3. *& Can.* 4. dicit dolorem, quatenus in pœnitente ad plenam, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiritur, hac ratione Pœnitentiæ partem dici, ergo dolor, qui requiritur ad effectum Sacramenti, eſt pars Sacramenti, & ad ejus valorem requiritur. Reſp. cum Averſa *ſ.* 6. *Trid.* utroque loco dicere, quod per ſe eſt & ordinariè contingit, explicat enim modum ordinarium, qui eſt & procurari debet pro juſtificatione peccatoris, ſolet autem, & per ſe loquendo requiritur, ut dolor ſe extendat ad omnia non remiſſa ne impediatur effectus Sacramenti, ſecundùm dicta *n.* 671. De cætero Trid. abſtrahit ab illo, quod per accidens eſt, & rarò contingit ratione doloris bona fide non extenſi ad aliqua peccata, nec ullibi negat hunc dolorem ita reſtrictum obeſſe valori.

674 *Obji.* 2. Confeſſi furti non eſt valida, niſi adſit propoſitum cavendi omne mortale, ſed propoſitum cavendi omne mortale eſt ſufficiens dolor etiam de perjurio, ergo. Reſp. n. min. quia licèt ſe extendat ad omne mortale tanquam fuga pro futuro, non tamen tanquam retractatio omnis peccati præteriti, uti hìc ſupponimus; & ratio eſt, quia poſſet quis proponere nunquam pejerare impoſterùm, & tamen non dolere de perjurio præterito, quod ſibi fuiſſet ſpecialiter utile.

Inſt. Saltem propoſitum univerſale cavendi etiam perjurium ſit ſufficienter ſenſibile per confeſſionem ſolius furti, ergo etiam dolor de perjurio, ſi adeſſet, fieret ſufficienter ſenſibilis. Reſp. n. conſ. diſparitas eſt, quòd pœnitens judicet, & Sacerdos ſciat propoſitum univerſale cavendi omnia in poſterum, eſſe neceſſarium ad reconciliationem cum Deo, & Pœnitens non dicat ſe illo carere, confeſſio autem manifeſtat deſiderium iſtius reconciliationis, & conſequenter in his circumſtantiis etiam ſufficienter manifeſtat propoſitum univerſale cavendi omnia impoſterùm, adeóque etiam cavendi perjurium: è contrà hìc pœnitens non judicat dolorem de perjurio eſſe neceſſarium ad reconciliationem, nec Sacerdos poteſt prudenter ſuſpicari ipſum habere dolorem de perjurio, ſed potiùs judicare debet oppoſitum, cùm bona fide dicat ſe non habere aliud peccatum, ergo per confeſſionem furti non ſufficienter manifeſtat dolorem de perjurio.

675 *Obji.* 3. Sacramentum Pœnitentiæ requirit voluntatem efficacem reconciliationis cum Deo, eſt enim inſtitutum ad hanc obtinendam, ſed hæc voluntas non poteſt eſſe ſine dolore ſaltem virtuali de omni peccato, utpotè contrario iſti reconciliationi, ergo. Reſp. *Averſa* dicit non eſſe opus velle reconciliationem adæquatam, ſed ſatis eſſe velle reconciliationem reſpectivè ad hæc peccata ſive remiſſionem horum peccatorum: ſed data maj. n. min. qui enim efficaciter decernit poſt horam dolere de peccatis & confiteri, habet voluntatem efficacem reconciliationis cum Deo, neque tamen ideò jam habet dolorem: cujus ratio à priori eſt, quia licèt intentio efficax finis ſit voluntas virtualis applicandi media, tamen non ideò eſt ipſa actualis applicatio mediorum, & multò minùs eſt ipſe finis intentus, ergo quamvis intentio efficax reconciliationis ſit voluntas eliciendi dolorem, non ideò eſt ipſe dolor.

Obji. 4. Deteſtatio omnium mortalium eſt me- 676
dium unicè neceſſarium ad remiſſionem furti, ergo quia hic confitens vult remitti furtum, etiam virtualiter vult remitti omne mortale, qui enim vult finem vult medium unicè neceſſarium ad finem, ergo licèt deteſtatio furti non habeat connexionem cum deteſtatione perjurii in ratione motivi, tamen habet connexionem in ratione medii. R. Habet connexionem in ratione medii, id eſt, intendit deteſtationem perjurii tanquam medium ad remiſſionem furti, tranſeat, hoc ipſo habetur deteſtatio perjurii; n. conſ. ſupponimus enim non adeſſe deteſtationem perjurii ſed ſolius furti.

Q. 95. *An aliter poſſit Sacramentum Pœnitentiæ* 677
eſſe validum & informe ratione doloris vel ob aliam cauſam, & quid tum ſit dicendum? R. §. 1. Suar. *d.* 20. *ſ.* 4. *num.* 26. aliique cum Laurentio *ſuprà num.* 210. *&* 225. Putant dolorem bona fide dimidiatum non obſtare valori hujus Sacramenti, ſicuti non obſtat confeſſio bona fide dimidiata: hinc dicunt cum Lug. *d.* 14. *num.* 89. adhuc fore validum hoc Sacramentum, ſi quis accedat cum dolore particulari de furto, omiſſo omni dolore de perjurio etiam confeſſo, eò quòd invincibiliter putaret ſufficere dolorem de furto, quia memoria perjurii videtur ſe habere per accidens ad obligationem doloris de illo, ſuppoſita ignorantia invincibili de obligatione talis doloris. Idem dicunt aliqui, ſi omitteret dolorem de perjurio, invincibiliter putans eſſe tantùm veniale, aut ſi ideò de perjurio doleret tanquà de veniali ex metu ſolius Purgatorii. *Nec obſtat*, quòd dolor efficax & debitus de his peccatis, fieret ſenſibilis, ſi reverà adeſſet: *nam* non ideò iſte determinatè dolor eſt pars eſſentialis hujus Sacramenti, nam dolor de venialibus, quæ quis confitetur cum mortalibus, etiam ſit ſenſibilis per confeſſionem illorum venialium, neque tamen eſt pars eſſentialis illius Sacramenti, ſed pars eſſentialis eſt tantùm indeterminatè hic vel ille dolor de peccato confeſſo, ſicuti pars eſſentialis hujus hominis eſt hæc vel illa indeterminatè materia. Ita illi probabiliter, & conſequenter.

§. 2. Probabile eſt in his caſibus dari poſſe Sa- 678
cramentum Pœnitentiæ validum & informe. 1. Si pœnitens habens, v. g. furtum & perjurium, de furto tantùm doleat, illudque confiteatur, inculpabiliter non cogitans de perjurio. 2. Si ſciens furtum eſſe mortale, de hoc doleat ex ſpeciali motivo juſtitiæ, & putans perjurium eſſe tantùm veniale, de hoc doleat ex metu ſolius Purgatorii, ſed non confiteatur illud. 3. Si agnoſcens utrumque eſſe mortale, etiam utrumque confiteatur, de uno efficaciter dolens, de altero inefficaciter, attamen invincibiliter putans ſe de utroque efficaciter dolere. 4. Si utrumque mortale agnoſcens, utrumque confiteatur, dolens de uno non de altero, bona fide putans hunc alterius dolorem non requiri. 5. Si adultus poſt commiſſum mortale, ſine dolore de hoc mortali ſuſceperit Baptiſmum, & poſteà peccet mortaliter vel venialiter, hocque peccatum confiteatur cum debito dolore. Videri poteſt Dicaſt. *d.* 6. *n.* 251. ubi intendit confeſſionem etiam de ſolis venialibus poſſe eſſe validam & informem.

§. 3. Si quis ſibi conſcius de furto & perjurio 679
gravi, ſcienter omittat dolorem de alterutro peccato, certum eſt Sacramentum fore invalidum, nam ut valeat, debet adeſſe talis dolor & tale propoſitum, vi cujus ille, qui confitetur, denominetur ſimpliciter Pœnitens, ſed ſi ille, qui mala fide omittat dolorem de perjurio, confitetur,

non potest nec per dolorem de furto nec per præsens propositum denominari simpliciter pœnitens, ergo. *Prob. min.* Dolor, qui denominat simpliciter pœnitentem, debet excludere voluntatem actualem peccandi, sed hanc non excludit iste dolor, nam actualiter peccat, uti supponitur: nec talis habet propositum universale non peccandi, cùm actu peccet, ergo nec per tale propositum potest denominari simpliciter pœnitens. Et consequenter quandocunque aliquis actu mortaliter peccat in confessione, uti si scienter sine causa omittat mortale, aut accedat sine debito examine, tale Sacramentum semper est invalidum, quidquid contradicant aliqui apud Dicast. *d. 9. dub.* 13. & cum Gob. *t. 7. num.* 278. qui putant tum posse esse validum & informe. Similiter certò est invalidum, si quis etiam bona fide accedat sine ullo dolore, aut sine dolore supernaturali vel efficaci, quidquid iterùm contradicant aliqui apud Lug. *n.* 69. Averf. *f.* 7. Gorm. *n.* 297. Quòd si Sacerdos intenderet pœnitentem ritè dispositum absolvere ab aliquibus tantùm & non ab omnibus mortalibus, si hæc ipsius intentio prævaleat, id est, si absolutè nolit absolvere, nisi per absolutionem remittatur unum mortale sine altero, Sacramentum non est tantùm informe sed prorsus invalidum, uti rectè Gorm *n.* 285. quia non habet intentionem conformem institutioni Christi, qui voluit non remitti unum mortale sine altero: si tamen prævaleret intentio faciendi hoc, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, Sacramentum esset validum & formatum.

Obj. S. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 4. videtur quòd Sacramentum possit esse validum, etiamsi etiam scienter aliquis omittat omnem dolorem internum, ita enim habet: *Confessio potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere & clavibus Ecclesiæ se subjicere, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, sicut etiam est & in aliis Sacramentis, inde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodùm fictionem suam confiteri.* Rationem dat Author libelli, cui titulus, *Pentalogus diaphoricus num.* 3. & 22. quia dolor prout est internus, sic est tantùm dispositio, prout autem est absolventi externè manifestatus, sic tantùm est materia Sacramenti, sive, contritio cordis est dispositio tantùm, contritio oris est materia, ergo quamvis desit contritio cordis, potest Sacramentum esse validum, quia non deest materia Sacramenti sed tantùm dispositio, actualis autem susceptio Sacramenti supplet sufficientiam dispositionis, faciendo quòd Deus sit tali insufficientia contentus. R. & contrà est 1. nam *Concil. Florent.* relatum *nu.* 538. dicit *cordis contritionem* esse materiam hujus Sacramenti, sicuti materia est *oris Confessio.* Similiter Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 3. ait. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio.* 2. Quamvis dolor internus dicatur esse dispositio, tamen requiritur ad valorem Sacramenti, cùm sine illo nemo sit verè pœnitens: etiamsi autem dicatur esse materia prout manifestatus, nihil ad rem facit, attamen ad valorem requiritur, ut adsit, imò manifestari non potest, si non adsit. 3. Sensus communis fidelium & praxis Ecclesiæ est, ut quando confessio est sacrilega, censeatur invalida, ideóque fideles repetunt peccata in ea exposita, ita enim etiam præscribit Catech. Rom. *de Sacr. Pœn. c.* 9. Si quis peccata confessus sit præmisso negligente examine, *confessionem iterare omnino oportebit*, ergo similiter si confessus sit sine interno dolore, confessio est invalida, licèt utrobique negligatur aliquid merè internum. *S. Th.* intelligi debet de pœnitente, qui apud eundem Confessarium posteà confitetur fictionem, hoc ipso enim censetur iterùm sufficienter repetere suam confessionem: & in praxi pro securitate agendum est, ut in genere iterùm se accuset de illis peccatis, secundùm dicenda *n.* 1216.

§. 4. Quando Sacramentum Pœnitentiæ fuit in- 680
validum, nunquam reviviscit, quia non extitit. E contrà si fuit validum & informe, posteà sublato obice reviviscit ad causandam gratiam, uti explicatum est in *par.* 1. *à n.* 201. Et per talem Confessionem quamvis informem satisfit præcepto Confessionis annuæ, nec posteà est obligatio repetendi peccata in tali confessione explicata, sed tantùm omissa, uti suis locis dicetur.

Q. 96. *Quid addendum sit circa dolorem, si quis* 681
confiteatur sola venialia: R. Seqq. §. 1. Dolor sufficiens pro remissione venialium in Sacramento, debet esse honestus, verus, formalis, supernaturalis, sensibilis, & efficax respectu alicujus saltem venialis, uti constat ex dictis *à n.* 663. si cum proportione applicentur rationes ibi adductæ: unde licet non sit obligatio confitendi venialia, tamen si quis confiteatur, deber habere illa, quæ requirit valor & effectus hujus Sacramenti, Averf. *q.* 11. *f.* 1. Dicast. *d. 6. dub.* 15. *Dixi*, respectu alicujus saltem venialis, nam communis & certa sententia est, non esse opus, ut dolor se extendat ad omnia venialia, quorum aliquis sibi conscius est, cùm enim non sit obligatio ea confitendi, sed possint aliter remitti, neque sint obex gratiæ, & possit unum remitti sine altero, planè nulla ratio est, cur pœnitens necessariò habere debeat dolorem universalem de omnibus.

§. 2. Rejiciendæ sunt sequentes opiniones. 1. 682
Dilgaldilli apud Moyam *d.* 5. *q.* 5. *n.* 3. qui dixit ad confessionem venialium nullum requiri dolorem: oppositum enim certum esse dixit Arr. *d.* 38. *num.* 9. Leander apud Moyam *num.* 20. dicit esse certissimū, & constat ex dictis hactenùs, quia Concilia dicunt dolorem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ. 2. *Zanardi, Tancredi* & aliorum apud Moyam *num.* 14. qui dixerunt sufficere dolorem virtualem, nam *nu.* 666. ostensum est oppositum. 3. Eorum, qui dicunt sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum sine actuali affectu ad ista venialia, quæ confitetur, quorum sententiam vocat non improbabilem Præpos. & Tamb. *de Conf. l.* 1. *c.* 3. §. 1. tuetur ut probabilem, sed meritò contradicunt alii communiter cum Stoz. *l.* 1. *p. n.* 73. quia secundùm dicta *nu.* 664. hæc voluntas suscipiendi Sacramentum non est reipsa dolor. 4. *Gran.* & aliorum apud Moyam *num.* 1. qui putarunt sufficere quamcunque displicentiam, nam ex dictis *n.* 665. satis constat oppositū. 5. *Fabri Patavini* apud Dic. 255. qui dixit non fore mortale, si quis confiteretur sine ullo dolore venialium, eò quòd non videatur esse gravis irreverentia frustrare Sacramentum in materia levi: sed contrà est, quia hic gravitas materiæ non debet desumi à materia confessionis, sed ab ipso Sacramento, cujus irritatio semper est res gravissima, uti rectè Lug. *d.* 14. *num.* 110. Arr. *à n.* 11. & constat ex dictis *p.* 1. *num.* 40.

§. 3. Sacramentum Pœnitentiæ potest habere 683
valorem & effectum, quamvis dolor non extendat se ad omnia venialia, quæ quis confitetur, Suar. Henriq. Vasq. Hurt. Fagund. Lugo *num.* 118. Arr. *d.* 31. *num.* 53. Dian. *p.* 11. *t.* 5. *R.* 22. Dicast. *num.* 286. Moya. *q.* 6. Stoz. *num.* 66. Palav. *num.* 286. Bosco *d.* 7. *f.* 4. *à n.* 162. Sporer *num.* 96. contra Castrop. *t.* 23. *p.* 7. *num.* 14. & alios apud Suar. *d.* 20. *f.* 6. *n.* 7. qui dicunt per hoc peccari mortaliter, adeóque invalidari

validari Sacramentum : quam opinion Gonet.*d.7.n.* 77. putat esse improbabilé, sed Dic.*n.*265.& Gor.*p.*1*n.* 487.dicunt esse satis probabilé. Ratio nostra est, quia cùm non si obligatio confitendi venialia , & possit unum per absolutionē remitti sine altero, etiā potest esse dispositio ad absolutionem unius & non alterius , ergo etiam poterit unum,de quo dolet,remitti sine altero,de quo non dolet, quamvis utrumq; confiteatur. *Conf.*1.ex Haun.*l.*4.*n.*1000.nam ad veniam ab offenso impetrandā duo requiruntur & sufficiunt,primum est velle efficaciter illius amicitiam, alterum est efficaciter excludere illud,cujus veniam petimus,hæc autem possunt haberi,licèt quis efficaciter non excludat omnia venialia , quæ confitetur , dummodò aliqua excludat,ergo. 2.ex *Palav.*suprà ; nam si hoc esset mortale,homines timorati meritò deterrerentur à confessione venialium : nam facilè fit , ut inter ea sit aliquod , de quo efficaciter non doleant.

684 *Obji.* 1. Peccatum, de quo non doles,est materia inepta absolutionis , sed materiam ineptam subjicere formæ Sacramenti est peccatum mortale , uti si quis hostiis triticeis consecrandis misceat avenaceam, ergo peccatis , de quibus doles, miscere aliquod, de quo non doles , etiam est peccatum mortale. Resp. minorem esse universaliter veram , nam parum vini miscere aquæ pro Baptismo,item aliquot grana avenacea miscere tritico pro hostiis ; esset ad summum veniale , uti rectè Suar. *d.* 22.*s.* 10. *n.*8. Lugo *suprà.* Admitto tamen fore mortale , inter triticeas hostias consecrandas miscere avenaceam , sed nego paritatem in peccato veniali , de quo non doles, mixto reliquis, de quibus doles. Disparitatem dat Dicast.*nu.* 284. quòd in consecratione tot physicè fiant Sacramenta , quot sunt hostiæ , unaquæque autem hostia est materia æquè gravis , quàm prout physicè divisam afficit forma. E contrà per absolutionem multorum peccatorum fit unicum Sacramentum , quod sufficienter salvatur in unico veniali. Disparitatem illam melius explicant Suar. *suprà* & Lug.*num.* 121. quidquid contradicant Arr. *à n.* 56.Dicast. *à n.* 270. quia nempe verba consecrationis diriguntur ad materiam , quam absolutè determinant & demonstrant per Tò *hoc*, & de singulis hostiis dicunt esse Corpus Christi , ergo si supponatur materia non vera nec apta fieri Corpus Christi , forma sit falsa. E contrà verba absolutionis non diriguntur ad peccata , sed ad pœnitentem , & indirectè tantùm ac in confuso attingunt peccata, dicendo,quantùm in me est, remitto tibi peccata : quod manet verum, licèt ex dispositione pœnitentis aliquod peccatum non remittatur , dummodò causetur gratia , & peccatum , de quo dolet , remittatur. Aliam disparitatem dat Gor. *p.* 1. *à n.* 489. quia hostia avenacea non apponitur ad alium finem , nisi ut consecretur , hinc consecratio cadit super eam : è contrà peccatum , de quo non dolet , non ideò in confessione dicitur , ut absolutio super illud cadat , sed dicitur vel ad humiliatem seu confusionem sui , vel ad manifestandam magis conscientiam, sicuti etiam in confessione manifestari possunt habitus mali & propensiones inordinatæ , confessio enim etiam est ad regimen conscientiæ & ad secutam vitæ directionem , uti habet Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 8. unde intentio pœnitentis vel absolventis non est, ut absolutio cadat super talem veniale , sed tantùm , ut cadat super ea , de quibus pœnitens dolet , uti notavit etiam Arr. *n.* 58.

685 *Obji.* 2. Confitens peccatum , exercitè dicit se dolere de eo , & velle absolvi , ergo si non doleat, & consequenter nolit absolvi , mentitur , ergo irritat Sacramentum. Resp. n. ant. Illo tamen dissimulato , & dato , quòd mentiatur , mendacium est circa rem levem , & circa materiam liberam confessionis , ergo ad summum peccatur venialiter , nec ideò irritatur Sacramentum , dummodò maneat dolor de alio veniali. *Dixi.* , dato, nam licèt ille, qui confitetur veniale , expressè nolens dolere de illo , videatur leviter mentiri , tamen si in genere dolens saltem de gravioribus , in fine dicat , de his & omnibus peccatis meis doleo , non videtur mentiri , quia non vult aliud significare,nec aliter eum intelligit Confessarius , quàm quòd doleat de omnibus illis, à quibus nunc vult & potest absolvi : hinc,

§.4. Quamvis confitearis multa venialia, ad valorem & fructum Sacramenti satis est,si doleas & te accuses de uno graviore,vel de frequentia illorum,est enim specialis inhonestas in gravioribus vel in consuetudine eorum , & propterea potes dolere, Lugo, Tancredi,Verric.Tamb.apud Moyam *q.*5.*n.*27.Spor. *n.*97.Si quis tamen advertat se non dolere de aliquo veniali, melius facit omittendo illius confessionem : imò secundùm *Suar.*confitens illud peccat venialiter, quamvis oppositum videatur Arriagæ *n.* 55. 686

Quale requiratur propositum circa venialia, dicetur *à n.* 902. Quandonam autem dolor de venialibus censeatur revocari dicetur *à n.* 715.

*Q.*97.*Quomodo dolor debeat se habere ad Confessionem & absolutionem ?* Resp. §.1. Lug. *d.*14.*sect.* 4. Aversa *q.* 11. *s.* 1. Regin. *l.* 5. *nu.* 54. Tamb. *de Confess. l.* 1. *c.* 2. §. 3. Gob. *tr.* 6. *n.* 155. Spor. *nu.* 288. Moya *d.* 5. *q.* 9. *n.* 14. Illi. *n.* 40. & alii putant non requiri , ut dolor sit elicitus ex intentione confitendi , sed satis esse , quòd per consequentem voluntatem eò referatur , quamvis non renovetur , quod Arr. *d.* 37. *n.* 17. putat esse certum. E contrà Præp. Bonac. Dicast. *d.* 6. *dub.* 13. aliique plurimi , teste Stoz. *l.* 1. *p.* 2. *n.* 53 probabiliùs dicunt debere elici ex intentione confessionis , quia aliàs non est actio Sacramentalis , ergo non censebitur subjici formæ tanquam pars materialis & determinanda , sicuti ablutio facta sine intentione baptizandi , quamvis immediatè post referretur ad Baptismū , & adderetur forma , non esset actio Sacramentalis nec pars Baptismi. *Si dicas* ablutionem esse actionem Ministri , qui nomine Christi agit , ideóque specialiter debere poni ex intentione Sacramenti. *Contrà est*, nam ad actionem suscipientis etiam requiritur intentio Sacramenti , si enim ordinandus poneret contactum materiarum sine intentione Sacramenti,non ordinaretur validè. Et idem est de illo , qui posuisset confessionem sine intentione absolutionis , uti fatetur Lugo *n.* 45. quidquid videatur contradicere Amic. *d.* 12. *à n.* 64. 687

Obji. 1. Dolor & propositum sunt voluntas implendi omne præceptum, ergo cùm detur præceptum confitendi , sufficienter erunt voluntas confitendi. R. n. cons. nam sæpè elicitur dolor de peccatis, de quibus confitendis non est præceptum , qualia sunt venialia aut mortalia antehac confessa , ergo dolor secundum se censetur aliquid indifferens ad confessionem. Docet tamen probabiliter Palav.*n.*278.*fi* dolori conjunctum sit desiderium justificationis , tum adesse sufficientem intentionem confitendi mortalia necdum remissa , quia confessio est *vel* in se vel in voto medium necessarium ad veniam de his peccatis obtinendam. Et idem posset concedi de dolore circa mortale necdum remissum. 688

Obji. 2. Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 4.plùs non requirit ad dolorem , qui sufficiat,quàm ut sit cum spe veniæ & excludat omnem voluntatem peccandi,ergo malè requirimus,ut ponatur ex voluntate confitendi. R.n.ant.nam *I.* vocat doloré in Sacramento, non est autem in Sacramento , nisi eliciatur ex intentione Sacramenti. 689

Sacramenti. 2. Dicit illi debere esse conjunctum votum præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, inter quæ est confessio, ergo si non adsit votum sive intentio confitendi, non est ille dolor, qui secundùm *Trid.* requiritur ad justificationem per Sacramentum.

690 *Obj.* 3. Dolor de peccatis antecedens Baptismum sine ulla relatione ad Baptismum sufficit ad effectum Baptis. ergo similiter hìc. R. n. cons. 1. quia dolor non est pars Baptismi, hinc non est opus, ut per ejusmodi relationem accipiat rationem actionis sacramentalis, quam habere debet dolor, qui est pars Sacramenti Pœnitentiæ. 2. Quia dolor ante Baptismum semper refertur ad Baptismum, cùm sit illius votum, non ita semper refertur dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ, uti dictum est *n.* 688.

691 *Obj.* 4. Species panis & vini sunt partes Sacramenti Eucharistiæ, neque tamen opus est eas producì ex intentione Sacramenti, ergo idem est hìc. R. Species sunt partes per modum actionis humanæ & transeuntis, n. per modum rei antecedenter productæ & permanentis, quæ secundùm se perdurans posteà constituit Sacrementum, c. ant. & n. cons.

692 *Inst.* 1. Peccatum, ipsum est actio humana & transiens pœnitentis, simulque pars Sacramenti Pœnitentiæ, quòd deficiente solo peccato non existeret, neque tamen opus est, ut sit positum cum intentione confitendi, ergo nec hoc opus est de dolore. R. n. cons: peccatum non est actio Sacramentalis, cùm non ponatur ex institutione Christi, sed tantùm supponatur tanquàm materia destruenda: dolor autem est actio sacramentalis ex institutione Christi ponenda.

693 *Inst.* 2. Satisfactio est ex institutione Christi pars Sacramenti Pœnitentiæ, ponenda per modum actionis humanæ & transeuntis, & tamen opus non est eam poni cum reflexione ad Sacramentum Pœnitentiæ, ergo similiter de dolore. R. 1. Si argumentum valet, ergo nequidem opus est dolorem referri ad confessionem per voluntatem consequentem, nam secundùm Adversarios, satisfactio manet impleta, licèt nunquam cogitem de illa ad Sacramentum susceptum referenda. R. 2. Dato ant. n. cons. quia satisfactio est tantùm pars integralis. *Dixi*, dato ant. nam *n.* 1286. dicam debere persolvi ex aliqua intentione satisfaciendi pro illa.

694 *Inst.* 3. Si Cajus dicat Bertæ, accipio te in meam, Berta autem reponat, & ego accipio te in meum, valet Matrimonium, quamvis Berta intentionem Matrimonii necdum habuerit, quando Cajus dicebat, accipio te in meam, ergo non est opus, ut intentio suscipientis Sacramentum tum adsit, quando ponitur actio, quæ ex institutione Christi est pars essentialis Sacamenti. R. 1. n. cons. nam suscipiens hìc est, non tantùm Berta, sed etiam Cajus, intentio autem Caii debuit tum adesse, & hoc sufficiebat, ut actio illa fieret sacramentalis, sub conditione, si Berta mutuò consentiret. R. 2. Quamvis hoc non teneret in Matrimonio, in quo Christus non immutavit naturam contractus humani, inde nihil inferri posset ad alia Sacramenta, quæ non sunt contractus, & in quibus Christus voluit actiones suscipientis fieri sacramentales per ipsius intentionem.

695 *Obj.* 5. Odium morbi causat sumptionem medicinæ, ergo similiter dolor de peccato causat voluntatem illud confitendi, ergo dolor, connaturaliter loquendo, est prior quàm voluntas confitendi, ergo dolor non debet procedere ex voluntate confitendi. R. data 1. & 2. sequela n. ult. quamvis enim dolor de peccato connaturaliter causet voluntatem confitendi, tamen ut ille ipse dolor sit sacramentalis, debet poni ex aliqua alia priore voluntate confitendi: estque etiam omninò connaturale, ut eadem voluntas pœnitendi imperet, & dolorem, & confessionem.

§. 2. Quamvis concederemus, quòd sententia dicens non requiri, ut dolor sit elicitus ex intentione confitendi, esset probabilior, tamen ejus praxis foret illicita, & damnata est ab *Innocentio XI.* in 1. propositione, nam hìc agitur de valore Sacramenti, ergo cùm sententia illa non sit certa, nostra, quæ tutior est, debet in praxi teneri, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. 696

§. 3. Dolor debet præcedere absolutionem, uti tenent omnes cum Lug. *n.* 17. Arr. *n.* 7. Moya. *q.* 10. *n.* 3. Dicast *d.* 6. *nu.* 133. Stoz. *n.* 47. Ratio est 1. quia peccator sine dolore non censetur pœnitens, nec dispositus ad remissionem peccati, ergo absolutio frustraretur. 2. Quia Christus voluit, ut Sacerdos tanquam Judex, ad absolutionem dandam moveretur per confessionem, & dolorem pœnitentis, ergo debent præcedere. Putant quidem Tamb. Rasserus, Gob. *n.* 54. Sporer *n.* 297. probabiliter sufficere, si dolor eliciatur sub absolutione, dummodò ante finem illius, sed Lugo *n.* 48. dicit talem dolorem non sufficere, monentque reliqui A. id cavendum esse, quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. 697

§. 4. Dolor sufficit, quamvis priùs post Confessionem eliciatur: Ita Nav. Tolet. Vasq. Hurt. Dian. Bonac. Fagund. Lohn. Suar. *d.* 20. *s.* 4. *n.* 31. Aversa. *q.* 11. *s.* 1. Lugo *d.* 14. *s.* 2. Arr. *s.* 2. Amic. *d.* 22. *s.* 4. Tamb. §. 4. Haun *l.* 4. *n.* 995. Bosco *d.* 7. *s.* 4. *n.* 96. Platel. *n.* 943. Illsf. *n.* 41. Spor. *à n.* 292. Gob. *n.* 149. Moya *n.* 1. qui citat plures alios: item Abelly. *p.* 2. *t.* 1. *c.* 1. *s.* 10. dicens esse in praxi tutum. Est autem contrà Con. *d.* 4. *dub.* 6. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 4. *nu.* 4. Castrop. *t.* 23. *p.* 7. *n.* 11. Bonæsp. *d.* 5. *n.* 13. Ochagav. apud Aversa. suprà. Ratio est, quia nihil obstat, uti patebit ex solutione objectionum. Et *Conf.* ex praxi Confessariorum, qui prout faciendum esse monet Rituale Romanum, De ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ §. 12. audita confessione conantur efficacibus verbis adducere pœnitentes ad dolorem, neque tamen ideò jubent iterùm confiteri. Item ex praxi fidelium, qui sæpè per multos dies continuant confessionem generalem, dolore ad ultimum diem dilato, contenti, si eliciant ante absolutionem 698

Obj. 1. Si confessio non procedat ex dolore; ergo non erit sacramentalis: nec reconciliativa, sed habebit se sicut narratio historica. R. n. seq. nam manifestè differt à narratione historica per hoc, quòd fiat ex voluntate habendi absolutionem, per quam obtinetur remissio peccatorum; & per hoc etiam sufficienter dicitur reconciliativa; imò quamvis dolor præcederet, adhuc possunt peccata merè historicè narrari, si quis ea enarraret sine intentione absolutionis, ergo ad hoc, ut confessio dicatur sacramentalis, & reconciliativa, nihil ad rem facit, quòd dolor antecedat vel sequatur. Addunt Suar. suprà, Dicast. *n.* 133. Gob. *n.* 152. Spor. *n.* 295. quamvis pœnitens anteà tantùm historicè, vel ridiculè narrasset peccata, si tamen posteà doleat de illis, & externè manifestet se ab illis velle absolvi, confessionem illam jam sufficienter fieri sacramentalem, quia sufficienter censetur repeti. 699

Obj. 2. Dolor qui est pars Sacramenti, debet esse sensibilis, secundùm dicta *n.* 669. sed non potest fieri sensibilis per confessionem antecedentem, tum enim necdum est dolor, ergo. Resp. Lugo *n.* 17. Haun. suprà, Moya *n.* 3. Palav. *n.* 277. negant minorem, putant sufficienter sensibilem fieri per confessionem ipsam, ut imperatam ex eadem voluntate suscipiendi Sacramentum, ad quòd etiam requiritur dolor, Suar. Dicast. Sporer *nu.* 294. Gob. *nu.* 151. dicunt etiam sufficienter fieri sensibilem per expectativam absolutionis, & continuatam genuflexionem, quæ est quasi continuata confessio. *Bosco* dicit etiam 700

sufficienter

sufficienter fieri sensibilem per *Confiteor*, quod præmitti solet, & significat dolorem præsentem vel futurum, sed quidquid sit de prioribus sententiis, hac ultima non acquiescunt Dicast. *nu.* 135. & Sporer *nu.* 286. hinc dicendum est dolorem, qui sequitur confessionem, posse aliter fieri sensibilem, si nempè pœnitens post elicitum dolorem tundat pectus, vel interrogatus dicatse dolere.

701 §. 5. Quamvis secundùm dicta probabilius sit sufficere dolorem post confessionem elicitum, tamen praxis illius sententiæ est illicita, & damnata ab Innoc. XI. agitur enim de valore Sacramenti, & quamvis Lugo *n.* 13. sententiam oppositam vocet singularem, & contra omnes alios Theologos, nihilominus est probabilis, uti fatentur Stoz. *nu.* 48. & Gor. *p. 2. n.* 81. ergo cùm sententia nostra non sit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: hinc in praxi tenetur pœnitens post dolorem elicitum se accusare saltem in genere de peccatis anteà dictis, & si Confessarius tum interroget, an non se iterùm accuset de peccatis illis, ac pœnitens dicat, ita, hoc certò sufficit, sic enim sufficienter repetetur confessio.

702 §. 6. Dolor debet ita perdurare moraliter, ut absolvendus ex vi illius censeri possit adhuc pœnitere, si enim non ita moraliter perduret, vel in se, vel in aliquo suo effectu, non constituet unum moraliter cum absolutione, adeóque non erit pars Sacramenti Pœnitentiæ; neque peccator censebitur ampliùs petere sibi remitti peccata. Quamdiù autem dolor physicè præteritus censeri possit ita moraliter perdurare, difficile est statuere pro praxi. Granado apud Aversam *q.* 11. *s.* 1. absolutè requirit propinquum tempus. E contrà aliqui apud Dian. *p. 3. t.* 4. *R.* 116. putant sufficere dolorem etiam ante plures annos habitum, dummodò non sit retractatus; quam sententiam Stoz *n.* 50. meritò dicit esse nimis laxam. Tancredi apud Moyam *q.* 9. *n.* 3. dicit posse præcedere per mensem. Escob. *l.* 14. *probl.* 24. & Arr. *d.* 37. *num.* 15. in genere dicunt etiam longo tempore antecedentem sufficere, & consentiunt *Prap. & Dian.* aliique plures apud Aversam suprà, & Moyam *n.* 7 Hurt. autem quamvis quatuor, quinque, aut etiam pluribus diebus antecedat, sed etiam ista nimis laxa esse dicit Stoz. *n.* 51. Dic. *d.* 6. *n.* 167. Arr. *n.* 11. Spor. *n.* 301. Gob. *n.* 169. dicunt, si quis hodie cum dolore confessus incidat in perpetuam amentiam, vel apoplexiam, posse, & debere post multos dies absolvi, etiam ab alio quàm illo, qui confessionem audivit: & similiter loquuntur Nav. Sot. Ledesm. Henriq. apud Moyam *nu.* 6. item Marchant. apud Spor. *n.* 287 unde. Gob. *n.* 159. dicit perdurare dolorem, quamvis præcedat uno, vel duobus diebus, quod Carden. *in* 2. *crisi d.* 2. *n.* 88. dicit esse certum. Addit Gorm. *n.* 82. posse perdurare etiam longiore tempore, dummodò aliquem sui effectum relinquat, hic Less. *in Auct. V. Confessio casu* 3. sic habet, *Dolor semel conceptus de peccatis in ordine ad confessionem recogitatis, si quis ex vi illius, & proposito tunc concepto, applicet se etiam postridie ad confessionem, sufficit, licet quis in actu confitendi novum dolorem non concipiat, manet enim iste dolor virtute, sicut dum quis ex proposito hesterno applicat se hodie ad peregrinandum.* Idem tenent Dian. suprà, Sporer, & Gob. *nu.* 157. putans hoc esse indubitatum, & addit *nu.* 160. se non legisse Theologum, qui hoc neget; hinc etiam Tamb. & Stoz. *n.* 52. cum *Dicast.* suprà dicunt sufficere, quamvis dolor etiá toto die antecedente præcesserit. Addunt *Tamb. & Sporer* suprà certò sufficere, si tantùm intercedat tempus trium, vel 4. horarum, Moya. *n.* 10. dicit secundùm omnes sufficere, si duabus tantùm, vel tribus horis antecedat: in hac tanta sententiarum varietate certa videntur seqq.

1. Non est opus, ut formalis dolor cœxistat confessioni, vel absolutioni: potest enim materia hujus Sacramenti longiùs abesse à forma, quàm in aliis Sacramentis, quia hoc Sacramentum imitatur judicium forense, in quo sententia sequi potest diu post accusationem, processum & confessionem Rei; neque constat, quòd Christus quoad hoc immutarit hoc judicium Sacramentale, nec est eadem ratio de aliis Sacramentis, quorum formæ plerumque significat materiam suam actu adesse præsentè, uti forma Bapt. ablutionè, forma Confirmationis unctionè, &c. 703

2. Si dolor præcesserit ante plures dies, meritò dubium est, an moraliter perduret, facilè enim posset esse retractatus per intercurrens peccatum, aut moraliter desiisse, & superveniisse illud motivum, propter quod nunc fieret confessio vel peteretur absolutio, undè ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, dolor erit renovandus. 704

3. Si quis experiatur se ex vi doloris in ordine ad absolutionem non diu ante eliciti adhuc aliquid facere, v.g. pergere examinare conscientiam, manere ad confessionale ex intentione confitendi, certus est se adhuc habere dolorem virtualem, & sufficientem, qui perseveret in actu tenui, & imperceptibili, nisi expresè vel tacitè per superveniens peccatum retractarit illum, quamvis fortè per plures horas dolor ille formalis antecesserit. 705

4. Si quis, postquàm dolorem elicuit, converterit se ad aliud negotium; v. g. ad scribendas litteras, aut si diù præterierit dolor, & animus per distractionem quasi dilapsus sit ad alia, quamvis positivè necdum dimiserit voluntatem confessionis, & absolutionis, tamen in praxi breviter renovandus est dolor saltem in fine confessionis, dicendo, *De his, & omnibus peccatis meis doleo, quia Deum summè bonum offendi, & per ejus gratiam propono peccata cavere imposterum.* 706

§. 7. Probabilius est eumdem dolorem physicè præteritum posse sufficere pro pluribus absolutionibus. Quòd tamen non uno modo ab omnibus defenditur, nam *Ledesm. Salas, Escob.* aliique multi cum Moya *q.* 8. dicunt tum saltem sufficere, quando eadem peccata iterum confitetur intra tempus, quo censeri debet moraliter manere ille prior dolor, Henriq. Aversa. *q.* 11. *s.* 1. Platel. *n.* 644. aliique dicunt sufficere, si pœnitens statim redeat, & iterùm confiteatur peccatum, quod fuerat oblitus. Idem dicunt Tamb. & Stoz. *n.* 52. quamvis sequenti die rediret. Arr. *d.* 37. *n.* 12. Dian. *p.* 11. *t.* 5. *R.* 21. Dicast. *d.* 6. *n.* 160. Illsf. *n.* 43. Stoz. suprà aliique absolutè dicunt eundem dolorem sufficere, sive iterum confiteatur, quæ antehac confessus, sive quæ oblitus erat, dummodò utraque confessio fiat intra tempus, quo dolor censetur moraliter perdurare. Hoc certius est, inquit, Sporer *num.* 300. & omnes Theologi morales tanquam indubitatum supponunt, inquit Moya *n.* 4. si aliquis propter periculum mortis absolvatur necdum integrè confessus, & remittente periculo compleat confessionem, posse iterum sine novo dolore absolvi. Idem dicunt Lugo *d.* 14. *n.* 27. & Gob. *t.* 9. *n.* 165. qui cum *Henriq.* addunt idem esse, si à superiore accepisses absolutionem à reservato, & quia noluisset ab aliis absolvere, tu iterum alteri confiteris omnia, & ab hoc absolvereris simul à reliquis: te non indigere novo dolore: quæ omnes sententiæ sunt, speculativè loquendo, altem probabiliores, & ratio generalis est, quia multiplex forma potest cadere super eandem materiam etiam proximam, & cum

ca constituere multiplex Sacramentum : nam imprimis multiplex consecratio ita cadit super eandem hostiam, seu species, & super idem Corpus Christi, quando plures neomystæ cum Episcopo consecrant. *Nec obstat*, quòd hæ materiæ sint aliquid permanens, dolor autem sit actio transiens, *nam* supponimus dolorem permanere moraliter, quod sufficit secundùm dicta *n.* 703. Deinde si aliquis confiteatur simul pluribus sacerdotibus, potest secundùm dicta *nu.* 646. à singulis absolvi, etiam successivè, quia talis confessio audita à multis est moraliter multiplex, facitque etiam dolorem esse moraliter multiplicem, ergo multò magis confessio intra breve tempus repetita, & physice multiplex faciet eundem dolorem esse moraliter multiplicem, adeóque sufficere pro pluribus absolutionibus etiam successivis. Denique si sim confessus, & absolutus, sed quia unum peccatum fui oblitus, si paulò post redeam, dolor universalis, qui antecessit primam confessionem, fuisset sufficiens pro secunda confessione peccati, quod eram oblitus, si hæc confessio secunda fuisset prima, ergo etiam est sufficiens, quamvis alia confessio antecesserit, hæc enim immutat illum dolorem.

708 *Objic.* 1. Duplex successiva absolutio non potest cadere super eandem confessionem uni Sacerdoti factam, ergo nec super eundem dolorem. Resp. n. conseq. disparitas est 1. quia hoc Sacramentum est per modum judicii, ut autem sit nova sententia, debet esse nova accusatio, & novus processus, cùm Judex nihil possit, nisi servato modo juris, qui est, ut si munere suo functus sit in aliqua causa, conquiescat, nisi aliunde iterum inchoetur processus : è contrà ad novam sententiam sufficit nova accusatio, & nova causa sententiandi, quamvis non adsit novus dolor, hìc enim non requiritur ad sententiam judicialem secundùm se, & quamvis requiratur ad sententiam sacramentalem. sufficit adesse eundem moraliter perdurantem, 2. Quia idem dolor fit moraliter duplex, cùm per duplicem confessionem bis exhibeatur, & subjiciatur repetitæ absolutioni, non item eadem confessio, nam neque per seipsam potest bis exhiberi, cùm physicè præterierit, nec reproducatur, neque per aliam confessionem, alioquin non esset una, sed duplex confessio.

Inst. Per primam absolutionem erat completus, & terminatus ille actus judicialis, ergo si ponatur nova absolutio, quæ est nova forma judicii, erit novus actus judicialis, ergo debebit adesse nova materia proxima, ergo novus dolor. R. Ergo debebit adesse nova materia proxima, adæquatè, n. inadæquatè alia, nempè nova confessio, c. 2. seq. & n. 3.

709 *Obj.* 2. Si sufficiat unus dolor pro pluribus absolutionibus successivis, ergo qui initio anni haberet dolorem universalem de omnibus peccatis, & illius recordatione posteà excitaretur ad confitendum, posset ex vi illius non retractati quamvis non renovati singulis diebus anni confiteri peccata præterita, & absolvi. Resp. Sequelam concedunt Bosco *n.* 154. & Moya *q.* 9 *n.* 12. extendens etiam ad plures annos, sed quia hoc videtur esse contra communem sensum, n. seq. si enim dolor ita longè distet ab absolutione, non censebitur facere unum moraliter cum illa : quantùm autem distare possit, colligi[illegible] dictis à *nu.* 702.

710 *Objic.* 3. Eadem ablutio non potest servire pro duplici Baptismo, ergo nec idem dolor duplici Sacramento Pœnitentiæ. R. n. ant. nam si eadem ablutio, quæ cadebat super Cajum, reproduceretur, posset cadere super Titium, substitutum in locum Caji : aut saltem si Cajus, & Titius essent in eodem loco penetrativè, & affundens aquam diceret, *Ego vos baptizo, &c.* eadem ablutio serviret ad duplicem Baptismum. Quòd autem id fieri non possit naturaliter, causa est, quia ablutio physicè existens debet afficere plures : E contrà non est opus dolorem physicè existere, ut afficiat confessionem, aut ut afficiatur ab absolutione, sed satis est, quòd existat, seu perseveret moraliter, sic autem perseverat, quando sit repetita confessio.

§. 8. Non est certum, quòd idem dolor physicè 711
præteritus sufficiat pro pluribus absolutionibus, nam semper requiri novum dolorem, quoties datur nova absolutio, est sententia probabilis, quam docent Vasq. *qu.* 92. *a.* 3. *dub.* 5. *num.* 10. Bonac. *d.* 5. *qu.* 4. *p.* 4. *num.* 1. Amic. *d.* 13. *num.* 36. Eandem tenent, saltem tum quando iterum confitetur peccata antehac confessa, Henriq. Aversˢ. Fill. *tr.* 6. *num.* 77. Bernal *de Sacram. d.* 6. *num.* 74. J. Sanch. *d.* 1. *n.* 22. dicens communem, Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 116. Est autem fermè similis ratio de peccatis, quæ quis oblitus est, & de illis quæ est antehac confessus, nec pro utraque parte desunt rationes probabiles, uti patet ex dictis *à num.* 708.

§. 9. Praxis sententiæ quam *à n.* 707. defen- 712
mus, est illicita, & damnata ab Innoc. XI. constat ex dictis, sententia enim illa non est certa, & agitur de valore Sacramenti, ergo in praxi eligenda est opposita tutior : Unde si quis etiam statim post absolutionem recordans peccati illud addat, debeatque ab eo absolvi, tenebitur priùs renovare dolorem, alioqui hæc secunda absolutio exponetur periculo nullitatis, ideóque peccabitur mortaliter.

§. 10. Si idem dolor physicè perseveret saltem 713
tenuiter, quamvis imperceptibiliter, & ordinetur ad novam absolutionem, certò sufficiet, si enim dolor ille fuisset physicè interruptus, & posteà renovatus, certò sufficeret, ergo etiam quando physicè perseverat, est enim moraliter alius, partim per coexistentiam ad plura tempora, partim per repetitam accusationem, qua iterum manifestatur, & subjicitur formæ, partim etiam per relationem ad plures absolutiones : sic autem communiter contingit, si quis statim post absolutionem addat peccatum, quod fuerat oblitus, dolor enim saltem virtualis communiter adhuc existit cum confessione, & continuatus usque ad absolutionem secundam.

Q. 98. *Quandonam dolor censeatur revocari per* 714
peccatum subsequens ? R. §. 1. Dolor de mortalibus revocatur per quodcumque mortale posteà commissum, quantùm est in ordine ad remissionem, cùm enim unum mortale non remittatur sine altero, hoc ultimum mortale, de quo necdum doluit, non remitterur, ergo nec cætera, de quibus doluit. Deinde saltem revocatum est propositum universale non peccandi de cætero, quòd requiritur ad remissionem cujuscumque mortalis, secundùm dicenda *n.* 898. *Dixi* quantùm est in ordine ad remissionem, nam si de prioribus doluerit ex motivo speciali; v.g. de furtis, & perjuriis propter specialem honestatem virtutum justitiæ, & religionis, quibus hæc peccata opponuntur, poterit hic dolor manere, licèt posteà admittatur delectatio turpis.

§. 2. Si ille, qui unico actu doluit de mortali- 715
bus, & venialibus ex motivo universali cadente super utraque, v. g. quia displicent Deo summè bono, postmodùm peccet venialiter, putant Lugo *d.* 14. *num.* 146. Arr. *d.* 38 *num.* 24. Dicast. *d.* 6. *nu.* 322. Parav. *nu.* 290. Tamb. *de confess. l.* 1. *c.* 3. §. 4. Stoz. *p.* 2. *num.* 72. & alii recentiores communiter non ideò dolorem illum revocari quoad mortalia, quia licèt esset actus physicè unus, erat tamen virtualiter multiplex, & inæqualiter ferebatur pro gravitate illorum, quia nempè in peccato graviore plùs reperiebatur de suo motivo quàm in leviore : graviora enim

enim magis displicent Deo ejusq; bonitati magis opponuntur, sicuti inquit *Cormaz*, actus charitatis erga Deum, & proximum, inæqualiter tendit in objecta sua secundùm horum inæqualitatem, alia enim est comparatio animi respectu Dei, alia respectu proximi: similiter alia erat comparatio animi respectu mortalium, alia respectu venialium, ergo licèt dolor revocetur respectu venialium, non ideò revocatur respectu mortalium. Pro quo dat alia similia *Palav.* suprà, sic enim qui per testamentum reliquit Petro totam hæreditatem, quamvis Paulo donet aliquid parvum, non ideò revocat totum testamentum. Item qui ex motivo perfectæ amicitiæ decrevit nunquam offendere alterum, non ideò revocat voluntatem non offendendi graviter, licèt aliquando offendat leviter. Et hanc sententiam esse satis certam, ac in praxi tutam dicunt plerique ex citatis authoribus. Restat tamen aliqua difficultas, nam motivum universale desinit movere respectu omnium collectivè sumptorum, ergo physicè desinit prior actus doloris, vel saltem desineret, si adhuc physicè esset, quia desinit extensio ad omnia, quæ extensio physicè erat idem totus actus, neque certum est, quòd physicè succedat novus actus circa reliqua, quia voluntas non applicatur de novo ad alium actum, ergo non videtur absolutè manere moraliter, actus enim, qui nunc physicè debuisset desinere, si adhuc physicè extitisset, quando superveniebat illud veniale, non videtur posse dici manere moraliter. Scio dici posse, quòd maneat moraliter respectu mortalium, attamen pro majori securitate expediet elicere alium actum doloris circa mortalia, aut resumpto universali motivo innovare priorem actum circa omnia. Rectè autem notant omnes post absolutionem bona fide acceptam non debere in dubium revocari valorem, dummodò in sequente confessione eliciatur dolor se extendens ad illa priora mortalia, hæc enim confessio erit formaliter integra, & per absolutionem indirectè remittentur etiam priora peccata, si fortè prior confessio fuisset invalida.

716 §. 3. Quæ dicta sunt circa dolorem de mortalibus, & venialibus, valent circa dolorem de multis venialibus ex tali motivo universali, si enim posteà committatur aliquod veniale majus, vel æquale, revocatur dolor, si autem committatur veniale levius, iidem Authores cum Arr. *n.* 25. & Dicast. *n.* 325. putant debere censeri revocatum, ob rationem antedatam. Sed in praxi putarem etiam in hoc ultimo casu talem dolorem pro securitate esse innovandum.

717 *Q.* 99. *Ex quibus motivis concipi possit dolor de peccatis?* Resp. §. 1. Dolor de peccatis concipi potest, 1. ex motivo malo, uti si doleas de ebrietate, quia per hanc impeditus, non potuisti occidere hostem. 2. Ex motivo indifferente, uti si doleas de ebrietate, quia contraxisti morbum. 3. Ex motivo humano, si doleas de furto, quia contraxisti infamiam. 4. Ex motivo honesto, sed purè naturali, si doleas de mendacio, quia præcisè dedecet virum honoratum. 5. Ex motivo honesto respiciente Deum, & per fidem supernaturalem proposito, si doleas de peccato, quia fœdat animam Christi Sanguine redemptam.

Primus dolor est peccatum, tres sequentes non sunt de se mali, attamen non sufficiunt ad Sacramentum pœnitentiæ, quia sunt naturales: Solus 5. potest esse supernaturalis, & sufficiens, uti constabit ex dicendis. An autem dolor possit esse honestus, & supernaturalis, si quis ex malo fine, v. g. ex vana gloria velit conteri, dicetur *à num.* 1168.

718 §. 2. Dolor de peccatis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus universim concipi potest ex quatuor motivis, quæ sunt, 1. metus pœnæ. 2. spes præmii. 3. turpitudo peccati. 4. bonitas Dei, ut constabit ex dicendis, præsertim *à n.* 786.

719 *Q.* 100. *Quid notandum sit circa metum, ex quo concipi potest dolor de peccatis?* Resp. seqq. §. 1. Metus ratione peccati alius est divinus sive cœlestis, alius humanus sive mundanus: divinus est, qui provenit ratione alicujus concernentis Deum, vel cœlestem gloriam: Humanus est, qui provenit purè ratione creaturæ, ut si horream furtum, quia apud homines causat infamiam; & hic metus communiter est inhonestus, quia non excludit affectum internum peccandi, quem homines non vident, nec punire possunt.

720 §. 2. Metus divinus, alius dicitur servilis, alius filialis, alius initialis. Servilis est, quo timeo mihi malum, quod peccatum causat apud Deum. Filialis est, quo timeo Deo malum, quod peccatum causat. Initialis est, quo timeo mihi, & Deo malum, quod peccatum causat. Hos metus explicat S. Thom. 2. 2. *qu.* 19. *a.* 2. *in O.* his verbis: *Si aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis, nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* Addit ad 3. *Timor fidialis, & castus ad idem pertinent, quia per charitatis amorem Deus, pater noster efficitur. Timor autem servilis ad aliud pertinet, quia charitatem in sui ratione non includit.* Addit ad 4. *Timor servilis, & initialis respiciunt pœnam, principaliter timor servilis, timor autem initialis secundario.*

721 §. 3. Metus servilis alius est serviliter servilis, sive cum servilitate, alius est servilis sine servilitate. Servilis cum servilitate est, cum quo conjuncta est talis comparatio animi, ut si poenam non timeret, adhuc peccatum vellet: & de hoc intelligitur, quod ex S. Aug. refert S. Th. suprà *a.* 9. *O. Timor servilis potest habere annexam voluntatem peccandi.* Sevilis sine servilitate est, qui non causat, nec conjunctus est cum tali comparatione animi, sed propter quem nunc simpliciter excluditur voluntas peccandi, uti probabitur *à n.* 813.

722 *Q.* 101. *Quæ sit natura, & vis contritionis perfectæ sufficientis ad justificationem sine Sacramento?* Resp. §. 1. Hæc contritio debet procedere ex motivo bonitatis Dei, adeóque esse odium peccati, quia Deo malum est, S. Th. *p.* 3. *q.* 85. *a.* 6. *& q.* 86 *a.* 3. *O.* Arr. *d.* 6. *s.* 3. *d.* 2. *n.* 112. aliique communissimè contra paucos, qui dixerunt hanc contritionem posse procedere ex motivo soliùs religionis, justitiæ vel alterius virtutis respicientis Deum, præscindendo ab omni poena, vel præmio, adeóque sufficere detestari peccatum, v. g. quia est contra Dei cultum, contra jus Dei, &c. quam sententiam probabilem dicit Suar. *d.* 4. *s.* 2. *n.* 13. & ut probabilem defendunt Aversa *q.* 3. *s.* 6. & Lugo *d.* 5. *s.* 1. è contrà Arr. *s.* 2. dicit non esse intrinsecè probabilem, Bosco *s.* 2. *n.* 134. vocat vix probabilem, Vasq. *q.* 85. *a.* 2. *n.* 45. vocat erroneam. Ratio nostra petitur ex Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 4. nam imprimis dicit per contritionem, si sit charitate perfecta, causari gratia extra Sacramentum, non autem si sit tantùm attritio. Neque sensus est, uti volunt aliqui cum J. Pontio *d.* 45. *nu.* 9. contritionem tum esse charitate perfecta, si propter illam cum gratia infundatur habitus charitatis, nam contrà est, quòd simili sensu attritio cum Sacramento etiam dici posset formalis contritio charitate perfecta, quia propter attritionem, & Sacramentum etiã infunditur gratia, & habitus charitatis: hoc autem est contra mentem *Trid.* ibi opponentis contritionem

attritioni. Deinde *Trid.* voluit ibi declarare, quid ex parte contritionis requireretur ; ut causaret gratiam , & dicit tum causare gratiam , quando est charitate perfecta , ergo loquitur de contritione , quæ fit per charitatem perfectam , antequàm causetur gratia , agit enim de dispositione, & causa proxima ad gratiam, ad quam gratiam sequitur habitus charitatis, ergo intelligit contritionem charitate actuali perfectam , antequàm cum gratia infundatur habitus charitatis, alioquin propositio ejus esset nugatoria ; sensus enim esset, si contritio sit charitate perfecta, id est , si causet habitum charitatis, tum causat habitum charitatis, quod est identicum, & nugatorium. Præterea *Trid.* ibidem dicit dolorem conceptum ex turpitudine peccati se solo non sufficere ad justificationem, adeóque non esse simpliciter contritionem ; sed dolor conceptus ex motivo, v. g. religionis est conceptus tantùm ex turpitudine peccati , ergo talis dolor non justificat. *Prob. min.* dolorem concipi ex turpitudine peccati, est ideò concipi, quia peccatum turpe est , sed peccatum est turpe , quia opponitur honestati religionis , ergo. Congruentiæ autem, cur Deus contritionem, qua sine Sacramento justificamur, voluerit procedere ex motivo bonitatis suæ, sunt hæ , 1. quia cùm homo peccans fecerit se inimicum Deo per hoc , quòd bonitati Dei anteposuerit bonitatem creatam , congruum fuit , si vellet per solum actum suum se reddere amicum, ut iterum bonitatem Dei præponeret omni bonitati creatæ. 2. Quia offensa Dei est actus pessimus hominis erga Deum , æquum fuit , ut homo reponeret actum optimum erga Deum, hic autem est actus charitatis. 3. Cùm præcipua malitia peccati consistat in hoc, quòd nos prætulerimus Deo secundùm finem, *cui*, omnes autem aliæ virtutes ament pro fine, *cui*, ipsum hominem, sola charitas emendabat inordinationem, quæ fuit in peccato , respiciendo Deum tanquam finem , *cui*. 4. Cùm Deus reconciliatus det gratiam, qua vult esse amicus homini , æquum fuit , ut homo ad eam se disponeret per actum amoris amicitiæ. 5. Conveniebat Deum ad remissionem peccati plùs requirere extra, quàm intra Sacramentum, quia remissio intra Sacramentum est veluti privilegium, & principaliter fit propter voluntatem, & meritum Christi instituentis, sed intra Sacramentum exigit actum pœnitentiæ inferiorem charitate, ergo conveniens fuit, ut extra Sacramemtum exigeret actum charitatis.

723 *Obji.* 1. Scriptura, SS. Patres, & Theologi omnes pro justificatione obtinenda urgent pœnitentiam , & pœnitentiæ appromittunt remissionem peccati, ergo credendum est actum saltem specialis pœnitentiæ , qui propriissimè venit nomine pœnitentiæ, sufficere ad justificationem. Resp. n. conc. nam per pœnitentiam sine Sacramento justificantem intelligunt pœnitentiam perfectam , sive quæ sit ex motivo bonitatis Dei , uti docemur à *Trid.* motivum autem specialis pœnitentiæ non est bonitas Dei, nihilominus ad illâ urgemur etiam promissione gratiæ , quia per illam cum Sacramento justificamur.

724 *Objic.* 2. Ex vi motivi, v. g. religionis homo ita detestatur peccatum , ut si sua annihilatio esset ad reparandum Dei cultum necessaria , hanc vellet, sed nihil aliud requiritur ad perfectam contritionem ergo. Resp. 1. Ex vi metus gehennæ homo ita detestatur peccatum, ut si sua annihilatio esset ad gehennam evadendam necessaria , hanc vellet secundùm illud Matth. 26. v. 24. *Bonum erat ei , si natus non fuisset homo ille* , ergo dolor ex metu gehennæ erit contritio perfecta , quod patet esse falsum. Resp. 2. data maj. n. min. quia hoc non obstante adhuc non attingitur motivum charitatis , vellet enim annihilationem sui , non propter Deum sed propter honestatem talis cultus sibi conciliandam , uti supponitur , ergo per hoc non haberetur contritio. *Dixi* , data maj. quam Gorm. *num.* 267. negat , putat enim universaliter falsum esse , quòd homo possit per virtutem moralem eligere potiùs annihilationem sui , quàm non prosequi honestatem talis virtutis , quia cum homo per virtutem moralem amet ejusmodi honestatem sibi tanquam accidentaliter bonam : non amat nisi in ordine ad se , ergo vi talis actus non potest illam plùs amare quàm se , ergo nec potest amare annihilationem sui in ordine ad illam honestatem , alioquin dicere posset , volo annihilationem mei , ut existat honestas cultus divini à me ponendi , in quo est contradictio. Ex dictis.

Colliguntur seqq. 1. Homo, qui invincibiliter 725
ignoraret Deum , justificari non posset per dolorem de peccatis , in quantùm sunt contra rectam rationem ; nam talis dolor imprimis est tantùm propter turpitudinem peccati , deinde est naturalis , cùm sit absque fide in Deum , Suar. Aversa *qu.* 3. *s.* 5. & alii. 2. Contritio non habet pro fine Deum , amicum contrito , hic enim esset actus amoris concupiscentiæ , quia vellet Deum , ut bonum sui contrito , nec vi illius actus amaret Deum super omnia , quia non amaret supra seipsum , neque posset cum illo affectu componi actus , quo contritus optaret potiùs non esse , quàm deficere Deo bonitatem , non enim possum desiderare meam annihilationem , ut habeam divinam bonitatem mihi bonam , uti per se patet.

§ 2. Contritio est simul formalis amor Dei , 726
Vasq. Arr. Lugo , Aversa *d.* 3. *s.* 7. Maurus *q.* 241. Bosco *s.* 2. *n.* 117. Gorm. *nu.* 263. Dicast. *d.* 2. *nu.* 122. Contra Suar. Tann. Amic. *d.* 4. *n.* 34. Ratio est 1. quia contritio est perfecta per charitatem actualem , uti à *n.* 722. ex *Trid.* dictum est. 2. Quia velle ab aliquo removere malum propter bonitatem ipsius actu moventem ad removendum illud malum , est formaliter illum amare , sed contritio vult à Deo removere malum extrinsecum peccati propter bonitatem Dei actu moventem ad peccatum removendum , ergo. Prob. maj. quia talis actus imprimis pro objecto , *cui* , habet illam personam à qua vult removere illud malum , deinde habet actu affectum voluntatis , qui in illam personam fertur. Præterea movetur ipsius bonitate *ad hunc* affectum voluntatis , uti supponitur , neque plùs potest exigi ad essentiam formalis amoris, ergo.

Obji. Possum amare medicinam propter sanitatem , etiamsi illo actu formaliter non amem sanitatem , *ut quod*, ergo similiter possum odisse peccatum, ut malum Deo , etiamsi illo actu formaliter non amem Deum , ut *quod*. Resp. Antec. negari à plerisque , hoc tamen dato n. conc. Si amem medicinam propter sanitatem , & per hoc non amem formaliter ipsam sanitatem, ut *quod* , nihilominus sanitas adhuc habet rationem finis , propter quem amo medicinam , quamvis non sanitas , sed ego sim finis , *cui* , ergo forsan opus non erit , ut sanitas sit hoc, quod amatur : è contrà quando odi peccatum , ut malum Deo , odi peccatum propter Deum , itaut Deus sit etiam objectum , *cui* , & propter quem odi peccatum , ergo odi propter Deum amatum , ergo Deus debet necessariò esse objectum , ut *quod* amatum.

Inst. Possum mihi tanquam objecto , *cui* , velle aliquod bonum , etiamsi me formaliter non amem, alioquin quandocumque exerceo actum virtutis moralis exercerem formalem actum charitatis erga me, ergo multò magis possum Deo tanquam objecto , *cui*, velle carentiam alicujus mali , absque eo quòd

Deum

Deum formaliter amem. Resp. n. cons. ut mihi velim bonum, non est opus, ut cognoscatur, vel ut me moveat mea bonitas, quia natura omnis entis quamvis pessimi de se est determinata, ut licèt nullam in se bonitatem cognoscat, tamen velit se esse optetque sibi bonum: è contrà, ut alteri velim bonum, quia ipsi bonum est, vel nolim malum, quia ipsi malum est, ad hoc non determinor à natura, sed aliunde movere me debet vel ejus bonitas, quam cognoscam,& amem,vel saltem aliquod motivum alterius virtutis,quæ me ad hoc determinet, hic autem non movet me motivum alterius virtutis, sed chariatatis in Deum, ergo me movet bonitas Dei cogniti, & amati.

727 §. 3. Ad contritionem necesse non est, ut præsupponatur formalis amor Dei, qui contritionem imperet, sed satis est eum indivisibilem actum esse amorem Dei, & odiosum peccati, *Aversa* suprà, & alii contra Can.Sot.& Con. *d.2.n.* 49. Consequenter quando contritio dicitur esse detestatio peccati propter Deum summè dilectum, non est sensus, quòd Deus debeat antecedenter esse dilectus, sed quòd debeat saltem per illam ipsam detestationem diligi, itaut Tò dilectum non sumatur participialiter, sed nominaliter.

728 §. 4. Contritio est amor non tantùm benevolentiæ,sed etiam amicitiæ: per hoc autem differt simplex benevolentia ab amicitia,quòd quamvis utraque velit bonum alteri, quia ipsi alteri bonum est, tamen amicitia prærequirit complacentiam in aliqua bonitate amici,non item benevolentia,hinc Aristoteles teste Palav.*n.*92.negat inter scelestos esse amicitiam, quia quamvis sibi mutuò bene velint,tamen hoc non faciunt ex complacentia in aliqua bonitate alterius. Hinc quamvis contritio, quam peccator elicit pro priori ad gratiam, sit amor amicitiæ erga Deum,tamen amor, quo Deus, antequàm intelligatur dare gratiam,amat peccatorem,non est amor amicitiæ,sed tantùm benevolentiæ, cùm enim contritio sit causa gratiæ, pro isto priori necdum intelligitur gratia in homine,sola autem gratia est fundamentum amicitiæ Dei ad nos.

729 §.5. Contritio hæc debet esse amor appretiativus Dei super omnia, id est, debet adjunctam habere talem æstimationem bonitatis Dei, ut hanc præferat omni bonitati creatæ, ideóque homo vi contritionis debet paratus esse potiùs carere omni bono creato, quàm facere aliquid graviter oppositum infinitæ Dei bonitati.

730 §.6.Hæc contritio est odium peccati super omnia appretiativè, id est,contritus vi sui actus odit peccatum plus quam ullum aliud malum, Aversa *q.2.s.*10. Dicast.*d.2.dub.*7. dicens esse Catholicorum omnium, Con. *d.2.n.* 68. dicens esse certum. Ratio est, 1.quia contritio est amor appretians Deum super omnia alia bona, & ideò detestans peccatum, quia est summum malum Deo summè dilecto,ergo hæc detestatio proportionata amori erit super omnia,ergo odit peccatum plus quàm ullum aliud malum. 2.Hæc contritio est actus charitatis Theologicæ, uti constat ex dictis *n.*722.sed omnis actus virtutis Theologicæ appretiat suum objectum super omnia: cùm enim pro motivo habeat aliquam perfectionem infinitam Dei, inconveniens est, & suo modo indecens, ut principium supernaturale influat in hujusmodi actum,nisi adsit debita æstimatio talis perfectionis infinitæ, adeóque comparatio animi ad adhærendum huic potiùs motivo, quàm ulli alteri oppositi.

731 §.7. Homo vi contritionis debet esse saltem virtualiter, & implicitè ita comparatus,ut potiùs vellet bona omnia, famam, vitam amittere; item infamiam, tormenta, ac mortem quamcumque subire, quàm contra Deum peccare mortaliter: alioquin nec Deum appretiaret super omnia, nec odisset peccatum appretiativè super omnia. *Dixit*, saltem virtualiter, & implicitè, nam notant omnes non esse opus, imò multis, præsertim fragilioribus, non expedire facere comparationem formalem, & explicitam inter peccatum, & alia mala, volendo se determinare ad hæc potiùs eligenda quàm peccatum, hoc enim sæpè esset se tentare, aut sibi ipsi ponere scandalum,vel saltem impedimentum; hinc S.Bonav. *in 4.dist.*16.*a.*2.*q.*1.loquens de hac materia, sic scribit: *Periculum est, & stultitia quærere hoc ab aliquo infirmo, vel etiam a seipso, quia hoc est ponere hominem in tentationem: unde nullus Confessor debet hoc ab aliquo, qui sibi confitetur, quærere,sed si pœnitens se offerat, & dicat, se malle mortuum esse quam peccasse, vel simile aliquid, gaudendum est,quia signum bonæ voluntatis est.* Cur autem non expediat descendere ad ejusmodi comparationes, ratio est,quia cùm ista alia mala plerumque à nobis magis sensibiliter cognoscantur, & vivaciùs terreant, fieri posset,ut eorum expressa consideratio impediret efficacem detestationem peccati: Hinc S. Th. *in supplem. q. 2. art. 1. ad* 4.ait: *Quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non tamen de his tentandus est, quia affectus suos homo non de facili mensurare potest, & quandoque illud,quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili,quod magis est nobis notum.* Est itaque satis, virtualiter, & implicitè hoc facere, quod fit, si voluntas ex vi contritionis ita sit disposita, ut quamdiù perseverabit contritio, avertatur à peccato, & conjungatur Deo: hinc enim sequitur; quòd non esset desertura Deum pro quovis alio bono, sed electura potiùs subire quodvis malum, si necessarium foret ad evitandum peccatum.

§. 8. Si contritus per errorem invincibilem con- 732
stitueretur in eo casu, ut judicaret se hic, & nunc debere eligere, vel peccatum, vel infernum, potiùs eligeret infernum prout contradistinctum, & intentionaliter saltem separatum à peccato. Ita Lugo,Arr. Aversa supra, Bosco *s.* 2.*concl.* 7. Haun. *l.* 4. *a num.* 907. aliique communiùs: Et suadetur ex S.Anselmo *de similitudinibus c.* 190. his verbis: *Si hic peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò haberem uni illorum immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem,mallem enim purus a peccato, & innocens gehennam intrare,quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.* Ratio est, quia malum culpæ est simpliciter majus quàm malum pœnæ etiam æternæ. Deinde si non præeligeret pœnas æternas, magis amaret se quàm Deum, quia potiùs vellet cavere malum suum quàm Dei, ergo non esset contritus, *Dixi*, per errorem, nam ad contritionem non requiritur, ut quis, etiam virtualiter tantùm, aut implicitè, dicat, mallem infernum quàm offendere Deum, quia quamvis contritio faciat peccatum practicè ineligibile pro quocumque casu possibili, tamen non est possibilis iste casus,quo aliquis ad vitandas pœnas inferni indigeat peccato, aut ut pro moderna saltem providentia ad vitandum peccatum indigeat pœnis inferni, quia nec peccatum est medium ad vitandas pœnas inferni, nec pœnæ inferni de facto ordinatæ sunt à Deo tanquam medium ad vitandum peccatum: hinc foret inutile per contritionem vexare se in ejusmodi comparationibus, cùm prudentis non sit conditionatè deliberare de quibusvis eventibus planè per accidens,& præter intentionem omnis virtutis occurrentibus: hinc cogitationes ejusmodi, si incidant, excludendæ sunt, saltem velut otiosæ, quod etiam notavit *Gerson num.* 1909. referendus. Similiter quamvis contritio posset esse ita perfecta, ut aliquis

optaret infernum, si facere posset peccatum suum nunquam fuisse, tamen Lug. Rhod. Gormaz *à n.* 310. rectè notant non obligari nos ad talem actum, sed satis esse nunc detestari peccatum, & negativè se habere circa physicam illius præteritionem. Denique licèt eadem contritio etiam posset esse ita perfecta in aliquo, ut optaret tolerare quævis tormenta ad impediendum peccatum alienum, tamen rectè notat Arr. *d.* 9. *n.* 48. etiam ad hoc non obligare charitatem, quia aliàs daretur impiis occasio vexandi homines probos, possent enim velle peccare, nisi hi se miserè affligerent, ergo credibile non est charitatem ad talia obligare. Contra hactenùs dicta.

733 *Obji.* 1. Affectus perfectæ amicitiæ in Petrum non exigit, ut ejus bona pluris faciam, aut ejus mala magis caveam quàm mea, ergo nec affectus contritionis, quamvis sit actus perfectæ amicitiæ in Deum. Resp. n. conf. vera amicitia est juxta regulas rectæ rationis, recta autem ratio dictat quemvis appretiandum esse juxta suam bonitatem, & secundùm hanc illi præponenda, aut postponenda alia bona, ergo cùm Petrus sit finitæ bonitatis, nec tenear eum plùs amare quàm me, vera amicitia, erga Petrum non exigit, ut Petrus appretietur super omnia bona mea, aut ut ejus bonum præponatur omni bono meo. Deinde certus sum Petrum posse sub interminatione inimicitiæ imprudenter petere à me aliqua sibi non debita, ergo vera amicitia erga Petrum non potest me movere; ut velim Petro, quidquid ipsi bonum est, & mihi malum. Omnia opposita sunt in Deo, qui habet absolutè infinitam bonitatem, propter quam debet amari super omnia, & super nos ipsos. Deinde Deus pro conservatione amicitiæ nihil potest petere, quod non infinitis titulis teneamur præstare.

734 *Objic.* 2. Peccatum tollit tantùm bona extrinseca Dei, quæ non sunt digna appretiatione super omnia, cùm sint tantùm finita, ergo nec peccatum erit detestandum super omnia. Resp. n. conf. quia quamvis peccatum non tollat bona Deo intrinseca, tamen opponitur bonitati Deo intrinsecæ, hinc contritus adhærens Deo propter intrinsecam Deo bonitatem sic detestatur peccatum, sicuti adhæret Deo, ergo cùm Deo adhæreat, prout meretur bonitas, videlicet super omnia, etiam detestatur peccatum super omnia.

735 *Inst.* Malum Deo intrinsecum, v. g. carentia omnipotentiæ esset majus malum Deo, quàm peccatum, ergo peccatum non est summum malum Dei, ergo nec super omnia detestandum. R. Peccatum est detestandum, imprimis plus quàm omnia, quæ non sunt mala Deo, & hoc sensu detestamur peccatum super omnia. Deinde peccatum est summum malum Deo possibile, hinc contritio detestatur peccatum super omnia, quia detestatur super omnia mala possibilia, malum autem intrinsecum Deo non est possibile, ergo non est opus, ut contritio se ad illud extendat. Quòd si contritus per errorem judicaret, vel peccatum sibi esse eligendum, vel sine peccato permittendum, ut bonum Deo intrinsecum destrueretur, Alensis, & Suar. *d.* 3 *s.* 10. *n.* 9. dicunt potiùs electurum peccatum, quia malum ipsi Deo intrinsecum est detestabilius quàm malum in homine extrinsecum Deo. E contrà Arr. Lugo *d.* 5. *num.* 20. [illegible] prà probabiliùs dicunt, potiùs permissurum illam omnipotentiæ divinæ destructionem, quia recta ratio, cui charitas maximè conformis est, dictat non esse faciendum à me malum morale, ut inde eveniat bonum physicum, ergo licèt peccando salvarem Dei omnipotentiam, tamen contra venirem sapientiæ, & rectæ rationi æternæ. E contra habendo me permissivè circa illam destructionem physicam divinæ omnipotentiæ nulli perfectioni divinæ me difformo, ergo quamvis hæc destructio divinæ omnipotentiæ foret detestabilior in ratione entis physici, tamen peccatum foret detestabilius in ratione entis moralis, ergo cùm contritio, prout est detestatio, respiciat malum morale, peccatum respectu contriti foret minùs eligibile.

Objic. 3. Si velim Deo bona intrinseca, amo 736 Deum amore amicitiæ, & non ideò volo Deo omne bonum extrinsecum, ergo cum actu amoris amicitiæ erga Deum stat actus, quo nolim Deo ullum bonum extrinsecum, ergo cum amoris amicitiæ stat peccatum. Resp. Si velim Deo bona intrinseca, & nolim extrinseca hìc, & nunc illi debita, amo Deum amore amicitiæ, n. Si velim intrinseca, & simul extrinseca, quæ illi velle debeo, c. ant. & n. utramque seq. ut enim exerceam actum veræ amicitiæ erga Deum, debeo velle implere omnes leges veræ amicitiæ, inter quas est cavere mala extrinseca Dei, quæ ipse hìc, & nunc vult à me caveri, procurari bona extrinseca quæ vult procurari.

§. 10. Hæc contritio debet se extendere ad om- 737 nia mortalia, quia unum mortale non remittitur sine altero, & nullum remittitur, nisi antecedat illius detestatio. Putarunt autem Sylv. & alii apud Vasq. *q.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 118. debere se extendere ad omnia, non in confuso tantùm, & virtualiter, sed ad omnia formaliter, ita ut contritus teneatur singula detestari per singulos actus, aut saltem uno actu omnia distinctè cognita, sicuti voluerunt *Sot. Can. Med.* apud eumdem *Vasq.* sed oppositum tenendum est cum S. Th. *de veritate q.* 28. *ar.* 5. *ad* 4. his verbis. *Omnia peccata conveniunt in aversione à Deo, ratione cujus gratiam impediunt, unde ad justificationem non requiritur, quòd in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet, sed sufficit, quòd cogitet de hoc, quòd per culpam suam est aversus à Deo: recogitatio autem singulorum peccatorum debet, vel præcedere, vel saltem sequi justificationem*: intellige, in ordine ad confessionem sacramentalem. Ratio est, quia imprimis moraliter impossibile est peccatori innumeris peccatis onusto tot contritiones elicere, quot peccata, sed per unicam sufficienter corrigit omnes aversiones à Deo, sicuti si millenos actus amoris erga Deum elicuisset, omnes revocat per unicum actum odii Dei. Deinde nec opus est antecedenter omnia recogitare, nam legimus *Lucæ* 18. 19. 23. Publicanum, Zachæum, & latronem in cruce, item legimus in historiis plurimos peccatores subitò motos à Deo prorupisse in detestationem peccatorum, & justificatos esse: quamvis enim peccata confusè tantùm cognoscantur, satis apprehenditur malitia opposita infinitæ bonitati Dei, uti probat experientia, sæpè enim elicimus contritionem, priusquàm peccata distinctè recogitaverimus: unde nec ad contritionem requiritur, ut quasi dicam, detestor omnia peccata, vel doleo de omnibus meis peccatis, sed satis est, si v. g. de solo furto distinctè cognito doleam ex motivo bonitatis Dei, quamvis meus actus expressè non tendat in alia, quorum etiam reus sum, nam si alia propter oblivionem non occurrant, res est per se manifesta, inquit Suar. *d.* 3. *s.* 6. *num.* 15. eadem autem est ratio, quamvis non occurrant propter omissam recogitationem, ad quam non teneor nisi volens confiteri, cùm enim contritio illa sit actus charitatis, & amicitiæ, & ratione motivi universalis pugnet cum omni mortali, hoc ipso virtualiter se extendit ad omnia, & singula mortalia: causatque gratiam remissivam omnium.

Obji. Catechismus Rom. *de Pœn. cap.* 6. ait: *maximè hortandi, & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia*

mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere ſtudeant, ita enim Ezechias contritionem deſcribit: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Reſp. Non dicit hoc eſſe præcepti aut neceſſitatis ad juſtificationem, ſed tantùm conſilii, & diſpoſitionis pro Sacramento, de quo ibi agit. Patetque hunc eſſe ſenſum, nam ſubdit, Deum, quamprimùm quis conteritur, remittere univerſa, *quæ*, inquit, *deinde alio tempore, ſi facultas erit, ſingula in memoriam reducere, ac deteſtari in animo habeat*: quando nempè confitendum erit.

738 §. 11. Non eſt opus, ut hæc contritio ſe extendat ad venialia, quia per hoc habetur contritio, quòd ex motivo bonitatis Dei offenſi concipiatur deteſtatio, & dolor de illis peccatis, quæ cum Dei amicitia pugnant, ſed cum Dei amicitia pugnant ſola mortalia non autem venialia, ergo.

739 *Obj.* Summa Dei bonitas eſt motivum univerſale, ergo debet ſe ſemper extendere ad omnia etiã venialia. R. Eſt motivum univerſale, ſemper uniſaliter movens, n. quandoque magis quandoque minus univerſaliter movens, c. ant. & n. conſ. Quòd autem non ſemper æquè univerſaliter moveat, oritur à voluntate, quæ ex modo, & efficacia deteſtandi vel reſtringit, vel extendit ſuum actum; ſicuti enim intellectus poteſt eidem objecto ex eodem motivo diverſimodè adhærere, nempè fimiter, firmiùs, firmiſſimè propter diverſam ſui applicationem, aut inclinationem voluntatis eum ſimul extrinſecè determinantis, ita multò magis voluntas libera poterit per contritionem diverſimodè deteſtari hoc, quod diſplicet Deo ob eandem bonitatem Dei: 1. deteſtando, quidquid ſolvit amicitiam cum Deo, & hæc contritio eſt infima, ſeque extendit ad ſola mortalia. 2. Deteſtando, quidquid magis deliberatè fit contrà Deum, & hæc contritio eſt perfectior, ſeque extendit ad omnia mortalia, & venialia deliberata. 3. Deteſtando, quidquid ullo modo diſplicet Deo, & hæc contritio eſt perfectiſſima, ſeque extendit ad omne peccatum etiam ad veniale minùs deliberatum, in praxi autem qui ad tertium gradum non contendit, vix attingit ſecundum, & qui non quærit ſecundùm, vix perveniet ad primum.

740 *Inſt.* 1. Bonitas Dei eſt digniſſima, & meretur talem appretiationem, vi cujus excludatur affectus etiam ad quævis venialia, ergo illam dignè non appretiat, uti meretur, qui contritionem non extendit etiam ad venialia. Reſp. n. conſ. nam quamvis non appretiet, quantùm meretur, tamen ſimpliciter dignè appretiat, uti meretur, qui potiùs vult amittere omnia bona, & ſubire omnia mala, quàm illam ſimpliciter deſerere, ſive, quàm ſolvere amicitiam cum Deo: dignius appretiat, qui iſta vult, ne deliberatè etiam leviter offendat, digniſſimè appretiat, qui iſta vult, ne ullo modo diſpliceat. Abſolutè digniſſimè appretiaret, qui iſta vellet, ut fiat, quidquid Deo maximè placet.

741 *Inſt.* 2. Si non excludatur affectus ad venialia, ergo bonitas Dei non appretiatur ſummè, & ſuper omnia, ergo contritio talis non erit actus virtutis Theologicæ, ſecundùm dicta *num.* 730. Reſp. n. ſeqq. tum enim bonitas Dei appretiatur ſummè, & ſuper omnia, prout hìc intelligimus, quando præfertur omni motivo ſimpliciter oppoſito bonitati Dei, & excluſivo ejus amicitiæ: ſimiliter contritio tum eſt appretians bonitatem Dei ſummè ſuper omnia, quando cum contritione ex motivo bonitatis Dei concepta non poteſt ſtare actus, quo ſimpliciter deſeratur Deus, vel Dei amicitia, quod temper eſt, quando voluntas bonitate Dei mota, eſt parata potiùs perdere omnia bona alia, & ſubire omnia mala, quàm peccare mortaliter.

§. 12. Contritio eſt odium aliquo modo inæquale reſpectu diverſorum peccatorum, nam eſt odium peccati; quia hoc malum eſt Deo ſummè bono, ergo ſic fertur in peccata, ut ſit virtualiter, & interpretativè majus odium illius peccati, quod magis pugnat cum Dei bonitate, ergo contritus vi ſui actus eſt ita diſpoſitus, ut ſi eligendum eſſet majus, vel minus peccatum potius eligeret minus, & hoc eſt contritionem eſſe inæquale odium reſpectu diverſorum peccatorum. Hinc 742

1. Vi contritionis magis deteſtor actuale mortale proprium quàm veniale proprium, item mortale alienum quàm veniale alienum; item mortale graviùs quàm minùs grave, item cæteris paribus magis deteſtor plura peccata, quam pauciora. 743

2. His non obſtantibus vi contritionis practicè magis deteſtor veniale proprium quàm mortale alienum, ita ut non debeam velle committere, aut commiſiſſe peccatum leviſſimum, uti vitetur vel ut vitatum fuerit graviſſimum alienum, Dicaſt. *d.* 2. *n.* 201. & ex S. Aug. Boſco *ſ.* 2. *concl.* 13. quia cùm vi contritionis movear beneplacito Dei, hoc vi contritionis practicè magis deteſtor, quod reſpectu mei eſt magis diſſonum à recta ratione, & à voluntate Dei, ſed me peccare venialiter eſt reſpectu mei magis diſſonum à recta ratione, & à voluntate Dei; quàm alterum peccare mortaliter, quia recta ratio dictat non eſſe à me faciendum malum, ut eveniat bonum, alioquin malum fieret bonum, & difforme rectæ rationi fieret illi conforme; ſimiliter voluntas Dei eſt; ut nunquam peccem nequidem venialiter; alioquin meum veniale fieret conforme voluntati Dei, quæ ex terminis implicant, ergo me peccare venialiter eſt reſpectu mei magis diſſonum à recta ratione, & à voluntate Dei, quàm alterum peccare mortaliter, ergo cùm mea contritio ſit maximè ſecundùm rationem, & voluntatem Dei, vi illius deteſtor meum veniale plùs quàm alienum mortale. *Conf.* nam omne peccatum dat Deo rationabilem cauſam diſplicentiæ, ergo ex charitate erga Deum eligere non poſſum peccatum meum tanquam medium ad cavendum peccatum alterius, quamvis enim hic finis cavendi peccatum alterius ſit bonus, tamen Deus non vult eum quæri, niſi per medium licitum, ſicuti quãvis laus Dei placeat Deo, non tamen placet quæri per medium illicitum, alioquin poſſem occidere omnes pueros baptizatos, ut ſtatim in cœlo laudarent Deum. *Nec obſtat*, quòd alienum mortale ſit in ſe majus malum Deo, contritio autem ſit deteſtatio peccati, quia Deo malum eſt, & non quia malum eſt peccanti, *nam* ex hoc tantùm ſequitur, quòd ſpectando præcisè motivum, & præſcindendo à quo peccatum fiat, debeam odio quodam ſpeculativo magis odiſſe peccatum mortale alienum quàm veniale proprium; de cætero in ordine ad electionem, vel deteſtationem practicam, qua volo peccatum non eligi vel excludi, contritio mea magis opponitur meo veniali quàm alieno mortali, quia charitas erga Deum, à qua elicitur illa mea contritio, eſt maximè conformis rectæ rationi, & charitati erga ſeipſum, ergo cùm recta ratio, & charitas erga me dictet, quòd in ſpiritualibus tenear me plùs diligere quàm proximum, charitas erga Deum poſtulàt, ut potiùs caveam meum quàm proximi peccatum. *Conf.* iterum, nam me peccare venialiter eſt à me leve malum Deo, è contrà alterum peccare mortaliter non eſt à me malum Deo, quia permiſſio mea non eſt mala, cùm Deus ipſe etiam permittat, ergo.

3. Vi contritionis magis deteſtor meum veniale actuale quàm originale, quod in Adamo contraxi; item efficaciter, & practicè magis deteſtor meum veniale actuale quàm meum mortale habituale: 744 745

hinc

hinc rectè inferunt Lugo *d.5.n.60.* & Bosco *n.* 419. contra Arr. *d.9.n.* 36. si putarem, vel me moriturum esse in mortali habituali, vel per actuale mendacium accersiri debere Confessarium, à quo absolverer, me potiùs debere permittere, ut morerer in mortali habituali, quàm mentiri, quia meum mendacium esset actualis deordinatio Deo displicens, & maneret de se medium illicitum pro obtinenda justificatione, illudque mendacium esset magis propriè meum mihique magis nunc voluntarium, quàm habituale ut tale: ista enim permanentia non esset mihi ad novum peccatum imputabilis.

749 *Obji.* Hoc à me est magis detestandum, quod in me est Deo odibilius, sed originale, & mortale habituale in me est Deo odibilius quàm actuale veniale, quia propter illa Deus me odit odio inimicitiæ, veniale autem non tollit Dei amicitiam, ergo Resp. Hoc à me est magis detestandum, quod in me est Deo odibilius, si hoc propriè à me fiat, c. si à me propriè non fiat, sed potiùs tantùm permittatur, n. originale autem, & habituale mortale quamvis in me ex stens sit Deo odibilius quàm veniale actuale, tamen nunc propriè non fit à me, sed potiùs permittitur: major autem detestatio debet hoc respicere, quod nunc magis à me fit malum, mihique est magis voluntarium.

747 §. 13. Contritio si sit charitate perfecta justificat, quamprimùm existit, uti habent S. Th. *p.3.q.89.a.2.* O. & Catech. Rom. *de Pœn. c.6.n.* 3. nam omnis actus charitatis causat justificationem, uti probabitur *à nu.* 774. & videtur absolutè declarari à Trid. *sess.14. de Pœn. c.4.* ideòque etiam damnatæ sunt sequentes prop. Bajanæ & 31. *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 33. *Catechumenus justè, piè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur,* 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Dixerunt quidem aliqui propositiones illas damnari, quia videntur loqui de charitate habituali, sed contrà est, nam Bajum intellexisse charitatem actualem, rectè ostendit Arr. *d.12.a.n.13.* & manifestè colligitur ex his vocibus, *charitas sincera, quæ est ex corde puro, fide non ficta: charitas, quæ est plenitudo seu adimpletio legis, mandata observat, ac legem implet per charitatem,* &c. quæ non conveniunt charitati habituali, sed soli actuali, cui soli etiam conveniunt verba Apostoli ad Rom. 13. v. 10. *Plenitudo legis est dilectio,* quæ verba inde sumpsit Bajus.

748 *Obji.* 1. Si contritio, quamprimùm existit, justificat, ergo frustra sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, R. n. seq. nam talis contritio includit votum Baptismi, vel Pœnitentiæ, ergo votum hoc debet impleri. Deinde dantur specialia præcepta de illis Sacramentis, saltem in ordine ad augendam gratiam, hinc si quis per Sacramentum Pœnitentiæ justificatus, sit oblitus aliquod mortale, tenetur ad hoc posteà confiteri? Prætereà Sacramenta sunt saltem pro illis, qui hìc, & nunc conferi non possunt. Denique Sacramenta cum attritione sunt medium justificationis facilius quàm contritio, ergo Sacramenta non sunt frustra.

Inst. Saltem non erit verum, quòd Sacerdotes habeant potestatem retinendi peccata, quod tamen Christus dicit *Joan. 20. v. 23.* R. n. ass. quia possunt retinere ea, quæ ad Sacramentum afferuntur cum sola attritione. Deinde possunt retinere, quia possunt negare absolutionem; per quam conferretur gratia remissiva, & remitteretur pars pœnæ.

Obji. 2. Magdalena *Lucæ 7.* fuerat contrita priusquam Christus illi remitteret peccata his verbis, *remittuntur ei peccata multa.* R. Quamvis peccata iterum fuerint dimissa per illa verba, uti docet S. Th. *p.3.q.64.a.3.* tamen etiam ante erant dimissa, uti & ante ista verba, quæ posteà Christus ad illam conversus dixit, *remittuntur tibi peccata.* Sensus itaque utrorumq; est, quòd non eo præcisè physico instanti primò remitterentur, sed eo moraliter tempore remissionem haberet, quia dilexisset, sic Christus *Marci 5. v.29.* anteà sanaverat mulierem à fluxu sanguinis, & posteà conversus ad eam dixit, esto sana à plaga tua, id est, es & manes sana, quia, ita credidisti. 749

Inst. 1. Paulus ante fuerat contritus, & tamen Ananias, *Act. 22. v.* 16. ait, *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua.* Deinde centurio, *Act. 3. Vir. religiosus ac timens Deum, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*, utique habuerat contritionem, neque tamen erat justificatus, n. n. Petrus ad eum vocatus est, ut edoceret *remissionem peccatorum accipere.* R. 1. Ananiæ non constabat de contritione Pauli, & quamvis constitisset, tamen manebat præceptum Baptismi, quo conferretur nova gratia ablutiva peccatorum, & remitterentur etiam quoad pœnam *Ad 2.* si Centurio habuerat contritionem, erat justificatus, attamen edoceri debebat de præcepto Baptismi, quo iterum & certiùs accepturus erat gratiam remissivam peccatorum etiam quoad pœnam. Et eodem modo intelligi debet S. August. 8. *Confes. c.4.* dicens, *Ea fides, licèt per talem tantamque dilectionem operans, me securum non faciebat de præteritis peccatis, quæ mihi per Baptismum tuum nondum remissa erant.* Plura loca Scripturæ videri possunt explicata apud Bellarm. *de Pœn. l.2. c.14.* 750

Inst. 2. Si contritio statim justificaret, contritus posset sine confessione accedere ad Eucharistiam. R. n. ass. quia licèt quis certò sciret se esse in gratia, tamen in Trid. *sess. 13. c.7. & can.11.* est speciale præceptum præmittendi confessionem mortalium nunquam in confessione expositorum: quia tamen *Trid.* dicit Sacerdotem non habentem copiam confessarii posse celebrare sine confessione, & Clemens VIII. in Pontificali Romano dicit ante reliqua Sacramenta sufficere contritionem, ex his certum est per contritionem causari gratiam. 751

§. 14. Hæc contritio delet omne mortale quoad culpam, quia unum non potest remitti sine altero, cùm de facto remissio fiat per gratiam, quæ pugnat cum singulis mortalibus, uti jam dicetur. 752

§. 15. Remissa per contritionem culpa mortali de facto semper remittitur pœna æterna, S. Thom. *p.3.q.86.a.4.* Suar. *d.10. s.3.* aliique communissimè, partim contra antiquos apud Aversam *q.3. s.10.* partim contra Estium, Castorienſem, & quosdam Lovanienses apud Gorm. *n.354.* qui fatentur aversionem à Deo statim remitti; dicunt autem reatum pœnæ æternæ tum priùs remitti, quando per alios, quod Sacramentum nobis applicantur satisfactiones Christi: sed oppositum docet Trid. *sess. 6. c.14.* declarans pœnam æternam unà cum culpa remitti, hinc damnata est hæc 70. propos. Bajana: *Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æterna damnationis.* Ratio est, quia culpa non remittitur nisi per gratiam, ubi autem est gratia, est adoptio in filium Dei, ergo jus ad hæreditatem, secundùm illud ad Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, & hæredes.* 753

Idemque

Idemque habet Trid. *sess. 6. c. 7.* hæreditas autem est æterna beatitudo excludens pœnam æternam. Nec opus est Sacramento, ut nobis applicentur satisfactiones Christi, sed sufficit actus supernaturalis elicitus per auxilium supernaturale datum ex meritis Christi, cui Deus appromisit, & Christus applicavit satisfactiones suas tanquàm merito saltem congruo.

754 §. 16. Per contritionem non semper remittitur tota pœna temporalis, uti fides docet ex Trid. *sess. 6. cap. 14. & can. 30. Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis, &c. anathema sit.* Idem repetit *sess. 14. de pœn. c. 8. & can. 12.* Hanc veritatem docet etiam Scriptura, nam *Num. 20. & Deut. 34.* Moyses, & Aaron post remissum peccatum incredulitatis mortui sunt in pœnam *Num. 14.* remissum populo peccatum murmurationis, attamen mansit pœna mortis *2. Reg. 12.* remissum est David adulterium & homicidium, sed in pœnam mortuus est infans ex adulterio natus. Putant tamen Suar. *d. 10. s. 3. n. 18.* & Lug. *d. 8. n. 64.* cum culpa semper remitti aliquid pœnæ etiam temporalis: sed manet incertum, quàm diuturna pœna temporalis, per se loquendo, maneat solvenda post remissum quodvis mortale, putatque Hautinus *in Patroc. Defunct. à n. 370.* Deum esse benignum, si cuilibet mortali remisso non relinquat plùs quàm sexcenta millia annorum in pœnam, quia major pœna debetur unico mortali quàm omnibus venialibus simul sumptis: creditur tamen per infinitam Dei benignitatem nunc breve tempus assignari, v. g. 7. annos.

755 *Obj. 1.* Per Baptismum remittitur omnis pœna, ergo etiam per Pœnitentiam. Resp. n. conc. rationem dat *Trid.* suprà, quia ante Baptismum potiùs per ignorantiam peccavimus, & tanquàm debiles, nec adjuti tantis donis Dei: post Baptismum autem violavimus templum jam consecratum Spiritui S. fuimusque insigniter ingrati. Deinde oportuit pœnam relinqui, ut à relapsu deterreremur, ut ponendo satisfactiones recuperaremus etiam bonos habitus naturales operandi, ut sic bene operantes compateremur Christo, & quod deest ejus passionibus, adimpleremus in nobis.

756 *Inst.* Per hoc fit injuria satisfactionibus, & meritis Christi, est enim, atque si non fuerint sufficientes ad delendam omnem pœnam. Resp. Hoc dicere est hæreticum, uti definit Trid *sess. 6. can. 33* Ratio est, quia hoc non refunditur in defectum meritorum vel satisfactionum Christi, sed in liberam Dei, ac Christi voluntatem, qui noluit aliter applicari nobis, unde sicuti gratiæ Christi non derogat, quòd non salventur omnes homines, ita nec quòd per eam non semper remittatur omnis pœna.

Obj. 2. Sublata causa tollitur effectus, sed culpa est causa omnis pœnæ, ergo sublata culpa tollitur omnis pœna. R. sed culpa, ut physicè suo tempore existens, est causa pœnæ. c. culpa, ut moraliter perseverans in ratione culpæ, n. sic Pater ut physicè existens erat causa filii, manet tamen filius patre defunctè.

757 *Obj. 3.* Culpa mortalis non potest à Deo mutari in venialem, ergo nec pœna æterna in temporalem. R. 1. S. Th. Caj. Sot. Maurus *l. 5. q. 39. n. 24.* aliique apud Suar. *d. 10. s. 3. n. 10.* dicunt pœnam æternam non mutari in temporalē, sed totam pœnam æternā, quam meretur aversio à Deo, remitti; temporalem autem, quam meretur conversio ad creaturam, non remitti. R. 2. n. conc. quia omnis culpa est moraliter mala, ergo Deus non potest etiam ex majori facere minorem. Deinde omnis culpa est actus peccantis, ergo nulla culpa potest à Deo causari: quod pluribus demonstrat Lugo *d. 7. à n. 72.* E contrà pœna non est moraliter mala, sed Deus, & quivis Judex est causa illius, unde non est ratio, cur majorem non possit mutare in minorem. V. Suar. suprà *à n. 14.*

Q. 102. An dari possit aliqua contritio, quæ non justificet? 758
Ratio dubitandi est, quia Aversa *qu. 3. s. 8.* Con. *d. 4. n. 37.* Lug. *d. 5. nu. 79. & 82.* Arr. *d. 8. num. 5.* Palav. *num. 148.* Maurus *qu. 243. num. s. 2. num. 180.* Le Dent *De attritione n. 290.* Gormaz *n. 278.* probabiliter dicunt posse dari amorem Dei, ex motivo absolutæ bonitatis Dei, qui non excludat omnem voluntatem moraliter peccandi, nec appretiet bonitatē Dei super omnia, ideóque non sit actus charitatis Theologicæ: sicuti enim possum ex motivo bonitatis Dei velle dare eleemosynam, non tamen velle fieri Religiosus, item velle vitare omnia mortalia, non tamen omnia venialia, ita possum velle vitare gravissima mortalia, non tamen minùs gravia: ad eum planè modum, quo possem ex amore hominis velle illi dare unum ducatum, non tamen mille; item velle non occidere eum, attamen velle ei inferre grave damnum. Et similiter possum gaudere de bono Dei in se; desiderare, ut ab omnibus honoretur, quia dignus est; orare quia hoc ipsi placet, neque tamen ideò hi actus excludunt voluntatem peccandi, v. g. per luxuriam. Addit rectè *Aversa* dari posse amorem in futurum placendi Deo super omnia, qui tamen non justificet, eò quòd nequidem virtualiter retractet peccata præterita, nec absolutè appretiet Deum super omnia, sicuti potest aliquis alteri homini pro futuro optimè velle in omnibus, & tamen gaudere quoad præterita; quòd vindictam sumpserit de illo. Unde ratio horum à priori est, quia quamvis bonitas Dei sit motivum de se universale, & etiam dignissimum, ut universaliter moveat, tamen secundùm dicta *n. 739.* potest voluntas nostra moveri *nolle* universaliter, sed restrictè, & pro libertate sua ad hærere uni objecto malo, quamvis ex motivo talis bonitatis Dei recedat ab alio objecto malo. Hinc Resp.

1. Si quis ex motivo bonitatis Dei detestare- 759
tur gravissima tantùm mortalia, non autem minùs gravia, talis actus non justificaret, uti per se patet. An autem simpliciter dici deberet contritio, non potest esse quæstio nisi de nomine, & saltem in talem actum non influeret habitus charitatis, cùm non appretiet Deum super omnia. Resp. 2. 760
Si quis doleret de perjurio in quantum est Deo, ut summè veraci malum, aut de alio peccato, in quantum Deo malum est secundùm specialem perfectionem, cui directè opponitur, videtur probabilius, quòd etiam talis actus non justificaret, quamvis supponeremus, quòd sic dolens non haberet, nisi illud peccatum, quia talis actus non est aversio ab omni peccato tanquam malo Deo, nec est conversio ad Deum, ut summè bonum, ideóque omnes communiter cum Amico *d. 3. num. 63.* nolunt talem actum vocari absolutè contritionem, sed attritionem, eò quòd attingat specialem turpitudinem hujus tantùm peccati, ut oppositi huic divinæ perfectioni, & consequenter secundùm *dicta num. 730.* in talem actum non influet habitus charitatis, quia non appretiat absolutam Dei bonitatem super omnia. Unde quando *dixi*, vel dicam per contritionem, aut per amorem Dei super omnia causari justificationem, *intelligitur* contritio, & amor absolutè efficax, qui sint saltem virtualis detestatio omnis peccati mortalis tanquàm mali Deo ex motivo absolutæ bonitatis Dei.

Q. 103. An ad contritionem, quæ justificet sine 761
Sacramento, requiratur aliqua certa intensio, vel extensio, seu duratio quoad tempus? Resp. §. 1.

Adrianus ad perfectam contritionem requisivit intensionem summam ; sed Suar. *d.* 4 *s.* 4. Con. *d.* 6 *n.* 62. Amic. *d.* 4. *n.* 164. rectè dicunt sententiam illam non esse probabilem ; nam non debet esse summa absolutè, quia hæc implicat, & sæpè dantur contritiones sufficientes, quibus dari posset alia intensior. Nec debet esse summa respectivè ad præsens Dei auxilium, aliquin quid hodie cum auxilio ut tria, elicit contritionem, ut tria, & justificatur, si cras cum auxilio ut sex eliceret contritionem ut quinque non justificaretur, quod est absurdum : neque enim tenemur semper respondere toti intentioni gratiæ.

762 §. 2. *Durand. Ric. Palud. Sot.* requirunt intentionem quæ superet alios actus in voluntate concomitantes : idem sensisse putatur *S. Bonav.* quamvis eum ab ea sententia vendicare velit Bosco *s.* 2. *à n.* 237. sed cujuscumque sit, eam æquè improbabilem esse dicunt Suar. *suprà*, Con. *n.* 63. Amic. *n.* 166. Ratio est, quia pater dolens filio mortuo per actum intensum, ut sex potest conteri de peccatis, & justificari par actum intensum, ut quinque, quo appretiet peccatum, & Deum super omnia : si enim alius homo, vel ipse nunc haberet hunc actum solum, justificaretur, uti omnes fatentur, ergo etiam justificatur, quamvis adsit alter dolor intensior de morte filii, qui de se malus non est, uti suppono, & per accidens sehabet

763 §. 3. Aureol. Bassolus, & alii apud Amic. *n.* 161. requirunt certam intensionem, sed nobis ignotam, vel secundùm quantitatem peccatorum, quæ sententia communiter etiam attribuitur Scoto, quamvis Bosco *à n.* 239. conetur excusare. Eam autem acerrimè defendit Hiquæus *in Comment. ad Scot. in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *à n.* 97. sed Amic. dicit se pro hac sententia etiam non invenire probabile fundamentum : malè enim dicitur nos obligari ad certam intensionem, & tamen nescire, nequidem probabiliter, quænam illa sit, nam ita exponimur periculo, ut vel minus agamus, quàm tenemur, vel nos immoderatè divexemus in extendendo actu. Deinde contritio, quæ sufficit ad delendum mortale minus, sufficit ad delendum majus, uti expressè S. Th. *in supplem. q.* 5. *ar.* 3 *ad.* 2. & quæ sufficit ad delendum unum, sufficit ad delenda omnia, quia contritio tollit unumquodque peccatum causando gratiam, quæ etiam in quocunque remississimo gradu excludit peccata omnia.

764 §. 4 Estius, Lupus, Farvacques, & alii Lovanienses apud Platel *p.* 5 *n.* 550. item Illustris. Le Drou Ep. Prophyriensis *de contrit. & attrit. diss* 4. *c.* 6. §. 3. etiá requirunt certam intentionem, in quantum contritionem ab attritione distinguunt per hoc, quòd contritio sit magis, attritio autem minus intensa; sed hæc sententia videtur æquè improbabilis, ac cæteræ, nam attritio de se non respicit bonitatem Dei pro motivo, uti *à n.* 784. dicetur, neque ullum fundamentum est dicendi non posse dari attritionem, v. g. ex spe beatitudinis æternæ, quæ sit intensior contritione sufficiente ad justificationem. Atque ex dictis sequitur contra quosdam Juniores, ut contritio justificet, non requiri, ut intensione superet affectus actuales, & habituales cordis, alioquin qui actu intensissimo, & honesto doluit de infausta morte Patris sui, debebit dolere de [illegible] adhuc intensiore, qui ipsi sæpè, & præsertim in articulo mortis debili, vel turbato erit moraliter impossibilis, ideóque talis homo justificari non poterit nec salvari : hoc autem dicere, est dare occasionem desperandi, ergo.

765 §. 5. Scotus videtur dicere, quòd ad contritionem requiratur certa duratio temporis à Deo taxati, Scoturi tamen conatur explicare Bosco *à n.* 372. sed illum ita sentire fatetur Hiquæus : quam opinionem Almainus censet probabilem, & ex parte sequitur Caj. apud Dicast. *d.* 2. *dub.* 9. absolutè autem eam defendit Hiquæus *à n.* 110. sed Suar. *s.* 5. *n.* 3. meritò dicit carere fundamento, & probabilitate, nam Ezech. 33. vers. 12 dicitur, *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ratio autem est, tum quia contritio, quamprimum existit, causat justificationem, secundùm dicta *n.* 747. tum etiam quia contritio, quæ continuatur, habet in singulis instantibus perfectionem contritionis essentialem, & specificam, ergo talis contritio etiam prout respondens primo instantiæ què justificat, ac respondeus sequentibus instantibus : Hinc. 66

§. 6. Rectè docent Aversa *q.* 2. *s.* 10. & alii certum esse, quòd ad contritionem, ut justificet, non requiratur certa intensio, aut extensio, nam Scriptura, cujus textus referam *n.* 774. appromittit gratiam verè pœnitenti, & Deum amanti, nulla prorsus facta mentione intensionis, aut durationis. Similiter SS. PP. quos ibidem referam, & Trid. *sess* 14. *c.* 4. dicit peccatorem justificari extra Sacramentum per contritionem, ad quam tantùm requirit, ut sit charitate perfecta : & specialiter quod attinet ad intensionem ita expresse docet *Synod. Agathensis* apud Gorm. *p.* 1. *n.* 445. his verbis, *Sat est ad veram contritionem detestatio super omnia, licèt dolor non sit ita intensus ut alicujus mali temporalis.* Similiter S. Th. *in supplem. q.* 5. *a.* 3 *sed contrà, quælibet contritio est gratia gratum faciente informata, ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.* Et *in fine* O. sic addit, *Sic ergo dicendum, quòd quantumcunque parvus sit dolor, dummodò ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* De duratione idem docet 1. 2. *q.* 113. *a* 7 *O.* ubi ait motum liberi arbitrii, per quem causatur justificatio, posse esse instantaneum. Clarissimè utrumque dicit S. Chrysost. *relatus cap. Talis de Pœn. dist.* 3. his verbis, *Quantulamcunque tamen & quamlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam.* Ratio à priori est, quia contritio est appretiatio peccati super omnia mala : & appretiatio Dei super omnia bona, propter infinitam Dei bonitatem; & in hoc consistit ejus quasi substantia; quòd autem sit magis vel minùs intensa, quòd plùs minusve duret, est aliquod illi accidentale : & hæc quidem intensio vel duratio major oritur potissimùm ex parte sensitiva, quæ plurimùm juvat, aut promovet, conatum voluntatis vel teneritudinem affectus : E contrà appretiatio oritur ex judicio rationis, ergo non est credibile, quòd Deus vim justificandi alligarit intentioni vel durationi actus, & non potiùs efficaci ejusdē appretiationi. *Conf.* 1. nam gradus intensus non auget appretiationem objecti, sed solùm conatum vel teneritudinē circa objectum, hinc dari potest actus valdè intensus doloris circa canem mortuum, qui tamen in appretiatione non adæquet actū remississimū circa patrem mortuum. E contrà appretiatio ex naturā sua est actus, qui sive sit intensus sive remissus, secundùm suam speciem magis æstimat, & præfert suum objectum, hoc autem sufficit ad contritionem, quæ justificet, ut ita super omnia detestetur peccatum & præferat Deum, ergo, *Conf.* 2. nam talis actus charitatis justificat, quali[illegible] sufficit ad implendum præceptum 1. Decalogi, sed ad hoc sufficit quivis actus ex motivo bonitatis Dei super omnia, præscindendo ab intentione, ergo.

Obj. 1. Conv[illegible]turale est, ut ubi reperitur summa appretiatio objecti, ibi etiam sit summa intensio actus circa objectum, & contrà, ergo qui amat vel odit aliquid intensiùs quàm Deum & aut p[illegible]tum, non appretiat Deum & peccatum super omnia. R. n. ant. patet enim, quòd venator sæpè intensiùs amet canem quàm patrem suum, à quo est offensus, quem tamen plùs appretiat, paratus 767

potiùs

potiùs carere cane quàm patre. Ratio à priori est data, quia appretiatio & intensio oriuntur ex diversis causis, appretiatio ex æstimabilitate sive dignitate intrinseca objecti secundùm prudentem rationem, intensio ex vehementi applicatione vel conatu potentiæ, aut ex teneritudine affectus erga objectum : quæ præcipuè oriuntur à potentiis sensitivis.

768 *Inst.* Peccator debet de peccatis dolere ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, ergo cum certa intensione actus. R. n. cons. nam etiam debet credere ex toto corde, Actor. 8. *v.* 37. & tamen nemo requirit certam intensionem in fide. Dolet ex toto corde, &c. quando appretiat peccatum super omne aliud malum, & ab illo se convertit ad Deum, hunc iterum amando super omne bonum : neque opus est, ut faciat, quidquid absolutè potest, sed tantùm, ut applicet totum cor, totam animam, totas vires ad hoc faciendum, quod Deus fieri vult; hoc autem, quod fieri vult, est talis efficax appretiatio peccati & Dei super omnia. Quòd si SS. PP. aliquando plus innuant, tantùm loquuntur pro consilio vel pro necessitate habendi remissionem etiam pœnæ, ad quam delendam multùm confert intensio actus.

769 *Obj.* 2. S. Th. *de veritate q.* 28. *a.* 8. *ad* 3. ait, *dicendum, quòd contritio ab attritione præcedente non differt solùm secundùm intensionem doloris sed etiam informationem gratiæ.* Idem videtur dicere *in 4. dist. q. 2. a.* 1. R. Tantùm vult eum, qui priùs habuit attritionem, ordinariè posteà habere intensiorem contritionem, quia voluntas per motiva attritionis disposita, simul ex eisdem cum motivo bonitatis Dei contritionem elicit, per quam etiam obtinet gratiam. Potest etiam per intensionem intelligi major perfectio specifica actus, sicuti dicimus unicum rationale hominis esse intensivè perfectius quàm differentias omnium brutorum : & in eum sensum dicit S. Th. *in suppl. qu. 3. art.* 1. *O. Dolor in contritione excedit omnes dolores, nempè motivo.*

Inst. S. Th. *in suppl. qu. 5. a. 3. O.* ait, *dolor ∴ potest esse parvus, adeò quòd non sufficiet ad rationem contritionis ∴ sicut etiam amor potest esse ita remissus, quòd non sufficit ad rationem charitatis.* Resp. loquitur de dolore ex motivo alio quàm charitatis Theologicæ, secundùm dicta *à. num.* 758. aut intelligit, si doleat, quia amittitur finis ultimus, nam addit, *ut si minùs displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine ultimo.*

770 *Obj.* 3. Catech. Rom. *de Pœn. c.* 7. docet contritionem, quia debet pro qualitate criminum intendi ad certum gradum, esse valdè difficilem, ideóque Deum instituisse Confessionem tanquam faciliorem modum justificationis; verba illius sunt hæc : *Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, &c.* Resp. Quamvis idem Catechismus *c.* 5. moneat, ut contritio de peccatis sit, *non solùm maxima, sed vehementissima*, tamen addit, *quamquam si id minùs consequi nobis liceat, vera tamen & efficax contritio esse potest, sæpè enim usuvenit, ut qua sensibus subjecta sunt magis quàm spiritualia nos afficiant, quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu quàm ex peccati turpitudine doloris sensum capiunt.* Itaque tantùm vult, meritò dolendum esse vehementissimè, nam ibidem dicit, *summum & maximum dolorem ex peccatis suscipiendum esse, ita ut nullus major excogitari possit.* Item, *ut quem admodum nullus finis & modus charitati præscribitur, ita peccati detestationi nullus modus definiatur* : patet autem hæc non requiri tanquam absolutè necessaria; nam etiam lacrymas commendat, sed tantùm intelligit, æquum esse, ut quantum in nobis est, conemur habere intensissimum dolorem.

Estque notandum, quòd non dicat contritionem debere esse acrem & intensam, ut plerique cum Patel. *num.* 561. malè legunt, sed acrem & incensam, qualis est, si contritus detestetur peccatum & redamet Deum super omnia, omnis enim Dei super omnia dilectio est ex natura sua vehemens, acris, incensa, quia est amor maximus præferens Deum omni creaturæ : & ita seipsum explicat Catech. Rom. dicens *omnibus rebus Dei amorem anteponendum esse.*

Obj. 4. Si non requiratur certa intensio vel nobis ignota duratio contritionis, ergo homo poterit esse certus de sua contritione, adeóque certus erit se esse in gratia, quod est contra scripturam & Trid. *sess. 6. c. 9.* R. n. sequel. nam 1. nescit, an debitè appretiet peccatum & Deum super omnia. 2. nescit, an suus actus sit supernaturalis. Ex dictis,

Infertur, falsa esse quæ docet Christianus Lupus, 771
prout refert Le Dent *c.* 12. *à nu.* 295. nam dicit 1. ad contritionem, quæ justificet sine Sacramento, requiri, ut homo vi illius nullum habeat amorem affixivum ad creaturam, id est, ut ita sit à creaturis avulsus & Deo ita conjunctus, ut nullo esset afficiendus dolore vel sensu, quamvis ipsi tollerentur parentes, divitiæ, honores, &c. sed sic animo comparatus, ut hæc omnia cum gaudio dimitteret. 2. Credendum non esse agonizantes quosdam ejusmodi contritionem concipere aut justificari sine Sacramento. 3. S. Petrum antequam negaret Christum, Davidem conversum, Magdalenam pœnitentem aliosve non videri habuisse hanc contritionem, sed speciali Dei dono justificatos esse. 4. Apostolos omnes ante acceptum in Pentecoste Spiritum non habuisse amorem vel contritionem qui potuisset justificare sine Sacramento. 5. Contritionem justificantem debere esse efficacem non tantùm affectivè secundùm voluntatem præsentem, sed etiam effectivè seu quoad effectum cavendi peccata, adeóque si posteà quis in mortale relabatur, signum esse, quòd anteà non habuerit contritionem. Hæc aliaque similia Rigoristarum principia non videntur probabilia, possuntque dare occasionem dicendi contritionem esse moraliter impossibilem, sicque homines Sacramento destitutos conjiciendi in desperationem.

Q. 104. *An contritio, quæ justificat sine Sacramento, secum patiatur spem & timorem?* Resp. §. 1. 772
Le Drou *d.* 4. *c.* 3. §. 3. docet illam contritionem esse perfectam & justificare sine Sacramento, quæ foras mittit timorem, secundùm illud 1. Joan. 4. *v.* 8. *Charitas perfecta foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Consequenter infert, si Martyr pateretur mortem simul ex motivo timoris inferni, habiturum charitatem imperfectam. Sed opinio illa est contra communem, & adversatur S. Th. 2. 2. *qu.* 19. *art.* 6. *O. Timor pœnæ potest stare cum charitate sicut & amor sui : In* 3. *dist.* 34. *qu.* 2. *art.* 2. *quæstiu.* 3. *Timor servilis manet adveniente charitate, quantùm ad substantiam, sed non quantum ad servilitatem : art.* 3. *qu.* 2. *Timere pœnas æternas non est actus timoris initialis sed compatitur secum istum actum, sicut & timor castus.* Hinc

§. 2. Tenendum est tanquam certum, quòd 773
charitati perfectæ justificanti sine Sacramento non obstet, quòd ei adsit supernaturalis spes præmii vel timor pœnæ, nam in primis Innoc. XII. die 12. Martii 1699. damnavit propositiones Cameracenses, quibus

asserebat talem aliquando esse statum charitatis perfectæ, ut excluderet spem & metum, inter illas enim sunt hæ: 1. *Datur habitualis status amoris, qui est charitas pura & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum neque desiderium remunerationum habens amplius in eo partem, &c.* 2. *In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ amittitur omne motivum inferius statum timoris & spei.* 3. *Purus amor ipse solus constituit notam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.* Deinde viri sanctissimi in fine vitæ, quando proculdubio implebant præceptum perfecti amoris erga Deum & perfectæ contritionis, de quo præcepto dicam num. 2009. leguntur habuisse ingentem timorem ratione divinorum judiciorum, sic S. Hilarion, de quo in Breviario Romano ad 21. Octobris, *Cùm extremo ferè spiritu conflictaretur, dicebat egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times? quibus in verbis spiritum exhalavit.* Innumera sunt ejusmodi exempla. Ratio à priori est, quia nullus actus supernaturalis de se pugnat cum charitate perfecta, cùm omnis actus supernaturalis sit ex impulsu Dei, qui in se charitas est, & Author perfectissimæ charitatis in nobis, Deus autem non pugnat cum se ipso, atqui spes vel timor, de quibus loquimur, sunt actus supernaturales, quales esse posse, fide certum est, ergo non pugnant cum charitate perfecta. Unde quando Scriptura & SS. PP. dicunt, quòd *charitas foras mittat timorem*, intelligunt timorem serviliter servilem, inordinatum, immoderatum: hoc tamen etiam verum est, & hoc fortasse volunt aliquando, quòd quantò aliquis magis ardenter & purè amat Deum, tantò minùs soleat attendere ad motiva etiam supernaturalia spei vel timoris, uti habet S. Thom. *suprà art.* 10. *O* his verbis. *Quantò aliquis, magis diligit Deum, tantò minùs timet pœnam, primò quidem, quia minùs attendi ad proprium bonum, cui contrariatur pœna, secundò quia firmius adhærens magis confidit de præmio, & per consequens minùs timet de pœna.* Sed falsum est, & inde malè infertur, quòd charitas non patiatur, aut de se repugnet spei vel timori supernaturali, hinc S. Thom. ad 3. addit, *Amor charitatis augmentatus, reverentiam timoris non minuit sed auget.* Videri potest Palav. *à n.* 152. item Corn. à Lapide in eum locum Apostoli, item dicenda hic *à n.* 1724 ubi practicè ostendam, quomodo per attritionem ex spe & metu assurgere debeamus ad perfectam contritionem.

Obj. Si motiva charitatis & timoris non pugnent: ergo poterit unicus actus procedere ex motivo charitatis & timoris, hoc autem implicat, quia actus charitatis debet procedere ex motivo solius bonitatis Dei, & pro motivo, cui, habere solum Deum. R. 1. *Si ista duo motiva non possint influere in unum eundemque actum, influant in duos, & sic salvatur,* quod dixi. R. 2. c. seq. cum S. Th. *in* 3. *dist.* 34 *q.* 2. *art.* 3. *quæstiu.* 2 *ad* 1. *Timor initialis non includit servilem secundum essentiam, sed inquantum concurrunt ad unum actum imperandum.* Et talis actus simulerit charitatis & timoris, qui prout erit charitatis respiciet solam bonitatem Dei & Deum, ut finem, cui; prout erit timoris, respiciet pœnam & pro fine cui habebit hominem ipsum: sicuti actus, qui simul est fidei divinæ & humanæ, prout est fidei divinæ, respicit solam Dei authoritatem; prout est fidei humanæ, solam authoritatem hominum. Et similiter loqui solemus de actu, qui simul esset fidei, scientiæ & opinionis.

774 Q. 105. *An omnis contritio, quæ est actus charitatis Theologicæ, justificet sine Sacramento?* Resp. Negant aliqui cum Le Drou *diss.* 4. *cap.* 1. *& seq.* sed oppositum tenendum est ex dictis. *à num* 747. *&* 756. Quod ulteriùs, *Probatur* 1. ex Scriptura, quæ de dilectione (per quam intelligitur dilectio Dei ex charitate, seu quæ est amor Dei propter se & super omnia) absolutè dicit, quòd causet reciprocam Dei dilectionem & gratiam, quòd tollat peccatum, &c. Sic dicitur Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum*, v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joannis 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*, id est, factus est filius Dei, uti exponunt interpretes cum Corn. à Lapide.

Prob. 2. Ex SS. PP. nam S. August. *De Trinit. l.* 15. *c.* 18. ait, *Ipsa dilectio sive charitas... perducit ad regnum.* In expos. Epist. ad Galatas, *Formatur Christus in eo, qui formam accipit Christi: formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spirituali.* De fide & oper. cap. 14. *Charitas implet legem & facit rectè vivere*, sed *non vivunt benè homines nisi effecti filii Dei*, Lib. 1. contra 2 Epist. Pelagian. c. 2. *ergo charitas efficit filium Dei.* Tract. 7. in Joannem, *Qui diligit ex Deo natus est. Quare? Quia Deus dilectio est.* Tract. 9. *Timor medicamentum, charitas sanitas est.* Tract. 76. *Dilectio sanctos discernit à mundo.* Tract. 9. in Epist. Joannis, *Diligendo Deum amici facti sumus.* S. Chrys. Hom. 7. in 2. ad Timoth. *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* S. Greg. in Lib. 1 Regum c. 3. *Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis, vis autem conversionis est affectio charitatis.* S. Anselm. in Monol. *Dubitari nullatenus debet, quòd ipse omnem naturam se verè amantem amet*; atqui omnis diligens Deum super omnia, & propter Deum ipsum, verè amat Deum, ergo. S. Ephrem de die judicii c. 5. *Compunctio sanitas animæ est.* S. Bern. Serm. 83. in Cant. *Amor per se sufficit.* Cassiod. de Amicitia 6. De dilectione Dei; *Charitas est criminis abolitio.* S. Thom. 1. 2. *qu.* 89 *art.* 6. *O.* Amor Dei, quo quis se iterum ordinat ad finem ultimum, causat gratiam, sed contritio ex charitate est amor Dei, quo quis se iterum ordinat ad finem ultimum, ergo.

Prob. 3. Ex communi sensu totius Ecclesiæ quæ sæpè fidelibus omnibus contritis concedit Indulgentias, quarum capax non est, nisi justificatus. Item monet Sacamentis vivorum præmittendam esse saltem contritionem, per quam restituatur gratia, si fortè absit, ergo certum est Ecclesiam supponere, quòd per contritionem, quæ est absolutè ex motivo bonitatis Dei super omnia, causetur justificatio. *Prob.* 4. ratione quia contritio, quæ procedit ex motivo charitatis erga Deum, est actus perfectissimus, quo peccator gratia Dei excitatus, & adjutus avertit se à peccato tanquam malo ipsi Deo & se iterum convertit ad Deum super omnia dilectum, propter Deum ipsum, ergo congruum fuit, ut ad positionem illius, Deus vicissim se converteret ad hominem, secundùm illud Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & convertar ad vos.*

His argumentis permotus Sylvius reractavit priorem sententiam, qua id negaverat: Et meritò, inquit Gonet *d.* 3. *num.* 27. *eò quòd apertissimè contradicat variis Scripturæ, Conciliorum, SS. PP. testimoniis, necnon Summorum Pontificum decretis, ac omnibus scholasticis.*

Respondent. 1. Auchoritates adductas explicari 775 posse

posse de charitate habituali. *Contrà est.* 1. ex verbis ipsis, saltem plerisque, patet ad oculum, quod loquantur de actu dilectionis & amoris, 2. Non loquuntur speculativè de habitu charitatis, sed practicè incitant ad actus amoris Dei, ergo loquuntur de charitate actuali. 3. Scriptura & SS. PP. communiter per charitatem, intelligunt actualem, sic enim S. Dionys. *de div. nom. c.* 4. ait, *Mihi enim videntur Theologi existimasse commune nomen esse amoris, & charitatis.* Et paulò infrà, *pro eodem ponuntur à sanctis Theologis charitatis & amoris nomina.* S. August. 15. *de Trinit. c.* 18. *Ipsa verò dilectio seu charitas, nam unius rei est utrumque nomen.* Et *lib.* 3. *de doctrin. Christ. c.* 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Vide n. 747.

776 *Resp.* 2. Intelligi de sola charitate perfecta seu intensa. *Contra est*, nam imprimis *Synodus Agathensis*, uti retuli *n.* 766. expressè dicit hoc de contritione, *licèt dolor non sit ita intensus.* S. Thom. ibidem relatus dicit, quòd *quælibet contritio, quantumcunque parvus si dolor, dummodò ad contritionis rationem sufficiat.* Catech. Rom. *num.* 770. relatus dicit, *contritionem posse esse veram & efficacem*, quamvis non sit maxima. Deinde Scriptura & PP. dicunt ista de dilectione Dei, & de charitate simpliciter ac sine addito, ergo. Quòd si sententiæ toties repetitæ & abstrahentes à terminis illis, *perfecta, vehemens, intensa, diuturna*, non sufficiant ad persuadendum hoc de dilectione & charitate simpliciter & quoad substantiam tali, nihil poterit absolutè probari ex Scriptura vel PP. quia quisque facilè inveniet distinctiunculam, per quam verba detorqueat à vero ad suum privatum sensum.

777 *Obji.* 1. S. Aug. docet catechumenis non remitti peccata, nisi dum baptizantur, sed cathecumeni debent amare, & sæpè *flagrant* amore Dei super omnia, ergo. Ita Le Drou *arg.* 10. Resp. 1. Si argumentum valet, ergo nullus amor Dei super omnia à cathecumeno elicitus tollit Peccatum. R. 2. Tantùm vult non dimitti perfectè, etiam quoad pœnas: aut non dimitti legaliter, ac pro externo etiam foro Ecclesiæ, cùm per Baptismum fiat ingressus in Ecclesiam.

778 *Obji.* 2. S. Th. *in* 2. *d.* 28. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 2. ait: *Potest aliquis charitatem non habens* (quoad habitum) *diligere proximum & Deum etiam super omnia, ut quidam dicunt, & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere, & non solùm secundùm quod à charitate procedit.* Hanc autem charitatem 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. *ad* 2. vocat *infirmum dilectionis gradum*, quamvis sit super omnia, ergo talis actus charitatis non justificat. Resp. n cons. quamvis enim talis actus sine habitu charitatis eliciatur à peccatore per auxilium supernaturale transiens, & quamvis etiam sit infirmus gradus dilectionis Dei super omnia, tamen non negat S. Thom. per illum ipsum justificari peccatorem.

779 *Obji.* 3. Charitas, secundùm omnes, dividitur in perfectam & imperfectam, & ideò 1. Joan. 4. *v.* 18. dicitur, *Perfecta charitas foras mittit timorem.* S. Aug. *Tract. in Joan.* ait, *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Item charitas perfecta & imperfecta, secundùm S. Th. 2. 2. *q.* 19. *ar.* 8. *O.* non differunt secundùm essentiam. De sola autem charitate perfecta, quòd sine Sacramento justificet, habemus ex damnatione propositionum Baii relata *num.* 747. in quibus semper additur *perfecta*, ergo si charitas sit imperfecta, cum ea stat peccatum mortale. R. *Dixi n.* 739. unam charitatem posse esse perfectiorem altera, & illo sensu una dicitur imperfecta respectivè, id est, minùs perfecta; & similiter contritio perfecta, quæ est odium etiam omnium venialium, perfectior est, quàm illa, quæ est solorum mortalium: omnis tamen charitas & ex ea procedens contritio est simpliciter perfecta & justificat, quæ ex motivo absolutæ bonitatis Dei odit mortale super omnia, hinc admisso vel dissimulato toto antecedente n. cons.

Q. 106. *An in casu necessitatis justificet sine Sacramento aliqua contritio, quæ extra necessitatem non justificaret?* R. Affirmat Le Drou *diss.* 4. *c.* 2. *arg.* 19. putans charitatem imperfectam, quæ alioqui ad valorē Sacramenti Pœnitentiæ requiritur, in casu necessitatis sufficere ad justificationem. Sed tenendum est oppositum, nam 1. si hoc verum est, ergo nullus adultus ex defectu Sacramenti peribit, adeóque Trid. frustra cavit, ut nullum peccatum esset reservatum in articulo mortis, si enim moribundus non habeat charitatem imperfectam, ei non prodesset absolutio sacramentalis, uti adversarii volunt: si autem illam habeat, justificari posset sine absolutione. 2. Dici non potest, cur aut quomodo necessitas contritioni imperfectæ tribueret vim, quam de se non habet: nullum enim fundamentum est dicendi Deum ita instituisse, ergo 780

Obji. SS. Aug. Bern. Hugo à S. Victore dicunt dari contritionem, quæ in necessitate tantùm justificet sine Sacramento. R. n. ass. non enim dicunt justificare in necessitate *tantùm*, sed tantùm dicunt justificare in necessitate, quando deest Sacramentum: quod verum est etiam de contritione perfecta.

Q. 107. *An contritio perfecta vel amor Dei absolutè prædominans nequiratur tanquam pars ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ causandam?* R. §. 1. Le Drou *d.* 1. *c.* 3. recenset multos, quos putat ante & post Trid. tenuisse, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur perfecta contritio, quæ præcedere debet absolutionem, ita ut per hanc tantùm augeatur gratia, remittatur saltem pars pœnæ, & homo visibiliter reconcilietur Ecclesiæ. Tenet autem ipse talem contritionem non requiri, attamen defendit oppositum non doceri à Trid. nec esse omninò certum. Sed tenendum est velut certum, & à Trid. sufficienter declaratum, quòd contritio perfecta non requiratur tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ, nam 1. Catech. Trid. *de pœnit. c.* 5. *num.* 32. dicit, *Ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum, vi clavium remitti peccata*, ergo ante Sacramentum non semper supponuntur remissa, atqui supponerentur semper remissa ante Sacramentum, si ante absolutionem requireretur, tanquam pars Sacramenti, contritio perfecta, ergo 2. Trid. *sess.* 14. *de pœnit. c.* 4. docet aliquado contingere, ut contritio ante susceptum Sacramentum reconciliet, ergo satis significat, quod non semper fiat. 3. Trid. *ibidem c.* 6. dicit absolutionem Sacerdotis non esse solùm nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, ergo saltem aliquando primò remittit. 4. *Ibidem c.* 3. dicit, quòd reconciliatio cum Deo sit effectus Sacramenti: *item c.* 2. quòd absolutio liberet à peccatis; *Et c.* 6. quòd hæc autem minùs sit functio remittendi peccata: explicantur, si dicamus ad Sacramentum Pœnitentiæ semper prærequiri contritionem perfectam, per quam peccata sint antecedenter remissa, ergo. 5. Non poterit dari clara ratio, cur Baptismus, & Pœnitentia potiùs quàm alia, dicantur Sacramenta mortuorum. 6. Pontifices *Cap. Presbyter, & Cap. Agnoscimus, causa* 26. *q.* 6. dicunt Sacerdotem, qui moribundo negat absolutionem, posse esse causam, cur damnetur, quod verum non est, si peccata non remittantur primò per absolutionem. 7. 781

Adversarii

Adversarii fatentur cum Le Drou *d.3.c.2.§4.* ad susceptionem Baptismi & Pœnitentiæ sufficere dolorem ex eodem motivo, atqui ad Baptismum non prærequiritur perfecta contritio, per quam remissa sint peccata, nam Act.2.v.38. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrùm, in remissionem peccatorum.* Et in symbolo Nicæno dicitur, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

782 §. 2. Opstraedt *de convers. peccat.* requirit pro Sacramento Pœnitentiæ dolorem ex amore Dei, non tantùm casto, sed etiam absolutè prædominante, quod explicat hoc modo: 1. Amor Dei castus est, quo quis amat Deum propter Deum ipsum. Amor Dei prædominans, est amor Dei castus, qui superat alium amorem. 2. Amor prædominans potest esse talis, vel secundùm quid, vel absolutè: tum est prædominans secundùm quid, si superet alium amorem aliquem, sed non omnem, v.g. si amor Dei superet quidem amorem divitiarum, sed non superet amorem honorum, quia aliquis potiùs vellet offendere Deum, quàm perdere honorem. In tali homine est amor Dei prædominans secundùm quid, nempe supra amorem divitiarum, sed è contrà amor honoris est prædominans supra amorem Dei. Tum est amor Dei absolutè prædominans, si superet omnes alios amores cordis, quia nempe potiùs vellet perdere divitias, honores, voluptates & creaturas omnes, quàm Deum. 3. Certum est amor secundùm quid prædominantem non sufficere cum Sacramento; hinc concludit *c.8.§.2.* solum amorem Dei absolutè prædominantem sufficere.

783 §. 3. Dicendum est ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri aliquem actum absolutè prædominantem, qui faciat hominem ita aversum à peccato & conversum ad Deum, ut potiùs vellet perdere omnes creaturas quàm Deum, qui tamen actus, secundùm dicta, non necessariò est actus charitatis, vel amor perfectus, uti magis constabit ex dicendis.

784 *Q* 108. *Quale motivum habeat attritio, & quomodo illud attingere debeat?* R.§. 1. Attritio non requirit pro motivo nequidem inadæquato bonitatem Dei super omnia dilecti, ut habet communissima cum Le Dent *de attrit. c.* 2. contra Bajum, Jans. Jansenistas, Lupum, Farvacques, Le Drou *& alios.* *Probatur* 1. quia attritio non justificat sine Sacramento, uti dicetur *nu.* 832. sed si pro motivo etiam inadæquato haberet bonitatem Dei super omnia dilecti, esset actus charitatis Theologicæ, & justificaret sine Sacramento, secundùm dicta *à n.* 774. Neque huic effectui obstaret, quòd adjunctum haberet motivum spei vel timoris, uti constat ex dictis *à n.* 772. ergo. 2. Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 4. per hoc distinguit contritionem ab attritione, quòd contritio sit charitate perfecta, attritio autem concipiatur ex alio motivo inferiore, uti dicetur *nu.*786. ergo ex mente Trid. attritio non est per charitatem perfecta, ergo pro motivo non habet bonitatem Dei super omnia dilecti. *Si dicas*, nomine attritionis venire actum à charitate quidem elicitum: sed minus efficacem & perfectum. *Contrà est*, ergo attritio nequidem cum Sacramento sufficeret ad justificationem, ut enim sufficiat, debet esse efficax & excludere omnem voluntatem peccandi, uti docet Trid. suprà.

785 *Obji.* Attritio debet attingere motivum honestum & supernaturale, ergo debet respicere Deum tanquam finem ultimum, sed Deus est finis ultimus, quatenus est summum bonum in se, ergo attritio debet attingere Deum tanquam summum bonum in se, ergo pro motivo saltem inadæquato habet bonitatem Dei super omnia dilecti. R. Pernissis omnibus, quæ assumuntur pro antecedente, n. ult. *conf.* quia licè attritio debeat elici cum respectu ad Deum, uti dicetur n. 792. Item licèt attingat honestatem, quæ est convenientia cum fine ultimo, sic que mediatè saltem & interpretativè attingatur summum bonum in se, ad quod ultimatè tendunt omnia, tamen non attingit illa propter bonitatem Dei, sive quia hoc Deo bonum est, sed quia bonum est ipsi attrito, ergo hic non intervenit motivum charitatis in Deum.

Inst. Omnis actus honestus est conformis primæ regulæ, ergo includit amorem aliquem primæ regulæ & finis ultimi, in quantum hic finis est in se summum bonum, uti pluribus probat Maurus *q.*243. *à n.* 16. ergo omnis actus honestus, adeóque etiam attritio, est ex motivo charitatis. R. Data 1. seq.n. 2. nam ad summum sequitur, quòd omnes actus honesti eliciantur cum aliquo respectu ad finem ultimum, qui est summum bonum in se, uti jam dictum est: non autem sequitur, quòd objectum suum vel ideò prosequatur, quia Deo bonum est, vel ideo fugiat, quia Deo malum est, quorum unum requiritur ad motivum charitatis. Consequenter ad actum honestum non requiritur, ut positivè actu amet finem ultimum propter ipsum finem ultimũ, sed satis est, quòd sit circa objectum conforme primæ regulæ, & fini ultimo, quamvis finem ultimum amet sibi, dummodò saltem per alium actum maneat ordinatus ad finem ultimum.

8. 2. Attritio habet pro motivo, vel turpitudinem 786
peccati, vel amissionem præmii seu boni alicujus, vel incursionem pœnæ sive alicujus mali, sic enim Trid. suprà expressè docet contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, communiter, concipi, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ubi per gehennam intelligitur pœna damni & sensus in inferno, uti notant omnes communiter cum Lugo *d. 5. num.* 137. per pœnas autem intelliguntur pœnæ temporales saltem Purgatorii, uti certum esse dicit Arr. *d.* 11. *s.* 1. quidquid contradicat Vasq. *q.* 92. *art.* 1. *dub.* 3. Imò communior sententia est cum Aversa *q.* 2. *s.* 14. attritionem concipi posse ob alia mala hujus vitæ, quamvis Con. *d.4.n.* 39. ejusmodi attritionem habeat suspectam. Ratio nostra est, quia Trid. suprà subdit Ninivitas hoc timore pœnæ temporalis, nempe subvertendæ suæ urbis, utiliter concussos, ad prædicationem jonæ pœnitentiam egisse & misericordiam à Domino impetrasse, non quòd justificati sint per attritionem, sed quòd obtinuerint, vel remissionem pœnæ intentatæ, vel dispositi sint ad contritionem per quam sint justificati. Ad pœnam reducitur etiam amissio præmiorum & bonorum, quæ alioqui danda erant, & per peccatum impediuntur: hinc à contrario bonum retributionis sive præmii etiam non movet ad attritionem, idem enim esse videtur timere carentiam boni velut pœnam & desiderare bonum velut præmium. Ex his,

Colliguntur seqq. 1. Per turpitudinem peccati in- 787
telligitur inhonestas, quam peccatum habet per oppositionem ad naturam rationalem, ad rectam rationem, ad legem illud prohibentem, ad virtutem, contra quam peccatur: inest autem omni peccato turpitudo divinæ offensæ, irreverentiæ in Deum, ingratitudinis, inobedientiæ, injuriæ, temeritatis, & ideò illa motiva dicuntur universalia: quibusdam peccatis inest specialis tantùm turpitudo, v.g. ebrietati, fornicationi, mendacio inest turpitudo per oppositionem ad specialem honestatem virtutis temperantiæ, castitatis, veracitatis, quæ honestas non opponitur omnibus peccatis, ideóque hæc motiva dicuntur particularia.

2. Ad amissionem præmii pertinet, quòd per 788
mortale amittatur gratia & amicitia cum Deo, virtutes supernaturales, jus ad cælum, æterna gaudia;

per

per veniale autem reddatur quis indignus multis gratiis actualibus, speciali favore vel protectione Dei, singulari gloria vel gaudio accidentali in cœlo, & etiam pro hac vita bonis temporalibus, ut sunt valetudo, honores, divitiæ, longa vita, hæc enim omnia sunt bona naturalia hominis & honestè amabilia.

789 3. Ad incursionem pœnæ pertinet, quòd per mortale mereamur æternum Dei odium, & inimicitiam privationem gratiæ & visionis beatificæ, æternos cruciatus gehennæ, perpetuum cum dæmonibus, & damnatis consortium &c. per veniale autem mereamur Purgatorium, pœnas etiam temporales hujus vitæ, uti bella, famem, paupertatem, morbum, infamiam, mortem; imò, & quod mereamur pœnas merè internas, uti remorsus conscientiæ, scrupulos, anxietates, ariditates, hæc enim omnia sunt opposita naturali inclinationi hominis & honestè odibilia.

790 4. Omnis dolor de peccatis reducitur ad 4. classes generales, nam 1. perfectissimus, qui est contritio, desumitur ex motivo bonitatis Dei, & pertinet ad finem 2. Minùs perfectus desumitur ex turpitudine peccati, & pertinet ad ingenuũ. 3. Adhuc imperfectior desumitur à spe præmii, & pertinet ad mercenarium. 4. Minimè perfectus desumitur à timore pœnæ, & pertinet ad servum. Unde sicuti servo nobilior est mercenarius ingenuus, ingenuo filius, ita hi dolores mercenario, se cum proportione excedunt.

791 *Dices* saltem non poterit dari attritio concepta ex solo metu pœnæ, quia omne odium fundatur in amore oppositi, ergo peccatum non potest odio haberi ex metu pœnæ nisi simul moveat bonitas virtutis oppositæ. R. n. cons. quando enim aliquid rationis alterius odio habetur, satis est amari hoc, propter quod alterum odio habetur, uti si oderim cibum dulcem, quia sanitati nocet, non est opus ut amem cibum amarum, sed satis est amare sanitatem & me, cujus gratia odi cibum dulcem: ita hîc dum odi peccatum propter pœnam, satis est, quòd amem absentiam peccati & me, cujus gratiâ odi peccatum.

792 §. 3. Attritio ad justificationem disponens debet attingere suum objectum cum aliquo respectu ad Deum, uti omnes communissimè cum Lugo *à n.* 140. Dicast. *d.* 6. *n.* 8. Avers *q.* 11. *sect.* 5. nam. 1. Trid. suprà ad attritionem requirit, ut fiat cum spe, veniæ, utique à Deo obtinendæ, cùm explicet attritionem de peccato Theologico, quod contra Deum committitur. 2. Ut attritio ad justificationem disponat, debet esse quædam incæptio dilectionis Dei, uti habet Trid *sess.* 6. *cap.* 6. item debet esse conversio ad Deum, quia cùm peccatum sit aversio à Deo, qui iterum ad Deum non convertitur, non habet veram pœnitentiam, sed si non attingat suum motivum cum alio respectu ad Deum, non poterit dici conversio ad Deum, ergo, 3. Attritio debet esse theologicè supernaturalis, uti dictum est num. 667. sed talis non erit, nisi aliquo modo respiciat Deum, ergo 4. Talis attritio debet esse efficax, sive excludere omnem voluntatem peccandi, etiam internè, sed si non respiciat Deum, non videtur satis posse excludere omnem voluntatem peccandi internè, tum saltem, quando concipitur ex metu pœnæ, solus enim Deus novit & sufficienter p[o]nire potest peccata interna, unde ab illo solo timeri poterit tali peccato pœna debita, ergo.

793 *Dixi* 1. Ad justificationem disponens, nam attritio sine respectu ad Deum potest habere naturalem honestatem, hinc Alex. VIII damnavit hanc 9. propos. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. Dixi* 2. cum aliquo respectu ad Deum, nam licet Bosco *sect.* 3. *à n.* 9. requirat formalem & explicitum, tamen sufficere quasi virtualem seu implicitum docent Suar. Amic. aliique cum Arr. *d.* 11. *s.* 2. talem autem putant haberi per hoc, quòd turpitudo peccati cognoscatur esse contraria naturæ rationali, legi humanæ, honestati virtutis &c. quod defendi potest, dummodò natura rationalis saltem confusè apprehendatur ut quædam participatio naturæ increatæ, & lex humana ut informata lege æterna Dei, & honestas virtutis ut quædam conformitas cum ratione æterna. Et similiter loquendum est circa amissionem bonorum vel incursionem malorum, quæ saltem confusè apprehendi debet tanquam neganda vel infligenda à Deo justo Judice. Hinc, 94

Inferes 1. Ad dolorem, qui sufficiat pro Sacramento Pœnitentiæ, semper requiri respectum ad Deum, vel tanquam ad primam regulam omnis honesti, vel tanquam ad punitorem aut premiatorem, vel tanquam ad summum bonum in se & propter se infinitè amabile. 7

Inferes 2. Aliqua motiva etiam attritionis desumi per ordinem ad Deum, præcindendo ab omni præmio & pœna, uti sunt motiva ex turpitudine peccati vel ex honestate virtutis oppositæ, quamvis enim Deus nec promisisset præmium pœnitenti, nec impœnitenti intentasset pœnam, adhuc honestum esset dolere de peccatis propter inhonestatem, quam in se habent, & propter honestatem singularem virtutum, quibus opponuntur. 95

Q. 109. *An attritio ex spe & metu possit esse honesta & supernaturalis?* R. §. 1. Lutherus dixit nos per attritionem ex spe vel metu fieri hypocritas & magis peccatores, cò quòd impediat tantùm peccata externa, & sit coacta: sed damnatur à Trid. *sess.* 14. *c.* 5. his verbis: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem &c. ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, omissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum, & non liberum aut voluntarium, anathema sit* 96

§. 2. Calvin. Bajus & alii dixerunt omnem actum, & consequenter attritionem, quæ est ex charitate, non esse bonam: sed oppositum certum est ex dictis *l.* 2. *n.* 132. Et verò honestum esse operari propter spem præmiorum, docet apertè Scriptura multis locis apud *Ripaldam de Ente supern. tom.* 3. *d.* 22. *n.* 9. & apud Le Dent *num.* 115. Idem definit Trid. *sess.* 6. *c.* 31. his verbis: *Si quis dexerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.* Idem docent SS. PP. apud Ripald. *num.* 10. & apud Ledent. *à n.* 117. Ratio est, quia datur habitus supernaturalis spei distinctus ab habitu charitatis, uti certum est ex 1. ad Corinth. 13. v. 13. *Fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*; ac tenent Theologi omnes, ergo etiam dantur actus virtuosi, & supernaturales spei respondentes quod pluribus de aliorum etiam habituum à charitate distinctorum actibus evincit Ripald. *s.* 2. *num.* 13. *& seqq.* ideóque meritò concludit Gormaz *num.* 345. nullam esse probabilitatem in illa sententia [illegible] operationem ex spe præmii actum sine charitate, dicit esse inhonestam. 97

§. 3. Jansenius, Jansenistæ aliique apud Le Dent *c.* 6. dixerunt dolorem ex metu gehennæ esse malum, vel quia nascitur ex amore proprio, vel quia habet adjunctam malam comparationem animi: sed oppositum est de fide ex Trid. suprà, ubi definit esse utilem, & præparare ad gratiam. Idem dicit *sess.* 6. *c.* 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo*

dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit. Idem evincitur ex Scriptura apud Bellarm. *hìc lib. 2. c. 17.* & Ripa *n. 35.* quæ hortatur ad ejusmodi metum, uti Matth. 10. v. 28. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Similiter SS. PP. & specialiter S. Aug. apud Ripald. *s. 5. & 6.* sic in Ps. 127. loquens de puro metu, quo quis *timet ne mittatur in gehennam* ait, *bonus est & iste timor, & utilis est.*

798 §. 4. Multi alii Rigoristæ dicunt attritionem universim, alii saltem attritionem illam, quæ ex solo metu gehennæ concipitur, non posse esse supernaturalem: sed oppositum satis declarat Trid. *sess. 14. de Pœnit. cap. 4.* ubi docet eam *donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsum ... quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat ... Et qui eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit;* nihil autem naturale potest conducere vel disponere ad gratiam, uti tenent Catholici omnes: Hinc Alex. VIII. damnavit has duas prop. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 16. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei, non est bonus motus ac supernaturalis.* Ratio hactenus dictorum à priori est, quia ordinatè amare seipsum est honestum, non minùs quàm ordinatè amare alterum, ergo velle bona, naturæ suæ ut rationali convenientia, & nolle mala illi naturæ suæ ut rationali disconvenientia, est maximè honestum, atqui beatitudo æterna est bonum naturæ ut rationali conveniens. E contrà damnatio æterna est malum naturæ ut rationali disconveniens uti per se patet, ergo maximè honestum est velle beatitudinem & nolle gehennam, ergo etiam maximè honestum est ex spe beatitudinis, & metu gehennæ dolere de peccato, tanquam de illo, quod impedit beatitudinem & causat gehennam, ergo maximè congruè poterit principium supernaturale in talem attritionem influere.

799 *Objic.* 1. Perfecta charitas non mittit foras actum honestum, sed *perfecta charitas foras mittit timorem*, uti habetur 1. Joannis 4. *v.* 18. ergo timor non est actus honestus. R. Hoc solutum esse *n.* 773. *in fine.* Et si argumentum valeret nullus timor Dei esset honestus.

Inst. & alii PP. sæpè reprehendunt timorem servilem; è contrà commendant timorem castum sive filialem. R. Quando reprehendunt timorem servilem intelligunt vel mundanum vel serviliter servilem, uti ostendit idem Le Dent *n.* 87. Quandoque tantùm volunt non sufficere se solo ad justificationem. Neque verum est, quòd per timorem castum semper intelligatur filialis, sed quandoque intelligitur talis, qui secundùm honestatem cujuscumque virtutis elicitur.

800 *Objic.* 2. Detestatio peccati concepta ex solo metu gehennæ necessariò habet adjunctum affectum, quo quasi dicit, peccarem, si gehenna non esset, ergo semper est serviliter servilis, R. n. ant. quod directè est contra S. Th. 2. 2. *q. 9. ar. 4.* ubi probat dari timorem servilem sine servilitate. Ratio est, quia sicut ille, qui dicit, nolo furari, quia furtum causat patibulum, non ideò dicit se furaturum si furtum non causaret patibulum, sed ab hoc præscindit, attamen vi hujus actus absolutè vult non furtum: item sicuti actus, quo nolo hodie peccare est honestus, neque ideò dico me velle cras peccare, sed ab eo præscindo, ita attritus ex metu. Deinde certum est cum detestatione ex metu gehennæ stare posse alium actum detestationis ex amore Dei, sed cum actu amoris stare non potest ille affectus conditionatus, ergo nec necessariò conjunctus est cum detestatione ex metu gehennæ. Denique metus gehennæ non necessario impellit ad conditionatam ejusmodi volitionem peccandi, sed potiùs ad absolutam nolitionem peccandi, quia nempè illa ipsa conditionata volitio causaret gehennam, ergo ex hoc quòd habeam metum gehennæ, non potest sequi, quòd habeam volitionem peccandi, sub conditione, si non esset gehenna, sed potiùs sequitur me habere nolitionem absolutam peccandi.

Inst. S. Th. *ad* 1. dicit timorem tum esse cum servilitate quando non amat justitiam, sed solùm pœnam timet, ergo attritio ex puro metu non est honesta. R. Tantùm vult debere adesse amorem justificationis & spem veniæ, ita ut velit liberationem à pœna per liberationem à culpa.

Objic. 3. Detestans peccatum ex solo metu ge- 801
hennæ non curat de hoc, quòd peccatum sit malum Deo, adeóque æquivalenter dicit, detestor, quia mihi malum est, non detestaturus, si tantùm esset malum Deo. R. n. ais sicuti enim possum per intellectum judicare peccatum esse fugiendum, quia causat gehennã, neque per hoc nego esse fugiendũ, quia [illegible] malum est, sed ab hoc præscindo; ita possum per voluntatem detestari peccatum, quia causat gehennam, non excludendo voluntatem detestandi; quia Deo malum est, sed quasi præscindendo ab eo. Ratio à priori est, quia quamvis causare gehennam non sit omnis malitia peccati, tamen est sufficiens, ut propter eam absolutè detester peccatum, & hic actus detestationis non pugnat cum detestatione, etiam ideò, quia Deo malum est, ergo quamvis vi hujus actus, quo detestor, quia causat gehennam, non detester, quia Deo malum est, non ideò sic positivè dispositus sum, ut non detestarer, si tantùm Deo malum esset: neque ideò contemnitur Deus, nam aliud est Deum vi illius actus non præferri positivè omnibus rebus, aliud est postponi omnibus rebus, hæc enim duo differunt toto cœlo.

Inst. 1. Cessante motivo detestandi cessat de- 802
testatio, ergo quando detestor peccatum propter pœnam, si cessaret pœna, non detestarer peccatum, ergo virtualiter dico, non detestarer, nisi esset pœna. R. 1. Simili argumento probabo actum, quo nunc amo Deum considerata sola illius misericordia, esse inhonestum, nam cessante motivo misericordiæ cessaret meus amor Dei, ergo virtualiter dico, non amarem Deum, si non esset misericors. R. 2. Cessante omni motivo detestandi cessat omnis detestatio, item cessante aliquo motivo detestandi, cessat aliqua detestatio, c. cessante aliquo motivo detestandi, cessat omnis detestatio, n. ergo si cessaret pœna, non detestarer peccatum, vi hujus actus, quo detestor ex motivo pœnæ, c. non detestarer vi alterius actus & motivi, quod non excluditur per motivum pœnæ, *num. 1. & 2. seqq.*

Inst. 2. Qui amat filium Titii propter Ti- 803
tium patrem, ille ita comparatus est, ut mallet perdere filium quàm patrem, ergo qui attenditur de peccatis propter pœnam, ita comparatus est, ut mallet peccare quàm pœnam subire. R. Prior ita comparatus est, si nullum aliud sit motivum amandi filium quàm præcisè pater, c. si aliud adsit motivum aliunde magis amandi filium, n. Pro odio autem peccati, semper adest aliud motivum quàm præcisè pœna, nam ideò pœna absterret à peccato, quia peccatum cognoscitur aliunde habere malitiam distinctam, qua causat pœnam, ergo semper adest aliud motivum detestandi peccatum.

Inst. 3. Plerique sic detestantes peccatum 804
propter pœnam peccarent, si abesset pœna. R. Peccarent vi actus, quem tunc absolutè habent,

bent, n. vi actus alterius, quem fortè habituri essent, transeat, nam hoc est incertum, sicuti autem nemo est bonus per actum, quem sub hac vel illa conditione habiturus esset, ita nemo per talem actum conditionatum est malus.

805 *Obji.* 4. Actus appretians pœnam supra culpam est inhonestus, quia certum est culpam esse detestabiliorem quàm pœnam, sed attritio ex metu pœnæ appretiat pœnam supra culpam, quia movetur pœna, ut detestetur culpam, ergo Resp. n. min. sicuti etiamsi amem Deum propter gratiam mihi datam, non ideò appretio gratiam supra Deum, nec ideò apprehendo tantum boni esse in gratia, quantum est in Deo, ita hìc. Ratio à priori est, quia objectum in se vel optimum vel pessimum potest amari vel odio haberi propter diversa motiva, quorum singula quamvis non adæquent totam amabilitatem vel odibilitatem objecti, tam sunt sufficientia ad excitandum amorem vel odium, eò quòd reddant simpliciter dignum amore vel odio, quamvis alia abessent, ergo non est opus, ut apprehendam tantam esse bonitatem vel malitiam in motivo, quanta est in objecto amabili vel odibili.

806 *Inst.* 1. Attritus plus fugit pœnam quàm culpam, & pœna est ipsi horribilior quàm culpa, nam *quod propter alterum oditur, minùs oditur*, inquit S. Thom. *in suppl. qu.* 2. *art.* 1. *ad* 4. atqui hoc est inordinatum, ergo. Resp. n. min. nam quamvis exercitè vi hujus actus plùs fugiat pœnam quàm culpam, tamen signatè non dicit pœnam esse plus fugiendam, neque positivè excludit alium actum, quo culpa plus fugiatur, quàm pœna, sed talem actum compatitur, imò per hoc ad talem actum disponitur. Et hoc non esse inordinatum, patet in simili, si enim moderatè fugiam mortem, quæ est pœna peccati, non ideò inordinatè ago, quamvis isto actu non fugiam peccatum: item si moderatè amem hominem creatum à Deo, non est inordinatio, quamvis isto actu non amem Deum. Et ratio horum omnium à priori est, quia non semper tenemur elicere actus perfectissimos. Deinde inordinatum non est plus fugere pœnam quàm culpam, si simul reipsa plus fugiatur culpa quàm pœna, quod hìc fit, nam attritus odit quidem magis pœnam quam culpam, in quantùm ex odio pœnæ movetur ad odium culpæ, sub alia tamen ratione etiam magis odit culpam quàm pœnam, in quantùm ordinat odium pœnæ ad odium culpæ, eoque utitur tanquam medio ad fugiendum culpam.

807 *Inst.* 2. Inordinatum est ordinare Deum ad creaturam tanquam medium ad finem, ergo etiam inordinatum est ordinare detestationem culpæ ad evitationem pœnæ, hoc autem facit attritus, nam ideò detestatur culpam, ut effugiat pœnam, ergo. Resp. Dato ant. n. cons. Omnis creatura necessariò est propter Deum, & Deus necessariò est finis ultimus omnis creaturæ, hinc inordinatum esset velle usurpare Deum tanquam medium ad creaturam: è contrà tam detestatio peccati quàm evitatio pœnæ potest esse vel medium vel finis proximus ad aliquid aliud obtinendum, dummodò ultimatè tendant ad Deum, detestatio autem peccati est medium aptissimum ad evitationem pœnæ, ergo non est inordinatum ordinare detestationem peccati ad evitationem pœnæ tanquam ad finem proximum. *Dixi*, Dato ant. nam honestè opto Deum mihi, item honestè ordino amorem Dei ad meam beatitudinem, & hoc sensu ordino Deum ad me tanquam ad finem, *cui*, proximum, ita ut non excludam, quominus saltem per actum me ipsum ordinem ad ipsum Deum tanquam finem, *cui*, ultimatum. Et universaliter loquendor non esse inhonestum aliquid perfectius ordinare ad aliquid minùs perfectum, patet in plurimis exemplis, nam, Incarnatio Verbi est ordinata ad salutem hominum, Sacrificium Missæ sæpè ordinatur ad obtinendam sanitatem corporis, &c. cùm tamen illa priora sint secundùm se perfectiora.

Obji. 5. Actus disponens ad justificationem debet esse voluntarius, sed attritio ex solo metu concepta non est voluntaria, quia metus causat involuntarium, ergo R. n. min. cujus probationem distinguo, metus causat involuntarium simpliciter, n. involuntarium secundùm quid, transeat, sicuti autem voluntarium simpliciter sufficit ad peccandum; ita etiam ad honestè & supernaturaliter operandum. *Dixi*, transeat, quia sic debet subdistingui: Metus retrahens in oppositum illius, ad quod voluntas inclinat, causat involuntarium secundùm quid, c. Metus impellens ad illud ipsum, ad quod voluntas de facto inclinat, causat involuntarium secundùm quid, n. nam hic motus potiùs auget voluntarium, non aliter ac concupiscentia, sicuti si libenter volenti bibere miner mortem, nisi bibat, hic metus mortis non facit potũ minùs sed potiùs magis voluntarium. Jam verò metus gehennæ movet ad hoc ipsum, ad quod voluntas de facto inclinat, nam voluntas pœnitentiæ inclinat ad delendum peccatum, existo enim fine atteritur & pœnitet, ergo metus gehennæ movet secundùm inclinationem voluntatis, ergo non causat involuntarium nequidem secundùm quid. 808

Inst. 1. Qui ex metu naufragii projicit merces, habet metum impellentem ad projiciendas merces, & tamen hic metus causat involuntarium secundùm quid, ergo metus etiam impellens causat involuntarium. R. Per metum impellentem intelligo eum, qui movet ad hoc quod est conforme inclinationi voluntatis, metus autem impellens ad ejiciendas merces ordinariè est contra inclinationem voluntatis, quia ratione damni vellet non ejicere, adeóque metus ille ratione damni ex projectione secuturi debet dici esse absolutè retrahens, & contra inclinationem voluntatis, adeóque causat projectionem secundum quid involuntarium. Quòd si abesset metus damni, uti si alius simul navigans ei sponderet dare triplum pretium mercium projectarum, projectio nequidem secundùm quid esset involuntaria. 809

Inst 2. Talis projiciens merces communiter est ita dispositus ut vellet non projicere, si abesset periculum naufragii, ergo similiter qui ex metu gehennæ vult abjicere peccatum, sic est dispositus, ut vellet non abjicere, si abesset metus gehennæ. Resp. n. cons. In projiciente merces est metus damni retrahens à projectione mercium, uti supponitur, è contrà in attrito est metus tantùm impellens. Deinde illa inefficax volitio retinendi merces est licita, & non impedit, quominùs reipsa projiciat merces ac evadat periculum, ergo in projiciente merces stat cum efficaci violatione projiciendi inefficax volitio non projiciendi, si abesset metus damni, sicuti in ægroto stat volitio inefficax non sumendi medicinam, si aliter posset obtinere sanitatem, quia nempè hæc volitio inefficax non impedit, quominùs medicina operetur sanitatem. In attrito est oppositum, nam volitio illa non abjiciendi peccatum, si abesset metus gehennæ, esset novum peccatum, sicque impediret, quominùs abjiceret peccatum & evaderetur gehenna, ergo cum efficaci attritione ex metu gehennæ non stat volitio etiam inefficax non abjiciendi peccatum, si abesset metus gehennæ. Itaque ad dignoscendum, an volitio efficax alicujus objecti patiatur secum volitionem inefficacem oppositi, hæc est universalis regula, quòd tum patiatur, si non impediat 810

obtentionem finis per volitionem efficacem intenti. E contra si hanc obtentionem impediat, non compatiatur, sed excludat.

811 *Inst.* 3. Ergo attritio ex metu gehennæ nihil habebit involuntarii ratione metu gehennæ, qui impellit, c. ratione alterius displicentiæ inefficacis, quæ comitatur, n. cùm enim omnis actus honestus fugæ, qualis est attritio, imò & contritio, sit partim detestatio mali inhonesti, cujus fruitio est delectabilis, partim prosecutio boni honesti, cujus adeptio est molesta, communiter habet aut salem habere potest concomitantem aliquam inefficacem displicentiam carendi isto delectabili & amplectendi illud molestum: hæc tamen inefficax displicentia non debet explicari per comparationem serviliter servilem, per quam vellet peccatum, nisi metueret gehennam, sed per inefficax desiderium obtinendi justificationem sine difficultate & molestia, quod inefficax desiderium est homini quasi connaturale & necessarium, ideóque nullum est peccatum.

812 *Objic.* 6. Maximè naturale est homini sperare præmium & timere pœnam, ergo actus ex spe præmii vel ex timore pœnæ non est supernaturalis. R. Maximè naturale est homini sperare & timere, sicuti oportet utiliter ad salutem, n. sine utilitate ad salutem, c. ant. & n. cons. nam etiam maximè naturale est homini diligere parentes, alere filios, conservare propriam vitam, timere offensam Dei, & tamen illi actus possunt esse supernaturales. Ratio à priori est quia gratia non est contra, sed secundùm naturam rectè ordinatam, ergo ex hoc, quòd aliquid sit secundùm naturam rectè ordinatam, non sequitur non esse secundùm gratiam & supernaturale. Ut tamen ejusmodi actus sint supernaturales, non debent sistere in fine naturæ seu in conformitate cum natura rationali præcisè, sed debent ulteriùs tendere ad conformitatem cum ratione æterna, uti n. 792. dictum est.

Inst. Talis attritio concepta ex metu gehennæ, pro objecto materiali habet peccatum, pro formali habet malum gehennæ, ergo totum ejus objectum est merè naturale, ergo ipsa non est supernaturalis. R. Pro formali habet malum gehennæ, sed propositum per fidem supernaturalem, tanquam infligendum à Deo, secundùm *dicta l.* 2. *n.* 19. sub quo respectu habet rationem objecti supernaturalis & ideò in actum circa tale objectum influet principium supernaturale, quod in istum actum refundet supernaturalitatem.

813 *Q.* 110. *An attritio ex spe præmii, vel etiam ex solo metu pœnæ concepta possit esse absolutè efficax & positive excludere omnem voluntatem peccandi?* R. Negant Lupus, Farvacq. Castorienſis, Le Drou *& aliis*; sed affirmandum est, & *Probatur* 1. authoritate nam Exodi 20. v. 20. dicitur, *venit Deus, ut terror illius esset in vobis & non peccaretis* Ps. 111. v 1 *Qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Prov. 14. v. 16. *Sapiens timet & declinat à malo.* Eccli. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Joannis 5. significavit Christus timore mali posse excludi voluntatem peccandi, quando languido dixit, *Jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* Trid. sess. 6. can. 8. ait *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse &c. anathema sit*, ergo secundùm Trid. vi metu gehennæ *à peccando abstinemus*: sess. 14. *de Pœn. c.* 4. dicit, quod attritio prout distincta à contritione, disponat ad gratiã in Sacramento impetrandam, *si voluntatem peccandi excludat*, ergo supponit posse excludere, alioquin loqueretur ineptè, ac si dicerem, *homo est brutum, si sit equus; homo potest volare, si habeat alas ad volandum aptas*, suppositio enim talium conditionum est de re impossibili vel apertè falsa Alexander VII. in decreto, quod referam *n.* 875. dicit, *Attritio quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi*, ergo manifestè supponit posse excludere, SS. PP. nominatim Hieron. Cypr. cum Origen, Basilius, Ambrosius, Prosper, apud Le Dent *à nu.* 62. docent timorem gehennæ posse esse efficacem in ordine ad excludendam voluntatem peccandi: & specialiter ita sensisse S. Aug. fusè defendit Bosco *s.* 3 *concl.* 3. sic enim *lib.* 2. *de* Genesi *contra* Manich. *c.* 28. ait, *Nihil sic retinet homines à peccatis quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* S. Th. 2. 2. *qu.* 19. *art.* 2. *O* ait, *homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur eique inhæret. Q.* 17. *art.* 8. *O Aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri cessat à peccato. p.* 3. *q.* 85. *O. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.* Catechismus Romanus *de pœn. c.* postquàm locutus est de contritione perfecta, subdit, *quamquam si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen efficax contritio esse potest.* Et quòd non intelligat contritionem imperfectam attamen procedentem ex motivo charitatis, ut explicat Le Drou *d.* 4. *c.* 4. §. 5. sed intelligat attritionem ex inferiori motivo etiam pœnarum conceptam, patet ex verbis, quæ statim addit, *sæpè enim usu venit, ut quæ sensibus subjecta sunt, magis quàm spiritualia nos afficiant* Accedit pius Ascetа, Thom. de Kempis *De Imitat. Christi lib.* 1. *c.* 24. *Bonum est, ut si necdum amor à malo te revocat, timor gehennalis coerceat.* Similiter S. Isidor. *lib.* 2. *sent. cap.* 8. ait, *Ante necesse est timore converti ad Deum, ut metu futurarum pœnarum carnales illecebræ vincantur.*

Probatur 2. Ratione, quia potest dari tale desi- 814
derium cœli, & talis metus inferni, qui determinet ad absolutè adhibenda media necessaria pro obtinendo cœlo, & pro declinando inferno, si enim dari possit in homine tale desiderium boni temporalis, & talis metus mali corporalis, qui determinet ad absolutè adhibenda media necessaria pro obtinendo illo bono, & pro evitando illo malo, multo magis, respectu beatitudinis & damnationis æternæ, quæ sciuntur habere plùs efficaciæ ad movendum ratione majoris bonitatis vel malitiæ suæ: atqui medium obtinendi cœlum & declinandi infernum est fugere omne mortale, ergo potest dari desiderium cœli & metus inferni absolutè determinans ad fugiendum omne mortale, ergo etiam dari potest attritio efficax ex illis motivis concepta. Itaque ratio à priori hæc est, quia intentio efficax finis infert electionem medii necessarii, sed attritio ex spe vel metu est intentio efficax obtinendi beatitudinem aut declinandi infernum, medium autem ad ista necessarium est vitare omne mortale, propter quod Deus negat beatitudinem vel infligit infernum, ergo attritio ex spe beatitudinis vel ex metu inferni infert electionem vitandi omne mortale.

Respondent. 1. Metum tantùm excludere pec- 815
cata externa, non autem interna. *Contrà est* 1. nam ratio allata num. 814. & reliqua argumenta probant excludere omnia mortalia, ergo etiam interna. 2. Trid. *num.* 795. relatum directè concludit contra Lutherum, uti manifestè ostendit Le Dent *cap.* 1. sed Lutherus dicebat attritionem ideò hominem facere hipocritam, quia excluderet peccata tantùm externa, ergo ex Trid. certum est attritionem excludere etiam peccata externa. 3. Ideò attritio potest excludere peccata externa, quia est voluntas efficax, v.g. vitandi gehennã.

quæ

quæ incurritur per peccata externa, sed eadem gehenna incurritur etiam per peccata interna, ergo attritio etiam hæc potest excludere. 4. Superbia & hypocrisis excludunt peccata externa, sed attritio supernaturalis plus potest quàm illa, ergo potest excludere peccata etiam interna.

816 *Resp* 2. Timorem pœnæ posse excludere voluntatem peccandi, non ab animo attriti, sed tantùm ab ipso actu attritionis. *Contra est* 1. Attritio supernaturalis nunquam in se est nec potest esse voluntas peccandi, ergo à se semper excludit voluntatem peccandi, ergo quando Trid. dicit, *Si voluntatem peccandi excludat*, non intelligit, si excludat, ab actu attritionis, sed ab ipso attrito. 2. Saltem tum quando attritio in se non est voluntas peccandi, facere potest, ut à peccando abstineamus, ergo attritio potest etiam ab attrito excludere voluntatem peccandi. Conf. patet ant. autem definitur à Trid. *sess. 6.* his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*: ex quibus verbis manifestum est nos ex vi metus gehennæ posse à peccando abstinere, adeóque hunc metum posse ab animo excludere voluntatem peccandi. 3. Attritio excludit ab attritione voluntatem peccandi, quia est nolitio peccandi, ergo etiam excludit ab attrito, qui habet istam nolitionem peccandi, in eodem enim attrito non potest simul esse nolitio & volitio peccandi.

817 *Resp.* 3. Attritionem ex metu excludere voluntatem peccandi negativè tantùm, sicuti somnus vel ingens distractio. *Contrà est* 1. attritio excludit, quia est actus positivus fugæ directè tendens in peccatum tanquam positiva detestatio illius ex hoc motivo, quia causat gehennam, ergo positivè excludit voluntatem peccandi. 2. Ideò excludit, quia est positiva nolitio peccandi, ergo positivè excludit.

818 *Resp.* 4. Metum gehennæ non per seipsum immediatè, sed tantùm mediatè excludere voluntatem peccandi, quia movet ad charitatem, qua omnis voluntas peccandi excluditur. *Contrà est* 1. nam augumenta nostra, & præsertim illud n. 814. allatum probat, quòd per seipsum excludat. 2. Possum adjutus Dei gratia ita aversari aliquod malum, ut efficaciter nolim, quidquid potest mihi causare illud malum, ergo possum adjutus Dei gratia ita detestari gehennam, ut efficaciter nolim quodvis peccatum potens mihi causare gehennam. 3. Alex. VII. in Decreto, quod referam n. 875. dicit controverti, an attritio ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi *sine necessitate aliqualis dilectionis Dei* sufficiat cum Sacramento: controversia autem erat de attritione proximè sufficiente, & per seipsam excludente voluntatem peccandi, ergo ex mente Alex. VII. potest talis attritio per seipsam excludere voluntatem peccandi.

819 *Objic.* 1. SS. Aug. Greg. Bern. Thom Bonav. dicunt solo timore non excludi voluntatem peccandi, nisi dilectio charitatis accesserit. R. Plerumque loquuntur de timore serviliter servili. Quandoque tantùm volunt hominem per solum timorem non *perfectè*, non *purè*, non satis *filialiter* converti ad Deum. Quandoque volunt solo timore sine Sacramento non obtineri gratiam, & speciatim quando commentantur in psalmos, significant in antiqua lege peccatum sine dilectione remitti non potuisse. Et unum ex his convenire, patebit consideranti omnes textus, quos fusè adducit Le Drou *tota diss.* 2. & adhuc fusius expendunt Ripalda *de Ente superm. tr.* 3. *d.* 22. *s.* 8. Bosco *s.* 3. *concl.* 3. Le Dent *c.* 5. §. 4. Francol. *de dolore l.* 1. *c.* 3. De cætero, quod aliquoties videtur insinuari, quasi semper peccatum sit operari ex timore & non ex charitate, defendi non potest, uti constat ex dictis, partim hic *n.* 796. partim *l.* 1. *n.* 691. & *l.* 2. *n.* 132. Unde si oppositum haberet S. Aug. aut alius è SS. PP. non esset audiendus, sed Ecclesia, uti dictum est *l.* 1. *à n.* 211.

Inst. S. Th. 2. 2. *q.* 19. *a* 9. *O.* ait, *Timor servilis* 820 *non est numerandus inter septem dona Spiritus Sancti, licèt sit à Spiritu Sancto, quia*, ut Aug. *dicit, potest habere annexam voluntatem peccandi.* Et 1. 2. *q.* 107. *art* 1. *ad* 2. *Lex vetus dicitur prohibere manum non animum, quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicuti recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet à peccato, propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere.* R. *Ad* 1. Alensis, S. Bonav. & alii numerant timorem servilem inter septem dona Spiritus Sancti, videturque idem apertè tenere S. Aug. cum Bellarm. *de pœn. l.* 2. *c.* 17. unde quando ipse & S. Th. dicunt non esse donum Spiritus Sancti, eò quòd possit habere adjunctam voluntatem peccandi, intelligunt timorem aliquem bonum quidem (& qui sit actus virtutis, secundùm dicenda *n.* 87. *in obj.* 9.) sed ex vi modi tenendi inefficacem, cùm è contrà ad donum Spiritus Sancti requiratur, secundùm S. Th. 1. 2. *q.* 68. *ar.* 8. *O* uti faciat promptum ad actum excellentem, adeóque ut sit actus efficax, qualis etiam debet esse attritio, ut voluntatem peccandi excludat. *Ad* 2. Etiam ibi loquitur de timore quodam inefficace, qui non determinet ad efficaciter volendam liberationem à culpa, vel ad efficacem vitæ emendationem.

Objic. 2. Spes & timor sunt virtutes tantùm par- 821 ticulares oppositè particularibus tantùm vitiis, ergo non excludunt omnia peccata. R. n. ant. *nam spei* opponitur contemptus beatitudinis sive neglectus finis ultimi, qui inest omni mortali: *item spei* beatitudinis & timori gehennæ opponitur temeritas, qua homo se exponit periculo amittendæ beatitudinis & incurrendæ gehennæ, quæ temeritas etiam inest omni mortali.

Objic. 3. Desiderium præmii & metus pœnæ re- 822 ducuntur ad spem, sed spes stat cum aliquo peccato mortali, ergo. R. Habitum spei stare cum peccato mortali non *opposito fidei aut spei*, item actum spei stare cum peccato mortali habituali, denique etiam aliquis actus imperfectus spei stat cum peccato mortali actuali: sed actus spei principalis & famosus, qui est desiderium absolutè efficax beatitudinis, ex quo concipi debet attritio, non stat cum mortali actuali, alioquin absolutè efficaciter vellet beatitudinem, ut supponitur, & non vellet absolutè efficaciter, quia non vellet absolutè negationem peccati, quæ est medium necessarium ad beatitudinem.

Inst. Actus fidei vel alterius similis virtutis non excludit omnem voluntatem peccandi, ergo nec actus spei. R. 1. Actus fidei vel alterius *similis* virtutis non excludit omnem voluntatem peccandi, ergo nec actus charitatis. R. 2. n. conf. quia exclusio sive nolitio omnis mortalis est medium proximè necessarium ad obtinendam beatitudinem, in quam tanquam finem efficaciter tendit spes, non item ad eliciendum actum fidei vel alterius virtutis.

Objic. 4. Attritio *fundatur in* amore sui, sed 823 amor sui non excludit *omnem* voluntatem peccandi: homines enim *peccant*, quia se amant. R. Attritio fundatur *in amore sui* ordinato, quos *quis* sibi absolutè *vult bene* esse in altera vita, *c. in amore sui inordinato*, vel tali, quo quis sibi non absolutè *vult bene* esse sed tantùm respectivè ad illud commodum hujus vitæ, n. Medium autem

autem necessarium ad hoc, ut absolutè bene sit in altera vita, est evitatio omnis peccati mortalis, ergo ordinatus amor sui, in quo fundatur attritio, determinat ad evitationem omnis mortalis.

824 *Objic.* 5. Attritus ex metu gehennæ non odit peccatum sed tantùm gehennam, nam illud propriè non habetur odio, quod non propter se sed propter aliud odio habetur, sic homo propriè non habetur odio, quando propter peccata habetur odio, sed sola peccata odio habentur, ita Castorienſis, & Conf. ex S. Aug. *Epist.* 144. *Qui gehennas metuit, non peccare metuit sed ardere.* R. n. ass. quòd si verum esset, non peccarem odiendo proximum, quia mihi damnum intulit, tum enim non odissem proximum, sed tantùm damnum meum, quod damnum licitè odi. Itaque licèt per attritionem ex metu gehennæ non oderim peccatum propter se, sed propter pœnam, attamen simpliciter odi peccatum, nam hoc ipso, quòd oderim propter pœnam, odi malitiam, quæ causat pœnam, & malitia illi est ipsum peccatum, ergo odi ipsum peccatum. *Ad Conf.* dico S. Aug. ibi loqui de timore cum servilitate.

Inst. Sic attritus non odit peccatum secundùm se, sed tantùm prout est inducens pœnam, ergo non tollitur affectus ad peccatum secundùm se, quia hic affectus non potest tolli nisi per displicentiam peccati secundùm se. R. n. conf. & ejus probationem, quamvis enim displicentia peccati propter pœnam non apponatur directè peccato secundùm se, attamen opponitur directè, in quantùm peccatum secundùm se est inductivum pœnæ, quæ efficaciter displicet. Vide dicenda *n.* 867.

825 *Objic.* 6. Propria ratio malitiæ in peccato mortali consistit in contemptu amicitiæ Dei, sed spes & timor non habent ullam repugnantiam cum contemptu amicitiæ Dei, quia hanc non considerant sed sola charitas, ergo sola charitas habet repugnantiam cum propria ratione malitiæ, quæ est in mortali. Ita Favarcq. R. 1. n. min. quamvis enim spes, & timor non considerent sed præscindant ab amicitia Dei, tamen per hoc excludunt contemptum amicitiæ Dei, quia cum hoc contemptu stare non possunt, alioquin efficaciter speraretur, & non speraretur beatitudo, efficaciter fugeretur & non fugeretur infernus, nam scitur per fidem, quòd contemptus amicitiæ Dei, qui inest omni mortali, demereatur beatitudinem & mereatur infernum. R. 2. dist. min. spes & timor non habent repugnantiam cum contemptu amicitiæ positivæ Dei, transeat: amicitiæ negativæ, sive non inimicitiæ, subdist. non habent repugnantiam directam, transeat, indirectam, n. min. & conf. nam volendo obtinere beatitudinem, & fugere gehennam debent saltem indirectè velle habere Deum non inimicum, quia per fidem scitur Deum alioquin negaturum beatitudinem, & illaturum gehennam, volitio autem efficax non inimicitiæ Dei omnem volitionem peccandi mortaliter, quia scitur Deum per omne mortale reddi inimicum.

826 *Objic.* 7. Desiderium efficax cœli stat cum mortali actuali, ergo attritio concepta ex efficaci desiderio cœli non excludit omnem voluntatem peccandi. *Prob. ant.* Quando finis obtineri potest duplici medio, tum ad desiderium efficax finis non requiritur determinatè velle determinatè unum, sed sufficit velle efficaciter hoc vel illud, atqui cœlum est finis, & cœlum obtineri potest duplici medio, nempe vel non peccando, vel si peccem, in fine vitæ pœnitendo, ergo ad desiderium efficax cœli non requiritur determinatè, ut nolim peccare, sed sufficit, ut vel nolim peccare, vel si velim peccare, ut velim in fine vitæ pœnitere, ergo desiderium efficax cœli stat cum voluntate actuali peccandi. R. Desiderium efficax & absolutum cœli stat cum mortali actuali, n. desiderium suo modo efficax sed non absolutum, c. ant. & n. conf. Jam verò ad attritionem, quæ ad justificationem disponat, requiritur desiderium efficax & absolutum cœli, id est, desiderium non restrictum ad certum medium vel ad certum tempus, sed perfectum & se extendens ad omnia media necessaria, & ad omne tempus, debet enim esse propositum nunquam peccandi imposterum: qui autem vult nunc peccare, & pœnitere pro futuro, non habet respectu temporis præsentis desiderium efficax cœli, sed tantùm respectu futuri, sicuti ille non dicitur absolutè efficaciter desiderare sanitatem, qui cum possit, non vult nunc adhibere medicinam, quamvis efficaciter velit adhibere postea. Et idem est dicendum de attritione ex metu gehennæ, ut enim hic metus possit causare attritionem sufficienter disponentem ad justificationem, debet esse absolutus & non restrictus ad certum medium vel tempus.

827 *Objic.* 8. Qui habet voluntatem efficacem vitandi omne peccatum, debet potius eligere infernum quàm peccatum, sed nemo potest ex odio inferni potiùs eligere infernum quam peccatum, ergo R. 1. absolutè n. maj. quia secundùm dicta n. 732. ad contritionem, & consequenter etiam ad volitionem efficacem vitandi omne peccatum, non est opus comparare peccatum cum inferno, nec est opus proposito se extendente ad hypotheses, quæ numquam contingent, sed satis est habere actum absolutum, cum quo stare non possit actualis volitio ullius peccati. R. 2. Dist. maj. qui habet voluntatem efficacem vitandi omne peccatum, debet potiùs eligere infernum quàm peccatum, si per illam suam voluntatem appretiet peccatum super omnia, transeat, si non appretiet super omnia, n. attritio autem non necessariò ex sola vi sua appretiat peccatum super omnia, cum non appretiet supra motivum suum, quod est pœna, & à quo habet vim & efficaciam suam. Tamen. R. 3. dist. min. Nemo potest ex odio inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad infernum, potiùs eligere infernum quàm peccatum, n. nemo potest ex odio inferni apprehensi sine reatu condignitatis ad infernum potiùs eligere infernum, quàm peccatum, c. Tum enim desinit habere circumstantiam, sub qua nunc habet rationem motivi universalis. Jam verò talis attritus ex metu inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad infernum eligeret præ peccato infernum apprehensum sine reatu condignitatis ad infernum, talis enim actus est honestissimus, neque in illo est ulla repugnantia.

828 *Inst.* 1. Si ita attritus poneretur in circumstantiis, in quibus vel esset peccandum vel esset eligendus infernus, ipse potiùs peccaret quàm eligeret infernum, si enim ideò voluntas determinetur per metum inferni ad vitandum peccatum, quia vitare peccatum est medium ad vitandum infernum, ergo si committere peccatum esset medium ad vitandum infernum, voluntas, etiam vi metus inferni determinaretur ad committendum. Resp. dist. ant. potiùs peccaret, ex vi alterius actus, quem tum fortè haberet desinente attritione, transeat, ex vi attritionis, quam jam habet, n. ant. & ejus probationem, nam aliunde in peccato apparet intrinseca inhonestas causativa inferni: unde sicuti desiderium sanitatis determinat quidem ad consulendum Medicum, attamen non determinaret, si appareret eam consultationem esse peccatum mortale, ita à pari, quia appareret inhonestas peccati, per quod vitari deberet infernus, voluntas bene disposita non deberet moveri ad vitandum infernũ per tale medium, sed deberet potiùs permittere sequi infernum. Ratio à priori est, quia volitio efficax alicujus finis non necessariò determinat ad

quod vis medium, ſed ad medium hìc & nunc moraliter poſſibile, & ſecundùm præſentem diſpoſitionem eligibile, ergo quamvis infernus efficaciter moveat ad vitandum peccatum, non poteſt determinare ad peccandum, ut vitetur infernus, quia peccatum per alium actum cognoſcitur eſſe illicitum, & ſecundùm præſentem diſpoſitionem ineligibile.

829 *Inſt.* 2. Saltem peccatum, quod committo per volitionem peccandi, ſi non eſſet infernus, non poteſt efficaciter retractari per attritionem conceptam ex metu inferni, ergo attritio ex metu inferni adhuc non poteſt excludere omnem voluntatem peccandi. *Prob. antec.* Ut illud peccatum retractem debeo ita eſſe diſpoſitus, ut non peccarem, ſi infernus non eſſet, ſed non ſum ita diſpoſitus per attritionem ex metu inferni, nam meum peccatum fuit volitio peccandi, ſi infernus non eſſet, ergo peccatum illud non poteſt retractari per attritionem conceptam ex metu inferni. Reſp. n. ant. ad probationem n. min. nam quamvis antehac, quando aberat ordinatus metus inferni, habuerim hunc actum, peccarem, ſi infernus non eſſet, nunc tamen deteſtor illum actum ex metu ordinato inferni, ergo nunc non habeo actum, quo velim peccare, ſi infernus non eſſet, ſed habeo actum, quo volo ſimpliciter non peccare, quia infernus eſt. An autem, ſi infernus non eſſet, reipſa eſſem vel non eſſem voliturus peccare, ab illo nunc præſcinditur, nec eſt opus determinare alterutram partem.

830 *Inſt.* 3. Saltem ille, cui ſua prædeſtinatio eſſet revelata, non poſſet efficaciter atteri propter metũ inferni, uti nec ille, qui invincibiliter putaret ſe debere vel peccare, vel ne peccaret, eligere infernum; denique nec ille, cujus peccato Deus non vellet infligere infernum. R. concedendo omnia aſſumpta, quia tales non poſſunt moveri metu inferni: Non primus, quia certus eſt ſe non damnandum: Nec ſecundus, quia ſimpliciter non timeret infernum, ſed præ peccato amaret tanquam leviorem; Nec tertius, quia ſciret ſe in actu ſecundo non promereri infernum. His autem non obſtantibus manet verum, quod diximus, nempè attritionem, ubi concipi poteſt, & concipitur ex metu gehennæ, poſſe eſſe efficacem, & excludere omnem voluntatem peccandi, ſicuti ſecundùm omnes bonitas Dei eſt motivum ſufficiens ad efficaciter excludendam omnem voluntatem peccandi, & tamen in homine, qui putaret Deum velle, ut jurando leve mendacium impediret graviſſima peccata aliorum, bonitas Dei non poſſet excludere voluntatem pejerandi, quia non poſſet nunc movere ad non jurandum mendacium, quod per accidens eſt.

831 *Colliges.* Quæ dicta ſunt de attritione ex metu pœnæ æternæ, etiam valere de attritione ex metu pœnæ temporalis prout inſſligendæ à Deo propter peccatum mortale aut veniale, nam poteſt etiam eſſe honeſta, ſupernaturalis, & efficax, uti recte Card. *in 2. criſt d. 36. num. 2.*

832 *Q.* 111. *An attritio ſe ſola juſtificat ſine aliquo Sacramento?* R. Negativè, nam Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. expreſſè dicit attritionem ex conſideratione turpitudinis peccati aut ex metu gehennæ vel pœnarum, per ſe non perducere ad juſtificationem extra Sacramentum; idem autem inſinuat de omni alia attritione, v. g. quæ concipitur ex motivo religionis, obedientiæ, &c. quia reipſa tum concipitur ex turpitudine peccati propter oppoſitionem ad iſtas virtutes. Deinde *Trid* ibidem attritionem, quæ non juſtificat, opponit contritioni conceptæ ex motivo charitatis, de qua ſola dicit, quòd juſtificet, ergo intelligit de omni attritione, quæ non eſt ex motivo charitatis. Ratio autem eſt, quia attritio concepta ex motivo infra charitatem non eſt perfecta converſio ad Deum, cùm non habeat Deum pro objecto, *cui*, ergo cùm mortale fuerit perfecta averſio à Deo, conveniens non fuit, præſcindendo à privilegio ex meritis Chriſti per aliquod Sacramentum nobis conceſſo, ut per attritionem recuperaretur gratia & amicitia Dei: Hinc audiendus non eſt Rayn. *in Heter. T. 15. p. 1. ſ. 1. p. 5. n. 6.* putans actum pœnitentiæ ſpecialis, quo quis deteſtatur peccatum ex motivo reparandi jus divinum læſum, juſtificare ſine Sacramento. Ex hactenùs dictis.

Inferes 1. Attritionem, & contritionem in his 833 convenire, quòd utraque ſit actus, 1. Voluntarius & liber. 2. Honeſtus. 3. Supernaturalis. 4. Qui poſſit eſſe efficax. 5. Includens deteſtationem & dolorem formalem. 6. Includens propoſitum aliquod ſaltem virtuale non peccandi de cætero. Diſconveniunt autem 1. principaliter in motivo, quod reſpectu contritionis eſt bonitas Dei abſoluta, reſpectu attritionis ordinariè eſt motivum virtutis charitate inferioris. 2. In cauſa ſui, nam contritio eſt ab habitu charitatis Theologicæ vel ab alio auxilio ſupplente habitum: attritio ab habitu inferioris virtutis vel ab auxilio ſimiliter ſupplente. 3. In effectu ſeu modo diſponendi ad gratiam, nam contritio juſtificat ſine Sacramento, non autem attritio.

Inf. 2. Attritionem, quæ concipitur ex ſpe præmii vel ex metu pœnæ, communiter ſaltem eſſe ſpem præmii vel metum pœnæ: conceptus tamen attritionis ſalvari poſſet præſcindendo ab eo, quòd in præmium vel pœnam tendat tanquam in objectum, *quod*, & materiale, eſt enim ſatis, quòd quaſi fundentur in ſpe vel metu, in quantùm procedunt ex motivo boni, quod eſt in præmio, aut mali, quod eſt in pœna, quod motivum proponitur cum ſpe vel metu.

Inf. 3. Contritionem ſic poſſe definiri, quòd ſit 834 deteſtatio & dolor de peccato propter abſolutam bonitatem Dei ſuper omnia dilecti: attritionem autem, quòd ſit deteſtatio, & dolor de peccato ex motivo turpitudinis peccati, præmii aut pœnæ.

Q. 112. *An attritio concepta ex inferiore motivo* 835 *quàm charitatis, ſufficiat cum Sacramento ad juſtificationem?* R. Affirmativè, nam 1. ita docent Concilia & præſertim Trid. 2. Idem tenent SS PP. & ſpeciatim S. Aug. 3. Idem tenet S. Th. 4. Idem tenent AA. & Theologi plurimi, oppoſitum autem tenent reſpectivè pauci. 5 Idem probat praxis Eccleſiæ & communis ſenſus fidelium. 6. Ratio idipſum evincit. Hæc omnia jam ordine declarabuntur.

Q. 113. *Quomodò ex Conciliis, & præſertim ex* 836 Tridentino *probetur, quòd attritio ſufficiat cum Sacramento?* R. Franciſcus Pinthereau *in libello, de attritionis ſufficientia, à pag.* 157 oſtendit Concilium Africanum & Florent. ita docuiſſe: ſed ſufficit ſolius Tridentini auctoritas, ex quo *probatur* 1. nam ſecundùm Trid. contritio in genere, prout præſcindit à perfecta, & imperfecta, eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo etiam attritio. *Conſ. patet*, quia Trid. attritionem vocat contritionem imperfectam. *Ant. autem prob* nam Trid *ſeſſ.* 14. *de pœnit cap.* 3. ait: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, &c.* Eſt poſtea c. 4. *contritionem, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet*, dividit in perfectam, & imperfectam & ad hanc *dicit* ſpectare attritionem conceptam etiam *ex gehennæ, & pœnarum metu*, ergo etiam hæc attritio, ſecundùm Trid. eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, *ſi* nempe cætera etiam habeat, quòd ſit ſupernaturalis & *voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*, uti ibidem additur. *Prob.* 2. nam Trid. *ib. c.* 4. loquens de contritione perfecta per

charitatem dicit, quod hominem extra Sacramentum justificat, ac subdens de contritione imperfecta seu attritione concepta ex motivo turpitudinis peccati vel metu gehennæ, sic habet, *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, ergo secundùm Trid. attritio conjuncta cum Sacramento justificat.

837 *Respondent.* 1. Trid. velle, quòd remotè disponat ad gratiam in Sacramento, quod inde colligitur, quia utitur exemplo Ninivitarum, qui *timore concussi Pœnitentiam egerunt & misericordiam à Domino impetrarunt*, talis autem timor non fuit nisi remotè dispositio ad gratiam, uti omnes fatentur. *Contrà est* 1. Trid. vult attritionem habere illam vim disponendi in Sacramento, quam vim negat ipsam habere extra Sacramentum, uti patet ex verbis, sed tantùm negat ipsam extra Sacramentum habere vim proximè disponendi, certum enim est ex dictis *num.* 832. quòd extra Sacramentum remotè disponat ad gratiam, cùm disponat ad contritionem perfectam, ergo Trid vult in Sacramento habere vim proximè disponendi. 2. Attritio secundùm Trid. habet talem vim disponendi ad gratiam cum Sacramento, qualem vim habet contritio sine Sacramento, ut patet legenti contextum, sed contritio secundùm Trid. habet vim proximè disponendi ad gratiam sine Sacramento, ergo eandem habet attritio cum Sacramento. 3. Palav. *in historia* Trid. *lib.* 12. *cap.* 10. *nu.* 26. fatetur ante *sess.* 14. disceptatum esse, an attritio posset esse sine dilectione Dei & cùm aliqui judicarent vix posse esse, decretum sic fuerat conceptum, ut expresse diceret contritionem imperfectam sufficere ad constitutionem Sacramenti, eò quòd sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix posset, cui doctrinæ cùm se opposuissent aliqui, dicentes posse esse sine dilectionis motu, & variarent sententiæ, decretum sic positum est, uti nunc habetur *in c.* 4. ergo, sicuti sermo fuerat, ita Concilium ibi loquitur de dispositione proxima ad gratiam. 4. Quando Trid *sess.* 6. *Cap.* 6. dicit hominem per fidem, spem, inchoatam dilectionem, detestationem peccati disponi ad justificationem in Baptismo, loquitur de dispositione proxima, ergo etiam quando *in sess.* 14. *c.* 4. dicit hominem per attritionem disponi ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, loquitur de dispositione proxima; nam utroque loco loquitur similiter, & neutro addit, Tò *proximè*, sed necessariò intelligit, alioquin nihil diceret tanto Concilio dignum, cùm pateret esse remotam. 5. Trid. *initio sess.* 14. profitetur se, quamvis *in sess.* 6. *c.* 14. multa dixisset de Sacramento Pœnitentiæ, attamen hìc daturum exactiorem & pleniorem doctrinam de eo, hoc autem non fecisset, si attritionem putasset esse tantùm dispositionem remotam, & hoc nullo verbo insinuasset, sed potiùs oppositum, sic enim totam ferè Ecclesiam in pernicios[illegible] errorem induxisset. 6. Quod de Ninivitis additur, nihil ad rem facit, nam Trid. tantùm dicit impetrasse misericordiã pro remissione pœnæ, & isto exemplo tantùm voluit probare timorem esse motum bonum ac supernaturalem, uti patet ex verbis statim[illegible] *Quam ob rem falsò quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia docuit nec sensit.* Vide dicenda *num.* 886.

838 *Resp.* 2. Trid. loqui de attritione, quæ simul sit ex motivo charitatis aut ex amore Dei super omnia, sed imperfecto. *Contrà est*, quia hæc interpretatio, inquit Gonet *d.* 7. *n.* 40. apertè repugnat Concilio, nam 1. Trid. loquitur de illa attritione, quam dicit concipi, vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu; ergo non loquitur de illa, quæ simul est ex motivo charitatis. 2. Loquitur de attritione prout opposita contritioni, quam dicit charitate perfici, uti manifestum est ex contextu, ergo loquitur de attritione, quæ nequidem partialiter est ex motivo charitatis, hæc enim reipsa perficitur charitate, nec motivum charitatis ulla ratione pugnat cum aliis motivis, sed ab illis potiùs juvatur. 3. Loquitur de illa attritione, quam Lutherus negabat esse honestam, & supernaturalem, ibi enim agit contra Lutherum & asseclas, uti manifestè ostendit Le Dent. *c.* 1. conferens verba Lutheri cum oppositis verbis Tridentini: Lutherus autem non negabat attritionem, si partialiter foret ex motivo charitatis, esse honestam & supernaturalem, sed id tantùm negabat de attritione, quæ esset ex sola spe vel metu, ergo.

Resp. 3. Palav. *n.* 25. PP. Trid. tantùm intendisse 839
probare contra hæreticos, timorem pœnæ non semper esse inhonestum, nec voluisse ferre sententiam circa sufficientiam attritionis. *Contrà est*, quamvis primariò illud intenderint contra hæreticos, neque voluerint authenticè per Canonem definire aliquid circa sufficientiam attritionis, tamen secundariò & ex occasione in Capitibus agunt de attritione, & sufficienter docent sufficere cum Sacramento, uti jam ostensum est.

Obij. 1. Trid. *sess* 6. *Cap.* 6. præter spem, ad 840
Sacramentum Pœnitentiæ prærequirit actum, *quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiamus*, ergo requirit dilectionem initialem, quæ sit partialiter ex motivo charitatis. R. Dato ant. n. cons. nam non requirit actum, quo perfectè diligamus, sed quo incipiamus perfectè diligere, atqui incipimus perfectè diligere per actum cujuscunque virtutis, quo Deum ut finem ultimum nobis concupiscimus: unde sicuti *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*, non quod ille timor sit sapientia, sed quia ducit, & disponit ad sapientiam, ita actus omnis virtutis dicitur esse initium perfectæ dilectionis; Quod de actu timoris expresè dicitur Eccl. 25. v. 16. *Timor Dei initium dilectionis ejus*: Et idem de spe beatitudinis. Hoc manifestè significat Trid. ibidem addens nos debere incipere diligere Deum, non dicit tanquam summum bonum in se, sed tanquam *omnis justitiæ fontem*, id est, gratiæ nobis dandæ, sicque diligimus Deum ut bonum nobis, & disponimur ad diligendum ut in se bonum: hinc S. Thom. 1. 2. *q.* 40. *art.* 7. Ait, *Ex hoc, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, & sic incipimus ipsum amare*, ergo cùm omnis attritio nostra sit spes vel fundetur in spe, etiam est actus, quo incipimus diligere Deum: Cujus ratio alia à priori est, quia perfecta charitas est finis omnis virtutis, secundùm illud 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est charitas*: & in eum sensum dicit S. Thom. 2. 2. *qu.* 23. *ar.* 8. *ad* 3. *Charitas dicitur finis aliarum virtutum*: etiam ideò, quia omnis virtus tendit ad obtinendum finem ultimum, qui est amica conjunctio cum eo, ergo manifestum est, quòd omnis actus virtutis & consequenter attritio ex motivo talis virtutis elicita, sit incæptio perfectæ dilectionis Dei. *Dixit*, Dato ant. nam Trid. isto loco agit de justificatione in genere, prout congruentissimè peragi potest vel in vel etiam extra Sacramentum, subdit enim hominem per illos actus prævios esse optimè dispositum, etiam ad pœnitentiam illam, quæ prærequiritur ante Baptismum; nullo autem verbo insinuat dilectionem ex charitate necessariò prærequiri ante Baptismum: nam expresè dicit

baptizandum

baptizandum posteà moveri adversus peccata ne odium, *aliquod*, id est, perfectum vel imperfectum: multò minùs ibi quæ requirit charitatem ante Sacramentum Pœnitentiæ, de cujus partibus posteà priùs incipit agere *in sess.* 14. Et quòd Trid. non velit omnes illos actus esse necessariò prærequisitos, sed tantùm convenientissimè præcedere, patet inde, nam præmittit etiam timorem pœnæ, certum autem est valere pœnitentiam, quamvis non sit concepta ex timore pœnæ, sed immediatè ex spe beatitudinis æternæ, vel ex alio adhuc perfectiori motivo, ergo.

841 *Instabis.* Palav. *in Hist. l.* 8. *c.* 13. refert quatuor Patres voluisse inseri *actum charitatis*, loco illius, *diligere incipiunt.* Et S. Thom. 3. *p. q.* 85. *art.* 5. unde hausta est illa doctrina Trid. inter dispositiones ad pœnitentiam ponit *motum charitatis.* Ita Le Drou *d.* 3. *c.* 2. §. 1. & 3. R. Hæc esse pro nobis, sequitur enim quòd Trid. non requisiverit *actum* vel *motum charitatis*, alioquin ista non immutasset, ergo cùm posuerit actum *quo diligere incipiunt*, quod convenit etiam dilectioni concupiscentiæ, secundùm Trid. hæc sufficit. Quod attinet ad S. Thom. uti & Catec. Rom. quem adducit Le Drou *c.* 4. hi loquuntur de pœnitentia in genere, prout est virtus, & secundum quod causat justificationem etiam extra Sacramentum, uti manifestum est inspicienti contextum: unde non video, quomodo ista omnia adduci possint ad probandam necessitatem charitatis etiam pro Sacramento Pœnitentiæ.

842 *Obj.* 2. Trid. *sess.* 6. *cap.* 7. ait, *Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum cathecumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitatis fides præstare non potest*, ergo ante Baptismum, & consequenter etiam ante Pœnitentiam requiritur charitas. R. n. cons. nam Trid. tantùm dicit, quòd in justificatione infundatur habitus charitatis, quem posteà nominat christianam justitiam, stolam candidam, quæ perferri debeat ante tribunal Christi. Et ideò etiam paulò ante dixerat hæc omnia, fidem spem & charitatem, simul infundi in justificatione. Quando autem fides dicitur operari per charitatem, sensus est, quòd fides dirigat charitatem, quæ operatur in nobis.

843 *Obj.* 3. Trid. *sess.* 14. *De pœn. cap.* 4. dicit contritionis motum fuisse quovis tempore necessarium ad veniam impetrandam sed ante institutionem Sacramenti necessarius erat motus contritionis ex motivo charitatis, ergo etiam talis necessarius est post institutionem Sacramenti. R. Si argumentum valet, ergo ad Sacramentum requiritur motus perfectæ charitatis, quia talis requirebatur ante institutionem Sacramenti: hinc n. cons. nam ibi loquitur de contritione, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, veritas autem dicti salvatur, si ante Sacramentum necessarius fuerit motus contritionis perfectæ, & cum Sacramento necessarius sit motus contritionis saltem imperfectæ, sive attritio.

Obj. 4. Trid. *sess.* 6. *c.* 7. dicit justificationem fieri per *voluntarium susceptionem gratiæ*, qua quis fiat amicus Dei, sed nemo voluntariè suscipit gratiam, qua fiat amicus Dei, nisi amet Deum amore amicitiæ, ergo. R. n. min. actus enim concupiscentiæ, quo opto vel quo suscipio gratiam ut mihi bonam, non est minùs voluntarius, quàm actus amoris amicitiæ. Et per ejusmodi actum alterius virtutis voluntariè peto amicitiam Dei, & concurrente Sacramento in me causo gratiam, per quam Dei amicitiam recupero.

844 *Obj.* 5. Palav. *in Hist. l.* 12. *c.* 10. *n.* 26. testatur, quòd Patres Trid. voluerint omitti hæc verba, *Declarat etiam attritionem sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*, & loco verbi, *sufficere*, voluerint poni, *disponere ad gratiam in Sacramento*, ergo mens Trid. non fuit docere, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. Resp. Teste eodem Palav. etiam voluerunt omitti hæc, *Cùm attritio sine aliquo in Deum dilectionis motu esse vix queat*, neque tamen adversarii concedunt inde inferri, quòd cum attritione illa supernaturali non adsit vel non requiratur dilectionis motus: itaque n. c. id enim satis docent verbis *num.* 836. relatis. Quòd autem voluerint omitti priora ista verba, causa sufficiens fuit, ne præjudicarent sententiæ Scoti & aliorum, qui dicunt nullam contritionem pertinere ad constitutionem Sacramenti, sed essentiam consistere in sola absolutione, actus autem pœnitentis esse conditiones essentialiter prærequisitas.

Inst. Alexand. VII. in Decreto dato diu post Trid. significat Ecclesiam nihil definivisse circa sufficientiam attritionis pro Sacramento Pœnitentiæ. R. Hoc solvendum esse *nu.* 776. Possuntque de Trid. plura videri apud Francol *de dolore, l.* 1. *c.* 6.

Q. 114. *Ubi doceant* SS. PP. *& speciatim* S. Aug. 845
quòd attritio sufficiat cum Sacramento? R. Locos & verba PP. addit Pinthereau à pag. 116. sed speciatim ex S. Aug. *Probatur* 1. nam docet illum dolorem sufficere pro confessione, & absolutione, qui præeunte fide concipitur ex formidine divini judicii, scribens enim in Epist. 254. aliis 104. ad Nectarium sic habet, *Pœnitentia impetrat veniam & purgat admissum, sed illa, quæ in vera religione agitur, quæ futurum Dei judicium cogitat, non illa quæ ad horam hominibus exhibetur aut fingitur, non ut à delicto anima purgetur in æternum, sed ut interim à præsenti reatu molestiæ vita citò peritura liberetur: hinc christianis confitentibus atque deprecantibus, qui delicto illo fuerant implicati..... pœnitentiæ dolorem fructuosum esse credimus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus, quòd ineat cordibus eorum fides, qua considerare possent, quid de divino judicio formidare deberent.* His verbis docet S. Aug. dolorem ex prævia fide conceptum per considerationem, & formidinem divini judicii sufficere, etiam proximè, ad justificationem, nam dicit, quòd *impetret veniam, purget admissum, animum purget in æternum, sufficiat ad correctionem*, atqui non sufficit sine Sacramento, uti certum est, ergo mens S. Aug. est, quòd suffi iat cum Sacramento, ideóque dicit sufficere *confitentibus atque deprecantibus*, id est, petentibus absolvi, *quos pœnitet, qui rogant, qui pedes amplectuntur, &c. Probatur.* 2. Qui, quantum attinet ad actus prærequisitos 846
est verè christianus, ille est proximè dispositus ad fructuosum Baptismum, sed secundùm S. Aug. qui credit & propter spem beatitudinis vel metum gehennæ fieri vult christianus, ille, quantùm attinet ad actus prærequisitos, est verè christianus, ergo. *Prob. min.* nam S. Aug. l. de catechizandis rudib. *c.* 17. agens de aliquo, *qui propter beatitudinem sempiternam.....vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo*, de illo subjungit, *verè christianus est..... qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quàm timeat gehennam*, ergo ex mente S. Aug. qui credit, & propter spem vel metum fieri vult christianus, quantùm attinet ad actus prærequisitos, *est verè christianus.*

Respondet Le Drou *per Tò, verè christianus est*, significari, quòd accedat ad fidem animo christiano, id est, tali, qui spem faciat eum à fide non defecturum. *Contrà* est, nam priusquam possit facere spem non deficiendi à fide christiana, debet supponi esse verè christianus, & hoc habet, secundùm S. Aug. si credat, speret

sperat beatitudinem ac metuat ignem æternum, ergo.

847 *Obj.* 1. S. Aug. *lib. de fide & operibus c.* 10. docet actum charitatis prærequiri ante Baptismum, & ideò sæpè alibi dicit rudes catechizandos de necessitate actus charitatis. Similia habet sæpè alibi, uti fusè Le Drou *dist.* 3. *c.* 5. R. Ex omnibus plus colligi non potest, quàm unumquemque hominem etiam non baptizatum teneri ex præcepto charitatis diligere Deum super omnia, in primis quam primùm eum sufficienter cognoscit : deinde sæpius per vitam : præterea etiam in fine vitæ, uti pluribus explicatum est *l.* 2. *n.* 133. & 144. Denique S. Aug. sæpè commendat charitatem tanquam utilem ad omnia, sed nullibi asserit absolutam ejus ad Sacramenta necessitatem.

848 *Objic.* 2. Varia loca S. Aug. & PP. nam 1. *l. de vera & falsa pœn. cap.* 9. ait, *Sine amore Dei nemo unquam invenit gratiam.* 2. *Serm.* 7. *de tempore, Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei.* 3. *De civit. l.* 1. *cap.* 27. *Nisi desistant à peccatis habendo charitatem, quæ non agit perperam, nil eis prodesse potest.* 4. *Tract.* 9. *in Joan. & l.* 2. *contra Crescon. cap.* 12. *Charitas una si adsit, omnia illa rectè fiunt : si autem desit illa, omnia frustra fiunt.* Similia sæpè habet. 5. Ubicunque agit de Pœnitentia, semper inculcat amorem justitiæ vel boni. 6. Clemens Alexandrinus dicit, *Absque charitate nihil gratum est Deo.* Similia passim habent etiam alii PP. R. ad 1. quod liber ille non sit S. Aug. uti expressè notatur ante caput 1. nam c. 17. citat S. Aug. tanquam authorem à se distinctum. Quiscunque autem sit author, plùs non vult, quàm ad recuperandam gratiam requiri aliquem amorem Dei, saltem concupiscentiæ, qui semper aderit, nam *spes sine amore esse non potest*, inquit S. Aug. Enchir. *c.* 8. *Ad* 2. & 3 Istis locis agit de pœnitentia extra Sacramentum, qualem habent etiam infideles, hinc subjungit illud de Davide, *Tibi soli peccavi*, quod utique factum est sine Sacramento. *Ad* 4. Tantùm vult, si charitas habitualis desit, nihil posse fieri meritorium vitæ æternæ, nec obtineri posse salutem. *Ad* 5. Ripal. *De ente supern. tom* 3 *d.* 22. *s.* 12. *à n.* 138 & pluribus *s.* 19. rectè ostendit S. Aug. per amorem justitiæ vel boni, item per similia verba non semper intelligere amorem benevolentiæ vel amicitiæ erga Deum, sed aliquem amorem Dei etiam concupiscentiæ, vel ex motivo cujuscunque virtutis : videri potest Francol *de dolore l.* 2. *c.* 3. *Ad* 6. Clemens loquitur de opere, quo homo fiat amicabiliter gratus Deo, certum enim est ex *l.* 2. *n.* 132. non omne opus Deo gratum debere esse ex charitate. Denique multa alia, quæ adversarii vel ex Scriptura vel ex SS. PP. colligunt pro commendatione charitatis, non sunt ad rem, cùm non loquantur de Sacramento Pœnitentiæ.

Inst. S. Chrisost. *hom.* 4. *in* 2. *ad Cor.* ait, *Ingemisce, non quòd pœnas daturus sis, nihil enim hoc est* Resp. Exemplo Davidis incitat ad id, quod perfectum est, & justificat etiam extra Sacramentum, non autem ad id, quod simpliciter est necessarium cum Sacramento Imò cùm addat, *Ingemisce, nec unquam hoc facere intermitte*, patet non loqui de necessitate. Per *Tò, nihil enim hoc est*, significat hoc esse parum & quasi nihil esse respectu Davidis : De cætero certum est talem attritionem esse aliquid, cùm secundùm Trid. sit honesta, supernaturalis, meritoria. Plures alii SS. PP. videri possunt apud Francol suprà.

849 *Q.* 115. *Ubi doceat* S. Th. *quod attritio sufficiat cum Sacramento* ? R. His locis. §. 1. *In* 4. *dist.* 6. *qu.* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 1. *ad* 5. ait, *Ad hoc quòd homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, si non sit contritio.* Quod autem est de præparatione ad Baptismum, fatentur adversarii idem esse de præparatione ad Pœnitentiam, ergo. *Respondet* Le Drou *diss.* 3. *c.* 6. *in fine*, S. Th. loqui de charitate habituali. *Contra est* 1. Nimis manifestum erat charitatem habitualem non esse præparationem ad gratiam, cùm gratia præsupponatur velut natura exigens habitum charitatis, & reliquarum virtutum, ergo non loquitur de habituali charitate sed de actuali, quæ sola esse poterat præparatio. 2. Ex modo pariformiter loquendi S. Th. talis charitas non præexigitur, qualis fides præexigitur, sed præexigitur fides actualis : ergo non præexigitur charitas actualis. 3. Illam charitatem dicit non præexigi, quæ alioqui esset contritio opposita attritioni, sed sola charitas actualis esset contritio opposita attritioni ergo charitatem actualem dicit non præxigi.

§. 2. S. Th. *in* 4. *dist* 22. *q.* 2. *ar.* 1. *quæstiun* 3 O 850 ait, *Quando aliquis accedit ad confessionem attritus non plenè contritus, si obicem non ponat in ipsa confessione, & absolutione, sibi gratia & remissio peccatorum datur.* Idem dixerat *dist.* 17. *q.* 3. *ar.* 5. *quæstiun.* 1. O. *Si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset.*

Respondent, per contritionem *non plenam* & per dolorem *non sufficientem ad contritionem* intelligi dolorem, qui saltem partialiter ex motivo charitatis procedat, sed imperfectum. *Contrà est*, nam S. Th. *in suppl. q* 1. *art.* 1. agens de contritione in communi ait, *actus contritionis est actus virtutis, & est pars Pœnitentiæ Sacramenti* : Talem autem contritionem describit cum S. Isidoro, quòd sit *humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, & timore judicii* : item cum S. Greg. *Humilitas spiritus annihilans peccatum inter spem & metum.* Et addit, *Nec solùm ponit causam principalem, quæ est timor, sed etiam causam, quæ est spes, sine qua timor desperationem facere posset.* Ex quibus manifestum est, quòd talem attritionem admittat esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ tantùm pertineat ad spem & metum. *Ibidem art.* 3. docet talem attritionem fieri non posse contritionem, *quia attritionis principium est timor servilis, contritionis autem timor filialis* : certum autem est ex S. Thom. quem retuli *n.* 720. quòd *timor servilis charitatem in sui ratione non includat*, ergo iterum manifestum est ex mente S. Th. quòd attritio, quæ potest esse pars Sacramenti Poenitentiæ, non necessariò, nequidem partialiter, procedat ex motivo charitatis.

Objic. 1. S. Thom. *in* 4. *d.* 14. *qu.* 1. *a.* 2. *quæs-* 851 *tiun.* 1. *ad* 4. ait, *Pœnitentia timore servili concipitur, qui pœnam respicit, nec oportet, quòd timor & pœnitentia sint simul, quia timor servilis non est causa esse ipsius pœnitentiæ sed generationis ejus, sicuti etiam sumptio medicinæ est causa sanitatis, non tamen sunt simul.* Resp. Tantùm dicit non esse opus, ut timor & poenitentia sint simul, potest enim desinere timor, & manere contritio post timorem, causata, hinc dicit timorem non esse causam *esse ejus*, id est, non necessariò actu influere in poenitentiam seu contritionem, attamen non negat timorem stare posse cum poenitentia, uti stare potest sanitas cum continuatione medicinæ.

Objic. 2. S. Thom 4. *dist.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. 852 *quæstiun.* 1. ait, *Confessio non valet sine charitate.* Et aliàs sæpè ante poenitentiam vel justificationem requirit motum charitatis. Resp. Ibi agere de confessione ut meritoria, sic enim habet : *Confessio est actus virtutis & pars Sacramenti, secundùm autem quod est actus virtutis, est meritorius propriè, & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi.* Ex quibus verbis patet eum loqui de confessione, prout est secundùm se de condigno meritoria gratiæ, sic autem significari debet per gratiam vel per habitum charitatis.

Objic. 3. S. Thom. 3. *p. qu.* 84. *art.* 10. O. ait, 853

Cùm

Cùm ad veram Pœnitentiam charitas requiratur, ſine qua non delentur peccata. Reſp. Tantùm vult, quòd ubi eſt vera pœnitentia, neceſſe ſit cauſari habitum charitatis ſive gratiæ, per quam remittantur peccata; debet autem habitum illum & gratiam poſſe amitti, & ideò poſſe iterari Sacramentum Pœnitentiæ, quod negabant hæretici contra quos ibi agit, nam ſubdit, *credebant, quod charitas ſemel habita non poſſit amitti, & per conſequens Pœnitentia, ſi ſit vera, nunquam per peccatum tollatur.*

Inſt. S. Th. *ibidem art.* 3. *O.* dicit diſplicentiam peccati, *quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum*, requiri *ad rationem veræ pœnitentiæ.* Et *art.* 6. *ad* 2. dicit remiſſionem culpæ eſſe effectum pœnitentiæ, *ſed principaliùs fidei & charitatis*, Reſp. In his locis agit de pœnitentia, prout eſt virtus ſine Sacramento juſtificans, & ideò *q.* 85. *ar.* 5. *O.* dicit, *pœnitentia, prout eſt virtus, includit motum charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum & non jam propter ſupplicia.* Et *q.* 86. *ar.* 2. *O.* ait, *Impoſſibile eſt peccatum actuale mortale ſine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quæ eſt virtus.* Et *a.* 3. *O.* dicit ad rationem veræ pœnitentiæ requiri, ut diſpliceat peccatum, *quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum*: quæ omnia dicta ſunt de pœnitentia, prout eſt virtus juſtificans extra Sacramentum, uti patet ex concluſione articuli, quæ ſic habet, *fieri non poteſt, ut per virtutem pœnitentiæ peccatum unum remittatur ſine altero.* Poſtmodùm autem *q.* 90. priùs incipit ex profeſſo agere de Sacramento Pœnitentiæ.

854 *Obji.* 4. *Ad juſtificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur ad Deum*, S. Thom. 1. 2. *q.* 113. *art.* 4. *O.* atqui *mens noſtra debitè ad Deum converti non poteſt ſine charitate*, 4. contra Gentes cap. 72. ergo. Reſp. Requiritur motus mentis, quo convertitur ad Deum ſaltem imperfectè per dilectionem concupiſcentiæ, qua velit ſibi Deum. Iſto autem loco contra Gentes loquitur S. Thom. de converſione perfecta juſtificante ſine Sacramento; nam Ferrarienſis, cum cujus commentariis editi ſunt libri contra Gentes, ſic habet in eum locum: *Animadvertendum eſt, cùm dicitur mentem debitè ad Deum converti non poſſe ſine charitate, quòd ideò additum eſt, debitè, ut excludatur imperfecta converſio, poteſt enim aliquis imperfectè converti ad Deum ſine charitate; ſed perfecta converſio, quæ ſufficiat ad deletionem culpæ, ſine charitate eſſe non poteſt.* Certum eſt autem ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiri perfectam converſionem, ergo ſimiliter certum eſt ſufficere converſionem ſine charitate.

Inſt. 1. Omne mortale eſt averſio à Deo ut ſummè bono, nam *quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati ſecundùm propriam rationem, quæ conſiſtit in hoc, quòd Deus diligatur ſuper omnia*, S. Th. 2. 2. *q.* 24. *a.* 12. *O*, ergo actus veræ pœnitentiæ debet eſſe converſio ad Deum ut ſummè bonum, quia debet eſſe converſio ad hoc, à quo fuit averſio. R. Ergo actus veræ pœnitentiæ ſe ſolo juſtificans debet eſſe converſio ad Deum ut ſummè bonũ c. juſtificans ſimul per Sacramentum n. nam ſuppoſita converſione ad Deum ut nobis bonum, tum Sacramentum ex inſtitutione, & meritis Chriſti operatur, quod converſio illa ſe ſola operari non poteſt.

Inſt. 2. *Ad eandem virtutem pertinet proſequi unum oppoſitorum & refugere aliud, & ideò ſicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam deteſtari peccata, per quæ anima ſeparatur à Deo*, S. Th. 1. 2. *q.* 113. *art.* 5. *ad* 1. R. Inde tantùm ſequitur, quòd charitas poſſit elicere deteſtationem peccati, quod nemo negat; ſed negamus poſſe ſolam charitatem, nam etiam poteſt ſpes, & timor. Plura videri poſſunt apud Francol. *de dolore l.* 1. *cap.* 5.

Q. 116. *An verum ſit, quòd ex Authoribus & Theologis plurimi doceant attritionem ſufficere cum Sacramento; oppoſitum autem teneant reſpectivè pauci?* 855
Reſp. Affirmativè, nam §. 1. Pinthereau *de Attrit. ſufficientia* à p. 8. adductis locis & verbis refert 100. Authores graviſſimos, qui ab anno Chriſti 1200. ſententiam noſtram tenuerunt, inter quos ſunt Guilielmus Pariſienſis, Dionyſ. & Ludolphus Carthuſianus, Gerſon, Toſtatus, Turrecremata, Dur. Capr. Gabr. Adrian. Ferrar. Eckius, Sà, Vincentius Ferrerius, Bernard. Senenſis, Antonius, Thomas à Villanova. Deinde à pag. 93. adducit Theologos 19. qui Tridentino interfuerunt & nobiſcum tenent. Le Dent. *de attrit.* à *n.* 158. refert Authores, qui ante Trid. idem tenuerunt, & à *n.* 231. multos ex Academia Lovanienſi. Authores autem, qui idem tenuerunt poſt Tridentinum, affert in R. ad Xenium Theologicum *c.* 5. *à nu.* 164. Sed quoad Authores poſt Tridentinum, ſtudioſiſſimè eos examinavit Gormaz. *p.* 1. *poſt nu.* 446. ubi ordine alphabetico adductis nominibus, locis & verbis fideliter refert plures quàm 160. qui clariſſimè nobiſcum tenent, inter quos ſunt duo Papæ, ſeptem Cardinales, ſex Epiſcopi, ſpeciatim S. Carolus Borromæus: ſex Concilia particularia in variis Diœceſibus habita, ſex diverſi catechiſmi publica authoritate editi ad informationem parochorum, & populi. Accedunt Decretum Gratiani, inquiſitio una generalis Hiſpanica, definitio facultatis Pariſienſis. Reliqui ſunt graviſſimi Theologi ex omni natione, ſtatu & ordine. Accedit Volpiliere *tom.* 4. *t.* 1. *c.* 2. anno 1698. Pariſiis editus: Item Cardin. Brancatus *de Laurea in* 4. *tom.* 2. *d.* 9. *nu.* 89. *& d.* 14. *a* 8. *à nu.* 232. ita ut Sporer *n.* 271. meritò dicat eſſe ſententiam Authorum ferè omnium; Platel. *num.* 654. plerorumque omnium poſt Tridentinum, Puteanus, & Becanus vocent communem omnium. Sequuntur Thomiſtæ ferè omnes cum Gonet. *d.* 7. *art.* 3. & Godoi *de Deo d.* 2. §. 7. *nu.* 125. Scotus & S. Bonav. & plerique Scotiſtæ cum Boſco *d.* 6. *ſ.* 3. *concl.* 4. Et ideò etiam Alex. VII. in Decreto, quod referam *nu.* 875. dicit ſententiam noſtram videri communiorem inter Scholaſticos. *Reſpondet* Farvacq. quamvis mille Authores ſint pro aliqua ſententia, non ideò fieri, ut Sacramentum valeat ſine eo, quod Chriſtus ad Sacramentũ requiſivit, ideóque fruſtra à nobis congeri tot nomina. *Contra* eſt, quia ex judicio tot Sanctorum & ſapientiſſimorum virorum prudenter, & moraliter certò præſumimus Chriſtum tale quid non requiſiviſſe, non enim eſt credibile paſſurum fuiſſe, ut hi omnes & totus pene orbis erraſſet circa negotium ſalutis: ſicuti quia omnes ferè docent ad valorem abſolutionis non prærequiri expletionem pœnitentiæ, prudenter judicamus id eſſe moraliter certum: Neque ullus prudens negare poteſt, quin in illis, quæ à Dei voluntate pendent, uti ab ea pendet, ſine attritio ſufficiens an è contrà contritio requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ, plurimùm ſit tribuendum communi judicio ferè omnium, nam *integrum judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur*, Can. *Extra conſcientiam*, diſt. 64. & Cap. *Prudentiam* 1. de Off. Jud. deleg. *Per ampliores homines perfectiſſima veritas revelatur. l.* 32. C. de fidei-Comm. *Facilius namque invenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur.* Can. *De quibus*, *diſt.* 20.

§. 2. Pauci ſunt reſpectivè, qui ſententiam op- 856
poſitam tenent, nempe unus vel alter cum Palav. *in Hiſt. l.* 12. *c.* 10. *à n.* 25. Acceſſerunt Bajus, Janſenius & Janſeniſtæ, ſed parum ponderis habent, quia nimium extollunt neceſſitatem charitatis, uti conſtat ex dictis *l.* 2. *n.* 132. Acceſſerunt Lupus, Farvacq. Lovanienſes aliqui; ex Thomiſtis pauci,

ex Scotistis Hiquæus & J. Pontius apud Bosco suprà. Recenter Le Drou Henr. à S. Ignatio & quidam alii, hi autem respectivè ad citatos §. 1. sunt pauci, ergo.

857 *Obj.* Morinus, Lupus, Farvacq. Juen. testantur neminem ante 15. sæculum docuisse pro attritione, & Canum fuisse primum cum quodam Henrico Salmanticensi. E contrà multos contra attritionem docuisse ante Tridentinum, testatur Aversa *qu.* 11. *s.* 4. Et quosdam in Tridentino ita sensisse, videtur certum. R. Pro redarguenda falsitate Morini provoco ad fidem aliorum Authorum, qui oppositum testantur; mihi sufficit S. Aug. quem valdè probabiliter, & S. Th. quem existimo certò stare pro attritione, uti ostendi à *n.* 845. & 849. alios plures adducit Francol. *de dolore l.* 1. *c.* 5. *à n.* 27. & *l. c.* & *seq.* Nec operæ pretium est his immorari. Admitto autem ante Trid. aliquos reliquisse dilectionem perfectam, sed quia omnes ferè post Trid. maximo consensu arripuerunt sententiam nostram, manifestè infero illos per Trid. ad hoc esse adductos, adeóque hunc fuisse sensum Trid. Deinde PP. Trid. uno fortè vel altero excepto, tantùm contendebant requiri aliqualem dilectionem, quam etiam nos requirimus, ergo illi non sunt contra nos.

Inst. Palav. adducit contra attritionem etiam Henriq. Valent. Carolus ab Assumptione in libello de contrit. edito sub nomine Germani Philalethis refert contra attritionem facilè centum Authores. Le Drou *diss.* 4. *cap.* 4. §. 4. multos etiam adducit pro sua sententia. R. Henriq. *l.* 4. *de Sacram. cap.* 26. apertè tenet pro attritione, & Valent. clarissimè de poen. d. 7. qu. 8. p. 4 à §. *Animadvertendum*, ergo Palav. malè citat illos pro se. Platel. *num.* 632. rectè ostendit Carolum ab Assumptione illudere lectori, nam nec annotat locum vel verba eorum quos citat, & falsò citat aliquos, nominatim Sylv. qui sententiam pro contritione, quam priùs docuerat, revocavit. Et citat multos tantùm concionatores, quorum plerorumque verba, si inspiciantur, aliquam tantùm dilectionem requirunt, qualis est, si Deum amem mihi, quòd fit per dolorem ex spe & metu, fugimus enim infernum, ut in Coelo assequamur Deum, nec plus volunt plerique ex illis, quos adducit Le Drou: nam quòd Sonnius, Tapper. P. Soto, Vega. Jansenius Gandavensis aliique, qui Trid. interfuerunt non sint contra nos, rectè ostendit Francol. *suprà c.* 6. §. 10. & *l.* 2. *c.* 6. §. 1. Imò nec Navarrum aut Vivald. esse contrarium, conatur ostendere *l.* 1. *c.* 7. §. 2. Et dato aliquos tenuisse oppositum, ostendam *n.* 874. non elidi certitudinem practicam alicujus sententiæ, quamvis quidam pauci contradicant.

858 *Q.* 117. *Quomodo ex praxi, & sensu communi Ecclesiæ ac fidelium probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento?* Resp. Hoc modo. §. 1. Non est credibile, quòd Spiritus Sanctus qui regit Ecclesiam, permissurus fuisset praxim sententiæ nostræ, si falsa esset, cum damno tot animarum prævalere, maximè cùm sententia nostra toties à Rigoristis S. Sedi exhibita, cum potentissimis instantiis, ut damnaretur; & tamen Pontifices nunquam reprobarunt: speciatim Alex. VII. & Innoc. XI. [illegible] prompti ad damnandas propositiones periculosas, & studiosissimi pro rescindendis noxiis, laxitatibus, graviter prohibuerunt ulla censura notari sententiam nostram; permiseruntque ipsi suis temporibus publicè doceri etiam Romæ: imò Alexand. VIII. ut ostenderet ad pœnitentiam non requiri amorem, quem volunt rigoristæ, inussit notam libro Episcopi Castorien sis, qui dicitur, *Amor pœnitens*, uti refert Germ. *n.* 345. fatenturque adversarii per hujus Pontificis decreta convelli suam doctrinam.

§. 2. Si sententia nostra esset falsa, Pontifices & 859
Cardinales Concilii Trid. Interpretes, cùm sciant nos præcipuè niti Trid. declararent oppositum pro officio suo, & cavendo damno animarum, sed non declarant, sed etiammum permittunt ubique doceri publicè, & speciatim Romæ in celeberrimis seminariis, uti habet certa relatio cum testimoniis authenticis impressa typis sub annum 1690. cujus exemplar habeo: nominatim in Urbano Collegio de propaganda fide, in Collegio S. Pancratii, in Collegio S. Thomæ apud Minervam, in Collegio Clericorum regularium ministrantium infirmis, & aliis, quæ ab Ecclesiasticis vel aliis Religiosis reguntur, tacco illa omnia, in quibus docent Professores è Societate nostra.

§. 3. Accedit communis sensus fidelium in to- 860
ta Ecclesia, qui si dolorem habeant ex spe coeli vel metu inferni, aut saltem ex motivo turpitudinis peccati prout oppositi legi æternæ Dei, confitentur & absolutionem petunt sine scrupulo, eamque dant pariter Confessarii penè omnes: velle autem eos omnes damnare sacrilegii, uti damnari deberent, cùm adversarii, hìc præsertim in materia facti, non admittant ignorantiam inculpabilem, hoc esset exoticum, & temerarium, ergo.

Q. 118. *Quibus rationibus probetur, quòd attritio* 861
sufficiat cum Sacramento? R. sequentibus. § 1. Nihil obstat, quominus attritio sufficiat, nam est actus honestus, supernaturalis, tendens in Deum velut finem ultimum à peccatore assequendum, efficaciter excludens omnem voluntatem peccandi, ut constat ex dictis hactenùs. Nec ullum est argumentum in oppositum, cui planè non satisfiat, ut partim est ostensum, partim ostendetur à *n.* 864. ergo.

§. 2. Si attritio non sufficiat, plerique homines, 862
præsertim rudes, & ingenio tardiores, vix unquam habebunt dolorem sufficientem pro Sacramento, pauci enim assurgunt ad dolendum de peccato, quia Deo summè bono malum est, uti testari poterunt Confessarii de poenitentibus suis.

§. 3. Secundùm adversarios, in dolore debebit 863
adesse amor Dei absolutè prædominans, sive intensior omni alio amore actuali cordis, sed talis amor Dei erit rarus, & sæpè erit impossibilis, nam sæpè fit, ut quis, etiam non liberè sed planè necessariò propter motiva magis sensibilia, nec inhonesta, intensiùs doleat, v. g. de morte Patris sibi carissimi quàm de peccato; aut ut intensiore affectu actuali amet unicam prolem suam quàm Deum, cujus bonitatem hìc & nunc non ita sensibiliter potest cognoscere, talis autem homo, quamvis secundùm partem superiorem voluntatis Deum appretiet super omnia, tamen occasione partis inferioris ejusdem voluntatis magis sensibiliter tractæ habere non poterit amorem intensiorem Dei absolutè prædominantem, idcóque non poterit debitè poenitere nec salvari, quod durissimum est dicere, ergo.

Q. 119. *An argumenta Adversariorum contra* 864
sufficientiam attritionis ita solvi possint, ut plenè satisfiat? Resp. Posse, nam præter hactenùs soluta, non invenio nisi sequentia.

Objic. 1. In Epist. 1. Joan. *c.* 3. *v.* 14. dicitur, *Qui non diligit, manet in morte* 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest* Similiter loquuntur SS. PP. apud Le Drou *d.* 3. *cap.* 1. *R. Ad* 1. S. Joannem ibi agere de dilectione fraterna, quam nemo dicit esse partem Sacramenti Poenitentiæ. Quòd si loqueretur etiam de dilectione Dei, sensus esset, qui non implet præceptum charitatis, quando obligat, manet in morte, nec salvabitur: negamus autem obligare ratione Sacramenti Poenitentiæ. Et similiter dicit Christus: *qui*

habet

habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me: non debere autem omnia mandata servari ex motivo charitatis, certum est ex dictis *l. 1. n. 691. & l. 2. n. 132. Ad 2.* Apostolus loquitur de charitate, abstrahendo ab habituali, & actuali, nam multa, quæ ibi dicit, conveniunt habituali, multa actuali: Itaque tantùm vult ad salutem requiri, finaliter habitum charitatis, actum autem quandoque per vitam, nempè quando præcipitur: de cætero nullum ibi sermonem habet de Sacramento Pœnitentiæ, ergo multò minùs ad illud requirit actum charitatis. Alia loca Scripturæ vel Patrum, quæ pro justificatione requirunt charitatem, loquuntur de justificatione extra Sacramentum: quod maximè dicendum est de illis, quæ afferuntur ex antiquo testamento; cùm ibi non fuerit Sacramentum Pœnitentiæ; lex autem naturalis tum exigebat contritionem, non ex necessitate absoluta, sed quia Deus tum non instituerat illud medium justificationis, quale nunc longè faciliùs habemus per Sacramentum.

865 *Obji.* 2. Lex antiqua erat timoris, lex autem nova est amoris, ideóque S. Thom. *1. 2. q. 107. art. 1. O.* vocat legem charitatis, ergo ad Sacramentum novæ legis requiritur amor ex charitate. R. 1. Si argumentum valet, ergo in lege nova nullus actus est bonus, qui non est ex charitate; quod secundùm dicta *l. 2. n. 132.* certò falsum est R. 2. n. conf. Lex antiqua erat timoris, quia Deus externis terroribus urgebat observationem illius: Lex nova est amoris, quia per Incarnationem Verbi exhibuit nobis maximum amorem, seque magis placabilem, & veluti familiarem reddit per Sacramenta, præsertim Eucharistiæ, ideóque conveniens est, ut nos reciprocè moveamur amore ad observationem mandatorum ipsius, sed non ideò obligamur servare ea ex motivo charitatis, uti certum est ex dictis ibidem *l. 2. n. 132.*

Inst. 1. Sacramentum novæ legis non potest suscipi nisi ab eis, qui pertinent ad novum testamentum, sed qui agunt, & aguntur timore pœnæ secluso Dei dilectione, non pertinent ad novum testamentum sed ad vetus, uti colligitur ex c. 8. v. 15. ad Roman *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, ergo. Ita Marchesius *qu.* 10. arg. 4. R. n. min. nam *per fidem Christi pertinet homo ad novum testamentum.* S. Th. *1. 2. q. 106. art. 1. ad 3.*

Inst. 2. Christus Matth. 5. v. 17. dicit, *Non veni solvere legem sed adimplere*, ergo pro justificatione manet eadem obligatio amoris Dei. R. 1. Ergo sicuti in antiqua lege requirebatur amor perfectus, ita requiretur in nova. Resp. 2. ergo pro justificatione manet obligatio amoris Dei, si non suscipiatur Sacramentum, c. si hoc suscipiatur, n. Et hoc est privilegium novæ gratiæ, quam addidit Christus, ut etiam sine amore possit vi Sacramenti obtineri justificatio.

866 *Objic.* 3. Pœnitentia deber esse tristitia *secundùm Deum*, uti colligitur ex 2. ad Corinth. 7. sed attritio non est tristitia *secundùm Deum*, sed secundùm seipsum, attritus enim non dolet de peccato, quia est malum Deo, sed quia est sibi attrito malum, ergo Resp. n. min. quia quamvis attritio sit de malo attriti, tamen simul est tristitia *secundùm Deum*, in quantum elicitur ex fide in Deum, ex spe & amore concupiscentiæ erga Deum.

Inst. S. Thom. *lect.* 3. in eum locum Apostoli dicit ex *amore, quo diligitur Deus, causari tristitiam, quæ est secundùm Deum.* R. Non dicit semper causari ex amore perfecto, sed saltem imperfecto, qualis est amor concupiscentiæ: & ideò amorem illum, qui tristitiam *secundum Deum* causat, opponi amori sæculi, cui etiam opponitur amor concupiscentiæ, quo ferimur erga Deum in beata æternitate possidendum.

Obji. 4. Ut dolor valeat, peccatum debet in 867 se, & secundùm se displicere voluntati, sed per dolorem ex metu non displicet peccatum in se, & secundùm se, ergo. *Prob. min.* peccatum displicet propter pœnam, ergo non in se & secundùm se. R. n. min. *Ad Prob.* n. conf. nam si doleam de peccato propter bonitatem Dei offensi, secundùm omnes, peccatum displicet in se, secundùm se, quia nempe peccatum in se, & secundùm se opponitur bonitati Dei, ergo similiter si doleam de peccato propter pœnam, peccatum in se & secundùm se displicet, quia displicet secundùm intrinsecam malitiam suam, per quam est inductivum talis pœnæ.

Obji. 4. Dolor ad Sacramentum requisitus de 868 bet esse detestatio peccati prout est offensa Dei, ergo prout peccatum est malum Deo. Et ideò S. Th. *3. p. q. 86. art. 3. O.* dicit ad veram pœnitentiam pertinere deserere peccatum, in quantum est contra Deum. Resp. Debet esse detestatio peccati prout est offensa Dei ut summè boni, n. ut præmiatoris, ut punitoris, aut ut primæ regulæ omnis honesti, c. ant. & n. conf. Et ex hoc patet ad S. Th. nam ad pœnitentiam sufficit deserere peccatum, in quantum est contra Deum ut præmiatorem, punitorem vel regulam honesti. Et quòd detestari peccatum *tanquam Dei offensam* non sit actus elicitus à sola charitate, docet expresè S. Th. *q. 85. a. 2. O.* ubi dicit pœnitentiam esse specialem virtutem, adeóque ratione motivi distinctam à charitate, quia intendit destructionem peccati, *in quantum est Dei offensa.*

Obji. 6. Malitia peccati consistit in hoc, quòd 869 homo creaturam amet præ Deo, ergo dispositio ad remissionem peccati debet esse talis, ut homo Deum amet præ omni creatura. *Conf.* nam peccator habet creaturam pro fine *cui*, ergo ut convertatur, debet iterum habere Deum pro fine, *cui*, ergo amare Deum propter Deum ipsum. R. Ergo dispositio ad remissionem peccati debet esse talis, ut amet Deum præ omni creatura, amore amicitiæ, n. concupiscentiæ, c. sic autem amat per attritionem ex spe possidendi Deum, ideóque amore concupiscentiæ secundùm dicta *nu. 827. in R. 3.* est hoc sensu super omnia, quòd vi illius homo sit paratus potiùs negligere omnia bona, & pati omnia mala quàm Deum pro æternitate non habere vel iterum perdere per peccatum. *Ad Conf.* dist. conf. Ergo ut convertatur perfectè, & sufficienter pro justificatione sine Sacramento, debet iterum habere Deum pro fine, *cui*, c. ut convertatur imperfectè attamen sufficienter pro justificatione in Sacram. n. Deus enim hoc non requisivit, sed propter infinita Christi merita nobis applicanda per Sacramentū, voluit hoc fieri per illud ipsum Sacramentum, quod non fiebat ex vi *solius* actus, quem habet pœnitens.

Inst. 1. Qui per peccatum convertitur à Deo ad creaturam ille creaturā præfert Deo, ergo qui per pœnitentiam convertitur à creaturis ad Deum, ille Deum præfert omnibus creaturis, atqui attritus non præfert Deum sibi ipsi, sed hoc fit per solam charitatem, ergo attritus verè non convertitur ad Deum. R. peccans, creaturam in se non præfert Deo in se, scit enim semper Deū esse infinitè digniorem omni creatura, sed fruitionem creaturæ præfert fruitioni Dei. Et similiter qui per attritionem convertitur à creaturis ad Deum, ille fruitionem Dei, quem vult ut finem ultimum, præfert fruitioni omnis creaturæ, hoc autem fit sine charitate.

Inst. 2. Qui sibi amat divitias, plus amat se quàm divitias, ergo qui sibi amat Deum, plus amat se quàm Deum, hoc autem est inordinatum R. n. conf.

qui sibi amat divitias, vult illas ut purum medium suæ felicitatis: è contrà qui sibi amat Deum, vult Deum ut suum finem ultimum, quo felix sit, ergo non excluditur, quin plus amet Deum quàm se, saltem per alium actum concomitantem.

Inst. 3. Attritio ex amore concupiscentiæ habet peccatorem pro fine *cui*, ergo non convertit peccatorem ad Deum sed ad seipsum. R. Ergo non convertit peccatorem ad Deum, perfectè, c. imperfectè, n. hoc ipso enim, quòd respiciat Deum, & avertat peccatorem à peccato, quod peccatum avertebat à Deo, jam iterum convertit peccatorē ad Deum: Et ratio à priori est, quia quamvis amor concupiscentiæ convertat nos ad nos ipsos tanquam ad finem proximum *cui*, tamen non sistimus in nobis tanquā in fine ultimo, sed manemus vel habitu, vel per alium actum, saltem suo tempore ordinamur ad Deum tanquam finem ultimum, *cui*, in quem nunc ille amor concupiscentiæ tendit tanquā in finem, *cui*, non excludendo alteram relationem ad Deum tanquam ultimum finem, *cui*, quamvis ipse de facto ita non referat: hoc autem sufficit, quia sicuti per peccatum ita convertimur ad creaturam, ut ex amore creaturæ velimus facere aliquid, quo privamur Deo, sic per attritionem ex amore concupiscentiæ, ita amamus honestatē aliquam creatam, v. g. quæ relucet in desiderio assequendæ beatitudinis vel declinandæ gehennæ, ut detestemur peccatum, quo privati sumus Deo, velimusque nunquam ampliùs facere aliquid, quo privemur Deo, ergo sufficienter convertimur ad Deum.

870 *Inst.* 4. Timor non convertit ad illum, qui timetur, sed potiùs facit, ut fugiatur, eò quòd timeantur pœnæ ab illo. R. Timor sine amore concupiscentiæ & sine proposito servandi omnia præcepta illius, qui timetur, non convertit ad illum, transeat, timor habens adjunctum amorem concupiscentiæ, & propositū servandi omnia illius præcepta, adeóque & illum suo tempore amandi super omnia, ille non convertit ad eam, qui timetur, n talis autē timor est nostra attritio.

Inst. 5. Aristoteles 2. Rhetor. c. 4. ait, *Nemo eum, quem metuit, amat.* R. Nemo eum, quem cum inhonesta servilitate metuit, amat, c. quem sine inhonesta servilitate metuit, attamen serviliter, subdistinguo, non amat amore perfecto amicitiæ, de qua ibi agit Arist. c. nunquam amat amore concupiscentiæ, n. & experientia docet oppositum, nam honesti servi & timent & amant Dominos, quos etiā offendere nolunt.

871 *Obj.* 7. Si rebellis petens veniam à Rege diceret, *doleo de rebellione, non gratia tui, sed propter me, ne me puniat*, interim pergeret non habere benevolentiam erga Regem suum, dignus non esset, ut ad ejus amicitiam admitteretur, ergo nec peccator per solam attritionem se convertens ad Deum. R. 1. Dato ant. n consnam talis rebellis sic loquens præseferret contemptum personæ regiæ non introspicientis cor illius, quod non est de attrito respectu Dei. Quòd si supponas obesse hunc contemptum, & actum istius rebellis esse honestum, eundemque rebellem in corde dolere de offenso Rege, demissè petere cum sibi reconciliari, paratum esse imposterum ei servire in omnibus ac etiam velle, quando tenebitur, amare perfectè amore amicitiæ, quæ omnia sunt in attrito respectu Dei offensi. R. 2. Talis rebellis non esset dignus ex vi talis actus, ut admitteretur ad amicitiam Regis, c. non esset dignus ex vi illius actus tanquam dispositionis, qua posita Rex promisisset, veniam propter aliquid alterius merita vel intercessionem, v. g. alterius Regis, n. Jam verò Deus promisit, quòd posita attritione cum Sacramento vellet dare veniam, non ex vi vel merito attritionis secundùm se, sed ex vi attritionis cum Sacramento, cui infinita Christi merita privilegium illud impetrarunt.

Objic. 8. Habitus fidei, & spei non recuperantur 872
à peccatore, nisi prævio actu fidei & spei, ergo nec habitus charitatis nisi prævio actu charitatis. Hoc argumenrum vocat Palav. validissimum. R. 1. Si argumentum valet, ergo etiam habitus, v. g. temperantiæ & reliquarum virtutum non recuperantur à peccatore nisi prævio actu temperantiæ & reliquarum virtutum, quod apertè falsum est, ergo argumentum illud non est validissimum sed prorsus nullum. R. 2. n. conc. Actus fidei & spei prærequiruntur ante Sacramentum Pœnitentiæ, non quia per Sacramentum recuperari debent isti habitus, sed quia actus illarum virtutum sunt specialiter necessarii ad dolorem supernaturalem, uti dictum est *l.* 2. *à n.* 15 qualiter necessarius non est actus charitatis, sine qua dari possunt actus supernaturales aliarum virtutum.

Objic. 9. Dolor ad Sacramentum requisitus debet esse actus virtutis, sed dolor ex timore non est actus virtutis, quia timor non est virtus, sed tantùm numeratur inter dona Spiritus Sancti, ergo. R. n. min. sicuti enim fortitudo, pietas, sunt dona Spiritus sancti, in quantum faciunt promptè sequi inspirationes divinas, in quantū autem faciunt promptè sequi imperium rationis, sic sunt virtutes, ut habet S. Th. 1. 2. *q.* 68. *a.* 1. *O.* ita etiam timor Domini est non tantùm donum Spiritus sancti, secundùm dicta *nu.* 820. sed etiam virtus potens habere actus efficaces excludentes omnem voluntatem peccandi.

Q. 120. *An sententia tenens attritionē sufficere cum* 873
Sacram. sit practicè certa: R. §. 1. Negat Le Drou *d.* 4. *c.* 4. sed plurimi affirmant, nam Amicus *d.* 12. *nu.* 12. & Esparsa *q.* 89 *a.* 8. vocant indubitatam. Arsdek. *tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 1. *c* 3. *q.* 21. dicit videri ita securam, ut ampliùs de ea prudenter dubitari non possit: Tann. *d.* 6. *n.* 68. Con. *de Sacram q.* 62. *n.* 33. vocant satis certam: Præpos. Prado, Salas, Viva hoc anno 1711. Francofurti recusus, in q prodroma *n.* 20. moraliter certam: Suar. Less. Rayn. Pernand. Diana, Martinon, Perez, Mlodz. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1. Castrop. *t.* 23. *p.* 7 *n.* 1. Dica. *d.* 6. *n.* 145. Illus. *n.* 32. absolutè certam: Card. de Lug. *d.* 5. *n* 137. Spor. Bos. communem & certam: Filliuc. Oropega, Herincx *d.* 2. *n.* 41. Francol. *de Disc. Pœn. l.* 3. *c.* 6. §. 5. certam in praxi: F. Lug. Bonet. Mald. Le Dent tutam in praxi: Aversa. *q.* 11. *s.* 4. tutam post Trid. Gor. *à n.* 448. practicè & indubiè certam: Estrix & Cardenas certam & omninò tutam: Leander *à SS. Sacram.* Paulus de Palatio, Seratam: Leander *à SS. Sacram.* Paulus de Palatio, Seraphinus à Conceptione vocant certissimam: Bonæspha & Arriaga *d.* 17. *n.* 25. dicunt videri sibi esse ferè de fide: Moya *d.* 5. *q.* 1. *n.* 3. dicit esse veritatem inter fide: Moya *d.* 5. *q.* 1. *n.* 3. dicit esse veritatem inter fidei dogmata numerandam, & *n.* 10 addit hoc certa fide esse tenendum: Stoz. *l.* 1. *p.* 2. *n.* 39. vocat ex fide catholica certam: Medin. Ledes. Bellar. Reques. Fagund. Abelly. G. Sanch. Pasq. & alii cum Moya *nu.* 1. dicunt determinatam in Trid. Paulus de Palatio vocat certissimam & definitam à Trident. Binsfeldius probatam Conc. Tridentini sententia: Sylvester de Prieras doctrinam Sanctorum & maximè S. Th. Gabriel à S. Vincentio & Meratius *d.* 19. *s.* 1. communem Catholicorum sensum, Canus & Petrus à S. Joseph communem Ecclesiæ sensum: Henriq. Rhod. & alii dicunt hoc tempore non posse sine temeritate vel errore negari: Bonæspei *d.* 5. *num.* 4. postquàm vocavit ferè certam certitudine fidei, addit se Romæ anno 1654. in Capitulo generali cum approbatione Magistri Palatii inter alias theses summo Pontifici dedicatas defendisse etiam hanc, *Contritionem verò omnem, quæ non sit ex motivo charitatis, inutilem esse ad absolutionem sacramentalem, propè hæreticum putamus.* Atque ideò opinionem, quæ contritionem perfectum requirit, dicit Amicus nunc non posse sine nota defendi, Suar. Less. Dicast. Lugo, Sporer aliique communissimè vocant absolutè

absolutè improbabilem : Viva dicit esse umbratilis probabilitatis : Caram. *in Theol. fundam. num.* 1293. tantùm tenuiter probabilem : Stoz. *num.* 34. nullo modo probabilem : Præpos. nequidem tenuiter probabilem : Leander apud Dianam *p.* 11 *t.* 8. *R.* 43. plùs quàm improbabilem : Honor. Fabri erroneam ; Vasq. periculosam : Facultas Parisiensis, Sacramenti Pœnitentiæ imminutivam, temerariam, & erroneam : Verricelli falsam, temerariam, erroneam. Cardin. Brancatus de Laurea *in* 4. *tom.* 2. *d.* 14. *art.* 8. *n.* 233. dicit sententiam, quæ dicit attritionem cum Sacramento non justificare, esse hæreticam, & per attritionem *in d.* 9. *art* 3. *n.* 89. intelligit dolorem vel ex motivo turpitudinis peccati vel ex timore pœnarum : tamen quidquid hic censurarum est, non approbo, verùm ideò solùm refero, ut constet, quis à Temporibus Tridentini fuerit sensus de nostra sententia : & de hoc possunt plura videri apud Francol. *de dolore ad Sacramentum Pœn. necessario l.* 1. *c.* 7. *& l.* 2. *c.* 6. §. 2. item *de disc. Pœn. l.* 3. *toto.*

874 §. 2. Consideratis omnibus, quæ hactenùs attuli, sententia tenens attritionem aliquam sufficere cum Sacramento, videtur mihi esse practicè certa. *Quod Confirmo inde*, quia si non esset practicè certa sed tantùm probabilior aut etiam probabilissima, contineretur damnatione 1 prop. per Innoc. XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*, atqui hac damnatione non continetur, nam Martinus De Esparsa, unus ex Theologis Romanis, qui jussu Innoc XI. cum aliis consultoribus interfuit examini prop. damnatarum, Roma 6. Aprilis 1680. in Belgium scripsit in hæc verba : *Nulla quisquam solicitudine concuti debet circa sufficientiam attritionis in confessione, propter prohibitionem* 1. *prop. ex* 65. *Ea propositio fuit reprobata propter suam illimitatam amplitudinem & universalitatem, cùm indistinctione speculativè tantùm probabilis à probabili etiam practicè, & rursum probabilis utcumque à moraliter certa aut etiam plus quàm moraliter certa ; sententia autem de sufficientia attritionis est practicè probabilis, & moraliter certa, atque ut ego puto, plus etiam quam moraliter certa. Accedit apud Censores prædictarum propositionum actum fuisse in terminis propriis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderamus, sententiam communem mansisse incolumem.*

Objic. 1. Multi ante, & post Trid. tenuerunt sententiam contra attritionem, uti constat ex dictis à *n.* 856. ergo est intrinsecè probabilis. Deinde pro ea rationes multas ex Trid. adducit Pal. in actis Concilii versatissimus, ergo etiam est intrinsecè probabilis, ergo sententia pro attritione non est certa. *Confirm.* nam Platelius, licèt acerrimè stet pro attritione, dicatque sententiam suam habere aliquam moralem certitudinem, tamen, *n.* 716. agnoscit probabilitatem in opposita, quam etiam agnoscit Oviedo *De justific. contr.* 1. *n.* 109. *R.* 1. Quamvis concederemus sententiam adversariorum esse probabilem, tamen non esset obligatio eam sequendi, quia secundùm dicta in *p.* 1. *n.* 119. non est obligatio sequendi eam sententiam, per quam administratio vel susceptio Sacramenti fit obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus, atqui per sententiam Adversariorum administratio & susceptio Sacramenti Pœnitentiæ fit obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus, nam si requiratur certa intensio, uti volunt adversarii, & quidem major, quàm de facto sit, in ullo alio actu pœnitentis, nunquam poterit Confessarius, imò nec pœnitens esse moraliter certus, sed prudenter debebit semper dubitare de sufficientia dispositionis, adeóque extra necessitatem extremam non poterit dari vel peti absolutio, ne sacramentum exponatur periculi nullitatis, hoc autem est absurdum, ergo R. 2. Ex hoc, quòd aliqui Authores teneant sententiam oppositam aut dicant esse probabilem, non eliditur certitudo practica nostræ sententiæ, uti fateri debent omnes in similibus casibus, nam etiam secundùm adversarios cum Le Drou est practicè certum, quòd sufficiat contritio ex charitate imperfecta, & tamen requiri etiam cum Sacramento contritionem perfectam docuerunt multi graves Authores: teste Le Drou *dist.* 1. *c.* 3. & idem est de plurimis aliis sententiis, ergo Rationes per Palav. ex Trid. allatæ abundè solutæ sunt à *n.* 840. Imò cum Palav. qui sententiam suam contra attritionem docuerat, priusquam scriberet historiam, ideóque determinabatur ad illam, prout posset, stabiliendam, cum, inquam, argumenta meliora non invenerit vel in Trid. vel in ejus actis, certò inferimus nulla fuisse præter ea, quæ sine difficultate explicavimus unde R. 3. Etiam certitudini practicæ alicujus sententiæ non obstat, quòd omni planè ratione destituatur sententia opposita, sed satis est, quòd omnibus perpensis judicetur vix superesse apparentiam veri vel scrupuli pro illa, & clarè dissolvantur argumenta contraria, cujus ratione & exempla dedi in *l.* 6. *p.* 1. *n.* 119.

Inst. 1. Saltem sententia requirens dilectionem 875
non potest dici absolutè improbabilis, ergo est absolutè probabilis, & consequenter opposita non est practicè certa. Prob. antquia Alex. VII. feria 5. die 5. Maii 1667. edidit hoc Decretum.

S. D. N. ALEXANDER Papa VII. cum acceperit non sine gravi animi mœrore Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus : Sanctitas Suæ enixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ, fomitem extinguere, auditis votis Eminentiss. ac Reverendiss. DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, nec DD. Consultorum, & Qualificatorum S. Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem S. Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus quocunque gradu ac dignitate etiam Episcopali & majori, imò & Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt vel alios quovis modo pœnitentes aut Scholares cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum, &c.

Ex hoc Decreto sic formatur argumentum: dicere opinionem, quæ requirit dilectionem, esse absolutè improbabilem, est eam afficere censura, injuria & contumelia, sed hoc prohibet Alex VII. ergo. R. Decretum expressè loquitur de illa tantùm opinione, quæ requirit *aliqualem dilectionem Dei in attritione ex metu gehennæ concepta*, hanc autem opinionem nos non oppugnamus, sed fatemur aliqualem Dei dilectionem esse necessariam, unde ex hoc Decreto confirmantur illa, quæ diximus. Itaque dist. ant. sententia requirens aliqualem dilectionem non

potest dici absolutè improbabilis, c. requirens dilectionem ex motivo charitatis, n. Sed nec est censura dicere opinionem aliquam esse improbabilem, uti dictum est l. 1. n. 199. ac præter Hurt. & Lugo *de fide d.* 20 *n.* 104. docet *Viva ad prop. damn in Præf.* quidquid contradicant Le Drou & Amicus *De Deo d.* 19. *n.* 14. Foret tamen censura, si diceretur temeraria, nam dicere improbabilem, tantùm est dicere, quòd careat gravi fundamento, quamvis ob rationes apparentes possit bona fide, & invincibiliter à viro intelligente, & prudente defendi tanquam vera; è contrà dicere temerariam, est dicere, quod vel contra se habeat tales rationes, vel ita careat ratione pro se, ut nemo intelligens & prudens possit eam bona fide, & cum invincibili ignorantia defendere: *To temeritas* enim sonat, vel ex parte intellectus consultam præcipitantiam, vel ex parte voluntatis inordinatum impetum sive passionem, uti expressè docet S. Th. 2. 2. *q.* 53. *a* 3. *ad* 2. quorum neutrum sonat *To improbabilitas.*

Inst. 2. Pontifex non prohiberet affici ulla censura vel injuria, nisi judicaret esse probabilem. R. 1. Opinio, quam prohibet affici censura, est vera, nam est illa, quæ requirit aliqualem dilectionem, hinc admitto, quòd agnoscat eam esse probabilem. R. 2. negando assumptum, ab hoc enim abstrahit, & expressè dicit se ideò ista prohibere, ut compescantur dissidia, q æ violant charitatem & pacem.

876 *Inst.* 3. Pontifex expressè addit, *Donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*, ergo cùm hoc Decretum emanarit post Trid. sequitur in Trid. nihil esse assertum pro sufficientia attritionis. R. Sequitur nihil esse assertum authenticè per claram definitionem in Canonibus, c. nihil esse assertum dogmaticè per doctrinam in Capitibus, ex qua moraliter certò liceat inferre sufficientiam attritionis, n. cons. Jam verò ut doctrina nostra sit privatim certa certitudine sufficiente, non est opus, ut sit authenticè definita per Canonem Concilii tanquam de fide tenenda, sed satis est, quòd ex infallibili Ecclesiæ doctrina colligatur per discursum rectè concludentem, simulque clarè dissolvantur argumenta opposita, hoc autem judico nos fecisse. Ex dictis.

877 § 3. *Colliguntur sequentia*, 1. Cum Sacramento sufficit attritio, non tantùm concepta ex consideratione turpitudinis peccati, sed etiam ex spe præmii æterni, aut etiam ex metu gehennæ, de omnibus enim procedunt pleræque authoritates, & rationes allatæ: ac speciatim de attritione ex metu gehennæ id expressè affirmant 38. Authores à Gormaz relati à *n.* 446. inter quos Concilia particularia duo, Catechismi tres, Inquisitio generalis Hispanica una, ideóque hanc illationem similiter totam vocat Azor, certam in praxi, Oropega, communem, veram & certam Madernus: nec videtur esse ratio dubitandi, supposito, quòd una ex relatis attritionibus certò sufficiat, maximè cùm de omnibus æqualiter loquatur Tridentinum.

878 2. Etiam sufficit ejusmodi attritio cognita, nec requiritur, ut existimetur esse contritio: ideóque Suar. *d.* 20. *s.* 1. *n.* 20. Illus. *n.* 32. aliiq[ue] c[ontra] Payn. *in Mor. tom.* 16. *s.* 1. *pu.* 8. *n.* 21. & Moya *n.* 7. vocant etiam hanc illationem practicè certam, quidquid contradicere videantur Corduba & alii apud Aversam *q.* 11. *s.* 4. qui requirunt, ut existimetur esse contritio, requirunt autem, non ad valorem sed ad fructum Sacramenti, uti ostendunt Suar. *n.* 7. & Card. *in* 2. *crisi d. n.* 68 unde Sacramentum valere putant Corduba & illi alii, quamvis abesset ejusmodi existimatio, sed illos rectè confutat Gorm. *n.* 457. si enim attritio ex voluntate Christi sufficiat, nulla est ratio requirendi talem existimationem, si attritio secundùm se non sufficiat, etiam non sufficit, quamvis adsit talis existimatio, quæ merè per accidens se habet, imò est error, quem non est credibile à Christo specialiter requiri ad valorem vel fructum Sacramenti: Hinc Tolerus, qui prius docuerat attritionem cognitam non sufficere, postea mentem mutavit, uti demonstrat Francol. *De dolore l.* 2. *c.* 6. *n.* 17.

3. Contritio, nequidem pro articulo mortis re- 879
quiritur ad valorem Sacramenti, quod Illus. *suprà*, & Esparsa *ar.* 9. rectè dicunt etiam esse certum; & Diana *p.* 3 *t.* 4. *R.* 98. malè citat Patrem Suar. in oppositum: non enim requirit contritionem ratione Sacramenti, sed ratione præcepti charitatis, tum in Deum tum in seipsum, quod obligat ad contritionem pro articulo mortis, uti dicetur *n.* 2009. Putatque Illus. Cordubam, & alios simili modo posse conciliari.

4. Si alicui videatur superesse prudens dubium 880
de veritate nostræ sententiæ, tenetur in administratione & susceptione Sacramenti procurare contritionem, ne suo judicio Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

5 Quamvis aliquis judicet satis tutò procedi 881
cum attritione in praxi tamen consultissimum est, ut quantum fert tempus, & occasio procuretur à Confessariis, & eliciatur à pœnitentibus contritio, tum quia est maximi meriti deletque multũ etiam de pœnis, tum quia licèt aliquis contendat ad contritionem, fortè tantùm attritionem attinget, ubi è contra si voluntariè sistat infimis aliis motivis, præsertim pœnæ; signum est animi non satis conversi ad Deum; estque credibile sæpè in tali homine remanere servilitatem sive occultum effectum non deferendi peccatum, nisi incumberet pœna.

6. Si quis post conatum non satis advertat vel in 882
pœnitente vel in seipso contritionem, dummodò moraliter certus sit de attritione, tuto procedit, etiam secundùm plerosque Adversarios, quia tum non reliquit sententiam tutiorem, cùm moraliter etiam ibi sequi non possit, sed potiùs censebitur necessitas procedendi secundùm minus, attamen satis tutam.

7 Cùm difficile sit conteri purè ex motivo boni- 883
tatis Dei, in praxi non expedit excludere alia motiva v. g dicendo, *doleo, non quia amisi præmia vel merui pœnas apud Deum, sed purè ideò, quia Deo summè bono displicui &c.* communiter enim falsum est, præsertim in hominibus necdum perfectis: itaque juvari debet voluntas omnibus motivis, v. g. hoc modo, *Doleo, non tantùm quia per peccata demeritus sum apud Deum præmia æterna aliaque bona, è contra meritus sum gehennam vel alias pœnas; sed etiam, & maximè ideò doleo, quia Deo summè bono displicui, quia illi feci malum, qui propter infinitas suas perfectiones erat dignissimus non offendi sed semper amari, coli, honorari &c.* Modum practicum pœnitentem per attritionem ex turpitudine peccati vel ex spe aut metu adducendi ad contritionem, proponam à n. 1723.

Q. 11. *An hactenùs dicta valeant etiam de at* 884
tritione ex metu pœnarum temporalium? R. §. 1. Probabilissimum est, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat attritio concepta ex metu pœnarum temporalium, etiam hujus vitæ, ut infligendarum à Deo; hoc tamen non est omninò certum. *Pars 1. probatur*, nam imprimis ita docent Authores plurimi & gravissimi cum Suar. Less. Gran. Regin. Lug. Aversa. Gorm. *p.* 1. *n.* 454. Diana *p.* 11. *tract.* 8. *R.* 43. Moya *d.* 5. *q.* 4. Cardena *in* 2. *crisi d.* 2. *num.* 70. Deinde rationes sunt gravissimæ, 1. Quia Trid.

sess.

seſſ. 14. *de Pœn. c.* 4. inter motiva attritionis ſufficientis ad Sacramentum ponit ex metu *gehennæ & pœnarum*, ubi per *To* gehennæ intelligitur pœna æterna per *To* pœnarum autem videtur præſcindi ab æterna vel temporali. 2. Quia hæc attritio ex metu pœnarum temporalium poteſt eſſe honeſta, ſupernaturalis & efficax, ſaltem reſpectu venialium, ſicuti attritio ex metu pœnarum æternarum eſt talis reſpectu mortalium. 3. Quia aliàs non poſſemus ex metu pœnarum atteri de venialibus, cùm non mereantur pœnam æternam, hoc autem videtur inconvenientiſſimum, ergo. *Pars* 2. etiam probatur, nam licèt Gob. *t.* 6. *n.* 47. putet non eſſe dubitandum de attritione ex metu pœnarum temporalium, & Arriaga *d.* 11. *n.* 2. dicat eſſe omninò certum, quòd ſufficiat ſaltem ex metu pœnarum Purgatorii, tamen univerſaliter de attritione ex metu pœnarum temporalium negant Canus, Paſq *q.* 92. *art.* 1. *dub* 3. Hurt. apud Dianam *p.* 9. *t.* 9. *R* 51. & talem attritionem vocat ſuſpectam Con. *d.* 4. *n.* 39. ideóque Carden. *n.* 72. & Gorm. ſuprà dicunt ſententiam illam de attritione, abſolutè ex metu pœnarum temporalium, non eſſe certam, ſed videntur intelligere pœnarum hujus vitæ. Ratio autem eſt, quia quamvis Trid. ponat ex metu gehennæ, & pœnarum tamen non dicit gehennæ vel pœnarum, hinc fortè ponit *To* gehennæ & pœnarum pro eodem, ſubintelligendo, & pœnarum gehennæ; vel fortaſſe per *To gehennæ* intelligit pœnam damni, per *To pœnarum* pœnam ſenſus in inferno: Quamvis autem talis attritio ex metu pœnarum etiam temporalium poſſit eſſe honeſta, ſupernaturalis, & efficax reſpectu venialium, tamen aliunde non conſtat certò, quòd Chriſtus voluerit ſufficere, ſufficitque certò alia attritio reſpectu venialium, nempe concepta ex motivo turpitudinis peccati, ergo.

885 §. 2. Quod dictum eſt de attritione ex metu pœnarum temporalium, idem eſſe videtur de attritione ex ſpe bonorum temporalium. His tamen non obſtantibus ſententia contraria aliæque ſimiles opiniones ad hoc ſerviunt, etiam in ordine ad praxin, non quidem ut ſecundùm illas conferatur vel ſuſcipiatur Sacramentum, nam hoc damnat Innocentius XI. in 1. propoſitione, ſed ut ſi Sacramentum bona fide ſuſceptum ſit, non ſit opus peccata vel confeſſiones repetere, probabiliſſimum enim eſt valuiſſe, nec ideò ullum Sacramentum exponetur periculo nullitatis, ſi peccata illa vel confeſſiones non repetantur, quia certum eſt ad valorem confeſſionum ſequentium ſufficere integritatem formalem, uti dicetur à *n.* 1140.

886 *Objic.* Tridentinum etiam non expreſſit motivum attritionis ex ſpe præmii æterni vel beatitudinis & tamen non dubitamus de illius ſufficientia. Deinde Trid. ibi expreſſit, quod Ninivitæ timore pœnæ temporalis perculſi pœnitentiam egerint, & miſericordiam à Deo impetrarint, ergo ſufficienter innuit etiam ſufficere ad impetrandam veniam in Sacramento. *R. ad.* 1. Hoc ipſo, quòd expreſſerit attritionem ex metu gehennæ, ſatis ſignificat ſufficere attritionem ex ſpe beatitudinis, tum quia hæc attritio eſt perfectior, tum quia metus gehennæ ſaltem plerumque movet, quia eſt privatio beatitudinis, idem enim videtur eſſe timere privationem boni, & deſiderare bonum, uti rectè Lugo *d.* 5. *n.* 132. *Ad* 2. *n. conſ.* nam ſecundùm dicta *n.* 837. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Pœn. c.* 4. in fine loquens de Ninivitis; non ampliùs habet ſermonem de Sacramento Pœnitentiæ, ſed iterum redit ad probandum principale intentum, quod erat timorem ſervilem poſſe eſſe honeſtum & ſupernaturalem, quod inde probat, quia à Deo meruit liberationem ab everſione urbis; certum enim eſt pœnitentiam illam ſervilem non meruiſſe remiſſionem peccatorum, cùm neque eſſet contritio neque attritio conjuncta cum Sacramento, & vix eſt credibile, inquit Herincx *d.* 2. *n.* 43. omnes Ninivitas, qui ab everſione urbis liberati ſunt, etiam eo tempore eſſe à peccatis liberatos.

Q. 122. *In quo ſenſu verum ſit, quod peccator per Sacramentum ex attrito fiat contritus?* R. Conſtabit ex ſeqq. §. 1. Peccatorem per Sacramentum fieri ex attrito contritum, tam certum eſt hoc tempore, inquit Suar. *d* 20. *ſ.* 1 *n.* 10. ut abſque errore negari non poſſit, & ideò hoc tranſiit quaſi in axioma commune apud omnes receptum. 887

§. 2. Attritio non fit formaliter contritio, S.Th. *in ſuppl. q.* 1. *ar.* 3. Suar. *d.* 5. *ſ.* 3. aliique communiſſimè contra varios, qui diverſis modis id aſſerunt, quorum quatuor recenſet Suar. ibidem, & plures alios Averſa *q.* 2. *ſ.* 15. Ratio noſtra eſt, quia contritio ex objecto & modo tendendi in Deum propter ſe diſtinguitur intrinſecè ab attritione, uti conſtat ex dictis *à n.* 772. *&* 784. nullus autem actus poteſt mutare objectum vel modum ſuum tendendi, cùm ipſe ſit eſſentialis ſua tendentia in objectum. 888

§. 3. Quamvis Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *q* 4. *ad* 2. admittat hanc propoſitionem, *attritio fit contritio*, tamen commune axioma tantùm habet, quod attritus fiat contritus, nam fieri poteſt, ut attritioni nequidem ſuccedat contritio. Itaque attritus fit contritus, quia ſubjectum attritionis accipit aliquid, per quod aliquomodo dicatur contritus, uti jam dicetur. 889

§. 4. Attritus fit per Sacramentum contritus, imò 890 primis habitualiter, quia accipit habitum charitatis, qui eſt principium per ſe elicitivum formalis contritionis. Deinde æquivalenter, quia per attritionem cum Sacramento fit, quod fieret per contritionem, nempe ut remittantur peccata. Præterea etiam fit contritus quoad effectum, quia per Sacramentum cum attritione cauſatur idem effectus gratiæ qui per contritionem cauſaretur. Denique rectè notat Averſa, quando S. Th. negat attritionem hoc ſenſu fieri contritionem, quod formetur per gratiam eum loqui de attritione ſine Sacramento, de cætero accedente Sacramento formatur per gratiã, uti conſtat ex dictis.

Q. 123. *An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, præter dolorem requiratur aliquod propoſitum?* R. Affirmativè, imò Averſa dicit eſſe de fide, quòd ad veram contritionem requiratur aliquod propoſitum, idem autem eſt de attritione. Et quamvis aliqui apud Moyam *d.* 5. *q.* 11. *n.* 1. videatur contradicere, tamen non negatur à Scoto, qui ſicuti requirit dolorem, ita etiam propoſitum, quamvis dicat neutrum eſſe partem intrinſecam Sacramenti. Nec negatur à Soto, uti videtur evincere Dicaſt. *d.* 6. *n.* 204. contra Suar. Lugo, Arr. nam ad ſummum videtur velle, quòd poſſit aliquando utiliter audiri confeſſio illius, qui non proponit ſe emendare, ut ſic per humiliationem ſuam & ſalutares admonitiones Confeſſarii paulatim adducatur ad verè pœnitendum, quod faciendum eſſe expreſſè mandat Alexander III Cap. *Quod quidam* 5. De pœn. & remiſſ. *quia*, inquit, *licèt non ſit vera hujuſmodi pœnitentia admittenda eſt tamen eorum confeſſio, & frebris & ſalutaribus monitis pœnitentia inducenda.* Ratio autem noſtræ reſponſionis eſt, tum quia Trid. *ſeſſ.* 14. *de Pœn. cap.* 4. *& Florentinum* in decreto Eugenii IV. ad Armenos expreſsè requirunt propoſitum, tum quia certò requiritur dolor efficax de peccatis, omnis autem dolor efficax de peccatis eſt propoſitum ſaltem virtuale non peccandi de cætero, ergo.

Objic. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 21 *q.* 3. *ar.* 1. *quæſtiun.* 1. *ad* 1. *ſic habet Confeſſio non deſinit eſſe ſacramentalis, quamvis ille, qui confitetur, emendationem non proponat,*

proponat, ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur propositum. Resp. n. cons. S. Thom. ibi agit de obligatione sigilli, & dicit, si quis confessus sit ex intentione absolutionis, quamvis adverta-tur non habere propositum emendationis, nihilominus Confessarium teneri ad Sigillum, quia confessio fuit sacramentalis, id est, facta in ordine ad absolutionem, licèt hæc non detur: per hoc au-tem non negat, sed potiùs significat propositum esse necessarium ante absolutionem, adeóque ad Sacra-mentum Pœnitentiæ.

892 *Q.* 124. *Quale propositum requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?* R. §. 1. Certum est requiri proposi-tú efficax; tum quia secundũ Trid. debet excludere voluntatem peccandi de cætero, quod non potest, nisi sit efficax, id est, tale, ut quamdiù existet, cum eo non possit componi voluntas peccandi; tum etiam quia dolor requisitus debet esse efficax, ergo similiter propositum, quod talis dolor includit vel ad quod determinat.

893 §. 2. Probabilius est Sacramentum Pœnitentiæ non requiri propositum formale sive explicitum, sed sufficere virtuale sive implicitum, contentum in do-lore universali, uti habet communissima cum Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 116. Gor. *p.* 1. *num.* 468. Probatur, nam imprimis ad dolorem efficacem non requiritur propositum formale, uti tenent Maj. Medin. Vasq. Vega, Lugo aliique communiter cum Gonet. *d.* 7. *n.* 3. & Dicast. *d.* 2. *dub.* 6. quia licèt aliquis nihil cogitet de formali proposito, v. gr. si statim post elicitum dolorem sit decapitandus, seque cognoscat non habiturum ampliùs periculum peccandi, si seriò detestetur & doleat de peccatis commissis, dicetur conteri, ergo contritio non requirit formale propo-situm non peccandi de cætero, sed satis erit, quòd sit virtuale tantùm. Deinde quòd talis dolor efficax sit virtualiter propositum non peccandi de cætero, inde constat, quia hoc ipso quòd quis ex motivo univer-sali efficaciter velit non fuisse nec esse peccatum, ha-bet actum, qui quamdiu stabit, sit incompossibilis cum voluntate peccandi; & quodcunque habeat mo-tivum, si hoc faciat me efficaciter detestari & dolere de aliquo peccato, etiam facit à me excludi volun-tatem istius peccati etiam imposterum, ergo sic de-testans & dolens, habet actum, qui de se sit exclu-sivus peccati etiam pro futuro, quique habeat vir-tutem determinandi voluntatem ad formale propo-situm non peccandi, si de illo eliciendo incideret cogitatio, hoc autem hic intelligimus per propositum virtuale: Atque his habitis non est convincens ratio negandi talem hominem esse proximè dispo-situm ad absolutionem, ergo.

894 §. 3. Quamvis probabilius sit, ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere propositum virtuale, attamen hoc non est certum, hinc audiendus non est Car-denas *in 2. crisi d.* 2. *n.* 80. dicens supra omnem pro-babilitatem certum esse, quòd sufficiat virtuale. Ratio nostra est, quia ad contritionem efficacem de peccatis, & consequenter ad absolutionem requiri propositum formale, docent Caj. Sot. Can. Gran. Ruard. Gerson. Bellarm. *l.* 2. *cap.* 6. aliique graviss-mi Authores apud Suar. *d.* 4. *s.* 2. qui fatetur senten-tiam illam esse probabilem. Unde ad Sacramentum Pœnitentiæ absolutè requiri propositum formale do-cent Henriq. *l.* 4. *cap.* 24. *n.* 2. Valent. *d.* 7. *qu.* 8. *puno* 6. sub finem, Tolet. *in summa l.* 3. *cap.* 4. §. *Quinta est*, Regin. *l.* 1. *n.* 8. Steph. *t.* 5. *d.* 5. *num.* 112. Hinc etiam Suar. *d.* 20. *s.* 2. *n.* 4. *n.* 22. Tann. *d.* 6. *quæst.* 6. *n.* 16. Gob. *t.* 6. *n.* 103. Platel. *n.* 646. dicunt per so vel moraliter loquendo requiri propositum formale, quia, inquit Vasq. 9. 86. *ar.* 2. *dub.* 4. *n.* 7. post cogita-tionem de vita præterita necessariò consequitur pro-positum de futura; unde etiam Lug. *d.* 5. *n.* 97. sen-tentiam, quæ requirit propositum formale, non im-probat, imò vocat communem Theolog. Averl. *autem quæst.* 2. *sect.* 12. Gob *n.* 208 aliique dicunt esse sal-tem de præcepto, ut eliciatur propositum formale, nisi excuset defectus temporis vel inconsideratio, uti habet Nav. *in manuali cap.* 1. *n.* 11. Non desunt ratio-nes probabiles, quarum præcipua est, quòd Flo-rentinum & Trid. item SS. PP. dum explicant par-tes hujus Sacramenti, æquè expressam mentionem faciant propositi ac doloris, dicunt enim partem hujus Sacramenti esse contritionem cum proposito non peccandi de cætero; & specialiter Trid. dicit in contritione includi, non tantùm vitæ novæ propositum sed etiam veteris vitæ odium, ubi videtur requi-rere propositum & dolorem tanquam duo. *Si dicas* loqui de proposito implicito, *contrà est*, nam licèt hoc sit probabilius, attamen non est certum, proba-biliter enim argumentatur Bellarm. suprà, cùm dolor efficax necessariò semper sit propositum implicitum, asserto tali dolore non fuisset opus præterea require-re propositum implicitum, fuisset enim idem, ac si dixisset, requiritur dolor, qui sit propositum impli-citum, & propositum implicitum, quæ locutio vide-tur parùm apta. *Conf* nam si sufficiat propositum im-plicitum, ergo præter dolorem non requiritur pro-positum, quia dolor ipse est propositum implicitum, ergo cùm Trid. dicat præter dolorem requiri propo-situm, requiretur propositum formale. Scio etiam huic rationi ita responderi posse, ut sententia negans maneat probabilior, sed non ideò eliditur probabili-tas affirmantis, nam vicissim ad argumenta nostræ sententiæ probabiliter respondet Bellarm. *c.* 7. quem proinde frustra conatur explicare Gorm. *n.* 469. qua-si stat pro nobis, nam nimis clarè loquitur in oppo-situm. Et pro ipsius sententia sunt etiam prudentes conjecturæ sive congruentiæ, nam imprimis finis Sacramenti Pœnitentiæ est, partim reconciliatio cum Deo, partim recta dispositio vitæ imposterum simul-que conservatio divinæ gratiæ & amicitiæ, ad ista autem necessarium est vel saltem plurimùm conducit propositum expressum non peccandi de cætero. De-inde qui offendit, ut reconciliet alterum, dicere so-let, *doleo, quòd hoc fecerim, nec faciam ampliùs*, & hoc utrumque solet requirere offensus, ut reconci-lietur, quia sic debet ille, qui offendit, ostendere, quòd imposterum nolit offendere, sed perpetuam colere amicitiam, quod plurimum facit ad reconci-liandum offensum, ergo fuit congruum, ut Christus idem requireret ab homine, qui offenderat, volen-te sibi reconciliare Deum. Ex dictis.

§. 4. *Inferuntur seqq.* 1. In praxi est obligatio 895
sub mortali, ut si quis de hoc cogitet, ante absolu-tionem eliciat propositum expressum non peccandi de cætero, quia cùm sententia nostra non sit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis.

2. Actus pœnitentiæ pro absolutione requisitus 896
debet esse odium peccati, non tantùm præteriti & præsentis, in quantum est detestatio & dolor, sed etiam, futuri in quantum est propositum, uti di-ctum est *n.* 660.

3. Si quis, dum contritionem elicit, cogitet 897
de proposito, & hoc omittat, communiter signum est, quòd habeat dolorem parum efficacem, si enim esset efficax, per se loquendo determinaret ad formale odium peccati etiam pro futuro. Quòd si positivè excluderet propositum, certum est do-lorem non fore efficacem, uti etiam non est in illo, qui non vult deserere occasionem proximam peccandi. Similiter non est in illo verum & sin-cerum propositum, qui non vult adhibere media, quæ ipsi suggeruntur, pro emendatione peccatorum.

Et

Et propter unum horum sæpè neganda aut differenda est absolutio pœnitentis, nam si occasionem proximam deserere non velit, aut monitus eam non est aversus à peccato, cujus occasionem vult, uti dicetur *num.* 1831. Qui autem non vult, aut sæpius negligit adhibere media præscripta, credi non potest ei, quòd se emendare velit, uti dicetur *num.* 1762.

898 §. 5 Probabilius videtur pro absolutione à mortalibus requiri propositum universale imposterum cavendi omnia mortalia, S. Thom. 3. *p. quæst.* 87. *art.* 1. *ad.* 1. his verbis, *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinere ab omnibus & singulis peccatis mortalibus.* Sequuntur Nav. *in manual. c.* 1. *n.* 9. Con. *d.* 2. *n.* 130. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 4. *n.* 20. Castrop. *t.* 23. *p.* 2. *n.* 16. Lugo. *d.* 14. *num.* 52. Palav. *num.* 283. Gorm. *p.* 1. *à num.* 149. Escob. *l.* 14. *n.* 172. Tamb. *de Confess. l.* 1. *c.* 3. *n.* 14. Illus. *n.* 50. Et Stoz. *n.* 76. dicit esse exploratam sententiam, Moya *autem qu.* 11. *n.* 7. dicit oppositum esse apertè falsum: Est autem contra Aversam *qu.* 14. *sect.* 6. Gasp Hurt. Th. *d.* 2. *q.* 3. *sect.* 1. §. 3. Placel. *nu.* 641. Dicast. *d.* 6. *à nu.* 240. qui sententiam nostram malè vocat singularem, hinc ipsius sententiam non esse practicè probabilem, rectè dicit Gorm. *nu.* 463. & fatetur ipsemet. Dicast. *nu.* 74. *Probatur* autem ex Florentino & Trid. nam aliter loquuntur de dolore, aliter de proposito, dolorem enim dicunt debere esse de peccato commisso, per quod innuunt posse esse etiam ex particulari motivo non extendente se ad omnia sed tantùm ad commissa & necdum remissa, è contrà ad propositum requirunt voluntatem non peccandi de cætero, vel actum, qui excludat voluntatem peccandi, quæ verba ita prolata cum particula absolutè negativa vel simpliciter exclusiva peccati videntur sonare propositum nunquam peccandi, adeóque propositum cavendi omne mortale in futurum. Et ratio esse potest, quia ut pœnitens reciperetur in gratiam, meritò requisivit Christus eum sic esse dispositum, ut vel ex vi doloris vel ex vi propositi vel ex vi utriusque simul esset positivè paratus ad servanda imposterum omnia Dei præcepta, adeóque ad nunquam peccandum mortaliter: sub illa enim conditione promittit Deus impio veniam, Ezech. 18. v. 21. *Si custodierit omnia præcepta mea*, id est, si proposuerit custodire, patet enim hoc non fuisse opere priùs complendum, alioquin tantùm in fine vitæ remisisset peccata. Hoc ipsum arguitur etiam ex fine pœnitentiæ, qui est reformatio & recta institutio totius vitæ imposterum; item perpetua conservatio divinæ amicitiæ per pœnitentiam restitutæ, ad quos fines plurimum conducit propositum universale nunquam peccandi de cætero.

899 *Obj.* 1 Dolor particularis de peccatis commissis & non remissis sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, secundùm dicta *n.* 671. ergo etiam propositum particulare tali dolori respondens, quo statuo non relabi in peccata commissa. *Prob.* conf. Ideò sufficit ille dolor particularis, quia voluntas non est affecta ad alia peccata, quamvis ea positivè non detestetur, & aliunde non ponitur obex gratiæ, sed quando simul adest propositum particulare, voluntas etiam non est affecta ad alia peccata, nec ponitur ullus obex gratiæ, ergo. R. n. conf. Ad *Prob.* n. maj. sed ideò sufficit, quia alium non requisivit Christus, qui requisivit aliud propositum, uti colligimus ex authoritatibus & rationibus allatis.

Inst. Saltem si dolor sit ex motivo universali, sufficiet propositum particulare de non iterandis peccatis commissis. Resp. Hoc quidem esse probabilius, quia tum virtualiter habebitur propositum universale respectu omnium, inclusum in dolore universali, attamen in praxi adhuc videtur eliciendum formale propositum universale de cavendis omnibus mortalibus, quia secundùm dicta *n.* 894. non est certum, quòd sufficiat propositum virtuale.

Obj. 2. S. Th. 3. *p. q.* 90. *art.* 4. *O.* ait: *Pertinet* 900 *ad pœnitentiam, ut detestetur peccata præterita cum proposito immutandi vitam in melius*, Ergo S. Th. ad pœnitentiam tantùm requirit propositum emendandi peccata commissa, & consequenter ad Sacramentum Pœnitentiæ non requirit propositum universale cavendi omnia mortalia possibilia, quia peccata, quæ quis non commisit, non potest velle emendare, ut per se patet. R. n. conf. nam 1. ibi loquitur non de Sacramento sed de virtute pœnitentiæ, cujus utique aliquis actus est detestatio & propositum emendandi peccata commissa, nullibi autem dicit tale propositum sufficere pro Sacramento Pœnitentiæ. 2. Per propositum immutandi vitam in melius intelligi potest etiam propositum cavendi omnia mortalia, ille enim optimè immutat vitam, qui quamvis solo furto Deum graviter offenderit, tamen posteà nullo mortali Deum graviter offendit.

Obj. 3. Propositum cavendi omne mortale non 901 potest esse efficax, nisi habeat adjunctam spem cavendi omne mortale, sed multi peccatores, præsertim consuetudinarii, non possunt habere spem cavendi omne mortale, quia ad spem requiritur, ut objectum proponatur tanquam possibile & probabiliter futurum, tali autem homini non potest proponi tanquam probabiliter futurum, quòd nunquam sit ampliùs peccaturus mortaliter, ergo. R. 1. Hoc solvendum esse omnibus, nam qui talia peccata confitetur, debet habere propositum illa cavendi. R. 2. Sufficere desiderium seu volitionem efficacem cavendi omne mortale, quam potest habere, quamvis ex parte intellectus adsit alius actus, quo judicat, vel etiam ex parte voluntatis timor, ne volitio illa desinat, nam etiam ideò debet pro auxilio recurrere ad Deum, cujus gratia juvare potest infirmitatem nostram, sicque poterit erigi etiam ad spem aliquam de hoc, ut si Dei gratiæ cooperetur, non relabatur, & ista sufficiunt ad propositum efficax, id est, tale, ut quandiu existet, cum ipso incompossibilis sit voluntas peccandi.

Q. 125. *Quale propositum requiratur in confes-* 902 *sione venialium?* R. §. 1. Requiri aliquod propositum, certum est, quia requiritur dolor de aliquo saltem veniali confesso, omnis autem dolor est aliquod propositum cavendi peccatum, de quo est dolor.

§. 2. Cùm dolor sufficiens ad Sacramentum de- 903 beat esse efficax respectu alicujus peccati confessi, uti dictum est *n.* 668. propositum debet esse efficax saltem respectu unius venialis confessi: unde audiendus non est Suar. *de Gratia l.* 7. *c.* 24. *n.* 7. ubi videtur dubitare de hoc, ad remissionem venialis requiratur propositum efficax.

§. 3. Quamvis probabilius sit sufficere propositum virtuale tamen secundùm dicta *nu.* 895. debet 904 in praxi elici formale, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, quando enim Concilia & Authores dicunt ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri dolorem cum proposito, non distinguunt inter confessionem mortalium & venialium: nec aliunde sufficienter colligimus non debere hoc extendi ad confessionem etiam venialium.

§. 4. Non requiritur propositum extendens se ad 905 omnia venialia quia secundùm dicta *n.* 681. non requiritur dolor de omnibus venialibus, quæ quis confitetur, ergo nec propositum cavendi illa omnia, sed sufficit propositum cavendi saltem aliquod illorum, de quibus dolet, & rationes ibi sunt sufficienter insinuatæ.

906 §. 5. Præter propositum cavendi aliquod veniale ex confessis, de quibus dolet, fortè etiam requiritur propositum cavendi omnia mortalia, seu non peccandi de cætero mortaliter, quia qui suscipit Sacramentum, vult gratiam de se reconciliativam, quæ sit forma amicitiæ divinæ de se perpetuæ, ergo vult non esse aversus nec inimicus Deo, ergo vult servare imposterum omnia ejus præcepta obligantia sub mortali, ergo vult nullum mortale committere, & hoc reipsa est propositum universale cavendi mortalia.

907 *Q.* 126. *An & quomodo in praxi elici possit propositum cavendi omnia venialia?* R. Difficultas hic est non parva, cùm enim non possit caveri omnia, nisi, uti habet Trid. *sess. 6. can.* 23. ex speciali Dei privilegio, quod nemo sibi spondere potest. Authores variè loquuntur de hoc proposito cavēdi omnia venialia, nam

1. S. Thom. 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *ad* 1. dicit ad pœnitentiam venialium sufficere, quòd homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus. Non est autem sensus, quòd requiratur propositum abstinendi ab omnibus distributivè sumptis, hoc enim esset propositum abstinendi à collectione omnium, sicuti qui vellet occidere omnes homines distributivè sumptos, vellet reipsa tollere totam collectionem hominum, quæ non includit nisi omnes & singulos. Nec est sensus, quòd sufficiat proponere abstinere à singulis sub disjunctione & conditionatè, v.g. sic, volo abstinere à mendaciis, vel si ab his non, volo abstinere à distractionibus, &c. tale enim propositum non esset efficax respectu ullius determinatè venialis, quia esset incompossibile cum singulis: Itaque S. Th. vult sufficere propositum abstinendi à quibusvis venialibus, quæ in particulari singulatim occurrere possunt, uti exponunt Lugo *d.* 14. *n.* 140. Palav. *n.* 288. Avers. *q.* 14. *s.* 6. Et simili sensu dicit Stoz. *n.* 80. sufficere propositum vitandi singula in sensu diviso, ita ut nullum determinatè assignari possit, à quo animus saltem virtualiter non abhorreat.

908 3. Suar. *d.* 4. *s.* 3. *n.* 5. dicit sufficere, si proponat facere, quod in se est, sive, ut ait Esparsa *q.* 91. *ad.* 1. *art.* 8. quantum patitur humana fragilitas, velitque adhibere diligentiam magnam, quantum fieri potest, in illis vitandis. Et quamvis Lugoni *à n.* 130. displiceat illud, *quod in se est*, tamen quæ opponit, displicent Dicast. *d.* 6. *n.* 295. sed his omnibus omissis potest explicari Suar. quòd sicuti ob efficacem dolorem sufficit affectiva detestatio, quæ tamen non potest efficere, ut peccata non fuerint, sic sufficiat affectivum propositum, quamvis efficere non possit, ut posteà non sequatur relapsus; sufficit enim dolorem & propositum esse effectivè efficacia, quantum in se est, & non requiritur esse effectivè absolutè efficacia.

909 3. Stephanus à S. Paulo *t.* 5. *d.* 5. *n.* 113. dicit sufficere, si habeat propositum conditionatum, seu desiderium cavendi totam collectionem, si esset possibile: quia reverà tota collectio ipsi displicet ex vi hujus pœnitentiæ: Hinc Palav. *n.* 292. dicit ad propositū hic sufficiens requiri quidem desiderium, attamen non spem cavendi omnia: desiderium autem habere potest, inquiunt Aversa, Rhodes, Bosco *n.* 245. quia potest physicè cavere, quamvis moraliter non possit.

910 4. Lugo *n.* 133. dicit sufficere, si doleat de tanto numero, ac proinde proponat illam frequentiam emendare. Et hoc innuit etiam S. Thom. suprà, dicens debere habere propositum se præparandi ad minuenda venialia; quia nempe est specialis inhonestas in tepida illa frequentia, quæ non est in singulis illis peccatis. Idem volunt Tamb. *num.* 9. & 10. Sporer *num.* 97. Palav. *num.* 289. dicentes sufficere, si proponat æquali tempore non committere tot venialia, sed emendare multitudinē, uti habet Esp. suprà; *sed* contra hoc propositum movent difficultatem Arr. *d.* 28. *à n.* 20. & Dic. *à n.* 301. cui non satis obviavit Lug. quæstio enim est de dolore & proposito, non tantùm circa illam frequentiam seu multitudinem emendandam, sed etiam circa ipsamet venialia, quæ frequentiam illam constituunt: hinc,

5. Sporer *nu.* 338. ait magis expedire confiteri 911
& firmiter proponere cavere pauca venialia, v.g. quæ sunt graviora vel radices aliorum, aut contra quæ hìc & nunc confitens sentit se magis moveri Sic inquit Gob. *t.* 6. *n.* 224. si mentitus es, quandoque cum, quandoque sine causa, sufficiet propositum imposterum non mentiendi sine causa, quia gravius est mentiri sine causa, quàm cum causa, v.g. ut impedias rixas, ut prosis proximo. In similem sensum dicit *Esp.* suprà sufficere dolere de magnitudine venialium: hi tamen Authores non satisfaciunt illi, qui doleret de omnibus venialibus, & proponeret cavere omnia: hinc,

6. Arr. *n.* 22. & Bosco *n.* 245. rectè dicunt me 912
posse habere propositum sufficiens ad remissionem omnium, si doleam de illis quæ feci, & proponam cavere similia; nam sicuti non feci omnia possibilia sed tantùm aliqua, sic satis erit proponere cavere similia, quamvis sciam me non posse cavere omnia possibilia.

7. Rectè etiam notant Suar. suprà, & Tann. *d.* 6. 913
q. 6. *n.* 20. duplicia esse venialia, alia plenè deliberata, & hæc omnia possum moraliter vitare, ideóque possum proponere illa omnia cavere, quidquid contradicant aliqui cum Bosco *à n.* 202. Alia sunt semideliberata, & circa hæc sufficit dolere, quòd facta sint, ac imposterum velle adhibere diligentiam pro illis saltem minuendis, quantum humano modo fieri poterit. Ex dictis,

Colliges cum *Con. Laym. & Castr.* suprà, item 914
cum Tamb. *n.* 14. propositum de mortalibus in hoc præcipuè differre à proposito de venialibus, quòd propositum de mortalibus debeat se extendere ad omnia, etiam collectivè sumpta, non item ad omnia venialia, nequidem distributivè. Addunt iidem Authores, propositum respectu mortalium debere esse magis efficax, quia relapsus in venialia non est ita noxius, neque occasiones ita sunt evitabiles. Inde rectè inferunt, faciliùs esse absolvendos, qui sæpè redeunt cum iisdem venialibus, quàm qui cum iisdem mortalibus. Quòd autem illi omnes, excepto *Castrop.* doceant, etiam consentiente Palav. *n.* 292. non esse obligationem proponendi fugere occasiones proximas venialium, in hoc puto non esse audiendos, uti dixi *l.* 5. *n.* 283. nam qui vult periculum proximum peccati venialis, censetur velle peccatum veniale; & è contrà qui præcipit, ut vitem veniale, etiam præcipit, ut vitem illud, quod moraliter certò me inducet in veniale: imò quamvis esset tantùm probabile periculum proximum, ne inducerer in veniale, adhuc tenerer sub veniali illud fugere, quia hoc ipsum probabile periculum est præsens malum animæ, quod ex charitate teneor cavere, uti pluribus dictum est *lib.* 5. *n.* 257.

Quandonam dubium sit, vel censeri debeat deesse propositum sufficiens, ideóque debeat negari vel suspendi absolutio, præsertim in recidivis & constitutis in occasione peccandi, dicetur *à n.* 1819. 1831.

DUBIUM III. 915

Qualis Confessio requiratur.

ARTICULUS I.

An debeat esse integra materialiter?

RESP. Ad Confessionem, per se & ordinariè, requiritur integritas materialis, sita in eo, ut

„ ut postquàm diligentiùs te excusseris, & conscien-
„ tiæ tuæ sinus & latebras (ita loquitur Trid. *sess.*
„ 14. *c.* 5.) exploraveris, confitearis omnia mortalia
„ memoriæ occurrentia, nondum confessa, eorum-
„ que numerum & circumstantias, quæ speciem mu-
„ tant. Patet ex Trid. *l. c.* & est certum. Ratio, quia
„ aliàs nec judicium sacramentale rectè administra-
„ ri, nec æquitas in pœnis statuendis servari potest.

„ Dicitur I. *Per se, & ordinariè* : quia per accidens
„ & extraordinariè, sufficit integritas formalis. *v. Dub.*
„ *seq.*

„ Dicitur II. *Numerum* : intellige certum, qui si
„ non constet, dic probabilem, addendo, *plus, minùs.*
„ Quòd si deinde deprehendas te errasse, non teneris
„ iterum confiteri, nisi notabiliter major, *Fag. Sanch.*
„ *Hurt.* contra *Reg. Fill. & Sà*, qui dicunt, verba
„ illa, *plus minùs*, tantùm extendi ad unum vel duo
„ supra numerum indicatum : Sed quamvis hoc sit
„ verum in numero parvo, denario v. g. non tamen
„ in aliis, v.g. centenario, millenario, &c. quia ver-
„ ba illa non habent sensum absolutum sed respecti-
„ vum ad numerum, cui adduntur, qui quantò fuerit
„ major, tantò etiam major verbis istis intelligetur,
„ dummodò tamen sit parvus respectu alterius, cui
„ adjungitur, quod prudentis arbitrio æstimandum
„ est. Ita Dian. *p.* 3. *t.* 3. *R.* 194. ex Nav. &c. Item
„ Lug. *d.* 16. *nu.* 94. Quòd si autem nec probabilis
„ haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi,
„ tempus & frequentia in die, septimana, mense vel
„ anno. V. Fill. *t.* 7. *c.* 4. *num.* 82. Dian. *p.* 3. *t.* 4.
„ *R.* 94. Gasp. Hurt *d.* 9. *dif.* 5. Lug. *n.* 79.

„ Dicitur III. *Quæ speciem mutant* : quia etsi pro-
„ babile sit, quod docent *Suar. Kon.* & alii, etiam
„ eas, quæ notabiliter in eadem specie aggravant,
„ (hoc est, quæ juxta cujusque conscientiam exce-
„ dunt ordinarium peccandi modum) esse explican-
„ das, ob rationem allatam in responsione, contraria
„ tamen sententia, quam ex D. Th. Sylv. Navar.
„ docet Vasq. Reg. Bon. Lugo *s.* 3. etiam probabi-
„ lis est, & tuta ; saltem si excipias, 1. Gradus con-
„ sanguinitatis in incestu. 2. Quantitatem furti, in-
„ juriæ, &c. quæ egent satisfactione. 3. Quando uno
„ actu plures sunt occisi, vel infamati, vel apud
„ plures. 4. Odium diuturnum : quia tunc solent
„ plures actus fieri. V. Regin. *l. c.* 5. Peccatum inter
„ Confessarium & pœnitentem. V. Fill. *de imped.*
„ *mat. c.* 5. *q.* 6. Si circumstantia invehat censuram,
„ vel reservationem, vel ad necessariam pœnitentis
„ directionem à Confessario prudenter interrogetur.
„ *Unde resolves* :

„ I. Ad integritatem confessionis prærequiritur
„ diligens examen, pro capacitate pœnitentis, tem-
„ poris mora & cæteris circumstantiis : Ad id autem
„ sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in
„ arduis negotiis adhibet, vel qualem moraliter lo-
„ quendo, docti & timorati adhibere solent, etiam-
„ si quis putet, majore diligentia plura se reper-
„ turum, Bon. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 1. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 8.
„ Post mediocrem autem istam diligentiam non te-
„ netur de anteacta vita ulterius cogitare : & si quid
„ occurrat, quod videatur non esse in confessione ex-
„ plicatum, potest sibi persuadere, cum cæteris id
„ moratum fuisse, Dian. *R.* 107. ex Sanch.

„ II. Examen hoc à Confessario potest suppleri ;
„ quod tamen *Suar.* reprobat in confessionibus lon-
„ gis diligentiorum, eò quòd impossibile ferè sit,
„ ut quis repentè rogatus omnia recordetur, & tan-
„ tùm admittit in rudibus ; quos etiam monet Sà *v.*
„ *Confessio*, bona fide confessos, non nimis rogan-
„ dos de confessionibus præteritis nisi intelligatur
„ aliquid necessariam defuisse. V. Fagund. Dian. *R.* 89.

III. Non est necessarium peccata scribere, ne „
memoria excidant, ut contra *Bon.* docet *Suar.* „
Vasq. & alii : Imò *Sotus* dicit, id non consulen- „
dum, ob periculum evulgationis. Melius tamen „
Laym. Kon. & alii, asserunt, suadendum esse ; dum- „
modò vitetur anxietas nimia, propter quam scru- „
pulosis prohiberi potest. „

IV. Invalida est confessio non integra ex igno- „
rantia vel negligentia moraliter culpabili, ut verius „
docet *Suar.* & alii communiter contra *Sot. & Ca-* „
num, quia *Trid.* requirit diligens examen. „

V. Non officit integritati, per se loquendo, si „
quis subinde graviùs lapsus, id alteri priùs confi- „
teatur, & deinde ordinario suo venialia tantùm, „
(qui imprudenter id ægrè feret, prohibebit, „
aut reprehendet) nisi tamen ea occasione ma- „
neat in mortali occasione peccandi ; aut ideò „
circumeat, ut liberiùs peccet : tunc enim gra- „
viter peccabit, & ob defectum attritionis, con- „
fessio erit nulla. Ita Fill. Laym. Lug. *disp.* 16. *num.* „
57. „

VI. Ex circumstantiis minuentibus illæ tan- „
tùm explicandæ sunt, quæ vel omninò tollunt ma- „
litiam, vel ex mortali faciunt venialem, ut par- „
vitas materiæ, indeliberatio, &c. (v. g. si die „
Veneris ignorans comedisset carnes) vel alios, „
qui notabiliter mutant judicium Confessarii, sal- „
tem quoad speciem. „

VII. Ad servandam integritatem confessionis „
peccata mortalia dubia, ut dubia (loquendo de du- „
bio propriè dicto,) sunt aperienda, ut docent „
Suar. *in* 3. *t.* 4. *d.* 22. *s.* 9. *n.* 7. Sanch. Dian. Lug. *num.* „
63. Bon. *d.* 3. *qu.* 5. *s.* 1. *p.* 2. *dif.* 4. & alii com- „
muniter contra *Kon.* Ratio, tum quia peccata, „
quæ sunt in conscientia, debent manifestari, „
at dubia ut dubia sunt in conscientia : tum „
quia in negotio salutis, & medio ad hanc neces- „
sario, non tam habet locum illud axioma : *Me-* „
lior est conditio possidentis, quàm hoc : *In dubio tu-* „
tior pars eligenda est. (Excipiuntur tamen scrupu- „
losi, & ii, quibus diu post patratum peccatum „
suboritur aliquod dubium, si aliàs soliti sint solli- „
citè confessionem instituere ; quia non est dubium „
prudens.) Quòd si postmodùm accipiat notitiam „
certam, idem rursus esse confitendum tanquam „
certum, docet Turrianus & Sanch. 1. *mor. c.* 10. „
n. 69. Dubitat tamen Lug. *n.* 79. & 92. suadet- „
que id ut securius. V. Dian. *R.* 60. & 107. Si ve- „
rò peccatum confessus est ut certum, & posteà de „
eo dubitet, an fecerit, non tenetur iterum confi- „
teri ut dubium, Lug. Tamb. *de exp. conf. l.* 1. *c.* 1. „
qui idem censent, etsi postmodùm certò comperiat „
se non fecisse : Monent autem Suar. & Tamb. *l. c.* „
si quis sola peccata dubia confiteatur, monendum, „
ut addat aliquod certum ex aliàs confessis : Quòd „
si id haberi non possit, absolvendum sub conditio- „
ne. „

ADDENDA.

Quæst. 127. *Quid sit Confessio, & quæ sit ejus* 916
materia ? Resp. Confessio est accusatio exter-
na, de peccato proprio, ordinata ad absolutionem
à Sacerdote obtinendam. Quænam autem sit ejus ma-
teria, sufficienter explicatum est *in q.* 84. *& seqq.*

Q. 128. *Quid præterea sit notandum circa obli-* 917
gationem confitendi integrè ? R. Gerf. *parte* 2. *tit. De*
arte audiendi confessiones, *n.* 32. *litt. X. in proœmio*
ait, *Paucos hactenus reperi, qui perfectè unquam &*
integrè confessi fuerunt, causa existente in multis,
vel negligentia vel ignorantia Confessariorum : hinc

ut saltem ignorantia illa depellatur, paulò fusiùs, etiam per sequentes qq. agendum erit de modo integrè explicandi peccata.

918 §. 1. Est gravis obligatio confitendi integrè omnia & singula mortalia, uti constat ex verbis Conciliorum, *Lateranensis*, *Florentini & Tridentini*, quæ retuli *nu.* 595. Hanc autem obligationem esse gravem, manifestum est, nam verba Conciliorum sunt præceptiva vel declarativa præcepti, & materia est gravis, sive spectetur difficultas confitendi, quæ secundùm se est gravissima, sive utilitas & finis, ad quem talis confessio ordinatur, qui est remissio peccati mortalis per istud medium intenta à Deo ergo.

919 §. 2. Integritas confessionis alia est materialis alia formalis tantùm. Materialis est, si pœnitens confiteatur omnia mortalia, quæ post diligens examen memoriæ ipsius occurrunt. Formalis tantùm est, si confiteatur aliqua, non tamen omnia, quæ memoriæ occurrunt: & hæc quidem integritas saltem formalis est necessaria necessitate Sacramenti, uti pluribus demonstrat Moya *d.* 1. *q.* 8. contra quosdam recentiores. E contrà integritas materialis est necessaria necessitate tantùm præcepti.

920 §. 3. Ad integritatem confessionis spectat explicare omnia mortalia, secundùm numerum, secundùm speciem & secundùm omnes circumstantias mutantes speciem malitiæ mortalis: Est de fide ex *Trid.* suprà, nam qui omittit vel numerum vel speciem aliquam vel circumstantiam, quæ mutat speciem, ille non confitetur omnia & singula mortalia, ergo. Debet autem exprimi numerus prout nunc in conscientia agnoscitur, hinc sciens se ter blasphemasse, malè confitetur dicendo, accuso me, si bis aut ter, vel accuso me, quòd ter circiter blasphemaverim, sic enim non dicit numerum, prout in conscientiam habet.

921 *Q.* 129. *Quid addendum sit circa modum practicè confitendi integrè quoad numerum?* R. §. 1. *In l.* 5. *à n.* 147. explicatum est, quandonam actus physicè unus sit unum vel multiplex numero peccatum: Item *à n.* 167. quandonam actus physicè plures sint unum vel multiplex numero peccatum: Item *àn.* 173. quandonam peccatum numero multiplicetur propter interruptionem & repetitionem actuum. Denique *ibid. à nu.* 180. dictum est, quandonam peccatum omissionis numero multiplicetur quæ omnia hìc suppono & hìc debent recoli ex ibi dictis.

922 §. 2. Numerus est confitendus vel absolutè vel sub dubio, prout conscientia dictat, secundùm dicta *n.* 618. unde qui recordatur, quòd decies fecerit, peccat mortaliter dicendo, *aliquoties feci*, *sæpè feci*, *fortè decies feci*, quia hæ voces non significant numerum certum, qui in conscientia est. Idem est de eo, qui scit se fecisse decies, & dicit se fecisse decies vel undecies circiter, Dicast. Stoz. *l.* 1. *p.* 1. *n.* 93. Sæpè tamen excusantur pœnitentes per simplicitatem vel bonam fidem, ex qua malunt plus dicere quàm minus: si tamen Confessarius hoc advertat, monere debet, ne id faciant, sed dicant, sicuti est in conscientia, Aversa *qu.* 10. *s.* 12. Quòd si aliquis ita judicans sit confessus se decies fecisse, & postea judicet se fecisse tantùm sexies, non est opus hoc postea dicere, quia decem sunt sex & aliquid longo, Dicast. *d.* 9. *n.* 112. Aversa *supr.* qui putat, si dixerit ter circiter, & postea resciat se fecisse determinatè ter, teneri iterum confiteri ut certò ter, quia priùs confessus erat ut dubium.

923 §. 3. Qui uno actu detraxit tribus: secundùm dicta *l.* 5. *à nu.* 149. fecit tria peccata, vel saltem contraxit tres numero malitias in confessione exprimendas, uti habet communior cum Aversa *s.* 14. attamen non debet confiteri se ter detraxisse, neque etiam sine addito se fecisse tres detractiones, sic enim Confessarius intelligeret esse factum per tres distinctos actus, qualiter actum non est, sed debet dicere uno actu detraxi tribus. Idem est si habuit unam voluntatem fornicandi cum tribus aut ter fornicandi cum eadem, tum enim non satisfacit dicendo, habui voluntatem fornicandi, sic enim significat tantùm voluisse cum una vel semel.

Objic. Si numerus malitiarum sit confitendus, 924
ergo qui detraxit vel imprecatus est malum toti alicui Monasterio, debebit dicere numerum personarum, quæ sunt in illo. R. Si sciebatur numerus, & detractio vel imprecatio afficiebat singulos, c. Si non sciebatur numerus, aut detractio vel imprecatio afficiebat tantùm communitatem in genere, n. Detractio communiter cadit in singulas personas, uti si dicatur Monasterium esse deditum potationibus, familiam habere originem à Judæis, &c. Imprecatio potest cadere in totum per modum unius, uti si villicus imprecetur Monasterio, quia cogitur ei solvere nimis magnos canones, hic enim posset amare singulas personas Monasterii, & tamen toti imprecari malum. Signum autem, quòd imprecer toti simul, est, si non imprecarer singulis, si inde abessent, ideóque tum erit unicum peccatum, quia est unicum objectum, nempè communitas, Dicast. *nu.* 232. Ex simili ratione putat Stoz. *n.* 595. eum, qui hæredibus vel communitati est furatus, satisfacere, si dicat se non esse non furatum rem spectantem ad plures vel ad communitatem, non determinando quot sint hæredes vel personæ in communitate, sed hoc intelligendum est de bonis adhuc indivisis, uti notat Dicastil. *suprà*. Quòd si aliquis ex odio uno in unam familiam, uno actu, v. g. potione venenata omnes occideret, quamvis non ratione odii præcisè, tamen ratione occisionis essent tot numero peccata, quot personæ, quia per occisionem læsisset diversa singularum jura. In omnibus tamen ejusmodi casibus debet pœnitens sic confiteri, sicut apprehendebat objecta, quando peccabat, v. g. quando detrahebat aut maledicebat, & ideò *lib.* 5. *num.* 149. dixi actum unum tendentem in plura objecta esse multa numero peccata in confessione explicanda, prout actus distinctè vel confusè in ea objecta tendebat: hinc si quis peccarit tantùm apprehendens esse contra multitudinem, satis est, si explicet peccatum sub his terminis, sub quibus illud concepit & quousque apprehensio se extendebat, nec requiritur, ut dicat, quot personæ reipsa fuerint, quamvis id resciat; quando confitetur, Dicast. *n.* 253. Aversa *de pecc. q.* 72. *s.* 4.

§. 4. Qui per tres actus furatus est eidem tres 925
ducatos, non satisfacit dicendo furatus sum tres ducatos, quia tres actus faciunt tria numero peccata. Qui autem uno actu furatus est eidem tres ducatos, satisfacit dicendo, semel furatus sum tres ducatos, quia est unum peccatum, cùm sit unus actus & illi tres ducati sint unum numero objectum, secundùm dicta *l.* 5. *n.* 151. E contrà qui uno actu furatus est tres ducatos, singulos pertinentes ad diversos homines, non satisfacit dicendo, furatus sum tres ducatos, sed addere debet pertinuisse ad diversos homines: jam enim non faciunt unum numero objectum, sed quia pertinebant ad diversos, illo unico actu læsa essent tria jura numero diversa singulorum istorum hominum, uti dictum est ibidem *l.* 5. *n.* 152.

§. 5. Qui uno actu dubitavit circa tres fidei ar- 926
ticulos, uno actu juravit tria objecta falsa, uno actu blasphemavit in tribus materiis, satisfacit dicendo semel dubitavi de fide, semel juravi falsò, semel blasphemavi, uti dictum est *lib.* 5. *à n.* 156 E contrà qui uno actu odit tres homines, uno actu detraxit uni apud tres homines, debet addere hunc numerum

rum hominum, secundùm dicta *lib. 5. nu. 158. & 162.* Similiter qui uno actu statuit per septimanam omittere Horas, addere debet, semel volui omittere per septem dies, secundùm dicta *ibid. n. 164.*

927 §. 6. Quoties quis comedit carnes die jejunii, toties peccat secundùm dicta *l. 3. p. 2. n. 1264* Quòd licèt non admittant aliqui, si sit jejunium ex voto vel pœnitentia sacramentali, tamen oppositum videtur probabilius, secundùm dicta *l. 3. p. 1. n. 458.* quia jejunium vovetur vel injungitur prout ab Ecclesia præcipitur. Item probabile est toties peccare, quoties plenam sumit refectionem etiam è cibis esurialibus, secundùm dicta *l. 3. p. 2. n. 1265.* quamvis oppositum etiam sit probabile. Quòd si quis initio mensæ comedisset carnes, & uno vel altero ferculo è piscibus interposito, posteà iterum carnes comederet, esset unum peccatum, quia est una refectio: si autem à mensa surrexisset & rediret etiam intra unam horam, putat Tamb. *in Dec. lib. 4. c. 5. §. 1. nu 18.* fore duo peccata, sed probabile est oppositum, quia sicuti si Sacerdos in mortali sumat suam hostiam, & post communionem ad duas horas distributã, sumat reliquas particulas consecratas, est unum peccatum indignæ sumptionis, secundùm dicta *l. 5. n. 170.* quia nempè duæ illæ sumptiones pertinent ad consummationem unius Sacrificii, non obstante tanta interruptione physica, ita illæ duæ sumptiones facient unam comestionem carnium, quia secundùm dicta *l. 3. p. 2. à n. 1279.* relinquunt unitatem refectionis sive prandii.

928 §. 7. Qui per horam continuat actum, facit unum peccatum, qui autem intra horam ter retractat actum & resumit, facit quatuor peccata, secundùm dicta *l. 5. n. 174.* adeóque hic posterior plùs peccat in ordine ad obligationem confitendi, quia debet dicere, quater hoc feci, alter autem dicit, semel feci. Uter verò plus peccet in ordine ad culpam, demeritum & pœnam, pendet maximè à circumstantiis deliberationis & intentionis, cæteris paribus, qui continuat, magis peccat, quia retractare malum, est de se bonum, & continuare malum est pejus quàm abrumpere & relabi intra idem tempus. Plura circa interruptionem videri possunt *l. 5. à num. 173.*

929 §. 8. Qui continuo tempore in mortali absolvit decem pœnitentes aut ministrat Eucharistiam decem communicantibus, non satisfacit dicendo, semel indignè administravi Sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ, sed tenetur addere numerum hominum, quibus administravit, uti dictum est *l. 5. à n. 71.*

930 §. 9. Qui in vigilia S. Matthiæ incidente in diem Veneris quatuor temporum quadragesimæ comedit carnes, satisfacit dicendo, semel die jejunii comedi carnes, quia omnes illæ leges prohibentes sunt moraliter unica, secundùm dicta *l. 5. n. 147.* Ob eandem rationem, quia inobediens fuit pluribus Superioribus idem imperantibus, quorum unus non volebat afferre novam obligationem sed tantùm eandem, satisfacit dicendo, semel fui inobediens Superiori, secundùm dicta ibidem *n. 148.* Si tamen sciretur, quòd secundus Superior, v. g. ex alio motivo intendisset novam obligationem, tunc in uno illo actu inobedientiæ essent duæ malitiæ, & dicere deberet fui duobus præceptis Superiorum inobediens, secundùm ibidem dicta *n. 147.*

931 §. 10. Qui furatus est 1000. & primò bona fide confessus est se furatum esse 500. si posteà reddatur certior, quòd fuerint 1000. Lugo, Tamb. *de Confess. l. 2. c. 1. à n. 74.* Spor. *n. 406.* putant non satisfacere si in sequente confessione dicat se furatum 500. quia falsum est, quòd violaverit jus in 500. nam fuit jus in 1000. quod violavit, ergo neutra vice explicaret suum peccatum, sed debet repetere & dicere, furatus sum 1000. Oppositum tenent Arr. *d. 35. n. 40.* & Bosco *d. 7. s. 8. n. 170.* & est probabile ex dictis *n. 932.* etiamsi supponamus esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes tantùm, sicuti enim si uno actu contraxerim duas specie malitias, & prima vice confessus sim unam tantùm, posteà recordans alterius satisfacio dicendo hanc alteram solam, si utraque censeatur sufficienter intelligi, uti dicetur *n. 1135.* ita & hìc, nam qui violavit jus ad 1000. etiam violavit jus ad 500. ergo utraque vice dicit verum, & qui semel confessus est se furatum esse 500. & posteà iterum confitetur se furatum esse 500. dixit totam malitiam, quæ est in furto millenorum, ergo. Id tamen scienter fieri non debet in prima confessione, quia est saltem contra sinceritatem confessionis, secundùm dicenda *n. 1134.*

§. 11. Qui bona fide ita existimans confessus 932
est se decies blasphemasse, etiamsi posteà meliùs recogitans judicet se blasphemasse vigesies, certò satisfacit, si in posteriore confessione dicat se blasphemasse decies, quia sic certò edixit speciem & totum numerum.

§. 12. Quando pœnitens à modico tempore est 933
confessus, v. g. à duabus septimanis, & in parvo numero palpabilium peccatorum præsertim externorum addit circiter, meritò est suspectus de negligenti examine, quia si se examinasset, facilè sciret quoties tale crimen intra tam breve tempus commisisset, Gob. Stoz. *n. 105.* Spor. *n. 444.*

§. 13. Qui post examinatam diligenter conscien- 934
tiam aperuit in genere statum, vitam, consuetudinem & tempus, quo in peccatis hæsit, non tenetur posteà repetere peccata, quamvis in particulari distinctiùs recordetur hujus vel illius, in hoc vel illo loco aut tempore, cum hac vel illa persona commissi, quia in illa confusa narratione fuerunt sufficienter intellecta à Confessario, qui potuit de eis & eorum numero formare morale judicium, atque ideò ab omnibus directè absolvit.

§. 14. Cùm sæpè pœnitenti moraliter impossibi- 935
le sit scire numerum, ut si meretrix diu cuivis fuerit exposita, scire non potest, quot personas conjugatas, quot liberas admiserit vel parata fuerit admittere, unde in ejusmodi casibus frustra Confessarius urgebit ad certum numerum exprimendum, & reipsa tantùm urgebit ad errandum, ut satisfaciat suæ scrupulositati: hinc melius est, si petat, quanto tempore ita vixerit parata ad quosvis, & an sæpè de septimana solita sit reipsa vel saltem animo promiscuè quos libet admittere. In illis autem peccatis, quæ sunt enormiora aut ratiùs fiunt, faciliùs sciet numerum, unde de his est interroganda, quoties, v. g. contra naturam peccarit, quoties cum persona sacra vel consanguinea: similiter sufficit, si consuetudinarius dicit durationem consuetudinis, & quoties soleret per diem vel septimanam repetere peccatum suum. Quod autem attinet ad rudes homines, præsertim qui ratiùs confitentur, hi determinatum peccatorum numerum scire vix possunt, unde si rogati exprimant, sæpè merè conjectando illum exprimunt, sive quia tacere erubescunt, sive ut à molesta Confessarii interrogatione se eximant, hinc etiam cum talibus melius facit Confessarius, si ipsemet intellecto modo vivendi & frequentia peccandi v. g. per unam septimanam, ac diuturnitate temporis, quo ita peccare soliti fuerunt, ex his conjiciat seu apud se colligat numerum: quod tamen non tenet universaliter, uti rectè monet Dicast. *d. 9. n. 57.* nam sæpè fit, ut uno tempore plus peccarint quàm alio, de quo etiam erunt interrogandi, sed semper cum discretione, ne nimium crucientur, & confessio fiat valdè odiosa. *Confessarius mediocriter doctus*, inquit Less. *in Anct.*

v. Confessio cas.10. si non sit scrupulosus, non habet in his magnas difficultates, sed scrupulosus, etsi doctissimus, ubique hærebit eritque anxius.

936 *Q.130. Si quis nesciens numerum determinatum dixerit, feci hoc toties, plus minùs, vel toties circiter, & posteà certò resciat, quoties determinatè, vel se fecisse sæpius, an obligetur iterum confiteri hunc determinatum vel majorem numerum certò agnitum?* R. Non obligari, secundùm dicta *num.* 616. dummodò hic numerus determinatus vel major fuerit sufficienter significatus per *To plus minus* sive *circiter:* Cur autem confessus peccatum ut dubium, si posteà agnoscat ut certum, teneatur iterùm confiteri ut certum, disparitatem dedi illo *nu.* 616. Tota hìc difficultas est, quousque illæ particulæ, *plus minus* vel *circiter*, se extendant, de quo sunt variæ sententiæ, nam

937 §. 1. J. Sanch. & alii apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 94. dicunt nunquam significare plùs, quàm duo vel tria ultra numerum expressum: Alii, non quatuor, alii non ultra quatuor, alii ultra quinque, uti refert Dicast. *d.* 9. *n.* 116. Alii cum Stoz. *l.*1 *p.*1. *n.*99. non ultra decem, quantumcumque magno numero addantur, sed hi nimis rigidè loquuntur, quia particulæ illæ significant comparativè ad numerum, cui adduntur, ergo malè ponitur una absoluta mensura etiam respectu cujuscumque magni numeri.

938 §. 2. Alii apud Dicast. *nu.* 115. dicunt extendi posse ad quartam partem: Tann. *q.* 7. *n.* 45. citans *Sot. & Valent.* dicit, si fecerit trigesies, satis esse, si dixerit, vigesies circiter. *Verricel.* universaliter putat extendi posse etiam ad dimidium: sed hi videntur nimis laxè loqui, quia si quis promittat alteri quadringentos circiter ducatos, nemo dicet satisfacere, si det trecentos, multò minùs si ducentos.

939 §. 3. Alii cum Menochio apud Dicast. *nu.* 121. restringunt præcisè ad quinque in centum, sed hi in parvo numero sunt nimis rigidi, nam secundùm omnes satisfecit, qui bona fide nesciens dixit, centies circiter, quamvis ex reperta schedula, in qua notarat, posteà resciat se fecisse centies & sexies. E contrà in numero magno regula illa est nimis laxa, nam quinque millia videntur nimium respectu centum millium, & tamen non desunt nisi quinque in centum, hinc

940 §. 4. Hæc unica regula videtur tenenda, ut quando excessus est parvus, vel absolutè in se, vel saltem respectu magnæ summæ, quæ exprimitur, tum censeatur sufficienter explicatus per illas particulas & incluśus in numero expresso. Quò autem numerus expressus est minor, etiam excessus debet esse minor; quò numerus est major, potest excessus esse major; attamen sine proportione arithmetica sed tantùm cum aliqua proportione quasi geometrica secundùm judicium prudentum, quamdiù nempè parvus excessus censetur quasi absorberi in numero majori expresso. Sic parvi excessus videntur esse unum respectu quatuor, duo respectu decem, tria respectu viginti, quatuor respectu quadraginta, sex vel etiam novem respectu centum, uti cum aliis tenet Sporer *à n.* 446. Unde secundùm Dicast. *n.* 119. & Bosco *f.* 8. *n.* 154. Si dixisti, ter circiter, & feceras quater, satisfeciśti, quia licèt unum sit tertia pars trium, tamen est aliquid in se parvum. Addunt *con. Lugo* §. & alii cum Burgh. *cent.* 2. *cas.* 55. si dixeris octogesies circiter, quamvis feceris centies, quia viginti respectu centum videtur in morali judicio esse parvus numerus, sed alii meritò de hoc dubitant, unde si fecisses centies trigesies, & dixisses centies circiter, *Bosco* rectè dicit fore nimium excessum, quia quamvis triginta non sit tertia pars numeri centenarii, tamen neque in se neque respectivè ad centum videntur esse aliquid parvum. Addit Dicast. *n.* 119. si dixeris, circiter millies, esse satis, quamvis feceris millies quinquagesies: Si tamen dixisses, millies circiter, & fecisses millies ducenties, non videri satis expressum, quia est nimius excessus, putat tamen, si dixisses, circiter decies millies, tum etiam includi decies millies & ducenties, qui enim dicit exercitum constare circiter decem millibus militum, verum dicit, quamvis sint ducenti plures vel pauciores. Denique si quis dixisset se blasphemasse decies, non addendo circiter, & posteà comperiret vel dubitaret, an non blasphemarit undecies, communior sententia est cum Sporer *nu.* 449. debere in proxima confessione dicere se blasphemasse semel vel de hoc dubitare, quia hanc vicem nullo verbo vel signo manifestasset: in hoc tamen contradicit *Tann.* & rectè, si supponamus pœnitentem semel pro semper manifestasse Confessario, quòd tali determinatè numero non intelligat nisi circiter. Vide etiam dicta *num.* 617. 618. & 624. ubi aliqua de confessione quoad numerum.

Q.131. An non tantùm actus externus; sed etiam & effectus peccati sit cum actu interno confitendus? R. §. 1. Actus externus, qui internum complet in ratione peccati externi, est simul confitendus, Tann. *q.*7. *n.* 47. Aversa *q.* 10. *f.* 2. §. *Potius*, Esparsa *q.* 90. *a.* 1. *ad* 7. Platel. *n.* 774. qui meritò dicunt hoc esse certum. *Probatur*, quia licèt actus externus nihil superaddat malitiæ, uti habet communis & probabilior cum S. Thom. 1. 2. *q.* 20. *ar.* 3. & 4. contra *Scot. Ripald.* & alios, tamen actus internus & externus faciunt unum actum completum in genere moris, actio enim externa habet se velut materiale, interna velut formale, Christus autem voluit explicari totum peccatum completum in genere moris, uti nobis constat ex consensu Doctorum & praxi fidelium, ergo cùm actus internus in genere moris compleatur per actum externum, & cum illo sit simpliciter totum peccatum completum, debet illud totum explicari, dicendo, v. g. commisi homicidium, adulterium, detractionem, hæc enim veniunt nomine peccati simpliciter, quod dicitur, dictum, factum vel concupitum, ergo. Consequenter qui alterum vulneravit, non satisfacit dicendo, volui vulnerare, item qui volens occidere lethaliter vulneravit, non satisfacit dicendo volui occidere, sed debet addere volens occidere, lethaliter vulneravi.

Objic. Si die festo omiserim Missam eo fine, ut 942
studerem, satisfacio dicendo, omisi Missam die festo, tacendo de studio, quamvis studendo peccaverim, & per studium expleverim meam malam intentionem, ergo idem est de actu externo. Resp. n. cons. quia quamvis tale studium sit denominativè peccatum & subjectum ejusdem malitiæ, non aliter ac externa omissio Missæ, tamen studium non complet volitionem non audiendi Missam, sed hanc volitionem complet vel externa omissio Missæ vel causa proxima illius, uti explicatum est *l.*5. *n.*27. ergo talis sufficienter explicat suum peccatum, dicendo omisi Missam die festo. *Nec obstat*, quòd volitio studendi etiam esset peccatum, & compleatur externè per studium, *nam* tota malitia volitionis studendi erat malitia volitionis omittendi Missam, quæ tota explicata est, dicendo, omisi Missam.

§. 2. Circa peccatum distinguenda sunt ista quatuor: Causa finalis peccati: Actio concomitans peccatum: Complementum externum peccati: Effectus peccati. *Causa finalis peccati* hoc est, propter quod aliquis peccat, ut si quis omittat Missam, ut studeat, studium est causa finalis peccati, & peccatum denominativè, est enim actus liberè positus ex mala intentione omittendi Missam, qui actus est 943

veluti

est veluti medium omittendi Missam, adeóque indirecte prohibetur eodem præcepto, quo directè præcipitur Missa. Quando autem talis causa finalis peccati non est de se mala, non est opus illius facere mentionem in Confessione, uti *n.* 942. dictum est, quia licèt hoc reticeatur, tamen explicatur tota malitia principalis peccati internè & externè completi. *Actio concomitans peccatum* est illa, quæ per accidens ponitur eodem tempore, quo etiam ponitur peccatum, quæ quamvis fortè sit incompossibilis cum impletione præcepti, tamen non est causa nec occasio transgressionis illius; ut si quis determinatus sit ad omittendam Missam, quia nimis frigus est, posteà autem, ne sit otiosus, si domi studeat, quando deberet audire Missam, hoc studium est purè concomitans omissionem Missæ, & nequidem denominativè est peccatum, hinc multò minus opus est facere mentionem illius in Confessione. *Complementum externum peccati* est actio externa immediatè dependens à peccato interno actualiter existente, cujus est veluti executio; & ideò denominat hominem externè actu peccantem, uti explicatum est *l.* 5. *à n.* 27. Et hoc complementum peccati est explicandum in confessione, secundùm dicta *n.* 941. *Effectus peccati* est aliquid, quod causatur & sequitur ad totum peccatum internè & externè completum, v.g. voluntas occidendi completur externè per transfossionem, ad quam sequitur mors: voluntas comburendi domum completur per applicationem ignis, ad quam sequitur exustio domus; voluntas se inebriandi completur per potationem vini, ad quam sequitur privatio rationis; voluntas turpiloquii completur per locutionem turpem, ad quam sequitur motus venereus. Hic mors, exustio domus, privatio rationis, motus venereus, dicuntur effectus peccati, & de illis quæritur, an, & quando secuti sunt, etiam sint simul explicandi in confessione: an è contrà satis sit dicere, transfodi intendens mortem proximi, incendi domum proximi, potavi prævidens periculum ebrietatis, locutus sum turpia prævidens motus venereos, tacendo, quòd omnia ista reipsa secuta sint.

944 § 3. Probabilius videtur non esse obligationem, per se loquendo, confitendi talem effectum peccati. Ita Vasq. Salas, Gran. Lugo, Bonac. Rayn. Rhod. Tamb. Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *R.* 64. Dicast. *d.* 9. *n.* 19. & 415. Bonæsp. *de Peccat. d.* 5 *n.* 68. Esparz. *qu.* 90. *ad* 7. *art.* 4. Burgh. *cent.* 1. *cas.* 19. Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 9. *à n.* 6. Herincx *de Peccat. d.* 5. *n.* 74. Spor. *nu.* 385. & alii multi, contra Sot. Lopez, Sanch. *de Matrim. lib.* 9. *d.* 45. *n.* 30. Castrop. *t.* 2. *d.* 1. *p.* 3. *n.* 7. Averz. *q.* 10. *s.* 2. Platel. *n.* 775. Arriag. *de Peccat. d.* 45. *n.* 13. qui immeritò dicit suam sententiam esse certam, & in ea convenire omnes. *Probatur*, nam imprimis si talis effectus nullo modo fuerit prævisus, non est obligatio illum confitendi, ut fatentur plerique ex adversariis, quia secundùm dicta *lib.* 5. *à n.* 30. tum non fuisset nequidem denominativè voluntarius, nihil enim volitum nisi cognitum, ergo nullo modo dici posset esse peccatum. Neque hic sufficit debuisse prævideri, nam inde tantùm sequitur negligentiam advertentiæ fore culpabilem & confitendam. Deinde si talis effectus sequitur post retractationem causæ, etiam non est confitendus, uti etiam plerique ex adversariis concedunt, alioquin qui ante mensem abjecisset breviarium vel propinasset alicui venenum, si statim post commissum peccatum fuisset ritè confessus, teneretur omissionem Horarum per omnes dies sequentes, & mortem post mensem securam aperire, quod nemo dicet. Denique licèt effectus fuerit in peccato velut causa prævisus aut etiam intentus, tamen talis effectus proprie dici non potest peccatum, uti probatum est *l.* 5. *n.* 33. cùm neque in se sit peccatum, neque etiam externe compleat peccatum secundùm dicta *n.* 843. ergo non est obligatio illum confitendi, quia non est obligatio confitendi aliud quàm peccatum. *Nec obstat* quòd non retractarit causam, *nam* sive retractarit sive non, effectus manet suo modo æqualiter imputabilis, non tanquam culpa sed tantùm effectus culpæ præteritæ, uti explicatum est *l.* 5. *à n.* 42. Et consequenter talis homo satisfaciet dicendo, projeci breviarium prævidens me tanto tempore non posse orare, prorrexi proximo venenum intendens ejus mortem, tacendo an Horas non orarit, & an mors sit secuta necne.

Dixi 1. Per se loquendo, quia per accidens sæpè addi debet tales effectus secuti, quia aliter non intelligeretur peccatum, quod commissum est, aut quia ratione ipsorum contracta est censura vel reservatio, de qua scire debet Confessarius. Imò expedit semper addi propter varia, v. g. quia ex effectu secuto plerumque melius intelligitur malitia peccati, item quia pœnitens ignorans sæpè monè ius est de restitutione, cujus obligatio orta est ex effectu secuto. Et ob has causas pœnitentes communiter addunt tales effectus secutos, in quo non sunt prohibendi, sed potiùs suaviter invitandi, ut semper addant, uti monet *Esparza*.

Dixi 2. Talem effectum peccati; nam si aliquis effectus illicitus sequatur ex peccato, quando adhuc est status libertatis, & compleat actionem internam malam in ratione peccati externi confitendus est, uti patet in eo, qui per turpiloquium, tactum aut quid simile causat actu & liberè in se pollutionem, hic enim effectus actu complet volitionem saltem indirectam pollutionis, quæ est peccatum distinctum à turpiloquio. Quomodo autem peccet, & consequenter quomodo confiteri debeat, qui dat causam tali pollutioni vel simili effectui de se malo, declaratum est *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 922. ubi etiam *à n.* 929. dictum est, quomodo peccet, qui per actionem de die positam causat pollutionem aut similem effectum malum in somno oriturum. Denique quinam effectus retineant malitiam objectivam, etiam quando absque libertate sequuntur, ideóque in confessione fieri debeat mentio culpæ, quæ cognoscebatur apta causare talem effectum, dixi *l.* 5. *n.* 48.

945 *Q.* 132. *Quænam peccata dicantur esse specie distincta in ordine ad confessionem; & unde desumatur illa diversitas specifica?* R. Ista explicata esse etiam in *l.* 5. *à n.* 118. ubi dixi distinctionem specificam præcipuè desumi, vel ex objecto aut modo tendendi actus peccaminosi notabiliter diverso, vel ex legibus formaliter diversis, contra quas agitur. Et ibidem *à n.* 132. explicavi, quandonam leges censeantur esse formaliter diversæ, quod nimirum præcipuè est ratione finis, in quem tendunt ejusmodi leges, aut ratione motivorum, quæ intenduntur à legislatoribus. Denique *à nu.* 139. dixi quandonam peccata commissionis & omissionis circa idem objectum specie distinguantur, quæ omnia hic suppono & recoli debent.

946 *Q.* 133. *Quænam generatim observanda sint circa hanc explicationem speciei in confessione.* R. seq. §. 1. Peccata sic sunt confitenda, sicuti erat conscientia tunc, quando committebantur: unde si tunc invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumstantiam malam, tu illam non contraxisti, quia nihil est volitum, nisi sit cognitum: hinc si confiteri velis, quia times, ne fortè peccaris, addere debes te putare, quòd eo tempore non adverteris ad tal malitiã. Similiter si falsò juraſti in materia levi, putans bona fide te tantùm leviter peccare, malè confiteris dicendo, juravi falsò, nam ex hoc ipso Confessarius judicabit te peccasse mortaliter, cùm omne perjurium, etiamsi

sit

sit in materia levi, sit mortale ; hinc addere debes te eo tempore putasse esse tantùm leve peccatum. E contrà si erro neè apprehendebas aliquam malitiam in objecto vel in actione tua, quamvis reipsa non inesset, ut contraxisti, & teneris hoc explicare, v.g. die Cinerum putabas esse obligationem audiendi Missam & tamen neglexisti, non satisfacis dicendo die Cinerum non audivi Missam, sed addere debes, & putabam tum esse obligationem audiendi. Similiter si dubitabas, an in esset malitia mortalis, an hujus vel illius speciei, quāvis posteà certò rescias nullam in eo fuisse malitiā mortalem, aut illam spectare ad hanc vel istam determinatè speciem, debes confiteri te operatum esse cum illo dubio, quod habebas tunc, quando operabaris, quia conscientia, quæ posteà sequitur impertinenter se habet ad actum commissum.

947 §. 2. Peccata sic sunt confitenda, sicuti conscientia nunc agnoscit & dictat esse commissa, hinc si sciens se detraxisse, dicat, accuso me, si detraxerim, non satisfacit, quia non confitetur speciem, prout est in conscientia.

948 §. 3. Ignorantia vincibilis non est peccatum distinctum ab eo, cujus est causa ; unde quod fit ex illa, manet ejusdem speciei, cujus esset, si fieret cum scientia : Hinc qui ex vincibili ignorantia Festi omisit Missam, peccavit tantùm contra præceptum Missæ & satisfacit dicendo, die festo non audivi Missam, Vasq. Sanch *in Dec. l.* 1. *c.* 17. *n.* 15. *&* 23. Castrop. *t.* 2. *d.* 1. *p* 16. *n.* 3. Dicast. *de juram. d.* 2. *à num.* 244. Gob *in Quint. t.* 5. *c.* 9. *n.* 53. Stoz. *l.* 1. *p.* 1. *n.* 51. Quòd si ignorantia esset affectata, *Lugo* idem tener, quod de non affectata ; è contrà *Sanch.* putat per eam saltem notabiliter augeri malitiam ; *Castr.* dicit mutari speciem : adeóque exprimendum in confessione : quod verum est, si affectasset ignorantiam omnis legis divinæ, quia tum virtualiter adesset animus transgrediendi omnes leges, & voluisset à se tollere omnem remorsum, quo Deus homines à peccatis continet.

949 §. 4. Ignorantia culpabilis quandoque aperienda est, vel quia excusat à censura, vel quia quandoque fecit periculum peccandi in alia specie, uti si peccare volueris cum muliere ignorans ejus statum, sic enim te exposuisti periculo peccandi cum persona sacra, conjugata, &c. & sic ex comparatione ista animi contraxisti malitiam sacrilegii & adulterii, Dicast. *d.* 9. *n.* 387. *& alii.*

950 §. 5. Quod fit ex errore, est ejusdem speciei cum illo, quod fieret ex vero judicio, hinc qui non audierat Missam eo die, quo ex errore putaverat esse festum, satisfecit dicendo, non audivi Missam die festo, nam intelligebatur, apprehenso, & existimato, Henriq. Valent. Lugo, Aversa *q.* 10. *s.* 10. §. *Si autem*, Schild. *tr.* 1. *nu.* 14. Et consentit Dicast. *nu.* 715. si perseverante errore ita sit confessus, nam per hoc explicavit totam malitiam. E contrà si ante quàm confiteatur errorem resciat, videtur esse contra sinceritatem confessionis, si errorem non exprimat, qui enim occidit Paulum putans esse Petrum, non videtur satis sincerè confiteri, si resciens errorem dicat, occidi Petrum, quamvis Petrus fuerit apprehensus & existimatus. Et idem est de similibus casibus, reipsa enim dicit se in re fecisse aliquid, quod scit se in re non fecisse. Rectè etiam notant utriusque sententiæ Authores, absolutè necessarium esse quandoque aperire errorem, imprimis ob reservationem vel censuram, quam ille non incurrit, qui falsò putavit materiam sui peccati illis esse subjectam : Denique si peccatum aliter intelligi non possit, uti si quis confiteatur, non jejunavi pridiè Circumcisionis, nam addere debet, & putabam me obligari, alioquin non intelligetur, quod peccaverit.

§. 6. Putant *Val. Sayr Salas* non esse opus in con- 951
fessione exprimere, sive peccatum factum sit cum conscientia dictante esse peccatum sive cum dubitante, an esset peccatum, sed Schild. *n.* 13. & alii dicunt hoc esse exprimendum, quia facere cum conscientia dictante, est notabiliter gravius, & quamvis peccata illa materialiter sumpta non distinguantur specie, formaliter tamen videntur sic differre, quia in priori est notabiliter major ratio offensæ & imputabilitatis. Hoc ipso autem quòd pœnitens nihil addat, censetur se accusare de eo, quod fecerit cum conscientia dictante & non dubitante.

§. 7. Confitenda est species peccati infima, & 952
non tantùm subalterna aliqua seu generica, v.g. qui uni furatus est, alteri detraxit, alium occidit, non satisfacit dicendo, ter proximo feci gravem injuriam, sic enim explicat tantùm genus peccati, quod est esse contra justitiam, sed debet descendere ad species infimas, quæ sunt facere injuriam in bonis fortunæ, & hoc est furtum, in bonis famæ, & hoc est detractio, in bonis corporis, & hoc est homicidium. Similiter quia peccare in certa specie & se exponere periculo proximo talis peccati sunt ejusdem speciei, hinc qui semel exposuit se periculo ebrietatis & semel periculo turpis delectationis, non satisfacit dicendo, bis me exposui periculo peccandi mortaliter, sed explicare debet materias seu singulas species peccati, quas contraxit volendo proximum earum periculum.

§. 8. Non sufficit quomodocunque dicere spe- 953
ciem infimam peccati, quod quis fecit, sed dici debet illa species infima, quæ reipsa est admissa, v. g. furari decem & furari duodecim ducatos sunt ejusdem speciei infimæ, & tamen qui furatus est decem, malè confitetur dicendo se furatum esse duodecim, quia dicit esse factum, quod scit non esse factum. Item peccare delectatione turpi & se exponere periculo proximo illius etiam sunt ejusdem speciei, & tamen qui semel delectationem habuit & semel se exposuit periculo, malè confitetur dicendo, bis delectatus sum, aut, bis me exposui periculo, sic enim vel confitetur, quod factum non est, vel non confitetur, quod reipsa factum est.

Q. 134. *Quid addendum sit circa circumstantias* 954
in Confessione explicandas ? R. seqq. §. 1. Circumstantia peccati dicitur omne illud, quod quasi supponit peccatum in certa specie malitiæ constitutum, eandem tamen malitiam aliter afficit, tanquam afferens certum aliquem modum, ideóque dicitur quasi circumstare seu accedere ad rationem substantialem peccati priùs positam.

§. 2. Circumstantia peccati potest esse pertinens 955
vel impertinens ad considerationem Theologicam. Impertinens est, si nec augeat nec minuat malitiam, uti quòd peccetur ante vel post meridiem : & clarum est non esse opus de tali circumstantia facere mentionem in Confessione. Pertinens, si augeat vel minuat malitiam peccati.

§. 3. Circumstantia pertinens potest augere vel 956
minuere peccati malitiam, aliquando notabiliter in æstimatione morali, aliquando non notabiliter : & quando auget vel notabiliter, hoc potest fieri, quandoque intra eandem speciem, quandoque mutando speciem, v. g. furtum ex genere suo est peccatum mortale, sed est aliquid universalius quàm furtum parvum vel magnum, sacrilegium vel non sacrilegium : hinc furari plus est circumstantia augens, furari minus est circumstantia minuens ; furari mille ducatos est circumstantia augens notabiliter, idcóque dicitur notabiliter aggravans : è contrà furari medium ducatum est circumstantia notabiliter minuens

ruens furtum mortale, utraque tamen circumstantia relinquit furtum in eadem simplici specie furti mortalis. Si autem fureris sacrum calicem, est circumstantia notabiliter augens malitiam & mutans speciem furti, non quòd tollat speciem furti, sed quia facit accedere speciem sacrilegii; & dicitur circumstantia respectu malitiæ furti, quæ est quasi prima malitia istius actionis, qua res aliena aufertur, illa tamen ratio rei sacræ non est circumstantia respectu sacrilegii, sed habet rationem objecti.

957 §. 4. Si circumstantia non notabiliter augeat vel minuat malitiam, non est opus de illa facere mentionem in Confessione, quia quod non notabiliter mutat, censetur parum, parum autem in moralibus pro nihilo reputatur. An verò circumstantia notabiliter aggravans & non mutans speciem, sit confitenda, dicetur *à n.* 975.

958 §. 5. Si circumstantia mutet speciem, sive hoc faciat augendo sive minuendo, hoc exprimi debet in Confessione. Hinc si blasphemasti, sed sine plena advertentia ad malitiam; si delectasti te objecto turpi, sed sine pleno consensu in delectationem, hæ circumstantiæ minuentes debent in Confessione exprimi, quia mutant speciem, & faciunt peccatum de se mortale per accidens esse veniale: è contrà si furatus es acum sartori, sed quia sartor alium acum non habebat, laborare & lucrari non potuit, teneris hanc circumstantiam addere, quia mutat speciem, & facit furtum de se veniale, per accidens esse mortale, ratione gravis damni ideò causati. Similiter si quis fecerit aliquid ex naturali oblivione præcepti, uti si comederit carnes non recordans esse jejunium, velit tamen confiteri, quia timet, ne per negligentiam sit oblitus, tenetur addere se tunc de ea prohibitione non cogitasse.

959 §. 6. Tunc circumstantia mutat speciem malitiæ in actu, si actus propter illam habeat notabiliter diversam disconvenientiam cum natura rationali vel lege Dei: item si faciat habere oppositionem cum diversis specie virtutibus: item si faciat actum esse difformem legibus formaliter diversis. Et hæc omnia sequuntur ex dictis *l.* 5. *à n.* 118. ac posteà dabuntur exempla.

960 §. 7. Circumstantiæ, quæ mutare possunt speciem malitiæ, præcipuè sunt sequentes, quas ex Cicerone & Aristotele refert S. Th. 1 2. *q.* 7. *a.* 3. *O.* & continentur hoc versu *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilis, Cur, Quomodo, Quando.* Exponuntur autem hoc modo. *Quis*, significat personam agentem vel patientem, non considerando illam secundùm substantiam, sed secundùm qualitatem aliquam, uti quòd pauperi sit furatus: quòd Religiosus sit fornicatus: quòd peccarit cum conjugata; quod frater fratrem occiderit. *Quid*, significat objectum, non consideratum secundùm se, prout est hoc, in quod actus directè & primariò tendit, sed consideratum, vel secundùm quantitatem, uti quòd non unum sed mille aureos furatus sit; vel secundùm qualitatem, uti quod furatus sit rem sacram; vel secundùm aliquem effectum contingenter conjunctum, uti quòd ex tali furto secutæ sint discordiæ vel alia mala: Et ad *Quid* etiam reducitur circumstantia *circa quid*. *Ubi*, significat locum, ut quòd aliquem occiderit vel se polluerit in Ecclesia. *Quibus auxiliis*, significat media sive instrumenta & adjutores, quibus usus est, uti quòd virum nobilem percusserit non gladio sed fuste; quòd ope dæmonis alium occiderit; quòd alios secum cooperatores ad idem crimen adduxerit. *Cur*, significat finem extrinsecum operantis, uti furatum sit, ut se inebriaret. *Quomodo*, significat modum accidentalem, quo actio fit, nimirum plenè vel semiplenè deliberatè: ex malitia vel passione. *Quando*, significat tempus, uti an die festivo vel feriali fabulatus sit in Missa; an longissimo an brevissimo tempore perstiterit in desiderio turpi.

961 §. 8. Propter circumstantiam, *Ubi*, putarunt aliqui apud Mendo *diss.* 5. *n.* 54. omne mortale saltem externum, quod fieret in templo, esse sacrilegium; sed rectè negant *Cajet. Sot. Sanch.* & alii communiter: quandonam autem ideò refundatur malitia sacrilegii, intelligetur ex dicendis *n.* 1016. & 1090.

962 §. 9. Circa circumstantiam, *Cur*, notandum est, si finis, ob quem aliquis peccat, vel nullo modo, vel tantùm venialiter sit malus, uti si quis furetur, ut amico benefaciat, vel ut vanam gloriam captet in lauta tractatione, non esse opus hunc finem explicare in Confessione, quia ex illo non refunditur nova gravis malitia in actum, uti contra aliquos probabiliùs tenent Vasq. Ton. Lug. Diana, Aversa *qu.* 10. *s.* 10. Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 23. *s.* 1. *subs.* 7. Spor. *n.* 404.

963 §. 10. Circa circumstantiam, *Quando*, aliqui apud Dicast. *d.* 9. *nu.* 721. putarunt peccata commissa die Dominico vel festivo semper contrahere specialem malitiam ex circumstantia temporis, cui opinioni videntur favere S. Aug. & S. Th. 2. 2. *q.* 122. *ar.* 4. *ad* 3. his verbis, *Quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati quàm per opus licitum, quamvis sit corporale, ideò magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud opus licitum facit.* Etiam favere videtur jus canonicum, *Cap. Omnes* 1. *De feriis*, *Omnes dies dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere*; si enim ex motivo religionis sit abstinendum ab illicito opere, ergo qui tum peccat, facit contra virtutem religionis & committit sacrilegium, secundùm dicta in *lib.* 1. *n.* 626. Sed contrà est, nam SS. PP. & jus canonicum tantùm volunt diebus festivis esse majorem causam abstinendi ab illicitis, quia dies illi dedicati sunt cultui divino, sed non ideò dicunt peccata alia istis diebus prohiberi ex motivo religionis. *S. Th.* tantùm loquitur de eo, quod est spectato jure naturæ & considerato fine hujus præcepti, hinc subdit ex *S. August.* Judæum qui præcepto Ecclesiæ non tenetur, minùs malè facturum, si in agro die dominico laboraret quàm si peccaret. Consequenter cum Authoribus gravissimis apud Dicast. *n.* 722. dicendum est circumstantiam temporis rarò mutare speciem, hinc licèt aliqui apud Dicast. *n.* 723. putent omne enorme crimen saltem die Veneris sancta, aut die, quo quis communicavit, commissum, hoc ipso esse diversæ speciei, tamen Dicast. Lug. *disp.* 16. *n.* 524. Aversa *q.* 1. *s.* 11. Stoz. *l.* 1. *p.* 1. *n.* 73. aliique communiter & probabiliùs contradicunt: attamen excipiunt, si quis, v. gr. die Veneris sancto publicè haberet ludicram comœdiam, id enim esset in gravem irreverentiâ contra Passionem Christi. Addit Gob. *sup. c.* 46. & 47. *nu.* 2. posse esse grave scandalum, si quis die Veneris sancto, v. gr. se inebriaret. Quòd si quis statim post communionem eat ad popinam, putat idem *Gobat.* contrahere militiam sacrilegii, quia irreverenter tractat Corpus Christi. Idem dicit, si quis die Communionis etiam vesperi se inebriaret, sed oppositum est probabilius, tum quia dudum desiit præsentia Christi, ideóque peccatum non videtur habere ullum ordinem ad Sacramentum manè susceptum, tum etiam quia aliàs Sacerdotes, quotidie celebrantes, quotiescumque peccarent, contraherent etiam malitiam sacrilegii, quod nemo dicit.

964 §. 11. Circumstantiæ generales peccatorum, uti quòd sint contemptus Dei, injuria, inobedientia, ingratitudo, irreligio, superbia, &c. non sunt necessariò addendæ nisi expresè sint intentæ,

quia quamvis ſpeciales illæ malitiæ contrahantur, etiam tum, quando non intenduntur, ſed cum ſola advertentia illarum peccatur, tamen cùm ſint quaſi tranſcendentales & imbibitæ in omni peccato, hoc explicato ſatis intelliguntur; ſimiliter is, qui peccat advertens ſe agere contra honeſtatem virtutis, non tenetur hoc addere, niſi ex odio vel contemptu virtutis proceſſiſſet, uti *num.* 966. dicetur.

965 §. 12. Probabilius eſt quidem cum Caj. Vaſq. Dicaſt. *d.* 2. *dub.* 25. contra *S. Bonav. & Scot.* majorem eſſe ingratitudinem relabi poſt remiſſum ſemel peccatum quàm primò labi, quia quamvis prima innocentia quam excludit primum peccatum, videatur eſſe abſolutè & materialiter majus bonum quàm remiſſio peccati, (de quo videri poteſt Suar. *d.* 13. *ſ* 2.) tamen cùm remiſſio fiat poſitivè indigno, præſervatio fiat non indigno poſitivè, remiſſio præſertim ſæpè facta, comparativè ad perſonam, cui fit, videtur eſſe major formaliter in ratione beneficii quam præſervatio, de hac tamen ingratitudine opus non eſt meminiſſe in confeſſione, uti habet communis cum Dicaſt. *dub.* 26. contra *Medinam*, quia quamvis hic ratione materiæ ſit etiam ſuo modo ſpecialis ingratitudo, tamen quantùm ad formalem ſpeciem malitiæ manet ratio generalis ingratitudinis imbibita in omni peccato, conſiſtens in hoc, quòd offendatur Deus, à quo magna beneficia accepimus, ſicuti ſi quis tranſgrediatur jejunium præceptum, quamvis ſit ſuo modo ſpecialis inobedientia, in quantùm ejus materia eſt jejunium, tamen manet ratio generalis inobedientiæ imbibita in omni peccato.

966 §. 13 Circumſtantia contemptus poteſt addere novam ſpeciem, nam ſi fiat ex contemptu formali vel legislatoris ut talis, vel legis cujuſcumque etiam leviſſimæ, prout pendentis à poteſtate legislativa, vel cujuſcumque honeſtatis, quæ eſt in aliqua virtute, ſemper eſt mortale diſtinctæ ſpeciei à peccato, quod tunc committitur, uti dictum eſt *l.* 5 *à nu.* 237. hinc qui fornicatur ex contemptu caſtitatis, duplex ſpecie peccatum committit contra caſtitatem ſpeciatim aperiendum in confeſſione, nempè quòd fornicatus ſit, & quòd hoc fecerit ex contemptu honeſtatis, quæ eſt in virtute caſtitatis.

967 §. 14. Cum ſæpè fiat, ut peccans non adverterit ad certam malitiam vel circumſtantiam ſequitur Confeſſarium non debere eſſe nimium in interrogandis omnibus, ad quæ non eſt veriſimile pœnitentem advertiſſe, quamvis enim contingere poſſit, ut adverterit, non debet tamen, inquit Palav. *de peccat. d.* 2. *qu.* 2. *art.* 2. *nu.* 7. propter raros ejuſmodi eventus imponi Confeſſariis tam gravis & perpetua indagandi obligatio quæ prudentem quemlibet meritò deterreret ab officio Confeſſarii. E contrà tamen ſi pœnitens prudenter credatur advertiſſe, & propter ignorantiam, oblivionem, timorem vel pudorem omittere, tenebitur Confeſſarius adjuvare quærendo, uti pluribus dicetur *à nu.* 1745.

968 *Q.* 135. *An circumſtantia conſuetudinis ſit aperienda in confeſſione?* R. §. 1. Per ſe loquendo non neceſſariò eſt aperienda, Suar. Vaſq. Regin. Bon. Averſa *q.* 10. *ſ.* 10. §. *Septimo*, Lugo *d.* 16. *n.* 201. contra Tabien. Henriq. Fagund. & alios apud Diaſt. *P.* 1. *t.* 7. *R.* 15. *&* 55. Ratio eſt, quia nemo, per ſe loquendo, tenetur bis confiteri idem peccatum; peccata autem prærerita, per quæ eſt cauſata conſuetudo, ſunt antehac confeſſa, uti ſupponitur, & peccatum præſens non aggravatur ſed potiùs minuitur ratione præcedentis conſuetudinis, quæ aliquo modo minuit libertatem, ergo non eſt neceſſarium facere mentionem peccatorum præteritorum vel illius conſuetudinis. *Nec obſtat*, quòd per conſuetudinem expoſuerit ſe periculo proximo relabendi, *nam* ſi hoc antehac fecit advertenter, quod rarum erit, eſt ſpeciale peccatum, de quo debet ſe ſpeciatim accuſare, ſecundùm dicenda *num.* 970. De cætero exponere ſe periculo proximo peccati, & ſtatim ideò peccare, non ſunt duo peccata ſed unum tantùm, quod ſatis explicatur explicato ipſo peccato inde ſecuto, uti omnes communiter fatentur cum Lugo *n.* 511.

§. 2. Si conſuetudo ſit cauſa vel occaſio proxima 969
actuum objectivè malorum, etiamſi hi actus fortè propter inadvertentiam non ſint peccata, tamen eſt ſub mortali obligatio emendandi ejuſmodi conſuetudinem; & quis hoc neglexerit, tenetur ſe accuſare de hac negligentia, Suar. Sanch. Laym. Reg. Lug. *à n.* 204. Diana *p.* 3. *t.* 5. *R.* 62. contra *J. Sanch. & Moyam.* Quandonam autem ejuſmodi actus etiam inadvertenter facti retineant ſuam malitiam objectivam, dictum eſt *l.* 5. *n.* 48.

§. 3. Etiam tum confitenda eſt conſuetudo, ſi 970
adhuc ſit volita, & pergat eſſe proxima occaſio relabendi, ſicuti enim, qui voluntariè, & advertenter per actus frequentatos contrahit conſuetudinem peccandi, quæ ipſi eſt occaſio proxima novorum peccatorum, peccat dupliciter, nempè ipſo actuali peccato, v. g. blaſphemiæ, deinde etiam contrahendo illam conſuetudinem, quæ erit cauſa proxima ſecuturarum blaſphemiarum objectivè malarum, ita etiam peccat dupliciter, qui blaſphemat, & voluntariè pergit augere vel retinere talem conſuetudinem, ideóque confitens dicere debet: blaſphemavi ſæpiſſimè & ita blaſphemando advertenter induxi aut emendare nolui conſuetudinem blaſphemandi, Sayr. Valent. Laym. Dicaſt. *d.* 9. *n.* 412. Spor. *in Decal. p.* 1. *t.* 1. *c.* 7. *n.* 54.

§. 4. Etiam aperienda eſt peccandi conſuetudo, 971
ſi Confeſſarius de ea interroget, uti conſtat ex prop. 58. ab *Inn. XI.* damnata. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*. Hinc opinio aliquorum, qui hoc negarunt, non eſt probabilis. Ratio eſt, quia Confeſſarius, imprimis tanquam Judex, habet jus cognoſcendi, an pœnitens ſeriò proponat emendare ſua paccata necne, item an non fortè adhuc ſit in occaſione proxima relapſuum, ergo habet jus interrogandi de conſuetudine peccandi, nam ubi hæc eſt, ſæpè deeſt propoſitum emendandi, aut remanet occaſio proxima. Deinde etiam ut meditus habet jus interrogandi, nimirum in ordine ad præſcribenda remedia emendandi talia peccata conſuetudinis, ideóque per accidens tum erit obligatio ſæpiùs indirectè ſaltem manifeſtandi eadem peccata.

§. 5. Si pœnitens ſit doctus ſimulque certus ſe 972
eſſe ritè diſpoſitum nec indigere conſilio Confeſſarii, putant plures cum Moya *à nu.* 13. tum non teneri reſpondere, ſed videtur tenendum oppoſitum cum Card. *in 2 criſi d.* 37. *à n.* 35. tum quia Confeſſarius habet jus ſe etiam ex parte ſua certificandi de iſtis, ergo pœnitens habet obligationem reſpondendi, tum quia pœnitens ſæpè falsò præſumit ſe ſatis doctum aut non ſubeſſe cauſam. Peccaret tamen Confeſſarius, ſi ex mera curioſitate hoc ipdagaret, neque pœnitens tum tenetur reſpondere. Nec debet Confeſſarius ad ſingula peccata inquirere; feciſtine hoc ſæpiùs? meritò enim tum præſumeretur de curioſitate inquirere, & ſi pœnitens tum teneretur ſemper reſpondere, poſſet Confeſſarius quandoque totam ejus vitam exprobrare, quod nimis durum eſt, & redderet confeſſionem meritò odioſam omnibus.

Q. 136. *An illa, quæ ex conſuetudine mortaliter mala poſteà inadvertenter fiunt, ſint confitenda?* 973
R.

R. §. 1. Rarò ista fiunt sine ulla advertentia malitiæ, aderit enim communiter advertentia saltem virtualis sive tenuis, & quasi imperceptibilis, quæ sicuti sufficit ad actu benè operandum, ita etiam ad actu peccandum.

974 §. 2. Si supponamus, quando ista fiunt, nullam prorsùs adesse advertentiam malitiæ, talia non habebunt ullam novam malitiam formalem, uti constat ex dictis *l.* 5. *à n.* 16. & consequenter cùm ista in se non sint peccata, nec externè compleant peccatum aliquod internum, sed tantùm sint effectus peccati, secundùm dicta *n.* 944. non est obligatio ista confitendi, sed satis est confessum esse vel confiteri actus antecedentes, per quos contracta est talis consuetudo vel neglecta ejus emendatio, Suar. *de juram. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 5 Sanch. *in Decal. l.* 3. *c.* 5 *n.* 33. Amic. *de peccat. d.* 22. *n.* 51. Dicast. *hic d.* 9. *à n.* 411. Quod verum est secundùm multos cum Dicast. *de juram. d.* 2. *n.* 198 quamvis consuetudo illa non sit retractata, tales enim v. g. blasphemiæ indeliberatæ non sunt voluntariæ, nec in se, uti supponitur, nec in causa, quia ista consuetudo non est quid voluntarium, quod pœnitens debeat aut possit statim à se depellere, sed est habitus naturalis necessario relictus ab actibus, qui habitus abjici non potest etiam à volente, & retractante. Addit *Dicast.* talem consuetudinem non videri semper esse causam vel occasionem proximam peccati; nam quandoque etiam fortiùs inclinant ipsamet complexio naturalis & concupiscentia ex peccato originali orta, neque tamen hæc necessariò debent positivè expelli aut retractari, sed satis est habere propositum se continendi à peccatis, ad quæ inclinant.

975 *Q.* 137. *An confitendæ sint circumstantiæ notabiliter aggravantes peccatum intra eandem speciem* R. Quales hæ sint, dictum est *n* 956. An autem confitendæ sint, disputant Authores, utrinque fermè æquè probabiliter, uti constabit ex seqq.

976 §. 1. Circumstantias illas non esse necessariò confitendas, docent *S. Thom. S. Bonav. S. Anton.* aliique probatissimi Authores plures quàm 45. quos refert, & sequitur Dian. *p.* 1 *t* 7. *R.* 1. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 67. item Averla *qu.* 10. *s.* 8 ad quos accedunt Palav. *c* 33. Dicast. *d.* 9. *n.* 180. Moya *t.* 3. *d.* 3. *à n.* 14. Haun. *c.* 8. *controv.* 2. Illsf. *à n.* 74. Stoz. *l.* 1. *p.* 1 *à nu.* 83. etiam plurimos referens. *Rationes* præcipuæ sunt, 1. quia Trid. *sess.* 14. *de pœn. c.* 5. volens docere, quid confitendum sit, tantùm loquitur de specie, & circumstantiis mutantibus speciem, ergo sufficienter innuit tantùm aggravantes non esse necessariò confitendas, alioquin non processisset doctrinaliter sed valdè mancè, sicuti, inquit Lugo *d.* 16. *n.* 108. qui doctrinaliter procederet, & explicaret, necessitatem confitendi peccata, semperque adderet, quæ mortalia sunt, sufficienter doceret venialia non necessariò esse confitenda, ergo *Conf.* nam *Trid.* expressè addit nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesia exigi. 2. Est contra praxim omnium Confessariorum, & pœnitentium, vel interrogare vel dicere circumstantias tantùm aggravantes, inquit Vasq. *q.* 19. *art.* 1. *dub.* 2. quod saltem verum est de circumstantiis se tenentibus ex parte actus, v. g. quamdiu duraverit actus peccati, quàm fuerit intensus, &c. quæ omnia etiam cognitu sunt difficillima, ergo non est obligatio hæc addendi, ergo nec alias circumstantias tantùm aggravantes se tenentes ex parte objecti: argumenta enim adversariorum æqualiter procedunt de omnibus, nam sicuti furtum 100. ducatorum moraliter æquivalet 100. furtis unius ducati, ita odium Dei per horam continuatú æquivalet pluribus odiis intra eandem horam repetitis. 3. Alioquin etiam teneberis explicare quantitatem materiæ detractionis, item an persona sit valdè honorata vel non, nec sufficeret dicere fui se absolutè gravem, item teneberis addere circumstantias notabiliter minuentes intra speciem mortalis, v. g. quòd feceris ex metu, cum aliqua passione, hæc autem sunt contra sensum communem, inquit Lugo *à n.* 112. ergo. 4. Certum est non omninò constare illas circumstantias esse confitendas, in dubio autem, an existat lex, non obligat, uti ex communi dictum est *l.* 1. *à n.* 272. Deinde cùm *Trid.* egerit de obligatione confitendi circumstantias, & non expresserit obligationem confitendi aggravantes, præsumendum est non esse, quia contra illum, qui Jus clarum dicere potuit & non dixit, interpretatio est facienda, uti ex Jure probat Moya *d.* 1. *q.* 5. *n.* 13.

§. 2. Circumstantias illas esse necessariò confiten 977
das, docent Authores non minus nobiles, inquit Carden. *in* 2. *crisi d.* 2. *n.* 1. quorum 25. adductis locis referunt *Diana & Averf.* suprà, inter quos sunt Alens. Caj. Suar. Sot. Henriq. Con. Sanch. *in Decal. l.* 2. *c.* 23. *n.* 39. vocans verissimam sententiam. Accedunt Steph. à S. Paulo, Semery, Tann. *qu.* 7. *num.* 53 referens plures, Arr. *d.* 32. *s.* 1. *& seq.* Amic. *d.* 13. *s.* 6. Gonet. *d.* 10. *ar.* 3. Plat. *num.* 783. Gorm. *p.* 2. *à num.* 139. Todtf. 98. §. 3. Bonæspei *de Peccat. d.* 4. *num.* 85. ubi *num.* 122. dicit sententiam hanc non esse quidem de fide, attamen attentis locutionibus *Tridentini* videri manifestè deduci ex principiis fidei, oppositam autem infirmis valdè, & parum *Tridentino* consonis inniti fundamentis. Vasq. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. fatetur hanc sententiam esse in scholis communem. Esparsa *q.* 90. *art.* 4 *ad* 8. tenet, si circumstantiæ se teneant ex parte objecti, esse confitendas, & addit oppositum suaderi non posse ratione aut indicio ullo sufficiente ad probabilitatem: si autem circumstantiæ se teneant ex parte actus, tenet non necessariò esse confitendas: & videtur idem sentire Spor. *num.* 410. & 422. sed idem viderur valere de utrisque circumstantiis. *Rationes* sunt 1. Authoritas *Catechismi Romani* qui jussu S. Pii V. conscriptus & ex Decreto *Trid.* editus, mentem *Trident.* optimè erit assecutus, sic autem habet *De pœnit. c.* 9. *Neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valdè augent vel minuunt.* Quòd autem loquatur de peccatis distinguendis secundùm circumstantias partim aggravantes partim mutantes speciem, patet in exemplo furti, quod subjicit his verbis: *Furtum etiam in peccatis numerandum est, verùm si quis aureum nummum furetur, leviùs omninò peccat, quàm is qui* 100. *vel* 200. *vel ingentem aliquam auri vim, præsertim verò qui sacram pecuniam abstulit.* Et addit: *Hæc igitur, ut diximus, enumeranda sunt, quæ verò pravitatem rei magnoperè non augent, sine crimine omitti possunt.* Accedit *Cap Consideret.* 1. *De pœn. dist.* 5. ubi inter cætera dicitur, pœnitentem debere considerare qualitatem criminis, quantùm in eo perseverarit: & ut agnoscat augmentum peccati, ut consideret cujus ætatis fuerit, cujus sapientiæ, &c. *quia,* inquit, *omnis ista varietas confitenda est.* 2. Hoc est confitendum, quod scire debet Confessarius prout Judex, & prout Medicus, uti manifestum est ex *Trident.* suprà, sed Confessarius prout Judex, & prout Medicus scire debet circumstantias etiam tantùm aggravantes. In primis ut Judex, quia debet judicare de gravitate criminum, & pœnam convenientem imponere, uti constat ex *Trident.* hæ autem circumstantiæ notabiliter augent malitiam, ideóque etiam notabiliter mutant judicium Confessarii, præsertim in ordine ad imponendam satisfactionem, uti manifestum est ex Canonibus pœnitentialibus, qui

habentur in fine Decreti Gratiani, in quibus designantur notabiliter diversæ pœnitentiæ pro peccatis ejusdem speciei, ob solas diversas circumstantias aggravantes, uti patet in casu 21.22.37.38. aliisque. Similiter debet Confessarius prout Medicus easdem circumstantias scire, alioquin non scitur status ægri: & sicuti debet Medicus corporalis, scire, v.g. an notabiliter diutiùs solito tenuerit febris, frigus vel æstus, ita Medicus animæ, uterque ideò, ut judicare possit de gravitate morbi, & opportuna præscribere remedia. *Si dicas*; satis esse, quòd Confessarius possit illa interrogare, & pœnitens teneatur fateri. *Contrà est*, nam pœnitens tenetur ea sponte sua dicere, super quæ Confessarius debet hìc, & nunc esse Judex vel Medicus, alioquin dicam nequidem teneri dicere, circumstantias mutantes speciem, nisi interrogetur: hinc 3. Pœnitens debet sua sponte hoc confiteri, quod mutat speciem peccati saltem moraliter, sive in æstimatione prudentum, uti manifestè colligitur ex contextu *Trid.* suprà, sed circumstantia notabiliter aggravans mutat moraliter speciem peccati, ergo. *Prob. min.* species peccati est apparentia, & æstimatio, quam de peccato concipere debent viri prudentes, nam species rei dicitur quasi facies & forma, secundùm quam res apparet & æstimari debet, sed circumstantia notabiliter aggravans mutat apparentiã, & æstimationem, quam de peccato concipere debent viri prudentes, ergo. *Prob. min.* Ponamus quartam partem aurei esse materiam levem: si furer medium aureum, hæc circumstantia aggravans mutat moraliter apparentiam, & æstimationem, quam de hoc secundo furto concipere debent viri prudentes, uti certum est, nam furtum quartæ partis aurei debebat apparere tantùm leve, & æstimari peccatum veniale, furtum autem medii aurei debet apparere grave, & æstimari esse peccatum mortale, uti supponitur, ergo si iterum furer 1000. aureos, hæc circumstantia aggravans debebit facere, ut hoc tertium furtum apud prudentes appareat, & æstimetur mortaliter aliud à furto medii aurei, minor enim est dissimilitudo quartæ partis aurei ad medium aureum, quàm medii aurei ad 1000. aureos, ergo. 4. Si furtum medii aurei semel avertit à Deo, furtum 1000. aureorum æquivalenter saltem decies avertit à Deo, & reipsa meretur odium Dei ac pœnam, quæ responderet saltem decem furtis medii aurei, cùm ille unicus actus moraliter æquivaleat illis pluribus, uti fatentur adversarii, similiter odium Dei continuatum per totum diem moraliter æquivalet pluribus odiis post retractatam voluntatem aliquoties repetitis intra eundem diem: multa autem furta vel odia ita repetita essent in confessione explicanda ratione numeri formaliter multiplicati, nec satisfacere dicendo, furatus sum mille aureos, habui odium in Deum, sed deberes addere, per tot vices, uti certum est, ergo similiter addere debes furtum fuisse 1000. aureorum, & odium fuisse ita diu continuatum. 5. Circumstantia, quæ speciem tantùm aggravat, sæpè addit majorem malitiam, quàm circumstantia, quæ speciem mutat, sic enim majorem apud Deum culpam, & pœnam incurrit, qui ex loco profano furatur 1000. quàm qui ex loco sacro furatur unicum aureum, ergo si sit obligatio addendi hanc circumstantiam loci, etiam erit obligatio addendi illam circumstantiam gravitatis. *Prob. conf.* quia quòd sit obligatio confitendi, quando mutatur species, inde non est, quia præcisè est alia species, sed quia cum alia specie accedit malitia notabiliter alia, si enim accederet nova species absque nova malitia, non esset obligatio exprimendi, uti omnes fatentur, ergo si accedat notabiliter nova alia malitia, quamvis non sit formaliter species, erit obligatio exprimendi. 6. Circumstantia aggravans est materia necessaria Confessionis, ergo debet exprimi. *Prob. anteced.* Si non esset materia necessaria, ergo qui furatus est 1000. non confitetur invalidè, si dicat se esse furatum unum aureum, quia furatus est illum unum, & quod reticet, non est materia necessaria confessionis, uti volunt adversarii; imò quamvis mentiretur, dicendo se esse furatum unum tantùm, tamen mendacium esset circa materiam non necessariam confessionis, ergo non ideò invalidaretur Sacramentum, secundùm dicenda *n.* 1177. hoc autem non concedent adversarii, ergo.

§. 3. Rationes, saltem aliquæ, pro utraque sen- 977
tentia sunt graves, sed rationes pro sententia affirmativa videntur esse graviores, hinc ad rationes pro negativa, R. *ad* 1. *Trid.* noluisse expressè definire quæstionem inter Authores controversam, attamen sufficientia jecit fundamenta pro parte affirmativa, nam per circumstantias mutantes speciem intelligit illas, quæ mutant vel formaliter ratione alterius planè malitiæ, vel æquivalenter seu moraliter ratione malitiæ ita aggravatæ, ut in æstimatione prudentum censeri debeat aliud quasi specie vel saltem aliud numero peccatum, ut in ratione tertia dictum est, & colligitur ex toto contextu *Tridentini*, omnis autem alia species, & numerus est explicandus, ergo. Ex *Conf.* nihil sequitur, uti fatetur *Lugo*: tantùm enim dicit nil exigi præter confessionem mortalium, quæ pœnitens agnoverit post diligens examen, ubi nullus est sermo de circumstantiis mutantibus speciem. *Ad* 2. Tann. *n.* 64. dicit praxim timoratorum stare pro nobis: si tamen sit praxis aliorum contraria, hæc procedit ex probabilitate sententiæ benignioris, quam plures antehac sequebantur. *Ad* 3. Admitto circumstantias notabiliter aggravantes, si facilè etiam à rudibus cognoscantur, etiamsi tantùm ex parte actus se teneant, esse addendas: intellige semper, si sint majores, quàm ordinariè soleant esse, ideóque non intelligantur per expressionem actus, minuentes autem pertinent ad ordinarium modum peccandi, hinc si nihil addatur, præsumi debent. Quòd si aggravantes ignorentur, aut si nimia foret difficultas in eis dignoscendis aut exprimendis, per accidens excusaberis, tantùm enim teneris ad hoc, quod moraliter potes: monetque rectè Tann. *n.* 63. ne Confessarii sint circa illas inquirendas nimii, sed potiùs relinquant pœnitentes suæ opinioni. *Ad* 4. Nego hìc esse purum dubium de lege, nam major est probabilitas pro lege, ergo etiam probabilius est esse obligationem legis, nec plùs volumus. Quod *S. Th.* attinet: quamvis *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 2. *quæstiu.* 5. aliisque pluribus locis apud Moyam *suprà nu.* 14. videatur satis clare sententiam negativam, ideóque ipsius authoritas addat multum ponderis, tamen non tenet illam ut absolutè veram, sed tantùm ut probabiliorem: & quia hæc scripsit junior, putarunt *Sotus & Canus* apud *Moyam* mutaturum fuisse sententiam, si suæ Summæ ultimam manum imposuisset, sed hoc valdè incertum est. Quòd autem Gonet. *nu.* 58. & Gormaz. *nu.* 147. & 174. aliique conentur eum explicare pro se, vix persuadebunt legenti, ut ostendunt Moya *à n.* 17. & Illf. *n.* 77.

De tota quæstione videri etiam potest Arriaga *d.* 32. per quatuor Sectiones, ferè propugnans hanc sententiam affirmativam.

Q. 138. *An opinio negans circumstantias aggravan-* 978
tes esse confitendas, sit nunc damnata pro praxi? R. Aliqui affirmant, quia *Inn. XI.* declaravit sequendam esse

esse sententiam tutiorē, quando agitur de valore Sacramenti, hìc autem videtur agi de valore Sacramenti: nam cùm confessio integra sit pars essentialis Sacramenti, si omittantur circumstantiæ aggravantes, probabile est confessionē non fore integram sed defuturā partem essentialē Sacramenti, ergo. E contrà alii cum Card. *in 2. crisi d. 2. n. 107.* rectè docent sententiam illam non contineri sub damnatione, quia sequendo illā, Sacramentum non exponitur periculo nullitatis, certum enim est ad valorem non requiri confessionē materialiter integram, sed sufficere integram formaliter, qualis hìc erit, ergo quamvis opinio negans circumstantias illas esse confitendas coram Deo esset falsa, Sacramentum adhuc esset validum, uti validum est, si quis ex oblivione omittat peccatum vel circumstantiam, quæ mutat speciem, aut si omittat bona fide putans se non teneri confiteri, idem enim est, inquit Lug. *d. 19 n. 31.* non recordari alicujus peccati vel ignorare obligationem confitendi illud. Atque ex his infertur, quòd neutra opinionum probabilium, quarum una affirmat, alia negat peccata aliqua differre specie, subjaceat damnationi, v.g. sententia, quæ dicit delectationem morosam circa personam liberam & circa conjugatam non differre specie, quamvis sit minus tuta, non ideò est damnata pro praxi, quia si fortè falsa est, nihilominus relinquit confessionem formaliter integram, & reliquas ejus partes essentiales, ergo non exponit Sacramentum periculo nullitatis, sed manet practicè probabilis.

979 *Q. 139. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra fidem, spem, charitatem?* R. §. 1. Errores vel dubia circa fidem sunt ejusdem speciei, in quacumque materia sint, Regin. Dian. *p. 1. t. 7. R. 46. p. 11. t. 7. R. 34.* Less. *in Auct. v. Confessio cas. 9.* Hinc qui dubitavit, semel de Eucharistia, semel de Purgatorio, semel de æternitate animæ, satisfacit dicendo, ter dubitavi in fide quia tota malitia consistit in hoc, quòd non satis tribuatur authoritati Dei, quæ est eadem in omnibus. E contrà tamen culpabilis ignorantia mysteriorum fidei, error in fide, & positiva hæresis cum pertinacia distinguuntur specie.

980 §. 2. Probabilius est cum *Suar. Sanch. Castrop.* & aliis apostasiam à fide specie differrē ab infidelitate, tum quia deficiendo à fide læditur speciale jus, quod Ecclesia per Baptismum acquisiverat in personam hominis fidelis, tum etiam quia est specialis irreverentia contra caracterem Baptismi, si deseratur fides in eo suscepta, cujus veluti sigillum est iste caracter, attamen non est opus hoc exprimere in confessione, hoc ipso enim quòd aliquis confiteatur se defecisse à fide, intelligitur, quòd fecerit post Baptismum, quia peccata ante Baptismum facta non sunt materia confessionis. Quòd si quis post susceptam Confirmationem deficiat à fide, putat Card. *in 2. crisi d. 30. nu. 55.* accedere speciem irreligiositatis per hoc, quòd, cùm Confirmatio specialiter det auxilia gratiæ ad retinendam fortitudinem in suscepta ac defendenda fide, ideò obligat ad excludendam infidelitatem, ipse contra eam gratiam peccet eamque admissa infidelitate destruat; sed ratio ista non videtur firma, aliquin etiam erit speci is irreligiositas, si quis gratiā in Sacramento Pœnitentiæ in ordine ad emendanda peccata acceptam iterum abjiciat per eadem peccata repetita. Si tamen defectio fiat post professionem fidei juratam, accedit species sacrilegii, propter juramentum, quod frangitur.

981 §. 3. Defectio à fide ad Judaismum, Paganismum hæresim, specie inter se distinguuntur, Lug. *d. 16. n. 291.* Dicast. *d. 9. n. 556.* cum communi contra alios. Ratio est, quia hæ sectæ ob diversos ritus valdè diversam habent oppositionem cum religione, Judaismus per superstitiosam observantiam, Paganismus per idololatriam, hæresis per alia ab his specie distincta peccata. Hinc etiam si quis vellet potiùs deficere ad hanc hæresim quàm illam, si hæ hæreses inducant ad diversa peccata, vel habeant ritus notabiliter diversos religioni oppositos, etiam hæreses inter se distinguentur specie. & ita docent *Lugo & Dicast.* Calvinismum, qui habet ritum invalidi Sacramenti Eucharistiæ, distingui specie à Lutheranismo. De mendacio circa fidem dicetur *n. 1095.*

§. 4. Peccare cum spe veniæ, vel cum proposito 982
confitendi, vel contra vehementissimam inspirationem, vel contra firmissimum propositum non peccandi, non inducunt novam speciem, ideóque sufficit dicere simpliciter peccatum, Comit. Lug. Tamb. Dicast. *n. 703.* Spor. *n. 216.* Si tamen qui peccet, quia sperat Deum facilè remissurum, accedit nova species, quæ est præsumptio de misericordia Dei. Si ideò iterum peccet, quia jam ante illud peccatum commiserat, & putat utrumque eadem facilitate per unicam confessionem remittendum, erit error & præsumptio de eadem misericordia Dei.

§. 5. Si quis peccet mortaliter, v.g. furetur rem 983
notabilem, non intendens quidem, attamen advertens, quòd per hoc sibi inferat mortem spiritualem animæ, Arr. *de Peccat. d. 44. n. 13.* & Bonæsp. *de Peccat. d. 8. n. 31.* dicunt contrahere novam speciem contra charitatem propriam. Idem dicit Oviedo *de Peccat. controv. 2. n. 59.* quamvis peccans priùs fuisset in uno mortali, quia qui faceret aliquid, advertens propter hoc sibi inferendam mortem aut gravissimam pœnam corporis, item qui per prodigalitatem se spoliaret maxima parte bonorum, secundùm S. Th. *2. 2. q. 119. a. 3.* specialiter peccaret contra charitatem propriam, ergo multò magis hìc. Aliqui rationi. illi non acquiescunt, aliàs, inquiunt, qui peccaret venialiter, hoc ipso peccaret mortaliter, quia infert sibi majus malū quàm sit omnis pœna corporis, & quàm sit carentia omnium bonorum temporalium: quidquid sit de hoc saltem probabilius est cum *Vasq. Less.* & aliis per hoc non contrahi specialem malitiam, quæ in confessione explicari debeat, quia hoc est commune, & veluti imbibitum in omni mortali, quod ideò cognoscitur esse mortale, quia infert mortem animæ: ideóq; est circumstantia veluti transcendens, quæ satis intelligitur. Et hæc etiam est ratio, cur occidens alium coram Judice, à quo ideò suspendetur, peccet contra charitatem propriam, uti habet communis contra Tann. *de peccat. d. 4. q. 3. n. 72.* & occidens alium coram Deo, à quo ideò damnabitur, non ideò peccet contra charitatem propriam peccato in confessione explicando, quia nempè damnari à Deo est commune, & proprium omni homicidio, non item suspendi. Docent tamen Arr. & Bonæspei *de peccat. d. 5. nu. 127.* si quis ob certum peccatum incurrat excommunicationem, debere hoc specialiter addere in confessione, quia contra charitatem propriam est se privare specialibus istis bonis, scilicet communione fidelium, suffragiis Ecclesiæ, jure ad sepulturam, &c. quamvis in hoc iterum contradicat *Tann.*

§. 6. Quis inducit alterum ad mortale, contra- 984
hit saltem duplicem speciem malitiam, imprimis contra charitatem proximi, cui causat ruinam spiritualem, deinde malitiam illius peccati, ad quod fit inductio: hinc qui induxit ad furtum, non satisfacit dicendo, fui alteri causa gravis peccati, sed addere debet, furti; & idem est de aliis materiis: Ratio est, quia singulæ virtutes obligant, ne directè procuremus aliquid contra se agi, ut rectè Bonac. & Tamb. *de conf. l. 2. cap. 7. num. 14.* cum communi. Et propter hoc putat *Oviedo*, quòd consulens homicidium plùs peccet, quàm ipsemet homicida, quia

consulens est moraliter homicida, & simul peccat contra charitatem: sed alii dicunt peccare quidem plùs extensivè, non tamen ideò plùs intensivè, quia cùm consilium revocari possit vel nihil persuadere, non est ita efficax nec proximè attingit vitam proximi, uti occisio. Quidquid sit de hoc, de quo videri potest Dicast. *num.* 533. rectè probant Lugo *num.* 140. & Dicast. *à num.* 270 contrahi diversam speciem malitiæ, imprimis primariam contra virtutem, ad quam fit inductio, uti dictum est; deinde contra eandem virtutem adhuc aliam secundariam specie distinctam à priori, quia hoc ipso, quòd alter habeat præceptum, v. g. non furandi, Jure naturæ in aliis hominibus resultat obligatio non inducendi ad furtum; hinc inducens contrahit malitiam primariam contra virtutem justitiæ, quæ obligat ad non procurandam sui violationem, deinde secundariam, non cooperandi alteri in peccato injustitiæ: utraque tamen hæc malitia sufficienter explicatur dicendo, induxi aliquem ad grave furtum.

985 §. 7. Si inductio fiat ad actum inducenti & inducto communem, v.g ad turpe colloquium, Castr. *t.* 23. *p.* 9. *n.* 12. Tamb. *c.* 4. *nu.* 3. Burgh. *cent.* 1. *cas.* 70. putant non esse specialiter contra charitatem proximi, adeóque opus non esse addere, an fuerit inducens an inductus, quia videtur esse ejusdem speciei, sive præveniendo sive tantùm cooperando causare ruinam proximi. Sed oppositum videtur probabilius, longè enim major est difformitas, & imputabilitas dedisse causam peccato alias non futuro, quàm post causam aliunde datam esse cooperatum.

986 §. 8. Si scandalum, quod datur de mortale, sit tantùm indirectum, id est, si non intendatur peccatum proximi, sed tantùm prævideatur secuturum ex mea actione, Less. Salas, Hurt. Lug. *à n.* 159. Tamb. *c.* 1. *nu.* 105. dicunt peccari tantùm contra charitatem, ideóque satis esse dicere, quòd fueris causa gravis peccati alterius, tacendo quod fuerit v. g. in materia castitatis, quia castitas aut quævis alia virtus non videtur obligare, ut cáveamus alienas prævaricationes circa ipsas, sed tantùm ne positivè ad eas inducamus. E contrà Laym. Bonæspei Oviedo *de peccat contr.* 2. *à n.* 96. Steph. *t.* 3. *d.* *n.* 70. Dicast. *n.* 336. & alii dicunt adhuc contrahi speciem peccati, ad quod datur scandalum, quia talis saltem interpretativè vult peccatum alterius, volendo sine justa causa ponere aliquid, ad quod prævidet illud secuturum, ergo contrahit ejus malitiam in confessione explicandam, & hanc sententiam etiam in praxi tenendam esse dicit Gob. *in Quin. t.* 5. *c.* 13. *n.* 62. licèt priorem defendat ut probabilem.

987 §. 9. Ex dictis sequitur. Si sermone vel facto turpi dedisti scandalum præsentibus, teneris addere, quales fuerint hæ personæ; si per hoc in illis diversa peccata causasti, nam contraxisti easdem malitias, quas causasti in illis, hinc si causasti turpem delectationem in Religioso, contraxisti malitiam sacrilegii, si causasti turpe desiderium in conjugato, contraxisti malitiam adulterii, & ita de aliis, quia peccasti contra illas virtutes, quæ obligabant te, ne aliquem ad earum transgressionem induceres. Addit *Spor* si v. g. Parochus det parochianis scandalum peccare etiam specialiter contra justitiam, quia ratione officii ex justitia quadam legali tenebatur eis prælucere bono exemplo, quod tamen Dicast. *n.* 598. negat de Confessario peccante cum suo pœnitente extra confessionem, v. g. furante cum illo, nam tum est extra obligationem sui muneris.

988 §. 10. Quando nihil facio, per quod directè vel indirectè inducam proximum in peccatum, sed hoc habeo negative & tantùm non impedio ipsius v. g. furtum, potero quidem peccare contra charitatem, si peccatum non impediam, quando commodè possim, secundùm dicta *l.* 2. *num.* 208. attamen non contraho speciem malitiæ contra justitiam, vel virtutem, contra quam peccat proximus, quia hæ virtutes me non obligant, ut illas positivè in altero procurem, sed tantùm ne directè vel indirectè inducam ad illarum violationem, Suar. Con. Lug. Dicast. *n.* 339.

§. 11. Susurratio, qua dissolvis amicitiam inter 989
propinquos v. g. inter patrem & filium, habet speciem distinctam malitiæ ab ea, qua dissolvis amicitiam inter non propinquos, quia prior non tantùm opponitur charitati, sed etiam pietati.

De peccatis alienis plura dicentur *à n.* 1131.

Q. 140. *Quomodo distinguenda sit species in pec-* 990
catis contra primum præceptum Decalogi? R. §. 1. Superstitio cum pacto explicito distinguitur specie ab ea, quæ est cum implicito tantùm & tacito, quia longè diversa malitia est expressè dæmonem invocare, quàm facere aliquid, propter quod dæmon se ingerat, Sanc. Bon. Castr. *t.* 17. *d.* 1. *p.* 3. *n.* 11. & alii contra Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 66.

§. 2. Divinatio est ejusmodi speciei, si fiat per 991
aves, stallas, aquam, &c. nam materialiter se habet instrumentum, Less. Dian. Stoz. *l.* 1. *p. n.* 65. Si autem sacra misceantur profanis, accedet species sacrilegii contra religionem.

§. 3. Idololatria tantùm externa distinguitur 992
specie ab ea, quæ simul est interna, quia cum hac adest stricta hæresis vel infidelitas.

§. 4. Simonia juris naturalis sive divini specie 993
distinguitur à simonia juris tantùm Ecclesiastici, hinc si quis emerit unum Beneficium Ecclesiasticum & alterum propria authoritate permutarit, non satisfacit dicendo, bis commisi simoniam, quia notabiliter pejus & turpius est rem temporalem æquiparare & commutare cum spirituali, quàm spiritualem cum spirituali.

§. 5. Fictio externa simoniæ, ut alter sic induca- 994
tur v. g. ad dandam pecuniam pro Beneficio, quamvis non habeat speciem primariam simoniæ, habet tamen speciem mortalis cooperationis ad eam, ut ab altero committendam, secundùm dicta *l* 3. *p.* 1. *n.* 200.

Q. 141. *Quomodo distinguenda sit species in pecca-* 995
tis contra secundum præceptum Decalogi? R. §. 1. Suar. Sess. Sanc. Tur. Regin. Lug. *d.* 16. *à n* 279. Dic. *n.* 536. & 539. Oviedo *de pecc. contr.* 5. *n.* 28. dicunt blasphemias in Deum, B. Virginem, & Sanctos distingui specie, sicuti distinguuntur Latria, Hyperdulia & Dulia, quia sunt cultus illis debiti, contra quos peccatur per illas blasphemias, Cajet tamen Dia. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 50. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 21. & alii dicunt esse ejusdem speciei, quod *Tamb.* probabile putat quia cùm B. Virgo & Sancti honorentur propter respectum ad Deum, etiam sic inhonorantur, adeóque omnes blasphemiæ sument speciem ab uno eodemque Deo in se vel suis Sanctis inhonorato: utraque sententia est probabilis, prima tamen communior. Quòd si blasphemia sit simul hæreticalis, accedet species sacrilegii contra religionem. *Nec refert*, quòd fortè non seriò proferatur, *nam* præceptum non negandi externè fidem obligat ad non dicendum aliquid, quod sit contra veritates fidei, Lugo *nu.* 279. Dicast. *n.* 537.

§. 2. Juramenta per Deum, Sanctos vel alias crea- 996
turas sunt ejusdem speciei, quia in omnibus idem Deus vocatur in testem, si enim sola creatura vocaretur in testem, non esset propriè juramentū, Lug. *n.* 287.

§. 3. Castrop. *t.* 14. *d.* 1. *p.* 2. *n.* 7. dicit perjurium as- 997
sertorium specie differre à promissorio, quia in promissorio Deus invocatur etiam ut fidejusor, id est, ut authoritatem præstet pro eo, quod jurans sit rem executurus, sed contradicunt Caj. Valent. Suar. *de juram. l.* 1. *c.* 9. *n.* 1. quia in promissorio tantùm invocatur

Deus

Deus ad firmandum, quod aliquid sit futurum, ideóque Dic. *de juram. d. 2. nu. 161.* rectè dicit non esse necesse Deum interponi ut fidejussorem, sed tantùm ut testem animi præsentis de re præstanda; uti fit, dum quis promittit aliquid coram testibus.

998 §. 4. Perjurium execratorium videtur specie distingui à perjurio simplici, quidquid contradicat *Less.* Scuti blasphemia execratoria à blasphemia simplici, secundùm Dic. *de pœn. d. 9. n. 538.* qui enim addit execrationem, ille sibi præterea imprecatur malum, quod quamvis non omninò seriò faciat, tamen vel ideò meretur eo malo affici, sicque agit specialiter contra charitatem propriam volendo sibi malum illud extraordinarium.

999 §. 5. Jurare quod non vis adimplere, quod scis esse falsum de quo dubitas an sit falsum, secundùm communem cum Dic. *de juram. d. 2. n. 111.* sunt peccata quoad rem ejusdem speciei, expedit tamen de his seorsim interrogare pœnitentes, quia pauci apprehendunt esse ejusdem speciei, & in ordine ad confessionem videtur esse notabiliter major deformitas vocare Deum in testem rei, si sciat esse falsam, quàm si tantùm dubitet: tum enim posset esse vera.

1000 §. 6. Vota facta de diversis rebus, quæ aliunde non sunt præceptæ, vel prohibitæ, sunt ejusdem speciei, nisi vovens voluisset materiam, quam vovit, ponere in materia illius virtutis, ex cujus motivo vovit, secundùm dicta *l. 1. n. 628.* Hinc qui vovit jejunare, cilicium ferre, orare Rosarium, & nihil horum servavit, satisfacit dicendo: Ter sum transgressus grave votum, Dic. Lug. *n. 255.* Gob. *in Quin. t. 5. c. 13. n. 65. & in Exp. t. 11. n. 23.* Notat tamen rectè Lug. *n. 283.* si in cultum Sancti præcisè voluisses huic Sancto aliquid promittere, non fore ejusdem speciei nec propriè votum, quia non esset promissio Deo facta, ideóque ejus transgressionem habituram esse malitiâ speciei distinctam à transgressione Voti; ordinariè tamen quando quis vovet Sancto, censetur velle vovere Deo, uti notant Suar. Less. Lug. Dic. *in Pœn. d. 9. n. 544.*

1001 §. 7. Si ex motivo temperantiæ voveris, & præterea superior ex eodem motivo imperet, ut jejunes pridie S. Andreæ, si non jejunes, erunt tria specie peccata, 1. contra temperantiam rationæ præcepti Ecclesiæ. 2. Contra fidelitatem Deo debitam ratione voti. 3. Contra obedientiam ratione præcepti Superioris. *Nec obstat*, quòd tu voveris, & Superior imperarit, ex eodem motivo temperantiæ, nam adfuit utrobique aliud motivum intrinsecum, nempè in voto, ut exhiberes fidelitatem Deo, in præcepto, ut exhiberes subjectionem Superiori.

1002 §. 8. Si votum fuerit juratum, transgressio illius erit duplex specie peccatum, tum ratione voti contra religionem, tum ratione juramenti contra fidelitatem, uti explicatum est in *l. 3. p. 1. n. 305.* & quoad rem consentiunt Tamb. Stoz. *l. 1. p. 1. n. 52.*

1003 §. 9. Transgressio voti pœnalis secundùm speciem est diversimodè confitenda, prout votum fuerit diversimodè factum, nam qui vovit jejunium, si furaretur, confitens furtum tacere potest votum, dummodò expleverit. Qui vovit non furari, & si furetur, jejunare, confitens furtum addere debet fuisse votum non furandi. Qui vovit, vel non furari, vel si furetur, jejunare, confitens furtum tacere potest de voto, uti dictum est *l. 3. p. 1. n. 471.*

1004 *Q.* 142. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra tertium præceptum Decalogi?* R. Dicetur *à n.* 1102. quando de præceptis Ecclesiæ.

1005 *Q.* 143. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra quartum præceptum?* R. §. 1. Odium, detractio, irrisio, contumelia, & similis injuriæ factæ contra parentes, sunt diversæ speciei ab injuriis proximo factis, quia sunt contra pietatem, quæ obligat ad specialem reverentiam, obsequium, cultum erga illos, Dic. *d. 9. à n. 572.* Nomine parentum autem veniunt etiam avus & proavus, Lug. *d. 16. à n. 298.* Tamb. *de confes. l. 2. c. 5.* Non atavus vel tritavus, quamvis etiam illis aliquid deberi, meritò putat Dicast. *n. 582.*

1006 §. 2. Si actio contra parentes facta non adverse tur pietati, non est diversæ speciei, unde nec opus erit in confessione dicere hoc parenti factum esse, & sic est furtum, quod, per se loquendo, pietati erga parentes non adversatur, nisi fortè hi per illud venirent in periculum paupertatis.

1007 §. 3. Sunt injuriæ specie diversæ, quas pater infert filiis, & quas nepotibus; item quas conjux conjugi, quia isti omnes debent sibi specialem amorem.

1008 §. 4. Injuria à patre facta filio distinguitur specie ab injuria à filio facta patri, aut à viro facta conjugi, unde Titius qui patri, filio & conjugi fuit injurius, non satisfacit dicendo, tribus propinquis feci gravem injuriam, sed explicare debet personas singulas, quia licèt omnia sint contra pietatem, tamen in singulis est diversa deformitas ratione diversi tituli conjunctionis, in quibus fundantur diversæ obligationes ad singulos. Et hinc etiam injuria facta fratri vel sorori differt specie ab ea, quæ fit parentibus: & ob conjunctionem sanguinis etiam differt ab ea, quæ fit extraneis. Injuria tamen facta fratri non differt specie ab ea, quæ fit sorori, quia est conjunctio similis. Et universaliter putant Lug. & Dicast. *nn. 584.* non quamvis injuriam contra fratrem aut sororem habere malitiam contra pietatem, sed debere esse valdè gravem & atrocem.

1009 §. 5. Si fiat contra alios propinquitatis gradus, non ideò contrahitur nova species in confessione explicanda, Dicast. *n. 586.* Uti si fiat contra Sacerdotem, Dicast. *nu. 589.* excepta percussione aut simili inhonoratione, per quam excommunicatio incurritur, tum enim ex addita pœna colligimus talem actionem specialiter prohiberi ab Ecclesia ex motivo religionis, Lugo *n. 310.*

1010 §. 6. Si injuria fiat in Superiorem ut Superior est, additur nova species, hinc si quis formali contemptu vel præcepti vel præcipientis transgrediatur præceptum quamvis de se leve, uti si ideò transgrediatur, quia prohibitum est, quia hic vel ille Superior prohibuit, peccat graviter, secundùm dicta *l. 5. à nu. 237.* & addere debet in confessione, nam præter inobedientiam respectu præcepti adest malitia contra reverentiam, & observantiam Superioribus debitam. Rectè tamen notat Lug. *n. 309.* si peccatum non tangat Superiorem ut Superior est, v.g. si revelet secretum, quod Superior tanquam amicus ipsi commisit, non ideò addi novam speciem malitiæ.

1011 §. 7. Si superior habeat duplicem potestatem imperandi, unam ratione jurisdictionis, alteram ratione voti, quo subditus se obligavit ad illi obediendum, si hic subditus non obediat, peccat dupliciter, nempè contra jurisdictionem & contra votum. Quamvis autem Superiores regulares habeant potestatem jurisdictionis immediatè à Papa, & religionis ex vi voti facti à subditis, communiter tamen nolunt obligare, nisi ex vi voti, & non addunt se imperare *in virtute sanctæ obedientiæ*: Quòd si addant gravem pœnam, v. g. dicant *& sub excommunicatione*, probabiliter dicunt Hering. Con. *d. 7. dub. 5.* Bonac. *p. de pec. d. 5. n. 40.* Palav. *de pec. d. 9. q. 2. ar. 2.* Dic. *de conf. d. 2. dub. 22.* contra *Vasq. Castr. Oviedo*, ex addita tali pœna colligi debere, quòd velint per potestatem jurisdictionis non tantùm urgere eandem rem, sed etiam addere novam vim obligativam.

1012 §. 8. *Si aliquis* non sit verè superior, quia non habet

habet jurisdictionem in foro externo, sed tantùm vim obligandi ex voto, uti Confessarius, cui sæcularis pœnitens vovit obedire in omnibus, quæ judicaverit suæ saluti convenire, tum certum est solùm peccare contra votum, quia non potest præcipere, ergo nec peccat contra obedientiam, prout hæc supponit jurisdictionem distinctam, indeque ad rem à Confessario præscriptam tantùm tenebitur ex obligatione fidelitatis servandæ Deo, Castrop. *de pec. d.3.p.3.n.13.* Dicast. *De pœn. d. 9.à n. 358.*

1013 Lex & præceptum Superioris facere potest, ut actio præcepta vel prohibita spectet ad illam virtutem, ex cujus motivo præcipitur aut prohibetur aliquid, uti explicatum est *l.1.à n.624. & l.5.à n.137.* Putatque Stoz. *l.1.p.1 n.52.* Superiores regulares semper præcipere ex motivo virtutis, aù quam spectat actus, quem præcipiunt. V. *l. 1. n. 628.*

1014 §. 10. Si quid fiat contra benefactorem, non ideò additur nova species, quia obligatio gratitudinis est libera. Casus tamen aliquos afferunt Caj. Con. Turr. Lug. *n. 311.* Dicast. *n. 385.* in quibus ratione magnæ beneficentiæ videtur mutari species.

1015 *Q.144 Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra quintum præceptum?* R. §.1. Si occidens præterea discerpat cadaver, præscindat membra, evellat cor, &c. additur specie distincta malitia, nempè feritatis, Suar. Lug. Tamb. Stoz. *l.1.p.1. n. 71.* Quod etiam aliqui dicunt de eo, qui bestiam, v. g. canem merè ad se oblectandum aut ad ostendendum dominium, quod habet in bestias, excoriat, vel assat vivum, hìc enim est species inhumanæ crudelitatis.

1016 §. 2. Accedit species sacrilegii, si fiat occisio vel gravis & injuriosa percussio personæ sacræ, aut si cum effusione sanguinis fiat in Ecclesia, in qua si fiat percussio laici sine effusione sanguinis, probabile est non fore sacrilegium, quia canon tantùm loquitur de illa percussione, quæ fit cum effusione sanguinis, & quidem enormi, ita ut non sufficiat aliquot guttas affluere, Lug. Stoz. *n.57.* Aversa. *q.10.s.12.* Tamb. *de conf. l.2. c.6.n.4.* Attamen etiam probabiliter dicunt Fagund. & Dic. *d.9.n.660.* non tantùm per illa, per quæ execratur aut polluitur Ecclesia, contrahi specialem malitiam sacrilegii, sed etiam per alia quæ specialiter dedecent & notabiliter inhonorant locum sacrum, uti essent publicæ pugnæ, percussiones hominum, contumeliosæ rixæ mulierum, inductio equorum velut in stabulum, exoneratio ventris & similia, sicuti enim ejusmodi actiones haberent specialem indignitatem, si fierent in conclavi Regis, ita si fiant in loco sacro, maximè si expositum sit, vel ibi asservetur Venerabile.

1017 §. 3. Diversæ speciei est occidere vel percutere personam proximè junctam sanguine, uti constat ex dictis *à n. 1005.*

1018 §.4. Velle occidere distinguitur specie à velle tantùm graviter vulnerare, quia sunt contra diversa jura, nempè ad vitã & ad integritatẽ corporis, Stoz. *nn.587.* Similiter imprecari mala diversi generis, uti sunt mala in fortunis, in honore, in corpore, in anima, sunt peccata specie distincta, uti specie distinguerentur damnificationes: quia essent læsiones diversi juris vel boni. Oviedo *de pec. contr. s. n.29.* Si tamen aliquis imprecatus sit alicui semel, ut frangat collum, semel ut diabolus illum auferat, semel ut esset damnatus, &c. ordinariè satisfaciet dicendo, ter imprecatus sum alicui grave malum, quia talis imprecans ordinariè non distinguit inter illa mala, sed ideò imprecatur, quia in genere malum est.

1019 §. 5. Si odium sistat in mero desiderio inefficaci sine voluntate inferendi malum, quod tantùm quasi fovetur, erunt unius speciei desiderare proximo paupertatem, infamiam, mortem, & satisfit dicendo, ter desideravi proximo grave malum aut gavisus sum de malo gravi proximi, quia cùm sistatur in voluntate inefficaci, nec lædatur aut optetur lædi jus particulare, erit tantùm contra charitatem in genere, quia non debemus velle malum proximo, Lug. *d. 16. n. 259.* Dicast. *n. 498.* & alii contra *Molin. Suar. Sylv. Con.* & alios.

§. 6. Tamb. *n. 11.* putat ejusdem speciei esse de- 1020
lectari de magno malo proximi, & habere displicentiam de magno bono illius, quia unum in alio imbibitur, hinc dicit sufficere, si dicat: bis circa bona vel mala proximi graviter læsi charitatem per malam voluntatem: sed faciliùs & clariùs erit, si dicat: semel gavisus sum de malo, & semel dolui de bono magno proximi.

Q.145. Quomodo distinguenda sit species in pec- 1021
catis contra sextum, & nonum præceptum? R. Quàm necessarium est de his multa speculativè scire, tam periculosum est discere vel docere, do, quantum sufficiet, ut opus non sit in aliis libris majores sordes scrutari. Et quia opus est scire, quid voces significent, *Lector*, inquit Gerson *p. 2. n. 33. litt. A. obscœnitatem materiæ ac verborum excusatam habeat: Præparet se*, inquit idem *n. 38. litt. A. audire castè id, quod quod pro castitatis cognitione necessitas cogit aperire:* omnia munda mundis.

§.1. Interna tantùm delectatio sive complacen- 1022
tia in objecto turpi, dicitur morosa delectatio turpis. Voluntas faciendi aliquid turpe, dicitur desiderium turpe. Excitatio partium pudendarum aut spirituum genitalium circa illas, dicitur motus, commotio, delectatio venerea. Tactus, oscula, aspectus, lectio locutio de rebus turpibus, si fiant propter delectationem veneream, etiam dicuntur venerea. Effusio seminis extra vas naturale dicitur pollutio sive mollities. Effusio seminis necdum perfecti dicitur distillatio. Si cœat solutus cum soluta, est fornicatio, si cum alieno conjuge, est adulterium: si cum persona sacra, est sacrilegium: si cum consanguinea vel affine in gradu dirimente Matrimonium, est incestus, si cum virgine invita, est stuprum: si cum virgine vi ablata, est raptus Si cœat mas cum mare, vel fœmina cum fœmina, est sodomia perfecta, si mas cum fœmina in vase non naturali, est sodomia imperfecta: si homo cum bestia, est bestialitas, ad quam reducitur coitus hominis cum dæmone humanam formam assumente: si vero singula autem ista peccata sunt de se mortalia & ab invicem specie distinguuntur, ut jam magis decla rabo.

§. 2. Delectationes morosæ turpes tunc distin- 1023
guuntur specie, quando versantur circa objecta turpia notabiliter diversa in genere moris, quia specificantur ab objectis, secundùm dicta *l. 5. nn. 128.* Hinc si delectatio sumatur de aliqua etiam circumstantia ut tali, contrahit ejus malitiam, v. g. si quis purè morosè delectetur de copula cum sorore, in quantùm soror est, contrahit malitiam incestus nec satisfacit dicendo: delectatus sum copula cum aliqua, sed addere debet cum sorore, uti communissimè omnes cum Arr. *de pec. d.47.n.23.* & Rhod. *de pec. d. 1.q.3.s 3* §.4. Ratio est, quia singulæ illæ delectationes formaliter respiciunt delectabilitates diversas, à quibus specificantur. Raro tamen fit, ut ejusmodi circumstantiæ refundant distinctam malitiam, cùm specialem delectabilitatem vix habeant.

§.3. Si delectatio morosa materialiter tantùm fera- 1024
tur in talem circumstantiam tenentem se ex parte objecti quæ ideò non sit expresè vel directè volita, v.g si quis delectetur copula, cogitando ac si peccaret, aut quomodo peccaverit cum Religiosa aut cum conjugata, ita tamen ut nec ne desideret copulam, nec delectetur illa prout est cum Religiosa aut conjugata, multi adhuc cum Sanch. *in Dec. l.1.c.2.n.11.* Lessio

l. 4. c. 3. nu. 123. Lug. *d.* 16. *à nu.* 363. Bon. *de Matr. qu.* 4. *p.* 8. *num.* 19. dicunt refundi malitiam specialem illius circumstantiæ, quæ est persona sacra vel conjugata, ideóque hoc esse exprimendum in confessione, uti sententias referunt Arr. *à n.* 25. & Diana *p.* 1. *t.* 7. *R.* 48. sed sententia negans est practicè probabilis, quam defendunt Angel. Pesant. Vasq. Sà, Regin. Fill. Bonac. Con. Salas, Sayr. Hurt. Castrop. *t.* 2. *d* 2. *p.* 10. §. 4. Tann. *de pecc. d.* 4. *qu.* 8. *à nu.* 148. Rhodes suprà, Aversa *q* 10. *s.* 9. §. *Quæ.* Oviedo *de peccat. contr.* 4. *n.* 57. Dicast. *d.* 9. *à n.* 11. Carden. *in* 1. *crisi d.* 44. *n* 47. Herincx *de peccat. d.* 7. *n.* 33. Moya *t.* 3. *d.* 3. *n.* 70. Sporer *n.* 405, & valdè probabilem fatetur *Less.* cum *Bonac.* Ratio est, quia cùm delectatio sit actus inefficax, non tendit in tale objectum prout à parte rei poneretur, sed tendit in illud, prout est delectans, circumstantia autem Religiosi status vel conjugii alieni non habet delectabilitatem veneream, adeóque voluntas affectivè præscindit à tali circumstantia, id est, affectus voluntatis non movetur à tali circumstantia, imò per illam potiùs averteretur à copula. Unde universaliter loquendo circa peccata, quæ malitiam habent ratione delectationis, quando quis nudè delectatur aliquo objecto, contrahit malitiam illius tantùm circumstantiæ, qua affectus movetur. *Nec obstat*, quòd ille, qui delectaretur copula cum aliqua in cœlo Sancta, contraheret malitiam irreligionis, *nam* disparitas est, quòd religio videatur postulare etiam mentalem reverentiam erga Sanctos in cœlo, non item erga viatores.

1025 *Obj.* Si ideò non contrahatur malitia adulterii, quia non delectatur formaliter de adulterio seu injuria conjugis, ergo qui delectatur voluptate, quæ est in fornicatione, non ideò contrahet malitiam fornicationis, quia delectatur voluptate, quæ abstrahit à licita & illicita, cùm ipse posset esse in statu Matrimonii, & tum ipsi licita esset voluptas copulæ. Resp. n. conf. disparitas est, quia voluptas illa, cùm de se excitet spiritus generationi deservientes, semper opponitur castitati, nisi in subjecto illam quærente præsupponatur jus ad actum generationis, quale jus nemo habet, nisi actu sit conjugatus; unde quamvis tale objectum, nempè copula secundùm se, sit indifferens, tamen cùm semper objiciatur homini vel soluto vel conjugato, numquam exercitè est indifferens, sed vel est repugnans vel non repugnans isti subjecto.

1026 §. 4. Si quis tantùm morosè delectarit se, semel pollutione, semel fornicatione, semel sodomia ut talibus, non satisfacit dicendo, ter delectavi me in objecto turpi, sed addere debet species infimas, semel in pollutione, semel in fornicatione, &c. quia hi actus formaliter respiciunt objecta & delectabilitates diversas, ergo ab illis desumitur diversa species moralis, & in hoc conveniunt omnes. Major difficultas est, si delectarit se illis objectis, non ut talibus, sed secundùm se, & in hoc casu adhuc has delectationes distingui specie, ideóque esse in confessione explicandas, dicunt cum communi, & probabiliori, Vasq. *de pecc. d.* 112. *n.* 5. *Less. n.* 122. Castrop. *n.* 4. Ovied. *n* 54. Dicast. *n.* 624. Carden. *n.* 36. Herincx *n.* 32. quia hæ delectationes adhuc pro objecto habent delectabilitates intra materiam luxuriæ specie morali diversas, non aliter ac delectationes de furto, & vindicta intra materiam justitiæ, sive dicas illas delectabilitates esse objecta formalia sive materialia tantùm, ergo specie distinguuntur. Rationem aliam dat *Dic.* quia delectatio de pollutione est inchoata pollutio, de fornicatione est inchoata fornicatio, de sodomia est inchoata sodomia, ergo specie distinguuntur, *quidquid dicant aliqui recentiores*, inquit, *non digni, qui audiantur*. E contrà tamen *Berteau* in Regula prudentis, & pii Confessarii *p.* 1. *t.* 2. *c.* 7. fatetur aliquos dicere morosas delectationes non distingui specie. Et idem docuerat Recentior apud Moyam *t.* 3. *d.* 3. *n.* 81. item Author *opusc.* 64. apud *S. Thom.* quem secutus fuerat *Sà*, sed correctus est à Magistro S. Palatii, hinc sententiam illam vocat omninò improbabilem Moya *nu.* 83. His non obstantibus Berteau *p.* 2. De sexto præcept. Decalogi, *pu.* 1. docet probabilius esse delectationes morosas esse ejusdem speciei, quia sunt actus voluntatis inefficaces, qui desumunt malitiam non ab objecto, sed à motivo, quod est affectio carnalis procedens à vitio luxuriæ, & oppositò soli virtuti castitatis. Docet etiam Arr. *n* 28. quem sequuntur aliqui recentiores, delectationes ejusmodi venereas saltem sensitivas non distingui specie, quia omnes inde sumunt malitiam, quòd ferantur in delectabilitatem veneream ortam ex motu seminis vel mollium spirituum valdè proportionatorum organo tactus, ergo cùm hæc delectabilitas sit eadem, sive proveniat ex hoc, sive ex illo objecto cogitato, hæc objecta non videntur moraliter differre in esse objecti in ordine ad diversificandas illas delectationes, sed sicuti voluntas delectando se in copula cum Religiosa communiter præscinditaffectivè à statu personæ Religiosæ, quia affectus specialiter non movetur per illam circumstantiam religiosi status, ita voluntas consentiens in delectationè sensitiva mortam ex cogiditatione, v. g. de pollutione, præscinit affectivè à tali emissione seminis, quia tantùm movetur illo objecto ut causativo commotionum turpium, quæ eodem modo delectant, etiamsi causentur ex cogitatione de fornicatione vel sodomia. *Nec obstat*, quòd delectationes turpes merè spirituales circa illa objecta specie differant, nam hæ videntur tendere in illa objecta ut talia, cùm aliter non habeant, per quod delectent, non ita sensitivæ, quæ omnes delectant per similes commotiones venereas. Et sententia sic explicata videtur esse aliquo modo probabilis.

1027 §. 5. Ex circumstantia voti tenentis se ex parte subjecti peccantis refunditur in delectationem etiam morosam specialis malitia contra fidem Deo datam, quia specialiter se obligavit ad vitandas etiam internas illas delectationes, vovit enim castitatem, non tantùm corporis, sed etiam mentis: hinc si Religiosus morosè delectatus sit objecto turpi, tenetur suum statum aperire. E contrà circumstantia consanguinitatis, quamvis etiam partialiter se teneat ex parte subjecti, non refundit malitiam incestus in delectationem morosam, quia secundùm dicta *num.* 1024. voluntas præscindit affectivè à consanguinitate, neque ex alio capite colligi potest, quòd talis delectatio simplex sit specialiter contra reverentiam conjunctis debitam, *Less. Oviedo & alii.*

1028 §. 6. Qui habuit turpem delectationem internam, cum qua est orta commotio spirituum genitalium vel delectatio sensitiva, dummodò abfuerit tactus, & periculum pollutionis, satisfacit confitendo delectationem internam, quia cùm illa commotio spirituum, & delectatio externa sensus semper comitentur, satis intelliguntur explicata delectatione interna. E contrà si sequatur tactus, pollutio aut alius actus externus, hoc debet exprimi, quia cùm hæc possint non sequi, non intelliguntur explicato solo actu interno. Carden. *n.* 118.

1029 §. 7. Qui commotionem spirituum assumit tantum medium ad pollutionem habendam, si pollutio non sequatur, tenetur exprimere in confessione se per commotiones intendisse pollutionem, quia tales commotiones ab illo fine habent novam malitiam, quam ex se non habent, cùm per se non sint in specie pollu-

pollutionis sed potiùs fornicationis, in quantùm ex natura sua ordinantur ad copulam & non ad pollutionem. Similiter qui tales commotiones virtualiter refert ad pollutionem, tenetur hoc in confessione addere; tum autem censetur virtualiter eò referre, si eas intendat habens promotivo delectabilitatè pollutionis, aut in eis prævidens periculum pollutionis.

1030 §. 8. Qui sine ullo desiderio personam venereè aspicit, non tenetur dicere, qualis persona fuerit: si tamen invitam vel etiam volentem tangeret, vel oscularetur, conditio personæ esset declaranda, quia actio consummaretur externè contra jus vel conditionem talis personæ.

1031 §. 9. Qui sine desiderio venereè attigit puellam, secundùm Dian. *p. 3. t. 4. R. 225.* satisfacit dicendo se toties attigisse turpiter, nihil dicendo de partibus, in quibus attigit. *Alii* probabiliter dicunt exprimendum, si partem turpem attigerit.

1032 §. 10. Desiderium turpiter aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi, distinguuntur specie non tantùm à morosa delectatione de illis objectis, sed etiam singula ab invicem, quia tendunt ista objecta prout à parte rei ponerentur, si autem à parte rei ponerentur distinguerentur specie, uti patet; hinc qui semel delectatus est cogitatione de copula, & semel desideravit copulam, non satisfacit dicendo, bis habui turpem cogitationem, sed dicere debet, semel delectatus sum copula, & semel desideravi. Similiter qui semel desideravit aspicere, semel osculari, semel tangere, semel fornicari, non satisfacit dicendo: quater desideravi aliquid turpe facere, sed tenetur ea objecta exprimere, etiamsi desiderasset tantùm sub conditione, si auderet aut si liceret, tum quia talis conditio non removet intrinsecam malitiam objectivam, tum etiam quia licèt consensus sit conditionatus respectu objecti, in se tamen est absolutus respectu delectationis per cognitionem præsentis circa tale objectum. Neque tum opus est addere, an actus circa objectum fuerit absolutus an conditionatus, Aversa *qu. 10. s. 10. §. secundò.*

1033 §. 11. Si quis concupierit mulierem, non reflectens ad conditionem illius, an nempè esset libera, an conjugata, an voto adstricta, an consanguinea, si nullam habuit advertentiam ad has circumstantias personæ, satisfacit dicendo, desideravi fornicari cum una. Si dubiter, an adverterit saltem confusè, videndum est, qualis fuerit antecedens comparatio animi, nam si solitus est ab adulterio, sacrilegio, incestu, præsumi potest, quòd fuerit desiderium simplicis fornicationis, aut saltem non in illa specie, à qua solebat adhorrere. Si solebat sine discrimine concupiscere quaslibet, censeri debet reus omnium, quia aliquo modo advertit, & animus erat ad omnia comparatus, unde accusare se debet de tali desiderio & de solita animi comparatione ad quaslibet personas. Quòd si persona erat talis, ut facilè dignosceretur esse non conjugata, non est præsumendum de adulterio: si satis apparebat non esse voto adstricta, non est præsumendum de sacrilegio, quamvis enim hæc aliquando fallant, tamen communiter solet tantùm causari concupiscentia conveniens tali personæ, quam refert species seu habitus exterior.

1034 §. 12. Certum est omnem deliberatam effusionem seminis, quantumcumque parva sit, esse pollutionem, & peccatum mortale, Dicast. Gob. *t. 10. n. 590.* Quòd si pollutio orta fuerit ex vehementi delectatione interna, confitens pollutionem non tenetur exprimere actum internum, quia hic satis intelligitur, neque transire pollutionem ad aliam speciem. Si tamen pollutio orta esset ex vehementi delectatione de actu sodomitico vel fornicario, docet *Carden.* debere addi inde ortam esse, quia respiceret novum motivum notabiliter diversum. Addit Sporer *in Tyroc. Sacr. p. 4. n. 329.* qui seipsum polluens imaginatur sibi aliam personam carnaliter dilectam, etiam morosè solùm se delectando in imaginatione ipsius quasi peccantis secum, attamen absque desiderio, teneri hoc explicare in confessione.

§. 13. Non est opus in confessione dicere, quo 1035 instrumento vel qua re mediante procurata sit pollutio: Quod verum est, quamvis fieret cum statua vel fœmina mortua, quia maneret sola mollities, nisi simul esset affectus ad personam vivam, tum enim simul esset desiderium fornicandi. E contrà si pollutio procuretur per alterum hominem liberè cooperantem, hoc addi debet, tum propter cooperationem ad alterius peccatum, tum quia communiter fiet ex affectu ad talem hominem, ideóque erit inchoata copula fornicaria, sodomitica, adulterina vel incestuosa, prout erit status & conditio personæ. Et hinc etiam quando pollutio procuratur mediante bestia, censeri debet inchoata bestialitas: quòd si nullus fuisset affectus ad copulam cum tali persona vel bestia, *Cajet.* putat non esse opus in confessione addere de hoc vel isto modo causatæ pollutionis quia videtur manere sola mollities, quod Dicast. Dian. *p. 7. t. 12. R. 15.* dicunt esse probabile, attamen cum Sporer *n. 331.* concludunt probabilius esse, pro praxi, quòd sit addendum, quia pollutio sic procurata de se videtur esse inchoatio culpæ cum tali persona vel bestia, quod consequenter dicunt iidem authores de procuratione pollutionis circa corpus hominis dormientis vel non utentis ratione, quamvis nulla intenderetur copula.

§. 14. Qui causavit pollutionem in altero, te- 1036 netur addere, an hic alter fuerit persona conjugata, sacra, sibi cognata, quia tum contraxit malitiam adulterii, sacrilegii, incestus, uti dictum est *n. 987.*

§. 15. Qui habet votum castitatis & causat 1037 in alio pollutionem, tenetur explicare suum votum: quod certum est, si causet tactu vel alia simili actione externa de se repugnante castitati; si autem causet tantùm consilio vel mandato, putant Sanch. Caram. Dicast. *d. 5. nu. 326.* non esse opus aliquid dicere de voto: sed oppositum tenendum est, secundùm dicenda *n. 1064.*

§. 16. Quæ specialiter, notabiliter repugnant 1038 honestati naturæ rationali, uti sunt pollutionem facere in os alterius, (quod peccatum apud Dianam *p. 6. t. 12 R. 7.* vocatur irruminatio) osculari partes pudendas ejusdem vel diversi sexus, & similia, habent specialem malitiam in confessione explicandam, quia supra modum indecentia sunt, & dehonestant ac deprimunt dignitatem naturæ rationalis infra conditionem etiam bestialem.

§ 17. Qui commisit fornicationem, non satis- 1039 facit dicendo secum solura commisisse grave peccatum contra castitatem, uti constat ex hac prop. 25. ab *Alex. VII.* damnata, *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem.* Ratio autem est, quia fornicatio non tantùm est intrinsecè mala, uti undecim optimis argumentis demonstrat Carden. *in 2. crisi diss. 29. c. 2. & seq.* sed etiam distinguitur specie ab omni alio peccato contra castitatem, uti fusè probat Mendo *diss. 5. q. 11.* Potestque etiam videri Du-Bois. *ad prop. 25. ab Alex. VII.* damnatam. E contra tamen homo liber fornicatus cum persona libera, satisfacit dicendo se semel habuisse copulam illicitam, non exprimendo personam, cum qua: hoc ipso enim quòd non exprimat speciem majoris malitiæ, intelligitur saltem species minoris. Similiter qui dicit

se fornicatum, non tenetur addere tactus aut commotiones spirituum genitalium, quia cùm hæc ordinentur ad copulam, hæc explicata intelliguntur; non autem pollutio seu profusio seminis extra vas muliebre si fortè contigerit; cùm illa non ordinetur ad copulam sed potiùs sit contra finem illius, cùm impediat generationem.

1040 §.18. Qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum una, satisfacit dicendo, se ter fornicatum; nec tenetur dicere, an fuerit una an plures, an fuerint meretrices an aliæ, dummodò non sit cooperatus ad impediendam generationem, Bon. Tamb. *in Decal. l. 7. c. 1.* ubi notat, si Confessarius, interroget, an cum una an cum pluribus, debere aperiri, quia posset esse occasio proxima relabendi, quando sæpius cum una feciisset.

1041 §.19. Si Confessarius pœnitentem suam solicaverit in Sacramento vel paulò post, aut quia ex confessione advertit facilem ad peccandum, (etiam extra luxuriam, inquit Dic. *n.* 601.) aut ideò cæpit in eum finem agere familiariùs, quia erat confessarius, aut si munus Confessarii assumpserit in eum finem, ut occasionẽ habeat ad talia, additur species sacrilegii in confessione explicanda, quia hoc cedit in gravem irreverentiam Sacramenti, Dic. *d. 9. dub.* 13. Si autem nihil horum adfuerit, & Sacerdos fornicetur cum filia confessionis, S. Th. Sot. Sanch. & alii 15. graviſſimi Authores, quos refert & sequitur Aversa *q.* 16. *s.* 14. adhuc dicunt contrahi novam speciem malitiæ, quia Jus canonicum vocat quoddam adulterium vel incestum, & reipsa videtur esse species irreverentiæ, & sacrilegii in Sacramentum. E contrà esse simplicem fornicationem, ac posse tace i, quòd fuerit filia confessionis, docent Ledesm. Vasq. Sà Bonac. Fill. J. San. Pontius, G. Hurt. Ochag. Dic. Tamb. Dian. *p.* 1 *t.* 7. *R.* 12. Lugo *d.* 16. *à n.* 351. *& alii*, quia ex confessione nulla oritur cognatio spiritualis, uti certum est, nec apparet, cur censeatur fieri irreverentia Sacramento jam præterito, cùm peccatum non habeat respectum ad illud. Utraque sententia est probabilis, prima est conformior Juri Can. sed secunda videtur ex ratione probabilior.

1042 §. 20. An prima fornicatio vel pollutio tollens virginitatem distinguatur specie ab alia disputant Authores: in puella distingui negant multi cum Dian. *R.* 11. In masculo autem etiam plerique negant cum Sanch. Con. Tamb. suprà, unde Lugo *n.* 218. Bonæspei *de act. hum. d.* 5. *n.* 17. Stoz. *l.* 1. *p.* 1. *n.* 50. Illſ. *n.* 84. absolutè dicunt in nemine distingui, nisi per violentiam, dolum, aut fraudem defloraretur virgo, quia ubique est contra castitatem tantùm, uti omne etiam primum furtum est tantùm contra justitiam. Et contra *S. Thom. Bonac.* & alii dicunt distingui specie, ideóque addi debere in confessione, quia prima specialiter opponitur virginitati, quæ videtur specialem habere honestatem à castitate in communi distinctam, ideóque specialem in cœlo obtinebit corollam: hinc Fill. *t.* 30. *n.* 72. & 74. tenet tanquam probabilius te teneri in confessione exprimere, si tu vel illa, cum qua peccasti, fuerit virgo; Mendo *d.* 5. *n.* 70. utramque sententiam bene discutit, & quamvis inclinet in affirmativam, meritò dicit utramque esse practicè tutam, possuntque videri etiam Dicast. *à n.* 417. & Lug. suprà, qui sententias circa hoc plures earumque rationes accuratè refert.

1043 §. 21. Henriq. Fill. & alii, in quorum sententiam inclinat Mendo. *d.* 5. *q.* 8. rem utrimque fusè discutiens, putat, si virgo sub potestate parentum constituta defloretur, etiamsi consentiat, fore speciem stupri, quia fit specialis injuria in parentes, qui lædunter inhonore & bonis, eò quòd cogantur augere dotem filiæ vel semper innuptam alere. E contrà Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 14. plures referens dicit esse tantùm simplicem fornicationem, negatque fieri cuiquam injuriam, nam virgo est in tantum domina sui corporis, & violator ipsius non nisi indirectè & per accidens lædit honorem vel causat damnum parentibus.

§.22. Henriq. Sanch. Less. Lugo. *n.* 336. Aversa *qu.* 10. *s.* 9. dicunt fornicationem aut sodomiam hominis baptizati cum non baptizato differre specie ab illis, quæ fiunt inter duos baptizatos, tum quia videtur fieri irreverentia Baptismo, cujus character semper manet, tum etiam quia sicuti prohibito Matrimonio inter consanguineos, censetur etiam ex motivo honestatis erga conjunctos copula inter illos esse specialiter prohibita, ita etiam cùm prohibeatur Matrimonium hominis baptizati cum non baptizato, censeri debet ex eodem motivo reverentiæ erga Religionem christianam prohibita copula inter tales: Nihilominus sententiam oppositam absolutè probabilem esse asserunt Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 138. Tamb. Stoz. suprà, nam licèt Ecclesia in reverentiam Baptismi prohibeat Matrimonium illorum, non ideò specialiter prohibet copulam, uti nec cohabitationem aut collocutionem. *Nec refert*, quòd contra illud peccatum statuantur graviſſimæ pœnæ, *nam* inde tantùm potest argui esse majorem malitiam vel indecentiam, sed non ideò novam peccati speciem, sicuti in homicidium proditorium, quod ex insidiis & cum fraude fit, statuuntur graviores pœnæ, neque tamen ideò distinguitur specie à non proditorio. Et hanc quoque sententiam docent plures apud Dianam, & Mendo *qu.* 26. qui meritò tenent primam, refertque Mendo rationes pro utraque.

1044

1045 §.23. Si quis impotens, frigidus vel Eunuchus tentet fornicari, duplex committit peccatum, alterum fornicationis attentatæ, alterum contra naturam, quia non potens obtinere finem copulæ frustra provocat utrumque semen, Henriq. Less. Dian. Lug. Sanch. *l.* 9. *d.* 19. *n.* 8. Aversa suprà, Stoz. *n.* 53. contra Fill. Idem probabiliùs dicit Dic. *n.* 374. de marito, qui non posset verum semen effundere, quidquid contradicat Sanch. nam etiam videtur esse contra naturam, quia similiter nequit obtinere finem copulæ; neque hoc est per accidens, uti in homine sene, qui habet verum semen, sed hoc est per se ob defectum seminis per se ad generationem requisiti.

1046 §.24. Multi cum Bonac. & Sanch *in Dec. l.* 1. *c.* 6. *n.* 14. probabiliùs dicunt contra Vasq. Lug. *n.* 142. & alios, quòd is, qui alterum solicitat ad fornicandum, teneatur addere se fuisse solicitatorem, quia additur nova species contra charitatẽ, eò quòd alterum inducat in ruinam spiritualem, secundum dicta *nu.* 984. Quòd si solicitaveris ad opus, quod tamen non feciisti, vel priùs feciisti diu post, omnes docent peccatum solicitationis distingui ab opere, & esse speciatim explicandum.

1047 §.25. Stuprum specie differt à simplici fornicatione, quamvis enim eidem virtuti castitatis opponantur, tamen cum stupro est conjuncta violentia, quæ simul est contra justitiam, non item cum simplici fornicatione. Putat quidem J. Sanch. *d.* 29. *n.* 7. stuprum illatum non virgini non mutare speciem, & pro ea sententia citat multos, sed rectè contradicunt S. Thom. & alii, manet enim oppositum justitiæ.

1048 §. 26. Raptus, cùm adjunctam habeat abductionem, specie differt à stupro: Quòd si puella rapta posteà ex gravi timore invita consentiat in copulam, rapiens adhuc contrahit malitiã raptus, & consequenter etiam rapta, in quantùm raptoris peccato cooperatur, secundùm communem doctrinam de scandalo & cooperatione; deberet enim potiùs morte præeligere quàm sic cooperari, alioquin virgo occidenda, si,

non consentiret in fornicationē, posset consentire, & dicere : potius me viola quam occidas, quia violatio est minùs peccatum quàm occisio, hoc autem nemo dicet, uti rectè Dicast. *à n.* 445. contra Sanch.

1049 §. 27. Si abducatur sponsa de futuro, vel etiam de præsenti, & fiat ad finem ineundi Matrimonii, quamvis fortè repugnent parentes, non est raptus, quia non est abductio ad id, quod est illicitum, Fill. *tr.* 30. *c.* 6.

1050 §. 28. Qui incipit, & non absolvit copulam, debet id explicare, quia est fornicatio in affectu tantùm, & reipsa solùm tactus impudicus, unde satisfacit dicendo, volens fornicari feci turpem tactum. Quòd si præterea voluntariè dispergat semen, præter tactum erit pollutio, quam exprimere debebit in confessione, Sanch. Tamb. *in Decal. l.* 7. *c.* 7. §. 2. Si quis autem seriò mutata voluntate, & nolens peccare, se retrahat à copula, aut sentiens semen decisum nihilominus vera pœnitentia ductus non coeat sicque dispergatur semen, Less. Sanch. *de Matr. l.* 9 *d.* 19. *n.* 7. Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 227. dicunt non peccare, quia tenetur non habere copulam nec continuare voluntatem coeundi, & quod semen dispergatur, dum se retrahit, per accidens est, si enim peccaret sic se retrahendo, ergo non peccaret complendo fornicationem, quod nemo dicet. Aliud est de conjuge, qui dum sentit semen decisum, tenetur infundere in vas naturale, id enim ipsi licitum est, ideóque tenetur incœptam copulam perficere, ne semen perdat

1051 §. 29. Qui habet delectationem internam, v. g. de sodomia, & ideò fornicatur, debet se accusare de delectatione ex sodomia, quia cùm fornicatio fiat ex illo motivo, participat illius malitiam, Vasq. Salas, Castrop. Dicast. *n.* 624. Si tantum ad fornicationem moveretur ex sola delectabilitate copulæ cum conjugata vel consanguinea, non teneretur hoc addere quia injuria conjugis vel violatio consanguinitatis non movet ad delectationem veneream, ideóque non continet motivum delectationis venereæ, *Carden.* suprà, & colligitur ex dictis *n.* 1024.

1052 §. 30. Si conjux tantùm delectetur de copula cum aliena, aut habet solas delectationes morosas, Hurt. Arr. Verric. Bost. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 4. negant teneri addere se esse in conjugio, quia quando sistitur in delectatione, non videtur lædi jus alterius conjugis : E contrà Vasq. Bon. Sal. Sanch. Castrop. Lugo, Mendo *d.* 5. *p.* 13. Dicast. *n.* 654. Illsc. *tr.* 4. *d.* 1. *n. ult.* probabiliùs dicunt debere addi, tum quia fides Matrimonii exigit, ut conjux nequidem mentem sive cogitationem simplicem ponat in alia, mutuò enim sibi tradunt non tantùm corpora sed etiam animos : tum quia saltem motus venerei, quos causat interna delectatio, sunt contra jus alterius conjugis. Quòd si conjux delectetur copula cum soluta, & inde commotus habeat actum conjugalem, non satisfacit dicendo se habuisse quandam delectationem veneream internam, sed dicere debet se ex illo motivo habuisse actum conjugalem, hic enim infectus est malitia illius motivi, & ab eo participat speciem fornicationis. E contrà tamen si delectatio interna fuisset de copula cum aliena conjugata, non esset opus exprimere circumstantiam conjugatæ, quia hæc injuria facta conjugi per se non movet *Carden.* Addit Sanch. *de Matr. l.* 9 *d.* 27. *n.* 6. si conjux in actu conjugali cum sua se morosè delectet in alia velut præsente, etiam addi speciem adulterii. Similiter qui accedit ad suam uxorem putans se accedere ad alienam committit adulterium, non quidem realiter, sed objectivè, Burgh *cent.* 1. *casu* 70.

1053 §. 31. Qui peccat cum conjugata, etiam consentiente marito, committit adulterium, ut constat ex hac 50. propos. ab *Inn. XI.* damnata. *Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit dicere se esse fornicatum.* Ratio dabitur n. 1054.

1054 §. 32. Si conjux invito conjuge peccet cum altero, peccat contra fidem Matrimonii & contra justitiam, cùm sit violatio obligationis ortæ ex contractu : præter hoc docent Less. Lugo *de just. d.* 8. *s.* 1. *n.* 6. & alii etiam peccari alio peccato injustitiæ, in quantum violatur jus, quod conjux habet in corpus conjugis, hinc si conjux peccarit conjuge consentiente, putant hi Authores debere hoc addi, sed Card. *in* 2. *crisi d.* 30. *cap.* 3. *ar.* 2. probabiliùs docet non committi duas species injustitiæ, ideóque non esse opus addere, an alter conjux consenserit necne, quia illa species peccati, per quam uxor peccat contra fidem Matrimonii, est ipsamet injuria mariti, quia obligatio uxoris non est præcisè ad non violandam fidem status, cùm non contraxerit cum statu, sed ad non violandam fidem datam marito, prout subest tali statui, neque juri illi potest maritus efficaciter cedere, sicuti Clericus non potest efficaciter cedere juri, ne percutiatur aut ne trahatur ad laicum tribunal.

1055 §. 33. Si conjugatus peccet cum conjugata, est duplex adulterium, unum, quo peccat in propria persona, violando jus suæ conjugis, alterum quo cum alia cooperatur, & simul alterius mariti jus violat, hinc status utriusque debet exprimi, Azor Less. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 77. Fill. *tr.* 30. *n.* 89. Bon. *de Matr. qu.* 4. *p.* 15. *n.* 5. Lugo *d.* 16. *n.* 158. *Dicast. d.* 9. *à n.* 270. Steph. *tr.* 1. *d.* 5. *n.* 31. contra Ferrant. Burgh. *centur.* 1. *casu* 70. & alios apud Mendo *d.* 5. *qu.* 22.

1056 §. 34. Si conjux cum soluta exerceat sodomiam, oscula, tactus, aut si committat bestialitatem tenetur explicare se esse conjugem : quia per illa fit injuria conjugi ; imò si vir cum propria uxore exerceat sodomiam, uterque peccat duplici peccato adulterii, quia neuter servat alteri suum corpus castè, quod spectat ad fidem Matrimonii, neque debet alteruter dicere se exercuisse sodomiam cum conjugata persona, sed debet dicere cum suo viro vel cum uxore sua, quia dicendo cum conjugata, significaret se alteri conjugi fecisse injuriam, quod verum non est, quando cum suo vel sua fecit, Sanch. *d.* 18. *n.* 4. & 5.

1057 § 35. Quamvis Matrimonium inter fideles sit elevatum ad rationem Sacramenti, quod Sacramentum exigit servari fidem conjugi, non ideò omne adulterium est sacrilegium, uti dicetur *n.* 1120.

1058 §. 36. Si sponsus vel sponsa peccet contra fidem in sponsalibus datam, Covarr. Megala, Diana *p.* 1. *t.* 7. *R.* 5. & *p.* 3. *t.* 4. *R.* 67. Pontius *de Matrim. l.* 12. *c.* 6. *n.* 8. Bonæspei *de peccat. d.* 5. *n.* 25. Illsc. *n.* 85. & alii probabiliter dicunt non mutari speciem, nec opus esse id exprimrre in confessione, quia per sponsalia necdum traditur jus in corpus, ergo non peccatur contra justitiam ; & sicuti qui vovit se ingressurum Religionem, si fornicetur, non tenetur explicare votum, quia per promissionem Religionis nondum contraxit obligationem castitatis, ita & hic Oppositum tenent etiam probabiliter Az. Mol. Rebell. Con. Dicast. *n.* 373. Stoz. *l.* 1. *p.* 1. *n.* 52. Aversa *qu.* 10. *s.* 9. §. *Aliqui.* Sporer *de Matr. n.* 361. quia agitur contra jus, quod mutuò habent, ne, excepto ingressu in Religionem, agatur aliquid contra executionem factæ promissionis. Si tamen Titius Matrimonio Cajæ promisso, vel uxorem occidat vel cum Caja adulteretur, ac post mortem uxoris suæ pergat peccare cum Caja, non ideò accedet nova species, sed erit simplex fornicatio, quia quamvis inter eos sit impedimentum dirimens, tamen hoc inductum est purè in pœnam delicti. & non ex motivo diversæ honestatis vel virtutis, Sanch. Less. Fil. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 45. Diana *p.* 3. *t.* 4. *R.* 140.

1059 §. 37. Sacrilegium in hac materia contrahitur, vel ratione personæ sacræ, quæ peccat aut cum qua peccatur,

peccatur, vel ratione rei sacræ, qua quis hîc abutitur, vel ratione temporis, actionis aut loci sacri, de quibus jam ordine dicam.

1060 §. 38. Non est opus explicare, an persona sacra sit Sacerdos an tantùm Subdiaconus, sed satis est dicere, habere sacrum Ordinem, uti cum communi Aversa §. *Rursus* contra Fagund. qui putat exprimi debere statum saltem Episcopi aut Generalis in aliquo Ordine. Neque opus est exprimere, an persona illa semel tantùm an pluries castitatem voverit, Dicast. *d.* 9. *à n.* 315. Stoz *n.* 50. Neque an votum sit simplex an solemne, utrumque enim virtutem religionis æquè respicit, Sanch. *de Matrim. l.* 7. *d.* 27. *n.* 40. Castrop. *de peccat. d.* 3. *p.* 3. *n.* 11. Aversa suprà. Dicast. *à n.* 306. Steph. *tr.* 1. *a.* 5. *n.* 58. Stoz. suprà.

1061 §. 39. Si quis in susceptione sacrorum Ordinum noluisset vovere castitatem, adhuc committeret sacrilegium peccans contra castitatem, quam Ecclesia tali præcipit ob reverentiam sacrorum ministeriorum, ita ut observatio castitatis ex vi præcepti Ecclesiæ ponatur in materia religionis, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 626.

1062 §. 40. Si Sacerdos simul & Religiosus peccet contra castitatem, Sor. & alii putant esse duplex sacrilegium, ideóque teneri aperire, quòd sit & Sacerdos & Religiosus, sicuti qui die festo non audit Missam, quo etiam vovit audire, tenetur utramque circumstantiam addere, quamvis & præceptum Ecclesiæ & votum sint ex eodem motivo religionis. E contrà Sanch. *n.* 14. & 30. aliique dicunt esse unicum sacrilegium, ideóque posse alterutram circumstantiam tacere. Amicus *d.* 18. *n.* 26. sic distinguit, si obligatio castitatis annexa Ordinibus sit ex præcepto Ecclesiæ, tenet cum Soto, si autem sit ex voto, tenet cum Sanch. sed sententiam Sanch. videtur esse absolutè probabilior, quamvis enim obligatio illa esset ex præcepto Ecclesiæ, tamen esset ex eodem motivo religionis, ex quo fuisset votum, cujus defectum supplet illud præceptum, si ordinandum fortè vovere nolit.

1063 §. 41. Si obligatus voto castitatis peccet cum alio obligato eodem voto, v.g. Religiosus cum Religiosa, debet explicari status utriusque, quia sunt duo species peccata peccare in propria persona contra votum suum, & cooperari cum alia persona ad frangendum votum suum, ita cum aliis Lugo *d.* 16. *n.* 258.

1064 §. 42. Si quis voto castitatis obligatus alium voto non obligatum inducat ad peccatum contra castitatem, Arr. Caram. Felix. Tamb Sanch. *in Dec. l.* 5. *c.* 6. *n.* 10. Dicast. *n.* 326. Steph. *tr.* 1. *d.* 5. *n.* 58. Stoz. *n.* 53. negant peccare peccato sacrilegii contra votum, quia vovit tantùm castitatem propriam, nec intentio vovens videtur se extendere ad castitatem alienam. E contrà Carden. *in* 1. *crisi d.* 30. & alii putant peccare etiam peccato sacrilegii contra votum suum, ideóque teneri hoc manifestare in confessione, quia castitas prohibet, ut nihil directè contra se procuretur, secundùm dicta *n.* 584. ergo inducendo peccavit contra castitatem, quam vovit ergo peccavit contra votum. Et consequenter etiam dicendum est, si ille, qui non habet votum castitatis, inducat habentem illud votum ad peccandum contra castitatem, istum inducentem peccare, non tantùm contra castitatem, sed etiam contra virtutem religionis, quæ eum obligabat, ut neminem induceret ad transgressionem sui.

1065 §. 43. Si Novitius religiosi Ordinis peccet contra castitatem, non tenetur manifestare se fuisse Novitium, quia nulla species accedit, donec voverit, Dian. Lugo, Aversa, Tamb. Dicast. *n.* 325. Stoz. *suprà contra* Llamas.

1066 §. 44. Contrahitur sacrilegium, si quis re consecrata vel benedicta utatur ad turpitudines, item si verba sacra & præsertim sacræ Scripturæ applicet rebus obscœnis.

§. 45. Non est gravis irreverentia, si quis fornicetur habens sacras Reliquias ad collum pendentes. Fill. *tr.* 30. *n.* 129. Lugo *n.* 513. Bonæsp. *n.* 129. Agnoscunt tamen in hoc irreverentiam Lug. Dicast. *n.* 719. & alii. Veniale esse putant Aversa *q.* 10. *s.* 10. Lorh. *tr.* 24. *art.* 3. & alii. Imò *Homob.* suadet eas deponi etiam in congressu maritali, sed in hoc meliùs contradicunt alii, quia hic congressus nihil mali continet, sed potest esse actus virtutis. Hoc rectè dicunt Lugo *n.* 513. & Dicast. *supr.* fore mortale, si quis portans Eucharistiam exerceat actum venereum. 1067

§. 46. Circumstantia temporis sacri, v.g. quòd carnaliter peccet die Veneris sancto vel die communionis, secundùm dicta *n.* 963. non addit speciem sacrilegii, Lugo *n.* 525. Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 32. foret tamen irreverentia mortalis etiam in confessione explicanda, si quis die Veneris sancto exhiberet turpes comedias, Lugo *n.* 524. qui idem dicit cum Aversa *n.* 11. & Bonæsp. *n.* 133. si quis statim post lectam Missam vel post sumptam Communionem iret ad fornicandum. 1068

§. 47. Sylvius & alii affirmant, Dian. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 39. & alii negant contrahi speciem sacrilegii, si quis concupiscat mulierem sub oratione, v.g. sub recitatione Horarum, sed de hoc videri possunt dicta *lib.* 4. *n.* 1348. nam probabilius est non esse saltem mortale in ratione sacrilegii. Dicunt tamen multi fore sacrilegium mortale, si concupiscat, dum celebrat, dum communicat, dum adhuc apud se habet sacras species, dum fert vel distribuit Eucharistiam, uti habet Lugo *d.* 16. *n.* 513. aut etiam si statim post Communionem vel Missam lectam, uti habet Spor. *n.* 404. De omnibus tamen non audet absolutè asserere *Tamb.* sed dicit avertendum esse, in quibus casibus secundùm judicium prudentum gravis & quidem peculiaris irreverentia censeatur inferri Christo. 1069

§. 48. Si pollutio fiat in templo & sit occulta, 1070 Vasq. B. Pontius, M. Perez, Casp. Caram. Dian. *par.* 7. *tr.* 11. *R.* 31. Burgh. *cent.* 3. *casu* 68. & alii negant esse sacrilegium, quia malitia sacrilegii ratione loci non videtur contrahi nisi propter infamationem, & violationem loci sacri, quæ non causatur, si pollutio sit occulta. E contrà Suar. Sanch. Bonac. Lugo. Dicast. *d.* 9. *n.* 651. Bonæsp. *d.* 5. *n.* 91. Steph. *n.* 56. Mendo *d.* 5. *n.* 49. aliique plures apud Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 26. probabiliùs dicunt esse sacrilegium & in confessione addendum, quia si publicaretur, templum esset pollutum, ergo signum est, quod initio factum sit aliquid contra reverentiam loci sacri, ideò enim Ecclesia post publicationem prohibet ibi legi Missas, quia locus ille de honoratus est. Et quod dictum est de pollutione, dicunt Authores secundæ sententiæ contra Authores primæ etiam de copula illicita, quamvis occulta, in loco sacro commissa. Putat autem *Zerol* per locum sacrum hîc intelligi etiam sacristiam, sed contradicunt Az. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 166. quod magis valet de campanili, est enim minùs sacrum: imò nec intelligitur oratorium privatum sine Episcopi authoritate erectum, Illf. *n.* 102.

§. 49. Copula conjugalis in loco sacro facta, secundùm *Caj. & alud. Tolet.* & alios est sacrilega, quia Ecclesia eam prohibet ex motivo Religionis. Secundùm *Vasq. Sà* & alios non est sacrilega, quia Ecclesia videtur tantùm prohibere illam, quæ est de se illicita; sed Castrop. Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 19. Aversa *q.* 10. *s.* 11. meliùs distinguunt, si enim sit necessaria, v.gr. ob periculum incontinentiæ, quando conjuges coguntur diu remanere in templo, non est sacrilega nec illicita; si autem non sit necessaria, probabiliùs videtur esse illicitam & sacrilegam, quia est in grave vilipendium loci sacri. 1071

1072 §. 50. Probabile est quidem,quòd oscula,tactus, aspectus, turpiloquia,etiam publicè facta in loco sacro,non habeant rationem sacrilegii, ideóque opus non sit dicere esse ibi facta,ubi tenent Sanch.Aversa & *alii* cum Diana *Resol.* 25. illorum tamen ratio, nempè quia per ista non polluitur Ecclesia,nihil probat,uti constat ex dictis *num.* 1070. hinc dicendum est tunc tantùm per hujusmodi actiones externas contrahi malitiam sacrilegii,quando cum magna Ecclesiæ irreverentia fiunt,uti si quis meretricem ante altare publicè tangeret impudicè, si quis turpem comediam in templo exhiberet &c. Suar.Bonac.Lugo, Dicast.Tamb.Steph.*n.*61.Mendo *n.*60. Addit Gob. *in Quint.t.5.cap* 49. si quis turpem cantionem vel melodiam, quam populus sciret convenire rebus turpibus, insereret officio divino alit publicè in templo caneret, quia cultus Dei per hoc graviter inhonoraretur.

1073 §. 51. Desideria,oscula,tactus,fornicatio, sodomia & similia externa, si fiant circa consanguineas vel affines, addunt speciem incestus contra reverentiam conjunctis debitam, unde qui consanguineam suam turpiter attigit, non satisfacit dicendo, attigi aliquam turpiter, sed addere debet fuisse consanguineam. Probabile autem est incestum cum consanguineis non differre specie ab incestu cum affinibus vel cum conjunctis cognatione legali, scilicet per adoptionem,uti ex S. Th.docent Caj.Tamb.Lugo *d.* 16. *n.*313. Dian. *R.*31. quia semper peccatur contra reverentiam conjunctis debitam,& videtur esse perinde,unde oriatur illa conjunctio. Contradicunt tamen etiam valdè probabiliter Vasq.Dicast.*d.*9.*n.*272. Bonæspei *de actibus hum.d.*5.*n.*20. Illsc.*n.*83. quia reverentia debita ob intrinsecam sanguinis participationem videtur esse notabiliter diversa,hanc autem exigit consanguinitas,& non affinitas, quæ tantùm extrinsecam conjunctionem habet.

1074 §. 52. Fill. aliique multi cum Dian.suprà docent incestum in uno non differre specie ab incestu in alio quocumque gradu, v. g. incestum cum matre sua non differre specie ab incestu cum nepte, ideóque in omnibus satisfieri,si dicatur, commisi incestum, quia in his omnibus etiam videtur eadem deformitas inveniri, scilicet actio contra reverentiam conjunctis debitam,quòd autem sit major vel minor conjunctio, videtur tantùm posse graviorem malitiã refundere, non autem specie distinctam. Sed multi alii cum Dicast. suprà longè probabiliùs contradicunt, tum quia incestus in primo aut fortè etiam in secundo gradu repugnat juri naturæ,non item in aliis gradibus,in quibus ideò tantùm est incestus, quia ex motivo talis reverentiæ prohibetur; tum etiam quia alia debetur reverentia matri quàm nepti;hinc infert Bonæspei *n.*19.debere explicari,an fuerit cum avia, matre, sorore,vel filia, item an cum matre, an cum noverca;item an cum noverca patre vivente,an mortuo,nam patre vivente est præterea contra pietatem. Non est tamen opus dicere, an fuerit cum proavia, quia similis tantùm videtur huic & aliis consanguineis deberi reverentia.

1075 §. 53. *Si* sponsus cognoscat consanguineam suæ sponsæ probabilius videtur esse incestum, quia talis copula specialiter ob reverentiã conjunctis debitam prohibetur ab Ecclesia,ideò ponente impedimentum dirimens ex motivo publicæ honestatis.Tamb.Lugo *n.* 331. quod Oviedo *de peccat. contr.* 5.*n.* 78. rectè restringit ad primum gradum.

1076 §. 54. Si Titius fornicatus sit cum Caja & posteà fornicetur cum Caiæ consanguinea in tertio gradu, aliqui apud Sanch.*de Matr.l.*7.*d.*67.*n.*7.putarunt esse incestum,quia licèt Trid *sess.* 24. *de Ref.Matr. c.* 4. sustulerit ab eo peccato impedimentum, non ideò sustulit affinitatem, cùm enim tale decretum sit correctorium,non operatur ultra verba:sed Sanch. *n.*8. rectè dicit oppositum sibi esse certum,tum quia ideò ab his vel illis committitur incestus,quia fornicatio fit ab illis inter quos prohibetur Matrimoniũ: non prohibetur autem inter Titium & istam consanguineam Cajæ,tum etiam quia si ratio Adversariorum valeret,ergo adhuc esset incestus, si peccaretur cum conjuncta, etiam in septimo gradu, quia olim erat impedimentum; imò sicuti datur affinitas ad gradus etiam remotiores in infinitum, ita & daretur incestus,quod nemo dicet. Et ideò Cap. *Non debet*, De consang. & affin.ubi agitur de contrahendo impedimento,dicitur, *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis,& affinitatis gradum de cætero non excedat;si autem copula sit illicita,excedit secundum.*

§. 55. Si Titius, & Caja consanguinei in ter- 1077
tio gradu post obtentam dispensationem ad ineundum Matrimonium, sed hoc nondum inito, fornicentur,Maj. & Gallego dicunt esse incestum, quia non ideò sublata est consanguinitas;sed hac stante est tantùm data potestas contrahendi Matrimonium. Oppositum tenet Sanch.*n.*9 quia incestus non est,nisi ubi cum consanguinitate est prohibitio Matrimonii, sed posita dispensatione non est ampliùs prohibitio Matrimonii, ergo nec incestus.

§. 56. Incestus cum conjunctis cognatione spi- 1078
rituali proveniente ex Baptismo vel Confirmatione, distinguitur specie ab aliis incestibus, quia prohibetur ex motivo reverentiæ debitæ Sacramento, ergo habet adjunctam malitiam sacrilegii,Sanch.*de Matr. l.*7.*d.*5.*n.*9. Lugo *n.* 333. Necesse tamen non est dicere, an cognatio orta sit ratione Baptismi an Confirmationis. Neque an peccaverit cum filia Baptismi, an cum ejus matre, quia cùm sit contra eandem reverentiam debitam personis ratione Sacramenti conjunctis, manet una species.

§. 57. Qui commisit semel pollutionem,semel 1079
sodomiam,semel bestialitatem, non satisfacit dicendo,ter procuravi pollutionem, uti constat ex hac prop. 24. ab *Alex.VII.* damnata, *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideóque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Ratio autem est, quia licèt opponantur eidem castitati, tamen, modi oppositionis sunt notabiliter diversi,nam castitas,prout detestatur omne id, quod generationem impedit,sic opponitur mollitiei: prout autem est conservativa reverentiæ erga parem sexum,& verecundiæ circa naturalem modum coeundi,sic opponitur sodomiæ: prout verò est impeditiva, ne affectus hominis erga homines licitus detorqueatur ad bestias, & sic quodammodò fiat bestialis, sic opponitur bestialitati.

§. 58. In sodomia teneris dicere, an fueris 1080
agens an patiens, cùm enim agens habeat pollutionem,hæc addit novam speciem. Tamb. Lugo *n.*243. Mendo *d.*5. *n.* 188. contra plures id negantes cum Diana *in Compendio v. Sodomia n. 2.Nec obstat*,quòd patiens cooperetur pollutioni agentis, adeóque contrahat etiam ejus malitiam, *nam* sicuti pejerans & cooperans perjurio alieno contrahunt eandem malitiam, sic tamen ut cooperans contrahat malitiam tantùm reductivè eandem & modo notabiliter diverso, qui debet exprimi in Confessione, ita etiam hîc: agens enim contrahit primariò, patiens secundariò, Dicast. *d.* 9. *n.* 465.

§. 59. *Cajet.* putat fœminam non teneri dice- 1081
re,in qua parte sui corporis sodomita semen effuderit; sed probabilius est teneri alioquin non explicat, an fuerit sodomia imperfecta necne, si enim fuerit effusio cum affectu ad præposteras partes, erit sodomia imperfecta, si autem tantum ad explen-

dam

dam libidinem sine desiderio coitus & sine affectu ad partes præposteras, erit tantùm pollutio.

1082 §. 60. Si duo mares ex affectu ad eundem sexum permisceant corpora, *Graffius* putat non ideò fore sodomiam, dummodò semen non effundant in vas præposterum, ideóque sufficere, si dicant se exercuisse mollitiem. Sed oppositum est tenendum, quamvis enim non sit principalis illa sodomia, in quam feruntur speciales pœnæ Ecclesiasticæ, rectè tamen docet Tamb. *l.* 7. *c.*7. §. 2. esse sodomiam, non enim est sola mollities, cùm hæc tendat ad explendam libidinem sine speciali affectu ad indebitum sexum, ergo est sodomia, qualem etiam fœminæ exercere possunt, licèt nequeant seminare in vas præposterum. Dicendum etiam est cum Graff. Az. Sylv. contra Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 101. si duo mares cognati committant sodomiam, contrahi etiam speciem incestus, quia est contra reverentiam conjunctis debitam.

1083 §. 61. In bestialitate explicari debet, an facta sit cum bestia mare vel fœmella: & si cum fœmella, an in vase naturali an in præpostero, sunt enim diversæ deordinationes, uti probat Mendo *d.* 5. *qu.* 25. Non est tamen opus dicere, cum qua specie animalis, quia manet eadem malitia, sive fiat cum cane sive cum ove, Mendo *n.* 196. Tamb. §. 5.

1084 §. 62. Quamvis coitus cum dæmone habente formam hominis reducatur ad bestialitatem, quia detorquetur affectus ad non hominem, tamen exprimi debet fuisse cum dæmone, quia simul est speciale peccatum contra virtutem religionis habere commercium cum maximo Dei & hominum hoste, Tamb. *sup.*

1085 *Q.* 146. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra septimum & decimum præceptum?* Resp. §. 1. Qui heri equum, hodie pecuniam, cras vestes furatur, satisfacit dicendo, ter furatus sum rem gravem, quia equus, pecunia, vestes sunt moraliter ejusdem speciei, cùm mensurentur eadem pecunia & inter se commutentur.

1086 §. 2. Furtum non mutat speciem ex hoc, quòd fiat à Judice vel gerente Magistratum, quamvis sit major indecentia, quòd fiat ab eo, qui alios deberet coercere. Tamb. Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 36. contra utrumque *Medinam.* Potest tamen Princeps vel Magistratus peccare, non tantùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, si aliorum furta non impediat, ad quod etiam ex justitia tenetur.

1087 §. 3. Rapina specie differt à furto, quamvis enim objectum utriusque sit idem, tamen modus, quo illud attingũt, est notabiliter diversus, nam in rapina & non in furto, fit vis etiam personæ. Unde si homini videnti eripias rem suam & abscurras, nullam vim inferendo illius personæ, non erit rapina, sed furtum.

1088 §. 4. Furtum per usuram vel alium dolosum contractum est ejusdem speciei cum furtis aliis, hinc sufficit in confessione dicere, toties furatus sum, tacendo de modo auferendi.

1089 §. 5. Furto additur sacrilegium, si quis furetur rem sacram uti calicem consecratum, quamvis è loco non sacro; aut rem profanam In loco sacro posita pro securitate vel per modum pignoris, depositi, mutui, commodati, ita ut locus sacer debeat pro eo respondere. Per locum autem sacrum hìc intelligitur Ecclesia consecrata aut benedicta, etiamsi sit violata, polluta, interdicta, non tamen intelligitur Monasterium, Claustrum, vel domus Religiosorum, uti cum aliis Dicast. *d.* 9. *n.* 668.

1090 §. 6. Si quis in Ecclesia furetur crumenam divitis aut aliquid aliud non sacrum nec ullo modo pertinens aut commendatum Ecclesiæ, adhuc dicunt Suar. Vasq. Laym. Rebell. Bon. Regin. Bonæspei *de Act. hum. d.* 5. *n.* 77. esse sacrilegium, quia *Joannes* Papa VIII. *Cap. Quisquis inventus* 17. *q.* 4. dicit sacrilegium committi auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro: Oppositum tamen velut probabile tenent. Az. Hen. Less. Con. Lugo, Dian. *R.* 27. qui per auferre de loco sacro intelligunt aliquid pertinens, aut de quo debeat respondere locus sacer: Oviedo *de peccat. controv.* 5. *n.* 31. refert utramque sententiam & nihil determinat, Dicast. *à n.* 664. agnoscit parem ferè in utraque sententia probabilitatem, attamen magis inclinat in primam.

1091 §. 7. Si quis ideò eat ad confessionem, ut possit Confessario furari rem levem, Corduba, Sà, Rebell. Fagund. Lugo. Dic. *n.* 667. dicunt, quamvis sit leve in ratione furti, attamen esse grave in ratione sacrilegii, quia videtur cedere in gravem irreverentiam Sacramenti, sed ratio occurrit in oppositum, quia si quis confiteatur ex vana gloria, aut si in confessione mentiatur in re levi non pertinente ad materiam necessariam confessionis, dummodò de aliis peccatis doleat & non reddat Sacramentum irritum, non peccat mortaliter, uti dicetur *n.* 1177. idem autem videtur esse de nostro casu, uti rectè Aversa *q.* 10. *s.* 11. §. *Addit.* Et saltem si confessio sit occasio furti, non est mortale, uti fatentur citati Authores contra Fagund.

1092 §. 8. Non est sacrilegium furari rem parochi vel sacerdotis possidentis illam suo & non Ecclesiæ nomine, quamvis haberet titulo Ecclesiastico, v. g. ex reditibus Beneficii vel propter Baptismum infanti collatum, talia enim habent se uti res profanæ, cùm nec in se sint sacræ, nec ideò violetur aliquis locus sacer, vel aliqua persona, aut immunitas Ecclesiastica, Dian. *R.* 27. Tamb. *de Conf. l.* 2. *c.* 8.

1093 §. 9. Si quis rem sacram è loco sacro furetur, *Vasq. Fagund.* & alii cum *D an.* dicunt manere unum speciem sacrilegium, quia & rei & loci sacri violato soli religioni opponitur. E contrà Lugo *d.* 16. *n.* 471. Oviedo *n.* 302. Dicast. *n.* 663. Bonæspei *n.* 82. probabilius dicunt esse duo specie sacrilegia in confessione distinguenda, unum contra immunitatem loci sacri, alterum contra sanctitatem rei sacræ, sicut sunt duo specie sacrilegia, si Clericus occidatur in loco sacro.

1094 §. 10. Less. *de just. l.* 2. *cap.* 45. *dub* 3. putat furtum vel usum profanum rei per votum Deo promissæ esse sacrilegium, sed probabiliùs contradicunt Laym. & Oviedo *n.* 34 usque dum res sit tradita & dicata ad sacrum usum, sicut enim qui vovit intrare Religionem vel suscipere Sacerdotium non ideò est sacrilegus, si peccet contra castitatem, quia necdum est consecratus Religioni nec sacratus per Ordinem, ita & hìc.

1095 *Q.* 147. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra octavum præceptum*; R. §. 1. Mendacium circa res fidei, v.g. si quis præscindendo à verbo *Dei* dicat Jobum habuisse quatuor filios, cùm sciat habuisse tantùm tres, per se loquendo, est veniale tantùm, Salas, Arr. *de pecc. d* 21. *s.* 1. & alii apud Lugo *de fide d.* 14. *s.* 3. qui in eandem sententiam inclinat, non enim apparet, unde refunderetur species gravis malitiæ. Si tamen significaret Deum locutum esse aliquid falsum, esset gravis blasphemia, ut per se patet.

1096 §. 2. Judicium temerarium specie distinguitur à detractione, secundùm *dicta l.* 3. *p.* 2. *n.* 1188.

1097 §. 3. Probabile est, quòd falsum crimen imponere, & revelare verum, quod occultum est, sint ejusdem speciei in ordine ad confessionem. Mol. Lugo *de just. d.* 14. *s.* 2. Tamb. *de conf. l.* 2. *c.* 9. *n.* 5. & consequenter satisfit dicendo, bis graviter detraxi, quia species

ſpecies mendacii, quæ in primo eſt, non eſt mortalis, niſi ratione injuriæ, quæ ſatis explicatur. Fatendum tamen eſt cum Nav. & Sporer *in* 8. *præcept. Decal. n.* 48. in primo eſſe majorem malitiam, attamen intra eandem ſpeciem.

1098 §.4. In detractione, judicio temerario vel contumelia, non mutat ſpeciem, quòd dixerim hunc eſſe hæreticum, illum furem, iſtum ſodomitam, Bonac. Sà, Caſtr. Oviedo *n.* 27. Leſſ. *in Auct. v. Confeſſio, Caſu* 9. contra *Suar. Azor. Salas*, hinc ſatisfit dicendo, ter detraxi, ter temerè judicavi in re gravi. Rationem dat *Lug. de pœn. d.* 16. *n.* 265. quia omnes detractiones accipiunt malitiam ex eo, quòd ſint contra unum bonum famæ, ſicuti furta ex eo, quòd lædant fortunas, ergo ſicuti furta ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione furti, ſive bona hæc, ſive illa ſive hoc ſive alio modo tollantur, dummodò vis perſonæ non fiat, ſic de ablatione famæ. Idem eſt, ſi detraxerim Sacerdoti, uti probabiliùs cum aliis tenet Tamb. *n.* 2. contra Steph. *tr.* 4. *d.* 6. *n.* 5. qui cum aliis putat eſſe contra religionem & reverentiam illi ſtatui debitam.

1099 §.5. Si detractio ſit ſcandaloſa aut damnoſa in bonis fortunæ, additur nova ſpecies contra charitatem vel juſtitiam reſpectu juris ad bona fortunæ, idcóque hæc erunt in confeſſione addenda.

1100 §.6. Suſurratio, qua detrahendo pax turbatur & cauſatur divulſio animorum, differt ſpecie à detractione, quia ſpecialiter opponitur charitati.

1101 §.7. Contumelia, quia præſenti in faciem detraho, addit novam ſpeciem, ſecundùm dicta *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1226. unde ſi lædebas famam alicujus abſentis, & eo ſuperveniente pergas eam lædere, ſunt duo ſpecie peccata, nempè detractio & contumelia, quia per contumeliam rapitur honor, per detractionem tollitur fama, quæ, quomodo diſtinguantur, dictum eſt *l.* 3. *p.* 2. *à n.* 1191.

1102 *Q.* 148. *Quomodo diſtinguenda ſit ſpecies in peccatis contra præcepta Eccleſiæ?* R. §.1. Ejuſdem ſpeciei eſt die feſtivo exercere ſervilia & forenſia, hinc qui uno feſto ſerviliter laboravit & altero tulit ſententiam in judicio, ſatisfacit dicendo, bis per opus prohibitum graviter inhonoravi diem feſtum.

1103 §.2. Sive ſit Dominica ſive feſtum, item ſive ſit feſtum majus ſive minus, non ideò mutatur ſpecies: hinc qui die Paſchæ & die S. Laurentii non audivit Miſſa mvel ſerviliter laboravit, ſatisfacit dicendo, bis die feſtivo non audivi Miſſă, vel ſerviliter laboravi.

1104 §.3. Violatio jejunii per comeſtionem carnium diſtinguitur ſpecie à violatione per comeſtionem ovorum aut lacticiniorum, ubi horum comeſtio eſt prohibita, quia per illas duas leges intenditur & per violationem impeditur notabiliter diverſa mortificatio carnis. Item violatio per comeſtionem carnium diſtinguitur ſpecie à violatione per multiplicem comeſtionem unde qui uno die jejunii ſumpſit unicam refectionem in carnibus; & altero ſumpſit duas refectiones in piſcibus, non ſatisfacit dicendo, bis graviter fregi jejunium, ſed addere debet, quòd ſemel in carnibus, Sanch. Ovied. *de pec. contr.* 5. *n.* 25.

1105 §.4. Violatio jejunii in vigilia S. Mathiæ incidente in quadrageſima & quatuor temporibus, & ſimul in die Veneris, eſt unicum etiam numero peccatum, ſecundùm dicta *l.* 5. *n.* 137.

1106 §.5. Violatio ejuſdem jejunii ab Eccleſia præcepti, à ſuperiore imperati, à Confeſſario pro pœnitentia injuncti, ex voto debiti, habet quatuor ſpecie malitias, uti dictum eſt *l.* 5. *n.* 135. De peccatis contra præceptum Communionis & Confeſſionis dicetur *a n.* 1116.

1107 *Q.* 149. *Quomodo diſtinguenda ſit ſpecies in peccatis circa Sacramenta, & perſonas Eccleſiaſticas?* R. Præter ſparſim dicta, notanda ſunt ſeq. §. 1. An contrahat duas ſpecie malitias, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum, & Confirmationem deficit à fide, dictum eſt *n.* 980. An autem peccet graviter, qui ideò confitetur, ut Confeſſario furetur rem levem, dictum eſt *n.* 1091.

§.2. Probabilius videtur, omnem illum peccare 1108
mortaliter, per ſe loquendo, qui Sacramentum conficit in mortali, ſecundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *n.* 91. Is verò, qui in mortali ſuſcipit Sacramentum vivorum, etiam peccat mortaliter, peccato diſtinctæ ſpeciei ab illo, quo peccat, qui conficit, ſecundùm dicta ibidem *n.* 194. quia ſuſcipiens non tantùm irreverenter tractat Sacramentum in gratia recipiendum, ſed impedit primarium ejus effectum, ſcilicet gratiam, ad quam cauſandam à Deo eſt inſtitutum.

§.3. Si quis communicet vel Miſſam legat in 1109
mortali, aliqui putarunt committere unum peccatum irreverentiæ circa Euchariſtiam, & alterum impœnitentiæ, imò Sporer *de ſacrif. n.* 493. refert aliquos putaſſe celebrantem in mortali tribus ſpecie diſtinctis peccatis peccare, ratione omiſſæ confeſſionis, ratione omiſſæ contritionis, & ratione indignæ oblationis, ſed rectè contradicunt Vaſq. Bon. Nugn. Averſa *de Euch. q.* 8. *ſ.* 5. §. *Quartò*, nam quod attinet ad impœnitentiam, obligatio præmittendi pœnitentiam ex hoc capite non diſtinguitur ab obligatione non indignè communicandi: Quamvis autem oblatio fiat in mortali, non ideò eſt mortale, uti dixi *l.* 6. *p.* 1. *n.* 96.

§.4. Si quis ligatus cenſura, v.g. excommuni- 1110
catus, & ſimul in mortali conſtitutus communicet vel Miſſam legat, Vaſq. Dian. Hurt. Lugo *de Euch. d.* 14. *n.* 20. putant eſſe unum numero peccatum, quod Tamb. *de Comm. cap.* 1. *n.* 7. vocat probabile, Gob. *in Exp. tr.* 3. *nu.* 442. *& tr.* 4. *nu.* 212. vocat tutum, quia præceptum humanum concurrens cum divino vel naturali ſub eodem motivo, quale hìc videtur eſſe reverentiæ, non addit novam ſpeciem malitiæ. Admittit hoc *Suar.* attamen putat eſſe circumſtantiam aggravantem in confeſſione exprimendom. *Vaſq. & Lugo* dicunt non addere tantum malitiam, ut opus ſit in confeſſione exprimere, ſed probabilius videtur eſſe oppoſitum, ob rationem dandam *n.* 1111.

§.5. Si quis in mortali, & etiam non jejunus 1111
communicet, adhuc putant Hurt. Dian. & Lugo ob rationem *n.* 1110. datam eſſe unum ſpecie peccatum, ſed Bonac. Molfeſ. Homob. Rayn. Averſ. §. *Quintò*, Boſco *de Euch. ſ.* 10. *conc.* 2. & alii probabiliùs contradicunt, quia motivum præcepti divini eſt, ne Sacramentum fruſtretur effectu, motivum autem præcepti humani eſt ſpecialis reverentia erga Corpus Chriſti. Addit *Averſa*, quia quamvis eſſet idem motivum reverentiæ in genere, tamen eſt alius modus reverentiæ in ſpecie, poſtulans, ut accedat nec in cenſura ſpecialiter contumax Eccleſiæ, cujus Sacramenta vult participare, nec in mortali per illud ponens obicem gratiæ, ſed afferens ſpecialem reverentiam jejuni corporis, quo ſignificet ſe hunc cibum ſpiritualem præferre omni corporali. Idem eſſe dicunt ſi Sacerdos & in mortali, & abſque ſacris 1112
veſtibus conſecraret, item ſi conſecraret & extra ſpatium altaris conſecrati, & extra extenſionem corporalis, uti rectè Dicaſt. *de Euch. d.* 2. *n.* 206. quia eſt diſtincta ſignificatio, ob quam Eccleſia utrumque requirit, nempè altare velut aram crucis, in qua Chriſtus eſt immolatus, corporale autem velut ſindonem, in qua depoſitum eſt Corpus Chriſti.

§.6. Ex dictis *n.* 1108. conſtat Sacerdotem con- 1113
ſecrantem in mortali peccare mortaliter. Quòd ſi inſuper in mortali communicet, eſt aliud ſpecie peccatũ, quid

quidquid contradicat Sporer suprà, quod evitasset, si ante Communionem elicuisset contritionem, uti dictum est *l.6.par.1.n.93*. Quod si post consecrationem incidisset in mortale, & in eo sibi ipsi dedisset Communionem, adhuc contraxisset peccatum specie diversum à peccato illius, cui ab altero daretur Communio, est enim diversa malitia indignè ministrare, & indignè suscipere Eucharistiam. Unde consecrans & posteà seipsum communicans in mortali quadruplicem specie malitiam contrahit, primam, quia Eucharistiam in mortali conficit; secundam, quia indignè ministrat; tertiam, quia ministrat indigno; quartam, quia suscipit indignus: probabile tamen est, quòd malitia secunda non sit mortalis, secundùm dicta *l.6. p.1. n.94*. quia ibi nullum Sacramentum conficitur, nec est operatio, quæ fiat nomine Christi, nec impeditur effectus Sacramenti. Omnes autem illæ malitiæ intelliguntur, si dicat, celebravi Missam in peccato mortali.

1114 §.7. Rectè docent Lugo, & Aversa §. *sextò*, non esse opus in confessione addere, an cum gravissimo vel minus gravi, an cum uno vel pluribus mortalibus communicarit vel Missam legerit, uti nec an cum una vel pluribus censuris, an cum contracta ex hoc vel illo delicto, &c. quamvis enim sit majus peccatum cum majoribus peccatis ista facere, quia est magis indigna susceptio, attamen est intra eandem speciem.

1115 §. 8. Si quis peccatori publico porrigat Eucharistiam, Tamb. *de Comm. c.6.n. 21*. putat committere unum tantùm peccatum, sed imprimis certum est peccare mortaliter cooperando peccato alterius, deinde etiam peccat alia specie malitiæ, infideliter fungendo officio Ministri, ad quod ordinatus est, attamen secundùm dicta paulò ante probabile est, quòd hæc malitia sit venialis tantùm.

1116 §. 9. Qui semel communionem Paschalem, & semel Communionem in periculo mortis pro viatico sumendam neglexit, commisit duo specie peccata, nec satisfacit dicendo, bis neglexi Communionem graviter præceptam, sed exprimere deber, quòd semel præceptam pro viatico, uti dictum est *l.6.p.1.n.605*.

1117 §. 10. Confessio tunc habet adjunctam malitiam sacrilegii, si quis accedat sine debito examine, exponens se periculo omittendi aliquod mortale: Si ex pudore vel simili motivo omittat peccatum, quod scit esse, vel de quo negativè dubitat, an sit mortale: si accedat sine dolore supernaturali & sincero, aut sine proposito firmo cavendi omnia mortalia imposterum; item si accedat non habens efficacem voluntatem primam occasione, qua poterit, restituendi furtivè ablata, famam, honorem, &c. item si accedat sine efficaci voluntate relinquendi omnes occasiones proximos peccandi: Ratio horum omnium est, quia accedit indispositus facit absolutionem esse irritam, impedit effectum Sacramenti. Omnes tamen isti modi invalidandi confessionem sunt ejusmodi speciei: hinc licèt aliquis quandoque uno, quandoque alio modo invalidarit, satisfacit dicendo toties confessus sum sacrilegè.

1118 §. 11. Si quis sub confessione mentiatur, committit sacrilegium, quandoque grave, quandoque leve, uti dicetur à nu. 1175. De circumstantia complicis, qui est filius vel filia Confessionis, dictum est n.1041.

1119 §. 12. Contrahentes Matrimonium in mortali peccant mortaliter, imprimis in quantùm sunt Ministri conficientes, secundùm dicta *l.6.p 1.n. 93*. docentque *Lugo Dicast Castrop. Arr.* & alii, quidquid contradicant Suar. Sanch. Con. Præpos. Dian. Burgh. *cent. 2. casu 95*. Deinde etiam in quantùm sunt recipientes Sacramentum, quia ponunt obicem gratiæ causandæ, & hæc peccata specie distinguuntur. Ibid. tamen dixi utramque malitiam sufficienter explicari, dicendo se in mortali contraxisse Matrimonium.

§ 13. Quamvis Matrimonium sit à Christo elevatum ad rationem Sacramenti, quod dat omnimodam indissolubilitatem, & propter significationem suam exigit carnem non dividi, ut Christus non dividitur ab Ecclesia, nec humana Christi natura à divina, ideóque fideles adulteri peccantes contra hoc vinculum & exigentiam Sacramenti committant irreverentiam in Sacramentum, quam non committunt infideles, quorum matrimonium habet rationem Sacramenti sed tantùm contractus, tamen rectè docet Card *in 2. crisi d.30.c.4.n 61*. hoc peccatum non esse propriè sacrilegium, cùm Sacramentum non violetur in se immediatè, sed tantùm violetur lex, & exigentia orta ex Sacramento; hinc cùm solorum fidelium peccata sint materia confessionis, hæc malitia satis intelligitur, si confitens se accuset de adulterio. 1120

§.14. Percussio Clerici specialiter prohibetur ab Ecclesia, non tantùm ob honestatem intrinsecam justitiæ, sed etiam ob reverentiam personæ Deo consecratæ debitam: hinc etiam habet malitiam contra religionem in confessione exprimendam. 1121

§. 15. Probabile est, quòd is, qui simul est Sacerdos, Parochus & Monachus, unum mortale committat, si negligat Horas Canonicas, & satisfaciat dicendo, ego Sacerdos omisi Horas, tacendo se esse Parochum & Monachum, uti docent Henriq. Sanch. Fill. Salas, Homob. Garz. *p. 2. tr. 12. R.22 p 4 t.4. R.219 p.10.t.12 R 25*. Palliz. *t. 1. tr.5.c.8.n.96*. Castrop. *tr.7. d. .p. .§.2 n.29*. Tamb. *in Dec. l.2.c. 5. § 1. n. 33*. Gob. *in Exp. tr.5. n. 580*. Burgh. *cent.3. cas. 81*. Probabile tamen etiam videtur oppositum, nempè quòd duo specie peccata committat specialiter exprimenda, unum contra virtutem religionis, ratione Ordinis vel Professionis religiosæ; alterum contra virtutem justitiæ ratione Beneficii, nam posteà tenetur ad restitutionem, ergo signum est violatam esse justitiam, ita *Suar. aym. Bon. Fag.* & alii sed priores Authores probabiliter respondent restitutionem illam ab Ecclesia imponi, non tanquam debitam læsionem juris alieni, sed tantùm velut pœnam delicti. 1122

§. 16. Omittens omnes Horas unius diei committit unum specie peccatum, quia omnes constituunt unum Officium ex eodem motivo religionis, Navar. Lugo & alii cum Tamb. *de Conf. l 2 c.2. n 4*. An autem sit unum numero peccatum, dixi *l. 5. n. 166*. 1123

Q 150. *Quomodo species sit distinguenda in peccatis capitalibus?* R.§.1. Quamvis bona animæ, corporis, fortunæ, famæ, honoris sint inter se diversæ speciei, tamen qui semel de uno & semel de alio superbiens graviter peccavit, quia nempè vel putavit habere se merito suo independenter à Dei gratia, vel ideò ita excellere voluit, ut nollet se submittere Deo & Superioribus, (quæ rarò accidunt) satisfacit dicendo se bis habuisse gravem superbiam, tacendo de quo bono superbierit, hoc enim *materialiter* tantùm se habet: attamen putare se habere merito suo independenter à Dei gratia, & ita excellere velle ut nolit se submittere Deo & Superioribus, sunt duæ superbiæ species distinctæ. 1124

§.2 Dummodò absint delectatio, gaudium, desiderium, probabile est, quòd in jactantia non sit opus explicare peccatum in specie, de quo te jactas, sed sufficiat dicere, jactavi me de peccato mortali, non exprimendo, an fuerit furtum, an luxuria, quia tota malitia jactantiæ videtur esse, quòd offensa Dei eligatur ad captandam gloriam, in quo est irreverentia contra Deū Nav *Dian. par.3.t.4.R 161*. Castrop. *tr.2.d 2.p.11*. Moya *t.3.d.3.n.84*. Gob. *in Quin.t.5.c 13.n.64*. Tamb. 1125

de Conf. l. 2. c. 2. n 10. *Dixi* 1. dummodò absint delectatio, &c. nam hæc omnia rarò aberunt, præsertim si sint objecta delectantia, quæ solent fortiter movere potentias, Lugo *d.* 16. *n.* 266. In dubio autem putat *Gob.* præsumendum esse, quòd adfuerit complacentia, cùm plerumque interveniat. *Dixi* 2. probabile esse, nam sententia opposita est fortè probabilior, uti volunt Sanch. Rodriq. Dicast. *d.* 9. *nu.* 519. sicuti enim quævis virtus obligat, ut non inducam aliquem ad sui transgressionem, secundùm dicta n. 984. quia nempè sic inducere est in contemptum & vilipendium honestatis, quæ est in tali virtute, ita videtur quævis virtus obligare, ut non glorier de illius violatione, quia etiam sic contemnitur, & vilipenditur ejus honestas, ergo gloriatio de hoc vel illo peccato opponitur specie diversæ honestati hujus vel illius virtutis excludentis tale peccatum, ergo jactantiæ de diversis peccatis habent diversas specie malitias.

1126 §. 3. Si ex tua jactantia simul redundet infamia in alium, patet addi alium speciem injuriæ contra famam proximi, uti notant omnes. Dicast. *n.* 526.

1127 §. 4. Non est opus addere, an reverà commiseris hoc, de quo te jactas, vel non, quia eadem est irreverentia, sive peccatum sit verum sive falsum, & mendacium. quod additur, secundùm se est tantùm veniale. Caj. Nav. Sanch. Lugo *nu.* 274. Dicast. *nu.* 527. Tan. *n.* 12.

1128 §. 5. Qui gloriatur, quòd alium inebriaverit, secundùm Gob. *nu.* 63. communiter non peccat mortaliter, quia non gloriatur de formali inebriatione, sed de modo & dexteritate in fallendo altero, uti de jocis, aut de sua potentia in ferendo vino.

1129 §. 6. Inebriatio aliter causata quàm per potum distinguitur specie ab ordinaria ebrietate per potum, uti dictum est *l.* 5. *n.* 326. quia si quæratur per potum; opponitur legi temperantiæ, si sine potu, v. g. dormiendo in lupulo, non pertinet ad legem temperantiæ, sed ad aliam legem naturæ de non exturbando statu rationis, quam proximè recipere non possis.

1130 §. 7. Ad iram communiter accedit species maledictionis seu imprecationis, quæ prout est in se vel in alium, potest continere diversas species malitiæ, item perjurii; item blasphemiæ in Deum, ut irreverenter invocando sanguinem Christi vel Sacramenta. Reliqua intelliguntur ex dictis hactenùs.

1131 *Q.* 151. *Quomodo explicanda sit species in peccatis alienis?* R. §. 1. Qui inducit vel consilium dat alteri, v.g. de furto secum patrando, item qui solicitat vel seducit alterum ad luxuriam, qui in Missa provocat alterum ad fabulas, aut aliter verbo vel exemplo incitat ad peccandum secum, committit saltem duplex species peccatum, ideóque in confessione debet addere, si fuerit inducens, consulens, solicitans, provocans, ut intelligitur ex dictis à *n.* 984. ubi plura dicta sunt circa scandalum.

1132 §. 2. Inductio ad peccatum, sive fiat per consilium, sive per jussionem, sive per consensum, &c. est ejusdem speciei, & satisfit dicendo, fui alteri causa peccati talis. Adulatio tamen & laus præsentis de peccato facto regulariter addit aliam speciem, quia excitat non tantùm ad complacendum in peccato præterito sed etiam ad iterùm peccandum, Lugo *d.* 16. *n.* 266. Dicast. *d.* 9. *n.* 528.

1133 §. 3. Si quis peccet cum alio, qui non ita peccet, sicuti ipse v.g. si consanguineam inducat ad fornicationem, quæ ignorat consanguinitatem, malè confitetur dicendo, *induxi aliquam ad incestum mecum*, ipsa enim non commisit incestum, sed solam fornicationem, adeóque addere debet ex parte sua fuisse cognitionem, sed ex parte mulieris fuisse ignorantiam consanguinitatis. Similiter qui ad fornicationem induxit mulierem stultam vel plenè ebriam, debet hoc ipsum addere, alioquin si dicat se induxisse mulierem ad tale peccatum, Confessarius judicabit eum peccasse etiam peccato scandali, cùm tamen talis mulier scandali capax non fuerit, Dic. *à n.* 239. Reliqua intelliguntur ex dictis *à n.* 984.

Q. 152. *An in confessione explicari possit una spe-* 1134
cies divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ? R. §. 1. Malè sit, si in eadem prima confessione id fiat, quia est contra sinceritatem confessionis, ideóque Sacerdos Confessario ignotus, qui fornicatus est, malè sic confitetur, *sum fornicatus, peccavi contra votum in materia gravi*, Lug. & alii cum Arr. *d.* 35. *n.* 41. contra Suar. Avers. *qu.* 10. *s.* 7. Dicast. *d.* 9. *n.* 170. Bosco *d.* 7. *s.* 8. *n.* 175. Ratio est, quia explicat peccatum aliter, quàm commiserit, nam significat se duo peccata divisim commisisse habentia singulas primarias malitias, quarum nulla sit circumstantia alterius, quod falsum est, cum commiserit unicum habens duas malitias, quarum una est circumstantia alterius.

§. 2. Si quis sit confessus unam malitiam, & 1135
oblitus alteram, tum tantùm sufficiet in confessione sequenti addere hanc alteram, quando per utramque confessionem omnes malitiæ sufficienter intelligentur, v.g. si Sacerdos ille heri confitens, & non reflectens se ad circumstantiam sui voti dixisset, *fui fornicatus*, satisfaceret hodie dicendo, *se graviter peccasse contra votum castitatis*, quia jam expressit utramque malitiam, & una potest sine altera intelligi, Nav. Henr. Sanch. Bon. Arr. *nu.* 35. Bosco *n.* 170. contra Bonæspei *d.* 8. *n.* 112. E contrà si commisisset adulterium, & non reflectens se ad circumstantiam conjugatæ, dixisset, se esse fornicatum, deberet dodie iterum repetere adulterium, nec satisfaceret licendo, intuli alicui, aut etiam conjugi gravem injuriam, quia per neutram confessionem intelligeretur malitia adulterii, quæ est specialis injuria facta conjugi & Sacramento Matrimonii, Aversa suprà, Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 145. Stoz. *l.* 1. *p.* 3. *n.* 597. Sporer *n.* 406. Quòd si quis furatus sit, ut se inebriaret, Lug. Tamb. Card. *in* 1. *crisi d.* 44. *n.* 131. dicunt non satisfacere hodie dicendo, *furatus sum*, & cras dicendo, *volui me inebriare*, sed debere iterùm confiteri conjunctum hoc vel simili modo, *furatus sum animo me inebriandi*, quia aliàs non explicat furtum fuisse in specie gulæ, in qua tamen fuit ratione finis ob quam factum est. Sed in hoc probabiliter contradicunt *Caram. & Aversa* suprà, nam speciem gulæ exprimit: quamvis autem non dicat, in quo individualiter actu voluntatis tanquam subjecto fuerit, hoc non videtur requiri, ergo cùm anteà expresserit speciem & numerum furti, jam autem exprimat etiam speciem, & numerum gulæ, videtur totam malitiam sufficienter explicare. Videri possunt. Arr. *à n.* 42. & Bosco *à n.* 164.

Q. 153. *An dentur peccata distincta specie inadæ-* 1136
quata tantùm, & quid de illis sit dicendum? R. Oviedo *& Compt. de anima d.* 5. *s.* 3. *nu.* 5. admittunt in physicis distinctionem aliquam mediam, quæ sit major quàm numerica & minor quàm specifica, quàm vocant specificam inadæquatam, v.g. dicunt Petrum & Bucephalum distingui specie, Petrum & Paulum numero, Petrum & Catharinam specie inadæquata. Cum proportione ad illam sententiam putant *Caram.* & alii dari in moralibus etiam peccata distincta specie tantùm inadæquata, qualem esse dicunt blasphemiam unam in Deum & alteram in Sanctos, blasphemiam unam contra misericordiam Dei, & alteram contra justitiam. Bonæspei, quamvis *de anima d.* 2. *dub.* 2. rejiciat illam speciem inadæquatam, attamen *de peccat. d.* 4. *à num.* 280. dicit, si in moralibus admitterentur talia peccata distincta specie inadæquata,

inadæquata, fore obligationem illa specialiter confitendi, eò quòd aliàs Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: incertum enim est, inquit an Christus ad valorem non requisiverit etiam confessionem illorum peccatorum specie inadæquata distinctorum: sed ratio ista nihil evincit, nam dici posset incertum, an Christus ad valorem non requisiverit confessionem multorum, quæ Authores aliqui affirmant, alii negant distingui specie, & tamen si hæc secundùm opinionem probabilem omittantur, non ideò Sacramentum exponitur periculo nullitatis, quia certum est ad valorem Sacramenti sufficere confessionē formaliter tantùm integram. Ratio melior pro ista sententia afferri posset, quia ex Tridentino scimus omnes species esse confitendas, ergo cùm Tò *species*, sit quid commune, extendi debet ad speciem etiam inadæquatam, quia lex confitendi censeri debet favorabilis cùm ordinetur non ad gravandum reum sed ad absolvendum. Contrà tamen est, quòd ex sensu communi fidelium per speciem, quam jubemur confiteri, intelligatur species adæquata & simpliciter talis, Theologi enim hactenùs in moralibus non fecerunt mentionem de specie illa inadæquata, sed talia duo peccata dixerunt simpliciter esse unius speciei, quamvis fundamentum sit asserendi inter illa esse distinctionem numericam majorem.

1137 *Q.* 154. *Si quis non possit, vel excusetur ab aperiendo peccato in specie, a teneatur saltem in genere se accusare de illo, & circà illud elicere contritionem?* R. §. 1. Qui scit se peccasse mortaliter, & planè nescit in qua specie, tenetur ita in genere se accusare de illo, si autem sciat esse in genere, v.g. justitiæ, tenetur & hoc addere, quia peccatum sic in genere explicatum, quando aliter non occurrit, est materia sufficiens absolutionis, ergo etiam necessaria, Lugo *d.* 16. *n.* 532. Dicast. *d.* 9. *n.* 880. Castrop. *punct* 10. *n.* 3 Tamb. *de Conf. l.* 2. *cap* 10. *n.* 53. Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *R* 66. Stoz. *l* 2. *n.* 89. Palav. *nu.* 293. Spor. *nu.* 378. Posteà autem, quando recordabitur peccati in sua specie infima, tenebitur illud sic agnitum iterùm confiteri, quia est obligatio confitendi in specie infima, ergo quamdiù hoc non est factum, remanet obligatio sic confitendi, quando fieri poterit.

1138 §. 2. Si quis ob instans vitæ periculum, aut ne prodat complicem, aut ob aliud grave incommodum excusetur, quò minùs dicat peccatum suum in specie infima, tenetur dicere in ea specie subalterna, in qua si dicat, cessabit tale periculum, sic enim pro nunc satisfit præcepto quantùm moraliter satisfieri potest & debet, postmodùm autem, quando poterit vel alio tempore, vel apud alium Confessarium, in specie infima confiteri sine ullo ejusmodi periculo, ad hoc tenebitur, ob rationem jam datam, patetque ex propositione damnata, quam retuli *n* 596. Oppositum videtur tenuisse Burgh. *cent.* 3. *cas.* 62. hac ratione ductus, quia incommodum excusans ab integritate materiali afficit peccatum, prout hoc est à parte rei, ergo non tantùm quoad rationem specificam, sed etiam genericam; sed patet antecedens esse falsum, nam excusatio afficit peccatum in quantum est allativum incommodi, ergo cùm nullum sit incommodum, si ita in genere aut in specie subalterna explicetur, erit obligatio sic confitendi: hinc *Burgh.* frustra dicit suam sententiam esse communem, pro qua inter cæteros citat Castr. *p.* 11. *n.* 3. sed isto loco nil habet de quæstione illa: *n.* 7. autem planè oppositum tenet

1139 §. 3. Qui ob justam causam confitetur peccatum in genere tantum, non tenetur elicere perfectam contritionem de illo, quia peccatum, quod ita ex causa reticetur, habet se veluti peccatum oblitum, quod suppositâ attritione universali remittitur per absolutionem directè cadentem super confessa, ergo cùm remittatur vi Sacramenti Pœnitentiæ, non est, cur requiratur perfecta contritio, *Lugo Dicast. Leand. Diana Burghab.* suprà.

ARTICULUS II.

Quando sufficiat Confessio integra formaliter. 1140

Resp. Etsi ad hoc Sacramentum requiratur „ semper aliqua confessio, non tamen semper „ opus est, ut ea sit integra materialiter, modò sit „ talis formaliter seu moraliter, id est, quantùm mo- „ raliter loquendo hìc & nunc potest fieri, etsi posteà „ debeas, si possis, supplere defectum non statim, sed „ quando rursum confiteri obligaberis, aut voles. „ Porrò quando talis Confessio sufficiat, sequentes „ regulæ docent. „

Prima. Quandocunque quis ad materialiter in- „ tegrè confitendum physicè est impotens, sufficit in- „ tegritas formalis; quia præceptum divinum non „ obligat ad impossibile Unde possunt in sequentibus „ casibus absolvi: I. Mutus, etsi unumtantùm vel al- „ terum peccatum per nutus significave it; nisi tamen „ scripto possit Confessario exhibere: ad quod tunc „ eum teneri probabilius est, ut communiter docetur, contra *Cajet. Navar.* & alios. II. Surdus: qui „ non potest omnia explicare. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 8. „ III. Ignarus idiomatis, tempore præcepti vel alterius necessitatis, etsi non integrè intelligatur, si „ neque Confessarius linguæ gnarus, neque inter- „ pres haberi possit, imò etsi adsit interpres non „ enim tenetur per eum confiteri, ut docet *Suar.* „ *Vasq. Dian.* nisi fortè in periculo mortis, in quo „ aliqua minora confiteri sufficit. V. Lug. *d.* 15. *nn.* „ 61. IV. Moribundus, usu linguæ subitò destitutus, „ si petat absolvi, ac det signa doloris, vel ante de- „ derit coram aliis; modò id fecerit in ordine ad Sa- „ cramentum, quod de quovis in eo statu præsumen- „ dum videtur. Quo casu si (saltem coram ipso in- „ firmo) sive ab uno, sive pluribus, mediatis, vel „ immediatis testibus detur testimonium, Sacerdo- „ tem non tantùm posse, sed probabiliter etiam tene „ ri absolvere, (saltem sub conditione) docet Dian. „ & Lug. *d.* 17. *à nu.* 84. *&c.* ex multis aliis; item „ *Bonac.* citans declarationem Cardinalium pro se, & „ Præp. *qu.* 4 *dub.* . *&c* eo quòd sic & ægri necessi- „ tati, & reverentiæ Sacramenti consulatur. „

Dixi *saltem*, quia Tamb. *lib.* 2. *exp. Conf.* citans „ *Kon Præp. & Lug.* docet, posse & debere absolvi „ absolutè, etsi sit absens, qui de signo coram se dato „ testatus fuit. Denique si nullum signum dederit, „ nullo modo absolvendus est, cùm actus judicialis „ non exerceatur, nisi præcesserit accusatio: li. èt „ enim recentiores quidam ut Tamb. *cap.* 10. citans „ Homob. & Molfes. item Phil. Servius *in Amicofi-* „ *deli p.* 3. *c.* 1. Anton. *de lit.* Bart, de S. Fausto, *&c.* „ censeant posse, imò debere absolvi sub conditione, „ dummodò aliàs probè & christianè vixerit, eò quòd „ præsumi possit interiùs elicuisse contritionem; id „ que Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 92. *& p.* 9. *t.* 6. *R.* 20. ex „ aliis 12. judicet probabile; ab aliis tamen meri- „ tò rejicitur, & Suar. Vasq. Kon. Mercer. Lug. „ *s.* 3. Malder. &c. ipsoque Dian. *loco cit. & aliis* „ 12. apud Aversam; quia deest omnis externa con- „ fessio, quam esse partem essentialem hujus Sa- „ cramenti, constat ex *Trid. sess.* 14. *can.* 9. & „ ex nullo signo rationabiliter præsumi potest, ut „ suppono. V. Lug. *l. c.* Aversam *qu.* 10. *s.* 18. „ ubi notat absolutionem, quæ iis, qui inscripti „ sunt in societatem Rosarii, solet in infirmita- „ te impendi sine omni confessione, non dari tan- „ quam sacramentalē, nec in ordine ad conficiendum, „

„ Sacramentum, ſed ad indulgentiam & remiſſio-
„ nem pœnæ conſequendam.

„ *Secunda.* Quando vel pœnitenti, vel Confeſſa-
„ rio imminet periculum vitæ, quod nec illum inte-
„ grè confiteri nec hunc audire patiatur, ſufficit in-
„ tegritas formalis. Ratio quia tunc materialis non
„ eſt poſſibilis moraliter : quod valet ſequent bus
„ caſibus.

„ I. Si pœnitens v. g. infirmus, uno alterove pec-
cato dicto deficiat ; vel ſit grave periculum, ne de-
„ ficiat.

„ II. Si infirmus volens confiteri, dum ei fertur
„ Viaticum, reprehendatur multas confeſſiones fe-
„ciſſe invalidas, & gravitas morbi non patiatur dila-
„ tionem abſolutionis. Gran. Tamb. Dian. *p. 5. t. 3.*
„ *R.* 75.

„ III Si ipſe Sacerdos in periculo conſtitutus, vi-
„ deatur ante moriturus, quàm pœnitens abſolvatur.

„ IV. Si tempore peſtis, prudentum judicio, mo-
„ raliter certum periculum ſit, ne Confeſſarius infi-
„ cia ur, qui ſi tamen totam audire velit, tenebi-
„ tur ad eam pœnitens.

„ V. Si immineat conflictus, vel ſit multitudo
„ moribundorum, v. g. in naufragio, nec poſſint
„ omnes audiri : in quo caſu poſſent etiam omnes ſi-
„ mul, dicto uno peccato, quod minùs infamat, (vel
„ etiam ſecundùm quoſdam, ſi aliter fieri non poſſit,
„ dicendo in genere ſe eſſe peccatores) abſolvi, di-
„ cendo : *Ego vos abſolvo, &c.* V. Sà *v. Abſolutio*,
„ & Kon. *de Sacr. d.* 7 *dub.* 9.

„ *Tertia.* Quando ex confeſſione certi peccati vel
„ circumſtantiæ, timetur meritò grave damnum pro-
„ prium, vel alienum, ſive Confeſſarii, ſive alterius,
„ corporale vel ſpirituale, poteſt id reticeri. Ratio,
„ quia præceptũ divinum de integritate, non obligat
„ cum tanto incommodo. Quod tantùm eſſe poſſet,
„ ut peccares confitendo, v g. 1. Si Sacerdos certum
„ peccatum ſit revelaturus (intellige cum Kon.
„ Lugo *d* 16. *n.* 527. quod pœnitens ipſo non te-
„ neatur revelare.) 2. Si ſciat v.g. mulier, ex certo
„ peccato ſibi, vel Confeſſario fore periculum rui-
„ næ 3. Si pœnitenti inde immineat grave damnum,
„ vel periculum vitæ vel famæ : In his tamen caſi-
„ bus videtur requiri neceſſitas confitendi, v. g. ob
„ communionem annuam ; vel ſi longo tempore
„ alioqui eſſet differenda. V. Fill. *tr.* 27. *c.* 6. Lug. *l.*
„ *c.* ubi monet, talia damna aut pericula non facilè
„ fingenda eſſe, & quidem in Religioſo vix poſſe
„ locum habere.

„ *Quarta.* Si quis aliquod peccatum, vel circum-
„ ſtantiam non poſſit confiteri ſine violatione ſigilli,
„ v.g ſi invalidè abſolviſſes ſimoniacum, nec poſſes
„ confiteri niſi illi, qui facilè inde poſſet conjicere,
„ quinam ille eſſet.

„ Ex omnibus ſuprà dictis ſequitur, excuſari etiam
„ ſequentes ab integritate materiali :

„ I. Qui habent caſum reſervatum, de quo *infra*,
„ & Laym. *cap.* 12.

„ II. Scrupuloſum qui perpetuò angitur de oblitis.

„ III. Quem Sacerdos abſolvit ante finem, nolens
„ omnia audire, ut habet Bon. *hic.*

„ IV. Quem fallit memoria, ita ut dicat ſe ſcire
„ in genere, quòd peccaverit mortaliter, non oc-
„ currere autem ſpeciem peccati ; etſi tunc veniale
„ aliquod addere ſit conſultum, Kon. Laym. *l. c.*
„ contra Sot. Medin.

„ Eum, qui extremè rudis, vel ſimplex, dicit ſe
„ dolere de peccatis, nullum tamen in ſpecie, ne
„ veniale quidem ſciat dicere : qui etſi ſpeculativè
„ loquendo poſſit abſolvi, practicè tamen non ex-
„ pedit, ſed data benedictione permittatur commu-
„ nicare. Laym. *l. c.*

VI. Qui aliquod peccatum non poteſt confiteri „
ſine complicis infamatione : v. g. ſi peccaſſes cum „
matre vel ſorore, quam Confeſſarius noſſent, tunc „
enim (ſi alium Confeſſarium non potes habere, „
quem aliàs adire tenereris ſufficeret, imò deberet „
dici, quòd animo cum ea, vel in genere, cum ali- „
qua fornicationem, vel inceſtum commiſiſſes, re- „
ticendo gradum primum vel ſecundum, quoad lice „
bit, ſine manifeſtatione complicis, cum propoſito „
confitendi integrè Sacerdoti alteri proxima occa- „
ſione. Ita probabiliter Nav. *c.* 7. Bon. Can. Vaſq. „
Præp. *hic d.* 6 & Gomez, &c. Ratio eſt, quia quan- „
do duo præcepta divina concurrunt naturale & po- „
ſitivum, quæ ſimul ſervari non poſſunt, præferen „
dum eſt naturale ; quia ſtrictiùs obligat. Etſi pro- „
babiliùs contrarium doceant Fill. Suar. Vaſq Leſſ. „
Lug. *d.* 16 *n.* 394. Hurt. Kon & alii. Unde talis ſal- „
tem non tenebitur tacere id peccatum, ne compli „
cem infamet, niſi commodè poſſit ; (quod *Lug.* ex- „
tendit etiam ad non complicem, ſine cujus manife- „
ſtatione peccatum explicari non poteſt) ideóque „
Confeſſario curandum, ne nominentur perſonæ, „
niſi ad pœnitentis directionem opus eſſet, tunc enim „
infamia iſta non tanti æſtimatur, eamque ſibi im- „
putat, quia peccavit : Conferendum tamen eſt „
commodum directionis, cum infamia. Rat o ſuprà „
dictorum omnium, quia in his caſibus moraliter „
non poteſt fieri confeſſio mater aliter integra : Lay. „
c. 8. Fag *p.* 1. *c.* 3. v. Dian. *p.* 3. *t.* 4 *R.* 64. & 131. & *p.* „
1. *t.* 7. *R.* 49. Leſſ. *l.* 2. *c.* 11. Tamb. *l.* 2 *c.* 9. §. 2. ubi „
docet, probab le eſſe, quod talis pœnitens propter „
ſolam conſolationem, quam ſentit ab amico vel „
docto Confeſſario, poſſit ei confiteri, etſi alium ha- „
bere poſſit. „

ADDENDA.

Q*uæſt.* 155 *Quid præterea ſit notandum circa* 1141
Confeſſionem formaliter integram : R. 1. Con-
feſſio ſaltem formaliter integra eſt de eſſentia Sacra-
menti, aliqua enim confeſſio eſt pars Sacramenti,
uti doctè evincit Syl. *p.* 2. *in fine Orat.* 1. non mate-
rialiter, ergo ſaltem formaliter integra. Hinc ſequi-
tur eum, qui ſacrilegè aut invalidè eſt confeſſus ali-
quod peccatum, teneri illud iterum confiteri, quia
talis confeſſio fuit nulla.

§. 2 A Confeſſione materialiter integra non ex- 1142
cuſat præcisè infamia apud Confeſſarium incurrenda,
quod meritò certum eſſe dicit Eſparſa *q.* 90 *ar* 2 *ad* 3.
quamvis enim inſtitutio Divina non obliget ad gra-
via onera Sacramento extrinſeca, tamen obligat ad
intrinſeca, quale eſt confuſio propter propriam pec-
catum ſubeunda apud Confeſſarium, ſequitur enim
per ſe ad manifeſtationem peccati ſui, quam præce-
pit Deus.

§ 3 Qui prudenter timet lapſum ſuum, ſi faciat 1143
longum examen circa peccata carnis, poteſt omiſſo
diligentiori examine petere abſolvi, ſaltem uſque-
dum abſit hoc periculum ; confitendo in ſpecie, quæ
poteſt ſine periculo, tum enim eſt impotentia moralis
confitendi integrè, Sporer *n.* 408. Tamb. *de Conf. l.*
2. *c.* 10. *n.* 21.

§.4. Quamvis multi doceant reticeri poſſe pec- 1144
catum, ne manifeſtetur complex, uti inſinuabitur *n.*
1752 tamen Bonæſpei & Steph. *tr.* 5 *d.* 5. *n.* 162 rectè
dicunt Confeſſarium poſſe interrogare pœnitentem,
an ſit in occaſione proxima peccati, ſi ex ea ventu-
rus ſit in notitiam complicis, per accidens enim eſt,
quòd hujus peccatum etiam manifeſtetur Et ſecun-
dùm omnes cum Lugo *d.* 16. *à n.* 431. poteſt Con-
feſſar us cogere pœnitentem ad peccatum complicis,
vel cujuſcunque alterius, manifeſtandum illi, ad
quem ſpectat ſcire & emendare, vel cavere periculum

relapsus aut alienæ seductionis : sed rectè monet Mendo *d.* 10. *q.* 5. *n.* 116. quid etiam dicam *n.* 1752. non expedire, ut Confessarius se offerat ad talem manifestationem faciendam, nam per hoc fit Confessio odiosa saltem apud alios, unde si necesse sit fieri, potiùs petat à pœnitente, ut extra confessionem de hoc ipsi loquatur, quod etiam suadet Lugo *n.* 435.

1145 §. 5. Uxores & matres sæpè excusantur, quæ peccata maritorum, & filiorum saltem indirectè tangunt apud Confessarium, qui hos novit, id enim communiter faciunt ad necessarium, qui hos novit, vel ad leniendum ingentem dolorem, & alioquin nimis durum foret continuò adire novos Confessarios; videnturque mariti & filii, quia peccarunt agendo contra uxores vel matres suas, excidisse jure suo ad illam famam retinendam, Steph. *t.* 4. *d.* 6. *n.* 12. Consulendum tamen est, ut quantùm fieri potest, de alienis peccatis taceant, & se solas accusent.

1146 § 6. Quando pœnitens defectu temporis non potest Sacerdoti confiteri nisi unicum peccatum, si habet mortale, tenetur mortale confiteri, qualecumque tandem, & non necessariò gravissimum, Illsf. 138. Similiter si confiteatur in genere soli Sacerdoti, tenebitur dicere, peccavi graviter. Illsf. *n.* 139. Ratio utriusque est, quia hoc ipso quòd possit dici mortale in specie, vel saltem in genere, præceptum obligat, potestque illi satisfieri : sed non obligat, ut unum dicam præ altero, ergo.

1147 §. 7. Si quis cum causa reticeat peccatum, vel confiteatur in genere tantùm, non tenetur de tali peccato nòn expresso elicere contritionem perfectam, uti dictum est *n.* 1139. An habens reservata possit hæc reticere apud Confessarium non habentem potestatem in reservata, & solis aliis absolvi dicetur *n.* 1599. Quomodo ille, qui dixit se velle generaliter confiteri, possit nihilominus aliqua reticere, dicetur *n.* 1183. & 1879.

1148 *Q.* 156. *Quid addendum sit circa causas & modos dimidiandi confessionem vel absolutionem* ? R. seqq. §. 1. Confessio tum dicitur dimidiari, quando pars peccatorum exprimitur & pars reticetur. Absolutio tum dicitur dimidiari, quando pœnitens est quidem dispositus ad absolutionem omnium peccatorum, & Confessarius etiam potestatem habet absolvendi ab omnibus, attamen ab omnibus non absolvit, quia restringit intentionem ad aliqua tantùm.

1149 §. 2. Magnus concursus pœnitentium non est causa sufficiens dimidiandi confessionem, uti constat ex hac prop. 59. ab Innoc. XI. damnata, *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* Unde nunc non est audiendus Gob. *t.* 6. *nu.* 479. dicens oppositum esse probabile.

1150 §. 3. Lumbier apud Carden. *in* 2. *crisi* 38. *nu.* 14. etiam post damnatam illam propositionem putat adhuc causam dimidiandi confessionem sufficientem esse, si in concursu pœnitentium aliqui eorum non essent redituri ad confessionem, sed meliùs contradicit Card. *à n.* 16. nam cùm tales possint redire, si velint, quòd ex malitia non sint redituri, non facit necessitatem physicam aut moralem absolvendi dimidiatè confessos, alioquin etiam deberem absolvere eum dimidiatè confessum, quem præviderem nihilominus iturum ad Communionem, quamvis non absolverem.

1151 § 4. Idem Lumbier putat causam sufficientem dimidiandi confessionem esse, si pœnitens peregrinus bona fide accedat non satis examinatus, qui discedere statim debeat, neque possit ob multitudinem confitentium satis examinari à Confessario : sed neque hoc sufficiat, nisi accedat impossibilitas moralis integrè confitendi, qualis esset, si pœnitens non esset capax ad examinandam conscientiam, nec aliàs possit confiteri, & Confessarius v. g ob fatigationem non posset eum diutiùs examinare, tum enim dimidiatè confessus posset absolvi, Card. *n.* 30.

§. 5. Si pœnitens ritè dispositus confessus sit 1152
plura venialia, & Confessarius intendat eum ab aliquibus tantùm absolvere, validè absolvetur ab his, & non ab aliis, quia potest unum remitti sine altero, & hoc sensu validè dimidiabitur illa absolutio venialium, hoc tamen est illicitum, sitque injuria pœnitenti, qui posita ex parte sua dispositione & confessione talium peccatorum, jus habet ad absolutionem adæquatam illorum.

§. 6. Si pœnitens confessus sit plura mortalia, 1153
& Confessarius intendat eum absolvere ab aliquibus tantùm absolutio erit invalida defectu intentionis, quia Christus requisivit talem intentionem in Confessario, vi cujus saltem indirectè possent remitti omnia mortalia, noluit enim unum mortale remitti sine altero, quia voluit remitti per gratiam, quæ cùm constituat simpliciter amicum & filium adoptivum Dei, pugnat cum quocunque mortali, quod reddit odibilem, & hostem Dei.

§. 7. Si pœnitens suo Superiori confessus sit duo 1154
mortalia, unum ipsi reservatum, alterum ipsi non reservatum : aut si confessus sit solum reservatum, eò quòd Superior noluisset audire non reservatum, si iste Superior intendat directè absolvere ab hoc solo reservato, eumque remittat ad Confessarium inferiorem pro directa absolutione ab altero non reservato, validè quidem Superiore absolvetur directè, & à non reservato indirectè, probabilius tamen est cum Castrop *tr.* 23 *pu.* 15. Lug. *d.* 20. *s.* 6. Dicast. *d.* 11. *n.* 317. Aversa. *q.* 17. *s.* 9. Moya *d.* 1. *qu.* 8. *n.* 18. aliisque plurimis contra *S. Anto. Sot. Palud. Nav. Led. Caj.* & alios, hoc esse illicitum, nam imprimis si pœnitens illi confessus est etiam non reservatum, videtur per confessionem factam, & acceptam acquisivisse jus ad illius etiam absolutionem, ideóque Suar. *d.* 31. *s.* 1. *n.* 2. sententiam Medinæ putantis eum licitè ad inferiorem remitti, dicit esse improbabilem, imò putat non posse non absolvi directè, quamvis de hoc dubitet Lugo *nu.* 77. Deinde hoc ipso quòd superior nollet audire alterum non reservatum, peccaret, quia non videtur pro sua libertate facere posse, ut ita dimidietur confessio, quæ de jure divino debet esse integra. Et cùm confessio non possit, per se loquendo, esse dimidiata, multò minus absolutio : potestas enim reservandi nullum speciale jus tribuit Superiori, ut alterutram dimidiet, maximè cùm non videatur ordinariè occurrere rationabilis causa sic dimidiandi, nisi fortè in raro casu, v. g. impossibilitatis audiendi reliqua : Neque enim sufficit multitudo negotiorum, uti rectè Archic. Sylv. Victor. Suar. Vasq. Tann. Layn. Fill. *t.* 7. *nu.* 301. contra *Rich. Sot. Navar. Caj. Sa, Henri. Valent. Tolet.* Itaque debet Superior vel audire, & absolvere ab omnibus, vel pro omnibus remittere ad inferiorem, tollendo reservationem, quod potest etiam extra Sacramentum, aut huic communicandæ potestatem absolvendi etiam à reservato. Quid autem fieri debeat vel possit, si pœnitens communicare debeat, & desit Confessarius habens potestatem in reservata, dicetur *n.* 1599.

Q. 157. *Quid dicendum de illo, qui Confessario* 1155
ignoto confitetur mortalia, & postea ordinario suo Confessario sola venialia : R. de hoc dicetur *n.* 1186.

Q. 158. *Quid addendum sit circa absolutionem* 1156
moribundi, qui jam dare non potest ulla signa pœnitentiæ ? Resp. seqq. §. 1. Moribundus, quamvis nunc nulla dare possit signa Pœnitentiæ : potest

& consequenter debet sub conditione absolvi, saltem tum, si resciatur, petivisse Confessarium aut voluisse confiteri, ita Author opusc. 65. apud S. Thom. *Tit. de Sacra. Unctionis* sub finem, & sequuntur omnes Societatis Authores, teste Gormaz. *p. 2. nu.* 244. refertque Authores 32. Dian. *p. 3. tr. 3. R. 4.* Aversa. *q. 10. s. 17.* refert 34. Carden. *in 1. crisi d.* 48. adhuc plures: & esse communem apud PP. Dominicanos, testatur *Casulas* apud Moyam *d. 6. qu. 1. Probatur* ex Concilio Carthag. IV. can. 76. His verbis, *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam.* Idem habetur ex Conc. Carthag. III. *Cap. ægrotantes 75. de Consecr. dist. IV.* Item in Conc. Arausicano I. *can.* 12. Et ita expressè statuitur à S. Leone Papa *Cap. His qui causa 26. q.* 6. Item à Rituali Romano *Tit. de Sacram. Pœn.* quod Rituale Paulus V. approbavit, & per expressam constitutionem, quæ est 85. apud Cherubinum, mandavit observari. Ideóque *Jo. Sanch.* apud *Moyam* dicit hanc sententiam esse ferè definitam à SS. Canonibus. *Nec obstat* decretum Clementis VIII. de quo dicetur *nu. 1195. nam* nihil dicit contra confessionem in absentia factam, dummodò sit ordinata ad absolutionem à præsente habendam. Quòd autem Clemens voluerit ejusmodi moribundum absolvi, imò dixerit se absoluturum, si casus se offerret, testati sunt Cardin. Bellarm. & Arch-Episc. Armacanus apud Lug. *d. 17. à nu. 76.* Accedit testimonium Patris *Suar.* apud Tann. *qu. 9. nu. 16.* qui scribit se ex ore Clementis VIII. & Pauli V. itemque ex sententia multorum Cardinalium habere, non fuisse unquam mentem Pontificum damnare absolutionem talis moribundi, quæ fieret à Sacerdote præsente: hinc certum videtur absolvi debere sub conditione. Ratio est, quia petendo Confessarium externè confessus est se peccatorem, in necessitate autem sufficit confessio in communi, secundùm dicta *num. 620.* Deinde sufficienter confessus est Sacerdoti, quando alius ad Sacerdotem retulit istam ipsius confessionem, *hic enim referens habet se, ac si moribundus ipse fecisset per litteras vel interpretem.* Præterea probabiliter præsumitur esse dispositus, ergo lex charitatis obligat Confessarium, ut proximo in extrema necessitate constituto subveniat, sicut potest. Nec ideò fiet irreverentia Sacramento, nam Sacramenta sunt instituta ad salutem hominum, ergo non est contra eorum reverentiam, sed maximè est secundùm eorum finem, si prout possunt, conferantur, ubi extremè periclitatur salus hominis. Deinde conditio salvat reverentiam Sacramenti, si enim moribundus non sit capax, non fit Sacramentum. Denique proximi necessitas excusat ab irreverentia, uti constat ex multis similibus casibus *in l. 6. p. 1. n. 110. & 119* relatis. Videri potest etiam Rayn. *in Heter. T. 16. s. 1 p. 9. à n. 15.*

1157 §. 2. Tenetur Sacerdos talem moribundum absolvere, quamvis unicus fide dignus testetur illum petivisse Confessarium, vel dedisse signa doloris, quia quando non agitur de præjudicio tertii, creditur uni testi, Moya, & Aversa suprà, Illf. *num. 140.* Dian. *R. 5.* Escob. *l. 15. probl. 51.* Henriq. *d 3. num. 70.* aliique communissimè: Imò fere omnes addunt cum Gormaz. *num. 258.* sufficere, si ad testetur etiam infidelis vel hæreticus, quia cùm sint hostes hujus Sacramenti, præsumi non potest, quòd falsò testentur in ordine ad hoc, ut Sacramentum fiat.

1158 §. 3. Idem dicendum est, quamvis testis hoc dixerit absens à moribundo, ad quem solus Sacerdos accedat, uti tenent AA. gravissimi, quorum 30. refert & sequitur Moya *quæst. 2.* ad quos accedunt Aversa. & Illus. *supr.* Lug. *n. 85.* Esc. *probl. 52.* Gorm. *n. 257. & 265* Platel. *n. 871.* Gob. *t. 7. n. 599.* cùm enim illa ægroti confessio fuerit facta ex intentione habendi absolutionem à Sacerdote præsente, sufficienter fuit sacramentalis, & secundùm antedicta in necessitate sufficit.

1159 §. 4. Idem dicendum est, licèt testis hoc referens Sacerdoti non viderit aut audierit ipse, sed tantùm habeat ex relatione alterius, Dic. Dian. Herin. & Illf. *supr.* Lugo *n. 81.* Esc. *probl. 50.* Moya *à nu. 6.* parùm enim ad rem facit, quòd Sacerdos id mediatè resciat, cùm satis sit confessionem sensibilem à pœnitente esse positam, & directam ad absolutionē à Sacerdote habendā, hocque nunc cognosci à Sacerd.

1160 §. 5. Idem dicendum est, quamvis signa Pœnitentiæ aut doloris fuerint tantùm dubia, uti sunt, quæ secundùm se sunt indifferentia, v. g. si visus sit tundere pectus, oculos ad cælum tollere, aliquam imaginem devotè respicere, quia in articulo mortis quilibet præsumitur desiderare optimum suæ animæ remedium, ergo signa Pœnitentiæ, vel doloris in eo articulo exhibita censeri debent à pœnitente relata ad sacramentalem absolutionem *Conf.* nam saltem dubium est, ergo in extrema necessitate constituto succurrendum est, quantum succurri potest. Et ideò probabiliter deducunt Moya *n. 5* Bosco *n. 170* Escob. *probl. 47.* contra *aym. Lugo & Dian.* si Sacerdos post *confiteor* in Missam incidisset in apoplexiam, esse sub conditionem absolvendum.

1161 §. 6. Si certum esset, quòd talis ægrotus nullo signo externo manifestasset dolorem, adeóque non posuisset ullam confessionem sensibilem, etiam certum esset absolutionem illi dandam fore invalidam; quia confessio sensibilis est de necessitate Sacramenti, secundùm dicta *nu. 669.* Et ideò in Ordinatione pro studiis Superioribus in Societate JESU inter sententias Theologicas prohibetur, ne doceamus hanc 16. *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeò ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest*: Unde à contrario.

1162 §. 7. Quia semper incertum est, an dolor non sit sufficienter manifestatus, adeóque an non aliqua confessio sufficiens sit facta, hinc quidquid contradicant Suar. Vasq. Lyam Mald. Con. Regin. Turr. Lugo, Dian. Rayn. *n. 17.* Arr. *d. 36. n. 34.* aliique plurimi. probabile videtur, quamvis ægrotus non fuerit ullum signum Pœnitentiæ, aut doloris dedisse, adhuc posse absolvi sub conditione, saltem virtute aliarum actionum, quæ secundùm opiniones, licèt dubiè probabiles, nomine confessionis venire possunt, nam plures quàm 30. Authores apud Vindicem Gob. *prop. 1. nu. 23.* quorum aliquos statim referam, dicunt quandam confessionem esse, si quis hactenus vixerit christianè, si Sacramenta frequentarit, &c. ideóque talem in subito casu mortis absolvendum esse. Hoc videtur expressè docere S. Aug. *t. 6. de adult. conjugiis l. 1. c. ult.* uti fusè ostendit Bosco *à n. 131.* Idem docet S. Antoninus in Sacerdorali Romano, & Memoriale Confessariorum approbatum à Greg. XV. cùm esset Archi-Episcopus Bononiensis, uti ad longum refert Schild. *tr. 6. n 39.* Eandem sententiam vocat nunc communem Moya *quæst. 4.* pro qua adductis fusè nominibus, locis, & verbis refert graves Authores 16. qui eam absolutè tenent, item alios longè plures, qui defendunt ut probabilem, & ex præcepto charitatis in praxi tenendam, ad quos accedunt Gob. *n. 601.* Tam. *de Conf. l. 2. c. 9. nu. 11.* Bass. *in Floribus v. Absolutio n. 13.* Schild. *sup.* Escob. *probl. 55.* Carden. *suprà*, Aversa. *sect. 18.* Herin. à

num.

num. 77. Bosco *s.* 9. *concl.* 6. Quarti *in Rubr. Miss. p.* 3. *tit.* 10. *n.* 3. *s.* 1. *dub.* 3. Arsd. *tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. Sporer *num.* 645. & apud hunc Bonagratia, Gorm. *n.* 262. Rationes sunt, 1. quia probabile est illum moribundum habere voluntatem confitendi, cùm quisque præsumatur velle salutem suam, adeóque & hoc medium salutis; sed etiam probabile est hanc voluntatem sufficienter manifestatam esse saltem per vitam Christianè ductam, secundùm ante dicta, confessio enim etiam diu antecedens potest dolorem consequentem sufficienter reddere sensibilem, uti tenent gravissimi Authores *n.* 700. relati: quivis autem benè vivendo intendit sibi prodesse, quantùm potest, ergo intendit manifestare se velle absolutionem à peccatis, quando maximè illa indigebit, & non poterit petere, adeóque pro illo articulo mortis, ergo. 2. Moribundus ille antehac est sæpiùs confessus, sed confitens habuit voluntatem saltem implicitam per illas Confessiones acquirendi jus ad absolutiones etiam plures ab aliis sacerdotibus accipiendas de illis peccatis confessis, & indirectè etiam de aliis, si alioquin periclitaretur de salute, voluit enim per illas confessiones saluti suæ omni meliori modo esse consultum: est autem probabile confessionem unam, si veniat ad notitiam plurium Sacerdotum, esse virtualiter multiplicem, & sufficere ad plures absolutiones uti colligitur ex dictis *n.* 647. Ergo probabile est ex vi confessionum antecedentium esse capacem novæ absolutionis de peccatis olim confessis, per quam indirectè remittentur etiam postea commissa. 3. & præcipuè, quia videtur probabile, quòd ad absolutionem validam sufficiat dolor per signum externum manifestatus, licèt Sacerdos clarè illud signum non agnoscat, dummodò saltem sub dubio præsumat esse positum, uti docent *Aversa & Quarti* suprà, quia addunt locum dubitandi adesse, quandocunque non constat oppositum. Ratio autem illius asserti est, quia manifestatio extrema doloris est aliqua confessio externa peccati, ergo sufficiet ad valorem absolutionis. Jam verò in casu posito præsumi potest moribundum dare, vel dedisse ejusmodi signa externa doloris, uti notant iidem Authores aliique cum Gob. Marschant. Sporer à *n.* 647. nescitur enim, an non utatur ratione & ejusmodi moribundi ordinatiè dant extrema aliqua signa, quibus fortè manifestare volunt suum dolorem, uti innuit S. Thom. *in* 4. *dist.* 22. *art.* 1. *quæstiun.* 2. *ad* 3. his verbis: *Contritio, quæ videtur tantùm interioris Pœnitentiæ esse, invenitur in Pœnitentia exteriori secundùm quædam signa, quibus sensibiliter manifestatur, vel saltem ipsi pœnitenti, qui dolorem sensibilem percipit in seipso.* Ex his sic conficitur argumentum.

Est gravis obligario ex charitate, ut Sacerdos in extrema necessitate proximi operetur ex opinione probabili aliorum, uti habet communis cum Moya *nu.* 35. imò opinio etiam tenuiter tantùm probabilis practicari debet, si aliàs proximè periclitaretur salus æterna proximi, uti tenent multi, & graves authores cum Sanch. Moya *à n.* 38. Vind. Gob. *num* 27. Viva *in append ad prop. damnatas* §. 11. quos secutus sum *l.* 1. *nu.* 366. nec improbare audet Illsf. *n.* 146. quamvis acerrimè stet pro opposita sententia, nam periculum frustrandi Sacramentum pro salute humana institutum, est minus malum quàm periculum amittendæ æternæ salutis hominis, atqui hæc opinio est aliquo modo, & saltem tenuiter probabilis, uti ex dictis patet: ergo.

163 §. 8. Jam dicta extendunt Pont. Gormaz *num.* 265. aliique contra Bosco *nu.* 172. etiam ad casum, quo quis subitò incideret in periculum mortis, quamvis antehac malè vixisset, hinc etiam Escob. *probl.* 55. Spor. *supr.* & alii dicebant sufficere, si constet fuisse christianum, vel catholicum, quia si externè aliqua signa det, præsumi potest saltem dubiè, quòd faciat ex voluntate salvandi, ideóque confitendi, vel manifestandi dolorem, hoc enim prudenter præsumitur, quod communiter contingit, sed catholici in talem agonem lapsi communiter solent petere Confessarium, vel manifestare dolorem, prout possunt, ergo. Ex his infert Gorm *n.* 166. citant Bonagratiam, licèt aliquis actualiter peccandi subitò destitueretur sensibus, regulariter sine absolutione dimittendum non esse. Hinc etiam Tamb. Carden. & Stoz. *nu.* 97. dicunt Christianum in duello vel adulterio confessum, si supersit aliquid temporis ante mortem, vix dimittendum sine absolutione: Et quæ contra hactenùs dicta objici possent, solvunt Schild. *supr.* Moya *à nu.* 36. Gorm. *à n.* 270. & fusiùs Bosco *à n.* 119. Aliqua addam *n.* 1865.

§. 9. Certum est, si ille, qui fuit ægrotus, ad- 1164
veniente Sacerdote sit mortuus, non posse Sacramentaliter absolvi, quamvis ante dedisset signa Pœnitentiæ, uti habetur *Cap. Multiplex.* 49. *de Pœn. dist.* 1. quia ibi non est ampliùs homo, neque anima illa est ampliùs in statu viæ, Sacramenta autem sunt instituta pro hominibus viatoribus. *Nec obstat*, quòd S. Thom. *opusc.* 65. *Tit. de cautela in confessione habenda*, sic scribat: *Si infirmus petit Pœnitentiam, & antequam Sacerdos veniat ad eum, sit mortuus vel amiserit loquelam, Sacerdos habeat eum pro confesso, & post mortem absolvat eum*: Nam opusculum illud non esse S. Th. tenent nunc omnes communiter cum Moya *n.* 16. cujuscunque autem sic explicari debet, quòd velit absolvi, uti absolvi potest, nempè à peccatis si destitutus loquela adhuc vivat, aut si dubitetur de vita; si autem mortuus sit, cæremonialiter à censuris, ut sepultura, & communibus suffragiis Ecclesiæ non careat.

Objic. Aliqui Medici tenent animam rationalem manere unitam corpori etiam uno, vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam, ergo Sacerdos superveniens postquàm aliquis ita est in propinquo tempore defunctus, tenebitur eum absolvere saltem sub conditione. Resp. Si opinio illa per authoritatem, vel rationem fiat alicui saltem dubiè probabilis, c. seqq. Oppositum autem hactenùs putavi, & adhuc puto esse certum.

ARTICULUS III.

Quæ sint reliquæ conditiones confessionis? 1165

REsp. Præter integritatem sunt hæ tres: „
Prima: Ut sit vocalis, scilicèt ordinariè: „
idque propter usum, & praxim Ecclesiæ graviter „
obligantem, nisi subsit justa causa, ut impotentia, „
sive physica, sive moralis, quæ si adsit, potest fieri „
nutu, scripto, alioque signo, v.g. si quis ob anxie- „
tatem loqui non possit; aut puella supra modum „
verecunda aliter se non possit explicare, quàm „
scripto, quo à Confessario lecto, addat voce, de his „
me accuso, Suar. Vasq. Lug. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 6. *nu.* „
3. Imò qui aliter non potest, tenetur juxta com- „
munem sententiam confiteri per nutus, aut scrip- „
tum, tempore præcepti, etsi id, quoad scriptum, „
non admittant Navar. Tolet. Sot. Val. Dian. extra „
articulum mortis, vid. Lugo *disp.* 15. *n.* 87. Simili- „
ter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto „
(licèt ad id non teneantur) ne ab aliis audiantur. „
Eandemque ob causam eos non interrogandos, nisi „
de planè necessariis, ex Pons. docet Dian. 3. *t.* 4. *R.* „
127. *& p.* 5. *t.* 6. *R.* 5. *Unde resolves casum*: „

Is qui extra necessitatem, totam confessionem „
facit nutu vel scripto, mortaliter peccat, ac conse- „
quenter

„ quenter non absolvitur, Dian. *p.* 2. *tr.* 4 *R.* 127. ex „ Sylv. v. Fill. *t.* 7. *c.* 1. Kon. *d.* 5. *dub.* 1. Suar. *d.* 21 *s.* 3. *n.* 5.

„ *Secunda Conditio*, ut sit secreta, id est, ut fiat „ *soli* Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu „ Ecclesiæ. Publica autem, qualis in naufragio, præ„ lio, hospitali, ubi alii adjacent, vel per interpretem „ fit, non obligat (saltem respectu peccatorum oc„ cultorum) nisi ex charitate sui eum, qui in articu„ lo mortis dubitat de contritione; ac tum adhuc „ sufficit ea confiteri, quæ minorem pariunt infa„ miam, Suar. Fagund. Dian. *R.* 29. *&c. Unde re„ solves*,

„ Si quis peccata in prioribus confessionibus obli„ tus esset, non tenetur etiam in articulo mortis ea „ confiteri publicè, vel per interpretem; quia pec„ catorum oblitorum confessio tantùm obligat ex „ præcepto positivo divino, quod in hoc casu cessat, „ v. Laym. *c.* 6. Dian. *R.* 128. *&* 129.

„ *Tertia Conditio*, ut sit vera. Quod requiritur es„ sentialiter in materia substantiali, & necessaria, „ quia aliàs in re gravi decipietur judex: neque esset „ confessio integra, ideóque irrita. Non tamen in „ materia libera; tum quia falsitas signi in accusa„ tione circa materiam accessoriam, non facit sen„ tentiam irritam; tum quia talis tantùm paccat ve„ nialiter, cùm non sit graviter injurius Sacerdoti, „ nec Sacramento, Nav. Suar. &c. *Unde resolves*,

„ I. Non est mortale, nec irritat Sacramentum, 1. „ Si in confessione mentiaris leviter, circa res non „ pertinentes, aut non necessarias ad Sacramentum, „ v. g. si historiam falsam narres, vel si neges venia„ le, vel mortale, quod non teneris confiteri. 2. Si „ falsò te accuses de veniali: quod tamen mortale „ grave erit, si id facias non dando aliam mate„ riam, cùm sic formam reddas irritam, & Sacra„ mentum: nisi tamen facias ex scrupulo, perturba„ tione, Suar. Fill. *c.* 4 Laym. *c.* 8. Dian. *R.* 96.

„ Sacrilegium est, & absolutio nulla. 1. Si morta„ le, quod confiteri teneris, & putas esse, neges, „ aut tegas, ne intelligatur, ut communiter docetur „ contra *Sylv.* 2. Si mortale tibi falsò imponas; „ nisi tamen fiat ex simplicitate, scrupulo, &c. 3. Si „ neges, vel mentiaris circa peccata aliàs ritè abso„ luta, quando Confessarius, ut Judex, vel Medicus, „ de iis aliquid, ut necessarium ad præsentem confes„ sionem, interrogat, Lugo *d.* 14. *à n.* 142. Tamb. *l.* „ 2. *c.* 10. §. 2. secus si ad præsentem confessionem „ non faciat. *Ibidem.*

ADDENDA.

1166 Q. 159. *Quænam universim sint conditiones bona confessionis?* R. S. Thom. *in suppl. quæst.* 9. *ar.* 4. eas comprehendit his versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta & lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Harum qualitatum aliquæ sunt necessariæ, aliæ sunt ad bene esse confessionis, inquit S. Thom. cum quo sic explicari possunt, 1. *Simplex*, ut nihil non necessarium, vel impertinens admisceatur. 2. *Humilis*, ut fiat cum agnitione suæ miseriæ, sine fuco, vel ornatu verborum, item aperto capite, & flexis genibus, quorum unum si sine causa rationabili omittatur, dicunt Authores cum Escob. *l.* 15. *probl.* 11. peccari venialiter. Hoc etiam spectat, ut deponatur gladius, nisi pœnitens profiteretur militiam pro tuenda fide, quod faciunt Melitenses, & Teutonici, de his enim docet Jo. Sanch. *d.* 43. meritò gestare gladium in receptione Sacramentorum, sed si etiam alii non deponant, notat *nn.* 6. non fore peccatum, quamvis in his locis sit consuetudo deponendi ad humilitatem, & majorem reverentiam. 3. *Pura*, ut fiat ex fine bono sive recta intentione. 4. *Fidelis*, ut sit sine mendacio, & falsitate, ita ut nec neget, quod commisit, nec affirmet, quod non commisit, & dicat certa pro certis, & dubia pro dubiis. 5. *Frequens*, ut sæpè fiat. 6. *Nuda*, ut peccata clarè manifestentur, non involvantur verbis dubiis, vel obscuris, possitque intelligi, an veniale tantùm, an verò mortale sit contractum, sæpè enim, quamvis materia sit levis peccatum propter erroneam, vel dubiam conscientiam fuit mortale, & è contrà quando materia est gravis, propter defectum plenæ advertentiæ, vel consensus, peccatum fuit veniale tantùm, & hoc tenetur dicere pœnitens, quia ex materia intelligi non potest. 7. *Discreta*, sive prudens, ut neminem præter se accuset. 8. *Libens*, imprimis ut non fiat ex metu humano, deinde ut pœnitens sua spontè edicat peccata, nec opus sit per interrogationes extorqueri. 9. *Verecunda*, ut fiat imprimis verbis honestis, ita tamen ut species peccati intelligatur: deinde non protervè per modum jactantiæ. 10. *Integra*, ut nihil necessarium omittatur de quo jam ante satis est dictum. 11. *Secreta*, ut voce fiat ad aurem solius Sacerdotis. 12. *Lacrymabilis*, ut cum sincero dolore, & proposito. 13. *Accelerata*, ut non diu differatur. 14. *Fortis*, ut propter verecundiam veritas non dimittatur, nec omittatur integritas. 15. *Accusans*, ut fiat tanquam à reo coram Judice ex intentione absolutionis, item ne peccata sic excuset, quasi non sint peccata, vel ut mortalia appareant dubia, aut venialia, 16 *Parere parata*, ut pœnitens paratus sit obedire Confessario, tum in acceptanda pœnitentia quam injunxerit, tum in exequendis remediis peccatorum, quæ suggesserit. Potest videri Stoz. *l.* 1. *p.* 3. *à nu.* 28. ubi hæc omnia fusè, & ad praxim accommodatè explicat.

Q. 160. *Quid notandum sit circa finem malum, ex quo fieri potest confessio?* R. §. 1. Si confessio fiat ex fine mortaliter malo, invalidatur Sacramentum, quia tum deest verus dolor saltem de isto mortali, nec adest propositum cavendi omne mortale. Si autem fiat ex fine tantùm venialiter malo, poterit quandoque invalidari Sacramentum, plerumque tamen manebit validum, uti habet communis cum Lug. *d.* 15. *n.* 226. Arr. *d.* 38. *n.* 47. Dicast. *d.* 8. *n.* 81. Aversa *q.* 10. *s.* 5. Bosco *d.* 7. *sect.* 7. *à nu.* 97. contra *Sylv.* & alios paucos, qui putant tum semper invalidari Sacramentum, sed jam ostendetur oppositum, nam 1167

§. 2. Si fiat ex fine venialiter malo, v. g. vanæ 1168
gloriæ, hic 1168 actus imperans vanæ gloriæ potest se ita habere, ut efficaciter determinet ad actum imperatum essentialiter à se dependentem pro eodem instanti ponendum: & in hoc casu actus imperatus non habet propriam libertatem, vel moralitatem distinctam à libertate, vel moralitate actus imperantis, consequenter si intentio confitendi concepta ex fine vanæ gloriæ efficaciter imperaret dolorem de peccatis pro eodem instanti ponendum, hic dolor tantùm haberet libertatem, & moralitatem illius actus imperantis, qui est peccaminosus, ergo dolor ille non esset actus bonus, ergo nec supernaturalis, ergo nec sufficiens pro Sacramento Pœnitentiæ, ergo tale Sacramentum esset invalidum. Hoc tamen rarò continget, quia intentio confitendi rarò imperat dolorem pro eodem instanti, quo primò est illa intentio, pro sequente autem tempore, quamvis dolor posteà sit effectus illius intentionis, tamen est effectus contingenter secutus, quia potuisset revocari illa intentio, & actus doloris non poni.

§. 3. Quamvis ita præcesserit, aut etiam adhuc 1169
comitetur actus vanæ gloriæ imperans confessionem, tamen si dolor de aliis peccatis imperetur etiam ab

alio

alio actu honesto, v. g. ab intentione justificationis, dolor imperatus, & ita contingenter sequens ad intentionem vanæ gloriæ poterit habere suam propriã libertatem, & bonitatem intrinsecam, non enim procedet intrinsecè ex illo fine vanæ gloriæ, sed ex proprio suo motivo, v.g. turpitudinis peccati, ergo poterit esse intrinsecè honestus, supernaturalis, & sufficiens ad valorem Sacramenti, cùm peccatum illud veniale vanæ gloriæ non pugnet cum efficaci dolore de aliis peccatis, nec cum gratia per Sacramentum causanda. Et dicendum est ita fieri, si v. g. adolescentes confiteantur, ut censeantur pii sodales, ut placeant suis Magistris, &c. si enim hoc non dicatur cogemur dicere omnes ejusmodi confessiones esse mortaliter sacrilegas.

1170 *Obji.* 1. S.Th.1.2.*q.*19 *a.*7.*ad* 2. ait, *voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi*, sed in nostro casu intentio mala erit causa volendi doloré, ergo dolor non poterit esse bonus. R. Tantùm vult volitionem, quæ pro fine, & motivo habet aliquid malum, non posse esse bonam, hinc statim subjungit, *qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id, quod de se est bonum, sub ratione mali*, hinc pater, quòd non loquatur de casu nostro, nam, secundùm dicta, volitio, quæ est dolor, non habet pro fine vel motivo vanam gloriam, sed pro fine habet justificationem, & pro motivo turpitudinē peccati.

1171 *Objic.* 2. Dolor ille habebit à motivo vanæ gloriæ, quòd existat, ergo non erit honestus. R. n. cons. sicuti si Superior ex mei odio mihi imperet orationem, mea voluntas orandi habet à motivo odii, quòd existat, sed non ideò est in sè inhonesta.

Inst. 1. Actus ille imperans vanæ gloriæ habebit initium ex nobis, & dolor habebit initium ab actu illo imperante malo, ergo dolor habebit initium ex nobis, ergo non erit supernaturalis. R. n. secundam partem ant. sicuti enim si ideò, quia peccavi, velim elicere dolorem, dolor meus, quamvis præsupponat peccatum & occasione illius fiat, non ideò habet initium à peccato vel ex nobis, sed à gratiis actualibus partim illustrantibus intellectum, partim moventibus voluntatem ad dolorem ponendum, ita & hìc: gratiæ autem illæ, quæ sunt initium doloris, causant actum honestum, quo imperatur dolor ex fine justificationis, & per accidens præcessit vel comitatur actus vitiatus ex motivo vanæ gloriæ, qui non obstat honestati intrinsecæ, & supernaturalitati doloris.

Inst. 2. Actus intrinsecè bonus non potest imperari ex malo fine, sed dolor debet esse actus intrinsecè bonus, ergo non potest imperari ex malo fine. R. Actus intrinsecè bonus non potest imperari ex malo fine, qui sit essentialis, & intrinsecus actui imperato, c. si finis malus sit actui imperato accidentalis, & extrinsecus, n. actus enim intrinsecè bonus per respectum ad suum finem intrinsecum, & ad sua motiva honesta potest per accidens denominari extrinsecè malus ex fine actus imperantis, à quo dependet, non tamen procedit ex illius fine, neq; in hunc illius finem tendit, sicuti oratio, quam Superior mihi imperat ex fine malo, est bona intrinsecè, sed denominatur extrinsecè mala ab imperio Superioris, ex cujus fine non procedit, sed ex alio sibi proprio, & honesto, v.g. colendi Deum. Esse autem extrinsecè denominativè malum nihil aliud est, quàm esse malum in causa sive procedere à causa mala, quod non obest bonitati ipsius intrinsecæ, si enim causa Incarnationis de se bonæ fuit peccatum Adami.

1172 *Obji.* 3. Si actus malus possit imperare bonum, ergo actus bonus etiam poterit imperare malum. R. N. seq. quia bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu, uti ex S.Dionys. habet S.Th. 1.2 *q.* 18.*a.*4.*ad* 3.*& q.*20.*ar.*2.*O.* ergo hoc ipso quòd actus aliquis imperet actum malum, habet finem, & objectum malum, ergo est malus; ex hoc autem, quòd actus aliquis pro fine, & objecto habet actum bonum, non sequitur esse bonum, quia aliunde ex motivo, vel circumstantia potest esse vitiatus, uti constat ex dictis.

Inst. 1. Si bonum sit ex integra causa, ergo hic dolor imperatus per actum, cujus motivum est vana gloria, non erit bonus, quia non erit ex causa bona. R. Ergo hic dolor non erit bonus in se, & formaliter, n. non erit bonus extrinsecè, & denominativè in illa causa, quæ est intentio vanæ gloriæ, c. seq. sed hoc non obest bonitati illius intrinsecæ, uti constat ex dictis.

Inst. 2. Elicere dolorem ex malo fine imperatum est cooperari malæ intentioni imperantis, ergo est peccatum. R. Est cooperari formaliter sive intendendo eundem malum finem, n. materialiter, & non intendendo illum malum finem, sed alium honestum, nempe justificationem c. ant. & n. cons. nam ex dictis *l.* 2. *à nu.* 250. certum est sæpè honestum esse materialiter cooperari actioni malæ.

Obji. 4. Quando intentio finis est mala, electio medii est etiam mala, ergo quando actus imperans est malus, actus imperatus etiam est malus. R. n. cons. electio medii est propter utilitatem medii ad finem, ergo intrinsecè intendit illum ipsum finem malum, quem intendit intentio, ergo si intentio finis sit mala, etiam electio medii est mala: E contrà actus imperatus non necessariò intendit omnē finem, quem intendit aliquis actus imperans, uti constat ex dictis. 1173

Inst. Finis intentionis hìc est malus, nempè vana gloria, sed dolor, & confessio sunt veluti electio medii ad istum finem, cùm per confessionem comparanda sit vana gloria, ergo. R. n. min. nam idem actus imperans est intentio vanæ gloriæ, & electio doloris, ac confessionis tanquam medii ad obtinendam vanam gloriam: hinc dolor, & confessio sunt tantùm hoc, quod eligitur in ordine ad vanam gloriam, ipsa autem non sunt electio vanæ gloriæ, nec pro fine suo intrinseca habent vanam gloriam, sed justificationem, & per accidens, ac planè extrinsecum ipsis est, quòd ad alium finem referantur actu imperante malo.

Objic. 5. Est mortalis irreverentia intendere Sacramentum ex fine quamvis venialiter tantùm malo. R. n. ass. est enim improbabile, inquit Arr. *n.* 45. hoc ipso peccari mortaliter, quòd aliqua actio sacra ordinetur ad finem malum, quamvis enim in hoc sit aliqua inordinatio, si tamen hic finis sit tantùm venialiter malus, non potest refundi malitia, nisi venialis, quia finis non potest, per se loquendo, dare electioni majorem malitiam, quàm in se habeat, etiam communicare ex vana gloria non potest esse nisi veniale. 1174

Hactenùs dicta possunt videri fusissimè deducta apud Lugo *d.* 15. *s.* 9. *&* 10.

Q. 161. *Quid addendum sit circa fidelitatem, & sinceritatem in confessione observandam?* R. seq §.1. 1175

Mentiri in confessione est non tantùm contra veracitatem, sed etiam contra religionem adeóque sacrilegium, quia est irreverentia contra Sacramentum vel ejus authorem, quæ potest esse gravis vel levis, uti habet communis cum Suar. *d.* 22. *s.* 10. *nu.* 3. & Illsl. *n.* 61. E contrà mentiri in confessionali quidem, sed ante confessionem vel post absolutionem non ideò est sacrilegium, quia hoc mendacium non afficit Sacramentum, Gob. *t.* 6. *num.* 545. Illsl. *num.* 60.

§. 1. *Qui mentitur circa materiam necessariam confessionis, vel negando mortale, quod fecit,* 1176

vel affirmando mortale, quod non fecit, peccat mortaliter, quia sic mentiens, vel non confitetur integrè, vel saltem decipit Judicem in re gravi spectante ad substantiam judicii, consequenter tollit à Sacramento veram rationem judicii, ergo committit irreverentiam gravem Suar. *n.* 11. Gorm. *p.* 2. *n.* 150. quod Lug. *d.* 16. *n.* 100. meritò dicit esse certum, si neget mortale, quod fecit. Et idem certum esse dicunt Aversa *s.* 10. *q.* 5. & Tamb. *de conf. l.* 2. *c.* 10. *n.* 39. si affirmet mortale, quod non fecit. Si autem mortale, quod non fecit, dicat se quidem fecisse, sed antehac esse confes. sum, quamvis Lug. *d.* 14. *n.* 125. Dic. *d.* 8. *n.* 57. Aversa *supr.* adhuc dicant fore mortale, quia mendacium grave cumulat novo mendacio, tamen probabiliter contradicunt Tann. & Bosco *sect.* 7. *n.* 164. quibus favet Arr. *d.* 31. *n.* 62. hoc ipso enim, quòd addat se antehac confessum, jam non vult super illud cadere substantiale judicium Confessarii, sed vult judicari de illo tanquam de materia libera, in quo judicio, quamvis erret Confessarius, errat circa materiam non necessariam confessionis, & de qua non opus est hìc, & nunc ipsum judicare; si autem fingat mortale, & nihil addat, sed illud quasi primò confiteatur, decipit judicem in materia, quam ex modo confitendi significat esse necessariam.

1177 §. 3. Qui mentitur circa materiam non necessariam confessionis, vel negando veniale, quod fecit, vel affirmando veniale, quod non fecit, vel mentiendo circa peccata etiam mortalia aliàs ritè confessa, aut quæ hìc, & nunc non tenetur confiteri, peccat tantùm venialiter, dummodò absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem, de qua habeat sincerum dolorem, & propositum, Suar. Vasq. Arr. *n.* 55. Lug. *disp.* 16. *n* 99 Castr. *t.* 23. *p.* 10. *n.* 4. Dicast. *n.* 51. Gorm. *suprà*, Illsf. *n.* 61. Stoz. *l.* 1 *p.* 3. *n.* 34. quòd Tamb. *n.* 43. dicit esse certum, est autem contra *S. Bonav. Caj. Palud. Ledesm. Arm.* & alios, qui putant fingere veniale in confessione semper esse mortale, sed ratio nostra est, quia licèt sit aliqua irreverentia, tamen non probatur esse gravis, cùm non tollat rationem veri judicii respectu substantialium, & Confessarium decipiat tantùm in materia libera sine qua potest esse valor Sacramenti. Hinc sequitur contra Dic. *nu.* 61. si quis confiteatur mortale antehac ritè confessum, quamvis de hoc non doleat, dummodò doleat de aliis, quæ confitetur, non peccaturum mortaliter. Idem certum esse dicit Tam. *n.* 44. si neget mortale ritè confessum, nec faciens ad præsentem confessionem. *Dixi*, dummodò absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem, nam si nihil confiteretur præter veniale fictum, peccaret mortaliter non ratione mendacii, sed quia faceret absolutionem esse irritam, utpotè carentem debita materia, uti notant omnes communissimè, cum Gob. *n.* 541. Stoz. *n.* 34. Dian. *p.* 3. *t.* 4 *R.* 96. contra Phil. Fabrum.

1178 §. 4. Mortale est confiteri mortale dubium tanquam certum, vel certum tanquam dubium, item confiteri determinatum numerum mortalium pro dubio, aut dubium pro determinato, aut majorem quàm reipsa putes esse, quia corrumpis judicium in re gravi, quamvis aliquando excuset bona fides, & ignorantia secundùm dicta *n.* 922.

1179 §. 5. Si confitearis mortale, & dicas te illud antehac confessum esse, cùm tamen non sis confessus, aut te non esse confessum, cùm tamen sis confessus, Dicast. *d.* 9 *n.* 147. dicit te peccare tantùm venialiter, quia explicas totam malitiam peccati: quòd autem sis, vel non sis confessus, non tenet se ex parte peccati, sed tantùm ex parte tuâ, nec immutat peccatum in se. E contrà Tamb. *c.* 1. *n.* 6. Bosco *à n.* 183. dicant esse mortale quia licèt hoc non immutet peccatum physicè, tamen immutat moraliter, & directè pervertitur judicium Confessarii circa materiam notabilem confessionis, quod enim erat materia necessaria, dicis esse liberam, & quod erat libera, dicis esse necessariam, ergo est aliquid moraliter se tenens ex parte peccati explicandi, ergo sicuti peccat mortaliter secundùm omnes cum *Castrop.* suprà, qui confitens mortale dicit esse veniale, aut confitens veniale dicit esse mortale, ita & hìc. Et quidem si dicas te confessum esse, quando confessus non es, meritò cum Castrop. tenet Illsf. *n.* 119. ac videntur certò evincere illa, quæ fusè adfert Moya *d.* 1. *q.* 3. §. 2. ideóque Leander apud eundem *n.* 17. dicit hoc esse certissimum. Si autem mortale aliàs confessum dicas non esse confessum, probabiliter videtur loqui Dicast. secundùm dicta *n.* 1177.

1180 §. 6. Si confitearis peccatum antehac confessum non est opus hoc exprimere, dummodò non neges te esse confessum *Suar. Sanch. Con.* aliique communissimè cum Moya *num.* 18. contra *Turr.* & alios. Ratio est, quia confiteris totam malitiam, quæ est ex parte objecti, prout semper manet materia confessionis. *Nec obstat*, quòd peccatum remissum plus differat à non remisso quàm veniale à mortali, sit autem obligatio exprimendi, an sit veniale an mortale, *nam* si argumentum valet, ergo etiam in prima confessione exprimere debet, si fueris de illo contritus, tum enim etiam esset remissum, hoc autem nemo dicit: Itaque esse veniale, vel mortale, est substantia peccati ex parte objecti, hinc debet exprimi, esse autem confessum vel non confessum est circumstantia ex parte pœnitentis, de qua non necessariò judicare debet Confessarius.

1181 §. 7. Si confitearis mortale antehac non confessum, te teneri hæc exprimere docent Th. Hurt. Bonæspei, Castrop. *nu.* 8. & acerrimè Moya §. 2. item Turr. vocans oppositum pernicioſum, & improbabile, tum quia hoc plurimum facit ad formandum judicium de statu pœnitentis, & ad imponendam Pœnitentiam, tum quia aliàs confessio non erit verecunda, quæ tamen duo Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. requirit ad hoc Sacramentum. Oppositum tenent Bon. Homob. Verric. Dian. Lug. Dic. Amic. Tamb. *n.* 1. Arr. *n.* 19. Bosco *à n.* 173. Aversa *s.* 2. §. *Rursus*, Gob. *t.* 7. *n.* 585. Illsf. *n.* 118. dicentes posse confiteri præscindendo ab hoc, quamvis prævideat Confessarium putaturum esse antehac confessum, dummodò ex vi confessionis non inducat in illum errorem, sed tantùm permittat: Et *Lugo* dicit *Turr.* sine fundamento excessisse in illa censura, *Arr.* dicit gravissimè errasse: Addunt Suar. Con. Sanch. Dicast. *n.* 294. cum, qui confitetur peccatum, de quo dubitat, an antehac sit confessus, non teneri dicere se dubitare, an sit confessus, uti nec quòd commiserit ante, vel post ultimam confessionem. *Ratio* horum omnium est, quia quòd fuerit confessus, vel non, quod commiserit ante, vel post ultimam confessionem, non immutat malitiam peccati, quam totam explicat, nec opus est Confessarium de istis positivè judicare, sed absolvere debet peccatum, ac si nunquam fuisset confessus, & quamvis recenter esset commissum; id enim censetur velle pœnitens, hoc ipso quòd non dicat se antehac esse confessum, verecundiam autem debitam & sufficientem habet hoc ipso, quòd dicat se tale peccatum commisisse. *Nec obstat*, quòd pœnitens teneretur ista fateri, si Confessarius interrogaret, *nam* teneri negat Dicast. *num.* 147. & idem insinuat Arr. *num.* 21. hoc tamen concesso, non sequitur pœnitentem teneri sua sponte hoc dicere, sicuti secundùm dicta *à n.* 968. non teneor ex me dicere, an habeam consuetudinem peccati, quod confiteor, quamvis teneat fateri, si interrogarer, hinc

1182 §. 8. Aversa §. *Similiter*, Dian. *p.* 11. *t.* 6. *R.* 22. Dic. *num.*

n. 149. Tamb. *n.* 2. Illsf. suprà aliique Authores secundæ sententiæ inferunt contra *Martinon*, *& Authores* reliquos primæ sententiæ, illum non peccare, qui dicit se velle confiteri generaliter, & peccatis confessis miscet nova nunquam confessa, tacendo nunquam esse confessa; nam per illa verba *volo confiteri generaliter*, non dicit se velle confiteri sola peccata antehac confessa, sed illa quæ fecit in vita, sive sint nova, sive antiqua, & hanc sententiam vocat meritò longè communiorem Lohn. *de Conf. p.* 2. *cap.* 12. §. 2. *qu.* 10. dicitque securè practicari. In utroque tamen casu excipiunt omnes, 1. Si inter nunquam confessa esset reservatum, à quo absolvere non posset hic Confessarius. 2. Si species peccati nunquam confessi aliter non intelligeretur, v. g. quia recenter emisit votum castitatis, & peccatum contra castitatem intelligeretur, quasi factum ante votum. 3. Si Confessarius alioqui sine alia justa causa esset impositurus Pœnitentiam longè minorem, & improportionatam, quia malè supponeret omnia antehac expiata esse, tum enim per accidens esset obligatio distinguendi non confessa à confessis, aut saltem petendi majorem Pœnitentiam, hinc ordinariè semper expedit distinguere non confessa à confessis, etiá ideò, quia circa nunquam confessa communiter diligentiùs interrogare debent Confessarii, ut bene explicetur species, & numerus, quod ordinariè supponitur factum esse circa confessa.

1183 §. 9. Si quis dixisset se velle confiteri generaliter de tota vita, & sponte omitteret aliqua mortalia antehac ritè confessa, certum est, inquit Arr. *n.* 23. non ideò peccaturum mortaliter, quia si mentitur, hoc non fit in materia necessaria confessionis: Si autem tantùm dixisset se velle confiteri de tota vita, non ideò nequidem sub veniali teneretur confiteri omnia, tantùm enim significavit, se velle aliqua ex singulis partibus vitæ. Quòd si initio voluisset, & dixisset se velle generaliter confiteri omnia de tota vita; posteà autem ex rationabili causa superveniente omitteret aliqua, etiam non peccaret nequidem venialiter, quia tantùm mutaret priorem voluntatem, quam non tenebatur retinere, nec tenetur illius mutationem manifestare Confessario, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 86. Si tamen initio hoc dicens habuisset voluntatem reticendi aliqua mortalia, communior sententia est cum Lug. *n.* 56. fore mendacium, sed veniale tantùm, quamvis Tamb. *num.* 7. Stoz. *suprà*, Dicast. *nu.* 163. adhuc excusent ab omni peccato, quia sensus illorum verborum videtur esse accommodus, scilicet quòd vellet confiteri omnia, prout ipsi videretur, vel prout placeret, & ita videntur verba illa intelligere Confessarii, sicuti enim non ideò teneretur confiteri omnia etiam venialia, ita nec mortalia.

1184 §. 10. Dicere unum individuum physicum peccati pro alio non invalidat confessionem, uti rectè cum aliis Moya *q.* 2. dummodò sit eadem malitia in utroque: hinc dicere se occidisse anno præterito, cùm sciat se occidisse hoc anno, est tantùm veniale mendacium, Arr. *n.* 22. Bosco *à n.* 186. Quod verum est, etiam in sententia identificante actionem cum sua duratione, quidquid contradicat Dicast, *à n.* 150. quia quamvis duo illa homicidia in esse physico distinguantur, tamen sunt moraliter idem, nec notabiliter ideò immutari debet judicium Confessarii, quod fertur, non secundùm species entis, seu naturæ, sed secundùm speciem moris, inquit rectè Suar. *d.* 22. *s.* 2. *n.* 3. totam autem moralitatem expressit, quæ erat occidisse, occidisse autem hoc, vel præterito anno non erat materia necessaria confessionis. Idem est, si dicat occidisse Petrum, cùm sciat se occidisse Paulum, inquit, *Moya*, *& Bosco* suprà contra *Lugo*, *Tamb. & Leandrum*, quia solùm homicidium erat materia necessaria, quod autem esset Petri, aut Pauli, non erat necessarium exprimere. Idem est, si dixerit se occidisse gladio, cùm sciat se occidisse cultro, hoc enim non diversificat peccatum in esse moris. Con. *d.* 7. *dub.* 2. Hinc qui dixit se peccasse cum *Caja*, licèt posteà recordetur fuisse *Titiam*, non ideò tenetur quidquam repetere, uti omnes fatentur. Excipe semper, nisi ratione diversitatis physicæ accederet alia species, vel malitia moralis, v.g. si Paulus occisus fuisset Sacerdos, non autem Petrus, si Titia corrupta fuisset cognata, non autem *Caja*, & ita de similibus.

§. 11. Si quis in confessione mentiatur in re 1185
gravi non pertinente ad confessionem, v. g. si in re falsa graviter detrahat proximo, aliqui putant non addi speciem sacrilegii, cùm non sit in re spectante ad confessionem, sed certum est ideò esse sacrilegium, quia per actuale mortale absolutio redditur irrita.

§. 12. Victoria putavit illum, qui priùs alteri 1186
confitetur mortalia, & posteà suo ordinario Confessario sola venialia, invalidè confiteri, & eò etiam inclinat *Sylv.* quia talis videtur in re gravi committere hypocrisin, & reale mendacium, dum sic confitendo æquivalenter dicit se ab ultima confessione illi facta commisisse sola venialia: sed Suar. Con. Laym. Henr. Raynaud. Lugo *n.* 57. Castrop. *n.* 10. Dicast. *n.* 164. Dian. *R.* 13. Burgh. *cent.* 2. *casu* 79. Gormaz *n.* 151. & reliqui omnes, teste Arr. *nu.* 23. meliùs dicunt, per se loquendo, id esse licitum, utitur enim jure suo, & quod Confessarius decipiatur, hoc permittit. Imò licèt à suo Confessario interrogatus diceret se ab ultima confessione ipsi facta non commisisse mortale, *Rayn.* putat nullum fore peccatum, si subintelligat, *ut tibi fateri tenear*. Bosco *nu.* 171. putat saltem fore veniale tantùm, cùm sit circa materiam non necessariam hujus confessionis: rectè tamen addit melius esse sincerè totam conscientiam ordinario Confessario aperire: hinc Lugo *d.* 15. *nu.* 184. dicit regulariter esse vituperobile ita dimidiatè confiteri uni, & alteri: Castrop. dicit timendum, ne incognitos Confessarios quærendo salutem animæ amittat: putatque cum Dicast *d.* 8. *n* 89. intervenire aliquid vanitatis, vel similis affectus: & communiter signum est animi non satis dispositi ad emendationem, pro qua medium optimum est adire, & sequi unum Confessarium. *Dixi*, per se loquendo, nam si pœnitens ideò faceret; quia esset in proxima occasione peccandi ordinario Confessario nota, quam nollet, vel difficillimè vellet deserere; aut si prævideret sibi defuturum consilium necessarium ad cavendos relapsus, invalidè confiteretur, quia non esset paratus præstare id, ad quod justè obligandus esset. Quòd si suo ordinario priùs confiteretur sola venialia, & posteà alteri mortalia, paret primam confessionem fore sacrilegam defectu integritatis. Et occasione hujus casus monent rectè Authores, Confessarios non debere ita arctare pœnitentes, ut sibi solis confiteantur, de quo plura dicam *n.m.* 1772.

§. 13. Si quis nolens confiteri, ingrediatur con- 1187
fessionale, simulando formaliter, id est, intendendo, ut videntes judicent illum velle confiteri, est reale mendacium, & peccatum veniale, secundùm dicta *lib.* 6. *par.* 1. *nu.* 151. Si autem faciat volens loqui Confessario, quamvis prævideat alios puraturos, quòd confiteri velit, nullo modo peccat, quia est simulatio materialis tantùm circa rem indifferenter se habentem ad Sacramentum, ideóque potest errorem illum in circumstantibus permittere, uti cum Carden. & aliis dixi *ibidem. num.* 158.

1188 *Q.* 162. *Quid addendum sit circa conditionem illam, ut confessio sit secreta?* R. Seq. §. 1. Conc. Lateranense *Cap. omnis utriusque sexus, de pœn.& remiss.* sic habet, *Omnis, &c. sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur*, Trid. *autem sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. ait: *Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christusnon vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda, unde cùm à sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata, &c.* Et can. 6. sic definit, *Si quis, &c. dixerit modum secretè confitendi soli Sacredoti, quem Ecclesia catholica semper observavit, & observat inventum esse humanum, anathema sit.*

1189 §. 2. Ex relatis locis patet, imprimis contra hæreticos, confessionem ordinariè debere esse secretam, pro quo etiam sanctos Patres adducit Suar. *d.* 21. *s.* 2. *n.* 2. Deinde contra Gabrielem, & alios apud Escob. *l.* 15. *n.* 306. non esse de necessitate Sacramenti, ut confessio sit secreta, sed posse esse publicam: in quo non contradicere Scotum conatur suadere Bosco *s.* 7. *à nu.* 8. Præterea contra Henriq. & Gran. apud Bosco *n.* 309. non esse præceptum divinum, ut confessio sit secreta, hoc enim satis apertè docet *Trid.* suprà, dicunt etiam S. Thom. aliique communissimè cum Dicast. *d.* 8. *n.* 20. qui addit esse certum. Denique licèt Suar. *num.* 12. dicat propter Ecclesiæ consuetudinem contrariam non carituram culpa, qui sine ulla causa rationabili publicè confiteretur, tamen communior sententia est cum Escob. *n* 314. & Stoz. *l.* 3. *p.* 3. *n.* 79. contra *Valent. Gran. & Fagund* non fore mortale, sed ad summum veniale: nulla enim ratio evincit, quòd talis consuetudo graviter obliget, & saltem tum erit veniale, si pœnitens sine justa causa, vel prudente motivo ita famam suam prodigat: mortaliter autem peccant illi Confessarii, de quibus Stoz. *nu.* 80. qui pueros doli capaces faciunt simul publicè confiteri, ut sic se citò ab audiendis singulorum confessionibus expediant, hoc enim est contra sigillum, contra omnem praxim Ecclesiæ, & aptum parere scandala, ac causare confessiones sacrilegas per reticentiam aliquorum mortalium in aliquibus ejusmodi pueris, saltem ratione conscientiæ erroneæ. Confessarium autem non posse peccatorem occultum in foro sacramentali cogere ad publicam Pœnitentiam, aut ideò illi negare absolutionem, quia publicam Pœnitentiam admittere recusat, probabitur *n.* 1265.

1190 §. 3. Non est obligatio, nequidem semel in anno, confitendi per interpretem, cùm tantùm præcipiatur confessio secreta, quæ fiat à solo pœnitente, vel soli Sacerdoti, uti constat ex relatis verbis Conciliorum, docentque Authores plurimi cum Scot. Suar. Vasq. Gran. Bonac. Fagund. Gorm. *n.* 37. Dicast. *d.* 7. *s.* 14. Castrop. *t.* 23. *p.* 8. *num.* 12. Lugo *d.* 5. *num.* 75. Stoz. *num.* 77. Bosco *num.* 52. Busemb. *suprà*; quòd Valent. Arr. *d.* 51. *num.* 53. Bosco *num.* 35. Busemb. extendunt etiam ad articulum mortis; si enim scirem Confessarium unico homini revelaturum meam confessionem, non tenerer etiam in articulo mortis ei confiteri, ergo nec tenebor per interpretem. E contrà teneri aliquando, & speciatim in articulo mortis, docent Con. Lugo *num.* 66. Escob. *num.* 323. Laym. *l.* 5. *t.* 6 *cap.* 6. *nu.* 5. putarque meritò Castrop. *num.* 13. certum esse, si quis non sit certus de contritione, de qua nunquam est aliquis satis certus. Addit Aversa *q.* 10. *sect.* 5. quamvis de contritione esset moraliter certus, adhuc pro majori securitate salutis teneri confiteri saltem aliquod veniale, de quo non erubescit, ut sic indirectè ab omnibus absolvatur. Et Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 29. suadet, ut sic confiteatur etiam omnia mortalia, quia sic magis consulit securitati salutis in extremo periculo, nec certum est non esse obligationem ad hoc etiam ex præcepto divino, uti suadent illa, quæ habet Escob. *n.* 322.

Q. 163. *Quid addendum sit circa conditionem confessionis, ut fiat vocaliter apud Sacerdotem præsentem?* R. seqq. §. 1. Conc. Florentinum in Decreto Eug. IV. ad Armenos, pro materia hujus Sacramenti assignat confessionem oris: Et Benedictus XI. *in extrav. Inter cunctas, de privileg.* sic habet, *Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confessio, prout scriptum est, Corde ad justitiam creditur, ore autem fit confessio ad salutem & Cap. Quem pœnitet*, 88. *de Pœn. dist.* 1. sic habetur? *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda, quia si per vos peccastis, per vos erubescatis; erubescentia enim ipsa partem habet remissionis.* Ex his patet confessionem, ordinariè saltem, fieri debere voce pœnitentis. 1191

§. 2. Accusatio sui tanquam peccatoris secundùm omnes, teste Escob. *l.* 15. *nu.* 324. potest sufficienter fieri per nutus, vel aliqua signa, itemque per scripturam, uti patet in mutis, quos certum est, inquit Escob. *nu.* 342. teneri per nutus confiteri, ut præceptum impleant. Et in necessitate sufficienter fieri per quodcunque signum externum doloris, constat ex dictis à *n.* 1156. de absolutione moribundi: Hinc etiam patet confessionem quandoque fieri posse scripto, nutu vel aliis signis. 1192

§. 3. Nemo tenetur scribere confessionem, ne peccata è memoria excidant, uti contra Vasq. & alios tenent Caj. Sot. Valent. Henriq. Tann. Aversa *qu.* 10. *s.* 4. §. *Quartò*, Castrop. *tr.* 23. *p.* 10. *num.* 3. Dicast. *d.* 8. *nu* 244. Sporer *nu.* 487. tum quia non teneor adhibere nisi moralem diligentiam, ne peccata memoria excidant, quam adhibere possum sine scriptione: tum maximè quia confessio petit esse secreta, omnis autem scriptura ex sui natura nata est esse publica, inquit Scotus *in* 4. *d.* 17. in fine, præsertim si debeat diu asservari. 1193

§. 4. Ledesm. Victor. Sot. Nav. Valent. Barb. Dian. apud Escob. *nu* 346 & Aversam suprà, item alii cum Laym. *num.* 4. Castrop. *p* 8. *num.* 11. Stoz. *num.* 81. absolutè dicunt nequidem mutum teneri confiteri scripto, quia modus ille confitendi est secundùm se publicus. E contrà Suar. Vasq. Lugo *nu.* 87. Escob. *n.* 341. & 347. Aversa suprà Arr. *nu.* 60. Dicast. *num.* 239. Gorm. *nu.* 38. probabiliùs dicunt, si quis loqui non possit, aut prævideat se non posse integrè confiteri, nisi ex scripto, & prudenter non timeatur manifestatio confessionis apud alios, quia nempe statim postquam scripserit, poterit Sacerdoti ostendere, vel confiteri, & comburere, tum fore obligationem scribendi, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media licita de se facilia; & cùm absit morale periculum manifestationis; scriptura in his circumstantiis non magis censetur aliquid publicum, quàm nutus vel voces, quas audire, vel observare etiam posset alius latens in insidiis. 1194

§. 5. Confessio ordinariè fieri non debet scripto, maximè ad Sacerdotem absentem, uti patet ex dictis, hinc S. Thom. *in suppl. qu.* 9. *a.* 3. *ad* 3. dicit potiùs laico quàm Sacerdoti absenti per scriptum faciendam esse confessionem. Idem videtur declarasse Clemens VIII. per constitutionem 87. apud 1195

Cheru

Cherubinum, ubi damnat hanc propositionem ad minùs, ut falsam, temerariam, & scandalosam, nimirum *licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, prohibetque sub excommunicatione doceri, vel practicari tanquam aliquo casu probabilem. Declaravit autem idem Clemens, uti ostendit Dicast. *d.* 9. *à n.* 831. docentque gravissimi Authores cum Platel. *n.* 756. quòd confessio absenti facta non sit invalida, si fuerit ordinata ad absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam, unde Suar. & alii apud Castr. *n.* 9. qui putarunt propositionem illam non esse damnatam divisive, id est, quoad singulas partes, sed complexivè propter partem posteriorem falsam, ideò excusantur, quia putarunt Clementem loqui de Confessione ordinata ad absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam: sed nunc satis certum est Clementem esse locutú de confessione non ordinata ad absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam, sed propositio illa volebat confessionem esse sacramentalem, quamvis ordinaretur ad absolutionem accipiendam ab absente, hinc certum est propositionem illam esse damnatam etiam divisivè, uti rectè probat Gonet *d.* 12. *à n.* 58. Qui autem longiorem voluerit historiam controversiæ olim habitæ inter Dominicanos & Jesuitas circa confessionem inter absentes, legat Gormaz *à n.* 232. ubi fusè contendit, ex hoc quòd sacra Inquisitio voluerit ex tractatu Patris Suar *de Pœn. d.* 21. amoveri sect. 4. in qua quærebatur, an liceret confiteri absenti, non ideò esse factum, quia confessio nunquam valeret inter absentes, sed quia *Tò Confessio* sæpè significat totum Sacramentum Pœnitentiæ, quod certum est inter absentes confici non posse unde sententia *Suarez* qui tantùm volebat confessionem scripto factam ad absentem ex intentione absolutionis à præsente, non est passa per decretum Clementis VIII. vel Pauli V. Videri potest etiam Viva *in append. ad prop. damnatas* §. 10.

1196 §. 6. Si per litteras peccata miseris Sacerdoti, qui ea legerit, & huic factus præsens dicas, *accuso me de peccatis illis, quæ scripsi, & peto absolvi*, communis sententia est cum Arr. *n.* 57. Gonet. *n.* 47. Steph. *t.* 5. *d* 5. *n.* 194. Stoz *l.* 2. *num.* 99. confessionem illam sufficere, quia in præsentia moraliter repetitur, & sic ratificare illud scriptum idem est ac se accusare de illis, quæ scripta sunt. Unde à potiori si præsens peccata scripta des Confessario legenda, & postmodùm dicas, *de his me accuso peto que absolvi*, Lugo *nu.* 80. & 84. Castrop. *n.* 8. Gob. *t.* 6. *n.* 523. Arr. suprà, Gormaz *n.* 148. Bosco *num.* 36. aliique dicunt esse satis, sed rectè monent hoc non esse faciendum absque rationabili causa, quia est contra communem praxim Ecclesiæ, ideóque Illsf. *n.* 63. Platel. *n.* 748. aliique dicunt hoc per se loquendo, esse illicitum: & Viva §. *ult.* putat esse mortale.

1197 §. 7. Sot. Dian. Reg. Bonac. aliique cum Escob. *n.* 331. & 338. dicunt peccari venialiter tantùm: si quis absque rationabili causa solo scripto confiteatur, quod Arr. *nu.* 59. dicit esse certum: E contrà Suar. Con. Fill. Castrop. *nu.* 8. Gormaz. *nu.* 147. Viva, aliique dicunt peccari mortaliter, quia videtur in re gravi prætermitti consuetudo Ecclesiæ. Causæ tamen rationabiles sunt secundùm Rayn. *in Heter. t.* 16. *s.* 1. *p.* 8. *nu.* 28. rationabile pœnitentis commodum: secundùm Laym. *nu.* 3. si ægrotus difficulter loquatur: secundùm Sporer *num.* 490. si Confessarius sit surdaster, aut pœnitens ipse, quia surdaster est, nimis altè legat: secundùm *Castrop.* si Pœnitens sic peccata sua facilius & apertius faciat intelligi à Confessario: secundùm *Tamb.* si Pœnitens scrupuletur, quòd peccata sua aliter non recte explicat: secundùm *Suar.* & alios cum Aversa *s.* 4. si puella præ maxima verecundia peccatum suum ore explicare non posset, sed Escob. *nu.* 338. Gorm. suprà & alii rectè dicunt hunc ultimum casum esse metaphysicum, verecundia enim nunquam impediet, quin posteà dicere possit, *accuso me de his, quæ legisti.*

§. 8. Putant J. Pontius, Dicast. *d.* 8. *n.* 13. He- 1198
rincx *d.* 3. *n.* 87. satis esse, si pœnitens dans descripta peccata dicat, *accuso me de illis peccatis*, quamvis Sacerdos necdum legerit, quia illa accusatio censetur moraliter manere etiam post lecta peccata, sed contradicunt Lugo *nu.* 82. & Escob. *num.* 335. quia accusatio non fieret per sola verba, sed simul per scriptum, posteà prius afferens cognitionem peccatorum, quod secundùm dicta *n.* 1195. per se loquendo fieri non debet. Putat tamen Arr. *n.* 58. fore satis, si in uno moraliter momento simul det scriptum, & dicat *accuso me de his*, ac ibi expectet donec Sacerdos legat, sed Bosco *n.* 44. adhuc dicit debere posteà addere saltem hæc verba, *peto absolutionem ab illis.*

§. 9. Si Confessarius viderit vel aliunde extra 1199
confessionem cognoverit unum peccatum, satis erit, si dicas, *accuso me de illo peccato, quod nosti*, uti habet communis cum Vasq. & Gorm. suprà, de quo Suar. *d.* 22. *s.* 6. *num.* 5. dicit inter Authores convenire.

§. 10. Ex dictis *n.* 1195. certum est nunc nun- 1200
quam posse Sacramentaliter absolvi absentem, quamvis multi apud Aversam *q.* 12. *s.* 6. & apud Dicast. *d.* 5. *dub.* 4. id antehac tenuerint, etiam Thomistæ, hinc Gonet id negans meritò arguitur à Gorm. *n.* 235. Ratio autem est, quia si talis absolutio posset unquam esse valida, Pontifex non potuisset eam prohibere tanquam illicitam pro omni casu, nam jure divino & naturali fuisset licita pro casu extremæ necessitatis, nec pro casu illo prohiberi potuisset, uti rectè cum aliis Lugo *d.* 17. *n.* 64. Colligimus autem esse pro omni casu invalidam etiam ex Trid. *sess.* 14. *De Pœnit. cap.* 2. ubi dicit Christum voluisse ante hoc tribunal sisti reos, qui sint sui accusatores & testes, quibus posteà datur absolutio verbis formalibus, uti dictum est *num.* 628. nemo autem ad absentem utitur verbis formalibus, ideò etiam absolutio à censuris dari potest absenti, quia hæc fieri potest scripto, & non requirit verba formalia; plures congruentias affert Lugo *d.* 15. *à n.* 149.

§. 11. Ad absolutionem dandam sufficit Con- 1201
fessarium esse moraliter præsentem pœnitenti, tum autem est moralis præsentia, si Sacerdos & pœnitens longiùs distent, quàm ut adhuc possint, per se loquendo, se mutuò audire, utentes ea voce, qua homines in communi colloquio ordinariè uti solent, Stoz. *l.* 2. *n.* 100. Addunt aliqui cum Tamb. *De Pœn. cap.* 2. *nu.* 11. sufficere, si non sit major distantia, quàm ut se audire possint utentes voce communi colloquentium etiam aliquantò altiore, unde quamvis pœnitens jam è confessionali abeat, & aliis vicinis immixtus non amplius videatur, putant *Bonac. Lugo, Tamb. Gob.* adhuc absolvi posse, eò quòd retineat voluntatem habendi absolutionem, si fortè non habeat, & manent moraliter præsens, quod Sporer *à nu.* 610. pluribus exemplis declarat. Addunt aliqui cum Moya *n.* 32. sufficere, si Confessarius adhuc videat pœnitentem, quamvis aliquousque absit, quamdiù enim possunt se aliquo sensu percipere, non videntur simpliciter abesse moraliter ab invicem; hoc tamen videtur nimis extensum, nam certum est me posse videre simpliciter absentem, neque tamen possum simpliciter absentem absolvere, ideóque *Tamb.* meritò dubitat, an censeatur moraliter præsens, si ad 20. passus distet. Itaque videtur requiri,

ut possint, prout ordinarie fit ; mutuum inter se sermonem communicare. Unde omnino rejiciendi sunt illi, qui dixerunt sufficere, dummodò Sacerdos videat domum, in qua est pœnitens absolvendus, quod licèt probabile dicat *Leander*, tamen meritò dicit *Moya* oppositum sibi videri certum, pœnitens enim, qui ipsemet nullo sensu percipi potest, non potest simpliciter, & humano modo esse præsens.

1202 *Q.* 164. *An inter conditiones confessionis etiam non sit, ut sit sacramentalis?* R. Affirmativè : quandonam autem sit sacramentalis, dicam *n.* 1939 De variis vitiis Confessionis videri potest Rayn. *in Heter. tom.* 16 *s.* 1. *p.* 8. ubi *n* 33. ex S. Bern. *serm.* 3. in festo S. Andreæ dicit, aliquorum confessionem esse *confusionem*, quia timore extorquetur : aliorum esse *offensionem*, quia fit de aliorum peccatis : aliorum esse *defensionem*, quia fit ad se excusandum, aliorum esse *illusionem*, quia fit ad se jactandum.

ARTICULUS IV.

Quando confessio sit invalida, & quomodo iteranda.

1203 „ Resp. I. Id contingit ex duplici capite, *Primò*, ex parte Confessarii, si jurisdictionem „ non habuit, vel certè impeditam per censuram, „ vel si formam substantialiter vitiavit : vel non in„ tendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit. „ Dico, *nullum* : quia si ob surditatem, somnum, „ vel distractionem, aliqua licèt mortalia non intel„ lexerit, sine culpa pœnitentis, probabilius est, va„ luisse absolutionem, ac posteà tantùm repetenda „ esse non audita, ut contra Sylv. Anton. Nav. & „ alios docet Henriq. Laym. *l.* 1. *tract.* 6. *cap.* 9. Diana „ *p* 3 *t.* 4 *R.* 109 *&* *p.* 4. *t.* 4 *R.* 198. Addo. *si e culpa*, „ quia si semidormienti mala fide confitearis, pec„ cas, & confessio est invalida, ideóque repetenda, „ Tamb. *l.* 2. *c.* 10. §. 3. Denique addunt aliqui cum „ *Tol.* si Confessarius indoctus non potuit discerne„ re mortale, & veniale, invalidam esse : verùm id „ *Suar. Lay.* & alii passim rejiciunt : & quidem, etiam„ si Confessarius putasset esse veniale, quod fuit „ mortale, ideóque confessionem bona fide tali fac„ tam, non esse opus repetere, Henriq. Sanch. *l. mor.* „ *c.* 10. *n.* 69. Dian *p.* 3. *t.* 4. *R.* 121. contra *Vasq.* „ Dixi, *bona fide*, quia si mala fide, v. g. quia quæ„ sivi talem Confessarium, qui tibi mederi non pos„ sit, debes repetere, cùm enim actu peccaveris, „ dum confitereris non fuisti ritè dispositus, ideó„ que, nec absolutus, Tamb. §. 3. Denique si finita „ confessione intelligat Confessarium aliqua non per„ cepisse (sive propter somnum, sive distractionem) „ nescias autem quæ sint illa, teneris repetere con„ fessionem, si brevis fuerit, quia de singulis pru„ denter potes dubitare, si autem longa fuerit, ait „ Tamb. *l. c.* non teneri, ob rationem contrariam ; „ & satis esse confiteri, quòd dubites, an aliquod „ ex tuis peccatis Confessarius perceperit.

„ *Secundò*, Invalida est ex parte pœnitentis, si fuit „ excommunicatus, de quo infrà, si mortale tacuit : „ vel de eo se falsò accusavit ; si mortaliter negli„ gens fuit in examinanda conscientia ; ita (si non „ fuit attritus (quod patere solet inde, si sponte quæ„ sierit Confessarium surdum, indoctum, cæcum, &c. „ Vide Sanch. *l. c.* si nolit tollere occasionem, &c. „ V. Diana *p.* 4. *t.* 4. *R.* 201.) quibus addi potest, ut plu„ rimum, si peccatum carnale confessus sit suo com„ plici.

„ Resp II. Si Confessio apud eundem Confessa„ rium iteretur, sufficit uno verbo in communi se „ accusare de peccatis ante illi cognitis, dummodò „ eorum recordetur, saltem in confuso, aut status, ac vitæ hominis in communi, aut Pœnitentiæ à se „ impositæ, ut docet Vasq. Tol. Laym. Sà, Dian. *p.* 3 *t.* 4 „ *R.* 123 Imò si nihil horum, sed tantùm, quòd sibi „ confessus fuerit, recordetur, validè, etsi illicitè, ab„ solutum putat Laym. & Dian. *l. c.* Idem absolutè „ docet Gran. & Mercerus *in* 3. *p. q.* 9. *n.* 1. cum qui„ bus Diana *p.* 5. *t.* 14. *R.* 51. se retractans, probabi„ le censet, quòd etiam licitè possit absolvere. „

Resp. III. Rarò obest defectus ex parte Confes„ sarii, si pœnitens eum inculpabiliter ignorat, quia in„ confessione sequenti absolvetur etiam ab iis, à qui„ bus se bona fide absolutum putabat : *Unde resolves*, „

Is, qui à puero peccatum aliquod grave, v. g. „ mollitiem, inculpabiliter omisit, ut quia putavit „ leve esse, vel nullum, non ideò tenetur repetere „ alia peccata (vel confessiones intermedias) sed „ hoc tantùm, ut docet Bonac. Sanch. *cap.* 16. Vasq. „ *in* 1. *p. tom.* 4. *q.* 92. Sanctius, Laym. hic *c* 9. ad„ dens, si simplex rusticus, qui tota vita tantùm fecit „ confessiones generales, nihil confitens in specie, „ nec aliter instructus sit, etsi is validè sit absolutus, „ cum onere, ut cùm melius cognoverit, omnia sub„ jiciat clavibus, si tamen veniat, quando ingens est „ copia pœnitentium, ut tunc disponi non possit ad „ omnia repetenda, posse eum absolvi, auditis tamen „ peccatis ab ultima confessione factis, cum obliga „ tione, ut melius faciat. Ita Laym. *n.* 4. V. Dian *p.* „ 3. *t.* 4. *R.* 108. ubi addit ex Nav. Sylv. Beca. Vasq. „ Reg. *t.* 1. *l.* 6. *c.* 5. *s.* 4. 4. *n.* 153. & J. Sanctio, etsi ex „ errore culpabili mortaliter, peccatum tale v. g. „ mollitiei (vel numerum, aliamve circumstantiam „ necessariam) omiseris, non ideò teneris repetere „ confessiones intermedias, bona fide, & legitimè fa„ ctas (in quibus ex naturali oblivione defectum il„ lum non fueris confessus) cùm validæ fuerint, & „ maneant validæ. „

ADDENDA.

1204 *Quæst.* 165. *An ille, qui cum Confessario peccavit, eidem validè confitearur istud peccatum?* R. Per se loquendo validè confitetur, quia nulla lex universalis hoc prohibet, potestque fieri, ut uterque sincerè doleat de peccato, & alter non possit, vel non audeat alteri manifestare crimen, neque adsit ex alterutra parte periculum novi consensus, Lugo *d.* 16. *n.* 362. Sylv. *p.* 2. v. *Confessio* casu 2. Bonæspei *d. act. hum. d.* 5. *n.* 29. aliique communiter cum Dicast. *d.* 9. *nu.* 610. & Gob. *t.* 7. *à nu.* 581. qui putat causam sufficientem esse, si puella sit sanguine juncta, & præ pudore non audeat alteri manifestare suum incestum, sed pudor ille vix excusabit, secundùm dicta *num.* 1142. Posset esse causa, si alteri confiteri non possit nisi cum manifestatione complicis. *Dixi*, per se loquendo quia in quibusdam diœcesibus prohibetur : speciatim in Leodiensi fuisse aliquando prohibitum testatur *Sylv.* suprà, & adhuc in Mediolanensi prohibitum esse dicit Bonac. *q.* 7. *p.* 5. §. 5. *à n.* 10. ubi addit hoc intelligi de complice in quocunque peccato etiam non carnali. Similiter in hac Colonienſi, ultima synodus Anno 1662. habita ita statuit pag. 74. *Ut animarum periculis, quantum in Domino possumus, occurramus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda prohibemus omnibus Confessariis, ne quis confessionem mulieris, cum qua in materia carnis peccavit, aut complicis, aut fautoris peccati (nisi in necessitate extrema) excipiat.* Ratio autem est, quia plerumque est periculum novi consensus saltem in alterutro, si audiat repeti peccatum, cujus delectationem ante sensit. Accedit quòd in talibus sæpè deficiat dolor, vel propositum, faciunt enim frequenter, ne cogantur deserere occasiones proximas, hinc etiam

S. Thom.

S.Thom. in suppl. q. 20. a. 2. ad 1. ait, *Sacerdos non debet audire confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere. ∴ tum propter periculum, tum quia est minor verecundia.* Fagund. *in 2. præc. Eccl. l. 4. c. 3. n. 35.* dicit Sacerdotem peccare mortaliter, si pro confessione concubinam suam audiat. Similiter Pontius *De Matr. l. 7. cap. 38. num. 3.* dicit rem illam esse periculis plenam, & occasionem committendi non pauca sacrilegia Addit Verjuys *t. 9. a. 5.* longa experientia compertum esse ferè omnes similes confessiones tandem factas esse sacrilegas, novis carnis titillationibus, & pollutionibus fuisse fœdatas, &c. quæ illis præcipuè Sacerdotibus vult dicta, qui mulieribus cohabitant.

1205 *Q. 166. An confessiones, quæ fiunt Religiosis, communiter censeri debeant invalidæ?* R. Negativè, nam Alex. VIII. die 7. Dec. 1690. damnavit hanc 20. propos. *Confessiones apud Religiosos factæ pleraque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ*: quæ propositio formata erat ex principiis Jansenistarum, qui docent plerumque differri debere absolutionem, usquedum impleta sit Pœnitentia ex vita emendata, quod quia Religiosi plerumque non requirunt, hinc inferebant confessiones apud eos factas plerumque esse sacrilegas, vel invalidas; non requiri autem, ut absolutionem præcedat satisfactio vel vitæ emendatio, probabitur *à n. 1230.*

1206 *Q. 167. Quid præterea sit notandum circa obligationem repetendi confessionem?* R. seq. §. 1 Universaliter loquendo repeti debet confessio mortalis peccati nondum directè absoluti, quia Christus, secundùm dicta *n. 595.* sic præcepit confessionem omnium mortalium, ut voluerit singula directè subjici clavibus, & directè remitti per absolutionem, quandonam autem peccatum dicatur directè, aut indirectè absolvi, dixi *n. 597.*

1207 §. 2. Qui confessus est, sed invalidè, undecunque provenerit invaliditas, item qui confessus est validè quidem, sed omisit aliqua mortalia, vel Confessarius aliqua non intellexit ob surditatem, aut aliam quamcunque causam, tenetur adhuc confiteri invalidè confessa, omissa, vel non intellecta à Confessario, uti pluribus ostendit Moya *t. 3. d. 1. q 8 &* Ratio est, quia à nullo illorum est directè absolutus, debetque simul addere numerum confessionum, quæ sacrile, æ fuerunt, non tamen, quæ fuerunt tantùm invalidæ, si nempe bona fide sint factæ. Pluribus autem ostendi *n. 679.* confessionem ex defectu solius doloris interni esse invalidam.

1208 §. 3. Qui confessus est validè sed informiter, id est, sine effectu gratiæ (quod aliquando contingere posse dixi *à nu. 672.*) non tenetur peccata sic confessa iterum confiteri, sed tantùm illa, quæ bona fide omisit, uti contra Adrianum tenet tanquam certum Suar. *d. 22. s. 7. nu. 2.* quia non peccavit, & super confessa directè cadebat absolutio, quæ secundùm dicta *l. 6. p. 1. n. 201.* etiam remittentur ex vi illius absolutionis; quando fictio fuerit remota. Neque damnata est praxis hujus sententiæ, uti rectè notat Carden. *d. 2. nu. 53.* quia etiamsi omittat peccatum sic confessum, non ideò exponet sequens Sacramentum periculo nullitatis, quia secundùm dicta *à nu. 1140.* certum est confessionem formaliter integram sufficere, & peccatum, quod omittitur propter opinionem certò probabilem, habet se sicuti peccatum per ignorantiam invincibiliter omissum, consequenter illæ confessiones etiam non sunt necessariò reperendæ, quæ bona fide sunt factæ secundum quamcunque aliam sententiam verè probabilem relicta tutiori, quamvis tum ageretur de valore Sacramenti, quia quamvis illicitum sit, adeóque confessiones futuræ essent invalidæ, si antecedenter cum advertentia sic fierent, tamen supposito quòd quis bona fide ita fecerit, non peccavit, & nunc prudenter judicat illa peccata esse directè remissa, nec sequens confessio exponetur periculo nullitatis, ob rationem ante datam, ergò potest supersedere ulteriore confessione istorum peccatorum, Carden. *n. 456.*

§. 4. Si inculpabiliter omissa sit aliqua circum- 1209
stantia etiam mutans speciem, quæ seorsim sufficienter declarari possit, non est opus repetere totum peccatum, multò minùs totam confessionem præteritam, uti cum communi dixi *n. 1135.*

§. 5. Si scias Confessarium ob somnolentiam, 1210
distractionem, vel quamcunque aliam causam non intellexisse aliquod tuum mortale, nescias tamen quodnam illud fuerit, *Tamb.* quem refert, & non improbat *Busemb.* suprà, dicit esse quidem obligationem repetendi, si confessio fuerit brevis, si autem fuerit longa non esse obligationem, sed satis esse confiteri, quòd dubites, an Confessarius aliquod tuum mortale rectè intellexerit, quod pluribus probare conatur Lugo *d. 16. à n. 607.* & magis adhuc Illf. *n. 149* hinc, inquit *Tamb.* sicuti si non recordareris peccati in specie, satis esset te accusare de mortali in genere, ita & hic. Sed contra hoc est, nam quòd ibi non tenearis confiteri in specie, facit impotentia sic confitendi, cùm non recorderis speciei, è contrà recordaris omnium priùs confessorum, uti suppono, ergo non est paritas. Itaque in praxi, & ordinariè loquendo, ut excuseris, debet adesse aliqua impotentia moralis, vel nimia difficultas repetendi totam ejusmodi confessionem, quam difficultatem si tenereris subire, confessio meritò redderetur odiosa, & hoc ipsum vult Aversa *q. 10. s. 19. §. Quòd si,* item Dicast *d 8. num. 100.* quamvis ante videatur favere Lugoni. Ratio autem est, quia certus es te ab aliquo non esse directè absolutum, & non est ratio dubitandi de uno magis quàm de altero, ergo obligatio directè iterum subjiciendi clavibus afficit æqualiter singula, nisi aliunde excuseris, uti dictum est, & idem ordinariè videndum, si quis, qui multa fecit mortalia, sciat se in vita aliquoties saltem esse sacrilegè, vel invalidè confessum mortalia, nesciat autem qualia, tum enim, per se loquendo, induci debebit ad confessionem generalem, quæ non semper est ita difficilis, uti censeri debeat moraliter impossibilis.

Objic. Quando probabile est de singulis deter- 1211
minatè peccatis, quod sint rectè confessa, & intellecta, tunc non est obligatio ullum repetendi, secundùm dicta *nu. 602.* sed quando confessio est longa, probabile est de singulis, quòd sint rectè confessa, & intellecta; nam si à Deo revelatum esset in hac urbe esse unicum hominem non baptizatum, & nesciretur, quis esset, maneret probabile, imò moraliter certum, de singulis determinatè, quòd essent baptizati, quia nemo posset prudenter dubitare de hoc, vel illo determinatè, alioquin singuli essent sub conditione rebaptizandi, maximè si vellent suscipere sacrum Ordinem. E contrà si esset revelatum unum ex hac domo non esse baptizatum, non maneret positivè probabile, sed prudenter dubitaretur de singulis, ideóque singuli essent rebaptizandi, ergo idem dicendum est in nostro casu, quando vel multa, vel pauca peccata sunt confessa R. n. min. & quoad illud dubium de Baptismo, de quo videri potest *Dicast.* suprà, est disparitas, quia maximus numerus istorum hominum, qui putantur baptizati, non potest redigi ad partes minores, in quarum una prudenter judicare possem esse illum non baptizatum; è contrà numerus peccatorum confessorum, ordinariè vel non est tantus, vel potest redigi ad partem minorem, in qua prudenter judicem esse illud non rectè confessum,

fessum, nam vel Confessarius, vel pœnitens, ordinariè loquendo, resciet, an illud peccatum non intellectum fuerit dictum circa initium, an circa medium, an circa finem confessionis, ergo practicè loquendo manebit obligatio partem illam, vel primam, vel mediam, vel postremam repetendi, quia talis pars habebit se tanquam brevis confessio: unde consequenter fatetur Illsf. suprà, si multa non fuissent intellecta à Confessario, totam confessionem, fore repetendam, quamvis esset longa. Unum hìc addit Aversa §. *ult.* si quis in senectute post longam annorum, & confessionum seriem recordetur, se in pueritia tacuisse aliquod mortale, nesciens tamen quo anno, & in qua confessione, & quæ alia peccata tunc confessus fuerit, eum satisfacere recolendo, ac dicendo, quænam peccata circa illud tempus committere soleret, sic enim prudenter præsumit, quòd inter peccata illius temporis etiam attinget illud omissum.

1212 §. 6. Si certus sis de mortali in confessione omisso, & dubites negativè, an omiseris ex verecundia, an ex justa causa, teneris confiteri, imprimis illud mortale omissum, uti certum est, quia nunquam directè es absolutus ab illo, deinde etiam reliqua mortalia tum confessa, quia certus es de præcepto confitendi hæc, & dubitas de adimpletione, cùm dubites de valore confessionis, per quam remitterentur directè; debito autem certo non satisfit per solutionem ita incertam, Moya *d.* 1. *q.* 8. *n.* 17. contra Baucium, & alios.

1213 §. 7. Tamb. *De conf. l.* 2. *cap.* 1. *nu.* 29. dicit rusticos, mulierculas, & pueros, qui bona fide grossiore modo coram Parocho etiam indocto confessi sunt, licèt adulti videant se in multis defecisse, dicendo dubia pro certis, vel contrà, aut unum numerum pro alio, non esse obligandos ad repetendas ejusmodi confessiones, vel peccata in eis dicta, tum quia non est praxis apud fideles, ut ejusmodi confessiones repetantur, tum quia Confessarius satis saltem in confuso peccata eorum perceperit. Lugo *n.* 588. id faciliùs admittit circa numerum quàm circa speciem, quia secundùm dicta *n.* 936. & *à nu.* 952. est major obligatio exprimendi determinatam speciem quàm determinatum numerum; hinc putat remanere obligationem suo tempore exprimendi speciem, si meliùs occurrat, & addit *nu.* 589. Confessarium teneri etiam ab illis magis distinctè elicere numerum, si facilè possit. Sed quod numerum attinet, Sà, v. *Confessio nu.* 40. dicit ejusmodi homines non esse cogendos ad repetendum numerum omissum, si facilè deprehendi possit, quid soleant facere, ideóque Moya *d.* 4. *qu.* 2. *nu.* 3. citans plures alios dicit, non esse cogendos ad repetendam speciem, vel numerum, quia cùm ejusmodi homines uno fermè tenore vivant, si sciam in quibus, & quoties soleant peccare intra unum annum, facilè deducam, quoties intra duos, & ita porrò, unde si se accusent de peccatis totius vitæ, ego meliùs inibo rationes, quoties in hac vel illa materia peccaverint, saltem per annos non multos, quàm ipsi dicere possent. Addunt tamen rectè Moya, Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 9. *n.* 4. Spor. *n.* 499. si ex confessione unius anni non possit prudenter judicari de anteacta vita, eò quòd in diversis statibus, & diversimodè vixissent, obligandos sub mortali, ut quantum moraliter possunt repetant confessiones non rectè factas secundùm speciem, & numerum, nihil enim est, quod illos potiùs deobliget quàm alios, quò minùs à singulis mortalibus commissis directè absolvi debeant.

1214 §. 8. Si quis culpabiliter omiserit mortale, S. Th. *in* 4. *dist* 17. *qu.* 3. *ar.* 4. *quæstiun.* 2. *ad* 3. videtur requirere, non quidem, ut repetat mortalia priùs confessa, cùm sint directè absoluta, attamen ut addat se hoc mortale inter alia nuper fuisse oblitum, quia aliàs non explicabitur gravitas illius, resultans ex conjunctione aliorum. Sed sententia communis hoc non requirit, uti rectè Aversa §. *Refert*, non enim apparet, quænam gravitas tanti ponderis inde resultet, ut opus sit hoc addi.

§. 9. Licèt aliquis etiam per culpam oblitus sit 1215
Pœnitentiæ sibi injunctæ, non ideò tenetur iterum confiteri peccata ob quæ injuncta erat illa Pœnitentia, uti habet certa sententia cum Suar. *n.* 5. Lug. *n.* 600. Dicast. *d.* 14. *dub.* 7. Illsf. *n.* 148. essentia enim Sacramenti ab initio completè posita fuit, nec suspendebatur effectus, sed absolutio directè remittebat peccata tum confessa; per hoc tamen peccari potest mortaliter, si Pœnitentia gravis pro mortalibus imposita negligatur, uti dicetur *n.* 1277.

Q. 168. *Si confessiones repeti debeant, an omnia* 1216
mortalia in illis confessionibus dicta, iterum distinctè, & singulatim debeant recenseri? R. §. 1. Si repetantur apud Confessarium diversum à primo, debent omnia distinctè, & singulatim apud hunc repeti, uti si nunquam fuissent confessa, quod meritò dicit apud omnes certum esse Moya *d.* 4. *qu.* 1. *nu.* 3. quia hìc Confessarius debet esse Judex respectu horum omnium peccatorum, ergo cùm nec habeat, nec habuerit unquam distinctam notitiam illorum, debet illi nunc dari per hanc confessionem: nam ad prudenter judicandum de gravitate delictorum, & ad debitè taxandam Pœnitentiam, debet saltem aliquando habuisse ejusmodi distinctam notitiam, uti constat ex Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. E contrà si confessiones invalidè repetantur apud eundem Confessarium, diversimodè loquuntur Authores, ut videri potest apud Moyam *à nu.* 3. & Aversa, *qu.* 10. *s.* 20. Omnes dicunt, si confessiones priores fuerint verè sacramentales, & Confessarius adhuc habeat distinctam memoriam confessorum peccatorum, satis esse, si Pœnitens defectum confessionis dicat, & in genere addat, *etiam me accuso de omnibus peccatis antehac tibi confessis.* Idem dicunt plerique cum Nav. in Man. *c.* 19. dummodò Confessarius habeat confusam adhuc memoriam peccatorum, & aliquo modo recordetur status conscientiæ pœnitentis, vel saltem Pœnitentiæ injunctæ. *S. Anton. Palud. Sylv.* & alii cum Suar. *d.* 22. *s.* 6. *n.* 7. dicunt, si jam imposuerit Pœnitentiam, quamvis nec peccatorum, nec Pœnitentiæ impositæ meminerit, hoc sufficere: Et quidem si confusè meminerit peccatorum, & Pœnitentiam imposuerit, omnes communiter admittunt sufficere, si Pœnitens ita in communi se accuset, dummodò defectus tenuerit se ex parte solius absolutionis, verbi gratia: quia Confessarius anteà malè pronuntiaverat formam, *Nav.* suprà, Valent. Bonac. Lugo *d.* 16. *à nu.* 638. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *cap.* 9. *n.* 6. Tamb. *De conf. l.* 3 *cap.* 2. *n.* 9. aliique multi, quos citat, & sequitur *Aversa* suprà, dicunt undecunque defectus se tenuerit, satis esse, si in communi se accuset. E contrà *Suar.* suprà, & *Con.* volunt, si confessiones ratione sui fuerint invalidæ, verbi gratia quia Pœnitens caruit debito dolore, vel proposito, tum omnia peccata esse distinctè repetenda, quod saltem tum fieri volunt Palu. Adrian. Moya *num.* 10. Illsf. *nu.* 153. quando fuerunt invalidæ defectu jurisdictionis in Confessario, quia tales confessiones non videntur fuisse sacramentales, cùm sint factæ non Judici, sed ratio aliorum est, quòd priores confessiones fuerint sufficienter sacramentales per voluntatem conficientis ex intentione legitimæ absolutionis accipiendæ, posterior autem facta in communi est certò sacramentalis, & moraliter repetit priores confessiones, facitque nunc per utrumque simul esse unam

unam distinctam, & sacramentalem istorum peccatorum Confessionem, cùm sufficienter reducat istorum peccatorum notitiam: sufficit enim aliquando fuisse in Confessario distinctam cognitionem peccatorum, quamvis nunc, quando datur absolutio, sit tantùm confessa, uti patet in illo, qui per plures dies continuavit confessionem generalem, in fine enim, quando absolvitur, satis est, Confessarium in confuso sic meminisse status pœnitentis, ut possit proportionatam Pœnitentiam imponere.

1217 §. 2. Si confessio nullo modo fuisset Sacramentalis, uti si quis purè historicè, sine intentione absolutionis tibi narrasset sua peccata, quamvis postea, dum confusè tantùm recordaris istorum peccatorum, ipse tibi diceret, *accuso me de peccatis, quæ tibi tunc dixi*, probabilius videtur contra *Aversam* suprà hoc non fore satis, quia distincte illa narratio peccatorum nullo modo fuit sacramentalis. Neque plus evincunt argumenta, quæ adducit *Illsf.* suprà, nego autem Confessiones distincta factas ex intentione absolutionis non posse dici sufficienter sacramentales, cùm etiam obligent ad sigillum sacramentale, quamvis fuerint invalidæ, uti dicetur *num.* 1940.

1218 §. 3 Si Confessarius nequidem confusam amplius haberet notitiam de statu Pœnitentis anteà sacramentaliter sed invalide Confessi, nec Pœnitentiam imposuisset, Pœnitens teneretur in tantùm saltem distinctè repetere peccata antehac confessa, quantùm necesse esset ad hoc, ut ex vi Confessarius iterum posset formare judicium saltem confusum de statu conscientiæ Pœnitentis, & injungere Pœnitentiam congruam, uti rectè Lugo *nu.* 642. & *Aversa* suprà, partim contra *Medinam*, qui dicit etiam tum satis esse, si in genere se accuset de antehac confessis, partim contra *S. Anton. Valent. Sylv.* qui dicunt omnia peccata debere tunc distinctè repeti, sed ratio nostra est, quia sine tali repetitione non posset Confessarius prudenter formare judicium de statu pœnitentis, nec statuere de quantitate Pœnitentiæ; facta autem tali repetitione poterit hæc præstare, ergo talis repetitio requiretur & sufficiet. Si tamen Confessarius post repetitam à Pœnitente accusationem communem sine distincta repetitione ullius peccati illum absolveret, & pœnitens bona fide processisset, absolutio esset valida, uti habent *Laym. & Aversa* suprà, Dia. *p. 3. t. 3. R. 123.* aliique cum Illsf. *n. 149.* quia ad valorem absolutionis sufficit accusare se de peccatis in communi, quamvis hoc sit illicitum, per se loquendo, secundùm dicta *à n. 620.*

1219 §. 4. Quod Busemb. *n. 1203.* relatus paulò ante finem habet, nempè dimidiari posse confessionem hominis rudis non integrè confessi in juventute, si veniat, quando est ingens numerus Pœnitentium, limitari debet secundùm dicta à *n. 1148.*

1220 *Q. 169. Quomodo Confessarius practicè procedet cum pœnitente, qui timet, vel putat se per longum tempus sacrilegè aut invalidè esse confessum?* R. Videtur posse prudenter sic procedere. §. 1. Si pœnitens tuus sit de cætero scrupulosus, ordinariè non permittes quidquam repetere, nisi certum sit non esse, vel esse malè confessum, uti dictum est *l. 1. n. 542.*

1221 §. 2. Quamvis scrupulosus non sit, tamen non obligat ad confessionem repetendam, nisi moraliter certum sit antehac invalidè esse confessum, quia possessio est pro confessione, cujus valor præsumi debet, cùm inesse debuerit, & è contrà non præsumitur delictum, Fil. Gob. *t. 7. n. 275.* Unde quamdiù probabile est, quòd antehac sit validè confessus non tenetur confessionem repetere; est autem probabile, hoc ipso, quòd aliquando cum morali diligentia præteritam vitam recogitarit & confessus sit, uti dicetur *n.* 1883.

1222 §. 3. Si antehac semper fuerit timoratæ conscientiæ, & solitus se debitè præparare nec aliquid voluntariè omittere, prudenter præsumit se rectè semper confessum, adeóque non tenetur aliquid repetere, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio: è contrà si antehac non fuit timoratæ conscientiæ, sed solitus se negligenter præparare, aut omittere aliqua, præsumptio est contra ipsum, ideóque obligandus est, ut reiteret confessiones, de quarum valore prudenter dubitat.

1223 §. 4. peccatum reticuit, pete, quale illud fuerit, & an tunc temporis, quando fecit, putaverit esse mortale, item an putaverit esse mortale sic illud reticere in confessione, rectè enim notat Averf. *q. 10. f. 19. §. secundò* quamvis sæpe peccatum fiat ex ignorantia mortaliter culpabili, tamen sæpè postea esse ignorantiam inculpabilem confitendi: Quòd si in genere tantùm apprehendisse esse malum tale quid facere vel non confiteri nec cogitasset, an esset mortale an veniale, probabile est non peccasse mortaliter: adeóqque non fore opus repetere eas confessiones, uti dictum est *l. 1. num. 3.* quamvis in praxi raro futurus sit iste casus, secundùm dicta ibidem *n. 2.*

1224 §. 5. Si reticuit satis advertens malitiam gravem, quod tunc censeri debet, quando reticuit ex verecundia, vel cum gravi remorsu conscientiæ ante Confessionem vel Communionem, pete, an quoties confessus est intermedio tempore, semper fuerit memor obligationis confitendi, & nihilominus perrexerit tacere: si enim bona fide. & cum debita dispositione fecisset has confessiones intermedias, fuissent validæ, nec opus esset has vel peccata in his confessa repetere, uti cum communi Vasq. Dian. Pelliz. Lohn. Lug. *n. 599.* Moya suprà, Gob. *t. 6. n. 571.*

1225 §. 6. Si semper memor fuerit, ideóque ab eo tempore semper sacrilegè sit confessus, pete, quoties confessus sit & communicarit in eo statu. Et si tibi semper est confessus, & es adhuc utcumque memor reliquorum mortalium, secundùm dicta *num.* 1216. satis erit, si in genere dicat, *accuso me de illis peccatis, quæ tibi ab illo tempore confessus sum, à quo tempore etiam bis ordinariè omni mense sacrilegè confessus sum & communicavi, quia reticueram istud peccatum*, atque ita habebis plenam ejus confessionem.

1226 §. 7. Si tibi non est semper confessus, vel per multos annos sic perrexit, ita ut nec confusè recordari possis reliquorum peccatorum, communiter differendus est pro absolutione usquedum se examinarit, si capax sit ad se examinandum, & hoc anteà non fecerit, fieri enim vix potest, ut tam subitò omnium recordetur, Gob. *t. 7. n. 261.* Sporer *n. 514.* Quia tamen jam bene dispositus est, ne dimissus relabatur in priorem verecundiam, exquire ab eo graviora peccata, quæ illum maximè remordent, tumque examina circa magis obvia, ut sic aperto ulcere & deposita parte verecundiæ faciliùs redeat, tumque plenum fiducia dimitte cum benedictione, sed admone non esse absolutum, ideóque designa ei tempus, quo pro complenda confessione, accipienda absolutione redeat.

1227 §. 8. Si non esset futura occasio redeundi, nec putaretur alteri facilè aperturus conscientiam, jube edicere quæ occurrunt, ut sic videas, circa quæ magis peccaverit, & juvare potes interrogando ordine per præcepta decalogi, & Ecclesiæ, conjiciendo, quæ ipse spectata ætate, statu, conditione, negotiis, occasionibus probabiliter fecisse potuerit, quod cùm feceris, quantum locus & tempus ferent, pro Pœnitentia injunge, ut proxima occasione, quæ

dabitur, confiteatur præmisso diligente examine circa vitam præteritam, & tum addat, si quæ plura occurrent antehac non ritè confessa, nunc autem per actus fidei, spei & contritionis bene dispositum sic absolve.

1228 §. 9. Ut ejusmodi Pœnitentem, nec fatiges nimium, nec relinquas expositum plurimis posthac molestiis, debes accuratè scire, quænam peccata sint ejusdem, quænam diversæ speciei, ut nec nimiùm nec nimis parùm interroges. Numerum autem peccatorum internorum conjicies ex consuetudine uno die vel septimana iterandi, & diuturnitate temporis, quo hæsit in his vel illis peccatis. Et ut deprehendas numerum peccatorum externorum, primò propone magnum numerum; & si dicat, non toties, propone parvum; si dicat, sæpiùs, paulatim convenietis ad medium & verisimiliorem numerum. Videri possunt Gob. *t.* 7. *à n.* 259. & Sporer *à n.* 505.

DUBIUM IV.

1229 *De Satisfactione.*

ARTICULUS I.

Quæ ejus necessitas & quantitas.

„ RESP. I. Satisfactio, seu Pœnitentia à Confessario data, est necessaria necessitate, non Sacramenti sed præcepti; ideóque à confessario regulariter imponenda est, (secundùm Suar. & Regin. *t.* 1. *l.* 7. *n.* 12. sub mortali; *Card.* tamen & *Lug.* concedit, ex parvitate materiæ posse venialiter peccari, ut v. d. 25. n. 47. v. g. si ob peccata venialia levis Pœnitentia esset injungenda; ejus enim voluntariam omissionem venialem tantùm esse. Ita etiam Dian. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 44.) Et quidem proportionata, tum peccatis, tum facultati Pœnitentis. Ratio prioris est, quia est pars Sacramenti, non essentialis, sed integralis tantùm, habens effectum ex opere operato, & majorem vi Sacramenti, quàm sine eo. Ratio posterioris, tum ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. tum quia Sacerdos tenetur curare integritatem Sacramenti, & tam vindicare, quàm mederi. Bon. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 5. §. 3. *p.* 2. *Unde resolves.*

„ I. Excusatur aliquando Confessarius, si levissimam (vel etiam nullam) Pœnitentiam injungat, v. g. 1. Si pœnitentem vehementissimè contritum, aut aliter satisfecise advertat, Caj. Nav. Suar. Reg. Bon. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 3. *p.* 2. *n.* 1. & 2. Escob. *c.* 6. *n.* 41. Cùm verò id tarò vel nunquam constare satis possit, tutius est aliquam semper injungere; ut rectè monet Lug. *n.* 48. 2. Si Pœnitens sit mentis impos, aut aliter impotens, aut morti proximus, aut valde debilis: cui tamen prudenter injungi levem saltem Pœnitentiam, v. g. percussionem pectoris, invocationem nominis JESU (saltem corde) aliosve pios motus, vel ut per hæredes sacrificia, eleemosynas, & similia opera pia curet, monet *Laym.* & *Bonac. l. c.* & *Nav.* qui addit, posse injungi, ut patienter ferat infirmitatem, quod tamen *Bonac.* non probat, cùm fieri possit, ut id valdè angat infirmum, timentem se non ritè satisfacere. 2. Quando scrupulosus sæpiùs intra eandem horam redit cum novis culpis, quia supponitur satis imposita in præcedentibus, Tamb. *l.* 4. *c.* 1. ex *Fagund.*

„ II. Etsi Confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valde parvam Pœnitentiam imponat, excusari tamen cum posse, putat Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 92. si addat illud: *quidquid boni feceris, &c.* Verùm hæc regula universaliter admitti non potest, ut bene notat Lug. *n.* 57. Kon. Tan. Palaus *tr.* 23. *p.* 21. §. 3. *n.* 13. *&c.* (contra quos *Diana* pro se citat Bauni & Leand. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 5. & *p.* 9. *t.* 9. *R.* 54.) & ab aliis non immeritò rejicitur, eò quòd verba, utpotè merè deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam sacramentalem. Aversa *q.* 13. *s.* 7.

III. Minor justo licitè datur ex causa, qualis v. g. est, magna contritio. 2. Fragilitas animi vel corporis, ob quam timetur majorem non impleturus. 3. Tempus Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ, *Suar. Henriq. Laym.*

IV. Non potest injungi. 1. Ingressus Religionis, ut docet Sà *V. Satisfactio*; quia id nimis durum videtur. 2. Pœnitentia publica si sit periculum revelandæ confessionis; aliàs interdùm pro publico peccato potest, & expedit.

V. Etsi possit, & aliquando ob fragilitatem Pœnitentis etiam expediat, injungi opus aliàs debitum seu præceptum, v. gr. Missæ auditionem die festo, &c. ut docet Suar. Vasq. Laym. *l.* 5 *t.* 6. *c.* 15. & alii. Unde si scrupulosus sæpius redeat ad Confessarium, intra breve tempus semper nova confitendo, non semper necesse est imponere Pœnitentiã novam cùm opus ante debitum possit injungi, Bon. Henriq. Lug. Diana *p.* 6. *t.* 7. *R.* 6. contra *Suar. Reg.* & *Bauny*. Si tamen Confessarius non exprimat, censetur impetrasse opus liberum, ut docent iidem, & Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 84. v. Kon. *d.* 10. *dub.* 8. & Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 241.

VI. Etsi etiam possit injungi opus internum, uti contra Merat. & alios docet Kon Hurt. & Dian. *R.* 241. communiter tamen debet esse externum, & afflictivum, v. g. oratio, jejunium, eleemosyna: Nam avaris eleemosyna, luxuriosis afflictio corporis convenit. Utrum verò licitè imponantur preces recitandæ pro defunctis, dubitari potest, Vega *t.* 2. *c.* 64. & Jo. Sancius *d.* 16. *n.* 1. negant. Affirmant probabiliùs Turrian. *de Pœn. d.* 37. *dub.* 4. Lug. *d.* 25. *n.* 62. v. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 54.

VII. Potest etiam aliquando injungi cessatio ab aliquo bono opere, v. g. nimia corporis afflictione, vel abstinentia aliqua vice à Communione, ad promovendum majus bonum pœnitentis, si prudens Confessarius ad eum finem expedire judicet, *Salas, Lug. Dian.* &c. cum Aversa *p.* 13. *s.* 3. contra *Joannem Sanctium.*

VIII. Etsi possit immediatè post absolutionem adhuc injungi, debet tamen fieri ante, ut servetur ordo judicii, v. Dian. *R* 136 & *p.* 5. *t.* 13. *R.* 56. ubi ex *Cap. Finali*, & *Ochag.* docet etsi consuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen non induxisse obligationem.

Resp. II. Pœnitens communiter tenetur sub gravi obligatione Pœnitentiam, si rationabilis sit, acceptare, & implere, ut habet communis contra *Cajet. Sylv. Nav* Quorum sententia ad hoc saltem serviet, ut neminem non absolutum dimittas, si vel levissimam subire velit, ut notat Sotus & Regin. *l.* 7. *c.* 2. v. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 51. & *p.* 2. *t.* 15. *R.* 52.

Dixi I. *communiter*: quia probabile est, quod docet Laym. *c.* 15. Suar. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 136. contra Kon. Henr. & alios, Pœnitentiam sub veniali tantùm obligare sequentibus casibus: 1. Si imposita sit pro solis venialibus. Ita citati contra *Henr.* & *Fag* 2. Si pro mortalibus aliàs confessis. 3. Omissione partis non gravis, in confessione mortalium, vel etiam omissionem totius, si levis sit, v. g. unum Miserere, *Kon. Regin. Fag.* cum Dian. *R.* 102. & *p.* 6. *t.* 8. *R.* 45. 4. Si Confessarius noluit obligare sub mortali; quia cum possit imponere Pœnitentiam liberè, & sine omni obligatione, ut probat Suar. *hic d.* 38. *s.* 7. Henr. Fill. Fagund. Tan. Kon. *de sacram. d.* 10. *dub.* 8. *n.* 65. contra *Tur.* & *Vasq.* potest etiam sub levi tantù imponere. v. Dan. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 241. & *p.* 4. *tr.* 4 *R.* 82.

Verùm,

„ Verùm, qui lucratur Indulgentiam plenariam, libe-
„ rari ab onere Pœnitentiæ (nisi sit medicinalis) do-
„ cet Dian. *p.5. t.12.R.3.& p.9. t. 6. R.66.* ex *Tan.*
„ *Gran. Lug. &c.* contra *Val. March. & Averf.*
„ Dixi 2. *Si rationabilis sit* : quia si justo sit gra-
„ vior, ac difficilior, nec Confessarius eam moderari
„ velit, non peccabit graviter Pœnitens, si sine abso-
„ lutione discedens, alterius Sacerdotis judicio pec-
„ cata submittat, ut docet *Suar. Kon. Laym.* Imò ad
„ eam non obligatur, si omnino injustam esse cons-
„ tet, aut si Pœnitens eam non possit implere, vel il-
„ lius sit oblitus. Nec tunc ad aliud quidquam tene-
„ tur, etsi expediat, ut is, qui sive culpabiliter, sive
„ sine culpa oblitus est, in sequenti Confessione si-
„ milem sibi injungi petat. Ita kon. Laym. Dian. *p.4.*
„ *t. 4.R.241.* contra *Richar. & Sylv.* qui putant ta-
„ lem confessionem esse repetendam : quòd præter
„ citatos negat etiam Lug. *nu.* 87. ex Vasq. docens
„ talem satisfacere, si confiteatur illud peccatum
„ oblivionis culpabilis. *Unde resolves.*
„ 1. Is qui Pœnitentiam implet in statu peccati
„ mortalis, probabiliter quidem satisfacit præcepto,
„ cùm impleat ejus substantiam, peccat tamen, sed
„ venialiter, ut docet *Suar. Laym. Diana loc.cit.* Quia
„ Sacramenti partem suscipit indignè; & obicem
„ ponit effectui, scilicet remissioni pœnæ, (quem
„ tamen, obice remoto, recuperari, docet Nav.
„ Tol. Caj. Dian. *p. 3. t. 4. R. 85. Fagn. Suar. &c.*)
„ unde quamprimùm est implenda, potestque gravi-
„ ter etiam peccari nimiùm differendo; quod ex
„ variis circumstantiis judicandum, v. Dianam *p.2.*
„ *t. 15.R. 53. p. 6. t. 13. R.38.* Non esse autem gra-
„ ve seu mortale, si non differat ultra octiduum,
„ docet *Hurt.* apud *Dianam.* Imò posse differri per
„ annum, (hoc est, quamdiu non tenetur ad no-
„ vum Sacramentum Pœnitentiæ) vult ipse Dian.
„ *p. 9 t. 7. R 57.* ex *Amico. Leand.* &c. nisi tamen
„ Pœnitens dubitet, an posteà possit implere : eo
„ enim casu teneri quamprimum commodè potest.
„ Similiter non esse mortale, si obligatus jejunare
„ feria 6. differat in diem sequentem : vel obligatus
„ communicare singulis mensibus, differat ad 6. vel
„ 8. dies, affirmat Diana *l. c.* ex *Palao*, præsertim ex
„ causa aliqua tametsi levi.
„ 2. Pœnitentiam medicinalem (impositam sub
„ conditione hac, *si iterum labatur*, nec teneri accep-
„ tare, nec implere, eò quòd Confessarius nec Ju-
„ dex sit, nec Medicus peccatorum committendo-
„ rum, docet Diana *p.6.t.7.R.* 49. ex *Palao*, *Trull.*
„ &c. Sed contrarium probabiliùs cum *Suar.* tenet
„ Aversa *q.* 13. *s.* 4. quia non imponit eam pro pec-
„ catis committendis, seb commissis, sub conditio-
„ ne reincidentiæ.
„ 3. Qui non implevit intra tempus præscripum,
„ non ideò deobligatur.
„ 4. Potest satisfacere per alium, cui Confessarius
„ id concedit : vel qui per se non potest, ut docet
„ Reg. Fill. Fag. Dian. *p.* 4 *t.* 4. *R.* 141. Hic tamen
„ non tenetur, nisi Confessarius id voluerit. An
„ verò satisfaciens pro alio, simel pro se posit, alii
„ dicunt, alii probabiliùs negant, ut habet Sà.
„ 5. Non necessariò impletur ante Communionem.
„ *Quæres.* Quis Pœnitentiam posit commutare, &
„ quomodo?
„ *Resp.* 1. Ex justa causa quivis Sacerdos id potest,
„ si de novo ei confiteatur, ut habet communis sen-
„ tentia contra *Sotum & Vasq.* saltem si peccata non
„ sint reservata; imò etiam probabiliter, etiamsi
„ talia fuerint, ut habet *Fernand.*
„ *Resp.* 2. Sine nova Sacramenti administratione,
„ potest id solus Sacerdos, qui injunxit, si adhuc
„ recordetur statum Pœnitentis, & hic ad eum re- „
„ currat tempore tam brevi, ut moraliter idem ju- „
„ dicium censeri posit, v.g. intra hebdomadam. *Henr.*, „
„ & alii 4. imò etsi post longius intervallum. Lug. „
„ Av. & Dian. *p 6. tr.6.R.46. & p.2.t. 6.R.57.* contra „
„ *Palaum*, &c. Ratio, quia Judex incognita causa non „
„ potest ferre sententiam. Ita *Sylv. Suar. Kon. Lay. Fill.*, „
„ *Reg. Fagn. &c. Lug.* contra Nav. Henr. Tol. Sà, Rodr., „
„ Bejam, Valer, Dian. *p. 3. tr. 4. R.53. & p. 2. tr. 1.* „
„ *misc. R. 53.* qui dicunt etiam alium posse, non re- „
„ petitis peccatis. Quæ sententia, etsi non ex ratio- „
„ ne, ex principio tamen extrinseco videtur esse in „
„ praxi probabilis, (*Diana* enim *l.c.* pro ea adducit „
„ 14. Authores, dicitque esse usum, sive praxim „
„ Confessariotum) & Confessariis posse servire, quan- „
„ do Pœnitens difficulter adduci potest ad repetenda „
„ peccata, vel tempus id non fert; præsertim si ex „
„ confessione (nam in ea & non extra, debet fieri) „
„ aliorum peccatorum, & ex præsenti statu pœniten- „
„ tis, ipsiusque testimonio, habeant aliquam confu- „
„ sam notitiam peccatorum præteritæ confessionis. „
„ Ita Fag. *p. 2. l. 9. c. 4. n. 22.* Lugo *d. 25. à n. 107.* „
Resp. 3. Ipse Pœnitens non potest commutare „
Pœnitentiam, etiam in evidenter meliorem, ut „
docet Sanch. 4. *mor.* Kon. *d. 10. d. 12. n. 13. Regin.* „
& alii : etsi contrarium probabile dicat Diana *p 3.* „
t. 4. res. 53. & p. 5. t. R 73. ex *Procell. & Villalob.* „
Sed hoc *Turr.* temerarium : communi Theologo „
rum, & fidelium sensui repugnare dicit Lug. *n. 95.* „

ADDENDA.

Quæst. 170. *An satisfactio sacramentalis vel pro* 1230
bata vitæ emendatio sit præmittenda absolutioni: R.
§. 1. Satisfactionem Sacramentalē esse præmittendam absolutioni docuit *Petrus de Osma*, cujus propositionem hanc, *non peracta Pœnitentia confitentes absolvi non debere*, damnavit anno 1479. Sixtus IV. Bulla, *Licèat ea*, 17. tom. 1. Bullarii. Opinionem illam posteà renovarunt *Anton. de Dominis de Rep. c. 7. à n. 29* Arnaldus *de freq. comm. p. 2. à. c. 7. usque ad* 19. Gabrielis *in speciminibus p. 2. §. 35.* Huyghens in thesibus 29. Novemb. 1685. Opstraet *De convers. peccat. q. 2. cap. 2. cap. 3. §. 1. & q. 3. c. 4. §. 2.* aliique Rigoristæ apud *Hilarium à S. Sepulchro* ad propositiones ab Alex. VIII. damnatas, qui dixerunt praxim illam non absolvendi peracta priùs Pœnitentia viguisse in Ecclesia per 12. prima sæcula, ideóque nunc esse reducendam. Joannes Episcopus Castorien-sis in Amore pœnitente pag. 199. dixit morem absolvendi ante peractam satisfactionem cæpisse invalescere post tempora S. Bernardi. *Sed contra est*, nam praxim mox absolvendi fuisse in 12. primis sæculis, ostendunt Morinus *de administr. Pœnit. l. 9. cap. 14. n. 8.* Alex. à S. Theresia *in tempest. noviss art. 15. &* 16. Nicolaus Du Bois in Apologia contra Synodum racematoriam, probans per Canones à 2. sæculo usque ad 12. quòd facientibus etiam publicam Pœnitentiam data fuerit Eucharistia, etiam per decursum Pœnitentiæ necdum expletæ, ergo jam ante erant absoluti : absolutio autem, quæ dabatur in fine post expletam Pœnitentiam non erat sacramentalis, sed pro foro externo reconciliativa cum communitate, & attestativa Pœnitentiæ fideliter expletæ. Atque etiam ideò liber *Episcopi Castorien sis Romæ* suspensus est 20. Junii 1690. donec corrigatur. Et quòd praxis, quæ nunc est, absolvendi ante peractam Pœnitentiam, non sit contra præceptum Christi, neque contra naturam rei, sed absolutè retinenda sit, constat inde, quia Alex. VIII. die 7. Decembr. 1690. damnavit sequentes propositiones : 16. *Ordinem præmittendi satis-*

factionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei idipsum quodammodò dictante. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.* 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis Pœnitentiam egerint.* Constant hæc omnia etiam ex Catechismo Romano, *de pœnit. Sacram. cap.* 12. *num.* 1. *Antiquissima Ecclesiæ usu receptum est, ut cùm Pœnitentes à peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ solutio satisfactio vocari consuevit.* Nec desunt rationes, nam imprimis ita semper præmittendo satisfactionem, pœnitens sæpè exponetur periculo æternæ damnationis, si nempe non habens perfectam contritionem sine absolutione moriatur. Deinde Pœnitentia, quæ impletur ante absolutionem, fortè non est ex opere operato remissiva pœnarum, uti dicetur, *nu.* 1236. aut quamvis sit accedente absolutione, tamen ex opere operantis, qui sæpè remanet in statu peccati habitualis, nihil de condigno meretur, ergo nocetur Pœnitenti.

1231 §. 2. Ex dictis sequitur non prærequiri probationem vitæ emendatæ, quidquid putaverint similes Rigoristæ dicentes per emendationem explorandum esse, an Pœnitens habuerit verum dolorem necne, dicunt enim probationem veri doloris esse exhibitionem boni operis, secundùm illud Christi, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, Matth. 7. v. 20. *sed contrà est*, quòd aliunde satis colligi possit, an desit verus dolor necne. Deinde universalis praxis Ecclesiæ est contraria, ergo planè imprudenter hoc requireretur. Denique hoc ipsum est specialiter contra finem Sacramenti, cujus gratia per absolutionem causata debet juvare ad emendationem vitæ, ergo malè prærequireretur emendatio ante absolutionem. His omnibus non obstantibus dicam posteà *à n.* 1764. absolutionem aliquando differri posse, & debere.

1232 *Q.* 171. *Quid præterea sit notandum circa satisfactionem sive Pœnitentiam, quæ in confessione injungitur?* R. seq. §. 1. Est conforme institutioni Christi, ut satisfactiones à confessariis imponantur Pœnitentibus, nam *Trid. sess.* 14. *can.* 14. *de pœn.* ait, *Si quis dixerit satisfactiones, quibus Pœnitentes per JESUM Christum peccata redimunt, non esse cultus Dei sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.* Can. 15. *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea à Sacerdotes, dum imponunt Pœnitentias confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quòd virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis pleraque exolvenda remaneat, anathema sit.* Ratio autem est, quia satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo est ex institutione Christi: cùm enim omnia Sacramenta sint instituta à Christo, nihil potest esse pars Sacramenti, nisi propter institutionem Christi.

1233 §. 2. Satisfactiones sacramentales, aliæ sunt *vindicativæ*, quæ imponuntur ad tollendas pœnas temporales adhuc debitas peccatis: aliæ *medicinales*, per quas præservamur à relapsu, & de his dicit Trid. *sess.* 8. *A peccato revocant & quasi frano quodam cœrcent, cautiores reddunt & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, quæ remedia quibus, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Iterum aliæ sunt *publicæ*, aliæ *privatæ*; Et publicæ, aliæ sunt *solemnes*, aliæ *non solemnes*, de quibus videri potest Bellarm. *l.* 1. *c.* 21. *&* 22.

§. 3. Probabilius videtur, quòd satisfactio pœ- 1234
nitentis non causet gratiam habitualem ex opere operato: Vasq. Præp. Con. Raynaud. Lugo *d.* 25. *sect.* 1. Aversa *q.* 14. *sect.* 3. Arr. *d.* 47. *sect.* 1. Dic. *d.* 14. *n.* 156. Gorm. *p.* 2. *n.* 315. contra *Caj. Sot. Suar. Turr. De la Crux* apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 70. & alios. Ratio est, quia non debet virtus attribui Sacramento aut parti Sacramenti, nisi fundamentum habeamus ex Conciliis aut Patribus, hi autem, quando agunt de satisfactione, ei tantùm attribuunt virtutem remittendi pœnas temporales, quod fieri potest sine infusione gratiæ, uti patet in indulgentiis & Sacrificio Missæ defunctis applicato, ergo.

§. 4. Ob eandem rationem probabilius videtur 1235
contra eosdem AA. & contra *Con. & Aversa* quòd satisfactio pœnitentis etiam non causet gratias actuales ex opere operato, sive, non conferat jus ad specialia auxilia pro emendandis peccatis, quamvis enim *Trid.* suprà c. 8. dicat revocare à peccato, & cautiorem reddere, hoc tamen facit ex se, & quantum opus operantis valet ad cœrcendum hominem, & ad impetranda à Deo auxilia. Ratio autem est, quia jus ad specialia auxilia ratione Sacramentorum fundatur in gratia habituali sacramentali, quæ posteà exigit ista specialia auxilia, ergo cùm satisfactio non causet ex opere operato gratiam habitualem, etiam non confert ex opere operato jus ad specialia ejusmodi auxilia.

Objic. 1. Si confitear peccatum mortale & veniale, dolor de veniali, licèt sit pars integralis tantùm, causat gratiam, ergo etiam satisfactio: Scimus enim Sacramentum Pœnitentiæ esse à Christo elevatum ad causandam gratiam, & pariter scimus satisfactionem esse æquè partem integralem Sacramenti, ac dolorem de veniali, ergo Resp. Concilia & PP. dicunt gratiam causari per confessionem & dolorem, quæ vel sunt vel ponuntur cum partibus essentialibus caus antibus gratiam; è contrà per satisfactionem, quæ diu post partes essentiales Sacramenti gratiam causantes ponitur, tantùm dicunt causari remissionem pœnæ, ergo non est paritas.

Obj. 2. Absolvens sæpè addit hæc verba. *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in augmentum gratiæ, &c.* ergo absolutio elevat satisfactionem ad augendam gratiam Resp. n. consequ. nam Sacerdos etiam orat, ut per merita B. V. & omnium Sanctorum, item per quæcunque opera pœnitentis augeatur illi gratia, neque tamen illa omnia sunt satisfactio sacramentalis, multò minus elevantur ad causandam ex opere operato gratiam. Quoad illa tamen verba, vide dicenda *n.* 1250.

§. 5. Satisfactio sacramentalis, si persolvatur 1236
post absolutionem, quæ ipsam adhuc afficiat, causat remissionem pœnæ temporalis ex opere operato, Suar. Vasq. Lugo *d.* 25. *nu.* 16. Dicast. *d.* 14. *num.* 151. & communiter omnes, teste Arr. *d.* 47. *nu.* 9. Probatur ex *Trid.* suprà c. 8. & Can. 15. nam dicit esse ex institutione Christi, ut pœna condonetur, nempe temporalis, quia docet c. 8. & definit Can. 12. non semper totam remitti cum culpa & cum pœna æterna, ergo. *Dixi*, si persolvatur post absolutionem, nam licèt possit saltem quoad partem persolvi ante absolutionem, tamen nihil ad Sacramentum pertinens causat gratiam ex opere operato, antequàm compleatur Sacramentum, & ponatur forma, in qua secundùm *Trid. c.* 3. est præcipua vis & efficacia hujus Saramenti, ergo si ita anticipetur, ut super eam cadere non possit forma nihil efficiet ex opere operato, Suar. Lug. *n.* 28. Arr. *n.* 20.

Aversa

Aversa *q.*14.*s.*4.§.*Quartò.*Amic.*d.*16.*n.*87.Dic.*n.*165. Sporer *n.* 576. *Confirmatur*, nam non remittit pœnam, nisi supponendo culpam ex vi hujus absolutionis remissam, cùm subordinetur absolutioni ad remittendas reliquias pœnarum peccatis debitarum, sed tum culpa non supponitur remissa ex vi hujus absolutionis, ergo. *Dixi* 2. si ita anticipetur, &c. nam docent *Præpos. de satisf. q.* 12. *nu.* 93. Merat. *d* 41. *s.* 2. & insinuat Lug.*d.*25.*n.*28.satisfactionem, quæ præcedit, operari remissionem pœnæ accedente absolutione, quod verum est, si illam adhuc moraliter præsentem censeatur afficere absolutio.

1237 §. 6. Incertum manet, quantum de pœna peccatis confessis debita remittat satisfactio; nam si imponatur minor, quàm reipsa respondeat pœnæ à Deo commensuratæ, certum est tantùm aliquid illius remittere. Et licèt Confessarius judicet pœnitentiam impositam esse æqualem, si talis non sit, non ideò, si hanc pœnitentiam expleat, remittetur tota pœna, quia opinio Confessarii non præjudicat juri Dei, nec facit partem Sacramenti esse magis operativam, quàm in se sit secundùm institutionem Christi, uti pluribus probant Lugo *à n.* 19. Dicast. *à nu.* 175. Gorm. *à nu.* 318. Aliud est in indulgentiis, quia Papa aliunde ex thesauro Ecclesiæ supplet. Est tamen probabile cum Lugo *n.*26. quòd melior dispositio pœnitentis, etiam tum, quando Pœnitentiam implet, plùs etiam conferat ad remissionem pœnæ: Cur autem vi Baptismi remittatur omnis pœna & non vi Sacramenti Pœnitentiæ, rationem dat S.Thom. *in supplem. q.* 18.*art.* 2. tum quia *non debet alicui imputari ad pœnam, nisi quod ipsemet fecit*, homo autem non fecit ipsemet originale peccatum, sed tantùm personale; tum etiam quia homo *fit per gratiam baptismalem novus homo*'..'. *sed in Poenitentia homo non mutatur in aliam vitam, quia non est regeneratio sed sanatio quadam*'..'. *Attamen de illa poena, quæ in Purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minùs in Purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quàm si ante absolutionem decederet.*

1238 §. 7. Probabilius videtur Confessarium peccare, si nullam injungat Pœnitentiam, etiamsi pœnitens velit lucrari Jubilæum seu indulgentias, aut videatur valde contritus, nam adhuc integrandum est Sacramentum saltem per parvam Pœnitentiam, aut per ipsasmet preces pro lucrandis indulgentiis recitandas, maximè cùm valdè incertum sit, an quis indulgentias plenè lucretur, & an contritio illa deleat omnem pœnam. Quòd si supponamus obtineri indulgentias, aut per hanc contritionem deleri pœnas, poßet Pœnitentia vindicativa minor imponi: ut dicetur *n.* 1258. Quæ omnia confirmabuntur ex dicendis *n.*1273. Si tamen pœnitens paulò post esset subiturus martyrium, putat Dic.*n* 16.posse non injungi Pœnitentiam, sed si commodè peragi possit, dicendum est injungendam esse, saltem ut integretur Sacramentum: & si homini illi nulla pœna superfuerit solvenda, satisfactio ejus vel manebit in thesauro Ecclesiæ, vel poterit servire alteri, secundū dicenda*n.*1330.

1239 §. 8. Si pœnitens statim post absolutionem admittat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, si hoc peccatū statum pœnitentis non notabiliter immutet, dicunt aliqui cum Amic.*n.*114.non esse opus imponi novam Pœnitentiam, quia licèt peccatum illud fuisset primò additū, potuisset eadem esse Pœnitentia: sed dicendum est, cùm sit novum judicium, esse saltem aliquid leve addendum, velea ndem Pœnitentiam, quæ ante data erat, nunc esse injungendam pro utraque confessione.

1240 §. 9. Pro Pœnitentia injungi quidem potest, secundùm J. Sanch.*d.*13. & Aversa. *q.* 13.*s.*3. si id censeatur utile futurum, ut pœnitens eadem peccata eidem Confessario iterum confiteatur, non obstantibus illis, quæ dixi *num.* 589. attamen cavendum, si confessio per hoc redderetur odiosa: nec absolutè expedit fieri, si sint peccata carnalia, ut in specie infima ea confiteatur sæpiùs, bene tamen in genere aut in specie subalterna, v.g. accusando se de turpibus tactibus vel pollutionibus antehac commissis. putat. *J. Sanch.* injungi non posse, ut statim iterum confiteatur, si in tale peccatum fuerit relapsus, quia si non relabatur, nunquam integraret Sacramentum, sed melius contradicunt alii cum Aversa. *s.*4.quia per hoc simul injungitur specialis cautela, & conatus non relabendi, ergo licèt non relabatur, per hanc ipsam specialem cautelam, & conatum integrat Sacramentum: aut saltem potest illi simul imponi aliquid leve, quod jam impleat.

§.10.Præter citatos à *Busemb.*rectè dicunt Suar. 1241
Lug. Lohn. Dic. *d.* 14. *nu.* 85. & alii posse pro Pœnitentia imponi opus merè internum, verbi gratia: meditationem de morte. *Nec obstat*, quòd Ecclesia non videatur posse præcipere actus merè internos, nam hoc posse Ecclesiam, ostendi *l.* 1. *à nu.* 648. Et dato, quòd de se non posset Ecclesia, Confessarius id præcipit nomine Christi instituentis hoc Sacramentum cum potestate ligandi non restricta ad actus tantùm externos satisfactionis.

§. 11. Præter citatos à *Busemb.* etiam rectè di- 1242
cunt Aversa *s.* 4. Amic. *nu.* 62. Bosco *d.*7.*s.*12.*à nu.* 110. Dicast. *n.* 94. Rayn. in Heter. *to.n.* 15. *p.* 2. *l.* 3. *p.* 2. *nu.* 31. posse injungi orationes pro Defunctis, quia sic imperatur actus charitatis, & omnis oratio etiam est actio bona de se molesta: atque ideò etiam Catech. Rom. de Pœn. *cap.* 13. monet injungendas orationes, *præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino excesserunt*, est enim, inquit Lugo *d.*25.*n.* 61. eleemosyna acceptissima, & illi rursus pro pœnitente orabunt.

§. 12. Opus perpetuum non debet pro Pœni- 1243
tentia imponi, uti si Confessarius tibi imponat, ut quotidie tota vita ores *Pater & Ave*, Castrop. *t.* 23. *p.* 21. §. 4. *n.* 3. & §. 5. *n.* 16. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 77. Steph. *t.*5.*d.* 5. *n.* 175. dicunt te non teneri acceptare vel acceptatam exequi, quia immoderatè durat. Aliud est, si præter opus aliquod, quod jam fieret, imponeretur *aliud* obligatorium, sine majori tamen obligatione: & sic legimus, quòd S.Bernardus videns magnam contritiolem *Arnunphi* cujusdam, cui injunxerat, ut oraret ter *Pater & Ave*, ac in religioso statu usque ad finem permaneret, uti refert *Dionysius Werlensis Capuccinus*, *in Pseudo-pœnitente c.* 2.*a* 2§.5.*Reg.*11.ille enim jam antecedenter tenebatur ad statum illum. Posse autem opus aliunde præceptum esse saltem partem Pœnitentiæ, docent *Suar. Vasq. Dian. Lug. Dicast.* & alii multi cum *Escob. probl.* 32. contra *Maj. Palud.* & alios, sic enim imponitur secunda obligatio, ideóque duplicem specie malitiam contrahit pœnitens, si omittat, uti dictum est *l.* 5. *n.* 135.

§.13.Si Sacramentùm Pœnitentiæ fuerit validum 1244
& informe (quale posse esse dixi *à n.* 672.) & satisfactio persolvatur in mortali, antequàm Sacramentum reviviscat, tum quidem non habet suum me effectur quia pœna non remittitur, nisi priùs remissa sit culpa, posteà tamen reviviscente Sacramento etiam reviviscet satisfactio in ordine ad delendam pœnam ex opere operato, uti cum communi *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.*85.Arr.*d.*15. *n.*20. Aversa.*q.*14. *s.* 8. & sequitur ex dictis *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 197.

§. 14. Si Sacramentum Pœnitentiæ fuerit for- 1245
matum & causaverit gratiam, satisfactio autem persolvatur

solvatur post relapsum in mortale, *Mag. senten. S. Th. Arr. Led. Valent. Hurt. Turr. Præpos. Ochag.* & alii cum *Dic. d.* 14. *n.* 170. dicunt nunquam prodesse. E contrà *Caj. Vict. Vivald. Suar. Henriq. Con. Arr. Lug. Fagund. Laym Dian.* & alii dicunt semper prodesse: sed quamvis prima sententia videatur esse probabilior, tamen potest sic distingui, nam nunquam habet effectum ex opere operantis, quia prout ab homine ponitur, deberet sumere valorem ex dignitate personæ operantis, quæ dignitas hìc non est, cùm operans sit in mortali, ergo talis satisfactio, prout est actio operantis, est opus planè mortuum: & hoc fortè vult prima sententia. E contrà prout est actio sacramentalis ex institutione & quasi nomine Christi posita, probabiliter dicit secunda sententia habere effectum ex opere operato, vel tum, quando ponitur etiam in peccato mortali eò quòd Deus non respiciat actionem, prout est hominis, sed prout est moraliter Christi, uti tenent plerique cum *Bosco sect.* 13. *à n.* 46. ad eum modum, quo Missa ab impio Sacerdote lecta valet ad effectus suos ex opere operato: vel saltem posteà, quando removetur obex, quod erat mortale, uti cum aliis putat *Avers. & Viva ad prop.* 18. *Alex. VIII. n.* 14.

1246 §. 15. Eum nequidem venialiter peccare, qui persolvit pœnitentiam in mortali, docent *Sot. Tann. Lugo d.* 25. *n.* 23. Arr. *d.* 47. *n.* 23. Dic. *d.* 14 *n.* 160. & alii contra *Suar. Casirop. Laym. Busemb. Spor. n.* 541. Viva *n.* 13 & alios: Rationem dant, tum quia Confessarii ipsi sæpè imponunt Pœnitentiam explendam, antequàm absolvant à mortalibus, tum etiam quia nulli pœnitentes faciunt sibi scrupulum, licèt persolvant post relapsum, creduntque meliùs esse, quàm diùtiùs differre, ergo ex sensu communi non est peccatum *Nec obstat*, quòd satisfactio sit pars Sacramenti, ideóque videatur irreverentia, si in statu peccati mortalis ponatur, *nam* etiam dolor & confessio sunt partes Sacramenti, & quidem essentiales, & tamen sine peccato veniali poni possunt à pœnitente constituto in mortali; undè sicuti non peccat, qui alia sacramentalia, v. g. benedictionem Episcopi vel aquam benedictam accipit in mortali, ita nec hic.

1247 §. 16. Qui implet Pœnitentiam per actionem ex circumstantia venialiter peccaminosam, non privatur fructu satisfactionis ex opere operato, quia veniale non impedit effectum remissionis pœnæ aliis peccatis remissis debitæ, cùm veniale sit compossibile cum gratia talium peccatorum remissiva. Imò putat *Lug. n.* 33. non impediri fructum satisfactionis, licèt interveniret mortale, dummodò Pœnitentia quoad substantiam impleatur.

1248 §. 17. Pœnitentia imponi potest sub conditione, v. g. si convalescat, si fiat dives, &c. Rectè tamen notat *Avers. qu.* 13. *s.* 4. addendum simul, ut jam aliquid aliud fiat, quo integretur Sacramentum.

1249 §. 18. Probabilius videtur Pœnitentiam non debere injungi sub consilio tantùm, sed sub obligatione aliqua, uti tenent *Vasq. Tur. Con. Lug. Arr. d.* 47. *s.* 5. *Amic. d.* 16. *n.* 79. Bosco *d.* 7. *s.* 13. *à n.* 149. Gorm. *n.* 332. contra multos, quos citat & sequitur *Busemb.* suprà. Ratio nostra est, quia Confessarius, secundùm *Trid. sess.* 14. *de pœn. c.* 8. injungit ex potestate ligandi, quam habet, sed non ligat, nisi obliget: Deinde injungit tanquam Judex, sed Judex obligat ad pœnam promeritam, ergo. Probabilia tamen sunt, quæ addit *Aversa s.* 7. nempè 1. posse Confessarium, præter Pœnitentiam obligatoriam, alia opera imponere pro libertate agenda, quæ tamen vi absolutionis etiam eleventur ad satisfaciendum ex opere operato: ideóque *Dic. d.* 14. *dub.* 3. dicit imponi posse partim sub præcepto, partim sub consilio. 2. Etiam posse Pœnitentiam de se gravem & pro mortalibus debitam, imponere sub obligatione tantùm levi, si expressè dicat se ita imponere, ad eum modum, quo cum sententia communi dixi *l.* 1. *n.* 668. materiam de se gravè posse imperari sub obligatione tantùm levi.

§. 19. Quamvis probabilius sit quod cum aliis 1250
multis docet *Busemb.* suprà, per illa verba, *Quidquid boni feceris, &c.* non elevari omnia opera secutura pœnitentis ad satisfaciendum ex opere operato, tamen videtur probabile, quòd verba illa aliquid operentur, uti præter citatos à *Busemb.* docent Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 173. Sporer *n.* 569. aliique apud Vverlensem *Reg.* 12. quia licèt non à Christo, tamen sunt instituta ab Ecclesia, quæ potest concedere indulgentias; neque sunt merè deprecativa, sed posunt per modum authoritativæ sententiæ à Confessario proferri. Et hæc videtur esse mens S. Thom. *quodlib.* 3. *a.* 13. ubi dicit opera hominis per hoc accipere vim expiandi peccata: item *S. Antonini & S. Thomæ à Villanova*, quorum verba referam *n.* 1256.

Q. 172. *Quantæ Pœnitentiæ sint injungendæ?* 1251
R. §. 1. Universaliter loquendo, injungi debent proportionatæ peccatis, si tamen sint accommodatæ pœnitentibus, nam *Trid. sess.* 14. *de pœn. cap.* 8. ait, *Debent ergo Sacerdotes, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutare, & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

§. 2. Quantæ olim injungi debuerint, colligi- 1252
tur ex canonibus pœnitentialibus decreto Gratiani adjectis, juxta quos regulariter pro quovis mortali erat injungenda septennis Pœnitentia, jejunando omni septimana in pane & aqua, diebus Lunæ, & Mercurii & Veneris. Similem Pœnitentiam septennem etiam pro occultis peccatis statuerunt S. Bonifacius Archi Episcopus Moguntinus, S. Raymundus, S. Vincentius Ferrer. S. Bonav. uti refert Vverlensis *c.* 2. *art.* 2. Tota quæstio hìc est, an etiam hoc tempore imponi debeant tantæ Pœnitentiæ.

§. 3. Aliqui affirmant: Hinc *Werlensis* citans 1253
Guillelmum, & S. Carolum Borrom. dicit illas pœnitentias jam esse falsas, quæ non imponuntur pro qualitate criminum, secundùm dictos canones, consideratis tamen circumstantiis, quatenus & fragilitati nostrorum temporum & qualitati pœnitentium congruunt. Idem Vverlensis *c.* 1. *art.* 5. docet ex variis Authoribus, eum verè non dolere de peccatis, qui commensuratam ejusmodi Pœnitentiam admittere non vult, quia *qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret*, inquit S. Bern. *de grad. Homil. c.* 78. *Si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ tuæ fructus*, inquit Hugo de S. Victore *l.* 2. *de Sacram. p.* 14. *c.* 1. Hinc Vverlensis *n.* 14. innuit nimis parvam fore Pœnitentiam, si quis pro una fornicatione injungat solos 7. psalmos pœnitentiales aut aliquot Rosaria.

§ 4. Certum est pro his temporibus remisisse 1254
rigorem antiquorum canonum, nam S. Leo Papa Epist. 90. ait, *Multa sunt, quæ pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oportet temperare*: Et S. Gregor. relatus in decreto Gratiani dist. 29. *c.* 2. ait *SS. PP. pro tempore, loco, & persona & negotio, instante necessitate tradita sunt. Petrus Pictavienſis f.* 9. *p.* 2. ait, *Sicut moderni physici temperant antiquarum violentiam potionum, sic & nos plerumque antiquorum rigorem canonum pœnitentialium, quia non possumus sustinere censuram illius*

tempo

temporis, quando & corpora defecerunt Cardinalis Bona *l.* 1. *Ver. Liturg. cap.* 18. ait, *Moribus immutatis sacros quoque ritus variari consequens fuit, & multa quidem sapientissimè œcumenicis Conciliis & à summis Pontificibus innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ pristinæ consuetudinis districtionem semper in eodem statu manere non patitur.* Similiter loquuntur *S. Thom. & Hugo Victor.* quos referam *num.* 1742. Ratio jam est insinuata, quia Ecclesia, velut prudens Medicus, considerat ægrorum temperamenta, qualitates temporum, dispositionem corporum, & ea præscribit remedia, quæ hìc & nunc judicantur fore utiliora.

1255 §. 5. Rigoristæ dicunt causam relaxandi disciplinam quoad pœnitentias, esse refrigescentem charitatem fidelium, sed *Contrà* est, nam potiùs inter causas fuit. 1. Ne confessio ab hæreticis impugnata velut impossibilis, per duras pœnitentias magis redderetur odiosa. 2. Quia successu temporis plures fuere Sacerdotes, apud quos frequentarentur confessiones ad emendationem utilissimæ, & qui in hoc foro interno aliter mederentur peccatis per medicinas benigniores. 3. Quia animadversum est, benignas Pœnitentias plus prodesse quàm rigidas, quòd per benignas magis allicerentur fideles ad Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ. 4. Quia occasione belli sacri contra Turcas inductus est usus indulgentiarum, qui secundùm dicenda *à num.* 1314. est modus satisfaciendi pro peccatis utilior ac certior quàm observatio canonum Pœnitentialium. 5. Quia successu temporis instituti sunt Ordines religiosi, qui sunt status pœnitentium utilissimi. Vide Francol. *Cler. Rom. p.* 2. *c.* 1. quod enim ibi dicit de mutatione pœnitentiæ publicæ in privatam, valet de mutatione pœnitentiæ rigidæ in benignam: Et de hoc iterùm plura habet *l.* 3. *de discipl. pœn. c.* 6. §. 6.

1256 §. 6. Etiam præscindendo ab his causis, plures antiqui PP. ac viri sapientissimi meritò suaserunt benignitatem in injungendis pœnitentiis. S. Chrysost. *l.* 2. *de Sacerd. Dialog.* 2. ait: *Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quòd digna ab iis pœnas, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur; neque enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne quà fiat, ut dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriorem facias, ac dum eum, qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse major per te reddatur, nam qui infirmi sunt ac remissi & magna ex parte mundi hujus deliciis illecebrisque illaqueati, quique à generis claritate, à potentia & opibus habere se credunt, unde animos magnoperè tollant, ii, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possunt utique, si non penitus, attamen parte aliqua eximere se atque liberare malis peccatisque, quibus occupantur, quos si justa statim animadversione emendes, fiet, ut minori etiam illa correctione, quam sustinere poterant, privas.* S. Bern. Serm. 3. de S. Andrea dicit Confessarium debere esse instructum scientia, *ut sciat, quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat.* Et intrà, *Habeat in voluntate compati & liberare eum, & nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini sui.* Addit serm. 42. in Can. *Mallem aliquando tacuisse & dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quàm ad tantam reprehendisse perniciem.* Et de nimia S. Bern. severitate sub initium adhibita testatur S. Franc. Salesius, *in introd. ad vitam devotam p.* 3. *c.* 2. Et idem S. Salesius, *in inst. Confess. c.* 8. docet benignum debere esse Confessarium, qui condescendat infirmitati pœnitentis, si gravem pœnitentiam nolit admittere. S. Thom. *opusc.* 65. §. 4. ait, *Sit Sacerdos ita cautus, ut non imponat pœnitentiam ita gravem & austeram pœnitenti, ut poenitens totum dimittat ... sed nec ita levem imponat, ut peccator contemnat peccatum ... faciat temperamentum ex misericordia & severitate, ut poenitentia non sit nimis dissoluta nec nimis rigida ... tamen tutius est imponere minorem debito quàm majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quàm per nimiam severitatem, quia talis defectus in Purgatorio supplebitur.* Author operis imperfecti Hom. 43. in Matth. ut refertur in decreto Gratiani, *causa* 26. *qu.* 7. *c.* 12. ait: *etsi erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? ... si Deus benignus, ut quid Sacerdos ejus austerus est? Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus, &c.* S. Bernardinus de Conf. ait, *Potiùs imponat unum Pater noster, vel quòd semel de septimana vadat ad Ecclesiam, vel aliquid levius.* Rationem dat *Catechismus Romanus*, quia si dimittantur sine absolutione, *summoperè Sacerdotibus timendum est, ne semel dimissi amplius non redeant.* Gerson p. 2. opusc. in Reg. mor. ait, *Tutius est cum parva poenitentia, quæ sponte suscipitur, & verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Et hanc Gersonis sententiam laudat S. Salesius, ac iisdem ferè verbis habet Trittemius de vita Sacerdotum *c.* 6. *nu.* 17. S. Raym. de Pennafort & B. Humbertus apud Francol. *de discipl. l.* 3. *c.* 2 §. 2. Similiter S. Antonin. *p.* 7. *tit.* 17. *c.* 20. ait, *Debet Confessor dare poenitentiam, quam credat verosimiliter impleturum. Quòd, si magna peccata commisit & dicit se poenitere, sed non posse aliquam duram poenitentiam agere, animet eum ad hoc Confessor, ostendendo ei gravitatem peccatorum, & per consequens poenarum & poenitentiarum sibi propterea debitarum, & sic tandem ei injungat poenitentiam, quam libenter suscipiat. Et si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quòd liberatum à gehenna transmittat ad purgatorium. Itaque nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere à se, sed potiùs imponat ei unum Pater noster vel aliud leve, & quòd alia bona opera, quæ fecerit, & mala, quæ toleravit, sint ei in poenitentia:* S. Thomas de Villanova feria 6. post Dominicam *Lætare* ait, *Sic rigore poenitentiæ temperato, ut neque levitas delicti contemptum, nec gravitas omittendi periculum creet: hoc judicio meo ita perficies, si facilem unam injunxeris, acriorem alteram precatori consulueris, ita tamen, ut ad omnem ejus voluntariam & spontaneam poenitentiam Sacramenti applices efficaciam, nonnihil enim ex hac applicatione illi accrescit.* Petrus Blesensis *lib. de poenitent. & satisfactione*, ait, *Quantò frater infirmior est, tantò ei mansuetior & indulgentior esse debes; infirmior quidem filius teneriùs à matre diligitur.*

§. 7. Tantò minor potest imponi pœnitentia, 1257
quantò advertitur esse major contritio, & verecundia de peccatis. Guido de monte Rocherii in Libello dicto, *Manipulus Curatorum, de poen. c.* 5. sic scribit: Clemens Papa IV. *cùm equitaret quadam die per Romam, quædam mulier, quæ de remotis partibus venerat, accessit ad eum, portans unum parvulum puerum in brachiis, & voce magna cum lacrymis clamavit, Pater sancte miserere mei peccatricis & da mihi poenitentiam, quia habui filium meum, quem hic porto, à filio meo. Et Papa coram omnibus absolvit eam à peccato, & imposuit*

ei

ei poenitentiam,ut jejunaret sextas ferias per annum in pane & aqua. Et mulier recedens & revolvens secum gravitatem peccati,& parvitatem poenitentiæ, credidit,quòd Papa non bene intellexisset,& in crastinum accessit ad Papam & confessa est sicuti priùs,& Papa absolvit eam,impositâ pœnitentia, quod diceret tria Pater noster. Mulier itaque recedens & secum,ut priùs,peccatum poenitentiamque volvens iteratò ad Papam rediit, & coram omnibus, ut priùs, confessa est, quam Papa absolvit imponens ei poenitentiam, quod diceret unum Pater noster. Et cùm interrogaretur Papa, quare ita modicam poenitentiam sibi imponeret, respondit, quòd plùs ascendit contritio,dolor,verecundia, quam passa est ita publicè confitendo peccatum suum, quàm si omnibus diebus vitæ suæ jejunasset cum pane & aqua. Simile exemplum narrant Vverlensis *Cap. 2. art. 2. R. 11.* & Rayn. *in Heter. T. 16. s. 1. punct. 9. nu. 28.*

1258 §. 8. Quamvis secundùm dicta *num.* 1238. & iterum dicenda *num.* 1273. debeat etiam tempore Jubilæi & Indulgentiæ imponi pœnitentia, tamen communis sententia est contra Vverlensem *Cap. 6.* quòd possit tum imponi minor pœnitentia vindicativa, quia per Indulgentias remittuntur pœnæ peccatis debitæ. Attamen pœnitentiæ medicinales non videntur ideò minuendæ, uti probabiliùs tenent Suar. & alii apud Bosco *d. 7. s. 13. num.* 386. contra multos, qui cum Lugo, Bonæsp. Lohn. Steph. Spor. *num.* 545. putant non esse opus nequidem medicinam imponere, eò quòd accessorium sequitur principale: sed contrà est, quòd æquè ac aliàs debeat impediri relapsus, ergo non est causa minuendi pœnitentias. V. dicenda *n.* 1273.

1259 §. 9. Aliæ causæ minuendi pœnitentias sunt, 1. secundùm Vasq. Bonac, Gob. *tr. 7. num.* 578. si sic alliciatur pœnitens ad frequentiorem utilemque confessionem. 2. In dubio, an plùs obfutura sit quàm profutura major poenitentia. 3. Quando Confessarius scit poenitentem ex se solere præstare multa opera bona & satisfactoria. 4. Quando Confessarius causa diminuendi poenitentiam reflexè dicit, *Quidquid boni feceris, &c.* probabile enim est, secundùm dicta *num.* 1250. id prodesse ad satisfactionem.

1260 §. 10. Si Confessarius ostenderit poenitenti obligationes restituendi, se reconciliandi offensis vel inimicis, vitandi occasiones peccatorum, opera quotidiana bene peragendi, &c. non multùm debet esse anxius cum gravi peccatore non ita disposito ad subeundam gravem poenitentiam, hæ enim obligationes per se sunt satis graves, quas pro parte poenitentiæ injungere potest. Quòd si Confessarius in rigore semper procederet cum talibus, esset certum periculum, ne aut graves poenitentias non implerent, aut Sacramentum eis exosum fieret, aut denique ne in desperationem laberentur: imò notat Busemb. cum aliis apud Lohn. non esse dimittendum poenitentem, qui admittere vult poenitentiam saltem levem. Addit Vverlensis *c. 2. a. 2. §. 5. R. 7.* à veriis Conc. & PP. statui, si poenitens se excuset, & adduci nequeat ad poenitentiam proportionatam, imponendam esse, quam possit & valit portare, ne fortè potiùs deteriùs peccet poenitentiam infringendo. E contrà si poenitens petat aut libenter admittat poenitentias majores & suo modo proportionatas, tales injungendæ sunt. Hinc Gob. *num.* 472. dicit integrum Rosarium utiliter injungi illis, qui quotidiè illud orare solent, quamvis confiteantur sola venialia; & idem est, si soleant Missam quotidie audire, & Missæ auditio injungatur, quia sic opera ista elevantur ad majorem satisfactionem. Aliquam tamen saltem levem poenitentiam tenetur admittere poenitens, alioquin censeri non debet esse dispositus. Viva *ad prop.* 15. Alex. VII.

1261 §. 11. Si Confessarius sine justa causa minimas injungat poenitentias, nec liberè pro officio suo admoneat pœnitentem, imprimis dat ipsi pœnitenti scandalum, qui satis advertet talem Confessarium ex humano respectu remittere de obligatione sui officii. Deinde est causa novorum relapsuum, quia pœnitens sic minùs apprehendit gravtiatem sui peccati minusque deterretur. Præterea causa est, cur posteà diutiùs ardeat in purgatorio, si enim plura & majora opera injungeret, hæc vi Sacramenti elevarentur ad delendas magis poenas.

1262 §. 12. Ex dictis constat cavendum esse excessum in alterutram partem, & pœnitentiam injungendam esse, quæ sit proportionata peccatis, non absolutè, sed spectata simul pœnitentis dispositione, facultate, utilitate, hoc enim spectare debet Confessarius, ut neque nimia indulgentia peccatis conniveat, nec nimio rigore peccatores absterreat, neque per desperationis præcipitia impellat, neque ad vitæ dissolutionem fræna relaxet: *sicuti enim* inquit Petrus Blesensis suprà, *confitenti necessaria est humilis & sincera devotio, sic Sacerdoti necessaria est circumspecta discretio; bonus Samaritanus oleum affundit & vinum.* In dubio autem, quid magis profuturum sit, inclinandum est in partem benigniorem, quia in ea minus est periculi, uti dictum est, & iterum dicetur *à n. 1737. Sapientis Medici est,* inquit S. Th. *in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. quæst. 3. à levioribus medicinis incipere & minus periculosis:* Et *d. 19. q. 2. a. 3. quæst. 2. paulatim procedendum est, ut quàm minùs potest fieri, gravetur ille, cui medicari volumus.*

1263 *Q.* 173. *An pœnitentiæ debeant ideò esse suspectæ, quòd à Religiosis Mendicantibus imponantur?* R. Ita cavillatos esse quosdam, atque si Mendicantes non dent pœnitentias proportionatas, sed Alex. VIII. damnavit hanc 31. propos. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui de eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua poenitentia seu satisfactione ad quæstum seu lucrum subsidii temporalis.* Propositionem illam è Gallia in Belgium transvexit Libellus, cui Titulus Theophilus Parochialis, editus sub ementito nomine Ludovici de Pippre. Idem olim objecerat S. Bonaventuræ Guilelmus à S. Amore, cui respondet, si ideò adulatores sunt Mendicantes Religiosi, etiam tales fuisse Christum, & Apostolos, qui communiter vivebant eleemosynis: imò tales esse Pastores multos, qui sine patrimoniis ad Beneficia vocati, brevi ditescunt per oblata à fidelibus. Vide S. Bonav. *in apolog. pauperum Resp. 4. cap. 3.* Et Viva *ad prop.* 21. ab Alex. VIII. damnatam, ubi *à nu. 7.* ostendit, quòd rigor antiquus in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium exoleverit.

1264 *Q.* 174. *An aliquando debeat, aut saltem possit imponi poenitentia publica?* R. §. 1. Si id necesse foret ad tollendum scandalū quod per peccatum datum esset, deberet imponi, secundùm *Trid. sess. 24. c. 4. de Refor.* quia jam aliunde esset obligatio, & per hoc non conferetur manifestari peccatū, utpotè jam antecedenter notum, sed tantùm resipiscentia & remotio scandali. Aliàs rarò expedit imponere pœnitentiam publicam.

1265 §. 2. Peccatoribus etiam occultis posse negari absolutionem, si pœnitentiam publicam recusent, docent cum aliis Morinus *de administr. Sacram. poenit. lib. 5. cap. 17. num. 7.* & Bosco *d. 7. sect. 13. num.* 296. aliique plures cum Dicast. *d. 14. n.* 86. idem dicunt, si hic & nunc judicaretur expedire ad terrendum, & corrigendum pœnitentem: & ita Catech. Rom. *de poen. c. 12.* dicit, quod etiam pro peccatis occultis gravioribus

ribus olim imponerentur pœnitentiæ poblicæ. Sed pro hoc tempore contradicunt alii communissimè cum Francol. in Cler. Rom *p.* 1. *d.* 7. *n.* 11. *&* 20. Hinc Castr. *t.* 23. *p.* 21. *§.* 2. *n.* 5. ait, *Omnes conveniunt injustissimè cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam pro peccato occulto* : ideóque Concilia, imò & Imperatores sanxerunt, ut peccatis occultis occultæ tantum imponerentur Pœnitentiæ. Consonat Gerson *p.* 2. *n.* 32. *opusc. De præceptis decal. c.* 19. *Hoc*, inquit, *pro regula certa & documento salubri teneatur, ut nunquam pro peccato secreto vel occulto pœnitentiæ publica pœnitentibus injungatur.* Ratio est, quia est contra modernam consuetudinem Ecclesiæ, modus autem administrandi Sacramentum pœnitentiæ, quem jam tenet Ecclesia, non est abusus sed laudabilis usus, uti constat ex prop. 18. damnata, quam *n.* 1230. retuli. Deinde S. Th. Nav. Suar Bon. Con. Chapeav. *de cas. Reser. p.* 1. *c.* 12. *qu.* 4. Aversa. *qu.* 13. *s.* 3. docent per hoc revelari sigillum saltem indirectè, & in genere: quisquis enim de tali pœnitentia audiret, meritò judicaret impositam esse ob grave peccatum occultum, atque sic ad minimum confessio fieret odiosa.

Obji. Non ideò manifestatur delictum, quia homines credent ex devotione talem pœnitentiam publicam à pœnitente assumi. R. Si ita esset, non frangeretur quidem sigillum, attamen facilè oriretur saltem suspicio prudens quòd hoc pro pœnitentia sit impositum, & sic manifestabitur graviter deliquisse: hinc Concilium Colonienſe apud Francolin. *num.* 22. ait, *Qua pœnitentia, etsi, qui deliquit, non proderet speciatim crimen suum, tamen ipso facto confitebatur, & declarabat Ecclesiæ, se graviter peccasse* : est autem contra sigillum, si manifestetur Pœnitentem graviter peccasse, ergo.

1266 §. 3. Docuerunt aliqui salvo sigillo potuisse aliquando Confessarios deferre ad Episcopum enormia crimina sed id absolutè illicitum esse, dicetur *n.* 1975. Imò Rayn. *in Heter. t.* 16. *s.* 1. *p.* 9. *n.* 33. non omninò approbat factum S. Alberti Monachi, qui Pœnitentes suos prius juramento adstringebat, ut ad Episcopos irent, & eadem flagitia eis confiterentur, est enim durum nimis & alienum à consuetudine Ecclesiæ ita cogi bis eadem confiteri.

1267 *Q.* 175. *Quænam pœnitentiæ sint utiliores?* R. §. 1. Universim illæ sunt utiliores, quæ sunt magis accomodatæ ad hunc vel illum pœnitentem discretè affligendum & efficaciter emendandum. Hinc vix prodest longas orationes imponere illis, qui vix tempus habent orandi, aut aliunde obligati sunt ad multum orandum, aut se accusant de omissis sæpè longis orationibus pro Pœnitentia injunctis. Magis quoque conducunt pauca opera cum fervore & in gratia facta, quàm multa tepidè & in statu peccat imortalis. Itaque talibus injungendæ sunt aliæ pœnitentiæ parvæ & efficaces, v. g. ut certa die aut certis festis confiteantur & communicent. Unde de mysterio, ad quod maximè afficitur, vel de materia, qua maximè terretur, per aliquod tempus quotidie meditetur aliquid. Ut librum legat efficacem pro suggerendis motivis ad hoc vel illud faciendum aut emendandum. Ut usque ad proximam Confessionem manè proponat cavere hoc vel illud peccatum: vesperi autem examen instituat: & si in eo deliquerit, conteratur; si non, proponat in crastinum similiter cavere, petens ad id gratiam Dei. Ut vesperi lecto incumbens cogitet se aliquando moriturum, & è lecto non surrecturum: manè evigilans omnium primò cogitet se aliquando à morte evocandum ad judicium & de tota vita redditurum rationem. Ut usque ad proximam confessionem quoties hanc vel illam tentationem sentiet, cogitet Deum sibi præsentem, qui judicabit & severè puniet, si labatur. Ut quoties lapsus fuerit, statim certam aliquam pœnam subeat, aut intra diem à lapsu confiteatur, &c.

§. 2. Eleemosyna est divitibus, avaris, injustis 1268 efficacissimum opus satisfactionis, quia pecunia est illis quodammodo sanguis, & anima affectus inordinati: cavere tamen debet Confessarius, nec eleemosynas velit sibi vel suis applicari. Contra peccata carnis, ebrietatis, gulæ, valent macerationes corporis per jejunia, cilicia, castigationes, subtractiones commoditatum, sic enim igni ligna subtrahuntur. Contra peccata odii, invidiæ, iracundiæ, maximè valent opera humiliationis aut charitatis erga proximum, à quo est quasi naturalis aversio. Denique cùm omnia peccata ex amore proprio vel nimio appetitu delectationum suarum nascantur, generale & utile remedium est, ut qui commisit illicita in aliqua materia, in eadem etiam à licitis abstineat.

§. 3. Opus, cæteris paribus, est tantò magis sa- 1269 tisfactorium, quantò magis est meritorium, secundùm dicenda *n.* 1306. nam etiam meremur aliquam remissionem pœnæ: hinc cùm actus fidei, spei, charitatis, sint maximè meritorii & plurimùm conferant ad emendationem vitæ, utilissimè pœnitentibus injungentur recitandi ex certis formulis. Putat Ant. Sucquet *in via vitæ l.* 3. *c.* 1. fontem omnis peccati, & relapsuum esse defectum fidei, non enim vivè credimus, quæ fides catholica proponit, sed tantùm cognoscimus humano aliquo, & veluti mortuo modo, atque ideò vel non supernaturaliter vel non satis efficaciter emovetur voluntas nostra ad detestanda peccata, & emendandam vitam; quomodo enim possibile est, si homo supernaturaliter, & firmè crederet Deum esse summum bonum, ut ita facilè eum offenderet? si crederet peccatis destinatas esse pœnas æternas inferni, quomodo propter momentaneam voluptatem se illis addiceret? &c.

§. 4. Monet S. Salesius *Instruct. confess. c.* 8. non 1270 expedire dare pœnitentias conflatas ex rebus diversis, v. g. ut varias orationes reciter, tum jejunet, tum se flagellet, &c. eò quod pœnitens facilè eorum obliviscatur aut peragat sine fervore.

§. 5. *Rayn.* supra ait, pars longè maxima Pœ- 1271 nitentiæ est increpatio, quam Confessarius adhibet post audita peccata, perfundens Pœnitentem utili rubore & optabili confusione: ea quippè confusio est admodùm onerosa pœnitenti, qui non potest tergiversari, quia tenetur suamet confessione. Imposita igitur à Confessario, si à pœnitente excipiatur patienter, habet rationem satisfactionis maximè efficacis ad abstergendum reatum pœnæ etiam ex opere operato, secundùm dicta *n.* 1236. Et videndum, ut increpatio sit justa, quando nempè cadit in gravia delicta: Imò etiam cum gravibus peccatoribus increpatio debet esse prudens & absque convitio.

§. 6. Notat *Rayn. à n.* 30. inutilem ac impruden- 1272 tem fore pœnitentiam, si Confessarius consuetudinario imponat non amplius relabi in peccatum consuetudinis, hoc enim est illum de se nimis fragilem exponere periculo novæ mortalis malitiæ; & deberet ipsi imponi medicina pro emendando peccato, non ipsa peccati omissio, ad quam aliunde tenetur. Fatendum tamen est, posse, sed rarò, quasi in pœnam admitti votum pœnitentis de non relabendo, si spes sit ex occasione voti efficaciorem cautelam esse adhibendam, sed expedit non permittere votum nisi ad tempus, ut exploretur, an prosit necne.

Q. 176. *Quid addendum circa obligationem* 1273 *pœnitentis in implenda pœnitentia?* R. seq. §. 1 Quamvis S. Th. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *a.* 3. *quæst.* 1. tantùm dicat esse *consulendum eis, qui Indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant,*

ideóque Mendo, Beja, Lugo *d.* 27. *ſ.* 2. aliique multi apud Averſam *quæſt.* 13. *ſ.* 9. & cum Vindice Gob. *ad prop.* 26. *n.* 20 dicant lucrantem pro ſe indulgentias liberari à pœnitentia per Confeſſarium injuncta. Oppoſitum tamen in praxi eſt tenendum, tum quia pœnitentia pertinet ad integritatem Sacramenti, tum quia nimis incertum eſt, an quis plenè lucretur Indulgentias, & quamvis certò lucraretur, tamen hoc non impedit, quominùs teneatur ad Pœnitentiam, in quantum ordinariè ſemper eſt ſimul medicinalis ſeu præſervativa à relapſu, Confeſſarius enim obligare poteſt non tantùm ut Judex ad vindictam peccati, ſed etiam ut Medicus ad emendationem, uti rectè Rodriq. Fill. Dicaſt. *d.* 14. *n.* 149. Viva *de Jubil. q.* 5. *ar.* 2. contra Vaſq. Con. Lugo, Vindicem Gob. *ad prop. & alios.*

Obji. Bonifacius VIII. dicitur in Extrav. *Antiquorum De poen. & remiſſ.* noluiſſe per Confeſsarios in Jubilæo imponi Pœnitentias vindicativas, ac inſuper declaraſſe poenitentes faciendo opera injuncta pro Jubilæo, liberari omnibus antecedentibus poenitentiis. Reſp. De his nihil habet dicta Extravagans, ſed *Gloſſator* in illam, dicit Bonifacium poſteà interrogatum ita reſpondiſſe, quod tantùm addit authoritatem privati Doctoris: imò ex verbis ipſiuſmet *Gloſſatoris* intelligitur, imprimis quòd Bonifacius voluerit pro poenitentia vindicativa injungi opera à ſe præſcripta, nempè viſitationes Eccleſiarum per 30. vel 15. dies continuos, &c. nam dicit ex mente Bonifacii, *nihil debent injungere ultra injunctionem hic poſitam.* Item. *Papa declaravit conſiſtorialiter, quòd poenitentiæ in unctæ etiam tolluntur per commutationem operis ſatisfactorii hic poſiti*, ergo ex mente Bonifacii hæ viſitationes debebant injungi pro poenitentia, & in eas fieri per hunc Confeſſarium commutatio prioris poenitentiæ. Deinde ex ejuſdem *Gloſſatoris* verbis conſtat contra *Lugo* & alios, ſaltem ex mente Bonifacii nihil debere remitti de poenitentia medicinali, nam expreſsè dicit, *Poenitentia nedum eſt & ad remiſſionem poenarum pro commiſſis & omiſſis debitarum, ſed etiam ad cautelam futurorum, & quoad iſtud forſan poteſt poenitentia injungi.* Denique quidquid ſit de Bonifacio, reliqui Pontifices nunc in bullis Jubilæi addunt communiter, ut poenitentia ſalutaris injungatur, ergo explenda eſt à poenitente.

1272 §. 2. Quando confeſſio fuit invalida, non eſt opus perſolvere poenitentiam, cùm nullum ſit Sacramentum, quod completi poſſit, & aliàs teneretur poenitens abſolvere duas pro iiſdem peccatis, Eſcob. Fagund. Boſco *d.* 7. *ſ.* 13. *n.* 367.

1275 §. 3. Si poenitentia injuncta fiat impoſſibilis, non obligat: nec opus eſt aliud ſubrogare, quia id non poteſt propria authoritate, nec teneris eadem peccata de novo confiteri, Averſa *ſ.* 6. §. *Quartò.* Et idem eſt, ſi oblitus ſis, ut præter citatos à Buſemb. docent Sot. Nav. Amic. *d.* 16. *n.* 96. Averſ. §. *Quintò*, Arr. *d.* 48. *nu.* 33. Spor. *n.* 552. contra multos antiquos, qui volunt, ſi per culpam ſit oblitus, debere Confeſſionem repeti. *Nec obſtat*, quòd priùs Sacramentum non integrè compleatur, *nam* ſufficiens excuſatio eſt, ne bis cogaris confiteri eadem peccata, à quibus directè abſolutus es. In utroque tamen caſu, ſi conveniri poſſet idem Confeſſarius, qui eſſet ſaltem confusè memor ſtatus poenitentis, petenda eſſet ab eo commutatio, ut ſic integraretur Sacramentum: imò etiam expedit apud alium Confeſſarium ſe accuſare poſteà de omnibus peccatis in genere, & petere tantò majorem poenitentiam, ut quantùm fieri poteſt hæc poenitentia extendatur etiam ad peccata prioris confeſſionis, pro quibus impoſita erat poenitentia, quæ nunc è memoria excidit.

§. 4. Si quis eadem peccata bis confiteatur, 1276
multi dicunt ſatisfacere, ſi perſolvat alterutram poenitentiam: Boſco *nu.* 362. putat ex vi ſecundæ liberari à prima; *& n.* 357. probabiliter dixerat ſecundam eſſe complementum utruſque Sacramenti. Hinc etiam ſi quis ſine ſufficiente cauſa eadem peccata confiteretur ſecundo confeſſario, ut ita ſe liberaret à poenitentia injuncta à primo, Suar. Con. Lug. Averſ. *ſ.* 5. dicunt non peccaturum niſi venialiter, ſi autem juſtam cauſam habeat, nullo modo peccat.

§. 5. Omittere materiam gravem injunctam pro 1277
mortali prima vice confeſſo, eſt mortale: materia autem gravis eſt una confeſſio vel Communio, quia utraque ſub mortali præcipitur ſemel in anno vel in Paſchate. Et idem videtur eſſe, ſi quis omittat Roſarium. Si tamen aliquis unam ex decem v.g. Communionibus ſibi injunctis omitteret, probabile eſt peccaturum tantùm venialiter, quia una reſpectu 10. videtur quid leve, maximè cùm per reliquas novem poſſit obtineri propè idem finis. Ita Gob. Steph. *d.* 5. *tr.* 5. *n.* 176.

§. 6. Omittere materiam levem injunctam pro 1278
mortalibus eſt veniale tantùm, uti cum communi Averſa *ſect.* 6. §. *Tertiò*, contra J. Sanch. *d.* 15. *nu.* 17. quia ſecundùm dicta *l.* 1. *n.* 667. materia levis non eſt capax oblivionis gravis. *Nec obſtat*, quòd Sacramentum maneat incompletũ, *nam* eſt completum eſſentialiter, completio autem integralis per materiam levem non obligat niſi leviter ſecundùm materiam.

§. 7. Si quis omittat pœnitentiam gravem injun- 1279
ctam pro venialibus vel pro mortalibus antehac confeſſis, docent *Nugn. Con. Fagund. Lug.* & alii eſſe mortale, quia pœnitentia eſt de ſe gravis, & Confeſsarius poteſt illam injungere, ergo ſicuti mortaliter peccat, qui materiam gravem voti non implet, quamvis voverit ex cauſa, item qui violat jejunium à Superiore præceptum ex fine de ſe non magno, ita & hîc. E contrà Nav. Sot. Palud Ledeſ. Suar. Laym. Fill. aliique, quos citant, & ſequuntur Averſ. *q.* 13. *ſect.* 6. §. *Secundo*, Dia. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 102. *&* 136. dicunt eſſe veniale tantùm, quia hæc materia, in quantum eſt gravis, non eſt neceſſaria, cùm Confeſsarius neque ſub gravi peccato neque materiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere, ergo materia, quæ neceſſaria eſt reſpectu peccatorum pœnitentis, eſt tantùm levis, ergo hanc omittere erit tantùm veniale. Ad exempla oppoſita de voto & præcepto, dant diſparitatem, quòd vovens ſine ulla cauſa poſſit ſibi imponere obligationem gravem, uti & Superior ſubdito, non habita occaſione ullius culpæ. E contrà Confeſsarius non poſſit imponere obligationem pœnitenti, niſi adſit culpa, nec imponere poſſit obligationem gravem, niſi materia neceſſaria hujus abſolutionis ſit gravis, cùm debeat obligare ut Judex proportionatè ad materiam neceſſariã gravem vel levem. Utraque ſententia eſt probabilis.

§. 8. Cui injunctum eſt, ut oret, v.g. ſeptem pſal- 1280
mos poenitentiales, poteſt orare ſtando vel ambulando. Si injunctum ſit, ut oret flexis genibus, Dian. *R.* 55. Sic. *d.* 14. *n.* 81. Averſ. *ſ.* 3. §. *Septimo*, Tamb. *de conſ. l.* 4. *c.* 2. *n.* 14. putant fore mortale omittere genuflexionẽ, quia hæc videtur eſſe res gravis ſpectans ad ſubſtantiam moleſtiæ: Sed de hoc vehementer dubito, nam flectere ad tempus, quo recitantur illi pſalmi, non videtur eſſe moleſtia tanta, ut ſi quis negligat, peccet mortaliter: E contrà tamen putarem eſſe moleſtiam gravem, ſi deberet orare expanſis brachiis. Similiter ſi injungeretur alicui jejunium in pane, & aqua videtur peccaturus mortaliter, ſi jejunaret tantũ more Eccleſiaſtico, quia illa circumſtantia addit notabilẽ difficultatẽ.

§. 9. Si confeſsarius injunxerit pœnitenti, uti per 1281
15. dies quotidie duas Miſſas audiat, non ideò tenetur die feſtivo tres audire. Si injunxerit omni die per menſem

mensem Missam, satisfacit die festivo audiendo unicam, Dian. Aversʃ. §. *Unde*, Amic. *d.* 16. *n.* 90. Si injunxerit eodem die duas Missas, quamvis *Maj. Ledesʃ. Sanch.* putent eum satisfacere, si audiat duas simul, quod Amic. *n.* 112. vocat probabile, tamen ordinariè præsumi debet voluisse eas audiri successive. Si injunxerit eleemosynam, satisfacit, si det extremè indigenti, Lay. Lug. Gob. Spor. *n.* 544. Non tamen si det parenti vel alteri propinquo, cui tenetur ex justitia succurrere, quia tum non censetur eleemosyna, Lug Amic. *n.* 90.

1282 §. 10. Si materia pœnitentiæ injunctæ sit divisibilis, quamvis pars ejus major adimpleri non possit, debet adimpleri pars licèt minor, uti colligitur ex paritate de Horis Canonicis, nam Inn. XI. damnavit hanc 54. prop. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Ratio generalis est, quia licèt quis non possit solvere totum, tamen tenetur ad partem, quam solvere potest. Et ratio à priori est, quia quando materia est divisibilis, mens præcipientis tendit divisibiliter, secundùm naturam materiæ, cujus singulæ partes faciunt ad finem intentum. Hinc videtur probabiliùs contra Dia. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 54 J. Sanch. *d* 15. *n* 3. si alicui sit injunctum, ut jejunet in pane & aqua, si sic non possit, teneri more Ecclesiastico quia manet substantia jejunii, separabilis ab illa circumstantia.

1283 §. 11. Pœnitentia, per se loquendo, debet persolvi per ipsum pœnitentem, nam Alex. VII. damnavit hanc 15. prop. *Pœnitens propria authoritate substituere alium sibi potest, qui loco illius pœnitentiam adimpleat* Unde audiri jam non debent Palud. & alii apud Lug. *d.* 25. *nu.* 79. qui putarunt posse tum saltem persolvi per alium, si pœnitens tempore illo velit occupari in actione Deo magis grata, aut si mandet fieri per alium sanctiorem, cujus opus erit magis satisfactorium, nam rectè contradicunt Mendo *d* 10. *nu.* 105. Viva ad prop. istam damnatam, quia obligatio adimplendi pœnitentiam, uti & audiendi Missam ac legendi Horas, est personalis, & ideò etiam *Florent. & Trid.* dixerunt actus pœnitentis esse materiam hujus Sacramenti.

1284 §. 12. Confessarius potest concedere, ut pœnitentia per alium persolvatur, S. Th. Bonav. Sot. Silv. Ang. Suar Tan. Aversʃ. 4. §. *Denique*. In quo casu Suar. Fagund. Præpos. Fill. & alii cum Arr. *d.* 48. *n.* 12. putant actiones alterius persolventis posse dici satisfactionē, & prodesse pœnitenti ex opere operato, licèt fieret in peccato mortali, sicuti Missa ex opere operato prodest procuranti illam, licèt celebretur ab impio Sacerdote. Sed contradicunt *Vasq. Con. Laym. Bon. Amic. Lug. Dicaʃt. Aversʃ.* dicentes non aliunde scire, quòd Missa pro alio oblata habeat hunc effectum, quale fundamentum non est dicendi, quòd actio aliena tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod suscipio, possit mihi applicari ad effectum ex opere operato Et ideò videtur probabilius dici, quòd pars materialis integrans Sacramentum sit ipsa procuratio, qua pœnitens facit, ut alter secundùm voluntatem Confessarii peragat illud opus pro ipso, hoc autem alterius opus non sit pars Sacramenti, nec aliquid causet ex opere operato.

1285 §. 13. Multò magis potest pœnitentia persolvi per alium, si opus ab alio factum censeatur fieri ab ipso pœnitente, uti eleemosyna; perinde enim est, sive det sua sive aliena manu, cùm præcipuè intendatur, ut privet se re sua ad sublevationem pauperis. Et idem est, si ipsi imposita sit restitutio, potest enim æquè per alium fieri.

1286 §. 14. Probabilius est, quòd pœnitentia sacramentalis persolvi debeat ex aliqua intentione satisfaciendi pro illa, quia ut ex opere operato aliquid efficiat, debet esse aliquid pertinens ad Sacramentum, & ratione illius suscepti causare suum effectum; non videtur autem esse aliud pertinens ad Sacramentum, nisi expleatur cum aliqua intentione saltem virtuali reflectente ad Sacramentum, vel ad impositionē Confessarii, Vasq. Dicast. *n.* 189. Palav. *à n.* 280. Mendo *q* 4. Aversʃ. *q.* 3. *sect.* 6. §. *Nonò*: contra Sanch. Lug. *à n.* 37. Bosco *d.* 7. *s.* 13. *à n.* 237. *& alios. Nec obstat*, quòd aliis præceptis satisfiat, v.g. die festivo, si Missam audias, licèt ignarus aut immemor festi, *nam* ejusmodi præcepta tantùm postulant poni opus ex quacumque intentione: imò licèt adesset intentio per talem actionem non satisfaciendi, adhuc satisfaceres, uti dictum est *l.* 1. *n.* 693. Oppositum est in actionibus sacramentalibus, nam si antehac voveras semel audire Missam, & etiam antehac pro pœnitentia unam Missam tibi injunxerat Confessarius, & hoc die festo audias Missā immemor voti, pœnitentiæ, & festi omnes dicent te satisfeciſſe præcepto de Missa die festo audienda, non item pro obligatione voti vel pœnitentiæ sacramentalis: nam non poteras per unicam Missam satisfacere utrique huic obligationi, uti suppono ex declaratatibi voluntate Confessarii. Nec ratio est dicendi, quòd pro hac obligatione potiùs satisfeceris quàm pro illa, nisi adfuerit intentio determinans ad hunc vel illum finem, ergo Hinc videtur dicendum esse contra *Suar. & Mendo* nequidem sufficere, si posteà intra tempus, quo tale opus fieri debebat, velis per illud satisfeciſse pro pœnitentia; nam hæc voluntas sequens haber se per accidens, nec potest facere, ut opus præteritum fuerit aut nunc fiat aliquid pertinens ad Sacramentum.

§. 15. Si Confessarius non determinaret tempus, 1287
quo persolvi deberet pœnitentia, mens ejus præsumitur esse, ut persolvatur primo tempore, quo commodè fieri poterit, quia secundùm dicta *lib.* 1. *n.* 587. *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur, l.* 14. *ff. de Regulis juris*: ubi per *Tò præsenti die* intelligitur primo quoque tempore.

§. 16. Diu differre pœnitentiam sine causa, v.g. 1288
ad medium annum, communiter censetur mortale, maximè si pœnitentia fuerit medicinalis, quia cùm Confessarius præceperit ad præservationem à relapsu, voluit nunc adhiberi, quando erat periculum. E contrà si fuerit pœnitentia vindicativa tantùm, non videtur esse mortale ad mensem differre.

§. 17. Cui injunctum est, ut per annum omni 1289
mense confiteatur, putat Lug. *d.* 25. *n.* 97. peccare mortaliter, si vel per diem differat ultra talem mensem; sed rectè contradicit Aversʃ. *q* 13. *s.* 6. præsumitur enim mens Confessarii esse, ut tum sequente mense bis confiteatur. Unde si occasione festi, Indulgentiæ vel Jubilæi differret ad octo dies in alterum mensem, docent Dian. Castrop. J. Sanch *d* 13. *n.* 9. nullo modo peccaturum; quod magis valet, si anticiper, uti notat *Aversʃ.*

§. 18. Qui jussus est jejunare pro pœnitentia 1290
hac die Veneris, & jejunat priùs sequente, aut communicare proxima Dominica; & differt ad octiduum, ordinariè peccat tantùm venialiter, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam præstandam quàm in tempus præfixum. *Dian. p.* 9. *tr.* 7. *R.* 57. Spor. *nu.* 577. Ideóque rectè notant Authores cum Aversa suprà & Mendo *d.* 10. *num.* 97. non cessare obligationem jejunandi, quamvis transierit illa dies Veneris, quæ statuta erat, non ad terminandam sed urgendam obligationem. Si tamen alicui injunctum sit, ut jejunet omni die Sabbati in honorem B. Virginis, aut ut communicet omni festo B. Virginis, putant *Con. Gob. Spor.* suprà, si talem diem negligat, non teneri alia die, quia mens Confessarii videtur fuisse, alligare opus tali diei. Sed rectè notat *Mendo*, si Confessarius unicum tale opus pro una vice injunxerit, non esse præsumendum;

dum, quòd voluerit alligare diei, nisi substituerit aliud opus exequendum in casu, quo alterum tempore præfixo non fieret, quia præsumi non debet, quòd Confessarius voluerit Sacramentum manere incompletum, quod fieret, si tum desineret obligatio ad omnem poenitentiam; hinc debebit alia die explere. Et in plerisque horum consentiunt etiam Lugo, & Dicast. *d.* 14. *à n.* 55.

1291 §. 19. Potest satisfieri poenitentiæ eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto vel obligationi, dummodò unum opus non excludat aut impediat alterum: sic qui pro poenitentia tenetur orare Rosarium, satisfacit orando sub Missa, ad quam tenetur die festo, vel ex voto, quia oratio Rosarii non tollit sed maximè convenit attentioni ad Missam.

1292 *Q.* 177. *Quid addendum sit circa commutationem pœnitentiarum in Confessione injunctarum?* Resp. seqq. §. 1. Poenitens non potest sua authoritate poenitentiam permutare in aliquid melius, uti habent Authores cum Busemb. suprà, & idem docent Avers. *q.* 13. *s.* 8. Arr. *d.* 48. *s.* 5. Amic. *d.* 16. *n.* 54. Tamb. *de Confess. l.* 4. *c.* 3. §. 1. *nu.* 15. Gorm. *p.* 2. *nu.* 339. Dicast. tamen *d.* 14. *nu.* 134. non audet oppositam sententiam appellare parùm probabilem: sed rationes nostræ videntur claræ, 1. Quia reus non potest ferre circa se sententiam, nec mutare poenam sibi à judice injunctam, uti nec subditus opus sibi injunctum à Superiore, alioquin posset quis similiter loco Missæ audiendæ velle communicare, loco jejunii velle confiteri, &c. 2. Id, in quod commutabit, non erit satisfactio integrans Sacramentum, nec erit sacramentalis, nec remittet poenas ex opere operato, quia non veniet à potestate clavium, ergo. *Nec obstat*, quòd aliquid possit suum votum commutare in melius, *quia* obligatio voti erat ab ipsomet vovente, qui etiam ab initio per votum intendebat id, quod est melius, ideóque potest illud sibi substituere.

1293 §. 2 Communissima sententia est cum Arr. *n.* 25. contra *Valent. & Tann.* quòd alius Confessarius non possit extra confessionem mutare poenitentiam à priore Confessario injunctam, & secundùm Lugo. *n.* 110. oppositum non est probabile, quia extra confessionem, & respectu confessionis, quam non audivit, non habet plus potestatis quàm laicus.

1294 §. 3. *Sot. Vasq.* & alii docent poenitentiam ab uno confessario impositam non posse minui aut mutari per alium, etiamsi poenitens apud hunc repetat peccata, ob quæ fuit imposita, quod J. Sanch. *d.* 14. *n.* 19. defendit tanquam absolutè verum speculativè, tum quia unus Judex, qui superior non est, non potest ultimam, & definitivam alterius sententiam mutare aut reformare, cùm par in parem non habeat jurisdictionem, in hoc autem foro omnes sunt pares; tum etiam quia primum Sacramentum nunquam integrè compleretur. E contrà posse, si peccata repetat, tenet sententia communis cum Silv. Suar. Lugo Fagund. Arr. *n.* 26. Dicast. *à n.* 116. Avers. *sup.* dicitque *Becanus* esse in praxi securum: Quod tenent Bon. & alii communiter cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 137 Dic. *n.* 148. Lug. *n.* 114. Arr. *n.* 29. contra *Zerolam*, quamvis injuncta poenitentia fuisset medicinalis, si non sit absolutè necessaria, aut si substituatur similiter medicinalis. Hoc ipsum dicunt, licèt poenitentia à Confessario superiore imposita esset, quia præscindendo à reservatione peccatorum, habent Confessarii æqualem potestatem ad ligandum & solvendũ, ergo etiam ad mutandam poenitentiam, uti rectè Beja *p.* 1. *casu* 15. & Gorm. *nu.* 341. posterior enim Confessarius est velut successor primi, ergo sicut posset primus mutare, ita & posterior: ideóque earum postrema impleta censebitur compleri utrumque Sacramentum, quia prior quasi transit in secundam. Hoc ipsum fieri posse tenent Henriq. Bonac. J. Sanch. *à nu.* 13. Dicast. *nu.* 120. etiamsi poenitentia fuisset à superiore imposita propter peccata reservata, quod probabile esse fatetur Amic. *nu.* 49. Contradicunt tamen Suar. Lugo *num.* 105. Arr. *num.* 30. Beja *sup.* Gorm. *nu.* 349. *Averſa*, quia inferior non potest mutare præceptum superioris: sed *Dicast.* respondet, cùm semel sublata sit reservatio, æqualem esse in omnibus Confessariis potestatem.

§. 4. Si poenitens non repetat priora peccata 1295
apud secundum Confessarium, Suar. Vasq. Con. aliique multi cum Lugo *n.* 107. & *Averſ.* negant hunc etiam in confessione posse mutare poenitentiam, quia nullus Judex potest agere circa aliquid, quod ad suum tribunal delatum non est, ergo tantùm poterit declarare poenitentiam fuisse aut esse irrationabilem vel impossibilem, quod etiam quivis alius prudens facere posset: è contrà si petatur commutatio, etiam ideò quia prior nunc nimis difficilis est, docent Nav. Tolet. Henriq. Rodriq. Sà, Lay. Dian. Gob. Marchant. Beja, Spor. *suprà nu.* 589. aliique multi apud Bosco *d.* 7. *s.* 13. *nu.* 552. & 359. posse hunc alium Confessarium in confessione eam mutare, quia licèt judicare non possit de peccatis præteritis non incognitis, tamen cùm poenitens se etiam ipsi subjiciat, videtur habere potestatem judicandi, an nunc expediat ipsi ea poenitentia necne. Prima sententia est longè probabilior; hinc secundam esse improbabilem dicunt J. Sanch. *d.* 14. & Arr. *n.* 28. quamvis Lugo *nu.* 109. fateatur esse in praxi probabilem saltem per principia extrinseca.

§. 5. Ut alius Confessarius possit mutare poeni- 1296
tentiam, fatentur omnes communiter non requiri omninò exactam repetitiotem peccatorum, sed sufficere aperire præcipua, ob quæ talis poenitentia injuncta erat; & fortasse sufficiet, inquit *Averſa*, dicere, quòd ob similia, qualia nunc confitetur, talem acceperit poenitentiam.

§. 6. Idem Confessarius potest in alia confessio- 1297
ne poenitentiam mutare quocumque posteà tempore, dummodò recordetur status poenitentis, & in confuso peccatorum, ob quæ imposita fuit, uti tenent omnes communiter; sicuti Judex potest moderari poenam à se dictatam, quamdiu executioni non est data.

§. 7. Suar. Con. Averſa, Amic. *n.* 46. J. Sanch. 1298
n. 10. Dic. *n.* 128. dicunt nequidem eundem Confessarium posse extra confessionem mutare poenitentiam, licèt recordetur status poenitentis, quia nullam habet potestatem clavium, nisi dum sedet in suo tribunali, & agit partes Confessarii, quas non agit, nisi quando tractat de absolutione danda, aut post hanc intra tam breve tempus, ut adhuc censeatur durare actus judicialis, uti limitant multi apud Lug. *n.* 111. *qui n.* 112. cum *Salas* probabiliter concludit posse etiam quocumque alio posteà tempore, dummodò adhuc habeat memoriam confusam peccatorum, quæ sufficeret ad imponendam poenitentiam; & consentiunt Arr. *n.* 31. Haun. *l.* 4. *n.* 1045 quia quamdiu poena imposita non est impleta, judex habet jus agendi circa ejus impletionem, ergo eitam circa immutationem, si reus petiverit.

§. 8. Ut commutatio fiat, sive ab eodem sive à 1299
diverso Confessario, debet hic scire de hoc, & velle commutare, quia quamdiu non revocatur obligatio ad priorem poenitentiam, illa manet in possessione, Lug. *n.* 103. Averſ. *sup.* Arr. *n.* 33. tamen Dic. *n.* 119. putat non esse improbabile, quòd confitens eadem peccata possit tacere, & posteà peragere poenitentiam, quam voluerit, primam aut secundam tantùm: Et tum saltem, quando Confessarius scienter commutavit, v. g. jejunium in orationem, docent Suar. Regin. Less. Dic. *n.* 131. Bos. *n.* 360. contra *Lug.* liberum esse poenitenti

alteru

alterutram facere, quia commutatio erat in favorem, & posterior materia non est substituta absolutè sed sub conditione, si nolit priorem.

1300 §. 9. Causa sufficiens in commutatione minuedi poenitentiam est, secundùm *Lohner*, si poenitens à tempore impositæ poenitentiæ lucratus sit aliquas Indulgentias, item si intereà multa bona opera fecerit, si cum majore fervore aut cum minori periculo peccandi executurus est hanc novam materiam, &c.

1301 ARTICULUS II.

De satisfactione per Indulgentias.

§. I.

Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.

„ RESP. Indulgentia est gratia, qua certo aliquo „ opere, quod concedens præscribit, præstito, „ debita Deo poena temporalis, (non autem culpa) „ extra Sacramentum, Sacrificium, & martyrium, per „ applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, remittitur: idque vel per modum absolutionis, erga subditos Ecclesiæ: vel nudæ solutionis, „ erga non subditos, ut defunctos & catechumenos, „ quibus proinde tantùm dantur Indulgentiæ per „ modum suffragii. Suar. Kon. Fiil. Sanctar. Bon. *p.* „ *6. q. 1. p. 1.*

„ Resp. II. Ad valorem Indulgentiæ, requiritur „ causa pia, & rationabilis, eaque, ut habet sententia „ communior *Suar. & aliorum* proportionata effectui, & quantitati Indulgentiæ, saltem secundùm „ concedentis prudentem æstimationem, petenda non „ ex operis tantùm difficultate, sed fine intento, & „ operis ad eum utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quæ sine causa ab inferiore facta non valet, & est dissipatio. *Auth. cit.*

„ Resp. III. Ad lucrandas Indulgentias requiruntur „ hæ conditiones. 1. Ut si baptizatus. 2. Ut sit subditus concedentis. 3. Ut non sit ligatus excommunicatione majore, ut habet communis: quia hæc privat communione bonorum spiritualium. 4. Ut sit „ in gratia, saltem tunc, quando opus præscriptum „ completur: quia poena non remittitur ante culpam. 5. Ut opus injunctum moraliter totum, & „ integrè impleatur. 6. Ut opus præscriptum sit honestum, saltem ex objecto: nam sufficit vitiatum „ ex fine inhonesto veniali, vel ex alia circumstantia „ prava, (ut docent. *Suar. & alii comm.* contra *Kon.*) „ saltem si nihilominus conducat ad finem Pontifici propositum, ut limitat *Lay.* Ratio prioris est, „ quia illud opus plerumque complet causam Indulgentiæ, quæ debet esse pia. Ratio posterioris: quia „ ratio injuncti operis, est assecutio finis intenti à „ Pontifice, v. Laym. Bon. *d. 6. q. 1. p. 5. Unde resolv.*

„ I. Indulgentiis etiam frui potest, qui eas concessit.

„ II. Non expirant morte concedentis, cùm sint gratiæ: nec, ut habet, *Sà*, ante notitiam revocationis.

„ III. Etsi intelligendæ sint, ut sonant; cùm tamen „ sint gratiæ, largè sunt interpretandæ (nisi sint de „ poenitentiis injunctis, ut ex Henr. &c. notat Amicus „ *d. 20. n. 77.*) servata tamen verborum proprietate. „ Unde censendæ sunt perpetuæ, si datæ sunt sine „ temporis restrictione.

„ IV. Etsi data pro articulo mortis, secundùm *Sà* „ expiret, quando semel est accepta, contrarium tamen est probabile, ob rationem datam. Illa autem „ non requirit applicationem Confessarii aut alterius ministerium, Quint. *in append. t. 9. d. 3.* Expediet tamen moribundos ad invocationem nominis „ JESU, & MARIÆ sæpiùs excitare, simulque in memoriam revocare intentionem lucrandi istas Indulgentias. *Ibid. d. 4.* probabile enim est, si habet plures imagines, grana, rosaria, &c. benedicta, posse „ (sive intuitu ejusdem concessionis, sive diversarum) toties lucrari, quoties nomen JESU repetierit, vel præstiterit opus requisitum. *Ib. d. 6.* ex *Suar. Gran.* &c. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis „ tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi „ pluribus diebus ab ipsa morte absit. *Ib. n. 5.* „

V. Possunt moribundi plures Indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas simul lucrari; v. g. qui habent plura rosaria, vel grana cruces, imagines, quibus sint applicatæ, vel titulo suæ Religionis, Confraternitatis, &c. dummodò non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda, Quint. *d. 4.* Idque, etiamsi eas, vel earum aliquas ignoret, aut non recordetur. *Ib.* ex *Lug. Dian.* & aliis 6. contra *Rodriq. Trull. &c.* „

VI. Requiritur autem, ut moribundus crucem, granum, imaginem, &c. secum habeat in articulo „ mortis, ut ratione illius lucretur: & quidem ut „ tutius ac certiùs obtineat, ejus habeat dominium „ seu possessionem, & apud se teneat. Non tamen est „ necesse, ut collo appensa, brachio obvoluta, manuve apprehensa sint, (etsi aliquo horum modorum habere sit tutius) sed sufficit esse in lecto, vel „ juxta moribundum; licèt ipse nec videat, nec tangat, nec sciat, aut recordetur se habere (nisi aliud „ exprimatur) sufficiet etiam habere commodata, „ seu quoad usum (præsertim si id in ipso Indulto „ exprimatur, ut in S. Caroli Borromæi, & quinque „ Sanctorum fit.) Neque necesse est retinere, donec „ expiret, (etsi & hoc sit tutius) sed sufficit in aliquo mortis articulo, habere, in eoque nomen JESU „ (si hoc requiratur) invocare. *Ib. d. 6.* „

VII. Concessæ vivis, non possunt applicari defunctis, nisi exprimatur, quia pendent à voluntate „ concedentis. „

VIII. Probabile est, concessam pro certo tempore posse sæpius obtineri, repetendo opera præscripta, v. g. eodem die, nisi addita sit restrictio, „ quia favores sunt ampliandi. Ita *Henriq. & Rodriq.* „ Contrarium tamen videtur probabilius, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter præsumptam. V. Lug. *d. 27. à n. 95.* „

IX. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant in „ gratia, *id tamen non videtur simpliciter necessarium.* Laborandum tamen est Concionatoribus & „ Confessariis, ut cùm Indulgentiæ promulgantur, „ populum ad seriam confessionem excitent. „

X. Ut quis lucretur pro defunctis, probabiliter „ non requiritur, ut sit in gratia quia tantùm ponit „ opus tanquam conditionem, quo posito, Pontifex „ applicat defuncto Indulgentiam, sive satisfactiones „ Christi, & S. Ita Esc. *t. 7. E. 5. c. 7. n. 45.* ex Suar. & „ Præp. *in 3. p. q. 14. dub. 10. n. 93.* Contrarium tamen „ docet Lug. *nu. 75.* requirens statum gratiæ saltem „ in fine operis; quæ sententia tutior est. „

XI. Opus præscriptum dum fit, debet esse *utile ad* „ finem à concedente intentum, qualis est, v. g. eleemosyna præscripta pro redemptione captivorum, „ etsi fiat cum, aut in peccato, (modò aliud opus ei „ injunctum, & præscriptum, in gratia fiat, v. Lug. *n.* „ 84.) non autem oratio, præscripta *ad placandum* „ Deum, si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia, uti nec jejunium si te inebries, item nec visitatio Ecclesiarum sine devotione. Ita *Laym. Bon. &* „ *alii.* „

XII. Possunt *uno*, & eodem opere plures Indulgentiæ, *diversis viis* concessæ, lucrifieri, si opus sit „ æque utile ad finem utriusque Indulgentiæ, nec sit „ iterabile *intra idem tempus*; uti jejunium vel „ Communio. Ita *Præp. & Laym.* „

„ XIII. Non lucrantur Indulgentias, I. Qui ex „ impotentia vel ignorantia, sive totum opus præ„ scriptum, sive notabilem ejus partem omittunt, „ v. g. si puer vel senex non jejunet, nisi tamen ob „ gravem difficultatem hoc opus ei in aliud est com„ mutatum. Henr. Caj. Bon. *p. 5. n.* 16. II. Qui opera in„ juncta alio loco, tempore, vel ordine perficit, quàm „ præscriptum est; vel per alium, qui fuerit causa „ principalis, ut si per alium jejunarit, Ecclesias vi„ sitarit Nav. Regin. *l.* 7. Bon. *l. c.* III. Qui famulo „ tradidit eleemosynam erogandam, quam is retinuit, „ ut habet *Bon.* ex multis, contra *Sà.* IV. Qui ali„ quid omittit, quod secundùm sententiam probabi„ lem, vel etiam probabiliorem, non est necessarium, „ reipsa, quia communis error non supplet defec„ tum: Ita *Bon. ex Suar. Sanch. & aliis.*

„ XIV. Non obstat effectui Indulgentiæ. I. Etsi ex „ opere requisito modicum quid omittatur, v. g. cæ„ remonia in sacro, vel si parum comedas in jejunio; „ quia opus ponitur moraliter integrum. II Si opus „ requisitum præstes per alium, habentem se ut inst„ trumentum, v. g. in eleemosyna danda, Bonac. *l.* „ *c.* III. Si eleemosynam des exiguam; nisi tamen in „ Bulla exprimatur, dandam esse pro cujusque fa„ cultate: tunc enim major danda est à divite, quàm „ alio. Ita *Fill. Suar. Sà & alii.* IV. Si Ecclesiam vi„ sitandam non possis ingredi, ob hominum mul„ titudinem, dummodò oratio fiat ante fores, vel in „ cæmeterio, *Bon.* V. Etsi in opere præstito non ha„ bueris intentionem consequendi Indulgentias, ut „ docet *Salas*, *Bon.* & alii contra *Suar.* Et videtur „ certum, saltem si habueris interpretativam, uti ha„ bet *Lay.* VI. Etsi opera fuerint aliunde debita, v. g. „ ex præcepto Ecclesiæ. Ita. *Laym.*

„ XV. Quando datur potestas commutandi opera „ præscripta in alia, id non necessariò fit in confes„ sione, & à Confessario, qui audit confitentem; sed „ potest fieri extra, & ab alio idoneo. Ita enim de„ clarat Gregorius XIII. (uti & in Bulla Indulgen„ tiæ nomine Confessarii, intelligi quemvis approba„ tum) apud Henr. *l.* 7 *c.* 10. *n.* 8. & Præpos. *qu.* 14. „ *dub.* 10. *n.* 88.

„ XVI. Probabilius est eum, qui tantùm partem „ operis præscripti facit, non lucrari partem Indul„ gentiæ, nisi tam parum desit, ut censeatur morali„ ter integrum. Ita *Bon. p. 5.*, ex *Nav. Suar. Kon.* „ *&c.*

„ XVII. Cùm præscribitur, ut visitentur aliquot „ altaria, sufficit ad illa se orando convertere ex eo„ dem loco, ut habet *Sà, Bon. p.* 1. *Suar. Rodr. Dian.* „ Limitat autem *Lug. n.* 98. si sit tali loco & situ, ut „ moraliter censeri possit orare ad illa altaria.

„ XVIII. Cùm confessio præscribitur, nisi in Bulla „ exprimatur, venialium, probabilius est, non requiri „ ut conditionem, sine qua non, sed ut dispositionem „ ad statum gratiæ, Bonac. *l. c.*

„ XIX. Nemo consequitur plenariam Indulgen„ tiam peccatorum omnium, nisi omni culpa, etiam „ veniali, liber sit, quando ultimum opus explet: „ Unde consultum est, ut Communio sit ultimum. V. „ *Lay.*

ADDENDA.

1302 QUæst. 178. *Quid notandum sit in genere circa satisfactiones in hac vita pro peccatis?* Resp. seq. §. 1. Certum est, quòd præscindendo à Sacramentis & Indulgentiis, quas dat Ecclesia, possit homo ex opere operantis saltem aliqua ex parte satisfacere in hac vita poena temporali debita peccatis suis remissis, nam ita docet Trid. *sess.* 14. *de Pœnitent. c.* 8. & 9. item *can.* 12. & 14. Sunt que opera nostra non tantùm conditio, ad cujus præsentiam nobis applicentur merita Christi, sed vera causa meritoria, possuntque esse de condigno satisfactio pro poena illa: hinc damnatæ sunt hæ propositiones *Bajanæ* 59. *Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.* 77. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.*

§. 2. Per satisfactionem pro pœna hìc intelli- 1303
gitur compensatio aliqua honoris, & auctoritatis Dei per peccatum læsæ, quando nempè in hac vita toleratur pœna debita Deo in vindictam peccati, vel loco poenæ alioqui subeundæ in vindictam, aliquid redditur Deo: & siquidem sit redditio boni in æstimatione morali æquivalentis, dicitur satisfactio condigna. E contrà est congrua tantùm, si non habeat omnimodam proportionem, attamen ex quadam convenientia censeatur esse admittenda à Deo offenso.

§. 3. Opus in quantum satisfactorium debet 1304
esse pœnale, quia æquitas exigit, ut culpa, quæ fuit appetitus boni delectabilis indebiti, compensetur per substractionem boni delectabilis, ergo per poenam: ita S. Th. S. Bonav. aliique communiter cum Suar. *tom.* 4. *in* 3 *p. d.* 37. *s.* 6. contra *Victor. Sot.* & alios.

§. 4. Sicuti vis meritoria præcipuè respondet 1305
libertati, honestati & intentioni operis, ita vis satisfactoria poenositati: hinc tenet communis sententia cum Suar. *s.* 5. *n.* 3. quamvis actus externus non augeat vim meritoriam actus interni, attamen augere vim satisfactoriam, quia hæc consistit in poena voluntariè assumpta, sed in actu externo est distincta poena voluntariè assumpta, ergo.

§. 5. Omne opus meritorium etiam est satisfa- 1306
ctorium, quia est actus virtutis, quæ difficilis est, & procedit à voluntate sustinendi difficultatem & poenam illam propter Deum, Suar. *s.* 6. *n.* 8. Et ideò actus virtutum Theologicarum sunt multùm satisfactorii, quia sunt in se meliores & difficiliores, ac maximè actus charitati, qui quasi virtute continent aliarum virtutum laborem, Suar. *n.* 9.

§. 6. Ad satisfaciendum requiritur ex parte ope- 1307
rantis, imprimis status vitæ: deinde status gratiæ: hinc S. Th. Sot. Fagund. Suar *s.* 2. *n.* 3. Rayn. *in Heter. t.* 15. *p.* 2 *s.* 3. *pu.* 2. & 9. *q.* 1. probabiliùs docent contra *Scot. Maj. Gabr. Rubion.* & alios, hominem in mortali constitutum non posse satisfacere nequidem de congruo pro reatu alicujus peccati sui vel alieni quoad culpam remissi, nam Trid. *sess.* 14. *de poen. c.* 8. vim satisfaciendi per opera propria fundat in unione cum Christo, *in quo*, inquit, *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus*, ergo sicuti non meremur, nisi in gratia uniti Christo, ita nec satisfacimus. Potest tamen peccator aliquid impetrare de congruo, quia pro impetratione, quæ non fundatur in dignitate orantis, habemus benignam promissionem Dei, non item pro satisfactione: hinc dicendum est opera in mortali facta posteà non revivíscere ad satisfactionem, cùm ab initio fuerint mortua: Excepto opere injuncto pro satisfactione sacramentali, secundùm dicta *n.* 1244.

§. 7. Ad satisfactionem condignam ex parte 1308
operis requiritur, ut sit voluntarium, liberum, moraliter bonum, positum ex aliqua saltem intentione satisfaciendi, poenosum seu afflictivum, item supernaturale, Suar. *s.* 3. Non obest autem, quòd opus tale sit præceptum, quia præceptum non impedit libertatem, bonitatem

bonitatem aut Pœnitentiam, Suar. *ſ.* 4. Imò Trid. *ſeſſ.* 14. *de pœn. cap.* 9. docet etiam flagellis à Deo inflictis, ſi patienter tolerentur, ſatisfieri, non tantùm ratione liberæ acceptationis internæ, ſed etiam ratione externæ paſſionis adjunctæ, quam acceptando facit ſibi voluntariam, ut pluribus explicat Suar. *ſect.* 7. idem dicens de malis, & adverſis quibuſcumque aliunde advenientibus

1309 §. 8. Ad ſatisfactionem noſtram ex parte Dei requiritur promiſſio de acceptando opere in finem ſatisfactionis: nam poenæ hujus vitæ non ſunt æquales vel proportionatæ poenis Purgatorii quas meriti ſumus; & omnia opera noſtra poterant à Deo ex aliis titulis exigi, Suar. *ſ.* 8.

1310 *Cajet. Dur. Nav. Præpoſ. Con.* putant aliquem poſſe ſibi vel etiam animabus impetrare remiſſionem poenæ præcisè orando, & præſcindendo à ſatisfactione vel ſolutione pro poena debita, ſicuti homo ab homine poteſt tantùm deprecando obtinere remiſſionem poenæ ſibi vel alteri debitæ. Et ita etiam non videtur dubitandum, quin Beati, qui ſatisfactiones non ponunt, poſſint pro nobis vel pro animabus impetrare remiſſionem poenæ. Oppoſitum tenent Gabr. Suar. & alii cum Rayn. *pu.* 8. *q.* 3. tum quia eſt ſecundùm juſtitiæ divinæ leges, ut omne delictum puniatur, tum etiam, quia non eſſet pro honore ſatisfactionum Chriſti, ſi Deus illis non reſpectis gratuitò remitteret hominibus poenas: hinc videtur dicendum, quòd quandocumque Deus propter orationem aliquam remittit alicui pœnas, ſemper reſpiciat Chriſti ſatisfactiones, per quas cenſeatur præſtita ſolutio pro tali poena.

1311 §. 10. Non eſt obligatio, ſaltem gravis, in hac vita delendi poenas ſuis peccatis debitas, nam ſecundùm dicta *l.* 2. *n.* 179. & dicenda hìc *nu.* 1336. opera ſatisfactoria laudabiliter tranſcribo Defunctis, & reus non tenetur ſibi poenas infligere, ſed tantùm pati ſibi decretas à Judice, Suar. *d.* 15 *ſect.* 7. Arr. *d.* 18. *ſect.* 5. & alii contra *Palud. & Canum. Dixi*, ſaltem gravis, nam planè omnes ſatisfactiones ſuas tranſcribere alteri ſpe imminuendi poenas ſui Purgatorii videtur eſſe contra ordinem charitatis, quia teneor me ſaltem non poſtponere proximo, ſed æquè deſiderare acceleracionem meæ beatitudinis quàm illius; unde videtur eſſe defectus charitatis erga ſeipſum, imò & erga Deum ſi quis hìc ita negligat omnes ſatisfactiones, & velit in Purgatorio ſuſtinere poenas graviſſimas ac longè diuturniores, ſeque per hoc retardare à viſione, amore & laude Dei in coelo, ſic enim non videtur ſatis æſtimare æterna, & incomprehenſibilia Dei bona. Notatque etiam Rayn. *p.* 1. *ſ.* 1. *p.* 5. *à n.* 16. ſatisfactiones in hac vita diſcretè quidem eſſe aſſumendas, attamen non negligendas, etiam ideò, quia opus ſatisfactorium longè plus prodeſt ſi fiat me vivo quàm ſi me mortuo, nam ſi vivus, & in gratia conſtitutus procurem fieri, fructus ſatisfactorius conjungitur cum merito, quo etiam impetrare poſſum poenæ remiſſionem: & hìc valet iſtud, *Da tua, cùm tua ſunt; poſt mortem, nam tua non ſunt*, Gerſ. Gabr. Rayn. *p* 1. *ſ.* 3. *p.* 3. *à n.* 35. Hinc aliqui, quos refert *n.* 37. putarunt Miſſam unam procuratam à vivo plus prodeſſe quàm centum celebrandas poſt mortem: denarium jam plus, quàm tum mille ducatos: unam lacrymam jam plùs, quàm tum 10. annos in Purgatorio, &c.

1312 *Q.* 179. *Quid notandum ſit circa remiſſionem poenarum in altera vita, ſive in Purgatorio?* Reſp. Hoc unicum, quòd remiſſio illa non habeat rationem ſatisfactionis, cùm animæ illæ non ſint ampliùs in ſtatu vitæ, ſed habeat rationem ſatiſpaſſionis, quæ definitur, quòd ſit perpeſſio mali, per quam quis cenſetur tam multùm ſe ſubjicere poteſtati offenſi, quàm multùm contra dignitatem illius ſe erexerat: poteſtque eſſe etiam involuntaria, uti patet in fure, qui invitus ſubit mortem, & reſpectu poteſtatis civilis ſatiſpatitur. Quamvis autem ſatisfaciendo in hac reipſa patiamur, cùm ſecundùm dicta *num.* 1394. de ratione ſatisfactionis ſit perpeſſio alicujus pœnæ, tamen quia poena hujus vitæ eſt diverſæ rationis à poena Purgatorii, & præcipua vis perpeſſionum, quas hìc aſſumimus, habetur à voluntaria illius acceptatione, non ſolet vocari ſatiſpaſſio ſed ſatisfactio. De poenis autem, per quas animæ ſatiſpatiuntur in Purgatorio, videri poteſt Dicaſt. *tract.* 9. *d.* 1. & fuſius Hautinus *in Patrocinio Defunctorum.* Quomodo verò animæ purganti applicetur fructus Sacrificii Miſſæ, dictum eſt *n.* 518. Et de aliis applicationibus pro ipſis dicetur *à n.* 1317. 1362. 1336.

Q. 180. *Quomodo Indulgentia dividatur ratione ſubjecti?* R. In localem, realem, & perſonalem. Localis eſt, quæ alicui loco, templo, altari conceditur. Realis, quæ grano, numiſmati, Roſario, &c. applicatur. Perſonalis, quæ conceditur alicui perſonæ, ut eam lucretur, ubicumque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale opus peregerit. 1313

Q. 181. *An quomodo, & à quo concedi poſſit Indulgentia?* Reſp. §. 1. De fide eſt, in Eccleſia eſſe poteſtatem diſpenſandi theſaurum meritorum Chriſti, & Sanctorum per Indulgentias; ita ut vi earum immediatè liberemur ex opere operato à reatu poenæ temporalis ſine propria ſatisfactione, hæc enim eſt *communio Sanctorum*, de qua ſymbolum Apoſtolorum, & ita docet Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. *de Reform in Decreto de Indulgent.* Nititur autem hæc catholica veritas etiam traditione, quam oſtendunt decreta conciliorum, & Pontificum, teſtimonia Patrum, Praxis antiquorum temporum, de quibus latè Suar. *d.* 49. *ſ.* 1. *& ſeqq.* Bellarm. *tom.* 3. *l.* 1. *de Indulg. cap.* 3. *& ſeqq.* Et ſatis evincitur ex Scriptura, nam Chriſtus *Matth.* 16. promiſit Petro, & in Petro ejus ſucceſſoribus poteſtatem ligandi, & ſolvendi, ſine ulla reſtrictione, ergo etiam poteſtatem remittendi reatum pœnæ. Item commiſit claves regni cælorum, ergo etiam poteſtatem removendi omnia, quæ aditum ad cælum impediunt, inter quæ eſt reatus pœnæ. Denique cùm in Eccleſia ſit theſaurus ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, qui eis *non indigent*, ne inutilis ſit, debet *poſſe applicari per Indulgentias.* Neq; ſufficientiæ meritorum vel plenæ redemptioni Chriſti derogat, quòd Sanctorũ merita concurrant, ſed potiùs iſtorum vim commendat, omnem enim vim ſuam habent ex meritis Chriſti, quibus adduntur, non ex neceſſitate vel inſufficientia, ſed ad honorem Sanctorum, & concurrunt ad deletionem ſolius pœnæ temporalis, non autem culpæ vel pœnæ æternæ, in quo præcipuè opus Redemptionis conſiſtit.

§. 2 Conceſſio Indulgentiarum reſpectu vivo- 1315
rum eſt partim ſolutio, quia offertur pretium meritorum Chriſti; partim abſolutio, quia hoc ipſo, *quod* Eccleſia nomine Dei acceptet ſolutionem, *homo à* pœna abſolvitur. E contrà reſpectu Defunctorum *eſt* mera ſolutio, quam Deus acceptat; quæ *quidem* ſolutio ſit cum poteſtate juriſdictionis *in theſaurum* Eccleſiæ, ſed non in perſonam, *cui applicatur*, cùm Eccleſia tantùm in vivos juriſdictionem habeat. Videri poteſt Viva *de Jubil. q.* 5. *a.* 3. item Rayn. *in Heter. T.* 15. *p.* 2. *ſ.* 3. *p.* 5. *q.* 1. ubi pluribus explicant, quid ſit Indulgentias applicari *per modum* ſolutionis vel abſolutionis. Et de hoc etiam *fusè* diſputat Amic. *to.* 8. *l.* 20. *à num.* 164. & Bellarm. *lib.* 1. *de Indulgentiis c.* 14.

§. 3. Ut Indulgentiæ licitè, & validè conce- 1316
dantur debet præter remiſſionem pœnæ adeſſe aliud motivum juſtum & proportionatum, uti colligitur ex Extrav. Clem. VI. *Unigenitus, de Pœn. & Remiſſ.*

&

& habet ſententia communis contra *Paſq.* Putatque generatim Caſtrop. t. 24. *p.*7.*n.*8. ad juſtitiam cauſæ requiri, ut hæc conceſſio credatur ceſſura in majorem Dei gloriam, & honorem, quàm cederet aliàs ſtricta & rigoroſa ſatisfactio vel ſatispaſſio. Quòd ſi tamen cauſa ſit aliqua ſed non plenè ſufficiens, probabiliter tenent multi cum Caſtrop. *n.* 7. manere ſecundùm partem, cùm enim effectus indulgentiæ ſit diviſibilis, manere poteſt quoad partes cauſæ reſpondentes, uti valet quandoque quoad alia, quæ ex occaſione Indulgentiæ conceduntur, v. g. quòd pœnitens poſſit eligere Confeſſarium, quem volet, abſolvi à reſervatis, quia cùm hæ facultates pendeant à jure humano, & voluntate Papæ, valent, etiamſi Indulgentiæ ſine cauſa concedantur, Suar. Laym. Caſtr. *n.*6. Quòd ſi concedens falsò putaret cauſam eſſe ſufficientem, & non erret temerè, ſed ex prudente motivo, Suar. Lug. Viva *ar. ult.* probabiliter dicunt valere, quia quando œconomus prudenter diſpenſat rem Domini, hic ratihabet.

1317 §.4. Solus Papa habet ordinariam, & univerſalem poteſtatem concedendi quibuſvis fidelibus etiam Defunctis quaſlibet Indulgentias, quia ad ſummum Eccleſiæ principem pertinet diſtributio theſaurorum: unde Conc. generale ſine Papa, ſive hic vivat ſive ſit mortuus, non habet talem poteſtatem Suar. Laym. Bellarm. *lib.* 1.*c.* 11. contra *Cordub. Henriq. Nav.* Et quamvis Papa communiter concedat Indulgentias Defunctis medio aliquo vivente, qui per opus aliquod illis applicet, fieri debere putent *Nav. Suar. Fill.* tamen probabiliter docet Rayn. *n.*3. id non requiri, ſed Papam poſſe immediatè per ſeipſum eas Defuncto elargiri. Poteſtque etiam Papa ipſe ut membrum Eccleſiæ participare Ingulgentias à ſe ut capite Eccleſiæ conceſſas, Amic. *ſ.*2. imò & directè exercendo juriſdictionem gratioſam circa ſeipſum, Viva *ar* 4.

1318 §. 5. Quamvis Papa habeat maximam poteſtatem circa Indulgentias etiam Defunctis applicandas, tamen non poteſt tot, & tantas concedere, ut totum Purgatorium evacuet, quia non poteſt eſſe rationabilis cauſa tantæ conceſſionis, nam non ſufficit major Dei gloria ex tali liberatione ſecutura; Chriſtus enim, qui maximè vult Dei gloriam, nihilominus etiam vult ſemper aliquas animas eſſe in Purgatorio: unde falſum eſt, quòd in Reſurrectione ſua Purgatorium evacuarit, Rayn *à n.* 13.

1319 §. 6. Epiſcopi habent limitatam poteſtatem concedendi Indulgentias, ordinariam quidem, id eſt, ex vi proprii muneris & à jure communi annexam ſuo officio, attamen delegatam à Papa, ut habet communior cum Suar. Mol. Bellarm. ſuprà, Barb. *de pot. Epiſc. all.* 88. Rayn. *n.*16. contra *Cordub. Sot. Nav. Medin. Valent.* Et in dedicatione quidem Eccleſiæ poteſt Epiſcopus dare Indulgentias unius tantùm anni, in anniverſario verò dedicationis & aliis etiam caſibus 40. tantùm dierum, etiam in perpetuum, id eſt, recurrentes omni anno, Leſſ. *in Auct. v. Indulgentia caſu* 1.

1320 §. 7. Epiſcopus poteſt Indulgentias concedere pro ſuis tantùm ſubditis, licèt extra diœceſim exiſtentibus, & tantùm per modum abſolutionis, ideóque ſolis vivis. Poſſuntque Epiſcopi hanc poteſtatem, cùm ſit ordinaria, alteri delegare, Lugo, Viva *ar.* 5. Non tamen hoc ipſo, quòd Vicariis ſuis generalibus concedant omnem poteſtatem, cenſentur hanc concedere, ſed debent id ſpecialiter expreſſiſſe, ut habet communis cum Leur. *in Vicario q.* 139. quia eſt facultas meræ gratiæ, & per ſe reſervata dignitati. Ac propterea nec ſede vacante, capitulo convenit, uti habet communior apud Leur. *qu.* 482. Quòd ſi Epiſcopus ampliorem fortè Indulgentiam concederet, quàm ei permiſſum eſt, probabilius eſt conceſſionem fore irritam ſolùm quoad exceſſum, quia *utile non debet per inutile vitiari Reg.* 37. *Juris in* 6.

§.8. Quod dictum eſt de Epiſcopis, valet etiam 1321 de Archi-Epiſcopis reſpectu totius Archi-diœceſis, cujus ſubditis etiam extra tempus viſitationis poteſt ſimili modo concedere Indulgentias. *Barboſa* ſuprà. Putantque *Henriq. ex Leſſ.* ſuprà Archi-Epiſcopo deberi poteſtatem altero tantò majorem, adeóque ubi Epiſcopus poteſt 40. Archi-Epiſcopum poſſe 80. dierum concedere. Cardinales, etiam non Epiſcopi, poſſunt 100. dierum in Eccleſiis ſuorum titulorum, quia in his habent Epiſcopalem juriſdictionem, *Cap. Is. De majoratu & obed.*

§. 9. Nuncius Apoſtolicus poteſt ſubditis ſuæ 1322 Nunciaturæ pro quocumque pio opere concedere 100. aut plurium dierum Indulgentias, attamen ſemper minus quàm annum. Pro templo vel capella poteſt dare 7. annorum, & 7. quadragenarum, id eſt, ſepties 40. dierum, pro illis qui confeſſi communicarint, & in eo loco de more orarint ad intentionem Eccleſiæ. Quòd ſi concedat in duobus feſtis anni pro eodem loco, durabunt tantùm ad triennium: ſi in uno feſto, ad ſeptennium tantùm, ſicque expirabunt, niſi prorogentur, uti habetur *num.* 20. in facultatibus Nunciaturæ Colonienſis 1. Octob. 1680. ab Inn. XI. conceſſis.

§.10. Prælati Epiſcopo inferiores, quamvis in 1323 cæteris habeant poteſtatem quaſi Epiſcopalem, non poſſunt jure ordinario concedere Indulgentias, cùm id nullibi concedatur: Multò minus Parochi vel Confeſſarii, *Bellarm. & Barboſ.* ſuprà contra *Hoſt. Ang. & alios.* Cùm tamen conceſſio Indulgentiarum non ſit actus Ordinis ſed juriſdictionis, Papa vel Epiſcopus etiamſi necdum Sacerdos poſſet, & Indulgentias concedere & conceſſionem delegare cuivis ſimplici Clerico, uti cum communi Leur. *q.*139. & Viva *a.* 4.

*Q.*182. *Qualis intentio requiratur ad lucrandas* 1324 *Indulgentias?* Reſp. §. 1. Si concedens requirat opus cum certa intentione, hæc expreſsè fieri debet, quia *conceſſio ſub certa forma vel conditione corruit, ſi conditio deficiat, l. Medius ff. de Condit.* Et ut actus valeant, conditiones implendæ ſunt in forma ſpecifica, nempè quoad expreſſa in ſpecie: hinc etiam communiter dicitur, quòd in talibus non detur commutatio, ſed debeat, per ſe loquendo, fieri quod expreſſum eſt: ideóque dicit Bellegambe *in Enchiridio de Jubilæo p.* 1.*ſ.* 2.*q.*2. prærequiri cognitionem formalem intentionis illius, quam concedens habuit. Addit *q.*4. intentionem illam reddi dubiam, ſi alia intentio admiſceatur, quia quò opus pluribus finibus deſtinatur, eò minùs prodeſt ſingulis. His non obſtantibus docent Paſq. Sanctar. Boſſ. Viva *q.*8.*ar.*5. eſtque communis perſuaſio etiam apud Confeſsarios, ſi intentio orandi facienda ſit pro certis neceſſitatibus in Bulla expreſſis, ſatis eſſe, ſi quis intendat orare ad intentionem Eccleſiæ.

§. 2. Si conceſſa ſit Indulgentia faciendi opus 1325 ſecundùm ſe, probabiliter docent Mol. Pelliz. Leand. Portel. Laym. Viva, Lugo, Gob. Buſemb. Dian. *p.*10.*t.* 16.*R.*1. eum etiam ignorantem lucrari, qui opus ponit, uti præſcriptum eſt, poſſunt enim indulgentiæ applicari, & prodeſſe ignoranti, uti dicetur *n.* 1328. Et quiſque habet intentionem ſaltem habitualem aut interpretativam obtinendi quidquid poteſt per omnia ſua opera. Pro majori tamen ſecuritate expedit manè expreſsè intentionem formare obtinendi per opera iſtius diei, quidquid per illa obtineri poteſt.

§.3. Si quis pro alio velit lucrari Indulgentiam, 1326 requiritur intentio lucrandi determinate pro illo: ſufficit

sufficit tamen intentio habitualis, id est, semel habita & non revocata, ad eum modum, quo *àn.* 205. dictum est de applicatione Missæ.

1327 *Q.* 183. *Quid præterea notandum sit circa applicationem satisfactionum vel Indulgentiarum pro alio*, Resp. seqq. §. 1. Quamvis fructus meriti non sit applicabilis alteri, cùm nemo per alium mereatur? sed meritum sit ad gratiam, & gloriam operantis; tamen fructus satisfactionis est alteri applicabilis, uti patet in Christo, qui pro nobis satisfecit. Hinc potest vivens etiam viventi transcribere satisfactiones suas: Estque probabilius, si adsint conditiones requisitæ, Deum semper acceptare ex promissione, & quadam justitia, obligavit enim se ad hoc, ut charitas amplificaretur, & omnes per ipsum essemus unum, Lugo *d.* 26. *s.* 1. Arr. *d.* 23. *sect.* 1. Rayn. *T.* 15. *p.* 2. *sect.* 3 *p.* 6. *n.* 12. Conditiones autem ex parte applicantis sunt, ut dum ponit opus, adsint enumerata *n.* 1307. item intentio, ut prosit alteri. Ex parte autem illius, cui applicatur, requiritur remissio culpæ, & status gratiæ, Lugo *s.* 2. & 3. Arr. *s.* 4. & 5.

1328 §. 2. Applicatio satisfactionis fieri potest absenti, ignoranti, non petenti, Dian. *p.* 5. *t.* 3 *R.* 134. Lohn. & *alii*: probabiliter etiam positivè nolenti, quia quamvis inviro ordinariè non fiat beneficium, attamen fieri potest, uti absolutio à censura, &c. oppositum ex dictis *n.* 58. videtur probabilius. Indulgentiæ nulli etiam defuncto applicari possunt, nisi Papa expressè concedat, uti colligetur ex dicendis *n.* 1348. docetque cum communi Rayn. *n.* 3. Alteri autem vivo applicari non posse, habet communis cum Lugo *àn.* 11. nisi Papa interveniat.

1329 §. 3. Quando Papa concedit, ut quis possit lucrari Indulgentiam pro alio vivo. *S. Th.* & *alii* cum Rayn. *s.* 2. *p.* 2. *n.* 7. rectè dicunt ptimum reipsa non lucrari, sed tantùm ponere opus, quo supposito Papa ipse applicet Indulgentias secundo, Indulgentiam verò, quam quis applicat alteri seu vivo seu Defuncto, non potest eodem die pro se lucrari, uti dicetur *n.* 1366. Et quamvis actus satisfactorius, qui alteri applicatur non maneat applicanti, tamen actus, quo applicat non tantùm est meritorius sed etiam satisfactorius, & hic manet applicanti, Rayn. *s.* 3. *p.* 6. *num.* 5.

1330 § 4. Si ille, pro quo fructus satisfactionis offertur, sit illius incapax vel non indigeat, *Suar.* dicit reponi in communem thesaurum Ecclesiæ *Gabr.* & alii communiùs putant prodesse facienti tale opus. *Palud.* dicit prodesse facienti opus, si applicaverat alicui vivo; si autem Defuncto, putat prodesse alteri Defuncto: Sed S. Th. Pasq. *q.* 86. & alii cum Rayn. *p.* 1 *n.* 32. dicunt statim à Deo concedi alicui sive Defuncto secundùm interpretativam voluntatem facientis opus.

1331. §. 5. Sancti, qui in coelo sunt, non possunt satisfactiones sibi residuas applicare alicui, nam repositæ sunt in Ecclesiæ militantis thesauro, cujus clavem habet solus Papa, Rayn. *p.* 6. *n.* 16.

1332 §. 6. *Nav.* putavit eum, qui indiget satisfactione pro se, invalidè applicare alteri, sed communiter contradicunt omnes. Esset tamen contra charitatem propriam secundùm Rayn. *n.* 10. si quis multo reatu onustus morti proximus alteri applicaret omnes satisfactiones suas, nisi adverteret se facere per actum, qui merito & dignitate sua damnum illud compensaret, nam ex charitate transferens augeret suam gratiam, qui est fructus æternus longè pretiosior. An autem aliquis prudenter applicet, v. g. animabus satisfactiones omnium suorum operum, dicetur *n.* 1336.

1333 §. 7. Rayn. *s.* 2. *p.* 2. rectè dicit nihil prodesse, si qus opera satisfactoria, quæ antecedenter fecit, velit postea transcribere animabus vel alicui alteri, nam satisfactiones tales non manserunt suspensæ, sed vel statim applicatæ sunt, vel repositæ in thesauro Ecclesiæ, secundùm dicta *n.* 1330. nulli autem præterquam Papæ competit dispensatio thesauri Ecclesiæ.

§. 8. Si quis nunc vivens applicet animabus 1334 omnia sacrificia, & preces pro se defuncto fundendas, *Rayn.* suprà rectè dicit hoc etiam invalidè fieri, quia applicatio operis non est in potestate illius, pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis; operans autem, qui suo tempore offeret pro me, non non offeret ad hanc meam intentionem, sed offeret, ut prosit mihi, ideóque si tum mihi prodesse poterit, proderis; si autem prodesse non poterit, & operans non substituat aliam intentionem, fiet, quod *num.* 1330. dictum est.

§. 9. Si subditus applicet satisfactiones suas con- 1335 tra applicationem Superioris, poterit peccare contra obedientiam, sed prævalebit subditi applicatio, uti à pari dictum est de Missa *n.* 214. docetque cum Duar. Suar. & aliis Rayn. *s.* 3. *p.* 6. *n.* 18. actio enim talis cum omni suo fructu subest immediatè soli dominio operantis, cujus intentionem non potest supplere aut mutare Superior.

Q. 184. *Quid specialiter adhuc notandum sit* 1336 *circa satisfactiones vel indulgentias pro defunctis*? R. §. 1. Rayn. *in Heter. T.* 15. *p.* 2. *s.* 1. *p.* 1. & *seq.* iterumque *pu.* 10. rectè ex Scrip. PP. & sensu universalis Ecclesiæ ostendit contra aliquos, quorum argumenta solvit *pu.* 11. quòd omninò pium sit, nec divinæ justitiæ aut perfectioni contrarium, si satisfactiones à nobis offerantur pro defunctis. Quòd autem animæ etiam suffragia nostra postulent, demonstrat per historias, & exempla *pu.* 7. Præterea *pu.* 12. contendit esse obligationem saltem charitatis, ut animæ purgantes per aliqua opera vel suffragia gaudjuventur. Attamen *s.* 2. *p.* 2. docet cum *Arr.* fore prodigalitatem venialiter malam contra charitatem propriam, si quis vim satisfactoriam operum totius secuturæ vitæ suæ transcriberet animabus, quod etiam insinuavi *num.* 1311. E contrà tamen multi cum *Hautino* hoc laudant, dicuntque esse magis meritorium & utilius, uti notavi *l.* 2. *n.* 179.

§. 2. Motivum juvandi defunctos inter cætera 1337 est, quia vicissim possunt nobis prodesse: Imò posse utiliter peti preces animarum prout in Purgatorio existentium docent *Rich. Gabr. Med. Bassol Serar. Bon. Arendoz.* & in eandem sententiam inclinat *Suar.* quia quamvis sint in carcere sub poena, tamen sunt tanquam amici & filii, qui pro aliis impetrare possint. Contradicunt quidem S. *Th. Alens. Nav. Bellar. Victor. Az. Valent. Less. Thyræus, Regin. Castrop.* qui putant animas non scire se rogari à nobis sed rectè dicit Rayn. *s.* 3. *pu.* 1. *nu.* 23. dubitari non posse, quin preces ad se directas cognoscant saltem per revelationem Angelorum, id enim pertinet ad communicationem, quæ adhuc est inter illas suffragiis nostris indigentes & nos; Et ita se per eas multa obtinuisse testatur S. Catharina Bononiensis. Hinc Rayn. *pu.* 8. *qu.* 2. concludit, per se loquendo, melius esse & utilius orare ac consequenter offerre satisfactiones pro defunctis, qui Deo amiciores sunt & se juvare non possunt, quàm pro vivis. Causa autem, cur Ecclesia diebus Lunæ velit specialiter orari pro defunctis, est, quia vult statim post Dominicam succurri illis miseris, Rayn. *pu.* 4. *qu.* 10.

§. 3. *Cajet.* & alii putarunt non omnes animas 1338 posse juvari nostris suffragiis, sed eas tantùm, quæ in vita hoc ipsum promeritæ sunt, ut juvari possent: sed contra hoc videri possunt dicta *n.* 59.

§. 4. *Præpositus* putavit per suffragia oblata pro 1339 una determinatè anima, non plus juvari illam, quàm omnes alias, imò meliùs dispositas plus esse juvandas,

juvandas, ſicuti fax accenſa pro uno exiſtente in obſcuro loco æqualiter lucet omnibus, & aliis magis, qui propiores ſunt vel meliorem habent visũ. Sed rectè contradicunt *S. Thom. Bellarm.* aliique communiter cum Rayn. *n.* 20. quia applicatio fit ſecundùm liberam intentionem operantis, & Papæ leguntur conceſſiſſe applicationem pro certis animabus.

1340 §. 5. Subſidia nedum exhibita, etiam certò ſint exhibenda, nunc non proſunt animabus, uti habet communis cum Rayn. *p.* 3. *n.* 43. quia etiam ſi Deus prævideat aliquid faciendum, non ideò, antequam præſtetur, rependit præmium, niſi accedat ſpecialis miſericordia, qualis fuit, quòd ob prævisa Chriſti merita dederit gratias Adamo & antiquis PP. pro hoc enim dicendo habemus ſpeciale fundamentum in Scriptura & PP. quia redemptio erat tribuenda Chriſto.

1341 §. 6. Per ſe loquendo utilius eſt animabus, ſi ſtatim magna vis ſubſidiorum illis procuretur, nam tantùm proſunt, ſi ſint actu exhibita. Per accidens tamen poteſt eſſe laudabilius, v. g. fundare perpetuam Miſſam, quia poteſt eſſe magis ad Dei gloriam, ut populus certo die & loco Miſſam habeat, &c. Rayn. *à n.* 47.

1342 §. 7. Miſſam eſſe præcipuum opus ſatisfactorium pro defunctis, docent SS. PP. S. *Th.* & Theologi communiſſimè cum Rayn. *ſ.* 3. *pu.* 3. *q.* 2. quia nempè eſt repræſentatio & nova exhibitio Sacrificii à Chriſto oblati in cruce, cui Chriſtus ideò voluit ineſſe maximam vim ſatisfactivam. Poſt Miſſam ſunt indulgentiæ, quibus & Chriſti & Sanctorum ſatisfactiones animabus applicantur ex opere operato. Sequuntur ex genere ſuo & per ſe opera pœnalia. Poſt hæc, eſt eleemoſyna. Denique oratio, cujus præcipuus fructus eſt impetratio. Notat tamen *Rayn.* cum *Soto* poſſe per accidens fieri, ut eleemoſyna in certis caſibus ratione charitatis adjunctæ vel magnæ indigentiæ pauperis ſit gratior Deo, adeóque utilior defunctis quàm multæ Miſſæ. Quantum defunctis prodeſſe poſſint cilicia, flagellationes, jejunia, vigiliæ, peregrinationes, afflictiones cauſatæ nobis aliunde, fusè & doctè proſequitur Rayn. *p.* 6. *q.* 6. *& ſeq.* ſpeciatim autem de eleemoſyna agit *p.* 7. *De oratione pu.* 8.

1343 §. 8. Orationes publicæ, id eſt, quæ fiunt à perſonis ad id deputatis ab Eccleſia, prout fiunt nomine Eccleſiæ, non ſunt ſatisfactoriæ, quia ſatisfactio reſpicit pœnalitatem operantis; hinc ut tales tantùm ſunt impetratoriæ, etiam reſpectu remiſſionis pœnæ defunctorum, & quidem tantò magis, quantò Eccleſia tota eſt gratior Deo quàm privatus, cujus etiam improbitas non impedit vim impetratoriam Eccleſiæ, Rayn *ſ.* 3. *p.* 11. *q.* 3.

1344 §. 9. Communio de ſe non prodeſt defunctis, niſi quantùm actus adjuncti ſunt ex opere operantis impetratorii vel ſatisfactorii, uti fusè demonſtrat Rayn. *tom.* 6. *opuſc.* 6. *De Communione pro mortuis.* Et idem eſt, ſi confeſſio vel Communio offeratur pro alio vivo: tam parum enim poteſt huic prodeſſe, quàm ſi quis pro alio velit ſuſcipere Baptiſmum vel Matrimonium. *Nec obſtat*, quòd 1. ad *Corinth.* 15. v. 29. dicantur aliqui baptizari pro mortuis, *nam* ſenſus eſt, quòd pro mortuis ſe affligant vel patiantur, uti oſtendit Rayn. *t.* 15. *p.* 2. *ſ.* 2. *pu.* 11. & iterum *ſ.* 3. *pu.* 6. *n.* 1. in quo etiam ſenſu Chriſtus *Marci* 10. & *Lucæ* 12. paſſionem ſuam vocat Baptiſmum.

1345 §. 10. Reſtitutio eorum, quæ defunctus abſtulerat, aut explenio votorum, quæ neglexerat, quamvis per accidens poſſint prodeſſe ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de ſe nihil operantur ad liberationem animæ, S. Th. Nav. Sot. Bellarm. Suar. Mol. Valent Rayn. *ſ.* 2. *p.* 3. contra paucos. Ratio eſt, quia ſi defunctus ante mortem fecit, quod potuit, non ideò diutius patietur; ſi id neglexit, patietur, quantùm promerita eſt ipſius negligentia: hæredum autem negligentia non eſt culpa ad eum pertinens, cùm ipſe illius cauſa per ſe fuerit. Idem eſt dicendum de ablatione ſcandali, quod defunctus poſuerat, dum viveret. Rayn. *p.* 6.

§. 11. Campanarum pulſus non juvat defunctos 1346
niſi indirectè, quatenus movet audientes ad bene precandum defuncto, Rayn *p.* 7. Conſepelire defunctis res pretioſas nullum etiam illis adfert ſubſidium: conſepelire autem Euchariſtiam eſt nunc præter Eccleſiæ conſuetudinem, Rayn. *p.* 10. Imò videtur illicitum propter irreverentiam.

§. 12. Uſus cereorum ardentium prodeſt defun- 1347
ctis, in quantùm amici nomine defuncti proteſtantur ſe confiteri Chriſtum eſſe verum lumen, & ex ejus meritis ſperare miſericordiam, Rayn. *ſ.* 3. *p.* 11. *q.* 8. Sepultura in loco ſacro eis prodeſt, partim quia fideles illic convenientes excitantur ad orandum pro defunctis, partim quia preces publicæ Eccleſiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi ſepultos, Rayn. *p.* 12. *q.* 3. Aſperſio aquæ benedictæ prodeſt propter preces Eccleſiæ, nam benedicens petit prodeſſe etiam ad condonationem pœnarum. Rayn. *q.* 5. Incenſatione thuris orat Eccleſia, ut anima paſcatur odore cœleſti, &c.

§. 13. Solus Papa poteſt defunctis applicare in- 1348
dulgentias, uti habet communis cum Dia. *p.* 10. *t.* 6. *R.* 12. contra Gob. quia ſecundùm dicta *n.* 1315. defunctis applicantur per modum ſolutionis, offerendo pretium ex theſauro Eccleſiæ, ſolus autem Papa habet claves theſauri Eccleſiæ. Rayn. *ſ.* 3. *pu.* 5. *n.* 15.

§. 14. Specialiter ad indulgentias pro defunctis 1349
requiritur motivum extrinſecum diſtinctum ab ipſa pœnæ remiſſione, & quantitati indulgentiæ proportionatum, ſit enim pro non ſubdito per modum ſolutionis ex theſauro Eccleſiæ, cujus uſus non debet eſſe profuſio ſed prudens diſpenſatio, Rayn. *n.* 19.

§. 15. Multi negant, multi affirmant applica- 1350
tionem indulgentiarum factam pro defuncto habere infallibilem effectum, utrique probabiliter, uti colligi poteſt ex dictis *n.* 524. Et pro affirmantibus ſtat etiam Rayn. *ſ.* 3. *p.* 1. *à n.* 17. *p.* 5. *à n.* 9. *p.* 6. *n.* 12. pro negantibus Amicus *to.* 8. *d.* 20. *à n.* 175. rectè autem præſumunt *Henriq. Laym.* & alii, ſi Deus pro arbitrio abſque promiſſione acceptet indulgentias pro defunctis, longè faciliùs eas acceptare pro illis animabus, quæ in hac vita magis ſtuduerunt ſatisfacere, non tantùm pro ſe ſed maximè pro defunctis.

§. 16. Quamvis *n.* 1307. dixerim ad ſatisfacien- 1351
dum pro ſe vel alio ex opere operantis, requiri in operante ſtatum gratiæ tamen Rayn. *p.* 5. *n.* 23. Dian. ſuprà *R.* 13. aliique multi apud Buſemb. & cum Amico *n.* 203. putant eum, qui non eſt in gratia lucrari poſſe indulgentiam pro defuncto, ſi ponat ſubſtantiam operum, quia indulgentia ex opere operato acquiritur defuncto, qui eſt diſpoſitus.

§. 17. Etiam Beati in cælo poſſunt juvare ani- 1352
mas, non quidem ex ſuis ſatisfactionibus ſuperfluis applicando aliquid, uti dictum eſt *n.* 1331. ſed vel directè impetrando pro illis remiſſionem propter ſatisfactiones Chriſti, uti habent Bellarm. Con. Rayn. *ſ.* 3. *p.* 2. *q.* 2. vel etiam indirectè, procurando, ut viventes pro eis offerant ſatisfactiones.

Q. 185. *An preces Eccleſiæ, & Indulgentiæ poſſint* 1353
prodeſſe catechumenis vel excommunicatis, ſaltem defunctis? R. §. 1. Preces Eccleſiæ etiam publicas prodeſſe catechumenis, itemque indulgentias poſſe applicari eis in gratia defunctis, docent cum aliis Rayn. *in Heter. to.* 15. *p.* 2. *ſ.* 3. *p.* 3. *q.* 3. & Amicus

tom.

tom. 8. d. 20. n. 157. contra *Suar. Con.* & alios cum Viva *de Jub. qu. 6. art. 1.* videtur sequi ex dictis *nu. 29.* quia etiam Missa illis applicari potest. *Nec obstat,* quòd catechumeni nunquam pertinuerint ad Ecclesiam, *nam* licèt Ecclesia non judicet nec puniat extraneos, attamen potest illis benefacere, & præstare gratias, quarum capaces sunt.

1354 §. 2. Si excommunicatus adhuc vivens verè contritus sit & per eum non stet, quominus restituatur Ecclesiæ, probabile est cum *Nav. & Sà* lucrari posse Indulgentias per opera, quæ licitè exercet, si his annexæ, sic enim prudenter præsumimus de benigna voluntate Ecclesiæ. Oppositum tamen est probabilius ob rationem jam dandam.

1355 §. 3. Si excommunicatus sit in gratia mortuus, *Nav. Henriq. Fill.* putant posse ei prodesse Indulgentias, quia excommunicatio videtur tantùm excludere à favoribus pro statu vitæ, post mortem enim Ecclesia non habet jurisdictionem in animas. Oppositum tenent Dicast *tr. 9. d. 2. n. 147. & tr. 10. d. 2. n. 632.* Rayn. *n. 27.* & alii, quia una ex pœnis excommunicationis est privatio communium suffragiorum. Neque ad hoc requiritur jurisdictio in animas, sed satis est facere, pro illis, quæ excommunicatæ sunt, non offerantur suffragia nomine Ecclesiæ, neque applicentur. De cætero rectè docent Rayn. *l. 2. pu. 5.* excommunicationem non impedire ingressum in cœlum, dummodò satisfactio vel satispassio pro pœna sit exsoluta. Vide dicta *à n. 31.*

1356 *Q.* 186. *Quid notandum sit circa Indulgentiam, quæ conceditur ingredientibus Religionem?* R. Putant quidem aliqui cum *Rodriq.* Indulgentiam plenariam, quæ dicitur obtineri per ingressum Religionis, posse obtineri per susceptionem habitus aut per ingressum in Novitiatum, si fiat ex magno Dei amore, & renunciatione mundi, sed quamvis hæc possint ex opere operantis satis esse ad remissionem pœnarum restantium, tamen Indulgentia ista plenaria videtur tantùm obtineri in professione vel emissione votorum substantialium Religionis: sola enim hæc comparatur Baptismo, & Novitiatus est veluti status catechumenorum, uti cum aliis notat Less. *in Anct. v. Indulgent. cas. 2.* Et Nav. Sanch. Viva *de Jub. q. 4. a. 5.* Putant Indulgentiam Professionis Religionem, prout dicit remissionem pœnæ peccatis debitæ, ex opere operantis posse esse plenariam. Aliam etiam Indulgentiam lucrantur Regulares induentes habitum religiosum, uti dicetur *n.* 1389.

1357 *Q.* 187. *Quas Indulgentias speciales habeat Societas JESU?* Resp. §. 1. Accepi designationem impressam Romæ anno 1709. cum approbatione Magistri S. Palatii in hæc verba:

Indulgentiæ plenariæ in perpetuum concessæ omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis ac sacra Communione refectis, qui Ecclesias Societatis JESU, ubicunque fuerint, in diebus, & festis, infrà indicatis devotè visitaverint, & inibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint:

1. In die Circumcisionis Domini, 1. Januarii, concessit Paulus III. in Bulla 15. Kal. Nov. 1548. Confirmavit Gregorius XIII. in Bulla Nonis Maii 1578. Designatæ sunt Ecclesiæ domus professæ, aut ubi hæc non est, præcipui Collegii.

2. In festo S. Ignatii 31. Julii concessit Gregorius XV. in Brevi 8. Junii 1622.

3. In festo S. Francisci Xaverii concessit in eodem Brevi pro die 2. Decembris: sed Alex. VII. in Brevi 18. Julii 1663. transtulit cum festo in 3. Decembris. Si festum incidat in Dominicam 1. Adventus, officium & Missa cum Indulgentiis transfertur in diem Lunæ proximè sequentem ex indulto Inn. X. 27. Octob. 1651. quod confirmavit Clemens XI. 24. Nov. 1702.

4. In festo S. Francisci Borgiæ pro die 3. Oct. concessit Clemens X. in Brevi 3. Julii 1671. sed Indulgentiam cum festo transtulit in 10. Oct. Inn. XI. in Brevi 28. Aug. 1683.

5. In die invocationis cujuscunque Ecclesiæ Societatis, id est, tituli Ecclesiæ, concessit Paulus V. in Brevi 16. Sept. 1611.

6. Pro docentibus, discentibus & promoventibus doctrinam christianam concessit Greg. XV. in Brevi 27. Sept. 1622. Et S. Congreg. 22. Nov. 1678. declaravit non esse revocatas per quoddam decretum Inn. XI. 7. Martii 1678.

7. Pro omnibus, & singulis Christi fidelibus tam Societatis aut cujuscunque alterius Ordinis, & Congregationis regularibus, quàm aliis quibuslibet Ecclesiasticis, & laicis, qui in domibus ejusdem Societatis exercitia spiritualia per octidui spatium peregerint, concessit Alex. VII. in Brevi 13. Oct. 1657.

§. 2. Præter ista dixi *l. 1. n. 861.* & jam constat 1358 ex novo compendio *v. Indulgentia* §. 10. post visitationes concedi singulis de Collegio plenarias Indulgentias in prima Missa vel Communione. Deindo solent Provinciales petere à Generali facultatem impertiendi nostris privilegium liberandi animam è Purgatorio, in quocunque Missam legant, quod cuidam Provinciali modernus Generalis 14. Febr. 1705. dedit his verbis, *Tribuo Reverentiæ vestræ facultatem nostris impertiendi privilegium Fratrum Ministrantium infirmis, pro applicanda moribundis Indulgentia plenaria per imaginem Crucifixi, &c. ac liberandi animam è Purgatorio, quoties Missæ sacrificium ad eam intentionem applicaverint.* Hoc privilegium, si à Provinciali obtentum sit, adhuc viget. Plures adhuc Indulgentias habent cum omnibus Regularibus, secundùm dicenda *n.* 1389. Notatque Viva *in Append. ad tr. de Jubilæo*, si in templis nostris ante Venerabile recitemus sexies *Pater. Ave. Gloria Patri*, nos lucrari omnes Indulgentias, quæ tali die sunt & Romæ, & in illa urbe, ubi oramus.

§. 3. Quod Missionatios attinet, declaravit 1359 Urban. VIII. in Bulla, *Salvatoris 5.* Maii 1626. confirmata ab Alex. VII. in Brevi *Dudum* 20. Sept. 1656. quòd Regulares in missione habeant easdem Indulgentias, quas habent in partibus catholicorum, sic enim habet Alex. §. 17. *Quoad publicationem Indulgentiarum, poterunt Regulares & PP. Societatis illas publicare, quas Ordines & Societas habet, & hactenus habuit ubique terrarum, vel in partibus Germaniæ & Belgii in universum, edocto semel Vicario de facultatibus, neque Vicarius impediet vel interdicet.* Et idem conceditur in eadam Bulla circa confraternitates §. 18. *Quoad institutionem confraternitatum & sodalitatum, permittat Vicarius Regularibus & PP. Societatis illas, quæ à Sede Apostolica approbata & ab Ordinibus assignatæ sunt, ita tamen ut nemo adstringatur & teneatur ad particulares Confessarios vel ad Sacramenta ab illo Ordine solùm percipienda.* Hæc habet Verjuys *in Past. Mission. tr. 10 art. 1. & 2.*

§. 4. Quas indulgentias habeant sodalitates B. 1360 Virginis Annunciatæ in gymnasiis vel oratoriis nostris, videri potest apud Veron. *in Manuali sodalitatis c. 1. p. 2.* qui in fine dicti Manualis ad longum habet Bullam Greg. XIII. illas sodalitates instituentis & extendentis. Et eas Indulgentias, non obstante aliquo Decreto Innoc. XI. adhuc valere pro sodalitatibus aggregatis, docent Illf. & Viva *suprà* §. 4.

Q. 188. *Quid notandum sit circa Indulgentias,* 1361 *quæ in templis Societatis JESU esse solent in Dominica Agonia Christi, & in Dominica Communionis*

generalis sive Animarum ? Resp. seqq. §. 1. Interrogatus ex Rheno inferiori P. *Josephus*, *Photius*, qui ab initio fuerat præses sodalitatis Agoniæ, respondit Roma 2. Dec. 1690. 1. absentes impeditos posse lucrari indulgentias Agoniæ, si die designato alibi communicent. 2. Moniales, quæ egrediuntur, si hic & nunc per accidens impediantur, posse lucrari alibi, ut de aliis dictum est. 3. Si die designato impediti, aut etiam non impediti alio die Dominico ejusdem mensis communicat, & multò magis si Societas transferat Indulgentias in alium diem quàm nunc designatum, omnes posse lucrari, quia sodales ipsi eligere possunt diem Communionis, attamen Dominicum, si Dominicus sit nominatus in Brevi.

1362 Nihilominus ista responsa nobis visa semper sunt dubia, ideóque Anno 1709. iterum hæc proposuimus Romæ, ad quæ P. *Sestius* vir doctrina, & rebus gestis celebris, nunc A. R. P. Generalis monitor, respondit tam de indulgentiis Agoniæ quàm Animarum, 1. Absentes quantumvis impeditos, & alibi communicantes non lucrari, quia requiritur, ut fiat in templo nostro. 2. Id valere de quibuscumque etiam Monialibus reipsa non communicantibus in nostro templo. 3. Nec lucrari alio die non designato intra mensem communicantes, quia quamvis sit liberum ab initio hunc vel illum diem designare, prout Breve permittit, si tamen dies sit per nos semel designatus, ille determinatè, est retinendus, quia posita resignatione in eum cadit gratia per Breve collata, nec ampliùs mutari potest.

1363 §. 2. Quoad tertium de Communione in utrisque indulgentiis facienda in nostro, idem Roma respondet anno 1684. P. Ampringer, & conf. ex *Gob. in Quint. tr. 3. nu. 197.* idemque habetur in Resp. Rom. v. *Indulgentiæ Communionis generalis*, §. 6. ad Prov. Bohemiæ Anno 1643. Denique quando Coloniæ Communio generalis incidit in diem Paschæ, isto die petitur & obtineri solet à Vicario generali facultas distribuendi Communionem in nostro templo, quam non daret, si judicaretur transferri posse in aliam Dominicam.

1364 §. 3. Etiam quæsitum est, an dictas indulgentias Agoniæ vel Animarum lucrari possint in sacello domestico nostri, qui vel ob infirmitatem vel ob aliam legitimam causam non possunt Missam legere vel communicare in templo nostro; & Respondit *P. Sestius*, rem esse controversam, nam Quintanad. *in Comm. gener. append. tr. 1. dub. 6.* affirmat, quia sacellum videtur facere unum cum Ecclesia, tanquam accessorium cum principali, & tanquam membrum cum capite: addit tamen *n. 7.* securius esse fieri in templo aut in Capellis intra illud contentis: ideóque Romæ, ubi cubicula *S. Ignatii* in maxima veneratione sunt, obtentum est speciale Breve, ut ea visitantes lucrentur indulgentias templis nostris concessas. Itaque cùm agatur de valore, puto standum omnibus responsis *P. Sestii* tanquam tutioribus: idemquoad omnia judicavit major pars nostrorum in hoc Collegio Colonienſi.

1365 §. 4. Etiam interrogatus *P. Ampringer* Roma respondit anno 1684. seqq. 1. non debere necessariò pro festo principali ullius confraternitatis eligi diem Dominicum, sed esse ad libitum confratrum, nisi aliter expressatur in Brevi. 2. Nec pro 4. festis infra annum, pro quibus datur indulgentia 7. annorum, necesse esse eligi 4. Dominicas, sed posse eligi quæcunque festa, etiam non fori. 3 Non requiritur, ut Romam nuntietur dies, quam sodales vel societas elegerit, ordinarie tamen requiritur scientia, & consensus Ordinarii. 4. Indulgentiæ Societati concessæ pro confraternitate Agoniæ non possunt communicari aliis Ecclesiis, vel aliis quibusvis personis. §. Indulgentiæ animarum non possunt communcari. aliis Ecclesiis non nostris, nisi per nos in iisdem Ecclesiis habeantur dictæ Indulgentiæ, audiendo confessiones, dispensando Eucharistam, &c.

§. 5. Quamvis utraque Indulgentias Agoniæ & 1366 Animarum possit quis vel sibi vel Animæ applicare, non potest tamen eodem die bis orando septies *Pater & Ave* easdem & sibi & Animæ applicare, quia tantùm conceditur sub disjunctione, ut quis vel pro se vel pro Anima lucretur, non autem dicitur, ut pro se, & pro Anima, Quintanad. *dub. 12. n. 4.*

Q. 189. *An prudenter credi possit, quòd omnes* 1367 *illæ Indulgentiæ sint veræ, & authenticæ, quæ passim inveniuntur in variis libellis?* R. Negativè, uti patet ex decreto seq.

DECRETUM

De apocryphis Indulgentiis.

DElatæ sæpiùs fuere a dS. Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositam, indulgentiæ quædam confictæ & omnino falsæ, quæ per diversas orbis christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel apocryphæ vel à Romanis Pontificibus revocatæ vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriisset, quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minùs peritos fallunt, qui spe indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem S. Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati consulere plures illarum singulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.

Tales imprimis sunt illæ, uti asserunt, concessæ 1368 à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem charitatis JESU Christi Domini Nostri, *Precor te piissime Domine, &c.* Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgò dici solet, Campagnolæ, & S. Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero JESU Christi factæ S. Bernardo. Ab Innocentio III. Archiconfraternitati & Ordini Redemptionis. A Bonifacio IX. visitantibus capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo. A Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis. Ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dictæ Laghetti. A Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primùm in urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras Confratatres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus salutionem angelicam ad pulsum horologii, & imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est. A Pio IV. vel S. Pio V. Principi Senarum. A Clemente VIII. dicentibus orationem, *ô magnum Mysterium, &c.* & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impressæ, tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii 1606. A Paulo V. cantantibus hymnum. *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c.* vel si die Sabbati intererint, dum idem canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, Numismatibus, quæ medallas appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur: & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, *Sia lodato il Santissimo Sagramento*: *laus Sanctissimo Sacramento*: Ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentibus, *Ave filia Dei Patris*, *Ave Mater Dei filii*,

filii, *&c.* A Clemente X. recitantibus mane, meridie ac vespere consuetam Antiphonam, *Angelus Domini*, *&c.* & in fine *Deo gratias*, & *Mariæ*; ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri JESU Christi, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis sanctorum Sebastiani, & Rochi; & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani; Tales demum aliæ Crucesignatorum S. Eustorgii, Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt, & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Tondoni, die festo Inventionis SS. Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. Virginis, vel recitantibus officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, *ô Passio magna*, *&c.* in memoriam passionis JESU, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio sacrorum Riruum non probat) aut orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet, *Ave gratia plena*, *&c.* (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse, aut orationem, *Deus*, *qui nobis in S. Syndone*, *&c.* (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, *Ave Filia Dei*, *&c.* post Communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus SS. Eucharistiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, *Deus qui pro redemptione mundi*, *&c.* tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, *Sommario dell' Indulgenze concesse dalla santità di Nostro Signore Papa Leon X. all' Imagine della Concezione della Gloriosa Vergine Maria*: vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ: vel Barlettæ seu Barul à recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ: vel Parmæ à visitantibus per quadragesimæ dies Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci; vel Pistorii, & Vastallæ à recitantibus orationem, *Ave sanctissima Maria Mater Dei Regina cœli*, *&c.* Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ sive Stellario Conceptionis Virginis immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel granis, crucibus & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis JESU Christi Domini Nostri, vel imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ; & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctæ Brigittæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, uti asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus gradus tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

Omnes verò, & singulas jam dictas Indulgentias S. Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omninò præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideò tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris & legitimis, tacitéque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante 1669 Decretum Clementis VIII. latum die 9. Jan. 1597. Coronis, Rosariis, Granis seu Caleulis, Crucibus & Imaginibus sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit, *Romanus Pontifex*, &c. editum 23. Maii 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium, *Quæcunque*, &c. & 68. Pauli V. incipientem. *Quæ salubriter*, *&c.* habitas per aggregationem vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam JESU, Capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus aliisque personis vel persona, etiamsi earum vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius roboris esse & momenti pariter declarat.

Porrò summaria Indulgentiarum pro Congregationibus doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Ro 1370 manis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta, Sanctitas sua probavit & inviolatè servari jussit. Datum Romæ die 7. Mart. 1678. Die 12. Martii affixum & publicatum, &c.

Notandum tamen est, quod scribit *Viva* in appendice indulgent. §. 2. his verbis: Recitantibus vesperè ad pulsum campanæ, *Angelus Domini*. *Ecce Ancilla*. *Verbum caro*, *&c.* cum tribus *Ave*, Adrianus VI. plenariam indurgentiam largitus est, ut referunt communiter cum Pelliz. *t.* 10. *c.* 9. *n.* 40. Gob. Esc. Rodriq. Lezan. *pu.* 4. *tr.* 4. *R.* 24. Quæ autem ab Innoc. XI. declaratur apocrypha, est solùm indulgentia Clementis X. adscripta recitantibus mane vel meridie aut vesperè. *Angelus Domini*, cum *Deo gratias*, & *Mariæ*.

Q. 190. *An per idem opus obtineri possint plures* 1371 *Indulgentiæ*? Resp. §. 1. Negant. *Suar. Grat. Con.* & plures alii, quia ex mente Ecclesiæ, & praxi fidelium videntur singula opera pro singulis indulgentiis requiri, quæ sententia in praxi suadenda est. Attamen si tales indulgentiæ sint diversis viis concessæ, præter citatos à *Busemb.* oppositum tenent Bonac. Escob. Quintanadv. *dub.* 12. *nn.* 4. ac probabile reputant Henriq. Gob. Dian. *p.* 10. *t.* 16. *R.* 14. consentit Viva *q.* 8. *ar.* 1. si sermo sit de operibus, quæ eodem die iterari non possunt: hinc inferunt, si eodem die sint diversis templis diversæ indulgentiæ, præsertim si una sit applicabilis defunctis, altera vivis, per unicam confessionem & Communionem posse utrasque obtineri, orando in singulis templis preces præscriptas,

quia talis confessio & Communio tantum præsupponitur tanquam dispositio; unica autem dispositio moralis sufficit ad plures effectus morales, v. g. una actualis gratia, unus actus fidei, ad multos actus meritorios. Videndum tamen, in quo templo fortè fieri debeat Communio, secundùm dicta *n.* 1362.

1372 §. 2. Si hodie sit Indulgentia in templo A. cras in templo B. adhuc putant Busemb. Dicast. Burgh. *cent.* 2. *casu* 26. & alii sufficere confessionem hesternam, & Communionem hodiernam pro utrisque Indulgentiis hodie & cras lucrandis, testaturque *Dicast.* multos viros doctos in Hispania interrogatos ita sensisse. Idem dicunt *Turr. Dian. Escob. Comit.* licèt prima primo die mensis, secunda sexto lucranda esset, rationem dant, quia Bullæ non mathematicè sed moraliter volunt ista opera fieri tempore pro tali Indulgentia assignato, quod tum videtur esse, si non distet longius. Hinc Theologi Collegii Romani (uno excepto, qui contradicit) interrogati ab hac Provincia putarunt ad lucrandas Indulgentias festo Circumcisionis sufficere, quòd quis in festo Nativitatis Christi confessus communicarit, referendo etiam ad Indulgentias Circumcisionis. Rationem dant, quia verba, *qui verè pœnitentes, confessi & communicati* in Bullis Pauli III. & Gregor. XIII. injunguntur cum verbo, *visitaverint*, & non cum festo Circumcisionis, ipsi autem octiduo ante confessi & communicati ex intentione hujus Indulgentiæ, hodie festo Circumcisionis visitant templum & in eo orant, ergo adimplent verba concessionis. Addunt non obstare, quòd interim fortè inciderint in mortale, dummodò de hoc ante visitationem templi & orationem conterantur. Hæc illi, an probabiliter, judicent alii.

1373 §. 3. Easdem Indulgentias non potest quis sibi lucrari & simul alteri applicare, uti dictum *n.* 1366.

1374 *Q.* 191. *An Indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sapius obtineri, si repètantur opera injuncta?* Resp. §. 1. *Busemb.* cum aliis dicit probabilius esse, quòd non, & Fill. *t.* 8. *c.* 10. *n.* 278. dicit sic declarasse Clementem VIII. etiam de Jubilæo anni sancti: Et *n.* 765. dicit idem respondisse S. Congregationem. His tamen non obstantibus multi, cum Gob. *de Jubilæo cap.* 20. *q.* 57. *& cap.* 14. *qu.* 40. & Viva *q.* 6. *art. ult.* Item alii apud Belleg. *p.* 6. *s.* 2. *quæst.* 7. adhuc tenent contrarium, nisi in Bulla aliud exprimatur: quod adhuc plures dicunt, si in tua patria lucreris & posteà alibi peregrinus. Sæpè tamen Papa tollit potestatem bis lucrandi, uti apud nos in diebus anticineralibus. Hoc est probabile, si concessa sit Indulgentia ad augendam devotionem populi, vel ob concursum ejus per totam aliquam octavam, vel ob diuturniorem celebritatem festi alicujus Sancti, tum singulis diebus posse de novo à præstantibus requisita talem Indulgentiam obtineri, uti quibusdam locis conceditur illis, qui intersunt Officiis divinis in festo, & per octavam Venerabilis Sacramenti.

1375 §. 2. Si dicatur, quòd festo Patroni vel Titularis sint Indulgentiæ in aliquo templo, si duo Sancti, qui diversis diebus celebrantur, sint æquè principaliter Patroni vel Titulares, probabiliter utroque die habetur Indulgentia, uti dixi *l.* 4. *à n.* 1262.

1376 *Q.* 192. *Si festum transferatur, an simul transferantur Indulgentiæ?* R. Negant Az. Fagund. Portel. *in q. Regul. v. Festi dies*, & alii, quia sunt affixæ illi dici, quo ordinariè est festum. E contrà affirmant alii cum Diana *p.* 6. *tr.* 7. *&* 8. *R.* 31. dummodò festum transferatur in choro & foro. Gob. *in Quint. tr.* 4. *nu.* 327. dicit satis esse, si transferatur etiam in choro tantùm, salvem de primariis festis Religiosorum, quia ratio manet eadem, scilicet ut à populo solemnius & majori frequentia celebretur festum, Sylv. *p.* 1. *v. Indulgentia casu* 2. tenet cum Az. si in Brevi tantùm, quòd concedatur Indulgentia in die obitus vel depositionis Sancti, aut die certa mensis, uti in Portiuncula dicitur die 2. Aug. Si autem concedatur visitantibus Ecclesiam in festo talis Sancti dicit transferri, & quando habetur festum, tum esse Indulgentias. Quidquid sit de his sententiis; quæ probabiles sunt, certum est ex dictis *num.* 1357. si apud nos transferatur festum Sancti *Xaverii* ex speciali privilegio etiam transferri Indulgentias. Similiter Sixtus V. uti refert Gob. *num.* 336. concedit Indulgentis Sodalitatum transferri cum festo Annunciationis: Unde cùm hoc dicatur esse speciale *privilegium*, vel *concessionem*, probabilius videtur alias Indulgentias non transferri, sed lucrandas die impedito, à quo festum excluditur: *Nec obstat*, quòd Greg. XIII. pro festo *S. Francisci de Paula* dicat, *declaramus, nam* non dicit tantùm declaramus, sed *volumus, & declaramus*, sicque declarat ex voluntate sua id esse.

Q. 193. *Quid notandum sit circa Brevia vel* 1377
Bullas, quibus Romæ conceduntur Indulgentiæ? R. seq.
§. 1. Si Romæ 1. Januarii hoc anno 1711. fuerit subsignata Indulgentia duratura ad septennium, hoc septennium incipit currere à die datæ Brevis Romæ secundùm declarationem *nu.* 525. relatam. An autem concessiones Indulgentiarum sint latè interpretandæ, dicetur *n.* 1395.

§. 2. Si Indulgentia plenaria concessa sit, v. g. 1378
ad 7. annos, non debet numerari annus Jubilæi, nisi additum esset, *ad 7. annos proximos*, Gob. *De Jubilæo nu.* 56. *& de Indulgent. nu.* 663. Belleg. *p.* 2. *s.* 4. *q.* 6. & idem fortè est, si dicatur *ad septennium proximum*: si autem dicatur simpliciter *ad septennium*, Gob. & Viva *qu.* 4. *ar.* 5. contra *Pasq.* putant durare ad septem annos utiles.

§. 3. Si addatur, *Volumus autem, ut si alia In-* 1379
dulgentia in dicta Ecclesia perpetuò vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa sit, præsentes sint nullæ, Sylv. & Dian. *p.* 10. *tr.* 16. *R.* 11. putarunt ex declaratione Urb. VIII. sensum esse, ut Indulgentiæ concessæ nullæ, sint si eodem die aliæ Indulgentiæ concurrerent: Imò Urb. aliquando in suis Brevibus posuit, si quocumque etiam alio die anni durarent aliæ etiam dissimiles à se concessæ, ut hæc non valerent: sed *Gav. Lez. Gob.* dicunt hunc sensum esse, si eodem die aliæ Indulgentiæ concurrant: Alii putant hoc jam addi tantùm ex stylo Curiæ secundùm antiquas formulas rescribendi; sed difficultatem facit decretum sequens.

DECRETUM INNOC. XI.

CUm à S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita Cameracensis Archiepiscopus quæsivisset, quæ vis & sententia clausulæ (quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet) *Volumus autem, ut si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitanti aliqua alia Indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint*; S. Congregatio re diligentiùs examinata, Clausulam sic explicandam censuit, si videbitur sanctissimo Domino Nostro. Ea minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis, qui Christiana doctrina erudiuntur vel alios erudiunt, & qui sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque

stationum

stationum Urbis & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterùm, si alia indulgentia sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Christi fidelibus Ecclesiam vel aliquod ejus Altare seu Capellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Datum die 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum die 18. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit. Affixum & publicatú, &c.

Dicta tamen clausula non obstat, si peratur & detur prorogatio ante elapsum prius septennium, quia intelligitur non debere esse alias Indulgentias, quando tempus prorogationis incipiat post elapsum septenniũ.

1380 §. 4. Per indulgentiam, quæ datur his verbis, *In forma Jubilæi*, intelligitur indulgentia plenissima. Per hoc tamen non datur potestas eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, aut dispenset in votis, præsertim cùm nequidem Jubilæis certa ejusmodi potestas sit alligata, sed quavis vice designari soleat, quæ & qualis sit, *Suar. Nav. Less. in Auct. v. Indulgentia casu 3.* Viva *de Jubilæo q. 1. ar. 1.* contra *Henriq. Rodriq. Vegam, Fill. Pasq. Escob. Boss.* qui putant per hoc concedi omnes favores Jubilæi, sed *Gob.* meritò dicit hoc non esse tutum in praxi.

1381 §. 5. Quando conceditur Indulgentia, v. g. 100. dierum, communior sententia est cum *Bellarm. Suar.* & aliis sic intelligi, quòd tum remittatur tam multum pœnæ alioquin persolvendæ in Purgatorio, quantum remitteretur per pœnitentiam 100. dierum persolutam secundùm rigorem Canonum, præscindendo à devotione extraordinaria & fervore charitatis. Per Carenam autem intelligitur pœnitentia 40. dierum in pane & aqua, sic enim vocatur à carentia omnium aliorum ciborum. Per Quadragenam intelligitur pœnitentia 40. diebus continuis agenda in ordinario jejunio vel alia afflictione corporis. Per Septenam intelligitur pœnitentia 7. annorum. Atque ex his explicatur cum Rayn. *in Heter. to. 15. p. 2. s. 3. pu. 5. n. 28.* quod odo aliquando concedatur Indulgentia, v. g. 20000. annorum, tam diu enim non durabit Purgatorium, sed sensus est remitti pœnam, quanta remitteretur, si per tot annos impleta esset pœnitentia secundùm antiquos canones: tantam autem potuerunt promereri aliqui peccatores, qui innumera mortalia commiserunt, supposito quòd singulis, v. g. 7. anni pœnitentiæ respondeant.

1382 *Q.* 194. *Quandonam cessent Indulgentiæ?* R. §. 1. Cessant imprimis per revocationem, quam probabilius est contra Suar. *d. 57. s. 2. n. 10.* debere esse exteriùs manifestatam, revocari autem possunt ab eo, qui concessit, à successore, à superiore illius: & quidem validè etiam sine causa. Attamen si fiat revocatio Romæ, priùs non habet effectum in partibus, quàm innotuerit, Suar. *nu. 9.* Deinde si limitato tempore aut sub aliqua conditione fuerint concessæ, tempore elapso aut conditione deficiente, cessant.

1383 §. 2. Affixæ loco vel rei desinunt, si locus vel res destruatur. Quòd si v. g. Ecclesia paulatim destruatur & reædificetur, non cessant, cum sit eadem Ecclesia, quæ etiam non indiget nova consecratione. Si simul destruatur & in loco reædificetur: aliqui Canonistæ, Rhod. Burgh *cent. 2. cas. 49.* Dian. *p. 11. t. 8. R. 9.* putant priores Indulgentias transferri in novam Ecclesiam, quia censetur moraliter eadẽ cum priore. E contrà *Lugo* meritò dubitat, cùm enim Ecclesia nova egeat nova consecratione, non videtur censeri eadem cum priori. Si indulgentia fuerit Rosario vel grano applicata, & hoc perdatur, probabilius est contra *Rhod.* perdi indulgentiam, nec posse rem aliam substitui.

§. 3. Quamvis causa concessæ indulgentiæ, desie- 1384
rit, non ideò cessat indulgentia, dummodò causa à principio fuerit proportionata, nam sæpè propter causam temporalem conceditur indulgentia perpetua, Suar. *n. 14.* Castrop. *t. 24. pun. 11.*

§. 4. Si Crux frangatur, cui indulgentiæ erant 1385
applicatæ, Burgh. suprà & Gob. *de Indulg. nu. 320.* putant, si crux ab aurifabro redintegretur, manere indulgentias, quia censetur eadem moraliter crux, sed probabilius videtur non manere, nam posita fractura non erat amplius eadem moraliter crux, ergo cessarunt indulgentiæ, ergo licèt crux redintegretur, non redeunt indulgentiæ, cum nulla sit nova causa, quæ reducat. Quod valet secundùm Pelliz apud Dia. *p. 10. t. 16. R. 9.* Si indulgentiæ affixæ erant Cruci Caravacensi, & frangatur una pars transversa, tum enim desiit forma crucis Caravacensis.

§. 5. Non pereunt indulgentiæ morte concedentis, 1386
quia sunt beneficium Principis, quod decet esse mansurum; idque tenet non tantùm in Pontificiis sed etiam in Episcopalibus & à Legato pontificio concessis, Suar. *n. 4.* Gonz. *ad Reg. 10. Cancell gl. 12.* Nec cessant renuntiatione, quia licèt quis possit non velle lucrari, tamen non potest à se rejicere potentiam lucrandi, quia hæc provenit à libera alterius voluntate, qua durante manet semper in potestate ejus, cui confertur indulgentia, mutare suam voluntatem & illam lucrari, Suar. *n. 13.*

Q. 195. *An Indulgentiæ Regularium revocatæ* à 1387
Paulo V. *sint revalidatæ?* R. §. 1. Non sunt revalidatæ, nam Alex. VII. damnavit hanc 37. prop. *Indulgentiæ concessæ Regularibus & revocatæ* à Paulo V. *hodie sunt revalidatæ.*

§. 2. Cùm Regulares dicerent plurimas sibi con- 1388
cessas indulgentias, quarum tamen aliquę incertę erant, Paulus V. die 23. Maii 1606. revocavit omnes indulgentias usque ad illam diem concessas quibusvis Religiosis & Monialibus: docuerunt autem aliqui hanc revocationem esse sublatam ab ipsomet Paulo vel alio successore, sed Alex. declarat oppositum, ideóque omnes indulgentię ante Bullam Pauli concessæ Regularibus manent revocatæ. Si tamen concessæ fuerint omnibus fidelibus, aut parentibus vel amicis Regularium, non sunt revocatæ, quia non fuerunt concessæ præcisè Regularibus.

§. 3. Loco revocatarum dedit Paulus V. omni- 1389
bus Regularibus, 1. plenariam in susceptione habitus Regularis. In professione. In primario festo sui Ordinis. In mortis articulo Dum primam Missam celebrant vel ei intersunt Facientibus exercitia spiritualia per 10. vel 8. dies. In his tamen omnibus semper simul fieri debet Confessio & Communio. 2. Indulgentias Stationum Romæ iis, qui proprium templum visitarint & ibi orarint: itemque multas alias, quæ videri possunt in Bulla Pauli V. *Romanus Pont.* quæ est 21. Et in *Comp. novo privil. Societ. v. Indulgentia §. 33.* Item apud Viva *in Appendice ad tr. de Jubileo.*

Q. 619 *An Indulg. vivæ vocis oraculo concessæ sint* 1390
revocatæ? R. De privilegis vivæ vocis oraculo concessis egi *q. 1. à n. 850.* ubi *n. 861. insinuavi* etiam indulgentias videri revocatas: sed *ex dictis hic n. 526.* constat valdè probabile esse, *non esse* revocatas.

1391 §. *II. Quotuplex Indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo.*

RESP. 1. Indulgentia alia est totalis sive plena, „
plenior, plenaria, pleniſſima, quæ non tan- „
tùm

„ tùm pœnitentiam injunctam per Confessarium „ vel Canones, aut secundùm hos injungi debitam, „ sed etiam omnem Purgatorii pœnam tollit. Nec „ differt à Jubilæo, nisi accidentaliter, privilegiis „ quibusdam, ut quòd in Jubilæo licita sit dispen- „ satio in certis votis, absolutio à reservatis & cen- „ suris, & quòd Confessarius quivis approbatus pos- „ sit eligi. v. Sà *v. Indulg.* Bon. *d. 6. q. 1. p. 2.*

„ II. Indulgentia alia est Partialis, qualis est unius „ vel aliquot annorum; item septenæ, quadragenæ, „ carenæ; item tertiæ partis peccatorum: per quas „ non significatur tolli tantam durationem Purgato- „ rii, sed tantam pœnam remitti quanta deleretur „ per jejunium unius aut aliquot annorum aut qua- „ draginta dierum in pane & aqua secundùm Ca- „ nones olim imponi solitum. Porrò quando Indul- „ gentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remis- „ sio tertiæ partis peccatorum, id secundùm diversas „ sententias, vel ad diversos concedentes referen- „ dum est, vel facit ad cautelam, ut si fortè causa „ Indulgentiæ non fuerit sufficiens, saltem valeat ad „ illos annos lucrandos, vel ut adjuncta concedatur „ pro alio tempore, actione & loco: vel denique, „ ut ea per modum suffragii possit aliis applicari. V. „ Bellarm. *c. 9.*

„ Resp. II. Circa Jubilæum notanda sequentia.

„ I. Anno Jubilæo in Urbe durante suspendi solent „ tantisper extra Urbem omnes indulgentiæ plena- „ riæ, quoad vivos, etiam in carceribus, (non ta- „ men in periculo mortis constitutos, ut contra Laym. „ *l. 5. t. 7. c. 8.* docet Bon. *d. 6. p. 1. n. 2.* ex declara- „ tione Urbani VIII. facta anno 1625. neque quo- „ ad defunctos) itemque aliæ facultates, v.g. absol- „ vendi à casibus Bullæ Cœnæ, commutandi voti, „ dispensandi, &c. concessæ in ordine ad lucrandas „ plenarias Indulgentias. Non suspenduntur autem „ indulgentiæ personis particularibus, aut ab alio, „ quàm Papa concessæ, nec privilegia Religiosorum, „ v.g. absolvendi à reservatis, &c. quia tantùm sus- „ penduntur facultates concessæ in ordine ad indul- „ gentias. Ita Sanch. Henriq. &c. apud Dian. *tom. 1. tr. de Bulla Cruc.* Fill. Bon. *loc. cit.* Benzon. & de- „ nique Lug. *d. 20. n. 145.* ex declaratione Urbani „ VIII. anno 1625. Similiter neque suspenditur fa- „ cultas concessa Episcopis per Trid. *sess. 24. c. 6.* ab- „ solvendi & dispensandi cum suis subditis, in om- „ nibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis; item nec „ dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis „ Matrimonii, aut petendi debitum, &c. quæ ex „ jure communi illis competunt, *Zerola v. Annus „ Sanct.* §. Quint. *in append. tract. 8. d. 16.*

„ II. Etsi probabile sit, quod docet *Nav.* sæpiùs „ lucrifieri posse indulgentias intra Jubilæum, exten- „ sum ad duas septimanas; contrarium tamen verius „ est, quod *Congregat. Cardin.* declaravit, ut habet „ *Bon.* (ex *Suar. Sanch.*) *d. 6. q. 1. p. 5. n. 32.* Qui „ tamen affirmant in anno sancto posse obtineri to- „ ties, quoties opera præscripta præstantur, idque „ ex declaratione Urbani VIII.

„ III. Satisfacere tunc, 1. Qui Sabbato ante pri- „ mam Dominicam confitetur, ut habet *Laym. Bon.* „ & praxis fidelium. Item qui confitetur & commu- „ nicat ultima Dominica, claudente Jubilæum. Cæ- „ tera tamen opera deberi fieri ante, & quidem intra „ unam hebdomadam docet *Lug. d. 27. n. 105.* contra „ *Bon. p. 5. 2.* Qui ordinem inter opera præscripta „ non servavit. 3. Si quis intra illud tempus cæperit „ confessionem, quam materialiter imperfectam „ oporteat differri longiùs, potest tunc absolvi à re- „ servatis, & commutari vota: posteà verò extra „ tempus Jubilæi absolvi ab omnibus, etiam quæ „ oblitus est, reservatis, ac in oblitis etiam dis- „ pensari: imò potest posteà omnia facere Con- „ fessarius finita confessione, quæ ante, quia cœ- „ pta causa manet potestas delegati, donec finia- „ tur. Ita Sà, Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 16.* Bon. „ Laym. Sanch. *lib. 4. cap. 54.* Dian. *p. 2. t. 2. misc. „ R. 11.* „

„ IV. Qui neglexit lucrari Jubilæum in patria, „ potest alibi, dum ibi durat, lucrari, Sanch. Ugol. „ Dian. *p. 3. tr. 4. R. 151.* Imò etiam in patria, si „ tempore publicationis ex invincibili ignorantia „ notitiam illius non habent, Botten. Dian. *l. c.* „

„ V. Quando duobus diebus immediatis occur- „ runt duo Jubilæa, quorum singula confessionem „ & Communionem requirunt non opus est bis „ confiteri & communicare, dummodò perseveres „ in gratia: alia tamen opera repetenda sunt. Tur. „ *p. 2. d. 32. d. 64.* Vid. Dian. *p. 4. t. 4. R. 166.* „

ADDENDA.

Quæst. 197. *Quid præterea in genere notandum sit circa Jubilæum & Bullas, quibus conceditur?* R. seq. §. 1. Vox *Jubilæum* non dicitur à latino *Jubilum*, sed ab hebræo *Jobel*, quod secundùm aliquos significat quinquagesimum, secundùm alios sonitum buccinæ, quo indicebatur quinquagesimus annus, Levit. 25. 27. Numer. *ult.* Alii cum *Bellarm. de Indul. l. 1. c. 1.* deducunt ab hebræo *Jubal* vel *Jobal*, quod significat germinare, quia anno 50. non colebatur terra, sed vescebantur sponte germinantibus, Belleg. *in Enchir. de Jubilæo, p. 1. s. 1. q. 1.* 1392

§. 2. Jubilæum est Indulgentia plenaria à Papa concessa visitantibus aliquas Ecclesias ac alia certa opera facientibus, cum extraordinariis facultatibus circa absolutionem à peccatis & censuris reservatis, ac circa commutationem votorum. Et cùm tantæ gratiæ concedantur, putat Belleg. *q. 3. s. 2. q. 10.* vix abesse veniale, si quis ex remissione animi vel negligentia non conetur Jubilæum lucrari. 1393

§. 3. Jubilæum aliud est universale, quod toti Ecclesiæ: aliud particulare, quod alicui tantùm Ecclesiæ conceditur. Universale est vel ordinarium anni sancti, quod in primis sæculis omni anno centesimo celebrabatur: per Clementem VI. omni quinquagesimo: per Urb. VI. omni trigesimo tertio: per Paulum II. omni 25. Vel est extraordinarium, quod extra annum sanctum concedi solet ex variis causis. 1394

§. 4. Bullæ Jubilæi, qua parte continent favorē, sunt latissimè interpretandæ, quantùm patitur proprietas verborum & usus Curiæ: qua parte continent gravamen, strictè intelliguntur. Quoad concessionem indulgentiæ, electionem Confessarii, absolutionem, commutationem operum vel votorum, &c. sunt favores. Quoad obligationem ad certa opera, suspensionem indulgentiarum, facultatum, &c. sunt gravamina, Belleg. *p. 1. s. 1. q. 6.* Universim rectè dicit Viva *de Jub. q. 2.* cum communi, non tantùm potestatem concedendi sed etiam concessionem indulgentiarum aut Jubilæi esse latè interpretandam. 1395

§. 5. Gratia Jubilæi non expirat per mortem Papæ, qui concessit, dummodò causa perseveret: quæ tamen non perseverat, si præcisè fuit, ut hic Papa obtineret gratiam bene regendi. Attamen probabile est etiam in hoc casu valituras absolutiones & commutationes votorum intra tempus quo ignoratur mors, quia ubi est error publicus cum aliquo titulo, Ecclesia confert jurisdictionem, uti dixi *l. 6. p. 1. à n. 112.* Addunt Bossi. Pasq. Viva *art. 3. n. 10.* quando Papa dicit, *ut impetretur gratia ad bene regendam Ecclesiam*, esse sensum, ut Ecclesia bene regatur, non ut ipse præcisè Papa bene regat, adeóque etiam mortuo isto Papa manebit causa finalis. 1396

§. 6. Jubi

1397 §. 6. Jubilæum extraordinarium durat per dies 15. id est, per 3. Dominicas & 12. dies feriales. Possunt tamen Ordinarii inchoare quocunque die septimanæ. Et quamvis *Pax - Jord.* cum communiore dicat debere pro eodem die promulgari per talem diœcesin, eò quòd Papa jubeat statim publicari, tamen *Pellizz.* & alii putant posse ex rationabili causa prius in urbibus, posteà in pagis, aut etiam posteà pro Monialibus, ut omnes possint habere extraordinarios Confessarios.

1398 *Q.* 198. *Quid notandum sit circa Jubilæum anni sancti?* Resp. seqq. §. 1. Hoc Jubilæum Romæ conceditur, & futurum esse, promulgatur die Ascensionis Domini, incipit autem à primis vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi usque sequentes primas vesperas vigiliæ ejusdem festi; mos enim est Ecclesiæ Romanæ annum computare à Christo nato. Solemnitas additur, quòd porta aperiatur ante, sed claudatur post vesperas. Videri potest *Viva de Jub. q. 1. art. 2. ubi q. 3. art. 3.* docent contra *Gob. Lug. Dian.* & alios per Jubilæum anni S. concedi etiam alios favores, præter Indulgentias plenarias.

1399 §. 2. Ex hoc, quòd in anno sancto Papa omnes invitet Romam, non ideò licitum est omnibus ire contra voluntatem Superiorum, nec uxoribus absque consensu virorum, nec filiis sub patria potestate constitutis, multò minus filiabus sine voluntate parentum: nec Beneficiatis obligatis ad residendum sine facultate Episcopi. Belleg. *p. 2. s. 1. q. 4.*

1400 §. 3. Ad hoc Jubilæum requiri solet confessio, non tamen Communio, sed visitatio certarum Ecclesiarum, & quidem ab inquilinis Romanis per 30. dies continuos vel discontinuos; à peregrinis per 15. putatque Belleg. *s. 3. q. 3.* toties obtineri posse hoc Jubilæum, quoties repetuntur opera.

1401 §. 4. Durante anno S. suspenduntur Indulgentiæ omnes pro vivis, etiam affixæ granis, numismatibus, quinque SS. &c. Non tamen Laureti; & secundùm *Gob.* etiam non B. Virginis Einsilensis. Nec Compostellæ, uti habet Castrop. *tr. 24. p 12. §. 1.* Nec Portiunculæ Assisii: suspenditur tamen Indulgentia Portiunculæ alibi per orbem, Viva *q. 4. art. 1.* Putant etiam Sanch. & alii cum Viva *art. 2.* non suspendi Indulgentias Bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contractus. Nec moribundorum, uti habent Gav. Lezan. Dian. Viva *art. 4.* contra *Laym. Tann. Castrop.* & declararunt Urb. VIII. Innoc. X. Clemens X. qui cùm dicat *Declaramus*, valet hoc etiam pro futuro tempore. Nec tantùm hoc est de articulo mortis vero, sed etiam probabili & prudenter præsumpto, licèt mors non sequatur. Putantque probabiliùs *Fill. Lez. Castrop. Dicast. Quintan. Gob. Viva* contra *Tann.* non suspendi nisi plenarias, concessas à Papis, adeóque manere non plenarias: estque certum manere concessas ab aliis quàm à Papis, qui alii etiam durante anno S. concedere potuerunt. Viva *art. 1.* quia tantùm dicunt revocari suas, Belleg. *s. 4. q. 2.* Quamvis autem indulgentiæ immediatè pro defunctis concessæ maneant, tamen concessæ immediatè pro vivis & applicabiles defunctis, quales sunt Agoniæ & Animarum, seu Communionis generalis, revocantur, uti declaravit Clemens X. apud Viva *q. ult. art. 2.*

1402 §. 5. Cùm prohibitum sit durante anno sancto, non tantùm promulgare publicè vel privatim, sed etiam inducere fideles ad lucrandas indulgentias suspensas, uti certum est apud Belleg. *qu. 7.* dubitatum est, si tum in Dominica Animarum exponantur tabulæ referentes Purgatorium, quales aliàs exponuntur ista die, an hoc sit inducere ad lucrandas indulgentias? Negarunt aliqui Doctores hic Coloniæ, putantes tantùm esse signum, quòd optemus, ut populus ista die pro Animabus oret. Nihilominus cum aliis putavi hoc esse inducere, nam sicuti ad hoc, ut dicat alterum per scandalum inducere ad peccatum, sufficit quòd hic & nunc aliquid ponam, quod per se natum est inducere alterum ad peccatum, licèt peccatum non intendam, ita & hic, nam in his circumstantiis exponere ejusmodi tabulam est ponere aliquid per se inductivum ad indicium, quòd obtineri possint indulgentiæ, præsertim cùm multi adhuc sint in persuasione, quamvis falsa, quòd hæ indulgentiæ, in quantùm sunt pro defunctis, permaneant. Deinde tabulæ illæ nunquam sunt solitæ exponi, nisi ad hoc ipsum significandum, ergo sicuti qui post aumnum exponit hederam, hoc ipso inducit ad indicium novi vini venialis, ita qui hìc exponit illas tabulas: propterèa anno 1700. ex voluntate Superiorum non est Coloniæ exposita ista tabula, imò nec Venerabile, quod aliàs semper fiebat.

§. 6. Facultates absolvendi, &c. concessæ ad 1403
alium finem quàm lucrandi indulgentias, non suspenduntur, uti declararunt plures Pontifices & tradunt Authores cum *Belleg. q. 4.* & Viva *art. ult.* quamvis enim verba videantur derogare facultatibus ex quacumque causa concessis, tamen præsumi debet eandem semper esse mentem sequentium Pontificum, nisi constet de oppositio. Hinc non suspenduntur facultates, quas habent Episcopi & Regulares ex vi suorum Officiorum, indultorum, privilegiorum, si enim intelligeretur, prout verba sonant, revocatio omnium facultatum absolutè, etiam revocaretur facultas absolvendi à non reservatis, quod nemo dicit; ubi è contrà si facultas absolvendi etiam à non reservatis concessa esset ratione aliquarum indulgentiarum, hæc suspenderetur.

§. 7. Hæc suspensio indulgentiarum & facultatum incipit à primis vesperis Nativitatis Christi & desinit cum fine vesperarum ejusdem vigiliæ, tumque reviviscunt absque nova concessione; *Castrop.* supra. Similiter concessæ ad certos annos pergunt currere, secundùm dicta num. 1378. Si tamen Bulla haberet, uti aliquando habuit *Usque ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, putant *Navar. Zerol. Rodriq. Tann. Gob.* non revaleseere elapso anno S. adeóque opus esse nova concessione, sed *Castr. & Quint. dub. 18.* dicunt illud Papa & Sedis Apostolicæ beneplacitum non extendere se ultra annum S. 1404

§. 8. Post absolutum Romæ annum S. solet Papa 1405
concedere Jubilæum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam, si Episcopi vel Nuntii Apostolici requirant: & exemplaria refert *Gob. de Jubil. num. 412.* Possuntque hoc in partibus iterum lucrari, qui Romæ lucrati sunt, *Belleg. s. 5. q. 7.*

Q. 199. *An per Indulgentias plenarias, quæ* 1406
ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolutè omnes pœnæ temporales peccatis remissis debitæ? R. Negant *Caj.* & alii, quia usus indulgentiarum maximè introductus est propter gravissimas pœnitentias peccatis injunctas juxta canones, & loco talis pœnitentiæ implendæ conceditur indulgentia, ergo per indulgentias non remittuntur nisi pœnæ talibus pœnitentiis canonum respondentes. E contrà Suar. Amicus *tr. 8. d. 20. s. 3.* Viva *s. 5. n. 1.* dicunt indulgentias etiam extendi ad alias pœnas fortè restantes quamvis pœnitentiis injunctis non respondeant: Papa enim potest etiam has remittere, ergo quando in concessione non limitat, censendus est velle, ut remittantur; Lugo *disp. 27. à n. 8.* probabiliùs distinguit, & affirmat tum remitti tantùm pœnam pœnitentiis injunctis correspondentem, quando in concessione additur, *Ex pœnitentiis injunctis*, tum enim mens Papæ videtur restringi. Si autem hoc non addatur, censet remitti omnes pœnas, cùm

enim Papa non restringat, non est, cur nos restringamus. Ut tamen omnes planè pœnæ remittantur, necesse est, imprimis non retineri affectum ad ullum veniale, nam pœna non dimittitur, nisi dimissa culpa: deinde debent planè fieri omnia præscripta.

1407 *Q.* 200. *Quid præterea sit notandum circa requisita pro lucrandis Indulgentiis vel Jubilæo.* R. seq. §. 1. Ad indulgentias ordinarias requiritur, confessio, Communio & oratio. Ad Jubilæum præter ista requiritur jejunium, processio aut visitatio templorum & eleemosyna, de quibus omnibus postea ordine aliquid addam. Nec Ordinarii possunt plura vel alia requirere, quàm requirat Papa, Belleg. *p.3.s.2.q.10.* Inchoari tamen non potest executio operum, nisi post designationem temporis ab Ordinariis locorum faciendam, Viva *q.8. art.2.* Et perinde est, quo ordine præstentur ea opera: possuntque præstari extra locum promulgati Jubilæi, dummodò templa designata visitentur, uti dicetur *à n.* 1434. Estque probabilius cum S. Th. Suar. Fill. Boss. Viva *q. 5. art. 5.* melius dispositum aut intensius præstantem opera non ideò accipere majorem fructum, hic enim non respondet dispositioni nostræ, sed voluntati concedentis.

1408 §. 2. Si quid modicum negligatur ex operibus præscriptis, docent Busemb. Dian. *p.5.t. 5. R 7.* dari parvitatem materiæ, quæ non impediat effectum indulgentiæ: putat tamen Belleg. *p.1.s.3. q. 6.* si ex 5. *Pater* orandis omitteretur unum, fore partem notabilem. Idem dicit Viva *q.8. art. 5.* si ex 30. visitationibus Ecclesiarum, quæ fieri debent in anno S. omitteretur una.

1409 §.3. Putant Henriq. Sanctar. Sanch. Lugo, Viva *art. 2.* & alii omnia opera fieri debere in una septimana, sed Nav. Bon. Laym. Præpos. Dian. Castr. P. March. Belleg. *p. 3.s.3. q.3.* dicunt, quamvis jejunia omnia in una septimana fieri debeant, tamen opus non esse, ut reliqua opera, quia Romanis, inquit *Castrop* permittitur, ut jejunent in ea habdomada, qua Ecclesias visitant, vel in sequenti, & ut Communionē in sequentem Dominicam vel in aliquem diem ex duabus habdomadibus differant, ergo idem possunt alii. Prior sententia meritò sequenda est, quia tutior.

1410 §.4. Quamvis *n.*1307. dixerim ad satisfaciendum pro se vel alio opere operantis, requiri, ut opus fiat in statu gratiæ, tamen ad lucrandas indulgentias, per quas ex opere operato obtinetur remissio pœnarum, communis sententia est, sufficere, si ultimum opus, & quando hoc est aliquid successivum, si ultima ejus pars fiat in gratia, quod confirmat praxis fidelium, qui præcipua præmittunt confessioni, & se omnia bene egisse credunt, si postea priùs doleant de peccatis, confiteantur & communicent. Excipiunt Bellarm. & Belleg *p.1.s.3.q.3.* nisi opera præcipiantur ad placandum Deum, vel ad impetrandum: vim enim illam non haberent facta in mortali: sed exceptionem rejicit Viva *q. 6. art. 2.* nam etiam tum disponunt ad placandum Deum, & vim habent merendi de congruo. Addit ex *S. Thom. Præp. Trull. Regin.* si pro defunctis sint indulgentiæ, non obstare, quòd in mortali fiant omnia opera, quia non his sed meritis Christi respondet ratio satisfactionis, & ita etiam domino prodest eleemosyna, quam dat servus peccator.

1411 §. 5. Si opus, etiam ultimum, vitietur ex circumstantia venialiter mala, uti si ponatur simul ex vana gloria, probabilius est adhuc obtineri Indulgentiam, quamvis enim non placeat Deo, prout fit ex malo fine, tamen est hoc, quod tanquam conditio præscribitur, & factum, quia præscribitur, sic de se bonum est ac placens Deo, Castropal. *tr. 24. p. 9.* Belleg. *q. 4.* contra *Con.*

§.6. Si ultimum opus expletum sit in mortali, 1412 probabilius est non reviviscere Indulgentiam remoto peccato, quia licèt absolutè sic dari posset indulgentia, de facto tamen mens Papæ non est suspendere effectum indulgentiæ ultra opus ultimum ad indulgentiam requisitum, Castrop. *p.8.* Belleg. *q.7.* Viva *ar. 3.* & alii communiùs contra *Palud. Sylv. Henriq.*

§. 7. Indulgentia obtinetur, dum completur ul- 1413 timum opus, unde si hoc sit jejunium, lucrans obtinebit media nocte ultima, etiamsi tum dormiat. Lugo, Dian. Gob. Belleg. *p. 3.s. 14. q. 5.*

Q. 201. *Quid notandum sit circa confessionem &* 1414 *Communionem requisitam* R. seq. §. 1. Si pro indulgentiis præscribatur confessio, *Busemb.* aliique multi cum Dian. *p.3.t. 4. R. 126.* Avers. *q.10. s.2.* Belleg. *p. 3. s.7. q. 1.* Viva *q.8. ar.3.* dicunt eum, qui habet sola venialia, non teneri confiteri, quia confessio non videtur aliter requiri, quàm quia est necessaria ad effectum gratiæ recipiendæ. Deinde quia sicuti per peccatum, simpliciter, intelligitur mortale, ita per confessionem peccatorum, videtur intelligi, mortalium. E contrà *Sot. Sanch. Bonac. Fagund.* aliique apud citatos authores dicunt talem adhuc teneri confiteri, quia Confessio requiritur tanquam unum ex operibus præscriptis, non aliter ac jejunium vel eleemosyna. Utraque sententia est probabilis, sed ultima, quia tutior, meritò tenenda, etiam propter dicta *n.* 1324.

§. 2. Qui tenent confessionem venialium non 1415 requiri, debent consequenter dicere, si quis non sit confessus, & die ultimo, etiam post Communionem, ante expletam septimanam incideret in mortale, teneri adhuc confiteri, quia jam intra tempus Jubilæi lucrandi est in mortali, & necdum confessus est. Quòd si antea confessus esset sua venialia, adhuc putant *Suar. & Fill.* teneri per accidens ad secundam confessionem istius mortalis, quia necdum posuit opus præceptum: sed Vasq. Præp. Castrop. Lug. *d. 27. n.* 101. Viva contradicant, quia Bullæ non exigunt nisi unam confessionem. Si tamen necdum expleverit ultimum opus, secundùm omnes tenebitur elicere contritionem, ut hoc opus ponatur in statu gratiæ, secundùm dicta *n.* 1410.

§.4. Certum videtur ex dicendis *n.* 1475. contra 1416 *Dianam R.* 148. pro lucrando Jubilæo non sufficere confessionem sacrilegam. An autem sufficiat pro tollenda censura & reservatione, dicetur *nn.* 1449. & 1695. Pro Jubilæo lucrando, confessio sufficit valida & informis, si dari possit, dummodò reviviscat intra tempus Jubilæi, Suar. Bonac. Fill. Belleg. *qu.* 1. Putat etiam *Viva* sufficere invalidam, si talis sit absque culpa pœnitentis, dummodò de suis mortalibus conteratur, sed hoc valdè dubium est, cùm nequidem substantia operis requisiti ponatur.

§. 4. Confessio fieri potest uno vel etiam duo- 1417 bus diebus ante primam Dominicam, *Laym.* dicens non esse dubiam, *Castrop. Gob.* Item fieri potest ultima Dominica cum Communione, uti declaravit Greg. XIII. Si dicatur, *ante omnia confiteatur*, tutius erit præmittere omnibus: mens tamen Papæ videtur esse, quòd confessio sit res quæ si principalis, unde satis erit confiteri tempus Jubilæi, *Henriq. Sà.* Si dicatur, *qui confessi visitaverint*, *Nav. Benz. Pollach.* putant præmittendam, sed alii cum Dian. *p. 5. t. 12. R. 30.* meritò contradicunt, Bellug. *q. 4.*

§. 5. An una confessio & Communio sufficiat 1418 pro duabus diversis indulgentiis, & quidem lucrandis diverso die, dixi *à num.* 1371. Quando autem Papa in anno sancto dicit, *contritis & confessis*, non requirendo Communionem, *S. Anton. Nav. Bellarm. Zeth. Less. Laym. Abell. Adr. Caj. Cord.* requirunt confessionem mortalium; è contrà *Palud. Gers. Panorm.*

Panorm. Angel. Sylv. putant sufficere vel contritionem perfectam vel cum attritione confessionem, quod probabilissimum esse meritò dicunt *Castrop. Gob* & alii cum Belleg. *q.* 1. quamvis meritò suaderi debeat confessio actualis.

1419 §. 6. Lugo, Gob. & alii cum Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *R.* 148. putant sufficere Communionem sacrilegam, dummodò intra tempus præscriptum homo restituatur gratiæ, quia Communio sacrilega est vera & valida Communio, ergo illa posita habetur substantia operis præscripti. Sed oppositum est nunc tenendum cum Belleg. *q.* 1. & Vindice Gob. *ad prop.* 29. sicuti enim pro Paschate non satisfit per Communionem sacrilegam quamvis hæc sit vera & valida Communio, uti constat ex dictis *l.* 6. *q.* 1. *n.* 628. ita nec hìc, quia nempè mens Ecclesiæ & Papæ est, uti in utroque casu ponatur, non tantùm tale opus in substantia, sed etiam opus vivum, operativum gratiæ Dei & veniæ de peccatis, eò quòd ad hos fines instituatur Communio paschalis & obtentio indulgentiæ. Hinc *Pasq. & Viva* putant contra *Boss.* non sufficere Communionem bona fide sumptam à constituto in mortali. Si tamen Eucharistia bona fide susceptа cum sola attritione, per accidens causet primam gratiam, quod multi docent, sufficiet talis Communio, *Viva n.* 4.

1420 §. 7. Notant Henriq. & Laym. apud Belleg. *q.* 6. pueros posse tantò citius admitti ad communionem, ut possint lucrari Jubilæum, nam quamvis reliqua opera commutari possint, dubium est, an commutari possint confessio & Communio, uti dicetur *nu.* 1441. Putat tamen *Vasq.* in pueris non requiri Communionem, quia Jus illis prohibet, *quando autem conditio est de Jure impossibilis habetur pro non apposita, C. Tua de Testamentis.* Quod quamvis ut probabile defendat *Viva*, id tam incertum est.

1421 *Q.* 202. *Quid notandum sit circa orationem requisitam?* R. seq. §. 1. Communis sententia requirit orationem vocalem: Nav. tamen Fill. Trull. Gob. & alii cum Viva *q.* 8. *art.* 5. dicunt sufficere mentalem, cùm hæc propriè sit oratio: sed tutius est saltem miscere vocalem. Nec videtur sufficere oratio cum voluntariis distractionibus, quia non est devota nec apta ad impetrandum id, quod Papa intendit. Licèt dicatur orandum Deum, sufficit orare preces ad B. Virginem vel Sanctos, Lugo *d.* 27. *n.* 111. Belleg. *p.* 3. *s.* 4. *q.* 10.

1422 §. 2. Si dicatur orationem fieri debere per aliquod tempus, satis est fieri per medium quadrantem. Et ad ordinarias indulgentias sufficit orare septies *Pater & Ave*, nam Greg. XIII. in Bulla *Omnipotentis*, dicit Sodales lucrari Indulgentias Stationum, si certis diebus in templo Societatis JESU hoc orent.

1423 §. 3. Requiritur oratio in loco, tempore, & ex intentione per Bullam designatis. Ordinariè locus est, ubi est Indulgentia. Tempus est inter utrasque Vesperas. Intentio est pacificatio Principum Christianorum, extirpatio hæreseon, exaltatio S. Matris Ecclesiæ, de quibus expedit quandoque expressè monere pœnitentes, nam secundùm dicta *nu.* 1324. probabile est requiri notitiam expressam talis intentionis.

1424 *Q.* 203. *Quid notandum sit circa jejunium & eleemosynam requisitam?* R. seq. §. 1. Jejunium, per se loquendo, est trium dierum, Mercurii, Veneris, Sabbati, nec fieri potest extra dies præscriptos, nec dividi in duas septimanas, uti habet communis contra *Laym Bon.* & alios, quorum sententiam Lugo *d.* 27. *n.* 105. vocat falsam: Faciliùs tolerari potest, ut cum causa dies jejunii intra eandem septimanam commutetur, Henriq. Fill Gob. *de Jubil. n.* 213. Viva *qu.* 8. *art. ult.* Modus servandi est, quem singulæ Provinciæ tenent tali tempore in aliis jejuniis, Sanch. *in Decal. l.* 4. *c.* 11. Non obligari jejunare, v. g. pueri, senes, infirmi, itinerantes, laborantes, jejunare debent, si lucrari velint, nisi per Confessarium commutetur. Qui per privilegium potest vesci carnibus vel facere duplicem refectionem, si utatur suo privilegio, non lucrabitur Indulgentiam, nisi hoc commutetur in aliud opus. Non impedit collatiuncula, nec potus, nec modicum sumptum per diem, Belleg. *p.* 3. *s.* 5. *q.* 1.

§. 2. Satisfit per jejunia aliunde debita, ex vo- 1425
to, pœnitentia, præcepto, nam sæpè in Quadragesima promulgatur Jubilæum, Lug. *n.* 110. Belleg *p.* 1. *s.* 3. *q.* 1. cum communi contra Sylv. Tabie. Arm. Bon. Viva *qu.* 8. *ar.* 1. *Nec obstat*, quòd non lucrer per eleemosynam, quam darem pauperi, cui eam debeo, secundùm dicenda *n.* 1428. *nam* disparitas est, quòd illa solutio debiti tollat rationem eleemosynæ, quæ ex natura sua est donatio gratuita; è contrà jejunium exhibitum, quia votum est, &c. non tollit rationem jejunii.

§. 3. Eleemosyna secundùm communem cum 1426
Viva *ar.* 6. contra *Zanard.* debet esse corporalis: quo nomine etiam venit domi excipere pauperem peregrinum, Religiosum, mendicum; vel aliud opus ex 7. misericordiæ corporalis, etiamsi Bulla diceret dandam eleemosynam, S. *Th.* 2. 2. *q.* 32. *ar.* 2. Gob. Arsd. Belleg. *p.* 3. *s.* 6. *q.* 1.

§. 4. Si Bulla nihil determinet, sufficere elee- 1427
mosynam quantumcumque parvam etiam pro quovis divite docent *Rodriq. Dian. Leo, Faustus* & alii: *Nav. Cord. Regin. Alloza* probabiliter volunt dandam proportionatè ad personæ facultates. Licèt Bullæ nunc dicant, *prout unicuique devotio vel charitas suggesserit*, tamen *Zech. Pourrè* & alii adhuc dicunt sufficere quantumcumque parvam, sed alii adhuc dicunt simul habendam esse rationem dictaminis interni suadentis plùs vel minùs. Et quia *l. Si oleum, §. De dolo*, dicitur minima non esse in consideratione, rectè Viva *q.* 8. *art.* 6. quando aliquid committitur arbitrio operantis, nam sufficere quidvis minimum, sed metiendum secundùm regulas prudentiæ. Si tamen diceretur, *juxta cujuscumque facultatem*, dives deberet dare eleemosynam majorem quàm alius, Bonac. Gob. Busemb. Belleg. *q.* 2.

§. 5. *Satis est dare semel* eleemosynam, licèt 1428
Bulla diceret, *eleemosynis*, *Fill. Gob.* Etiam perinde est, quo die, an ante, an post Communionem *Graff. Henriq. Leo, Dian. Gob. Nec obstat*, esse debitam ex voto vel pœnitentia, *quia* non ideò desinit esse eleemosyna, Bossius, Lugo contra Viva *artic.* 1. Sed non debet esse debita ex justitia, nequidem Legali, qualis debetur Parentibus, Avis, Fratribus, quia tum est potiùs solutio debiti, & habentes tale jus non sunt pauperes: attamen respectu aliorum consanguineorum indigentium esset eleemosyna. Est etiam *satis* dare per alium rem meam: si tamen hic non daret, secundùm Bon. Lug. Homob. Busemb. Gob. *Viva art.* 6. non lucrarer, quia non est data eleemosyna cùm non sit sublevatus pauper: secundùm *Sa, Lez. Dic. Alloza* lucrarer, quia quantùm est in me, data est. Quòd si mittatur ad pauperem absentem, ad quem non perveniat intra duas septimanas Jubilæi, non lucror, nisi aliquis nomine pauperis acceptasset, *Lugo* & alii. Si autem qui accepit, non fuerit reipsa pauper, lucror, ad eleemosynam enim sufficit dari ad sublevandam miseriam hominis, qui prudenter judicatur pauper *Lug. Maillard, Rhod. Viva.* Censetur etiam dare, qui pro se datam ab alio habet ratam intra tempus Jubilæi, *Cord. Sa Lugo, Boss. Suar. Gob.* qui putat sufficere ratihabitionem generalem & habitualem lucrandi Jubilæum & se juvandi per opera utilia à se vel alio ponenda, sed probabiliùs contradi-

cunt *Lugo & Maillard*, dicentes etiam apud Religiosos debere eos præmonere, quando Superior ex communibus bonis dat pro eis, cùm eleemosyna debeat esse actio moralis, adeóque procedere ex cognitione, & volitione, Belleg. *q.* 3.

1429 §. 6. Per Pauperes intelliguntur etiam non habentes necessaria ad statum juxta qualitatem & conditionem *Navar. Sanch. Lug. Dian.* & alii: item loca pia, hospitalia, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis, Monasteria Religiosorum, Belleg. *q.* 4.

1430 §. 7. Omnes debent dare qui possunt: si autem quis non possit, *Nav. Henr. Fernand. Dian. Gob. Arsd.* putant non esse opus commutari dummodò dent parvum v.g. pomum vel frustillum panis, sed consultius est commutari, *Viva.* Potest Religiosus cum venia Superioris dare eleemosynam per amicum sæcularem, *Lugo.* Franciscani habentes tantùm usum, dant eleemosynam, si hoc usu se abdicent, si enim in pauperem transit dominium, Lugo, Belleg. *q.* 5.

1431 *Q.* 204. *Quid notandum sit circa Processionem & visitationem templorum, requisitam ad Jubilæum?* R. seq. §. 1. Sufficit vel processioni interesse vel templa visitare: ille autem non diceretur interesse Processioni, qui per aliquot horas antecederet aut sequeretur, sed incedere debet junctus corpori procedentium, quod censebitur fieri, etiamsi distet uno quadrante, si alii & alii interjecti etiam præcedant aut sequantur, *Belleg. p.* 3. *s.* 4. *qu.* 2. *& seq.* Multa de sanctitate & utilitate Processionum, & quæ in eis cavenda sint, videri possunt apud *Rayn. in Heter. tom.* 15. *p.* 1. *s.* 1. *pu.* 8.

1432 §. 2. Visitatio templorum fieri potest etiam curru vel equo: item ab iis, qui in templo habitant. Additur fieri debere *devotè*, quod fit etiam à constituto in mortali, item ab immodesto & peccante per viam, si modestè ingrediatur & oret, *Belleg. q.* 6. Viva *q.* 8. *art.* 5. Non autem necessariò fit visitatio omnium templorum una die: & qui Missam audit in templo, hoc ipso visitat, *Belleg. p.* 2. *s.* 5. *q.* 5.

1433 §. 3. Si præscribatur tantùm visitatio templi, & illud ingredi non possis, satisfacis orando ad ostium, etiam clausum, *Suar. Lugo*, & alii cum *Dian. p.* 1. *t.* 11. *R.* 103. Imò si per concursum nequidem ad ostium liceret pertingere, putant aliqui satis esse orare in cæmeterio, quia hoc in favorabilibus venit nomine templi: si tamen præscriberetur orare in certa capella vel ad certum altare templi, oporteret ingredi. Si præscriberetur in eodem templo visitari plura altaria, satis esset ex eodem loco se convertere ad singula. Si ibi non essent tot altaria, quot visitari præscribitur, satis esset tot inclinationes & orationes repeti ad illa, quæ ibi sunt, quot altaria debebant visitari, *Belleg. p.* 3. *s.* 4. *q.* 9.

1434 *Q.* 205. *Quid notandum sit circa itinerantes, peregrinos, impeditos?* R. seq. §. 1. Si Titius Coloniæ post promulgationem Jubilæi visitavit templa, potest ire Trevíros, & ibi vel in via explere cætera opera, Bullæ enim non requirunt, ut reliqua opera fiant in loco domicilii vel promulgationis, sed in quocumque, *Leyn. Bon. Castrop. tr.* 24. *p.* 12. §. 3. Lugo *d.* 27. *à n.* 114. Belleg. *pu.* 3. *s.* 3. *qu.* 6. Quòd si abiens non pergat explere opera, poterit reversus, etiam post elapsum tempus Jubilæi lucrari. Papa enim navigantibus, & iter agentibus concedit, ut reversi habeant alios 15. dies, in quibus opera omnia faciant, & lucrentur. Quod tenet, quamvis priùs in fine ultimæ septimanæ iter incæpissent, *Lugo Belleg. s.* 2. *q.* 4.

1435 §. 2. Si Titius Coloniæ post promulgationem non visitasset templa, sed tantùm feciſſet reliqua opera, non posset Trevitis, ubi etiam ipso præsente promulgaretur Jubilæum, lucrari, nisi hìcrepeteret prædicta opera, quia opera Coloniæ facta, antequam Treviris acquisivisset jus ad Jubilæum, haberent se impertinenter ad Jubilæum Treviris obtinendum; visitationes autem templorum Trevirensium non posset ei servire ad Jubilæum Colonienſe obtinendum, ergo vel Treviris debet ea opera repetere, vel facere commutari, *Lugo nu.* 127. Belleg. *s.* 3. *q.* 7.

§. 3. Si quis ultimo die veniat ad locum Jubi- 1436
læi, potest petere, ut opera, quæ facere non potest, sibi commutentur, nam secundùm dicta venientis ad locum acquirit jus, *Lugo n.* 125. Et quamvis Bulla haberet, *pro omnibus Christi fidelibus civitatis, & diœcesis A.* tamen lucrari possent etiam peregrini alterius diœcesis, quia Jubilæum illud non est merè personale sed etiam locale, & talis peregrinus censetur pro tunc pertinere ad locum A. cùm sit fidelis ibi existens, qui potest se hujus legibus subjicere, *Belleg. p.* 2. *s.* 5. *q.* 5.

§. 4. Cum detentis carcere, captivitate, infir- 1437
mitate vel alio justo impedimento, item cum illis, qui tempus promulgati Jubilæi invincibiliter ignorarunt, potest Confessarius commutare vel in aliud proximum tempus prorogare, uti jam dicetur.

Q. 206. *Quid præterea notandum sit circa com-* 1438
mutationem operum & prorogationem temporis? Resp. seq. §. 1. Lucraturus ipse non potest, nequidem in melius, commutare opera vel prorogare tempus lucrandi Jubilæi, sed hoc committitur soli Confessario.

§. 2. Putant *Sanch. Lugo*, *Busemb.* & alii pluri- 1439
mi cum *Belleg. p.* 3. *s.* 8. *q.* 5. commutationem operum vel prorogationem temporis fieri posse extra confessionem, dummodò intra tempus Jubilæi, etiam à quovis legitimè approbato, cui posses confiteri, quamvis ei confiteri non cogites, & addunt id declaratum esse à Greg. XIII. sed aliqui dubitant, quia per Confessarium putant intelligi Confessarium lucraturi Indulgentias, cui autem confiteri non cogitas, non potest dici tuus Confessarius: prior tamen sententia, quia ita communis est, videtur tuta.

§. 3. Putant *Hil. Lugo*, *Viva qu.* 8. *art. ult.* & 1440
alii, quos referunt *Diana p.* 5. *tr.* 12. *R.* 26. & Belleg. *q.* 7. quamvis aliquis sponte opera præscripta negle-xisset, si die ultima dolens de hoc optet lucrari Jubilæum, posse ei commutari opera vel prorogari tempus, sed *Præpos. & Arr.* probabiliter contradicunt, quia voluntarie negligens non dicitur impeditus, *Cap. Commisso, & Cap. Si quis, de electione in* 6. Bullæ autem loqui solent de legitimè impeditis, & illis, qui ex ignorantia vel bona fide opera eò usque omisissent. Et quidem putant *Diana, Cotton. Alloz. Busemb. Arsd.* cum, qui invincibiliter ignoravit tempus promulgati Jubilæi, posse gaudere prorogatione ad alios 15. dies, sed Lugo *d.* 27. *nu.* 119. contradicit, quia solis navigantibus, & iter agentibus concedítur illa prorogatio: pro aliis tantùm datur Confessario facultas commutandi opera, Belleg. *s.* 2. *q.* 3.

§. 4. Secundùm antiquas Bullas poterant omnia 1441
commutari cum habentibus impedimentum, sed quoad confessionem, & Communionem, oppositum nunc tenet Lugo *n.* 118. quia Bullæ nunc pro impeditis concedunt commutationem, vel prorogationem tantùm operum, scilicet jejunii, eleemosynæ, visitationum templi, & orationis, nulla facta mentione confessionis vel Communionis: sed cùm multi cum Dian. & Belleg. *s.* 8. *qu.* 2. adhuc dicant posse commutari etiam confessionem & Communionem, hoc videtur probabile. Et quoad Communionem, posse eam commutari cum pueris, docent Vega, Sanctar.

Sanctar. Hurt. Boss. apud Viva *qu.* 8. *art.* 4. Spectanda tamen sunt verba singularum Bullarum, & de eis judicandum secundùm dicta *n.* 1395.

1442 §. 5. Si pœnitens reliquis peractis ultima die confiteatur & videatur esse in occasione proxima relabendi, probabile est Confessarium posse differre confessionem, & communionem ac pœnitentem posteà posse lucrari Jubilæum, idem est, si jam non possit integrè fieri confessio, quia meritò præsumitur de voluntate Papæ, quòd permittat differri, Boss. Dian. Lug. Sanch. Gob. Belleg. *q.* 7.

1443 §. 6. Si causa commutandi fuit reipsa insufficiens, sed bona fide judicata est sufficiens, nihil impedit, quia commutatio remittitur judicio Confessarii: Putat tamen Viva *q.* 8. *ar. ult.* causam commutandi, v. gr. jejunium, debere esse majorem, quàm quæ sufficit in dispensando die aliàs præcepto. Nec tanta requiritur ad proroganda opera, quanta ad commutanda, Fill. Gob. Belleg. *qu.* 3. Quamvis autem possent opera prorogari ad sequens tempus post Jubilæum, tamen videtur melius subrogare alia, quæ statim perficiantur, Belleg. *q.* 6.

1444 §. 7. Commutatio fieri potest in opera pietatis, æqualia moraliter etiam aliunde debita, secundùm dicta *nn.* 1425. & 1428. Et æqualitas spectanda est, non tam attendendo ad præstantiam vel pœnalitatem operis, quàm ad mentem & finem Papæ. Bullæ etiam notant attendendum esse ad conditionem pœnitentis, ut nempè fiat in opera quæ præstare possit, hinc mutari potest jejunium in eleemosynam. Aliqui dicunt posse in aliquantò minus, cùm vocent dispensationem. Opus, in quod fit commutatio, non necessariò fieri debet eo die, quo debebat fieri opus alterum, hinc de ultimo commutari possunt opera, quæ prioribus erant facienda, Lugo, Gob. Belleg. *qu.* 4.

1445 *Q.* 207. *Si quis ponat hoc, quod opinio probabilis dicit sufficere, & Papa fortè plus requirat, an obtineatur Indulgentia, vel Jubilæum?* Resp. §. 1. Affirmant probabiliter Amicus *tom.* 8. *d.* 21. *à n.* 47. & Viva *q.* 3. ac probabile fatetur Diana *p.* 10. *t.* 11. *R.* 34. quia si erretur, putant Ecclesiam supplere, uti *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 117. dixi Ecclesiam supplere, ubi potest, si quis secundùm opinionem communiter receptam aliquid omittat etiam circa administrationem Sacramentorum: sed probabiliùs contradicunt Bossius, Bonac. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 5. Dia. *p.* 5. *t.* 12. *R.* 32. Gob. *in Quin. t.* 4. *n.* 720. Belleg *p.* 1. *s.* 1. *q.* 9. quia licèt Ecclesia suppleat, quando agitur de bono communi, non tamè si de bono tantùm particularis personæ. *Nec obstat*, quòd Gob. *n.* 712. referat Urbanum VIII. dixisse Indulgentias valere illo modo, quo prudentes, pii doctique Theologi existimant valere: *nam* imprimis id valere potuit tantùm pro temporibus Urbani. Deinde hoc intelligit *Gob.* de judicio vel communi, vel plerorumque, vel saltem notabiliter plurium Theologorum. Quoad favores tamen annexos Jubilæo, hi acquiruntur sequendo sententiam probabilem, v. g. si dividas opera in duas septimanas, quamvis sententia dicens id fieri posse, non esset vera, tamen sic lucrando Jubilæum acquiris jus, ut absolvaris à censuris, quia quando ob rationem gravem probabile est Sacerdoti competere potestatem absolvendi, valide absolvit, uti habet communis cum *Belleg.* & *Viva art.* 2.

1446 §. 2. Si quis falsò sed invincibiliter putet se legitimè esse confessum, secundùm *Nav. Zech. Lorich. Benzon.* lucratur; uti & ille, secundùm Nav. Henriq. Rodriq. Fernand. Pourrè. Gob. Belleg. *p.* 3. *s.* 7. *q.* 1. qui non potuit confiteri, vel bona fide putavit non requiri confessionem, vel per improbitatem aut errorem Confessarii non est legitimè absolutus, quia *cùm non stet per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset: Reg.* 66. *Juris in* 6. Sed probabiliùs contradicit Viva *q.* 6. *a.* 2. nam si conditio respiciat nudum factum ejus, qui debet illam ponere, Regula ista tum tenet, uti constat ex L. *Legatum, Cod. de condit. inser.* E contrà non tenet, si respiciat etiam ipsum eventum conditionis, uti hìc fit.

Q. 208. *Quid præterea notandum sit circa facultates, quæ in Jubilæo conceduntur, absolvendi à reservatis vel censuris?* R. seq. §. 1. Hæ facultates conceduntur in favorem eorum qui seriò intendunt lucrari Jubilæum: hinc dari potest absolutio talis, antequam pœnitens aliquid ex præscriptis operibus faciat, dummodò habeat verum propositum illa exequendi, & adsit promulgatio Jubilæi, quamvis sit prima dies, Belleg. *p.* 3. *s.* 10. *q.* 3. 1447

§. 2. Si sic absolutus posteà non lucretur Jubilæum, etiam ex pigritia, non ideò reincidit in reservationem vel censuram, quia absolutè est absolutus, Nav. Henriq. Vasq. Laym. Platel. Belleg. *q.* 4. Viva *q.* 11. *ar.* 5. contra Ugol. Et putant Henriq. Sanch. Bon. Lug. Portel. Castrop. Belleg. *q.* 5. talem, qui posteà negligit lucrari, non peccare, saltem mortaliter: E contrà Suar. Vasq. Fill. Avers *q.* 17. *s.* 8. Viva, dicunt ideò peccare mortaliter, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi. 1448

§. 3. Qui lucrari voluit & absolutus est, quamvis lucratus non sit, potest posteà à non habente potestatem in reservata absolvi à reservatis oblitis vel ex causa omissis, quia prior Confessarius volens facere quidquid potuit absolutè sustulit reservationem, Sanch. Fill Portel. Diana, Pelliz. Viva *q.* 11. *art.* 4. Castrop. Dicast. *d.* 11. *n.* 163. Belleg. *q.* 6. *& alii*, quos referam *nu.* 1695. Quòd si confessio fuerit invalida per culpam, quamvis Cajet. Zech. Henriq. & alii dicant adhuc fore sublatam reservationem, quod probabile censent Bon. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 150. item Lugo, Dicast Gob. Viva *art. ult.* si pœnitens non advertit defectum, quia Confessarius voluit facere, quantùm potuit: reservatio non potest tolli non sublatis peccatis, oppositum tamen est probabilius cum Rodriq. Sanch. Regin. Castr. Tamb. Belleg Aversa §. *At verò*, quia ut ille, qui habet mortale, lucretur Jubilæum, & consequenter ut acquirat jus absolutionis à reservatis, requiritur confessio valida, secundùm dicenda *nu.* 1475. 1449

§ 4. Qui prima septimana lucratus est Jubilæum, si secunda in reservatum vel censuram incidat, potest ab his absolvi, saltem si præscripta opera repetat. Nav Henriq. Rodriq. Regin. Leone, Dia. Gob. apud Belleg. *q.* 2. & cum Viva *q.* 11. *a.* 3. Quod etiam tenent Castr. & Dic. *à n.* 255. quamvis dicant eundem non posse bis lucrari Jubilæum; imò posse absolvi, quamvis non repetat opera præscripta, docent Rodriq. Sà, Dian. Lohner, quod probabile esse dicunt Graff. Bonac. Castr. Dic. Hinc dicit Sanch. multò magis posse absolvi sæpiùs intra tempus septimanæ, quo peragit opera. Quæ tenent, etiamsi primis diebus septimanæ absolvisset omnia opera, quia pro favoribus assignatur tota septimana, Castr. Lugo, & probabile dicit Dic. Verba autem illa, *Pro hac vice tantùm*, non videntur referri ad actum absolvendi, sed ad tempus Jubilæi. Viva *num.* 2. 1450

§. 5. Et amsi fortè non exprimatur, tamen datur facultas absolvendi à reservatis ab Episcopo, Suar. Regin. & alii communissimè Vasq. Laym. Henriq. & Viva *ar.* 2. contra Vegam, cum Dia. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 149. & *alios*. Item ab hæresi, nisi expressè Rodriq Bonac. & *alios*. declaratum esse testatur Fill. Quamvis excipiatur, uti excipieretur hæresis, non ideò excipietur favor, autem receptatio, defensio hæreticorum; neque lectio, 1451

impressio, retentio librorum hæreticorum, nec blasphemia hæreticalis, si hæc non sint conjuncta cum hæresi formali, Sanch. Henriq. Suar. Dian. Lug. Gob. Belleg. *q.* 1. Viva *a.* 1 Etiam absolvi potest, qui spe Jubilæi committit reservatum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur, Nav. Suar. Henriq. Fill. Boss. Viva *a.* 3. *n.* 1. *Nec obstat*, quòd *c. Quando, de Consecr. dist.* 4. dicatur peccantem spe veniæ debere subesse pœnæ, *nam Gloss.* explicat, *multoties peccantem*. Et tantùm significatur, quod dignus esset non obtinere veniam.

1452 §. 6. Quamvis reservatio possit extra confessionem Sacramentalem tolli ab illo, qui habet potestatem ordinariam absolvendi à tali peccato reservato; tamen fieri debet in confessione ab illo, qui habet delegatam tantùm potestatem, qualem habent Confessarii in Jubilæo, delegatur enim illis, ut audita confessione absolvant à reservatis, Suar. Vasq. Less. Lug. Bordon. Gob. Belleg. *q.* 8. oppositum tamen videntur dicere alii citandi *n.* 1695. Et absolutionem à censuris ex causa dari posse extra confessionem docent multi apud Belleg. *s.* 11. *q.* 1. de quo dicetur *in l.* 7. *c.* 1. *ad dub.* 6.

1453 §. 7. Per *Satisfactionem* partis, quæ si fieri possit, ad valorem præmitti debet absolutioni à censura, intelligitur restitutio debita honoris; famæ, bonorum, &c. ob quorum læsionem lata erat censura. Per *partem* intelligitur læsus: hinc potest dari absolutio, antequam jura solvantur Judici, Tabellioni, Fisco, &c. Suar. Dian. Tamb Belleg. *s.* 11. *q.* 4. Item si absolvendus ita rem disposuerit, ut infallibiliter secutura sit satisfactio, uti si det Confessario vel apud alium deponat, quod restituere debet, aut à parte læsa dilationem obtineat, tum enim moraliter habetur satisfactio, Henriq. Sanch. Viva *qu.* 10 *art.* 2.

1454 §. 8. Si pœnitens nequeat satisfacere parti, potest absolvi, Barb. Vasq. Con. Vega, Dian. Viva, sic etiam absolvitur non potens restituere. Debet tamen præstare cautionem vel pignorationem vel fidejussoriam vel saltem juratoriam pro rei qualitate, Suar. Dian. Gob. Et sufficere pro foro interno firmum propositum, docent Nav. Henriq. Valer. Dian. Nald. probans ex Rituali Romano Pauli V. Consentiunt Laym. Viva & Tamb. dicens, si impotentia semper futura est, non esse opus quidquam requirere à pœnitente, Belleg. *q.* 5.

1455 §. 9. Si pœniteus absolutus, non stet juramento vel promisso, non reincidit, quia absolutè est absolutus, Sà, Boss. Pasq. Gob. Viva contrà Nav. Rodriq. Vegam. Putant tamen Laym. Dian. Tamb. Belleg. *q.* 6. per hoc peccare graviter. Similiter si Confessarius ante absolutionem non exigat satisfactionem, peccat graviter: si tamen pœnitens bona fide accedens, sit absolutus, quamvis Confessarius nil exegerit, est validè absolutus, Belleg. *q.* 7. Si inculpabiliter, obligatus est satisfacere, transacto Jubilæo manet absolutus, sed cum onere satisfaciendi, Boss. Viva *q.* 11. *a. ult. n.* 5.

1456 §. 10. Qui percussit Monachum eique satisfecit, quamvis non satisfecerit Abbati vel Monasterio, secundùm Dian. Avil. Leand. Tamb. Viva *q.* 10 *art.* 2. potest absolvi, quia satisfecit *parti*, id est, læso: sed contradicunt Bonac. & alii, pro quibus teste Fill. est praxis S. Pœnitentiariæ, quæ tenenda est, si injuria facta Monacho redundarit in communitatem, tum enim pars læsa non est solus Monachus sed etiam communitas, Belleg. *q.* 8.

1457 §. 11. An Jubilæò possunt pro foro interno absolvi excommunicati, etiam vitandi, & publici percussores Clerici, quamvis res etiam deducta sit ad forum contentiosum & necdum finita, quia verba absoluta eos comprehendunt, Henriq. Sà, Sayr. Sanch. Lezan. Dian. Gob. Belleg. *q.* 9. Viva *q.* 10, *ar.* 2. & *q.* 11. *ar.* 1. contra Vasq. Avil Con. Talis tamen absolutio non impedit, quominus Judex possit cognoscere causam & imponere pœnam, Belleg. *q.* 10. Quòd si excommunicatio fuerit occulta, poterit absolutus se in omnibus habere velut non excommunicatum, & capax esse Beneficii, &c. hoc enim nulli præjudicat nec affert scandalum, Suar. contra Pasq. Si autem publicetur, attestatio Confessarii sufficiet ad absolutionem probandam, quia in iis, quæ nemini nocent & alteri prosunt, sufficit unus testis, ex *c. Parvulis, de Consecrat. dist.* 4. Suar. Peyr. Boss. Pasq. Viva *art.* 3. contra Avil. & alios: atque ita talis absolutio, saltem ex benigna admissione Judicis proderit etiam pro foro externo, dummodò in Bulla non sit additum, quod prodesse possit *solùm* pro foro interno, Suar. Filliuc. Gob. Viva.

§. 12. Quid intelligatur per facultatem absol- 1458
vendi *ab omnibus peccatis & censuris*, dicetur *n.* 1616. & 1603. Et *an.* 1613. agetur de facultate absolvendi ab hæresi. Docent autem plures, quòd Dian. putat probabile, per verba illa, *ab omnibus censuris*, dari facultatem absolvendi etiam ab irregularitate ex delicto, quia videtur esse censura, sed contrarium tenendum est cum Aversa *q.* 17. *s.* 7. quia nulla irregularitas est censura, nec absolutio ejus est necessaria ad absolutionem à peccatis, ob quam datur facultas absolvendi à censuris. Et præterea in Bullis Jubilæi ordinariè exprimitur non esse facultatem dispensandi super ulla irregularitate, Belleg. *q.* 11. Viva *q.* 10. *art.* 1.

Q. 209. *Quid præterea addendum sit circa com-* 1459
mutationem votorum? Resp. seq. §. 1. Possunt ordinariè commutari omnia vota (exceptis castitatis & Religionis) non tamen dispensari. *Nec obstat*, quòd vota sint jurata, uti dictum est *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 355. quod præter ibi citatos docent etiam Suar. Meroll. quamvis contradicant Nav. Az. Less. Viva *qu.* 2. *art. ult. nu.* 4. Et multa circa commutationem votorum videri debent, *lib.* 3. *par.* 1. *à num.* 507. An autem commutari possint vota in favorem tertii facta, dixi *ibid. à n.* 532. Possunt tamen commutari vota non vovendi vel non petendi commutationem aut dispensationem, cùm non excipiantur, Suar. Sanch. Peliz. Viva *q.* 12. *ar.* 1. Quandonam autem valeant illa vota, dixi *lib.* 3. *pu.* 1. *à num.* 417. Putarunt etiam Valent. Boss. Sayr. unum votum reservatum posse commutari in aliud melius, etiam propria authoritate, quod probabile dicit Viva, sed oppositum tenui *l.* 3. *p.* 1. *n.* 511. cum Suar. Bon. Sanch. Illsf. quia hoc saltem reservatur judicio Confessarii. Hoc certum est ex *Cap. Scripturæ. De Voto*: omnia vota etiam reservata commutari posse in professionem solemnem Religionis: Quomodo autem circumstantiæ voti reservati commutari possint, dixi *lib.* 3. *par.* *n.* 550. Addit Viva *q.* 2. *art. ult.* cum Nav. Az. Val. Sanch. concessa facultate dispensandi in votis & juramentis non ideò concedi ad commutandum, quia putant Regulam, *cui licet, quod est plus, licet, quod est minus*, tantùm tenere, si minus in majore contineatur tanquam pars in toto vel tanquam species in genere, quod hìc non videtur esse: Sed oppositum tenet communis cum Suar. Sà, Less. Laym. Regin. Bonac. Busemb. quem retuli *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 506. quia potentia commutandi est veluti pars potentiæ dispensandi; nam dispensare est manente lege pro aliis, pro hoc simpliciter tollere obligationem, quod fieri potest vel nihil vel aliquid substituendo, & tum erit commutatio.

§. 2. Hæc commutatio fieri potest extra confes- 1460
sionem, etiam ab eo, cui non cogitas confiteri, uti dictum est *l.* 3. *p.* 1. *num.* 507. & conformiter addicta hìc *n.* 1439. Item fieri potest ante omnia opera, dummodò habeat animum exequendi, secundùm dicta *n.* 1447. Quòd si mutet animum vel negligat, tenet

commutã

commutatio, Suar. Sanch. Portel. Viva *q.* 12. *art. ult. & alii.* Putantque Sanch. Henriq. Diana & alii non ideò peccare mortaliter, sed in hoc contradicunt Suar. Portel. & alii ob rationem datam *n.* 1448.

1461 §. 3. Commutatio fieri potest sæpiùs, etiam novorum votorum, quæ faceres durante Jubilæo, Henriq. Sanch. Portell. Trull. Belleg. *p. 3. s.* 12. *q.* 5. Debetque fieri absolutè, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *n.* 530. quamvis enim non peccaret commutans sub conditione *si exequaris opera præscripta*, tamen cùm Papa non restringat ad illam conditionem, nec nos restringamus, sed potiùs differamus commutationem: notatque rectè Gob. non debere fieri sub conditione, *si lucretur Jubilæum*, quis enim sciet se lucratum?

1462 §. 4. Quandonam vota castitatis & Religionis sint reservata, dixi *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 544. 556 565. An autem juramentum castitatis vel Religionis commutari possit, dixi *ibi. n.* 555. Hic adde votum castitatis vel Religionis emissum ab impubere commutari posse, quia præsumitur adfuisse imperfecta deliberatio & promissio: & ideò *cap. Attestationi, de Desponsi. impub.* eligere non possunt Matrimonium sive statum ex natura sua perpetuum, Viva *q.* 12. *ar.* 2. Similiter dixi *l.* 3. *p.* 1. *n.* 549. si voveris castitatem vel Religionem sub obligatione tantùm levi, non esse reservatum, quia reservatio supponit aliquid grave. Addit Viva, in dubio, an intenderis te obligare graviter, quamvis hæc intentio præsumatur, non esse reservatum, quia cùm reservatio sit odiosa, restringi debet ad vota certò gravia. Addit, non esse reservatum, si quis voverit castitatem, & dubitet, an perpetuam, sed videnda dicta *l.* 3. *p.* 1. *n.* 391. Præterea hìc notandum est, quod insinuavi *ibid. à n.* 545. vota conditionalia non reservari, si ad vovendum moverit potiùs necessitas vel indigentia aliqua quàm bonitas materiæ, quæ vovetur: hinc à contrario, si voveris ingredi Religionem, *si Pater tuus consenserit, si fueris* 20. *annorum, &c.* sunt vota reservata, & hoc est communiter, dum Tò, *si*, idem significat quod, *quando*, quia tum principaliter movet bonitas materiæ, quæ absolutè vovetur sub tali medio illam adimplendi. Viva suprà.

1463 §. 5. Si quis non sit reipsa lucratus Jubilæum, quamvis lucrari voluerit, vota ejus Jubilæo transacto commutari non possunt, quia nec ablata sunt, nec jus auferendi est acquisitum. Sanc. Portell. Belleg. *s.* 10. *q.* 6. Imò putat Beja *p.* 2. *cas.* 9. quamvis lucratus esset Jubilæum, non ideò posse vota posteà commutari, quia Papa non videtur hanc potestatem commutandi extendere ultra tempus Jubilæi; oppositum tamen tenent alii communiter, uti dicetur *n.* 1473. Videtur autem absolutè tenendum contra aliquos apud Viva *art. ult.* neminem in Jubilæo posse sibi ipsi commutare vota, quia quamvis quis possit aliquando in seipsum exercere jurisdictionem voluntariam, tamen hìc committitur Confessario, qualis nemo esse potest respectu sui.

1464 *Q.* 210. *Quid addendum sit circa potestatem eligendi quemcumque Confessarium?* Resp. Seq. §. 1. Vi Jubilæi potest quilibet, etiam Regularis ex quovis Ordine, etiam Monialis, sine licentia sui Superioris sibi eligere Confessarium, quem vult. Nav. Suar. Fill. dicens esse declaratum à S. Congregatione, Bossius, Dian. Bordon. Lug. Gob. dicens esse rescriptum Romæ ut stetur verbis Bullæ, Belleg. *p.* 3. *s.* 9. *q.* 1. Unde quamvis in novo *Compendio privil. v. Absolutio* §. 15. dicatur per privilegium *Gregorii XIII.* non posse etiam tempore Jubilæi à Religioso Societatis JESU sine consensu Superiorum eligi extraneum Confessarium, tamen hoc intelligitur, nisi sequens aliquis Pontifex id permittat: an autem aliquis permittat necne spectanda sunt verba in singulis Jubilæis, quivis enim Papa habet potestatem, qualem habuerunt Antecessores sui, & potest eorum privilegiis derogare, nec tenetur servare certam formulam derogandi, dummodò sufficienter manifestet voluntatem suam, dicendo se derogare illis, etiamsi de illorum tenoribus specialis, expressa, &c. mentio aut alia exquisita forma servanda esset: per talia enim verba derogari ejusmodi antecedenti privilegio, præsertim si posterius scriptum datum sit motu proprio, docent expressè Sanch. *in Consil. l.* 6. *c.* 9. *dub.* 8. Barbos. *de clausulis.* clausula 45. *n.* 17. & 18. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 36. *à n.* 13. Illsf. *tr.* 1. *d.* 3. *n.* 58. aliique plurimi apud ipsos. Attamen non affirmo positivè, quòd ullus Pontifex hactenus derogarit isti nostro privilegio; hoc tantùm dico, quòd derogare possit: & addo, contra concessionem Jubilæi pro unica vice non esse tales rationes vel declarationes Pontificum, quales Lugo *disp.* 20. *sect.* 9. affert contra similem concessionem per Bullam Cruciatæ, quæ permanens est, & induceret nimiam relaxationem in religiosos Ordines! ac propterea Congregatio VI. generalis Societatis Decreto 5. meritò prohibuit, ne ullus Nostrorum auderet vel docere vel in praxi tenere, quòd hoc nobis liceat per Bullam Cruciatæ. Videri potest Viva *q.* 9. *art.* 1.

§. 2. Hic Confessarius debet esse approbatus 1465
ab Ordinario loci; unde non potest Regularis eligere approbatum à solo Prælato Regulari alterius Ordinis, Suar. Regin. Vega, Lugo, Viva contra Dianam, & alios, quorum sententiam tutam esse putat Gob. dicens etiam Prælatos ampliativè dici posse *Ordinarios locorum*, quia sunt Ordinarii suorum Monasteriorum, in quibus approbare possunt suos: sed tenenda est prior sententia, nam per *Ordinarios locorum*, in communi sensu intelligitur Episcopus, vel ejus Vicarius. Putat tamen Fill. & dicit à S. Pœnitentiaria responsum esse, quòd sufficiat à Prælato approbatum esse, si tantùm dicatur, *ab Ordinario* approbatum, & non *ab Ordinario loci, vel locorum*, Prælati enim approbantes censentur Ordinarii respectu suorum: & in ista sententia poterit Regularis unus confiteri approbato à Prælato alterius Ordinis, *Peyrin. Fern.* & alii cum Pourrè contra Bordon. Fabrum, Bossium: attamen non poterit sæcularis eligere ejusmodi Regularem à solo Prælato approbatum, quia Prælati non sunt Ordinarii respectu sæcularium, Fill. Dian. Nugn Belleg. *q.* 2.

§. 3. Probabilius est requiri approbationem Or- 1466
dinarii loci illius, in quo fit confessio, uti dicetur *n.* 1512. & 1516.

§. 4. Eligendus debet esse approbatus respectu 1467
eligentis, hinc secundùm dicenda *à nu.* 2528. qui non est *specialiter* approbatus ad Moniales, non potest eligi à Moniali, Pelliz. Molf. Viva *qu.* 9. *art.* 2. contra Bonac. Peyr. Boss. Vasq. Similiter approbatus limitatè pro viris, non potest eligi à mulieribus, ob quamcumque causam negata sit ad has approbatio, imò etiamsi injustè, Trull. Viva contra alios. Similiter approbatus pro suis rusticis non potest eligi à civibus, &c. Suar. Rodriq. Villal. Homob. Bord. Tamb. Gob. Lug. *d.* 25. *n.* 16. contra alios. Idem dicunt priores cum Lugo *nn.* 23. contra alios de approbato ad unum tantùm locum, nempè non posse eligi ubique, sed in eo tantùm loco, Belleg. *q.* 4. De approbato pro parochia dicetur *à n.* 1536.

§. 5. Non potest extra necessitatem extremam 1468
pro Confessario eligi excommunicatus, suspensus, irregularis, multò minùs depositus, degradatus, quamvis antehac fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata. Non eligi potest complex criminis, si illi per Episcopum sublata sit potestas absolvendi complicem, aut etiam si absolvere prohibi

prohibitus est, Bonac. Averſ *qu.* 17. *ſ.* 6. Viva *qu.* 11. *art.* 3. 4. Belleg. *qu.* 5. & 6. contra Boſſ. Paſq. Dicaſt. *d.* 11. *num.* 186. qui putant non ideò tolli, vel impediri juriſdictionem à Papa conceſſam: ſed ratio noſtra eſt, ex dictis *num.* 1467. quia Epiſcopi approbant reſpectivè ad talem complicem.

1469 §. 6. Regularis approbatus ab Epiſcopo, inſcio vel invito Superiore, non poteſt eligi in Ordine Prædicatorum, in quo recepta eſt Bulla *Jubilæi III.* irritantis talem approbationem: poteſt in aliis Ordinibus, in quibus non ſcitur de receptione illius Bullæ, Caſtrop. Miranda, Rodriq. Graſſ. Zerola aliique cum Dian. *p.* 1. *t.* 4. *R.* 13. Peccabit tamen moraliter talis Regularis, aut ad minimùm venialiter, juxta modum prohibitionis, vel obligationem ſuæ Regulæ, Tamb. cum aliis, notans non eſſe fidendum tali approbationi, communiter enim erit ſubreptitia, quia per fraudem extorta, aut ex errore data ab Epiſcopo ſupponente facultatem Prælati, dependenter à cujus conſenſu vo'unt approbare Epiſcopi, Ang. Adrian. & alii cum Belleg. *q.* 7.

1470 §. 7. Si Regularis exemptus approbatus ab Ordinario, per ſententiam judicialem, & notoriam prohibitus ſit audire Confeſſiones ſæcularium, Rodriq. La Crux, Miranda, & alii dicunt non poſſe eligi: contradicunt Diana, & alii cum Tamb. & Pourrè, quia Ordinarius non poteſt privare juriſdictione conceſſa à Papa, ſed dicendum videtur cum cauſa revocati approbationem, ſine qua approbatione ſuſpenſa eſt juriſdictio. Notant etiam Suar. Laym. Caſtr. ſi ſuperior prohibeat ob inſcitiam Confeſſarii, ob timorem indignæ adminiſtrationis, vel in pœnam delicti, tum cenſeri tollere facultatem requiſitam ad valorem; ſecus ſi faciat, ne nimium impediatur, ut aliis rebus invigilet, tum enim non tollitur juriſdictio, Belleg. *q.* 8. Vide dicenda *à n.* 1546.

1471 §. 8. Si Regularis approbatus ab Epiſcopo dimittatur ab Ordine, Diana dicit poſſe eligi, Tamb. dubitat, quia perſona, & ſtatus eſt immutatus, ſi tamen in ſæculo approbatus iniviſſet Religionem, poſſet eligi, Belleg. *q.* 9.

1472 §. 9. Multi cum Sanch. Pourrè, Gob. dicunt Confeſſarium approbatum, ſub mortali teneri audire, ſi ab aliquo eligatur, quia pœnitens habet à Papa *jus eligendi*, & talis approbatus eſt legatus Judex à ſupremo Paſtore, ergo debitè requiſitus tenetur officio fungi, Belleg. *q.* 10.

1473 *Q.* 211. *Quid fieri poſſit poſt tempus Jubilæi?*

Reſp. §. 1. Confeſſarius nihil poteſt poſt tempus Jubilæi circa illum, qui non eſt lucratus Jubilæum: circa eum autem, qui confeſſus eſt, & lucratus Jubilæum, poteſt poſt Jubilæum exequi eas gratias, quas tempore Jubilæi potuiſſet, & non eſt executus: hinc poteſt abſolvere à reſervatis; Item ſi tempore Jubilæi cæpiſti confiteri, & Confeſſarius ex juſta cauſa diſtulit abſolutionem, poteſt tranſacto Jubilæo te abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris, uti dictum eſt *nu.* 1442. Item poterit abſolvere à peccatis reſervatis inculpabiliter, vel ex juſta cauſa omiſſis tempore Jubilæi, Palud. Nav. Suar. Sà, Sanch. Leſſ. Laym. Lugo, Viva *qu.* 11. *art.* 4. & 6. Idem eſt de commutatione votorum, ſi tempore Jubilæi oblitus es petere, Henriq. Sayr. Sanch. Leſſ. Caſtr. Portel. Dian. Gob. Viva *qu.* 12. *art. ult.* contra Suar. Fill. Bonac. Laym. Imò poterit fieri poſteà, etiamſi tempore Jubilæi memor nolueris petere, Sanch. Leſſ. Portel. à S. Fauſto, Gob. Ratio omnium eſt, quia per Jubilæum lucratum, acquiſiviſti jus ad illa omnia, nec eſt, cur dicatis perdidiſſe, cùm Papa executionem non reſtrinxerit ad tempus Jubilæi.

1474 §. 2. Si Confeſſio perficiatur poſt tempus Jubilæi, Sanctar. De Leon, Lugo, Gob. apud Belleg. *p.* 3. *ſ.* 15. *q.* 2. probabiliùs dicunt te non poſſe abſolvi à reſervatis commiſſis poſt Jubilæum, quia juriſdictio prorogatur tantùm reſpectivè ad peccata tempore Jubilæi exiſtentia; quod certum eſſe dicit Rhodes. Limitat Averſa *q.* 17. *ſ.* 8. niſi Papa ipſe conceſſerit facultatem differendi confeſſionem. E contrà te poſſe abſolvi etiam ab his, abſolutè dicunt à S. Fauſto, Boſſ. Viva *qu.* 11. *art. ult.* probabile dicunt Sanctar. De Leon, & Diana, quia Papa ſaltem permittens ſic differti, ſecundùm dicta *nu.* 1442. vult, ut lucretur Jubilæum, ſed non poſſet, niſi abſolvi poſſet ab illis etiam ultimis reſervatis, ergo. Et ſecundùm hanc ſententiam poterunt etiam commutari vota poſt Jubilæum omiſſa, uti volunt Boſſ. Diana, Pourrè, apud Belleg. *qu.* 3. ſed, ut dixi, oppoſitum probabilius eſt.

§. 3. Si Titius tempore Jubilæi non ſit confeſſus, quia non recordabatur mortalis, cætera tamen præſcripta impleverit, ſecundùm Sanch. Lugo, Belleg. *qu.* 4. poterit recordans reſervati, ab hoc poſt Jubilæum abſolvi, & obtinere commutationem votorum, ſuppoſita ſententia, de qua *nu.* 1414. quòd non requiratur confeſſio, ſi tibi non ſis conſcius mortalis. Idem dicunt Henriq. Con. Comit. Dian. Viva *q.* 11. *art. ult.* etiam in ſententia, quòd requiratur confeſſio. Item licèt habuiſſet mortale, & confeſſio fuiſſet invalida ex invincibili defectu doloris, vel propoſiti, quia ſi habuit animum lucrandi Jubilæum, potuit ſecundùm dicta *num.* 1447. abſolvi à peccatis, & cenſuris etiam reſervatis, etiam extra Sacramentum, ſecundùm dicenda *n.* 1695. ergo abſolutus eſt, quia Confeſſarius voluit facere, quidquid potuit. Ob eandem rationem idem dicit Lugo *diſp.* 20. *n.* 113. licèt ex malitia ſacrilegè eſſet confeſſus, dummodò intenderit, poſteà rectè confiteri, & lucrari Jubilæum: Sed quoad hoc poſterius rectè contradicit Viva, tum quia fraus non debet alicui prodeſſe, nec debet lucrum à ſacrilegio reportari, tum quia aliquid concedens generaliter, non cenſetur hoc concedere, quod negaret, ſi ſpecialiter rogaretur ex *Reg.* 81. *Juris in* 6. Papa autem non negaret tali ſacrilego, ſi rogaretur, ſicuti ſecundùm dicta *n.* 1419. negat poteſtatem per ſacrilegam Communionem implendi præceptum paſchale: Quoad prius etiam probabiliùs contradicunt Regin. Rodriq. Boſs. Averſ. §. *At.* Quia, ſaltem in Jubilæo, Bullæ tantùm concedunt facultatem tollendi cenſuras, & reſervata in confeſſione, ſecundùm dicta *n.* 1452. & hæc facultas datur in ordine ad ſuſcipiendum Sacramentum, & ad habendam tempore Jubilæi abſolutionem à peccatis, ergo mediante imprimis vera confeſſione, quæ hìc non intervenit, cùm confeſſio invalida ſit nulla: deinde etiam mediante abſolutione, per quam indirectè ſaltem tollantur peccata reſervata, & acquiratur jus ad poſteà directè tollendas cenſuras, & iſta reſervata.

1475

§. 4. Qui confeſſus eſt animo perficiendi opera, ſed non perficit, poteſt poſt Jubilæum abſolvi à reſervatis, ut dictum eſt *n.* 1449. ſed non poteſt obtinere commutationem votorum, ſecundùm dicta *n.* 1463.

1476

CAPUT II.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

1477

DUBIUM I.

Quis ſit Miniſter?

RESP. Eſt Sacardos approbatus ab Epiſcopo (ſaltem reſpectu ſæcularium) & habens juriſdictionem. Eſt certum: Ratio primæ partis ſumitur ex

„ ex *Joannis* 1. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis, &c.* Ratio secundæ sumitur ex Trid. „ *sess.* 23. *c.* 15. *de Reform.* Ubi decernit, nullum posse audire confessionem sæcularium, nisi habeat beneficium parochiale, vel approbationem ab Episcopo. Addidi, *respectu sæcularium*: quia circa confessiones regularium, Concilium nihil videtur mutasse: unde ii, cuivis etiam non approbato, quem Prælatus præfecerit, possunt confiteri, intellige, quantum est ex vi Concilii, quia Greg. XV. statuit, ut Monialium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiæ partis ex Flor. & Trid. *l. c.* quia absolutio est actus judicialis, qui requirit subditos. *Unde resolves.*

I. Nullo casu, vel dispensatione hoc Sacramentum validè administratur à non Sacerdote.

II. Ubi Trid. est receptum, (secus alibi) nullus Sacerdos, etiam Regularis, validè absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus, cui non solùm intra, sed etiam extra diœcesin suam, validè delegatur jurisdictio, potestque eligi in Confessarium ab omni habente potestatem eligendi, quamdiu tamen retinet Parochiam. Ita Fill. *tr.* 7. Reg. Suar. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 146.

ADDENDA.

1478 Q*uæst.* 212. *Quid universim notandum sit circa Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ?* R. seq §. 1. Gerson. *p.* 2. *n.* 32. *Opusc. de arte audiendi confess. in Proœmio*, ait: *Ars artium est regimen animarum, præsertim in confessionibus audiendis.* Consid. 1. addit, *Provideat ante omnia Confessor purus esse, qui purgandis animabus invigilat, spem quoque sui laboris, & perficiendi circa alios, non propria, sed divina virtute reponat.*

1479 §. 2. Quàm gratum Deo sit officium Confessarii, explicat Ludov. de Ponte *In pretiosis sensis par.* 6. *à n.* 17. his verbis: *Audire, & absolvere confitentes est actus planè heroicus, & mirum quantùm divinæ Majestati acceptus, quia in primis hoc in ministerio magis immediate quam in quovis alio Sacerdos plurimum confert ad reducendas, & reconciliandas animas suo Creatori. Deinde quia hic modo quodam speciali cuncta misericordiæ opera, tùm corporalis tum spiritualis optimè exercet: hic ignorantem docet, aberrantem in viam dirigit, offensas remittit, mærentem, & contritum consolatur, dubitanti salubria impertit consilia, pro periclitantis salute Deum efficaciter deprecatur. Hic duræ servituti mancipatum redimit, vinctum peccatorum catenis exolvit, nudum convestit stola gratiæ, egenum, & languidum cibo potuque spirituali, prout cuique fert stomachus, ac necessitas, pascit, ac reficit, unde persuasum habeo fore, ut Deus Confessario bono, & frugi misericordiam retribuat,* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, Matth. 5. *v.* 7. *Certè judicio meo porrigi vix potest eleemosyna, quæ isti valore & pretio æquivaleat..... Habet in fructuoso hoc exercitio Confessarius, ubi seipsum, & multas refractaria carnis oblectationes egregiè vincere possit. Denique, Confessarii tribunal applausus non habet, quibus Concionatoris cathedra sæpè circumsonat.*

1480 §. 3. Minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos completè ordinatus, hinc si quis esset ordinatus per traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, non autem posteà per impositionem manuum Episcopi, esset quidem Sacerdos, sed incompletè, & haberet potestatem in Corpus Christi verum consecrandum, sed non in Corpus Christi mysticum sive in fideles absolvendos: uti cum communi Amic. *d.* 15. *n.* 27. Avers. *q.* 16 *s.* 1. Si autem Episcopus imposuisset ei manus, omissa vel non ritè peracta ordinatione per traditionem patenæ, & calicis, nec posset validè consecrare, nec absolvere, quia nequidem incompletè esset Sacerdos, hæc enim secunda potestas in Corpus Christi mysticum supponit primam in Corpus Christi verum, Amic. Arr. *d.* 39. *n* 2.

§. 4. Solus Sacerdos ita est Minister Sacramen- 1481
ti Pœnitentiæ, ut non Sacerdos nunquam validè absolvat sacramentaliter; imò secundùm Nav. Valent. Suar. Arr. *n.* 4. laicus sit irregularis, si hoc attentet; quod tamen alii negant cum Lug. *d.* 18. *n.* 14. quia non invenitur expressum in Jure.

§. 5. Dubitatum est aliquando, si quis in neces- 1482
sitate confiteatur laico, an Deus tum suppleat effectum gratiæ? nam *cap. Quem pœnitent.* 88. *de pœnit. dist.* 1. sic habetur, *Sæpè contigit quòd pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert, & si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, sit tamen dignus venia ex Sacerdotis desiderio, qui socia confitetur turpitudinem criminis* Similiter S. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *ar.* 3. *quæstiun.* 2. ait, *In necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.* Et ad 1. subdit, *Defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet, & confessio laico ex defectu Sacerdotis facta sacramentalis est quodammodò, quamvis non sit Sacramentum perfectum.* Et *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiun.* 3. *ad* 2. loquens de non baptizato ad Ordines promoto ait, *Non est Sacerdos, nec conficere potest, non absolvere in foro pœnitentiali, sed tamen piè credi potest, quòd quantùm ad ultimos effectus Sacrumentorum, summus Sacerdos suppleret defectum.* Etiam Mag. Sent. *in* 4. *dist.* 17. *cap.* 4. dicit, si Sacerdos abfuerit, debere confiteri laico etiam mortalia. Quod etiam putarunt alii apud Aversam suprà. Sed obligationem illam meritò rejiciunt omnes reliqui cum Rayn. in Heter. *T.* 16. *s.* 9. *à n.* 1. Unde etiam audiendi non sunt Juristæ aliqui apud Sanc. *de Matr. l.* 3. *d.* 22. *n.* 21. qui putarunt in communi errore, quo laicus putaretur esse Sacerdos, Ecclesiam supplere jurisdictionem in laico: nam de jure divino requiritur Sacerdos, ergo in eo supplere non potest Ecclesia. Attamen quandoque utile esse confiteri laico agnoscunt Henriq. & Moya *d.* 7. *q.* 1. ut vel laicus referat peccata Sacerdoti superventuro, vel juvet ad contritionem specialem de illis peccatis eliciendam, vel dirigat circa restitutionem, vel ut hac humiliatione impetret à Deo peccatorum veniam. Videri potest etiam Illf. *hic à n.* 168.

§. 6. Quamvis sententia communior, & proba- 1483
bilior sit cum Arr. *n.* 5. & Lugo *n.* 7. quòd laicus absente Clerico nequidem in articulo mortis validè absolvat à censuris, quia tamen oppositum probabiliter tenent graves Authores, quos referunt Diana *pu.* 3. *tr.* 4. *R.* 133. & Moya *nu.* 8. eò quòd putent piam Matrem Ecclesiam, quæ id etiam laico delegare potest, pro eo articulo nolle eum, quem pœnitet, privari beneficio sepulturæ, & communibus suffragiis: hinc rectè infert Sanct. *in Decal. l.* 2. *c.* 13. *n.* 13. laicum teneri pro tali casu absolvere à censuris. Docentque etiam plures cum Quintanad. apud Moyam, laicum in defectu Clerici *posse*, adeoque debere moribundo applicare Indulgentias huic concessas pro mortis articulo, si fortè talis applicatio fieri debeat per alium.

§. 7. Tridentinum *sess.* 14. *de pœnit. c.* 6. dicit 1484
absolutionem esse adinstar actus judicialis, quo à Sacerdote velut Judice sententia pronunciatur; unde administratio Sacramenti Pœnitentiæ cum actu judiciali convenit, & diconvenit in quibusdam, nam Judex forensis non tenetur credere reo pro se, Judex sacramentalis tenetur credere pœnitenti pro se, & contra se, uti docetur *n.* 1763. Forensis debet attendere actiones, & facta, prout se habent à parte rei, & materia

materialiter: Sacramentalis, prout substant conscientiæ operantis; Forensis judicat secundùm leges: Sacramentalis secundùm conscientiam pœnitentis.

DUBIUM II.

1485 *Quid sit approbatio, & à quo petenda.*

„ Resp. I. Approbatio non est collatio jurisdictionis, sed tantùm publicum judicium de aptitudine personæ, ad audiendas confessiones, essentialiter prærequisitum (supposito jure Tridentini) ad jurisdictionem recipiendam. Ita Sanch. *lib.* 6. *de Matr. d.* 28. *& alii. Unde resolves.*

„ I. Etsi Doctores, & Licentiati, hoc ipso quòd promoventur, censeantur, secundùm quosdam, approbati à Papa, ut notat Sa v. Confessarius, probabilius tamen est, quòd ipsi etiam egeant approbatione, licèt non deceat, ut ipsi, vel Lectores in Theologia examinentur.

„ II. Etiam Parochus, qui reliquit Beneficium Parochiale, debet approbari, si velit audire confessiones.

„ III. Non requiri hanc approbationem ad audi„ tionem venialium; docet Diana *p.* 2. *tr.* 2. *misc. Resol.* 44. ex Valero. Et ratio esse videtur, quod „ approbatio tantùm requiratur in ordine ad jurisdictionem: hanc autem quivis Sacerdos pro venialibus (uti & mortalibus, à quibus ritè quis est absolutus) habeat collatam ab Ecclesia in ipsa ordinatione, ideóque ab iis absolvere possit, ut habet „ Bon. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 2. *nu.* 8. Vasq. Suar. Lug. *disp.* „ 18. *sect.* 3. *d.* 21. *num.* 1. Ubi docet ab Ecclesia in Trident. non approbatum reddi incapacem „ jurisdictionis, tantùm in ordine ad mortalia non „ priùs confessa.

„ IV. Parochi non possunt adsciscere cooperatores, „ nisi Parochos, vel approbatos, ut habent Fagund. „ *p.* 2. *l.* 7. *n.* 42. Sanctius, &c. ex *declar. Cardin.* con„ tra Ledesm. & alios. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 146. „ & Bon. *p.* 4. §. 1.

„ V. Qui habet potestatem eligendi Confessarium, „ non potest eligere nisi approbatum, vel Parochum.

„ VI. Ad approbationem non necessariò requiritur „ examen, modò adsit judicium prudens sufficien„ tiæ, Kon. Laym.

„ VII. Non sufficit approbatio petita, & negata, „ ut docetur communiter, contra Nav. Henr. & „ Diana *tom.* 1. *t.* 2. *R.* 24. etsi probabiliter cum „ prædictis docuerit Kon. & Laym. regulares Men„ dicantes, si ab Episcopo repellantur, cùm ma„ nifestè idonei sint, & à Prælatis suis præsententur, „ posse nihilominus pro confessionibus sæcularium „ exponi, uti habetur in Clementina *Dudum* §. *Sta„ tuimus.* Istis tamen privilegiis Trid. & Urbanum „ VIII. anno 1628. derogasse, notat Lugo *d.* 21. *n.* „ 29. *& n.* 51.

„ R. II. Approbatio petenda est ab Episcopo, & „ quidem proprio, scilicet Sacerdotis, ut intelligunt „ Suar. & Kon. Reg. Fill. & alii; vel (ut probabili„ ter vult Vasq.) pœnitentis: Ratio, quia est actus „ jurisdictionis, vel saltem authoritativa declaratio, „ ergo debet fieri à Superiore. Porrò nomine Episcopi „ etiam intelliguntur Prælati, habentes jurisdictio„ nem Episcopalem, ut quidam Abbates, & Capitu„ lum Sede vacante, non autem Provinciales, aut „ Generales Ordinum. *Unde resolves.*

„ I. Religiosi, etiam exempti, debent approbari „ ab Episcopo loci, in quo degunt; quia illius, quoad „ hunc actum, sunt subditi.

„ II. Episcopus in sua Diœcesi non potest approbare „ Sacerdotem alienum, nisi subdatur ei saltè ad tempus.

„ III. Episcopus potest approbare per se, vel Vicarium generalem, vel alios quoscunque deputatos, „ quia non est actus Ordinis, sed jurisdictionis. „

„ IV. Approbatio potest fieri cum restrictione ad „ certum genus personarum, locum, tempus, &c. „ Nav. Suar. Vasq. contra Vegam. „

„ V. Episcopus peccat, si Sacerdoti (præsertim Re„ gulari) idoneo, sine causa sufficienti neget approba„ tionem. Bon. Vasq. *a.* 3. *d.* 3. Lug. *n.* 54. Sanch. &c. „

„ VI. Approbatio semel absolutè concessa non tan„ tùm non extinguitur morte concedentis, sed nec re„ vocari potest sine justa causa: ex causa tamen, v.g. „ mutatione morum, judicii, &c. potest, ut docet „ Suar. Fill. & alii. Quòd si fiat absque causa ratio„ nabili, Con. Suar. & quidam alii censent revocatio„ nem esse nullam, alii illicitam tantùm, Fill. *t.* 7. *c.* 9. *q.* „ 12. In dubio autem, an ex justa causa revocatio sit „ facta, præsumendum esse Prælato, docet Lug. *n.* 67. „

„ VII. Ex justa causa possunt, præsertim à successore, „ Episcopo, ad examen revocari, non tantùm sæcula„ res, sed etiam Regulares. Docent tamen quidam, „ Mendicantes habere privilegium, ut non possint „ revocari ab eodem, à quo ante sunt approbati, sed „ contrarium docet Suar. & Lugo *n.* 61. *&* 62. „

„ VIII. An approbatus ab uno Episcopo possit in „ alia diœcesi sine nova approbatione recipere juris„ dictionem, controvertunt Doctores, ac licèt utra„ que sententia olim videri potuerit probabilis, post „ decretum tamen Urbani VIII. Anno 1628. apud Lug. „ *n.* 29. negativa omninò tenenda est. V. Avers. *q.* 16. „ *s.* 8. „

ADDENDA.

1486 *Quæst.* 213. *Quid præterea generatim notandum sit circa approbationem?* R. Seq. §. 1. Hæc est distinctio inter approbationem, & collationem jurisdictionis, quòd approbatio sit actus intellectus, seu judicium, quo Episcopus vel Superior censet hunc Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones: è contrà collatio jurisdictionis est actus voluntatis, quo Superior dat potestatem in suos subditos ad audiendas illorum confessiones: quia autem non vult, ut aliquis non idoneus audiat, hinc collatio jurisdictionis requirit approbationem velut conditionem sabtem futuram, uti cum communi Sporer *n.* 666.

Objic. Si approbatio sit, aut requirat judicium de idoneitate, ergo si Episcopus externè tantùm approbaret eum, quem internè judicat esse idoneum, ille invalidè absolveret. R. Bon. concedit seq. sed probabiliùs negant Suar. & Lug. *d.* 21. *nu.* 25. quia Trid. tantùm loquitur de judicio externo, quod consistit in verbis illud significantibus. Et ita Judex dicitur ferre sententiam validam in foro externo, licèt contra conscientiam, & judicium internum pronunciet.

1487 §. 2. Ad validè absolvendum sæculares præquiritur approbatio Episcopi, nam Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *de Ref.* ait, *Quamvis presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accepiant, decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quę gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstantibus.* Idem statuerunt multi Pontifices, uti constabit ex dicendis. *Dixi*, ad absolvendum sæculares, nam nihil innovatum est circa Confessarios Regularium, uti cum communi Lugo *n.* 2. Aversa *qu.* 16. *s.* 7. Spor. *num.* 666. ad quorum confessiones audiendas sufficit designatio Superioris: quod *Aversa* extendit etiam ad Confessarium Novitiorum, cùm in favoribus communicent cum Religiosis. Quid autem jure novo statu

statutum sit circa confessiones Monialium, dicetur *à nu.* 1528.

1488 §. 3. *Tridentinum* præcipit quidem approbationem gratis dari, probabiliùs tamen est cùm Suar. & Lugo *n.* 26. fore validam, licèt detur non gratis, quia quamvis ex verbis *Tridentini* colligatur præceptum, non tamen continetur irritatio: Et saltem fiet suppletio propter errorem communem, secundùm dicta *lib.* 6. *part.* 1. *à n.* 112.

1489 § 4. Videtur nunc tenendum, quòd ad absolvendum à venialibus, prærequiratur approbatio Ordinarii, nam licèt antehac ab omnibus ferè cum *Busemb.* suprà supponeretur tanquam certum, quòd facultas absolvendi in venialibus esset in Ordinatione concessa omni Sacerdoti, vel jure divino, uti volebat *Vasq.* vel jure Ecclesiastico supposita immemoriali consuetudine, tamen nunc aliter statuit *Inn. XI.* in decreto de Communione quotidiana, quod retuli *l.* 6. *p.* 1. *n.* 665. ubi sic præcipit Ordinariis, *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato*, ergo talis absolutio est saltem illicita. An autem sit valida, est incertum, negant aliqui cum *Platelio*, sed probabiliùs affirmant Carden. *d.* 2. *c.* 6. *ar.* 9. & 10. Spor. *t.* 667. quia ex hoc, quòd Pontifex tantùm velit prohiberi, & non permitti, non sequitur tolli jurisdictionem, vel irritari absolutionem.

1490 §. 5. Sacerdos non approbatus non potest absolvere à mortalibus dubiis, Mendo *d.* 10. *à n.* 49. estque etiam probabilius cum Moya *d.* 7. *q.* 1. *n.* 10. contra *Croussers* & alios, si quis sola mortalia, etiam bona fide, confessus sit non approbato, non esse validè absolutum: si tamen addidisset veniale, aut antehac confessum, probabilius est fore ab hoc directè absolutum, & ab aliis mortalibus indirectè, cum obligatione ea postmodum directè subjiciendi clavibus apud alium approbatum.

1491 §. 6. Quamvis Ordinarius possit non admittere ad examen pro approbatione, si tamen admiserit, non potest absque injustitia negare approbationi digno, Lug. *n.* 49. Gorm. *p.* 2. *n.* 361. Ratio est; quia intervenit quasi contractus, ut alias fit in concursu, quo dicitur; *subjicio me examini ea conditione, ut approber, si inveniar dignus: examinabo te, ut approbem, si inveniam dignum.*

1492 §. 7. Justæ causæ approbandi tantùm ad tempus sunt, si nunc sit necessitas habendi plures Confessarios, quæ posteà cesset; si pro nunc habeat quidem sufficientem scientiam, sed meritò desideretur major ad approbationem perpetuam: si prudenter timeatur, ne habita simul perpetua approbatione negligat studium: ad probandum, an principia generalia benè applicet in praxi, vel an non si fortè heteroclitus, nimiùm laxus, vel rigidus. Negari non potest ex hoc, quòd approbandus jurare nolit se non usurum certis opinionibus probabilibus, quia hæc conditio est irrationabilis, & insolita, Pignat. *t.* 8. *cons.* 15.

1493 §. 8 Fieri potest solis verbis, Lugo *nu.* 26. at expedit fieri scripto, ut certiùs constet de ea, & de modo, quo concessa est.

1494 *Q.* 214. *Quid addendum sit circa potestatem approbandi?* R. seq. §. 1. Nuntium Apostolicum posse quoscunque Sacerdotes pro sua Provincia approbare tenent multi: Tolchus *v. Legatus concl.* 158. ait, *Legatus Apostolicus in sua Provincia habet ordinariam jurisdictionem. Quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi respectu jurisdictionis, potest Legatus in sua Provincia, hoc excepto, quòd Capitulum potest alienare cum consensu Episcopi, non Legati.* Similiter loquuntur Azor *pu.* 2. *l.* 5. *cap.* 27. *qu.* 5. Barbos. *in Collect. ad l.* 1. *tit.* 30. *ad cap. Cùm non ignoretis num.* 2. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gl.* 25. *num.* 15. Rebuff. *Praxi benef. tit. de Union* 24. Pirhing. *l.* 1. *t.* 30. *num.* 4. Wagner. *in Decret. l.* 1. *tit.* 30. *ad cap.* 1. *Nota* 2. Idem tenent Aversa. *de Sacram. q.* 46 *s.* 5. *n.* 7. Pontius *de Matr. l.* 5. *c.* 10. *n.* 7. Sannig. *ad l.* 1. *tit.* 30. Viva *de Jubil. q.* 9. *art.* 4. Hinc inferunt Gob. & Less. *in Auct. v. Confessarius casu.* 1. Nuntium posse Superiori regulari communicare potestatem approbandi, cùm potestas illa sit ipsi ordinaria. Similiter docet Pelliz. *t.* 9. *c.* 2. *n.* 81. Legatum à latere non tantùm posse approbare ad audiendas Confessiones in sua Provincia, sed etiam dare facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, quamvis addat non expedire, ut id sæpius faciat, ne offendantur Episcopi, & contemnantur reservationes. Contra hactenus dicta dicit Pignat. *tom.* 2. *consult.* 1. Nuntium non posse approbare ad audiendas confessiones, nec quosvis ordinare de sua Provincia, &c. eò quòd illa per *Trid.* reserventur, seu specialiter committantur potestati Episcoporum, pro quo adducit declarationes, quæ an authenticæ sint, rescire non possum, scient Nuntii ista facientes, quid possint. Et ex dicendis *n.* 1533. colligetur. Nuntios in Germania, & cum eis Sacram pœnitentiariam censuisse, quòd eis competat ordinaria potestas approbandi etiam Regulares in sua Provincia.

§. 2. Episcopus electus, & confirmatus, quamvis non consecratus, approbare potest, quia approbatio non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, Lug. *d.* 21. *n.* 17. Si Episcopus sit excommunicatus, *Bonac. & Tamb.* putant adhuc posse approbare, eò quòd approbatio sit tantùm judicium, & simplex testificatio Episcopi, prout est talis persona superior, qualis in excommunicatione videtur manere: sed Aversa, Pontius c. 17. & alii probabiliùs dicunt non posse, si sit excommunicatus non toleratus, quia approbatio videtur esse actus Episcopi, prout Episcopus est, requirens jurisdictionem, quam non habet talis excommunicatus. 1495

§. 3. Ideò Sedes vacans approbare potest, quia quoad hoc habet facultatem Episcopi. Ideò convenit Vicarium in Spiritualibus habere potestatem approbandi, quia habet potestatem ordinariam, faciens unum cum Episcopo Tribunal. V. Leur. *de Vicario q.* 134. 1496

§. 4. Illi Abbates habent jurisdictionem quasi Episcopalem in ordine ad approbandum, qui habent diœcesim aliquam nulli Episcopo subjectam aut saltem secundùm *Sanch.* qui solent laicos Matrimonio jungere, super eorum votis dispensare, visitare Parochias, excommunicare, &c. Quamvis enim *Trid.* deroget omnibus privilegiis datis ad declinandum examen Episcoporum, tamen ejusmodi Abbates respectu Sacerdotum sæcularium Ecclesiis sibi subjectis præficiendorum veniunt nomine Episcoporum, quia quoad potestatem sunt Episcopi, Suar. Henriq. Præpos. Sanch. Gob. & alii cum Sylv. *p.* 2. *v. Confessarius.* 1497

§. 5. Quamvis Parochus possit simplici Sacerdoti non approbato delegare jurisdictionem administrandi reliqua Sacramenta, Baro. Possev. Leur. *in foro benef. p.* 1. *q.* 435. *n.* 1. 5. & *seq.* tamen non potest approbare, aut tali delegare potestatem ad audiendas suorum confessiones, quia hoc est Episcopi, seu Ordinarii, Lug. *n.* 6. Leur. *n.* 4. Et sine jurisdictione ab Ordinario, vel à Parocho, saltem tacitè, delegata non posset alius Parochus illius parochianum audire, communis cum Leur. *nu.* 3. 1498

§. 6. Videtur dicendum, quòd etiam Archidiaconi, aut *Præpositi*, per se loquendo, & ex vi officii, non habeant potestatem approbandi; unde si alicubi faciant, id erit ex delegatione Episcoporum, qui semper possint revocare. 1499

1500 §. 7. Ordinarius extra diœcesim suam existens potest approbare, quia hic actus non est jurisdictionis contentiosæ, quæ exigat exerceri in proprio tribunali, sed voluntariæ, quæ extra proprium territorium communiter exerceri potest. Putat tamen Lugo *in Resp. Mor. lib. 1. dub. 17.* Episcopum Antuerpiensem existentem Namurci non posse approbare Sacerdotem Namurcensem pro sua diœcesi Antuerpiensi, quia Namurci existens non est ullo modo Ordinarius, sed Superior respectu Sacerdotis Nam qualis esse posset saltem ratione loci, si cum illo esset in diœcesi Antuerpiensi, ubi ipse est Ordinarius.

1501 §. 8. Si Titius approbatus tantùm pro Antuerpia, Namurci audiat Cajum Namurcensem habentem ab Episcopo Namurcensi licentiam eligendi quemcumque Confessarium videtur posse validè absolvere, quia hoc ipso, quòd Episcopus Namurcensis det Cajo istam licentiam, vult quemcunque Confessarium habere jurisdictionem, & approbationem pro Cajo absolvendo, neque licentiam suam restrinxit ad Confessarium à se approbatum, sed extendit ad *quemcunque Confessarium*, approbatum, Titius autem est Confessarius simpliciter approbatus, quia approbatus est Antuerpiæ. E contrà tamen si Titius Namurci audiat Sempronium habentem ab Episcopo suo Leodiensi licentiam eligendi quemcunque Confessarium. Titius invalidè absolveret, quia ab Episcopo Antuerpiensi non est nisi pro Antuerpia approbatus, & Episcopus Leodiensis non potuit approbare Titium, utpotè nullo modo subjectum nequidem ratione loci, in quo audit: à Namurcensi autem Episcopo, ubi audit, etiam nullo modo censeri potest approbatus, ergo.

1502 *Q. 215. An approbatus in una diœcesi censeri debeat ubique approbatus?* Resp. Negativè: quod certum est saltem quoad Regulares, ex constitutione *Clementis X.* cujus clausulas concernentes subjicio.

CONSTITUTIO CLEMENTIS X.

Superna magni Patris-familias, &c.

§. 1. Sanè cùm S. Concil. Tridentini Decretis provide statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Itidemque cùm nullus Sacerdos Regularis possit confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, alio aliàs idoneus judicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen & approbationem ejusmodi in aliquibus diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, & dissensiones permultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

1503 §. 2. Nos attendentes quòd aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque Declarationibus definitæ fuerint, ejusmodi Definitiones in unum collectas, ut magis magisque dissensionum tollantur semina & imposterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur Apostolatus Officio novis Apostolicis litteris muniendas duximus, & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus.

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere? prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quòd si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris aliisque pœnis Ecclasiasticis in vim Constitutionis fel. record. *Gregorii XV.* Prædecessoris nostri, incipientis *Inscrutabilis Dei providentia* cœrceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere, & hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum licèt clausis januis, & nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam, examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent. 1504

§. 4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos regulares quàm Confessarios Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales; non autem illorum, 1505

qui

qui tantùm ipsis deserviunt ; illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, cæterorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos : quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in diœcesi approbantis quovis anni tempore etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia : De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi : sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

1506 §. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit : *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat satisfeciisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipomet Episcopo, secus autem ab ejus Vicario, aut antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concerant. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet ; nec eam tenert Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi apertiri postulaverit.

1507 §. 6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualis sit vitæ integritas, ac morum honestas ; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis : Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessariis adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse Ex facultatibus per *Marem magnum* aliave privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, instituti, au Societatis etiam JESU concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis, & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post sacrum *Conc. Trid.* obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

1508 §. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere : posse autem Regularem Confessarium in Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse : Vigore supra dictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere pœnitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denuntiatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum. sed cùm ejus sit interpretari, cujus est concedere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs constitutione Prædecessoris nostri. fel. record. *Clementis IV.* statutum fuit, esse requirendum.

§. 8. Decernentes, sic & non aliàs per quos- 1509
cunque Judices ordinarios, vel delegatos quavis authoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Nuntios, & quosvis alios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari & definiri debere. Irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus quibusvis constitutioni- 1510
bus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque quorumvis Ordinum tam mendicantium, quàm non mendicantium, militarium, etiam S. Joannis Hierosolymit. Congregat. Societ. etiam JESU, ac cujusvis alterius instituti etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tam sæcularium, quàm regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exceptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis aut èx causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam *Mari magno*, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis ; Conservatorum Deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illii eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, & observata, inserti forent, præsentibus pro planè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, aliàs in suo robore permansuris harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum *Romæ* 21. Junii, publicatum 2. Aug. 1670.

1. *Constitutio illa* obligat omnes Regulares, 1511
etiam *Societatis* JESU ; & derogat omnibus quorum-

cunque etiam Mendicantium Ordinum privilegiis, ac si de verbo ad verbum hic exprimerentur, uti constat ex §. 9. Et hoc sufficere ad efficaciter derogandum, constat ex dictis *n.* 1464. Hinc si ego Sacerdos Regularis Coloniæ approbatus, item cum cive Colonienſi Ruræmundam, non possem hunc absolvere Ruræmundæ, quia non sum approbatus ab Episcopo Ruræmundano.

1512 2. Regularis approbatus in hac tantùm diœcesi non potest nequidem vi Bullæ Cruciatæ, vel in Jubilæo eligi in alia diœcesi ad audiendas confessiones, quia Pontifices declararunt Ordinarium, à quo ille, qui eligitur, debet esse approbatus, esse Ordinarium, illius diœcesis, in qua audiuntur confessiones, Lugo, Tamb. Loth. Carden. *in 2. crisi d. 2. à n.* 271. Belleg. *p.* 3. *s.* 9. *q* 2. contra Viva *de Jubil. q.* 9. *art* 3. qui putat in Jubilæo sufficere approbationem Episcopi pœnitentis.

1513 3. Putarunt Platel. *p.* 5. *num.* 874. Taberna *de pœnit. c.* 6. §. 2. *qu.* 4. & alii tres Doctores hujus Provinciæ, quos consului, Sacerdotem Societatis in una diœcesi approbatum, dum iter agit per alias diœceses, adhuc posse audire confessiones quorumcunque sæcularium exceptis locis, in quibus Ordinarii existunt, & dummodò Parochi non repugnent, id enim habemus vi Bullæ Greg. XIII. *Decet Romanum Pontificem*: quo privilegio, uti innuit Lugo *d.* 21. *n.* 47. simus subditi, & censemur approbati ab illo Ordinario, in cujus diœcesi simus. Putantque plures apud Dianam *p.* 3. *t.* 2. *R.* 123. Decreta Pontificum, quæ videntur talem facultatem revocare, tantùm loqui de potestate audiendi confessiones permanenter non autem transeunter, hoc enim est minus, & diversum privilegium. Sed cùm *Clemens* ad confessiones simpliciter audiendas, præscindendo an transeunter, an permanenter, universim requirat approbationē Ordinarii loci, in quo Regularis audit, ac revocet omnia qualiacumque, & quomodocumque data privilegia in contrarium, non auderem sententiam illam equi. Nec novum *Comp. privil. Societatis v. Confessarius* §. 2. videtur satis fidere isti privilegio.

1514 4. Docet Gobat. *t.* 7. *n.* 85. ex quo notarunt alii, quòd in locis Germaniæ vel omnibus, vel plerisque, Sacerdotes Societatis, & alii Mendicantes in una diœcesi approbati, nova approbatione in alia communiter non egeant, ex tacita Episcoporum concessione. Sed de hac satis non constat, cùm viderim sæpè Regulares ex una ad aliam diœcesim transeuntes sistere se Ordinariis, & per hoc tantùm facilitare approbationem sui pro nova diœcesi, si ostendant approbationes aliarum diœceseon.

1515 5. Regularis approbatus potest suum socium Regularem ejusdem Ordinis absolvere, in quacumque diœcesi sit cum illo, quia decreta Pontificum tantùm loquuntur de confessionibus sæcularium, & Religiosorum alterius Ordinis.

1516 6. Dicta decreta tantùm loquuntur de Confessariis Regularibus, hinc quoad Parochos, seu alios Sacerdotes sæculares manet antiqua quæstio, à quo Episcopo approbati esse debeant, *Henriq.* & alii dixerunt sufficere à quocumque Episcopo, sive pœnitentis, sive Confessarii, sive alio, quia *Trid.* tantum requirit approbationem Episcopi, abstrahendo, quis ille sit; sed sententiam illam merriò rejicit Lug. *n.* 29. & ratio colligetur ex dicendis. Alii cum *Viva* dicunt requiri, & sufficere approbationem ab Episcopo pœnitentis, quia penes Episcopum est committere oves suas illi, cui vult, & judicat expedire: sed contra hanc sententiam sunt multæ declarationes S. Congreg. apud Lugo *num.* 31. de quibus tamen videri potest Leuren. *in foro benef. p.* 1. *q.* 43. *n.* 2. Alii cum Suar. & Castrop. *punct.* 29. §. 3. dicunt requiri, & sufficere approbationem ab Episcopo Confessarii, quia Confessarius debet probari ab Episcopo, ergo debet illi esse subjectus. Sed contra hanc sententiam etiam est, quia si vera est, Sacerdos Colonienſis non posset Monasterii approbari ab Episcopo Monasterienſi pro confessionibus Monasterii audiendis, quod est incredibile, & contra praxim, inquit Lug. *n.* 33. & 36. Alii cum Nav. Barb. Lugo *n.* 35. determinatè requirunt approbationem ab Episcopo illius loci, in quo quis confessiones audit, quia spectat ad Episcopum, ne quis in sua diœcesi confessiones audiat, qui ab eo non est judicatus idoneus, sicuti ad Magistratum urbis spectat, ne Medicus absque ejus licentia civibus medicinas præscribat. Hæc sententia videtur probabilior, eamque Carden. *n.* 271. putat nunc esse certam ex Constitut. *Clementis X.* quia quando hoc declaratur de Confessario Regulari, facilè à paritate rationis idem colligitur de sæculari; sed ratio ista nulla est, nam in positivis non valet illatio à pari, imò nec à majori ad minus, vel contrà, aliàs bene sic argumentarer: hic Episcopus reservat blasphemiam: ergo eitam odium Dei, Papa reservat lectionem libri hæretici, ergo etiam desperationem, &c. Hinc Illſ. *tr.* 6. *d.* 6. *n.* 177. & alii multi cum Leur. *n.* 1. non improbabiliter dicunt sal em Parochum hujus diœcesis non indigere alia approbatione ad alibi audiendam confessionem sui subditi, quia cum ratione muneris sit Pastor ejus, & Confessarius ordinarius, satis à *Trid.* censetur pro illo ubique audiendo approbatus: sicuti etiam Confessarii Principum, & Magnatum, qui respectu illorum sunt veluti Parochi, quando per varias diœceses illos comitantur, audiunt illos ubique sine approbatione singulorum Ordinariorum. Et idem videtur dicere Lugo *n.* 42. de quocumque sæculari Sacerdote approbato retinente domicilium in hac diœcesi, si cum subdito hujus diœcesis peregrinetur in alia diœcesi: Et ideò etiam Sanch. & alii apud Leur. *q.* 435 *n.* 4. docent, si Parochus alteri approbato non Parocho deleget jurisdictionem in suos, hunc delegatum posse istos Parochianos audire etiam extra diœcesim, cujus est Parochus delegans, sicut enim hic Parochus posset audire suos in alia diœcesi, ita poterit habens delegatam ab illo potestatem. E contrà tamen docet probabiliùs *Illſ.* etiam Parochum hujus diœcesis non posse extra hanc diœcesim audire alienos sine approbatione Episcopi loci.

1517 7. Quod dictum est de Parocho sæculari, videtur dicendum etiam de Regulari habente verum beneficium Parochiale, quia simili modo supponitur jam approbatus in hac diœcesi pro sua Parochia, cui affixus est.

1518 8. Quod attinet ad Missionarios castrenses, Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 10. *n.* 5. rectè docet eos, qui ab Episcopo præficiuntur alicui legioni suæ pro administrandis Sacramentis, esse talis legionis veluti Parochos, ubicunque terrarum illa fuerit, & etiamsi novi milites accedant, aut succedant aliis: sed tota difficultas est, si Missionarius ille sit Regularis, an propter Constit. *Clementis X.* debeat approbari ab Episcopis omnium diœcesium, per quas transit, aut in quibus fortè commoratur legio. Negarunt duo Doctores à me interrogati, & putarunt sequentia posse tutò teneri: 1. Talem Castrensem etiam Regularem, ubicunque sit, esse approbatum pro sua legione. 2. Si mili es alii etiam ex alia legione, cui alius Sacerdos Castrensis præest, ad eum accedant, posse absolvi, quia milites omnes censentur esse veluti vagi, & proprii Missionarii contenti sunt, ipsi autem sunt approbati etiam pro illa diœcesi respectu suæ legionis; ergo sicuti si subditus hujus Parochiæ veniat ad

Parochiam

Parochiam alterius vicini, potest ab hoc Parocho absolvi, uti habet praxis, ita etiam hìc. 3. Videtur idem dicendum esse de aliis hominibus vagis, qui quamvis non sint milites, tamen fortè in exercitu sunt, vel in præsidio, & petunt ab eis absolvi. 4. Quod attinet ad alios, qui non sunt vagi, sed Parochiani locorum, in quibus sunt, vel per quæ transeunt legiones, quoad hos videtur in rigore observanda Constit. *Clementis* 5. Unus eorum Doctorum addidit talem Castrensem habere jurisdictionem pro toto exercitu, ideóque si unus Tribunus alterius legionis eum peteret, posse etiam hunc absolvere, nam si hìc moreretur, alter in ejus locum posset succedere absque nova authoritate Superiorum, quorum voluntas hìc est talis. Ita viri illi: ego autem nihil definio: attamen pro confirmandis hìc dictis *nn.* 1. occurrit hæc ratio, quia tales castrenses sunt Parochi suæ legionis, ergo talis legio est ipsius Parochia, ergo ubicumque sit legio, ipse semper est in sua Parochia, dicitur enim Parochus à παροικος accola, seu incola, eò quòd collocetur inter eos, quorum, quoad animam, curam gerit, uti dixi *l.* 4. *n.* 599. ergo cùm semper sit inter legionem suam, semper est in Parochia sua, & non tantùm circumducit parochianos suos, sed reipsa circumfert totam Parochiam suam, uti enim legio est vaga, & nullo loco fixa, ita & Parochia illius, ergo sicuti Parochus existens in sua Parochia semper potest absolvere suos, ita & talis Missionarius.

1519 *Q.* 216. *Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium?* R. Seq. §. 1. Illi Regulares approbantur ab Episcopo, qui approbantur à Superioribus suis ex speciali gratia, vel facultate concessa ab Episcopis, uti per se patet.

1520 §. 2. Ex *n.* 1505. constat Confessarium Regularem exemptum quamvis secundùm dicenda num. 1552. habeat jurisdictionem à Papa, attamen hanc habere suspensam usque ad approbationem Episcopi, qui si hanc semel dederit, functus est officio suo, & tum habent Regulares jurisdictionem à Papa acceptam, omninò expeditam, nec impedibilem ab Episcopo, secundùm dicenda n. 1545. Tenetur autem Episcopus Regularem reperrum absolutè idoneum approbare indistinctè sine restrictione ad tempus, loca, personas, uti habet *Clemens X. n.* 1505. Non sufficit autem petitam esse & injustè denegatam approbationem, uti colligitur etiam ex hac prop. 13. ab *Alex. VII.* damnata, *Satis facit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, & ab eo injustè reprobato.* An verò possit Episcopus revocare approbationem semel datam, dicetur *n.* 1545.

1521 §. 3. Quamvis plures apud Lug. *d.* 21. *n.* 9. dixerint Prælatos Regulares, uti Provinciales, Priores, Guardianos, Rectores, non indigere approbatione ad audiendas confessiones sæcularium, eò quòd sint veluti Parochi curam animarum habentes, tamen oppositum omninò tenendum est cum Suar. Fagund. Lug. *n.* 10. Viva *de Jubil. q.* 9. *a* 4. quia reipsa non sunt Parochi cùm Parochus definiatur esse, qui authoritate Episcopi, Ecclesiæ parochiali est præfectus: ut populo sub ministret pabulum verbi Dei, & Sacramentorum, ergo etiam de talibus Prælatis valent dicta *n.* 1505. De Abbatibus dicetur *n.* 1535.

1522 §. 4. Si sæculares in Monasterio famulentur Regularibus, & non sint de familia, id est, continuò ibi non fruantur mensa, opus est approbatione Ordinarii, ut audiri possint, uti tenent omnes cum Sylv. *p.* 1. *v. Confessarii approbatio:* Et quamvis sint de familia, si Superiores Monasteriorum non sint Abbates cum potestate, de qua dictum est *n.* 1497. adhuc opus esse approbatione Ordinarii ad illos audiendos, tenent Sylv. suprà, & iterùm *p.* 2. *v. Confessarii approbatio.* Sed rectè contradicunt *Rodriq. La Crux. Tann.* & jam certum est ex *n.* 1505.

§. 5. Si Episcopus, aut Vicarius illius Generalis 1523
concedat Regulari facultatem audiendi diœcesanos, vel si det alicui diœcesano facultatem confitendi Regularibus, frustrà repugnant Parochi, nam singuli parochiani sunt subditi Ordinario tanquam Pastori universali omnium, etiam ipsorummet Parochorum.

Q. 217. *Cui confiteri debeant, aut possint Regu-* 1524
lares itinerantes? R. §. 1. Regularis saltem Societatis JESU, confiteri debet socio suo Sacerdoti ejusdem Ordinis, non autem externo aut alterius Ordinis, imò nec ejusdem Ordinis fortè in via occurrenti. Quòd si non adsit Confessarius ejusdem Ordinis, potest confiteri cuivis, etiam non Regulari. Putantque Suar. Tamb. Sporer *n.* 685 Burgh. *cent.* 2 *casu* 8. contra *Vasq.* etiam non approbato ab Episcopo, quia Prælatus censetur id permittere, si sit consuetudo, vel necessitas confitendi, aut communicandi de via; nec requiritur, ut Confessarius Regularis sit ab Episcopo approbatus, saltem exceptis Monialibus, sed secundùm dicta *n.* 1487. satis est esse designatus à Superiore.

§. 2. Religiosus Soc. JESU divertens ad aliquam 1525
domum sui Ordinis tenetur confiteri aut socio viæ, aut uni ex ordinariis Confessariis illius domus. Gob. *tr.* 7. *n.* 646. Quid facere debeat, si casum reservatum habeat dicetur *n.* 1679. Quoad alios religiosos quisque debet se conformare suis Statutis vel consuetudini.

§. 3. Si Moniales absint à suis Monasteriis, etiam 1526
scient quid sibi liceat per Statuta, vel consuetudinem; quòd si nesciatur de Statuto vel consuetudine, putat *Platelius* permitti ut cuivis confiteantur. Melius tamen est interrogare, an facultatem habeant? & si affirment, credi potest.

§. 4. Dubium est, an Moniales cum licentia degen- 1527
tes extra Monasterium, & à Superioribus suis habentes potestatem confitendi cuicumque, possint confiteri non approbato specialiter pro Monialibus: & videtur, quòd sic; quia quamvis *Greg. XV.* in Constit. *Inscrutabili*, quam refert *Synodus Colon.* anni 1661. pag. 173. dicat, *Confessarios verò sive Regulares, sive sæculares quomodocunque exempti, tam ordinarii quàm extraordinarii ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant*; tamen videtur intelligere de illis solis Confessariis, qui vel sunt Ordinarii in Monasteriis vel extraordinariè mittutur pro audiendis Monialibus, secundùm dicenda *n.* 1534 adeóque intelligit de Monialibus in Monasteriis degentibus, supponit enim juxta alias Bullas Apostolicas, quòd Moniales semper sint intra clausuram. Et etiam id solùm videtur velle *Clemens X.* relatus *n.* 1505. nam paulò ante dicit se Prædecessorum Constitutiones, & declarationes *in unum colligas* ..... *munire, & roborare*, ergo etiam ipse intelligit tantùm Confessarios ordinarios, vel extraordinariè deputandos pro audiendis intra claustra Monialibus, quales non sunt, qui audiunt peregrinas, ergo de his non loquuntur Pontifices: & consequenter cùm à jure antiquo recedendum non sit, nisi quatenus de novo fuerit expressum, *l. Præcipimus.* §. 6. *Cod. de appel.* ejusmodi Sacerdotes possunt, uti anteà, absolvere Moniales per accidens ad se venientes, quamvis non sint ad eas specialiter approbati. *Conf.* nam saltem per epikiam id dicendum est in Germania, in qua Monialibus sæpè conceditur longo tempore abesse, & morari in locis, ubi nullo, aut rarissimi sunt tales specialiter approbati, credibile autem non est Papam velle illas tanto tempore carere Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

Q. 218.

1528 *Q.* 218. *Quid præterea notandum sit circa approbationem, & Confessarium pro Monialibus?* Resp. §. 1. Ad audiendas sive ordinariè, sive extraordinariè Moniales, etiam exemptas à Jurisdictione Episcopi, requiritur approbatio Episcopi, secundùm dicta *n.* 1527. sic enim habet Constitutio *Greg. XV.* Hanc tamen Constitutionem, quoad punctum illud approbationis pro Monialibus exemptis, non esse receptam pro regnis Hispano subjectis, sed ab *Urbano VIII.* suspensam, testatur Lezana *tom.* 1. *Summæ c.* 19. *n.* 35. ideóque Platelius *p.* 5. *n.* 895 & Loth. *tr.* 23. *q.* 5. dicunt non obligare pro *Belgio*, in quo secundùm Trid. *sess* 23. *cap.* 15. *de Ref.* solummodò ad audiendas confessiones sæcularium non autem Regularium requiritur approbatio Episcopi. Constitutio autem *Clementis X.* relata *à n.* 1502. non videtur ponere novum jus, sed tantùm roborare, & declarare Constitutiones priorum Pontificum, uti habent verba *num.* 1503. relata. An autem Constitutiones illæ quoad hoc punctum alibi ubique receptæ sint, & obligent, dubitatur; negant aliqui, quia Episcopi non videntur urgere, sed connivent, uti in multis aliis per tales Constitutiones statutis, v. gr. ut Regulares in templis suis non concionentur, nisi accepta benedictione ab Episcopo, in alienis autem non nisi cum licentia, uti verba habent *n.* 1504. relata. E contrà, quòd sufficienter his locis receptæ sint, & obligent, suadent sequentia; imprimis quia in diœcesibus vicinis observantur quoad punctum illud, speciatim in Paderbornensi. Deinde Constitutio *Greg. XV.* est promulgata in *Synodo Colon.* 1662. pag. 173. ideóque eam Coloniæ observant Patres Franciscani respectu Monialium sibi subjectarum, vigetque etiam in diœcesi Monasteriensi, ac etiam in Hildesiensi recepta est *Clementis X.* Constitutio, ergo pro talibus locis, requiritur, ut Confessarius Monialium sit ab Episcopo approbatus.

1529 §. 2. Sylv. *p.* 2. *v. Confessio casu* 2. testatur responsum sacræ Congregationis approbatum à *Greg. XV.* & *Urb. VIII.* dicere, quòd Regulares ad audiendas Moniales sibi subjectas egeant *specialis* Episcopi approbatione: quod clarè exprimit *Clem. X.* 1505. relatus, ubi addit approbatum ad unum Monasterium non esse approbatum ad aliud, & deputatum pro una vice non esse deputatum pro pluribus vicibus. Quando autem dicit, Monialium *sibi subjectarum*, non est sensus sibi, id est, Episcopo subjectarum, ut videtur intelligere *Platelius* sed sibi, id est, Regularibus subjectarum, nam de Regularibus ibi loquebatur, ad quos si referatur reciprocum, *sibi*, est propria locutio, si autem ad Episcopum, est minus bona, & parum syntactica, standum est autem pro sensu proprio verborum, vel ideò etiam, quia de subjectis Episcopo non poterat esse dubium, cùm certum esset ad eas audiendas requiri specialem Episcopi approbationem.

1530 §. 3. Ut quis dicatur approbatus *specialiter* ad Moniales, non est satis esse approbatum generaliter ad omnes Christi fideles, quamvis Episcopus non exceperit Moniales, *Platelius*: Nec satis est esse approbatum ad viros, & mulieres, Tamb. *de Pœn. c.* 5. §. 2. *n.* 19. sed necesse est, ut quando datur, vel petitur approbatio pro Monialibus, expressa fiat mentio de illis, aut ex circumstantiis satis intelligatur, quòd mens Episcopi se etiam ad Moniales extendat, ut si Episcopus alicui approbato det licentiam audiendi Moniales, in hac licentia continetur specialis approbatio. *Platelius.*

1531 §. 4. Qui approbantur à Superioribus Ordinum habentibus ab Episcopo potestatem approbandi etiam pro Monialibus, æquivalenter approbantur ab Episcopo. Cùm autem illi, qui ad Moniales mittuntur, communiter bona fide peragant, supponentes se sufficienter approbatos esse, spectat ad Superiores curare, ut hanc *specialiter* pro Monialibus approbandi potestatem habeant, quam non habent, nisi quando petunt, in specie formaliter, vel æquivalenter fiat mentio de Monialibus, quia si petatur, & concedatur generatim potestas approbandi, quamvis concedens non excipiat Moniales, illi, qui ex vi talis concessionis approbantur, non approbantur *specialiter* ad Moniales, sed tantùm generaliter, in quantùm hæ continentur sub nomine pertinentium ad talem diœcesim.

§. 5. Ut audiri possint exemptæ, præter Episcopi 1532
approbationem requiritur licentia Superiorum Ordinis, in quo est ista exempta: quia quamvis Pontifices illimitatè nobis dederint jurisdictionem in omnes Christi fideles pro locis, in quibus approbati sumus, tamen per hoc non intendunt derogare Constitutionibus, aut privilegiis Religionum, vi quorum non possunt ejusmodi Regulares confiteri nisi Confessariis à Superiore designatis, Platel. *n.* 886. Steph. *t.* 5. *n.* 202. Sylv. *p.* 2. v. *Conf. casu* 1. vide dicenda *num.* 1577.

§. 6. Ut audiri possint subjectæ Episcopo, sufficit, 1533
per se loquendo, approbatio illa specialis, & facultas Episcopi, quamvis Superiores Ordinis nollent, quia prævalet Episcopi jurisdictio, uti in simili casu de Abbate notat Sylv. *p.* 1. v. *Abbas casu.* 1. addens *p.* 2. v. *Confessio casu* 2. consensum Abbatissæ quandoque tantùm ad hoc requiri, ut licitè fiat: putat tamen non fore mortale, si illa insciа fiat, præsertim ex causa rationabili. Quòd si ille, ad quem spectat dare jurisdictionem, non vellet hanc aliter concedere, quàm sub conditione licentiæ ab Abbatissa obtentæ, patet absolutionem fore invalidam. *Dixi*, per se loquendo, nam in Clementina *Dudum* De sepulturis, aliter statuitur de Ordine Fratrum Minorum, & Prædicatorum, quamvis fortè alicui subjicerentur Ordinario, Rodriq. Portel. v. *Confessarii approbatio.* Et quoad audiendas Moniales, omnia privilegia, & facultates, quæ circumferuntur veluti concessæ his, aut illis Regularibus, videntur omnes restringendæ ad tenorem Constitutionis *Clementis X.* quam retuli à num. 1502.

§. 7. Trid. *sess.* 25. *c.* 10 *de Regul* sic decernit, 1534
Præter ordinarium Confessarium alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium (Monialium) *confessiones audire debeat.* Et quamvis hoc privilegio non teneantur, uti Moniales, attamen expedit fieri, etiam Superioribus præeuntibus, ut sic consulatur conscientiæ aliquarum, quæ extraordinario sæpè indigent, & ex respectu humano, si aliæ non faciant, non utentur alio, ne videantur singulares, vel fiant suspectæ. Et siquidem Monasterium sit subjectum Ordinario, hic debet Confessarium talem præsentare; si subjectum sit Prælatis Regularibus, ad hoc spectat offerre Confessarium extraordinarium, uti respondit S. Congr. 1679. apud Zypæum *t.* 3. *variarum consult.* 5. Abbatissa enim, & fœminæ non habent potestatem sic eligendi, sed per Superiores, intelliguntur viri, qui eis præsunt, Sylvius v. *Confessarius* 1. *q.* 8. Luth. *tr.* 23. *a.* 2 ex responso *S. Congreg.* 1621. 19 Octob. ad Episcopum Tornacensem. Si tamen Superiores exemptis ejusmodi Confessarium non offerant potest assignare Episcopus, Pelliz. *de Regul. tr.* 10. *c.* 10. *n.* 254.

Q. 219. *Quid præterea notandum sit circa appro-* 1535
bationem quoad Parochos? R. seq. §. 1. Qui modo per Canones præscripto, obtinet beneficium parochiale, hoc ipso approbatur, quia Canones volunt obtineri per concursum, vel saltem prævio examine, uti habet Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de Ref.* & ideò *sess.* 23. *c.* 15. ait nullum ad confessiones audiendas *idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, approbationem obtinear.*

Unde

Unde si quis per fraudem suam, vel per incuriam Episcopi, vel aliter, sine examine, aut judicio Episcopi perveniset ad parochiam, indigeret approbatione uti alii. E contrà nomine approbatorum ex vi beneficii parochialis veniunt etiam Episcopi, & Abbates pro foro externo habentes jurisdictionem Episcopalem, Viva *de Jub. q. 9. a. 4.* Non tamen Abbates alii, nec Regularium Provinciales, Priores Guardiani, Rectores, uti dictum est n. 1521.

1536 §. 2. Approbatus ex vi obtentæ parochiæ non tantùm pro suis parochianis approbatus est, sed etiam pro tota diœcesi si consentiant alii Parochi, quia beneficium parochiale ponitur à *Trid.* pro approbatione universali, inquit Lug. *d. 21. n. 21.* Et ita habet praxis in Germania, teste *Gob.* Consequenter tempore Jubilæi quivis Parochus audire potest alienas oves, saltem in eadem diœcesi, uti cum plurimis Lug. *n. 12.* Diana *p. 1. t. 11. R. 3.* Viva suprà.

1537 §. 3. Suar. Vasq. Lug. Avers. *q. 16. s. 7.* Leur. *in foro benef. p. 1. q. 434. n. 2.* aliique communiùs putant approbatum vi beneficii parochialis censeri approbatum pro tota Ecclesia etiam extra istam diœcesim, quia est approbatus secundùm *Trid.* tanquam publicus Minister Ecclesiæ. Sed probabiliter contradicunt *Guttier. Homob. Garc. Laym. Piasec.* quia mens approbantium videtur esse approbare tantùm ad subditos suos & aliàs pariter dicam Sacerdotem quemvis approbatum, licèt Parochus non sit, esse approbatum pro tota Ecclesia, cùm approbetur tanquam publicus ejus Minister. Ratio à priori potest esse, quia Parochus non approbatur ab Ecclesia universali, sed tantùm ex dispositione *Trident.* approbatur à suo Episcopo conferente ipsi Parochiam, cujus solius examen, vel judicium prærequiritur, ergo non debet censeri approbatus judicio universalis Ecclesiæ, vel pro universali Ecclesia, sed tantùm pro Ecclesia, seu diœcesi sui Episcopi.

1538 §. 4. Quamvis in quibusdam diœcesibus fiat, ut universaliter approbatus, si ab una parochia transeat ad aliam, non ideò iterùm examinetur pro approbatione, oppositum tamen sit in quibusdam aliis diœcesibus, nec immeritò, quia idoneus pro uno loco non semper est idoneus pro alio, in quo possunt esse diversi parochiani exigentes diversam in parocho scientiam, & qualitates.

1539 §. 5. Parochus non potest sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, *Alex. VII.* nam damnavit hanc 16. prop. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Quinam propositionem illam tenuerint, refert Mendo *diss.* 10. *q. 7.* & quæ pro illa afferri possent, solvunt *Du-Bois & Viva* ad illam prop. damnatâ.

1540 *Q.* 220. *Quid notandum circà decisionem, vel revocationem approbationis aut similium facultatum?* R. seq. §. 1. Sicuti error communis quandoque facit, ut non desinat, vel ut absolutè adsit jurisdictio, quia nempè tùm Ecclesia supplet propter commune bonum, secundùm dicta *l. 6. p. 1. an. 112.* ita pariformiter loquendum est de approbatione. Hinc si Ordinarius concesserit Sacerdoti approbationē tantùm ad suam approbantis vitam, aut ad tempus, quod reipsa expiravit, aut si approbatio sublata sit in pœnam, quam, diù mors Ordinarii, finis temporis elapsi, sublatio approbationis in pœnam facta publicè ignorabuntur, Sacerdos absolvet validè, quamvis sit peccaturus mala fide utens approbatione, quam ampliùs non habet, ut constat ex dictis loco citato.

1541 §. 2. Si Regularis Coloniæ approbatus mutet diœcesim, non ideò desinit ejus approbatio Coloniæ obtenta: hinc si Coloniam redeat, potest sine nova approbatione audire confessiones, Lugo d. 21. n. 44.

§. 3. Si quis desinat esse Parochus, putarunt ali- 1542
qui apud Moyam *d. 7. 3 n. 4.* non desinere ejus approbationem. Sed tenendum est cum Suar. Henriq. Barb. Gob. Lug. *n. 8.* Leur. *in foro p. 1. q. 434. n. 4.* Spor. *n. 663.* Viva *de Jubil. q. 9. a. 4.* desinere, nisi priùs fuisset approbatus independenter à beneficio parochiali. De Parocho mutante Parochiam dixi *num.* 1538.

§. 4. Si moriatur Parochus, non ideò desinit ap- 1543
probatio sacellani, vel Vicarii approbati eum in finem, ut requisitus juvet Parochum, tales enim non approbantur præcisè ratione personæ Parochi, sed loci. E contrà tamen videtur desinere facultas talis Sacellani ad assistendum Matrimoniis, nisi aliter velint, & declarent Ordinarii, quia hæc pendebat immediatè à Parocho ad singulos actus suo modo delegante ipsi, non item approbatio, vel jurisdictio in fideles pro confessione audiendos quæ erat immediatè ab Ordinario Videmus tamen etiam, inquit Arsd. *p. 3. t. 2. c. 1. n. 9.* Sacerdotem pro cooperatore à Parocho assumptum, eo defuncto pergere in omnibus, quamdiu à novo Parocho non removeatur.

§. 5. Privilegia non cessare morte concedentis, 1544
dixi *l. 1. n. 835.* An autem, & quando commissio expiret morte committentis, dixi ibidem *n. 816.* Ex quibus sequitur, si Vicarius Episcopi dederit facultatem aliquam Titio, & Episcopus tollat Vicario potestatem imposterum concedendi talem facultatem, antequam Titius ea facultate sit usus, Titium posse uti illa, quia est gratia, ad quam jus acquisivit, facultatem illam acceptando, Castrop. *tr. 4. d. 4. p. 16. §. 4.* Pontius *de Matr. l. 8. c. 19. §. 1.* Lug *Resp. Mor. l. 1. d. 20.* ubi plus adhuc asserunt. Hinc etiamsi facultas absolvendi concessa sit alicui Superiori Regulari, v. g. ad septennium, cum potestate eam communicandi aliis; quamvis ille Superior ante septennium expletum removeatur ab officio, illi, quibus initio concessit, habent ad septennium. Imò si concessio fuit realis, ideò, si facultas concessa fuit ratione officii, habet eam ejus Successor usque ad finem ejus septennii, uti pluribus deducit Lugo *dub. 19.* Quandonam autem censeri debeat esse concessio realis, aut personalis, dixi *l. 1. n. 833.*

§. 6. Episcopi non possunt revocare vel limi- 1545
tare approbationem Regularium, quam ipsimet dederunt, nisi accedat nova justa causa ad confessiones pertinens: Nec possunt suspendere facultatem omnium in uno Conventu, uti constat ex verbis *Clem. X.* relatis *n.* 1506. Quod etiam verum est de sæcularibus approbatis, nam Cap. *Accepimus* De ætate, & qualit. Ordin. dicitur, *Semel idoneus reputatus debet pro tali haberi semper, alia causa non interveniente.* Si tamen quis ad examen revocetur, frustrà se opponet, quia Episcopus facilè prætendet causam, quæ præsumi debebit esse justa, quia pro ipsius authoritate erit possessio.

§. 7. Prælati Regulares ordinariè possunt revo- 1546
care, vel limitare facultates suorum subditorum, quia dantur his in ordine ad usum cum dependentia à Prælatis. Hinc Præfatio novi *Compendii privileg.* Soc. JESU habet, *De omnibus verò hujus Compendii facultatibus illud in universum intelligatur . . . Superiorum fore illarum usum, cùm expedire judicaverint, vel limitare, vel etiam omnino suspendere:* Et idem est de aliis Regularibus per se loquendo. Quòd si Prælatus tantùm prohibeat uti facultate, v. g. audiendi confessiones, non ideò redditur *ipso facto* absolutio invalida, Confeltius *in Collectan. Privil. sacrorum Ordinum pag.* 365. Vide dicta *n.* 1470. *Dixi*, ordinariè, nam

§. 8. Facultates, quæ Regularibus conceduntur, 1547
sunt triplices, 1. aliquæ directè, & primariò conceduntur populo Christiano, nempe ob ejus utilitatem, ut in Jubilæo absolvendi à reservatis & censuris, 2.

commutandi vota, &c. 2. Aliæ directè & primariò conceduntur Ordini, & personis ejus, uti potestas lucrandi certas Indulgentias, exemptio à jurisdictione Ordinariorum, &c. 3. Aliæ conceduntur æquè directè, & primariò propter bonum Ordinis, & populi Christiani. Quod attinet ad facultates primi generis, hæ non videntur tolli posse vel restringi à Superioribus Ordinum quoad validitatem, quia non sunt privilegia Ordinum sed populorum. Et idem videtur esse dicendum de facultatibus tertii generis: possent tamen Superiores huic vel illi prohibere, & ita illicitum reddere usum talis facultatis. E contrà facultates secundi generis possunt à Superioribus restringi vel tolli in illis Ordinibus, in quibus eas non habent Regulares, nisi ipsis communicentur à Superioribus, uti fit in Societate JESU, secundùm dicenda *num.* 1575.

1548 DUBIUM III.

Quid & quotuplex jurisdictio Confessarii, & unde eam habeat.

„RESP. Est authoritas aliqua in alium ut subditum, in quem, in foro interno accipit potes„tatem, distinctam à potestate Ordinis: hæc enim „datur per Sacramentum Ordinis, & omni Sacer„doti, nec tolli potest: illa per externam conces„sionem Ecclesiæ; nec omnibus Sacerdotibus, po„testque ab iis tolli, ac nisi adsit, invalida est abso„lutio: Ex Trid. *sess.* 14. *c.* 7. Est autem duplex, „Ordinaria & Delegata. Ordinaria est, quam ha„bent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum „habent, ut Papa, Episcopus, Parochus (huc revo„cantur Archi-Episcopi, ergo subditos suorum „Episcoporum tunc tantùm, quando actu visitant) „Archi-presbyteri, Archidiaconi, Prælati Religio„num, Vicarius perpetuus Episcopi vel etiam Paro„chi, Delegata dicitur, quæ legitimè datur ab ha„bente ordinariam; idque vel tacitè, vel expressè, „ut à Papa pro tota Ecclesia, ab Episcopo pro Dioe„cesi, à Parocho pro Parochia: hoc discrimine, „quòd Papa possit dare invitis Episcopis & Paro„chis, non contrà. Ac licèt exterior jurisdictio ex„piret morte delegantis, non tamen hæc interior „nisi successor revocet, ut docent Sanch. Suar. Nav. „Kon. contra Sylv. & Vasq. v. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 10. „*n.* 22. Porrò hujusmodi potestatem delegatam absolvendi quemcunqos à quibuscunque peccatis, „in articulo seu periculo mortis, (hæc enim pro „eodem sumuntur in jure, ut vid. Dianam *p.* 3. *t.* 4. „*R.* 57. & 72.) habet ex jure communi quivis Sa„cerdos, etiam excommunicatus & degradatus, si „alius desit. Quod addo, quia præsente Parocho „vel proprio Sacerdote, id non posse, docet *Vasq.* „*Bon. Kon. Regin. &c. commun.* licèt contrariam pro„babilem putet Dian. *p.* 1. *t.* 5. *R.* 5. & *p.* 4. *t.* 4. „*R.* 167. ex Ang. Henr. Comit. & Sà, confirmat„que Tamb. *de exp. conf. l.* 3. *c.* 7. Ex consuetu„dine, quivis toleratus absolvere potest à venialibus, „& mortalibus aliàs confessis. Ex privilegio reli„giosi Mendicantes quosvis fideles absolvere pos„sunt, juxta tenorem suorum privilegiorum. Ex con„cessione Ordinarii directa, quicunque Sacerdos ap„probatus, cui id ille committit. Denique ex in„directa is, qui audit eum, qui habet potestatem „eligendi Confessarium, quales sunt, 1. Ex jure, „Episcopi omnes, etsi sint tantùm titulares: item „superiores Episcopi, ut Archi-Episcopi, &c. „item Prælati iis inferiores, exempti, ut Abbas „exemptus, (non tamen Abbatissa,) Generalis, Provincialis, Prior, (salvis tamen privilegiis Ordinum) v. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 1. & „2. 2. Ex consuetudine, Cardinales, (qui etiam „domesticis de Confessario providere possunt, „item pastores, imò multis locis, etiam cæteri „Sacerdotes sæculares ut docent Valent. Sà, Suar. „*d.* 27. *s.* 3. (Religiosi tamen tenentur eligere „tales, quales illi permittunt statuta,) item „& Reges & Principes, (quorum tamen privile„gium ad familiam non extenditur) denique do„mestici Pontificis. 3. Ab homine eam habent, „quibus sive Pontifex, sive Episcopus, sive Paro„chus concessit. *Unde resolves,*

„I. Qui habet potestatem delegatam non potest „eam subdelegare alteri, cùm diversa sit potestas „utendi jurisdictione, & eam delegandi. Excipitur „1. nisi hoc ipsum concessum sit, 2. nisi sit „delegatus ad universalitatem causarum, ut v. gr. „si cui committeretur officium parochi absentis, „vel minorennis; talis enim aliqua exercitia juris„dictionis alteri, ex præsumpta voluntate Or„dinarii, subdelegare posset, non tamen integrum „officium, v. *Laym.*

„II. Cùm jurisdictio respiciat subditos, exerce„ri in eos potest, tam à delegato, quàm ordinario, „quocunque loco fuerit, ut docet San. Henr. Suar. „*in* 3. *p. to.* 3. *d.* 28. *sect.* 1. & 7. & *alii.*

„III. Probabile est, quòd absolutus in articulo „mortis, non teneatur se postea sistere Superiori, „vel alteri pro reservatis (nisi hæc habeant anne„xam censuram) ut docet Nav. Suar. Mer. Fill. *t.* „7. *n.* 228. Bonac. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 1. *nu.* 13. quia di„rectè absolutus fuit, contra Hur. v. Dian. *p.* 4. *t.* „4. *R.* 199.

„IV. Improbitas aut insciția proprii Sacerdotis „non dat jurisdictionem alteri, ideóque tali casu „expectandum est, aut ad Superiorem recurrendum. „Si tamen ignorantia esset tanta, ut confessio illi „facta foret invalida aut illicita, neque esset alius „privilegiatus aut habens jurisdictionem, licere „alteri confiteri, docet Nav. Vasq. *in* 3. *p. t.* 4. *q.* „92. *a.* 2. *dub.* 3. Hur. *d.* 10. *dif.* 10. v. Dian. *R.* 101. „& *p.* 8. *t.* 1. *R.* 86. ex *c. Placuit. de pœn. dist.* 6. „Idem licere, quando quis proprio non potest con„fiteri sine gravi periculo, docet *Tol. Sylv. & Me„din.* qui idem concedit, quando proprius non vult, „aut non potest audire, vel injustè negat faculta„tem confitendi alteri, v.g. Parochus concubinæ. „Dian. *p.* 3. *to.* 4. *R.* 79. ex Hur. & aliis 4. Ve„rùm ista communiter refutantur ab aliis.

„V. Etsi graviter peccare possit proprius, si ne„get suis facultatem adeundi alterum, modò præ„sumere possit eos justè petere, si tamen injustè ne„get, probabilius videtur, eos invalidè ab alieno „absolvi, ut docet *Sotus, Suar. Laym.* etsi non im„probabiliter, Sylv. Hen. Mald. Palud. Rich. Tol. „& Dian. *Res.* 79. putent, quòd validè, præsertim „si sine periculo salutis, famæ & simili, non liceat „suo proprio.

„VI. Cùm jurisdictio acquiratur ratione domi„cilii vel quasi domicilii, vel etiam actualis habi„tationis; hinc ii, qui duobus locis habent domi„cilium, vel quasi, possunt utrobique absolvi, ut „scholares, milites, mercatores: item vagi & pere„grini possunt absolvi à parocho loci, in quo versan„tur, v. *Laym. hic, Vasq. &.*

„VII. Validè absolvit is, qui audit confessiones „præsente vel sciente, & non contradicente Ordi„nario, v.g. Episcopo vel parocho, cui constet eum „aliunde non habere jurisdictionem, quia tunc „præsumitur tacitè eam dare; sufficit enim, ut rectè „docet Fill. & Fag. *præc.* 2. *l.* 7. *c.* 2. facultas interpre„tativa & præsumpta, modò præsumptio fundetur in „signis,

„ signis, quæ indicent consensum præsentem, ut sit „ in casu posito, (uti etiam v.g. si parochus, qui jam „ absens est, alias significaverit id sibi gratum esse) „ nam existimatio de futuro consensu vel ratihabi„ tione, quòd scilicet, quando resciverit, futurus sit „ contentus, non suficit, quia consensus futurus non „ dat jurisdictionem pro tempore præsente, quo da„ tur absolutio. v. Dian. *R.* 68. Sanch. *de Matr. l.* 3. „ *d.* 35. Bec. Kon. qui addit peccare, si de consensu „ dubitans incipiat audire.

„ VIII. Peccat, qui absolvit cum jurisdictione du„ bia, nisi necessitas urgeat; qualis est v.g. quia pœ„ nitens diu non est confessus, vel debet communi„ care, nec alius adest, tunc enim licitè absolvit cum „ conditione hac, si possum: & cum onere (etsi „ Salas *in* 2. *tr.* 8. *d.* 1. hoc onus non agnoscat) aliàs „ iterum confitendi habenti jurisdictionem certam. „ Expedit autem tunc veniale aliquod adjicere, à „ quo directè, & à cæteris indirectè saltem, absolva„ tur. Ita Regin. Suar. kon. *d.* 8. *dub.* 6. *n.* 45. Quòd si „ tamen ex probabili ratione dubium resolvat (ni„ mirum habere se jurisdictionem) etsi cum formi„ dine oppositi, absolutè absolvit licitè, ut docet Suar. „ Præp. Lug. *d.* 19. *n.* 49. tùm quia tunc practicè & „ mortaliter est certus; tum quia Papa eo casu dat „ facultatem, uti & in sequentibus casibus.

„ 1. Quando communi errore, v. gr. ob titulum „ coloratum, putatur aliquis esse Pastor, seu ha„ bere jurisdictionem, qui non est, ob censuram, „ vel alium defectum, Bon. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 2. *p.* 3. *n.* 11. „ Dian. *R.* 22. Quod etiam, si desit titulus coloratus, „ probabile esse docet Dian. *R.* 122. ex Pontio, Mol„ fes. & Sanch. Item *pu.* 2. *tr.* 2. *misc. R.* 43. si quis „ bona fide tali confiteatur. Verùm id communiter „ ab aliis negatur.

„ 2. Cùm quis ex consuetudine, præscriptione, „ aut bona fide absolvit, aut nescit potestatem suam „ revocatam, ut habet Sylv. Nav. Henr. Mald. *in* 2. *p.* „ *q.* 9. *art.* 5. Sanch. 1. *mor. l.* 2. *c.* 9. *n.* 35. Salas, „ Vasq. v. Dian *p.* 1. *t.* 13. *R.* 1.

„ 3. Quando secundùm probabilè sententiam judi„ catur quis habere jurisdictionem, & Sacerdos se„ quitur favorabilem, Bon. *l. c.* Quia quando com„ munis est error, Ecclesia dat jurisdictionem ob pu„ blicam utilitatem, v. Suar. Dian. *ll. cc.* Lug. *à n.* 28.

„ IX. Nemo tenetur unquam parocho confiteri, „ nequidem in Paschate Lug. &c. cum Dian. *p.* 8. *t.* „ 1. *R.* 88. Quare Parochi frustrà nolunt, ut paro„ chiani confiteantur Mendicantibus, etiam in Pas„ chate, cùm habeant privilegium pro omnibus „ Christi fidelibus. Suar. Kon. Henriq. Reg. Zerol. „ *c.* 15. *q.* 3. *& comm.* apud Bon. *d.* 4. *q.* 1. *s.* 2. *p. ult.* adeò „ ut, qui docent confessos Regularibus, etiam in „ Paschate, teneri iterum eadem confiteri suo paro„ cho, fiant suspecti de hæresi, Dian. *p.* 4. *t.* 8. *R.* 102. „ *& alii.* Vi tamen hujus privilegii non possunt ab„ solvere eos Religiosos aut religiosas, qui non ha„ bent facultatem extra suum Ordinem confitendi; „ ut ex communi notat *Rodr. & Comp.* privil. Socie„ tatis. V. Absolutio §. 1. & ex his *Laym.* hìc, quia „ privilegio generali non censetur derogari consue„ tudini vel statuto particulari, nisi id exprimatur. „ Usus tamen fert, ut regulares peregrinantes ex „ præsumpta voluntate Superiorum, si Ordinis so„ cium non habeant, à quovis alio, etiam sæculari, „ absolvantur, exceptis reservatis, in quæ si religiosi „ Societ. extra domicilium incidant, videant ordina„ tiones Præp. Generalium c. 6. n. 6. & *l aym.* hìc.

„ 10. Quòd si Superiores Regularium Monialibus „ sibi subjectis (idem est de Monialibus subjectis „ Episcopo) non concedant aliquoties in anno alium „ Confessarium, potest, & tenetur illis eum dare Episcopus: quòd si nec is faciat, ipsæ eligere possunt. Quint. *t.* 3. *sess.* 25. ex Declar. Card. apud Barb. „

ADDENDA.

Quæst. 221. *Quid præterea notandum sit circa jurisdictionem?* R. seq. §. 1. Jurisdictio hìc, est *jus dicendi* seu ferendi sententiam Sacramentalem circa pœnitentem sibi confessum. Et probabilius videtur, quòd subjectio fidelium, & jurisdictio Sacerdotum nunc immediatè habeatur jure Ecclesiastico, ita ut Christus hanc potestatem commiserit Ecclesiæ dandam Sacerdotibus, uti tenent Sot. Ledesm. Suar. Valent. Con. Lug. *d.* 15. *s.* 2. Castrop. *t.* 23. *p.* 13. Avers. *q.* 16. *sect.* 2. Arr. *d.* 39. *n.* 6. & eruditè Sylv. *in Res. cas. post p.* 1. *Orat.* 2. contra S. Anton. Nav Ang Vasq. Becan. Amic. qui putant à Christo tribui cum potestate Ordinis: nam 1. si jurisdictio sit à Christo, non appareret, quomodo Ecclesia possit eam limitare vel tollere, uti non potest tollere potestatem Ordinis ad consecrandum, inferior enim non potest tollere potestatem à Superiore datam. *Si dicas*, Ecclesiam facere, ut fideles non maneant subditi, *contrà est*, nam si jurisdictio sit data Sacerdoti à Christo, ergo à Christo est superioritas illa Sacerdotum supra fideles, ergo hoc ipso fideles constituti sunt subjecti Sacerdotibus, non enim potest esse horum superioritas sine illorum subjectione, ergo Ecclesia non poterit impedire illam subjectionem fidelium. 2. Sicuti potestas jurisdictionis invenitur in Parocho non Sacerdote sine potestate Ordinis, ita videtur conformius dici, quòd potestas Ordinis reperiri possit sine potestate jurisdictionis. 3. Potestas Ordinis consistit in charactere ipso, potestas autem jurisdictionis in deputatione extrinseca Ecclesiæ, seu collatione cujusdam superioritatis in ordine ad usum clavium circa subditos.

§. 2. Probabilius est Apostolos in Ordinatione sua immediatè accepisse à Christo jurisdictionem: succedentes tamen Sacerdotes habuerunt à Petro vel ab ejus successoribus, Suar. & Arr. *d.* 30. *n.* 8. Putat quidem Barbos. *De off. Episc. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 1. *n.* 7. omnes Apostolos in ultima cœna esse à Christo ordinatos Sacerdotes, solum autem Petrum esse ordinatum Episcopum, qui reliquos ordinarit Episcopos, & pro sententia citat *Turrecrem. Bellarm. Henriq.* sed non invenio fundamentum: hinc fatetur ipsemet posteà à n. 31. omnes Apostolos accepisse immediatè à Christo suam potestatem jurisdictionis, attamen subordinatam dispositioni Petri. 1550

§. 3. Probabilius est Episcopos nunc habere jurisdictionem suam mediante Papa, alioquin neque solus Petrus dici potuisset petra, super quam fundaretur tota Ecclesia, neque Papa posset sibi reservare casus invitis etiam Episcopis, quod tamen facit, Bellarm. *de Pontif. l.* 4. *c.* 2. Barb. *à n.* 18. 1551

§. 4. Confessarii Ordinum Mendicantium, & aliorum exemptorum, qui cum ipsis participant in privilegiis, habent immediatè à Papa jurisdictionem in quosvis Christi fideles, suppositâ tamen approbatione Episcoporum, ubi hæc requiritur, & obtenta etiam facultate suorum Superiorum, secundùm dicta *n.* 1529. 1546, uti plnribus probant Chasiaing. *de priv. Reg. t.* 5. *c.* 2. *propos.* 4. Averſa *s.* 9. §. *Septimò.* 1552

§. 5. Quod venialia, quilibet Sacerdos habet jurisdictionem in Religiosos Societ. JESU, Suar. *de Relig. to.* 4. *tr.* 8. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 1. Et hoc declaravit *Mutius* Generalis anno 1635. quamvis *Claudius* Generalis dissuadeat, tum quia potest esse mortale, quod apparet veniale, & sic non absolvitur, tum quia Regula præscribit non confiteri alteri quàm suo ordinario. 1553

§. 6. Probabilius est jurisdictionem vi, metu vel fraude extortam sufficere ad validè absolvendum, quia concessio manet voluntaria simpliciter, Sanch. 1554

Con. Leſſ. *de juſt. l. 2. c. 17. n. 37.* contra Dic. *d. 10. n. 181. Nec obſtat*, quod conceſſio juriſdictionis ſit quædam donatio, quæ ſupponit titulum perfecti voluntarii: *nam* non eſt opus, ut in omnibus ſequatur *natura* donationis, qua dominium rei ſuæ transferatur, ſed hîc ſatis eſt eſſe voluntariam permiſſionē abſolvendi tales ſuos ſubditos, ad quos permittens ſimul retinet omnem priorem ſuam juriſdictionem.

1555 §. 7. Juriſdictio in Pœnitentes non poteſt acquiri ſola conſuetudine, uti expreſsè declarat *Bonifacius VIII.* Cap. *Si Epiſcopus 2. de pœnit. & remiſſ. in 6* Si tamen conſuetudini accedat conſenſus ſaltem tacitus Superioris, jam vi hujus conſenſus datur juriſdictio: & ita per conſuetudinem acquiri juriſdictionem aſſeritur Cap. *Cùm contingat 13. De foro compet.* Cap. *Romana. 5. de ſent. excom. in 6.* Cap. *Duo ſimul. De off. ord.* & in Trid. *ſeſſ 22. c. 3. de reform.* Non ſufficit autem conſenſus interpretativus, vel prudenter præſumptus, quem daret, aut certò creditur daturus Superior, ſi rogaretur: neque etiam ſufficit ratihabitio de futuro danda, Lugo *d. 19. à n. 21.* ſed requiritur conſenſus de præſenti exiſtens, & aliquo ſigno manifeſtatus, quale eſt juxta communem cum Averſa *ſ. 4. §. Sextò*, ſi Superior videat, vel ſciat ſimplicem Sacerdotem audire confeſſiones, & non prohibeat, quando ſine incommodo poſſet, qui enim tacet in his, quæ ad ipſum pertinent, & in quibus deberet, ac poſſet contradicere, conſentire videtur, ſecundùm Reg. 43. Juris in 6. Peccat tamen Sacerdos, qui incipit audire confeſſiones necdum exiſtente conſenſu Superioris, quia invalidè audire incipit, quamvis poſteà accedente conſenſu Superioris videntis, & non contradicentis validè abſolvat, Con. apud Dian. *p. 3. t. 4. R. 68.*

1556 §. 8. Ex dicto tacito conſenſu Ordinariorum poſſunt exiſtentes extra ſuam parochiam alibi confiteri, & Parochus, aut Sacellanus approbatus poteſt audire confeſſiones alienorum parochianorum infra ſuam parochiam accedentium non requiſito accedentium Parocho, quia Ordinarii vident hoc fieri, & ſilent, Sot. Suar. Vaſq. Moya *diſt. 7. q. 2. n. 9.*

1557 §. 9. Quando alicui datur juriſdictio, ut adminiſtret Sacramenta ad ſubſidium, ſeu requiſitionem aliorum Parochorum, ſubſidium conſiſtit in eo, quòd proprius Parochus ipſemet deberet adminiſtrare ex officio, ſi foret præſens. Requiſitio autem fit per eos, qui advocant, quod hi in caſibus Parocho abſente, ejus nomine facere cenſentur. Deinde hæc clauſula, *Ad Paſtorum ſubſidium, & requiſitionem*, datur pro cura ſubſidiaria, & additur ad excludendam curam principalem eo fine, ut habens talem facultatem, in caſu, quo denominaretur ad curam principalem, ſub pœna nullitatis ante inveſtituram pro illa principali cura ſe etiam novo examini ſiſtat.

1558 §. 10. Ille, cui in particulari juriſdictio delegatur, debet habere notitiam illius delegationis ſibi factæ, alioquin invalidè operatur, quia non cenſetur concedi, niſi acceptetur. Sanch. Con. Averſa *q. 16. ſ. 5.* Si tamen toti Ordini religioſo data eſſet juriſdictio, Sacerdos talis Religionis reipſa illam haberet, & validè ex ea operaretur, quamvis neſciret ſe habere, quia Ordo acceptaſſet pro ipſo, Lugo *d. 19. n. 17.* Similiter ſi Confeſſarius putans ſe habere poteſtatem abſolvendi ex uno titulo, eam ex iſto titulo non habuerit, ſed ex alio ſibi jam ignoto, validè abſolvit, quia implicitè intendebat facere, quantum poſſet, ex quocumque titulo poſſet, Lugo *n. 18.*

1559 *Q. 222. An quivis Sacerdos non tantùm pro articulo, ſed etiam pro periculo mortis habeat juriſdictionem?* R. §. 1. Articulus mortis tum dicitur eſſe, quando mors moraliter certa proximè inſtat, uti ſi quis ex morbo, vel vulnere ad extrema devenerit, ita ut inde credatur infallibiliter moriturus: item ſi ex ſententia Judicis ſit morte afficiendus. Et articulo mortis hìc æquivalet, ſi quis ſit in proximo periculo perpetuæ amentiæ, Sylvius poſt *p. 1. Orat. 1.* periculum mortis tum dicitur eſſe, quando ſub dubio, vel timore probabili expectatur mors, uti in prælio, in morbo, vel itinere periculoſo, in longa navigatione maritima. Item in periculo mortis ſunt Banniti, qui à quocumque impunè occidi poſſunt, non tamen qui ad triremes damnantur, quia non ſemper eſt periculum proximum, Sanch. *in Decal. l. 2. c. 13. n. 3.* contra *Sà.* Item illi, qui intra peſtiferos debent agere, Averſa *q. 16. ſ. 3.* Capeav. *de caſ. reſerv. p. 1. c. 7.* Stoz. *l. 2. n. 65.* Item mulier partui vicina, experta in partubus periculum vitæ, Sanch. *n. 1.*

§. 2. Omnes Sacerdotes, etiam non approbati, 1560
irregulares, excommunicati vitandi, hæretici, apoſtatæ, degradati, poſſent quoſcumque fideles à quibuſcumque peccatis & cenſuris abſolvere pro articulo mortis, uti clare habet Trid. *ſeſſ. 14. de pœn. c. 7.* & communiſſima cum *Averſa ſuprà*, quia poteſtas abſolvendi eſt data ad ſalvandas animas, ergo reſtringi non debet, ubi extremè periclitaretur anima, v. Sylvium *Orat. 2.*

§. 3. Simplicem Sacerdotem non habere juriſ- 1561
dictionem in ſolo periculo mortis, docent *Sot. Can. Covarr. Valent. & alii.* E contrà haberè, probabiliùs docent Gl. Andr. Palud. Sylv. Med. Nugn. Suar. Vaſq. Con. Sanch. Laym. Lug. cum Averſa ſuprà, & optimè Sylv. *Orat. 1. & 2.* quia in Jure quoad rem pro eodem ſumuntur periculum, & articulus mortis, Cap. 29. *Si quis ſuadente, 17. q. 4.* Cap. *Eos qui, de ſent. excommun. in 6.* Et Eccleſia, pia mater, non præſumitur velle exponere aliquem periculo probabili damnationis.

§. 4. Si in periculo, aut etiam in articulo mor- 1562
tis adſit, habent juriſdictionem, longè communior, & probabilior ſententia eſt cum Sanch. *n. 7.* Carden. *in 2. criſi d. 2. nu. 424.* contra Stoz ſuprà, Sporer *n. 725.* Dianam *p. 1. t. 5. R. 5.* quòd alius abſolverè non poſſit, uti ex Jure Canonico probat *Averſa ſuprà.* Et ratio eſt, quia tum non eſt neceſſitas, & Eccleſia tantùm voluit conſulere neceſſitati, ne quis periret. Excipiunt rectè *Sanch. Sylv. Capeav.* ſi ſimplex Sacerdos jam incæperit audire confeſſionem, quia juriſdictionem legirimam habebat, quando incæpit, & illa non expirat per adventum alterius, cùm res non ſit ampliùs integra.

§. 5. Si iſte alter habens juriſdictionem nollet 1563
abſolvere eſſet idem, atque ſi abeſſet, & tum reipſa eſſet neceſſitas, poſſetque abſolvere quivis Sacerdos. *Henriq. Sanch. Dian. Averſ.* Quod extendunt etiam ad caſum, quo adeſſet Sacerdos in alia, ſed non in hac diœceſi juriſdictionem habens, verùm in hoc ultimo caſu tutior eſt, & ſequenda ſententia *Suar.* dicentis hunc quamvis alienæ diœceſis, eſſe præferendum in danda abſolutione. Ad quid autem teneatur, qui ita in neceſſitate abſolvitur à reſervatis, dicetur à n. 1693.

Q. 223. Quandonam juriſdictio Confeſſarii amit- 1564
tatur, aut impediatur ratione cenſurarum vel aliter? R. §. 1. Sacerdos excommunicatus, & non toleratus privatus eſt omni juriſdictione, hinc nequidem à venialibus validè abſolvit, niſi conſtitutum in articulo mortis. E contrà excommunicatus toleratus validè abſolvit, ſecundùm communem cum Carden. *in 2 criſi d. 2. n. 450.* Sed illicitè, niſi requiſitus & contritus, ſecundùm dicta l. 6. p. 1. n. 215 ubi n. 211. dixi, quandonam licitè requiratur.

§. 2. Quamvis Parochus excommunicatus, non to- 1565
leratus, (imò & degradatus, juxta *Bonac.* & alios contra *Ley.* & alios) quamdiù non eſt privatus parochia,

poſſit

poſſit dare poteſtatem aſſiſtendi Matrimonio ſui parochiani, uti habent plurimi cum Leur. *in foro benef. p. 1. q. 335. n. 7.* eo quòd aſſiſtere Matrimonio non ſit actus juriſdictionis, ſed tantùm teſtimonii: tamen non poteſt alteri delegare juriſdictionem audiendi confeſſiones ſuorum, quia delegare juriſdictionem eſt actus juriſdictionis, quem talis excommunicatus non licitè nec validè exercet, Suar. Barb. Leur. *q. 434. n. 6.* contra *Sylv. & Armil.*

1566 §. 3. Quamvis per Cap. *Non eſt nobis*, De ſponſalibus, Parochus tempore interdicti prohibeatur adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ aliis quàm moribundis, nunc tamen per Cap. *Alma mater De ſent. excomm. in 6.* poteſt etiam ſanis adminiſtrare non excommunicatis nec ſpecialiter interdictis, qui etiam non fuerint ullo modo cauſa interdicti lati, alioquin deberent priùs ſatisfeciſſe aut præſtitiſſe cautionem, *Covarr. Suar. Henriq. Sayr. Ugol. Barboſ. Leur. ſuprà.*

1567 §. 4. Peccat mortaliter Confeſſarius, ſi abſolvat excommunicatum à peccatis, priuſquam abſolutus ſit vel abſolverit eum à cenſuris ſaltem excommunicationis, quia Eccleſia graviter præcipit, ut excommunicatus nullum, nequidem pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiat, Suar. Sporer *n. 632.* Hinc ubi prudenter timetur, ne excommunicatio adſit ob aliqua peccata graviora, ſic dari debet abſolutio, *Ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, in quantum poſſum & tu indiges: Deinde ego te abſolvo à peccatis tuis, &c.* Et quamvis pœnitens poſteà priùs, recorderetur ſe fuiſſe in excommunicatione, rectè ab hac abſolutus eſt, quia voluntas Confeſſarii fuit tollere excommunicationem, ſi adeſſet, nec requirebatur accuſatio illius, Con. Lugo *d. 16. n. 623.* Arr. *d 35. n. 14.* Sporer *n. 634.* Imò ſi Confeſſarius volens agere quantum poteſt ſola illa verba dixerit, *abſolvo te à peccatis*, putat probabile eſſe Suar. Tamb. *de confeſſ. l. 5. cap. 10. n. 57.* Stoz. *l. 2. n. 82. & 84.* Sporer *n. 635.* quòd etiam à cenſuris abſolvat, quia in abſolutione à peccatis videbatur includi abſolutio ab omni eo, quod è peccato naſcitur. Et quamvis regulariter præmitti debeat etiam abſolutio à ſuſpenſione & interdicto, non foret tamen mortale illam poſtponere, cùm hæ duæ cenſuræ non privent uſu paſſivo Sacramentorum, Sporer *n. 632.* quamvis Stoz *n. 84.* rectè notet illis, qui interdicto cauſam dederunt, per Cap. *Alma mater* ſuprà, prohiberi ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ priuſquam ab eo interdicto ſint abſoluti.

1568 §. 5. Si quis etiam toleratus accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum, conſcius ſuæ excommunicationis, abſolutio extra caſum neceſſitatis eſt invalida, quia accedit mala fide, & de novo peccans. E contrà ſi bona fide accedat ignorans ſuam excommunicationem, *S. Anton. Sylv. Vaſq.* & alii 20 dicunt non abſolvi validè, quia cùm ſit ab Eccleſia præciſus, videtur ſublata juriſdictio omnibus Confeſſariis reſpectu illius, donec ab excommunicatione abſolvatur: Caj. tamen Nav. Suar. & alii 40 apud Carden. cum Sporer. *n. 633.* Averſa *q. 15. ſ. 1.* Lugo *à n. 613.* Arr. *n. 12.* Dia. *p. 3. t. 4.* R. 78. dicunt validè abſolvi; quod Dicaſt. *d. 8. n. 67.* docet etiam de excommunicato non tolerato, quia præſumi non debet Eccleſiam ſuſtuliſſe eam juriſdictionem, cùm id nullibi dicatur, neque eſſet ad bonum fidelium, qui non recordantes excommunicationis poſſent tota vita, bona fide ſuſcipere Sacramenta, & tamen nunquam accipere gratiam, quod de pietate Eccleſiæ præſumi non poteſt. Quidquid ſit de hoc,

1569 §. 6. Certum eſt in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, v. g. ad vitandam gravem infamiam, ſcandalum, periculum mortis, poſſe excommunicatum excommunicatione etiam reſervata ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, imò & Euchariſtiæ, nam Rubrica Miſſalis dicit excommunicatum priùs ſub Miſſa recordantem illius poſſe pergere, ſi ſine infamia vel ſcandalo non poſſit abſtinere: nam Eccleſiæ prohibitio non obligat, quando eſt moralis neceſſitas hoc faciendi & moralis impoſſibilitas non faciendi, qualis tum eſt.

§. 7. Extra caſum urgentem neceſſitatis, ſi per 1570
excommunicatum non ſtet, quominus abſolvatur, & jam ſatisfecerit, aut ſi ſit impotens ſatisfacere, docent *Angel.* & alii ſecluſo ſcandalo poſſe petere Sacramentum Pœnitentiæ & abſolvi, quia deſiit eſſe contumax, ergo non videtur privandus tam neceſſario Sacremento: quam ſententiam *Carden.* reputat probabilem, ſed meliùs contradicunt *Sylv.* & alii cum *Averſa* dicente eſſe certum, quia licèt requiratur contumacia ad incurrendum, non tamen ad permanendum in excommunicatione, in qua illicitus eſt uſus paſſivus Sacramentorum.

Quandonam per prohibitionem audiendi confeſſiones cenſeatur tolli vel ſuſpendi juriſdictio, dixi *n. 1470. 1546. 1547.*

Q. 224. Quid dicendum ſit in caſu, quo Confeſ- 1571
ſarius dubitat vel tantùm probabiliter putat ſe habere juriſdictionem in pœnitentem vel ejus peccatum? Reſp. §. 1. In tali mera probabilitate non eſt Confeſſario licitum abſolvere, niſi aliunde accedat certitudo practica, uti conſtat ex prop. 1. ab *Innoc. XI.* damnata, quia hìc agitur de valore Sacramenti, quod ſic exponeretur periculo nullitatis, uti explicatum eſt in *l. 6. p. 1. à n. 104.* Et multò minus licitum erit abſolvere, ſi juriſdictio ſit merè dubia abſque poſitiva probabilitate, niſi in utroque caſu excuſet neceſſitas proximi, in qua dari debebit abſolutio ſub conditione, ſecundùm dicenda *n. 1770.*

§. 2. Quando juriſdictio eſt verè probabilis, 1572
plures poſſunt accedere cauſæ, quæ reddant illam practicè certam, & inter eas cauſas ſunt. 1. neceſſitas proximi, uti jam inſinuatum eſt. 2. ſuppletio Eccleſiæ in errore communi vel etiam in caſu practicæ probabilitatis æquivalentis errori communi. 3. Si aliàs adminiſtratio vel ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ fieret nimis difficilis vel odioſa fidelibus, quæ omnia fusè explicata ſunt *l. 6 p. 1. à n. 110.* uſque ad 120. Circa illum autem, qui ſcit ſe habuiſſe juriſdictionem, & nunc dubitat, an adhuc habeat: item circa illum, qui dubitat, an jam habeat & unquam habuerit, videri poſſunt dicta ibidem n. 120.

§. 3. Si gravi peccato, ad quod Confeſſarius ha- 1573
bet probabilem tantùm juriſdictionem, pœnitens addat leve, ad quod certò eſt juriſdictio, Suar. Sanc. Lug. *d. 19. n. 33.* Diana *p. 2. t. 13. R. 2.* Darden. *d. 2. à n. 385.* Banholtzer *n. 103.* dicunt certum eſſe, quòd Confeſſarius validè, & licitè abſolvat, quia Sacramentum nulli exponitur periculo nullitatis, nam peccato levi directè dimiſſo, ſaltem indirectè remittetur grave; nec ponetur obex gratiæ. Attamen Cob. *t. 7. n. 120.* rectè dicit in tali dubio non eſſe procedendum ſine aliqua neceſſitate, quod etiam dixi. p. 1. n. 109. Imò Dicaſt. *d. 10. n. 199.* rectè notat per hoc fieri poſſe injuriam pœnitenti, ſi prudenter præſumatur non eſſe contentus aut non fuiſſe confeſſurus tali Confeſſario non habenti certam juriſdictionem, ſic enim exponitur ſaltem periculo obligationis peccatum ſuum grave iterùm confitendi pro abſolutione directa.

Q. 225. Quid cenſendum ſit de facultatibus, quas 1574
dicuntur à ſede Apoſtolica conceſſæ confeſſariis Societatis JESU? Reſp. Facultates variæ circumferuntur, imprimis aliquæ ſub nomine *Primæ, Secundæ, Tertiæ faculatis*, à R. P. *Ruidio* Provinciali recognitæ anno 1638. & conceſſæ pro regionibus ſeptentrionalibus. Deinde quædam aliæ, tum propriæ tum commu-

communes aliis Regularibus, quæ an omnes adhuc valeant, colligi poterit ex seqq. Sub finem referam aliquas facultates, quæ Sacerdotes concernunt.

1575 §. 1. Religiosi Societatis non possunt licitè aut validè uti privilegiis, facultatibus, &c. à S. Sede concessis, nisi in quantùm à Præposito Generali fuerint illis communicatæ, *Gregorius XIII.* in novo *Compendio* privil. v. *Communicatio §. 5.* Hoc *Compendium* insertum est instituto, Pragæ ex Decreto 4. Congregationis XIV. impresso anno 1705. & multa habet diversa à *Compendio* antiquo, unde cautè intelligendi sunt Authores, qui sæpè respondent ex antiquo *Compendio*, & fallunt, nisi ista conveniant cum novo. Hujus novi *Compendii Præfatio*, sic habet: *Juxta litteras Apostolicas nullius privilegii seu gratiæ hactenus concessæ vel imposterum concedendæ usus potest in Societate licitus esse, nisi per solius Præpositi Generalis communicationem..... Porrò nullis aliis gratiis & privilegiis, quacumque etiam communicatione Societati nostræ illa competant, quæ in hoc Compendio comprehensa non sunt, ulli unquam uti licebit, &c.* Itaque ut sciamus, an hæc vel illa facultas nobis competat ex vi privilegii, vel specialis concessionis Apostolicæ, recurrendum est ad hoc novum *Compendium*, in quo si talis facultas non habeatur, censeri debet non usurpabilis à nobis; si habeatur, nec posteà ei sit derogatum, validè & licitè eo modo utemur, quo concessa est vel communicata. Quando autem Professis Societatis dicitur concedi aliqua ejusmodi facultas, per Professos intelliguntur etiam illi Sacerdotes, qui tria vota etiam tantùm simplicia emiserunt, dummodò reliqua adsint, Suar. *de Relig. tom.* 4. *tr.* 10. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 4.

1576 §. 2. Non possumus audire sæcularium confessiones *ubivis locorum*, sed debemus priùs esse approbati ab Ordinariis locorum, ubi audimus, uti constat ex dictis à n. 1605. Et quamvis Mendicantes nobiscum accipiant à Papa jurisdictionem ad omnium sæcularium confessiones, tamen non possunt audire in alienis templis, nisi de consensu eorum, quibus templa subsunt, id enim prohibitum esse ad confessionem, & pacis turbationem vitandam, testatur Platel. *p.* 5. *n.* 886.

1577 §. 3. Non possumus absolvere *quoscumque Christi fideles undecunque venientes*, nam si Moniales sint, debemus ad has audiendas esse priùs *specialiter* approbati ab Ordinariis locorum, in quibus audimus, uti constat ex dictis num. 1505. Vide tamen dicta num. 1527. Et si sint Regulares, sive viri sive fœminæ, quæ secundùm statuta sua non possunt confiteri extra Ordinem, invalidè absolvuntur à nobis, *Compendium* v. *Absolutio* post §. 1. Suar. suprà *t.* 8. *l.* 2. *c.* 16. apud quem, uti & in *Comp.* §. 15. Pontifices declararunt per voces illas, *Quoscumque Christi fideles*, non intelligi Regulares. Quod etiam valere pro Germania, nec sufficere privilegia, nisi secundùm tenorem Constitutionis *Clementis X.* dixi. 1533. De facultate absolvendi Nostros à variis peccatis, habet *Comp.* §. 8. & seqq. Et quis absolvere possit nostros Apostatas, habet v. *Apostata* §. 1. & seq. Non possunt autem Nostri, per se loquendo, confiteri nisi nostris Confessariis à Societate designatis, v. *Confessarius* §. 4. *&* 5. Nequidem in Jubilæis, v. *Absolutio* §. 15. De hoc tamen vide, quæ dixi *nu.* 1464.

1578 §. 4. Non possumus absolvere à peccatis Papæ reservatis in Bulla cœnæ, uti ostenditur *à n.* 1618. Casus Bullæ cœnæ dabo in l. 7. n. 1. hìc autem à n. 1513. explicabo, quandonam casus aliqui censeri debeant non reservati Papæ, ideoque possumus ab eis absolvere.

§. 5. Facultas absolvendi ab hæresi, apostasia, 1579
lectione librorum prohibitorum, quæ refertur in *Comp.* v. *Absolutio* §. 7. & 8. Item facultas absolvendi diripientes bona naufragorum; vel eos, qui contra prohibitionem Bullæ cœnæ aliquem absolvissent ab aliquo casu dictæ Bullæ, etiam cessant, uti ostenditur à n. 1618. & aliunde revocatæ sunt, quia erant vivæ vocis privilegia, quæ revocata esse fatetur *Præfatio Compendii* Et videri possunt, quæ dixi l. 1. à n. 850.

§. 6. Possumus à casibus in Bullæ cœnæ reserva- 1580
tis absolvere in partibus infidelium remotissimis, ex quibus non datur recursus Romam, *Comp.* v. *Absolutio* §. 5. Nec hoc revocatur per Bullas annuas, id enim sciunt Pontifices, & sensus omnium est Romæ, quòd eò se non extendat revocatio. Quid circa eosdem casus Bullæ & alios possint Superiores nostri quoad Nostros absolvendos, habetur §. 10. & seqq. videri debent dicenda n. 1622.

§. 7. Etiam in casibus extra Bullam cœnæ non 1581
possumus absolvere *à quibuscumque peccatis*, nam non possumus absolvere à reservatis Episcopo, uti dicetur n. 1628. Nec ab illis, quæ sibi reservant Superiores aliorum Ordinum, imò nec à mortalibus illorum Regularium, qui non possunt confiteri alicui extra suum Ordinem, secundùm dicta n. 1577.

§. 8. Possumus absolvere à peccatis extra Bullam 1492
cœnæ Papæ reservatis, & consequenter etiam à sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus, *Comp.* v. *Absolutio* §. 1. Quænam autem reserventur Papæ extra Bullam cœnæ, insinuabitur n. 1610.

§. 9. Facultas dispensandi cum externis quoad 1583
jejunia vel usum ciborum vetitorum, non invenitur in *Compendio*. Superiores possunt dispensare cum nostris circa jejunia & cibos vetitos, *Comp.* v. *Dispent.* §. 6.

§. 10. Facultas dispensandi cum externis in ir- 1584
regularitate ex defectu lenitatis; Item facultas concedendi externis usum librorum prohibitorum non inveniuntur in *Comp.* Generalis potuit per Bullam *Gregorii XIII.* dare Nostris licentiam ad libros hæreticos legendos; & Provincialis ad prohibitos, *Comp.* v. *Libri prohibiti* §. 1. *&* 2. sed post §. 6. dicitur posteà factam esse à *Greg. XV. & Urb. VIII.* universalem revocationem facultatis legendi, & habendi libros prohibitos.

§. 11. Confessarii Societatis possunt commutare 1585
omnia vota etiam jurata, dummodò commutatio non fiat in præjudicium tertii: Exceptis ultramarinis, SS. Petri de Urbe, S. Jac. in Compostella, Castitatis & Religionis, *Comp.* v. *Commutatio* §. 1. Provinciales dispensare possunt cum ingredientibus Societatem in voto Religionis alterius, etiam strictioris. Superiores & Confessarii nostri ordinarii possunt Nostris relaxare quælibet juramenta, si fiat sine præjudicio tertii, v. *Confessarius* §. 6. Generalis potest legata commutare ex uno usu ad alium, v. *Commutat.* §. 4. De commutatione votorum possunt plura, etiam remissivè, videri à n. 1459.

§. 12. Aliqui putarunt Regulares posse per Bul- 1586
lam, dispensare in votis, sed fatetur Peliz. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 141. id non esse certum; nec de hoc aliquid habet *Comp.* Addunt alii cum Quintan. & Mendo *dist.* 1. *n.* 77. Confessarios Regulares gaudentes privilegiis Mendicantiũ posse per Bullam dispensare in omnibus votis, in quibus de potestate ordinaria possunt Episcopi: putatque Gob. *t.* 10. *n.* 632. id competere illis, quibus Superiores nostri commiserint, sed etiam de hoc nihil reperitur in Comp. Nec valet illatio à commutatione ad dispensationem, cùm hæc plùs dicat Et saltem Regulares non possunt dispensare in illis, in quibus

quibus possunt Episcopi in casu urgentis necessitatis: ut dixi l.3.p.51.n.563. ibi consentit Papa, tacitè eligens industriam personæ Episcopi.

1587 13. Quando litteræ Apostolicæ diriguntur ad Confessarium, Magistrum in Theologia vel Canonibus Superiores possunt Confessario nostro non graduato ab Oratore electo dare facultatem exequendi tales litteros, *Comp.* v. *Confessarius* §. 1.

1588 §. 14. Possunt Provinciales per se vel alios dare facultatem Nostris dispensandi ad petendum debitum cum iis, qui consanguineum vel Consanguineã sui conjugis post Matrimonium carnaliter cognoverint; *Comp.* v. *Dispensatio* §. 7.

1589 §.15. Quamvis Fr.Lug.Lez.Peyr.Mendo suprà, Burgh. *cent. 2.cas. 56.* & alii putent privilegium dispensandi ad petendum debitum cum illis, qui ante Matrimonium habebant votum castitatis, adhuc vigere apud Mendicantes, tamen in *Comp.*v.*Dispensatio* §. 8. pro eo tantùm citantur vitæ vocis oracula, adeóque censeri debet revocatum, usquedum probetur haberi per Bullam,& ut tales nobis communicari.

1590 §.16. *Compendium* nihil habet de speciali facultate absolvendi eos, qui majores Ordines in excommunicatione suscepissent; aut eos, qui plures Canonicatus vel Beneficia curata possiderent. Nec ad dispensandum in fructibus malè perceptis cum illis, qui per simoniam ignoratam obtinuerunt Beneficia; aut cum aliis, qui adhuc sunt sub patriâ potestate, ad retinenda tantisper Beneficia simoniacè illis procurata: Nec de speciali facultate ad rehabitandum externos ab omni genere irregularitatis, præter eam, quæ per homicidium, mutilationem, bigamiam, defectum natalium contracta est: Nec ad dispensandum aliquando cum sanctimonialibus, ut possint vel sine habitu vel extra sui Ordinis claustra remanere. Nec ad dispensandum cum his, qui invalidè contraxerunt Matrimonium non servata forma Trid. apud ipsos recepti, ut possint hac non servata illud secretò revalidare: Nec ad dispensandum cum illis, qui ignorantes contraxerunt cum impedimento criminis; unde censendum est nos facultates eas non habere, donec constet unde. Quomodo Superiores possint Nostrorum irregularitatem tollere, habetur in *Comp.* v. *Dispensatio* §. 4. & seq. An possimus absolvere ab excommunicatione, suspensione, & interdicto Episcopali, vide dicenda *n.* 1628.

1591 §. 17. Quando Generalis noster initio sui regiminis revocat facultates, gratias, privilegia ab antecessoribus suis concessa, non intelligitur de facultate absolvendi, dispensandi; nec de usu indulgentiarum pro liberanda anima & aliis similibus, sed illæ solùm revocantur, quibus quasi dispensabatur in observatione Regularium, quæque ad gubernationem, & religiosam disciplinam spectant, ut est facultas dandi, accipiendi, retinendi apud se pecuniam, utendi sigillo privatim, &c.

1592 §. 18. S.Congregatio anno 1648. de mandato Innoc. X. occasione controversiæ inter Episcopum Angelopolitanum, & Patres Societatis JESU inter cætera resolvit sequentia, uti referunt *Manigart* in praxi pastorali pag.1148.& *Synodus Colon.* anno 1662. pag. 178 Patres non possunt eligere Conservatores ex vi privilegiorum, si Episcopus urgeat observationem Decretorum Trid. in iis, in quibus per Trid. vel Papam exempti subjiciuntur Episcopi jurisdictioni, & correctioni. (Quomodò aliàs Patres possint eligere Conservatores suorum jurium & privilegiorum, habetur *in Comp.* v. *Conservator*) Patres affirmantes se habere contraria privilegia, tenentur ea exhibere, nec tenetur credere Episcopus. Si verba privilegiorũ sint obscura & ambigua, solus Papa pro interpretatione est adeundus, uti etiam declaravit *Clemens X.*n.1508. relatus. Omnia Patrum privilegia redacta sunt ad terminos Constitutionis *Greg. XV. Inscrutabili.* Patres gravati ære alieno, vel ad raticinia, vel testamentorum executores possunt conveniri coram Ordinario, si non nominaverint Conservatores intra tempus habile ab Ordinario præscriptum. Si Episcopi pro tuendis juribus cathedralium Ecclesiarum coram Judice competente agant, &c. Patres non possunt recurrere ad Conservatores. Si regulares non approbati, confessiones audiant, vel concionentur sine benedictione aut licentia, potest Episcopus immediatè agere contra illos, & remediis juris, cœrcere etiam procedendo ad censuras. Si è Patribus quis agat contra Episcopum maledictis, scripto vel facto, debet puniri à Superioribus, & de punitione certior fieri Episcopus. Si Superiores negligant punire, potest Episcopus juxta Trid. *sess.25.cap.14. de Regul.* Si autem profugerit ad aliam diœcesim, servanda Constitutio *Clem.VIII. Suscepti muneris ratio.* Prædia rustica, &c quæ spectant ad Patres, non gaudent privilegiis Collegiorum: neque tempore paschali possunt in his ministrare Eucharistiam ibi laborantibus: neque aliàs quibuscunque etiam famulis suis ministrare Baptismum, Extremam Unctionem, aut assistere Matrimonio. Patres habentes apothecas quarumcumque mercium, macella & similia, non possunt quidem prohiberi, si tamen extra Collegia dent notoriè per hoc scandalum populo, prohiberi possunt ab Episcopo, Conservatores Societatis ex vi Bullæ *Gregorii XIII. Æquum reputamus,* possunt in manifestis injuriis & violentiis etiam per censuras & pœnas Ecclesiasticas procedere contra Vicarios generales Episcoporum. Multa ex his statuit etiam S.Congregatio, approbante *Gregoria XV. & Urb. VIII.* uti refertur Tomo 4. Bullarii post Constitutionem 18. *Greg. XV.* ubi etiam habentur sequentia: Regulares exempti, quibus cura animarum non incumbit, non subjacent Episcoporum jurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cùm in Sacramentis personis sæcularibus administrandis iidẽ Regulares delinquunt. Facultates per Constitutionem *Greg.XV. Inscrutabili,* non conceduntur Episcopis in personas nullius diœcesis: Nec conceduntur Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem. Quando Episcopus admonuit Superiores, ut amoveant Confessarium vel administratorem bonorum apud Moniales, si Superiores id non faciant possunt id facere Episcopi, nec tenentur causam reddere Superioribus Regularibus.

§. 19. Ex dictis constat nos non posse uti gratiis 1593
vel privilegiis, quibus Trid. *sess 25.c.22. de Reg.* derogat, *Comp.*v.Conc.Trid.§ 3. Putant autem Castr. *t.27. p.13.n.13.* & Gob. *tr.9. n.719.* hoc intelligi tantùm de illis, quæ adversantur contentis in illa sessione, neque derogationem odiosam esse extendendam ad omnia in *Trid. Pii IV. Trid.* addita, Docet quidem Suar. *de legibus l.8.c.18.n.18.* tanquam probabilius, quòd nec Bulla *Pii* deroget, nisi secundùm ea, quibus derogatur expressè per decursum Trid. *sed Arr. de legibus d. 33. num. 8.* & Du-Bois ad *prop. lab Alex. VII.* damnatas num. 161. melius dicunt derogare quoad omnia reipsa opposita *Trid.* alioquin Bulla quoad illud punctum nihil efficeret sed ageret actum *à Trid.*

§. 20. Quando aliqua facultas nunc redditur, 1594
vel conceditur contra Decreta *Tridentini*, non requiritur derogatio circa *Trident.* si concessio manu *S. Pius V.* & S. Congregatio Papæ fuerit signata, *de her. sf. pu. 4. cap. 5. num. 34. pun. 5.* apud Garc. Barbos. *in Collect. ad Trid. sess. de cap. 8. num. 87.*

Ref. c. 21. n. 2.

§. 21. Quamvis *Clemens VIII.* apud Manigart, 1595.
pag. 1100. & Syn. Colo. *pag. 77.* statuerit, ut nullæ

nullæ Confraternitates etiam à Regularibus erigerentur, vel aggregarentur sine consensu Ordinarii, &c. Constitutio tamen illa non afficit nostras Congregationes vel Sodalitates, quarum Indulta omnia posteà iterum confirmavit per Bullam *Greg. XV.* uti habet Comp. v. Sodalitas §. 7. Praxis tamen habet, ut indulgentiæ primò Roma acceptæ non promulgentur, nisi subscriptæ ab ordinario.

1596 §. 22. Si Episcopi urgeant, Regulares non possunt in suis sine benedictione, in alienis autem templis sine licentia Episcoporum prædicare, Trid. *sess. 5. c. 2. Clemens X.* suprà num. 1504. Quòd si Episcopi contradicant, Nostri nec in nostris nec in alienis templis possunt prædicare, *Comp.* v. *Prædicatores.* Per Bullam *Gregorii XIII. Vigore*, &c. quæ refertur in Instituto pag. 82. possunt Nostri tantùm tonsurati publicè prædicare.

1597 §. 23. De facultate Sacerdotum Societatis ad applicandas Indulgentias altaris privilegiati, dixi ante n. 526. Ad publicandas, & lucrandas plures alias Indulgentias etiam in Missionibus, à n. 1357. 1361. ad transferendas Indulgentias cum festo S. Xaverii, n. 1357. 1376. Ad legendum Officium, & Missam de S. Ignatio semel de septimana, dixi l. 4. num. 1248. Ad legendum Officium, & Missam in festis nostrorum Beatorum, ib. n. 1249. & hic n. 375. Ad legendam Missam in privatis Oratoriis & altari portatili, hìc n. 273. Ad legendam Missam ante auroram, vel post meridiem; n. 225. 229. Ad benedicenda paramenta Missæ, & campanas, n. 353. 406. Possuntque Superiores nostri reconciliare nostras Ecclesias, cæmeteria, & Oratoria polluta, *Comp.* v. *Ecclesia* §. 2. Et possumus in templis nostris omni die, quo aliàs licitum est, ministrare Eucharistiam, excepto die Paschæ, *Comp.* v. *Eucharistia* §. 1. pro quo etiam aliam declarationem retuli lib. 6. part. 1. n 637. De facultate eodem die binandi Missam nihil habet *Compendium*, sed videri possunt dicta n. 138.

1598 *Q.* 226. *Quid dicendum sit de facultatibus, quas Sedes Apostolica concedit Episcopis cum potestate communicandi aliis?* Resp. Episcopi in Germania accipiunt multas facultates, quas alioquin non habent, v.g. absolvendi ab hæresi, dispensandi in variis rebus. In fine, datur facultas *communicandi aliis Sacerdotibus illas facultates, in totum vel in partem*, sed subditur, *Et prædictæ facultates tantùm concessæ intelligantur ad quinquennium. Quæritur*, an Episcopi vitalis facultatis communicandi, possint alteri Sacerdoti ad plures quàm quinque annos, aut etiam in perpetuum communicare tales suas facultates? Posse, suadetur 1. quia verba illa, *prædictæ facultates tantùm concessæ intelligantur ad quinquennium*, videntur respicere tantùm facultates à Papa concessas Episcopis, non autem ab Episcopis communicandas aliis, nam nihil dicunt de communicandis, ergo restrictio ad quinquennium videtur cadere tantùm super concessionem Papæ, & non super communicationem ab Episcopis faciendam. *Conf.* nam facultas communicandi, cùm sit privilegium & beneficium Principis, est amplè interpretanda, nec plùs restringenda, quàm verba sonent, ergo cùm detur facultas communicandi absolutè sine verbo ullo restringente ad quinquennium, dicendum est esse facultatem communicandi ad quodcumque tempus, prout Episcopi videbitur expedire. 2. Quando Episcopus dicit, *Titius sit ad quinquennium Vicarius meus cum potestate approbandi Confessarios*, Titius vi hujus potestatis potest approbare in perpetuum, ita ut quamvis potestas approbandi non sit perpetua, tamen approbatio sit perpetua: ergo cùm Papa dicat, *Episcopus habeat ad quinquennium facultatem absolvendi ab hæresi cum potestate hanc facultatem communicandi*, poterit communicare in perpetuum; ita, quamvis potestas communicandi, non sit perpetua, tamen facultas communicata sit perpetua. 3. Si Episcopi ipsimet tantùm acciperent facultatem v. g. absolvendi ab hæresi, & non potestatem dandi aliis facultatem absolvendi ab hæresi, ergo tale privilegium erit inutile in Germania, in qua Episcopi per se non absolvunt. E contrà Episcopum non posse ulli communicare ejusmodi facultatem nisi ad quinquennium, quo ipse eam habet, suadetur 1. quia Episcopo datur tantùm potestas communicandi suam facultatem, neque enim illo verbo plus insinuatur in Rescriptis, sed Episcopus habet suam tantùm ad quinquennium, ergo. *Conf.* nam communicare est facere aliquid sibi & alteri commune, ut nempe etiam alter hoc habeat, quod ipse habet, ergo si Episcopus extra quinquennium non habeat, nec alter per ipsum habebit. 2. Si Episcopus posset istas facultates communicare in perpetuum, cum inter illas sit; Dispensare in tertio gradu pro Matrimoniis contrahendis cum pauperibus, Ordinare extra tempora, &c. posset has aliasque, etiam ultima die quinquennii, quo eas habet, communicare in perpetuum multis Sacerdotibus per totam diœcesim suam dispersis, ita ut hi in perpetuum habituri essent facultates, quas nequidem Episcopus habebit: est autem inauditum, quòd ullus Episcopus unquam ita communicarit; & est incredibile, quòd ita communicare possit, alioqui fermè frustra, teneretur singulis quinquenniis petere confirmationem talium facultatum aliis communicandarum, quia satis multos haberet in sua diœcesi, qui dispensarent, ergo.

Ad 1. in oppositum patet ex dictis, quia Tò *communicare* significat hoc, nec patitur plùs, quàm quod dixi in prima ratione hujus ultimæ sententiæ. *Ad* 2. patet disparitas, nam aliunde constat Vicariis, etiamsi ipsimet approbati non essent, & ad unicum diem futuri essent in officio Vicarii, concedi ab Episcopis potestatem simpliciter approbandi, & dandi facultatem absolvendi in perpetuum, & non tantùm communicandi facultatem absolvendi, quam fortè talis Vicarius haberet. *Ad* 3. n. seq. quia si ipsis Episcopis non daretur, non possent communicare, nemo enim communicat, quod ipsemet non habet. Quod *Conf.* num etiam Episcopis datur facultas binandi Missam, quamvis ipsimet binare non soleant; quòd autem Episcopis ipsis detur facultas illa cum sola potestate communicandi, & non detur potestas concedendi facultatem binandi patet ex verbis, quæ subjunguntur: *Quòd si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur*, &c. Quod autem est hac facultate, idem est de aliis, cùm Indultum non distinguat. Hinc, *Inferes* 1. Si Episcopus facultates suas habuerit per triennium, posse alicui communicare tantùm per biennium: si habuerit ad quinquennium minùs uno die, posse tantùm communicare ad unum diem. 2. Si Episcopus in futurum provideat, ut omni quinquennio Romæ renoventur facultates suæ, poterit eas alicui communicare pro tempore vitæ suæ, per potestatem communicandi partim præsentem, partim futuram; ad eum modum, quo secundùm dicta lib. 3. pu. 2. num. 605. possum nunc pro tunc donare Titio aliquid, sub conditione, si sequente anno crescat, ita ut purificata conditione absque novo consensu meo donatio illa transeat in absolutam. Hæc disputata sint in utramque partem, nam totum pendet à mente & voluntate Sanctissimi rales facultates concedentis: cùm autem in multis agatur de valore Sacrament. meritò debent

debent Ordinarii à S. Sede petere declarationem, ne Sacramenta exponantur periculo nullitatis.

DUBIUM IV.

1599 *Quid sit reservatio casuum, & quis habeat potestatem reservandi & absolvendi ab iis.*

„ RESP. I. Reservatio hæc, est negatio jurisdictio-
„nis circa aliquod peccatum. At certum est in
„Ecclesia potestatem esse, quædam peccata reser-
„vandi, à quibus inferiores Confessarii non pos-
„sint absolvere, ut sic subditi meliùs dirigantur,
„& absterreantur à peccatis, quorum difficilem re-
„missionem vident: quamquam, nisi graves causæ
„sint, non debeat quivis, neque qui potest, quidvis
„facilè reservare, neque difficulter veniam dare
„absolvendi à reservatis, ne alioqui cedat in de-
„structionem, quod debebat in ædificationem.
„Porrò etsi quivis Ordinarius potestatem habeat
„reservandi, in Parochis tamen consuetudo eam
„abrogavit. v. Suar. *d.* 30 *s.* 5 Lugo *d.* 15 *s.* 6. §. 3. *Unde*
„*resolves*:

„ II. Cum non sit obligatio confitendi venialia,
„ea frustra reservantur (etsi fortasse possint saltem
„à Papa,) ideóque sola mortalia, eaque non nisi
„externa, graviora, opere consummata, prudenter
„reservantur: Unde *Clemens VIII.* statuit, ut Præla-
„ti Religionum, si quidem velint, undecim tan-
„tùm casus reservare possint, nec plures sine con-
„sensu Capituli generalis pro tota Religione, vel
„Capituli provincialis pro provincia: Quod tamen
„de culpa tantùm, & non censuris intelligendum
„est, potest enim Prælatus aliquid præcipere sub
„excommunicatione sibi reservata. Casus autem
„*Clementis* sunt sequentes.

„ I. Apostasia à religione, etiam rerento habitu.
„2. Nocturna ac furtiva è Monasterio egressio.
„3. Veneficia, incantationes & sortilegia. 4. Pro-
„prietas contra votum paupertatis, quæ sit pec-
„catum mortale. 5. Furtum mortale de rebus mo-
„nasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius, opere con-
„summatus. 7. Juramentum falsum in Judicio le-
„gitimo. 8. Procuratio, consilium vel auxilium,
„ad abortum fœtus animati, etiam effectu non
„secuto. 9. Occisio vel vulneratio, seu gravis per-
„cussio cujuscumque personæ. 10. Falsificatio ma-
„nus, vel sigilli officialium Monasterii. 11. Ma-
„litiosum impedimentum, retardatio aut apertio
„litterarum à Superioribus ad inferiores, vel con-
„trà.

„ II. Is, qui confitetur reservatum, mittendus
„est ad Superiorem, (suadebit tamen charitas,
„imò aliquando coget, ut ipse confessarius, tacita
„persona & casu, à Superiore veniam petat ab-
„solvendi.) Quòd si Superior adiri non possit, &
„sit causa urgens, v. g. timor infamiæ vel scandali
„ex omissione confessionis vel Communionis tunc
„potest inferior absolvere à reservatis, cum onere,
„ut pœnitens se posteà Superiori sistat. Quod etiam
„verum est, quamvis casus censuram reservatam
„annexam habeat. Porrò eo casu peccata non re-
„servata tantùm confiteri, sufficere putant proba-
„biliter Sotus, Corduba, & Gab. Ant. Palaus,
„Dian. *t.* 2. *t.* 4. *R.* 104. & Lugo *d.* 14. *de Euch. n.* 86.
„non improbat: *S. Th.* tamen *Suar.* & alii com. do-
„cent omnia esse confitenda, quod tutius est.

„ III. Si Superior injustè neget facultatem absol-
„vendi à reservato, posse ab alio Confessario, etiam
„directè absolvi, affirmant Henr. & Dian. *p.* 2. *t.* 4.
„*R.* 29. esse probabile. Sed rectiùs negant Laym. *l.* 3.
„*tr.* 9. *c.* 13. Lug. *d.* 10. *à n.* 233.

„ IV. Peccant Superiores 1. Si sine justa causa difficiles se præbeant in concedendis licentiis pro-
„absolutione reservatorum, Quint. *t.* 3. *sing.* 13.
„ex *Fag. Kon.* & alii 10. Etsi ex negatione timea-
„tur grave subditi detrimentum, peccant con-
„tra charitatem & justitiam, Lugo, Dian. *p.* 6. *t.* 6.
„*R.* 56.

„ V. Si Superior Confessario Regularium ad hoc,
„deputato neget facultatem absolvendi, Confessa-
„rius autem judicet debere concedi, potest is pro
„ista vice absolvere, Aversa *q.* 17. *sect.* 5. Lug. *s.* 4.
„referens sic declarasse *Clementem VIII.* haberique,
„in quarto tomo Bullarii, Bulla 26. *Urbani VIII.* &
„Quint. *s.* 11. dicens non esse dubium ea de re:
„additque ex aliis 7. probabile esse, idem posse,
„si viro Religioso, pio, docto & prudenti (licèt
„non ex designatis de facto) neget, Dia. *p.* 3. *t.* 2. *R.*
„126. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 59. & *p.* 9. *t.* 3. *R.* 15. ex Pellizario,
„(qui vult idem esse, si pœnitens ipse petat) & aliis.
„Imò Quint. *l. c.* censet probabile, quòd idem fieri
„possit, si Superior adiri nequeat, & urgeat tem-
„pus celebrationis vel Communionis, v. g. quia
„sine nota non potest abstinere, cùm alii omnes
„communicent. Ib. ex Trull. & aliis 6. Dian. *p.* 3. *t.*
„2. *R.* 16.

„ VI. Nihilominus certum est, posse aliquando
„Superiorem justis de causis negare facultatem, &
„cogere subditum, ut ad se veniat Lug. *l. c.* Nam si
„ex casu reservato grave scandalum vel damnum
„communitatis timeretur, potest Superior negare
„absolutionem, donec pœnitens per se vel Con-
„fessarium Superiori det sufficientem notitiam ad
„illud evitandum, aliàs non est satis tutus, nec
„dispositus ad absolutionem. Quare si Confessarius
„eo casu urgeat absolutionem, debet is attendere,
„ut pœnitens obligationi suæ satisfaciat in adhiben-
„do remedio communi malo vel damno, si sit ejus
„periculum, quia nisi hoc faciat, non potest absolvi,
„non ex defectu Jurisdictionis, sed quia non est
„dispositus. Ad hoc tamen requiritur, ut & obliga-
„tio pœnitentis certa sit, & alia remedia adhiberi
„non possint. Suar. *to.* 4. *de rel. l.* 8. *c.* 5. *n.* 10.

„ VII. Peregrinus, quoad reservationem, judi-
„candus est juxta diœcesim, in qua versatur, in
„qua, quæ reservata sint, discant Pastores ex A-
„gendis, aut consuetudine.

„ VIII. Superior auditis solis reservatis potest
„ab illis absolvere, & reliqua inferiori committere,
„ex causa urgente; qualis tamen non est multitudo
„negotiorum, ut docet *Suar. Fernand. & Fill.* sed
„alia gravior; tum quia etiam occupatissimus po-
„test dare facultatem adeundi alterum, cum onere
„posteà comparendi; tum quia integritas confes-
„sionis est de jure divino.

„ IX. Qui à Superiore absolutus est à reservatis,
„potest ab iisdem posteà absolvi à quovis, quia non
„sunt ampliùs materia necessaria Confessionis.

„ X. Qui bona fide confitetur, nesciens suum
„casum esse reservatum, vel Sacerdotem carere
„potestate circa illum, validè quidem absolvitur,
„cum onere tamen comparendi, *Prap.* Similiter si
„Confessarius probabiliter credit non esse reserva-
„tum (estò reverà sit) valet absolutio. Less. Dian. *p.*
„9. *t.* 9. *R.* 29.

„ XI. Qui confitens habenti potestatem ordina-
„riam delegatamve in reservata, oblitus est incul-
„pabiliter reservatum, potest illud posteà confiteri
„etiam inferiori, & absolvi. Quod etiam valet (sal-
tem si prior habuerit potestatem ordinariam) etiam-
si prior absolutio ob indispositionem vel alium
defectum pœnitent. invalida fuisset. Ratio, quia
intendit absolvere quantum potuit, ergo saltem
sustulit reservationem, quod fieri potuit, absque Sa-

„cramento. v. Præp. *in 3.p.q.9.d.4.n.24.* Merat. *t.3.d.*
„*d.* 30 *s.3.* Dian. *p.4. t.4. R.124.*

„ Resp. II. A reservatis absolvere potest, 1. Ipse „reservans. 2. Ejus in spirituali jurisdictione Su„perior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos infe„rior, quando Superior adiri non potest, v. gr. à „reservatis Papæ absolvere potest Episcopus eos, qui „Romam ire non possunt.

„ Resp. III. Extra periculum mortis, (de quo v. „dicta *dubio superiori*) nullus inferior per se, & di„rectè absolvere potest, nisi ex jure vel privilegio „concedatur.

„ Dicitur 1. *Per se*: quia de indirecta, & per acci„dens, colligitur ex dictis.

„ Dicitur II. *Nisi &c.* quia in casibus Papalibus „absolvere potest Episcopus, per se vel Vicarium „quando sint occulti, ut docet Nav. *c.* 27. *Unde re„solves*:

„ Mendicantes ex vi juris communis non possunt „absolvere à reservatis Episcopo, quia ut sic non „habent potestatem majorem Parochis; & privile„gium, quod circa hoc habuerunt, sublatum est „decreto Urbani VIII. Anno 1628. Excipit tamen „Aversa. cum Dian. *p.8.t.7.R.71.* eos casus, qui Epi„scopis à jure tantùm reservantur. Imò Quint. *t.* 1. „*i.3.s.* 14. affirmat, Regulares adhuc posse absolve„re, sicut ante decretum, eò quòd hoc in Provin„ciis non sit promulgatum, quod Dian *p. 9.t. 6.R.* „*51.* non audet probare, nisi ad Episcopum non „pateat recursus, tunc enim ab ipsi reservatis posse „absolvere, sicut posset à Papæ reservatis, Gran. „Dian. *p.5.t.14.R.58.v.* etiam Præp. *q.* 19. *d.*1.

„ Resp. IV. Si Confessarius dubitet, an pœnitens „lapsus sit in mortale reservatum, si quidem du„bium sit positivum, potest (sequendo opinionem „probabilem, & judicando probabiliter non esse re„servatum) absolvere: Si verò dubium sit negati„vum, posse absolvere negant aliqui, ut *Arm. Cord.* „*&c.* Probabiliùs affirmant Suar. Filliuc. Henr. Hurt. „Bonac. Lugo *d.20. à n.17.*

ADDENDA.

1600 Quæst. 227. *Quid præterea sit notandum circa potestatem reservandi peccata?* R. Hoc tantùm quòd illi omnes possint reservare, qui habent potestatem ordinariam conferendi jurisdictionem, possunt enim illam delegare aliis vel plenè vel restrictè tantùm, Dic. *d.*11. *n.*4. Unde posset etiam Parochus reservare respectu illius, cui à Parocho debet delegari jurisdictio, *Maj. Vasq. Dic.* contra *Suar. Busemb.* & alios.

1601 *Q.* 228. *Quotuplex sit, & quomodo fieri possit reservatio.* R. §. 1. Reservatio potissimùm est duplex, pœnalis, & medicinalis. Pœnalis est, quæ fit in odium & pœnam alicujus peccati. Medicinalis, quæ fit propter bonum fidelium, vel ob rectam gubernationem alicujus communitatis.

1602 §. 2. Putat Gob. *t.7.n.260.* tum esse pœnalem, si habeat censuram annexam; medicinalem, si non habeat censuram anuexam: Castr. *t.2.d.1.p.17.n.8.* vocat pœnalem, per quam delictum ipsum specialiter prohibetur vel punitur, medicinalem, per quam delictum non specialiter prohibetur vel punitur, sed tantùm simpliciter reservatur. Hoc videtur certum, si reservatio supponat delictum & addatur ex suppositione illius commissi, tum esse pœnalem; è contrà tum esse medicinalem, si non supponat delictum, sed ponatur velut medicina præservativa, ne delictum fiat vel repetatur, & ideò videtur dicendum, quòd reservationes omnes, quæ de facto dantur, sint simul medicinales.

1603 §. 3. Reservatio fieri potest vel *directè* vel *indirectè*. Directè fit, cùm quis jurisdictionem Confessarii, quam restringit, habet sibi subordinatam, uti Episcopus Parochi sibi subjecti, quam ideò directè potest ab eo auferre, suspendere, restringere. Indirectè fit, cùm quis jurisdictionem Confessarii non habet sibi subordinatam, eò quòd hìc non sit ejus subditus, suum tamen subditum eidem subjicit quoad aliqua tantùm peccata & non quoad omnia, in hoc enim casu subditus hujus Episcopi non subjicitur isti Confessario quoad illa peccata, quæ ibi reservat iste Episcopus, ideóque hic Confessarius non potest ab iis absolvere, cùm careat jurisdictione in pœnitentem, respectu istorum peccatorum.

1604 *Q.* 229. *Quænam peccata reservari possint, vel de facto reserventur?* Resp. §. 1. Reservari possunt *atrociora quædam & graviora delicta*, uti habet Trid. *sess.* 14. *de pœnit. c.* 7. Possent etiam reservari venialia, quia licèt multis aliis modis deleri possint, tamen secundùm dicta num. 1549. per Sacramentum Pœnitentiæ remitti non possunt, nisi ex vi jurisdictionis dependentis ab Ecclesia, quæ posset eam negare vel limitare, Suar Con. Fill. Lugo, Dicast. *d.* 11. *n.* 26. Aversa *q* 17 *s* 2. contra *Vasq.* Multò magis reservari possent mortalia negativè dubia, quia secundum dicta à n.606. est obligatio confitendi illa: de facto tamen non solent reservari nisi certò mortalia, & reservatio, cùm sit odiosa secundùm dicenda *n.* 1684. strictè est interpretanda nec extendenda ad casum dubium, Suar. Hurt. Lugo *d.20.n.18.* Dicast. *à n.* 88. Aversa suprà. *Nec obstat*, quod *Clemens VIII.* 9. Jan. 1601. prohibuerit absolutionem à casibus etiam dubiè contentis in Bulla cœnæ, *n.* 29. Nov. 1602. in alio Decreto de rè eadem omisit illa duo adverbia, *clarè & dubiè*, ideóque videtur revocasse prius Decretum, Viva ad 3. prop. *Alex. VII. n.9.* Pelliz. apud Dian. *p.10.t.14.R.8.* Sanch. tamen *in Decal. l.1.c.*10. *n.74.* putat peccatum in dubio reservari, si pro eo sit præsumptio fori externi, quia ex hac videtur esse possessio pro certitudine delicti: sed alii, saltem in ordine ad forum internum, hanc limitationem non addunt. Quid autem dicendum, sit, si, quando peccatum dubium est, absolvatur, & posteà superveniat certitudo, dicetur n.1693.

1605 §.2. Quamvis nunc non reserventur peccata, nisi in aliquem actum externum prodeant, ideóque possit quivis approbatus absolvere, v. g ab hæresi merè interna, tamen reservari possunt peccata merè interna, uti reservantur Papæ vota aliqua merè interna, v. g. castitatis, quamvis enim Ecclesia non judicet de merè internis, tamen secundùm dicta n. 1549. jurisdictio ad absolvenda etiam merè interna concedi debet ab Ecclesia, quæ negare posset vel limitare, Suar. Vasq. Sanch. Aversa Lug. Dicast. *n.*29. Chapeav. *p.1.6.6.* Mendo *d.1.q.4.* Quandonam autem peccatum internum dicatur prodire in actum externum, dicetur *à n.*1649.

1606 §. 3. Peccata etiam occulta, reservantur, uti constabit ex dicendis n.1609. & 1627. Quid autem hic dicatur occultum publicum, notorium, deductum ad forum contentiosum dicam *à n.* 1656. Quòd si alicubi reservetur peccatum tantùm publicum, & detur illius absolutio, quando adhuc est occultum, posteà autem fiat publicum, quid tum sit faciendum, dicam *n.*1694.

1607 *Q.* 230. *An incurrat reservationem, qui ignorat illam esse peccato suo annexam?* Resp. §.1. Si reservatio esset purè pœnalis, negant incurri Sanch. *de Matr. l.9.d.32.n.18* Castr. *t.2.d.1.p.17.n.8.* Stoz. *l.2.n.59.* & alii, quod Lugo *d.20.n.11.* Gob. *t.7.n.360.* Diana *p.10. tr.* 14. *R.* 8. vocant probabile, tum quia talis pœna videtur imponi contemptoribus legis aut contumacibus, quales non sunt, qui ignorant legem

vel

vel pœnam annexam, tum etiam quia si lex vel pœna sit invisibiliter ignorata, non videtur voluntariè transgressus talem legem, prout pœnalis est, cùm de ea non cogitaverit, ergo nec erit talem pœnam promeritus, quæ ordinariè non est debita tali peccato, sed per accidens est annexa. Hæc sententia procedit ex suppositione, quòd detur reservatio purè pœnalis, quod n. 1602 negavi. Tamen,

1608 §. 2. Quamvis reservatio non sit purè pœnalis, sed simul medicinalis, adhuc putant aliqui non incurri ab ignorante, quod Quintan. Dian. Burgh. *cent. 3. casu 31.* vocant probabile, quia semper videtur esse pœna extraordinaria; sed absolutè tenendum est cum communissima, incurri, quod clarum esse & in praxi notum dicit Aversa *q. 17. sect. 1.* putantque *Hurt.* & alii oppositum esse improbabile, quia per talem reservationem, quæ potiùs est medicina quàm pœna absolutè, & antecedenter tollitur jurisdictio à Confessario, propter bonum commune.

1609. *Q. 231. Quid addendum sit circa casus reservatos Papæ, præsertim per Bullam cœnæ?* R. seqq. §. 1. Quamvis nulli casus reserventur Papæ, nisi sint mortales, & in actum externum prodeant, ut dictum est à n. 1604. tamen reservantur, quamvis sint planè occulti, uti patet ex his propositionibus ab *Alex. VII.* damnatis: Tertia. *Sententia asserens Bullam cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, visa & tolerata est.* Quarta. *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Et doctrinam his damnatis propositionibus contrariam optimè firmat *Du Bois* super illas propositiones, qui videri potest.

1610 §. 2. Casus extra Bullam cœnæ reservati Papæ sunt plurimi, & quotidie fiunt plures per speciales Constitutiones, quæ etiam his temporibus emanant: v. g. nunc reservatur Papæ excommunicatio lata in illos, qui propositionem aliquam ex damnatis ab *Alex. VII. Innoc. XI. Alex. VIII.* docuerint, defenderint vel de ea tractaverint, nisi forsan oppugnando. Antiquos casus fusè enumerat Filliuc. *tr. 15.* Breviùs Chapeav. *de cas. reser. p. 1. c. 5. q. 1.* Brevissimè plerosque Busemb. *l. 7. c. 2. d. 4. art. 3* De violenta manuum injectione in Clericum plura habet *Busemb.* ibid. ubi etiam aliqua addam. De simonia dixi l. 3. p. 1. à n. 214. 220. De duello, & ad illud quoquomodo, etiam solo aspectu concurrentibus, dixi ibid. à n. 843. 847. De negligentibus denunciationem hominis suspecti de hæresi, vel Sacerdotis occasione confessionum solicitantis ad turpia, dixi l. 2. n. 215 216.

1611 §. 3. A casibus Papæ reservatis extra Bullam cœnæ absolvere possunt Confessarii Societatis JESU, secundum dicta *n.* 1582. Quid possint alii Regulares, peti debet ex illorum privilegiis.

1612. §. 4. Bulla cœnæ est Decretum, quod Papa omni anno die cœnæ Domini, sive Jovis sancto renovat: per quod fert censuras & reservationem in quædam crimina. Author Bullæ cœnæ ignoratur: cœpit autem ferri à tempore *Martini V.* anno 1420. Et declaravit *S. Pius V.* Antiquam durare usque ad promulgationem novæ. Bullam cœnæ dabo ad longum, l. 7. n. 1. Hic notabo aliqua circa præcipuos casus in Bulla cœnæ contentos.

1613 §. 5. Reservatur in ea, hæresis formalis tantùm, per quam quis cum pertinacia tuetur errorem agnitum; unde ab illis, qui non habent specialem facultatem, absolvi possunt hæretici materiales, quales dari etiam in Germania, dixi l. 2. n. 94. quamvis fortè per neglectum inquirendi aut alio modo peccarint mortaliter non admittendo fidem, talis enim casus, licèt sit peccatum mortale contra fidem, tamen non est verè casus Bullæ, cùm non sit hæresis formalis. Et idem est de eo, qui absque errore interno negat fidem, quamvis enim peccet contra fidem & pro foro externo præsumatur esse hæreticus, tamen pro foro conscientiæ non incurrit pœnas nec reservationem hæresi impositam, communis cum Viva *ad prop. 3.* Alex. VII. *& de Jub. q. 11. art. 1. n. 7.* An autem manifestans suum dubium in fide incurrat, dicetur n. 1651.

§. 6. Casus omnes reservati Papæ habent annexam excommunicationem, & propter hanc reservantur, Sanch. *in Dec. l. 2. c. 8. n. 3. c. 11. n. 1.* Chapeav. *c. 4.* Aversa *q. 17. sect. 2.* Castr. *tr. 4. d. 4 p. 3.* Gob. *t. 7. n. 360.* Viva *de Jubil. q. 11. art. 1.* Quod certum videtur de casibus Bullæ cœnæ, nam initio semper ponitur, *Excommunicamus &c.* & tum in fine Bullæ additur, quòd absolutio *à prædictis sententiis*, nempè excommunicationis, reservetur soli Pontifici, ergo reservantur propter illam censuram: hinc si peccans non sciverit censuram esse annexam, aut de illa non cogitarit, quando peccabat, non incurrit censuram, ergo nec reservationem: à talibus enim pœnis excusat ignorantia, & inadvertentia, uti dixi l. 1. à n. 767. & præter ibi citatos docent Aversa *s. 1.* Tamb. *in Decal. l. 1. c. 2. s. 10. n. 9.* Stoz. *l. 2. n. 60.* Atque idem est, si propter metum vel quamcumque aliam causam non incurratur censura, tum enim etiam non incurretur reservatio Papalis, Suar. *de pœn. d. 29. sect. 2. n. 11.* Sanch. *in Decal l. 2. c. 8. n. 3. & 5.* Tamb. *de cas. res. c. 5. §. 1.* Dian. *p. 9. tr. 6. R. 13.* Castrop Gob. & Stoz. suprà, Dicast. *de pœn. d. 11. à n. 19.* Et quamvis ignorantia legis sit vincibilis & moraliter culpabilis, dummodò non sit crassa, adhuc probabile est excusare à censura, secundùm dicta l. 1. n. 770. & dicenda de censuris. Aliud est de casibus reservatis ab Episcopo vel Prælato regulari, etiam habentibus annexam censuram: mens enim horum est ut quamvis non incurratur censura, peccatum maneat reservatum, censuram enim addunt, ut reservatio sit gravior, & difficilior, Tamb & Stoz, *n. 61.*

1614

§. 7. Laym. Gob. & alii probabiliter dicunt Bullam cœnæ, quoad libros, quibus hæresis inspersa est, & non ex professo defenditur, non esse in eo rigore receptam in Germania, adeóque lectionem talis libri non esse verè casum Bullæ reservatum.

1615

§. 8 Quamvis *in Jubilæo* vel aliàs concedatur facultas generalis absolvendi, *à quibusvis peccatis & censuris*, non intelliguntur reservata, uti habet communis, quia specialiter excepta requirunt specialem concessionem. Quando additur generaliter, *etiam à reservatis Sedi Apostolicæ*, non intelliguntur casus Bullæ cœnæ. Ugol. Suar. Sanch. *c. 13. n. 13.* Chapeav. *p. 1. c. 4.* Viva suprà, quia etiam talis facultas generalis non censetur se extendere ad ea, quæ specialiter eximuntur. Quando additur generaliter, *ab omni excommunicatione Papæ reservata, & etiam à casibus Bullæ cœnæ*, si non fiat expressa mentio de facultate absolvendi etiam ab hæresi, adhuc dicunt Sanch. *n. 10.* Lug. *d. 20. n. 162.* Greg. XIII. declarasse hanc censeri concessam, sicuti enim hæresis maximè speciali reservatione eximitur, ita exigit specialem & expressam pro absolutione facultatem, quod operosè persuadere nititur Viva: Sed alii in hoc ultimo contradicunt; & Tamb. *l. 6. n. 123.* dicit non esse dubitandum pro Germania, quòd concessa facultas ad casus Bullæ cœnæ etiam intelligatur ad hæresin & lectionem librorum hæreticorum, cùm illius facultatis usus in Germania sit maximè necessarius & fermè unicus. Si detur facultas, *ad omnia peccata & censuras*, non intelligitur suspensio, sed tantùm illæ censuræ intelliguntur, quæ per se impediunt absolutionem à peccatis, Aversa *s. 7.* Nec indiunt

1616

telligitur ulla irregularitas, uti dictum est *n.* 1458.

1617 §. 9. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de Ref.* dat facultatem Episcopis quoscumque sibi subditos absolvendi à casibus occultis Sedis Apostolicæ reservatis, etiam ab hæresi, & consequenter etiam à reliquis casibus Bullæ cœnæ: quam facultatem perdurare dicunt Dic. *de cens. d.* 3. *n.* 139. Tann. *n.* 121. *& alii.* Hinc inferunt cum Uvagnereck apud Gob. *n.* 371. *lit. B.* obtenta ab Episcopis hac facultate, quæ ipsis jam est ordinaria, etiam nos posse ab istis casibus occultis absolvere. Sed (præterquàm quòd hoc sit tantùm ad casus occultos) quia gravissimi Authores cum Suar. *de cens. d.* 21. *sect.* 3. *n.* 5. Sanch. *c.* 11. *à n.* 26. Aversa. *q.* 17. *sect.* 6. referunt Romæ decisum esse, quòd facultas illa revocetur per singulas Bullas cœnæ, secundùm ea, quæ *n. seq.* dicam, & consentit Viva *ad prop.* 3. Alex. VII. *n.* 4. non videmur tutò posse ex hoc fundamento procedere. Solent tamen Episcopi Roma petere & obtinere ad quinquennium speciales facultates absolvendi ab hæresi & cæteris casibus Bullæ cœnæ, etiam quando publici sunt, quas etiam possint aliis communicare, secundùm dicta *à n.* 1598. Ac similes etiam facultates habent Nuntii Apostolici pro tempore suæ Legationis, quas etiam possint aliis committere, à quibus si nobis communicetur vel committatur facultas absolvendi ab hæresi & aliis casibus Bullæ, tutò procedemus: De cætero,

1618 §. 10. Videtur dicendum cum Aversa *q.* 17. *s.* 6. quòd à casibus, qui verè sunt Bullæ cœnæ, absolvere non possint ulli Regulares, per se loquendo, quia facultates qualescumque sive concessæ sive quomodocumque communicatæ ad absolvendum ab hæresi, & casibus Bullæ cœnæ, omni anno revocantur per promulgationem novæ Bullæ, privilegium enim, quòd nullæ facultates censeantur revocatæ per Bullam cœnæ, quæ in futurum emanabit, erat tantùm vivæ vocis, & revocatum est per Urbanum VIII. uti fatetur *novum Comp. nostrum privilegiorum v. Bullæ Cœnæ* § 2. Et respectivè ad alios etiam Mendicantes declaravit S. Congregatio sub eodem Urb. VIII. 7. Nov. 1628. uti refert *Manigart in Praxi Pastorali pag.* 1122. & fatetur *Bonagratia in Summula Regular. v. Absolutio p.* 177. per confirmationem privilegiorum apud Regulares datam vel fortè dandam post Tridentinum, non revixisse facultatem absolvendi à reservatis in Bulla cœnæ, *utpotè quæ tollatur per annuam ipsius Bullæ publicationem.* Et eadem S. Congreg. 15. Junii 1647. approbante Innoc X. iterum declaravit id esse conforme Constitutionibus factis de mandato Clementis VIII. Pauli V. & Urb. VIII, uti refert Manig. *p.* 1156.

Objicies. Varii Pontifices concesserunt Regularibus facultatem absolvendi ab hæresi, & casibus Bullæ cœnæ, & simul privilegium, ut per Bullam quæ non censeatur talis facultas revocari. Speciatim Julius III. 22. Octobr. 1552. per Bullam, *Sacræ Religionis*, dat Societati JESU facultatem *quoscumque à casibus hæresis, & aliis contra fidem, & consequentibus censuris quibuscumque absolvendi*: confirmans autem omnia privilegia, & facultates à quocumque nobis concessas addit, *illis perpetuæ, & inconcussæ firmitatis robur adjicimus, illaque inviolabiliter observari, & sub quibusvis derogationibus, revocationibus, suspensionibus, alterationibus, decretis, declarationibus, ac literis Apostolicis, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas, ut etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum forma, & expressione in se continentibus, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis seu constitutionibus Apostolicis, quomodolibet pro tempore factis, & editis, illo unquam tempore comprehendi, aut ex in aliquo derogari seu ea revocari aut alterari nullatenus possit.* Similes confirmationes dederunt nobis vel aliis alii Pontifices, quas communicamus, uti retuli *lib.* 1. *n.* 857. R. Hæ concessiones omnes non obligant sequentes Pontifices, qui æqualem cum prioribus potestatem habent, & revocant forma, qua volunt, dummodò sufficienter significent mentem suam etiam ad nos aliosque Regulares extendi, hoc autem secundùm dicta *n.* 1464. sufficienter significant per hoc, quòd in singulis Bullis cœnæ dicant tolli potestatem absolvendi *quibuscumque Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam mendicantium ac militarium Regularibus, etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditis.* De privilegiis autem subjungitur. *Quæ omnia, quoad hoc, eorũ omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso inserrentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus.* Hinc rectè infert Mendo *d.* 1. *q* 5. censeri debere revocata omnia etiam remuneratoria, &c. omnium Regularium privilegia, quantum Bullam cœnæ concernunt. Videri possunt dicta *l.* 1. *à n.* 858.

Instabis. Si talis facultas tollatur per quamlibet Bullam annuam, frustra data esset ab illis Pontificibus scientibus quotannis emanare eam Bullam: hinc etiam Sixtus V. & Clemens VIII. renovationi Bullæ expressè addiderunt, *nisi in privilegiis casus in Bullæ contenti expressè concederentur*, quam conditionem sequentes Pontifices, qui omittunt, videntur subintelligere, inquit Laym. R. n. seq. nam valet pro tempore vitæ talis Pontificis. Sixtus autem & Clemens specialiter favebant Regularibus, hinc addiderunt clausulam illam ipsis faventem, quam cùm reliqui Pontifices omittant, utanturque verbis universalibus, quæ comprehendunt etiam casus per privilegia Regularibus concessos, hi sub Bullam cœnæ revocantem cadunt. Sub eam tamen non cadunt facultates, quas Papa Nuntiis vel Episcopis concedit ad certos annos, nam dantur cum voluntate præveniendi revocationem talis Bullæ emanaturæ.

§. 11. Putarunt *Becanus, Perlinus* & alii Bullam 1619
cœnæ non esse receptam in quibusdam Germaniæ locis; & speciatim de Bavaria id asserunt Tann. & Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. quoad aliqua. Quod etiam de aliis locis dicunt multi cum Marcantio *in Tribun. tr.* 2. *tit.* 4. *q.* 8. etiam ideò, quia deest sufficiens illius apud populum promulgatio. Sed ex dictis *l.* 1. *n.* 79. constat ad obligandos per eam omnes satis esse, quòd Romæ promulgetur, & alibi constet de hoc, & de casibus in ea contentis. Confessarii autem, præsertim Regulares, qui uti deberent privilegio absolvendi, satis sciunt de Bulla revocante, cùm in domibus eorum debeat esse publicè expositа.

§ 12. *Laym. Perlin. Gob.* & alii docent etiam ideò 1620
posse nos, & quoscumque approbatos in Germania absolvere ab hæresi, & lectione librorum prohibitorum, quia hinc non est facilis, imò plerumque est moraliter impossibilis accessus ad Papam, ob sumptus magnos, jacturam rei domesticæ, molestias & pericula vitæ, &c. Neque ideò est obligatio scribendi Romam, quod aliqui volunt, nam quamvis id facilè fieri posset, tamen tenent satis multi cum Dic. *de cens. d.* 3. *n.* 57. & Castrop. *tr* 4. *d.* 4. *p.* 3. §. 5. *n.* 7. id non esse opus, præsertim cùm litteræ sint expositæ periculo publicationis. Nec propterea est obligatio accedendi ad Episcopum, quod etiam aliqui volunt, nam ad Episcopum remittitur pro solo casu percussionis Clerici, uti notant Suar Mol. Sanch. *in Decal. l.* 2. *c.* 13. *n.* 9. *Contrà est.* nam quia difficilis est Romam recursus, ideò Papa in his partibus dat Nuntio Apostolico, & Episcopis specialem facultatem aliis communicabilem ad casus Bullæ cœnæ, ergo certum videtur ex mente Papæ non omnes habere facultatem illam.

§. 18.

1621 §.18.Gob.*tr.* 7. *à n.* 355. docet casus, qui valdè frequenter contingunt,non solere reservari, præsertim Papæ, & inde infert lectionem librorum prohibitorum in Germania non esse reservatam. Idem etiam dicit *Laym.* de hæresi, quæ in his partibus nimis frequens est. *Contra est* 1.nam hæresis formalis, quæ sola reservatur, non est ita frequens. 2. Casus etiam mediocriter frequentes reservari possunt Papæ,uti quibusdam Episcopis reservatur homicidium, percussio Clerici, furtum sacrilegum, fortè etiam ideò,ut frequentia emendetur.3.Certum est ex praxi Romana, item diœcesana multis locis, etiam pro Germania reservari hæresin.

1622 §.14. Dubitant aliqui,an omnibus illis non obstantibus possint saltem Prælati Regulares suos subditos absolvere ab hæresi occulta, & aliis occultis casibus Bullæ cœnæ, nam *quidquid jure communi possunt Episcopi cum suis subditis, possunt Prælati regulares circa suos,* Suar.*de Relig.tom.* 2.*l.* 2.*c.*39.*t.*4.*l.*2.*c.*15. Viva *ad prop.*3 Alex.VII.Et *propos.*4 damnata, quam retuli *n.*1609. solùm loquitur de absolutione sæcularium, hinc Bonagratia, *suprà p.* 162. multis contendit posse. Sed dicendum non posse, quia Bulla cœnæ excommunicat omnes hæreticos, quocumque nomine censeantur,& tum absolutionem illius aliorumque casuum reservat soli Romano Pontifici,derogando quoad hoc omnibus privilegiis quorumcumque, *etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditorum,*ita cum plurimis aliis Suar.Sanch.*c.*11. *n.*7. Dian.*p.*3.*tr.*2.*R.*122.Viva *sup.*Mendo *q.*4.dicens sententiam Bonagratiæ non ampliùs esse probabilem.

1623 §. 15. In articulo, vel etiam secundùm dicta *n.* 1561. in periculo mortis possunt Sacerdotes omnes absolvere à quibusvis casibus etiam Bullæ cœnæ, quia tum nihil reservatur,uti constat ex Trid.*sess.*14. *de Pœn.c.* 7. Attamen tum observanda sunt hæc tria. 1. Ut detur cautio de satisfaciendo parti læsæ, vel pignoratitia vel fidejussoria, vel si hæ fieri non possint, juratoria. 2. Ut fiat juramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ, per quod tamen non imponitur nova obligatio servandi quæcumque præcepta Ecclesiæ, sed illud solùm, quod absolvens vel Superior injunxerit, nempè ne iterum illud crimen patret. 3. Ut absolvendus juret per seipsum comparere coram Papa, quando poterit,ut nempè opportuna medicina adhibeatur, & imponatur satisfactio debita, alioquin reincidat in excommunicationem,ita quoad omnia Sanch.*c.*13.*à n.*17. *ubi à n.* 31. adhuc notat sequentia, 1. Supradicta onera tum tantùm imponi, quando ratione necessitatis datur absolutio, non autem si detur in Jubilæo vel ex privilegio, nisi expressè injungatur.Vide dicta à *n.* 1453. 2. Qui v.g. destitutus usu rationis ista præstare non potest,est nihilominus absolvendus. 3. Quamvis Confessarius non imponat ista, valet absolutio: ita etiam Aversa. *q* 17.*s.*7. *in fine.*

1624 § 16. Si extra periculum mortis aliud sit impedimentum perpetuum vel diuturnum,quominus habens reservatum, per seipsum se sistat Papæ,v.g.quia est impubes, senex, pauper, pateretur grave aliud damnum,Abb.Anchar.Felin.Ang.Nav. Sylv.Tabien. Covar Henriq Suar.Ugol.Castrop. Carden *in* 1. *crisi d.*80.*n.*47. Dicast.*d.*11.*n.*265.dicunt posse absolvi ab Episcopo suo: (Viva *n.*7.& alii contra alios putant etiam ab alio inferiore, si non detur recursus ad Episcopum)& consentit Sanch.*n.* 37. excipiens solam hæresin: putat enim pro hac teneri Romam recurrere per procuratorem,vel litteras: sed exceptionem illam rejiciunt Castrop.Dicast.*n.*268.Aversa.*sect.* 5. id enim Episcopo conceditur in jure *c. Eos qui, c. Mulieres, c. Quamvis, c. De cætero, de sentent.excommun.* sine ulla distinctione. Quòd si adiri posset Nuntius Apostolicus,Navar.Con.Bonac. Lugo, Dicast *n.*266 negant esse obligationem hunc adeundi, quia sicuti Episcopus, ita etiam Nuntius id potest per delegationem Papæ: è contrà alii cum Aver.*s.*5 dicunt adeundum Nuntium, quia specialiter constitutus est in partibus ut sit loco Papæ,& *cap. Quamvis,*dicitur tum posse pœnitentem absolvi,*quando non potest adire Pontificem & Legatum.*

*Q.*232. *Quid addendum sit circa casus Episcopis re-* 1625
servatos? R.Seqq §. 1. De jure communi reservatos in omni diœcesi,refert Dicast.*de cens.*d.3.*à n.*222.sed Chapeav.*p.*1.*c.*4.*q.*2. concludit nunc tantùm esse hos duos, nempè crimen incendiarii, & peccatum, ob quod solemnis Pœnitentia est indicenda, quod tamen nunc etiam non ampliùs est in usu: unde Fill. *tr.* 7. *n.* 273. absolutè dicit nullum casum de jure nunc esse reservatum Episcopis.

§. 2. Monet Clemens VIII. in Decretis super 1626
absolutione à censuris, ut Episcopi paucos, eosque tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam reservandos judicaverint,reservent Et in declaratione ejusdem Decreti prohibetur,ne sibi superfluè reservent casus Bullæ cœnæ aut alios Sedi Apostolicæ reservatos: iterumque monentur de reservandis paucis iisque atrocibus criminibus, uti refert Fill. *n.* 280.

§.3. Certum est Episcopos sæpè reservare pec- 1627
cata occulta, Chap.suprà Gob.*t.*7.*n.*397. Et quando reservant peccatum simpliciter sine addito, intelligitur etiam occultum, nisi aliud aliunde resciatur, de quo consulendæ propriæ Agendæ. Quandonam autem casus censeatur occultus, dicetur à *n.* 1656.

§. 4. Nulli Regulares possunt sine licentia E- 1628
piscopi absolvere à casibus ipsi reservatis,etiamsi absolvere possent à quibuscumque Papæ reservatis, ut declaravit Clemens X. *num.* 1508. & Alex. VII. damnans hanc 11. propos. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*Quod Viva *ad propos.*12.Alexand. VII.extendit etiam ad casus,quos Papa vel jus commune aut consuetudo reservat Episcopo, de quibus *n.* 1617 est dictum, sed in hoc valdè probabiliter contradicunt *Aversa* aliique suprà 30.Authores apud Thom.Hurt.*t.*1.*tr.*5.*R.*17.nam videtur esse sermo de casibus, quos ipsimet Episcopi sibi reservant. Hinc aliqui cum Pelliz.*tr.*6.*c.*2.*n.*59 dicunt Mendicantes posse absolvere à casibus, quos non ipse Episcopus sed Synodus reservat Episcopo, sed in hoc meliùs contradicit Viva:quod enim reservat Synodus, cui præest Episcopus,reservat ipse Episcopus. Putant tamen Gob. *numero* 374. & Sporer *numero* 747. Episcopos scientes, quòd Mendicantes in Germania absolvant à casibus sibi reservatis, & non contradicentes,hoc ipso censeri tacitè consentire, sed credo communiter contradicere.Similiter non possunt Regulares absolvere ab excommunicationibus, quas Ordinarii sibi specialiter reservant, quia potestatem illam sustulit Paulus V.apud Pelliz.*t.*8.*c.*3.*s.*2.*n.*2. *n.*85.quidquid contradicat Dian.*p.*3.*tr.*2.*R.*11. Addit tamen Pelliz. adhuc posse nos absolvere à suspensione, & interdicto Episcopali, quia Paulus V. tantùm loquitur de excommunicatione, quo nomine non veniunt istæ aliæ censuræ,sed de hoc nihil invenio *in Comp.nostro*, Aversa.*q.* 17.*s.* 6. universaliter dicit non posse à censuris ab Episcopo reservatis. Quid in Jubilæo sit dicendum,*vide n.*1451.

§.5.Si idem casus sit reservatus Papæ,& Episco- 1629
po,qui potest tollere reservationem Papalem, non ideò semper potest Episcopalem,quia Papa relinquit in statu de quo Dic. *de Pœn.d.*11.*n.*160. casu Episcopi impuberum,id est, masculorum ante 14. & fœmellarum ante 12.annum, quæ aliàs essent Peccata autem reservata

reservata Papæ, tum reservantur Episcopo, si committentes usu rationis perfecto polleant: De cætero, v.g. incestus puerorum, qui perfectum usum rationis necdum habent, nemini est reservatus, etiamsi pueri post pubertatem priùs confiteantur, Palud. Caj. Chapeav. *p.* 1. *c.* 6. *q.* 4. Vide dicenda *n.* 1691.

1630 §. 6. Quamvis Episcopus dicat se concedere alicui potestatem absolvendi ab omnibus peccatis, imò & omnem potestatem suam, non ideò censetur concedere ad casus sibi reservatos, nisi mens ejus aliunde constet, sed debet fieri de his specialis mentio, quia specialiter excepti sunt, Nav. Dic. *de cens. d.* 3. *n.* 228. Quando autem dat facultatem ad omnes casus sibi reservatos, non ideò dat ad casus Papales, à quibus absolvere potest Episcopus, sed tantùm delegat ad suos, nisi aliter exprimat. Nec ideò dat ad censuras sibi reservatas, quia censura non est *casus reservatus* sed pœna illius, Nav. apud Aversam *q.* 17. *s.* 7.

1631 §. 7. Reservatio Episcopalis habet vim tantùm intra diœcesim reservantis, hinc si peregrinus habens reservatum confiteatur in diœcesi, ubi non est reservatum, potest ibi à quovis approbato absolvi sine onere sistendi se suo Episcopo, uti declarat Clemens X. *n.* 1508. quia tamen excipit casum, *nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse*, tum enim Episcopus ipsius non censetur consentire. Et ibidem declarat, si casus sit reservatus in diœcesi, in qua Confessarius audit, talem peregrinum non posse absolvi sine facultate hujus Episcopi, quod certum est, si talis casus sit reservatus in diœcesi tam pœnitentis quàm Confessarii: si autem casus non sit reservatus in diœcesi pœnitentis, sed tantùm in diœcesi Confessarii, de hoc casu nihil expressè declarat Clemens, nam tantùm loquitur de veniente cum casu in sua diœcesi reservato: plerique tamen cum Suar. Lug. Con. Bordon. Marchant. Avers. *s.* 3. putant Confessarium hìc non posse absolvere; & Diana dicit esse rem claram, quia Episcopus hujus diœcesis directè sustulit illi jurisdictionem respectu talis peccati: quamvis Fagund. & Stoz. *l.* 2. *n.* 64. putent posse absolvere, tum quia reservatio fit ab Episcopo nonnisi in bonum propriæ diœcesis, ergo nonnisi circa peccata suorum diœcesanorum, tum etiam quia Confessarius viatorum absolvit per jurisdictionem ab Episcopo viatoris ex recepta consuetudine delegatam. Si tamen figeret hìc quasi domicilium, tum subjiceretur etiam huic Episcopo, & deberet judicari secundùm leges hujus diœcesis.

1632 §. 8. Probabilius est cum multis apud Dicast. *de Pœn. d.* 11. *a n.* 244. quòd diœcesani etiam extra suam diœcesim existentes incurrant reservationem per suum Episcopum annexam peccato, quod alibi committunt, quamvis reservatum non sit in loco, in quo committunt, quia ad bonum commune diœcesis spectat, ut subditi, ubicumque sint, abstineant ab ejusmodi criminibus: de quo quamvis videatur dubitare. *Stoz.* suprà, tamen certum videtur, quòd post reditum in diœcesim suam non possint à tali peccato absolvi, nisi ab habente potestatem in reservata.

1633 §. 9. Pœnitentiarii, qui in cathedralibus Ecclesiis exponuntur ad audiendas confessiones loco Episcopi, habent potestatem in omnes casus & censuras Episcopales, Chapeav. *cap.* 4. Declaravit autem S. Congregatio, teste Dicast *n.* 237. Episcopum posse deputare sibi aliquem Confessarium *cum eadem authoritate, quam ipse posset in sibi subditos exercere.* Quod Dicast. *n.* 273. etiam extendit ad Vicarium Episcopi. Vide tamen dicenda *n.* 1687.

1634 §. 10. Manet reservatio casuum, quamvis moriatur Episcopus, qui reservavit, si successor non revocet, est enim per modum statuti perpetui, Chapeav. *c.* 5. *in fine.* Tum autem censetur casus desinere esse reservatus, si Episcopus edat novum catalogum casuum reservatorum, & aliquem omittat; & tum desinit reservatio casus anteà commissi, non tamen excommunicatio quæ absolutione indiget: unde à contrario, si Episcopus ponat novum casum reservatum, qui hunc anteà commisit, non potest sine Episcopi licentia absolvi, nisi aliud colligatur ex verbis, quia jam sublata est jurisdictio respectu illius: attamen excommunicatio non ligabit, si annexa sit, quia hæc non imponitur nisi peccatis committendis, *Bord. Avers.* suprà.

§. 11. Si Episcopus sic statueret, *volo, ut qui hoc commiserit, non possit à me absolvi, sed peccatum & censura sit reservata Papæ*, illud peccatum non ideò esset reservatum Papæ, sed Episcopus posset ab eo absolvere, Rayn. *in Heter. C.* 16. *s.* 1. *p.* 9. *n.* 34. Talis tamen casus videtur fore Episcopo ipsi reservatus, quia à reliquis efficaciter sustulisset jurisdictionem. 1635

Q. 233. *Quinam casus sint ab Episcopo reservati in Colonienſi, & aliis vicinis diœcesibus?* R. *In Colonienſi* reservantur sequentes, uti habetur in Synodo anni 1662. *pag.* 71. Apostasia: Homicidium voluntarium. Incendium Ecclesiæ. Sodomia. Raptus virginum. Incestus cum consanguineis aut affinibus in primo aut secundo gradu, aut cum sanctimonialibus. Adulterium manifestum. Injectio manuum violenta in Parentes cum læsione. Blasphemia magna serióque prolata. Veneficium. Sortilegium quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus. Perjurium manifestum. Et quamvis per *adulterium manifestum, & perjurium manifestum*, insinuetur reliqua reservari, quamvis sint occulta, tamen Vinitor *de Sacram. t.* 7. *c.* 11. *q.* 11. testatur casus occultos hìc reservari. 1636

In Moguntina. 1637

In Agenda anno 1696. impressa reservantur, tantùm tres sequentes, etiamsi sint occulti. 1. Homicidium voluntarium. 2. Stuprum violentum. 3. Crimen incendiatorum.

In Trevirenſi. 1638

1. Enormis blasphemia in Deum vel Sanctos in loco publico. 2. Abusus Hostiæ, sacri Chrismatis, Olei sacri vel cujusvis rei sacratæ ad sortilegium, divinationem, incantationem aliosve magicos usus. 3. Perjurium Clerici attactis S. Evangeliis in judicio. 4. Crimen incendarij, excisio notabilis segetis, arborum frugiferarum vitium, & vinearum, ex odio tertii aut communitatis. 5. Crimen falsariorum tam monetæ quàm litterarum seu instrumentorum publicorum. 6. Sodomia, bestialitas, congressus cum dæmone carnalis. 7. Commixtio Sacerdotis cum filia spirituali. 8. Homicidium voluntarium quantumvis occultum; & adhortatio, ex qua commissum est homicidium. 9. Depulsio fœtus sive animati sive inanimati. 10. Percussio Parentum enormis. 11. Matrimonium à sciente, conjugem suam alterius contrahentis adhuc vivere, initum.

Notandum est autem, quòd etsi quis generalem à reservatis his absolvendi facultatem accipiat, tamen ordinariè excipiantur septimus, uti & gravis percussio Clerici, quæ etiam reservata est, quapropter à duobus his casibus absolvere non potest nisi cum facultate speciali

In Paderbornenſi. 1639

Agenda impressa Neuhusii 1687. Titulo, *Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, sic habet. *Casus in hac diœcesi Episcopo reservati sunt sequentes.* 1. Crimen incendiarii. 2. Sacrilega Calicum & Monstrantiarum ex Ecclesia surreptio. 3. Homicidium & infanticidium tam prolis natæ quàm fœtus animati. 4. Incestus in

primo

primo gradu & congreſſus cum Moniali. 5. Sodomia & cum brutis congreſſio 6. Defloratio violentâ virginum & earundem raptus. 7. Omne explicitum cum dæmone pactum, & grave per veneficium illatum damnum.

Praxis hoc tempore, quo ſcribo anno 1711. habet, ut dicti caſus etiam occulti cenſeantur reſervati.

1640 *In Monaſterienſi.*

A multis conſequenter Epiſcopis antehac reſervata eſt ſola *percuſſio Clerici.* Quidnam præterea reſervetur, docebit nova Agenda Paſtoralis.

1641 *In Oſnabrugenſi.*

Acta Synodalia Eccleſiæ Oſnabrugenſis pag. 241. ex Synodo ultima Mundæ celebrata in Octob. 1632. hoc modo eos referunt Decreto 13. De Sacramento Pœnitentiæ. *Caſus Clericorum Nobis reſervati.* Fornicatio cum filia ſpirituali ſive Confeſſionis Concubinatus publicus. Confeſſionis revelatio. Furtiva ſuſceptio ſacrorum Ordinum ſine debita licentia & dimiſſorialibus ab alieno Epiſcopo; aut cùm notatus cenſuris quiſpiam Ordinem ſuſcipit, aut ſine Ordinibus celebrat miniſtratve. *Caſus laïcorum reſervati Nobis.* Matrimonium contractum cum alia conjuge adhuc vivente, ſcienter aut clandeſtinè, non ſervata forma Concilii Tridentini. Machinatio in mortem conjugis, morte ſecuta. *Caſus Clericorum, & laïcorum communes reſervati Nobis.* Homicidium voluntarium, facto, præcepto, conſilio, vel conſenſu deliberato commiſſum. Sacrilegium in re vel in perſona. Inceſtus cum conſanguineis vel affinibus in gradu à Concilio Tridentino definito. Adulterium. Raptus. Procuratio abortus vel ſterilitatis. Incendium Eccleſiarum, domorum aut ſegetum, malitioſè factum. Pollutio Eccleſiæ, cœmeterii ſanguinis vel ſeminis effuſione. Violatio libertatis vel immunitatis Eccleſiaſticæ. Item veneficium, ſortilegium; divinatio, incantatio cum pacto dœmonis expreſſo vel implicito; & abuſus Sacramentorum & ſacrarum rerum ad ſuperſtitiones, & artes magicas. Ab his caſibus ſi quis Confeſſarius cujuſvis Ordinis ſine facultate, ſcripto à Nobis data, aliquem abſolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat.

Tempore, quo ſcribo, anno 1711. praxis habet in diœceſi Oſnabrugenſi, ut caſus occulti non cenſeantur reſervati.

1642 *In Hildeſienſi.*

In Synodo diœceſana 12 & 13. Aprilis 1652. Caſus reſervati. Veneficia, incantationes, ſortilegia. Homicidium voluntarium. Percuſſio propriorum Parentum deliberata. Stuprum cum violentia. Raptus. Inceſtus cum conſanguineis aut ſanctimonialibus. Beſtialitas. Sodomia. Procuratio abortus animato fœtu, etiam effectu non ſecuto. Perjurium in judicio factum. Blaſphemia enormis. Crimen incendiariorum. Reiteratio Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis tam activa quàm paſſiva. Violatio immunitatis aut libertatis Eccleſiaſticæ. Violatio ſigilli confeſſionis. Falſificatio litterarum publicarum. Conjugis machinatio in mortem alterius conjugis. Abuſus Sacramentorum ad vana & ſuperſtitioſa.

1643 *In Leodienſi.*

1. Hæreſis. 2. Apoſtaſia. 3. Homicidium voluntarium. 4. Injectio manuum in Parentes. 5. Machinatio in mortem conjugis. 6. Veneficium. 7. Maleficium. 8. Incantatio. 9. Procuratio abortus. 10. Prolis oppreſſio. 11. Stuprum ſive violenta defloratio virginis. 12. Raptus. 13. Matrimonium contractum poſt votum caſtitatis aut in gradu prohibito ſcienter, vel priori uxore adhuc vivente. 14. Inceſtus cum conſanguineis aut cum virgine ſacra ſeu Moniali profeſſa. 15. Concubitus contra naturam, puta. Sodomia, & ejus generis graviora crimina. 16. Falſitas circa monetam. 17. Falſitas circa litteras alicujus Prælati inferioris Papa. 18. Solemne perjurium. 19. Publica enormis blaſphemia in Deum aut Sanctos. 20. Inſignis contumelia illata ſacroſanctæ Euchariſtiæ aut ſacris Sanctorum Reliquiis. 21. Abuſus ſacroſanctæ Euchariſtiæ, & ſacrarum Reliquiarum vel etiam Sacræ Scripturæ ad exercitium artium magicarum. Hi caſus reſervantur, etiam quando ſunt occulti.

Anno 1697. 12. Martii prodiit impreſſum Leodii, ſub titulo: *Inſtructiones ſummariæ pro Confeſſariis, &c.* ubi notantur iſti caſus, & in fine additur: *Noverint autem nemini quantumvis poteſtatem habenti abſolvendi à caſibus Nobis reſervatis, veniam eſſe conceſſam ut abſolvere poſſit ab hæreſi, apoſtaſia & homicidio voluntario: item à caſu complicis in materia venerea, id eſt, à peccato mortali externo in materia venerea cum pœnitente perpetrato.*

In Ruræmundana. 1644

1. Hæreſis interna ſigno externo manifeſtata. 2. Apoſtaſia à fide, à Religione, & ab Ordine reipſa exteriùs perpetrata. 3. Publica & enormis blaſphemia aut contumelia in Deum vel Sanctos. 4. Simonia realis. 5. Maleficia, per quæ maleficus pacto expreſſo vel implicito cum dæmone, immediatè vel mediatè ſcienter inito, alicui, in anima, corpore, fama honore, rebus & aliis quibuſcumque reipſa nocet. 6 Homicidium voluntarium reipſa factum; & ſi ſit Clerici, Sedi Apoſtolicæ eſt reſervatum. 7. Injectio violenta manus in Patrem, Matrem, horum majores, vitricum, & novercam. 8. Inceſtus in primo conſanguinitatis vel affinitatis gradu reipſa commiſſus: item qui cum mulieribus religioſis profeſſis fit. 9. Sodomia cum eodem ſexu, beſtialitas, & alia ejuſmodi nefanda aut graviora contra naturam ſcelera reipſa conſummata. 10. Incendium Eccleſiæ domorum, frugum aut aliorum ex propoſito factum. 11. Peccata mandantium, conſulentium, auxilium & favorem præſtantium in hæreſi, homicidio, incendio, maleficiis ſupradictis. 12. Crimen falſarii, ſi ſcripturæ ſint publicæ, ut Regis, Principis, Magiſtratus, Judicis de publico tractantes. 13. Violatio Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis.

Advertendum eſt, quòd in hac diœceſi Ruræmundana nullus Confeſſarius, extra mortis periculum, licèt aliàs habeat poteſtatem abſolvendi à reſervatis, abſolvere poſſit à peccato quolibet mortali externo contra caſtitatem, complicem in eodem ſecum peccato, nec ad hoc ſit approbatus; nec abſolvere poſſit ab hæreſi; neque à caſu laſcivorum conventiculorum juventutis utriuſque ſexus, ſine expreſſa ad hoc ab Ordinario obtenta licentia.

Q. 234. *An Regulares ſubjaceant caſibus ab Epiſcopo reſervatis?* R. Regulares non excepti ſubjacent; exempti non ſubjacent, quia quoad hoc non ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi. Si tamen Regulares exempti, v. g. Moniales habeant Confeſſarium non exemptum, huic ſublata erit juriſdictio & poteſtas abſolvendi à tali caſu, ideóque caſus commiſſus à Moniali exempta cenſebitur reſervatus reſpectu talis Confeſſarii; niſi tales exemptæ haberent privilegium, ut per quemcumque approbatum poſſint ab omnibus caſibus abſolvi, Sylv. p. 1. v. *Caſus reſervatus caſu.* 2. Noviorum peccata etiam manent reſervata reſpectu Confeſſarii ab Epiſcopo approbandi, Averſ. q. 17. ſ. 1. 1645

Q. 235. *Quænam notanda ſint circa ejuſmodi caſus ab Epiſcopis reſervatos?* R. ſeqq. §. 1. Per *apoſtaſiam* intelligitur defectio à vera fide ad hæreſin. Per *relapſum in hæreſin* intelligitur relapſus poſt hæreſin publicè ejuratam. Az. t. 1. l. 8. c. 14. Per *homicidium* videtur etiam intelligi actio occiſiva, v. g. vulnus lethale vel porrectum venenum, propter quod ſequitur mors. Per *ſodomiam* Tamb. in Decal. l. 7. c. 7. §. 6. intelligit illam ſolam, quam committit agens ſeminando in vaſe 1646

præpoſtero

præpostero masculi, cùm enim reservatio sit materia odiosa, secundùm dicenda *n.* 1684. restringi debet, adeóque intelligenda est sodomia perfecta propriè dicta. Alii intelligunt quamcumque sodomiam perfectam, sive sit patientis, sive agẽtis: Chapeav. *p.* 2. *c.* 15. intelligit omnem sodomiam propriè dictam; uti & Arsdekin *t.* 2. *p.* 2. *tr.* 2. *c.* 3. §. 3. dicens etiam intelligi bestialitatem, & congressum cum dœmone. Per *sacrilegium*, secundùm Gob. *t.* 7. *n.* 364. intelligitur violatio loci sacri effuso sanguine aut semine vel furto patrato. Aliqui putant etiam intelligi violationem personæ sacræ, sed communiùs negant alii. Quandonam polluatur Ecclesia sanguinis vel seminis effusione, dictum est hìc *n.* 255. & *à n.* 282. Quandonam violetur libertas, & immunitas Ecclesiastica: colligitur ex dictis *l.* 4. *à n.* 1382. 1389. Per *incendium procuratum* intelligit Arsd. etiam procuratum à mandante, effectu secuto, ille enim propriè dicitur incendiarius: an autem qui consilio vel auxilio remotè concurrunt, dubitat. Per *stuprum* intelligitur defloratio virginis sub cura Parentum constitutæ, per vim facta; aut etiam secundùm Chapeav. *c.* 11. facta precibus importunis, falsis promissis vel dolo. Per *raptum* intelligitur abductio invitæ virginis cum intentione peccati, aut etiam Matrimonii, sive quis per se abducat sive per alium, inquit Arsd. Per *incestum*, non intelligitur cum affinibus, nisi exprimatur, sed cum solis consanguineis, si adfuerit copula perfecta cum seminatione in vase naturali, Arsdek. Per *Sanctimonialem* intelligitur quælibet Religiosa in Ordine approbato professa. Per *injectionem manuum violentam in Parentes* intelligunt *Chapeav. & Ard.* etiam trusiones pedum, projectiones lapidum vel aliarum rerum, verberationes medio instrumento, v. g. gladio, fuste; & nomine Parentum putat *Chapeav.* venire etiam avum & aviam, imò & novercam & vitricum, quamvis in hoc dissentiat *Ard.* nisi exprimatur, attamen non intelligitur pater, & mater uxoris: putatque *Arsd.* non requiri læsionem gravem, sed satis esse si sit mortaliter peccaminosa. Per *sortilegia* intelligit *Laym.* exercitium magiæ. *Tann.* divinationem. *Arsd.* si quis per sortes aliquid futurum vel occultum exploret. Per *manifestum perjurium* putat *Gob.* intelligi perjurium, quod fit in judicio, vel falsum testimonium in eo datum. Si reservetur peccatum *ex consuetudine* v. g. blasphemia, non est reservatum, si fiat in ebrietate vel inadvertenter ex consuetudine etiam mortaliter culpabili: nec si semel aut bis fiat post ultimam confessionem advertenter ex consuetudine retractata: si tamen fiat v. g. quinquies ab ultima confessione, Homob. Aver. *q.* 1. *s.* 2. putant incurri reservationem: Quando plures proferuntur uno impetu, computantur pro una, Dian. *p.* 10. *t.* 14. *R.* 69. Blasphemia, ut sit *publica*, debet esse prolata saltem coram sex, qui non sint de familia, Vid. Dian. *R.* 68. Plura videri possunt apud Chapeav. *tota p.* 2.

1647 §. 2. Quando reservatio fertur simpliciter in *facientes* crimen, communiter eam non contrahunt mandantes, consulentes, faventes, auxilium ferentes, nisi id exprimatur, Nav. Viva *de Jubil. q.* 11. *n.* 1. Chapeav. *p.* 1. *c.* 6. *q.* 4. Posteà tamen *p.* 2. *c.* 3. *q.* 2. *n.* 9. dicit illum, qui mandat, consulit aut fert auxilium homicidæ, etiam incurrere reservationem, quia fautum, quo maleficium punitur, secundùm Bartolum ligat etiam mandantes, sed hoc negari potest, quia absolutè verum manet, quòd, si jura non exprimant, per facientes, non intelliguntur mandantes &c. Dic. *de cens. d.* 2. *n.* 126. Addit ex Nav. Chapeav. *p.* 1. *c.* 6. *q.* 7. si feratur etiam in dantes consilium, auxilium, favorem, debere intelligi de iis, qui efficaciter hoc faciunt, hoc est, ita ut sine illo concursu consilii, auxilii, favoris, crimen commissum non fuisset. Si tamen æquè primò & principaliter feratur in dantes consilium, auxilium, favorem, hi incurrunt; etiamsi effectus non sit secutus, quia prohibitio sub reservatione tum tendit in malitiam consilii, auxilii vel favoris.

1648 §. 3. Si dicatur ferri contra eos, qui *præsumunt* aliquid facere, non cadit in illos, qui ex metu vel alio affectu, præter superbiam & contemptum, faciunt: Si autem addatur in eos, qui *scientes* hoc vel illud, non incurrunt illi, qui fecerunt tale quid ignorantes. Chapeav.

Q. 236. *Quandonam peccatum internum dicatur prodire in actum externum?* R. §. 1. Ut hoc fiat, secundùm dicta *n.* 1613. debet ante omnia supponi peccatum, quod dicitur reservari, ibi internè adesse. Ut autem dicatur prodire in actum externum, non sufficit quomodocumque manifestari externè, sed requiritur, ut illa manifestatio censeatur in ratione peccati externi esse mortalis, Sanch. *in Decal. l.* 2. *c.* 8. Dic. *d.* 11. *à n.* 74. Lug. *d.* 20. *n.* 15. unde si quis ex gravi odio interno leviter percutiat Clericum, non incurrit reservationem. Item si volens melius edoceri dicat se hactenùs non credidisse Deum esse Trinum; aut se ex ignorantia hactenùs esse in hoc hæreticum & fortassis fore etiam pro futuro, non censetur externè manifestare hæresin, cùm hoc ipso significet se non habere pertinaciam, Sanch. Dicast. *à n.* 79. si tamen ita loquens reipsa paulò modestiùs vellet proferre, hoc quod interiùs judicat, aut ita loqueretur non magis affectus ad fidem quàm ad errorem suum, esset hæresis externa, Lugo *de fide d.* 14. *n.* 24. 1649

§. 2. Si quis in somno vel ebrietate manifestet hæresin suam, non ideò hæresis censetur prodisse in actum externum, quia locutio tum facta non est actus humanus, nec sufficiens signum veri animi hæretici, cùm plurima etiam falsa inaniter effutiantur à tali homine, Sanch. Dicast. *à n.* 83. 1650

§. 3. Qui externè significat se dubitare de aliquo articulo fidei, secundùm Sanch. *n.* 13. externè manifestat hæresin internam, secundùm Dicast. *à n.* 53. non manifestat: sed facilè conciliantur, dicendo, si affirmativè dubitet, id est, si internè judicat articulum fidei esse dubium, & hoc judicium internum sufficienter manifestet, fore externam hæresin: si autem tantùm negativè dubitet, id est, si suspendat omne judicium, non fore hæresin internam, adeóque nec externam, quamvis manifester suum dubium: Et in re consentit Viva *q.* 11. *art.* 1. *n.* 8. 1651

§. 4. Rectè notant Sanch. & alii apud Dicast. *à n.* 60. posse esse circumstantias, ut comedere carnes die vetito, non genuflectere ante Venerabile, aut facere id, quod faciunt alii, quia hæretici sunt, sit sufficiens externa manifestatio hæreseos internæ. Qui tamen internè hæreticus est, & alterius hæresin cum sua communem legit in libro, vel describit tanquam alienam, non ideò est externè hæreticus, quia per hoc non manifestat suam hæresin, & alii cum Dicast. *n.* 81. 1652

§. 5. Ut actus internus, quo quis intendit fornicationem, censeatur prodire in actum externum, non sufficit, quòd ex affectu interno mortaliter turpi scribat litteras ad aliquam, ex fine inducendi ad lapsum, si litteræ de se non significent illam intentionem mortaliter malam, Sanch. & alii cum Dic. *n.* 45. Et universaliter, non sufficit, si signa externa sint de se indifferentia, quæ non satis manifestent peccatum internum, nisi per circumstantias sufficienter ad hoc determinarentur, Vasq Az. Suar. Dic. *n.* 46. & 86. Hinc si quis per cifras sibi soli cognitas manifestaret suum peccatum internum, non ideò censeretur peccatum humano modo externè manifestatum, nisi anteà alicui communicasset significationem ejusmodi cifrarum, Dic. *à n.* 47. addens tamen *n.* 52. si inter 1653

amasios

amasios fuisset conventum, ut gestatio rubri lemniſci esset signum invitandi ad turpem actum, gestando talem lemniscum sufficienter manifestari externè actum internum, nisi ex aliis circumstantiis sciri possit, non ad eum præcisè finem assumptum esse rubrum illum lemniscum.

1654 §. 6. Putat Dicast. *n.* 87. si quis per equitationem intendat, & causet in se pollutionem, non ideò luxuriam internam manifestatam externè, quia equitatio est medium de se indifferens, & non malum, sed oppositum omninò tenendum est, uti dicetur *num.* 1670.

1655 §. 7. Si pollutio ipsa in se directè sit reservata, & ex luxuria interna plenè libera, sequatur planè inadvertenter, secundùm Suar. *de juram. l. 3. c. 8. n. 6.* Sanc. *in Decal. l. 1. c. 16. n.* 47. Dic. *de juram. à. 2. n.* 185. non ideò incurritur reservatio, quia tales actus externi non censentur in se reservari, nisi quando in se sunt peccata, saltem denominativè, quando autem sequuntur planè inadvertenter, non sunt in se peccata, nequidem denominativè, sed tantùm sunt effectus peccati, uti dictum est *l. 4. à n. 23.* ergo. E contrà si reservata sit omnis luxuria interna; quando prodit in actum externum, si hæc luxuria interna prodeat in actum externum per pollutionem etiam inadvertenter secutam, videtur incurri reservatio, quia talis luxuria prodit externè per actum, qui hìc & nunc est proprius, & connaturalis ejus effectus, omnis autem causa censetur manifestari per talem suum effectum sibi coexistentem. Unde si ex luxuria interna priùs habita, posteà v. g. in somno oriatur talis pollutio, non videtur incurri reservatio, quia talis pollutio, quamvis reipsa sequatur ex peccato interno anteà habito, tamen censetur per accidens, sequi, aut saltem non esse sufficiens ejus manifestatio, cum ordinariè possit, & sæpè soleat oriri etiam ex alia causa naturali. An autem delectatio morosa circa objectum turpe, si ad hanc sequatur commotio venerea, censeatur hoc ipso prodire in actum externum, dicetur *n.* 1672.

1656 *Q.* 237. *Quandonam peccatum dicatur publicum, notorium, deductum ad forum contentiosum?* R. §. 1 Tum censetur publicum, si in communitate vel vicinia, vel etiam in domo constante saltem decem personis, notum sit plerisque uti pluribus explicatum est *l. 3. p. 2. n.* 1219. *& l. 4. n.* 784. Putat autem *Andreas à Matre Dei Carmelita Salmantic. de Privil. Regul. c. 4. p. 1. n.* 26. publicum distingui à notorio, & hoc dici notorium, quod coram majore parte communitatis factum est. E contrà si ad notitiam communitatis alio modo pervenerit, dici tantùm publicatum seu factum publicum, famosum, manifestum, sed non ideò esse notorium: hæc tamen distinctio vix servit pro praxi in hac materia, nam delictum, sive sit illo sensu notorium sive tantùm publicum, censetur simpliciter non esse occultum.

1657 §. 2. Ut delictum sit publicum, requiritur, ut non tantùm actus, qui est delictum, sit publicus, sed etiam, ut publicum sit, quòd talis actus sit delictum, sic enim fieri potest, ut excommunicatus publicè ministret Sacramenta, quia non scitur esse excommunicatus, quamvis actus ipsius sit publicus, delictum non est publicum, Nav. Sayr. Sanch. Barbos. Sà, Loth *tr. 1. q. 1. ar. 3.*

1658 §. 3. Si delictum sit publicum in uno loco, sed in alio loco, in quo petitur absolutio, sit adhuc occultum, nec detur periculum proximum, quòd in illo publicetur, Avila & alii cum Sanch. *in Dec. l. 2. c. 11. n.* 20. dicunt hìc censeri occultum, prout opponitur publico, quia revera hìc non scitur. Contradicunt tamen probabiliter *Suar. Castr. Loth.* suprà, quia quòd uno loco est publicum, simpliciter est publicum, nec potest dici absolutè non publicum, ergo nec potest dici simpliciter occultum.

§. 4. Si reus accusatus, & citatus à Judice, 1659
Ricc. Henr. Avila, Sanch. dicunt delictum ejus hoc ipso esse deductum ad forum contentiosum, quia citatio est primus actus judicii, §. final. Instit. *De pœna temerè litigantium.* Sed probabiliter contradicunt *Lancel. Barb. Loth.* qui requirunt litis contestationem, saltem executionem citationis, aut per comparitionem Rei coram Judice, ut in simili dictum est l. 4. n. 529.

§. 5. *Si Titius & Caius*, simul idem delictum 1660
commiserint, & solus *Titius* sit ita citatus ad Judicem: delictum *Caii* non ideò dicetur deductum ad forum contentiosum, Nav. Castrop. Sanch. *n.* 21. Loth. suprà.

§. 6. Si reus sit in foro contentioso absolutus, 1661
delictum ejus non ampliùs per hoc censetur publicum, *Suar. Sanch. Barb. Loth.* Idem est, si accusator per annum taceat, quia talis taciturnitas arguit defectum probationis, & æqualiter absolutionis, *Barb. Loth.* Quod verum esse dicunt *Sanchez & Loth.* contra *Suar.* quamvis antecesserit semiplena probatio, quia quando hæc non sit plena, reus manet in possessione innocentiæ. Si autem delictum fuerit in judicio probatum, & punitum, adhuc dicunt *Henriq. Sanch. Avil. Regin.* desinere esse publicum, quia cùm jam satisfactum sit authoritati Judicis videtur cessare publicitas istius fori: sed in hoc probabiliùs contradicunt *Mascard. Tiraq. Menoch. Suar. Bonac. Castrop. Loth.* suprà, quia licèt Judici satisfactum sit, tamen cùm delictum sit juridicè, & justè publicatum, est & manet simpliciter publicum Jure.

Q. 238. *Quid addendum sit circa casus reservatos* 1662
apud Regulares? Resp. seqq. §. 1. Undecim casus Clementinos, quos solos propria authoritate reservare sibi possunt Superiores regulares, refert Busemb. *n.* 1600. circa quos addam aliqua à num. 1669. ubi explicabo, quid intelligatur per apostasiam à Religione, per lapsum carnis, &c. Quamvis autem Suar. Fill. *t. 7. n.* 276. Busemb. suprà & alii dicant Superiorem adhuc posse sub excommunicatione sibi reservata prohibere alium casum, qui non est inter Clementinos, quia tum non reservatur culpa sed censura tantùm: tamen *Sanch. Syly.* & alii multi cum Aversa *q.* 17. *s.* 2. probabiliùs contradicunt, quia sic agitur contra mentem *Clementis*, cùm enim absolutioni à culpa debeat præmitti absolutio à censura, nullo modo consuletur infirmitati subditorum, & ita à S. Congreg. decisum esse refert Lugo *de Pœn. d.* 20. *n.* 47.

§. 2. Regularis exemptus non potest sine spe- 16
ciali facultate Sedis Apostolicæ absolvi à casibus Ordini reservatis, nisi à Superiore vel de consensu Superioris talis Ordinis, Suar. *de Relig. tom. 4. tr. 10. l. 3. c. 4. n.* 21. Hinc licèt Nunciis Apostolicis detur specialis facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam per Bullam cœnæ, tamen id intelligitur de casibus, in quantùm Sedi apostolicæ reservatis, nam S. Pius V. uti habetur in compendio Privil. *v. Apostasia §.* 1. concedit, quòd Apostata à Societate JESU absolvi nequeat, nisi à Romano Pontifice vel Superiore Societatis: & alii Ordines exempti habent simile privilegium, aut hoc ipsum recentissimè duos Nuncios participant: hinc scio petere, & obtinuisse Roma Apostolicos debuisse *absolvendi Religiosos* [illegible] specialem facultatem *à censuris*, & *casibus Superioribus que Ordini*, [illegible] *in casibus tamen occultis.* Si Episcopus, *suis reservatis*, & non Superior religiosus, habeat potestatem absolvendi

solvendi à reservatis Papæ, probabiliter poterit exemptus absolvi ab Episcopo, quia non debet esse deterioris conditionis quàm alius, & rationabiliter interpretamur esse exemptum tantùm in his, in quibus subditur jurisdictioni Prælatorum suorum, Suar. *tr.8.l.2.c.23.n.3.*

1664 §. 3. Communis sententia habet ex cap. fin. *De Pœn. & remiss.* Superiorem regularem ordinariè posse in hac materia circa se, quod potest circa alios, adeóque posse sibi eligere Confessarium, à quo absolvatur à reservatis. *Dixi* ordinariè, propter dicenda n. 1680. 1682.

1665 §.4 Certum est contra *Fagund.* Superiorem regularem non prohiberi audire confessiones subditorum, etiam non habentium casus reservatos, nam *Clemens* postquam dixit non obligari subditos ad confitendum Superiori, addit, *Nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint*, Dicast. *de Pœn. d. 11. n. 115.* Et quidem pro Societate JESU declaravit idem *Clemens* non prohiberi Superiores, si sint Magistri Novitiorum, uti habetur in *Ordinationibus Generalium cap. 5.* An autem Novitius incurrat reservationem casuum Ordinis, in quo est, dixi l. 4. n. 64. & partem affirmativam meritò probabilem dicunt *Suar.* & alii cum Dicast. *n.* 123, Potestque videri etiam Aversa *q. 17. s. 1.* qui negativam partem tenet, vel potiùs distinguit, dicens absolvi non posse à Confessario deputato à solo Ordine, attamen absolvi posse à Confessario per Episcopum approbato. *Claudius* Generalis anno 1614. prohibuit doceri, quòd nostri Novitii non incurrant.

1666 §.5. Rectè docet Lugo *d.20.n.236.* in dubio an expediat, vel Superiori licitum sit concedere subdito facultatem confitendi alteri, potiùs inclinandum esse in mitiorem partem pro subdito: additque hæc verba *S.* Thomæ. *Prælati, qui sunt nimis soliciti, ut conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.*

1667 *Q. 239 Quid notandum sit circa casus in Societate JESU reservatos?* R. Seqq. §.1. Post Decretum Clementis VIII. nequidem Generalis potest reservare aliquod peccatum authoritate sua, nisi supposita discussione, & consensu Congregationis, Lug. Dicast. *d. 11. n. 120.* Quamvis autem Congregatio provincialis reservare non possit, cùm careat jurisdictione, tamen id possent Superiores supposita discussione, & consensu Congregationis provincialis, Dic. *à n.112. & 119.* Etiam adhuc licebit Superioribus determinare Pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint, *Ordinationes Generalium c.5. n.7.*

1668 §.2. Præter 11. casus Clementinos in Societate reservatos, quos n. 1600. refert *Busemb.* reservantur specialiter in Societate, 1. Perjurium, & falsum testimonium in judicio vel extra. 2. Furtum, & usurpatio alicujus seu approbatio rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. 3. Lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat. 4. Inobedientia expressa, qua quis asserit nolle se parere. 5. Seditio in Superiorem, & divisio à capite, in grave nocumentum Societatis. 6. Detractio famæ bonæque existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter fratres. 7. Impedimentum excludens e Societate reticuisse in examine, vel in illo mendacium esse, unde grave damnum oriri possit. 8. Acceptio, seu missio litterarum absque licentia expressa, quæ scilicet acceptio vel missio contineat rationem peccati mortalis. 9. Transgressio votorum simplicium, quæ professi emittunt post professionem. 16. Censuræ seu peccata, quæ in nostris Constitutionibus, Bullis vel Decretis annexam habent excommunicationem. Hæc omnia, cùm manifestè erunt mortalia, & in actum exteriorem prodierint, reservantur Superiori domus vel Collegii, & ab alio, nisi de expressa ipsius licentia, absolvi non possunt. Ita verbotenus in *Ordinationibus Generalium c.5. ubi c.6.* datur instructio, quomodo Superiores se habere debeant, si pro casu reservato absolvendo petatur ab eis facultas.

§.3. Per Apostasiam à Religione inter Clementinos reservatam intelligitur, 1. propriissimè, si quis deliberato animo, relinquendo in perpetuum vitam religiosam, fugiat, & dimittat habitum. 2. Si discedat à Religione animo nunquam redeundi ad illam, etsi habitum retineat, 3. Si dimittat habitum, etsi tantùm ad tempus manere velit extra Religionem; sicuti à fide apostata dicitur, etsi habeat animum redeundi aliquando ad fidem. 4. Qui post vota simplicia in Societate JESU edita ab hac recedit, est apostata, uti declaravit Paulus III. Bulla *Licèt debitum*, & S. Pius V. Bulla *Æquum reputamus.* Hinc Bannez 2. 2. *q. 12. art. 1.* dicens recedere à Religione, in qua emittitur votum simplex tantùm, non esse apostasiam, corrigendus est. 5. Apostata est, qui *è causis non veris, fraude ac dolo dimissionem obtinuit, aut ex causis quidem veris, & justis gravibusque delictis, sed ea intentione perpetratis, quò facilius dimissionem extorqueret*, uti declaravit Congregatio VII. Dec. 22. n. 4. Attamen non esse apostatam, qui propria Religione deserta transit absque legitima licentia ad laxiorem, tenent Cajet. Arrag. Nav. Sa, Valent. Less. Sanch. *in Decal. t. 6. c. 8. n.8.* quia simpliciter non recedit à Statu Religioso. Contradicit tamen probabiliter Soar. *de Relig. t. 4. tr. 8. l.3.c. 13. n. 16.* quia invali dè assumit laxiorem, ergo reipsa deserit omnem Religionem. 1669

§.4. Per lapsum carnis voluntarium opere consummatum, qui est inter Clementinos, intelligitur non sola copula carnalis sed etiam pollutio, Suar. Sylv. *p.1.v. Casus reserv. c.1.* Gob. *tr.7. n. 677.* meritò dicens esse certum. Putat quidem Diana *p.11. tract. 2. R. 61.* lapsum carnis non censeri consummari per distillationem, sed etiam in hoc contradicit Gob. *n. 685.* quia est vera effusio seminis, quamvis nondum ita perfecti. Quòd si pollutio proveniat ex sola delectatione interna absque omni actu aut medio externo, Sporer *in Tyr. Sacram. p. 4. n. 329. 332.* Coriol. & Kiene apud Diana *p. 4. tr. 4. R. 61.* putarunt per *Clementem* non reservari, quia ut dicitur lapsus opere consummatus, videtur requiri, ut procuretur per medium externum, v. g. per tactum aut saltem per externum sensibilem conatum. Sed absolutè tenendum est oppositum, quia quoties peccatum pervenit ad pollutionem, actus externus censetur in sua specie consummatus, S. Thom. *22. q.154. art.11.* Suar. suprà *l.2.c. 18.* Sylv. suprà Dian. *p.3. tr. 2. R. 118.* Gob. *n.678.* Si quis tamen voviſſet cavere etiam causas per accidens pollutionis, & v. g. equitando eam sibi causaret, peccaret quidem mortaliter per illam pollutionem, attamen non videtur incurrere reservationem, quia, nisi aliud aliunde constet, mens reservantis censetur tendere in pollutionem secundùm communem statum illicitam, & non ratione privatæ obligationis, qua quis eam sibi interdixit etiam ut secuturam ex causis per accidens alioqui de se licitis, Gormaz. *De act. hum. n. 178.* 1670

§.5. Per *Clementem* non reservantur impedici aspectus, tactus, locutio, lectio, quamvis de se sint mortalia externa, quia non censentur lapsus carnis 1671

opere

opere consummatus, *Suar. Coriol. Dian.* contra *Turr.* Attamen ista omnia reservantur in Societate, quando tales actus habent malitiam externam de se mortalem, id est, quæ censeretur mortaliter mala in homine soluto, secundùm dicta n. 1049. essetque index internæ voluntatis mortaliter malæ. Henr. Gran. Dian. p. 4. tr. 4. R. 163. ac rescripsit *Mutius* Generalis 9. April. 1644. Aliud est, si fieret v. g. tactus manus muliebris aut aspectus vultus illius, qui de se indifferens est accipi in bonam vel malam partem, quamvis procederet à voluntate interna mortaliter mala, nam non ideò esset casus reservatus in Societate, *Suar. Coriol.* & rescripsit *Claudius* Generalis 9. No. 1608. Rectè tamen notat *Castr.* suprà, si tali etiam levi tactu vel aspectu velles fœminæ de hoc satis consciæ indicare tuum actum internum mortaliter malum, fore reservatum. Addit *Præpositus* etiam fore, si quis inhonestè aspiceret fœminam vicinam, ita ut hoc notaretur cum scandalo.

1672 § 6. Si ad delectationem morosam vel ad desiderium turpe, sequatur commotio spirituum, & partium genitalium, aliqui putarunt hoc ipso esse casum reservatum in Societate, quia est mortale, quod prodit in actum externum graviter oppositum castitati, & Societas reservat; *quatquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodit.* Alii negarunt, tum quia aliàs debuissent in Societate reservari omnes delectationes internæ, cùm naturaliter habeant semper adjunctas tales commotiones, tum etiam quia hoc non reservatur, quod non teneor in confessione aperire, sed secundùm dicta num. 1218. non est opus hoc addere in confessione. Alii distinxerunt, putantes esse reservatum, si externa illa commotio sit in se volita, vel in eam subortam positivè consenti t voluntas: hìc enim videtur habere locum ratio primæ sententiæ: negarunt autem, si non sit in se volita, neque in eam positivè consentiat voluntas. Interrogatus à me de hoc casu aliquis Revisor Romanus, respondit 25. Febr. 170 . his verbis. *Quod spectat casum propositum, super eo consulat quos hic noram doctissimos, & harum rerum peritissimos, una omnium sententia, cui meam adjungo, hæc fuit, non esse reservatum.* Quod intelligitur, etiamsi talis commotio esset in se volita Judicarunt tamen omnes tactum venereum aut distillationem sequentem ex delectatione interna esse reservatam. An autem incurrat reservationem, qui sine propria delectatione interna concurrit proximè. v. g. per tactum, ad pollutionem alienam, colligi debet ex dictis l. 4. num. 155. ubi defendi sententiam affirmativam.

1673 §. 7. Reservatur *testimonium falsum*, quo proximus graviter læditur, quamvis non sit juratum. Item *gravis violatio paupertatis*? quæ quandonam fiat, & speciatim in Societate, dixi l. 4. à n. 104. 136. Item *seminatio discordiarum*, etiam inter externos, secundùm illud *Proverb. 6. v. 19. Qui seminat inter fratres discordias*, quod dicitur detestari Spiritus Sanctus, ubi per *fratres* intelliguntur omnes, qui juncti esse debent vinculo charitatis. Per *reticentiam* autem *impedimenti* excludentis à Societate, intelligitur impedimenti essentialis: attamen reticentia impedimenti secundarii etiam reservatur per secundam partem illius septimi casus, quia circa hoc committitur mendacium, quod potest esse graviter perniciosum. Ita quoad omnia Castr. suprà. *Nec obstat*, quòd ingressurus, ante admissionem non esset subditus Societati, *nam* est reservatio impropriè dicta, per hoc, quòd omnibus Confessariis nostris tollatur potestas absolvendi à tali peccato, Lugo *in R. mor.* l. 4. c. 16. n. 11

1674 §. 8. Quod quartum casum attinet, putat *Castrop.* suprà, omnem inobedientiam formalem esse mortalem, nec in illa dari parvitatem materiæ, quod verum est, si adsit contemptus formalis authoritatis in Superiore, uti explicatum est l. 5. à n. 42. hinc si dicas, etiam quando materia est levis, te nolle obedire, & non declares te solùm nolle in hac materia, in aliis verò paratum esse obedire, sine dubio absolutè contemnis Superiorem, & incurris reservationem, uti rectè Lugo *de pœnit. d. 20. à n. 2.* estque perinde, quibus verbis utaris, dummodò in his circumstantiis sufficienter significent voluntatem non parendi, tum enim importabunt eundem contemptum Superioris vel obedientiæ. Quòd si internuncio indicanti voluntatem Superioris dicas, *nolo parere*, ordinariè etiam incurretur reservatio, quia sicuti Superior jubet per internuncium, sic ei respondetur in internuncio, Lugo *suprà & in Resp. dub. 22.* Præterea in Congregatione VII. Decreto 44. sic habetur, *Cùm propositum fuisset, standumne esset ordinationi P. N. Claudii decentis reservatum casum esse, si quis Fratrum diceret Ministro aliquid jubenti, licet non præcepto, nolo facere, censuit Congregatio huic ordinationi vel declarationi standum esse: relicta tamen loci hujus explicatione prudentiæ Patris Nostri.* Less. & Castrop. putant esse mortale nolle obedire Superiori, quia indoctus est & imprudens, vel tibi offensus, dummodò ea inobedientia nec Superiori, nec aliis declaretur; aliàs esset gravis contemptus, & injuria contra ipsum. Si autem Frater dicat, *non obediam* non incidit in reservationem, quia tantùm casus dicentis, *nolo obedire*, intelligitur expressè reservatus, *Mutius* 1617. 20. Martii.

§. 9. Quoad acceptionem vel missionem litte- 1675
rarum continentium rationem peccati mortalis, putat Castrop. incurri reservationem, etiamsi Superior consenserit, quia illa licentia Superioris est irrita, cùm licentia respicere debeat tantùm *licita*, & honesta: sed oppositum videtur probabilius, nam verba restringuntur ad conditionem, si fiat *absque* 1676
licentia expressa. Quòd si quis litteras tales miserit, sed casu non pervenerint ad eum, cui missæ sunt, putant aliqui non incurri reservationem, quia quando effectus, quem legislator principaliter volebat caveri, secutus non est, præsumitur noluisse incurri pœnam, videtur autem principaliter intendi, ne alter recipiat tales litteras, quia per hoc, quòd præcisè mittantur, non incurritur principale nocumentum. Quod confirmant à pari, nam Navar. Con. Hurt. Dicast *de censur. d. 2. n. 129.* Diana *in Comp. v. Censura n. 6* docent, quamvis Greg. XIII. prohibuerit sub excommunicatione latæ sententiæ, ne Religiosi cujusdam Ordinis scribant ad Moniales ejusdem Ordinis, tamen si quis scribat, & epistola non perveniat ad Monialem, non incurri excommunicationem: ita illi. Sed contrà est, quòd in *Ordinatione pro studiis superioribus* prohibeamur docere hanc 21. prop. inter Theologicas. *Nonnulla peccata, quæ reservantur in Societate, ut machinatio in Superiores, seminatio discordiarum & similia, licet attingant gravitatem peccati mortalis, non sunt reservata, nisi sequatur effectus.* Ratio potest esse, quia quando Reservantes non addunt, *effectu secuto*, censentur reservare culpam, propter malitiam de se aptam causare talem effectum, quæ tota posita est, etiamsi per accidens non sequatur effectus.

§. 10. Vota simplicia *Professorum*, quorum 1677
violatio est reservata, *sunt.* 1. Non relaxandi paupertatem. 2. Prælaturam vel dignitatem non ambiendi intra Societatem. 3. Nec extra Societatem. 4. Deferendi utrosque ambientes, etiam non professos. 5. *Si quis promoveatur extra Societatem, audiendi consilia & exequendi, si judicaverit meliora.*

Referuntur pluribus in *Epitome Instituti p.3.cap.3.§.4.* Et de voto non ambiendi, videri possunt, quæ dixi l.4.à n. 162. Excommunicationes in Societate reservandæ enumerantur in Instituto Pragæ impresso volum. 1.p.665.& seqq. Easdem paucis refert Castr. *suprà n.* 11. Et præcipuè concernunt electionem Generalis, profugientes à Societate, impugnantes Institutum, utentes ope externorum ad dimissionem alicujus: quos omnes casus fusè explicat Castrop. *tr.16.d.5.*

1678 §. 11. Quod attinet ad absolutionem ab istis reservatis, imprimis certum est quærendam esse aliquam directam ab illis absolutionem quæ dari potest à solo Superiore vel de ejus licentia; hinc in *Ordinatione pro studiis Superioribus* prohibemur docere hanc 23. prop. inter Theologicas: *Is, qui à reservato peccato pro tali cognito ex necessitate aliqua indirectè est absolutus, non tenetur deinceps se Superiori sistere, nec per se nec per alium, sed manet simpliciter absolutus, & sine ullo onere quærendi directè à reservato absolutionem.* Deinde *Ordinationes Generalium* cap. 6. sic habent. De iter agentibus, quando ad aliquem Societatis locum divertunt, aliter judicandum est, quos nempe potest à reservatis ordinarius loci illius Confessarius absolvere, aut si is haberi non possit, quilibet alius Societatis Sacerdos approbatus, aut si is quoque desit, etiam externus. In omnibus tamen his casibus cum onere, & obligatione, ut se sistant postmodùm Superiori suo, ad quem ituri vel redituri sunt, eique aut alteri de ejus licentia confiteantur. Si verò accidat, ut aliquis tantùm hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus (puta spatio unius aut alterius circiter mensis) si is eo tempore in casum aliquem reservatum inciderit, poterit ac debebit absolvi à Superiore illius loci, in quo est, vel de illius licentia, tanquam si proprius esset ejus subditus, sine obligatione sistendi se Superiori ejus loci, ad quem propriè pertinet.

1680 Superiores locales possunt absolvi per quemcunque ex ordinariis suæ domus Confessariis. Quòd si alium ex suis subditis malint, is absolvet cum onere præsentandi se Provinciali. Provinciales autem absolvi possunt à suo socio, à Superioribus localibus seu eorum ad id delegatis, à Confessariis ordinariis domus: quo jure etiam gaudent ipsius Socii. In Residentiis missionibusque fixis, in quibus è nostris pauci morantur, jus idem illarum Superioribus conceditur, quod Rectores habent quoad facultatem absolvendi per se seu delegandi, integra tamen illis concessione manente Congr. VIII. Decr. 25. pro parvis domibus, qua Confessarius potest absolvere pœnitentem à reservatis, cum onere se præsentandi Provinciali, si brevi sit in ejus domum discessurus. Præterea si Superior ex urbe abierit, vice-Præpositus aut vice-Rector ab eo dictus habeat facultatem absolvendi à reservatis, qualem, & ipse Superior. Quòd si nullum suo loco substituerit, etiamsi per unam seu integram diem futurus sit absens, nec consuli possit is qui Minister est, & domui tunc præest, facultatem habet tum absolvendi tum delegandi hanc potestatem.

1681 Ad extremum, ut omnes eximantur scrupuli, & majori cum fiducia ac libertate procedatur, cùm Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur ab eo, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licèt hujusmodi dubitatio ex ignorantia procedat. Sed neque postea, si animadverterit manifestè fuisse mortale, repetenda erit confessio, bona siquidem & vera fuit absolutio. Hucusque *Ordinationes* dictæ.

1682 §. 12. Ex dictis n. 1680. infert Dicast. *de Pœn. d. 11.n.288.* Quamvis Provinciales, & Superiores locales in Societate, non possint sibi designare quoscunque Confessarios pro absolutione à suis reservatis, attamen posse designare alios etiam non Societatis Sacerdotes, qui subditos suos absolvant à reservatis, quia hæc potestas non invenitur ullibi esse restricta, maximè cùm possit etiam extra Sacramentum tolli reservatio.

§ 13. Ex dictis n. 1668. 1681. sequitur in Societate non reservari peccata dubiè mortalia: Hinc 1683
casus murmurationis dubius, qui ex declaratione *Claudii* Generalis erat reservatus, nunc cessavit, Tamb. *de cas. reserv. c.7.§.2.n.61.*

Q. 240. *Quid præterea notandum sit circa reservationem & absolutionem à reservatis?* R. seqq. §.1. Po- 1684
testas ordinaria absolvendi à reservatis est favorabilis, & latè interpretanda, quia datur ob commune bonum, & idem est de delegata, quando datur non expressis personis absolvendis; si autem detur his expressis, est strictè interpretanda, quia non censetur esse nisi pro bono privati, Castrop. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 11. *n.* 2. Et consequenter si potestas absolvendi à reservatis detur Confessario in gratiam Confessarii, est largè interpretanda; si in gratiam pœnitentis, strictè, Sanch. *de Matr. l.8.d.* 2. *n.6.* Tamb. *de Sacram. l.1.c.9.§.1.n.*13. Reservatio est strictæ interpretationis, cùm enim videatur habere adjunctam rationem pœnæ, est odiosa, Suar. Henriq. Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.*10. *n.*74. Chapeav. *p.*1. *c.*6. Herinx. *d.*6. *n.*7. contra *Bonasp.* Et etiam ideò n. 1604. dixi in dubio an casus sit reservatus, censeri debere non reservatum.

§.2. Reservatio etiam sine causa facta à Papa est 1685
valida, quia jurisdictio omnium inferiorum ab eo pendet. Si autem ab Episcopo vel aliis fiat sine causa, *Aug. Sot. Vasq.* & alii putant esse invalidam, quia Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 7. dicit Episcopos reservare posse, non in destructionem sed ædificationem, & idem est de aliis. Sed Suar. Con. Bonac. Fill. *tr.*7. *n.*279. Lug. *d.*20. *s.*2. Dic. *de Pœn. d.* 11. *n.* 13. probabiliùs dicunt esse validam, quia licèt consulatur, ut semper sit in ædificationem, tamen non negatur potestas tollendi jurisdictionem.

*§.*3. Henriq. Rodriq. Castrop. *tr.*23. *p.*18. § 1. 1686
putarunt, si Superior, sine justa causa neget inferiori, potestatem absolvendi à reservato, probabile esse quòd inferior eam habeat, sed oppositum tenendum est cum Bonac. Laym. Averf. *q.*16. *p.* 4. quamvis enim neget illicitè, non est ratio cur invalidè, nisi inferior ille esset Confessarius ordinarius Regularium, secundùm dicta n. 1600. in Resp. 1. n. 5. Quando autem dicitur haberi vel dari facultatem *pro illa vice*, probabilius est cum Lugone contra Dicast. *à n.*346. sic intelligi, quòd detur, vel pro illis peccatis, pro quibus petitum est, vel pro illo moraliter tempore, prout colligi debebit ex circumstantiis. Addunt que *Bord. & Averfa* hoc non intelligi pro una vice tantùm, sed Confessarium Regularem posse eundem pœnitentem toties absolvere, quoties relabetur, si Superior rogatus facultatem neget: sed in hoc contradicunt Hom. & A. Tamb. *apud* Dian. *o.3.t.2.R.*126.

§. 4. Qui habet potestatem delegatam absol- 1687
vendi à reservatis cum facultate eam subdelegandi, potest alteri subdelegare, à quo etiam ipse absolvatur, si in reservatum incidat, uti habet communis cum Averf. *f.*7. contra *Graff.* Si autem habeat potestatem *per se ipsum tantùm* absolvendi, adhuc putant alii, qui eum posse ab alio à se subdelegando absolvi, quia non debet esse deterioris conditionis quàm alii quod verum est de Episcopis secundùm dicta n. 1633 propter declarationem Sacræ Congregationis; sed saltem quoad alios Averf. §. *Quinto*, id meritò non admittit, quia dum dicitur, *per ipsum*, negatur potestas substituendi alium.

§.5 Si

1688 §. 7. Si Confessarius, qui commisit reservatum, petat à Superiore facultatem, v. g his verbis, *Petitur facultas pro aliquo, ut absolvi possit à reservato*, Diana, & alii cum Aversa dicunt vi concessionis posse petentem absolvi, quia Superior consentit vagè, non determinando Confessarium vel pœnitentem. Quòd si Superior licentiam istam daret determinatè Confessario petenti, vi illius absolvi non posset. Et quod Societatem JESU attinet, Lugo, & Dic. *n.* 151. rectè notant mentem Superiorum non esse, ut hoc unquam ferviat Confessario ita petenti licentiam, quia Societas præscribit, ut cui Superior committit, sit talis, cui meritò committi possit: ergo cùm nulli committat nisi petenti, supponit hunc fore Confessarium, & non esse ipsummet reum.

1689 §. 6. Secundùm dicta n. 1154. ordinariè peccat Superior, si absolvat aliquem à solis reservatis, & pro non reservatis remittat ad inferiorem, quia vix potest esse rationabilis causa sic dimidiandi confessionem. Habet autem praxis, & communis sententia cum Aversa *s.* 5. quòd Superior possit, non tantùm quando subditus est in itinere, sed etiam aliàs, delegare inferiori potestatem eum absolvendi à reservato, addito onere, ut reus posteà coram se compareat, non obligando directè ad iteratam illius reservati confessionem, nam S. Th. & alii cum Dic. *d.* 11. *n.* 194. docent contra *Adr. Suar. Aug.* & alios, nequidem Ecclesiam posse independenter à consensu subditi imperare iteratam ejusdem peccati confessionem, sed saltem ideò, ut Superior intelligat de medio ad emendationem præscripto aut provideat contra relapsum. Et hanc obligationem posteà comparendi esse sub mortali, docent Suar. Lugo, Con. & alii cum Dic. *n.* 109. addit Aversa *s.* 7 §. *Octavò* si Superior concedat licentiam sub certa conditione, fieri posse, ut hac neglecta absolutio sit invalida, quod colligi poterit ex præsumpta mente & verbis concedentis. Si tamen Superior taxarit Pœnitentiam injungendam, aut præceperit præmitti satisfactionem vel saltem cautionem de ea præstanda, si Confessarius ista etiam per malitiam neglexerit, ordinariè validam fore absolutionem.

1690 §. 7. Qui habet potestatem in reservata, absolvere potest ab illis etiam tempore Jubilæi anni Sancti, quia hæc opinio, quamvis non sit certa, tamen est communiter recepta à sapientibus, ergo si coram Deo sit fortè falsa, est error communis cum titulo putativo, nempe ex privilegio Papæ, & approbatione Ordinarii, ergo si fortè desit jurisdictio, ad Ecclesiam spectat supplere, secundùm dicta l. 6 p. 1. à n. 112 & de hoc casu id docent Lugo *d.* 23. *à n.* 144. Carden *in 2 crisi d.* 2. *n.* 155.

1691 §. 8. Quamvis *Palud. Graff.* & alii putent impuberes non incurrere casus reservatos, sicuti non incurrunt censuras, tamen rectè contradicunt alii cum Lug *d.* 20. *n.* 10. Averf. *q.* 47. *s.* 1. nisi aliud exprimatur: reservatio enim non est censura, nec pure pœna sed magis medicina, qua æquè indigent impuberes.

1692 §. 9. Si quis post obtentam licentiam iterum committat reservatum, si petitio fuit determinata ad certa reservata jam commissa, patet licentiam non extendi ad alia. De cætero judicandum est secundùm præsumptam mentem, & verba concedentis, Aversa *s.* 7. §. *sextò*. Hinc si fuerit peritum, ut posset pœnitentem aliquem absolvere à reservatis, facultas extendetur etiam ad posteriora reservata post obtentam facultatem commissa, Lugo, Tamb. Stoz, Dic. *n.* 345. Gob. *l.* 7. *n.* 710. Quod verum est, quamvis Pœnitens ex confidentia illius gratiæ sæpiùs peccasset, Sporer *n.* 765. Et universaliter præter citatos n. 1451. docent Sanch Regin. Lugo, Bonac. Beja *q.* 2. *a s.* 28. Dic. *n.* 254. Aversa §. *Septimo*, contra *Covarr.* si quis ideò committat reservatum, quia jam est Jubilæum, quia habet privilegium, ut absolvatur, &c. posse nihilominus absolvi, quia tale peccatum nullibi excipitur. Vide dicta n. 1451.

1693 §. 10. Cùm peccata ejusmodi non reserventur, secundùm dicta n. 1604. si propter dubium absolutio sit data à non habente potestatem in reservata, & posteà innotescat peccatum fuisse certò reservatum, si reservatum erat propter censuram, Lugo *d.* 20. *à n.* 20. rectè dicit sublatam esse reservationem, quia censura in casu dubio ordinariè absolutè tollitur: è contrà si reservatum erat ratione sui, videtur remanere obligatio se sistendi Superiori, quia sicuti si in casu necessitatis aut si quis bona fide per inadvertentiam fuisset ab inferiore absolutus, reservatio non esset sublata, quia jurisdictio erat suspensa, ita & hìc: quod maximè valet in sententia, quam tenui n. 615. nempè eum, qui confessus est mortale tanquam dubium, si posteà resciat fuisse certum, teneri adhuc confiteri tanquam certum. Nihilominus probabiliter contradicunt Sà, Hurtad. Portel, Rasler, Sporer *n* 734. Gob. *n.* 358. Dic *n.* 99 quia ex voluntate Superiorum, quamdiù peccatum est dubium, relinquitur jurisdictio, ergo si tum detur absolutio, tollitur reservatio, neque posteà est causa, cur semel sublata redeat. Et ideò etiamsi quis in articulo vel periculo mortis, aut virtute Jubilæi vel Bullæ absolutus sit à reservato, non est obligatio & posteà sistendi Superiori, nisi fortè ratione censuræ annexæ, secundùm dicta n. 1613. quia per talem circumstantiam vel privilegium relinquitur jurisdictio, per quam absolutè tollitur reservatio, Suar. Sanch. Dicast. *de censur. d.* 1. *n.* 195. Avila *q.* 17. *s.* 5.

1694 §. 11. Si quis in diœcesi, in qua reservatur peccatum, quando est publicum, absolvatur à peccato adhuc occulto per Confessarium non habentem potestatem ad reservata, si peccatum posteà fiat publicum, est & manet directè absolutum sine obligatione iterum confitendi aut se sistendi, quia peccatum eo tempore non erat reservatum, nec à Confessario erat sublata jurisdictio: per hoc tamen non eximitur à potestate fori externi, si annexa erat censura aut alia pœna. Similiter si homicidio annexa sit reservatio, & aliquis ante mortem secutam à non habente potestatem in reservata absolvatur à peccato lethalis vulnerationis, quamvis aliqui putent mentem reservantis esse reservare actionem occisivam, cùm qua moraliter est conjuncta mors, tamen cùm hæc actio, morte non secuta, reipsa non sit homicidium, reservatio non videtur eò extendenda: unde cùm sit directè absolutus, non indiget alia directa absolutione ab eo peccato, nec tenetur se sistere, Henriq. Fagund. Henrincx, Diana *p.* 8 *t.* 7. R 85. Aversa *q.* 7 *s.* 2. Dic *de Pœn. d.* 11. *n.* 15. Cùm tamen homicidio annexa sit irregularitas, hæc posteà incurretur, secundùm dicta l. 1. n. 618. Et idem plerique dicunt, si censura esset annexa, de quo in l. 7. quando de excommunicatione. Quòd si tale peccatum ante publicationem vel mortem secutam esset remissum per solam contritionem, probabilius est, quòd secuta publicatione vel morte superveniat reservatio, quia quamvis culpa non ampliùs existat, quando illi effectus sequuntur, tamen cùm peccatum illud adhuc debeat directè absolvi, hæc potestas absolvendi jam sublata est ordinariis Confessariis. Quòd magis valet, si ante secutum talem effectum culpa esset retractata per solam attritionem, quidquid in contrarium dicant Homobon Bordon. Aversa *q.* 10. *s.* 2. *in fi.*

1695 §. 12. Si pœnitens expresserit peccatum reservatum in confessione apud illum, qui habuit potestatem talem delegatam ad reservata, quamvis absolutio fuerit invalida, v. g. defectu doloris,

reservationem esse sublatam habet communis cum Lugo *d.*20.*n.*113. Dicast. *d.*11.*n.*124. Herincx *d.*7. *n.*26.contra *Arriagam.* E contrà si reservatum inculpabiliter omisit, præter citatos n.1449. docent Cov. Con. Ledesm. Nav. Regin. Art. Less. Tamb. Lugo *n.* 85 Herincx *n.* 10 Gob. *n.*7.*n.* 377. sublatam esse reservationem. Limitant *Gabr. Ang. Sylv. Rosell. Bonac.* si absolvens intenderit eam tollere : sed absolutè id dicunt *Busemb.* & alii 20. graves Authores cum Aversa *q.*17.*s.*8.& Viva *q.*11.*a.*4. & 6. quamvis non intenderit expressè, quia saltem implicitè ac virtualiter vult facere, quod potest, atqui potest tollere reservationem peccati etiam non cogniti, ergo. Hoc extendit Lugo *n.* 106. etiam ad confessionem invalidam : alii etiam ad sacrilegam, quia extra confessionem etiam à delegato Confessario tolli potest reservatio, ex vi potestatis, quam delegavit Superior : sed contradicunt iterum *Arr* & alii. *Dic.* fatetur has sententias esse valdè probabiles, attamen n.141.cum *Suar. Præpos.* & aliis tenet non tolli reservationem, si nulla fiat mentio reservatorum nec adsit positiva intentio illam tollendi, quia tunc non videtur satisfieri intentioni reservantis, quæ est, ut reservatum directè subjiciatur clavibus, sicque ratione reservationis explicatæ medicina conveniens imponatur ab illo,qui in reservata habet potestatem. V. dicta n.1452.& 1475.

1696 §.13. Si Pœnitens, nequidem quando confitetur, sciat suum peccatum esse reservatum,Gob.*t.*7.*n.*360. permittit absolvi, & consentit Sporer *n* 735. datque n.761.rationem, quia videtur esse sufficiens necessitas, ne Pœnitens cogatur sine absolutione discedere & bis idem confiteri ; imò fortè non redibit. Sed hæc sunt per accidens, unde non video,unde proveniret jurisdictio pro hoc casu : & saltem si excommunicatio reservata sit annexa, certò non poterit absolvi, quia talis prohibetur ante sublatam excommunicationem suscipere Sacramentum Pœnitentiæ.

1697 §. 14. Obligatus postea comparere coram Superiore, non tenetur ante Missam vel Communionem, sed satis est, si prima commoda occasione, *Less. in Act. v. Absolutio casu* 5 Satisfacit autem, si postea coram delegato vel alio privilegiato compareat per se vel alium, Stoz *l* 2.*n.*74. Quod si aliquis ob impedimentum non possit per seipsum adire Superiorem, Card. Valent. Henr. Azor. Sanch. Tamb. Dic.*n* 270.Stoz.*n.* 69. Sporer *n* 750. Viva *ad prop.* 7. Alex. VII.*n.*8. dicunt non teneri ad ipsum recurrere per Procuratorem vel litteras, aut ipsum ad se advocando, tum quia est obligatio personalis, & ipse in individuo dicitur teneri adire, tum etiam quia isti alii modi comparendi sunt extraordinarii vel periculosi, ergo ad illos non est extendenda lex odiosa ; quæ sententia de non necessario tum recursu ad Papam communis est, secundùm dicta *n.* 1624. quia Papa tum concedit Episcopis, è contrà probabilius videtur cum Suar. Bon. Lug Zambr. Aversa *q.*17.*s.*5. recurrendum esse ad Episcopum vel alium Superiorem per Procuratorem vel per litteras ; Episcopi enim & alii Superiores id non concesserunt aliis, & quod quis facit per Procuratores vel per litteras, censetur facere per seipsum ; imò hoc est facilius, quam adire per seipsum, nec est periculum nisi remotum manifestationis.

1698 §. 15. Quid facere debeat ille, qui habet reservata, & communicare debet, attamen Confessarium non habet, qui possit absolvere à reservatis habet Busemb. *n.* 1600. prelatus, potestque videri Aversa. *q.* 17.*s.* 9. accurate referens sententias & Authores.

DUBIUM V.

Quod sit officium, & quæ obligatio Confessarii. 1699

Resp I. Munus Confessarii est absolvere dispositum,& non alium; item curare rectitudinem istius judicii, præsertim quando cœptum est, & reos juvare, ac monere, cum prudentia tamen Ratio primi, ne sit injurius pœnitenti Ratio secundi, ne fiat sacrilegus. Ratio tertii est eadem, & quia debet curare, ut absolutio sit efficax. *Unde resolves* :

I. Etsi interdum utiliter differatur absolutio, etiam ejus, qui potest licitè absolvi, id tamen rarò, nec ferè nisi de pœnitentis consensu faciendum, quia potest vergere in grave ejus periculum, vel damnum. V. Dian. *p.*1.*tr.*4. *R.* 35.

II. Absolvendus est, qui adhæret sententiæ probabili : quia est dispositus.

III. Moraliter ei constare debet de bona dispositione pœnitentis ; alias absolvendo peccabit moraliter.

IV. Non licet absolvere, 1. Qui nullam præbet materiam : qualis tamen non est, qui post absolutionem mox confitetur, cujus erat oblitus. 2. Qui cùm possit, non est paratus restituere, & proximas peccandi occasiones fugere. V. Nav. *c.*15.Suar *d.*32. *s.*2.3. Ignorantem ea, quæ omnes scire tenentur,v.g.decem præcepta,& quæ ad fructuosam confessionem & Communionem spectant ; unde talis communiter priùs est instruendus, vel aliò mittendus ad instructionem. *V. suprà l.*2.*t.*1.*c.*1.

V. Rudiores ordinariè juvandi sunt, nisi sint incapaces instructionis, vel ob pœnitentium multitudinem fieri non possit, nec videatur expedire, ut dimittantur ; vel sint peregrini, qui mox communicare, & abire debeant, tunc enim,si alioqui bona fide agunt, & temporis angustiæ, vel pœnitentium multitudo longum examen vel instructionem non permittat, sufficere aliquando integritatem formalem, docet Lym. *l.*5.*t.*6. *c.* 13. *n.* 10. qua scilicet, auditis aliquibus peccatis absolvatur, cum onere redeundi ad confessionem pleniorem.

VI. Si Confessarius notat pœnitentem ignorare aliqua necessaria ad hoc Sacramentum, tenetur eum instruere, & admonere officii, quantum fieri potest,v.g. si nesciat illa,quæ necessitate medii sunt ad salutem necessaria, debet ea ducere : item obligatus ad deponendum odium, ad restitutionem honoris, famæ aut bonorum, aut ad occasionem peccatorum tollendam, aut amovenda vel reparanda scandala, aliaque damna, quæ intulit ; aut ad corripiendos delinquentes, juvandos indigentes, ad denuntianda delicta, vel delinquentes in præjudicium communitatis vel innocentium, & denique si quam censuram incurrerit, &c. tenetur ea de re monere, & hortari ad satisfactionem, quam si recusent, negare absolutionem, quia alioquin se ipsorum criminum participem, & sacrilegii reum faciet, Aversa *q.*16.*s.* 12.

VII. Tenetur monere eum, qui ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili est in malo statu, quia aliàs nec ipsi nec Sacramento consulet, cum pœnitens sit indispositus. Si verò ignorantia sit invincibilis, v. g si bona fide teneat rem alienam,aut sit in Matrimonio irrito, tenetur quidem monere, & instituere, quando speratur fructus, nec timentur incommoda graviora : quæ si prudenter metuantur, aut fructus non speretur, non tenetur, imò non potest ; (excipit Lug.*d.*22.*n.*24. nisi silentium officiat bono communi) quia debet bonum pœnitentis procurare, ac consequenter licitè etiam suadet,

„suadet, ut secundùm suam ignorantiam operetur, „v. g. Cajæ, ut reddat debitum Titio, quem in„vincibiliter credit suum esse maritum, cùm non „sit. Vid. Sanch. *lib. 2. de Matrimon. d.* 38. Nec obsta„re, etiamsi sit in præjudicium tertii particularis, „ait, Lug. & Tambur. *de exp. confess. l. 2. c.* 4. Hinc „si confessarius prævideat pœnitentem non restitu„turum, si ipsi detegatur nullitas tituli, quem pro „se esse putet, non esse illi talem nullitatem à Con„fessario non interrogato detegendam. Quòd si ta„men pœnitens ipse dubitet ac roget, tenetur dice„re veritatem, (quia tacere, esset errorem approba„re) prudenter tamen, non plus dicendo, quàm „rogatur, v. g. si roget Titius, an post votum sim„plex castitatis Matrimonium contractum valeat, „possitque ac teneatur reddere debitum, respondeat, „quòd sic, tacendo obligationem non petendi debiti. V. Laym. hìc & Lug. „

„ VIII Quando Confessarii Principum, Prælato„rum, aliorumque Magnatum sciunt ipsos non sa„tisfacere officio, v. g. circa obligationem Benefi„ciorum, electionem ministrorum, subditorum „gubernationem, circa eleemosynas ex bonis Ec„clesiasticis faciendas, &c. Regulariter tenetur „Confessarius monere pœnitentem de sua obliga„tione, aliàs si absolvit, suis humeris peccata illa „imponit, & cæcus cæcum ducens ambo in foveam „inferni cadunt. Ratio, quia in talibus rarò est „ignorantia invincibilis: rarò item contingit, ut „illa secum non adferant scandalum in subditis, „æstimantibus illa licere; vel certè non afferant „damnum commune. Si tamen videat ignorantiam „esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum „aut damnum commune; contrà verò admonitio„nem fore in majus malum pœnitentis, aut allatu„ram scandala vel incommoda, potest secundùm „paulò ante dicta, dissimulare, nisi interrogetur, „Lug. n. 37.

„ IX Si etiam pœnitens teneretur (licèt sub pec„cato mortali) ad aliquid adeò difficile, ut non „crederetur nunc æquo animo accepturus, & alia „vice meliùs susceperus, posset prudens Confes„sarius tunc illum relinquere in bona fide excu„sante à peccato, & monitionem differre in tem„pus opportunius, ne tertius à confessione abstineat, „graviusque, detrimentum incurrat. Tamb. *c.* 14. „Lug. n. 27.

„ X. Minùs rectè dispositus excitandus est ad do„lorem & propositum emendationis, proposita pec„cati fœditate, bonitate Dei, & periculo damnatio„nis, &c. Item remedia opportuna præscribenda con„tra peccata futura.

„ Resp. II. Ut Confessarius licitè hoc Sacramen„tum administret, debet esse in gratia, alioqui pec„cabit mortaliter. Item debet esse talis, ut per hoc „non exponatur proximo periculo peccandi mor„taliter. Pars prior constat ex dictis *de Sacr. in ge„nere*. An verò audiens plures una quasi vice mor„tali, tot numero peccata committat, alii negant, „ut Rodrig. alii affirmant, ut Bon. hic. Pars posterior „patet. *Unde resolvuntur hic casus*:

„ Confessarius cons.ius sibi peccati mortalis, te„netur, antequàm audiat, vel saltem absolvat pœ„nitentem, ipse confiteri, vel conteri de suo pecca„to: Si tamen vocatus improvisò ad moribundum „recolligere secum subitò non possit ad contritio„nem eliciendam, (vel bona fide putet se elicuisse) „non peccat absolvendo. Præp. Lug. Tamb. *l. c. cap.* „2. § 3.

„ Resp. III. Si male absolvit, committendo defe„ctum essentialem, v. g. si non protulit formam, „vel absolvit à reservatis, vel non subditum, tenetur inducere ad repetendam confessionem, si sine scan„dalo, infamia, fractione sigilli, & nocumento suo„ possit: sin nimis, non tenetur. Si non absolvit à„ censura, potest ab eadem (si, vel quando habuerit„ potestatem) absolvere absentem, Bon. *de cens. in„ communi d.* 1. *q.* 3. *p.* 6. ex Suar. Fill. *tr.* 11. *cap.* 10. *q.*„ 6. Regin. Nav. Rodriq. „

Si non interrogavit sufficienter numerum, spe„ciem vel alias circumstantias, regulariter ad nihil„ tenetur, nisi ad pœnitentiam agendam: monere„ enim extra confessionem non debet, cùm judicium„ sit finitum. Si tamen redeat ad confessionem idem„ pœnitens, debet moneri de defectu commisso; quia„ alioqui hæc confessio non erit integra, cùm quæ„dam non sit debitè confessus. „

Dixi, *si non interrogavit*: quia si positivè dixit,„ non teneri confiteri numerum, species, &c. debet„ monere, si sine gravi scandalo & detrimento po„test, quia est causa, quòd alter præceptum grave,„ (scilicet confitendi illa peccata) violet. Lug. *d.*„ 22. *s.* 3. „

Si neglexerit monere de restitutione: moneat,„ siquidem commodè potest, (vel in confessione,„ vel extra: obtenta prius ab ipso venia; ea verò ne„gata, ad nihil ultrà teneri docet Tamb. *c.* 8. ex San.„ contra Suar.) quia tenetur ex charitate: si non,„ commodè potest, Deo commendet. Laym. *l.* 5.„ *t.* 6. *c.* 9. Henr. Suar. Sylv. Merc. *in* 3. *p. q.* 9. *art.* 1.„ Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 87. Quòd si tamen (ex gravi seu„ mortali culpa, contra jus alterius,) dixisset, eum„ non teneri ad restitutionem, vel aliter (v. g. opi„nionem falsam persuadendo) esset causa efficax,„ cur non restituat, vel aliunde detrimentum acci„piat ipse vel alius, tenetur ipsemet restituere nisi„ moneat tempestivè, priusquàm pœnitens fiat im„porens, quia actione sua fuit injusta causa damni.„ Si verò sine gravi culpa id fecit, tenetur nihilo„minus monere pœnitentem, si commodè potest;„ alioqui ipse obligabitur, sicut casu priore. Si non,„ commodè potest, excusabitur. V. Suar. Kon. *d.* 8.„ *dub.* 17. Bon. Dian. *tom.* 2. *tr.* 2. *misc. R.* 1. Lug.„ *num.* 61. *& suprà lib.* 3. *tr.* 5. *cap.* 2. *dub.* 1. *art.* 2.„ *casu* 12.

Quæres. Quæ & quanta sit obligatio Confessarii„ audiendi pœnitentes? „

Resp. I. Quivis Sacerdos (etiam simplex, quan„do non est alius paratus) tenetur in extrema ne„cessitate, v. g. in periculo mortis audire & absol„vere volentem confiteri. Ratio est lex charitatis.„

Resp. II. Parochus, & quivis Sacerdos curatus„ audire confessionem sui subditi, non tantùm in„ casu necessitatis, aut præcepto confessionis urgen„te, sed etiam (saltem per se, vel alium) quoties„ pœnitens id rationabiliter petit; v. g. si sit in gra„vi aliqua difficultate spirituali, vel velit promereri„ Jubilæum, &c. quia tenetur ejus bonum spiritua„le promovere, Suar. Vasq. Lug. *&c.* Si tamen *nimis*„ frequenter, vel intempestivè peteret, excusaretur,„ Aversa *q.* 16. *s.* 11. Quòd si etiam semel tantùm vel„ bis negaret, aut differret, non peccaturum gravi„ter, ob levitatem materiæ, docet Suar. contra Bon „ admittitque Aversa *l. c.* si non petat ex urgenti oc„casione, v. g. solemnis festi, &c. „

Resp. III. Quotiescunque pœnitens ex mera de„votione vult confiteri, Parochum teneri illum au„dire, contra Sylv. Regin. *&c.* docet Azor. Suar. Kon. Bonac. Molf. Lug. *&c.* sed rectè limitat Aversa *l. c.* si„ non adsint alii Confessarii delegati, & Parochus „ non legitimè impediatur. „

Resp. IV. Reliqui Sacerdotes, per se loquendo,„ non tenentur audire confessiones; si tamen audi„re cœperint, tenentur absolvere, nisi quid obstet,

neque

neque possunt remittere ad alium, quia pœnitens „eo ipso habet jus ad absolutionem, nec potest fru„ctu & gratia Sacramenti privari, Averta l. 3.

ADDENDA.

1700 Q. *Væst.* 241. *Quid præterea notandum sit circa obligationes Confessarii?* R. seqq. §. 1. Confessarius habet quadruplex munus. 1. Est Minister vices gerens Christi. 2. Est Judex. 3. Est Medicus. 4. Est Doctor: quæ omnia constant ex Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. 6. & 7. In hoc quadruplici munere fundantur omnes obligationes Confessarii, qui enim munus aliquod in se suscepit, obligatur ejus partes implere: hinc.

1701 §. 2. Quia Confessarius est. 1. *Minister* vices Christi gerens & immediatè concurrens ad gratiam, debet solicitè, fideliter, reverenter & dignè ministrare hoc Sacramentum. 2. Quia est *Judex*, debet providere, ut confessio fiat rectè, ac præsertim integrè: Item tenetur scire quænam peccata sint mortalia, quænam venialia: quandonam specie vel numero distinguantur. Item dare vel negare absolutionem, prout pœnitens est dispositus. Item injungere satisfactionem proportionatam. 3. Quia est *Medicus*, debet scire & suggerere media apta pro cavendis peccatis, præscribere pœnitentias medicinales, dehortari à periculis relapsum. *Certè*, inquit, S. Th. *Opusc.* 65. *De cautela in Confess. Cùm videamus Medicus corporum quotidie & legere libros physicales & medicinales corporum, in quibus docentur curare corpora moritura, magnæ stultitiæ est non legere libros Sanctorum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras; majus est damnum unius animæ quàm inenarrabilium corporum.* 4. Quia est *Doctor*, debet instruere in rebus ad animam pertinentibus.

1702 §. 3. Pleraſque obligationes illas exposui in hoc *l.* 6. *p.* 1. nam à n. 54. dixi eum obligari ad formandam intentionem debitam pro conficiendo Sacramento An. 84. ad aliquam attentionem circa opus, quod agit. An. 91. ad procurandum in se statum gratiæ. An. 133. aliquando teneri ministrare Sacramentum. An. 149. peccare, si simulet administrationem Sacramenti. An. 122. etiam peccare, si extra necessitatem adhibeat materiam vel formam dubiam. An. 137. si ministret indigno. An. 104. etiam peccare, si in administratione Sacramenti, ubi agitur de valore, sequatur sententiam tantùm probabilem relicta tutiori, nisi Ecclesia supplere possit & velit, uti ibidem à n. 111. exposui. Denique à n. 123. dixi non licere sine causa iterare formam Sacramenti. Quæ omnia etiam hìc applicari debent Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. Plura autem, quæ facere debet prudens Confessarius proponentur in sequentibus; & universim hoc dici potest, quòd teneatur scire & adhibere speciales industrias ac modos agendi cum diversis pœnitentibus, pro ut horum dispositio & necessitas postulabit, id enim spectat ad executionem muneris, cujus obligationem Confessarius in se suscepit. An aliquando teneatur loco pœnitentis, qui non potest, denunciare aliquem, dicam *n.* 1758.

1703 §. 4. Pœnitens reciprocæ obligationi non satisfacit. 1. Si piè & sanctè non disponat se ad susceptionem hujus Sacramenti. 2. Si per arrogantiam moneri non velit, aut monitus pervicaciter obmurmuret. 3. Si media emendationis suggesta non acceptet vel non exequatur. 4. Si sanis consiliis & doctrinæ per Confessarium propositæ se non accommodet: quæ omnia pluribus explicabunt in seqq.

1704 Q. 242. *An Religiosi censeri debeant apti confessionibus audiendis: & quis absolutè censeri debeat bonus Confessarius?* R. §. 1. Jansenistæ negant Religiosos censeri debere aptos, imprimis quia statim absolvunt, ideóque confessiones illis factas dicunt debere censeri communiter sacrilegas: sed hoc damnavit Alex. VIII. secundùm dicta *n.* 125. Deinde, quia nimis parvas pœnitentias injungunt, sed hoc etiam damnatum est ab eodem Alex. VIII. secundùm dicta *n.* 1263. E contrà pro Religiosis sunt hæc argumenta valentiora. 1. Quia eorum doctrina plerumque est major & tutior, nam dant se magis, & per Superiores attinentur ad sana dogmata. 2. Plerumque major est illorum virtus, cui ratione status & mediorum student impensiùs. 3. Experientia docet directionem Religiosorum magis prodesse ad perfectionem & sanctitatem consequendam.

§. 2. Ille est absolutè bonus Confessarius, & rectè 1705
implet munus suum, qui pœnitentem benignè excipit, patienter audit, prudenter instruit, suaviter arguit, prout tempus & necessitas exigit, quandoque timore concutit, semper spe erigit, continuo amore virtutis accendit.

Q. 243. *Quinam Confessarii mereantur nomen Jan-* 1706
senistarum, Rigoristarum, Laxorum, Benignorum? R. §. 1. Jansenistæ sunt. 1. Qui defendunt aliquam ex 5. propositionibus in Jansenio damnatis. 2. Qui defendunt propositiones illas non contineri in libro qui dicitur, Augustinus Jansenii. 3. Qui sincerè, ex animo & absque distinctione juris & facti nolunt subscribere formulario præscripto ab Alex. VII. & Clemente XI. ideóque non damnant 5. illas propositiones in sensu libri Jansenii, Clemens enim dicit Ecclesiæ illud & hæresin silentio foveri, dum quis ipsam Jansenii doctrinam interiùs abjicere, & corde improbare detrectat. 4. Qui in administratione Sacramenti Pœnitentiæ aut directione fidelium utuntur regulis fundatis in aliqua ex 5. propositionibus in Jansenio damnatis: quales sunt; homo peccat etiam in hoc, quod aliter facere non potest. Confitendi sunt actus & motus de se graviter mali, si voluntarii sint, quamvis fiant sine ulla libertate indifferentiæ; &c. Ratio, cur omnes isti meritò dicantur Jansenistæ hæc est, quia secundùm Breve Innoc. XII. *Nuper*, ad Episcopos Belgii datum 6. Febr. 1694. illi rectè dicuntur Jansenistæ, quos constat esse suspectos, *quòd tenuerint aut teneant aliquam ex 5. propositionibus damnatis*, atqui omnes illi manifestè suspecti sunt, quòd aliquam ex his propositionibus tenuerint imò & adhuc teneant: hinc speculativa istorum hominum Theologia est Jansenismus, moralis autem est Rigorismus in Jansenismo fundatus. De illis rectè scribit Francol. *in Præfat. ad Cleritum Rom.* quòd soleant Patres jactare plurimùm, Pontifices æstimare parvi, recentiores Theologos nihili facere: Patribus, uti ab ipsis exponuntur, deferre obsequium verum; Pontificibus, simulatum; reliquis doctoribus, neutrum.

§. 2. Rigoristæ sunt, 1. qui sequuntur doctrinas 1707
alias ab Ecclesia ob nimium rigorem reprobatas, quales sunt multæ Bajanæ & pleræque ab Alex. VIII. damnatæ, v. g. hæ, Ignorantia invincibilis juris naturæ non excusat à peccato formali. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Satisfactio est præmittenda absolutioni. Per praxin mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. Communicare non debet, qui necdum habet amorem Dei purissimum. Omnis actio humana, quæ non est Dei dilectio, peccatum est. 2. Qui sequuntur doctrinas, quamvis fortè necdum expresè damnatas, attamen indiscretas vel humanæ infirmitati non accommodatas, quales sunt: Absolvi non debent, qui ordinariè confitentur Religiosis, nisi totius anterioris vitæ confessiones repetant. Quoties

quis

quis relabitur, signum est anteà caruisse vero dolore vel proposito, hinc debet priores confessiones repetere. Pœnitentiæ imponendæ sunt secundùm rigorem antiquorum canonum. Etiam pro occultis peccatis pœnitentiæ publicæ sunt peragendæ. Semel fornicatus debet ad minimum per dies quadraginta jejunare. Etiam prima vice confitens mortale ordinariè non est mox absolvendus. Contritio debet esse dolor non tantùm appretiativè sed etiam intensivè summus. Dispositus non est ad absolutionem; in quo amor Dei castus non prædominatur supra omnes alios affectus actuales & habituales. Est obligatio jejunandi etiam ante 12. annum, & tenentur etiam pueri, quantùm possunt.

1708 §. 3. Laxi sunt, 1. qui sequuntur doctrinas ab Ecclesia ideò reprobatas, quia nimium favent libertati humanæ, quales sunt propositiones plurimæ ab Alex. VII. & Innoc. XI. damnatæ, v. g. hæ, peccata in confessione oblita non tenemur in sequenti confessione exprimere. Comedere ob solam voluptatem non est peccatum. 2. Qui sequuntur doctrinas faventes libertati humanæ contra legem Dei vel Ecclesiæ, non nixas gravibus motivis ab authoritate vel ratione petitis, qualis est, Monachi cantantes in choro non tenentur ad jejunium.

1709 §. 4. Benigni sunt, qui ex gravibus motivis petitis ab authoritate vel ratione sequuntur doctrinas faventes libertati, quales sunt: Extra materias Sacramentorum, licitum est sequi *opinionem* minùs probabilem & minùs tutam. Attritio sufficit cum Sacramento. Qui aliquid fecit sine plena advertentia ad malitiam mortalem, non peccavit mortaliter. Post commissum mortale non est obligatio statim pœnitendi. Ex dictis,

1710 *Colliges.* 1. Jansenistas communiter esse Rigoristas, sed non semper contrà: unde reprehendendi sunt illi, qui quem audiunt esse rigidum, statim vocant Jansenistam. 2. Eos immeritò dici Rigoristas, qui in administrandis Sacramentis, quantum possunt, tutiora & pœnitentibus utiliora sequuntur, quamvis difficiliora sint: id enim reprehendendum non est: unde sicuti est dicacitas popularis eos vocare scrupulosos, qui conantur exactè & perfectè vivere, ita dicacitas maligna est eos vocare Jansenistas aut Rigoristas, qui meliora & securiora suadent, dummodò discretè fiat, & Sacramenta per hoc non reddantur fidelibus odiosa. 3. Aliquem posse esse rigoristam in uno & laxum aut benignum in altero: dicendus autem erit simpliciter talis vel talis, ab illo, quod plerumque & ut plurimùm sequitur.

1711 *Q.* 244. *Quænam gene atim observare debeat Confessarius in audiendis confessionibus?* R. §. 1. Antequam incipiat audire, imploret gratiam Spiritus sancti, formetque intentionem absolvendi: & quia quandoque absolutè, quandoque sub conditione debebit absolvere, potest initio formare hoc modo: sic volo absolvere, sicuti exiget dispositio pœnitentis.

1712 §. 2. Jam auditurus, benedicat pœnitenti his verbis: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut bene confitearis peccata tua, in nomine Patris & Filii &c.* Si pœnitentem non noverit, conetur intelligere, quando ultimò sit confessus, nam id multùm juvat ad directionem & intelligendum statum conscientiæ: ordinariè autem non inquirat in ejus nomen, vel quis sit, nisi hoc necesse sit ad intelligendam speciem alicujus peccati, quod confitetur.

1713 §. 3. Recensentem peccata, si opus sit, juvet interrogando, secundùm dicenda *n.* 1745. Si autem narret impertinentia, historias inutiles, domesticas querelas vel negotia abrumpat dicendo opus non esse enarrare illas circumstantias, satis esse, si sic breviter dicat speciem & numerum, *ter injustè affeci uxorem gravibus contumeliis*, tacendo occasionem & causam contumeliarum. Quandoque sermonem aliò divertat, pecendo an non hoc vel illud aliud peccatum fecerit. Si incipiat aliorum peccata detegere, statim moneat, ut de aliis taceat, ne detrahat, & pro se confiteatur. Si nimis crassè & minùs pudicè quædam peccata explicet, doceat ut honestiùs ea eloqui, ne alia vice sibi & Confessario faciat scandalum.

§ 4. Quando aliquid omittit, quod necessariò 1714
addi deberet, si ex scripto confiteatur, Confessarius statim interroget, ne posteà memoria excidat, tum enim non est periculum eum turbandi: si autem de memoria confiteatur, putetque Confessarius se posse posteà recordari, mente retineat, circa quod præceptum sit, & expectet usque ad finem, ne interrumpendo confundat memoriam pœnitentis. Si tamen Confessarius per experientiam sciat se in fine solere oblivisci, & maximè si nimis multa interroganda cumularentur, præstat statim interrogare, quam posteà debere pœnitentem obligare ad molestiorem repetitionem omnium antedictorum: expedit tamen priùs audire, quodnam peccatum dicere voluerit post illud, in quo non satis se explicabat, ut posteà possit reduci ad cursum suæ narrationis, v. g. aliquis sic confitetur, *feci furta gravia: etiam die festo neglexi Missam*: dum audit hoc, *feci furta gravia*, permittat, ut incipiat dicere, *etiam die festo &c.* tumque suaviter interpellando petat, quoties fecerit grave furtum, & si dicat, v. gr. reducat illum ad filum narrationis, dicendo: jam perge, ubi incipiebas dicere, de die festo, sic enim redit ad ordinem narrandi peccata, prout ea inter examinandum mandarat memoriæ.

§. 5. Si pœnitens afferat aliquid enorme, Con- 1715
fessarius caveat, ne ulla det signa admirationis vel indignationis, sic enim deterret à detegendis reliquis: & reprehensionem, si quæ necessaria sit, differat usque ad finem confessionis. Caveat etiam signa manuum vel pedum aliosque motus corporis, nam circumstantes colligere aut saltem suspicari possunt ad talia signa dici graviora delicta, sicque frangitur sigillum.

§ 6. Specialiter tenetur cavere Confessarius, ne 1716
inter audiendas confessiones dormitet, distrahatur, aut omninò obliviscatur peccatorum antequam injunxerit pœnitentiam: nam si omninò nihil percepisset de aliquo peccato, deberet statim interrogare, alioquin quia in fine futurum esset æquale dubium de omnibus, pœnitens teneretur omnia bis dicere, Lugo, Dicast. Diana *p. 4. tr. 4 R. 109.* Si autem Confessarius aliquid de peccato intellexit, poterit in fine circa illud petere, uti jam dictum est. Quod si ex ex nota sibi conscientia pœnitentis possit præsumere id, quod non percepit, esse quid leve, nec possit sine turbatione vel molestia pœnitentis interrogare, potest tacere & absolvere, Sroz. *l. 2. n. 88.* Addit Gob. *t. 7. n. 239.* si Confessarius per experientiam sciat aliquem non committere mortalia, & solere se accusare de mendaciis, posse absolvere, etsi ob distractionem non sit memor ullius peccati confessi, sed pro praxi debet aliquid in specie exprimi. Quòd si absolura tota confessione Confessarius nullius peccati sit memor, & moraliter certus sit non fuisse nisi venialia, jubeat repeti ultimum & absolvat.

§. 7. Quando vis pœnitentiam imponere, non 1717
est opus te habere distinctam memoriam omnium auditorum, sed sufficit confusa notitia status pœnitentis, quæ in eo consistit, ut saltem memineris plura diversæ speciei mortalia esse dicta, eaque in numero satis frequenti, tum enim judicare potes hunc esse peccatorem solito graviorem, adeóque majori pœnitentia

dignum, Art. *d. 35. à n. 30.* Illſ. *n. 152.* Lohn. Si tamen ita eſſes oblitus omnia, ut nequidem confuſam peccatorum notitiam haberes, teneris per paucas interrogationes repetere cognitionem aliquam ſtatus conſcientiæ pœnitentis; attamen cavendo, ne reddas confeſſionem odioſam & nimis gravem pœnitenti. E contrà ſi jam impoſueris pœnitentiam, non eſt neceſſe, ut quando abſolvis, etiam confusè memineris peccatorum vel pœnitentiæ impoſitæ, ſed ſatis eſt recordari eſſe confeſſum & latum eſſe de eo judicium: ſtatus enim pœnitentis erat recolendus tantùm in ordine ad formandum de eo judicium & ad taxandam pœnitentiam, quod jam ante factum eſt; neque Confeſſarius abſolvit à peccatis diſtributivè ſumptis, ſed collectivè ab omnibus ſimul, Suar. Tann *d 6. q. 7. n. 136.* Art. *n. 15. & 28.* Tamb. *de Conf. l. 3. c. 2. n. 8.* Steph. *t. 5. d. 5. 5. n. 211.* Illſ. *ſuprà.*

1718 §. 8. Magnus defectus eſt in pœnitentibus, qui poſt enarrata peccata, dum Confeſſarius eos admonet, media ſe emendandi ſuggerit, præit in actus virtutum & doloris, ſponte aliò diſtrahuntur, ſoliciti, ne fortè ſint aliquid obliti aut non ſatis expreſſerint, & nequidem ſatis advertunt, quæ pœnitentia injungatur. Et monendi ſunt, magis laborandum eſſe de dolore præſentium & emendatione futurorum, quàm de nuda expreſſione præteritorum, dummodò ante ſe examinarint humano modo, & peccata ſincerè edixerint, prout occurrebant conſcientiæ: reliquum committant Deo, & attendant ad admonitionem, pœnitentiam, abſolutionem à Confeſſario dandam.

1719. §. 9. Etiam magnus defectus eſt in Confeſſariis, qui nimis citò deproperant confeſſiones, maximè ſoliciti, ut multos audiant. Sapienter Gerſon *p. 2. n. 32. de arte audiendi confeſſ. conſid. 3.* ait, *Eligibilius eſt paucos audire completè, quàm multos imperfectè .·.·. mallem namque, ſi Curatus eſſem, multorum differre confeſſiones poſt Paſcha, etiam ubi quidam non redirent, quam quod cæcus cæcos ſeducerem, dum pro verè abſolutis ipſi non rectè abſoluti ſe gererent.* Et S. Xaverius, *confitentibus non feſtinatam ſed diligentem navandam operam cenſebat, monens ut præoptarent confeſſiones paucas ritè factas audire: quàm multas temerè properatas.* Turſellinus *in vita l. 6. c. 17.*

1720 §. 10. Dixi *n. 652.* non expedire, ut verba abſolutionis altè proferantur; & *n. 653.* dixi, an capite tecto vel detecto, & quo ritu manuum danda ſit abſolutio. Si autem pœnitens non eſſet ritè diſpoſitus, non liceret verba abſolutionis proferre ſine intenſione abſolvendi, ut dixi *l. 6. p. 1. à n. 149.* Itaque deberet ſignificare pœnitenti eum non abſolvendum, ut ſciat ſe propter eadem peccata debere alia vice petere abſolutionem; ut tamen circumſtantias non advertent negatam eſſe abſolutionem, dicat ſubmiſsè alia verba, v. g. precationem, *Miſereatur tui &c. Benedicat te Deus omnipotens Pater & Filius &c.* formando crucis ſignum ſuper eum, hoc enim faciendo non ſimulat formaliter, cùm non intendat decipere adſtantes, ſed tantùm permittat eos decipi, intendit autem bene precari & benedicere: Neque etiam propriè ſimulat materialiter circa adminiſtrationem Sacramenti, ſed circa alia verba indifferenter ſe habentia ad abſolutionem. An autem liceat ſic agere, etiam inſcio pœnitente, dicam *n. 1889.* Id maximè cavendum, ne Confeſſarius pœnitentem, præſertim gravia confeſſum, è confeſſionali egredientem reſpiciat vel oculis proſequatur quaſi noſſe volens. Denique S. Xaverius ſuprà monebat Confeſſarios, ut poſteà ſeipſos examinarent ſuper confeſſiones auditas *ut quacumque in alienis peccaſſent confeſſionibus, expiarent ſuis.*

Q. 245. *Quis modus & ordo ſit ſervandus à Confeſſario, ut pœnitentem rectè diſponat ad validam abſolutionem?* R. Diſpoſitionem pro Baptiſmo tradit Trid. *ſeſſ. 6. cap.* 8. poteſtque Pœnitentiæ accommodari, ad hanc enim requiritur ad minimùm ſimilis diſpoſitio; ſic autem habet. *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, ad ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per pœnitentiam, quæ ante Baptiſmum agi oportet: Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam & ſervare divina mandata.* Ex his verbis. 1721

Colliguntur ſeqq. 1. Ut Sacramentum Pœnitentiæ ſit validum, prærequiruntur actus fidei & ſpei, ut pluribus declaratum eſt *l. 2. à n. 14.* Et horum actuum defectu multæ confeſſiones invalidæ, quia multi accedunt, qui nihil ſciunt de motivis fidei aut ſpei. 2. Specialiter credere debet pœnitens remiſſionem peccatorum ex meritis Chriſti nobis fieri, ideóque ex eiſdem Chriſti meritis eandem ſperare. 3. Pœnitens debet incipere diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem: quibus verbis multùm confirmatur ſententia ad valorem Sacramenti prærequirens actum, qui ſit amor ſaltem concupiſcentiæ & poſitiva converſio ad Deum tanquam finem ultimum: ideóque ad prudentem Confeſſarium pertinebit, ſuggerere motiva alicujus dilectionis erga Deum, per quam abſolvendus redeat ad illum, à quo ſe averterat per peccatum: imò expedit ſuggerere motiva etiam perfectæ contritionis, ut tantò cum majore fructu ſuſcipiatur Sacramentum. 4. Cùm Confeſſarius ſæpè præire debeat in iſtos omnes actus, ante omnia neceſſe eſt, ut ipſemet diſtinctè noverit motiva fidei, ſpei, attritionis, contritionis, charitatis, formulas iſtorum actuum dedi *l. 2. à n. 153.* quiſque pro ſuo guſtu facilè proponet ſimiles. 1722

Q. 246. *Quomodo pœnitens practicè diſponi poſſit ad dolorem de peccatis?* R. §. 1. Quamvis adulti ordinariè præſumi poſſint habere dolorem de peccatis, ideóque opus non ſit de hoc rogare, uti notant Loh. & alii cum Illſ. *n. 240.* tamen expedit, ut Confeſſarius plerósque excitet ad dolorem, & propoſitum, ſuggeſtis pro utroque motivis ſecundùm capacitatem pœnitentium: & quia non omnes eiſdem motivis permoventur, debet Confeſſarius omnis generis motiva in promptu habere, & prout viſum fuerit opportunum, jam hoc, jam illud proponere. Motiva autem illa ſunt in univerſum quatuor, *pœnæ*, quas peccata merentur; *præmia* & bona, quæ demerentur; *turpitudo*, quam in ſe habent; infinita *Dei bonitas*, cui opponuntur. Audacibus proponenda ſunt motiva pœnarum, timoris, juſtitiæ Dei; ingenuis motiva honeſtatis, quæ eſt in virtute: timidis motiva præmiorum & bonitatis Dei. 1723

§. 2. Motiva, quæ magis particulatim ſuggeri poſſunt, per quæ pœnitentes tandem adducantur ad contritionem de mortalibus, ſunt ſequentia. 1. Unicum mortale detraxit angelos, creaturas perfectiſſimas, à ſummo cœlo ad ima tartari, ſine ſpe redemptionis aut veniæ: quid tu non mereris homo viliſſime poſt tot mortalia? 2. Mortale unicum ab Adamo priùs innocente commiſſum induxit miſerias 1724

omnes

omnes in Adamum totumque genus humanum: & tu putas te tot peccatorum pœnis non opprimendum? 3. Unicum mortale meretur omnes inferni pœnas: cogita earum magnitudinem, ac præcipuè æternitatem: minimum malum evadit intolerabile, si sit æternum. 4. Quodvis mortale occidit animam spiritualiter, quia tollit gratiam, quæ sola est vita animæ: si fugis mortem corporis, cur non magis animæ? hæc æquè irreparabilis est atque illa, nisi te præveniret miseratio Dei, qui justè negare posset, si nimis sæpè repetas; & certò negabit, si numerum tibi præfinitum impleveris, hinc time omne velut ultimum. 5. Mortale facit mancipium diaboli, cui se submittit peccans: Horres servitutem apud Turcas, hæc pejor est & miserior, quamvis non ita sentias. 6. Mortaliter peccans coram Deo vel de eo non dolens, est similis homini in faciem maledicenti alteri, qui ejus vitam haberet pendulam à filo, quod posset omni momento præscindere & in æternum baratrum devolvere. Quanta hæc est temeritas. 7. Unicum mortale te privat omni jure ad cœlestem gloriam, reddit te indignum omnibus gratiis & donis: si tantoperè fugis jacturam temporalium, cur non magis æternorum & spiritualium. 8. Omne mortale iterùm crucifigit Christum quia ponit causam, propter quam crucifixus est: propter solum mortale Christus affixus est Cruci & occisus, quia pro tanta malitia satisfacere non poterat nisi Deus ipse. 9. Deus Filium suum unigenitum morti tradidit, ut tolleret peccatum: hinc collige malitiam, quia plus odivit peccatum, quàm amaret vitam Filii 10. Mortale facit Christi sanguinem carere fructu, evacuari Passionem, merita contemni, gratias despici. 11. Mortale Deum ipsum destruit, quantùm in se est, nam ab eo tollit rationem finis ultimi, quem ponit in creatura, hanc complecteus abjecto Deo. 12. Mortale est summè inhonestum & turpe in se, quia deordinat à prima Regula omnis honesti, quæ est sanctissima Dei voluntas; ideóque est damnabilis in obedientia & transgressio æternæ legis Dei. 13. Mortale est summa ingratitudo contra Deum benefactorem, creatorem, redemptorem, conservatorem, ac etiam æterna præmia offerentem. 14 Est summa injuria, quia honorem & gloriam per omnes actiones nostras Deo debitam suffuratur, & consecrat mundo, carni aut diabolo. 15. Est rebellio contra Deum, cujus se dominio vult subtrahere, imò cui hostilitatem indicit. 16. Est summa insania, cùm sciatur in æternum perdere corpus & animam, & tamen ametur. 17. Mortale dœmoni tradit animam tuam, quam Pater æternus sibi adoptarat in filiam, Filius in sororem, Spiritus S. in sponsam. 18. Mortale inhonorat omnes perfectiones divinas, justitiam vindicativam, quam non timet humana temeritas: benignissimam misericordiam, qua abutitur detestanda iniquitas: æternam beneficentiam, quam non agnoscit ingratissima creatura: integerrimam sanctitatem, cujus imaginem deturpat fœdissima animæ macula: supremam potentiam, quam facit sibi servire ad ipsam Dei offensam & contemptum: immensitatem infinitam, peccando contra Deum in ejus præsentia, & conspectu: sapientiam ineffabilem, cujus consilia, quantùm in se est, evertit: summam majestatem, coram qua contremiscunt Seraphini, contra quam insurgit vilissimus terræ vermiculus: pulchritudinem amabilissimam, quam despicit præ fœda creatura: incomprehensibilem bonitatem, cui præfertur momentanea voluptas. 19 Times & amas Regem tuum, Dominum tuum, Patrem tuum, & meritò, quia justi sunt; punire te possunt, si eos offendas: benefaciunt tibi; de se digni sunt non offendi sed amari, quia boni sunt. Et quid hi? quid creaturæ omnes respectu Dei? nemo tam Pater est, quàm Deus. 20. Peccatum mortale est summum & unicum malum, quod Deo summè bono fieri potest. Conclude, quia mortale tibi est ita malum & damnosum; quia in se tam malum est & turpe; & maximè quia Deo summè bono est ita malum ac displicens, detestare illud & dole de illo ex toto corde, ac propone firmissimè nunquam illud posthac committere.

§. 3. Prudentis Confessarii nunc est ex his si- 1725
milibusque motivis unum vel plura proponere secundùm necessitatem, capacitatem & dispositionem pœnitentis, ut hunc adducat ad dolorem etiam perfectum. Praxes bonas suggerit etiam Sporer *de Pœn. à n.* 244. *Prima* est ex turpitudine peccati, pro honestis & verecundis. *Secunda* ex metu gehennæ, pro quibuslibet maximè timoratioribus. *Tertia* exmetu pœnarum, pro honestioribus, præsertim tempore morbi, infortunii, adversitatis. *Quarta* iterùm ex metu pœnarum, pro sceleratis valdè insipidis & insensatis, quas non exscribo, quia typo publico passim habetur.

§. 4. Si pœnitens otium habeat & sit capax con- 1726
siderationis, perpendat Dei in se bonitatem & beneficentiam hoc modo. 1. Pater æternus ab æterno dilexit me, creavit in tempore ad imaginem suam & ad finem tam sublimem beatitudinis æternæ, tot donis naturæ & gratiæ dotavit, omnes creaturas; seipsum quoque, imò & meipsum mihi dedit, & reddidit, hactenusque conservat & fovet. 2. Filius Dei pro me de cœlo descendit, tanta passus, ex tantis me malis fuso suo sanguine redemit, eodem sanguine & corpore suo me pascit, fratrem me vult suum esse & regni sui cohæredem 3. Spiritus S. me in Baptismo sanctificavit, ad fidem & Ecclesiam veram præ tot aliis adduxit, innumeris donis suis, illuminationibus, piis moribus dignatus est: & quot alia particularia, quot alia mihi incognita beneficia fecit Deus? An non hæc omnia sincerissimi amoris erga me sunt argumenta? Ita me amavit Deus, seipso beatus, mei non indigens. Et quid ego tantæ bonitati, quid tanto amori rependi? Conferam hæc beneficia cum ingratitudine mea, & videbo causam esse, cur meipsum accusem, detester ingratitudinem tantam cum intensissimo dolore, 4. Postquam mea culpa gratiam primam in Baptismo acceptam perdidi, non abjecit me benignissimus Deus, quamvis meritò potuisset, sed cùm posset æternum damnare, spatium pœnitendi dedit, non semel sed sæpiùs: summa misericordia & longanimitate expectavit me, ut redirem, invitavit promissis, allexit inspirationibus: verè mecum sincerè egit Deus & paternum in me amorem habuit, qui me sibi hostem perdere noluit, sed sanare & salvare Quid ego fecissem tali hosti meo, Quid facit hosti suo homo potens ulcisci? Non ita Deus. Concludam in Deo debere esse infinitam bonitatem, quæ illum ad sic parcendum & mensurandum commoveat: dolebo itaque de tanta bonitate offensa. 5. Quamvis Deus tanta mihi beneficia non contulisset, adhuc tamen dignissimus esset, quem non offenderem, nam in seipso essentialiter & eminentissimè continet omnem rationem omnis boni propter se amabilis & expetibilis, ita ut nulla sit in creaturis honestas, nulla pulchritudo vel jucunditas, nulla perfectio, bonitas, amabilitas, quæ modo infinitè perfectiori non sit in Deo. Ipse est infinita majestas, magnificentia, sapientia, justitia, misericordia, sanctitas, pulchritudo. Ipse est summa & infinita perfectio. Ipse summum & unum bonum est, nam nemo bonus nisi solus Deus. Itaque quamvis nec pœna timenda nec

præmium ſperandum eſſet ; quamvis nulla nobis beneficia feciſſet ; quamvis quoad corpus & animam eſſemus in nihilum redigendi, tamen Deus propter ſe & propter infinitas perfectiones ſuas digniſſimus erat non offendi, ſed à me omnibuſque creaturis omni modo poſſibili coli. Digna erat ejus majeſtas, quæ non contemneretur : digna juſtitia, quæ non irritaretur : digna omnipotentia, qua non abuterer ad peccatum, digna pulchritudo, miſericordia, bonitas, quæ ſemper amaretur. Doleo igitur, quia tanto bono tantum malum feci & ita graviter diſplicui, ac propono cavere poſthac.

1727 §. 5. Motiva, quibus pœnitens adduci poteſt ad dolorem de venialibus, ſunt. 1. Omne veniale eſt malum pejus omni alio hujus mundi malo : hinc nec unico mendacio licitum eſſet omnia mundi mala avertere, nequidem omnes damnatos ab inferno liberare. 2. *Moſes* Deo gratiſſimus ob levem diffidentiæ culpam excluſus eſt à Terra promiſſionis : levis *Bethſamitarum* curioſitas cæde 70. virorum de populo, & 50000. plebis ; levis *Oza* imprudentia morte repentina ; levis vanitas *Davidis* in numerando populo, peſte & morte 70000. eſt punita. Anima, Dei ſponſa, exiſtens in gratia habens unicum veniale, non admitteretur ad conſpectum Dei : imò poſt remiſſum veniale quoad culpam, debet pro illo pœnas ſuſtinere in acerbiſſimo igne purgatorio. 3. Veniale non aufert quidem de ſe gratiam, attamen facit periculum & eſt occaſio amittendi : Unicum veniale impedire poteſt ſeriem gratiarum actualium, quarum una deficiente homo damnabitur, alioqui ſalvandus 4. Veniale tollit reſpectum Majeſtati divinæ debitum : venialiter peccans non vult Deum tollere, attamen vult ei diſplicere : Dœmoni potiùs quàm Deo vult iſta actione placere. 5. Omne veniale eſt magna ingratitudo, inobedientia, injuria contra Deum, cui gloriam ſuffuratur : eſt abuſus divinæ omnipotentiæ : eſt aliqua aberratio ſeu deflexus à fine ultimo. 6 Deus odit veniale, & hoc debet eſſe ſatis homini, qui cogitur Deo æternum frui. Veniale Deo ſummè bono malum eſt. Deo ſummè digno ſemper & omni poſſibili modo amari, coli, honorari, diſplicet, & ideò deteſtandum eſt Deteſtare igitur, dole, propone non committere impoſterum.

1728 Q. 247. *An communiter debeat judicari diſpoſitus, qui confitetur aliquod mortale prima vice commiſſum?* Reſp. Negant Janſeniſtæ & Rigoriſtæ multi cum Obſtraedt in Paſtore bono *p. 4. c. 6 § 1. n. 4.* ideóque inquiunt, abſolutio dari non poterit, niſi fortè accideret caſus miraculoſæ converſionis aut eſſet articulus mortis, quod magis dicunt, ſi mortale ſæpiùs repetitum confiteretur. 1. Quia Chriſtus ad hoc inſtituit Confeſſarios, ut diſponerent peccatores ad pœnitentiam, hoc autem fruſtra feciſſet, ſi illi communiter venirent bene diſpoſiti. 2. Quia neceſſaria pœnitentis diſpoſitio regulariter cognoſci non poteſt, niſi ab effectu, qui eſt probata per experientiam vitæ emendatio. 3. Sic fuit uſus primitivæ Eccleſiæ, in qua nemo abſolvebatur, niſi qui multo tempore Sacerdotum operæ ad abſolutionem eſſet præparatus. Sententia iſta prorſùs rejicienda eſt, quia praxis communis Eccleſiæ contraria eſt, nempe pœnitentem communiter rectè judicari diſpoſitum & poſſe abſolvi, qui prima vice confitetur aliquod mortale, niſi quid ſpeciale obſtet : Et hæc praxis, eſt certiſſima regula operationis, ſecundùm dicta *n.* 1130. *Ad* 1. Rationem in oppoſitum, nego Chriſtum voluiſſe diſponi pœnitentes, quando inveniuntur ſufficienter diſpoſiti. *Ad* 2. Non prærequiritur emendatio, uti conſtat ex dictis *n.* 1231. *Ad* 3. Cauſa differendi abſolutionem in primitiva Eccleſia erat circa pœnitentes, qui fidei myſteria aut etiam modum confitendi non ſatis ſciebant, ideóque priùs inſtruendi erant, quod nunc communiter neceſſarium non eſt.

Q. 248. *An frequens relapſus ſemper ſit ſignum,* 1729 *quòd antea defuerit dolor vel firmum propoſitum : Et quanam univerſim ſint ſigna veri doloris & propoſiti?* R. Frequentem relapſum eſſe ſignum, quòd defuerit dolor aut propoſitum, tenent Janſeniſtæ & Rigoriſtæ plurimi cum Opſtraedt in *Paſt. bono p. 4. c. 6. §. 3.* ſed certum eſt id non eſſe univerſaliter verum.

§. 1. Frequens relapſus eſt quandoque ſignum, 1730 quòd defuerit dolor aut propoſitum, nam rectè dicit Lugo *diſp. 16. n. 60.* Qui efficaciter proponit & ſeriò rem aliquam, quam aliunde moraliter implere poteſt, non ita facilè obliviſcitur ſtatim ſui propoſiti, ſed ſaltem per aliquod tempus perſeverat, & difficiliùs vel rariùs cadit. Quod potiſſimùm verum eſt, ſi nova vehementior tentatio vel occaſio periculoſior non intervenerit.

§. 2. Frequens relapſus non ſemper eſt ſignum, 1731 quòd defuerit dolor vel propoſitum. Probatur, alioquin quoties pœnitens relaberetur, toties obligaretur ad repetendas omnes priores confeſſiones tanquam invalidas, quod eſt contra praxin & communem ſenſum fidelium : imò dum confitemur ſola venialia, habemus dolorem & propoſitum, alioquin non auderemus petere abſolutionem, & tamen moraliter certi ſumus nos in ea frequenter relapſuros. Ratio à priori eſt, quia relapſus eſt tantùm ſignum, quòd voluntas facta ſit inconſtans & jam ſit immutata, quod facillimè ſit, uti experimur, quamvis maximè ſeriò & ſincerè aliquid voluerimus : ergo ex relapſu imprudenter colligitur, quòd voluntas anteà defuerit 2. Poteſt eſſe verus & prædominans amor Dei, quamvis ſtatim poſt ſequatur lapſus, uti patet in angelis & primis Parentibus ; item in S. Petro, qui habuit ſincerum & efficax propoſitum non negandi Chriſtum, erat enim in gratia, quæ non ſtat cum voluntate peccandi, & tamen ſtatim poſtea ad vocem ancillæ negavit. 3. Non eſt major obligatio vitandi peccata antiqua quàm nova, ad omnia enim debet ſe æqualiter extendere propoſitum, imò facilius eſt vitare nova quam antiqua, quia conſuetudo & habitus vitioſi magis impellunt ad antiqua, ſed ex eo, quòd quis afferat nova, nemo prudenter judicat, quòd defuerit dolor vel propoſitum in priori confeſſione, ergo nec ex eo, quòd afferat antiqua.

§. 3. Quamvis multi Patres, ſpeciatim S. Aug & 1732 Gregor. apud Volpilier. *tom. 4. tr. 1. c. p. 2. ar. 3. & 4.* Item S. Bern. *in medita. cap. 4. n. 3* Alb. M. *in Paradiſo animæ c. 39.* videantur dicere, quòd relapſus ſit ſignum, quòd præcedens pœnitentia non fuerit vera, tamen Sayn. *in Heter. tom. 15. p. 1. ſ. 1. pun. 5.* rectè oſtendit hanc non fuiſſe eorum mentem, ſed tantùm voluiſſe eſſe ſignum inconſtantis & mutatæ voluntatis, ideóque hortabantur, ut per conſtantiam finalem in propoſito ſecuram redderemus noſtram pœnitentiam. *Quotidie peccantibus*, inquit S. Aug. *ad Macedon. nunquam per pœnitentiam venia denegatur.* De util. pœnit. c. 2. ait, *Eſt quædam pœnitentia, quæ quotidie agitur in Eccleſia pro peccatis venialibus* : quod autem dicitur de venialibus, valet pariter de mortalibus. pro quibus facilior eſt dolor, & propoſitum. S. Baſilius apud Authorem vitæ mediæ *pag. 297.* ait, *Non ſumus Angeli ſed homines, qui & cadimus, & reſurgimus, atque ſæpe numero eadem hora.* Th de Kempis *De imit. Chriſti l. 1. c. 22. n. 6.* ait, *O quanta fragilitas humana, quæ ſemper prona eſt ad vitia! hodie confiteris peccata tua, & cras iterum perpetras confeſſa: nunc propones cavere, & poſt horam agis, quaſi nihil propoſuiſſes.* S. Greg. *Homil. 30. in Evang.*

In

In quorundam corda venit Deus, & mansionem non facit, quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum, quo compuncti fuerant, obliviscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Idem manifestè significat Rituale Romanum *de Sacram. Pœnit.* dicens; *In peccata facilè recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpè, puta, semel in mense vel certis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, communicent*, ubi supponit, quamvis relabantur, rectè confiteri.

Objic. 1. Scriptura dicit, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, ergo ubi fit relapsus, non fuit dolor efficax. R. Non fuit dolor efficax, inconstanter, n. constanter, c. sed n. requiri efficaciam constantem, sicuti enim gratia verè remittit peccatum, quamvis gratia sæpè non sit constans sed abjiciatur, ita dolor relapsus autem non probat fictam fuisse voluntatem emendandi se, sed tantùm probat esse mutatam.

Objic. 2. Secundùm SS. PP. *vera pœnitentia est, mala præterita plangere & plangenda iterùm non committere*, ergo ubi fit relapsus, non fuit vera pœnitentia. Resp. Ista est vera pœnitentia, necessaria ad Sacramentum, n. necessaria ad perseverantiam finalem, c. ant. ergo ubi fit relapsus, non fuit vera pœnitentia, necessaria ad Sacramentum, n. necessaria ad perseverantiam finalem, c. conseq. Patres enim verbis illis significant pœnitentiam, quia perseveramus usque ad finem, & tandem salvamur, non autem illam, qua justificemur in Sacramento.

Inst. 1. Qui iterùm committit fiendo, ille secundùm SS. PP. est potiùs irrisor quàm pœnitens. Resp. cum S. Th. 3. *p. q.* 84. *art.* 10. *ad* 4. Ille tantùm est irrisor, qui dum pœnitet, committit fienda: *quòd autem aliquis postea peccet.... non excludit, quòd prima pœnitentia vera fuerit, nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem, sicut enim verè currit, qui postea sedet, ita verè pœnituit, qui postea peccat.* Simili prorsus modo loquuntur Magister *l.* 4. *dist.* 14. S. Bonaven. *in* 4. *dist.* 14. *p.* 1. *ad* 4. Biel. *in* 4. *dist.* 14. *q.* 3. aliique passim.

Inst. 2. Qui per duos dies caret febre tertiana, si die tertia in illam relabatur, non debet censeri fuisse liber ab illa, ergo etiamsi aliquis per breve tempus non peccet, si brevi post peccet, non debet censeri fuisse liber à voluntate peccandi. Resp. n. conseq. febris tertiana consistit in dispositione habituali causante in die tertia novum accessum, voluntas peccandi non consistit in ejusmodi dispositione habituali causante peccatum, sed in actuali volitione, quæ est peccatum: unde in hoc est similitudo, quòd sicuti se habet febris causans novum accessum febrilem, ita suo modo se habeat habitus peccandi causans novum peccatum, sed in his est dissimilitudo, imprimis quòd habitus peccandi sive inclinatio ad repetendum peccatum non sit ipsummet peccatum, deinde quòd isti habitui peccandi possit resisti per liberam voluntatem non peccandi: Verbo: licèt per pœnitentiam non tollatur habitus sive inclinatio ad peccatum, tamen per illam tollitur peccatum, quia pœnitentia est dispositio ad gratiam, quæ tollit peccatum.

Objic. 3. *Qui verè absolutus est, accipit gratiam, & cum ea omnes habitus supernaturales, qui non sunt otiosi, sed conferunt firmitatem, promptitudinem & delectationem in opere: quomodo ergo de illis, qui iterùm statim relabuntur, judicabimus habere illos habitus?* Ita Vverl. *in Pseudo pœn. c.* 1. *art.* 3. *n.* 2. R. Malè supponi, quòd habitus supernaturales dent facilè posse, nam tantùm dant simpliciter posse, ut suppono ex Scholastica; hinc cum gratia, & habitibus supernaturalibus manet prior inclinatio naturalis habituum vitiosorum.

§. 4. Ut pœnitens prudenter judicetur habere 1733
sincerum dolorem, & propositum, non est opus, ut credatur non relapsurus, quia propositum, non consistit in hoc, quòd pœnitens non sit ampliùs peccaturus, sed in eo, quòd nunc habeat talem voluntatem non peccandi, ut cum ea, quamdiu permanebit, stare non possit voluntas peccandi, ut iterum dicam *n.* 1822. Hinc Gerson. *tr.* 8. *super Magnificat partit.* 3. meritò reprehendit eos Confessarios, qui pœnitentem interrogent, *Credis tu, quod postmodùm numquam cades in tale peccatum?* respondeat, inquit, *ego fragilis, formido lapsum, non tamen volo nunc nec eligo casum, de futuro misericordiæ Dei me commendo, deprecans, ut me custodiat à peccato. Quod si ceciderit fragilitas mea, deprecor, adjiciat, ut resurgam.*

§. 5. Signa sufficientia sinceri doloris sunt. 1. 1734
Si pœnitens dicat se statim post peccatum, aut in concione, esse tactum dolore, & statuisse confiteri. Item se diu proposuisse confiteri, & post multam luctam tandem resolvisse. 2. Si agnoscat & dicat se esse magnum peccatorem, aut ab initio graviora peccata confiteatur, aut se jam accuset de peccatis antehac voluntariè omissis. 3. Si sponte veniat, & confiteatur gravia, & occulta peccata. 4. Si confiteatur solicitè etiam numerum, & minutas circumstantias conans facere, ut omnia bene intelligantur. 5. Si desideret magnam pœnitentiam, aut illam alacriter suscipiat: si sua sponte proponat vitare occasiones injurias aliis ultrò condonet; desideret, ut complices peccati etiam convertantur, optet pati ad satisfaciendum Deo offenso; gaudeat se à Deo puniri, ut ei satisfaciat; dicat, malle se mori, quàm posthac ita peccare &c. Ratio horum omnium est, quia si debeat judicari, quòd confiteatur ex Dei motione, etiam debet judicari habere dolorem, & propositum: Deus enim non moveret ad confitendum, si non daret prærequisita, atqui talis debet judicari confiteri ex Dei motione, nisi aliud manifestè constet, incredibile enim est, quòd ex motivo naturali vellet se ita confundere, peccata occultissima aperiendo, & se offerendo ad quamvis pœnam pro satisfactione: neque hoc est à natura, quæ ista fugit, ergo est ex Dei motione. *Dixi*, nisi aliud manifestè constet, nam si nihilominus nollet restituere ablata, deserere occasiones proximas, adhibere media necessaria, aliunde constaret deesse dispositionem necessariam.

§. 6. Aliquis putavit signum deficientis doloris 1735
esse, si pœnitens subrideat, dum ad confitendum accedit, sed rectè negat J. Sanch. *in Select. d.* 11. *n.* 8. qui enim est hilaris animi, communiter subridet in quibuscumque actionibus, etiam seriis.

§. 7. Serio proposito obstant quandoque occulti 1736
pravi affectus, quos in anima sua retinent pœnitentes, & se habere experientur, si se coram Deo, & in conscientia interrogent, v. g. an si occurrerent ordinariæ occasiones, non manerent parati hoc vel illud agere aut negligere, admittere injustum lucrum, redire ad consortia, pericula, &c. Ut propositum sit seriù, debet voluntas ab his esse actu aversa, ita ut si nunc adesset occasio repetendi ista, nulla ratione admitterent. Horum desiderium vel in eis complacentiam. Præterea, inquit Corn. à Lapide *in Epist. Jacobi* c. 2. *v.* 13. multi retinent principia politica vitiosa, v. g. injuriam talione vindicandam; duellum, si offeratur, acceptandum, ne honor perdatur; in conviviis cuilibet ad æquales haustus respondendum, &c. hæc nunquam deponunt, ne in confessione quidem: hinc ad explorandam dispositionem animi, & propositum non peccandi de cætero, potest aliquando interrogari v. g. nobilis, qui se accusat de accepto duello pro salvando honore suo, an, si iterum esset in eadem

aut ſimili occaſione, adhuc vellet acceptare: item ſartor vel alius mechanicus, qui confitetur ſe die feſto ſerviliter laboraſſe, ne lucrum amitteret, an, ſi rediret ſimilis occaſio, iterum laboraret, &c.

1737 *Q.* 249. *Quas ſententias ſequi debeat Confeſſarius: Et univerſim, an debeat potiùs eſſe benignus quàm rigidus cum pœnitentibus?* Reſp. §. 1. Confeſſarius tenetur ſequi eas ſententias, quæ ſunt, imprimis pro valore Sacramenti, uti conſtat ex dictis *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 104. Deinde, quæ ſunt pro majori utilitate pœnitentis, agit enim vices Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit eo fine, ut proſit pœnitentibus. Prætereà ſi poſſit, debet ſequi tutiores, nam ſine juſta cauſa velle ſe aut pœnitentem exponere periculo erroris, quantumvis materialis, eſt imprudentia: unde ſi pœnitens oſtendat ſe paratum ad ſequendum id, quod eſt probabilius vel tutius, tenetur Confeſſarius, per ſe loquendo, eum dirigere ſecundùm opiniones probabiliores, & tutiores. Quomodo autem Confeſſarius poſſit aut debeat aliquando ſe accommodare opinioni pœnitentis, dixi *l.* 1. *à n.* 443. poteſtque videri Averſa *hic q.* 16. *ſ.* 12. qui in omnibus conſentit.

1738 §. 2. Non poteſt univerſaliter determinari, utræ opiniones, benignæ an rigidæ, hìc & nunc fructuoſiùs teneantur, ſed attendendum eſt ad circumſtantias, prudentia enim dictat, ut utar probabili, & minùs rigida, ubi non videtur profutura rigidior. E contrà ut utar rigida, ubi ſine incommodo fieri poteſt, ſecundùm jam dicta. Et præſcindendo ab opinione rigidiore vel benigniore, ſi pœnitens velit dirigi ſecundùm opinionem ſuam probabilem, & Confeſſarius ſit in oppoſita quamvis probabiliore, Confeſſarius tenetur eum poſt audita peccata abſolvere, ut oſtendi *l.* 1. *à n.* 443. pro qua ſententia Vindex Gob. *ad prop.* nominatim & adductis locis refert 65. graves Authores, cum enim ſit diſpoſitus, poſita confeſſione habet jus ad abſolutionem, ergo.

1739 §. 3. Rigidiores ſententiæ non ideò ſemper ſunt veriores, nam plurimæ rigidæ damnatæ ſunt inter Bajanas, & inter alias proſcriptas ab Alex. VIII. damnatæ autem ab Alex. VII. & Inn. XI. non debent dici benignæ ſed laxæ, ſecundùm dicta à *n.* 1708.

1740 §. 4. Quamvis, per ſe loquendo, tutius & melius ſit operari hoc, quod volunt rigidæ ſententiæ, attamen periculoſius eſt aſſerere obligationem operandi ſecundùm rigidas, aut ſemper velle tanquam ex obligatione ſecundùm has operari, uti dixi *lib.* 1, *n.* 475. & pluribus evincit Vindex Gob. *p.* 1. *obſerv.* 4. *à n.* 10. ſic ſententia benigna dicit licere moderatè vinum bibere extra menſam in die jejunii, rigida dicit non licere, patet autem paſſim plura peccata oriri, ſi opinio rigida teneatur, quàm ſi benigna: nam per benignam homines aliqui reddentur minùs boni ſed nullus malus. E contrà per rigidam aliqui reddentur meliores ſed plurimi mali, quia ſpectata fragilitate humana, crebris occaſionibus, proclivitate ad bibendum, plurimi bibent & legem exiſtimatam tranſgredientur. Unde qui univerſaliter urgere volet ubique ſententias rigidas, ille ſe & alios exponet periculis proximis innumerorum peccatorum, tenendum enim erit eſſe obligationem ſtatim pœnitendi poſt peccatum: repetendas de Horis canonicas, ſi cum diſtinctione lectæ ſint: peccari mortaliter, ſi in mortali recitentur Horæ: Similiter ſi die feſto in mortali aſſiſtatur Miſſæ: confitendas eſſe omnes circumſtantias aggravantes: peccatorem quantumcunque contritum teneri ante miniſtrationem cujuſvis Sacramenti confiteri, dolorem ſufficientem pro confeſſione debere eſſe non tantùm prædominantem ſed etiam diuturnum & intenſiſſimum: tot dolores eliciendos, quot confiteris peccata: omnia opera facienda eſſe ex motivo charitatis erga Deum ſuper omnia dilectum: conjuges debere abſtinere ab uſu Matrimonii diebus proceſſionis, jejuniorum, Dominicis, Sabbatis, tribus noctibus ante Communionem &c. Et hoc eſt *imponere jugum ſuper cervices hominum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus, Act.* 15. ſuntque tales ſimiles exploratoribus *numer.* 13 qui exaggerantes difficultatem vincendi gigantæum populum Palæſtinæ, terruerunt Iſraëlitas & propè conjeciſſent in deſperationem. Manifeſtum etiam eſt per talia religionem noſtram reddi intolerabilem, & Sacramenta odioſiſſima: Hinc *Gerſon. de vita ſpirit. p* 3. *lect.* 4. *coroll.* 10. ait. *Fit, ut per tales aſſertiones publicas nimis duras, generales & ſtrictas, præſertim in non certiſſimis, nequaquam eruantur homines à luto peccatorum, ſed in illud profundiùs, quia deſperatiùs, immergantur.* Et quod peſſimum eſt, rigoriſmus ille ſemper creſcit, uti rectè expendit Francol. *in Cler. Rom. p.* 2 *d.* 10. *n.* 25 ſicque fit, ut Sacramenta paulatim reddantur moraliter impoſſibilia: unde poſſumus ſic argumentari: Chriſtus inſtituit Sacramenta ea intentione, ut à fidelibus pro omni tempore ſuſciperentur, ergo noluit illa, quæ juſtè deterrent ab illis hoc tempore ſuſcipiendis, atqui praxis Rigoriſtarum juſtè deterreret ab illis hoc tempore ſuſcipiendis, uti ex dictis patet, ergo.

§. 5. In praxi debet Confeſſarius potiùs eſſe benignus quàm rigidus cum pœnitentibus, nam 1. Apoſt. ad Galatas 6. monet, *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* 2. Oſtendi *n.* 1256. ex mente *S. Chryſ. S. Thom. Gerſon. Trist.* & aliorum, facilius eſſe Deo rationem reddere de benignitate quàm de rigore. 3. Sapientiſſimi viri, quos refert Francol. *de diſcipl. pœn. toto l.* 3. inter quos ſunt SS. Anton. de Padua, Raym. *de Pennaf. Th. Scot. Nic. Tolentinas, Capyſtranus, &c.* fuerunt benigniſſimi. B. Humbertus Dominicanorum Generalis, quem Bzovius ad annum 1474. à ſanctitate & prudentia plurimùm commendat, in gloſſa prologi conſtit. ſui Ordinis litt. l. dicit, quòd fructus animarum impediri ſoleat per nimiam auſteritatem in conſiliis & opinionibus, *terrentur enim ex hoc homines in tantum, ut ſalutem negligant: idcircò relaxanda eſt, quantum fieri poteſt, auſteritas, & agendum eſt benignè cum hominibus, quia ſic melius trahuntur ad ſalutem, cùm ſententiæ mitiores tenentur.* Hæc referunt & approbant ex eodem Ordine Nider *in Conſol. timoratæ conſc. cap.* 11 & Mercorus *p.* 3. *art.* 9. Similiter S. Greg. Naz. *orat.* 26. circa finem hortatur Sacerdotem, ut cum pœnitente leniter & humanè agat, *neque ut durus & rigidus Medicus.* Similiter S. Petrus Damiani *ſerm.* 58. *Confeſſarius habeat in voluntate compati, & nitatur aliquid detrahere ſeveritati, imitans dulcedinem Domini.* S. Odilo Abbas fuit in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando ſummè manſuetus, & ſe ideò reprehendentibus dicebat, *Etiamſi damnandus ſim, malo tamen de divina miſericordia, quam ex duritia & crudelitate damnari*: Ribaden. *in Flore SS. p.* 2. *die* 1. *Januarii*, Petrus Bleſenſis *lib. de Pœn. & ſatisf. ſub finem*, ait, *Chriſtus peccatorem blandè ſuſcipit, tu peccator qua præſumptione eum deſpicis & repellis? vis ſub certis finibus limitare miſericordiam Dei, cujus miſericordiæ non eſt finis: paterfamilias largus eſt, & avarus eſt diſpenſator. Quid ſcis, ſi jam lachrymis & contritione mundatus eſt & liberatus eſt fortè ipſo propoſito confitendi.* 4. Leges tam Canonicæ quàm Civiles volunt in dubiis benigniora eſſe ſequenda, uti retuli *lib.* 1. *num.* 596. & 86. quia nempe id convenit bono communi ad impedienda peccata, *l.* 18. *ff. de legibus, Benigniùs leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſervetur.* Idem paſſim conſulunt SS. PP. & Doctores, S. Antonin. 1. *p. ſummæ tit.* 13. *c.* 20. *de conſc. Rig.* 7. *Inter duram & benignam circa*

1741

præcepta

præcepta sententiam, benigna est potiùs cæteris paribus interpretatio facienda, S. Bern. Senens. *tom. 1. ser. 2. post Dominic. Quinquag. serm. 3. art. 2. c. 1. in fine, Secundùm Scotum & Hostiensem, quando sunt diversa jura & opiniones, quæ tamen non sunt contra Deum & bonos mores, cæteris paribus humanior præferenda est.* Scriptura ipsa Ezech. 34. v. 4. improperat istis severis Pastoribus populi, *Cum austeritate imperabatis eis.* Ratio autem est, quia severitas confidentiam impedit, & facit, ut pœnitens multa reticeat, potiùs volens conscientiam vulneratam retinere, quàm Confessarii acerbitatem sustinere. Speciatim benignè agendum esse cum omni peccatore eique disposito statim dandam esse absolutionem, dicunt Nav. Med. Lop. Tol. Polanc. Sayr. Graff. Suar. Rodriq. Con. Regin. Laym. Bonac. Lug. Candid. Joan. à S. Thom. Avers. Mald. Merc. Sylv. Ysamb. Abell. quorum locos & verba refert Franco. *de Discip. pœn. l. 3. c. 7.* Intellige ordinariè propter dicenda à *n.* 1764.

Objic. 1. Deus non recepit *Adamum & Evam* in gratiam, nisi post fletus & labores plurium sæculorum: Nec *Achabum* 3. Reg. 21. 27. nisi postquam *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco*: Nec *Ninivitas* Jonæ 3. 6. nisi postquam etiam Rex *indutus est sacco & sedit in cinere.* Hoc innuit *Apostolus* ad Hebr. 6. *Impossibile*, id est, valdè difficile esse eos *renovari ad pœnitentiam*, qui post Baptismum lapsi sunt; Hinc *Trid. sess. 14. c. 2.* ait: *Per Sacramentum Pœnitentiæ fine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.* Similiter loquuntur SS. PP. Resp. 1. Si argumentum valet, ergo qui post Baptismum incidit in primum peccatum cogitationis, non potest statim absolvi: Item non erit satis, sincerè dolere, confiteri & per Indulgentias satisfacere pro pœnis, quod est contra commune judicium Ecclesiæ, & illud Ezech. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Aliter quoque factum est in *Davide*, *Petro*, filio prodigo & aliis innumeris. Resp. 2. *Adam*, testibus *Aug. Iren. Tert.* apud Suar. *de Opere 6. dierum l. 4. c. 9. n. 8.* statim aut paulò post justificatus est: Similiter *Achabo & Ninivitis* statim condonata est culpa. *Apostolus* secundùm S. Chrys. S. Ambr. S. Th. *3. p. q. 84. a. 17. ad 1.* tantùm dicit peccatorem non posse renovari per iterationem Baptismi. Trid. & SS. PP. tantùm dicunt sine istis non posse perveniri ad plenam condonationem culpæ & pœnæ. Et speciatim Patres communiter pro concione dabant admonitiones ad perpetuam pœnitentiam, non volentes esse de necessitate Sacramenti, sed de utilitate fidelium.

Instabis 1. SS. Th. De Villa nova, Carolus Borr. Salesius, Xaverius tenuerunt rigorem in Sacramento Pœnitentiæ. Resp. Tenuerunt, ubi circumstantiæ suadebant: de cætero discretam eorum benignitatem legere potes apud Franco. *d. 8. in Cler. Rom.*

Inst. 2. Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio, leniens demulcensque assentatio? Inquit S. Th. de Villa nova *ser. 6. post Domin. 4. Quadr.* R. Ibidem explicat, de quibus loquatur: *Hæc*, inquit, *contra quosdam Confessarios nostri temporis piè impios & impiè pios dicta sint, qui ne confitentem aliquantisper contristent, illum in sua nequitia manere permittunt: At quantò melius esset ad modicum contristare, quàm æternum damnare?* Loquitur ergo de illis, qui ex respectu humano tacent & quærunt placere pœnitentibus, non arguentes quando & quomodo deberent.

1742 *Obj. 2.* Benignitas illa non est secundùm antiquos canones. R. Canones antiqui, saltem aliqui, non erant præcepta, sed directiones: nec erant omnes pro tota Ecclesia, nec pro semper, uti constat ex dictis à *n.* 1254. *Sicuti medicinæ in arte determinatæ, non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundùm arbitrium Medici, non propriam voluntatem sequentis sed scientiam medicinæ, ita pœnæ satisfactoriæ in Canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundùm arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum*, S. Th. *in suppl. q. 18. ar. 4.* Et Hugo de S. Victore *l. 2. de Sacram. p. 2. c. 12. Etiamsi aliis temporibus aliquando non ita fuisse, & nunc aliter esse, quàm fuit, demonstretur, non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua facta sit, ut nunc aliter teneatur & aliter institutum sit, quàm fuit, sed quòd tunc oportebat & ita salubre fuit, ut sic teneretur & sic juberetur, nunc autem alia esse tempora, & aliud esse congruum sive necessarium saluti humanæ.* Videri potest etiam Francol. *p. 2. d. 7. in Cler. Rom.*

Inst. Saltem consuli deberent Concilia, SS. PP. & Antiquitas, nec esset procedendum ex opinationibus recentium Theologorum. Resp. Hoc solutum esse *l. 1. à n. 461*: ubi ostendi non posse ex Conciliis & PP. resolvi omnes casus, uti doctè ostendit etiam Abelly in defensione recentium Casuistarum, cujus compendium tradit Francol. *de Discipl. pœn. l. 3. c. 7. § 25.* nam SS. PP. ordinariè tantùm in genere loquuntur, v. g. in genere reprehendunt choreas; è contrà sæpè opus est, cum Recentioribus considerare objecta secundùm naturam suam, item secundùm varias circumstantias, quibus hìc & nunc subsunt, nam nemo dicet, nunquam licitum esse saltare, ergo utiliter & necessariò consulendi sunt recentes Theologi bene distinguentes ista. Contra illos, qui ad sola antiqua attendunt, rectè dicit Ludov. Granat. *l. 2. Ducis pecc. p. 2. In æstimandis rebus non semper ad antiquitatem est respiciendum, multa namque. . . . quæ optima, non ita pridem inventa sunt.* Hinc non omne, quod antiquum est, ea sola ratione est optimum.

Objic. 3. Qui sequitur benignas opiniones, non 1743 sequitur tutiores, ergo exponit Sacramentum periculo nullitatis. Resp. n. conseq. quando enim Confessarius prudenter judicat pœnitentem esse ritè dispositum, certum est posse absolvi, & sic absolvunt viri sanctissimi & prudentissimi; estque illa praxis Ecclesiæ, quæ facit certitudinem moralem.

Objic. 4. Illa praxis benigna facit, ut pœnitentes hìc non satisfacientes pro pœnis peccatorum, longè diutiùs ardeant in Purgatorio. R. n. ass. nam apud benignos sæpiùs suscipiuntur Sacramenta, & cum illis sæpiùs obtinentur Indulgentiæ, hæc autem sunt media meliora & certiora satisfaciendi pro pœnis.

Inst. 1. Saltem ista praxis benignior facit, ut opera pœnitentiæ, quibus hìc majus meritum & major in cœlo gloria responderet, multùm negligantur. R. Merita ista compensantur per majores gratias ex opere operato causatas per frequentiora Sacramenta; gratiis autem illis majoribus respondebit *major* gloria. Adde, quòd plures jam ad pœnitentiam adducantur & salventur, qui rigore olim deterriti manebant impœnitentes aut desperabant, uti testantur Concilia apud Francol. *in Cler. Rom. p. 2. d. 11. n. 5.*

Inst. 2. Utile erat rigorem fuisse, probavit experientia, nam tum minùs dominabantur scelera in Clero & populo. Resp. Oppositum evidenter ostendit Francol. *à n. 8.* quamvis enim rigor fori externi, quo etiam inviti adstringimur, sæpè prosit, non ita rigor fori interni, quod fideles subterfugere possunt, & ad quod soli voluntarii accedunt. Ex dictis,

Colliges Rigorem hic esse temperandum, ut non 1744 degeneret in *laxitatem*, uti etiam notavi *l. 1. n. 510.* Rectè *S. Bonav. To. 7. l. 2. comp. Theol. verit. c. 52. Cavenda est conscientia nimis larga & nimis stricta,*

nam

nam prima generat præsumptionem; secunda dispensationem; item prima dicit sæpè malum bonum, secunda è contrà bonum malum: item prima sæpè salvat damnandum, secunda è contra damnat salvandum.

1745 *Q.* 250. *Quid notandum sit circa obligationem & modum interrogandi pœnitentem?* R. seqq. §. 1. Confessarius tenetur aliquando interrogare pœnitentem, Mag. S. Th. Nav. Suar. Aversa *q.* 16. *s.* 11. Tann. *d.* 6. *q.* 7. *n.* 95. Stoz *l.* 2. *n.* 101. & alii communissimè contra Med. Sot. Henriq Vasq. Sà, putant non teneri interrogare eum, qui se examinavit, nisi quando cederet in detrimentum tertii; quod etiam Lohn. putat probabile; sed puto esse improbabile, & Castrop. *pun.* 19. §. 2. *n.* 3. meritò dicit oppositum sibi esse certum, nam Cap. *Omnis* 12. *de pœn. & remiss.* dicitur, *Sacerdos sit discretus &c. diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati.* Idem probat ex variis Conc. Tann. *n.* 96. Ratio autem est clara, quia Confessarius. 1. Est Judex, ergo debet cognoscere causam sive peccata omnia, quæ pœnitens tenetur ejus sententiæ subjicere: sæpè autem, si non interroget & adjuvet, non cognoscet omnia, quia pœnitens nescit explicare species nec addere numerum, ergo. 2. Est Doctor, ergo tenetur, etiam hìc pœnitentem instruere, ut prout obligatur, peccata enarret. 3. Est Minister Sacramenti & vices agens Christi, ergo debet procurare, quantùm moraliter potest, imprimis ut ponatur integritas materialis Sacramenti, quam Christus requisivit. Deinde ut satisfiat juri, quod habet Deus offensus, ut si remittere debeat omnia peccata, etiam omnia, prout præcipit, exponantur. Hinc Gerson. *tr.* 18. *super Magnificat partit.* 2. postquam reprehendit eos, qui nimium interrogant, etiam eos carpit, qui nihil, sed dicunt, *Nihil interrogabo, scit peccata sua, dicat illa, si vult. Sic dimittit insçios, sic verecundos latere facit in peccatis suis, non utens clave scientiæ, quæ data est ad aperiendum, cum discretione tamen, secretas animæ plagas.* Concludit Rayn. *in Heter. tom.* 16. *f.* 1. *p.* 9. *n.* 1. & 2. non debere Confessarium adeò emungere pœnitentem, ut eliciat sanguinem, attamen teneri interrogando juvare, ut integram faciat confessionem.

1746 §. 2. Quisquis sit, qui deficit in confitendo integrè, est interrogandus, nec ibi habendus respectus personarum, quia Christus, inquit Gob. *t.* 7. *n.* 556. non condidit pro Principum vel Magnatum confessionibus peculiarem Theologiam, sed voluit eos eadem lege teneri. Gerson *p.* 2. *n.* 32. *in Opusc. de arte audiendi confess. conf.* 20. ait, *Sentiat alius, quod voluerit, ego coram Deo testor, me plures talibus remediis induxisse ad confessionem, qui fatebantur nunquam, etiam in articulo mortis fuisse: alia dicturos cuicumque: laudabant tamen Deum totis visceribus gratias agentes, quòd ita se aperuerunt.*

1747 §. 3. Non teneris interrogare, si scias pœnitentem scire, quid requiratur ad validam confessionem, Burgh. *cent.* 2. *cas.* 17. & alii. Consequenter Religiosi, Clerici aliique præcipuè in Theologia versati non sunt facilè interrogandi, nisi manifestum sit omitti vel non satis discerni aliquid necessarium: & si fortè vir ejusmodi doctus, qui in aliis peccatis addit circumstantias & numerum, in uno aliquo ea omittat, communiter præsumi potest, quòd vel committens ad talem circumstantiam non adverterit, vel non sciat numerum, vel saltem non apprehenderit ut mortale. Aliud est, si omnia promiscuè sine circumstantia, & numero diceret, aut si aliunde esset vehemens præsumptio, quòd ex inadvertentia omitteret aliquid necessarium, tum non esset interrogandus, Lohner. Et quamvis non judicetur esse absolutè opus, tamen sæpè utile est interrogari, imprimis eos, qui necdum sciunt integrè confiteri, ut discant, si fortè alia vice talem malitiam contrahant: Deinde illos, qui suo tempore confessiones aduturi sunt, ut discant alios confessuros aptè interrogare.

§. 4. Docent Suar. Vasq. Burgh. suprà Illsf. *n.* 1748
125. Confessarium non teneri interrogare, quando advertit pœnitentem, qui noverat se examinare, adhibuisse ad hoc moralem diligentiam. Addunt Lugo *d.* 16. *à n.* 589. Tamb. *de Meth. conf. l.* 3. *c.* 9. *n.* 10. Illsf. *n.* 120. Confessarium non teneri exactiùs interrogare, quàm pœnitens teneatur se examinare, id est, nonnisi more humano, ne odiosum reddatur Sacramentum: præceptum enim Confessionis materialiter integræ non obligat, ubi integritas haberi non potest sine gravi molestia, & in casu, quo confessio redderetur odiosa; hinc dicunt Lug. Gog. Lohn. non valere illam consequentiam, si hoc vel illud interrogarem, distinctiùs intelligerem hoc peccatum, ergo teneor interrogare, uti etiam non valet secundùm Illsf. si hìc homo adhuc una hora se examinaret, cognosceret plura peccata, ergo ad hoc tenetur: multæ enim causæ excusant ab exactiori cura: sed cavendum, ne potiùs absterreat respectus humanus quàm prudens timor reddendi Sacramentum odiosum.

§. 5. Cautè procedendum in peccatis carnalibus, 1749
ut non instruat pœnitentem ad peccandum, inquit S. Th. *Opusc. 65. De cautela in Confess.* Item *ne Confessarius ipse, maximè si adhuc juvenis sit, scandalum patiat, vel de seipso suspicionem faciat*, inquit Gob. ubi autem opus, utatur verbis honestis. Si pœnitens neget cogitationes, plerumque opus non est interrogare de operibus, nisi apud rudes, qui putant cogitationes non esse peccata. Si fateantur cogitationes, interrogari possunt de desideriis, & an non saltem voluisset peccare, si potuissent vel fuissent ausi. Tum de colloquiis turpibus, aspectibus, tactibus, quòd si fateantur, quærendum, an non fortè aliquid adhuc pejus fecerint: si enim sic non interrogentur, sæpè tacebunt, credentes satis esse, quòd in genere aliquid dixerint, vel dederint occasionem interrogandi. Quoad confessi, nes juvencularum mulierú monet S. Thom. suprà, ut Sacerdos non immoretur *inquirendo motus membrorum, & usus, quia ubi talis esca jacet, antiqui hostis stimuli non desunt ad tentandum.* Regulariter puellam confitentem lapsum non interroget de circumstantia virginitatis, quia probabile est non mutare speciem: nec confitentem incestum interroget, in quo gradu fuerit, nam rarò est in primo, & probabile est alios non differre specie: nec facilè interroget conjuges de debito conjugali sed si prudenter suspicetur, quòd illud deneget, quærat, an inter se sint unanimes, si maritus est, an fidem servet uxori; si uxor, an marito præstet obedientiam, & si rei sint, sic facilè erumpet. *Præstat*, inquit *Con. aliquando Sacerdotem minus perfectè peccatum intelligere, quàm sibi vel illi aliquod scandalum causare.* Et *Angel.* ait, *Confitetur mulier se cognitam extra vas debitum, non quære, in quo ergo loco vel quomodo, tales enim sunt potiùs contaminatores, quàm Confessarii, qui talia quærunt*: excipe, nisi præsumi posset sodomia: v. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 99.

§. 6. Discretè interrogandum, non quidquid 1750
possibile, sed quod probabile est pœnitentem fecisse. Hinc interrogandum convenienter ad cujusque statum, sexum, ætatem, naturam, negotiationem, &c. ideóque minùs interrogandus æger, quam sanus, ne nimium fatigetur: magis rusticus quàm civis, quia rudiores minùs sciunt confiteri: magis, qui à longo, quàm qui à parvo tempore est confessus; aut qui plura, quàm qui pauciora solet afferre, quia hic faciliùs recordatur. Ordinariè interrogari

potest

potest pœnitens rudior. 1. Quando ultimò sit confessus. 2. An nihil omiserit in prioribus confessionibus. 3. An pœnitentiam expleverit. 4. An vivat in odio, occasione peccandi, retentione alienorum. Et universim reflectere debet Confessarius in quovis fermè peccato peccari posse octo modis, qui speciem diversam habent. 1. Cogitatione morosa, se delectando in illo. 2. Desiderio illud committendi, saltem si potuisset vel ausus fuisset. 3. Actu ipso, committendo. 4. Verbis, vel aliis signis dando occasionem scandali circa tale peccatum. 5. Positivè inducendo alium ad peccatum. 6. Cooperando. 7. Non impediendo, cùm posses. 8. Approbando seu laudando factum ab alio.

1751 §. 7. Confessarius potest, per se loquendo præsumere, quòd pœnitens apprehenderit objectum, sicuti secundùm se malum est, proinde opus non erit interrogare, qua mente, vel cum qua conscientia fecerit, Laym. Gob. *t.* 7. *n.* 337. Sæpè tamen ex circumstantiis personæ potest aliud præsumi, uti si homo aliàs innocens dicat se habuisse delectationem in venerea cogitatione, est interrogandus, an voluntariè, an malitiam advertens: è contrà si assuetus venereis diceret se quæsivisse delectationem sensibilem, interrogandus esset, an non advertisset saltem periculum consensus in venereum. Et in ejusmodi casibus rectè negat Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 14. *n.* 15. sufficere, si Confessarius nitatur solis præsumptionibus, præsertim ex verbis, quando potest facilè interrogando habere certitudinem. An confessarius, si v. g. Sacerdos confiteatur se peccasse contra castitatem, debeat interrogare, fueritne memor sui status, vel voti, dictum est in *l.* 5. *n.* 85.

1752 §. 8. Episcopi Belgii Bruxellis congregati, in Decreto ad suos 23. Apr. 1697. Sapienter monent *Complicum nomina Confessarius non inquirat nequidem: sub prætextu, quòd velit aut possit eis prodesse, non obesse: multò minùs confessione pœnitentis abutatur ad instituendam complicis denunciationem vel accusationem, neque hoc committat, ut ad complicis Superiores scribantur litteræ avonymæ, multò minùs à se subscriptæ: nec denique faciat quicquam, unde vel pœnitens vel complex aliquod gravamen accipiat, cùm ipsum peccatum, & nomen complicis, si per inadvertentiam pœnitens expresserit, cadat sub sigillo unà cum peccato pœnitentis.* Posse tamen pœnitentem nominare complicem, si nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integrè confiteri, docent S. Th. *opusc.* 12. *q.* 6. S. Bon. S. Anton Suar. Vasq. Lugo *d.* 16. *s.* 7. aliique 20. gravissimi authores apud J. Sanch. *d.* 8. *n.* 9. E contrà oppositum tenent Arm. Nav. Med. Bann. Diana, & alii, quia conservatio famæ, ad quam complex jus habet, videtur excusare: quidquid sit de hoc, rectè docent Sot. Leand. Bann. Dian. Lug. Aversa *q.* 18. *s.* 7. & alii cum Mendo *d.* 10. *q.* 6. si gravia damna timeantur à complice, & pœnitens non possit ea impedire, sed solus Confessarius, teneri Confessario manifestare complicem, (quod secundùm dicta *n.* 1144. expedit fieri extra confessionem) quia cùm teneatur ea impedire, & aliud medium desit, ad hoc tenetur. Quòd si pœnitens spondeat impedire per seipsum, & Confessarius prudentem habeat causam dubitandi, an id facturus sit, non potest cogere, ut manifestet complicem, attamen differre potest absolutionem, donec renunciet se fecisse, ut idem AA. docent. Vide dicenda à *n.* 1958.

1753 §. 9. Si Confessarius sciat pœnitentem commisisse peccatum, quod tamen jam reticet, imò etiam negat, ordinariè absolvi non potest, nisi prudenter præsumi possit esse alteri confessus aut non apprehendisse esse mortale, J. Sanch. *d.* 8. Dan. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 105. Illf. *n.* 127.

1754 §. 10. Si incidat dubium, an prior Confessarius satis examinarit pœnitentem, præsume fecisse, nisi clarè deprehendas oppositum, quia est possessio pro priore Confessario, quòd officium suum bene fecerit, nec delicta præsumuntur, Gob. *n.* 321.

Quomodo specialiter examinari possint homines variæ ætatis, & status, dicetur ad dub. seq. Quomodo autem practicè juvari possit pœnitens, ut integrè confiteatur quoad numerum, dixi à *n.* 921. Catalogi peccatorum per ordinem Præceptorum Dei, & Ecclesiæ videri possunt apud *Polancum in Append. ad Direct. & Veron. in Man. Sodalitatis.* Et hìc post *num.* 1883.

1755 *Q.* 251. *An Confessarius aliquando teneatur docere, vel de rebus aliquibus admonere pœnitentem?* Resp. Teneri, uti patet ex officio Doctoris: hinc §. 1. Si pœnitens culpabiliter aliquid ignoret, id est, quod teneatur, & possit scire, Confessarius debet eum docere, sive sit ignorantia juris sive facti, sive juris divini sive humani, quia tum est indispositus ob culpam istius ignorantiæ, Aversa *q.* 16. *s.* 12. Arr *d.* 43. *n.* 14. Inde autem colligitur, quòd ignorantia sit culpabilis, si ponens actionem in tali materia habeat remorsum conscientiæ, nec peccet vel se periculo peccandi exponat, & tamen negligat inquirere, aut se certificare.

1756 §. 2. Homines bene educati, & frequenter confitentes, prudenter supponuntur scire ea, quæ ad salutem sunt necessaria necessitate medii: ubi tamen esset prudens ratio dubitandi, teneretur Confessarius ante omnia docere illa, quæ ad fidem, & spem pertinent, quia sine illis dolor non est supernaturalis, secundùm dicta *l.* 2. *à n.* 14. ubi à *n.* 30. dixi, quomodo quis practicè induci possit ad credendum: & à *n.* 118. quomodo ad sperandum: & à *n.* 146. quomodo ad Deum super omnia amandum.

1757 §. 3. Confessarius non tenetur, per se loquendo, potiùs quàm quivis alius specialiter docere pœnitentem necessaria necessitate præcepti, suppositis enim illis, quæ ad valorem absolutionis prærequiruntur, videtur agere partes Doctoris, tantùm in illis, quæ ad peccata, & ad obligationes inde secutas pertinent, Lohner. Nec tenetur pœnitentem adjuvare in aliis obligationibus implendis, aliàs teneretur cum illo ad restitutionem, aut satisfactionem concurrere. Et ita etiam non tenetur Confessarius ipse accedere ad Superiorem ob casum reservatum pœnitentis, aut loco ipsius aliquem denunciare: si enim non possit pœnitens ipse excusatur: si possit, hæc obligatio est personalis, Tamb. *de conf. l.* 3. *cap.* 9. *n.* 13. Notat tamen Suar. Confessarium quandoque ad talia teneri ex charitate, si pœnitens ipse possit quidem absolutè, attamen magnam difficultatem habeat, & Confessarius possit facilè, ac magis utiliter.

1758 §. 4. Si advertat pœnitentem putare aliquid, quod aliquando facit, esse peccatum, quod tamen peccatum non est; vel esse mortale, quod est veniale tantùm, debet dedocere errorem, ne ob conscientiam erroneam pergat sic peccare. Si pœnitens putet aliquid non esse peccatum, quod peccatum est, per se loquendo, tenetur Confessarius monere: speciatim monendus est laborans ignorantia turpitudinis, quæ in mollitie reperitur, si eam committat: nam vix est ignorantia invincibilis; & quamvis esset, tamen prudenter judicari potest admonitionem profuturam, ubi è contrà ignari hujus malitiæ facilè alios seducunt; aut pessimum habitum induunt, quem posteà difficillimè emendant. Etiam monendus est, qui sæpè jurat per Sacramenta, vel per res sacras, quia plerique talia habent pro blasphemia, & gravi inhonoratione Dei, ac rerum sacratum. Dixi, per se loquendo, nam licet Thyrsus Gonz. *De opin. prob. diff.* 14. *c.* ult. &

Eliz. fusissimè *l.6.c.20.* dicant semper esse admonendum, eò quòd non videatur dispositus ad absolutionem, nisi sit paratus implere omnem Dei legem, attamen Suar. Vasq. Laym. Sanch. Con. Castr. *tr. 23. p.18. n.7.* Aversa *q.16. s.12.* Dian. *p.3. t.4. R.80.* Gorm. *p.2. n.363.* aliique 48. gravissimi Authores, quos citatis locis refert Vindex Tabernæ *ad prop. 13. p. 39. & 80.* dicunt per accidens non fore obligationem admonendi, si ex admonitione timeatur gravius malum, uti si prævideatur ex infirmitate formaliter peccaturus, cùm nunc per invincibilem ignorantiam materialiter tantùm peccet, nam minus malum est millies peccari materialiter, quàm semel formaliter, inquit Arr. *n.* 24. Estque hæc sententia S. Aug. uti refertur Cap. *Si quis autem*, De pœnit. dist. 7. *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem, te non terrerem*, atqui proderit, si non admoneatur, quia ideò non peccabit formaliter: unde cum pœnitens pro nunc sit ritè dispositus, ac paratus implere omnem Dei legem, quam cognoscit, necessitas nulla est, ut ei lex ista explicetur, quam prævidetur mutata voluntate transgressurus, hoc enim esset ponere illi scandalum.

Objc. 1. Pastores tenentur de talibus monere communitatem, quamvis prævideant aliquos ideò formaliter peccaturos, ergo & Confessarius. 2. Dissimulatio Confessarii est tacita approbatio, quia pœnitentes persuadent sibi hoc esse rectum, quod à Confessario non reprehenditur. Resp. ad 1. n. conseq. Pastor respicit communitatem, quam Deus absolutè vult instrui, & cognoscere legem, maximè cùm major pars communitatis speretur obtemperatura, & reliqui habituri sint exemplum ante oculos, quo confundantur, & corrigantur. E contrà Confessarius respicit tantùm privatum hominem, cui tum magis obesset, & nulli prodesset admonitio. Imò notat Rayn. *in Heter. tom.16 s.1. p.9. n.* 12. etiam Doctorem publicum, vel concionatorem, qui tenetur generatim carpere vitia, posse aliquando ob scandalum pusillorum publicam admonitionem differre in aliud tempus, quo futura est opportunior. *Ad* 2. neg. id semper esse, sed loquor de circumstantia, in qua taciturnitas Confessarii nullo modo censetur esse approbatio mali, sed mera physica permissio, qualem etiam Deus habet.

1759 §. 5. Quamvis *Busemb.* & alii, quos secutus sum *l.3. p.2. n.* 1351. absolutè dicant Confessarium quà Doctorem teneri dicere veritatem pœnitenti, si interroget, attamen limitant Tann. Dicast. Stoz. *l.2. n.* 131. nisi veritas ejusque cognitio esset illi, aut alteri gravius obfutura, secundùm jam dicta: putant enim tum posse Confessarium dissimulare, atque si non audivisset, aut oblitus esset respondere, vel etiam dicere, non esse opus illum jam scire hoc; & in te videntur consentire *Aversa* suprà *Sanch.* & *Lugo* apud Arr. *n.* 21. in talibus enim circumstantiis dicere veritatem, esset gladium illi in manum porrigere, quo se vel alium sauciaret, saltem gravius, quàm facturus sit, si ignoret. In dubio autem, an profutura an obfutura sit admonitio, comparanda est utilitas dubia cum damno dubio, & quod præponderat, est eligendum, Arr. *n.* 24. Tamb. *c.5. n.9.* aliique communiter.

1760 §. 6. Etiam debet Confessarius suggerere media pœnitenti, per quæ hoc vel illud peccatum emendet: speciatim monendus est, ut primò pugnet contra illud, quod est maximè scandalosum, periculosum, aut radix aliorum. Remedia pro quibusvis peccatis practicè suggerunt Arr. *tom. 3. q. 5. c.1.* Stoz. *lib.1. p.4. à n.13. & l.2. à n.135.* ubi optimè instruit, quomodo Confessarius excitare possit pœnitentem, partim per exempla, partim per breves sententias. Videri etiam possunt Polanc. *in Appen. ad Direct.* & Busæus *in Panario*, ubi suggerunt remedia contra peccata Capitalia: item Costerus *in Libello Sodalitatis*: Fornerius *in Directorio sub finem*, Regin. *De prudent. Confess. c.* 19. Petr. Soto *in Methodo confessionis.* Aliqua colligam post *n.* 1825. Francol. *de discipl. pœn. l.3. c.* 10. *n.* 12. meritò conqueritur de Confessariis, qui ex tædio, vel timore humano pœnitentes, præsertim in dignitate constitutos, non admonent de gravitate peccati, nec de periculo animæ, neque increpant, suaviter quidem attamen fortiter, ita liberè peccantes.

§. 7. Si Confessarius advertat pœnitentem ha- 1761
bere notitiam peccati alieni, ex quo imminet grave damnum alteri, uti, si sciat quosdam esse in periculis seductionum, quas sine suo incommodo impedire possit, monere debet, absolvi non posse, nisi velit congruo modo rem manifestare illis, ad quos spectat corrigere, vel impedire, charitas enim graviter obligat, ut tum peccata, proximi impediat. An autem, & quomodo possit manifestare sine incommodo; judicabit prudens Confessarius, Vide dicta *n.* 1752. & dicenda *n.*1918.

Q. 252. *An Confessarius semper teneatur, aut possit* 1762
credere pœnitenti? R. §. 1. Confessarius non semper tenetur credere pœnitenti dicenti se habere dolorem, & propositum, quia *Inn. XI.* damnavit hanc 60. prop. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Ratio est, quia quando multoties fefellit fidem, nihil emendavit, præscripta emendationis media non adhibuit, prudenter timetur, ne id fiat ex defectu sinceri doloris aut firmi propositi, quia qui seriò & efficaciter proponit aliquid, quod moraliter implere potest, non solet ita facilè, tam citò, tam sæpè deserere suum propositum, sed saltem per aliquod tempus in eo perseverat, & difficiliùs vel rariùs transgreditur, ergo. De consuetudinario plura dicentur *à n.*1819.

§.1. Confessarius ordinariè potest, & debet cre- 1763
dere pœnitenti, S. Th. *in suppl. q.8. art. 5. ad 2. In foro confessionis creditur homini, & pro se, & contra se.* Idem habet *opusc. 12. q.6. Quod l.1. art.2.* Glossa *in c. Significasti*, 18. *De homicidio*, *In pœnitentia cuilibet est credendum, quia non est verisimile, quòd aliquis sit immemor suæ salutis.* Idem docent *Nav. Delr.* aliique communissimè cum J Sanch. *d.8. n.1.* Ratio jam est insinuata, quia nemo ita præsumitur salutis suæ esse immemor, ut ubi quærit remissionem culpæ, novam culpam admittat, quam admitteret, si exercitè percipiens se non sincerè dolere, vel non firmè proponere, diceret se ita dolere, & proponere: quod maximè tenere deberent illi, qui ubique inculcant charitatem, quæ *omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Hinc S. Carolus Borom. *in Instruct. Pastor. p. 2. cap.* 17. ait, *Si probabiliter sibi Confessarius persuadeat posse se fidem primæ, vel secundæ à pœnitente sibi promissioni factæ dare, quòd scilicet occasionem auferet, poterit cum promissionis intuitu absolvere.*

Q. 253. *An absolutio sacramentalis aliquando possit,* 1764
vel debeat differri? R. §. 1. Confessarius potest ex causa rationabili differre absolutionem, quamvis pœnitens videatur nunc esse dispositus, Bann. Suar. Lugo, Graff. Henriq. Sanch. Sayr. Suar. Sa, Aversa *q.* 16. *s.* 12. Carden. *in 2. crisi d.* 39. *à n.* 4. contra *J. Sanch.* cujus sententiam *Dian.* vocat improbabilem. Ratio est, quia hoc potest esse utile pœnitenti, tum ad incutiendum majorem horrorem peccati, tum ad magis probandam firmandamque ejus constantiam contra relapsus, tum ad concipiendum intereà meliorem dolorem, &

solito

solito firmius propositum tum denique ad attinendum illum, ut mediis emendandi sibi suggestis diligentiùs utatur : & hoc facit Confessarius quà Medicus, sicuti enim illi potest imponere media præservativa, quæ judicat esse opportuniora, aut præexigere impletionem alicujus satisfactionis, ita etiam dilationem absolutionis ad octo, vel etiam plures dies : sicuti enim Ecclesia reservans aliqua peccata vult pœnitentem quamvis dispositum non absolvi ab unoquoque, ita meritò non absolvitur, quamvis dispositus, si Confessarius judicet ei melius esse non absolvi : *Ego sanè dicere possum*, inquit Arr. *d.* 38. *n.* 40. *me aliquoties cum aliquibus juventibus hoc remedio usum, & feliciter mihi illud successisse. Nec obstat* 1. quòd pœnitens dispositus habeat jus ad absolutionem suam statim accipiendam, sicut nec catechumenus ad Baptismum statim accipiendum, sed tum, quando judicio Confessarii maximè ipsi expediret. *Nec* 2. quòd interea careat gratia, & Communione, per quam acquireret vires ad emendanda peccata, *nam* ista supplentur per alias utilitates, & posteà meliùs dispositus majores accipiet grarias. Est tamen cavendum, ne tali negetur absolutio, quando exponeretur periculo moriendi absque illa, aut quando sine nota non posset omittere Communionem, aut si propterea privaretur Indulgentiis, quas alio tempore lucrari non posset.

1765 §. 2. Confessarius tenetur aliquando differre absolutionem, tum nempè, quando advertit, vel se non habere potestatem absolvendi à reservatis, quæ pœnitens affert, vel pœnitentem non esse satis dispositum, uti 1. si non sit instructus in illis, quæ scire debet, nam *Innoc. XI.* damnavit hanc 65. propos. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.* 2. Si prudenter dubitetur de dolore, vel proposito, uti *n.* 1762. dictum est, nec necessitas exigat nunc absolvi : unde si consuetudinarius veniat semper cum eisdem peccatis, aut si neglexerit omnia media sibi præscripta, neque nunc det specialia signa pœnitentiæ, vel sperandæ emendationis, absolvi non potest, uti nec tum, si sæpè confiteatur, & tamen nihil emendet, cùm facilè posset, est enim moraliter impossibile, inquit A Perez §. 3. c. 4. *n.* 64. hominem sæpè confiteri cum vero dolore, & serio proposito, simulque semper relabi, quando facilis est emendatio. Alium casum, quo differenda absolutio, dabo *n.* 1809.

1766 §. 3. Quamvis olim publicis peccatoribus pro foro externo, & à pœnis Ecclesiasticis, ordinariè dilata sit absolutio usque ad finem pœnitentiæ peractæ, tamen in foro interno à culpis statim, vel paulò post absolvebantur, uti ostendit Francol. *in Cler. Rom. p.* 1. *d.* 11. *à n.* 11. Hinc Catech. Rom. *de Sacr. Pœnit. c.* 11. ait, *Si audita Confessione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœnitenti omninò defuisse, absolvi poterit.* Et causam addit, quia *Sacerdoti maximè verendum, ne semel dimissi amplius non redeant.* Hinc notant *Laym. Castroph. Sroz. lib.* 2. *n.* 107. si pœnitens bona fide accesserit, & edixerit peccata, Confessarius autem advertat esse indispositum, teneri, quantùm potest, disponere, quia causa judicii Sacramentalis cœpta est, ergo, si quando commodè potest, non perficiatur, infertur grave onus pœnitenti, & non levis injuria Sacramento.

Hinc communi doctrinæ contradicunt Rigoristæ, inter quos Opstraedt *de conversione peccatoris q.* 2. dicit peccatores tardè per 4. gradus esse perducendos ad veram pœnitentiam secundùm praxim antiquæ Ecclesiæ, in qua erat multo tempore status *flentium*, qui non ingrediebantur, sed ad fores templi plorabant. Deinde *audientium*, qui post auditum verbum Dei excludebantur templo. Postmodùm *substratorum*, qui ad certum locum templi rejiciebantur, ut eis manus imponeret Episcopus, tumque excludebantur templo. Denique *consistentium*, qui ad certum locum templi rejecti manebant usque ad finem, sed ad certum tempus abstinebant Eucharistia : sic, inquit, duci debet peccator, quamvis enim deserit illa exterior disciplina Ecclesiæ, interior tamen spiritus manere debet. Idem fusè urget *q.* 3. & 7. addit absolutionem etiam ad plures annos esse quandoque differendam, quamvis advertatur adesse amorem prædominantem, uti notat *c.* 9. §. 3. Simili modo suos Curatos instruunt Jansenistæ : & pro hac praxi adducunt varia argumenta, nam,

1. S. Ambrosius *lib.* 2. *de pœn. c.* 9 ait, *Non ideò poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint, hi non tam se solvere capiunt quàm Sacerdotem ligare ; suam enim consentiam non exuunt, & Sacerdotis induunt, cui præceptum est, nolite dare Sanctum canibus.* R. Nom improbat praxim mox absolvendi, si pœnitens judicetur dispositus, neque enim dispositus appellatur *canis* : imò *l.* 4. *de Sacram. c. ult.* vult frequenter recurri ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ; sic enim habet, *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debet illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur : qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.*

2. S. Carol. Borrom. *in Inst. past. p.* 2. *cap.* 15. ait, *Est præterea consultum absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant ac polliceantur, quòd se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciant metum, ne contrarium contingat.* R. Cùm dicat esse consultum, non dicit fieri debere sed posse, ubi ita videtur utile pœnitenti, & hoc etiam dixi *n.* 1764. Quòd autem adversariis non faveat *S. Carol.* ostendit Alex. à S. Theresia *in tempestate novissima art.* 19. & 29. *qui art.* 22. explicat ad longum reliquos textus, qui contrarii videntur.

3. Synodus Gebennensis *p.* 4. *tit.* 9. *c.* 5. ait : *Varii presbyteri se faciles exhibent in danda peccatorum remissa, modò peccatores spondeant emendationem, & elongationem à peccandi occasione proxima. . . . diligenter inquirendum est, num idem non sæpiùs promiserint.* Et addit, quòd per facultatem absolvendi pereat *tum presbyterorum tum pœnitentium multitudo infinita.* S. Th. de Villa Nova *Concione in feria* 6. *post Dominicam* 4. *quadrag.* ait. *Vadat & concubinam è domo pellat, pecuniam alienam restituat, &c. & tunc ad Confessarium redeat, & absolvatur : hic rectus est ordo, hunc ordinem ne transgrediaris.* Simili modo loquitur Institutio Christiana Moguntinensis de satisfactione §. 1. R. Synodus loquitur de iis, qui sunt in proxima occasione peccandi, nec volunt deserere, quos etiam nos dicimus non esse absolvendos. *Th.* etiam vult non absolvendos, si prudenter præsumi non possit, quòd serio, & efficaciter proponant suas illas obligationes adimplere. Quòd si pœnitens amentiae fefellerit, neque nunc appareat speciale motivum credendi, quòd moraliter certò sit post hanc vicem adimpleturus, etiam nos dicimus non esse absolvendum.

4. Bellarm. *Concione* 8. *in Dom.* 4. *Adventus*, ait, *Si verè cum Deo in gratiam redire desideratis, debetis primùm diu, & multum in amaritudine animæ peccata præterita recognoscere, deinde ea largis, & diuturnis imbribus lacrymarum abluere, &c. Non enim*, inquit, *esset hodie tanta facilitas peccandi, si non etiam tanta esset facilitas absolvendi.* Ibidem Conc. 9. sic exclamat. *Quàm multi veniunt onusti peccatis, in quæ jam millies*

cecidérunt! & véniunt prídiè vel ipso die summæ celebritatis, & statim volunt expediri, quasi hoc negotium esset ludus puerorum: nonne hi Deum non placare sed irridere voluisse videntur? R. Non negamus utile esse diu, & multùm se ad veram pœnitentiam præparare, sed dicimus non semper negandam esse absolutionem dispositis, quamvis se intra breve tempus disposuerint. Item agnoscimus Confessarios quandoque esse nimis faciles, sed dicimus Jansenistas esse nimis difficiles: medium est tenendum, ut nec Indulgentia palpet, nec rigor deterreat. Multa quidem exempla nimiæ indulgentiæ refert Pædagogus Christianus *to.1.p.2.c.*14.§.2.& Aveugle *serm.* 25. *pro Dom.*4.*post Pascha*, sed Alex.à S. Theresia *a.* 19. 24. 26. affert non pauciora luctuosa exempla dilatæ absolutionis. Similia habet Harts, Pastor in Ranst. *in disquis. Theol. de sigillo n.* 146. *&* 191. Leander à Murcia *in disq.l.2.d.*1.*R.*14.*n.*3. appellat ad suam, & aliorum experientiam, contestans hanc ordinariam dilationem absolutionis non esse remedium, sed medium, quo pœnitens in ruinam adigatur, vel odiosa ei reddatur Confessio. *In dispensandis Dei donis*, inquit S. Leo *Epist.* 91. *non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cùm ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam.*

1767 5. *Obstraedt q.* 2. sic argumentatur; Conversio peccatoris est mutatio cordis ab amore prædominante creaturæ ad amorem prædominantem Dei, atqui hoc non potest tam citò fieri. *Q.* 3. *c.* 7. dicit tum priùs esse veram conversionem, quando aliquis per facta contraria retractavit priora crimina: neque credi debet pœnitentibus; inquit §. 3. quamvis se seriò dolere dicant, quia non norunt statum animæ suæ, neque discernunt motus proprios, quia sæpè puniuntur cæcitate à Deo. Addit *c.* 8. §. 1. non ideò judicari debere aliquem esse capacem absolutionis, quòd jam abstineat à peccatis, quia potest abstinere ab eis puro timore gehennæ, aut spe commodi temporalis, sine amore prædominante Dei, tum autem non est sufficiens dispositio ad absolutionem, ergo. R. Conversio *Magdalenæ*, *Zachæi*, *Latronis* in cruce, aliorumque infinitorum citò facta est: Filius prodigus ad se reversus citò indutus est stola prima. *Si dicas* verbis *S.Bernardi*, hæc esse non tam exempla quàm miracula: *Contrà est*, quia ista priora sunt exempla quibus similia quotidie fiunt. Quàm autem verbis illis *S.Bernardi* infideliter abutantur Jansenistæ in hac materia, de qua non loquitur *S.Bernardus*, ostendit Libellus dictus *praxis solida à n.* 131. Deinde Ecclesia vetus, & nova habuit habetque praxim mox absolvendi, uti dictum est *n.* 1230. ergo Ecclesia judicat conversionem non fieri ita tardè. Idem tenuerunt plurimi SS. PP. apud Fierlandt *in Concord. triumv. cap.*5. & apud Alex. à S.Theresia *art.*11. inter quos S. Cyprianus *cap.*7.*de Cœna Domini*, S. Ambr. apud Baronium *tom.* 4. *ad annum* 375. S. August. *in psalmum* 63. ait, *Nunquid consilii corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modò fit? . . . Ecce cùm loquor, muta cor, & factum est.* lib.2. contra *Cresc. c.* 9. ait, *Sive ad bonum, sive ad malum parvo momento animus commutatur.* Similiter loquitur S. Chrysost. *Hom. de B. Philogonia, & Hom.*27. *in c.*9. *Geneseos.* Quòd autem Deus peccatores promptè in gratiam recipiat, clarè ex Scripturis, & PP. ostendit Alex. à S. Theresia *art.* 12. *& art.* 21. demonstrat idem docuisse *S. Franc. Salesium*: unde sic formari potest argumentum: Ad veram conversionem non requiritur nisi dolor de Deo offenso, & propositum non peccandi de cætero, sed hæc citò habere possumus, ergo. *Prob. min.* quia gratia Dei non deest, qui ultrò offert, & ad pœnitentiam invitat. Deinde habemus infinita motiva eliciendi talem dolorem, & propositum, ergo. Rationes *Obstraedt* non urgent, nam ad hoc, quod dicit de amore prædominante, & timore gehennæ, responsum est, quando de attritione. Prudenter autem præsumi non potest, quòd quis ex metu purè naturali diù abstineat à peccatis occultis, & internis. Præterea ad judicandum, quòd vera sit conversio, non requiritur retractatio per facta contraria, uti constat ex dictis *n.* 1732. Et pœnitentes oppositum in se experiuntur, qui omnes non sunt excæcati à Deo, sed sæpè valdè illuminantur, quando ad pœnitentiam accedunt. Neque ullus est Confessarius, qui sæpè non advertat pœnitentem, dum primò confitetur, sic esse dispositum, ut seriò doleat, & proponat. Et emendatio subsequens probat fuisse verum dolorem, & propositum: ex eo autem, quòd fortè sequatur relapsus, concludi non potest defuisse verum dolorem, vel propositum, ut dixi *à n.*1729.

6. Quamvis certus sit Confessarius pœnitentem 1768
habere dolorem, & propositum, tamen dicunt Jansenistæ differendam esse absolutionem, ut dilatione perculsus magis absterreatur; & meliùs se disponat. R. Dixi *n.* 1764. aliquando esse hoc utile, sed non semper: finis enim hujus dilationis erit, ne pœnitens relabatur, atqui ad hoc plùs sæpè juvat absolutio, uti expressè docet S.Th. *in supplem. q.* 25. *art.* 1. *ad* 4. tum ob auxilia gratiæ, quæ confert Sacramentum, & quibus potest meliùs muniri absolutus: tum quia pia exercitia ab efficacitate Sacramenti habebunt majorem vim, eruntque Deo gratiora, & efficaciora, utpote facta ab amico Dei, & ex Christi institutione inerit eis major vis satisfactoria: tum etiam quia spes est usurum ferventiùs mediis præscriptis, nam dilatio multos offendit, qui non redeunt, sed redduntur obdurati. Denique ut recognoscamus, inquit Harts *n.* 146. quis ejusmodi rigoris sit fructus, hanc mihi pastor doctus, & S. Caroli non mediocris discipulus retulit historiam: Cùm, inquit, casu obviarem rustico parochiæ N. inter colloquia interrogavi, quomodo valet Pastor vester, & quomodo se gerit in Confessionali? respondit rusticus, tempus Paschale habet usque ad ultra Pentecosten? diebus Paschalibus non habet communicantes sibi confessos quatuordecim: ego tamen prima vice obtinui absolutionem, verùm oportet, ut scias diabolicè mentiri, si cupias absolvi. Rectè sic concludit Carolus *ab Assumpt. in pentalogo diaphorico cap.* 7. *Scimus aliquos, qui dilatione absolutionis à reincidentia, & peccandi consuetudine liberati fuere: scimus alios, qui dilatione absolutionis à pœnitentia totaliter recesserunt: unusquisque secundùm lumen sibi datum Pœnitentiæ administret Sacramentum.* S.Aug S. Th. 3 *p. q.* 80. *ar.* 10. *ad* 3. ajunt, *Faciat unusquisque, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum* sed ut rectè fiat, precibus assiduis est à Deo impetrandum.

*Q.*254. *An, & quando possit, aut debeat Confessa-* 1769
rius pœnitentem absolvere sub conditione? R. Dixi *lib.* 6. *par.* 1. *à n.* 78. An licitum sit conditionem, & qualem apponere formæ Sacramenti, quæ hic recoli debent. *Ibid. n.* 83. dixi, an sufficiat conditionem, si apponatur, mente retineri. Hic adde seqq.

℣. §. 1. Absolutio regulariter danda est absolutè, uti colligitur ex dictis *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 128. ita quidem, ut Confessarius ordinariè absque justa causa sub conditione absolvens, secundùm Castrop. & Stoz. *l.* 2. *n.* 85. peccet mortaliter. Neque semper est justa causa, quia vel judicium Confessarii de dispositione pœnitentis est moraliter certum, vel probabile, vel dubium.

Si

Si certum, danda est absolutè: si probabile, vel dubium, communiter judicandum est in favorem pœnitentis, & resolvendum, quòd absolutè sit danda, quia etiam in iis dubiis melior est conditio possidentis: pœnitens autem facta confessione acquisivit jus ad absolutionem, ergo illo privari non debet per subortum qualecunque dubium de dispositione. Si autem Confessarius nequeat se resolvere, sed pergat dubitare, si causa sit, cur absolvat, absolvere tantùm potest sub conditione, Spor. *n.* 622. *& alii.*

1770 *§.* 2. Sub conditione danda est absolutio, quandocunque est necessitas, vel obligatio illius dandæ, & periculum faciendi Sacramentum nullum, si detur absolutè: tales autem casus sunt varii, ut notant Dicast. *d.* 5. *n.* 81. & Gorm. *p.* 2. *n.* 220. uti 1 si dubites, an pœnitens jam confessus habeat usum dationis sufficientem ad peccandum. 2. Si dubites, an per confessionem data sit materia sufficiens absolutionis: tunc tamen melius est petere certum peccatum ex priori vita: 3. Si pœnitens non potuerit, vel noluerit fateri alia peccata præterquàm dubia, 4. Si dubites de dispositione sufficiente pœnitentis jam confessi, v. g. an sincerum dolorem, vel propositum efficax habeat, an integrè sit confessus, eò quòd neget mortale, quod probabiliter putas eum commisisse. 5. Si dubites, an anteà formam benè expresseris, secundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 223. 6. Si dubites, an pœnitens, qui confessus est, adhuc vivat. 7. Si moribundus sit absolvendus, qui nunc nulla possit dare signa doloris, uti dictum est *à n.* 1156. Ratio horum omnium est, quia in ultimis duobus casibus exigit charitas, ut optimo modo consulatur saluti proximi: in prioribus autem, habet præterea pœnitens jus aliquod per confessionem acquisitum ad absolutionem, estque in possessione illius juris, quamdiu non probatur esse incapax, vel indignus, ergo talis absolutio debet dari, qualis dari potest sine irreverentia Sacramenti, quæ salvatur, si detur conditionata, ergo. Rectè tamen addunt omnes, ut absolvere possis sub conditione debere esse prudens dubium circa illa, quod etiam dixi *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 129.

1771 *§.* 3. Si pœnitens afferat solùm dubia venialia, neque sit prudens timor de mortali, Spor. *n.* 56. putat nequidem sub conditione absolvendum, alioqui fore irreverentiam, cùm nulla sit necessitas, nam si doleat de illis venialibus, remittentur per hunc dolorem, & benedictionem Sacerdotis: si non doleat, malè daretur absolutio. Neque videtur pœnitens hìc habere jus ad absolutionem, eò quòd non det materiam certam, aut necessariam. Alii tamen concedunt absolutionem sub conditione, uti dicetur *n.* 1797. Quòd si lucrari deberet Indulgentias, rectè absolvitur sub conditione, ne fortè illis privetur, cùm probabile sit confessionem requiri inter opera pro Indulgentiis, uti dictum est *n.* 1414. De absolutione puerorum dicam *n.* 1797. De absolutione rudium *à n.* 1808.

1772 *Q.* 255. *Quid dicendum sit de illis Confessariis, qui cogunt pœnitentes, ut sibi tantùm confiteantur?* R. De illis rectè dicit *Rayn. in Heter. T.* 16. *s.* 1. *p.* 9. *n.* 35. *Ad invidiam perinde, ac sponsi, concupiscunt: quas semel vexerunt animas, & ut apud alios peccata exonerant, graviter ferunt, ac videntur insanire, quæ est indignissima, ut quàm mitissimè dicam, agendi ratio.* J. Sanch. *d.* 29. *n.* 4. ait, *Sunt Confessariorum non pauci tyrannicè in hoc sibi usurpantes libertatem à Christo animabus exhibitam.* Meritò Regula 20. Sacerdotum in Societate JESU dicit, *Si quis uni confiteri soluus, ab eodem alium Confessarium adeundi facultatem petierit, vel ea non petita adierit, id sibi gratum esse Confessarius benignè ostendat.* Et monent AA. communiter cum Bosco *d.* 7. *s.* 7. *n.* 172 Confessarios non debere ita arctare pœnitentes, quia quamvis sit validè expediens semper uni confiteri, tamen relinquenda est libertas, ne detur occasio sacrilegiis, cùm infirmos pœnitentes sæpè pudeat aliquid fateri apud ordinarium, ne innocentiæ nomen perdant: ideóque etiam Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 10. statuit, ut Monialibus, præter ordinarium Confessarium, bis aut ter in anno concedatur extraordinarius, quo expedit eas uti, secundùm dicta *n.* 1534.

Q. 256. *An & quomodo Confessarius teneatur corrigere errores & supplere defectus in administratione Sacramenti Pœnitentiæ commissos?* R. Cùm Confessarius gerat vices Christi, tenetur procurare tum valorem, & integritatem Sacramenti, tum etiam utilitatem pœnitentis: possunt autem multi errores vel defectus interveniisse, & debent diversimodè corrigi vel suppleri, uti jam declarabitur. 1773

§. 1. Si quis audierit confessiones, & posteà 1774 resciat se non fuisse validè baptizatum, vel ordinatum, tenetur, si potest, procurare, ut pœnitentes mortalia eadem confiteantur habenti potestatem: Si autem tantùm dubitet de valore sui Baptismi, vel Ordinationis, non tenetur cum gravi incommodo hoc procurare, sed satis est, quòd sciat suum pœnitentem ab eo tempore confessum esse, vel confessurum alteri, sic enim etiam à prioribus peccatis indirectè absolvetur. Gob. *in Exam. 2. n.* 439. Quòd si invalidè absolvisses, etiam existens verus Sacerdos, ita ut absolutio nequidem in veniale pœnitentis caderet, & probabiliter putares, pœnitentem non ampliùs confessurum, tenereris errorem corrigere, alioquin exponeres pœnitentem periculo damnationis.

§. 2. Si post aliquot horas recorderis te non 1775 rectè absolvisse, & iterum occurras pœnitenti, dic te velle eum absolvere. Imò non videtur absolutè necessarium, ut hoc illi dicas, quia tamdiù censetur retinere voluntatem habendæ absolutionis, quamdiu eam non accepit, Can. Lug. Arr. *disp.* 44. *n.* 8. Avers. *q.* 16. *s.* 13. contra Suar Vasq. Fill. Hinc Gob. & Spor. *n.* 616. laudant Sacerdotem illum, qui memor non datæ absolutionis de peccato dubio, quod mulier ei post confessionem proposuerat, cum Communionem peteret, priùs eam submisse absolvit: Imò Stoz. *lib.* 2. *n* 175 putat posse tacere, & absolvere occurrentem etiam post aliquot dies, quamdiu confessio, & absolutio illa censetur adhuc facere unum totum morale. Quòd si rationabiliter timeretur, ne pœnitens interea in mortale esset lapsus, moneri deberet petita venia, vel expectari, dum iterùm veniret ad confessionem.

§. 3. Improbabile non est, quod docent Nug. 1776 Suar. Fill. Turr. Hurt. Merat. Merc. Laym. *lib.* 5. *t.* 6. *c.* 14. *n.* 15. Lohn. Arsd. Confessarium posse etiam extra confessionem non petita venia, imò etiam renuente pœnitente loqui, & monere eum de defectu commisso in confessione: ea enim locutio videtur spectare ad perficiendum Sacramentum, quod inceptum est, & non integrè completum: Et hoc quidem rectè affirmant Arr. *n.* 12. Stoz. *n.* 182. si Confessarius, vèl invalidè, vel omninò non absolverit: dicere enim pœnitenti ipsi, quòd non absolverit, non est manifestare delictum: Aliud est, si diceret alteri, tum enim ingeneraretur opinio indispositionis in pœnitente, & peccati gravis. Si tamen validam absolutionem dederit, Valent. Bonac. Lug. Dian. Reginald. *l.* 18. *n.* 150. Stoz. *n.* 194. longè progressi Avers. *n.* 18 *fol.* 6. illi

ad confessionem apud te, & adhuc utcunque sis memor peccatorum, dic ei, nonne doles, & rursum te accusas de omnibus, quæ unquam mihi confessus es? Si affirmet, absolve tacito tuo priore defectu, non enim teneris te confundere, cùm nullum damnum oriatur pœnitenti, & confessio per talem repetitionem fiat sacramentalis, si fortè anteà talis non fuisset, Lugo, Tamb. *de Conf. l. 3. c. 2.* Gob. *n.* 441.

1778 §. 5. Si ante absolutionem recorderis te non satis interrogasse speciem, vel numerum, teneris adhuc facere: Si post absolutionem, dum pœnitens adhuc flectit, quid tibi faciendum sit, pendet ab illa quæstione, an liceat de rebus in confessione auditis loqui cum pœnitente, quamdiu adhuc flectit, de qua dicam *n.* 1980.

1779 §. 6. Si bona fide positive deobligasti pœnitentem à confessione integra specierum, vel numeri, aut si pœnitens putavit se non obligari aliud dicere, quia tu bona fide siluisti, regulariter ad nihil te obligat Fill. rarò *Lugo*, & *Averf.* tunc scilicet, quando non esset grave incommodum, quod communiter fore putat Tamb. *c.* 8. *n.* 23. cùm saltem adsit rubor in retractando, vel monendo, & idem dicunt Suar. & Arr. *n.* 23. licèt peccasses omittendo monitionem, dummodò positivè non dixeris, non esse obligationem talia confitendi, quòd si dixisses, putant posse etiam extra confessionem dedoceri illum errorem, in genere dicendo, si tale peccatum committatur, esse hoc, vel illo modo confitendum: sed melius est peti veniam loquendi extra confessionem, aut faciendum est in confessione, si redeat.

1780 §. 7. Si bona fide, & absque culpa deobligasti pœnitentem à restitutione, quando ad eam tenebatur, vel obligasti, quando non tenebatur, per se loquendo non teneris compensare damna causata, uti dictum est *l. 3. p. 2. n.* 184. attamen cognito errore ex justitia teneris admonere pœnitentem, secundùm dicta *ibid. n.* 353. E contrà si ex ignorantia vincibili, vel ex malitia positivè deobligasti pœnitentem à restitutione, vel obligasti, cùm non teneretur, teneris ipse restituere tertio, aut compensare pœnitenti, nisi consilium illud tuum revoces apud pœnitentem, uti habet communis cum Busemb. *suprà* Arr. *à n.* 15. Averf. §. *At verò*, Card. *in 2. crisi d.* 23. *n.* 141. Et in eo casu, quo alius Confessarius tenetur restituere, etiam tu teneris, quamvis sis Religiosus, si pecuniam habeas, aut habere possis, quod restituas, sine notabili tua infamia, vel incommodo: poteris autem habere, si à Superiore, vel alio petas in genere ad usum necessarium, & pium, ut si priùs voveas restituere sub conditione obtinendæ veniæ & posteà dicas te ex voto, vel pietate velle dare alicui. Ratio autem est, quia fuisti causa efficax, & injusta damni, ergo teneris compensare, vel tertio in defectu pœnitentis, vel pœnitenti ipsi in defectu tertii.

1781 §. 8. Si non positivè deobligasti à restitutione, attamen ex ignorantia vincibili, vel cum culpa gravi purè tacendo neglexisti monere, & ideò pœnitens non restituat, Gabr. Sylv. Molin. Laym. Nav. aliique multi cum Moya *t. 3. d. 7. q. 4* putant te adhuc teneri restituere, & consentit Less. *lib. 2. c. 13. n.* 77. si sis Parochus, quia ex officio tenebaris admonere, & sic tacendo æquivalenter dicebas non teneri restituere: quod maximè valet, si studiosè ideò tacueris, ne pœnitens obligationem suam sciret, & restitueret, quia in hoc casu alter habebat jus, ne per talem dolum fraudaretur. De cætero si non ideò tacueris, attamen ex ignorantia vincibili, & cum culpa gravi, docent Suar. Valent. Az. Sà, Sanch. Fill. Rebell. Con. Mald. Bonacin. Arr. *n.* 16. Averf. §. *Secundò*, Busemb. relatus *l. 3. p. 2. n.* 20. *Diana*, Lugo, aliique plures apud *Moyam* te non teneri restituere, quia ex justitia erga tertium non tenebaris admonere, aut positivè impedire ejus damnum, sed ad summum ex charitate, læsio autem solius charitatis non inducit obligationem restituendi. Mendo *d. 6. q. 6.* merito dicit utramque sententiam esse probabilem, posterior tamen, uti communior est, ita etiam videtur probabilior.

§. 9. Si temerè, vel non præmissa pro inveniendo 1782
domino sufficiente diligentia dixeris rem dari posse pauperibus, si pœnitens dederit, nihilominus adhuc tenebitur domino, ut dixi *l. 3. p. 2. n.* 97. & iterùm *à n.* 420 In defectu autem pœnitentis tu tenebris, secundùm dicta hìc *n.* 1780.

§. 10. Si dixisti Matrimonium esse validum, cùm 1783
esset invalidum, votum esse invalidum, cùm esset validum, &c. corrige saltem per alium, si nequeas per teipsum, talia enim de se non sunt materia sigilli, nisi fortè manifestata sint ob peccatum explicandum: ideóque revelari possunt, nisi constet pœnitentem nolle, *Lohner*.

§. 11. Si alicui nimis gravem pœnitentiam im- 1784
posuisti, quam prævides omittendam cum periculo peccati gravis, non potes ei minorem imponere, nisi petita venia loquendi, alioqui violas sigillum.

§. 12. Rectè docent Suar. Vasq. Lug. *d. 22. à n.* 57. 1785
Confessarium, licèt culpabiliter commiserit errorem, vel defectum, non teneri, per se loquendo, ad ejusmodi admonitionem pro corrigendo, quando timetur scandalum, aut detrimentum grave proprium, vel alienum: item si sequeretur gravis offensio pœnitentis, uti habent Con. Bon. Spor. *n.* 610. imò Averf. & Burgh *cent. 2. caf.* 60. putant ob solam confusionem, & infamiam apud pœnitentem subeundam excusari Confessarium, dummodò probabiliter putet pœnitentem adhuc semel ritè confessurum, uti *n.* 1774. insinuatum est.

DUBIUM VI.

Quæ scientia, & prudentia requiratur in Confessario. 1786

Resp. 1. Ut Sacerdos ritè absolvat, debet, quan-„
tùm moraliter fieri potest, omnia peccata pœ-„
nitentis intelligere, quia alioqui is frustrà tenetur recensere, *Unde resolves.*

I. Peccat qui absolvit eum, cujus peccata per ne-„
gligentiam non satis intellexit: quia fert sententiam„
incognita causa: Validam nihilominus esse absolu„
tionem, sive propter somnum, &c. ut dictum suprà *c.*„
1. *dub.* 3. *ar.* 4. sive propter cantum, vel linguam im-„
peditam pœnitentis (sine hujus tamen culpa) aliqua„
non intellexerit, docet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 109. & *p* 4. *t.*„
4. *R.* 198. Item Lay. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 9. ex Henr. Suar. Sylv.„
Merc. *in* 3. *p.* eò quòd essentia, & effectus Sacramenti„
consistere possit absque integra, & specifica pecca-„
torum explicatione, si sine culpa pœnitentis omi-„
tantur v. Dian. *ll. cc.*

II. Si tamen pœnitens post confessionem intelli-„
gat unum vel plura mortalia non fuisse intellecta,„
debet ea repetere in sequenti confessione, sive apud„
eundem, sive alium Confessarium Laym. Dian. *l. cc.*„

III. Confessarius absolvens ex ignorantia, quem„
absolvere non poterat, dupliciter peccat; nimirùm„
ignorantia eorum, quæ ad officium suum spectant,„
& indebitè absolvendo, Tann. *in* 1. 2. *d.* 4. *q.* 9. *d.* 1. *n.*„
12. Lug. *d.* 16 *n.* 185.

Resp. II. Ut Confessarius validè absolvat, requi„
ritur, & sufficit cognoscere peccata, saltem sub„
confusa ratione peccati. Ut verò licitè, requiritur„
ea scientia, ut possit ferre prudens judicium in hoc„
foro, ideóque scire debet, 1. quæ sint mortalia, quæ„
venialia, saltem ex genere suo. 2. Species, & cir-„
cumstantias necessariò explicandas. 3. Spectantia„
ad restitutionem bonorum, & famæ, 4. Casus„
reservatos, & excommunicationes, saltem commu-„
niores,

„niores. 5. Censuras, & irregularitates commu-„
„niores, pro Sacerdotibus. 6. Requisita in pœniten-„
„te ad bonam dispositionem. 7. Remedia pecca-„
„tis opportuna. Circa, quæ omnia notantur hæc „
„tria:

„ Primò, sufficere, si ea sciat mediocriter, ita ut sal-„
„tem norit prudenter de omnibus dubitare, & do-„
„ctiores se, vel libros consulere.

„ Secundò, majorem minoremve requiri, ac suffice-„
„re scientiam, pro diversitate locorum, & pœniten-„
„tium, Bon. *d.5.q.7.p.4.§.2.*

„ Tertiò graviter peccare, tum eum, qui sine suf-„
„ficienti scientia huic muneri se ingerit: tum eum,„
„qui talem sine necessitate constituit, aut, cùm„
„possit corrigere, tolerat, Laym. *c.*13 Bonac. *l.c.* Lu-„
„go. *Unde resolves,*

„ I. Si pœnitens advertat Sacerdotem non perci-„
„pere peccati gravitatem, tenetur illum monere se„
„peccasse mortaliter.

„ II. Qui sciens prudens confitetur ei, quem scit„
„suam conscientiam dijudicare non posse, tenetur„
„confessionem repetere, apud peritiorem, quia gra-„
„viter peccavit sic confitendo.

„ Resp. III. Prudentia requiritur, tum in instruc-„
„tione, monitione, curatione pœnitentis; tum in in-„
„terrogatione. Et quidem si prudenter judicet inte-„
„grè esse confessum, v.g. quia benè instructus potest,„
„& solet adhibere diligentiam debitam, non tenetur„
„quicquam interrogare; aliàs tenetur, ut habet com-„
„munis. (Dian. tamen *p.2.t.15.R.7.* ex *Nav.* & *Valero*„
„negat esse mortale, non examinare aliquam circum-„
„stantiam ex oblivione, v. etiam Lug. *d.*22.) quia tan-„
„quam Judex debet curare integritatem judicii, &„
„tanquam Medicus, ut morbi & vulnera perfectè de-„
„tegantur: cavendo interim, *Primò*, Ne examen sit cu-„
„riosum, de non necessariis, unde Confessarii existi-„
„matio, Sacramenti dignitas, & pœnitentis profectus„
„minuatur. *Secundò.* Ne sit indiscretum, ut v.g. de iis,„
„quæ moraliter certum est à tali non solere commit-„
„ti; vel ex quibus discat peccare pœnitens; vel de„
„inverecundis inverecundè, vel de numero nimis„
„anxiè si ex dictis probabiliter æstimari possit. *Tertiò.*
Ne sit intempestivum; & sinatur priùs se explicare,„
„quantùm potest, ne importunitate terreatur. Quòd„
„verò quidam monent, expedire, ut pœnitens inter„
„confitendum non interrumpatur, id Lug. *n.*15. uni-„
„versim non probat, præsertim, si confessio non sit„
„brevis, quia facilè aliqua excidunt memoria. *Unde*„
„*resolves,*

„ I. Si Sacerdos advertat, pœnitentem, etiam post„
„sufficientem diligentiam peccatum aliquod, aut cir-„
„cumstantiam necessariam omittere, probabiliùs ac„
„verius est, per se loquendo, teneri interrogare, etsi„
„neget *Sa v. Confessar.* & *Medin.* docens, si diligenter„
„examinata conscientia unius sit oblitus, non teneri„
„Confessarium illud revocare in memoriam, nisi ce-„
„dat in damnum proximi, quod Vasq. *q.*93. *dub.*7. *n.*„
„3. videtur dicere esse probabile, verùm alii reji-„
„ciunt, v. Lug. *s.*2.

„ II. Etsi Confessarius, cui evidenter constat pec-„
„catum pœnitentis, quod tamen ipse negat, non de-„
„beat illum absolvere quando verò ex aliorum rela-„
„tione, vel suspicione id habeat, standum sit pœni-„
„tentis confessione, cùm in hoc foro, tam pro quàm„
„contra se fides habeatur: Suar. *t.*4. *d.*32. *s.*3. Fag *p.*2.„
„*l.*6. *c.*4. *n.*38. citati à Dian. *p.*3. *t.*4. *R.*105 in utroque„
„tamen casu prudentis Confessarii est, 1. Cautè & à„
„longe, tum propiùs interrogare. 2. Si nihilominus„
„neger, prudenter judicare, an non potuerit obliviscí,„
„vel confessus esse alteri, vel putare non esse pecca-„
„tum, vel simili de causa excusari, ita ut debeat„
„absolvi, Dian. *l.c.* ex Sylv. Nav. Tol. *&c.* 3. Si pec-„
catum illud norit ex confessione complicis, non uti„
illa scientia, nisi in genere quærendo, an non aliud„
conscientiam gravet, & excitando ad majorem con-„
tritionem, ob periculum indirectæ revelationis; aut„
etsi complex dederit veniam, ob periculum scanda-„
li, v. Laym *c.*14. „

III. Interrogationes in materia castitatis, debent„
esse paucæ, & cautæ, ne vel occasionem det inve-„
stigandi, aut traducendi confessionem, aut igno-„
rantem doceat, aut offendat, aut se vel illum peri-„
culo exponat. At si hæc timeat, potiùs pati debet ali-„
quid deesse integritati materiali. Et quidem si in„
hac materia negantur cogitationes, non opus est„
progredi ad opera: rudiores tamen cogitationes„
negant; verba & opera rogari fatemur, quòd illas„
non æquè agnoscant, aut advertant, v. Laym. *hic*„
*cap.*13. Kon. *t.*7. *dub.*7 Dian. *p.*3. *tr.*4. *R.*99.

ADDENDA.

*Quæst.*257. *Quid præterea notandum sit circa scien-* 1778
tiam, & alias virtutes in Confessario requisitas. R.
Seqq. §. 1. Scientia summa non requiritur, imò per accidens sæpè est minùs utilis quàm mediocris conjuncta cum naturali judicio, & praxi, qui enim ita subtiliter volunt omnia revocare ad apices theologicos, sæpè seipsos, & alios implicant scrupulis aliisque difficultatibus: unde præstat hìc se commodare ad usum Ecclesiæ, & aliorum prudentum Confessariorum. Notatque rectè Arr. *disp.*43. *n.*2. contra Tann. *disp.*6. *q.*9. *n.*96. majorem scientiam requiri ad audiendas confessiones hominum indoctorum, quàm doctorum: quia hi possunt suas ipsi actiones distinguere, & obligationes cognoscere.

§. 2. Putant Llamas, & Stoz. *l.*2. *n.*16. ad hoc 1788
munus satis doctos esse illos, qui integram Summam casuum diligenter legerint, vel attentè audierint explicari. Quòd si quis de seipso dubitet, sistat se Examinatoribus ab Episcopo, vel Superiore constitutis, qui si cum satis scire judicent, potest acquiescere, & cum fiducia in Deum aggredi functionem, quamvis omnium maximam, & gravissimam, Stoz. *suprà*, Spor. *n.* 787.

§. 3. Ante omnia tenentur Confessarii omnes 1789
accuratissimè scire, imprimis quomodo ex propriis motivis eliciendi sunt actus fidei, spei, charitatis, attritionis, contritionis, debent enim sæpissimè pœnitentibus præire in illos actus. Motiva fidei, spei, & charitatis explicavi *in lib.*2. *à n.*30. 118. 146. ubi etiam ostendi modum practicè inducendi ad illos actus. Motiva attritionis, & contritionis explicavi hìc à *n.*722. 786. ubi etiam *à n.*1723. ostendi modum practicè inducendi ad illos actus. Deinde etiam accuratè scire debent Confessarii, quandonam & quænam peccata distinguantur numero, & specie, uti etiam fusè explicavi hìc *à n.*922. & 946.

§. 4. Debet Confessarius hìc, & nunc in praxi ha- 1790
bere reflexionem ad principia universalia quæ didicit, videndo an rectè applicet, & sæpè interrogare alios doctiores & expertos. Quantumcumque autem se doctum esse quis putet, non expedit tamen ex tempore statim resolvere implicitos casus, præsertim qui in impedimenta Matrimonii, simoniam vel restitutionem concernunt; sed dicendum pœnitenti, ut det tempus considerandi; sic enim cavebuntur errores qui sæpè fiunt, & pœnitens ipse posteà meliùs acquiescet, cùm alioqui sæpè adhuc maneant scrupuli, si ita subitò, & non datis rationibus fiat resolutio: quæ admonitio inquit Tann. *n.*95. & præsertim indoctis Confessariis maximè necessaria, qui eò confidentiùs quandóque à quibuscumque absolvunt, & in quibuscumque dispensant, quò ob imperitiam minùs dubitare norunt.

1791 §.5.

1791 §. 5. Rectè notat Gob. *t.7.n.321.* Confessarium debere scire sententias plures, quæ verè probabiles sunt circa materias morales, eò quòd sæpè, ubi non agitur de valore Sacramenti non possit nec expediat pœnitentes dirigere secundùm unicam doctrinam, tam parùm quàm Medicus possit omnes unica medicina sanare, sed pro diversitate subjecti, & circumstantiarum debet has, aut illas applicare, attamen observare debet hoc, quod dixi *n.*1737.

1792. §. 6. Præter scientiam, necessaria est Confessario, imprimis mansuetudo, qua benignè excipiat omnes, uti Confessarios magnoperè hortabatur S. Xaverius apud Turselinum *l.6.vitæ c.17 & cap.11.* refert, quanta fuerit ejus comitas gravitati conjuncta: ratio est, quia si durus sit, vel terrebit pœnitentes, qui ideò peccata gravora non aperient, vel saltem nimiùm aggravabit onus confessionis, quod de se est satis grave. Afflicti semper sunt consolandi, innocentes suaviter excitandi, duri autem peccatores, quamvis aliquando terreri debeant proposita severitate judicii divini, & rigore pœnarum æternarum; attamen debet abesse omnis mordax, vel contumeliosa objurgatio. Cogitet Confessarius se Christi personã gerere, qui peccatores omnes benignè semper excepit, cujus exemplum dedit pater ille in Evangelio, qui filium prodigum post consumptam cum meretricibus substantiam benevolentissimè recepit. Necessaria quoque Confessario est patientia, imprimis cum mulieribus, uti dicetur *n.* 1890. Deinde cum scrupulosis, qui longas sæpè confessiones texunt, easdemque decies repetunt sine causa. Item cum recidivis, cum quibus sæpè putabit se frustrà laborare, sed utiliter laborat, si vel semel unum peccatum impediat. Præterea cum rudibus, qui sæpè velut trunci stabunt, nec ea, quæ dicentur, capere velle videbuntur, cùm tamen vel non possint ex stupiditate ingenii, vel ita hæreant ex aliqua turbatione nimiáque reverentia: cum talibus benignissimè agendum, excitando ad fiduciam, docendo necessaria, præeundo in pios affectus. Denique Confessario necessaria est charitas, qua seriò, & indefessè, quærat emendare pœnitentes, eisque prodesse in salutis æternæ negotio, assumptis etiam in se pœnis pro illis.

1793 §. 7. Confessarius debet per prudentiam scire se discretè insinuare, ut omnibus omnia fiat: Exemplo sit S. Xaverius de quo *Turs. in vita l. 6. c.* 10. ita scribit. *Inserebat se militum lascivientium circulis, ludentibus de industria superveniebat, se illorum lusibus, & consuetudine delectari simulans. Si quis ejus interventu verecundiaque desisteret à lusu, comiter eum ad vitæ hilaritatem revocabat, se quoque talis oblectationis studio teneri, milites utique Monachorum ritu vivere non debere: si nulla intercederet injuria divini numinis, satiùs esse ludere, ac jocari quàm detrahere de aliis, aut quidquam patrare flagitii. . . . Ultrò etiam alios pellicum amore implicatis ad prandium aut cœnam conditore, super mensam familiari sermone illato probare apposita fercula, de famula, quæ illa tam scitè condivisset, percunctari, rogitare hospitem, ut eam accerseret, collaudataque de solertia in cibis condiendis dimittere, sic habens in præsentia viam sibi ad destinata fecisse. . . . Si perlustrans domum incidisset in hospitis pellicem, quænam illa mulier, & cujus esset, sciscitabatur, seque omnia, quæ videret, probare insinuabat, occasionem rei benè gerendæ cogitans . . . Si quem nactus erat formæ ancillæ amore captum, hunc mulierem commendare, inde percunctari ex hospite, cur si amaret, cum utriusque dedecore concubinam quàm honestè conjugem haberet? malle? ita mali causa in remedium versa flagitia mutabat nuptiis. Sin autem mulier deformis erat, rogitabat hospitem, Satisne sanus esset, qui adeò deformem famulam in deliciis haberet? Aliàs, qui multarum ancillarum amoribus irretiti tenebantur, alia adoriebatur via: quærebat primùm, cur domi tantum alerent ancillarum gregem, quæ nullum penè usum haberent alium, nisi ut dominorum rem familiarem perderent, domesticum otium contentionibus rixisque turbarent: quòd si omnes dimittere, aut non possent, aut nollent, magnopere monebat, ut certè unam aliquam missam facerent: indè intermissis aliquot diebus reversus amicè instabat, ut alteram, deinceps ut reliquas omnes dimitteret, præter unam, ita paulatim perditos homines demptis omnibus peccandi illecebris ad honestatis salutisque viam revocabat, &c.* Aliquid circa prudentiam Confessarii addam *n.*1932.

Q. 258. *Quid observare debeat Confessarius puerorum.* R. Seqq. §. 1. Meritò viri prudentes gravissimam in his audiendis difficultatem apprehendunt, longè enim facilius est expedire adultos quàm pueros, quia sæpissimè dubium est in pueris, an & quomodo reipsa peccarint, an habeant actus ad absolutionem prærequisitos. *Et ut me exolvam hoc ultimo dubio*, inquit Gob. *t.7. n. 455. interrogo, cur venerit ad confessionem, nec desisto, donec dicat se verè credere, quòd qui nolunt confiteri sua peccata, puniantur à Deo: è contrà qui rectè confitentur, veniant ad cœlum. Ut autem etiam ex his verum, & formalem actum fidei, ex quo debet procedere dolor necessarius ad pœnitentiam, quærere soleo, utrum putet Deum posse falli aut fallere: si urget, ergo credis omnia esse vera, quæ Deus unquam dixit? Respondet, credo: laudata ejus fide confirmandus est rectè sic facere: Deum enim mentiri non posse, eò quod sit veracissimus* tumque scitu necessaria eis proponenda sunt, si putentur ignorare. 1794

§. 2. Expedit pueros quamvis necdum absolutionis capaces audire, ut sic instruantur, & assuescant, Laym. *c. 5. n. 7.* ideóque utilissimè laborat Confessarius, si jam paulò capaciores doceat, quomodo debeant confiteri, manè surgere, vesperi incumbere, conscientiam examinare circa cogitationes, verba, & opera. 1795

§. 3. Lessius *in auct. v. Confessio casu 6.* putat pueros tum esse capaces absolutionis, si sciant, quid mali eventurum sit malis, quid boni bonis, Gob. *in Exp. t. 4. n. 118.* dicit in Germania puellas non ante octavum, pueros verò post nonum, & dimidium priùs communiter videri capaces peccati mortalis: sed rectè notant Laym. & Spor. *n. 525* non ex sola ætate, sed multò magis ex ingenii, & educationis qualitate esse hoc intelligendum. Addit *Terentius* apud Gob *n. 452.* si pueri pudefiant de mendacio, aut de aliqua impudicitia commissa, si laudent obedientiam, &c. indirectè colligi, quòd sufficienter ratione utantur, quantumcunque parvæ sint ætatis. Notat etiam Gob. *n. 454.* multùm prodesse ad cognoscendam maturitatem puerorum confitentium, si Confessarius attendat ad vultum, & gestus eorum, nam si digitis ludat in clathris, si confitens respiciat alios extra confessionale, si nugetur cum rosario, vel pileo suo, signum est exiguæ maturitatis. 1796

§. 4. Quando dubitatur, an puer sufficientem usum rationis habeat, *Less.* putat non esse absolvendum, nisi in morte, & in *Paschate*, *Gob.* dicit secutè absolvi posse sub conditione: nam non posse absolutè absolvi, rectè docent Bardi & Schild. *t. 6. c. 5 §. 1.* contra *Caram.* reverentia enim Sacramenti postulat, ne exponatur periculo nullitatis. Quòd si puer non afferat nisi peccata levissima, præsertim sub dubio, & signa doloris etiam sint dubia, dixi *n.* 1771. aliquos velle, tantùm dari bene- 1797

benedictionem, *Laym.* tamen *Dian. Schild.* suprà putant etiam in hoc casu posse absolvi sub conditione, nec esse opus differre, quamvis commodè posset fieri.

1798 §. 5. Pueri sæpè peccant venialiter tantùm, quamvis materia sit gravis, quia hoc, quod faciunt, tantùm in confuso apprehendunt esse malum, non advertentes ad gravitatem malitiæ, Boss. Teret. Gob. *n.* 458. E contrà aliquando peccant mortaliter in eis, quæ de se sunt levia, quia per parentes, vel alios, causata est eis conscientia erronea de aliquo tanquam gravi, quod de se leve est, & ad hoc dignoscendum quandoque interrogari possunt, an per hoc, vel illud planè putarint se infernum mereri.

1799 §. 6. Examen puerorum potest esse; an diligenter diebus festivis audierint Missam, vel è contrà garriverint in templo. An parentibus aliisque Superioribus fuerint inobedientes. An mentiti. An cognomina dederint aliis. An irati fuerint, rixati. An pugnaverint, percusserint alios. An illuserint senibus vel aliis. An aliquid furati sint. Si Confessarius advertat puerum audaciorem esse, interrogare potest de petulantiis in lecto vel alibi exercitis. Si has fateatur, de verberationibus mutuis in nudo corpore, de tactibus. Primæ seductiones puerorum sunt à similibus collusionibus, denudationibus corporum, &c. Gerson *p. 2. n. 32. in opusc. de Arte audiendi Confess. consid.* 17. ait: *Utinam mala à pueris tam diligenter confiteantur, quàm sciuntur, & aguntur ab eis!*

1800 §. 7. Si Confessarius judicet puerum absolvendum, adducere debet ad dolorem hoc, vel simili modo. *Q.* Fili, quò deveniunt post mortem, qui peccant? R. Ad infernum vel Purgatorium. *Q.* Quid ibi patiuntur? R. Gravissimas pœnas ignis. *Q.* Possesne talem ignem ferre? potesne jam digitum in candela tenere? Quid si ergo totus ardere deberes, & tam diu in igne? Et quis detrudit hominem ad tales pœnas? R. Deus. *Q.* Agnoscisne etiam te offendisse illum Deum, qui ita potest punire? R. Agnosco. *Q.* Sed quid nobis boni fecit Deus? nonnè creavit, & redemit suo sanguine, dedit omnia, quæ habemus, & vult etiam cœlum dare, ubi æternum simus beati? Nunquid ergo Deus erat dignus amari à te, & non offendi; utique erat dignus. Adde: & quamvis ista non essent, tamen Deus in se est dignissimus amari, quia in ipso est omnis pulchritudo, omnis perfectio, omnis bonitas, hinc propter se dignissimus est non offendi. Itaque jam ex corde dole, quòd illum offenderis, & dic mecum: O Deus amabilissime, doleo, quòd te judicem meum, quòd te summum benefactorem meum, quòd te summum bonum meum unquam offenderim, & propono cavere imposterum omnia peccata. Nunquid ita? Et ideò te accusas de omnibus tuis peccatis? R. Accuso. Dic ergo pro pœnitentia, &c.

1801 §. 8. Confessarius inculcet pueris horrorem peccati, quia nempè reddit animam turpem, & deformem instar dœmonis: gratia verò reddit speciosam instar Angeli. Præterea ingerat timorem Dei, qui instar Solis ubiq; præsens est, & videt omnes malas cogitationes, & peccata mortalia vult igne æterno punire: è contrà qui pios, & probos amat sicuti filios, dat ipsis bona in hac vita: & postea in cœlo æternam gloriam.

1802 *Q.* 219. *Quid observare debeat Confessarius adolescentum, & juvenum?* R. Seqq §. 1. Multa quæ de pueris dicta sunt, etiam his possunt applicari, maximè si Confessarius non habuerit eos à pueritia sibi confitentes. Habita occasione, imprimis studiosè inculcet, quòd peccata, de quibus timor est vel dubium, an sint mortalia, non sint reticenda ex pudore, alioquin nullum peccatum remitti, sed committi novum, & grande sacrilegium: Nec causam esse pudoris, cùm Confessarius sciat infirmitatem hominum, & obligetur strictissimo silentio, & tantò pluris æstimaturus sit, quantò majore confidentia erga eum utentur. E contrà si reticeant, nihilominus toti mundo manifestandum in extremo judicio, & cum æterna damnatione. Deinde etiam data occasione monendi sunt, ut primas tentationes aperiant, pro intelligendis mediis illas superandi: natura enim incipit in illa ætate se commovere, & quandoque faciunt aliqua, primò nescientes esse peccata, sed inducto pessimo habitu difficillimè emendantur,

§. 2. Nihil isti ætati magis utile est quàm fre- 1803
quens confessio, nam sic augetur Dei timor, & cura puritatis, præcaventur seductiones, vincitur pudor, sicque faciliùs primò in parvis, postea in majoribus conscientiam aperiunt: sed bene instruendi, ut diligens examen, & actus requisitos præmittant. Potest autem examen adolescentum esse, præter illa, quæ de pueris dicta sunt, an tempus otiosè transegerint: pecuniam parentum prodegerint: inhonestis cognominibus alios affecerint, malum imprecati sint alteri: fuerint Parentibus causa iræ. Examen juvenum est fermè idem, & si suadeant circumstantiæ, vel ipsi occasionem dent, interrogandi sunt, primò in genere, an non aliquid turpe cogitarint, dixerint, vel fecerint. Circumstantias personarum non solent advertere, nisi jam antehac talia confessi, instructi sint à Confessariis: debent autem assuefieri omnes pœnitentes, ut ipsimet distinguant speciem, & addant numerum in mortalibus. Hæc autem ætas studiosè deterrenda est à turpiloquiis, quia hæc apud plerosque sunt initium seductionis; ab illis venitur ad turpes tactus, &c.

§. 3. Si Confessarius advertat, quòd quando- 1804
que accedant ad alium Confessarium, permittat, nec ullo signo ostendat sibi displicere, quia melius est sic, quàm sacrilegè confiteri: attamen tantò diligentiùs eis advigilet, quando redibunt. Si autem tales ab alio Confessario clam ad se veniant, audiat ista vice, sed conetur disponere, ut se aperiant suo, neque enim est melior, imò vix est alius modus conservandi innocentiam, aut emendandi ipsos, quàm si uno utantur Confessario, & ejus consilia sequantur. Sapienter dicit *S. Carolus Borrom. in Instr. Pastor. p. 2. c. 6. si quem deprehenderint, qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, conetur eundem peropportunè reducere, quemadmodum enim Medici, qui naturam temperamentorumque corporis in infirmis perfectum habent, non facilè permutari solent, quod morbis necessaria facilius invenire remedia norint, sic neque videntur pœnitentes, nisi magno delectu, à Medicis suis discedere debere, cùm ii meliùs animarum vulneribus adhibere opportuna, ac utilia instituta possint.*

§. 4. Cautè procedendum cum adolescentibus, 1805
& juvenibus, quæ enim vident vel audiunt, observant diu, narrant aliis, de his ipsimet postea prudentiores judicant: major cura habenda est, ut satisfiat judicio, quod habebunt, quàm quod nunc habebunt: nec plus eis dicendum, quàm pati possis resciri ab aliis. Etiam invitis ingerenda sunt pia documenta, & monita, sunt enim semina, quæ si non jam, postea fructum dare poterunt.

Q. 260. *Quid observare debeat Confessarius Rusti-* 1806
corum aliorumque rudium? Resp. seqq §. 1. Eadem fermè observanda sunt de his, quæ de pueris sunt dicta, nam sæpè sunt æquè vel magis ignorantes. Hinc 1. poterunt *simili* modo ad dolorem disponi: fortè etiam *servet* hic modus, quærendo, si offendisses magnum Principem, qui tibi dedisset omnia quæ

habes, qui te aleret, velletque facere hæredem maximorum bonorum: & è contrà si non placaretur, posset te omnibus pœnis afficere, nunquid doleres te eum offendisse? Habesne etiam parentes adhuc? Numquid amas illos, & putas meritò esse dignos, qui à te non offendantur, quia te sic amarunt semper, & tibi benefecerunt: Et nunquid doleres, si graviter offendisses? Sed numquid Deus tibi adhuc plùs fecit? Hunc tu offendisti, qui præterea in se dignissimus erat non offendi, quia est Deus summe bonus, summè perfectus, propter infinitam majestatem, & præcellentiam suam dignissimus semper amari, & coli. Nunquid ergo doles, & proponis non offendere ampliùs? Dic ergo corde, quod dicam ore: Deus meus, & Dominus meus! doleo me fecisse, quæ tibi displicent quia tibi summo Domino meo, maximo benefactori, & amabilissimo Deo displicent, & propono cavere imposterum, ideóque me de illis accuso.

1807 § 2. Examen illorum potest esse: An blasphemarint per Christi Sanguinem, per Sacramenta, &c. An jurarint, & quidem advertenter contra veritatem: (debentque plerique pœnitentes instrui, quid sit jurare, nam aliàs sæpissimè per conscientiam erroneam peccant, putantes se jurare, cùm tamen id, quo dictum suum confirmant, juramentum non sit,) An imprecati sint grave malum alicui, seriò ex animo: Neglexerint sua culpa, vel serò venerint ad missam die festivo: Grave odium habeant in aliquem: Dixerint contra honorem alicujus, vel alicui in faciem contumeliosè locuti sint: Inebriaverint se usque ad privationem rationis, & hoc quidem prævidentes: Die vetito comederint carnes: Aliquem defraudarint, furati sint, damnum intulerint, faverint, inferre voluerint, si potuissent: An usi sint signis superstitiosis, vel observationibus vanis, de quibus Busemb. *l.* 3. *p.* 1. *n.* 41. relatus plura habet. Circa turpia cum illis agendum est, uti cum juvenibus, communiter incipiendo ab operibus, & descendendo ad verba, oscula, tactus pollutiones, desideria, cogitationes. Quandoque etiam juvat apud aliquos sic facere hoc examen, ut recogitent, quid mali fecerint in ultimo die festivo, quod enim in uno faciunt, solent etiam facere in aliis: deinde quid mali fecerint ultimo die profano: denique quid alio die extraordinario, v.g. die convivii, nuptiarum, itineris, aut simili, quo solent esse majores occasiones peccandi

1808 §. 3. Si à rudi homine non possis ullam materiam elicere, pete aliquid de priori vita: si neque de hac certum aliquid in specie afferre possit, sed tantùm in genere dicat, sæpè peccavi, propone ipsi præcipuas species peccatorum, in quæ tales homines labuntur. Quòd si nihil adhuc in specie possint agnoscere, potest, imò juxta Laym. debet sine absolutione dimitti, nam tales sæpè nullum habent grave peccatum, & quamvis haberent, hoc sæpè utile est, inquit Gob. *t.* 7. *n.* 430. ut metu carendi absolutione alia vice excitentur ad meliùs examinandam conscientiam. Teret *in Instr. idiotæ* c. 1. §. 2 q. 1. sic habet: Si advertis rudem illum esse bonæ mentis, & à non longo tempore confessum, elice cum eo contritionem, & dicto super eum, *miseretur*, dimitte cum Cruce sine absolutione: Si verò diu, v. g. à medio anno non est absolutus, tutius est sub conditione absolvere, priùs tamen interrogatum, an non doleat de omnibus suis peccatis, & etiam de eo, quòd ita incuriè vixerit, ut advertere non possit, in quo peccarit, cùm tamen dubium non sit, eum sæpè peccasse, de qua incuria si doleat, dicit posse absolvi Addit Burg. *cent.* 2. *cas.* 17. pœnitentem rudem qui non potest satis confiteri, non facilè esse remittendum, alioqui non redibit, hinc inquit etiam Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 166. Confessarius suppleat, breviter percurrendo præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, aliasque materias ad ipsos spectantes. Experientia etiam compertum est, rudes adultos, cùm de peccatis interrogati omnia negant, sæpè nescire scitu necessaria ad salutem, & inde esse tantam obcœcationem, quæ sola instructione tolli poterit.

§. 4. Si pœnitens sit ita stupidus, & hebes, ut 1809
nequidé necessaria necessitate medii possit capere, variè cũ tali est procedendum: nam si hebetudo oriatur ex consuetudine committendi aliqua peccata, quæ mentem veluti obcœcant, uti sunt luxuria, & ebrietas, differri debet absolutio, & priùs abducendus est à talibus vitiis, quia durante impetu talium vitiorum frustra erit instructio, sicque voluntate paulatim à malo abducta informandus erit pleniùs intellectus. Quòd si nesciatur, an hebetudo oriatur ex peccatis, videri debet, an in aliis rebus temporalibus solers, & industrius, nam si est, suspicio est ortam esse ex peccatis, ideóque interrogandus erit, sed certè, circa peccata luxuriæ, aut intemperantiæ E contrà si hebetudo oriatur ex naturali complexione quod colligitur ex eo, si etiam ad alia temporalia sit hebes, si de cætero ostendat se esse bonæ voluntatis, & innocenter vivat, Confessarius præeat ipsi in actus fidei, spei, charitatis, doloris, & propositi, prout capere poterit, sicque dispositum absolvat saltem sub conditione, si capax est, jubeátque communicare. Quòd si tam hebeti sit ingenio, ut nullam propriam cognitionem de quibusdam mysteriis formare possit, Tann. & Gob. *n.* 311. dicunt esse æquiparandum fatuo vel infanti: Deus enim à nemine exiget majorem notitiam, quàm per vim intellectus habere possit. Denique si hebetudo oriatur ex senectute, & hic senex prius sciverit ea, quæ sunt scitu necessaria, potest illi impendi absolutio, & Communio, quamvis jam non ita clarè videatur eà capere. Si autem antehac non sciverit ista, nec satis christianè vixerit, laborandum, ut citò addiscat, quantùm fieri potest, & disponatur ad dolorem, ne accedente majore senio minor sit capacitas.

Q. 261. *Quid observare debeat Confessarius Ecclesia-* 1810
sticorum, Judicum, &c. Patrum, filiorum-familias, &c.
R. §. 1. Ecclesiasticis maximè inculcandum, ut scandala caveant: casti & sobrii sint: officii sui partes maturè expleant; causa enim, cur frequenter omittantur Horæ, plerumque est dilatio in noctem. Materiæ præcipuæ, circa quas peccant, sunt simonia, Horæ canonicæ, Missa, habitus, & tonsura, administratio Sacramentorum in mortali, pluralitas Beneficiorum sine causa, abusus proventuum Ecclesiasticorum, de quibus omnibus videri potest Busemb. *relatus l.* 4. *n.* 1355. & 1370.

§. 2. In quibus maximè peccent Judices, ha- 1811
bes *l.* 4. *n.* 1420. 1428. 1440. & 1469. In quibus Advocati, *ib. n.* 1506. in quibus Referentes, Secretarii, Notarii, Procuratores, *ib. n.* 1508. In quibus Accusatores, *n.* 1509. In quibus Testes, *n.* 1514. In quibus Rei, *n.* 1521. & 1525. Instructiones speciales pro judicibus, Senatoribus, illustribus personis, habet Lohner *de Convers. Apost. p.* 2. *c.* 2. §. 3. & 4. Speciatim autem pro divitibus § 5. ut opibus bene utantur.

§. 3. In plerisque familiis plus auctoritatis habet 1812
vir, quàm uxor, & tum debet Confessarius magis laborare de viro bene instruendo: in aliquibus plùs uxor quàm vir, & tum per illam debet quæri bona institutio familiæ. Examen Patris, & Matrisfamilias potest esse: An curet, ut subditi præcepta observent, Missas, Catechismos, Conciones audiant: An eos nimiùm oneret: An contumeliis, injuriis, verberibus afficiat: An peccantes puniat: An permittat lascivas conversationes suorum, turpiloquia, blasphemias, &c. An in aliquo, sit scandalo domesticis, ac præ-

sertim

sertim prolibus. Quid debeant præstare famulantibus, dictum est *l.3 p.1.n.706.* Conjugatorum peccata potissimùm sunt imprecationes contra conjugem, vel proles, mala educatio prolium, vel domesticorum, negata redditio debiti, usus inhonestus Matrimonii, periculum pollutionis, fœtus ejiciendi, abortus. Quandonam peccent contra justitiam dilapidando res communes, vel occultè subducendo aliquid, dixi *l.3.p.1.à n.1017.*

1813 §. 4. Confessario conjugum dabat hæc consilia *S. Xaverius* apud Turscll. *in vita l. 6. c. 17. Noli facile conjugis alterius de altero querelis credere, sæpè enim, & fallitur, & fallunt, sed summa animi æquitate utrũque audies, nec incognita causa condemnabis alterum. ∴. Coram uxore cave, culpam conferas in maritum, quamvis haud dubiè penè illum sit culpa, sed re in præsentia suppressa, deinde sine arbitris eum monebis ∴. Omni cura in id eris intentus, ne uxoris patronum videaris venire contra virum, nam ut mulieres natura subimpudentes sunt ac procaces facilè viris, ipsorum noxas, præsertim Sacerdotum judicio damnatas objiciunt, quocirca satius est re dissimulata observantium maritis debitam proponere uxoribus, & simul demonstrare ipsis, quòd viros suos sæpè despicatui habuerint, gravi utique dignas esse pœna.* Plura documenta pro conjugatis suggerit Lohn. *suprà §.10.à n.3.* Specialiter pro Patribus-familias, §.6. Pro Matribus familias, §. 7. Pro viduis, §. 8. Quàm autem sit cautè conversandum cum mulieribus dicam *n.1891.*

1814 § 5. Quotuplicia sint bona filiorum-familias, & quid notandum sit circa eorum furta aut salaria, ad quæ putant se jus habere laborantes in domo paterna, dixi *l.3.p.1.à n.1026. 1032. & 1034.* De famulis & ancillis dictum est *ib.à n.706.971. 1037. & 1043.* Examen filiorum-familias & famulantium maximè fieri debet circa furta & impudicitias: ac signanter reflectendum est, an non sint in proximis occasionibus peccandi, quas, ut absolvi possint, debent actu deserere, aut efficaciter velle ac posse facere remotas, secundùm dicenda *n.1831.*

1815 *Q.262. Quid observare debeat Confessarius Medicorum &c. mercatorum, opificum, militum?* R. § 1. Obligationes, & peccata Medicorum, pharmacopœorum, chirurgorum, habes *l.4.n.1532.* Mercatorum, *ib.n.1439.* Et specialiter Mercator graviter peccat, quando paratus est pro merce quodvis pretium, etiam injustum accipere, si posset. Item si falsò juret, & docendus est mortale esse in confirmationem rei etiam levis falsæ interponere auctoritatem Dei, quod rarò faciunt, nam modi aseverandi, quibus putant se jurare, sæpissimè non sunt vocatio Dei in testem, uti constat ex dictis *l.3.p.1.n. 256.258.* hinc ne peccent per conscientiam erroneam, dici debet illis, quid sit & non sit jurare: item quid sit & non sit invidere proximo, nam sæpè per errorem credunt se peccare, si optent ad officinam suam venire illos, quos vident merces emere in alia vicina.

1816 § 2. Peccata opificum habes *l.4.n.1539.* specialiter autem interrogandi sunt, an laborarint die festivo, retinuerint plus quàm pretium contractum, subduxerint partes materiæ, in qua pro aliis laborabant.

1817 §. 3. Peccata militum, ac specialiter Officialium belli, habes *l.3.p.1.n. 867.* Sunt autem milites sæpè addicti superstitionibus, circa quas examinandi sunt, prout habetur *ibid.n. 41.* Si ante prælium vel in communi periculo absoluti sunt non recensitis omnibus mortalibus, monendi sunt, quòd remoto periculo teneantur se speciatim accusare de omnibus, ut directè absolvantur.

1818 *Q. 263. Quid observare debeat Confessarius hominis scandalosi?* R. Per hominem scandalosum intelligo illum, qui causa est, cur alii peccent, sive id faciat malo exemplo: sive turpiloquiis, sive aliter. Deterrendi sunt tales studiosissimè, motivis, quæ habet Gerf. *p.2.n.3. Opusc. de præcep. Dec. c. 18. Quidquid agat homo in persona sua, supremè caveat alium ad malè agendum solicitare: aut verbis, aut factis, exemplis vel consiliis aliquid agere, quod de se sit occasio ruinæ peccati, specialiter coram juvenibus aut personis innocentibus. Hoc etiam proprium est singularéque dœmonum officium, quemadmodum bonorum Angelorum interest speciatim homines inducere ad bonum. Compertum est etiam frequenter accidere, quòd homines aliorum ad malum impulsores vix aut nunquam delicti sui condignam pœnitentiam assecurantem perficiant, quia nequeunt eos corrigere ad bonum, quos deceperunt; jam fortè damnati sunt, vindictam à Deo postulantes æternamque eis maledictionem jugiter imprecantes, sicuti ex opposito jam salvati aliorum doctrinis & factis aut opera diligenti (quo nullum Deo opus ac sacrificium acceptius esse potest, & ad peccata dolendum validius) pro suis adjutoribus preces indefficienter effundunt. In Reg. Mor. §. De pœnit.* addit, *Qui seduxit alios ad peccatum, tenetur pro posse eos postmodùm ad viam virtutis reducere, non minùs quàm de damno temporali illato.*

Q.264. Quid observare debeat Confessarius consuetudinarii vel recidivi? R. seqq. §. 1. Consuetudinario quandoque neganda est vel differenda absolutio, etiamsi dicat se habere dolorem & propositum, quia quandoque non potest prudenter credi illi, uti constat ex dictis *n.1762.* Et quamvis nunc putaretur habere sufficientem dolorem & propositum, adhuc aliquando potest differri absolutio, ob rationes *à n. 1764.* allatas. Franco. *de discipl pœn. l.3.c. 10. n. 4.* ait *Remedium Sacramenti & frequens ejus usus, cùm non appareat satis utilis, rationabiliùs subtrahitur.* 1819

§.2. Confessarius potest absolvere consuetudinarium prima vice, qua se accusat de peccatis suæ consuetudinis, licèt nulla adhuc emendatio præcesserit, dummodò non seriò proponat, præcipuè si ultrò nemine cogente ad confessionem venerit, uti habet communissima contra *Huygens, Gabrielis, Opstraedt* & alios Rigoristas. Ratio est, quia sic confitens est ritè dispositus, & dat spem emendationis, ergo. 1820

§.3. Dixi *in l.3.p.1.n.273.* eum posse statim absolvi, qui ex consuetudine, quam jam expellere non potest, sæpè relabitur. *Hic à n. 1729.* ostendi frequentem relapsum, etiam qui ex malitia fit, non semper esse signum, quòd in prioribus confessionibus defuerit dolor, aut propositum, sed tantùm esse signum nunc immutatæ voluntatis, adeóque si nunc iterum sint signa non doloris & propositi, recidivus, per se loquendo, potest absolvi. Deinde multi viri doctissimi resolverunt, si consuetudinarius sit confessus, quamvis dubitaretur de vero dolore & proposito, tamen supposita confessione eum, per se loquendo, habere jus aliquod ad absolutionem saltem sub conditione accipiendam, secundùm dicta *n.1770.* Quænam autem sint signa sufficientia novi doloris & propositi, dixi *à n. 1734.* Et signa pro spe etiam jam secuturæ emendationis sunt, si pœnitens à Confessione facta rariùs vel difficiliùs peccarit: si sæpiùs sibi vim fecerit contra tentationem; si occasiones aliquas relapsus vitaverit; si adhibuerit media præscripta contra relapsum: si occasiones externas vitarit: si novum dolorem manifestet, ita ut Confessarius credere debeat, quòd se emendare velit: si ex prioribus gesturum efficaciora remedia: si se offerat ad priora seriò & studiosiùs adhibenda. 1821

§.4. Quando recidivæ peccatis fiunt ex sola fragilitate intrinseca, uti fit in blasphemiis, odiis, delectationibus morosis, mollitie, rectè docent *Laym. Fill.* 1822

Lugo aliique communiter cum Spor. *n.* 330. ordinariè posse toties absolvi, quoties Confessarius prudenter judicat eum seriò dolere & proponere imposterùm emendare: quia est ritè dispositus: hinc *S. Hier. relatus cap. septies dist. 3. de Pœn.* ait, *Non solùm septies sed septuagesies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata condonantur.* E contrà si recidivæ fiant ex occasione aliqua extrinseca, erit vel non erit absolvendus, secundùm dicenda *n.* 1831.

Objic. Ipsimet consuetudinarii, si interrogentur, an imposterùm nunquam ampliùs peccare velint, agnoscunt impossibilitatem quandam moralem, & dicunt, *faciam, quantùm in me erit, conabor*: quandóque ingenuè fatentur sibi esse impossibile, ergo nunquam possunt prudenter judicari seriò proponere. R. Dato ant. n. cons. nam imprimis seriò proponimus in venialibus, & tamen scimus nos relapsuros. Deinde ostendi *n.* 1733. ad serium propositum etiam circa mortalia non requiri, ut credatur relapsus non secuturus, sed satis est nunc adesse seriam non relabendi voluntatem, cum qua, quamdiu stabit, stare non possit voluntas relabendi, quamvis fortè prævideatur per fragilitatem immutanda, sicuti etiam *S. Petrus* non ideò judicatus est indispositus ad Communionem, quòd à Christo sciretur relapsurus, ita nec consuetudinarius censendus est indispositus ad absolutionem, quamvis moraliter sciatur esse relapsurus. *Dixi.* dato ant. nam sæpè contrarium dicunt. Si tamen consuetudinarius ipse desperet de sua emendatione, difficulter habebit verum propositum, hinc priusquàm absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas, sed per Dei gratiam, cui si cooperetur, poterit, uti docuerunt innumera exempla ipsi similium.

Instit. Toties relabendo frangit fidem datam Confessario, ergo ipsi ampliùs credi non potest. R. n. ant. nã antehac non dixit, *non relabar ampliùs*, sed dixit, *propono non ampliùs*, & hoc propositum habet, quamvis postèà relabatur, ergo non fallit Confessarium, sicuti Religiosus vovens castitatem, non dicit, *non labor*, sed *promitto non labi*, ideóque valet votum, quamvis postèà labatur. Ex dictis,

Infertur 1. Audiendum non esse Juvenin *in Comment. Historico-dogmatico d. 6. q. 9. c. 4. art. 7.* ubi ait, *Qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, non debent absolvi, nisi multo ad viri prudentis judicium tempore conversionem operibus probaverint*: Et subdit, *Toti antiquitati persuasum fuit contritionem non esse diei unius opus, sed mulierum mensium, imò & nonnunquam annorum.* Contrà enim est, quòd secundùm dicta *n.* 1768. sæpè plùs prosit absolutio quàm dilatio, nam si hæc dispositio juvetur per gratiam Sacramenti, spes est, quòd proximè sit rediturus, & sic paulatim victurus consuetudinem: ubi è contrà periculum est, ne hæc dispositio pereat, ne homo intereà moriatur, vel in desperationem veniat. Sapienter dixerunt Episcopi Belgii Bruxellis congregati, in Decreto ad suos 25. Apr. 1697. *Confessarius, quibusvis peccatoribus gravibus, etiam recidivis, stata lege non exigat, ut per notabile tempus prævie exercuerint opera pœnitentiæ, sed cum SS. PP. expendat, Deum in conversione peccatoris non tam considerare mensuram temporis, quàm doloris.*

1824 *Infertur* 2. Etiam audiendum non esse Genetum *T. 4. tr. 6. c. 5. q. 19.* ubi docet pro hoc Sacramento requiri *constans propositum*: & quòd constans sit, debere innotescere Confessario, antequàm absolvat. Addit *c. 7. q. 5. Trid.* velle, ut absolvendus cessarit à peccato, cum autem non censeri cessasse, qui relapsus est, quamvis post ultimam confessionem rariùs peccarit. *Contrà est*, nam sententia illa manet confutata ex dictis, & ex illa sequitur eum, qui prima vice confitetur mortale, vel etiam sola venialia, non esse absolvendum, quia nescitur, an habeat propositum constans, constat autem ex dictis *n.* 1728. id dici non debere, & esse contra praxim totius Ecclesiæ.

§. 5. Inter media emendandi consuetudinarium, 1825
primum est, ut semper utatur eodem Confessario, unde si advertatur currere ab uno ad alium, meritò dubitari potest de ejus dolore vel proposito, quia adhibere non vult medium, quod utilissimum & ferè unicum est, nempè unum Confessarium habere & ejus consilia sequi. Confessarius autem ab eo electus, 1. Specialiter rogabit Deum pro illo. 2. Conabitur nosse ejus naturam, genium, inclinationes, passiones ut sic mediis & affectibus naturæ accommodatis eum ducat, quia quando natura concurrit, res faciliùs peragitur. 3. Semper ostendet illi benevolentiam & constantem charitatem, nec ullo signo prodet desperationem de emendatione ipsius. 4. Studebit pro inveniendis & suggerendis ipsi aptis remediis. Et quia recidivæ plerumque fiunt circa aliquod è peccatis capitalibus, debet Confessarius scire & suggere specialia remedia contra singula, quorum aliquando ex Auctoribus *n.* 1760. relatis.

Contra Superbiam. Lit. A

1. Considera; quid fuisti? nihil. Quid es? quoad animam multis tenebris obseptus, pessimis inclinationibus subjectus, multitudine peccatorũ oppressus, foetè hostis Dei: Quoad corpus, saccus sordium: undique repletus multis miseriis. Quid eris? brevi esca vermium, fortè titio infernalis, nisi te Deus adjuvet, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* 1. Petri 5. v. 5. Igitur *quid superbis terra & cinis*? Eccl. 1. v. 9. 2. *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia. ∴ Initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis*, Ecc. 10. v. 15. E contrà humilitas est virtus Christi, *qui humiliavit semetipsum*, ad Philipp. 2. v. 8. Et Matth. 11. v. 29. ait, *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* 3. Quid utilitatis capies ex vana gloria? aranearum laborem suadet, æternæ gloriæ fructum aufert: *receperunt mercedem suam.* Matth. 6. v. 2. Humiliatio via est ad humilitatem: si vis expugnare superbiam, age cum humilibus; in vestitu, domo & omnibus externis, quantùm fert decorum status tui, moderationem adhibe: quæ in te bona sunt, potius absconde; ad defectus & peccata propria mentem reflecte; si quid in te æstimatur vel laudatur, tuum non est, hinc laudem refer ad Deum omnis boni auctorem. *Tuum Domine est bonum, tua gloria; qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit & non tibi quærit, hic fur est & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam*, S. August. solil. c. 15.

Contra Avaritiam. B

1. *Avaro nihil est scelestius ∴ nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet*, Eccl. 10. v. 9. 10. 2. Animus nec paucis nec multis bonis temporalibus satiari potest, unde si hæc immoderatè quæres in perpetua eris inquietudine; resolve non plus velle, quàm post adhibitam moderatam solicitudinem tuam Deus disponet te habere: *Dominus regit me & nihil mihi deerit*, Ps. 22. v. 1. *in pace in idipsum dormiam & requiescam*, Ps. 4. v. 9. Dominus dicit Matth. 6. v. 33. *Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* 3. Omnia brevi relinquenda sunt, nisi quæ præmissa per manus pauperum fuerint. Veritas æterna dicit Matth. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur*: quem hìc audies, cupiditatem

tuam

tuam an Christum ? 4. Exemplo sint nobis ipse Christus & innumeri Christum sequentes : si melior fuisset ad beatam æternitatem via, quàm divitiarum contemptus, tenuisset Christus & docuisset. 5. Quid speras ex divitiis, quas relinques hæredibus, fortè ingratis, prodigis, abusuris ?

C *Contra Luxuriam.*

1. Fuge conspectum & maximè familiaritatem eam, quæ te ad libidinem movet ; qualiscumque & cujuscumque illa sit, nam hìc fugiendo vincitur : recedendum ab eis, qui loquela, gestu, exemplo vel qualicumque facto ad aliquid turpe excitant. Si hæc efficaciter non caves, vis ignem contrectare & non uri, lutum tangere & non maculari : absque hoc omnia proposita & protestationes tuæ nullæ sunt. 2. Fuge otium & honestis semper exercitiis vaca. 3. Ne nutrias corpus delicatè, abstine à vinis fortioribus & calidioribus cibis : si quandoque opus erit sumere, cùm illis incalueris, tum maximè sis cautus. 4. Sensus custodi. 5. Primas scintillas tentationis statim excute, faciliùs præcluditur malum quàm admissum excludatur. 6. Juvat etiam uti flagello vel cilicio, exemplo Apostoli 1.ad Corinth. 9. v. 7. *castigo corpus meum & in servitute redigo.* 7. Pone tibi ob oculos cadaver hominis, quem perditè amasti, vide vermes, saniem, fœdissimam putredinem ; audi quid dicat, *Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum : mihi heri & tibi hodie.* Eccl.38.v. 23. Remedia contra mollitiem dabuntur *à n.* 1829 quæ pariter valent contra alia peccata luxuriæ.

D *Contra Invidiam.*

1. Perpende ejus imprudentiam, nam inutilis est invidia, quæ tantùm confert ad peccandum, nulli nocet nisi invido, non enim ideò minus habet ille, cui invides ; & si hic careret bono, quod illi invides, non ideò tu illud vel melius haberes. 2. Inhonesta est invidia, nam prima regula honestatis est, quod tibi velles, velis alteri. 3. Qui alteri malè vult, sibi vult pessimè, quia se in statu peccati constituit. 4 Quod Deus faveat homini, etiam tu fave, nihil tibi ideò decedit, imò per hoc mereris similem à Deo benedictionem. 5. Debes tandem bene velle proximo, nisi æternum perire velis ; melius est ergo citò bene velle, ne vita sine merito, imò cum demerito transeat, & ut per hoc Deo placeas, *qui solem suum fecit oriri super bonos & malos*, Matth.5. v. 45. 6. Ut supprimas invidiam, stude commodis istius hominis, seriò & sincerè quære illi prodesse, ubi potes : damna illius averte, affabilem te & benevolum illi exhibe.

E *Contra Gulam.*

1. Remove, si potes, quæ possunt gulam irritare, qualis est ciborum suavitas, varietas & condimenta : si debes talia sumere, vide, ut utaris, non fruaris, id est, non sistе in eorum deliciis, te oblectando, sed refer ad finem bonum, nutritionis melioris vel honestæ recreationis, ideóque illis tantùm urere, quæ huc conducunt. 2. Considera gulam, bestiarum potiùs esse voluptatem : imò pecudes non plus sumunt, quàm natura & necessitas postulet. 3. Gula intellectum offuscat, bona desideria extinguit, reddit hominem ineptum suis officiis, facit despicabilem & contemptum, certò viam abbreviat.4.Gulam in cibis vinces, si in mensa semper aliquid tibi subtrahas, maximè quod magis arridet palato & minus conducit sanitati. Pro ebrietatis vitio emendando, vide dicenda à *n.* 1851.

F *Contra Iram.*

1. Scis ipse, per quæ ordinariè ad iram provòceris, ad ista præpara animum per propositum patientiæ, & sic moderatiùs feres. Cave potationes vel lusus, si occasiones tibi sunt irarum & rixarum. 2. Undecumque ut causa, patiendum est. Cogita quoties Deus justam contra scelera tua conceptam iram continuerit : Deus te patienter fert, & tu vilis homo malè vis proximo. 3. Saltem Christo id da, qui hoc à te petit : & quamvis non mereatur proximus, meretur tamen Christus jubens diligere invicem, benefacere his qui oderunt nos. 4. Moveat te Sanctorum exemplum & imprimis Christi, *qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur*, 1. Petri 2.v.23.5. Quid prodest ira tua? soli tibi nocet: plùs proficeres tibi & proximo, si absque passione in charitate corriperes : *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*, Prov. 15. v.1.6. Reflecte super præterita, & advertes plus semper obfuisse tibi iram quàm profuisse. 7. Injuria, quæ fit tibi, plùs nocet inferenti. 8. Si quid accidat displicens vel adversum, converte statim animum ad aliud quidvis occurrens : saltem non erumpe statim, sed collige teipsum, paucis considerans, an non expediat magis tacere, dissimulare, sermonem aliò convertere, &c. non crede spiritui, qui statim dicit, de tuo honore hìc agitur, id pati non debes, oppone te, repugna, vindica. 9. Si non possis commorionem animi impedire, saltem contine linguam à contumeliis, imprecationibus, blasphemiis, juramentis, *vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga*, Eccl.23. v. 12. Multò magis contine manum à verberationibus, & pugnis : *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, Lucæ 21.v.19.

Contra Acediam. G

1. Crebra recordatio beneficiorum Dei debet in honesto animo excitare fervorem in divino servitio. 2. Memento vicinæ mortis, quæ bene operandi tempus aufert. 3. Perpende præmia fervidæ charitatis, & è contrà damna temporis : *Utinam frigidus esses, aut calidus ; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*, Apoc. 3. v. 16. 4. Non proficere est deficere ; non progredi est regredi. Es veluti navis in flumine, quæ si in altum non protrudatur, suo & aquæ pondere ad inferiora delabitur. 5. Declina deditos otio, age cum illis qui alacriter Deo serviunt. 6. Manè quotidie excita te per propositum ista die perfectè obeundi tua, vespere de hoc institue examen, & *si neglexeris, de te ipso pœnam aliquam exige.* 7. Vide exempla tot servientium Dei servorum, qui longè jucundiùs vivunt, quàm isti inertes sibi ipsis graves, & molesti.

Remedia & adjumenta universalia. H

1. Præcipuum, & universale remedium ad omnia vitia extirpanda, & inserendas virtutes est, ut humiliter, & frequenter cum fiducia ores Deum pro gratia & auxilio, ac crebrò per pias aspirationes ad eum recurras. 2. Manè propone cavere tale vitium & vesperè de illo examen institue. 3. Frequenter confitere, & quidem statim, si in peccatum fueris relapsus. 4. Frequenter sume Eucharistiam. 5. Fuge improborum & sectare proborum societatem. 6. Lege pias libros; & præsertim Scripturam. 7. Considera vitam Christi & Sanctorum. 8. Cogita præsentem tibi semper Deum, & Angelos. 9. Pœnas peccatorum perpende, & è contrà gaudium ac felicitatem justorum. 10. In pœnam relapsus afflige quandóque corpus per jejunium, cilicium, flagellum ; injunge tibi eleemosynam, exerce aliquod opus charitatis, misericordiæ, humilitatis. 11. Necessaria est tibi magnitudo animi ad incunda hæc certamina, certumque victoriæ signum est victoriam magnanimiter sperare. 12. Etiam perseverantia necessaria est, quare nunquam desponde animum : Licèt millies cadas, surge statim & innova pugnam : ille solùm est victus, qui armis

& voluntate pugnandi abjectis se adversario turpiter dedit. 13. Quamvis non statim advertas profectum, non ideò *nihil* profecisti, nam ut horologii umbram progressam videmus, progredientem non advertimus, ut segetes crevisse apparet, non apparet crescere, ita virtutem crescentem, quoniam minutis constat auctionibus, non facilè videas, sed tandem longiore intervallo crevisse videbis: labor ipse pugnandi est continuus profectus in humilitate, & patientia, quæ etiam ad vitii victoriam conferent.

1826 § 6. Quandoque etiam terrendi sunt recidivi, propositis extremis hominis, morte, judicio, inferno: item periculo damnationis ob incertitudinem vitæ, ob facilitatem casuum lethalium, ob invidiam dæmonis, qui hominem in mortali constitutum statim è medio tolleret, nisi infinita Dei misericordia impediret. Quandoque movendi sunt objecta passione Christi, quem quoties peccant, iterum crucifigunt, quantùm in se est. Etiam terror injici potest proposita Dei justitia per exempla illorum, quos punivit: item proposita abysso judiciorum Dei, qui unicuique homini numerum peccatorum præstituit, quæ si impleat, privatur gratia efficace, nec resurgit, sed culpa sua infallibiliter perit, unde meritò timet quisque, ne primus relapsus sit peccatum ultimum. Quosdam etiam movere poterit hæc interrogatio. Quid si homo esset tibi subditus, cui dedisses omnia, quæ habet, ac cumulasses maximis beneficiis, si tamen ille toties, tam deliberatè, tam malitiosè te contemneret, vilipenderet, & quantùm in se esset, è medio tolleret, quid illi faceres? possesne post veniam decies, vigesies, aut centies datam adhuc condonare? an non desævires in illum? Idem posset in te Deus, & fortè brevi faciet, nisi peccandi consuetudinem abrumpas. Qui tamen sunt ex natura pusillanimes vel turbati ingenii, non multùm terreri debent, ne in desperationem incidant, sed laudandi sunt, si quid emendarint, & ostendi debet possibilitas totalis emendationis, si vim aliquam sibi faciant, & pergant cooperari gratiæ Dei, quæ eò faciliora reddet omnia, quò ipsi meliùs diutiusque se continuerint.

1827 §. 7. De pœnitentia illis injungenda dixi n. 1272. Utiliores sunt, quas retuli n. 1267. 1268. Quibusdam prodest, si imponatur, ut manè prima, vespere ultima cogitatio sit de aliqua sententia vel veritate æterna, v. g. *Brevis vita, longa æternitas. Fac ea, quæ moriens facta fuisse voles. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Etiam experiri oportet varia remedia, nam non omnes uno, nec idem homo super eodem modo juvatur. Gerson *p. 2. n. 32. Opusc. de præcept. Decal. cap.* 17. dicit sæpè utiliter imponi, ut quoties relabetur, toties det pauperi eleemosynam. *Dicunt*, inquit, *sapiùs insipientes aliqui, se à peccato iræ, luxuriæ, perjurii, & si quid est simile, abstinere non posse, qui tamen hoc ipso salubri remedio velut mendaces facillimè confutantur, cum unius Albi, vel Franci in emenda cujuslibet transgressionis eis inflicta pœna, ipsos à perpetratione injusti operis retraheret.* Etiam potest ipsis pro pœnitentia imponi, ut quoties relabentur, toties pœnam aliquam sibi ipsi imponant statim peragendam: & Confessarius ex hac pœna, quam sibi imponent, colliget, qualis sit conatus & quàm efficax desiderium se emendandi.

1828. §. 8. Si habeat Recidivum in materiis plurium peccatorum, non aggrediatur specialiter emendationem omnium simul, sed primò studeat tollere radicem cæterorum, aut illa priùs, quæ magis scandalosa sunt, instituto super illis examine particulari, usquedum unum post aliud expugnetur. Quòd si Confessarius fecerit, quod in se est, totum eventum committat Deo, ad quem solum spectat convertere animas: unde nec vanè extollatur, si videat consilia sua prodesse, nec dejiciatur, si minùs proficiant: Angeli Jerem. 51. *v.* 9. dicebant, *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Denique notat Carden. *in 2. crisi d. 39. n. 15.* quando consuetudinarii advertuntur esse verè pœnitentes, & incipiunt se emendare, monendos esse de confessione generali, prudenter enim timeri potest, ne antehac aliquando confessi sint sine sincero dolore, aut proposito, alioquin non tamdiu in pessima consuetudine hæsissent.

Q. 265. *Quid Confessario sit agendum specialiter* 1829 *cum illo, qui frequenter relabitur in pollutiones, & peccata mollitiei?* R. §. 1. De hoc ita scribit Toletus *in summa l. 5. cap. 13. Hoc peccatum est difficillimæ curationis, quia occasio semper cum homine est: estque præterea adeò universale peccatum, ut crediderim maximam partem damnandorum infici hoc peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium quàm frequentissimam confessionem apud unum eundemque Confessarium, ut fiat ter in hebdomada, si fieri possit, est enim hoc Sacramentum maximum frænum, & qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum à Deo factum, vel rarissimum privilegium.* Idem tenet *Polancus in Director. cap. 3.* ubi ait, *Crebrò confiteri sacramentaliter, multorum remediorum instar alia pleraque complectitur.* De efficacia Communionis contra hoc vitium, dixi l. 6. par. 1 n. 683. soletque dæmon libidinosis injicere horrorem ab hoc Sacramento, ad quod tantò magis invitandi sunt. Varia tamen remedia habère debet in promptu Confessarius, maximè sub initium, cùm advertit pœnitentem incipere se turpiter tangere, ut gravissimè deterreat, principiis enim faciliùs obstatur, quàm malum emendetur, quando invaluit. Remedia, præter ea, quæ hactenùs insinuavimus, latè suppeditant *Drexelius in Nicta*, & Veron *in manuali Sodalitatis c.* 10. Gob. autem *tr. 7. à n.* 548. & Sporer *n.* 343. dicunt se expertos, quòd sequentia multis fuerint salutaria. 1. Confessarius inquirat, ad quem Sanctum, vel ad quod mysterium vitæ aut Passionis Christi Pœnitens magis afficiatur, tumque ei pro Pœnitentia injungat, ut per certum tempus, v. g. usque ad proximam confessionem manè & vesperi dicat flexis genibus, *Domine Deus, qui flammas æternas ignis sulphurei præparasti omnibus libidinosis, statuo coram te, & propono in honorem amantissimi hujus Patroni mei, & Passionis Christi, me hac die, hac nocte abstenturum ab omni turpi tactu mei ipsius:* quando autem actu urgebit tentatio, repetat apud se ea verba. 2. Si consentiat Confessarius, voveat servare castitatem per unam v. g. septimanam; Confessarius autem id non permittat, nisi ubi ferè certam sperat victoriam, nec unquam permittat, ut voveat in perpetuum, 3. Beatæ Virgini ante aram, vel iconem offerat, & obstringat manus suas, cum firmissimo proposito eas ob reverentiam ipsius intra tot dies non extendendi ad turpem tactum. 4. Ante Crucifixi imaginem quotidie statuat continere manus suas ad honorem sacrorum vulnerum, quæ Christus pro se in manibus accepit, & ad reverentiam sacratissimi Sanguinis, qui ex illis fluxit. 5. Multis profuerunt hæ precationes ad Christum, Beatam Virginem, & S. Josephum, dictæ manè, vesperi, & quando urget tentatio. *JESU purissime, per sanctam Virginitatem, & Incarnationem tuam munda cor, & carnem meam, in nomine Patris, & Filii &c. Purissima Virgo Maria, per sanctam Virginitatem, & Immaculatam Conceptionem tuam munda cor, & carnem meam, in nomine Patris, &c. Castissime sponse Joseph, per sanctam Virginitatem, & sanctificationem tuam munda cor, & carnem meam, in nomine*

nomine Patris, & Filii &c. 6. Quotidie manè & vesperi, & quoties tentatio urget, aliquam brevem sententiam volvat in mente, v. g. *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat. Mors certa, judicium formidabile, æternitas infinita. Quis poterit habitare de vobis in igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Stoz. *lib. 2. n.* 161. etiam ponit hos versus. *Quamdiu vivam, nescio; nec mortis horam præscio; vado, sed quò, non video; mirum, quòd me non corrigo!* 7. Quando tentatur, reflectat se ad Deum sibi præsentem, qui severissimè judicabit etiam de hac actione: Item ad Angelum custodem, qui accusabit. 8. Potest etiam incuti metus abbreviandæ vitæ, ut sic motiva naturalia etiam impellant ad exequenda supernaturalia, certum enim est hoc vitio exhauriri summè vires corporis, ac per singulas pollutiones plùs tolli roboris, quàm si libra sanguinis effluereat, hinc sæpè fit, ut hi fiant phthysici, aut alia tabe corporis præmoriantur. Alia media suggeret prudentia, usus, circumstantiæ, & imprimis Spiritus S. Quòd si nulla remedia juvent, Confessarius suadeat pœnitenti, ut ingrediatur Matrimonium, si ætas ferat: aut quandoque etiam statum religiosum, sed talem, in quo sit rigor & disciplina: Vix unquam suadeat statum Ecclesiasticum, inquit *Sporer*, quia in hoc statu vitium illud nimis facilè invenit fomenta sua, & occasiones majoris ruinæ.

1830 §. 2. Illi, qui se emendant, sæpè affliguntur nocturnis pollutionibus, quas antiquæ imaginationes obscænæ causant, sed terreri non debent, nam quia natura assuevit conficiendo semini, quod non ampliùs per diem effunditur, hæc se exonerat in somno. Circa miseriam illam dat hoc consilium Gerson. *p. 2. n. 38. Opusc. de pollutione diurna, prop.* 12. *Pollutio diurna vel nocturna, dum sentitur effluere, non debet violenter prohiberi, si probabiliter existimetur, quòd hujusmodi violentia frustra esset: nihilominus pro exercitatione virtutis, & pro evasione periculi videtur expediens, ut homo conetur prohibere, quantùm sentit vel experitur commodè fieri posse, quoniam etsi hæc retentio nocere debeat corpori, proderit animæ: natura denique postmodùm uno modo vel alio talem humorem à se ejicit.*

1831 *Q.* 266. *Quid observare debeat Confessarius alicujus constituti in occasione proxima peccandi?* R. Explicavi in l. 5. à n. 252. quandonam censeatur esse periculum sive occasio proxima peccandi. Ibidem à n. 256. dixi illum peccare, qui se exponit formali periculo vel certo, vel etiam probabili tantùm, aut qui voluntariè manet in occasione proxima peccandi: & ideò n. 271. dixi talem in occasionem esse vitandam cum quocunque incommodo, etiamsi mors esset subeunda: ac consequenter concubinarium vel quemcunque alium actu peccare, & nequidem semel absolvi posse, qui domui retinet mulierem, ob quam ipse est in periculo vel occasione proxima peccandi. Si tamen nunc esset nova, & certa spes ex prudentibus motivis, quòd illam esset proximè ejecturus, aut quòd talem occasionem per aliqua media sibi suggesta redditurus esset ex proxima remotam, adeóque ejecturus, ut hoc, quod hactenùs ipsi fuisset formale periculum, posteà esset materiale tantùm, secundùm dicta ibidem à n. 259. absolvi posset pro illa vice; attamen dixi ibidem non esse hoc facilè credendum: Et posteà si per experientiam adverteretur, quòd permaneret periculum proximum relabendi, omninò absolvi non posset, nisi actu antecedenter removisset talem occasionem, uti ibidem à n. 280. exposui & per plura exempla declaravi. Si pœnitens obtendat, se non posse vitare certam domum vel personam, dic ei; si esset periculum in domo vel à persona illa contrahendi pestem, nunquid invenires modum & prætextum vitandi? jam multò magis, quia tibi afflabitur pestis animæ, quod per experientiam scis.

Q. 267. *Quid observare debeat Confessarius hominis pudibundi, pusillanimis, desperantis de emendatione?* 1832
R. §. 1. Si advertat pudore deterreri, quominus confiteatur, animet his motivis: Debebis tandem aperire omnia vulnera animæ, & quò diutiùs expectas, eò pejus, ac difficilius est. Tu occultissimos morbos corporis aperis amico vel Medico, ut saneris, cur non magis morbos animæ, cùm scias Deum non aliter remissurum esse peccata? Non melius est se coram uno ad silendum obligatissimo aperire cum certa spe veniæ, quàm posteà in extremo judicio coram toto mundo propterea confundi cum certa damnatione? ibi latere erit impossibile, comparere intolerabile. Quid refugis te aperire coram homine, simile tibi peccatore, cui novum non est talia, & fortè graviora audire? Sacerdos ea, quæ in confessione scit, minùs scit, quàm quæ ipse nescit, quæ enim nescit, scire potest, & ea revelare, quæ autem in confessione scit, etiamsi aliunde sciverit, ea tamen ratione scandali revelare non ausit. Hæc carnificina conscientiæ, quæ te jam torquet, molestior censeri debet quàm gloriosa sui victoria, quam pax & quies animæ consequetur: pus non cruciat, postquam est ex ulcere ejectum, sic nec peccatum remordet, postquam est in confessione detectum. Si erubescentiam istam non potes sustinere coram uno, quomodo sustinebis coram toto mundo? Diabolo fidelior es quàm Deo, qui illius consilia contra Deum, & in tuam etiam perniciem detegere metuis: aliter non dissolves fœdus cum eo, quàm per confessionem peccatorum. Erubescentia peccatorum data est à Deo in satisfactionem pro præteritis, in medicinam, & cautelam contra relapsus: è contrà nequissimus dæmon illa abutitur ad augenda scelera: & qui abstulit pudorem peccaturo, reddit confessuro, ut jam pudeat mundari, cùm non puduerit coinquinari. Non erubuisti peccare in conspectu Creatoris, & jam in conspectu creaturæ confiteri erubescis. Si pœnitens sit capax lectionis, detur ei legendus Viexmontius *in Instit. ad Pœnitentiam par.* 4. Denique si tantus esset pudor in enarrandis peccatis, ut non videretur posse vinci, dixi à n. 1196. posse dare peccata scripta, & postquam Confessarius legit, dicere, quòd se de illis accuset.

§. 2. Pusillanimis erigitur his motivis ad spe- 1833
randam misericordiam: Quia Deus est pater, qui filios prodigos in primam gratiam amantissimè recipit, Lucæ 15. Medicus est, qui venit salvum facere, quod perierat, Matth. 18. Pastor est, qui oves errantes quærit, & humeris ad ovile lætus reportat, Luc. 15. Redemptor est, qui quos sanguine suo comparavit, non abjiciet: venit revocare non justos sed peccatores, Matthæi. 9. V. *Reg. De spe in pœnitentis c. 5. f. 1.* Exempla pro erigenda spe ex Dei bonitate & misericordia affert Doglerus *Trostbronn. lib. 3. cap. 11.*

§ 3. Si quasi desperet de emendatione, erigat 1834
his motivis: Nulla sunt peccata, quæ per Dei gratiam vinci emendarique non possint; neque Deus vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, Ezech 18. *Si desperes de tua ægritudine, præsume de Medico omnipotente*: major est potentia Medici, quàm magnitudo tui morbi. Si potuit te dæmon pedere, quantò magis poterit te Deus restituere: Qui pro totius mundi peccatis mortuus est, voluit etiam tibi mortem suam prodesse. Nescis, quàm potens sit & misericors Deus: imaginaris eum tibi infen-

infensum, cùm benignissimè inviter ad Pœnitentiam: confide, quia multus est ad ignoscendum. Tantummodò incipe, & senties auxilium ejus: qui dat velle, dat perficere. Difficultatem apprehendis majorem, quàm reipsa sit: putas te abstinere non posse, sed potes: si scires te perditurum oculos relabendo hodie, nonne abstineres? vides, quòd mentiaris tibi, dicendo te abstinere non posse: saltem hac die abstine pro honore Christi pro te tam dura passi; cras proponeS similiter pro die isto, & quotidie majus Dei auxilium senties. Legat Viexmont *p. 5. n. 3. & 4.*

1835 §. 4. Si animo concidat, quia post adhibitum conatum pergit turpissimè tentari, aut etiam quandoque relabi, excitet his motivis: Hæc Dei bonitas est, quod recordatione præteritorũ te affligat, ut tantò magis detesteris, & pro illis satisfacias: si non tentareris, minùs esses cautus. Dœmon te non ita tentabat, cùm ei servires, quia possidebat te: jam fortiùs tentat, ut te sub servitutem iterum reducat: sed jam Dei servus es, qui major & potentior Dominus est, dummodò illi seriò adhæreas: vide, quomodo parvus David in virtute Dei superarit magnum Goliam. Si relaberis, statim resurge, id enim est ex fragilitate naturæ per consuetudinem fractæ: quandoque etiam est ad majorem profectum, ut infirmitatem tuam humiliter agnoscas, & scias te per solius Dei gratiam posse constantem manere. Si non cessas recidere, non cesses resurgere: nonne mundas calceos, quamvis prævideas iterum inquinandos? Nonne miles curat vulnera, quamvis nova prævideat in similibus præliis? incarceratus, si exire nollet, quia timeret iterum incarcerari, nonne stultus esset? sic & tu nolens pœnitere, quia times relabi; an putas minus malum esse continuare peccare, quàm aliquando cessare? An ignoras eam esse certaminis conditionem, non ut nunquam quis cadat, sed ut nunquam cedat! non is victus dicitur, qui sæpè recidit, sed qui ad extremum cessit? Legatur *Viexm p. 5. n. 5. & 6.*

1836 *Q. 268. Quomodo agat Confessarius cum homine, quem advertit seriam Pœnitentiam differre velit in alia tempora, fortè etiam usque ad mortem?* Resp. Conabitur ad indilatam Pœnitentiam adducere his motivis: Valde instabilis est vita hominis, mors certissimè eventura, sed incertissimum quo tempore, modo, loco: docent id experientia, & casus quotidiani. Pars major hominum ante annum 50. in æternitatem abripitur: Deus, qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti crastinam non promisit: angelum peccantem non expectavit ad pœnitentiam: Adamum mox à peccato extra paradisum expulit: sicut benignus est in tolerando, ita justus in puniendo: & quem vult convertere, expectat ad tempus præfinitum, statuit cuique terminum, qui præteriri non poterit: jam admonuit *Eccl. 5. v. 8. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subditò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te:* monuit te per Evangelium, *veniet, cùm minimè putabis, sicut fur de nocte: vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Voluit Deus latere ultimum diem, ut velut ultimum observaremus omnem diem. Quis cautus non esset in omni cibo, si sciret uni adhærere venenum? sed dicis, jam tam diu vixi, nec me mors obruit? hoc ipsum fuit Dei beneficium, qui quò magis est jam longanimis, & misericors, eò severior, & districtior advenier; quem enim, ut convertatur, expectat, non conversum duriùs damnat. Si tibi multi dies sine morte præterierunt, *hoc ipso jam es morti vicinior:* avicula, quò diutiùs insidet ramo, magis exposita est telo jaculantis: seu vigiles, seu dormias, magis morti appropinquas, cui vicinior es, quàm putas: mors senibus in januis est, juvenibus in insidiis. Re mutuò accepta ad utilitatem corporis, statim uteris, quia scis brevi repetendam; sic utere nunc vita mortali tibi ad dies incertos concessa, ut æternam non amittas. Pœnitentia ad finem vitæ dilata est difficillima, & vix seria: putasne, quòd arbor, quæ vix viruit, & nunquam rectè floruit, fructus proferat, cùm propè aruerit, jamque exscindenda erit? Audi Augustinum: sic enim refertur, *De Pœnitent. distinct. 7. Si quis positus in ultima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere Pœnitentiam. . . . . Pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus: nunquid dico, damnabitur? sed non dico, liberabitur: vis ergo à dubio liberari? vis, quod est incertum evadere? age Pœnitentiam, dum sanus es. . . . . si vis agere Pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Deus, ut peccata remittat, humani arbitrii vult libertatem non necessitatem, in fine vitæ vult charitatem non timorem, & quomodo tu ad charitatem assurges? solo terrore instanti gehennæ concutieris: non convertes te ad Deum, quia bonus est, sed quia justus, & jam jugulo instat per damnationis sententiam. In tota Scriptura non invenitur, nisi bonus Latro, qui in fine verè pœnituerit, ille, ut nullus desperet; solus, ut nullus præsumat. Multa præterea languentem impediunt à vera pœnitentia, avulsio à temporalibus ita perditè amatis, dolores acutissimi corporis, obtusio sensuum, remorsus, terror, inquietudo conscientiæ, incertitudo instantis judicii, tentatio desperationis propter Deum tam diu contemptum, propter neglectum tempus Pœnitentiæ, propter rejectas gratias: *fit justo Dei judicio*, inquit *Gerson. par. 2. n. 32. de Præcep. Decal. cap. 17. ut qui pœnitere de commissis cùm possint, non volunt, cùm velint, nequeant*, non enim tenetur Deus omni momento dare efficaces gratias, nec tenetur semper, quando velles, sed tu teneris, ubi & quando ille vult. Dœmon eo articulo non feriabitur, hìc extremas artes adhibebit: creditur visibili specie apparere multis, ingerit tum priorum voluptatum recordationem, turbat phantasiam, ad desperationem solicitat. Cur putas ita sudare agonizantes, contorquere oculos, dirùm intueri? fortè multi non tam ex vicinia mortis quàm propter angustias cordis. Si viri Sancti deprehensi in eo articulo exterriti fuerunt, quid fiet tibi? Qua temeritate speras tum temporis converti, quando perfectissimi homines timent perverti? Etiam dato, futurum esse, quòd in fine vitæ per Dei misericordiam pœniteas, adhuc gravissimæ sunt rationes statim pœnitendi, nam imprimis si grave est nunc pœnitere, gravius erit in senectute, cùm prava consuetudo erit robustior, & ætas ad patiendum infirmior: quò diutiùs rubigo est in ferro, tantò difficiliùs eraditur; sordes, quantò diutiùs in vase relinquuntur, tantò ægriùs evelluntur. Deinde quid hic brevis voluptas ad diuturnam pœnam, quam meretur, & auget? nunquid faciliùs nunc est diem insumere Pœnitentiæ, quàm in acerbissimis saltem purgatorii pœnis pati ad annos? crescunt autem debita pœnarum cum culpis, & incredibile est illis subitò remitti pœnas, qui ita temerè cumulant culpas. Neque confide in hæredum suffragiis, cum sonitu peribit memoria tui, clamares usque ad diem judicii, *miserimini mei*, & non exaudirent. Alterutrum eligendum, vel hìc pati modicum pro peccatis cum ingenti merito novæ gratiæ, vel ibi torqueri multùm sine augmento gratiæ, vel gloriæ. Plùs valet in mundo cum Pœnitentia dies unus, quàm in Purgatorio cum gravissima pœna annus integer. Præterea certum est, quòd gaudium bonæ conscientiæ, & delectatio justorum longè major sit voluptatibus impiorum: sola sui victoria sub initium difficilis est, nam si probi

postea

posteà cruces habent, sunt unctæ ; si spinas sentiunt, ornantur rosis ; si experiuntur laborem, sciunt æternam esse mercedem : non sunt condignæ passiones tam brevis vitæ, si comparentur ad culpam, quæ remittitur, ad consolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram gloriam, quæ promittitur: ô ! si impius, vel levi gustu spiritualem prælibasset delectationem, facilè pro ea vilipenderet omnem aliam voluptatem. Accedit, quòd peccator per Pœnitentiam optet post mortem æternùm frui Deo ter optimo maximo : quàm ergo inhonestum est, & quàm pudebit ipsum florem ætatis immolasse vitiis, & fœcem senectutis Deo reservasse ! Denique, qui differt Pœnitentiam magnis se gaudiis æternùm privat, quidquid enim operis fit extra gratiam, manet mortuum, nec per Pœnitentiam posteà fit vivum. Videat igitur, quantis se periculis exponat, quantis objiciat malis, quantis privet bonis, & citò resipiscat. Vid. *Viexm. tota p. 1.*

1837 *Q.* 269. *Quid aget Confessarius hominis nolentis condonare, indurati, desperantis de salute ob peccatorum multitudinem* ? R. §. 1. Nolenti condonare rotundè dicat, nec absolvi nec peccatum dimitti posse : & siquidem hoc sciatur extra Sacramentum, inducendi sunt alii homines ipsi amici, qui de adversario molliter loquantur, declarando eum bene loqui de ipso, laudando prout possunt, &c. Deinde proponendum exemplum Christi, & Sanctorum, etiam pro suis hostibus. Revocandum in mentem, quid oret quotidiè, nempe, *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, itaque si non dimittat, rogat sibi non dimitti. Præterea proponenda Dei voluntas dicentis, *mihi vindicta, & ego retribuam*, hinc in jus Dei involat ille, qui vult vindicare seipsum. Item proponenda Christi sententia Matth. 18. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Si his non flectatur, roget, obtestetur, etiamque se provolvat ad ipsius genua, & exhibita Crucifixi imagine adjuret per sanguinolentas plagas ut si non hosti, saltem condonat injuriam Christo, qui peccata omnium in se sumpsit : & ad ista teneri Confessarium, docet Sporer *n.* 315. si speret pœnitentem flectendum, quia charitas obligat, ut etiam cum aliquo incommodo damnationem proximi impediamus. Plura suggerunt Arsd. *tom. 3. p. 5. c. 2* §. 8. & Lohn. *de Con. Apost. p. 2. c. 4.* §. 3.

1838 § 2. Peccatori indurato dic, non tam malum esse cecidisse, quàm post lapsum nolle resurgere. *Sroz.* eundem ita aggreditur. Si enorme crimen publicè commisisses, & jam veniret severissimus Judex cum ministris, qui te ad carcerem, & posteà ad ignes, rotas, mortem acerbissimam essent tracturi, nisi deprecareris culpam, nunquid statim provolutus in genua id faceres ? sed nunquid credis Deum esse Judicem ita justum, & rigidum, ut nullum delictum possit relinquere impunitum ? An non credis hic esse præsentem cum tota sua omnipotentia, qua te hoc momento ad infernum detrudere posset, si vellet ? imò adsunt dæmones, qui tibi collum obtorquerent, nisi Deus impediret. Itaque prostratus ad pedes Domini dic, *Domine propitius esto mihi peccatori.* Si non concutiatur Dei timore, conare emollire amore, propositis Dei beneficiis, & bonitate, de quibus Regin. *De off. Pœn. cas. 2. & 3.* Plura suggerunt Ard. §. 7. & Lohn. § 2 à *n.* 9.

1839 §. 3. Si æger sic obstinatus confiteri non velit, ora pro illo : submitte hominem ei gratum, qui Pœnitentiam suadeat : insinua te suaviter, de aliis rebus ei gratis loquens, & conare subinferre, saltem obesse non posse, si propter vitæ incertitudinem paulatim se ad Dei gratiam disponat ; hoc ipsum posse conferre ad recuperandam sanitatem. Si non moveatur, inquire in causam istius obstinationis, & conare eam removere. Si pergat renuere, propone justa judicia Dei, qui non irridetur, nec dat gratias, prout volumus, sed nostrum esse cooperari, quando dat : æternitatem sequi, quæ à statu animæ, tempore mortis futuro pendeat. Si adhuc resistat, fac etiam à Medicis edici præsens mortis periculum. Potest etiam ipsi ob oculos poni, quàm miseranda sit in morte desperatio animæ in obduratione decedentis, nam 1. videt se deserere omnia, & ab omnibus deseri. 2. Exhorrescit ad conspectum dæmonum, qui totius vitæ peccata iterum memoriæ objiciunt. 3. Sentit se jam à corpore extrudi in infelicem æternitatem. 4. Ipsa jam sibi pronunciat Dei Judicium cognoscendo se perditam in æternum, sine spe tormenta æterna evadendi Legatur *Viexm. p. 1. c. 7. & de pœnis inferni c.* 8. item *Vogleri Trostbronn. lib. 5. cap.* 3.

§. 4. Si dicat, major est iniquitas mea, quàm 1840
ut veniam merear : reponat, major est Dei pietas quàm tua impietas ; major Dei misericordia quàm tua miseria ; majora Christi merita quàm tua demerita : peccata tua sunt finita, Dei pietas & misericordia, Christi merita sunt infinita : peccata omnia collata ad Dei misericordiam, & ad Christi merita sunt velut aquæ guttula ad mare : secundùm multitudinem miserationum suarum delebit multitudinem iniquitatum tuarum, hoc ipso promisit *Ezech.* 23. *Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Desperatio maximè injuriosa est Deo : Judas magis peccavit in eo, quia desperavit, quàm quòd Christum tradiderit. Exempla misericordiæ sunt Ninivitæ, David, Nabuchodonosor, Magdalena, latro, &c. legatur Viexm. *p. 6. c. 2. & 3. R gm. c. 5. s.* 1 Etiam juvat tali desperanti revocare ad memoriam bona, quæ fecit aliquando, secundùm illud S. Greg. *moral. l. 22. c. 5 sicut dum vivimus, debemus bona nostra à memoria repellere, ne extollant, ita appropinquante exitu plerumque ea ad memoriam justè revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant & desperatum timorem premant.* Et quomodo etiam in articulo mortis possit Pœnitentia agi, rectè deducit Viexm *p. 6. c. 6.* Exempla quibus spes nostra ex Dei bonitate & misericordia erigitur, affert Voglerus *supra l. 1. c. 11.*

Q. 270. *Quid observare debeat Confessarius captivi* 1841
vel condemnati ad mortem ? R. §. 1. Confessarium Rei instruit Busemb. *relatus l. 4. n.* 1541 Quid autem Reo liceat, dictum est ibidem à n. 1521. Confessarium Magæ, veneficæ, & similium, qui cum dæmone pactum habuerunt, instruit idem Busemb. *relatus l. 3. p. 1. n.* 41. Item Voglerus in Trostbronn. *l. 7. c. 7.* Communiter notant omnes, quamdiù in captivum sententia lata non est, non facilè audiendum pro confessione, præsertim si neget illa, de quibus accusatur, quia periculum est, ne quantumvis fecerit, etiam in confessione neget, ut Confessarium habeat patronum. Quòd si teneatur ob crimina, quæ non negat, tum audiri potest, uti & plerumque tum, quando sua sponte petit confiteri : nihilominùs aslecuret cum Confessarius, etiam cum juramento, si opus, nihil obfuturum, quidquid inter se sincerè loquentur extra Sacramentum.

§. 2. Non spondeat se fore patronum pro ejus 1842
vita, tum enim non ita seriò se disponit, & si spe cadat, facilè alienabitur à Confessario, hinc potiùs disponat ad expectandam resignatè veluti de manu Dei quamcumque sententiam ; interim profuturum, si de peccatis seriò doleat, & in satisfactionem offerat ignorantiam, & molestias carceris. Nihil æqui-

vocè loquatur cum isto, ne posteà conqueri possit se deceptum, quod potest esse causa gravis perturbationis in fine vitæ.

1843 §. 3. *Si* Reus est, & teneatur crimen etiam capitale fateri Judici hìc & nunc legitimè interroganti, suadere imò & obligare potest, ut fateatur, nec ideò fit irregularis, Vasq. Tur. Lugo, Aversˇ. *q.* 16 *ſ.* 12. quod Art. *d.* 43. *n.* 26. dicit sibi esse evidens, quia non est credibile Ecclesiam voluisse imponere irregularitatem actioni, ad quam hìc & nunc tenetur Confessarius pro salute æterna sui pœnitentis.

1844 §. 4. Quamvis secundùm Vasq. Az. Less. & alios apud Dian. *p.* 3. *c.* 5. R. 102 omnes, qui non sunt ministri justitiæ, per se loquendo, cooperari possint ad fugam talis Rei, & instrumenta offerre ad effringendos carceres tamen ab eo, uti & à fuga suadenda abstineat Confessarius, ne commoveat in se Magistratus.

1845 §. 5. Confessarius non indicet ipsemet sententiam mortis Reo, sed permittat id fieri per alium: nec proponat ei *tristia* sed consolatoria & excitantia ad spem æternæ felicitatis.

1846 §. 6. Damnatis ad mortem plerumque injungenda est levissima Pœnitentia, quam statim expleant, etiam cum ipso Confessario: possuntque ei pro Pœnitentia injungi cruciatus vel angores ante supplicium aut etiam supplicium ipsum, ut quantum potest, patienter sustineat. Si possit, adducat Reum, ut dormiat nocte ante mortem, alioqui deficiet viribus capitis: & expedit dormienti adesse aliquem, qui excitatum animet.

1847 §. 7. Caveat, ne sit causa, cur mors approperetur, ne fortè, secundùm sententiam aliquorum Doctorum, irregularitatem incurrat: unde non præeat Reum, aut si sistat, non moneat ut pergat, sed sequatur ipse, & sistenti se accommodet.

1848 §. 8. *Si* existens in scalis adhuc confiteri velit, si priùs jam confessus est, & Judex difficulter concederet descensum, moneat de dolore eliciendo, & ibi absolvat: si autem ex pertinacia anteà non fuit confessus, rogandus Judex, ut permittat descendere.

1849 §. 9. Si per testimonia plenè convictus, neget crimen, *Suar. & Sanch.* nolunt, *Hurtad. & Portel.* volunt absolvi: Aversˇ. *sect.* 11, rectè dicit, si saltem dubiè præsumi possit non feciſſe, absolvendum, quia hìc potiùs credendum Reo: *si autem ipsemet Confessario sit fassus, non esse absolvendum, nisi velit etiam in judicio fateri, quia ad hoc tenetur.*

1850 §. 10. Nec ante nec post supplicium quidquam dicat contra Judices, sed solos privatim admoneat, si opus, debet enim stare pro authoritate Judicum, ne Reos conciter, & sic mortem impatientiùs admittant. Plura videri possunt apud Lohn. *de Conversatione Apostolica p.* 2. *c.* 5. *Vogterum Trostbronn. l.* 7. *c.* 2. 3. *&* 4. *Polanc. in Methodo adjuvandi moribundos c.* 18.

1851 *Q.* 271. *Quid agendum sit Confessario hominis ebriosi, vel habentis ebriosam uxorem?* R. §. 1. Ebriosus obligandus est ad declinandas occasiones bibendi, vel ad bibendum non plùs, quàm sciat per experientiam se posse portare. *Si* monitus non faciat, in pœnam injungenda abstinentia à potu inebriante diebus illis, quibus prævideturfutura occasio. Si bibere debet, eò quòd cogatur prandere vel agere cum aliis bibentibus, nec omnino possit nequidem per fraudem declinare haustum, suggerenda sunt præservativa & naturalia remedia pro cavenda ebrietate, qualia colligit Gob. *in Quinq. l.* 1. *c.* 5. *l.* 1. *&* 2. Peccat tamen venialiter, qui talibus præservativis utitur sine justa causa, & tantùm ideò, ut ultra debitum possit bibere, hæc enim est intemperantia, & per tales potiones valetudo frangitur.

1852 §. 2. Ut possit se excusare & paulatim appetitum inordinatum corrigere, voveat per aliquod tempus abstinere à vino, vel non adire tabernam, aut saltem voveat non bibere ultra id, quod scit se ferre posse sine periculo ebrietatis. Quòd si voveat omnino abstinere à vino, votum non debet esse ad longum tempus, nequidem ad mensem integrum, tum quia hoc erit ipsi nimis difficile, ideóque vix observabit, tum etiam quia post hepar accensum, & assuetum stomachum, si nimis subditus, & violentus sit transitus ab extremo ad extremum, patietur valetudo, unde consultiùs erit obligare, ut paulatim sibi subtrahat aliquid donec periculum inebriandi evaserit.

§. 3. *Matthias Faber Conc. 5. Domin. 16. post Pent.* dat 1853 ebriosis supra 5. digitos considerandæ hæc quinque puncta. *Quid feciſti? quantum perdidiſti? qualis per ebrietatem evaſiſti? Quæ ſupplicia meruiſti? Quid jam toties promiſiſti?* Etiam prodest injungere illi, ut à Confessione domum reversus dicat uxori si hæc sobria sit & prudens; video, quanta mala mihi, tibi, prolibus, rei familiari afferat mea damnata ebrietas, planè constitui cum bono Deo vitam sobriam instituere, & quia nosti tempus atque occasiones, quibus soleo in eam miseriam prolabi, quoties videbis periculum adesse, mone me, impedi etiam invitum, & posteà agnoscam te bene egisse, sic enim volo fieri. Plura suggerit Gob. *ſ.* 3.

§. 4. Si vir apud Confessarium conqueratur de 1854 uxore ebriosa, quærendum, an non ipsemet sit ebriosus: si affirmet, dicendum, ut corrigat se primùm, quia ebriosus frustra sobrietatem requirit in alio. Si neget, suadendum, ut uxori ad mensam concedat, quantùm similis conditionis mulieribus concedi solet, aut etiam aliquantò plùs. Si sic nil proficiat, utatur rationibus accommodatis ad persuadendum, ut abstineat, etiam aliorum authoritatem interponat. Si neque hæc juvent, minetur verbera: addit *Gob.* ut etiam det, ubi opus, in tali enim casu dicit licitum esse verberare uxorem, etiamsi sentiat ad plures dies, sed de hoc dixi l. 3. p. 1. n. 734. Per experientiam alicujus Pœnitentis scio, quòd exemplum viri sobrii, patientia, & moderata ejusdem admonitio plùs potuerint, quàm verbera vel rixa.

§. 5. Sive vir, sive mulier in ebrietate tumultuetur, 1855 alter, qui sobrius est, non objurget vel obstrepat eo tempore, sed patienter sileat, alioquin malum magis exasperat. Cogiter prudens fuisse illud *Recipe* Medici, datum mulieri, ut quamdiù ebrius maritus tumultuaretur, ipsa de qua, quam in phiola dabat (erat autem naturalis) partem aliquam ore clauso retineret. Simile fuit factum chirurgi, qui vocatus ad curanda vulnera à marito inflicta uxori, primum emplastrum applicare voluit ori mulieris, dicens hoc vulnus & foramen esse ante omnia sanandum.

Q. 272. *Quid observandum sit circa hominem con-* 1856 *vertendum vel conversum ad fidem?* R. §. 1. Aliqui acatholici sunt pertinaces, & cum his vix quidquam utiliter agitur; unde consultissimum est illos Deo in oratione commendare. Alii sunt ex ignorantia zelosi pro fide sua; & hi sunt benignè excipiendi, ac docendi veritatem. Alii sunt frigidi, agnoscentes veritatem nostræ fidei, sed ob frivolas causas, vel humanos respectus tardant, & hi terrendi sunt minando judicia divina, & proponendo extrema. Alii sunt dubii, quibus ostendi debet, in quo conveniamus & discrepemus cum illis, tumque probandæ illis nostræ veritates. Si quis prætendat non esse honestum mutare religionem, in qua quis educatus est, dic illi, an ergo Christus non fuit in Judaismo enutritus eique conformiter vixit 30. annis? an etiam talis mortuus? planè non, sed everso Judaismo in ultima cœna sumpsit Sacramentum novæ legis, quod apposuit cœnæ legali ibi ultimò sumptæ, & aliàs non

sumendæ

sumendæ ampliùs. Similiter Apostoli omnes aliique conversi ab Apostolis, item innumeri Martyres &c. Et si argumentum valeret Gentilis, Turca, & quivis infidelis deberet mori, qualis est.

1857 §. 2. Convertendus edoceri debet omnia scitu necessaria necessitate medii. Deinde proponendi sunt illi successivè articuli fidei contrarii ipsius erroribus: Præterea etiam omnes alii. Nec retinendum videtur, etiam ad tempus, quamvis sciatur futurum; ut abhorreat, Verjuys *tr. 2. ar. 8.* contra alios putantes posse tantisper dissimulari; sed posset posteà conqueri sibi illa non esse proposita. Neque etiam videtur dissimulandus ille articulus, quòd Pontifex Romanus sit caput Ecclesiæ, cùm disponi debeat ad faciendam fidei professionem, in qua hoc continetur. Verj. *ar 9.*

1858 §. 3. Professio fidei proprio idiomate danda est illi, & explicanda. Est autem duplex, una longior cujus usus est, quando conversus fuit publicè hæreticus & publicè profitetur. Altera brevior pro aliis qui secretò convertuntur. Expedit tamen etiam his ista longior. Utramque dabo post n. 1862. Si sit publica, fit ante Communionem post recitatam à Ministro confessionem, Sacerdote ad latus Evangelii genuflexo.

1859 §. 4. Examen pro confessione non debet rigidè institui cum converso, neque dandi longi catalogi peccatorum, hæc enim ipsum terrent: dicat Confessarius cùm ipse dixerit, quòd occurret, se reliqua interrogaturum. Nec expedit, ut ab illo exactè petatur numerus singulorum peccatorum, ne nimiùm fatigatus apprehendat onus confessionis esse gravius, quàm ut posteà ferre possit, unde petere non debet, quoties non jejunasti? cărnes comedisti die vetito &c.? sed sic procedat. Quot annos habes? Nunquid accusas te, quòd à tempore usus rationis neglexeris omnia præcepta Ecclesiæ? Quoties per annum solitus es adire cœnam hæreticam? nunquid plerumque quater vel quinquies? sic enim Confessarius sufficienter agnoscet numerum peccatorum illorum, imò probabile est satisfacere, si dicat se hactenùs vixisse in hæresi, sic enim virtualiter dicit se eo tempore nulla Ecclesiæ præcepta observasse. Si tamen speciatim aliquem contemptum Papæ vel Ecclesiæ habuerit, aut dixerit blasphemias vel calumnias contra Ecclesiasticos, plùs quàm regulariter fiat ab hæreticis, aut dederit scandalum in rebus fidei, vel alios perverterit vel in hæresi detinuerit, hæc essent speciatim explicanda. Verj. *tr. 9. ar. 7.*

1860 §. 5. Quamvis convertendus gravia afferat peccata, non arguat illum Confessarius, sed potiùs ad spem veniæ excitet, dicens mirum non esse, quòd destitutus Sacramentis ita lapsus sit. Nec ab initio gravem imponat Pœnitentiam, sed inviter ad proximas indulgentias.

1861 §. 6. Multi cum *Laym.* dicunt quemvis approbatum posse absolvere ab hæresi materiali. Quod formales hæreticos attinet & reservationem Pontificiam, videnda sunt dicta à num. 1613. Quia tamen hæresis sæpè reservatur etiam Episcopis, & timeri poterit, ne fuerit formalis, si quis non habeat speciale privilegium, expedit remittere ad alium, qui habet, aut talem facultatem petere.

1862 §. 7. Cautus esse debet Confessarius, ne talibus, qui se dicunt converti velle, nimiùm credat, aut multa appromittat, vel commendet aliis: tales enim quandoque sunt homines fraudulenti, qui non quærunt salutem animæ, sed sustentationem vel alia temporalia aucupantur. Hæc aliaque plura Lohner *De convers. Apost. q. 2. c. 2. §. 1.* Facillimum autem medium convincendi acatholicum, est probare Ecclesiam Catholico-Romanam esse veram Christi Ecclesiam eò quòd illi soli conveniant Notæ veræ Ecclesiæ, quòd nempe sit *una, sancta, catholica, apostolica*, ac consequenter quidquid illa proponit credendum, id esse verum: pro quo legi possunt libelli, *Des Hayes, der Klein, undgetrevve VVegweiser*, Coloniæ; Le petit & fidel Guide Leodii: *Elffen Catholisch Slecht und Reoht: Auszug aus der Heiligen Schrifft, uvo stets geschriben: Nort stern &c.*

Professio fidei Catholicæ,
Secundùm Bullam Pii IV. & præscriptum Tridentini.

EGo N. N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium: & in unum Dominum JESUM Christum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis: & Incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die secundùm Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à Christo JESU Domino nostro instituta atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium; illáque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto, & omnia singula, quæ de peccato originali & de justificatione in sacro-sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum verúmque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos, & invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Re-

liquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac veneratiõem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanóque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac JESU Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à sacris canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo: hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturum, ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia: *In principio erat Verbum* &c.

Professio fidei brevior.

Ex Verjuys Pastor. Missionis in fine.

Ego N. N. coram N. & N. Sacrosanctis Evangeliis corãm me positis, eisque attactis juro, me firmiter credere corde, & profiteri ore illam sanctam fidem catholicam, & apostolicam; quam sancta Romana Ecclesia credit, prædicat, profitetur & observat: & consequenter abjuro, revoco, abnego & detestor omnem hæresin, cujuscumque sit conditionis & sectæ extollentis se adversùs sanctam catholicam Ecclesiam, & præcipuam illam hæresin, cui hactenùs adhæsi. Idem juro me credere, & profiteor ore (*hìc exprimantur præcipuè articuli contrarii hæresi quam deserit.*) Juro & promitto, quòd deinceps non aliter credam nec dogmatizabo, nec à mihi subditis aliter teneri permittam. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* &c.

1863 Q. 273. *Quid observare debeat Confessarius ægri vel moribundi?* R. §. 1. Confessarius ægri non statim ingerat mentionem confessionis, nisi esset periculum mortis, sed amicè salutet, quærat de morbo, doloribus, quiete &c. suadeat resignationem in manus Dei, qui vitæ & mortis dominus est. Captata occasione insinuet expedire confessionem, antequàm invalescat vis morbi, qui difficiliorem reddit: nec id posse obesse, sed profuturum pro quiete animæ, & etiam pro salute corporis. Si resolvat jam confiteri, præcat in actus necessarios, sublevando illum, & alleviando onus confessionis, quantùm potest. Si pro confessione dilationem petat, concedat, sed conetur efficere, ut determinet tempus, quo redeat, ne pergat differre. Videat, ut aqua lustralis & effigies Christi crucifixi sit ad manum apud ægrum.

1864 §. 2. Libri pro ægris ad mortem disponendis, inter cæteros sunt, Germanicè *NacKatenus, Seelenhulff, Veglers Trostbronn.* Gallicè, *Craffet* Preparation à la mort, vel *Bonnefons*, Le Chrêtien charitable: Latinè, *Servius, Amicus fid. Lohner*, De convers. Apostolica cap. 6. *Polanci*, Methodus ad eos adjuvandos qui moriuntur. Expedit, ut quivis recens ordinatus Sacerdos ex libris illis aut aliunde speciales sibi componat industrias & modos agendi cum ægris ac juvandi moribundos. Modum suaviter abducendi à nimio desiderio vitæ, & timore mortis, proponit *Polanc. c.* 9. & 10. Modum tractandi ægrum impatientem, habet cap. 11. Quomodo juvandus tentatus in fide vel per desperationem, habet c. 12. & seqq.

§. 3. Confessarium ordinariè posse sub condi- 1865
tione absolvere moribundum, quamvis jam non sciatur dare signa Pœnitentiæ, si hoc saltem dubiè præsumi possit, dixi à n. 1156. & addo hìc, 1. si talis moribundus semper fuerit infidelis, absolvi non debet nequidem sub conditione, quia non est probabile dubium, quòd sit dispositus, sed moraliter certum est: quòd non sit dispositus nec petat absolvi. Quòd si antehac ostendisset propensionem ad fidem, adhuc requirerentur signa aliqua clariora quàm in Christiano: 2. Talis moribundus aut etiam posteà mortuus absolvi non potest ab excommunicatione in ordine ad sepulturam, nisi dederit evidentia signa Pœnitentiæ, uti decernitur Cap. *A nobis* 28. *De sent. excomm.* Attamen in ordine ad absolutionem à peccatis nulla est reservatio pro articulo mortis. 3. Si æger ante delirium petiit absolvi, quamvis in delirio dicat se nolle, potest & debet absolvi, quia voluntas antecedens habitualiter permanet, & nunc nescit, quid dicat. 4. Milites post conflictum moribundi in exercitu catholico, cui permixti sunt acatholici, rectè absolvuntur sub conditione, eo ipso quòd de exercitu catholico sint, licèt aliud signum non dent. Quòd si exercitus ex majori parte sit acatholicus, vel si milites ante noluerint confiteri, *Schild. & Arsdek.* putant vix debere dari absolutionem, sed ex dictis n. 1163. probabile est dari posse sub conditione illis, qui capaces sunt.

§. 4. Si catholicus Sacerdos intelligat hominem 1866
acatholicum esse ad extrema deductum, prudenter facit, nisi quid aliud obstet, si eum accedat, etiam dissimulando se esse catholicum, si id expediat, unde quamvis putetur esse Prædicans vel Minister hæreticus, potest cum eo elicere actus fidei, spei, charitatis, perfectæ contritionis de peccatis, manendo in illis, quæ nobis communia sunt cum hæreticis. Quòd si patiantur circumstantiæ, potest posteà rogare, an non, si sciret se non esse in vera fide, vellet amplecti aliam, & facere omnia ad salutem necessaria, an non vellet confiteri & absolvi, si hoc ad salutem foret necessarium. Si ad hæc annuat, secundùm *Gob.* absolvi potest sub conditione, *si dispositus es*, ideóque docet *Caram.* quòd Lutheranus dicens, *ô Deus! moriar in vera religione, utra sit vera, nescio, tu scis: propitius esto mihi peccatori*, possit absolvi: Vindex Gob. *ad. prop.* 4. addit, si spes sit, ut religionem catholicam admittat, hanc proponendam: si autem absolutè renuat, posse ita disponi, & absolvi, potest enim esse hæreticus materialis tantùm, qui quamvis absolutè posset salvari per contritionem perfectam, tamen cùm hæc sit difficilis, & ad valorem Sacramenti sufficiat dolor inferior, pro necessitate serviendum est moribundo, prout securissimè fieri potest.

§. 5. Quibus dari debeat Viaticum, & quoties 1867
dari possit in eadem infirmitate, etiam non jejuno, dixi in l. 6. p. 1. è n. 604. Quibus extrema Unctio, dicam à n. 2084. Quandonam autem censeatur esse periculum vel articulus mortis, dixi hìc n. 1559.

§. 6. Si moribundus videatur esse destitutus au- 1868
ditus, sæpè vox per nervos sensorios delata melius percipitur, si formetur supra caput ad cranium, quàm in aures ipsas uti experientia quorundam docuit: unde expedit ibi inclamare moribundo. Dixi autem in l. 3. p. 1. n. 758. quomodo Confessarius in morbo contagioso cavere possit periculum contrahendi. Et ibid. n. 760. addidi Parochum non satisfacere officio suo, si moribundum extremis munitum destituat.

destituat. De modo fructuosè agendi cum ægris, & assistendi moribundis possunt plura videri apud Voglerum *l.1.c.3.4.5.7.l.5.c.1.& 2.* ubi recenset ægrotorum & moribundorum præcipuas tentationes: Item apud Lohn. *suprà* §.8.& iterùm §.13 *membro.* 5. Item apud Martinum *à Matre Dei in Gymnasio Philos. Christianæ pag.* 255. *& seqq.* Subjicio aliqua ex dictis Authoribus:

Modus eliciendi actus præcipuarum virtutum. Confessarius prælegat tarde, ne causet molestiam vel fatigationem: æger corde tantùm eliciat. Ex Lohner.

Credo, Domine, quidquid per Ecclesiam, unam, sanctam, catholicam & apostolicam credendum proponis, & ideò firmissimè credo, quia tu Deus dixisti, qui es infinita veritas, non potens falli nec fallere, nec errare nec mentiri. Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.

Spero, ô Domine, quidquid promittere dignatus es, & ideò firmissimè spero, quia tu Deus promisisti, qui in promissis tuis servandis es Deus fidelissimus & potentissimus servare. In te, Domine speravi, non confundar in æternum.

Quid mihi est in cœlo & à te, mi Deus, quid volui super terram? nihil præter te volo, te super omnia amo, ô Deus, quia tu es summum bonum meum. O mi amantissime Deus! utinam infinito amore possem te diligere, quia infinitum meum bonum es, ô quàm gaudeo, mi Deus, quia tu es, qui es infinitè bonus, infinitè perfectus! utinam homines te amarent, sicuti propter infinitam bonitatem & perfectionem tuam in teipso dignissimus es amari!

Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, ut defleam peccata mea? Doleo, mi Deus, doleo, quia te summum bonum toties offendi.

Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Laudo & benedico te, Domine, & superexaltabo in sæcula: laudent te pro me omnes Angeli & Beati in cœlo, laudaris in te ipso & à te ipso, sicuti infinitè dignus es omni laude.

Quis mihi det, ut quæ patior, patiar pro te, Redemptor mi JESU? Patiar, tecum ô JESU: patiar pro te JESU: libenter patiar, ut tibi conformer & placeam: auge, Domine, dolores: auge patientiam.

Quis ego sum, ut contradicam Domino meo? Quod est ante oculos ejus placitum, hoc fiat: Fiat, ô Domine, sanctissima voluntas tua sicut in cœlo & in terra: fiat de me, per me, circa me, sicut vis & disposuisti: paratum cor meum, Deus, paratum cor meum ad omnia, quæ tibi placent, ut agam vel patiar.

Per-breves aspirationes Ex eodem Lohner.

Mi JESU, credo tibi, & in te, quia es summa veritas. Mi JESU, spero in te toto corde, quia es summa misericordia. Mi JESU, amo te ex toto corde, quia es infinita bonitas.

Benedicta sit Sancta Trinitas, & indivisa Unitas, confitebor ei, quia fecit mecum misericordiam suam.

Benedictus sit Pater, quia ex infinita sua misericordia creavit me, conservavit me, & ad vitam æternam prædestinavit me.

Benedictus sit Filius, quia ex infinita sua misericordia redemit me, sanctissimo corpore & sanguine suo pavit me, ad sanctam Ecclesiam suam vocavit me.

Benedictus sit Spiritus Sanctus, qui ex infinita misericordia sua illuminavit me, justificavit me, in Ecclesia conservavit me.

Benedicta sit sanctissima Dei Mater, quia ex ineffabili sua charitate in filium suscepit, & tot beneficiis cumulavit me.

Benedictus sit sanctus Angelus Custos meus, qui ab ortu meo in Clientem suum suscepit, custodivit, & gubernavit me.

Benedicti sint omnes sancti Patroni, qui per totam vitam meam tam fideliter precibus, auxiliis, & beneficiis suis foverunt me.

Benedicti sint omnes Sancti, & Sanctæ Dei, qui tam constanter Deum laudarunt, & orarunt pro me.

Domine, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, sed citò me anticipent misericordiæ tuæ.

O JESU fili Mariæ Virginis, plene misericordia & pietate, ô dulcis JESU, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei.

O Maria Mater Filii Dei, advocata nostra, tuo me filio reconcilia, tuo filio me commenda, tuo filio animam meam post mortem repræsenta.

Omnes Sancti intercedite pro me, & veniam peccatorum à Clementissimo Deo meo mihi omnibusque peccatoribus impetrare.

Credo, Domine, quia tu es suprema veritas.
Spero, Domine, quia tu es suprema fidelitas.
Diligo te, Domine, quia es suprema bonitas.
Adoro te, Domine, quia es suprema Majestas.
Benedico te, Domine, quia es suprema liberalitas.
Miserere mei, quia es suprema benignitas.
Resigno me Tibi, quia es suprema æquitas.

O JESU benignissime, propter nomen sanctum tuum esto mihi JESUS, & salva me: ô JESU ne mea iniquitas perdat me, quem fecit omnipotens tua bonitas.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

O Angele mi Custos, defende me in prælio, ut non peream in tremendo judicio.

O omnes Sancti, & electi Dei impetrate mihi, ut vobiscum sanctè feliciterque mori, & in æternum vivere Deumque laudare valeam.

Similes actus, & affectus, Ex Polanco.

COmmendo me tibi, Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, Spiritus Sancte, qui in unitate substantiæ unus, & verus es Deus. Commendo me tibi, Pater omnipotens, qui me, cœlum & terram, visibilia, & invisibilia creasti. Commendo me tibi, Domine JESU Christe, qui propter me, & generis humani salutem, missus à Patre æterno in hunc mundum virtute Spiritus Sancti conceptus, natus homo ex Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus, ad inferos descendisti, & liberatis ex eo sanctis Patribus resurrexisti tertia die, ascendisti in cœlum, & sedes ad dexteram Patris, inde venturus in die judicii ad omnes homines, qui tum resurgent, judicandos, ut illis, qui in gratia tua mortui fuerint, vitam æternam dones: eos, qui in peccatis mortalibus decesserint, in supplicium æternum condemnes. Commendo me tibi, Spiritus sancte, qui ex Patre, & Filio procedis, qui vivificas unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam, in qua septem Sacramenta ad peccata remittenda, & ad gratiam tuam hominibus conferendam constituisti, & supplex à te peto, per JESUM Christum summum mediatorem nostrum, per beatissimam ejus Matrem, per Angelos, & Sanctos tuos, ut me ad beatitudinem, quam tuis electis præparasti, simul cum Patre, & Filio perducere digneris, Amen.

Pater Sancte, qui creasti me ad te, inquietum est cor meum, donec perveniat ad te: ducas me precor, licèt propter peccata indignissimum, ad te ultimum, & felicissimum finem meum, per infinitam misericordiam tuam. Pater, qui ut servum redimeres unigenitum Filium tuum dedisti, ne permittas ab ultimo me fine excidere, nec pereat in me tantum pretium, quo redemptus sum, sanguinis vitæ delicet, & filii tui dilectissimi. In Domino meo JESU Christo, qui factus est mihi justitia, & sanctificatio,

ficatio, salva me, & ad te videndum deducere digneris; in eo speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam à dextris est mihi, ne commovear propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper, & caro mea requiescet in spe, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.

Domine JESU Christe, reparator meus es tu, instaura igitur, quæ ego destruxi in meipso, repata detrimenta vitæ meæ, supple commissiones & omissiones meas, dimitte imperfectiones, & ignorantias. Conjunge indignissimum obsequium meum cum omnibus quæ tu egisti & passus es ex tam perfecta charitate, & obedientia, & cum divitiis satisfactionum ac meritorum dilectionis tuæ Patri æterno illud offerre digneris, ut de tua plenitudine, mea paupertas dicetur coram justitia, & bonitate tua.

Domine, qui dixisti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis, auge charitatem in me, ut sicut tu vis diligi à me, & ego cupio diligere te, sic te diligam, & quod in hac vita perfectè implere non possum, in altera implere te concedente valeam. Da mihi obsecro, ut non tantùm super omnia diligam te, sed etiam in te propter te, & secundùm te diligam, & sis mihi Tu omnia in omnibus, in hac vita & in æterna.

Quis mihi tribuat, ut perfectè diligam te, bonitas infinita? quando occupabis totum cor meum? quando totus ero tuus, sicut totum me multis modis debeo? veniat jam, quæso, illa hora, qua totum me possidere digneris, & totum cor meum tibi ego præbere possim.

Domine JESU Christe, qui perpetua charitate dilexisti me, qua cùm non essem, creasti me; qua cùm perditus essem, reparasti me; qua cùm toties propria culpa periissem, ad gratiæ vitam resuscitasti me, qua te ipsum totum dedisti mihi: si me totum toties debeo pro me, quid debeo tibi, pro te, qui infinitè es melior me? Adde hoc beneficiis tuis, Deus meus, ut sine modo, & purissimo amore diligam nunc, & in sempiternum.

Congaudeo, & congratulor, superadoranda, & superamanda Trinitas, de infinita magnitudine perfectionis, pulchritudinis, sapientiæ, potestatis & completissimæ felicitatis tuæ, & eam incomparabiliter pluris quàm meam & omnium creaturarum felicitatem æstimo, & ut purissimum hunc tui amorem in hoc exilio augeas, & in patria perficias, obsecro.

Heu me infelicem peccatorum qui tantam bonitatem, tantam Majestatem Dei mei toties offendi, & cui debui totis viribus meis placere, venerari & obedire, eum potius contempsi: condona mihi tantam perversitatem meam, Deus meus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Alius modus, Ex eodem Polanco.

CHarissime, recordare, quòd Dominus JESUS Christus propter te homo factus hanc, quam vides (*ostendit Christi Crucifixi effigiem*) passionem & mortem amarissimam sustinuerit: dic ergo corde, quod ego ore: Adoro te, Domine JESU Christe, qui per sanctam Crucem tuam redemisti mundum: adoro te, Domine JESU, Deus meus, & Redemptor meus, qui pretiosa morte tua mundum vivificasti. Protestor coram omni Ecclesia triumphante, & militante, quòd firmiter credo, vivo & morior in fide, quam sancta Mater Ecclesia Catholica, & Apostolica tenet. Video in hac imagine Crucifixi, quantam erga me dilectionem habuerit Filius Dei, qui in tantis tormentis voluit mori, ut æternam per ipsum vitam consequerer. Video sanguinem à sacratissimis vulneribus pro me effusum. Considero spineam coronam, doloris, & irrisionis materiam; flagella, quibus servilem in modum cæsus est: alapas, sputa, & demùm Crucis supplicium: hæc omnia passus est, ut deleret peccata nostra, & quomodo in ejus passione, morte ac meritis non speremus cum firmissima fiducia? Si dæmon objiciat, quòd multùm peccavi, fatebor, sed dicam, Dominus meus, & Deus meus etiam multùm pro me passus est, cujus passio est dignissima, cujus meritum est infinitum, in eum credo, & in eo confido, languores nostros ipse sustinuit, iniquitates nostras ipse portavit. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? certè nihil dignum possum retribuere, sed si ipsi placitum fuerit, calicem mortis pro ejus amore libenter amplector, & gratias agere ac eum laudare æternùm desidero. In manus tuas, Domine, commendo me, & mea omnia, fiat in me voluntas tua, totus sum, & tu totus sis meus in tempore, & æternitate. Amen.

Alii modi, ægro præeunat in varios actus, & affectus.

Ex Gymnas. Philos. Christ.

PRofiteor fidem Catholicam, ejus veritates amplector, & credo, eo prorsus modo, quo amplectitur, & credit illas Sancta Mater Ecclesia Romana. In hac fide divina vivere morique constituo, & pro qualibet veritate illius vitam contemno. Clementissime Deus, ego confiteor te esse unum, & Trinum, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, tres personas divinas distinctas, & unum Deum æternum, omnipotentem, infinitum: hoc mysterium altissimum profundè adoro. Credo te, mitissime JESU Christe, esse verum Deum & hominem, incarnatum ex Maria semper Virgine. Credo te esse Redemptorem meum, qui per Passionem, & mortem tuam mundum reconciliasti Patri. Credo te instituisse septem in Ecclesia Sacramenta, inter quæ est illud mirabile Sacramentum Eucharistiæ, in quo tu totus verus Deus & homo existis. Confirma me, Domine, in hac hora, ut hanc fidem fortissimè teneam tanquam verus Ecclesiæ filius: profectò impossibile est aliquid in ea falsum inveniri, quia nititur infinita infallibili veritate tua.

Domine JESU Christe, qui dilexisti me & tradidisti te ipsum pro me, firmissimè spero in magna bonitate, & misericordia tua. Certissimè confido, Domine, me fore salvum per merita tua infinita. Tu, Domine, es infinitè bonus, & in Scriptura tua testatus es nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Ecce, Domine, ego toto corde convertor ad te, certóque confido fore, ut in æternum vivam. Confirma cor meum in hac hora, ut bene sentiam de infinita bonitate tua, quæ delectatur benefaciendo & ostendendo se ipsam. Ecce, Domine, occasio benefaciendi, ut glorificeris parcendo, & miserendo. Tu, Domine, cùm posses sine passione ac morte homines salvos facere, maluisti, ut ubi abundabat delictum, superabundaret misericordia tua, & copiosissimè redemisti me, ita ut omnia peccata mea coram redemptione tua sint quasi stipula sicca coram igne infinito. Quomodo ergo non sperabo veniam, & salutem sempiternam? Certissimè spero, Domine, me salvum fore per te: verba tua sunt fidelissima, & promissa tua sunt verissima, ut dixisti: omnis, qui petit, accipit: hac promissione fundatus posco æternam beatitudinem, quam me consecuturum fortissimè spero.

JESU Christe, Fili Dei vivi, bonitas infinita, vellem tunc possidere omnia corda Spirituum beatorum, & omnium Sanctorum, quos creasti, ut te unicum, & infinitum bonum meum immenso amore

dilige-

diligerem. Domine, eo modo, quo possum, per affectum amplector omnia corda hæc, & amo te super omnia propter te. Placet mihi, Domine, quòd regnes in æternum, & sis Rex omnium Regum, omnipotens, altissimus, glorioſissimus, beatissimus, & omni perfectione perfectissimus. Sacrifico me totum tibi, Domine, & cupio strictissimè adhærere tibi: fac, Domine amabilissime, ut nihil mihi placeat præter te, & indefessis viribus in hac præsertim hora quæram te.

Clementissime Domine JESU Christe, contra rationem omnem sive justitiæ sive gratitudinis offendi te benignissimum Dominum, & Redemptorem meum, quod in hac hora præsertim confiteor. Pœnitet me, Domine, peccatorum meorum propter te, non addam ultrà, ut peccem tibi. Detestor, Domine, omnem culpam, mallemque objisse quàm peccasse, non committam ampliùs, ut te Deum meum offendam. Abominor, Domine, omnia peccata, quia tibi displicent: patiar potiùs mortem, quàm leviter peccem. Confirma me, Clementissime Domine, in hac hora, & totis viscеribus diligam te Deum Dominum, & Salvatorem meum, ut ex amore tuo nascatur odium, & detestatio peccatorum, quibus irritavi te.

Pactum infirmi cum Deo.

Itaque Charissime, nunquid credis firmiter JESUM Christum esse verum Deum, & hominem pro te Crucifixum, & mortuum? *Æger, vel ejus nomine alius respondet: Credo.* Nunquid speras certò te fore salvum per merita Domini nostri JESU pro te Crucifixi, & mortui? *Spero.* Nunquid pœnitet te peccatorum propter Deum summè bonum offensum; & proponis firmissimè non ampliùs peccare? *Maximè.* Fac igitur etiam hoc pactum cum Deo, & dic ex corde: Misericordissime Deus, scis, quia in hac infirmitate mea non possum multis verbis te precari: opto ergo toto corde, ut quoties arteria mea dederit pulsum, quoties anhelitum traham, quoties faciam minimum motum manus, oculi vel alterius partis corporis mei, toties tu benedicaris, & lauderis ab omnibus creaturis tuis. Ex nunc pro tunc declaro, mi Domine, toties mihi placere, & gaudium esse, eò quòd sis, qui es, perfectissimus, excellentissimus, adeóque potens, ut omnes egeam is tui, tu verò nullius. Toties gaudeo te esse infinitè sapientem, misericordem, justum, & bonum. Toties gaudeo, Domine, propter opera bona, quæ aliquando acta sunt, & aguntur in dies agenturque imposterum ex amore tui, aliaque omnia, quæ fieri possent ab iis quos creasti, & creare potuisti sub quanta possibile est perfectione. Toties lator plurimùm ob ea, quæ Dominus meus JESUS Christus, Virgo sanctissima, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Sancti Sanctæque omnes obiverunt, necnon ob amorem illum, quo te æternum prosequentur cum omnibus angelicis Spiritibus: Toties offero tibi quæcumque Sacrificia tibi oblata sunt, offeruntur, offerenturque imposterùm, noranter autem SS. Missæ Sacrificium. Toties me in manus tuas committo, ut de me disponas tanquam de re maximè tua, ex nunc, & in æternum. Toties displicent mihi peccata omnia, quæ à condito mundo perpetrata sunt, & utque ad finem ejusdem perpetrabuntur: utinam, ô bonum meum, vice cujusque peccati millia millium obsequiorum tibi impenderentur. Toties dimitto ex corde propter te omnibus, qui me unquam offenderunt vel offendent, & pro qualibet offensa mihi irrogata, peto Domine, ut des illius insigne quoddam beneficium, & tandem mortem, qualem mihi opto, felicissimam. Demum toties offero divinæ Majestati tuæ, quidquid boni possum offerre, maximè verò vitam, passionem, & mortem Redemptoris mei JESU Christi, ac omne tuum in te ipso beneplacitum, in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ à te accepi, & pro charitate, qua ab æterno dilexisti me: huncque ipsum actum, quem nunc elicio, toties denuò ratum esse volo, quoties aliquod è signis prædictis edidero. Quoties ergo jam dicta occurrent declaro intentionem meam esse, tot vicibus id ratum facere, quot creaturæ productæ sunt, quæ etiam produci possunt, imò quoties possibile, & imaginabile est idipsum iterari, ac multiplicari, atque hoc purè ob amorem tui in agnitionem supremæ Majestatis tuæ, ex motivis sanctissimis, & perfectissimis, quæ habere debeo vel possum: in signum autem, quòd rata habeam quæ ita proposui, Domine, quod dixi, dictum volo, affectu quantùm possum maximo.

Christus, & ejusdem merita offeruntur pro peccatis ac debitis nostris.

AGnosco, amantissime Pater, non esse me parem immensis debitis, quæ per peccata mea contraxi, memento tamen, ô Domine, Filium tuum, meum autem Redemptorem JESUM Christum constituisse me hæredem meritorum suorum, hoc jure nixus offero Majestati tuæ pro lytro impuritatum mearum castissimum corpus JESU mei, opera Spiritus Sancti in Virgineo utero conceptum: Vice errorum, quibus à semitis justitiæ tuæ deviavi, offero pedes ejus amabilissimos Cruci affixos. Quia verò mundi ego idola sæpiùs adoravi, genua tibi dedico ejusdem sanctissimi Filii tui, semper ad te adorandum inflexa. Pro intemperantia gulæ meæ offero temperantissimum appetitum Salvatoris mei. Pro pessimis præcordiis meis, piissima viscera JESU Christi. Pro corde meo terreno, & terrenorum amante, cœleste cor Redemptoris mei. Pro inconstantia, & impatientia mea, pectus, & humeros JESU mei. Pro meis iniquis manibus, superbo capite, oculis lascivis, & amicis obtrectationum auribus, manus Cruci confixas, confossum spinis caput, oculos sanguineis lacrymis suffusos, saturatas opprobriis aures, os denique illud felle, & aceto potatum. Pro pessima lingua, plena criminum anima, memoriæ, intellectus, & voluntatis meæ præpostero usu, linguam, animam, memoriam, intellectum, & voluntatem Christi omnibus gratiæ, & gloriæ thesauris illustres. Postremò pro cunctis vitiis meis omnes Domini ac Redemptoris mei virtutes.

Exercitium ad quinque vulnera Christi, quorum unum ad singulas orationes osculatur ager.

SAluto, piissime JESU, & tota devotione osculor roseum vulnus dexteri pedis tui, precorque, ut per illud plenam omnium delictorum remissionem mihi concedas.

Saluto, beniguissime JESU, & tota devotione osculor vulnus sinistri pedis tui, precorque, ut per illud instaures omnes ruinas perditæ vitæ meæ.

Saluto, dulcissime JESU, & tota devotione osculor floridum vulnus dexteræ manus tuæ, precorque, ut per illud mortifices in me, quidquid tibi displicet.

Saluto, optatissime JESU, & tota devotione osculor aurum vulnus sinistræ manus tuæ precorque, ut per illud, eum ornatum internum gratiæ mihi dones, quo tibi placeam.

Saluto, desideratissime JESU, & tota devotione osculor amorosum vulnus sanctissimi lateris tui, precorque, ut per illud me totum tibi copules, & unias. Tu, Domine, in istis beatis vulneribus tuis me includе & præsta, ut ex eis verum tui amorem æternamque salutem hauriam. Scribe illa in corde meo, pretiosissimo sanguine tuo, ut in eis legam tuum dolorem pariter, & amorem, ut in me erga te, & dolor compas-

compassionis excitetur, & ardor dilectionis accendatur. Sit omni tempore ac præcipuè in hora mortis meæ, mihi certum in illis refugium, & secura protectio. Amen.

Exercitium omnis generis virtutum, quas ager uno verbo repetito internè eliciet, vel alius nomine ipsius.

CRedo in Deum meum, quia ipse revelavit, qui est infinita veritas: *credo.* Spero in Deum meum, quia gratiam in hac vita, & gloriam in altera promisit ipse, qui in promissis servandis fidelissimus est, potentissimus servare: *spero.* Amo te, Deus meus, & omnia, quia infinitè perfectus es, & amabilis: *amo.* Doleo ex toto corde, quia infinitam bonitatem tuam offendi: *doleo.* Adoro infinitam Dei mei Majestatem, à qua & in qua omne bonum esse recognosco: *adoro.* Veneror sanctissima nomina JESU, Mariæ, Josephi, ut sint mihi ultima tessera salutis: *veneror.* Exosculor sacratissima JESU pro me Crucifixi vulnera: *exosculor.* Colo omni submissione possibili venerabile Eucharistiæ Sacramentum: *colo.* Confiteor summam ingratitudinem, qua beneficiis divinis abusus sum: *confiteor.* Confundor, quòd tam ingratus fuerim pro omni amore, benignitate, & fidelitate Dei erga me: *confundor.* Gratias ago Deo meo, qui me ad imaginem, & similitudinem suam creavit capacemque æternæ beatitudinis effecit: *gratias ago.* Habeo tibi gratias, amantissime JESU, pro sacratissima incarnatione, passione ac morte tua: *habeo gratias.* Utinam, ô amabilissime Deus, nunquam te offendissem, quia tu es propter te dignissimus non offendi: *utinam.* Utinam clementissime Deus, peccatores resipiscant, & requirant te: *utinam.* Utinam omnes homines te cognoscant, sicuti es perfectissimus, ament, sicuti es optimus, glorificent, sicuti es præcellentissimus: *utinam.* Utinam, ô optatissimum bonum meum, ardentissimè amarem te: utinam æstuantissimis desideriis jugiter anhelarem ad te: *utinam.* Utinam, ô Domine, haberem tantum amorem, & affectum ad te, quantum unquam aliqua creatura habuit: *utinam.* Utinam te Deum meum tanta laude, honore & amore prosequi possem, quanto te Angeli, & SS. omnes prosequuntur, *utinam.* Propono, amabilissime Deus, potiùs mori millies, quàm te unquam ampliùs offendere: *propono.* Peto, ô infinita bonitas, ut potiùs me mori quàm te offendere permittas: *peto.* Peto speciosissime Domine JESU, tam validis amoris vinculis tibi adstringi, ut nunquam recedere, nunquam averti à te valeam: *pero.* Piissime Deus, vitam & voluntatem meam in manus tuas consigno: *consigno.* Operare in me, ô Domine, & utere me pro tuo beneplacito, in tempore, & æternitate: *operare.* Resigno me totum, omnipotens Deus, sanctissimæ voluntati tuæ, ut agas de me, per me, & circa me quidquid tibi placuerit: *resigno.* Da mihi, Deus, quidquid vis, quando vis, & quantum vis: *da mihi.* Offero tibi, ô clementissime Pater, corpus & animam cum omnibus viribus, & potentiis meis: *offero.* Offero, & dirigo, ô summe Deus, omnes meas cogitationes, verba, & opera ad gloriam nominis tui: *offero.* Offero tibi, ô cœlestis Pater, dilectissimum Filium tuum Dominum meum JESUM Christum, in unione amoris illius, quo illum in hunc mundum misisti: *offero.* Offero tibi illius angustias, sanguinem, sudorem, passionem, & amorem ad felicem mihi mortem impetrandam: *offero.* Gaudeo, mi Deus, quòd sis, qui es, Deus infinitè pulcher, infinitè sapiens, bonus & perfectus: *gaudeo.* Gratulor tibi Deus, quòd omnes creaturæ non sint sufficientes ad te dignè colendum, & glorificandum: *gratulor.* Deus meus, & omnia, sim totus tuus & tu totus meus: *sis totus.*

Denique hæc tria roga Deum per Christi merita, ut non decedas ex hoc mundo, nisi ritè susceptis ultimis Sacramentis, ut ultima cogitatio tua sit de Christi passione, & morte, ut ultima verba tua sint, quæ saltem corde exprimas. JESU, Maria, Joseph, adeste mihi in hoc extremo articulo: *rogo.*

Oratio pro felici morte ter dicenda. Ex Palmeo Nackateni.

DOmine JESU per amaritudinem tuam, quam sustinuisti in Cruce, maximè quando benedicta anima tua de corpore egrediebatur, miserere animæ meæ in egressu suo. Amen. Pater noster &c. Cæsarius *l.12.c.51. refert quendam vi hujus orationis sine Purgatorio ad cœlos admissum.*

Testamentum hominis Christiani.

In nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

EGo N. N. animam meam trado in manus Creatoris, & Redemptoris sui: corpus terræ, unde exivit, restituendum relinquo: temporalibus bonis, honoribus ac deliciis prompto animo renuntio: te solo Deo ac Domino meo frui cupio.

De peccatis meis maximè doleo, ideò, quia te Deum meum, quem super omnia amo, offenderim, seriam emendationem, & satisfactionem tua ope præstandam promitto. Offensas omnes omnibus lubens condono, quod idem, ut mihi fiat, humillimè peto. Credo, quidquid Ecclesia Catholica mihi credendum proponit. Spero me per infinitam misericordiam tuam, mi Deus, remissionem omniũ peccatorum, & vitam æternam consecururum. Eundem te verum Deum trinum in Personis, summum, & unicum bonum meum amo ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Mala perinde ac bona de manu tua cum gratiarum actione accepto, & me totum divinæ Providentiæ sanctissimóque arbitrio committo.

Hanc ultimam voluntatem meam roborari, & confirmari peto testimonio, auxilio vestro, ô S. Maria, ô S. Joseph, ô S. Angele Custos, ô S. Barbara, ô SS Patroni mei N. N. adeste, obsecro, piis desideriis ac votis clientis vestri NN.

Orationes pro felici morte. Ad B. Virginem.

O Maria virgo pia, Mater Dei, cœli via, precor te per dolorem illum, qui transfixit animum tuum, quo tempore Filius tuus patiebatur, & per lætitiam, qua in ejus Resurrectionis gloria exultasti, ut me respicias, misericorditer in extrema lucta constitutum: ea namque hora est, cujus causa toto vitæ tempore cupio esse famulus, & cultor tuus: in ea hora confirma timidam animam meam, repelle conatus infensissimi dœmonis, & impetra, ut placidè conquiescam: Per Christum Dom. nostrum.

Ad S. Joseph.

O Sancte Patriarcha Joseph, adsis mihi in illa hora, quando præmortuam linguam meam amplius movere non potero ad te invocandum, nec oculos meos ad te levare: esto tunc memor precum harum, quas ad te supplex nunc effundo. Subveni mihi in hora resolutionis meæ, ne potestas inferorum adversùm me prævaleat: Per Christum Dom. nostrum.

Ad Angelum Custodem.

ANgele bone, qui custos es meus fidelissimus, defende me in prælio, ut non peream in tremendo judicio. Repelle inimicas potestates in ea hora, qua ad æternitatem evocabor, ut tecum aliisque SS. Angelis laudem Deum in æternum. Amen.

Ad S. Barbaram.

O Patrona morientium, gloriosa virgo, & martyr Barbara, memor pollicitationis tibi divinitùs factæ, ne patiaris me ex hac vita imparatum excedere, sed vera priùs ac integra confessione purgatum, Christique sponsi tui vivifico corpore munitum. Per eundem Christum Dom. nostrum. Amen.

1869 Q. 274. *Quid notandum sit circa Confessarium illius, qui tenetur ad restitutionem famæ vel aliorum bonorum?* Resp. §. 1. Quos prudenter judicare potest scire, & satisfacere velle obligationi restituendi, ordinariè non tenetur eos admonere: est tamen apud plerosque consultius admonere saltem indirectè. Quandonam autem, & quantùm pœnitens teneatur restituere, dictum est in l. 3. p. 2. Et cavere debet Confessarius, ne aut nimiùm aut nimis parum imponat. Quid agendum sit, si ex ignorantia vel errore indebitè obligarit aut deobligarit à restitutione, dixi à n. 1780.

1870 §. 2. *Cajet. Molin. & alii*, communiter dicunt non esse absolvendum, qui antehac admonitus non restituit; quod *Lugo* dicit regulariter esse observandum, nam sicuti voluntariè manens in periculo próximo peccandi non potest absolvi, ita neque hic, meritò enim timetur relapsus, cujus experimentum dedit. Si tamen jam essent circumstantiæ, ex quibus colligeretur magis seriò velle, & probabiliter facturum, absolvi posset, attamen rectè injungetur, ut priùs ad Communionem non accedat, quàm actualiter restituerit, nisi esset specialis ratio etiam hoc permittendi. Trid. *sess. 25. de Refor. c. 12.* præcipit, ut qui decimas non solvit, aut impedivit, ne solverentur, *nisi plena restitutione secuta*: quod tamen plerique cum Sanch. *in Decal. l. 2. c. 20. n. 10* intelligunt, nisi excuset impossibilitas restituendi. Motiva permovendi ad restituendum proponit Viexm. *tota parte 2.* nam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: nec debet is apud homines timere confessionem, qui vult apud Deũ invenire gratiam, quæ temporalibus bonis utique præferenda est. Et quid proderit tacuisse hanc obligationem suam vel hæredibus aliena relinquere? certè ista tantùm conferent ad damnationem, & ad impediendam quoad cætera cætera Dei benedictionem. Juvat etiam interrogare pœnitentem, quid vellet sibi fieri, si oblata sibi essent bona fortunæ, vel famæ, an non vellet sibi restitui? hinc faciat hoc alteri, quod tibi fieri vellet.

1871 Q. 265. *Quid observare debeat Confessarius fatui, surdi, muti, hominis linguæ peregrinæ?* R. §. 1. Qui scitur nuflectat, se excuset, tundat pectus, id enim facit, quia vidit, & audivit alios facere: & reipsa capax non est peccati vel actuum supernaturalium ad absolutionem prærequisitorum. Semifatuus est capax peccati, cùm habeat libertatem saltem imperfectam unde si prudenter judicetur, quod hic & nunc habeat saltem imperfecti actus ad pœnitentiam prærequisitos, potest absolvi saltem sub conditione, ubi dubium est, etiam singulis mensibus, inquit Gob. *t. 7. n. 468.* Ut verò qui creditur non esse planè fatuus, non sufficit, quod distinguat inter status hominum, exhibeat reverentiam clerici, aliqua mandata rectè exequatur, hæc enim fieri possunt sine libertate, & absque discretione inter bonum, & malum morale: itaque in hoc consuli debet judicium prudentum, & si dubium sit, an sit semi, an planè fatuus, in articulo mortis disponi debet, quantum potest, ad pœnitentiam, & absolvi sub conditione.

1872 §. 2. Qui quandoque delirant, quandoque sapiunt, possunt tempore lucidi intervalli absolvi, non aliter ac illi, qui semper sapiunt. Qui in aliquo tantùm objecto delirat, v. g. si se putet esse Regem, & in reliquis non det signa amentiæ, absolvi potest, quia talis deliratio oriri potest aut per species circa hoc objectum tantùm turbatas vel malè ordinatas, aut per apprehensionem vel desiderium nimis vehemens circa hoc unicum; atque ita homo talis manebit capax actuum liberorum circa alia objecta, Gob. *n. 469.*

1873 §. 3. Surdaster Confessario ignotus, qui audire non potest, nisi Confessarius clamet, aut ita loquatur, ut circumstantes audiunt, remitti debet ad locum separatum. Si autem Confessario nota sit illius innocentia, eò quòd non soleat nisi venialia afferre, audiri potest, & absolvi, opus enim non erit talem de aliquo interrogare, & pœnitentia imponi potest ostensis digitis vel Rosario, prout inter ipsos antehac convenerit. Quòd si prudens metus sit, ne afferat materiam mortalem, circa quam interrogari debeat, remitti debet ad alium locum. Et quamvis Gob. *num. 463.* dicat non displicere sibi, si dicatur talem eo ipso, quòd tali loco confiteatur, dare potestatem Confessario loquendi ea, quæ ad absolutionem sunt necessaria, quamvis etiam ab aliis audiantur, tamen ho non debet universaliter admitti, quia plerique putant se ita confiteri, ut non sit opus interrogari.

1874 § 4. Si pœnitens sit mutus, & non surdus, facilè juvari potest per interrogationes, quibus per signa respondeat. Si postquam didicit necessaria scitu, & creditu, fiat surdus & mutus, extra articulum mortis absolvi non potest, nisi scripto vel signis ostendat, quòd doleat. Et si per signa possit significare species peccatorum, & numerum, ad hoc tenetur, uti & ad accedendum illum Confessarium, qui præ reliquis ea signa novit, vel per usum cum illo, vel ex relatione domesticorum, Gob. *à n. 476.* Quòd si à nativitate sit surdus, & mutus, putant aliqui absolvi non posse, quia non videtur capax actus fidei, cùm nihil sciat de revelatione Dei: è contrà alii putant posse absolvi, si det signa pœnitentiæ, est enim capax peccati, item agnitionis Dei, vitæ æternæ, &c. quæ per signa illi declarari possunt: & ita ex Tann. testatur Gob. *t. 4. n. 132.* quòd aliquis à nativitate surdus, & mutus etiam mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis potuerit signis ostendere, Deo fortè per intellectum perspicaciorem vel magis illuminatum supplente, quod deest in sensibus: ideóque putat *Gob.* talem absolvi potuisse etiam sæpiùs, & extra articulum mortis: & consequenter secundùm Lohn. & Dian. *p. 5. t. 6. R. 3.* obligandus erit semel in anno confiteri, quamvis non posset se accusare de aliquo certo peccato, quia sufficit accessisse eo animo, ut se accuset, cùm per hoc sufficienter fateatur se peccasse: potest autem illi pro pœnitentia injungi, ut pectus tundat, flectat junctis manibus vel expansis brachiis, nam probabile est non requiri ad satisfactionem sacramentalem, ut peragatur ex intentione complendi Sacramentum, ideóque potest injungi opus, quod posteà faciet vel tum facit, *Lohn.*

1875 §. 5. Si quis sit à nativitate surdus, & mutus, & cæcus, censeri debet velut perpetuò amens, cùm non videatur ullo modo edoceri posse res sacras, adeoque nullum Sacramentum est illi conferendum præterquàm Baptismus, *Teret. Lohn. Gob.* Qui autem post usum rationis casu vel morbo factus esset surdus, mutus, & cæcus, vix poterit cognoscere aliquid de absolutione sibi danda, unde secundùm *Lohn.* sola extrema Unctio videtur illi esse danda; sed non video, cur dari non possit etiam Eucharistia pro Viatico.

1876 §. 6. Si Confessarius ob imperitiam linguæ non possit percipere mortalia, si commodè fieri potest, remittere debet ad alium peritum linguæ: si autem sine gravi incommodo remitti non possit: & saltem aliquod *veniale* intellexerit, tum non tantùm in articulo *mortis* aut quando præceptum obligat, sed etiam *alio* tempore licitè absolvitur, quia in tali casu sufficit integritas formalis, Sà, Layn. Castrop. Sroz. *t. 2. n. 91.* Semper autem videtur esse per molestum sæcularibus, si postquam se præpara-

runt, inauditi remittantur, quando alius linguæ peritus diu aberit, Gob. *t.* 7. *n.*485. Tenetur tamen talis pœnitens mortalia non intellecta suo tempore confiteri alteri intelligenti, & ideò jam posset omninò de illis tacere, si certò sciret Confessarium hunc non intellecturum quoad speciem. Quòd si sola venialia habeat, potest accedere Confessarium semiperitum *linguæ*, relicto perito, *Gob.*

1877 §. 7. *Si* quis sciat linguam principalem, v. g. Germanicam, quamvis non intelligat aliquas dialectos, seu modos loquendi alterius linguæ subordinatæ, v. gr. VVestphalicæ, Gob. *n.*486. dicit, quòd licitè se exponat pro audiendi, VVestphalorum confessionibus: sed ubi necessitas nulla est, videtur dicendum, quòd teneatur priùs intelligere tales modos loquendi, vel saltem in confessione petere explicationem aut circumlocutionem, alioquin sine justa causa negligit integritatem materialem.

1878 Q. 276. *Quid observare debeat Confessarius pœnitentis generaliter confitentis, vel antehac malè confessi?* Resp. §. 1. Aliqui ideò confitentur generaliter, quia hactenus sæpè soliti sunt confiteri sacrilegè vel sine examine, dolore aut proposito, vel quia putant se aliqua mortalia nunquam esse confessos, quæ qualia putant se aliqua mortalia nunquam esse confessos, quæ qualia sint, nesciunt: & isti omnes per ordinem præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ examinandi sunt, sicuti si nunquam essent confessi. Alii faciunt pro majore securitate sua, aut ad magis expianda peccata, aut quia ingressi sunt statum religiosum, in quo id statuitur; & cum his ita est procedendum, ut primò interrogentur, an non ab ultima confessione in aliquo Deum graviter offenderint: si affirment, aut, hæc peccata primò dicant in specie, & numero: si negent, aut quando hæc jam dixerunt; permittantur de priore vita dicere, quod occurrit, neque importunus sit Confessarius in exquirenda specie vel numero, nisi pœnitens fieri vellet, quia cùm semel sint bene confessi, uti suppono, opus non est pœnitenti novam molestiam facessere.

1879 §. 2. Si pœnitens velit, potest, per se loquendo, mortalia nunquam confessa miscere cum aliis confessis, uti dictum est à n. 1181. Et quamvis pœnitens dixerit se velle de tota vita confiteri, tamen omittere potest mortalia aliqua, dummodò ea antehac sit ritè confessus, uti dixi n. 1183. sed notat *Lohn.* Religiosos, quibus præcipitur singulis annis confiteri generaliter, per hoc non satisfacturos præcepto. Præcipua autem Cura Confessarii esse debet, ut generaliter confitens studiosè eliciat actus prærequisitos, præcipuè autem sincerum dolorem, & propositum, longè enim plus de his laborandum quàm de enarratione peccatorum.

1880 §. 3. Quamvis, secundùm aliquos, non esset obligatio imponendi pœnitentiam pro sola confessione generali, ne idem bis puniatur, tamen ob nova peccata addi debet aliqua, & communiter etiam ob priora. quia sic censetur velle pœnitens; & ita consulitur integritati Sacramenti. Quòd si pœnitens mixtim omnia dicat, confessa & non confessa, imponi debet pœnitentia proportionata, veluti si nullum esset confessus; cùm enim nullum distinguat ab altero, vult omnia accipi veluti non confessa.

1881 §. 4. Confessio generalis non est permittenda scrupulosis, nisi cum cautelis notatis l. n. 541. aliis verò, qui in peccatis luxuriæ vixerunt, una tantùm vice permittenda, ne sordes eas sæpiùs movendo, se iterùm inquinent: unde curandum, ut jam accuratè peragant, sic enim saltem indirectè remittentur omnia etiam per oblivionem omissa: imposterum autem permittantur generaliter confiteri tantùm de anno in annum, aut in genere accusare se de illis. Nec expedit talibus suadere confessionem generalem, nisi postquam major impetus illius vitii est repressus.

1882 §. 5. Cum illo, qui hactenus sæpè est confessus sacrilegè vel invalidè, procedendum est secundùm dicta à n. 1206. 1216. 1220. Non expedit autem semper, ut quando quis advertitur esse malè confessus, statim prima vice moneatur de confessione generali, quia hoc quosdam nimium perturbat, præsertim si sint homines anxii vel pudibundi vel planè rudes, qui putant impossibile sibi esse recordari omnium, quæ fecerunt: itaque tum Confessarius nulla facta mentione confessionis generalis instituat interrogationes circa singulas ætates pœnitentis, percurrendo præcepta, contra quæ potissimùm peccare potuerit, sicque confessionem generalem eliciat ab ipso vix advertente: in fine autem petat, an aliquid sit grave, quod prætereà tota vita commiserit, & tum denique eliciat numerum sacrilegarum confessionum, & Communionum.

1883 §. 6. Qui fecit confessionem generalem præmisso diligenti examine, secundùm J. Sanch. Dian. Stoz. *l.* 1. *p.* 3. *n.*613. Illf. *n.*124. non tenetur ampliùs de vita anteacta cogitare, & si posteà occurrat dubium, an hoc vel illud peccatum sit confessus, nisi certus sit esse omissum, potest præsumere se esse confessum, & omnia dubia de vita præterita deponere, alioquin, inquiunt, nunquam erit finis dubitandi ac se, & Confessarios vexandi. Putarem tamen permittendum, ut ter aut quater adhuc addat, quæ incident, si non meminerit se esse confessum, secundùm dicta l. 1. à n. 541. maximè si non semper fuit timoratæ conscientiæ, secundùm dicta hìc n. 612.

Pro juvando pœnitente, & reducenda peccatorum memoria, utile erit hìc ponere catalogum peccatorum ex Manuali Sodalitatis & directorio Polanci collectum.

Catalogus peccatorum, pro instituenda confessione generali.

Quomodo in sequentibus peccatis confitendus sit numerus & distinguenda species infima, dixi à n. 921. 945. 979. A

Circa 1. præceptum, quod est colere Deum super omnia.

a) Circa fidem.

AN crediderit omnia, quæ S. Romana Ecclesia credit, vel habuerit opinionem in aliqua re fidei Romanæ contrariam.

An verbis vel signis externis infidelitatem aliquam vel hæresin prodiderit aut probaverit, etiam solus nullo audiente, & contra quem fidei articulum.

An fuerit nimium curiosus in investigandis rebus fidei, & an de aliquo fidei articulo dubitaverit, & de quo.

An apud se habuerit vel legerit libros hæreticorum aliosve libros ab Ecclesia prohibitos.

An sciverit orationes aliáque necessaria, quæ quisque Christianus scire tenetur, ut sunt Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, oratio Dominica, Ave Maria, Credo, & mysteria principalia fidei.

An usus sit aliquo genere superstitionum, incantationum, divinationum per se vel alios.

An schedulas superstitiosas apud se habuerit ad sanitatem, indurationem, aliamve rem obtinendam, & an alios induxerit ad earum usum.

An fidem habuerit somniis vel auguriis, accipiendo illa pro regula actionum suarum.

An curaverit sibi ex lineis manuum, signis vultus, &c. prædici futura.

Circa spem.

AN nimiùm præsumendo de divina misericordia commiserit aliquod peccatum, vel in malo perseveraverit, differendo emendationem. B

An

An in rebus adversis fiduciam potiùs in creaturis, & in auxilio hujus mundi quàm in Deo collocaverit.

An diffidendo misericordiæ divinæ desperaverit de emendatione vitæ vel de remissione peccatorum vel de æterna salute obtinenda.

Circa charitatem.

C AN murmuraverit contra Deum, conquerendo quasi non esset justus, vel reprehendendo ejus Providentiam.

An per timorem aliumve respectum humanum cogitaverit offendere Deum, aut non facere, quod pro suo officio, & Dei servitio facere tenebatur.

An aversionem cum quodam horrore à Deo habuerit, & à rebus divinis ad salutem suam pertinentibus.

An maledixerit, vel blasphemaverit Deum, aut Sanctos aliasque creaturas.

An abusus fuerit verbis Scripturæ ad profana, maximè ad turpia, scurrilia.

An exposuerit se periculo aliquorum peccatorum mortalium, & quorum: item an complacuerit sibi in peccato olim commisso, & quo illo.

An persecutus sit vel calumniatus fuerit hominibus piis, detrahendo bonis eorum operibus, vel impediendo, ne illa facerent; & speciatim an impediverit aliquem ne ingrederetur Religionem.

Circa 2. præceptum: Non assumes nomen Dei tui in vanum.

D AN juraverit falsum, sciens esse vel dubitans esse falsum, sive joco factum sit, sive de re levi. 1

An juraverit promittendo rem licitam, quā postea sine causa rationabili non observaverit, aut an intentionem habuerit non servandi, cùm juraret.

An causam dederit alicui, ut falsum juraret, vel non observaret juramentum licitum.

An jurarit adjuncta maledictione, v.g. diabolus me auferat, tale malum mihi eveniat, si non fecero, &c.

An juraverit se malum aliquod vel peccatum commissurum, aut non facturum bonum.

An juraverit minando alicui sine intentione exequendi juramentum.

An in judicio juraverit falsum, vel juridicè interrogatus non responderit conformiter intentioni Judicis, vel consilium dederit aliis id faciendi. Quo casu non solùm peccat mortaliter, sed etiam obligatur ad restitutionem, si inde secutum est aliquod damnum proximo.

An habuerit consuetudinem sæpè jurandi, non curando aut non considerando, an verè vel falsò juraret.

An fecerit votum faciendi aliquod bonum, & non sit executus, vel executionem diu sine causa distulerit.

An voverit aliquid cum intentione non adimplendi votum.

An voverit se nihil boni, aut aliquid mali facturum, aut bonum quidem acturum sed ob malum finem.

Circa 3. præceptum: Memento ut diem sabbati sanctifices.

E AN dies festos violaverit, faciendo vel mandando aliis opera prohibita ab Ecclesia, vel consentiendo illis, qui faciunt.

An omiserit audire Missam aut ejus notabilem partem die, quo præcepta erat, vel aliis causam dederit omittendi. An ad eam serò venerit ex sua culpa, exponendo se periculo non audiendi totam.

An per notabile tempus in Missa die festivo dormierit, fabulatus sit, voluntariè distractus vel alia re inani occupatus fuerit.

An curarit subditos suos diebus festivis interesse Missæ.

An confessus sit saltem semel in anno, & curarit, ut sibi subjecti id facerent.

An confessus sit sine prævio examine conscientiæ, dolore, proposito deserendi peccatum vel occasionem aliquam peccandi.

An ex pudore vel alia de causa reticuerit aliquod peccatum in confessione, aut ex defectu sufficientis examinis aliquando non sit integrè confessus omnia mortalia.

An pœnitentias in confessione injunctas neglexerit, vel nimiùm distulerit.

An quovis anno tempore Paschali communicaverit ea dispositione, qua oportet.

An cum conscientia certa vel dubia peccati mortalis receperit Eucharistiam vel aliud aliquod Sacramentum, aut an cum tali conscientia administraverit aliquod Sacramentum.

An jejunarit in quadragesima, vigiliis, 4. temporibus, cùm esset obligatus: quisque autem obligatur expleto anno 21. ætatis, nisi justa causa excuset.

An die aliquo prohibito comederit carnes aut alios cibos in sua provincia prohibitos, vel causa fuerit, cur alii comederent.

An violaverit Ecclesiam aliquo peccato carnis vel effusione sanguinis. *Vide dicta n. 1016.*

An incurrerit aliquam excommunicationem, vel in ea susceperit aliquod Sacramentum, aut interfuerit officio divino.

An contumelia aliqua vel irreverentia affecerit imagines, Reliquias SS. aliamve rem sacram.

An obligatus ad Horas canonicas, omiserit recitare totas vel ex parte, aut in eis recitandis fuerit voluntariè distractus, debito tempore non orarit.

Circa 4. præceptum: Honora patrem, & matrem.

AN parvo honore affecerit patrem aut matrem, F contemnendo illos vel offendendo factis aut verbis contumeliosis. *Qui veniant nomine parentum, & de injuriis contra alios propinquos, vide dicta à n. 1005.*

An maledixerit patri aut matri vel in eorum absentia eos sit execratus, affecerit dedecore, detraxerit de eorum honore vel fama.

An inobediens fuerit patri aut matri in rebus justis; an etiam in rebus, quæ cedere poterant in damnum domus vel animæ suæ.

An parentibus in necessitate constitutis subvenire noluerit.

An desideraverit eorum mortem, ut hæreditate potiretur vel liberaretur imperiis.

An executus sit ultimas eorum voluntates.

An ex nimio parentum amore parvipenderit offendere Deum.

An pecunias à parentibus submissas, ad alienos usus converterit, vel eis subduxerit aliquid, mendaciis pecunias extorserit.

An leges justas vel mandata Superiorum transgressus sit.

An detraxerit vel malum aliquod optarit Superioribus ecclesiasticis aut sæcularibus. *De peccatis alias, & injuriis contra Superiores, vide dicta à n. 1010.*

An pauperibus non subvenerit in extrema vel gravi necessitate, aut nimis durus fuerit contrà eos verbis aut factis.

Parentes examinent se, an maledixerint suis prolibus, non educaverint, sicut debebant, instituendo eos in orando, & doctrina Christiana, attinendo ad observationem præceptorum Dei & Ecclesiæ, reprehendendo & castigando, dum malè agerent, avocando à malis consortiis, occupando honestis exerciiis. Quòd dicitur de prolibus, intelligitur etiam de servis, ancillis & aliis quorum curā habere tenentur.

Circa 5. præceptum: Non occides.

AN aliquem habuerit odio, & quamdiu in eo per- G severarit.

An opraverit alicui mortē, grave malum vel damnū in anima, corpore, fama, honore, bonis fortunæ.

An iratus fuerit alicui cum intentione nocendi illi, vindictam sumendi, graviter lædendi, occidendi, si potuisset vel ausus fuisset.

An contendendo cum aliis, verberaverit aliquem, vulnerarit, occiderit, commiserit aliis, ut facerent, factum nomine suo approbarit, ad id dederit consilium, auxilium, favorem, vel saltem in animo optarit alia mala proximo.

An provocaverit aliquem ad duellum, provocatus in illud consenserit: fuerit secundans in duello alieno, non impediverit, cùm posset, interfuerit, aspexerit duellantes.

An noluerit veniam petere vel pacem inire cum eis, quos offenderat, vel pro injuria illa non sufficienter satisfecerit.

An noluerit condonare injuriam ab alio illatam.

An ex odio omiserit alloqui, salutare, deferre ordinaria signa vel obsequia amicitiæ, prout aliàs solebat, aut si abfuerit odium, an aliquid horum omiserit cum scandalo proximi.

An in rebus adversis, & infortuniis optaverit mortem, aut ex furore seipsum verberarit, sibi maledixerit vel diabolo tradiderit, diabolum invocarit, & hæc ex animo, an ore tantùm.

An maledixerit vivis vel defunctis.

An impatiens fuerit ad quævis verba vel injurias: & ideò eruperit in execrationes, blasphemias, dicendo, *Sacramenta, Sanguis Christi, Mors Dei &c.*

An per susurrationem excitarit discordias & inimicitias inter alios, sicque mala & damna causarit alicui proximo.

An ex odio vel invidia doluerit de prosperitate temporali, aut spirituali alterius: an gavisus sit de aliquo malo vel damno alterius.

An ex ira impetierit alios verbis acerbis, injuriosis, contumeliosis.

An verberaverit injuriosè personam clericalem vel religiosam, ita ut in excommunicationem inciderit.

Circa 6. & 9. præceptum: Non fornicaberis: Non concupiscies uxorem proximi.

HPro speciebus omnibus hic integrè explicandis videri possunt dicta à n. 1022. communiora sunt seqq.

An habuerit cogitationes inhonestas, & in eis voluntariè hæserit se oblectando, etiam sine voluntate & desiderio faciendi opere: dicat, in quibus cogitationibus sive de quibus objectis turpibus.

An peccaverit cum conjugata, consanguinea, voto castitatis obligata &c.

An desideraverit cum tali peccare, saltem si potuisset vel ausus fuisset.

An peccans vel post peccatum conatus sit impedire conceptionem, ejicere semen aut fœtum, aut ad hoc consilium dederit.

An animo libidinoso aspexerit fœminas, adolescentes, turpes imagines vel statuas, comædias obscænas, pecudes coeuntes &c.

An usus sit verbis lascivis cum intentione peccandi, vel provocandi alios ad peccatum, aut saltem prævidens alium per hoc posse scandalizari: & dici debet, an hi scandalizati, fuerint liberi, conjugati, voto castitatis obligati &c. Item an libenter audiverit ejusmodi colloquia.

An impudicè attigerit fœminas vel adolescentes, aut permiserit se tangi ab aliis: ubi de amplexibus, osculis &c. Item de sodomia, & aliis peccatis contra naturam, *de quibus vide dicta à n. 1078. & à n. 1080.*

An inhonestè attigerit bestias vel aliud peccatum cum eis commiserit. *Vide à n. 1083*

An in seipsum peccaverit peccato mollitiei, polluendo se, seu maculando, turpiter tangendo, aspiciendo: & an eo tempore cogitarit de aliqua persona cum intentione peccandi cum illa.

An in Ecclesia commiserit ejusmodi pollutionem.

An animo peccandi miserit nuntia, litteras, munera, aut mediator fuerit respectu aliorum, ubi de consiliis, auxiliis datis ad peccata aliorum.

An adierit vel transierit locum aliquem cum mala intentione aspiciendi fœminas, & se oblectandi: & de periculis peccandi, quibus se exposuit: & de occasionibus peccandi, quas non declinavit.

An pollutioni in somno ortæ causam dederit, vel postea evigilans eam promoverit, aut in eam vel in ejus delectationem consenserit.

An carnali amore personam aliquam sit prosecutus: quamdiu in eo statu perseveraverit, & quæ intereà fecerit vel facere tentaverit, & quæ intereà fecerit vel facere tentaverit: an fortè etiam fuerit causa, cur persona illa sit notata aliqua infamia.

An legerit libros impudicos, cecinerit cantilenas obscœnas, &c. delectando se in illis objectis turpibus, aut etiam aliis dando scandalum.

Qui sunt conjugati, examinabunt se in particulari, an mente, cogitando de aliis mulieribus, vel intentione, non habendo pro fine prolem sed purè delectationem carnalem, habuerint usum Matrimonii: Item an modis non ordinariis sed fœdis vel periculosis; item an conjugi negaverint debitum, saltem nimia morositate. *Videri possunt dicta à n. 1052.*

Circa 7. & 9. præceptum: Non furtum facies. Non concupisces rem proximi:

IAN rem alienam sustulerit per fraudem vel rapinam, explicando quantitatem: & in specie, an sustulerit rem sacram vel de loco sacro.

An damnum intulerit alicui, & quantum, & an restituerit.

An rem alienam retineat sine voluntate Domini, & non restituat statim, cùm possit.

An cùm non sit solvendo suis creditoribus, plura accipiat mutua, vel consumat, quàm necesse sit, & ita proximus damnum patiatur.

An rem inventam retinuerit pro se. Idem est de rebus, quæ ad manus ejus venerunt, si eas non restituat suis Dominis, sciens esse alienas.

An emendo vel vendendo fraudem fecerit, aut in mercatura, aut in pretio, aut in pondere & mensura.

An emerit ab eis, qui potestatem vendendi non habent, ut à servis, & filiis familias.

An emerit res, quas sciebat vel dubitabat esse furto sublatas, aut sciens aliquid de ejusmodi rebus consumpserit.

An habuerit voluntatem accipiendi, si posset, vel retinendi rem alienam, vel animum acquirendi & congerendi opes, ut dicitur, per fas & nefas.

An commiserit aliquam usuram, vel fecerit contractum usurarium, vel societatem injustam in mercatura.

An accepta solutione vel salario ad gerendum officium vel opus peragendum, non bene & fideliter illud gesserit.

An ministros suos vel operarios fraudaverit mercede sua, aut cum damno ipsorum distulerit solutionem, vel pro mercede obtruserit aliqua illis non necessaria.

An litem moverit contra justitiam, vel in lite justa usus sit fraude aliqua aut deceptione ad vincendum.

An usus sit adulterina moneta: indulserit ludis vetitis, vel per fraudem in ludo aliquid sit lucratus, vel luserit cum eis, qui non possunt res suas alienare, ut sunt filiifamilias, &c. *De furto uxorum, filiorum, famulorum, vide l. 3. p. 1. à n. 971. 1014 1032.*

An defraudaverit gabellas justas, vel exegerit vectigalia injustè.

An simoniam aliquâ commiserit, quocumq; modo.

An

An Ecclesiam privaverit Decimis, & aliis, quæ ei debebat.

An per media illicita vel malas informationes obtinuerit rem aliquam, quæ nullo jure ei obveniebat, vel an alios impediverit injustè, quominus bonum aliquod suum, vel lucrum consequerentur.

An consilium vel auxilium dederit, vel alio quocumque modo participaverit cum fure, raptore, detentore rei alienæ: vel cùm posset & deberet, non impediverit damnum proximi.

Circa 8. præceptum: Non loqueris falsum testimonium.

K AN falsum testimonium dederit in judicio vel extra, vel alium ad hoc induxerit.

An mentitus sit, maximè cum præjudicio vel damno proximi. *De mendacio in Confessione, vide dicta à n. 1175.*

An famæ alicujus detraxerit, vel falsò imponendo aliquod crimen, vel verum crimen adhuc occultum revelando, aut nimiùm exaggerando.

An in faciem etiam alicui dixerit contumelias contra honorem vel famam, aut fœda & probrosa ei nomina imposuerit, vel soli vel etiam aliis audientibus.

An in re gravi murmuraverit vel sugillaverit circa vitam illorum, maximè hominum honoratorum, ut sunt Prælati, Magistratus, Religiosi, honestæ matronæ.

An aures præbuerit detrahentibus, calumniantibus, murmurantibus de proximo.

An secretum sibi commissum revelaverit: vel an revelaverit, quod in secreto vidit vel audivit: speciatim perpendat concernentia sigillum confessionis.

An alienas litteras aperuerit vel clausas artificio legerit.

An temerarium judicium habuerit de factis vel dictis proximi, interpretando in malam partem, & in corde suo condemnando eum de malo: vel saltem valdè temere suspicando.

An animo obligandi se, aliquid alteri promiserit, & promissionem non servarit, maximè si proximo inde secutum est damnum.

Circa peccata capitalia.

L AN judicaverit bona, quæ habet, corporis, animæ, fortunæ, non habere à Deo, sed à se, & sua industria: aut si quidem judicet se habere à Deo, attamen præsumat se propriis meritis sine divina gratia accepisse, non dando per omnia gloriam Deo.

An vanè existimaverit se habere virtutem, quam non habet, vel se esse qui non est, vel plus esse quàm est, contemnendo alios tanquam sibi inferiores.

An gloriatus sit in re aliqua, quæ sit peccatum, vel ad se extollendum commiserit aliquod peccatum.

An ut magnificret, jactaverit se de aliquo bono, & multò magis de malo à se perpetrato, sive verum sit sive falsum.

An fuerit inordinatè ambitiosus desiderando honores, & dignitates, & ideò quædam fecerit, quæ non debebat.

An, ne parvi fieret ab aliis, fecerit aliquid, quod non debebat, cum scandalo proximi; aut omiserit facere, quod debebat, ut corrigere vel reprehendere delinquentem, conversari cum bonis, confiteri, aliáque opera Christiana exercere.

An pertinaciter veritatem impugnaverit, ne videretur victus vel malè locutus.

An per arrogantiam alios contempserit, faciendo aliquid in eorum confusionem vel despectum.

An ex fastu nimios sumptus fecerit in vestibus, famulis, & aliis statui suo non convenientibus. Adde profusionem, & prodigalitatem cum dispendio familiæ, parentum, fratrum.

An comederit aut biberit intemperantiùs: an cum notabili damno sanitatis.

An biberit usque ad privationem rationis vel cum periculo inebriationis.

An alium inebriarit, vel intenderit inebriare, vel periculo illius exposuerit.

An ex pigritia vel tædio rerum spiritualium bonum aliquod opus, quod facere tenebatur, omiserit.

De reliquis capitalibus ante dictum est.

Circa peccata aliena.

MOdi, quibus homo participat de peccatis alienis, versibus continentur.

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo.
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Participo, protegoque: meum in caput ista redundant:

Hinc consideret, an malum dederit consilium, vel author fuerit alteri, ut malum committeret

An præceperit vel coegerit aliquem committere aliquod peccatum,

An consenserit peccatis aliorum, eáque approbarit, vel exemplo suo malo fuerit causa, cur alius peccaret vel permaneret in peccato.

An provocaverit alios ad peccandum, suggesserit modum, vel occasionem dederit peccandi.

An adulando iis, qui malè agebant, vel laudando ipsa opera mala, causa fuerit peccatorum alienorum, vel cur non resipuerint aut pœnituerint.

An cùm posset, & deberet non manifestarit aliorum peccata iis, quorum officium erat corrigere.

An non impediverit aliquod peccatum proximi, quia neglexit eum punire vel removere occasionem.

An omiserit reprehendere vel admonere peccantem, cùm deberet, & posset facere.

An fuerit socius vel quocumque modo particeps peccati alieni.

An hospitio receperit, foverit, occultarit, defenderit homines malè agentes.

Qui in officio, functione, statu speciali sunt vel fuerunt, debent specialiter circa ista se examinare.

Q 277. *Quid observare debeat Confessarius, si pœnitens confiteatur sola dubia, venialia vel imperfectiones?* 1884

R. §. 1. Mortalia dubia esse quandoque materiam necessariam confessionis, dixi à n. 598. & addidi n. 614. peccatum dubium non debere se solo subjici absolutioni dandæ absolutè, ne si reipsa peccatum non fuerit, Sacramentum frustretur.

§ 2. Non expedire confiteri sola venialia, docet 1885 cum quibusdam Jansenistis Gummarus *in meth. tract. 1 ad obj. 6.* nisi quis esset magna sanctitate conspicuus, qui malitiam clarè videat, & detestetur: permittit tamen fieri confessionem etiam solorum venialium, sed absque intentione Sacramenti vel absolutionis. Similiter author libri Gandavi impressi, cui titulus, *Notitia necessaria hoc tempore ad confitendum, & communicandum utiliter*, urget more primorum Christianorum, qui quotidie communicabant sine confessione, non esse confitenda venialia, maximè indeliberata; & quamvis sint deliberata, quæ difficulter vitantur, quia de illis difficulter habetur serium propositum. Addit, quòd in hac vita sit quidam status perfectionis, in quo non indigeamus ampliùs confessione, neque in eo statu solitos fuisse confiteri primos Christianos. Alius libellus, cui titulus: *aurea fodina sufflossi*, pag 42. & 44. dicit tempore SS. PP. non fuisse in usu confessionem peccatorum venialium. *Opstraedt* Mecliniæ 7. August. 1687. posuit hanc Thesin: *Ignoti pœnitentes, etiamsi tantùm levia confiteantur, e. g. se leviter mentitos, vel iratos, vel in Sacro distractos fuisse, plerumque non sunt absolvendi.* Sed contrà est, quia certum est ex dictis à n. 595. quod venialia sint materia sufficiens Sacramenti. & utiliter ea confitentur etiam pii homines. Deinde omninò rejici debet sententia illa, quæ dicit viris perfectis non esse confitendum, habitur enim etiam justus sæpè, aut saltem potest de priori vita confiteri, ut gratiam in se augeat,

geat, & à lapsibus præservetur. S. Franc. Salesius *p. 2. Introd. ad vitam devotam cap. 19.* ait, *Humiliter, & devotè quot hebdomadis confitere, & si fieri potest, quoties ad sacram Communionem accedis; tametsi nullum peccati alicujus mortalis in conscientia tua remorsum sentias, etenim per confessionem, quam institues, non solùm venialium peccatorum, quæ confiteberis, absolutionem, sed & incredebile ad eadem imposterum evitanda robur recipiet, uti & ingens ad eadem discernenda lumen, nec non abundantem gratiam ad omnem jacturam, & dispendium, quam tibi attulerant, reparandam: adhæc humilitatis, obedientiæ, candoris & charitatis virtutem exercebis, & plures in solo hoc confessionis actu virtutes, quam in alio quocumque usurpabis.* Hujus Sancti judicium pluris facio, quàm Jansenistarum.

1886 §. 3. Dixi à n. 621. quamvis fortè validè fiat, attamen non esse licitum extra casum necessitatis se tantùm in genere accusare de solis venialibus, bene tamen in specie, v. g. dicendo, mentitus sum, licèt non addatur numerus: quot autem, & qualia mendacia tum remittantur, dixi ibidem. Qualis esse debeat dolor de venialibus, dixi à n. 681. & addidi à n. 715. quandonam dolor de venialibus censeatur revocari: motiva autem, quibus pœnitens adduci possit ad dolorem de venialibus, dedi n. 1727. Præterea dixi à n. 902. quale propositum requiratur circa venialia: quomodo verò elici possit propositum efficax circa venialia, quamvis cavere non possimus omnia, explicavi à n. 907.

1887 §. 4. Notat ex Gersone Ray. *in Heter. tom. 16. sect. 1. p. 8. n. 38.* posse fieri, ut crebra, & nimis solicita confessio venialium obsit, reddendo animam plus æquo timidam: etiam parum utile est texere longum catalogum omnium venialium, sed melius est in specie accusare se de paucis, de quibus certò dolet; de aliis autem omnibus in genere, Cardinalis Bona *De Missa cap. 4. §. 2.* ait: *In ipsa confessione vitanda prolixitas, & nimia diligentia in levioribus culpis recensendis.* Quòd si pœnitens semper rediens cum eisdem venialibus hìc & nunc non daret sufficientia signa sinceri doloris, & propositi, excitandus esset, aut ad specialem dolorem circa aliquod veniale determinatè, quod gravius est & creditur faciliùs efficaciter displiciturum, aut suaviter inducendus, ut ex priori vita repetat aliquod mortale: peccata enim etiam antehac confessa, & plenè remissa adhuc esse materiam sufficientem novæ absolutionis, satis certum est ex dictis n. 589.

1888 §. 5. Communis sententia est contra J. Sanch. *d. 1. n. 4.* quòd Confessarius debeat permittere, ut pœnitens etiam meras imperfectiones confiteatur, quamvis enim secundùm dicta l. 5. à n. 211. & 214. imperfectiones, neglectus inspirationum divinarum, transgressiones Regularum non obligantium sub peccato, de se non sint materia sufficiens absolutionis, attamen ordinariè habent adjunctum peccatum, quod sit materia sufficiens, ideóque accusans se de talibus deliberatè commissis absolvi posset; in praxi tamen exquirendum est certum peccatum, ne Sacramentum expenatur periculo nullitatis: Et etiam hìc rectè notat Gob. *n. 513.* non semper operæ pretium esse, ut pœnitens texat longum catalogum ejusmodi imperfectionum: sæpè enim alii pœnitentes impediuntur, aut saltem est jactura temporis, satis autem erit, si in genere etiam de illis se accuset. *Cavendus item*, inquit Bona suprà, *multorum error, qui se prolixè de iis accusant, quæ peccata non sunt, ut de pravis habitibus & passionibus & de circumstantiis impertinentibus, quòd sint superbi, irascendi & proni ad malum, quòd Deum non amaverint ex tota cordis intensione, &c.*

§. 6. Quando pœnitens non affert materiam 1889
necessariam, & quia etiam non scitur, an afferat sufficientem, aut meritò dubitatur, an efficaciter doleat de suis venialibus, ideóque illi non datur absolutio sed sola benedictio, putarunt aliqui id non posse fieri pœnitente inscio seu non admonito, sed non invenio causam, cur necesse sit eum admoneri, nam judicium de danda absolutione vel sola benedictione pertinet ad solum Confessarium; quòd autem absolutio non detur, ipse causa est, quia non ostendit se dispositum, & ex hoc, quòd non admoneatur, nullum ei damnum vel incommodum causatur, ergo causa nulla est, cur admoneri debeat: In hoc autem non esse simulationem administrationis Sacramenti, dixi l. 6. p. 1. n. 158.

Q. 278. Quid observare debeat Confessarius mulie- 1890
rum? R §. 1. Confessarius mulierum debet habere magnam patientiam, *ut audiat nugas, quæ solent ab ipsis admisceri in ipsa confessione: ut expiscetur veritatem eorum, quæ dicunt, modo ajente, modò negantes, ut suadeat non expedire, quòd ita crebrò repetant confessiones generales, ut sinat protrahi confessionem ad diffusos discursus, quæ verbis valde compendiosis posset peragi, ut ferat idem peccatum in eadem confessione iterùm atque iterùm exprimi, & quidem sine ulla omninò necessitate: ut insurgentium scrupulorum nubes adjiciat; ut pusillanimes in spem salutis æternæ erigat; ut remissionem injuriarum animo tenaciùs inhærentium suadeat; ut inducat ad fugam occasionum proximarum, ut denique sustineat mulierum levitatem, inscitiam ac inconstantiam.* Hæc Pelliz. *tr. 10. c. 3 n. 162.*

§. 7. Confessarius debet esse cautissimus in con- 1891
versatione cum mulieribus. S. Hieron. *in Epist. ad Nepotianum* ait: *Omnes puellas, & Virgines Christi aut æqualiter ignora aut æqualiter dilige; nec sub eodem tecto manseris, nec in præterita cestitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone esse potes sapientior. Memento, quod paradisi colonum de possessione paradisi mulier ejecerit. Periculosè tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendit. Si propter officium Clericatus vidua à te visitatur aut virgo, numquam domum solus introeas. tales habeto socios, quorum contubernio non diffameris: caveto omnes suspiciones & quidquid probabiliter fingi potest ne fingatur, ante devita. Crebræ munusculæ, sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas & degustatos cibos blandasque, & dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias, & lepores, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur, quanto magis Monachis, & Clericis, quorum & Sacerdotium proposito, & propositum ornatur Sacerdotio. Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa à mulieribus non posse discedere, &c.* Similia habet S. August. *Tom. 8. in Psalm. 50. & Tom. 10. serm. 250. De tempore*: alibi ait, *nec tamen quòd sanctiores sunt, minùs cavendæ: crede mihi, Episcopus sum, in Domino loquor, non mentior, cedros Libani, id est, magnos Ecclesiæ Prælatos sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam quam Ambrosii, & Hieronymi.* Raynaudus *to. 12. opusc. 1. in præf. n. 6.* refert dixisse S. Franciscum Seraphicum ob quorundam è suis familiaritatem nimiam cum Clarissis: *Timeo Fratres, ne Deus abstulerit nobis uxores, & diabolus dederit nobis Sorores.* Propter ista pericula Societas JESU in Reg. 16. Sacerdotum sic habet. *In audiendis confessionibus, fœminarum præsertim, severos potiùs se quàm familiares exhibeant: in universum tamen paterna quædam & spiritualis gravitas in eis eluceat:* Atque etiam ideò S. Xaverius teste Tursell. *in ejus vita l. 6. c. 17. Quoniam in familiaritate mulierum fermè plus periculi est quàm emolumenti, magnopere author erat confessariis, ut in confessionibus, in colloquiis,*

quiis, in congressibus earum, in reconciliatione cum conjugibus cauti essint intentique ad suspiciones rumoresque horum, & non tantùm ad culpam crimenve vitandum. Addebat S. Xav. uxori affirmanti se enixius serviturum Deo, si abstineret à consuetudine viri, non esse credendum, *quia mulebris ille fervor facilè refrigescit, nec unquam ferè suscipitur sine gravi aliqua virorum offensione.* Sylvius *in notis, ad c. 22. Instruct. Pastor. S. Car. Borrom.* ait, *Cavendum est unicuique, præsertim Sacerdoti, ne sub specie necessitatis, consilii vel auxilii nimiam familiaritatem contrahat cum quantumque devota muliere, contingit enim, ut ubi videtur esse charitas, ibi verè sit odiosa cupiditas .·.·. Quatuor sunt potissima, quæ sacerdotes quosdam reddunt inglorios ac inutiles (utinam non noxios) Pocula, Mulieres, Præsumptio, & eorum, quæ didicisse se putant; Usus indiscretus.* Videri potest Rayn. *to.* 12. *De sobria conversatione cum mulieribus.* Et singulariter Hadrianus Lyræus *Apophtegmaticum S. Ignatii apopht.* 3.

1892 *Q.* 279. *Quid observare debeat Confessarius eorum, qui specialiter profitentur devotionem aut perfectionem?* Resp. §. 1. Aliqui pœnitentes volunt esse contemplativi sive hypermystici, omnia extraordinaria sectantes, imò & loquentes vocibus extraordinariis, quales sunt, *submersio in abyssali profundo, annihilatio sui, effluxus à Deo, meditatio negativa, sanitas cælestis, Languor tartareus &c.* hos egregiè perstringit Rayn. *in Gethr. tom.* 16. *f.* 3. *p.* 2. docetque sæpè comitari ingentem superbiam, proprii judicii tenacitatem, stultas imaginationes, insanias falsas. Itaque tales reducendi sunt ad veram humilitatem internam, de qua Rayn. f* 4. *n.* 1. *à n.* 9. deinde ad puram in omnibus intentionem, de qua habet idem p. 4. & aliqua signa intentionis non puræ dedi l. 5. n. 371. in fine. Postmodùm dirigendi sunt secundùm communes regulas spiritus, quas viri sancti & Ascetæ tradunt. Ferendæ autem non sunt personæ, ac præsertim mulieres, quæ advertuntur semper loqui velle de rebus spiritualibus vel docendi causa vel ad dandum virtutis aut spiritualis scientiæ suæ specimen: *Novi quasdam,* inquit S. Hier. *in Epist. ad Nepotianum, maturioris ætatis, sed libertini generis, adolescentulis delectari, filios quærere spirituales, paulatimque superato pudore &c.*

1893 §. 2. Sæpè etiam sunt pœnitentes, qui quibusdam devotiunculis addicti sunt, & simul hærent in vitiis: Corn. à Lapide *in c.* 34. *Eccli. vers.* 28. ait, *Alii peculiares devotiones sibi inducunt, v.g. die Sabbati jejunant, rosarium recitant, officium legunt in honorem B. Virginis, & interim in gravibus sceleribus persistunt, persuasi neminem posse perire & damnari, qui colat B. Virginem, eò quòd ipsa sit mater misericordiæ: quæ omnia diabolus eis astutè suggerit, ut per hosce errores & illusiones eos pertrahat in gehennam.* Itaque solicitè edocendi sunt, ista quidem bona esse, sed nihil profutura sine cura gratiæ Dei semper conservandæ. Quomodo autem corrigendæ sint personæ aliquæ ad externam sui mortificationem nimium pronæ, aut putantes visiones se habere, docet Lud. de Ponte *in Epist. 20. post ejus vitam.*

1894 §. 3. Confessarius sæpè incidet in animas capaces perfectionis, pro quibus dirigendis indigebit speciali lumine, obtinendo per orationem, & per lectionem librorum spiritualium Ex piis Ascetis collegi sequentia veluti documenta:

1. Non omnes uno regendi sunt spiritu nec uno docendi modo: modum, quo tu vel alius juvarut, non obtrudes importunè omnibus: & ideò priusquàm directionem incipias, conare pœnitentis intimos animi motus constitutionemque perspicere, ut instructiones tuas possis ejus capacitati & naturæ accommodare. 2. Apud unumquemque, excitandum & fovendum est desiderium maximæ perfectionis, quamvis hic vel ille ad eam non putetur perventurus, nam, & Deus desideria ad martyrium immisit Sanctis, quos martyres esse nolebat. Attamen ad perfectionem ducantur per gradus & ordinatè: nec statim ab osculo pedum saliendum ad osculum oris: sed transeundum per osculum manuum, operando, & imitando actiones Christi, plusque imitando quàm meditando. 3 Necessaria omnibus est mortificatio aliqua. Probatione etiam opus est, ut videas, quis in anima spiritus dominetur, & quis sit dominans affectus malus, qui primò superandus est: attamen cautela necessaria est in probatione, ubi indoles ad amorem propensa est, aut ubi temperamentum atrabile abundat, nam tum facilè oritur inordinata affectio vel nimia dejectio. 4. Sæpè expedit animas eximiis à Deo donis ornatas sibi ipsis subducere quasi per contemptum eorum, quæ recensent, ne si ostendatur æstimatio illis præparetur ruina per superbiam: hinc in obscuritate aliqua continendæ sunt, ut non sciant se sciri vel sciri. 5. Animæ adhuc teneræ, quas Deus sibi primò conciliat, molliùs tractandæ sunt, nec est omninò abeundum à divinis consiliis animam suaviter ducentibus: attamen cum nobilioribus animabus & paulùm provectis ea suavitate disciplinæ utendum est, quæ severitatem contineat: cum illis tamen non est utendum severiore disciplina, qui communi sorte feruntur, sed tantùm cum illis potest fieri insolitum probandi genus, apud quos beneficia Dei singularia sunt & insolita, quia gratiæ tum pariformiter affunduntur, ut anima ad difficultates paratior efficiatur. 6. Animarum nobilium probationes non sint quæsitæ vel apertæ, hoc enim si advertunt, facilè ad omnem humilitatis, & abjectionis modum sese fingent, sed ita fiat probatio ex re nata, ut non videatur recedere à communi modo vulgares animas dirigendi, hinc communia & levia quandoque imponenda, quasi se ad earum imbecillitatem accommodando, & sic reprimetur superbia fervorque ad gravissimas probationes immoderatior: extraordinarii labores pœnalitatum non debent imponi, sed animæ sic sunt instituendæ, ut illos sua sponte deposcant. 7. Sequendus est instinctus divini ductus, qui unicuique propriæ perfectionis mensuram ponit, summa enim & propria cujusque perfectio est Deum sequi: unde cùm certum sanctitatis gradum singulis definiverit Deus, non est altiùs enitendum, quàm quò Deus vocat; hinc anima divinitùs ad metum impulsa, abstrahenda non est, sed moderatoris est suo ductu consentire divino, ne opus Dei, consiliis suis evertat. Et licèt desiderium majoris perfectionis excitandum sit, hoc fiat circa modum proprium ut nempe ea excolantur, ad quæ movet Deus, qui aliquando solam exteriorem viram hominibus regendam relinquit, modum verò in interiori tenendum solus docet. 8. Circa eos, qui benignæ sunt indolis, sciendum, imprimis nihil esse difficilius, quàm discernere virtutem naturali eorum indoli convenientem, eisque etiam difficillimum erit eandem acquirere, nam in opere & exercitio natura agit non virtus, præsertim cùm natura, utpote innata, sit fortior, usus autem facere debeat virtutes non natura. Suadendæ tamen & prosequendæ sunt virtutes naturæ accommodatæ, nam Dei gratia naturis se attemperat, ut suavibus finem consequatur, & homo constantiùs in eum tendat. Nihilominus adhuc indoles ad certam virtutem prona, cùm exercenda est virtus, reprimenda sæpè est, ne se nimiùm effundat, & ad exemplum à Christo datum revocanda, sic enim probatio fit, sitne virtutis actus vel indolis. Deinde in talibus hominibus opinio virtu-

tis comparatæ eidem comparandæ officit, nam virtutem sæpè putant, quòd naturæ est, ideóque solicitè edocendi sunt, quodnam sit proprium & supernaturale virtutis motivum, ut ex eo agere consuescunt. 9. Suaviter corrigendi, qui in rebus agendis proprii sunt cerebri, & tenacioris judicii. Ad prudentiam spectat non obstirmare mentem ad aliquid faciendum *vel* omittendum, sed proponere firmiter, ita tamen, ut mutatis causis & circumstantiis immutari te sinas sine violentia: nec mens ita defigenda est in unam rem, ut ad alia fortè magis necessaria, vel utilia reddatur minus apta. 10. Nunquam crede illorum spiritui, quos adverteris studiosè extraordinaria sectari, nisi ex certis signis habeas id esse impulsu divino. Perfectio uniuscujusque est, *ordinaria* opera *bene* peragere, ut nempe manè bene surgamus, bene meditemur, bene oremus, legamus vel audiamus Missam, bene doceamus, legamus, laboremus, bene comedamus & bibamus, bene ludamus, & recreemus nos, bene conversemur cum proximo, bene faciamus examen conscientiæ vesperi, bene nos demus quieti: qui hæc bene facit, perfectus est: tum autem bene facit, si faciat tempore ac modo debito, & imprimis intentione pura, quia Deus sic fieri vult, & ut sic adimpleatur sanctissimum ejus beneplacitum.

1895 § 4. Huc spectant monita quædam, & sententiæ, quibus ad perfectionem se, & alios direxit Ludov. de Ponte, & habentur in ejus vita *pag.* 416. 1. Fac pro Deo, quod potes, & Deus faciet pro te, quod tu non potes. 2. Bene fac parva, & Deus te juvabit, ut possis majora. 3. Ne differas bona tua proposita, quia si jam non facis, quod potes, quotidie poteris minus. 4. Accipe dulcia hujus vitæ pro amaris, amara pro dulcibus, & habebis pacem. 5. Habeas tu curam Dei, & Deus habebit curam tui. 6. Esto liberalis erga alios, & Deus erit erga te. 7. Da, quod à te petunt, & Deus dabit tibi, quod tu petis. 8. Si desideras implere voluntatem Dei, quare fallis obedientiam properando ad alia, cùm jam habeas, quod desideras? 9. Si turbaris interiùs in eo, quod facis, signum est, quòd in eo quæras aliquid proprium. 10. In me nihil, in Deo omnia. 11. Ego sum, qui non sum: Deus est, qui est. 12. Verus amor Dei mavult hìc pati quàm gaudere: bibere calicem amaritudinis quàm dulcedinis. 13. Verus amor Dei magis quærit gloriam Dei quàm propriam. 14. Verus amor mavult dare quàm accipere, & si desiderat accipere, dandi causa desiderat. 15. Verus amor mavult amare quàm cognoscere, pluris æstimat obedientiam quàm scientiam. 16. Cura facere omnia & sola, quæ Deus vult, & sic ejus voluntatem impleveris. 17. Cura facere voluntatem Dei promptè ac purè, quia ipsius voluntas est, & ut ei placeat, & sic feceris eam in terra, sicut in cœlo fit. 18. Tantum amas Deum, quantum abhorres teipsum. 19. Ille se verè abhorret, qui fugit honores & voluptates, quærit verò contemptum ac dolores. 20. Elige pro sociis vitæ paupertatem, contemptum ac dolorem, quia hos etiam sibi comites Christus Dominus noster eligit. 21. Quantascunque habeas occupationes, curet eas obire cum tanta pace ac quiete interna, ac si nihil aliud esset agendum. 22. Reprime anxiam cupiditatem absolvendi opus, ut transeas ad aliud, nisi velis male peractum. 23. Magis cura in tuis officiis, quid te oporteat facere, quàm quid gratiæ, & mercedis possis pro illis recipere. 24. Anxia cura favorum accipiendorum à Deo facit ineptum ad illos accipiendos, quia indicium est exiguæ humilitatis, & intentionis non puræ, & insuper inducit teporem in agendo, dum est magis intentus, quid recipiat, quàm quid & quomodo agat. 25. Verè humilis judicat se indignum omnibus bonis, dignum verò malis omnibus: indignũ præmio, dignum pœna. 26. Si verè sentires te pro meritum pœnas inferni, non quereris de malis, quæ habes, nec de bonis, quæ non habes. 27. Quid Deus tibi debet, vel quid pro illo fecisti, ut queraris eum tibi non dare, quod cupis? 28. Si vis continuò meminisse Dei, cura, tuimet obliviscito. 29. Recordabitur tui Deus, si tui tu ebliviscaris. 30. Mei obliviscì, est obliviscì mei honoris, voluptatum, sanitatis, vitæ, consolationum etiam spiritualium, & quidquid meam in rem est, nisi quantùm Deus me vult meminisse propter obsequia sua, & majorem gloriam. 31. Plùs cura mortificationem quàm contemplationem, quia immortificatus quærit orationem, sed non invenit, mortificatum autem ipsa oratio quærit & invenit. 32. Experientia novi timorem infantum esse pœnam superborum. 33. Justitiæ divinæ est, ut qui vanè & sine causa gloriatur, etiam vanè & sine causa timeat. 34. Propinquus est malo qui propter ignaviam contentus est minore bono. 35. Procul à malo est, qui semper quærit majus bonum 36. Deus illi se manifestat, qui humiliter seipsum abscondit. 37. Deus illi se abscondit, qui vanè seipsum ostentat. 38. Lingua terræ est, loqui benè de se, malè de aliis, nunquam de Deo. 39. Lingua cœlestis est, loqui malè de se, bene de aliis, semper de Deo vel pro Deo. 40. Relinque litteram imperfectam, cùm Deus te vocat, quia plùs valet res bene cœpta quàm malè finita. 41. Tunc Deus te ordinat, cùm obedientia tuas cogitationes disturbat. 42 Summa miseria abundare conceptibus, egere affectibus, divitem esse veritatum, egenum virtutum. 43. Homule, dispone domui tuæ, cras fortè morieris. 44. Simulacrum Divinitatis est facere bonum sine turbatione, cum amore sine questu, cum magnanimitate sine præsumptione. 45. Villice iniquitatis, vide quid agas, cras fortè reddes rationem villicationis tuæ.

Q. 280. *Quid observare debeat Confessarius, si advertat pœnitenti suo immitti à Deo varias consolationes vel desolationes internas?* 1896 Resp. Sequentia colligi ex piis Ascetis, quæ servire possunt pro aliquali directione.

§. 1. Consolationes seu visitationes divinæ non omnibus contingunt æqualiter: Tyrones sunt velut in hyeme, in qua sol communiter latet, & potiùs sunt frigora ac frequentes pluviæ. Proficientes sunt in Vere, in quo est major varietas; sæpiùs tamen apparet sol. Perfecti sunt in æstate, in qua multi æstus continuusque ferè sol: sunt tamen etiam hìc quandoque nubila, tempestates, & horrendi fragores, qui non diu durant, sed inter illos medios sæpè sol erumpit clarior, aut affulgent mira fulgura divinarum illustrationum, quæ sereno cœlo non apparuissent. Expectandæ autem sunt à Deo non extorquendæ consolationes, & media obtinendi sunt, 1. Petere moderatè quantùm Deo placet & tibi expedit. 2. Accuratè obire exercitia spiritualia ordinaria, maximè in summis ariditatibus. 3. Humilem esse & gratum, quando Dei visitationes adveniunt. 4. Moderatè solicitum esse in eis conservandis. 5. Sequi, quò impellunt, & conari capere fructum, ad quem tendunt.

§ 2. Indicia advenientis consolationis sunt, 1897 impulsus subditi & admonitiones animæ, ut attenta sit & quieta: item desiderium fervens & confidens petitio interni Dei colloquii.

§. 3. Indicia præsentis Dei visitationis sunt, 1. 1898 quædam subita, & sine naturali causa facta quasi commutatio animæ à priori statu obscuro vel tepido vel timido. 2. Cognitio Dei, vel veritatis alicujus

cum

cum nova luce vel modo insolito, cum satisfactione, quiete & suavitate, generans odium vanitatis alicujus, vel motum peculiarem ad Deum vel virtutem. 3. Subita dilatatio mentis, & desiderium perfectionis, quod semper est certissimum Dei præsentis indicium; item amor puritatis, mortificationis, exercitii virtutum, imitationis Christi, perpetuæ conversationis, & unionis cum Deo. 4. Acquiescentia circa Deum virtutesque vel res divinas. 5. Elevatio quædam animi ad laudes, & complexus Dei, idque cum suavitate, nam hìc semper comeditur favus cum melle & bibitur vinum cum lacte. 6. Sensus humilis de se, solito profundior. 7. Acceptatio contemptus pro Deo, sine molestia. 8. Facilis despectus rerum omnium mundanarum, quæ cor jam dilatatum implere non possunt, adeóque quod jam à solo Deo sentitur impleri posse. Reprimendus est autem impetus, quo anima motus divini suavitate ebria vix sese continet, nihil non agit, quasi vult Dei consilia penetrare, suisque viribus, & conatibus divinum opus prævenire vel augere, ac divinæ gratiæ opem quodammodo superare.

1899 §. 4. Indicia abeuntis visitationis sunt. 1. si hæc remittant, & anima redeat ad dispositionem quasi naturalem & ordinariam. 2. Solita inquietudo, timor, obscuritas, licèt absque peccato sint & à Deo immittantur. 3. Solita ariditas &c.

1900 §. 5 Visitationes diversimodè fiunt, 1. in figuris & speciebus, quæ cadunt sub sensus; sic Moyses vidit Deum in rubo. 2. In imaginatione seu phantasia per figuras & similitudines velut sopitæ animæ irruente, cum impetu, claras, jucundas, plerumque hactenus incognitas, multiformes, vivas, longè efficaciores illis, quas discursu formamus, affixas animæ & diuturnas; sic Petrus vidit in linteo omnis generis animalia. Ut autem hæ perfectæ sint, debet à Deo explicari earum sensus. 3. Quandoque sunt merè intellectuales, & hæ sunt perfectissimæ omnium, dæmonis fraudibus non obnoxiæ. 4 Sequitur actualis unio omnium potentiarum inter se, & cum Deo, quod fit, si memoria semper recordetur Dei præsentis, intellectus perpendat magnalia, voluntas amore plena sit, imaginatio varias Dei imagines formet, in quas appetitus à creaturis abstractus feratur, si denique sensus & caro exultent, & delectentur in eo, quod animus sentit, idque amplectantur silentes ab omni creatura, & delectatione terrena. 5 Ad hæc gignitur quædam experimentalis cognitio Dei, nam quasi palpatur præsens Patris omnipotentia in subitis mirandis mutationibus & dispositionibus; Filii sapientia videtur in repentinis illustrationibus; Spiritus sancti bonitas gustatur in excessibus & suavitatibus amoris; aliquo interno gustu & sensu discernitur Deus, sed hoc est *manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, Apoc. 2. v. 17.

1901 §. 6. Signa boni spiritus, & visitationum divinarum sunt, 1. Si omnia sint conformia veritatibus catholicis, & tendant ad finem bonum. 2. Si sint in sola parte superiori animæ, vel in hac primò ortæ, licèt etiam ad inferiorem transeant, nam solus Deus potest immediatè agere in partem superiorem animæ. 3 Ab expertis dignoscuntur quodam sapore & sensu interno divinis locutionibus & motibus proprio nec verbis explicabili. 4. Bonæ sunt, si sensum & saporem quendam humilitatis in fundo cordis imprimant Effectus autem hujus humilitatis sunt, non desiderare res extraordinarias, revelationes vel raptus: nec propendere ad exercitia virtutis singularia, quæ admirationi sint, sed quantùm in se est, totum hoc fugere, ponendo sanctitatem in ordinariis. Præterea indignum se omninò judicare donis illis Dei, non extollere se, nec de se velut sancto præsumere propter talia, sed habere se velut ingratum Deo pro tantis; non ideò se in animo præferre aliis, optare & gaudere de contemptu propter talia, si v. g. Confessarius judicet talia esse deceptiones diaboli; habere simul magnam cognitionem sui nihili, hanc enim adducunt talia lumina Dei: non posse ex eis in vanam gloriam assurgere; pro viribus talia occultare, cùm advertuntur initia extraordinariæ visitationis, refugere ad humilitatem, & quasi nolle admittere, quantùm in se est, nisi aliter placeat Deo. Ex his sequitur Deum non ostendere talia superbis & subjectis vanæ gloriæ, ne sint eis in ruinam: unde si quæ sunt in superbis, sunt à proprio spiritu vel dœmone meridiano. Deinde sequitur misereì decipi illos, qui putant se à spiritu bono talia habere, si optent ejusmodi res extraordinarias, aut eum habere videntur, si ideò se magni faciant, si contemnant non habentes illas, si sensa sua leviter manifestent quasi in aliorum utilitatem id faciant, si tristentur animumque dejiciant, cùm ab aliis contemnuntur, si simul superbiæ tentationes admittant & glorientur de gratia devotionis, sibique complaceant, aut sibi persuadeant, quòd sua diligentia obtinuerint, quòd major sit, quàm verà est, quòd in illa alios excedant, quòd illa meliùs utantur quàm alii. Misceri tamen possunt rebus bonis etiam tales tentationes vanitatis, imò & aliquid potest quandoque adhærescere, sed leviter & non diu, aut certè illæ extraordinariæ gratiæ reddentur suspectæ. 5. Signum aut effectus boni spiritus est resignatio proprii judicii, & voluntatis in manus Dei, & illorum, qui loco Dei sunt. 6. Desiderium patiendi pro Deo. 7. Mortificatio passionum eò præcipuè tendens, ut internas animæ labes, immoderationem omnem, & imperfectiones etiam soli Deo cognitas emendet. 8. Pax & quies, quæ in anima relinquitur cum conquiescentia, licèt initio sit reverentialis timor. Atqui hæc pax & suavitas oritur in solis justis, inducítque disgustum omnis carnalis & mundanæ voluptatis; in peccatoribus autem, quibus resistit spiritus bonus, excitatur turbatio, quia malo horum spiritui contrariatur. 9. Lacrymæ, & teneritudines aliquæ cordis possunt esse à natura, aut etiam à malo spiritu; an autem sint à bono, explorandum est ex aliis simul signis. 10. Si simul excitentur pravi motus, aut res indecoræ exhibeantur, meritò suspectæ sunt tales visitationes.

§. 7. Causæ, cur non dentur vel subtrahantur consolationes, sunt, 1. quia sæpè nobis expedit non habere, eò quòd nesciamus uti, aut quòd in vitium essent abituræ, aut in valetudinis detrimentum. 2. Quia similibus abutimur aut antehac abusi sumus ad vanitatem vel gloriam propriam, nam difficile est hæc Dei dona modestè amplecti, & saltem anima sæpè illis utitur ad gulam quandam spiritualem, aut ad inanem de se opinionem, ex quo fit, ut in gratiarum actione sit parca, & parcior in practico talium bonorum usu, cùm tamen familiaritas divina humilem Dei adorationem procreare deberet, ac mentem humanæ ingenerare, tum reverentiam erga opus hoc solius Dei, tum fervorem majorem in obsequio divino. 3. Quia socordes sumus in recollectione interna: impleri enim non potest visitationibus divinis anima, quæ impletur distractionibus & curis sæcularibus, quia ubi vas vacuum non adest, stat oleum. 4. Rec. 4. 4. Quia in exercitiis ordinariis necdum sumus perfecti. 5. Ut sciamus solius Dei bona esse, & ferventiùs desideremus 6. Ne abstrahamur ab aliis negotiis vocationi debitis. 7. Ut exerceamus solidas virtutes positas in Deo, & non in con-

solationibus . atque sic impensis nostris, & de nostro quasi laboremus Deo. 8. Ob defectum mortificationis, avulsionis à creaturis, abnegationis perfectæ sui. 9. Ad probationem, mortificationem, patientiam exercendam, & ad majus meritum nostrum.

1903 §. 8. Desolationes plurimùm juvant ad virtutem: in frigore planta dilatat radicem profundiusque mittit, in calore fructum protrudit: desolatio est frigus, consolatio calor; utrumque necessarium est ad mittendam radicem deorsum, & faciendum fructum sursum, *Isaiæ* 37.

1904 §. 9. Nobiles animæ in mœroribus quandoque relinquendæ sunt, nam singulare hoc est Dei consilium, tum ut expiet incipientium peccata, tum ut humilitate contineat mentes, quæ adhuc contaminatæ ad amplexus divinos anhelant, tum ut fortes animas ad magna præparet. Et quis pœnas à Deo sancitas consolatione sua minuere attentet? aut fortasse non æquè divinæ justitiæ litandum est ac clementiæ? Quin & perfectorum virtus in mœrore probanda est & augenda, ut etiam discant Dei dona majori cum puritate conservare. Cùm Domino placet quiescere vel dormire, quis servorum eum interpellare audeat? Etiam assuescat anima tum interiori silentio, & ita Deo propter Deum, non propter divina dona amor purior probatiórque deserviet. Cavendum itaque, ne tum negligantur ordinaria: potiùs addendum aliquid quàm demendum, quia in tædio gustus est Deo, & majus meritum virtutis.

1905 §. 10. Tempore desolationis vel tentationis duo maximè observanda sunt, imprimis nihil tum deliberandum vel innovandum circa bona proposita, sed perseverandum in constitutis tempore divinæ consolationis. Deinde profundè agnoscenda sunt hæc, 1. Quòd Deus te tractet, uti mereris, imò plùs demeritus es, nihil autem boni debetur tibi. 2. Talia petiisti, quoties Dei voluntatem in te fieri petiisti: quid nunc quereris & deprecaris? 3 Amanti animæ satis fit Deum sic velle, quare petere sine recursu ad Deum, sine oratione, ut libereris, decet sic nos ipsos velut tacitas hostias immolare: *In illo die me non rogabitis quidquam*, inquit Christus, Joan. 16. v. 23. *Hæc mihi sit consolatio libenter velle carere omni mundano solatio*, Th. de Kempis *l. 3. c. 16.* Si tamen sentias te satisfacere, confidenter recurre ad Deum. 4. Multa & magna ex amore Dei pati, dicebat S. *Ignatius* esse compendiosissimam ad perfectionem viam, quia anima hic ab omni creatura & solatio suo abstracta soli Deo affigere se debet.

1906 Q. 281. *Quid observare debeat Confessarius hominis tentationibus variis agitati vel tribulati?* Resp. §. 1. Quomodo resistendum sit tentationibus circa fidem, judicia temeraria, cogitationes blasphemas, dixi l. 1, à n. 551. Quomodo tentationibus circa castitatem, dixi l. 3 p. 1. n. 914. Remedia valdè bona contra præsentem quamcumque tentationem suggerit Stoz. *l. 2. à n. 169.* præcipua sunt, cogitare Deum judicem sibi hic esse præsentem, qui certissimè puniet: tentationem esse à dæmone, qui idem accusator erit; jam agi, ut vel Deo vel dæmoni placeas, & utri voles placuisse, quando morieris? Si te sentias velut imparem tentationi, recurre ad Deum per preces, dicendo, *Domine, vim patior; responde pro me: Domine, adjuva me, salvum fac servum tuum Domine: Domine salva me, pereo: Ignosce peccabo in conspectu tuo Domine? non faciam.* Si nec hoc juvet, sensum doloris fac tibi per morsum linguæ vel pressionem carnis, cogitando, *momentaneum est quod delectat; æternum, quod cruciat:* mutа situm corporis; fac aliquid aliud, quod primò occurrit; converte phantasiam ad quidvis primò obvium.

§. 2. Si pugnaveris cum tali tentatione, non 1907
statim judica te succubuisse, quamdiu enim molestiam attulit & optasti non habere, ei non consensisti: Monetque Gerson apud Rayn. *in Heter. to. 16. f. 1. p. 8. 38.* valdè errare illos, qui censent se liberandos importunitate cogitationum fædarum, blasphemarum, hæreticalium aliarumque similium, si semper eas confiteantur, cùm è contrà sic augeatur timor & magis infigatur tentatio, quæ oblivione ac contemptu meliùs fuisset dissipata.

§. 3. S. Bonav. Opusc. cui titulus, *Remedium defe-* 1908
ctuum Religiosi, c. ult. sic habet. *Si de prædestinatione aut præscientia Dei diabolus tibi aliquam tentationem immiserit, sic ei respondeas: quidquid sit de me, certum est te esse damnatum: si autem & ego damnabor & post hanc vitam Deum meum habere non debeo, habebo per totum tempus vitæ præsentis, & tantò ardentiùs, quantò brevius novero me habiturum. Et tu diabole, si tecum esse oportet, sciat, quòd tandiu in Dei servitio perseverabo corde, ore, opere, omni membro, omni momento, quamdiu possum.* Simili modo procedit Gerson, quem refert Tann. *in fine tr. de Prædest. n. 10. In hac recognitione, si forte damnandus est, humiliatus dicit, Justus es Domine & rectum judicium tuum. Non quòd damnationem eligat, absit, quia nec Deus hoc vult ipsum velle, sicut nec peccare nec desperare, dum viator est, dicit potiùs cum Job: Etiamsi me occiderit, tamen in te sperabo. Et conversus ad Dominum cum pio & humili affectu, scio inquit, æquissime judex quoniam damnati in inferno te odiunt, te injustum, te invidum, te crudelissimum judicant, te blasphemant, tibi sanctisque omnibus ore rabido maledicunt, scio, quòd illic constitutus (heu me miserum!) sic agerem; at verò, dum interim affectibus tam efferis & blasphemis careo, amo te, qui solus es amabilis, te justissimum, te amantissimum, te clementissimum dijudico, te collaudo, tibi sanctisque omnibus tuis ore pio benedico, quidquid postremò de me futurum ordinaverit voluntas tua; credo & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te, qui sanctus es in omnibus operibus tuis.* Subdit n. 17. *Quoniam ignotum est, quos vult inter homines Deus, & qualiter salvos fieri; operandum est bonum, relinquendo Deo judicia in futurum.* Hic obiter notandum, non expedire, præsertim apud indoctos, loqui, minùs concionari de hoc mysterio asserendo aliquos esse prædestinatos, alios à Deo reprobatos, uti monet S. Augustus. *de dono pers. c. 22.* sed si opus sit de prædestinatione loqui, sic esse loquendum, quòd omnes ex Dei gratia prædestinati esse censeamur.

§. 4. Quosdam fatigat hæc tentatio: an potiùs 1909
hæc vel ista mala, aut etiam damnationem æternam subire, quàm hoc vel illud peccatum committere; & quia non videntur se plenè posse resolvere ad potius subeunda ista mala aut etiam damnationem, timent ne hoc ipso in peccatum consentiant. Gerson *tr. 8. super Magnificat partit. 3.* huic tentationi sic obviat: *Dicat*, inquit, *neutrum eligo, displicet peccatum, horreo incendium; nunc incendium non incumbit eligendum. Quòd si vehementiùs urgeatur aliquis eligere, quid ageret adveniente tali casu, prout erat martyrium tempore Tyrannorum, respondeat se humilians sub Deo & S. Angelo ejus, dicatque, Dominus non patiatur me tentari supra id, quod possum, & si casus eveniret, qualem proponit, spero in Domini bonitate, quòd faceret cum tentatione proventum, ut possem sustinere, vel aliter quàm per peccatum evadere: Caveat igitur arrogantiæ prædicere cum Petro, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; dicat potiùs, imperfectum meum viderunt oculi tui, sis adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, aut in talem tentationem me non inducat.* Itaque vult Gerson, opus non esse alterutram partem positivè eligere, sed excludendam talem

compara-

comparationem saltem velut otiosam cogitationem, ut dixi n. 732.

1910 §. 5. Fatigat etiam quosdam tentatio, ut aspicere non audeant res aliquas, licèt de se honestas, imò etiam Christum Crucifixum, & si aspiciant, dicunt in se concitari turpes motus aut imaginationes fœdas, creduntque se in ista consentire. Non puto cedendum esse his timoribus, sed directè contrafaciendum, permittendo quidquid inde nascitur, id enim est contra voluntatem; & plerumque nascitur propter illum ipsum nimium timorem. Quare tentatus directè aspiciat talia, aut faciat illa, quæ omitti vult ejusmodi stulta tentatio, alioquin nunquam vincet, & dæmon tandem eò adducet, ut ad omnia sic timeat, atque ita nec confiteri nec communicare debebit, timens ex his similes effectus, quos phantasia vel dæmon similiter causare poterit.

1911 §. 6. Motiva ac modos consolandi hominem tribulatum proponit fusè Lohn. *de convers. Apost p. 2. c. 3.* ubi initio docet consolationem debere esse piam, ordinatam, suavem, opportunam. Postmodùm suggerit motiva speciatim consolandi eos, qui affliguntur, ob tristitiam animi, paupertatem, jacturam bonorum temporalium, detrimentum famæ vel honoris, mortem alicujus, persecutiones, graves tentationes. Ibid. cap. 2 § 9. proponit consolationem personæ interiùs afflictæ, & speciatim contra Monialium tentationes, quæ præcipuæ sunt, tædium ob solitudinem religiosam, desolationes internæ, aversio superiorum, prolapsiones in peccata & defectus.

1912 §. 7. Id solatio esse debet quibuscunque, & ex quacunque causa afflictis, quòd afflictio ex amore nostri immissa sit vel permissa à Deo, eam dirigente in bonum nostrum: ac reipsa est maximum Dei beneficium, dummodò sciamus applicare nobis, & bene uti. Certè tota doctrina Christi consistit in triplici amore, mortis sensuum, abjectionis, afflictationum. Et sicut anima corpori de se mortuo conjungitur, sic mens divina utitur animæ carenti vita naturæ, & sensuum: item sicuti nemo adit vitam gloriosam, nisi mortuus vita naturali, ita nemo init vitam spiritualem, nisi defunctus vita sensuali, quod mosè sustineantur. *Si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & justa probatio pro summo solatio.* Th. de Kempis *l. 3. c. 16.*

1913 *Q.* 282. *Quid observare debeat Confessarius hominis scrupulosi vel meticulosi?* R. §. 1. *Conscientiæ scrupulosæ malum curandique difficultas iis, qui scrupulos experti sunt, tam est evidens, ut ejus meminisse necesse non sit: illis verò qui nunquam ita afflicti fuere: tam insolens, ut vix credibilis appareat. Sanè carnificina est intolerabilis, amator vitæ spiritualis, insigne profectus impedimentum, tinea actionum, corporis & potentiarum flagellum, tristitia & perturbationis barathrum, cordis ac animi tabes, sæpè tam fera, ut dira morte infelicior censeatur, & ad desperationem usque adducere possit*, Schorrer *Theol. ascet. p. 3. s. 2. c. 6. n. 4.* Ideóque debet Confessarius erga sic afflictos esse summè patiens, & blandus.

1914 §. 2. Quæ sint causæ scrupulorum, an hi sint utiles, quomodo dignoscendi, quid id genere observandum sit circa directionem scrupulosorum, dixi l. 1. à n. 512. Et à n. 541. quomodo procedendum sit cum scrupuloso circa peccata præterita & eorum confessiones, possuntque etiam videri dicta videri dicta hic à n. 611. 1221. Quomodo procedendum sit cum illo, qui timet, ne variis tentationibus internis consentiat, dixi l. 1. à n. 545. Et à n. 556. quomodo cum illo, qui semper timet, ne cum dubio operetur. Quomodo verò procedendum sit cum scrupuloso circa Horas Canonicas, dixi l. 4. à n. 1350. Quomodo cum scrupuloso circa Missam legendam, dixi hìc à n. 160. Nec jam occurrit aliquid ad ista addendum.

Q. 283. *Quid observandum sit Confessario illius, qui* 1915 *deliberat de re aliqua, & præcipuè de statu vitæ eligendo?* R. Proponat & explicet ei sequentia, quæ potissimum desumpsi ex libello Exercitiorum S. P. N. *Ignatii.*

§. 1. *Electionem vitæ fundamentum pono*, inquit, S. Greg. Naz. orat. 23. *ex quo benè aut malè nobiscum agatur*: nam æternitas pendet à morte, mors à vita, vita ab electione: unde hoc opus gravissimi momenti est, in quo agitur de negotio omnium maximo, quod est æterna salus propriæ animæ. Et quid proderit etiam per centum annos aliter vixisse vel egisse, quàm voles te fecisse in morte & æternitate?

§. 2. Profundè intelligendum est, 1. finem omnis 1916 hominis & omnium actionum humanarum esse, *in hac vita servire Deo secundùm sanctissimum ejus beneplacitum, & in altera vita, æternùm salvari.* 2. Ad eum finem assequendum datas esse nobis omnes creaturas ipsasque etiam potentias animæ, & corporis veluti media necessaria, & opportuna, dummodò eis utamur, uti Deus vult nos eis uti. 3. Certas à Deo actiones à nobis requiri, certum vivendi modum & statum, in quo nobis speciales gratias dabit ad finem certò assequendum, non daturus, si culpa nostra tales actiones vel statum illum neglexerimus, quamvis negaturus non sit sufficientem gratiam, cum qua damnantur, quicunque damnantur.

§. 3. Difficile est eligere vel agnoscere, quid à 1917 nobis fieri velit Deus, & quæ media nobis ordinaverit; nescimus enim, an nobis magis profuturæ sint divitiæ quàm paupertas, an honores magis quàm contemptus, an hic potiùs status quàm ille, hæc potiùs actio quàm ista: & tamen omnis error in hoc negotio damnosus est, & valdè periculosus: hinc *sequitur* 1. quantum est ex parte nostra, nos debere esse in omnimoda indifferentia, & æquilibrio ad omnes vias, officia & actiones aggrediendas, & ad usum omnium creaturarum, nec plùs propendere debere ad hanc quàm ad illam partem, sed debere exquirere, & expectare Dei voluntatem, ac nutum, sicuti servus Domini, aut instrumentum aliquod expectat motum manus se moventis, ita ut non potiùs velimus hoc quàm illud, nisi secundum Dei voluntatem, quam quærimus cognoscere. Et hæc indifferentia sive æquilibrium tanti momenti est, ut quamdiu illam non habet aliquis, non sit dispositus ad deliberandum vel eligendum. *Sequitur* 2. si quis perfectus esse velit, non tantùm indifferentem esse debere, sed etiam magis propendere ad id, per quod finis ille suus, & salus æterna potest perfectiùs, & securiùs obtineri, licèt in se difficilius esset, quia hoc Deo magis placitum est, & rectæ etiam rationi conformius, meliúsque ad finem ducit.

§. 4. Aliæ dispositiones ad electionem rite fa- 1918 ciendam sunt, 1. animum huic rei totum & seriò intendere, cæteris omnibus negotiis tantisper depositis. 2. Animum habere pacatum, & tranquillum: tum autem erit pacatus, si nullis agitatus variis spiritibus vires naturales suas liberè exerceat. 3. Nullas admittere rationes, quæ non sint è cœlo, seu quæ sapiant carnem & sanguinem, aut recidant ad humanum aut terrenum aliquid, sed omnia debent manere ex uno illo principio, quod est, *desiderium gloriæ Dei, & salutis suæ æternæ*, quem sincerum animum si habuerit electurus, fiduciam certam potest habere, quòd Deus non sinet eum decipi, qui cùm sæpissimè se offerat non quærentibus vel petentibus, se non substrahet homini cum in toto corde,

& veritate imploranti. 4. Maximè cavendum, ne potiùs concludat de mediis quàm de fine; unde malè fieret, si priùs decerneret, v. g. sibi comparare Beneficium Ecclesiasticum, & tum posteà vellet quærere perfectè servire Deo. Itaque qui vult bene deliberare, & eligere, debet totum se offerre Deo, & solùm conjicere oculos in finem suum ultimum, ac tum deliberare, an his vel illis mediis uti debeat necne ad illum finem assequendum.

1919 §. 5. *Finis* ultimus semper spectandus & regula in omnibus eligendis est hæc, *Dei honor & obsequium, nostraque æterna salus*, ita ut quidquid nobis magis deserviet ad hunc finem, id nobis eligendum sit, quod minùs eò conducet, id non sit eligendum.

1920 §. 6. Tres sunt modi eligendi & agnoscendi Dei voluntatem circa se. *Primus* est, si divina virtus voluntatem nostram sic impellat, ut sine mora & indubitanter sequatur impulsionem divinam; sicut legimus Paulo & Matthæo accidisse vocante Christo. *Secundus* est, si in oratione vel extra illam, voluntas Dei satis clarè cognoscatur, eò quòd internè quasi sentiatur, & innotescat tempore consolationis, discernique possit esse à Deo hanc motionem ad tale quid faciendum. *Tertius* est, si quis animo tranquillo consideraverit finem, ad quem à Deo conditus est, & discussis hinc inde rationibus mediisque ad talem finem assequendum opportunioribus, elegerit hoc, per quod se putat commodiùs securiùsque perventurum ad eum finem suum. *Primus modus* planè extraordinarius est, nec à Deo petendus aut expectandus. *Secundus modus* adhiberi potest, si nempe homo sine ulla ratiocinatione aut discursu circa rem deliberandam adhibito, post orationem statuat se in conspectu Dei cum resignatione, & desiderio cognoscendi divinam voluntatem, proponatque menti suæ rem, de qua deliberat, ac paulùm inhæreat defixo in Deum animo, & observet, an sentiat in sua anima inclinationem ad hoc vel illud, an experiatur circa hoc vel illud consolationem, & veluti quandam acquiescentiam, an è contrà desolationem, & veluti fugam seu repugnantiam internam. Et hi motus posteà Directori proponendi erunt, ab eóque examinandi juxta regulas discretionis spirituum. Sæpiùs autem usurpari debet hic modus, & videndum, an perseverent istæ motiones, tendantque semper in Deum, & non incipiant se inflectere ad aliquid terrenum: quòd si fiat, contrariæ vel dubiæ motiones quandoque succedant, explicet eas Directori, qui discernet, quænam sint bonæ vel malæ. *Tertius modus*, in quo intellectus voluntatem adducit ad eligendum, longè securior & firmior est, debetque semel adhiberi ab omnibus, nam rari primo modo vocantur, secundo autem non poterunt tutò juvari omnes, quia non omnes sentiunt istas consolationes, & sæpè sentiunt illas jam in hanc jam in illam partem: præterea difficile est discernere, an hæ consolationes, & motus à Deo sint, & an non insinuet se amor proprius vel alius inordinatus affectus, unde debebit secundùm tertium modum per viam rationis, & intellectus ab omnibus institui electio.

1921 §. 7. Duplici modo potest institui hæc electio per viam intellectus, *Prior modus* est, 1. ut præmissa oratione, qua Dei lumen implorabo, proferam in medium rem deliberandam v. g. officium, sitne acceprandum an reliciendum. 2. Adducto ante oculos creationis meæ fine, qui est *Dei obsequium & mea salus*, in neutram declinabo partem, sed velut in medio æquilibrio subsistam, parato interim animo, ut in eam partem totus ferar, quam novero divinæ gloriæ & saluti meæ fore aptiorem. 3. Obsecrabo Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quocumque potiùs mihi tendendum sit. 4. Perpendam quænam commoda ad finem meum assequendum accedent ex tali officio, & quænam ex eodem incommoda ac pericula impendeant: præterea quænam non admisso illo officio tam commoda quàm incommoda possim expectare. 5. His præmissis ratiocinabor in utramque partem, comparando commoda & incommoda, ac juxta ipsius rationis dictamen sepositò omni carnis appetitu eligam hoc vel illud. 6. Electionem factam, in oratione offeram Deo, perfectè demum, si ei placet, recipiendam & stabiliendam. In hac oratione observabo, quomodo sim affectus, & quos motus sentiam, referamque Directori, ut eos mecum discernat, & declaret, an electionem bene instituerim necne.

§. 8. Posterior modus bene eligendi per viam 1922 intellectus est, 1. Præmissa de more oratione, qua Dei lumen imploratur, excutiam fundum cordis mei, & videbo, an affectus omnis, quem habeo ad hanc rem vel illam, proficiscatur ex amore & intuitu solius Dei, an verò fortasse ex aliqua causa naturali vel occulto amore mei, & desiderio commoditatis, honoris aut boni temporalis. Si in me ipso persentiscam, quòd solo intuitu Dei, & salutis meæ ducar ad hoc potiùs, quàm ad alia, signum est, velle Deum, ut hoc eligam, & non alia: nam omnis affectus, qui purè ad Deum tendit, ex Dei bonitate cœlitùs infunditur. 2. Considerabo, si quis mihi vir amicissimus, cui omnem perfectionem optarem, occurreret dubius super electione hujusmodi, quidnam ego illi decernendum maximè essem consulturus: quo animadverso agendum & mihi ducam, uti suaderem alteri. 3. Mecum insuper reputabo, si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in præsenti deliberatione: juxta hunc igitur eligendum nunc esse facilè intelligam. 4. Prospiciam, quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem, quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus. His perpensis concludam electionem, & uti ante, offeram Deo comprobandam.

§. 9. Qui deliberat de statu vitæ ineundo, sci- 1923 re debet tres in genere esse status, *sæcularem*, *Ecclesiasticum*, *religiosum*, ad quorum unum Deus unumquemque vocat, & non omnes ad eundem, quia Deus est sicuti magnus Paterfamilias, qui vult unum sibi servire in hoc, alium in alio officio, unum domi, alium foris &c. Hi generales status subdividuntur in particulares: nam *Sæcularis* est vel Matrimonii vel Cœlibatus, & in utroque aliqui sunt mercatores, juristæ, medici, opifices, milites &c. *Ecclesiasticus* est vel cum cura animarum, uti Parochi, vel sine illa cura, uti Canonici, Vicarii, Sacerdotes super patrimonio suo ordinati &c. *Religiosus* est vel illorum, qui contemplationi, & sibi solis serviunt, uti Carthusiani, vel aliorum, qui in actione externa occupantur, ut Religiosi bello addicti pro Ecclesia, vel aliorum, qui mixtam ex utroque vitam habent, & non tantùm sibi, sed etiam proximo quoad spiritualia serviunt, uti Carmelitæ, Augustiniani, Franciscani, Dominicani, Jesuitæ &c. Quisque debet se primò resolvere ad statum in genere, posteà ad statum in particulari, & denique ad statum in individuo.

§. 10. Singuli isti status afferunt sua commoda 1924 in ordine ad salutem consequendam: *Sæcularis*, per eleemosynas, per piam educationem prolium, per bona exempla apud domesticos, per administrationem justitiæ, defensionem patriæ &c. *Ecclesiasticus*, per frequentationem chori, per decantationem divinarum

narum laudum, per administrationem Sacramentorum, per occupationem fermè continuam in cultu divino, per occasionem benefaciendi pauperibus, amicis, & aliis &c. *Religiosus*, per observationem votorum substantialium, per separationem à rebus mundanis, per meditationes, & alia pia exercitia, quæ regula præscribit, per vigilem curam Superiorum, per bona exempla Confratrum &c. E contrà etiam singuli illi status habent sua incommoda, eò quòd afferant occasionem & pericula peccandi. *Sæcularis*, per injustitiam, avaritiam, discordias in conjugio, exempla mala corrupti sæculi, bella, lites, persecutiones invidorum &c. *Ecclesiasticus*, per nimiam libertatem, conversationes periculosas, abundantiam eorum, quæ sunt illicia peccandi &c. *Religiosus*, per tentationes, quæ aliquando causantur, ob solitudinem, indiscretionem Superiorum, immortificationem Fratrum, cum quibus agendum est &c.

1925 §. 11. Ut deliberans eligat, non debet ad hoc præcisè attendere, qui status sit in se perfectior, alioqui omnes deberent fieri Religiosi, sed attendere debet, quis status respectivè ad se sit melior, id est, quis status futurus sit magis accommodatus, *ut ipse melius serviat Deo in hac vita, & in altera securiùs salvetur*, consideratis omnibus, tam quæ in ipso deliberante sunt bona vel mala, uti sunt bonæ vel malæ inclinationes naturales, boni, vel mali mores aut habitus; quàm quæ in ipsis statibus sunt, & possent concurrere ad promovendam in ipso virtutem vel vitia. Et quia multi hoc non considerant, malè eligunt, licèt fiant Religiosi, qui si in sæculo mansissent, fuissent salvati: nunc damnantur, quia eligunt statum respectivè ad se non convenientem, & in quo propter naturam ineptam vel habitus pravos non observabunt illa, quæ in tali statu sunt observanda.

1926 §. 12. Nemo deliberare debet de eo statu, in quo non putat se cum ordinaria Dei gratia posse vitare peccata mortalia: hinc qui non putat se posse hæc vitare in statu sæculari, deliberare debet de solo statu Ecclesiastico & religioso: qui non putat, se in statu Ecclesiastico posse esse castum & sobrium, de hoc statu deliberare non debet, cùm hic status det maximas occasiones ad peccata in istis materiis: similiter qui non putat se posse castè vivere, deliberare non debet de statu religioso. Et deceptio magna est, si cogitet, *emendabo hoc vel illud vitium, si fuero Ecclesiasticus, vel Religiosus*: nam per emendationem aliquam præsentem prùs probare deberet, an spes sit, quòd aliquando plenè emendaturus sit.

1927 §. 13. Inchoaturus deliberationem det se Orationi, dicens cum Paulo: *Domine, quid me vis facere?* & cum Salomone, *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam, quid acceptum sit apud te &c.* Post orationem, sic discurrat secum. *Ad illum statum Deus me vocat, in quo omnibus consideratis, quæ in me, & in istis statibus sunt, ego potero melius servire Deo & securiùs salvari; atqui consideratis omnibus, quæ in me & in istis statibus sunt, ego potero melius servire Deo & securiùs salvari in hoc statu, v. g. sæculari, quàm in aliis, ergo Deus me vocat ad statum sæcularem.* Major propositio constat ex dictis. In sola minori est difficultas, unde iterum sic discurrat. *In illo statu potero, omnibus consideratis, Deo melius servire & securiùs salvari, in quo statu potero faciliùs vitare omnia peccata mortalia*, hoc enim faciendo servantur præcepta Dei, & obtinetur salus, *atqui potero in statu sæculari faciliùs quàm in aliis vitare omnia peccata mortalia, ergo.* In minori iterùm est difficultas, pro qua imprimis consideret ex parte sua, ad quæ peccata sit pronior, & à quibus maximè peccatis haberet sibi timere, si esset in statu sæculari. Deinde etiam consideret reliquos status, & videat, quis illorum sit magis remotus ab occasionibus illorum peccatorum, & allaturus plura auxilia ad vitanda illa peccata. His consideratis, & inter se comparatis facilè dignoscet, in quo illorum statuum faciliùs sit vitaturus peccata mortalia & consequenter qui status respectivè ad ipsum sit melior ac eligendus. Quòd si id necdum satis discernat, consulat Confessarium, cui nota est conscientia sua, & audita ejus instructione certò id cognoscere poterit.

§. 14. Sic agnita per intellectum Dei voluntate, ex hac faciet electionem, quam offeret Deo, maximè post Communionem, pergens dicere, *loquere Domine, quia audit servus tuus* 1. Reg. 3. v. 10. & quasi expectans Dei motionem, simul advertat, an etiam sua voluntas eò propendeat, & ex quibus motivis: si enim accedat propensio nostræ voluntatis ex motivis supernaturalibus, tantò certior erit Dei vocatio: si autem voluntas nostra refugiat, attendendum, ob quæ motiva; & si quidem naturalia sint, an proveniant à carne aut sanguine, reflectant ad commoditates corporis, honorem proprium, &c. non attenta hac voluntatis reluctantia permanendum est in electione concepta, quia ordinaria, & sufficientissima certitudo vocationis Divinæ est, quam concludit recta ratio, cujus dictamen homini à Deo datum est, ut sit regula actionum, & deliberationum omnium, ubi è contrà propensio voluntatis fallax est, cùm natura corrupta nimium propendeat ad suas commoditates. Si autem motiva, cur voluntas reluctetur, videantur rationabilia, & supernaturalia, repetenda est series deliberationis, & videndum, an fortè alicubi sit erratum, & tum maximè consulendus Director sive Confessarius, ut deliberationis modum examinet ac discernat, uter spiritus aut inclinatio sit rectæ rationi, & Dei voluntati conformis: Ecclesiasticus c. 32. v. 24. monet: *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*: attamen hic neminem consule, nisi quem advertas indifferentem esse, & tantùm salutem animæ tuæ quærere.

1928

§. 15. Pro illis specialiter, qui se resolvunt ad statum religiosum in genere, ut possint se resolvere in particulari ad certum Ordinem, & in individuo ad certum Monasterium, observanda sunt seqq. 1. De illo tantùm statu religioso, & Monasterio deliberare debet, in quo vigeant disciplina, pax, concordia, mutua charitas. 2. Inutile est examinare, quis inter Ordines religiosos sit de se perfectior, quod Monasterium sit magis celebre, &c. hoc examinare debet quisque, quis Ordo, & quod Monasterium respectivè ad se sit futurum melius, secundùm dicta n. 1925. ille enim Ordo (idem est de Monasterio) erit ipsi melior, & consequenter ille est, ad quem à Deo vocatur, in quo ipse poterit magis promovere Dei gloriam, plus obsequii præstare Deo, & ita perfectiùs operari salutem suam: hoc autem rescier, considerando, partim quæ in se sunt talenta naturæ & gratiæ, partim quæ in singulis Ordinibus sunt media, & modi secundùm ista talenta pro Dei gloria & obsequio, ac consequenter pro obtinenda salute sua bene operandi, sicque poterit se reddere certùm de Dei vocatione, ac secundùm supradicta eligere.

1929

§. 16. Qui ita conclusit in electo statu servire Deo, & saluti suæ, instanter roget Deum pro constantia, jam enim maximè conabitur dæmon per se vel alios benum propositum evertere: Ecclesiasti. c. 2. v. 1. dicitur: *Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia, & time & præpara animam tuam ad tentationem.*

1930

§. 17. Quod electum est, mandandum executioni, quamprimùm fieri potest, nunc enim recens

est

est Dei motio, & auxilium fortius: & si aliquando, cur non jam? Si non jam, fortè nunquam. Christus Luc. 9. vocavit duos adolescentes, unus dixit, *Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum:* alter dixit, *sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his, qui domi sunt:* uterque, quia non est statim secutus Christum, derelictus est & amisit vocationis gratiam. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, S. Ambr. Si tamen causa sit expectandi, aut quod conclusum est, non possis statim executioni mandare, cave interim peccata, ne gratiam vocationis tuæ perdas; experientia enim certa docuit sæpè per unicum mortale sic immutatum esse animum, ut ipsimet nescirent, cur & quomodo ita immutati essent, quia nempè deseruerat eos ista specialis Dei gratia. Illis, qui statuerunt inire statum Matrimonii, specialiter inculcandum, imprimis ut interea casti maneant, alioquin, forsan etiam ex Dei pœna, carituros gaudio prolium. Deinde ut posteà bona intentione, & constituti in gratia statum illum ineant, alioqui carituros benedictione. Demum suadendum, ut post sponsalia plenè constituta non diu differant Matrimonium, quia intermedium illud tempus plurimorum peccatorum periculis obnoxium est.

1931 §. 18. Pius Asceta suggerit hæc axiomata, quæ deliberans præ oculis habere debet. 1. Præ omnibus obsequendum inspiranti Deo: Jobi 9. dicitur, *quis restitit ei, & pacem habuit?* 2. Inspirat Deus, quæ magis sunt secundùm voluntatem ejus. 3. *Voluntas Dei est sanctificatio nostra, & salus*, 1. ad Thessal. 4. non qualiscumque, sed certior, sed abundantior. 4. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Quid proderit in hac brevi vita delectari, honorari, si cruciari & probris affici æternùm oporteat? 5. Fac ea, quæ moriens facta fuisse voles. 6. Considerandum Dei judicium, & nihili faciendum, quidquid obmurmurent homines. Nonne bene tecum agitur, si aliis displicens placeas Deo? quàm multi avari, dummodo vilis pecuniæ aliquid lucrifaciant, contemnunt omnia humana dicteria. 7. Ad æterna creatus es: numquid non magnum, *status æternus*? 8. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 9. Perfectius id putandum, quod magis ex virtute est: hoc magis ex virtute, quod magis rationi, & corruptæ naturæ minùs conforme est. 10. Quærendum, *securius & majori cum gloria salvabor?* Quis viator eligit viam periculosam aut lutuosam, si videat securiorem & mundam? 11. Utinam tantùm animam habes: hac salvata salva sunt omnia: hac damnata perdita sunt omnia.

1932 *Q.* 284. *Quid denique adhuc notandum sit circa prudentiam Confessarii?* R. Instructiones, quas S. Xaverius dabat Missionariis Apostolicis, etiam Confessariis serviunt pro sua, & pœnitentium directione: in hunc autem sensum dicebat. 1. Authoritas est quidem necessaria accedenti ad munus Apostolicum, sed hæc Dei donum est, quam si quis quærat, præterquàm adjuvante virtute, funditùs perdet, nec permittet Deus, ut constanter habeat, ne sic vilia fiant hominibus cœlestia dona. 2. Studiosè quæsita familiaritas displicet, nimia confidentia nocet, assumpta gravitas suspicionem præbet arrogantiæ exigentis reverentiam: nil affectatum sit in verbis, gestibus, actionibus tuis: malis dici sincerus quàm politicus: si dissimulatione quandoque opus est, simulationem cave: pro aliis in benigniorem semper partem inclina. 3. Conversatio semper ædificet: discipulorum Christi est, magistri sui doctrinam non tam tueri verbo quàm exprimere vita. Induimus Christum: plus agere debet, & valere in nobis Christus, quàm dæmon in energumeno. 4. Non quære vanè placere homini, sed nec gratis velis quemquam offendere: parvus sine offensione fructus præferendus est majori cum minima offensione conjuncto. 5. Pravos alicujus mores emendaturus, non priùs manum admovebis, quàm intimos ejus motus constitutionemque perspexeris: & quod alicui vis persuadere, illum ipsum consule de eo, quod suades, quid ipse suasurus esset alteri. 6. Communi more age, si non scias hunc esse malum; melius est errare cum multis quàm velle solum sapere. 7. Nil sponde, quod certò præstare non possis. Si non est causa dicendi aliquid, hoc ipso est causa non dicendi. Non plùs assere, quàm sit necesse. Non facilè utere superlativis, & potiùs minùs quàm plùs proferendum, nisi ubi honorandus est alter: præstat enim in honore excedere quàm deficere. 8. Non da præcepta vel instructiones, nisi rogeris, vel opportuna charitas aut necessitas suadeat. 9 Veritas jocosa sæpè plùs ferit, & minùs offendit. 10. Sapienter etiam dicit Ludov. Gran. l. 2. Ducis pecc. p. 2. *Quatuor novercæ veræ prudentiæ evitentur, quæ sunt præcipitatio, affectus, pertinacia, vana ineptia: præcipitatio namque non deliberat; affectus excæcat: pertinacia bonis consiliis portam occludit; vana ineptia quamcumque deliberationem ingreditur, eam sine fructu dissolvit. Extrema fugiamus, virtus enim & veritas medium tenent: nunquam igitur omnia simul sunt reprehendenda, nunquam omnia simul probanda, nunquam omnia negare, nunquam omnia credere, nunquam omnia non credere debemus: nunquam ob delictum paucorum damnandi multi, nunquam ob sanctitatem aliquorum omnes justificandi sunt.*

Denique ad veram prudentiam Confessarii spectat cognoscere, & tam respectu sui quàm aliorum in praxi rejicere pseudo-prudentiæ principia; qualia sunt, 1. Aliquando tempori cedendum, & dissimulandum, licet Dei honor vel propria aut aliena perfectio retardetur; posteà id compensari posse. 2. Homines jam non esse capaces tantæ perfectionis, ut olim: imò nec antiquos semper ita fuisse scrupulosos in parvis. 3. Eos esse singulares, qui pœnitentias aliáque agunt plura, quàm Deus & Ecclesia præscribat. 4. Habendam esse rationem sui honoris, licèt hoc non exigat majus Dei obsequium. 5. Existimare aliquid sibi perire, si te huic vel illi submittas, ei cedas; ab illo quid patiaris, pejus illo habearis, is præ te honoretur. 6. Conandum, ut omnibus placeas, nemini displiceas; unde fit, ut licentiùs cum aliis agas, in jocos & exteriora te effundas, parum de internis solicitus. 7. Officium erga proximum ita exactè peragendum, ut semper inde lauderis ac honoreris, licèt, quæ propriæ sunt perfectionis, negligas. 8. Valetudinis habendam esse rationem, corpus indulgentiùs tractandum, quærendas occasiones illud bene habendi, ut diu nos servitio Dei & proximi conservemus. 9. Ipse tam prudens & exercitatus es, ut teipsum regere possis, nec aliorum consilio vel directione indigeas &c.

CAPUT III.

De adjunctis Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quod sit Sigillum Confessionis: & qui ad illud teneantur.

1933 Resp. 1 Sigillum hoc est obligatio juris divini, strictissima in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem pœnitentis, dicta in confessione (id est, in ordine ad absolutionem sacramentalem) omnia, quorum

„quorum revelatio Sacramentum redderet onero-
„sum vel odiosum. *Unde resolves.*

„ I. Violatio hujus sigilli duplicem habet malitiam, Sacrilegii, contra reverentiam Sacramento debi-
„tam, & injustitiæ, ex pacto virtuali inter pœniten-
„tem, & Confessarium de secreto isto servando om-
„ni casu, Dian. *p. 5. t. 11. R.2* ex Fag. Kellison. &c.
„Neque hic datur parvitas materiæ, Dian. *t. 5. R.8.* ex
„Mald. Bald. &c.

„ II. Non inducitur hæc obligatio, 1. Per confes-
„sionem factam fictè, v.g. ad furandum, illudendum,
„vel Sacerdotem pervertendum, etsi hoc casu adhuc
„prudenter tacendum, v. Dian. *t. 11. R. 26. 2.* Si quis
„extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo con-
„fessionis, quia tantùm est obligatio secreti natura-
„lis, gravior aut levior pro rei exigentia.

„ III. Non frangitur sigillum. *Primò.* Si in genere
„ dicas, Titium tibi confessum esse venialia, aut
„esse probum, innocentem, modò non dicas in iis
„circumstantiis, ex quibus colligi posset, alios esse
„nocentes, vel confessos mortalia. *Secundò.* Si dicas
N. tibi esse confessum: etsi in certis circumstantiis
hoc quoque periculosum sit. Laym. *l. 5. tr. 6. c. 14.*
n. 21. Imò si pœnitens verbo vel facto (verbi gra-
tia: clam accedendo) significaverit se nolle sciri,
quòd sit confessus, Confessarium revelare sigillum
volunt Regin. Nav. & Merc. apud Dian. *R.47* quia
„pœnitens confitendo Confessario extraordinario
„veniret in suspicionem gravioris criminis: quod
Tamb. *in app. cap.* 3. dubiè confirmat, asserens, se
vereri, ne talis accedat ad fractionem sigilli. *Tertiò.*
„Si peccata ita referas, ut moraliter loquendo, per-
„sona innotescere non possit, neque communitas
„aliqua etiam parva infametur, ut, quod ibi talia
vitia regnent, *vid. p. 2. t. 15. R.13* id enim esset con-
tra sigillum. Unde Turr. apud Dian. *p. 5. t. 11. R.45.*
„& Tamb. *in app. cap.* 3. reprehendunt Superiorem
„localem, qui Provinciali fortè dicat, in sua domo
„sæpè postulari licentiam absolvendi à reservatis,
„quia potest redundare in ignominiam, & damnum
„domus; etsi idem Tamb. *c. 4. n. 2.* dicat probabile
„esse, quòd non sit contra sigillum, & dictæ licen-
„tiæ petitæ fuerint extra confessionem. *Quartò.* Si
utaris notitia extra confessionem acquisita, imò
ipsum peccatum, quod aliundè tibi innotuit, aper-
rias, modò nullam circumstantiam ex sola confes-
sione notam, nec certiùs referas, quàm extra con-
fessionem nosti: quo in casu opus est magna caute-
„la, & tutissimum est silere, Laym. *n.16.*

„ IV. Quando plures, v.g. studiosi vel aulici, &c.
„tenentur ferre testimonium confessionis, Confes-
„sarium teneri id dare, etiam iis, quos non absol-
„vit, docet Kon. *d. 9. dub.* 1. Fag. & Dian *R.* 2. tum
„ne id negando prodat aliquo modo sigillum, &
„pœnitentem; tum quia dando non mentitur, cùm
„tantùm testetur esse confessum: Verùm Bonac *d. 5.*
q. 6. sect. 5. n. 4. & Lugo *d. 23. sect. 4.* docent tali sche-
dam negare, non esse contra sigillum (idemque con-
cedit Aversa *q.* 18. *sect.* 3. si non constet pœnitentem
„accessisse hunc Confessarium) tum quia nihil dicit,
„sed tantùm non approbat testimonio positivo con-
„fessionem, ad quod non tenetur; nec quidquam
facit, ex quo possint cognosci delicta pœnitentis:
„tum quia aliàs via aperiretur fraudibus, & multi
„improbi Parochos in Paschate deciperent: tum
„quia potest esse consuetudo, ut scribatur absolv-
„tum esse, quod falsum erit, si scribat: & si omit-
„tat, sigillum franget: tum quia scandalosum erit
„& iniquum, publicæ meretrici perseveranti (uti
„& occulto peccatori, sic pallianti suam iniquita-
„tem) testimonium dare confessionis: neque con-
fessario imputandum erit, quòd eum positivè non
defendat. „

V. Sub sigillum cadunt. 1. Omnia peccata pœ „
nitentis tam futura quàm præterita: (siquidem „
hæc animo se accusandi sint manifestata: secus si „
per modum simplicis narrationis, vel ut Confessa- „
rium ad simile peccatum induceret. Dian. *R. 25.* „
ex Suarez, & aliis 8.) ideóque peccat mortaliter „
qui, sive directè sive indirectè aperit aliquod ve- „
niale in particulari, etiam leve Titii, quia materia „
sigilli parvitatem non habet, ut est omnium ferè „
sententia, apud Dian. *p. 5. t. 5. R. 8.* & Tamb. *in app.* „
cap. 8. vel qui in genere dicit, eum sibi confessum „
esse aliquod mortale, vel casum reservatum, vel „
excommunicationem, vel non esse absolutum ob „
indispositionem. Imò Confessarium, qui dicat ab- „
solutè, Ego Petrum non absolvi, frangere sigillum, „
dicit Dian. *p. 5. t. 11. R. 24.* ex Suar. & aliis 9. „

2. Etiam peccata complicis, sive prudenter sive „
imprudenter detecti, Suar Vasq. &c. comm. apud „
Dian. *p. 3. t. 4. R. 111.* An verò liceàt interrogare de „
complice, ad ejus correctionem faciendam, illam- „
que ex licentia pœnitentis facere, affirmant Suar. „
& Fag contra Bon. Lorcan, Nugnum, & alios Tho- „
mistas v. Dian. *R. 113.* Lugo *d. 16. n. 426.* ubi do- „
cet, posse aliquando pœnitentem à Confessario „
obligari & cogi ad manifestandum complicem ex „
tra confessionem. „

3. Pœnitentia imposita, si gravis sit, hoc est quæ „
consuevit injungi pro mortali (qualis nunc esset, „
ait Dian. *p. 3. t. 11. R. 31.* Corona B.V. non verò Mi- „
serere) Aversa *q. 18. s. 6.* „

4. Peccatorum circumstantiæ, quas taceri pœni- „
tentis interest, etsi dictæ sint post absolutionem, v.g. „
si spurius sacros Ordines susceperit, si nobilitatem „
jactaverit, &c. Bona verò pœnitentis, & cætera im- „
pertinentia, quæ per accidens interponuntur, nec „
odium Sacramento pariunt, v.g. propositum reli- „
gionis vel matrimonii, sæpè quidem (si nimirum „
pœnitens ea tecta velit) sub obligationem secreti „
naturalis, non tamen sacramentalis, cadunt. Excipit „
Tann. & Kon. nisi pœnitens talia dixerit in ordine ad „
excipienda peccata: tunc enim sigillo sacramentali „
claudi tenent cum Dian *R. 5.* „

Idem de virtutibus & vitiis affirmant Gran. con- „
tra Regin. & Mald apud Dian. *R. 30.* de defectibus „
naturalibus (v.g. illegitimè natum esse) & de vitiis „
occultis corporis, *Kon. Hur. & Kellison* contra „
Gran. Mald. &c. qui ea sub sigillum cadere absolutè „
ajunt apud Dian. R. 29. Item de iis, quæ alios con- „
cernunt, & tamen peccata non sunt, Mald. & Dian. „
R. 38. „

Denique de scrupulis, (contra *Kon & Gran.* qui „
eos sigillo claudi absolutè affirmant, & contra *Mat-* „
chaur. qui absolutè negat) idem tenet *Lug.* nimi „
rum si pœnitens scrupulositatem confiteatur, aut „
ad declaranda peccata vel conscientiam afferat, ait „
cadere sub sigillum, quia est in obliquo saltem „
materia confessionis: Secus, si non cognoscatur ex „
pœnitentis relatione, sed videatur & percipiatur, v. „
g. ex modo confitendi. Idem dicit de aliis defecti- „
bus naturalibus, si v.g. sit blæsus, rudis, hebetis in- „
genii, &c. Et sic excusat Confessarium, qui de pœ- „
nitente dixit, quòd impertinentiis, & næniis caput „
sibi frangat *vid. d. 23. n. 60.* Gran. tamen id impro- „
bat, & Kon. apud Dian. *R. 50.* ait esse periculo- „
sum, & posse facilè frangi sigillum indirectè De- „
nique Tamb. *in app. cap.* 3. doctrinæ isti nequidem „
ut probabili acquieverit, atque eam à Dian. *l. c.* im- „
meritò vocari communem, cùm *Gran. Hurt. Pa-* „
laus, Bonac, &c. refragentur: aliterque limitans „

ipse

„ipſe ait, ſi iſti defectus, v. g. eſſe blæſum, rudem, „ſcrupuloſum, &c. ſint paſſim noti, non cadere ſub „ſigillum; ſecus ſi ſint ignoti, quia confeſſio im„munis eſſe debet ab omni odio.

„ Reſp. II. Ad ſigillum tenentur omnes, ad quos „quomodocumque notitia ſacramentalis confeſſio„nis pervenit; qualis eſt 1. Confeſſarius, qui ſi de „auditis in confeſſione rogetur, poteſt negare, „etiam, ſi opus eſt, cum juramento, ſubintelligen„do, quòd poſſit dicere, vel potiùs (ut dicit *Lug.*) „quòd ſciat ſcientia utili ad reſpondendum interro„ganti extra confeſſionem, (excipit *Henr. & Gran.* „Dian. *Reſ.* 43. niſi ex illa negatione ſequeretur „confeſſionem non fuiſſe integram, v. g. ſi de pu„blica meretrice rogaretur, an non eſſet confeſſa „fornicationem, tunc enim declinando directam „reſponſionem, dicendum eſſe, illam confeſſam eſſe „peccata ſua, & ſe functum officio ſuo) Imò ſi pec„catum ſuum ſalvo ſigillo non poſſit confiteri, de„bet omittere, quia ſigillum ſtrictiùs obligat, quàm „integritas confeſſionis II. Superior, cui ſe ſiſtit ab„ſolutus à reſervato, vel à quo petitur licentia ab„ſolvendi à reſervato, *Suar. Lug. &c.* contra *Henr. „Vaſq. Kon & Palaum*, qui ſecretò tantùm naturali „teneri volunt. III Interpres. IV. Qui furtivè vel „caſu aliquid audit, licèt inculpatè. V. Omnes, qui„bus aliquid ſacrilegè revelatum eſt: unde de hoc „nec inter ſe colloqui poſſunt. VI. Laicus, qui pro „Sacerdote eſt habitus. VII. Doctor vel alius, qui „cum venia pœnitentis conſulitur; ut habet com„munior ſententia, contra Vaſq. vid Dian. *p. 1. tr.* 13. „*Reſ.* 15. VIII. Qui alterius rudis confeſſionem „ſcripſit. IX. Qui ſcriptum invenit ac legit, ut do„cet Rodr. Fag. Mald. &c. apud Dian. *p. 3. tr.* 4. *R.* 112. „*& p. 5. tr.* 11 *R.* 27. contra *Suar. Bon. & Laym.* quo„rum ſententia probabilis. Juxta quam, etſi talis „teneatur ſecreto naturali, peccetque mortaliter, ſi „gravia ac diffamantia vulget, ſecus tamen, ſi ſciens „levia tantùm eſſe, ea legat ex curioſitate. Unde „conſequenter in caſu graviſſimæ neceſſitatis, talem „confeſſionem ſcriptam liceret revelare (excipit „*Lugo*, niſi tamen per ſcripturam voluerit confiteri „ut mutus, vel petere facultatem abſolvendi à caſu „reſervato, *v. t.* 1. *n.* 48.) X. Etiam ſecundùm ali„quos, ipſe pœnitens. Verùm probabilius eſt, cum „tantùm teneri ſecreto naturali, ratione materiæ, ſi „ea id requirat, tacere audita à confeſſario, v. Laym. „Dian. *p. 5. t.* 11. *R.* 8. *Unde reſolves,*

„ I. Extra confeſſionem, cum licentia pœnitentis, „poteſt agi de auditis in Confeſſione, ſive cum ipſo„met, ſive cum quocumque alio, etſi periculoſum „ſit, *D. Thom. Suar. Prap. Tan. &c.* (circa quam licen„tiam requiritur, 1. ut ſit formalis, & expreſſa; „nam præſumpta, tacita, interpretativa, virtualis, „(etiam in bonum ipſiuſmet pœnitentis) non ſuffi„cit, Fag. *p. 2. l.* 6. Tann. Mald. *& cæteri Doctores comm.* „2. Ut ſit libera ac ſpontanea, non vi, injuria, dolo „vel per preces importunas exorta, vel etiam per „metum reverentialem ipſius Confeſſarii obtenta, „Henriq Fag. *l. c.* Dian. *R.* 10. & 24. 3. Non revocata, „nam pœnitentem pro libitu, etiam ſine cauſa, eam „revocare ſemper poſſe, docet Fag. & Dian. *ll. cc.* 4. „Non opus eſſe, ut habeatur in ſcripto, Suar. Fag. „*ll. cc.* imò ſi dubium ſit, an Confeſſarius cum licen„tia locutus fuerit, Sacerdoti potiùs quàm pœni„tenti credendum, ex *Graff.* & Henriq. affirmant „Dian. *R.* 4. vel etiam quàm hæredibus, v. g. ſi ex „licentia defuncti reveler reſtitutionem ab iis fa„ciendam, *Tann. & Mald.* Qui tamen monet eo caſu „non eſſe dicendum, eam deberi ex delicto, ſed ſo„lùm, quòd talibus tantùm dari voluerit; ſatiùſque ſuaderi moribundis, ut talia ſecreto codicillo hæ „redibus injungant, v. Dian. *R.* 32. 5. Perinde eſſe, „ſive ea licentia detur verbo ſive facto, quod qui„dem æquivaleat expreſſæ conceſſioni, v. g. ſi pœni„tens extra confeſſionem incipiat loqui cum Con„feſſario de dictis in confeſſione, tunc enim poſſe „hunc proſequi, docet Averſa *q.* 18. *ſ.* 7. Tamb. *in „appen.* 2. ex Bonac. „

I'. Frangitur ſigillum, ſi cum pœnitente extra „confeſſionem, ſine ejus venia agas de auditis in „confeſſione, aut ea te ſcire oſtendas: Quod verum „putat *Sanch.* contra *Suar. & Laym.* etiamſi cum eo „tractare velles de eſſentiali errore in ea commiſſo, „quem illi ſignificare ſine ejus venia, non licere, „docet Reg. Fag. Bon & alii contra Hill. Turr. &c „ apud Dian *p. 3. t.* 4. *R.* 87. Dixi, *extra*, quia intra „confeſſionem poteſt fieri mentio præcedentium, „ut patet ex praxi confeſſariorum, qui ob recidi„vam arguunt, & abſolutionem aliquando negant „ Ita Henr. Præp Gran. ad Mald. &c. apud Dian. *p. 5.* „*t.* 11. *n.* 20. ubi ipſe cum *Fagund.* negat id licere ſine „expreſſa licentia pœnitentis, niſi de iis, quæ is ite„rum confiterur vel ſaltem tangit, v. Dia. *l. c. & p.* 2. „*t.* 1. *miſc. R.* 12. *& p.* 9. *t.* 11. *P.* 18. „

III. Frangit ſigillum, qui dicit ſe in tali mona„ſterio audiviſſe grave peccatum; tametſi non no„minet perſonam, Dian. *p. 5. t.* 11. *R.* 35. & alii 3 cum „*Mald.* Additque, graviter peccare eum, qui dicit „in hoc vel iſto Ordine Religioſo, hoc vel iſtud „peccatum fuiſſe admiſſum, quod ex ſola confeſſio„ne novit. Imò nec de civitate vel certo loco, quo „quis confeſſiones audivit, licere dicere, quòd gra„via fiant, vel talia & talia peccata committi ſo„leant, (niſi id aliunde conſtet) docet Hurt. Kell. „& Mald. apud Dian. *R.* 35. quia poteſt redundare „in gravamen, & infamiam ipſius communitatis, & „fortè etiam civium in particulari, quando civitas „non eſt ampla, & pœnitentes ſuſpecti, atque adeò „confeſſio fieret illis odioſa, v. Dian. *l. c. & R.* 36. „ubi cum *M lder.* docet Confeſſarium, qui paucos „habet pœnitentes ſibi ſubditos (v. g. Moniales unius „Monaſterii) ſcandalum dare, ſi coram illis concio„netur de vitiis auditis in confeſſione, quia confeſſæ „facilè ſuffunduntor pudore. „

IV. Notitia in ſola confeſſione accepta, nullo „caſu uti licet, ſi periculum ſit revelationis, ſaltem „indirectæ. Verùm ſi nullum ſit periculum, ut vel „pœnitens, vel uſus ſcientiæ innoteſcat, etſi pro„babile ſit, licere uti ad alterius gubernationem, v. „g. negando ſuffragium ei, quem ex ſola confeſſio„ne ſcit indignum eſſe, vel claudendo oſtium, per „quod quis noctu ingreditur ad peccandum; item „cognita proditione futura, monendo de diligenti „cuſtodia; impediendo clam matrimonium, quan„do ſcitur impedimentum, ut docet *Vaſq. Henr. Nav.* „*&c.* contrarium tamen verius videtur, quod docet „Fumus, Sanch. Con. Lav. Dian. *p. 3. t.* 4. *R.* 76. „*& p. 5. t.* 11. *R.* 3. *& alii*; quia hæc doctrina poſſet „pœnitentem abſterrere à confeſſione. Et quidem „Superioribus Religionum talis gubernandi modus „prohibitus eſt, Anno 1594. cùm in Societate „JESU jam ante idem ſtatutum eſſet, prohibitum„que contrarium docere, vid. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* „202. Contrà verò ad ſui ipſius gubernationem „licere in tali caſu ea ſcientia uti, videri probabi„lius, v. g. abſtinendo à calice, in quo ſcitur eſſe „venenum, deflectendo à ſylva, in qua paratam ſi„bi mortem ſciat ex unius latronis confeſſione, do„cet Sylv. Henr. Kon. Laym. hìc *c.* 15. contra Suar. „Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 46. Excipit *Lug.* niſi actio, vel „omiſſio Confeſſarii inducat notitiam peccati, vel „

damnum

„damnum afferat confitenti, contra Kon. *d.9.dub.4.* „*&c.* qui putat licere, etsi inde mors pœnitenti im„mineret à sociis inferenda *v.l.c. n.*108.

„ V. Denique facere aliquid, ex quo soli pœnitenti „ innotescere possit id fieri ex notitia confessionis, „ esse contra sigillum negat D. Th. Bon. Sot. Vasq. „ &c. affirmat Sylv. Val. Kon. Dia. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 46. „ Idque confirmat Fag. Gran. Lug. & Averss. *q.*18. *s.*8. „ si tale sit, quod pœnitenti ruborem vel molestiam „ afferat, v.g. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel „ eum declinaret: secus si ei sit gratum, vel saltem „ confessionem odiosam aut difficiliorem non red„ dat, v.g. si audisset eum ad indignationem incidisse „ ex certo facto vel dicto ipsius Confessarii, indeque ipse à talibus factis vel dictis abstineat &c.

ADDENDA.

1934 *Quæst. 285. Quid præterea notandum sit circa obligationem sigilli?* R. seqq. §. 1. Confessarius tenetur servare sigillum, 1. jure Ecclesiastico, quia ita gravissimè præcipit Ecclesia Cap. *Sacerdos, de Pœnit. dist.*6. & Cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.*2 Jure divino, suppositâ institutione Sacramenti, quia hoc ipso, quòd Christus confessionem instituerit, voluit nasci tale secretum & tantam securitatem, ut posset rationabiliter obligare fideles ad confitenda omnia peccata etiam interna sine periculo faciendi confessionem ex isto capite pœnitentibus odiosam. 3. Jure naturali, nam si recta ratio dictet servandum esse secretum etiam extra confessionem sacramentalem commissum, & promissum, ita ut contra justitiam peccet, qui revelat; multò magis commissum & promissum in confessione.

1935 §. 2. Certum quidem est ex traditione, & judicio totius Ecclesiæ ac etiam ex sensu communi omnium fidelium, quòd in nullo prorsus casu licitum sit absque consensu pœnitentis revelare secretum sacramentale, neque in hoc dispensare posse etiam totam simul Ecclesiam, attamen incertum manet, unde illa strictissima obligatio nascatur, nam 1. non est præcisè ex jure naturali obligante ad secretum, quia secretum naturale non ita obligat, quin ex gravissimis causis saltem bonum commune comcernentibus liceat illud revelare. 2. Aliqui dicunt inde esse, quòd Sacerdos revelans confessionem mentiretur, quia ipse non scit ut homo, sed ut gerens vicem Dei, posteà autem manifestaret, ut homo. *Contrà* est nam imprimis posteà dicere posset se scire tanquam gerentem vices Dei, nunc autem manifestare tanquam hominem, in quo nullum esset mendacium, sicuti neque tum est, si revelet cum licentia pœnitentis. Deinde si tantùm ratione mendacii teneretur, ergo peccaret tantùm venialiter revelando veniale, hoc autem est falsum. 3. Alii dicunt ideò esse, quia revelatio opponitur significationi ipsius Sacramenti, in quo Deus tegit peccata pœnitentis, secundùm illud Ps. 31. v. 1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Contrà est*, nam imprimis ratio illa est tantùm congruentia moralis, ex qua desumi non potest tam stricta obligatio. Deinde, ergo licita non erit confessio publica, neque cum venia pœnitentis licebit revelare secretum confessionis, quia pœnitenti licitum non est impedire significationem Sacramenti. Denique licitum erit revelare peccatum, cujus absolutio justè negata est, maximè si impœnitens illi immoriatur, nam tale peccatum non tegitur, id est, non remittitur à Deo. 4. Alii dicunt scientiam ex confessione habitam esse sacram, & superioris ordinis, cùm ad salutem pœnitentis ordinetur, ideòque non posse licitè ordinari ad fines extrinsecos, & inferioris ordinis. *Contrà est*, Ergo saltem erit revelare pro salute pœnitentis, ut impediatur ejus relapsus: Item ut fides conservetur in aliquo regno, &c. Deinde res superioris ordinis potest aliquando ordinari ad rem inferioris ordinis, v. g. Missa ad recuperandam sanitatem ægroti, ergo:

§. 3. Strictissima illa obligatio sigilli sacramen- 1936
talis oritur ex jure naturæ, nam sicuti jure naturæ necessarium fuit, ut omni casu illicita esset voluntaria pollutio, quia si pro aliquo casu fuisset licita, homines ob nimiam propensionem in illas voluptates facilè judicassent esse nunc illum casum, quo liceat, quod gravissimè nocuisset educationi prolium, & propagationi generis humani, ita si homines scirent pro aliquo casu licitam esse revelationem sigilli, Confessarii sæpè crederent sibi hìc & nunc licere: pœnitentes autem meritò timerent, ne jam esset casus, quo peccatum suum revelari posset, quod faceret confessionem odiosissimam: & ideò, inquit Lugo *d.*23. *n.*4. memini me legisse, quòd apud Abissinos, vel Æthiopes hoc Sacramentum ferè abierit in desuetudinem propter malitiam Sacerdotum, qui sigillum religiosè non observabant; ergo recta ratio dictat necessarium fuisse, ut nullo prorsus casu sigillum sacramentale esset absque consensu pœnitentis revelabile: hinc *Nav.* super cap. *Sacerdos de Pœn. dist. 6. n.* 118. ait, *nihil mali adeò grave occurrere potest, quo non sit gravius, & pejus Ecclesiæ Christianæ confessionem Christianis exosam fieri, ut simul ac concesserimus confessionem contra confitentis voluntatem revelari posse, exosa fiet illa, & toti Ecclesiæ molesta, ergo ob nullam causam id fieri potest.* Et in hoc solo jure naturæ putant obligationem illam sufficienter fundari, Hurt. Lugo, Dicast. *d.*12. *dub.*1. E contrà Henriq. Vasq. Valent. Turr. Con. Laym. Arr. Regin. Averss. *q.*18. *s.*1. Haun. *l.*4. *n.*127. Gorm. *p.*2. *à n.*180. dicunt eam obligationem non haberi ex solo isto jure naturæ, sed simul ex divino positivo nobis per traditionem manifestato, nempe ex speciali præcepto Christi, qui sigillum hoc pro nullo casu voluerit esse revelabile, ne unquam periculum esset confessionem ex metu revelationis esse, aut fieri odiosam. Prima sententia est probabilissima, secunda est facilior: nos dicimus saltem ex utroque capite concludi strictissimam obligationem sigilli sacramentalis pro nullo casu ab ulla humana potestate dispensabilem.

§. 4. Licèt fractio sigilli, quoad malitiam justi- 1937
tiæ oppositam, posset esse peccatum veniale, si leviter tantùm lædatur fama, vel jus proximi, tamen quoad malitiam religioni oppositam semper est mortale, quia Sacramenrum per hoc redditur valdè odiosum, quæ est gravissima irreverentia, Mendo *diss.*10. *n.*46. Stoz. *l.*2. *n.*256. Si autem absit revelatio peccati, & tantùm reddatur odiosum Sacramentum, putat Gob. *t.*7. *n.*884. posse dari materiam levem, quia putat esse posse tam leve incommodum pœnitentis, ut Sacramentum non ideò reddatur graviter odiosum, sed contradicunt Stoz, & Viva *in append. ad propos. damnatas* §. 9. *dub.*2. Quidquid sit de hoc, debet nihilominus in confessione exprimi, an sigillum sit fractum in re levi an gravi, ut constet, quale sit peccatum contra justitiam, Lugo, Tamb. Stoz. *n.* 188.

§. 5. Ex dictis colligitur 1. sigillum esse illam 1938
ipsam obligationem jure naturali, & positivo tam divino quàm Ecclesiastico introductam, vi cujus aliquis debet omnia, quæ nonnisi ex confessione cognovit, ita indispensabiliter tecta servare, ut in nullo excogitabili casu directè, vel indirectè manifestare possit, quamvis salus totius mundi per hoc comparari, aut omnium hominum damnatio impediri posset. 2. Si Confessarius non posset confiteri integrè sine fractione sigilli, non posse nequidem in articulo mortis integrè confiteri, quia major est obligatio sigilli quàm integritatis materialis, & si licet

licet tacere peccatum ob damnum, vel infamiam proximi, magis ob hanc causam, Syl. Nav. Suar. Fill. Castrop. *t.23.p.18.*

1939 *Q.286. Ex qua confessione oriatur hæc obligatio sigilli?* R. Ex confessione sacramentali, circa quam hæc sunt notanda.

§. 1. Confessio tum est sacramentalis, si fiat cum animo accipiendi absolutionem à præsente Sacerdote, non autem si cum animo accipiendi ab absente, secundùm dicta *n.*1202. talis tamen confessio fieret sacramentalis, si posteà factus præsens Sacerdoti illorum peccatorum adhuc memori diceret, *me accuso de peccatis ad te scriptis*, secundùm dicta *n.*1196. & præsumendum est pœnitentem mittentem absenti scripta peccata id intendisse, ideóque peccata sic absenti scripta erunt materia sigilli.

1940 §. 2. Confessio etiam tum est sacramentalis, si fiat Sacerdoti ad habendum consilium pro pacanda conscientia, volendo confiteri, si opus fuerit, quamvis nunc reipsa absit dolor vel propositum emendationis, talis enim manifestatio est inchoativè vel dispositivè, vel saltem reductivè confessio: unde etiam ex tali confessione, vel accusatione sequitur obligatio *sigilli*, quamvis ex indispositione pœnitentis, aut defectu integritatis, aut etiam ex malitia Sacerdotis, vel ex defectu jurisdictionis, approbationis, vel intentionis non sit secuta valida absolutio, uti habet communis, & certa cum Mendo *diff.10.n.126.* Quòd si quis Sacerdoti nolenti audire narret peccata intendens ab eo absolvi, Suar. & Aversa *q.18.s.3.* negant oriri sigillum: sed probabiliùs affirmant Mald. Dian. Lugo *d.23.n.44.* ficuti sigillo tenetur etiam laicus, qui casu, & invitus audivit peccatum alterius confitentis Sacerdoti, uti rectè *Suar.* & alii cum Aversa *sect.5.* contra *Sot. & Tann.*

1941 §. 3. Si quis purè historicè, vel jactantiæ causa narrasset Sacerdoti peccata sua, talis manifestatio non fuisset sacramentalis, fieret tamen sacramentalis, si eidem Sacerdoti peccatorum illorum adhuc memori diceret, *me accuso de peccatis illis tibi antehac narratis.*

1942 §. 4. Si quis etiam in confessionali genuflectens absque animo confitendi dicat aliquod peccatum Sacerdoti, & addat se committere illud sub sigillo, & Sacerdos etiam veluti sub sigillo notitiam illam admittat, non ideò est sub sigillo, cùm non fiat in ordine ad absolutionem, nec sit accusatio ullo modo sacramentalis, unde Sacerdos tenebitur tantùm ad secretum naturale, Suar. Vasq. Fill. Gob. Aversa. Burg. *cent.3. c.s.f.8.* Stoz *n.219.* Similiter nec sub sigillum cadit, si quis peccatum manifestet Confessario solummodò ad consilium habendum pro infamia, pœna, vel alio malo avertendo, Castrop. Stoz *n.220.* Neque tum, si fiat ad illudendum Confessario, aut ad illum seducendum, Stoz *n.229.232.* Neque si ad simulandum se confiteri, cùm tamen de nullo peccato se accuset, sed tantùm petat schedam confessionis, docentque Laym. Lugo, Stoz *n.220.& 235.* tali non posse dari testimonium confessionis; quia confessus non est.

1943 §. 5. Si homo rudis sua peccata altè edicat ante statuam alicujus Sancti, & aliquis adstans audiat, non tenetur sigillo, quia credibile non est quòd fecerit ex intentione sacramentalis absolutionis, sed tantùm fecerit ex desiderio remissionis obtinendæ, vel ad testandum magnum dolorem suum, Gob. *n.824.*

1944 §. 6. Si quis cum animo saltem se accusandi manifestarit peccata Sacerdoti, & petat schedam confessionis, Hentiq. Bonac. Lugo, Dicast. Gorm. *p.2. n.386.* & alii putant Confessarium posse negare, sed probabilius est cum Con. Laym. Aversa *s.2.* Illf. *n.258.* Stoz *n.235.* teneri dare, si solent dare aliis eam petentibus, quia negare in talibus circumstantiis esset indirectè dicere, quod non sit ritè confessus, vel absolutus. An confessio facta non Sacerdoti inducat obligationem sigilli, dicetur *n.1950.1952.1954.*

Q.287. Quas sententias expediat sequi circa hanc materiam de sigillo? R. Si plures sententiæ sint probabiles, in praxi, expedit sequi illas, quæ favent sigillo, Dian. *in proœmio ad p.5.t.11.* Gob. *tr.7.n.853.* Stoz *l.2. n.205.* Ratio est, quia Authores, qui dicunt hoc vel illud non cadere sub sigillum, fatentur obligationem secreti naturalis vel fidelitatis, ergo ut quis tantò magis à peccato quovis removeatur, melius erit tenere in praxi, quòd etiam sub sigillum cadat. 2. Qui sequitur sententias non faventes sigillo, communiter committit scandalum saltem apud rudiores putantes sigillum frangi. 3. Quando jura videntur esse ferè paria, potiùs favendum est causæ piæ quàm non piæ; sententia autem pro sigillo est causa pia, cùm stet pro reverentia tanto majori Sacramenti. 4. Quando duæ sententiæ sunt probabiles, non debeo sequi illam, quæ erit ad damnum tertii, nisi hic præmoneatur, & consentiat, v.g. quando probabile est equum esse, & non esse meum, non debeo illum vendere Titio, nisi præmonito, & consentienti, atqui aliquid esse vel non esse contra sigillum hoc plurimum interest pœnitentis, ergo quando utrumque est probabile, non debeo sine illius licentia sequi negativam, quæ ipsi meritò poterit esse gravis, vel damnosa. 5. In re etiam positivè dubia potiùs judicandum est in favorem pœnitentis, & confessionis, neque potest prævalere possessio libertatis, quam diceretur habere Confessarius ad loquendum, nam hìc obstat periculum scandali, vel saltem, quòd confessio reddatur odiosa: ergo hìc vincitur possessio, cùm non sint omnia æqualia. Hinc. 1945

Infertur 1. Si quis dubitet, an audiverit aliquid in, an extra confessionem, revelare non potest, tum quia periculum certum reddendi confessionem odiosam prævalet ex Christi institutione contra libertatem loquendi, tum etiam quia cùm præceptum sigilli nunquam desinat obligare, nec unquam dispensetur, in dubio de tali præcepto sequendum est tutius, Regin. Bonac. Schild *t.6.c.5.§.3.* contra *Bardi*, cujus opinio, inquit Gob. *n.848.* habet plus speculativæ quàm practicæ probabilitatis. 2. Nemo potest uti scientia confessionis, si tantùm sit probabile, & non moraliter certum, quòd ex tali usu nulla revelatio, nec ullum gravamen pœnitentis orietur, quia sequendo oppositum confessio hominibus fieret odiosa. 1946

Q.288. Quid addendum sit circa illa, quæ dicuntur materia sigilli, seu cadere sub sigillum? Resp. seqq. §. 1. Sub sigillum cadunt, quæ aliquo modo sunt materia, vel objectum peccati in confessione manifestati, uti votum castitatis, contra quod conjux confitetur se perivisse debitum, Lugo *d.23.n.52.* Stoz *n.232.233.* Item si pœnitens confiteatur se maledixisse Cajo propter ejus morositatem, se gavisum esse de infamia, quam Cajus passus est propter imprudentiam, hæc morositas, & hæc imprudentia Caji cadunt sub sigillum, si pœnitens nolit ea revelari: si tamen Confessarius advertat pœnitentem non curare, an ea manifestentur necne, non erit contra sigillum, Stoz *n.233.* Præterea virtutes aliaque dona possunt esse materia sigilli, verbi gratia: si pœnitens confiteatur se fuisse Deo pro iis ingratum, Lugo *n.548.* Stoz *n.191.233.* Item peccata existimata, & peccatorum circumstantiæ, quas pœnitens non libenter manifestaret extra confessionem. Item defectus naturales, qui occasione peccati confessi innotescunt, S. Thom. Illf. *n.264.* Item quidquid potest ducere in cognitionem vel peccati, vel confitentis peccatum, si tale quid in confessione ideò dicat, aut ex modo loquendi, vel confitendi manifestet, quia putat id esse utile ad sua peccata meliùs declaranda, & non vellet 1947

sciri

sciri extra confessionem, etiamsi reipsa ad declaranda peccata utile non fuerit, Con. Lugo, Stoz *n.* 191. 232. Et nihil horum nequidem indirectè revelari potest etiam apud ipsum pœnitentem, seu cum ipso loquendo extra confessionem. Ratio omnium horum est, quia sic redderetur Sacramentum odiosum. Ille autem censetur indirectè revelare, qui dicto vel facto dat occasionem prudenter suspicandi de pœnitente tale quid, quod ex sola confessione scitur, Lugo *n.* 106. Stoz *n.* 192. Attamen non omnes conjecturæ leves, quas malitiosi, & nasuti facilè faciunt, sunt signa fracti sigilli: nemo enim cavere potest omnes ejusmodi occasiones indirectas, S. Th. Scoz. Lugo, Tamb. Gob. *n.* 800. Gorm. *p.* 2. *n.* 398. Quòd si pœnitens virtutes suas, & gratias divinas in confessione explicet, non ratione alicujus peccati circa illas commissi, sed tantùm ut status animæ sit Confessario notus, non cadunt sub sigillum, Stoz *n.* 233. Uti nec illa, quæ pœnitens non ægrè fert sciri, uti quòd sit Sacerdos, uxoratus, Gallus vel Germanus, &c. Lugo, Tamb. Aversa *q.* 18. *f.* 4.

1948 §. 2. Peccata aliena, si narrentur ut connexa peccatis propriis, eò quòd ob explicationem propriorum sit facta mentio alieni, ut si mater dicat se imprecatam filio, quia erat furatus, sunt materia sigilli: si verò tantùm historicè narrentur sine connexione cum peccato proprio, probabilius est contra Harts *Disq. Theol. De sigillo n.* 222. non esse materiam sigilli, quia habent se planè impertinenter ad confessionem, non secus, ac alia facta, quæ pœnitens de se narrat: cavendum tamen scandalum, & offensio pœnitentis.

1949 §. 3. Si complex peccata complicis absque necessitate manifestet Confessario, *De la Crux* dicit non esse materiam sigilli, quia est res ad confessionem impertinens, sed probabiliùs contradicunt Suar. Aversa. Mendo *diff.* 10. *n.* 120. 148. quia dictum est ex intrinseca occasione confessionis, & veluti aliquid ad eam aliqualiter spectans, imò sæpè fiet, ut occasione revelati peccati complicis veniri possit in notitiam peccati pœnitentis.

1950 § 4. Peccata, quæ acatholicus dicit Prædicanti, intendens ut Deus illa tegat, non sunt materia sigilli, quia sic confitens non credit pœnitentiam esse Sacramentum, nec peccata esse materiam absolutionis, Stoz *n.* 221. Gob. tamen *n.* 785. rectè dicit, si sperarit absolutionem sacramentalem à Prædicante, hunc teneri sigillo.

1951 *Q.* 289. *Quid addendum sit circa illos, qui obligantur sigillo?* R. In genere illi omnes obligantur, ad quos notitia rei sigillo clausæ pervenit, sive immediatè, sive mediatè, sive licitè, sive illicitè: hinc

§. 1. Obligatur Superior, cui pœnitens, vel alius manifestavit reservatum, etiamsi pro absolutione remittat ad alium Confessarium, Suar. Fagund. Lugo, Dicast. *d.* 11. *n.* 323. dicens esse certum, Stoz. *l.* 2. *n.* 26. Aversa *q.* 18. *f.* 5. contra *Vasq. Con. & alios.*

1952 §. 2. Etiam obligatur interpres, per quem volui confiteri, quamvis posteà non confitear, *S. Th. Scot Suar.* & alii cum Aversa, & Stoz *n.* 212 contra *Cajet. Sot.* & alios. Item qui per examen me disponit ad confessionem. Item cui me aperio hodie, ut me dirigat pro confessione crastina. Item si ignarus linguæ petam ab aliquo, quid significet tale peccatum, ut confiteri possim, *Stoz* contra *Con.* Item cui dico me velle confiteri, & propterea illum consulo, an aut quomodo hoc, vel illud teneat confiteri, quamvis non illi sed alteri confiteri velim, Fag. Dia. Stoz *n.* 213. 261. Gorm. *p.* 2. *n.* 404. contra Suar. Henriq. Aversa. Illsf. *n.* 263. qui negant, si velim confiteri alteri. Item tenetur, cui ego, jam non potens scribere, dictavi mea peccata, posteà ex ipsius scripto confessurus, Præpos. Stoz. *n.* 214. Item quem scivi quidem necdum esse Sacerdotem, attamen per errorem invincibilem putavi habere potestatem absolvendi, Nav. Fagund. Præp. Hurt. Dian. Gob. *t.* 7. *n.* 785. 853. Stoz *n.* 217. contra Tolet. Suar. Vasq. Laym. Lugo, Dicast. Aversa. *f.* 3. Gorm. *n.* 384. Item qui audivit à Confessario ebrio, somniante, fatuo peccatum pœnitentis, *Aversa. f.* 5. Stoz *n.* 262. Et quoad omnia ista consentit Gormaz *n.* 391. Quòd si quis non possit manifestare peccata, nisi alius audiat, hic alius tenetur, Fag. Con. Laym. Tamb. Stoz *n.* 218. contra *Sot.* & alios. Si quis autem sponte ad majorem confusionem publicè sit confessus Confessario simulque aliis, *Con. & Castrop.* dicunt solum Confessarium teneri ad sigillum, *Stoz* putat teneri etiam alios, si ita velit pœnitens, cùm sit unica confessio, sed si non restringat magis ad Confessarium quàm ad alios, ipso facto censetur dare licentiam loquendi, & Confessario, & aliis, cùm eadem locutio sit, & confessio, & alia manifestatio peccati, & si velit esse publicam respectu aliorum, non est ratio dicendi, quòd velit esse occultam respectu Confessarii, Lugo *d.* 23. *n.* 39. Aversa. *f.* 5.

§ 3. Qui legit schedam, cui peccata in ordine ad confessionem inscripta erant, secundùm Castrop. Aversam *f.* 5. Illsf. *n.* 263. aliosque multos, ad quos inclinat *Busemb.* non tenetur sigillo, quia obligatio sigilli nascitur ex actuali confessione: scriptio autem illa non est actualis confessio, nec signum, quo pœnitens peccata manifestat Confessario, sed tantùm fit, ut pœnitens sibi ea manifestet, & memoriam retineat. Limitant *Laym. & Lugo*, nisi pœnitens schedam tradidisset Confessario qui perdidisset, esset enim idem, ac si audisset confitentem. E contrà talem, qui schedam legit, absolutè teneri sigillo, docent præter citatos à Busemb. Nav. Graff. Vega, Dian. Gorm. *n.* 403 ad quos inclinat *Tamb.* quia talis scriptio fit propter confessionem, & reipsa videtur esse inchoata confessio: Et saltem fatentur omnes, si pœnitens mutus per schedá fuisset confessus, peccata in illa scripta fore materiam sigilli: Hinc talis, qui legisset, item Superior, interpres & alii, de quibus dictum est à *n.* 1951. nec cum Confessario nec cum pœnitente ipso posteà posset iterum loqui peccatis sic cognitis, uti rectè *Aversa f.* 6. qui rectè notat idem esse de duobus Confessariis, quibus pœnitens eadem peccata esset confessus.

§. 4 Sacerdos posteà rescius se non habuisse potestatem absolvendi, aut se anteà non fuisse Sacerdotem, imò nec baptizatum, tenetur sigillo: confessio enim hoc ipso fuit sacramentalis, quòd facta sit animo se accusandi illi, quem putabat esse Sacerdotem, vel habere potestatem, Lugo, Dian. Gob. *in Exp. t.* 2. *n.* 440.

§. 5. Pœnitens ipse non ita tenetur sigillo, quin Confessario dare possit licentiam illud revelandi, etiamsi de hoc non loquatur extra confessionem, S. Bonav. Ric. Palud. Sylv. Nav. Suar. Vasq. Lugo *d.* 23. *n.* 133. Stoz *n.* 183. contra *Alef. Scot. Dur. Maj. Gabr. Angel.* Ratio est, quia sicuti, quamvis sigillum epistolarum sit in bonum communitatis, ejusque obligatio sit de Jure gentium, tamen quia est principaliter in favorem scribentis, hic scribens potest tollere obligationem sigilli, & facere potestatem aperiendi suas litteras etiam ad tertium scriptas; ita cùm obligatio sigilli sacramentalis sit *in favorem* pœnitentis, poterit tollere sigillum: Et licèt Clericus non possit facere potestatem licitè se verberandi, non est hìc puritas, nam Clericus non potest facere, ut non maneat Clericus, hunc autem Ecclesia ob reverentiam status absolutè vetat verberari. E contrà pœnitens potest facere, ut non maneat sigillum, quo ablato Confessarius novit peccata tanquam homo, ergo liberè potest de illis loqui. §. 6. Pu-

1956 §. 6. Putarunt aliqui cum *Adr. Palud. Nav.* sicuti Confessarius tenetur ad sigillum circa peccata pœnitentis, ita teneri pœnitentem ad sigillum circa illa, quæ Confessarius ei dicit occasione peccatorum, ut hic securius dicantur, quæ meritò taceri vult Confessarius. Sed rectè contradicit communis cum *Aversa s.* 5. & Rayn. *in Heter.to.*16. *s.* 1. *pun.*8. *n.* 50. dicit extra dubium esse, quòd sigillum non in gratiam Confessarii, sed solius pœnitentis à Christo sit institutum: attamen potest fieri, ut pœnitens peccet manifestando ea, ex quibus colligatur Confessarii indiscretio, imprudentia, nimia severitas vel laxitas, sic enim injustè infamatur ob defectum vel delictum occultum.

1957 §. 7. Si Confessarius cum licentia dixerit Titio peccatum pœnitentis, Vasq. Con. Hurt. Laym. Castrop. Aversa *s.* 5. & 7. negant Titium teneri sigillo, nisi peccatum esset revelatum ob causam spectantem ad absolutionem, quia talis scientia non oritur ex confessione, sed ex licentia à pœnitente data. E contrà S Th. & alii cum IIII. *n.* 263. dicunt teneri, quia præsumi non debet, quòd pœnitens dederit licentiam, nisi ob causam, quæ respiceret absolutionem. *Stoz* probabilius dicit id pendere à voluntate pœnitentis, qui si permittat ea ac si independenter à confessione esset acquisita, non vult apud Titium esse sacramentalem, vel sub sigillo; si autem velit communicari, uti ex confessione eam habet Confessarius, manet sacramentalis, & sub sigillo apud quemcumque, cui sic communicatur: præsumi autem debet semper, quòd sic communicetur, nisi clarè constet de oppositio, Lugo *d.*23. *n.*29. Stoz *n* 199. Et Dian. retractata opposita sententia notat *p.*5. *tr.* 11. *R.*7. & 11. in hoc casu debere à Confessario admoneri Titium, ut non aliter utatur illa notitia.

1958 *Q.* 290. *Quid præterea notandum sit circa licentiam loquendi, quam pœnitenti dare potest Confessarius?* Resp. seqq. §. 1. Si pœnitens non ultrò, sed tantùm ad petitionem Confessarii det licentiam loquendi, communiter censeri debet data ex metu reverentiali, adeóque invalidè, Dicast. *d.* 12. *n.* 66. Tamb. *De confess. l.*3. *c.*3. *n.*5. Vel certè cum periculo invaliditatis, Diana *p.*5. *t.*11. *R.*10. Stoz *l.*2. *n.* 197. addens quamvis pœnitentes dicant se libenter eum dare, sæpè tamen in animo refugere, & sic Sacramentum adhuc reddi odiosum, si quis ea licentia utatur: Hinc Aversa *s.*7. & Mendo *dist.*3. §. 10. *quæst.*5. meritò dissuadent Confessariis per se corripere complicem ex licentia pœnitentis: Quòd si opus esset, nec per alium fieri posset, suadent extra confessionem dari licentiam. Posse autem esse casum, quo pœnitens teneatur complicem manifestare Confessario, dixi *n.* 1752. Quòd si bonum commune, vel charitas proximi non postulet specialiter, & necessariò operam Confessarii, v. g. ut suppleat pro pœnitente in denunciando solicitatore, suadet *Tamb.* ut onus illud in se non suscipiat, præceptum enim denunciandi secundùm dicta *n.* 1757. obligat pœnitentem ipsum: Docetque Viva *ad propos.* 7. Alex. VII. pœnitentem ipsum tum teneri ad hoc faciendum per litteras, vel per alium internuntium. Addit Viva *in Append.* §. 9. non esse facilè petendam licentiam utendi notitia confessionis quia hæc ipsa petitio communiter reddit confessionem odiosam.

1959 §. 2. Ut Confessarius sine læsione sigilli possit monere, vel revelare complicem, putant Palud. Sot. Bann. Angel. Vasq Rosel, Tann. Tamb. Stoz *n.* 130. non sufficere pœnitentis, sed etiam requiri complicis licentiam, quia quamvis confessio per hoc non fiat odiosa pœnitenti, fit odiosa alii: Deinde quia peccata complicis etiam cadunt sub sigillum, atqui sigillum non tollitur, nisi cum licentia illius, cujus res agitur, seu cujus sunt peccata ergo. E contrà S. Th. S. Anton. Adr. Gerf Nav. Suar. Henriq. Lugo, Dicast Castrop Aversa *q.* 18. *s.* 4. IIII. *n.* 265. probabilius dicunt sufficere licentiam pœnitentis, hic enim habere debet potestatem tollendi sigillum, à quo, & propter quem solùm inducta est obligatio sigilli. In praxi tamen expedit, ut pœnitens extra confessionem manifestet complicem, si hìc sit corrigendus aut aliud malum impediendum.

§ 3. Pœnitens potest licentiam datam revocare, vel limitare, non tantùm quando dedit intra confessionem, sed etiam quando extra, *Stoz n.* 198. contra *Lay. & Gob.* nisi fortè dedisset extra confessionem, & independenter ab ea, *Regin. l.* 3. *n.*61. 1960

§. 4. Quando pœnitens extra confessionem loquitur cum Confessario de dictis in confessione, si id non faciat in ordine ad novam confessionem, *Gob.* putat tolli sigillum; sed probabilius est cum Stoz *n.* 103. pœnitentem, si velit, posse sic loqui, ut maneat sigillum, tractare enim potest ea extra confessionem, quæ non ita potuit in confessione: & magnum foret onus non posse de iis agere cum Confessario, nisi vel rursus confitendo, vel solvendo sigillum. 1961

Q. 291. *Quid præterea sit notandum circa fractionem sigilli?* Resp. In genere tum frangitur sigillum, si reveletur aliquid per solam confessionem notum, & spectans ad sigillum, simul manifestando personam, quam concernit, si hoc fiat sine expresso consensu illius: hinc 1962

§. 1. Confessarius frangit sigillum, si de peccato pœnitentis per solam confessionem sibi noto loquatur cum aliis, qui illud aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant, quòd ex confessione loqui incipiat, Bonac. Fagund. Lugo, Stoz *n.*193.

§. 2. Etiam frangit sigillum, si peccatori è confessione noto neget Eucharistiam, vel aliud Sacramentum: si publicè conquerenti sibi negatam absolutionem, vel Eucharistiam, dicat, ne conqueraris, non potui: Si dicat, jam es restitutus gratiæ per confessionem mihi factam: Si nolit audire eum, quem aliàs solitus est audire, quia jam putat esse indispositum aut nolle occasionem proximam vitare, quidquid contradicat Viva *in append. ad propos. damnatas.* §. 9 Item: Si ex scientia in confessione hausta specialem inquisitionem instituat circa subditos: poterit tamen Superior sciens talia in sua communitate grassari, attendere, uti aliàs fecisset. Si injungat gravem pœnitentiam, quam tantùm coram aliis, qui judicare potuerunt esse pœnitentiam, possit peragere, nisi pœnitens expresso, & libero consensu accepter, Fagund. Stoz *n.* 237. Ratio dictorum est, quia sic saltem indirectè revelat peccatum, & quidem grave pœnitentis, vel sic repellendo censetur pœnitenti exprobrare peccata prærerita. Si autem repellat, quia scrupulosus est, hoc erit ei notum aliunde quàm ex confessione, & tum repellendo non utetur scientia confessionis, *Viva* suprà. 1963

§. 3. Qui dicit, primus quem audivi, fuit adulter, se periculo frangendi sigillum, quia facilè fiet, ut immemor hujus dicti alia vice dicat, ubi vel quem primò audierit, aut fortè visus est audire primum, Stoz *n.* 226. addens idem periculum quandoque esse posse, si quis nudè dicat se audivisse adulterum, quia vel complex, vel ipse adulter fortè aperuit suum peccatum, aut aliunde saltem innotuit illi, cui Confessarius hoc dicit, unde cùm sciatur esse confessus huic Confessario, nec prudenter possit tale peccatum de alio pœnitente præsumi, possunt esse circumstantiæ, ut indirectè manifestet hujus peccatum. 1964

§. 4. Qui dicit, *Titium pro confessione auditum non absolvi,* 1965

absolvi, frangit sigillum, communis cum Mendo *diss.* 10. *n.* 127. contra *Caj.* Item qui dicit *necdum absolvi*, quia communiter longa confessio notat vel multa peccata, vel defectum confitentis, *Gran. Tamb.* contra *Suar.* Excipe, nisi sciretur confessionem esse generalem vel longi temporis, ita ut pœnitens non ægrè ferret. Si autem pœnitens coram Confessario, & aliis dicat se non esse ab eo absolutum, hoc ipso dat Confessario licentiam hoc ipsum fatendi, attamen non ideò potest dicere causam, cur negata sit absolutio, Stoz *n.* 235. Quòd si Confessarius diceret se non absolvisse defectu materiæ, non frangeret sigillum, Gorm. *p.* 2. *n.* 400.

1966 §. 5. Confessarius frangit sigillum, si in præsentia pœnitentis, & aliorum quantumcunque multorum indeterminatè dicat, unus vestrum talem pectum commisit, quia quamvis Cap. *Si Sacerdos De off. Jur. ord.* dicatur, *Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi judiciario ordine quis probare possit, non debet eum arguere nominatim sed indeterminatè, sicut dixit Christus, unus vestrum me traditurus est:* nihilominus sic arguendo confessio redderetur odiosa, Sylv. *in Resol. sub finem oratione* 5. dicens citatum capitulum loqui de peccato aliunde noto. Putant etiam *Suar. Vasq. Con Lugo*, & alii multi frangi sigillum, si quis dicat, *Religiosus, talis Ordinis, vel Monasterii mihi confessus est tale peccatum, in hoc Monasterio sæpè petitur licentia pro casu reservato, &c.* quamvis resciri non possit, quis in individuo fuerit reus: item si dicat, *in tali urbe grassantur adulteria*, quia hoc redundat in gravamen totius communitatis adeóque etiam Rei in ea communitate comprehensi. Alii tamen cum Nav. Sylv. Aversa *q.* 18. *s.* 4. dicunt non frangi sigillum, si nulla gigni possit suspicio de ulla particulari persona, attamen posse esse contra justitiam, vel causare scandalum.

1967 §. 6. Peccat Parochus, qui intendens absolvere pueros, Publicè interrogat, quid fecerint, quia peccata, quæ narrantur, exponit periculo revelationis, Nav. Lug. *d.* 23. *n.* 42. Excusat Gob. *t.* 7. *n.* 864. si faciat, ut exploret, an capaces sint absolutionis, dummodò postea vocatos ad confessionale singulos jubeat iterum se de eis sacramentaliter accusare: sed excusatio illa nulla est. si pueri anteà putabant se sacramentaliter confiteri.

1968 §. 7. Si sponsi die, quo contracturi sunt, & de more communicare debent. in confessione inveniantur hactenùs impudicè vixisse, Opstraedt *in Past. bono p.* 4. *c.* 10. §. 5. dicit absolvi non posse, quamvis ex omissione communionis, aut dilatione Matrimonii colligeretur aliquod crimen in confessione esse deprehensum, nec ideò Pastorem frangere sigillum, quia tantùm officio suo fungitur. Contrà est, nam negando absolutionem facit, ut alteruter resciatur esse indispositus ad Communionem, & per hoc confessio certò fit multum odiosa. Itaque hic sequendum consilium S Caroli Borromæi *in Instr. Past. p.* 2. *c.* 16. ubi clarè significat, si absolutio circa periculum, & infamiam pœnitentis procrastinari non possit, ut promoveat Pastor contritionem, ut potest, & si emendationem cum signis doloris in se recipiat pœnitens, absolvat.

1969 §. 8. Si sponsus fassus sit multas fornicationes à se cum sponsa commissas à paschate, & sponsa dicens se in paschate ultimò confessam neget omnes, sciens tamen fornicationes tales esse peccata, absolvi non debet, sed dissimulanter super eam dici, *misereatur, &c.* quia nec per hoc revelatur peccatum sponsi, nec hoc affert ullum incommodum sponsæ, quæ nihilominus deberet peccata illa, & hanc confessionem suo tempore repetere: Pastor verò omnia dissimulando assistat eorum Matrimonio, Suar. Dicast. Illsf. *n.* 128.

§. 9. Non frangit sigillum, qui interrogat pœ- 1970
nitentem de peccato ex sola complicis confessione noto, dummodò illi de hujus confessione nullam suspicionem moveat, Castr. Stoz *n.* 249. Neque ille frangit, qui omittit modum suum agendi, quem ex confessione novit pœnitenti esse ingratum, etiamsi hìc advertat propter confessa sua peccata id fieri, hic enim pœnitens censetur ipso facto ad hoc dare licentiam, Lug. Stoz, Busemb. Aversa *s.* 8. Illsf. 253. Neque ille frangit, inquiunt Gob. Tamb. Lug. *d.* 23. *n.* 102 qui familiarius agit cum pœnitente propter spiritualem ejus indigentiam, v. g. si vocet ad se, si volentem exerceat in studiis, ut sic honestè occupetur, & abducatur à malis consortiis, quamvis ille advertat hoc ideò fieri: sed limitat Stoz. dummodò pœnitens aliquo modo ostendat se consentire, quod præsumitur, inquit Steph. *n.* 221. si non ostendat sibi hoc esse molestum. E contrà frangit sigillum, qui ideò ostia claudit, claves tollit, ne pœnitens ultrà exeat, vel abutatur, aut qui ideò eum sæpiùs visitat, ut sic terreat, per hoc enim non sine molestia, & gravamine indicatur pœnitenti suum peccatum ex sola confessione notum, ergo est revelatio sigilli aut saltem per hoc confessio redditur odiosa, Aversa Stoz. *n.* 250. contra Con. Cast. Tamb.

§. 10. Non frangit sigillum, qui restituit abla- 1971
tum, licèt dominus inde capturus sit conjecturam aliquam de authore furti, nam ea conjectura imprudens est, & id planè per accidens sequitur ex illo facto, si enim tertius aliquis restitueret, qui non audivisset confitentem, non violaretur sigillum, ergo nec si Confessarius restituat, Less. *in Auct.* v. *Restitutio cas.* 2.

§. 11. Si quis dicat Cajum esse confessum pec- 1972
cata, aut esse confessum peccata venialia, Regin. Lugo, Dicast. Busemb. & alii cum Aversa *s.* 4. dicunt non frangi sigillum. Limitat Gob. *n.* 790. Gom. *n.* 393. cum Hurt. nisi diceret esse confessum plura venialia, limitationem rejiciunt alii, quia omnibus notum est non esse hominem, qui non peccet sæpiùs, & quivis supponitur confiteri plura quàm unum peccatum. E contrà alii dicunt frangi sigillum, quorum sententiam Fagund. dicit non esse improbabilem, nam potest quis ad confessionem ire, quamvis nulla habeat vera peccata, Stoz *n.* 223. & satis est habere unicum veniale, ut absolvi possit, ergo cùm posset tantùm unum veniale esse confessus, dicere confessum esse plura, est frangere sigillum, nisi fortè notorium esset omnibus, quòd pœnitens soleat peccare venialiter, tum enim hoc ipso quòd palàm confiteatur, dat cuivis, etiam Confessario licentiam ita loquendi, Stoz *n.* 224. Addunt Castr. Stoz *n.* 225. & alii contra communem, etiam per hoc frangi sigillum, si quis dicat, Cajus in confitendis minutissimis suis peccatis mihi molestus est, revelat enim peccata plura, & hoc audire est meritò odiosum pœnitenti: multò *magis*, inquit Stoz. contra *Lugo*, erit fractio sigilli, si dicat *esse* confessum nova venialia: item si dicat *pœnitentiam*, quam imposuit, maximè si sit paulò *major*, v. g. Rosarium vel etiam *Miserere*, Stoz *n.* 237.

§. 12. Quamvis publicè notum sit Cajum esse 1973
furem, frangit sigillum, si dicas eum sua furta cum magna contritione esse tibi confessum, Aversa, Stoz *n.* 222 Quòd si tantùm diceres eum omnia sua peccata esse ritè confessum, Castroph. Con. Laym. Tann. Lugo, Illsf. *n.* 246. dicunt non esse contra sigillum, cùm nullum peccatum in specie, nec mortale in genere reveletur, sed sola confessio, unde reipsa tantùm dicit, vel non fecisse furta, vel si fecerit esse confessum. E contrà Dian. *p.* 5. *t.* 11. R. 42. dicit esse contra sigillum, quia in istis circumstantiis æquivalenter dicit esse confessum furta, potest enim ex vi verborum

sine

sine temeritate sic concludi : confessus est omnia sua peccata, sed peccata ejus sunt etiam furta, ergo confessus est furta : hinc Regin. & Stoz *n.* 223. dicunt, si constet à tempore commissorum furtorum esse confessum, non frangi sigillum ; si autem non constet, frangi indirectè ob rationem datam: unde quia communiter non constat, quod confessus non sit, poterit sine scrupulo dici, quòd peccata sua si ritè confessus, *Fagund. Aversa, Stoz.* Expedit tamen, inquit *Regin.* petere licentiam à publico peccatore loquendi ea de notoriis ejus peccatis, quæ ad honorem ejus, & ædificationem aliorum faciunt.

1974 §. 13. Si publicus peccator confessus, sed non absolutus petat à Confessario Eucharistiam dicátque se absolutum, non potest Confessarius eum arguere falsitatis, potest tamen, & debet, secundùm dicta *l. 6. p. 1. à n.* 138. ei Eucharistiam publicè petenti negare, dicẽdo, tu confessus es, & ego feci officium meum, nihilominus cùm sis publicus peccator, debes ante Communionem publicam prius publicè ostendere, quòd mutaris tuum malum statum, Regin. Lug. Aver: Stoz *n.* 234. Quòd si Confessarius illum non publicè notum torvo oculo à Communione deterrere, frangeret sigillum, hinc S. Carolus *suprà p. 3. c. 1.* ait, *si usque adeò occultum esset impedimentum Communionis, ut ex prævia dumtaxat confessione constaret, nihil extra confessionem præstare tenetur, quam ferventi eos oratione Deo commendare, & si ad Communionem se præsentent sistrent, nullo eam pacto negare.* Quam sententiam omninò sequendam dicit ibidem in notis *Sylv.* quamvis contradicant plurimi cum Ill. *n.* 254. Ratio autem est, quia torvus ille aspectus est revelatio, & exprobratio peccati, non aliter, ac si verbis diceret cum propter peccatum esse indignum, hinc *l. 6 p. 1. n.* 146. dixi reo peccati ex sola confessione noti, si occultè petat dandam esse Communionem. Denique dicendum est frangi sigillum, si Confessarius alta voce, vel alio modo per circumstantes intelligibili arguat pœnitentem, hoc ipso enim manifestat hunc afferre materiam gravem, circa quam mereatur specialé correptionem, vel examen exactius, quàm fieri soleat in venialibus. Meritò S. Carolus Borr. *Instr. Pastor. c.* 12. ait, *Caveat omni modo, peccati à se auditi gravitatem gesta corporis, vel nuncupatis circumstantibus prodere.* Addit c. 19. *Verbum nullum ex ore ejus excidat, ex quo, aliquo modo in peccati quantumvis leviſſimi, quòd in confessione dictum sit, notitiam ejus venire possit.* Et Cap. *Omnis de pœnit. & remiss.* dicitur, *caveat autem omninò, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

1975 Q. 292. *An, & quomodo liceat aliquando Confessarijs uti scientia confessionis ad avertenda mala, vel evitanda peccata?* R. §. 1. Docuerunt aliqui fuisse aliquando salvo sigillo licitum Confessariis deferre ad Episcopum enormia crimina pœnitentium, ut mala, quæ ex illis nasci poterant, caverentur, sed rectè eos confutat Franco, *in Cler. Rom. p. 1. d.* 12. patet enim ex dictis per hoc confessionem reddendam esse odioſissimam.

1976 §. 2. Malderus docet usum scientiæ confessionis non esse illicitum, si fundari possit etiam in aliis cognitionibus non dependentibus à confessione, & nemo inde venire possit in suspicionem facti confessionis, aut secreti ejus, v. g. Confessarius ex confessione novit sibi porrigendum in potu venenum, poterit, inquit, declinare potum prætensa alia causa, imò teneri dicit Con. ne viram prodigat. Item ex confessione scit quòd Titius domum rediturus paret mortem, potest non redire, inquit Sanch. quamvis Titius recogitet id fieri ex scientia confessionis. Et pro hac sententia refert Ill. *n.* 244. Scot. Hepr. Castr. Tamb. Spor. &c & alios addens à *n.* 257. si in similibus casibus pœnitenti nullum aliud incommodum caueetur præter impeditionem peccati, vel occasionis peccati, non frangi sigillum, quia hoc non est reipsa incommodum, sed beneficium. Alii ulteriorem dant rationem, quia Confessarius utitur jure suo, cui non fuit præjudicatum per confessionem auditam, nec quisquam ideò retrahetur à confessione. Similiter docent S. Th. Regin. Mald. si Confessarius ex confessione noverit peccatum unius è communitate, à quo sit periculum seductionis aliorum, posse, & ex charitate teneri dicere illi, qui curam habet, ut diligenter vigilet super gregem suum. Item qui ex confessione scit Regem occidendum, posse in genere monere, ut sibi caveat. Putat etiam Con. quod Laym. dicit esse probabile, si Superior ex confessione sciat subditum noctu per aliquod ostium exire ad peccandum, quòd possit curare illud claudi; E contrà Suar. Vasq. Præp. Bonæsp. Dic. Steph. Aversa *q.* 18. *s.* 8. Stoz *n.* 253. dicunt Confessarium, vel Superiorem talem sic debere se gerere, tanquam si nihil sciret, audita enim in confessione *minùs scit quàm quæ nescit*, inquit S. August. *& ex confessione situm est quasi nescitum*, inquit S Th. *in supplem. qu.* 11. *art.* 1. *ad* 1. Et cùm sciat ut Dei locum tenens, non potest uti pro humano commercio, aliàs divina confundit cum humanis : hinc Delrio dicit omninò probabilius esse, quòd de omnibus istis silere debeat, seque, & omnia Deo committere, tum quia hoc plurimùm facit ad reverentiam Sacramenti simulque ad augendam apud omnes securitatem sigilli, tum etiam quia quamvis Confessarius non teneatur in omnibus perinde se habere, atque si nihil sciret, sed in his solùm, in quibus esset odium confessionis vel gravamen pœnitentis, tamen ut sententia opposita redigatur in praxin, opus est tam multiplici circumspectione, ut difficile sit non violari sigillum, ita etiam Harts *à n.* 170. Et ob rationes datas docent Sylv. Bonac. Dicast. Stoz *n.* 251. contra Tamb. & Lugo *d.* 23. *n.* 125. si ideò nolim legere Missam in Ecclesia, quam ex sola confessione scio esse publicè pollutam, frangi sigillum : sed Aversa *s.* 8. dicit talia esse licita, si nec revelatio peccati nec ullum gravamen pœnitentis inde resultet. Addit Pignat. *tom.* 7. *consult.* 54. per Ecclesiam prohiberi revelare quodcunque peccatum, etiamsi non esset periculum revelandi pœnitentem, excepto casu, quo Confessarius indigeret alterius consilio ; sed rigorem illum nec alii nec praxis probant.

§. 3. Auctores plures quàm 40. quos referunt 1977
Sanch. *de Matr. l. 3. d. 16. n. 2.* Mendo *diff.* 10. *q.* 8. Stoz *n.* 244. docent Confessarium, qui ex sola confessione novit pœnitentem indignum esse officio, posse ideò illi in electione gratuita, & secreta denegare suum suffragium, quia utitur jure, quod habet ad non promovendum indignum ; imò aliqui dicunt ad hoc teneri, si alioquin pateretur bonum commune; sed hæc sententia non videtur practicè probabilis, nam anno 1682. die 18. Nov. in Congreg. Generali Universalis Inquisitionis emanavit hoc decretum. *Prævia matura consultatione DD. Consultorum facta fuit discussio sequentis propositionis :* Scientia ex confessione acquisita uti licet, modò fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur. *Addita deinde explicatione sive limitatione, quòd sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacunque revelatione, atque in casu, quò multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur : Et statuerunt dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omninò prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione, & præsenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publicè aut privatim*

docere,

docere, aut defendere sub pœnis arbitrio S. Congreg. infligendis, mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxin deducenda prorsus abstineant. Itaque nunc est certum, illicitum esse uti scientia confessionis cum aliquo gravamine pœnitentis, quamvis absit omnis sigilli revelatio, & quamvis multò majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Quoad superiores Religionum Clemens VIII. in Decreto 26. Maii 1594. mandat, ut caveant, ne notitia confessionis utantur ad exteriorem gubernationem: quod pro Societate JESU severissimè prohibuit anno 1590. Claudius Generalis apud Illsf. *n.* 259. ideóque non licet ipsis ratione talis notitiæ statuere novas leges, crebriùs visitare, magis attendere, &c. etiam secluso omni revelationis periculo, Stoz *n.* 254. contra Fagund. Tamb. & alios, quorum sententia non est ampliùs probabilis, Viva *in append. ad prop. damn. §. 9. dub.* 1. Ad hoc, quod dicitur, eligentem uti jure, quod habet ad repellendum indignum, nego habere jus, si ex sola confessione noverit esse indignum: unde illicitum est aliquem ideò removere ab officio etiam ad nutum auferibili. Bonac. Stoz *n.* 251. Mendo *q.* 9. aut admonere Superiorem, etiam simulando se aliunde habere notitiam criminis, Dicast. Stoz *n.* 255. aut ideò se ostendere illi asperiorem facto, vel verbo, Lugo, Stoz aut negare alicui arma, quam ex confessione scio habere aliquid contra me: ut famulum suum dimittere, quem sic cognovi esse furacem, Stoz *n.* 251. Quòd si Confessarius talem famulum in Confessionali juberet clavem reddere, aut sua sponte discedere, frangeret sigillum, quia hæc jussio est actus non spectans ad confessionem, ergo censetur confessionem interrumpere, & extra illam hoc loqui, Lugo, Aversa *sect.* 8. Stoz. Ratio omnium est, quia quidquid afferret incommodum pœnitenti, quamvis abesset periculum revelandi peccatum, & ita clam fieret, ut nemo adverteret, meritò redderet confessionem odiosam, si pœnitentes scirent sibi talia incommoda fieri posse propter notitiam in confessione datam. Hinc si Cajus confessus esset se vitio carnis deditum esse, & pronum ad seducendos alios, Confessarius sciens condormire pueris innocentibus nequidem indirectè posset facere, ut inde amoveretur, si hoc cederet in aliquod ejus incommodum, quamvis nec Cajus nec ullus alius adverteret hoc fieri ex scientia confessionis, Steph. *n.* 219. addens *n.* 221. cum Lugo *d.* 23. *n.* 102. & Aversa *sect.* 8. si nullum esset inde incommodum pœnitentis, non frangi sigillum, quia nec peccatum revelat, nec confessionem reddit odiosam. Similiter si Superior ex confessione sciat aliquem non esse Sacerdotem, adeóque omnes confessiones apud illum esse irritas, non ideò posset illum non designare in Confessarium, si aliàs hoc erat facturus, sic enim tantùm materialiter, & ex causa cooperatur istis sacrilegiis, Dicast. Item frangit sigillum Magister Novitiorum, si, quem propter vitia, vel alios defectus ex sola confessione novit esse ineptum, aut fore pernicioſum religioso Ordini, ideò suo voto in Capitulo rejiciat, aut aliter directè, vel indirectè faciat rejici à professione.

1978 §. 4. Quando ex non usu scientiæ confessionis deberet Confessarius facere aliquid intrinsecè malum, usus illius scientiæ est licitus, & necessarius, uti si maritus invita uxore suscepisset Sacerdotium, & in proximo periculo mortis uxoris, audiens ejus confessionem intelligeret peccatum, ex quo cognosceret Matrimonium suum ab initio fuisse invalidum, si putatitia uxor convalesceret, non posset maritus ei petenti reddere debitum, quamvis ipsa adverteret eum negare propter scientiam confessionis, nam talis redditio debiti esset certò fornicatio intrinsecè mala: Deus autem per obligationem sigilli non potest velle id, quod est intrinsecè malum, Illsf. *n.* 253. Addit, si sciam ex confessione aliquem non esse Sacerdotem, me posse desinere ipsi confiteri, quia sic simulare susceptionem Sacramenti est intrinsecè malum. Consentit Sanch. si hoc non sit isti homini displiciturum, ideóque per hoc confessio non fiat illi odiosa. E contrà Lugo *n.* 105. Dicast. *d.* 12. *n.* 158. Viva §. 9. Stoz *n.* 251. probabiliùs dicunt posse, & debere pergere ita confiteri, nam dicere sua peccata non Sacerdoti sine intentione absolutionis, non est intrinsecè malum, & ex causa ista videtur talis simulatio, ac cooperatio ad peccatum illius hominis esse materialis tantùm.

§. 5. Si Confessarius ex confessione sciat mulie- 1979
rem solere confiteri carnalia, & exinde se multum tentari, non potest emanere, si removere possit periculum proximum lapsus, aliàs frangit sigillum, Dian. *p* 11. *tr.* 5. *R.* 15. Steph. *n.* 223. Aversa suprà. Si tamen per hoc exponeret se periculo proximo lapsus, deberet emanere, quia se tali periculo exponere est intrinsecè malum. Item posset emanere, si sciret eam vocare, non animo confitendi, sed v. g. solicitandi illum ad peccatum, Aversa, id enim novit aliunde quàm ex confessione sacramentali.

Q. 293. *An Confessarius post datam absolutionem,* 1980
vel in alia confessione possit non petita venia loqui cum pœnitente de auditis in confessione? R. §. 1. Potest statim post absolutionem, v. g. admonendo de vitandis occasionibus, quia cùm in continenti, id est, Pœnitente, & Confessario adhuc existente in confessionali, fiat, censetur judicium adhuc durare saltem integraliter, Præp. Henriq. Tann Dicast. Tamb. Aversa. Lugo *d.* 23. *n.* 129 Stoz *n.* 194. Illsf. *n.* 250. contra Fagund. An autem hoc liceat, quando pœnitens è confessionali discessit, dixi *n.* 1776. Item an hoc liceat ad corrigendum, vel supplendum defectum à Confessario commissum dixi *n.* 1776.

§. 2. Si Confessarius in hac confessione loqua- 1981
tur cum pœnitente de auditis à se in alia confessione, non frangit sigillum, quia loquitur in eodem foro, Gran. Mald. Lugo aliique multi cum Aversa *q.* 18. *s.* 6. quod certum esse dicit Illsf. *n.* 251. contra Fagund. & Dianam, sic enim fit cum consuetudinariis, & hoc pertinet ad officium Judicis, ac Medici. Si autem loquatur de spectantibus ad sigillum sibi aliunde notis, v. g. qui dictaverat peccata pro confessione alteri facienda, non potest nequidem in confessione de istis loqui pœnitenti, quia notitia illa non pertinuit ad hujus Confessarii forum. Lugo *n.* 128.

Q. 294. *Quomodo ille, qui obligatur sigillo, debeat* 1982
respondere, si interrogetur circa materiam sigilli? R. Aliqui Lovanienses apud *Sandæum ad prop.* 26. ab Innoc. XI. damnatam dicunt non posse affirmare, quòd aliquid sciat, ne frangat sigillum; nec posse negare, ne mentiatur, sed debere interrogantem arguere ineptiæ, & dicere, talia interrogari non debere, neque ad talia responderi posse Doctrina illa valeret, si omnes in praxi eodem modo agerent, aut saltem si interrogatus nunquam, nequidem ubi posset, & quamvis intentaretur mortis responderet aliquid de aliquo suo pœnitente, & hoc sciretur ab omnibus, sed cùm plerique quandoque negent, si nempe pœnitens non sit tale quid confessus, aut saltem audientes non sciant interrogatum habere talem morem, ut nulli unquam respondeat, praxis illa non valet, quia interrogans judicabit hoc esse factum, quod interrogat: unde ut secretum regatur, procedi potest secundùm seqq.

§. 1. Si Confessarius interrogetur, an pœnitens 1983
ei sit confessus peccatum, quod est notorium, communiter negare non debet, ne reddat pœnitentem

suspe-

suspectum de confessione non integra; nec debet affirmare, ne frangat sigillum: itaque dicat pœnitentem fecisse, quod judicavit esse faciendum, & se functum esse suo officio.

1984 §. 2. Si per talem responsionem causetur suspicio de peccato pœnitentis, aut si rogetur simpliciter, an non sciat peccatum etiam occultum pœnitentis, dicat se nihil scire, & si opus sit, hoc ipsum juret, quamvis anteà jurasset se sine restrictione vel æquivocatione responsurum, quia intentio interrogantis non potest esse, nisi an sciat humano modo, id est, communicabili, & spectante ad commercium humanum, ergo secundùm dicta *l.3.p.1.n.284.* non mentitur sic respondendo ad intentionem interrogantis, Lugo *d.23.n.73.* Stoz *n.266.* Hinc S.Th. *in supplem. q.11.ar.1. ad 3.* ait, *Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, & ideò sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantùm ut Deus.*

1985 §. 3. Si Confessarius urgeatur, an non sciat modo sacramentali, incommunicabili, ut Deus, aut quocunque alio tandem, adhuc negare debet, & si opus, addere juramentum, non restringendo purè mentaliter, hoc enim esse illicitum dixi ibidem *n.* 285. sed quia circumstantiæ consignificant cum his vocibus Confessarii negantis. & faciunt hunc sensum, *ut liceat mihi dicere*, nam non sola verba significare, sed etiam circumstantias humano modo cognoscibiles, ostendi *l.3.p.1. n.* 284. Jam verò omnibus constat, quòd interrogatus in materia sigilli teneatur celare veritatem, ergo circumstantiæ respondentis, *nescio*, addunt hunc sensum, *ut liceat mihi dicere.* Nec refert, si interrogans urgeat, an non ita sciat, ut non liceat dicere, nam adhuc potest dicere, ac jurare, quòd nesciat, iterum enim consignificabitur, *ut liceat mihi dicere*, & frustrà vult interrogans, ut excludatur hoc additamentum, circumstantiæ enim hoc ipsum necessariò semper addunt, Lay. Tann. Steph. Stoz *à n.* 274.

1986 §. 4. Alium modum suggerunt Tann. & Stoz *n.* 273. ut Confessarius, si aliter non possit salvare sigillum, utatur vocibus purè materialiter tanquam sonis non significativis, volendo per illas nihil significare. Ratio autem, cur voces in illis circumstantiis non sint significativæ, hæc est, quia vis significativa vocum est voluntas illorum, qui eas instituerunt ad hoc, vel illud significandum, atqui instituentes non voluerunt nec velle potuerunt, ut tales voces essent significativæ in casu, quo per illas revelaretur sigillum, id enim velle foret impium, nec Dei vel Reip. approbatio potest accedere, quæ tamen debet accedere, ut sit obligatio utendi vocibus, sicuti institutæ sunt, ergo voces in his circumstantiis non sunt significativæ: quòd autem interrogans excipiat illas ut significativas, & fallatur, sibi imputet, injustè enim interrogat.

1987 §. 5. Quando Confessarius ita injustè interrogatur de re sigillo clausa, & non potest aliter tegere quàm simpliciter dicendo se nihil scire, non est opus, ut signate cogitet de uno, vel altero ex relatis modis respondendi absque mendacio, sed sufficit, si animum habeat non mentiendi, & respondere velit in eo sensu, in quo juxta Ecclesiæ, & Doctorum mentem cum veritate sic loqui potest: Certum enim est debere hic esse aliquem modum licitum salvandi sigillum, nec occurrit magis congruus quàm unus ex his. Et quod dictum est de Confessario, valet de omni alio obligato ad sigillum; extra hos autem similesque casus gravissimos foret mendacium sic uti vocibus. Potiùs quando veritas celari potest modo minùs suspecto de mendacio, hic adhiberi debet, & tum priùs utendum extremo medio, quando necessitas urget.

1988 Q. 295. *Quomodo pro foro externo sit agendum circa materiam sigilli?* R. §. 1. Confessarius non præsumitur revelasse sigillum, tum quia facta, præsertim illicita, non præsumuntur, tum etiam quia in dubio circa res concernentes forum, præsumitur pro Judice, unde in dubio is, qui asserit, probare debet, Fagund. Bardi, Schild. *tr.2.c.5.§.3.* Stoz *n.*198.279.

§.2. Revelans peccatum pœnitentis, ut ipse se 1989
defendat, tenetur probare se illud extra confessionem intellexisse, vel cum consensu pœnitentis loqui. Si pœnitens neget se consensisse, Confessarius probæ vitæ satis probat jurando, nisi revelatio esset in grave damnum pœnitentis, vel tertii, tum enim pœnitens præsumitur non consensisse, Suar. Bardi, Schild. Stoz *n.* 279. qui notat, quando ex omnibus nihil certi erui potest, potiùs credendum Confessario dicenti sibi datam esse licentiam, ob rationem §.1. datam. Et consentit Pignat. *tom.7. cons.* 54.

§.3. Consensus pœnitentis mortui præsumitur 1990
datus, quando Confessarius probæ vitæ loquitur ex confessione ad commodum unius, licèt sit ad incommodum alterius, uti si indicet hæredem defuncti teneri ad aliquid restituendum, præsertim si juret. Cessaret tamen hæc præsumptio, si Confessarius non sit probæ vitæ: si non coram Judice, vel illo, quem res concernit, sed ex levitate locutus sit; si revelatio cedat in bonum Confessarii; si dicat aliquid in grave præjudicium tertii, & leve commodum alterius, Menoch. suprà.

Q. 296. *Quæ præterea circumspectione hic meritò* 1991
utendum sit? R. §. 1. Non facilè loquendum de auditis in confessione, præsertim coram sæcularibus, qui judicabunt Confessarios semper memoria tenere sua peccata, ac propterea se respici aut despici, ex quo confessio fiet odiosa.

§. 2. Si Confessarius aliunde sciat peccatum 1992
pœnitentis, potest ex hac altera notitia de illo loqui, dummodò absit scandalum, & audientes intelligant eum istam scientiam aliunde habere. Averf. *q.18.s.4.* Gob. *n.* 788. 815. Non potest autem ideò confidentiùs rem affirmare, quia ex confessione scit esse veram, nec manifestare ullam circumstantiam ex sola confessione notam, Gor. *n.*406. Quòd si aliunde conscius peccati velit propter illud pœnitentem punire, dicat, priusquam confiteatur se puniturum pro æquo, vel ad alium Confessarium dirigat, ne posteà pœnitens habeat suspicionem fracti sigilli, Laym. Stoz. *n.* 222.

§.3. Daturus ægro Communionem, vel extre- 1993
mam Unctionem non interroget Confessarium, an æger sit absolutus, sed tantùm; an sit confessus, ne Confessarium incautum exponat periculo frangendi sigilli, vel mendacii, si fortè non absolvisset, Stoz *n.* 237. Pessimè autem facit Pastor, si ab ægro recedens dicat debere magis exercere actus amoris prædominantis, aut si ita loquatur, ut homines intelligant absolutum non esse, quia hoc ipso, quòd prodatur indispositio, proditur peccatum mortale, ergo frangitur sigillum.

§. 4. Qui dicit, *hodie mulier, miles, Sacerdos,* 1994
mihi confessus esse tale peccatum, exponit se periculo frangendi sigillum, quia exprimendo statum, & circumstantiam temporis facit, ut persona pœnitentis vel agnosci, vel in suspicionem prudentem venire possit, Fagund. Stoz *n.*139.

§.5. Quando est sermo, vel occasio simili modo 1995
loquendi de pluribus pœnitentibus, si Confessarius unum laudet, & de aliis taceat, ordinariè frangit sigillum, quia indirectè, & interpretativè alios accusat, de quibus tacet, Fagund. Reg. Lay. Castrop. Aversa *s.1.§. Quinto*, Stoz *n.*240. Aliud est, si absolutè laudaretur hic sine respectu ad alios, de quibus non esset talis causa, vel occasio loquendi, aut si excessus laudis tantus esset,

set, ut ideò nihil decederet aliis. Et sic excusari potest Confessarius, qui cum unius valdè pii vitæ scribenda est, dicit Historico eum nunquam peccasse mortaliter: Si tamen, cùm in vitam alterius pœnitentis inquiritur taceat, aut tergiversetur dare testimonium, frangit sigillum, Stoz suprà.

1996 §. 6. Qui dicit Cajum sibi clam confessum esse præterito Confessario ordinario, frangit sigillum; nisi causam aliam det, cur sic confessus sit, quia sic ingerit suspicionem peccati, quod noluerit suo confiteri, Stoz *n.* 241. Gorm. *n.* 406. Similiter qui videt aliquem extraordinario Confessario clam confitentem, frangit sigillum si dicat aliis, quia videns ex ipsa clancularia confessione accipit notitiam cujusdam gravioris peccati, sicuti si quis videret gestus, per quos mutus confitetur, inde conciperet notitiam aliquam de ejus peccatis, Stoz *n.* 259. contra Lugonem.

1997 §. 7. Qui dicit de suo pœnitente, confessionem ejus fuisse valdè longam, fuisse scriptam per tot paginas, frangit sigillum, si pœnitens clam confessus est, nolitque id ab aliis referri, quia hoc ipso significatur, quod multa peccata habuerit. E contrà si in loco publico est confessus, hoc ipso dedit licentiam Confessario, & aliis cum videntibus loquendi de diuturnitate confessionis: nemo enim censetur velle ea servari in secreto, quæ ipse facit in publico, Stoz *n.* 242. Gob. *t.* 7. *à n.* 927.

1998 §. 8. *Pourre* dicit esse mortale, ad recreationem, seu joci causa narrare audita in confessione, quamvis absit omne periculum revelationis, quia valdè irreligiosum est ad jocos adhibere, quod ex illo sanctuario est acceptum. Sed hæc sententia videtur esse nimis rigida. Alii cum Steph *num.* 230. dicunt esse saltem illicitum. Sapienter ordinatum est in Societate JESU, ut in litteris annuis, quibus recensetur labores, & fructus spirituales nostrorum in Collegiis, Residentiis, Missionibus, si fortè confessiones sacrilegæ sint emendatæ, nulla de his fiat mentio, sed planè præscindendo ab opere quamvis utilissimo, referantur alia de more pro Dei gloria, & animarum salute peracta. Idque est conforme instituto Societatis, in quo Formula scribendi, De litteris annuis §. 2. dicit, *Cavendum autem ante omnia diligenter, ut quæ ad Confessionis Sacramentum spectant, nulla ratione in his capitibus attingantur: omittunturque similiter, quæ alia quavis ratione secretum postulant, & ex quorum narratione jure offendi quisquam posset.*

1999 *Q.* 297. *Quæ sint pœnæ eorum, qui violant sigillum: & quomodo possit in judicio contra eos procedi?* R. §. 1. Cap. *Sacerdos, De pœnit. dist.* 6. statuitur pœna depositionis, & perpetua, ac ignominiosa peregrinatio, sed Clemens III. Cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœn. & remiss. præter pœnam depositionis ab officio sacerdotali posteà statuit, ut loco istius peregrinationis detrudatur in arctum Monasterium, vel in aliam arctam custodiam, inquit Stoz *l. c. n.* 276. quæ pœna cadit in solum Sacerdotem Confessarium, qui præsumptuosè revelat peccatum confessum, & aliàs ignorum, estque pœna sententiæ à Judice Ecclesiastico ferendæ. Contra alios, vel etiam contra Confessarium aliter frangentem sigillum proceditur aliis pœnis arbitrio Judicis: & testantur plures apud Gob. *t.* 7. *n.* 842. tales Confessarios quandóque plecti capite.

2000 §. 2. Gravis dubitatio est, quomodo procedi possit contra violatores sigilli, nam nemo sine expressa licentia pœnitentis manifestare potest, vel agere de peccato, quod immediatè vel mediatè, licitè vel illicitè cognitum est ex sola confessione; ergo si pœnitens priùs expressè non consentiat fieri non poterit accusatio de sigillo circa aliquod peccatum ipsius facto, neque Confessarius poterit hoc fateri, neque de hoc poterunt audiri testes, neque Judex poterit ad illud fatendum cogere, aut cooperari ad convincendum, quia sic faceret, ut peccatum aliquod ex sola confessione notum saltem indirectè manifestaretur. Hoc argumento convictus Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 42. *s.* 7. docet non posse judicialiter procedi contra talem Confessarium. Rationem à priori dat, quia Christus potuit, & consequenter dicendus est sic voluisse instituere hoc Sacramentum, ut in omni prorsus casu sigillum maneret inviolabile, nisi pœnitens revelari permitteret. E contrà Stoz *n.* 284. contendit posse judicialiter procedi contra talem Confessarium, etiam invito pœnitente, 1. quia jurisdictio Ecclesiæ debet esse talis, ut sicuti de internis in foro interno, sic de externis in foro externo possit judicare, & ubi gravissimè læditur reverentia Sacramentorum, etiam punire, non obstante voluntate cujusquam hominis privati irrationabiliter negantis licentiam, huic enim non debet esse subjecta jurisdictio Ecclesiæ, cujus leges non pendent à consensu nequidem totius populi. 2. Quia aliàs mortuo pœnitente vel absente, vel reddito amente nunquam poterit puniri talis Confessarius, quia non poterit peti licentia, adeóque frustrà sunt Canones statuti contra ejusmodi delicta Reip. Christianæ damnosissima. 3. Si lex sigilli veteret, ne in sigillifragum inquiratur, lex illa est contra seipsam, & tollit media ad sui conservationem necessaria, frustrà enim est lex, ubi non est Judex, qui observantiam urgeat: imò impunitas, quam talis lex sigillifrago daret, esset maxima occasio frangendi sigillum. Itaque putat *Stoz* dicendum, quòd possit talis Confessarius ad Judicem deferri, Judex inquirere, testes in judicio deponere, reus ipse fateri, & puniri, etiam sine licentia pœnitentis, & salvo sigillo. Rationes ulteriores dat, quia saltem poterit talis inquisitio, & probatio fieri, ut Confessarius convincatur, & fateatur se fregisse sigillum, abstrahendo quomodo, & in qua materia, per quod probabile est non frangi sigillum à Confessario, uti fatetur *Gob.* Deinde omnis pœnitens debet, & censetur in hoc consentire, ut servetur sigillum & ubi violatum est, ut redintegretur, debet enim pro hoc esse consensus omnium communis, requiritque illum ipsa lex naturæ, Dei & Christi: & quamvis fortè injuriam remitteret pœnitens, potest tamen reus à Judice puniri, uti à Judice punitur fur, licèt injuriam remittat, & nolit puniri ille, cui est furatus, debet enim prævalere bonum commune, cui per authoritatem publicam servire debet punitio scelerum. Estque hæc potestas inquirendi, & puniendi favorabilis pœnitenti, punitione enim facta redit apud omnes obligatio prior sigilli, ergo non facit confessionem odiosam, & consequenter ex hac parte non est contra sigillum. Ita *Stoz*, qui ad rationem dubitandi respondet non esse contra sigillum, si peccatum pœnitentis per accidens, & indirectè reveletur per aliquid, quod unicè est necessarium ad servandum, & redintegrandum *sigillum*, & ad exercendam potestatem à natura, Deo & Christo datam pro conservatione sigilli. Utraque sententia est probabilis, *Gob.* tamen sententia videtur probabilior, maximè in casu quo pœnitens expressè negaret licentiam: quod enim tam impediatur potestas Ecclesiæ, est per accidens & rarò fiet, quia pœnitens communiter consentit, uti & plerumque consentire tenetur, ne ejusmodi scelera communi bono ita perniciosa per impunitatem invalescant.

2001 *Q.* 298. *An expediat consulere Confessarios, quando agit de aliquo movendo?* R. Affirmant *Ost. sedt* in Præfatione *Pastoris* boni, quia Confessarius optimè novit *spiritum* interiorem. Sed dicendum est non *expedire*, tum quia eorum scientia est tantùm

pro gubernatione fori interni ; tum quia datur occasio pœnitentibus, ut sincerè non confiteantur, sed quærant habere bonum nomen apud Confessarios; tum maximè, quia datur incautis Confessariis occasio frangendi sigilli, vel erroris causandi, quamvis enim Confessarius sciat pœnitentem esse ineptissimum, attamen cogitur commendare velut dignum, ne silentium, vel frigida commendatio det suspicionem mali. Quòd si unum commendet, & non alterum, contra hunc iterum movet suspicionem : Itaque rogatus dicat quæ aliunde publica sunt, & faciunt ad commendationem, item (si ita est) esse frequentem, & constantem in suscipiendis Sacramentis, &c. Quòd si per hoc moveret suspicionem mali, addat absolutè esse devotum, pium, & probum.

DUBIUM II.

2002 *Quale sit præceptum, & quæ obligatio confessionis.*

„RESP. Præceptum confitendi, tum divinum, „tum Ecclesiasticum, sub mortali obligat om„nes, & solos baptizatos, qui habent mortale : illud „in articulo mortis, hoc verò, postquam ad annos „discretionis pervenerint, & simul, ut confiteantur „proprio Sacerdoti, vel alteri, cum ejus venia, semel „in anno, computando ab una confessione ad aliam, „ut quidam docent, vel ab initio Januarii ad finem „Decembris, ut habet communior, vel denique à „Paschate ad Pascha, ut consuetudo ferè obtinuit, „propter communionem, Suar. *d.* 35. *s.* 2. Vasq. *q.* 90. „*art.* 2. Lug. *d.* 15. *s.* 3. 4 6. & 7. Con. *d.* 15. *d.* 6. *Unde* „*resolves.*

„ I. Tenentur hoc præcepto, 1. Hæretici, & apo„statæ, pueri doli capaces, saltem post septennium; „*vid.* Dian. *p.* 4. *tr.* 3. *Res.* 52. Lug. *n.* 144 & 149. 2. In„grediens periculosam navigationem, vel conflictum, „3. Mulier tenera primùm paritura, vel quæ solet „habere partus difficiles. 4. Reus morti adjudicatus. „5. Qui signa habet mortis naturalis.

„ II. Improbabile est, quod docet Sà, *V. Confessio*, „Ecclesiam non obligare ante pubertatem, cum anni „discretionis citiùs attingantur, & constet, mortali„ter peccati posse sub annum nonum, vel decimum, „imò ante : Unde si talis puer crasso saltem modo „videatur cognoscere, Deum per hoc vel illud offen„di, ostendatque dolorem, & propositum, ac præci„pua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi; secus ta„men, si non notatur sufficiens usus rationis. Si verò „dubium sit, potest, (imò in articulo mortis debet) „absolvi sub conditione. V. Laym. *l.* 5. *tr.* 6 *c.* 5. Dian. „*p.* 4. *tr.* 4. *R* 53. & Lugo *l. c. & d.* 17. *n.* 12. ubi docet, „etiam extra articulum mortis obligationem præ„cepti, & talem esse sub conditione absolvendum, ne „gratia sacramentali privetur.

„ III. Non obligatur, qui tantùm habet venialia, „etsi consuetudo habeat, & cogi etiam quisque pos„sit, ut in Paschate saltem se sistat Pastori, ut cum „reliquis eum ad communionem admittat; ad quod „Pastor tenetur, si alter dicat se mortalis culpæ non „esse conscium, Suar. *d.* 36. *s.* 2. & *communiter.*

„ IV. Probabile est, eum, qui uno anno, sive cum, „sive sine culpa non satisfecit præcepto, teneri adhuc „quamprimùm potest, anno sequente, quia terminus „non apponitur ad finiendam, sed ad non differen„dam obligationem : Ac proinde talem toties pecca„re mortaliter, quoties oblatam occasionem negligit, „docet B. n. *d.* 5. *q.* 5. *s.* 2. Suar. Vasq Lug. *n* 177. contra „*Sylv. Valent. Laym. Dian.* &c. qui dicunt perseverare „in uno eodemque peccato.

„ V. Satisfaciunt ii, qui confitentur Mendicanti„bus, etiam in Paschate, quia hi habent facultatem à Sacerdote propriissimo omnium fidelium, „ & Pastore Pastorum. Ita *communiter omnes* contra „ *Glossatorem*, & *Authorem Parochiani obedientis*, contra „ quos *vide in responsis Francisci Fontani, editis Viennæ* „ *Austriæ, Anno* 1634. allegatam authoritatem duorum „ Conciliorum, Viennensis & Trid. 20. Pontificum, „ 50. Doctorum, & præter totius orbis consensum, „ multorum quoque Parochorum, testantium eos esse „ optimos Parochianos, qui Regulares adeunt, & ab „ iis instituuntur. *v. suprà l.* 3. *t.* 3. *cap.* 1. *dub.* 3. Item „ Nav. Azor. Fagund. Trull. *l.* 3. *c.* 4. *d.* 2. *n.* 6. Dian. *p.* 8. „ *t.* 1. *R.* 88. „

VI. Non obligatur ante finem anni, qui habens „ mortale, timet, ne illud obliviscatur, Kon. Henr. „ Lug. *n.* 41. & alii contra Med. & c Si tamen prævide„ret se non habiturum occasionem confitendi dein„ceps toto hoc anno, deberet prævenire : etiam in „ medio anni, Lugo *n.* 182. „

VII. Probabilius est, non satisfieri præcepto Ec„clesiæ per confessionem invalidam, ut docet Suar. *d.* „ 36. *s.* 7. Filliuc. Laym. Lugo *sect.* 6. §. 5. etsi probabile „ contrarium putet esse Fag v. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 120. „ Item nec per confessionem venialium, ut docet „ Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 206. ex Hurt. & Mercero. „

VIII Excusantur ab hoc præcepto, 1. qui physicè „ non possunt, v. g. quibus deest Confessarius, 2. qui „ moraliter non possunt, v. g. qui prudenter timent „ revelationem sigilli vel qui non possunt sine no„tabili incommodo vitæ, fortunarum, &c. Kon Tamb. „ *cap.* 4. §. 4. „

ADDENDA.

QUÆST. 299. *Quid in genere notandum sit circa* 2003 *præceptum, & necessitatem præmittendi?* R. seqq. §. 1. Datur speciale præceptum pœnitendi, per se obligans omnes, qui mortale personale commiserunt, nam Pœnitentia aliqua est secundùm præsentem Dei ordinationem necessaria necessitate medii ad salutem illis qui in mortale personale sunt lapsi S. Th 3. *p. q.* 86. *ar.* 2. purantque Averf. *q.* 1. *s.* 3. & Patel. *n.* 505. esse de fide, quia Lucæ 13. v. 3. dicitur : *Nisi Pœnitentiam habueritis*, & v. 5. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* Eccl. 2. v. 22. *Si Pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Trid. *sess.* 14. *De Pœnit. c.* 1. ait : *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent.* S. Aug. uti refertur cap. *Neminem* 43. *dist.* 1. *De Pœnit.* ait, *Neminem putes à quocumque, seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Similia habent alii PP. frequentissimè. Ratio, cur Deus sic statuerit, est, quia homo est agens liberum, & per peccatum se liberè avertit à Deo, ergo congruum fuit, ut si vellet redire ad gratiam, iterum se converteret ad Deum per motum voluntatis suæ, nec conveniens erat, ut Deus quasi nolenti peccatum dimitteret : aptissimus autem motus se convertendi ad Deum erat pœnitentiæ.

§. 2. Hoc præceptum pœnitendi non tantùm est 2004 positivum divinum, sed etiam naturale, S. Th. *q.* 84. *art.* 7. *ad* 1. Tann. *q.* 6. *n.* 42. Averf. *q.* 1. *s.* 4. Esse positivum divinum, constat ex Scripturis n. 663 & 2003. citatis, quæ non tantùm declarant necessitatem medii, sed etiam intimant præceptum, uti etiam illa Joann. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Deus enim, qui instituit, etiam fieri præcepit. Esse etiam naturale, colligitur inde, quia suppositâ institutione Dei, qui voluit pœnitentiam esse medium ad finem ultimum, recta ratio dictat, adeóque obligat lex naturæ, ut omnis homo rationalis

nalis ad finem ultimum ordinatus, & supposita elevatione etiam lege naturæ obligatus ad eum tendere, adhibeat hoc medium pro fine illo obtinendo necessarium. Fundatur autem hæc obligatio naturalis etiam in aliis, imprimis in præcepto naturali charitatis erga Deum: deinde in præcepto naturali charitatis erga seipsum: præterea in præceptis naturalibus aliarum virtutum, uti fusè prosequuntur Ar. *s.3.*& Aversa *s. 5.*

Objic. Deus non potest dispensare in lege naturæ, sed potest dispensare in lege pœnitendi, quia posset impœnitenti remittere peccatum, ergo. R. Deus non potest dispensare in lege naturæ, directè, id est, hìc relinquendo materiam legis, & tollendo obligationem, c. quia Deus non potest relinquere peccatum deobligando à pœnitendo. Non potest dispensare indirectè, tollendo materiam legis, n. posset enim impœnitenti remittere peccatum, quo sublato tolleretur materia, & consequenter obligatio pœnitendi.

2005 §. 3. Probabilius videtur, quòd præceptum pœnitendi non obliget, per se loquendo, statim post commissum mortale, S. Thom. Dur. Ang. Med. Adr. D. Sot. Can. Viguer. Suar. Vasq. Valent. Henriq. Con. Lugo, quos citat, & sequitur Aversa *q. 1. s. 6. & 8.* Item Ochag. cum Dicast. *d. 3. dub. 3.* Item Gerson, Bon Laym. cum Castrop. *tr. 23. p. 4. n. 8.* Gonet *d. 7. n. 96.* Tann. Arr. Haun. Platel. Stoz *l. 1. p. 2. n. 60* & plurimi alii, contra Innoc. IV. S Ant. Archid. Argent. Maj. Caj. P. Sot. Marsil. Palud. Sylv. Abul. Cardenam *in 2 crisi d. 6. c. 3. Probatur* 1. ex sensu communi fidelium, & praxi Confessariorum, nemo enim se accusat de hoc, quòd non statim pœnituerit, nec Confessarii de hoc interrogant. *Si dicat* fideles circa hoc non esse bene instructos, *contrà* est, sic omnes Curatores animarum accusas vel ignorantiæ, vel socordiæ, vel malitiæ: imò nec excusabitur Ecclesia, quæ cùm facilè posset, nullibi obligationem illam declarat. *Prob.* 2. Illud præceptum non est positivum, nam nullibi est satis clarè expressum, & cùm plerique ignorent illud, non est sufficienter promulgatum, ergo non obligat. Neque est naturale, nam ut aliquid censeatur esse debitum ex lege naturæ, non est satis, quòd ipsum afferat plùs boni quàm omissio ipsius, alioquin quidquid est de consilio, esset de lege naturæ, sed necesse est, ut obligatio ad tale aliquid plus boni afferat toti generi humano, quàm negatio talis obligationis, uti rectè Perez, Elparsi. Palav. *à n. 250.* Haun. *n. 912.* jam verò obligatio ad statim pœnitendum non afferret toti generi humano plus boni quàm negatio illius obligationis, nam difficillimum est statim efficaciter, præsertim ex motivo perfectissimo detestari hoc, quod immediatè ante placuit, & cùm motivum illud non habuerit vim faciendi, ut abstinerem, quomodo subitò habebit vim efficiendi, ut abjiciam peccatum, quod jam complexus sum? ergo talis obligatio exponeret plerosque continuis periculis novi peccati, adeóque non afferret toti generi humano plus boni, quam illius obligationis negatio. *Conf.* quia incautum, & malum est affirmare aliquid esse peccatum mortale, ubi illud nec sufficiente authoritate, nec evidente ratione ostendi potest, nam *hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium*, inquit Gabriel, & ex illo Gob, *in Exp. tr. 1. n. 55.* & Sporer *in Theol. Sacram. p. 1. c. 3. n. 174* Sed nec authoritas sufficiens, cùm oppositum teneant plures, nec evidens ratio probat istam obligationem, uti patebit ex solutione objectionum, ergo. Ex his,

Infertur contra Alensem, Palud. S. Anton. Sylv. Marsil. Abul. & alios apud Tann. *q. 6. n. 44.* multò minùs esse obligationem toties retractandi mortale remissum, quoties ejus memoria recurrit, cùm enim facillimè recurrat, continuò fermè renovari deberent retractationes, quæ obligatio homines exponeret adhuc pluribus periculis novi peccati.

Objic. 1. Eccl. 5. v. 8. dicitur, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differat de die in diem, subitò enim veniet ira illius.* Et c. 21. *De pristinis deprecare, ut tibi dimittantur, quasi à facie colubri fuge peccata*, sed oportet statim fugere faciem colubri, ergo. R. Monet, 1. Ut peccata actualia non continuentur. 2. Ut pœnitentia fiat ante finem vitæ. 3. Suadet, ut homines mortales de præteritis statim doleant, ne fortè periclitentur de salute. Nullibi dicit, quòd manere in mortali habituali ad aliquod tempus sit novum mortale. Quando dicit peccata esse fugienda uti faciem colubri, intelligit non esse repetenda peccata actualia.

Inst. 1. S. Th. *2. 2. q. 68. art. 8.* dicit non licere permanere in peccato, etiam ad modicum tempus. R. Loquitur de permanentia in actuali voluntate non restituendi, quæ est actuale peccatum, cùm sit actualis continuatio injuriæ.

Inst. 2. SS. PP. dicunt nos debere agere perpetuam pœnitentiam. R. Volunt, vel quia quotidie peccamus, ideò semper indigere pœnitentia; vel pœnitentiam semel habitam esse perpetuam habitualiter, id est, non debere retractari, nec directè, volendo te non pœnituisse, nec indirectè per repetitionem ejusdem peccati, Suar. Aversa *s. 8.*

Objic. 2. Qui statim non arripit pœnitentiam, exponit se periculo proximo iterum peccandi, quia est hostis Dei, qui subtrahet gratias actuales, hinc S. Th. *1. 2. q. 109. art. 8. O.* cùm communi docet neminem posse diu sine gratia habituali vitare omnia mortalia: & ideò etiam S. Greg. *in Ezech. hom. XI.* ait, *Peccatum, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati simul, & pœna peccati; omne enim, quod priùs committitur, peccatum est, sed si citiùs pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo, & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.* R. n. ass. Neque enim Deus solet peccatoribus statim subtrahere auxilia ordinaria: nec dæmon habet potestatem dominativam in voluntatem peccatoris, cui sua libertas manet: nec peccatum habituale secundùm se trahit ad novum peccatum, cùm habeat se mortuo modo. S. Th. & S. Greg intelligendi sunt, quòd quandóque fiat, ut Deus subtrahat auxilia illi, qui nimis diu differt pœnitentiam, vel quia adhuc actualiter adhæret peccato antiquo, vel quia non orat Deum pro auxilio; vel quia non pœnitet, quando urget præceptum pœnitentiæ: Hinc Gerson. *in Regul. mor. §. de pœn.* ait, *Homo non semper tenetur immediatè confiteri peccatum, imò nec confiteri sub pœna novi peccati mortalis: sat etiam spatium pœnitentiæ Deus, quale scit fragilitati nostræ sufficere.* Denique omnia illa tantùm probant, quòd ille, qui nimiùm differendo adverteret se fieri nimis debilem ad resistendum tentationibus aut ad observanda alia præcepta, per accidens obligaretur ad statim pœnitendum.

Inst. 1. Qui differt pœnitentiam, exponit se periculo proximo moriendi in peccato, cùm mors improvisa multos opprimat. R. Mors improvisa inter centum non opprimit unum, ergo non semper est periculum proximum mortis improvisæ, alioquin semper posse-mus absolvi à reservatis, communicare pro Viatico etiam non jejuni &c. Si tamen quis ponatur in periculo proximo mortis, v. g. per prælium, insidias hostium, morbum vel navigationem periculosam, per accidens erit præceptum statim pœnitendi.

Inst. 2. Christus Matth. 24. & 25. adducta parabola decem Virginum vigilare *præcipit*, uti docent SS. PP.

apud Carden. *à n.* 54. & colligitur ex pœnis æternis, quæ intentantur negligentibus, sed qui non statim pœnitet, non vigilat, quia est in somno peccati, nec vult ab eo surgere, ergo. R. Ex istis plus inferri non potest, quàm esse præceptum pro omni tempore vigilandi. 1. Ne peccetur 2. Separandi per bona opera à Deo vel Ecclesia nobis præcepta. 3. Pœnitendi ante articulum mortis. Virgines fatuæ peccatum, quia tum non vigilarunt nec paratæ fuerunt, quando satis cognoscebant adventare Sponsum; hinc etiam peccant, qui non pœnitent, quando cognoscunt adventare mortem. De cætero etiam prudentes virgines ad tempus non vigilarunt sed dormitaverunt omnes & dormierunt.

Inst. 3. Qui potest anteà pœnitere & moritur in mortali, est dignus reprehensione, ergo non pœnitendo peccavit. R. est dignus reprehensione, quia pœnitentiam distulit usque ad mortem, c. quia per aliquod tempus distulit, subdist. est dignus reprehensione propter peccatum ideò commissum, n. propter defectum majoris providentiæ, qui ad summum est positiva imperfectio, c. antec & n. cons.

Objic. 3. Qui contraxit grave malum corporis, tenetur ex charitate erga seipsum illud quamprimùm potest tollere. Item qui videt proximum peccasse, tenetur ex charitate quamprimùm potest inducere, ut resurgat; ergo multò magis tenetur aliquis statim tollere malum statum suæ animæ. R. Sicuti tunc tantùm teneor tollere grave malum corporis mei, quando est proximum periculum, ne mihi afferat aliud grave malum, vel ne fiat incurabile, vel ne impediat me ab aliis actionibus præceptis, ita tum tantùm tenebor tollere peccatum, quando est periculum proximum, ne per hoc inducar in aliud peccatum, aut ne posteà pœnitere non possim, aut quando per illud impedirer ab observatione aliorum præceptorum: & hoc docet S. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *ar.* 1. *quæstio* 4. *ad* 2. *Non est de necessitate salutis corporalis, quòd infirmus statim Medicum quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similiter est de morbo spirituali.* Idem est de altero exemplo, sicuti enim tum tantùm teneor corripere proximum, quando prudenter timetur, ne vel pergat peccare, vel posteà non pœniteat, vel aliter sibi novum damnum accersat, ita tum tantùm tenebor statim pœnitere, si alioqui esset mihi oriturum simile malum.

Inst. 1. Homo non pœnitens continuat occisionem suæ animæ, ergo peccat. R. Continuat occisionem, actu causando vel positivè volendo illam, n. permittendo jam positam, usquedum urgeat præceptum illam removendi; c ant. & n. cons.

Inst. 2. Qui esset causa, ut alter ad longum tempus permaneret in mortali, peccaret mortaliter, ergo etiam qui ipse ita liberè permanet. R. Permisso ant. n. cons. Causans in altero censeretur causa moralis directa illius permanentiæ: sed non pœnitens censetur tantùm permittere illam permanentiam. Deinde sicuti impedire alterum à consuetudine magni boni quamvis non necessarii, potest esse peccatum, quia alter potest esse invitus & habere jus, ut non impediatur à me; è contrà non ideò pecco, si meipsum ita impediam, ita hìc. Et quòd sæpè aliter me habere debeam ad alterum quàm ad me, patet, si enim lædam famam alterius, pecco, non pecco, si lædam meam.

Objic. 4. Velle esse in peccato est inhonestum, sed qui differt pœnitere, vult esse in peccato, ergo. R. Velle esse in peccato actuali est inhonestum, c. in peccato tantùm habituali, subdist. si ipsi adhuc placeat malitia peccati præteriti, c. si malitia illa non ampliùs placeat, sed tantùm ad tempus permittat negationem condonationis, n. maj. & similiter distincta min. n. cons.

Inst. 1. Nolens pœnitere dicit, volo perseverare in malo, sed actus, quo volo perseverare in malo, est malus, ergo. R. Dicit, volo perseverare in malo actuali, n. habituali, subdist. ita ut velit ipsam peccati malitiam, n. ita ut tantùm velit dilationem satisfactionis vel condonationis, c. maj. & similiter distincta min. n. cons.

Inst. 2. Actus, quo volo perseverare in bono etiam habituali, semper est bonus, ergo actus, quo volo perseverare in malo etiam habituali, semper est malus. R. n. cons. Actus, quo volo bonum habituale, approbat totum actum bonum, è contrà actus, quo volo perseverare in peccato habituali, non semper approbat totum peccatum habituale, nam in recto dicit malitiam actus præteriti, quam non approbat, in obliquo autem dicit negationem satisfactionis vel condonationis, quæ negatio de se mala non est, cùm Deus possit illam velle, & ideò etiam ipse peccator potest illam saltem permittere ad tempus.

Inst. 3. Peccator scit cum negatione pœnitentiæ conjunctam esse inimicitiam cum Deo, ergo qui vult ad tempus non pœnitere, vult ad tempus inimicitiam cum Deo. R. n. cons. nam possum positivè velle non pœnitere, quia video omissionem pœnitentiæ mihi hìc & nunc esse licitam, neque ideò positivè volo inimicitiam Dei, sed tantùm permitto, sicuti Deus potest positivè velle mihi non remittere peccatum, quamvis videat cum illa negatione esse conjunctam malitiam peccati, quam tamen non ideò intendit sed permittit. Item sicuti conjux positivè volens generationem non ideò positivè vult peccatum originale prolis, sed permittit, hæc enim aliunde jam supponuntur esse causata, & per accidens connexa.

Inst. 4. Peccatum habituale est malum gravissimum, ergo sicuti peccatum est primò velle peccatum, ita & velle ejus permanentiam. R. n. cons. nam est malum jam ante contractum, cujus permanentia non est malum novum vel distinctum, sed idem malum diutiùs permissum, in quo non est nova gravis indecentia.

Objic. 5. Si rebellis diceret Regi, nolo jam pœnitere, censeretur contemptus Regis, ergo similiter si quis non statim se reconciliet Deo. R. n. cons. Homines non introspiciunt cor, hinc ex tali dicto vel etiam ex sola dilatione pœnitentiæ præsumunt contemptum vel continuationem malæ voluntatis. Deus videt cor & cognoscit hominem seriò cogitare reconciliari Deo, nunc autem quasi dicere, *nolo nunc pœnitere, quia tu Deus nunc non præcipis, pœnitebit autem me suo tempore, quando præcipies*, in quo nullus est contemptus.

Objic. 6. Peccatum habet rationem injuriæ in Deum, sed pro injuria debetur restitutio, quamprimùm aliquis commodè potest, ergo. R. Peccatum habet rationem injuriæ in Deum latè dictæ tantùm, obligatio autem restituendi sequitur tantùm ex læsione justitiæ strictè dictæ. Qui admittunt jus strictum Dei respectu creaturæ, dicunt injuriam tum tantùm fundere obligationem statim restituendi, quando dilatio in effectu pergeret nocere, tum enim esset continuatio injuriæ, Deo autem nulla injuria potest in effectu nocere, cùm Deus non sit in se capax damni vel incommodi. Si tamen ex dilatione pœnitentiæ oriretur Deo novum damnum extrinsecum, fatentur omnes fore per accidens obligationem statim pœnitendi.

Objic. 7. Qui peccavit contra fidem, tenetur statim elicere fidem secundùm dicta *l.* 2. *n.* 52. ergo qui peccavit contra quamcunque virtutem, tenetur statim elicere oppositum actum virtutis, quo peccatum illud deponat. R. n. cons. Ideò tenetur prior ad eliciendam fidem, vel quia aliàs non deponeret continuationem suæ infidelitatis, vel quia fides est virtus prima & maximè

ximè necessaria ad omnem actum supernaturalem : è contrà facilè deponi potest continuatio alterius peccati sine actu virtutis oppositæ, neque talis alia virtus est fundamentum vitæ spiritualis.

Ex objectionibus patet sententiam oppositam esse satis probabilem, & cùm sit tutior, meritò suadenda est in praxi.

2006 §. 4. Qui est in peccato mortali, per se loquendo tenetur ex præcepto naturali per pœnitentiam se reconciliare Deo ante articulum mortis. Vega, Henriq. Sot. Suar. Con. Lug. Rhod. Tan. *q.* 6. *n.* 61. Arr. *d.* 7. *à n.* 25. Castr. *tr.* 23 *p.* 4. *à n.* 9. Aversa *q.* 1. *s.* 7. Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 134. Stoz *lib.* 1. *p.* 2. *n.* 63. contra Dur. Adr. Vasq Palav. Haun. *lib.* 4. *n.* 937. Esparsa *q.* 87. *ar.* 10 Dic. *d.* 3. *n.* 25. *& toto dub.* 5. Sporer *n.* 177. *Probatur* 1. *ex Scriptura & SS. PP.* apud Tann. *à n.* 62 qui monent accelerandam pœnitentiam, alioquin iram Dei superventuram, per quod innuunt esse præceptum. 2. Omnis homo, etiam justus, tenetur per decursum vitæ, & quidem sæpiùs quàm singulis quinquenniis amare Deum super omnia, uti constat ex dictis *l.* 2. *à n.* 133. estque hoc præceptum naturale, uti omnes fatentur, ergo multò magis tenetur peccator sic amare Deum, ideóque pœnitere saltem virtualiter, quia lex naturæ & charitatis tum erga Deum tum erga se, multò magis illum obligat ad reconciliandum Deum sibi inimicum & ad providendum suæ saluti æternæ, quæ aliàs pateretur periculum ; hinc 3. Per se intrinsecè malum est se exponere periculo proximo saltem probabili æternæ suæ damnationis, sed qui non vult pœnitere ante articulum mortis, exponit se periculo proximo saltem probabili æternæ suæ damnationis, nam SS. PP. inter quos S. Ambros. *tom.* 4. *post l.* 2. *de Pœn. in exhort. ad pœn.* postquam de eo, quem in fine vitæ pœniter, sic habet, *An securus hinc exeat, ego non sum securus ; pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum : vis te Frater à dubio liberare ? vis, quod incertum est, evadere ? age pœnitentiam, dum sanus es.* Eadem attribuuntur S Augustin. *Cap. Si quis autem* 4. *De pœn dist.* 7. *& Cap. Si quis positus* 2. ibidem de tali dicit, *non præsumimus, quod benè hinc exeat.* Et *Cap. Nullus* 8. ibidem, *Quoniam vix vel rarò est tam justa conversio, timendum est de pœnitente serò. . . . periculosissimum est & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium.* Ratio est, quia homo in articulo mortis communiter est perturbatus ex causis concernentibus præterita, præsentia & futura : accedit sæpè vis morbi impediens rationis usum, infestatio dœmonum importunè se ingerentium & terrentium : quandoque ex defectione virium tum est torpor mortalis, angustiatio conscientiæ remordentis, subtractio specialium auxiliorum in pœnam imprudentis & temerariæ dilationis pœnitentiæ. *Si dicas*, hæc esse per accidens adeóque tantùm per accidens fore obligationem pœnitendi, ante mortem. *Contrà est*, nam obligatio illa non est dicenda esse per accidens, si semper accidat periculum, in quo est talis obligatio, sed semper accidit tale periculum moribundo, ergo.

2007 §. 5. Incertum est, quandonam determinatè extra periculum mortis præceptum naturale pœnitendi per se obliget peccatorem, quia de hoc nihil declararunt Scriptura, Concilia, PP. aut Pontifices, nec ratio aliquid certò concludit, hinc ita variant sententiæ, nam Scot. Basil apud Amicum *l.* 9. *n.* 41. dicunt semel tantùm obligare ante mortem : Navar. & alii cum Amic. *n.* 51 dicunt obligare, quoties propitiandus est Deus ob imminentem publicam calamitatem. Alii cum Castror. dicunt obligare saltem intra tres aut quatuor annos ; Arr. intra unum, & id patere dicit Tann. *n.* 65. addens mensem aut etiam septimanam videri esse satis diuturnum tempus. S. Antonin. Marsil. Sot. & alii apud Tann. *n.* 56. volunt obligare omni die dominico & festivo, sed hos carere fundamento dicit Stoz *l.* 1. *p.* 2. *n.* 56. Alii cum Aversa *q.* 1. *s.* 7. relinquunt arbitrio prudentum pro diverso statu personarum & circumstantiarum. Suar. Con. Rhod. Lugo *d.* 7. *n.* 243. dicunt teneri non diutiùs differre actum pœnitentiæ justificativæ quàm actum charitatis, de cujus obligatione etiam varias sententias recensui *lib.* 2. *à n.* 132. sed Aversa rectè notat ob majorem necessitatem & periculum, quod peccatum affert, meritò brevius tempus constitui pro obligatione pœnitentiæ quàm dilectionis Dei.

Objic. Dictum est *n.* 763. etiam ideò ad contritionem non requiri certam intensionem, quia determinari non potest, quanta deberet esse, ergo similiter hìc dicendum est non esse obligationem pœnitendi extra periculum mortis, quia determinari non potest quandonam esset illa obligatio. R. n. cons. Obligatio certæ intentionis in contritione causaret modestiam intolerabilem, non item obligatio ad pœnitendum ante periculum mortis, nam pœnitendo, v. g. intra octiduum post commissum mortale satisfacimus huic præcepto pœnitendi ; & illi possumus semper satisfacere quò citiùs eò meliùs. Deinde assignamus adhuc aliam regulam, ut nempe teneamur saltem non diutiùs differre pœnitentiam quàm dilectionem Dei : simile nihil à nobis cognoscibile statuunt requirentes certam intensionem in contritione.

§ 6. Pœnitentia formalis in re non est necessaria 2008 ad salutem necessitate medii post mortale personale, quia secundùm dicta *n.* 774. ad justificationem sufficit amor Dei super omnia, saltem in illo, qui non recordatur peccatorum, amor enim ille est virtualis pœnitentia : & æquivalenter contritio, non solùm quia connaturaliter hanc infert, vix enim possibile est, ut amans Deum super omnia, si recordetur peccati, quod est summum malum Deo illud non detestetur, sed etiam quia tota vis contritionis ad Deum reconciliandum est ratione dilectionis Dei super omnia, ergo hæc dilectio secundum se habet eandem vim reconciliandi, Lugo *d.* 5. *n.* 95. Arr. *d.* 7. *s.* 2. Palav. *ne* 248 Dicast. *d.* 2 *n.* 91. Haunol *l.* 4. *n.* 918. *Dixi* 1. *in re.* nam votum pœnitentiæ formalis in re suo tempore, eliciendæ necessarium est, tum ratione implendi præcepti pœnitentiæ formalis, tum ratione suscipiendi Sacramenti Pœnitentiæ, quod requirit formalem dolorem, tum etiam ratione Baptismi ab adulto, qui mortale personale commisit, suscipiendi, ad quem multi cum Suar. *de Baptismo d.* 28. *s.* 1. saltem ex præcepto prærequirunt pœnitentiam formalem, ex illo Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum*, & ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. *Moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Dixi* 2. saltem in illo, qui non recordatur peccatorum, nam si recorderur, putant S. Th. Bellarm. Suar. Con. Reques. Platel. Gorm. *n.* 261. si excluderetur derestatio peccati, non sufficere amorem Dei ; attamen adhuc sufficere probabiliter putant Tann. Arr. Lugo, Aversa *q.* 1. *s.* 8.

§. 7. Probabilius videtur, quòd omnis homo, 2009 regulariter loquendo, teneatur ex præcepto naturali pœnitere per contritionem in articulo mortis, Suar. Valent. Nugn. Zambr. Præp. Gran. Sanch. Gonet, Carden *in* 1. *crisi a.* 49. *n.* 40. *n.* 30 Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 131. Stoz *l.* 1. *p.* 2. *n.* 55. Gorm. *p.* 1. *n.* 262. aliique communiùs cum Tann. *q.* 6. *n.* 66. contra Canum, Henr. Vasq, Amic. *d.* 9 *n.* 67. Becan. Fagund. Laym. Turr. S. las, Lugo, Aversa *q.* 1. *s.* 9. Sporer *n.* 174. Moyam & alios, qui putant eum non obligari ad contritionem, qui cum attritione suscepisset Sacramentum Pœnitentiæ, sed probabile, nam si unquam, debent hìc habere locum verba SS. Amb. & Aug. *cap. Si quis autem* 4. *De pœnit.*

dist.7.Tene certum,dimitte incertum,salutis enim æternæ negotium est omnium maximum , in quo semel erraſſe est æternùm periisse , ergo recta ratio postulat, ut hic adhibeatur medium tutius , quale omni homini est contritio , nam nemo scit se esse liberum ab omni mortali , nec omninò certus est se liberandum esse per attritionem cum Sacramento,quia posset tibi defuisse Baptismus , sine quo nemo est capax alterius Sacramenti , posset Confessarius non esse ritè ordinatus , caruisse intentione debita , erraſſe in proferenda forma &c. Nec satis erit, si elicias amorem Dei super omnia , nam ex dictis *n.*2008.non est certum , quòd hic amor sufficiat, quando occurrunt peccata & potest haberi formalis pœnitentia : ergo erit obligatio determinatè ad contritionem. *Conf.* quia si addas contritionem, facis quod in te est,hinc poteris confidere Deum etiam ex parte sua non defuturum : è contrà si negligas, non facis, quod in te est. *Ratio* convenientiæ est , quia cùm homo sciat se per peccatum aliquando fuisse perfectè aversum à Deo,velítque nunc per pœtuò in altera vita esse perfectè aversus à peccato & conversus ad Deum,æquum erat,ut in fine vitæ se iterum perfectè averteret à peccato ad Deum.

2010 *Objic.*Non teneor, nequidem in articulo mortis, procurare omnimodam certitudinem, alioquin teneret elicere continuò intensiores & extensiores actus contritionis , item tenerer rebaptizati saltem sub conditione &c. R. Teneor procurare certitudinem moralem, quantam possum cum moderata diligentia & per media consueta Ecclesiæ, hinc non teneor ita intendere aut extendere actus contritionis, tum quia non est probabile certam intensionem , vel extensionem requiri, tum etiam quia cùm nemo dicere possit , quanta determinatè intensio vel extensio requiratur , esset intolerabilis molestia sic se divexare, semper cum incertitudine unquam attingendi gradum debitum. Multò minus teneor ad iterationem Baptismi , quem iterari noluit Christus & prohibet Ecclesia, ubi de illius valore prudenter dubitari non potest. Pro supplendis autem omnibus defectibus, etiam Baptismi , item pro tollendis omnibus dubiis etiam parum prudentibus valet contritio , quæ ab unoquoque & absque gravi molestia adhiberi potest, ergo adhiberi debet,etiam à Martyre, inquit Platel. *n.*165,si peccata occurrant.

2011 §.8.Actus pœnitentiæ, prout est specialis virtus, de qua dixi *n.*578.non est necessarius ad salutem, uti satis certum est contra Tann.*d.6.q.3.n.*27.quia quidquid potest hic actus,multò magis potest actus charitatis,religionis vel alterius similis virtutis,quamvis nequidem imperetur à speciali pœnitentia.

2012 §.9. Originale , si solum sit , remitti potest sine ulla propriè dicta pœnitentia , quia cùm non fuerit physicè voluntarium , non est opus physicè retractari, sed sufficienter retractatur moraliter , si quis sua vel aliena voluntate,quando sua non potest, submittat se remedio , quod Deus ad illud delendum instituit. Atque etiam ideò videtur Alex. VIII. damnasse hanc 19.prop. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali*: actualis enim pœnitentia est detestatio & dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero , quod intelligi non potest nisi de peccato personali. Ratio autem est, quia originale quoad culpam & pœnam plenè remittitur per Baptismum,uti certum est ex Trid. *sess.5.can.5. & sess.* 4.*c.* 2. ergo malè requirunt Janseniani aliquam nostram pro eo satisfactionem.

2013 §. 10. Ad salutem necessaria non est in hac vita pœnitentia de venialibus , quia non pugnant cum gratia & sufficit retractari post mortem : in præsenti enim ordinatione Dei requiritur ad remissionem etiam venialium aliqua retractatio,S.Th.*q.* 87. *ar.*7. & ratio data est *n.*2003 Retractatio autem sufficiens respectu venialis est quivis actus virtutis positus in ordine ad delendum tale veniale, Magist. Caj. Suar. Valent.Castrop. *t.* 23. *p.* 2. Dicast.*d.*2.*n.*404. contra Vasq.Laym.Averſ.*q.*4.*s.*5. Attamen non sufficit, si sit actus tantùm naturalis,quia non habet proportionem ad salutem , ad quam conducit remissio venialium: Nec quodvis veniale remittitur per quemvis actum supernaturalem , v. g. per actum temperantiæ non remittitur veniale furtum , sed talis actus debet esse retractatio talis venialis & cum illo habere oppositionem saltem virtualem quæ consistit in actu, qui ex vi sua determinaret ad retractationem formalem & efficacem, si occurreret memoria talis venialis , S. Th.*q.*87.*art.*1.Lugo *d.*9.*n.*24.

§.11. Veniale de facto non remittitur,quamvis 2014
formaliter per actum supernaturalem retractetur, nisi remissum sit vel simul remittatur mortale , tum quia veniale de facto non remittitur nisi per gratiam, quæ pugnat cum omni mortali , tum etiam quia remissio venialium tendit ad familiaritatem cum Deo, quæ supponit amicitiam,S.Th.*q.*87.*art.* 4. Aversa *s.*3. contra *Dur.* nec tamen si justus retractet, etiam formaliter , omnia venialia, remittuntur omnia , aliàs nunquam remitterentur vi Sacramenti, quod requirit saltem attritionem afficientem illa, quæ remittuntur , sed remittentur plura vel pauciora , prout actus virtutis erit perfectior vel imperfectior,aut prout magis afficiet hæc quàm ista,vel si æqualiter afficiat omnia,Deus determinabit , quæ & quot remittantur , *Platel.* & alii contra Suar. Dicast. Stoz *l.*1.*p.*2.*n.* 71. An autem idem dicendum sit , quando quis confitens in specie se accusat de venialibus non determinando numerum, dixi *n.*624.

*Q.*300.*Quid in gen re notandum sit circa præceptum* 2015
& necessitatem Confessionis ? R. §. 1. Dari præceptum confitendi omnia mortalia post Baptismum commissa, constat ex dictis *à n. 595*. Attamen confessio in te non est determinatè necessaria necessitate medii ad remissionem mortalium, nam si confessio inculpabiliter omittatur , potest homo per contritionem vel amorem Dei super omnia justificari , uti constat ex dictis. Est tamen confessio saltem in voto ita necessaria , uti habet Trid.*sess.* 14. *De pœn.* c. 4. quia nullus dolor est sufficiens dispositio ad justificationem nisi sit votum saltem implicitum observandi omnia præcepta graviter obligantia , inter quæ est præceptum confessionis.

Objic. Si confessio ideò dicatur necessaria necessitate medii in voto, ergo jejunium, restitutio,& quidquid est præceptum dici debebit esse ita necessarium. R.Hoc solutum esse *l.*6.*p.*1.*n.*587.

§.2. Hoc præceptum confitendi omnia mortalia non est, absolutè loquendo, naturale, quia Christus poterat ad justificationem requirere tantùm contritionem aut saltem confessionem de peccatis in genere , ergo est à sola voluntate Christi , quòd sit obligatio confitendi omnia & singula mortalia. Supposito tamen quòd Deus eam confessionem , saltem prout in voto,voluerit esse medium salutis , lex naturæ obligans ad quærendam salutem, etiam obligat hoc medium. 2016

§ 3.Si non daretur præceptum divinum de con- 2017
fitendis omnibus mortalibus, nequidem tota Ecclesia potuisset hoc præcipere, quia res adeò difficilis excedit potestatem humanam, maximè quia talis confessio non habuisset annexam remissionem peccatorum, Lugo *d.*15.*n.*90.Rhod.& alii communiter.Supposito autem quod Christus instituisset Sacramentum Pœnitentiæ,sed non instituisset determinatè confessionem , putant Suar. Vasq. Beccan. & alii cum Aversa

*qu.*15.

*qu.*15.*s.*2.Ecclesiam potuisse hanc præcipere,sed Con. *d.*5.*n.*42.Lugo *n.*91.Arr.*d.*51.*s.*1.adhuc dicunt ob nimiam difficultatem non potuisse præcipere confessionem exactam de omnibus,uti nemini potest præcipere statum religiosum. Etiam communis est sententia Ecclesiam non posse præcipere bis confiteri omnia sua peccata, admittit tamen Lugo cum aliis multis posse præcipere iteratam confessionem unius vel alterius, sed adhuc oppositum fusè tuetur Arr.*s.*2.cum aliis pluribus. Probabilius tamen est cum Suar. Con. Fagund. Nugn. Illf.*n.*17; Arr.*n.*42.contra Alens. Palud. Sylv. Can. Vasq.& Amic.*d.*18.*n.*112. Ecclesiam posse sub excommunicatione præcipere confessionem annuam,ita ut negligens ipso facto censuram illam incurrat, quia potest præcipere confessionem validam, secundùm dicenda *n.* 2032. ergo multò magis potest punire illum, qui confessionem planè negligit.

2018 §. 4. Probabilius est, quòd Ecclesia possit præcipere confessionem venialium, S.Th.Lug. *à n.* 129. Dicast.*d.*7.*n.*115.Arr.*n.*33 Bosc.*d.*7.*s.*2.*n.* 97. contra Palud. Sylv. Sotum, Suar. Castr. Averf.*q.* 10. *s.*2. confessio enim venialium est actus externus virtutis valdè utilis & non adeò difficilis. Imò probabilius est fundatores Ordinum quandoque præcepisse confessionem etiam venialium,saltem sub veniali, ut limitat Aversa: putantque Esparf.*q.*90.*ad* 10.*ar.*2.Dic. *n.*118.Bosco *à n.*104.præcipere posse etiam sub mortali. Item probabilius est cum Vasq & Bosco *n.* 110. contra Arr.*n.*36.Ecclesiam posse præcipere confessionem venialium merè internorum,quod enim directè præciperet,esset sola confessio merè externa. Neque ex dictis sequitur, quòd venialia fierent materia necessaria confessionis,nam sola confessio fieret materia necessaria præcepti,liberum autem maneret confiteri quæcunque peccata, vel quodcuque veniale.

2019 §. 5. Præceptum divinum confitendi omnia mortalia obligat per se in periculo mortis, sive hoc sit ex morbo sive ex imminente navigatione, prælio, partu periculoso,extremo supplicio &c. S. Th. Suar. Con. Castrop. Lug.*n.*37.quod Dicast.*n.*20. dicit esse certissimum,cùm enim sit obligatio confitendi omnia mortalia, est saltem in morte,postquam illi satisfieri non possit: hinc dixi *l.*4.*n.*153. ratione hujus præcepti teneri Medicum monere infirmos de periculo. Addunt cum aliis Dic. *n.* 21.& Gorm.*p.*2.*n.*22 eum, qui in eodem periculo post Confessionem semel factam iterum peccat mortaliter, teneri iterum confiteri, quamvis non teneatur iterum communicare. Rectè tamen docent Bonac & alii cum Dian.*p.*3.*tr.*4.*R.* 130. contra Henriq. eum,qui in periculo mortis neglexit confiteri, non ideò teneri statim confiteri post hoc periculum,nam propterea tum tenebatur, quia tum aderat periculum mortis ergo hoc cessante cessat hæc obligatio.

2020 § 6. Probabilius est, quòd præceptum illud per se etiam obliget sæpiùs in vita,Amic.Rhod.Illf.*n.* 13. Platel.*n.*731. Gormaz & alii contra Castrop. Dicast. Bosco & alios: cùm enim Christus instituerit confessionem eo fine, ut homines deterrerentur à recidiva & opportunas acciperent medicinas; debuit sæpiùs per vitam esse obligatio confitendi. Deinde si Christus tantùm pro morte obligasset ad confessionem, Ecclesia non posset dici determinasse præceptum divinum quoad tempus,nam sine determinatione Ecclesia erat per se obligatio pro periculo mortis, quòd autem Ecclesia præceptum divinum determinarit quoad tempus, dicetur *n.* 2022. Denique qui præcipit aliquid & non determinat tempus,vult illud non differri nimis diu,nec expectari tempus extremum ergo.

2021 § 7. Esse præceptum omnia mortalia confitendi ante Communionem,dictum est *l.*6.*p.*1.*n.*511.& *à n.* 633. Specialiter autem Sacerdotem, qui necessitate urgente absque confessione celebravit,obligari *quam primùm* confiteri, dictum est *ibid. à n.*543.

§.8.Aliqui Rigoristæ docent peccatorem,quantumvis sibi contritus videatur,teneri non tantùm ante susceptionem, sed etiam ante ministrationem cujusvis Sacramenti confiteri. *Sed contrà est,* 1. nam secundùm dicta *n.* 751. Clemens VIII. satis declaravit oppositum, & sufficere contritionem dixi cum communissima *l.*6.*p.*1.*n.*751.2.Cùm de hoc nullum inveniatur præceptum,tanta obligatio asserenda non est sine maxima authoritate vel evidente ratione, ut dixi *n.* 2005.neutrum autem hìc ostendi potest: hinc Card. Lugo *d.*5.*n.*114. ait nullum esse dubium apud Theologos & fideles,quòd tum sufficiat contritio. Per accidens tamen sæpiùs est obligatio confitendi, ut 1. Si talis suscepturus vel ministraturus aliud Sacramentum non posset confiteri. 2. Si esset periculum reincidendi in nova peccata,nisi sæpiùs confiteretur,de quo casu Lugo *sect.*4 & Dicast. *dub.*15.fusè discurrunt 3. Si confessio requiratur velut conditio, verbi gratia: ad obtinendam dispensationem voti castitatis vel impedimenti in contracto Matrimonio. 4. Addunt Medin.& alii apud Averf. & Dicast. *n.* 24. si periculum sit,ne alioqui peccata obliviscatur: sed hanc obligationem negant Henr. Con. Turr. Vil. Fill. Dian. Averf. Dic. Castr. Gorm.*n.*38.Lugo *n.*41.qui uti & *Dian* meritò non obligat etiam ad scribenda peccata,ne è memoria excidant, id enim foret onus gravissimum & secundùm se expositum periculo manifestationis, saltem si fiat diu ante confessionem. Quòd si ex dilatione vel omissione talis scriptionis obliviscatur aliqua, erit per accidens,& tenebitur confiteri, quando redibunt in memoriam.

§ 9. Datur præceptum omni anno saltem semel confitendi omnia sua mortalia, uti constat ex Conc. Later. *relato n.*595.ac definit Trid. *sess.*14. *de Pœn. can.* 6 *Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum,qualem Ecclesia servat,esse impossibilem & traditionem humanam à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles juxta magni* Conc. Later. *constitutionem semel in anno & ob id suadendum esse Christi fidelibus,ut non confiteantur tempore quadragesimæ, anathema sit.* Quòd autem hoc præceptum non sit purè Ecclesiasticum sed divinum, declarat Trid. *ibid. c.* 5. his verbis: *Neque per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Itaque dicendum est cum communissima, Christum præcepisse confessionem omnium mortalium, determinationem autem,quando & quoties fieri deberet, reliquisse Ecclesiæ, quæ determinavit tempus anni, qua determinatione tanquam conditione supposita jam præceptum illud divinum obligat omni anno semel confiteri; attamen simul obligat etiam præceptum Ecclesiasticum,uti rectè Amic.*d.* 17. *n.* 60. *Illf.n.*13. Gorm.*à n.*63.

Frequentem confessionem in *illis, qui* generaliter vivunt, non esse signum prædestinationis, constat ex dictis *l.*6.*p.*1. *n.*672.

Q. 301. *Quis teneatur præcepto confessionis annuæ?* 2024 R.§ 1. Non baptizati *non tenentur*, uti habet communissima cum Castr. *tr.*23.*p.*20.*s.*1.*n.*6. & Averf. *q.* 15.*s.*3.Contra Scot. Ricard. Angel. Sylv. Hiquæum apud Bosco *d.*7.*sect.*5.*n.*1. quorum sententiam Vasq. Dicast. *d.*7.*n.*11. vocant improbabilem, præceptum enim dirigitur ad solos Christi fideles. *Nec obstat,* quòd *l.*6.*n.* *n.*195. dixerim etiam non baptizatos obligari præcepto Communionis, *nam* disparitatem recte assignat Lugo *d.*15.*n.*26. quòd non baptizatus

possit

possit facere hoc, quod requiritur ad Communionem nimirum recipere Baptismum & communicare hinc propter obligationem Communionis tenetur recipere Baptismum : E contrà quamvis reciperet Baptismum, non ideò teneretur confiteri, quia materia confessionis sunt sola peccata post Baptismum commissa, qualia non habet ; ergo propter obligationem confessionis non potest nunc teneri ad Baptismū.

2025 §. 2. Baptizati omninò omnes, per se loquendo, tenentur, etiam hæretici non tantùm vi præcepti divini sed etiam Ecclesiastici, sunt enim subditi Ecclesiæ & præceptum neminem excipit, Lugo *à n.* 144. Gorm. *p. 2. n. 39. Nec obstat*, quòd præceptum dirigatur ad fideles, *nam* fidelis hìc dicitur, qui per Baptismum suscepit fidem, & nomine fidelis sæpè comprehendi etiam hæreticos ostendit Dicast. *n.* 79. Hinc *lib. 1. n.* 974. dixi etiam excommunicatos teneri vi hujus præcepti petere absolutionem; item incarcerati, si aliter confiteri non possint, tenentur facere, ut à carcere liberentur, ut colligitur ex dictis *lib. 6. p. 1. n.* 626. Apostoli ipsi post promulgationem sufficientem eodem præcepto tenebantur : de his tamen fusè discurrunt Lugo *à n.* 27. & Dic. *à n.* 49. putatque Rhod. in Pentecoste fuisse confirmatos in gratia, adeóque posteà non peccasse mortaliter, nec indiguisse hoc Sacramento : ante Pentecosten autem non obligasse hoc præceptum, & consentit Aversa suprà. Denique obligatur etiam Papa, uti rectè Suar. Lugo *à n.* 142. Aversa. Gorm. *n.* 27. præceptum enim quoad substantiam est divinum, & quamvis esset Ecclesiasticum tantùm, adhuc teneretur quoad vim directivam saltem sub veniali, secundùm dicta *l. 1. n.* 665.

2026 §. . . J. Sanch. *d. 51, n* 31. Castrop. Diana. Burgh. *cent. 2. cas.* 24. putant pueros ante septennium non obligari hoc præcepto, quia leges positivæ sunt tantùm de communiter contingentibus, *l. Nam. ad ea, ff. de legibus*, communiter autem non contingit, ut pueri ante septennium habeant plenum usum rationis, quem leges positivæ supponunt in illo, quem obligant. Oppositum videtur probabilius, cùm enim Concilia præceptum non referant ad ætatem sed ad annos discretionis, id est, ad plenum usum rationis, si malitia superet ætatem & pueri ante septennium peccent mortaliter, æquè obligabuntur atque alii.

2027 §. 4. In dubio, an puer habeat plenum usum rationis, Tamb. *De commun. c. 4. n. 19* dicit non teneri hoc præcepto confessionis, tum quia possessio est pro ipsius libertate contra legem, tum etiam quia lex est de confessione absoluta, id est, de confessione mortalis certi, quale non potest afferre talis puer, sed Castrop. & Bosco *n.* 38. rectè dicunt post septennium obligari, quia tum præsumitur plenus usus rationis, ergo lex est in possessione lex autem præcipit confessionem, abstrahendo an absoluta an conditionata sequatur absolutio. Neque verum est quòd lex sit tantum de confessione mortalis certi, nam secundùm dicta *à n.* 605. etiam est obligatio confitendi dubia.

2028 *Q. 302. Cui facienda sit confessio annua ?* R. §. 1. Ut satisfiat, debet confessio fieri proprio Sacerdoti, id est, habenti potestatem absolvendi hunc pœnitentem & ad hoc approbatio. Nec sufficit, quòd sit Regularis, qui pro approbatione se præsentarit Episcopo fuerit que dignus approbatione & injustè sit repulsus, uti constat ex hac 13. prop. ab Alex. VII. damnata: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Quamvis enim Episcopus sic rejiciens peccet, non ideò Regularis evadit approbatus.

2029 §. 2. Quamvis fuerit aliquando obligatio annuè confitendi proprio Parocho, tamen nunc certò satisfaciunt qui confitentur Regularibus privilegiatis, ut satis ostendit Busemb. *relatus n.* 2002. & patet ex Bulla 22. Leonis X. *Dum intra mentis arcana* §. 6. Pauli III. 48. *Licèt debitum.* Item ex constitutione Joannis XXII. *in Extrav. Vas electionis, De hæreticis* Benedicti XI. *in Extrav. Inter cunctas, de Privilegiis:* Clem. VIII *Significatum fuit nobis*, apud Platel. *n.* 378. Possuntque videri Azor. *l. 13. c. 2 q. 2.* & Suar *d. 86 s. 2* qui pluribus id probant. Quamvis autem ordinariè non teneatur Parochus per seipsum audire subditum, sed satis sit remittere ad delegatum, uti cum communi Aversa *q. 16. s. 11.* tamen si quis pro annua confessione vel in articulo mortis confiteri vellet ipsimet Parocho, Possev. Dian. Aversa. dicunt tum fortè obligari per seipsum audire. Vide dicta *l. 6. p. 1. à n.* 133.

§. 3. Si quis confessus alia mortalia omiserit re- 2030
servatum, quia hic Confessarius non habebat potestatem ad reservata, putat Bosco *n.* 125. iterum teneri isto anno confiteri, quia non est confessus proprio Sacerdoti ; proprius enim erat ille tantùm, qui posset ab omnibus directè absolvere Contradicit probabiliter Herings, quia ille erat proprius respectu omnium, quæ hìc & nunc debebant exprimi : & ex opposita sententia sequeretur eum, qui toto anno non posset recurrere ad Superiorem toto anno non teneri confiteri, non enim tenetur ad confessionem, per quam non satisfit.

§ 4. Si S. Petrus assumpto corpore me confiten- 2031
tem audiret & absolveret, absolutio censeri deberet valida, non enim fiet, nisi Deus velit eum esse extraordinarium Ministrum hujus Sacramenti, qualem posse esse Angelos & Beatos certum est cum S. Thom. *3. p. q. 64. a. 7.* Putat tamen Lugo *in Resp. mor. l. 1. dub. 16.* non fore satisfactum præcepto confessionis annuæ, tum quia non fuissem confessus Sacerdoti proprio, tum etiam quia non subjecissem peccata mea clavibus Ecclesiæ, quas jam non habet S. Petrus, sed Papa ejus successor.

Q. 303. Qualis debeat esse confessio, ut satisfiat huic 2032
præc pto? R. §. 1. Per confessionem voluntariè nullam non satisfit nequidem Ecclesiæ præcepto, hinc Alex. VII. meritò damnavit hanc prop. 14. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Ratio est quia confessio nulla sive invalida reipsa non est confessio, super quam possit cadere absolutio, ergo idem est, ac si nihil fiat, nihil autem faciendo non satisfit præcepto positivo : unde opinio multorum apud Moyam *l. 1. q. 8. n. 21.* qui docuerunt oppositum, nunquam fuit probabilis.

§. 2. Nec satisfit per confessionem quamvis in- 2033
voluntariè nullam, quia simpliciter & verè non est confessio, ergo nequidem ponitur substantia præcepti, Platel. *n.* 744.

§. 3. Probabilius est sufficere validam & infor- 2034
mem, Suar. Valent. Bonac. Lugo, Castr. Arr. Dic. Illsc. *n.* 16 Bosco *n.* 74. dicens non esse dubitandum. *Nec obstat*, quòd per Communionem etiam materialiter tantùm sacrilegam non satisfiat præcepto Communionis annuæ, uti dictum est *l. 6. p. 1. n.* 629. *nam* disparitas est, quòd Communio materialiter tantùm sacrilega, si ante consumptas species non removeatur obex gratiæ, sit & maneat omninò infructuosa, ideóque non attingatur finis præcepti. E contrà confessio valida suo tempore reviviscit & prodest, quando per contritionem vel per subsequens Sacramentum removetur obex. *Dixi*, probabilius, nam etiam probabiliter contradicunt alii cum Aversa *q. 15. s. 6.* & Platel. *n.* 745. quia finis præcepti est, hìc & nunc recuperare gratiam, maximè in articulo mortis & ante Communionem, ut sic consulatur partim saluti pœnitentis, partim reverentiæ Sacramenti Eucharistiæ

§ 4. Si Sacerdos etiam injustè noluisset aliquem 2035
confessum absolvere, non ideò hic satisfeciisset præ-

cepto :

cepto : nam per confessionem hìc intelligitur Sacramentum Pœnitentiæ, sive talis confessio, quam sequatur valida absolutio, *Dur. Sot. Med. Nav. Suar. Vasq. Sal. Laym. Castr.* aliique cum *Avers.* suprà contra *Palud. Gabr. Vict. Sylv. Con.* quod probabile reputant Fagund. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 79. quamvis oppositum teneatur probabilius. Addit tamen Bosco *n.* 78. fortè excusandum, si anno sequente posset ab eodem Sacerdote accipere absolutionem, ne cogatur duobus eadem peccata aperire, quod videtur nimis molestum.

2036 *Q.* 304. *Quorum peccatorum confessio sit materia necessaria hujus præcepti* ? R. Mortalia per absolutionem remissa & etiam sola venialia esse materiam sufficientem confessionis dixi *à n* 589. *& à* 593. Mortalia autem omnia post Baptismum commissa & nunquam directè subjecta absolutioni esse materiam necessariam dixi *num.* 595. Quod *à n.* 605. extendi etiam ad peccata negativè dubia. Item *à n.* 615. dixi, ad quid teneatur, qui confessus est mortale certum tanquam dubium, vel contra : quibus suppositis addo seqq.

2037 §. 1. Habens peccata tantùm interna tenetur hoc præcepto, non tantùm prout divinum est, sed etiam prout Ecclesiasticum, itaut oppositum *Suar.* vocet plus quàm temerarium, quamvis Dicast. *d.* 7. *à n* 82. conetur defendere. Ratio est, quia Ecclesia directè præcipit actum externum confessionis, ad quem præcipiendum authoritatem habet à Christo, ergo indirectè saltem obligat etiam ad confitendum peccatum internum, si aliud non adsit.

2038 §. 2. Si quis habeat tantùm venialia, S. Bonav Alex. Ric. Nug. Rhod. aliique apud Avers. *q.* 15. *s.* 3. dicunt nihilominus esse obligationem isto anno confitendi, quia Ecclesia præcipit absolutè confessionem, ergo si non habeat mortalia tenebitur ad confitenda venialia: & hanc sententiam vocat probabilem Gob *in Exp. t.* 4. *à num.* 230. sed probabiliùs tenent oppositum *Suar. Vasq. Lugo, Castrop. Arr. Dicast. Gorm. Tamb.* aliique plurimi cum *Avers.* suprà & colligitur ex Florentino ac Tridentino, nam dicunt esse præceptum confitendi omnia peccata, ergo non loquuntur de venialibus, nam Trid. *sess.* 14. *de Pœn. c.* 5. dicit non esse præceptum confitendi venialia : & idem est de mortalibus antehac ritè confessis, sunt enim materia adhuc magis libera. Putant tamen Lugo *d.* 15. *n.* 133. Castrop. Gorm. *n.* 30. eum, qui nollet confiteri, quia haberet sola venialia, nihilominus teneri se sistere Parocho & illi hunc conscientiæ suæ statum declarare, ut sciat, cur parochianus suus præceptum illud non impleat. Estque absolutè melius confiteri venialia, ut ab his detur directa absolutio, à mortalibus autem, si adsint, indirecta, vix enim fiet, ut qui toto anno confessionem omittit, non peccet mortaliter, quamvis postea non recordetur, uti cum Lugo & aliis notat Steph. *t.* 5. *d.* 5. *n.* 237.

2039 §. 3. Habens unicum mortale, à quo hoc anno confitendo excusatur, v. g. ob periculum gravis damni, secundùm Suar. & Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 125. non tenetur confiteri de venialibus, quia cùm confessio peccati mortalis hìc & nunc sit moraliter impossibilis, hoc præceptum, quod est de solis mortalibus confitendis, hìc & nunc non obligat.

2040 §. 4. Qui omni die anni confessus est venialia, si die anni ultima peccet mortaliter vel recordetur mortalis non confessi, tenetur ultima illa die confiteri, quia necdum satisfecerat præcepto, cùm confessio venialium non sit materia præcepti, Vasq. Regin Laym. Bonac. Lugo, Arr. Avers. *q.* 15. *s.* 5 & certum esse dicit *Castrop.* quamvis contradicant aliqui cùm *Rhod.* Ille tamen satisfecit, qui mortale anno præcedente commissum & per oblivionem omissum hoc anno confessus est, quia licèt remissum esset indirectè, adhuc tamen erat materia necessaria hujus confessionis.

§. 5. Qui per annum saltem semel confessus est 2041 mortale dubium eum venialibus, satisfecit, nec tenetur iterum confiteri, quamvis postea incidat in mortale certum, Lugo *n.* 169. Dic. *n.* 134. quia erat obligatio confitendi illud dubium, ergo posuit materiam præcepti. Si solum peccatum dubium confessus esset, Lug. *n.* 171. Dic. Arr. *d.* 52. *n.* 61. adhuc dicunt satisfeciisse, sed probabile est oppositum, quia si illud peccatum dubium non fuit verè peccatum, absolutio fuit nulla, nec Sacramentum reipsa susceptum est, ergo nec est certus se esse validè confessum; lex autem est de confessione, quam sequatur valida absolutio, & quæ sit verum Sacramentum, quæ lex est in certa possessione, & cui non videtur satisfactum per solutionem ita incertam. Et ob hanc rationem universaliter verum est, quòd ille, qui scit se hoc anno habuisse mortale, & prudenter dubitat, an hoc anno unquam sit validè confessus, adhuc teneatur confiteri.

Q. 305. *Quando, & an etiam sapiùs in anno fieri de-* 2042 *beat confessio mortalium, ut satisfiat huic præcepto* ? R. §. 1. Probabilius est cum Sot. Vict. Henriq. Sà, Vasq. Valent. Con. Laym. Bonac. Fill. Castrop. Lugo, Dicast. Arr. Tamb. Bosco, Gorm. contra P. Sot. Suar. Fagund. & alios, obligationem confitendi annuè non esse alligatam tempori paschali, nam Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 5. morem tempore quadragesimali confitendi solummodò laudat velut pium & meritò retinendum: *Can. autem* 8. damnat eos, qui dicunt, vel non esse obligationem confitendi semel in anno, vel esse suadendum, ut confessio non fiat tempore quadragesimæ; ergo manifestè innuit tempus pro obligatione esse annum, pro consilio autem esse quadragesimæ. Similiter *Concil. Lateran.* præcipiens Communionem in paschate & confessionem saltem semel in anno, satis significat tempus præcepti pro confessione esse totum annum. Consequentia fuit, quia hæc confessio præcipitur ex suppositione culpæ mortalis, quæ cùm possit committi omni tempore anni, expediebat confessionem non alligari certo tempori, ne occasio daretur eam nimiùm differendi usque ad illud determinatum tempus. *Nec obstat*, quòd *in Extrav. Vices* De Tregua & pace, dicatur parochianos de jure teneri saltem semel in paschate proprio Sacerdoti confiteri, *nam* legenti contextum patet mentem Pontificis fuisse tantùm dicere, quòd saltem semel in anno debeat parochianus recognoscere parochum; quod si aliàs non fecerit, debeat in paschate, de quo ideò specialiter meminit, quia tum solent omnes confiteri, & qui est in mortali, per accidens tenetur ratione Communionis.

§. 2. Annum pro implendo hoc præcepto nu- 2043 merant à paschate ad paschа Sot. Nav. Suar Con. Laym. Bonac. Fagund. Arr. Avers. *sect.* 5 quia sic interpretatur usus fidelium. E contrà Vasq. Nugn. Sylv. Castrop. Lug. Rhod. Dicast. Gorm. Bosco *d.* 7. *s.* 6. *n.* 132. numerant à 1. *Januarii* ad ultimam Decembris, quia nomine *anni* per præceptum expressi in communi acceptione intelligitur, quod 1. Januarii decurritur usque ad ult. Dec. Alii numerant à primo peccato mortali post confessionem. Alii ab ultima confessione. Alii à principio usus rationis, sed has sententias rectè confutant Lugo *d.* 15. *à n.* 154. & Bosco *à n.* 139. Quamvis autem numeres à paschate ad paschа, nihil refert, quod confessio aliquando differatur ad 13. menses, & aliquando bis fieri debeat intra 11. menses, eò quòd Paschа possit hoc anno venire maturiùs & sequente seriùs, vel contrà; nam idem fit in Communione, & totum illud tempus adhuc est

unus annus Ecclesiasticus, atque sic semel confitetur omni anno. Similiter qui numerant à 1. Januar. ad ult. Dec. communiter dicunt cum Castrop. Lugo, Dicast. *d.* 7. *n.* 129. Gorm. *n.* 68. satisfacturum huic præcepto, qui confiteretur hoc anno 1. Jan. & sequente anno ult. Dec. quamvis inter illas confessiones intercederent duo anni, quia adhuc verum esset, quòd semel omni anno esset confessus. Alii cum Sporer *n.* 533. contradicunt in hoc, quia non attingitur finis præcepti, qui est reconciliatio cum Deo non nimiùm dilata: sed respondet Dicast. *n.* 186. quamvis hic sit finis Ecclesiæ, tamen pro illo obtinendo non præcipit adhiberi alium medium præter confessionem omni anno semel, quæ ponitur.

2044 §. 3. Quò quis diutiùs differt confessionem ultra annum, probabilius est eò gravius peccare, quia longiùs recedit ab intentione præcepti: dilationem tamen illam esse unicum peccatum continuatum dicunt Valent. Con. Nugn. Laym. Dian. & alii cum Avers. E contra Bonac. Sit esse tot peccata quot occasiones negliguntur; & certum est, si aliquando retractasset priorem voluntatem, jam volendo confiteri, & posteà iterum noluisset, tum multiplicandum numerum.

2045 §. 4. Qui prævidet se posteà impediendum, quominus isto anno confiteatur mortalia vel reservata habenti potestatem absolvendi, tenetur prævenire, sicuti qui serò non poterit audire Missam, tenetur audire maturè; qui à prandio non poterit orare Horas, tenetur manè, quia tum adest præceptum & impleri potest, ergo debet, Suar. Vasq. Henriq. Con. Regin. Bonac. Laym. Castrop. Rhod. Gorm. Avers. Bosco, Arr. dicens esse clarissimum; est autem contra De Lacrux apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 69. Putat tamen probabilius Dicast. *à n.* 184. contra alios non teneri hoc anno anticipare pro anno sequenti, nam obligatio anni sequentis nondum adest; ergo nunc non posset satisfieri præcepto respicienti annum seq.

2046 §. 5. Si quis priori anno non sit confessus, S. Anton. Sylv. Tabie. Valent. & alii dicunt non obligari sub initium hujus anni, quam sententiam Dian. Fill. Tambur. vocant probabilem, Dicast. *n.* 146. probabilissimam, quia obligatio confitendi videtur alligata illi anno, uti obligatio Horarum est alligata tali diei, cum quo obligatio desinit. E contrà Sot. Nav. Med. Victor. Suar. Vasq. Con. Castrop. Rhod. Arr. Bosco, Gorm. Lug. aliique cum Avers. *q.* 15 *s.* 5. probabiliùs dicunt nunc statim obligari, quia annus erat ad urgendam executionem, ne nimium differretur, non ad terminandam obligationem, uti etiam dixi l. 6. p. 1. n. 644. de Communione paschali, ideóque Dicast. hanc sententiam etiam vocat probabilissimam. Ratio autem est, quia non cessat finis præcepti, qui est reconciliatio cum Deo, uti è contrà cessat finis præcepti, si quis heri non oraverit Horas, nam finis erat bona occupatio Clerici pro ista die.

2047 §. 6. Qui multis annis non est confessus, confitendo hodie satisfacit pro omnibus annis præteritis, quantùm nunc satisfieri potest, quia per unam illam confessionem obtinet finem præcepti, qui est reconciliatio cum Deo per confessionem omnium mortalium eousque commissorum: & quamvis confiteretur sæpiùs, non obtineret alterum finem, qui erat non differre confessionem ultra annum, quod nunc est impossibile, Avers. Bosco *à n.* 154. Gorm. *n.* 68. Si tamen adhuc ante finem hujus anni relaberetur in mortale, Suar. Nugn. Con. Hurt. Fill. Bonac. Laym. Avers. Sporer *à n.* 531. probabiliùs dicunt fore obligatum ad iterum confiteri hoc anno, maximè si prior confessio facta est sub initium anni, quia hæc confessio censeretur fuisse pro præterito anno, cujus obligatio necdum erat sublata: jam autem adveniret nova obligatio per novum peccatum; sicuti si quis ex pœnitentia à Confessario injuncta obligatus jejunare semel omni mense hujus anni, si hoc mense omittat, tenetur sequenti mense bis; probatque fusè Cresp. à Borgia *in select. q.* 12. non posse per unam confessionem satisfieri pro pluribus annis, quando adhuc satisfieri potest per plures: E contrà Castrop. Lug. *n.* 180. Dicast. *n.* 142. Bosco *à n.* 145. Gorm. *n.* 36. dicunt etiam fore satisfactum pro hoc anno, quod probabile esse agnoscunt Con. & Bonac. quia confessus est hoc anno semel; plus autem non requirit præceptum.

§. 7. Qui confessus est aliquod mortale, 2048
& aliud omisit ex oblivione; non ideò tenetur eo anno iterum confiteri, quia tantùm præcipitur confessio mortalium memoriæ occurrentium, & aliàs fieri posset, ut decies tenereris confiteri, si decies recordareris novi mortalis, Suar. Con. Fag. Bonac. Fill. Lug. Avers. Dicast. Tamb. Dian. *R.* 124. Bosco *à nu.* 120. & certum esse dicit Castrop. *t.* 23. *p.* 20. *§.* 3. *n.* 2. contra Med. Sot. Henriq. Si autem scienter aliquod mortale omisisset, sed ex justa causa, putant Arr. Gorm. *n.* 29. tum saltem fore obligationem intra istum annum hoc mortale confitendi, quia non est confessus mortalia, quæ occurrebant memoriæ. Addit Corduba esse obligationem *quamprimùm* confitendi, sed Lugo *nu.* 166. dicit Cordubam carere fundamento, satis enim esse saltem intra istum annum confiteri; docetque præterea idem Lugo cum Suar. Avers. Con. Dic. *n.* 138. Bosco *à n.* 123. nequidem opus esse ideò confiteri iterum intra istum annum, quia jam semel confessus est, quantùm hic & nunc tenebatur; ergo satisfecit præcepto. Si tamen confessus esset alicui non habenti potestatem absolvendi à mortalibus, fatentur Lugo *n.* 168. Avers. suprà, Dicast. *n.* 137. teneri intra istum annum sua mortalia confiteri habenti potestatem: quia Ecclesia præcipit confiteri sua mortalia proprio Sacerdoti, id est, habenti potestatem in mortalia, quam non habuisset ille prior Sacerdos.

§ 8. Si quis post confessionem mortalium, 2049
quæ eousque fecerat, eo anno incidat in novum mortale, Sot. Med. Suar. Henriquez & alii cum Avers. dicunt esse obligationem iterum confitendi, quia necdum est confessus omnia mortalia eo anno commissa, sed probabiliùs negant Vict. Con. Regin. Laym. Bec. Hurt. Dian. Arr. Castrop. *n.* 3. Dicast. *n.* 133. Bosco *n.* 115. Gorm. *n.* 28. quia tantùm præcipitur una confessio omnium mortalium tum memoriæ occurrentium, quæ facta est: & hanc sententiam certam esse dicit Lugo *n.* 164. aliàs fieri posset, ut quis decies teneretur confiteri, si statim confiteretur commissum, & toties relaberetur.

Q. 306. *Quid excuset ab hoc præcepto confessionis* 2050
annuæ? R. §. 1. Excusat impotentia physica & moralis, & modo, quo à n. 1140. dictum est similes impotentias excusare à præcepto confessionis materialiter integræ: item sicuti l. 6. p. 1. n. 511. & à n. 533. dictum est similes impotentias excusare à præcepto confessionis ante Communionem.

§. 2. Dixi n. 1190. eum, qui confiteri non 2051
potest nisi per interpretem, non teneri præcepto confessionis annuæ: attamen videri esse obligationem sic confitendi in articulo mortis. Addidi n. 1194. si quis confiteri non possit nisi ex scripto, ad hoc teneri, si non sit morale periculum manifestationis.

§. 3. Qui non potest confiteri, non ideò vi 2052
hujus præcepti tenetur illo anno confiteri, quia neque lex naturalis, neque divina, neque humana præcipit contritionem omni determinatè anno sed confessionem, Con. *d.* 3. *n.* 22. *Nec obstat*, quod contritio sit pars confessionis, qui autem non potest totum, tenetur ad partem quam potest: *nam* præterquam quòd contritio non sit pars necessaria confessionis,

onis, cùm attritio sufficiat, adhuc tamen axioma illud tantùm valet, quando totum constat partibus ejusdem rationis, itaut ponendo partem attingat hoc quod est totum secundùm substantiam, v. g. qui vovit 8. diebus jejunare, si non possit 8. sed possit 4. tenetur ad 4 quia semper ponet substantiam jejunii, quod est res ex voto debita. E contrà si totum non constet partibus ejusdem rationis, non ideò tenetur ad partem, hinc qui vovit statum religiosum, si non possit servare castitatem, non ideò tenetur ad paupertatem & obedientiam, quia per hoc non habebit substantiam status religiosi, qui erat res ex voto debita.

2053 *Q.* 307. *Quas pœnas incurrat non confitens semel in anno?* R. Incurrit pœnam, ut vivus arceatur ab ingressu Ecclesiæ, mortuus autem careat Ecclesiastica sepultura, uti habetur in *c. Omnis utriusque sexus, de Pœn. & remiss.* Neque requiritur, ut neglexerit utrumque præceptum, Confessionis & Communionis, sed satis est, si non impleverit utrumque sive si alterutrum neglexerit, uti cum communi Suar. *d.* 36. *s.* 5. Hæ tamen pœnæ non incurruntur ipso facto sed sunt ferendæ per Superiorem Ecclesiasticum sententiæ.

2054 *Q.* 308. *Quis sit tenor Bullæ Cœnæ?* R. Ratione reservationis multorum casuum dixi aliqua de Bulla Cœnæ à n. 1609. quam existimo hoc loco opportune addi: Hic autem est ejus tenor.

BULLA CŒNÆ.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia & solicitudo, cùm in omni Christianæ Reipublicæ pace & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimùm in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendam maximè elucet: Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei & agnitionis Dei Filii in virum perfectum, neq; se in hujus vitæ societate & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potiùs in vinculo charitatis conjuncti, tamquam unius corporis membra sub CHRISTO capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt: Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & justitiam, Deo authore, tueri, vetustum & solemnem hunc morem sequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, authoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscunque Hussitas, Vvicklephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos quocunque nomine censeantur, & cujuscunque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresin continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate nostra & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnon schismaticos, & eosqui se à nostra, & Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Universitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore, appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario usque ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

§. 4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis vel quomodocunque naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in Mari, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cujusque Maris regionibus, & littoribus, surripuerint; itaut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

§ 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquàm in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§ 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis signatarum, necnon falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes Supplicationes hujusmodi sub nomine Rom. Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos per nostras, sive hujus sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, calybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, cannabem, funes, tam ex ipso cannabe, quàm alia quacunque materia, & ipsam materiam aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant; necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reip. concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, quibus is pers. Christis, Principibus R. bus p. per nos, & Sedem prædictam hactenùs concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad [illegible] Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos qui, ne ad Rom. Curiam adducant, prohibent, impediunt, seu perturbant, vel aff[illegible] seu hæ[illegible] scientes defendunt, per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis,

onis & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent; necnon illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem cauſa devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis ejicientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas, quaſcunque, vel ſæculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, advocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur cujuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, cujuſcunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum etiam in forma Brevis tam gratiam, quàm juſtitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum, à nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis Nuntiis, Præſidentibus, Palatii noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi, admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi litterarum & proceſſuum executione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & ſubexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, quive aliàs quibuſcunque perſonis, genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios, authoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonam, capitula, conventus, collegia, cauſas pias proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Judices interponunt; Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum, vel aliàs, compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, uti dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conciliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii ordinarii vel extraordinarii quorumcunq; Principum ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæſito colore: Necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

§. 16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Judices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè, carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon conſanguineos & affines, aut aliàs impediunt quominùs ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcunque utantur, ſecundùm

dùm quod Canones,& sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt; & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pænalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis, speciali, & expressa licentia, imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus, recipiunt: Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quàm Consiliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus,& anathematizamus omnes,& quoscunque Magistratus & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quiq; hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus,& anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore invadere destruere, occupare, ac detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ; Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulphorum, Civitatesque nostras Bononiam, Cæsænam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè, subjecta, necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

§. 21. Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his litteris contenta, quousq; alii hujusmodi processus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.

§. 22. Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandaris, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quorumvis facultarum, & indultorum quibuscunque Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§. 23. Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos, spiritualiter & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

§. 24. Declarantes,ac protestantes quamcunque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito ulteriùs similia non committendi, destiterint. Ac quoad eos qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præmittitur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apostolicæ ac S.R.E. undecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

§. 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint; etiamsi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate: vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa,

causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, *locis*, nominibus propriis, cognominibus, & *dignitatibus* eorum, mentionem, necnon *consuetudinibus*, etiam immemorabilibus, ac præ*scriptionibus* quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominùs includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 26. Ut verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, cartas, seu membranas processus ipsos continentes valvis Ecclesiæ S. Joannis Later. & Basilicæ Principis Apost. de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quòd ad ipsos non pervenerunt, aut quòd ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare; cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, & præsentes litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quò in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, cùm in eis major populi multitudo ad divina convenerint, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

§. 28. Cæterùm Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ubique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, & quorumvis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones, quavis authoritate deputati, transumptum præsentium Litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

§. 29. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam expressis, Notarii publici manu scriptis, & sigillo Judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 30. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei; ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Q. 309. Quænam Decreta circa materias hactenùs tractatas emanarint à S. Congreg. Rituum? R. Sequentia 361. sunt mihi communicata.

DECRETA

Sacræ Congregationis Rituum. 2055

1 COnsecrator Ecclesiæ potest in actu consecrationis statuere aliam diem pro anniversario ejusdem consecrationis. 19. Februarii 1585. ante instituram Congregationem sacrorum Rituum.

2. Dedicationis festum extra actum consecrationis non potest ampliùs mutari ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica. 16. Octobris 1604.

3. Si Ecclesiæ dedicatio occurrat in festo Nativitatis B. V. Mariæ, fiat de ea: Missæ duæ cantentur, & infra Octavam fiat de digniori 16. Oct. 1604.

4. Dedicatio Ecclesiæ cathedralis celebranda quidem est in Diœcesi sub ritu duplici primæ classis, sed sine Octava 2. Maii 1619.

5. Regulares tenentur quidem celebrare festum de dedicatione Ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis sine octava. 8. Apr. 1662.

6. Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici primæ classis cum octava festum de dedicatione, & de titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. 3. Junii 1681.

7. Eucharistia in festo Corporis Christi non est deferenda per vias Hebræorum 22. Febr. 1693.

8. In festo SS. Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari sermone. 21 Martii 1609.

9. In festo Corporis Christi non est deferenda in processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus. 2. Junii 1618.

10. In festo Corporis Christi deferatur Eucharistia à celebrante, & in vesperis diei Octavæ, si fiat processio, deferatur ab eo, qui cantavit vesperas, modò saltem sit Canonicus in Collegiatis. 12. Junii 1627.

11. Si Episcopus in festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tamen induant sacras vestes 17 Mar. 1628.

12. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in altari exposito, capite tecto 16. Febr. 1630.

13. Non convenit, quod prima dignitas celebret Missam ante processionem SS. Sacramenti: & deinde altera dignitas minor gestet illud in processione. 31. Junii 1632.

14. Si festum SS. Corporis Christi inciderit in vigiliam S. Joannis Baptistæ, jejunium celebretur in Feria quarta proximè præcedenti: de vigilia verò nihil eo anno fiat. 24. Sept. 1638.

15. Infra octavam SS. Corporis Christi, non est agendum de officiis translatis ritu duplici primæ classis non decoratis: ideóque si festum S. Antonii Patavini, quod apud Franciscanos celebratur sub ritu duplici secundæ classis, inciderit in prædictum festum de SS. Corpore Christi, transferatur post Octavam. 12. Junii 1664.

16. Recitantes ex legitima concessione officium de SS. Corpore Christi in feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præscribitur in die ejusdem solemnitatis: Missam verò celebrare de communi seu votivam. 12. Jul. 1664.

17. Ad ℣. *Panem de cœlo*, non additur *Alleluia*, nisi tempore Paschali, & infra Octavam Corporis Christi. 20. Jan. 1705.

18. In officio de die infra octavam SS. Corporis Christi non legitur nona lectio de festo simplici. Quòd si festum illud simplex occurrerit eo die, quo fit de festo duplici infra eandem octavam, tunc non

omit-

omittitur, sed legitur nona lectio de eodem simplici; dummodò festum illud non sit duplex primæ classis. 8. Junii 1669.

19. Infra Octavam SS. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ aut de Requiem. 21. Junii 1670.

20. Occurrentibus eadem die duobus festis duplicibus infra Octavam SS. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediatè sequenti non impedita, sed post Octavam, nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis. 7. Decemb. 1680.

21. In processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu, & transitu à latere ejusdem, debent facere genuflexionem, dummodò videant prædictum SS. Sacramentum. 1. Martii 1681.

22. In festo SS. Corporis Christi non est facienda processio cum Sacramento sine pluviali. 22. Jan. 1701.

23. In Tabernaculo, ubi asservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ, nec vasa sacrorum oleorum, nec aliud. 22. Febr. 1593.

24. Tabernaculum SS. Sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. 28. Novemb. 1594.

25. Ante ostiolum Tabernaculi SS. Eucharistiæ, in quo depicta vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum vel quid simile, sed collocandum in humiliori, & decentiori loco. 22 Jan. 1701.

26. Reliquiæ, quibus in Altaris consecratione utitur Episcopus, debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. 13. Sept. 1593.

27. Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur vel loco movetur repositorium Reliquiarum. 5. Martii 1603.

28. Vicario Episcopi Missam cantanti solemnem non ministrant Canonici: neque fit circulus ante ipsum 8. Martii 1595.

29. Episcopo absente non potest Vicar. Missas celebrare Conventuales, nec pontificales. 16. Maii 1600.

30. Absente Episcopo spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere & dirigere processiones cum consilio Capituli. 24. Augusti 1619.

31. Ad Horas omnes, quæ recitantur in choro ardeant in altari duæ saltem candelæ. 7. Aug. 1595.

32. Matutinum in cathedrali recitandum est manè, non autem vesperi pro die sequenti. 18. Oct. 1595.

33. Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est manè die secunda Nov. non verò pridie vesperi. 1. Sept. 1607.

34. Si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum feria sexta Parasceves, in feretro nigris velleribus contecto non potest absque graviori incommodo extirpari, est toleranda. 29. Martii 1596.

35. Tolerari non debet, quòd in locis publicis, & sordidis stent depictæ diversæ Cruces ac Sanctorum imagines in derisum Christianæ Religionis. 22. Maii 1596.

36. Non sunt consecranda ea Altaria, sub quibus recondita sunt Defunctorum cadavera. 8. Nov. 1599.

37. Si sub altari, vel sub ejus gradibus, humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda Missa, donec aliò transferantur. 10. Nov. 1599.

38. Corpora sanctorum nondum canonizatorum non possunt poni sub Altari 16. Oct. 1604.

39. Moniales completo officio possunt recitare aliquem psalmum, orationem vel collectam, quia hoc non est officio addere 12. Jan. 1600.

40. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum monasticum. 6 Maii 1624.

41. Moniales ipsæ tenentur legere vel cantare cantu firmo divinum officium, non verò earum Capellani. 11. Maii 1635.

42. Nomine processionum generalium comprehenduntur Rogationes. 12. Martii 1601.

43. Musica non decet in officio quadragesimali, præsertim cum instrumentis, & si est occasio alicujus scandali. 27. Martii 1601.

44. Sacerdoti Missam novam celebranti licet oblationes accipere, modò non discedat ab Altari. 1. Oct. 1611.

45. Dignitatibus hinc inde distributis in choro, incensentur eæ cum Canonicis ab una parte, deinde aliæ cum aliis Canonicis ab altera parte; non verò dignitates omnes simul ante omnes Canonicos. 7. Dec. 1601.

46. Archidiaconus sustinens baculum Episcopi thurificandus est post Diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo. 28. Aprilis 1607.

47. Assistens presbyter debet Episcopum thurificare ad sedem, quicumque ille sit, non verò Diaconus Evangelii. 19. Maii 1607.

48. Absente Episcopo thurificandus est celebrans triplici ductu. 30. Jan. 1616.

49. Finito Evangelio Missæ solemnis, cui assistit Episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non verò Episcopus 4. Aug. 1663.

50. Canonici in Dominicis singillatim aspergendi sunt aqua benedicta, non verò unico ictu in circulum. 20. Dec. 1601.

51. Non est impedienda devotio ad imagines sanctas, 17. Apr. 1602.

52. Canonici tenentur in choro psallere, aliàs non satisfaciunt obligationi suæ. 20. Apr. 1602.

53. Canonici debent cantare alta voce, sed non potest eos Episcopus cogere. 23. Nov. 1602.

54. Assistentia, quæ fit ad Missam, & vesperas, fiat cum pluviali. 3. Augusti 1602.

55. Qui assistit in choro Missæ conventuali, non potest portare pileolum per totum Canonem: in aliis verò divinis officiis uti potest 5. Nov. 1602.

56. Missa conventualis canenda est quotidie in Collegiatis, quarum Clerus est numerosus, & reditus non tenues. 14. Jan 1603.

57. Tenentur omninò Canonici ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. 28 Jan 1612.

58. Sub nomine festi novem lectionum venit etiam Dominica, ideóque non est feria prima: & si in ea occurrerit festum duplex, in cathedralibus, & collegiatis canendæ non sunt duæ Missæ 12. Martii 1618.

59. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicorum. 16. Maii 1626.

60. Ob Missam votivam seu pro defunctis non est omittenda Missa conventualis: neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum; salva semper Rubrica de Votivis assignatis singulis diebus in fine Missalis. 16. Januarii 1627.

61. Potest Episcopus cogere Canonicos, ut à Capellanis in quadragesima cantari faciant cum Diacono, & Subdiacono. 17 Julii 1627.

62. Abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die ultra Votivam seu pro defunctis. 28. Augusti 1628.

63. Si infra hebdomadam passionis occurrerint dies infra Octavam apud privilegiatos, tam in Missa conventuali de feria quàm in privatis de Octava, vel etiam de eadem feria, omittenda est tertia oratio Ecclesiæ vel pro pace. 22 Nov. 1659.

64. Licèt in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam Votivam de Beata Maria singulis diebus Sabbati, possit hic pius usus seu populorum devotio continuari etiam in

in Sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa conventualis. 2. Dec. 1684.

65. Sacerdos, qui celebrat Missam conventualem, in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo à choro cantatur symbolum prædictum. 17. Decemb. 1695.

66. Non est facienda Altaris thurificatio in Missa conventuali dierum solemnium, si absque cantu, & ministris celebretur. 22. Jan. 1701.

67. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, debent recitare Officium, quod in choro dicitur: & licèt extra Ecclesiam vel Diœcesin morentur, decet eos recitare officium proprium Ecclesiæ ipsorum. 8. Sept. 1602.

68. Clerici, licèt adscripti alicui Ecclesiæ, & ejusdem servitio, non tamen obligati choro, & quicunque alii Clerici sæculares Regulares, e in civitate vel Diœcesi commorantes, non tenentur recitare officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in choro. 8. Sept. 1602.

69. Episcopus Regularis debet officium recitare, juxta ritum suæ Diœcesis, non verò Regulæ, & occurrente festo Regulæ in festo Diœcesis, hoc erit præferendum. 11. Junii 1605.

70. Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. 11. Junii 1605.

71. Intra clausuram omninò prohiberi debet celebratio Missæ etiam ad communicandas infirmas, non obstante antiquissima consuetudine. 1. Dec. 1602.

72. Abusus antiqui in processionibus, tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. 13. Maii 1603.

73. Septimum candelabrum adhibeatur in Missis tantùm Episcopi solemnibus, sed non Defunctorum. 19. Maii 1607.

74. Anniversaria, & Missæ de Requiem, de certo die dici debent, eo impedito transferri possunt in sequentem. 19. Maii 1614.

75. In festo duplici non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ aut de Requiem. 5. Aug. 1662. quod intelligendum est etiam de festo duplici translato.

76. Non sunt transferendæ Missæ privatæ de Requiem, quæ ex benefactorum præscripto celebrandæ incidunt in festum duplex; sed dicendæ sunt de festo occurrente cum applicatione Sacrificii juxta mentem benefactorum. 5. August. 1662.

77. Anniversaria, & Missæ de Requiem, quæ ex dispositione testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies inciderit in festum duplex majus. 22. Nov. 1664.

78. Missæ de festo duplici celebratæ in altari animabus perpetuò privilegiato, & in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent Missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis juxta formam privilegiorum, 22. Jan. 1667.

79. Sacerdotes sive Capellani sive non, qui recitant officium semiduplex, simplex vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in qua fit de festo duplici, non debent dicere Missam de Requiem. 9. Junii 1668.

80. Decretum de quo suprà, n. 78. extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum sed ad septennium seu aliud brevius vel longius tempus: ac non omnibus sed aliquo vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus privilegiata, ac proinde Missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. 23. Sept. 1669.

81. Durante expositione SS. Sacramenti non potest regulariter celebrari Missa de Requiem: neque cantari pro adimplenda mente testatoris sive Anniversario satisfaciendo, licèt currat officium hujusmodi Missas admittens. 2 Dec. 1684.

82. Cùm primùm habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit Missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto, nam in hoc casu prædicta Missa erit differenda. 4. Maii 1686.

83. Decreta superiùs posita n. 78. & 80. licèt comprehendant tantùm festa duplicia, intelligenda tamen sunt etiam de Dominicis, de diebus infra Octav. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corp. Christi: & de omnibus aliis diebus, quibus juxta Rubricas non possunt celebrari Missæ Defunctorum. 2. Apr. 1688.

84. In Vigilia Epiphaniæ omninò prohibentur Missæ votivæ privatæ & de Requiem. 27. Aprilis. 1697.

85. Cineres distribuendi in feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ debent esse aridi, non verò in modum luti. 23. Maii 1603.

86. Si processio Litaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco, non verò de Rogationibus. 23. Maii 1603.

87. Vesperæ Defunctorum pro prima die mensis possunt dici post Vesperas Dominicæ vel festi. 23. Maii 1603.

88. Assistentes Episcopo, licèt minùs digni, præferuntur omnibus aliis, & ante dignitates thurificantur. 23. Maii 1603.

89. Non tenentur omnes Canonici associare Episcopum ab eo altari, in quo Missam planam celebravit, usque ad Sedem Episcopalem, si assistere voluerit Missæ conventuali 5. Julii 1603.

90. Consuetudo, ut dignitates, & Canonici, Mitram, Gremiale, Baculum, Thuribulum, & similia ministrent Episcopo, est servanda. 5. Julii 1603.

91. Episcopus non debet in Ecclesia salutare Canonicos aperiendo caput, sed benedicendo manu. 10. Jan. 1604.

92. Dignitates, quæ habent præbendas cum onere cantandi Evangelium seu Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus. 10. Jan. 1604.

93. Si Episcopus interesse voluerit Horis Canonicis, statuere debet certam adventus sui horam, qua elapsa poterit inchoari officium. 16. Jan. 1605.

94. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diaconos assistentes. 15. Mart. 1608.

95. Duorum Canonicorum assistentia semper convenit Episcopo, sive celebret ipse sive assistat divinis. 10. Maii 1608.

96. Dignitates tenentur associare Episcopum cum Canonicis ex debito, licèt cæremoniale Episcoporum nominet tantùm canonicos, ubi non adsit contraria consuetudo. 10. Januarii 1609.

97. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu prælatitio non chorali, licèt sit protonotarius. 6. Martii 1610.

98. Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicarium Generalem, & suntante ipsum thurificandi. 6. Mar. 1610.

99. Canonicus paratus debet habere locum etiam à Decano. 26. Junii 1610.

100. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo non debent sedere in sede cum postergali; sed in scamno oblongo tapete vel panno cooperto in latere Epistolæ. 19. Maii 1614.

101. Archidiaconus, si est prima dignitas, debet facere officium presbyteri assistentis: si est Sacerdos & recusans, cogendus est pœnis & censuris. 28. Maii 1616.

102. Prima Dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licèt sit unica. 12. Decemb. 1620.

103. Soli

103. Soli canonici debent facere consuetos circulos ante Episcopum, non autem Vicarius Generalis. 28. Septemb. 1634.

104. Licèt Episcopus non celebret sed tantùm assistat Missæ solemni; celebrans debet ad confessionem respondere Episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusivè, non verò simul cum illo dicere *In nomine Patris*. 4. Augusti 1663.

105. Ubi adest inveterata consuetudo recitandi in choro psalmos pœnitentiales in Feriis quintis quadragesimalibus post completorium, & psalmos graduales in Feriis tertiis ejusdem temporis, eodem loco retineri potest. 2. Augusti 1603.

106. Non est relinquendum Officium debitum pro Officio devotionis. 29. Novemb. 1603.

107. In Ecclesia collegiata exempta præsente uno Canonico cum Episcopo, & Abbate Collegiatæ ejusdem cum suis Canonicis, priùs incensetur Canonicus, deinde Abbas. 7. Februar. 1602.

108. In eodem palatio non conceditur nisi unum oratorium privatum. 4. Maii 1604.

109. Non potest Abbas extra suam Ecclesiam uti Mitra, & Baculo: neque ea ante se deferre. 17. Julii 1604.

110. Abbati celebranti unica tantùm Mitra conceditur. 29. Januarii 1628.

111. Missa solemnis Abbatialis ter in anno ad summum est canenda, non tamen cum septem, sed cum sex candelabris, & cum abaco parvo. 29. Jan. 1628.

112. Baldachinum Abbatis sine auro sit & ter in anno ad summum adhiberi potest. 29. Jan. 1628.

113. De licentia Ordinarii poterit Abbas uti Mitra, & Baculo extra proprias Ecclesias. 6. Dec. 1631.

114. Titulus antiquus Ecclesiæ mutari non potest à confraternitate. 26. Octobris 1604.

115. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commodè possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. 18. Januarii 1606.

116. Non potest Episcopus extendere ad suam Diœcesin Officium illud, quod fieri solet in civitate. 16. Januar. 1607.

117. *Gloria in excelsis* cum *Credo* omittitur in votivis pro re gravi, si violacea adhibeantur paramenta. 19. Maii 1607.

118. Res gravis pro licita Votivæ solemnis decantatione cum *Gloria* & *Credo*, ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, vel apud Regulares in eorum comitiis Generalibus seu Provincialibus, cùm cantatur Missa pro re eorundem judicio gravi. 19. Maii 1607.

119. Canonici Ecclesiæ collegiatæ non debent in processionibus incedere parati sicut Canonici cathedralis. 19. Maii 1607.

120. Cereus Paschalis regulariter accendendus est ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis servanda est locorum consuetudo. 19. Maii 1607.

121. Servanda est ea consuetudo, qua recitatur in choro Officium parvum B. Virginis Mariæ in semiduplicibus, & Dominicis, non obstante Bulla S. Pii. V. nam ibi dicitur: *sine præjudicio sanctæ consuetudinis*. 1. Sept. 1607.

122. Ad Invitatorium, Antiphonas, Responsoria, & Versiculos in officio parvo B. Mariæ V. non additur *Alleluia* tempore paschali. 18. Martii 1626.

123. Etiam mutato proprio Breviario, & Romano acceptato, retinenda est ea consuetudo recitandi quotidie Officium parvum B. V. Mariæ. 2. Jan. 1627.

124. In Ecclesiis titularibus B. Mariæ Virginis facienda est in suffragiis Commemoratio de eadem B. Maria, non obstante, quòd in choro recitetur ejusdem officium parvum. 13. Junii 1684.

125. Coadjutor Episcopi non sedet celebrans, nisi in faldistorio: neq; habet Diaconos assistentes, néque Canonici parantur, neque ponitur septimum candelabrum. 1. Sept. 1607.

126. Prædictus Episcopi Coadjutor non utitur Baculo nisi in ordinationibus. 1. Sept. 1607.

127. Coadjutor Episcopi celebrans præter Diaconum, & Subdiaconum, debet habere assistentem Canonicum pro libro. 7. Aug. 1627.

128. In altari privati Oratorii, cui conceditur celebratio Missæ, non potest tamen celebrari in Natali Domini, Epiphania, prima die Paschatis, & prima Pentecostes, Annuntiatione, Assumptione B. Virginis Mariæ, in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, nec in solemnitate omnium Sanctorum. 17. Nov. 1607. quibus adde sabbatum sanctum.

129. Ecclesia parochialis in Diœcesi venit sub nomine Matricis, antequam idcirco neque regulares, neque Confratriæ possunt Campanas pulsare in sabbato sancto. 9. Febr. 1608.

130. Etiam si Collegiata habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem, non tamen potest priùs pulsare Campanas in sabbato sancto. 23. Febr. 1619.

131. Simplex reconciliatio Ecclesiæ seu cæmeterii non consecrati potest committi presbytero in dignitate constituto. 9. Feb. 1608 Imo simplici Sacerdoti juxta Rituale Romanum.

132. Prima Dignitas det candelam Episcopo in festo Purificationis B. V. M. & Episcopus det statim primæ Dignitati ante Vicarium Gen. 14. Junii 1608.

133. Omnes de Clero etiam Canonici, Eucharistiam sumant de manu celebrantis in feria quinta in cæna Domini. 17. Sept. 1608.

134. Sacerdotes in die cænæ Dominicæ sanctissimum Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam, vel ante pectus ad formam crucis, vel à collo pendentem. 30. Sept. 1679.

135. Occurrente festo S. Josephi in feria quinta in cæna Domini, antiquus mos communis Cleri in Missa solemni ejusdem diei summa religione hactenùs retentus nullatenùs omittatur ob aliquarum celebrationem Missarum. 13. Sept. 1692.

136. Si festum S. Josephi venerit in feria quinta in cæna Domini, non solùm servandum erit præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi Missam, ideóq; per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ conventualis non desint. 13. Sept. 1692. Idem dicendum, si festum Annunciationis occurrerit in prædicta feria quinta.

137. In Choro teneri non debent aliæ Imagines quàm sanctorum. 7. Augusti 1609.

138. Neque Abbates neque Regularium superiores possunt benedicere paramenta ecclesiarum non sibi subditarum. 24. Augusti 1609.

139. Neque simplices sacerdotes, neque Proto-Notarii possunt benedicere proprias vestes. 17. Julii 1627.

140. Commendatario seu ejus Procuratori non defertur liber osculandus in Missa. 19. Sept. 1611.

141. Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Collegiatas antiquiores. 24. Martii 1612.

142. Inferiores Episcopo non debent sumere de Altari paramenta pro Missa. 7. Julii 1612.

143. Altare portatile ligneum cum Ara lapidea permitti debet non obstante Constitutione synodali, dummodo habeat solitum Reliquiarum repositorium.

torium. 1. Novembris 1612.

144. Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. 19. Jan. 1614.

145. Potest Episcopus prohibere, ne campanæ nondum benedictæ pulsentur. 5. Julii 1614.

146. Non debent Regulares in Canone nominare superiores suos ut Antistites. 12. Novemb. 1615.

147. Regularium superiores non veniunt sub nomine Ordinariorum: & consequenter non possunt assignare aliquam ex Dominicis Nov. pro recitatione Officii de patrocinio B. V. M. quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die dominico illius mensis à locorum Ordinariis eligendo. 22. Jan. 1701.

148. Clavis hostiæ repositæ in feria quinta cænæ dominicæ non est danda laico, quantumvis nobili. 30. Jan. 1616.

149. Canonicus hebdomadarius officium faciens debet habere locum sup. omnes Dignitates, & Canonicos. 17. Jun. 1626.

150. Prima Sedes in choro conceditur Hebdomadario parato tantùm. 22. Augusti 1626.

151. Crux in processionibus deferenda est à Regularibus cum velo pendente seu pallio. 14. Jan. 1617.

152. In Personarum incensatione tota thurificatio facienda est cum unico thuribulo, si talis sit consuetudo. 21. Julii 1618.

153. Collegiata simplex præcedit parochiales, etiamsi antequàm erigeretur, illis cederet. 23. Mart. 1619.

154. Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt Canonicos collegiatæ. 10. Aug. 1619.

155. Prior collegiatæ, si interfit in cathedrali, thurificandus est duplici ductu, sicut Dignitates & Canonici, licèt non habeat præcedentiam super illos. 19. Aug. 1619.

156. Potest Episcopus cogere Canonicos ad discendum cantum Gregorianum, etiam per subtractionem fructuum. 6. Maii 1620.

157. Regulares in celebratione Missæ possunt annunciare dies festos, jejunia in suis Ecclesiis. 2. Julii 1602.

158. In oratione, *A cunctis*, nomina Patronorum, S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptistæ præponenda sunt Apostolis. 22. Aug. 1620.

159. Si in communibus Sanctorum suffragiis facienda sit commemoratio de Cruce tanquam de titulo Ecclesiæ, sufficiet ea ordinaria, quæ habetur in psalterio, quando scilicet Officium currat feriale. 30. Martii 1621.

160. In feria sexta in Parasceve non est administranda Eucharistia nisi infirmis. 19. Febr. 1622.

161. Celebrans in Parasceve mittat particulam in Calicem: neque se signet cum Calice. 28. Aug. 1627.

162. In Officio de festo Conceptionis B. Mariæ Virginis non aliud nomen adhibeatur quàm Conceptionis. 24. Maii 1622.

163. Rubricæ de *Ave Regina cœlorum*, additum est ly *inclusivè*: ideóque in fine completorii diei secundæ Februarii omissa Antiphona finali, *Alma Redemptoris*, dicenda est *Ave Regina cœlorum*. 27. Julii 1624.

164. Licèt transferatur festum Purificationis B. Virginis Mariæ, attamen *Ave Regina cœlorum* dicenda est die secunda Febr. post completorium etiam in Ecclesia propria. 11. Januarii 1681.

165. Regulares Ordinis Minimorum, dum nominant in Orationibus, versiculis, cæterisque actibus inter divina Officia occurrentibus, S. Franciscum prædicti Ordinis Fundatorem, non debent adjungere ly *de Paula*. 23. Decemb. 1624. Unde apparet quid in similibus sit faciendum.

166. Symbolum S. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabiliùs in choro recitatur stando. 23. Dec. 1624.

167. Imagines illorum, qui cum sanctitatis seu Martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in oratoriis vel Ecclesiis tam sæcularibus quàm regularibus, antequàm declarentur Beati: neque ad eorum sepulchra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis Apost. 13. Martii 1625.

168. Non ideò præjudicandum erit in aliquo illis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii coluntur. 13. Martii 1625.

169. Facultas concedendi usum pileoli in Missa spectat ad Papam. 14. Aprilis 1626.

170. Celebrans, qui distribuit Cineres, Candelas, & Ramos, detecto capite distribuat. 18 Julii 1626.

171. Absente Episcopo benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis, fiant ab eo, qui cantaturus est Missam 12. Junii 1627.

172. Ille idem, qui benedicit Cineres, prima die quadragesimæ, vel Candelas in festo Purificationis, aut Ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Missam sequentem. 12. Aprilis 1640.

173. Candelæ, Cineres, Palmæ distribuuntur stando cum Mitra in capite ab eo, qui privilegium habet eam gestandi. 18. Februartii 1650.

174. In Missa feriæ quartæ Quatuor Temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. Virginis Mariæ dicenda est Præfatio communis, non verò de B. Maria. 12. Decemb. 1626.

175. Signum, quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis. 13. Martii 1627.

176. Ad Missam Vicarii Generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo Capellani. 7. Augusti 1627.

177. Infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis & Pentecostes, nec non in feria quarta Cinerum, in hebdomada majore, in Dominicis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes, non possunt dici votivæ Missæ privatæ, neque de Requiem. 28. Augusti 1627.

178. Si Festa SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, ac Inventionis S. Crucis occurrerint infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis vel de Cruce: at *Communicantes* de Ascensione. 28. Augusti 1627. Idem dicendum de aliis festis ac de Missis votivis propriam habentibus Præfationem, & infra eandem Octavam celebrandis, sicut & hoc prorsus servandum infra Octavam Epiphaniæ.

179. Oratio impetrata à Superiore, veluti *Deus refugium*, omittenda est in duplicibus primæ classis. 28. Augusti 1627. Romæ omittitur etiam in festis secundæ classis.

180. In fine Missæ ad quodcunque Altare celebratæ fit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto. 28. Augusti 1627.

181. Vicarius ut Vicarius non potest absente Episcopo Missas cantare solemnes, SS. Sacramentum aut sacras Reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis; sed tantùm præesse, ut omnia suo ordine fiant. 19. Sept. 1627.

182. Si Litaniæ majores occurrerint in die sancto paschatis, transferantur in feriam tertiam sequentem. 25. Sept. 1627.

183. In Ecclesiis Regularium habentium claustra fiant processiones intra claustra tantùm, si verò non habeant claustra, fiant propè muros Ecclesiæ, sive exeundo ab una porta & intrando per aliam Ecclesiæ portam, sive per eandem. 26. Febr. 1628

184. Extra ambitum Ecclesiæ non licet Regularibus

bus facere processiones, nisi de licentia & consensu Parochi: salvis privilegiis, & consuetudinibus, si quæ sunt. 26. Februarii 1628.

185. Officium sit duplex minus de illo Sancto, cujus habetur Reliquia insignis, scilicet caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodò sit integra & non parva, & modò sit approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in Missa. 8. Aprilis 1628.

186. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialiter concedatur à Sede Apostoli. ca. 12. Augusti 1653.

187. Qui recitat officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. 2. Decemb. 1684.

188. De Sancto, cujus habetur Corpus vel insignis Reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, & nisi reperiatur in Martyrologio Romano: Reliquiæ verò à locorum Ordinariis approbatæ possunt exponi ad fidelium venerationem. 19. Octobris 1691.

189. Missæ de SS. Rosario, de Monte Carmelo, Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum respectivè & specialiter concessæ, non sunt ab aliis celebrandæ sine speciali licentia. 8. Aprilis 1628.

190. Missa de SS. Rosario potest quidem dici à sæcularibus, sed ut in festo ad Nives, cum oratione propria, quæ apponi solet in calce Missalis. 29. Octob. 1678.

191 in illa Ecclesia, ubi inest Capella vel Altare SS. Rosarii, potest celebrari officium de eodem SS. Rosario sub ritu duplici majori in Dominica, quæ vel occurrit in Kalendis, vel prima est post Kalendas Octob. 23. Sept. 1688.

192. Non possunt locorum Ordinarii tam sæculares quàm regulares addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis vel sacrorum Rituum Congregationis seu Sedis Apost licentia conceduntur. 8. Apr. 1628.

193. Non est celebranda per totam civitatem vel Diœcesin Missa, nec recitandum Officium de Sancto, eò quòd in loco adsit Ecclesia parochialis, vel regularis, vel etiam Abbatialis, aut aliqua insignis Reliquia; sed tantùm in propria Ecclesia, nisi habeatur specialis licentia. 8. Aprilis 1628.

194. Officium Defunctorum dici potest in choro separatim ab officio diei, in diebus exceptis à Breviario, pro adimplenda testatorum voluntate. 12. Junii 1628.

195. In Sacramentorum administratione ne adhibeant Canonici rochetum & cappam, si iis utantur in choro, sed cottam & stolam. 12. Junii 1628.

196. Canonici Regulares possunt in publicis processionibus uti rocheto, & superpelliceo. 28. Aug 1628.

197. De Titulis Altarium, nisi sint in Kalendario Romano, nullum recitetur Officium. 28. Aug 1628.

198. Annuli usus in Missa prohibetur Protonotariis non participantibus, Doctoribus quibuscunque, & Canonicis cathedralium. 20. Nov 1628.

199. Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo, & de rigore uti: sed sine gemma, & sine aliqua effigie. 4. Aug. 1662.

200. Solemniter consuevisse fieri Officium, significat festum populi, aut Cleri cum apparatu. 9. Decemb. 1628.

201. De Sancto canonizato non potest fieri officium extra propriam Ecclesiam sine novo decreto. 9. Decemb. 1628.

202. Officium cum Missa B. Rochi in ejus die festo conceditur tantùm in Ecclesiis in ejusdem honorem Deo dicatis, nisi aliud permittatur. 26. Nov. 1629.

203 Non possunt eligi in Patronos, nisi illi solùm, qui ab Ecclesia universali sub titulo Sanctorũ colunter non autem beatificati dumtaxat. 23. Martii 1630.

204. Electio de Patrono civitatis fieri debet per secreta suffragia à populo mediante Concilio generali illius civitatis vel locis; non autem ab Officialibus solùm; & accedere debet consensus Episcopi, & Cleri illius loci. 23. Martii 1630.

205. Idem servandum in Patrono Regni, qui pariter eligendus erit per secreta suffragia, à populo singularum civitatum, Provinciæ. 23. Martii 1630.

206. Repræsentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulteriùs interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum civitatum. 22. Martii 1630.

207. Causæ electionis novorum Patronorum deducendæ sunt in sacra Congregatione, & ab eadem examinandæ ac tandem causa cognita, ab eadem Congregatione approbanda est, & confirmanda. 23. Martii 1630.

208. Si in locis Diœcesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Diœcesis non solùm ad festum de Patrono civitatis, sed etiam ad octavam. 28. Septemb. 1658.

209. In Patronorum sive Protectorum præcedentia servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiæ, & inter Ordinem Hierarchicum anterioritas in electione. 12. Martii 1690.

210. Non sunt inserendi in litaniis alii Sancti, præter ibi descriptos: neque tempore pestis addendi sunt Titulares, & civitatis Patroni, sine speciali concessione. 22. Martii 1631.

211. Qui præ timore vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, seu ejus loco aliud suo arbitratu recitat, *suspendendus* est à Missarum celebratione; quousque illud ritè pronunciare assuescat. 5 Julii 1631.

212. Pyxis, in qua asservata fuit Eucharistia, non potest vendi vel pignorari, 27. Aug 1632.

213. Canonici in processione intra Ecclesiam, incedant capite detecto: & extra eam cum Birreto in Capite 30. Martii 1633.

214. Ubi non est aurora physicè, pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politicè, quando scilicet ibi terminari solet quies, & inchoari labor, juxta probatam Regionum consuetudinem. 18. Septemb. 1654.

215. In Kalendariis locorum fiat nota, *ad libitum*, quando officia non sunt de præcepto. 6. Febr. 1638.

216. Festa ad libitum, occurrentia in diebus Dominicis, Octavis & Natalitiis Sanctorũ alicujus Diœcesis vel religionis, sunt omittenda. 24. Jan. 1682.

217 Officia ad libitum occurrentia eo die, in quo aliàs aliquod festum translatum poni deberet, vel in quo agendum esset Officium concessum semel in hebdomada vel in mense, possunt celebrari, protracto ulteriùs ad aliam diem festo translato, vel omisso Officio per hebdomadam aut per mensem concesso. 24. Jan. 1682.

218. Si festum ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum *simplicem* de præcepto, eo anno non omittatur sed celebretur ritu simplici. 13. Junii 1682.

219. In occursu non potest transferri Officium proprium alicujus Diœcesis vel Religionis, ut eo die agatur de festo *ad libitum*, ne omittatur. 2 Dec. 1684.

220. Officia *ad libitum* occurrentia infra Octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diœcesis vel Religionis non sunt celebranda sed omittenda. 19. Jan. 1693.

221. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis ſacram Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, ſed utrumque omninò prohibitum. 7. Decemb. 1641.

222. Feſtum de Patrono principaliori loci eſt præceptivum cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. 13. Sept. 1642.

223. Perſonæ tantùm voventes tenentur ſervare feſta veluti de præcepto, quæ inducta ſunt ex voto. 8. Aprilis 1643.

224. Regulares, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant in publicis functionibus, & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ. 6. Oct. 1645.

225. Organum haberi debet etiam in Eccleſiis collegiatis. 27. Julii 1646.

226. Non ſunt ex Organo ſciendæ Conciones, maximè ubi habetur ſolitus Pulpitus. 25. Octob. 1601.

227. Nemo poteſt exc[illegible]ere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & Officii cum octavis ſine expreſſa licentia prædictæ Sedis Apoſtolicæ. 5. Octobris 1652.

228. Beatorum nomina non apponantur in Kalendariis, niſi illius tantùm loci earumque perſonarum, in quo, & à quibus cultus cum Officio, & Miſſa celebratur. 27. Sept. 1659.

229. Non ſunt invocandi Beati in publicis precibus præter indultas & approbatas: nec eorum Reliquiæ in Proceſſionibus circumferendæ. 27. Sept. 1659.

230. Licèt non ſint celebrandi dies feſti in Beatorum honorem, hoc tamen non extenditur ad feſta devotionis. 27. Apr. 1660.

231. Indulta recitandi Officium cum Octava, & celebrandi Miſſam de Beatis non ſunt revocata per Decretum editum ſub die 27. Sept. 1659. Decretum hoc eſt 17. Aprilis 1660.

232. In illis Eccleſiis in quibus Officium & Miſſa de Beatis recitari, & reſpectivè celebrari poſſunt, licet eorum Reliquias exponere, imagines vel ſimulacra ſuper Altari collocare, ac votivas tabellas ibidem appendere. 17. Aprilis 1660.

233. Epiſcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, non poſſunt de Beatis ſuæ Religionis recitare officium, & in propriis cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare prædictis Beatis erigere. 17. Aprilis 1660.

234. In Miſſis de Beatis non eſt dicendum ſymbolum, ubi ſcilicet eſt permiſſa hujuſmodi celebratio. 22. Julii 1664. niſi adſit Reliquia.

235. Tam Minores Conventuales quàm Obſervantes Reformati S. Franciſci poſſunt in propriis ſuorum Ordinum Eccleſiis ſolemnizare feſtum S. Antonii Patavini ea ipſa die, in quam inciderit, dummodò Reformati à Proceſſionibus abſtineant eodem loco. 20. Sept. 1659.

236. Nullo modo ſunt permittendæ duæ proceſſiones de eodem feſto in eodem loco, eodem die. 9. Aprilis 1663.

237. Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in feria quinta in cœna Domini; nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in ſepulchro. 24. Junii 1659.

238. Manus Sacerdotis ad, *hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manus, non verò infra manus. 4. Aug. 1663.

239. Paſſio in hebdomada majori legenda in Miſſis privatis in cornu Evangelii, licèt in Miſſa ſolemni legatur à celebrante in cornu Epiſtolæ. 4. Aug. 1663.

240. Non ſolùm Cruces & imagines Salvatoris, ſed etiam icones Altarium, & omnes aliæ imagines Sanctorum tegendæ ſunt in primis Veſperis de Dominica Paſſionis. 4. Aug. 1663.

241. Hebdomadarius in cantandis Horis canonicis non debet uti ſtola. 4. Auguſti 1663.

242. Cruces, quæ fiunt à Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranſverſa parte Crucis. 4. Auguſti 1663.

243. Pars inferior Hoſtiæ, non autem ſuperior præcidenda eſt, quando dicitur *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. 4. Auguſti 1663.

244. Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum poſſunt applicari ad libitum: ſcilicet in genere pro omnibus, tum in ſpeciem pro aliquibus defunctis. 4. Auguſti. 1663.

245. Lectiones primi Nocturni in Officio de feſto duplici Majori ſumendæ ſunt (niſi ſint propriæ) ex ejus Communi; non verò ex ſcriptura occurrente. 12. Jul. 1664. licèt occurrat initium.

246. Dedicatio Apoſtolorum & Salvatoris, extra Urbem non habet integras Veſperas, ſi die præcedenti vel ſequenti, celebretur Officium duplex minus. 12. Julii 1664. Idem dicendum de die Octava Dedicationis.

247. Dies Octava non privilegiata dimidiat Veſperas in occurrentia cum feſto minori 12. Julii 1664.

248. Si transferatur feſtum S. Luciæ in feriam ſecundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ erunt de die Octava Conceptionis cum Commemoratione S. Luciæ. 1. Martii 1681.

249. Quæcunque dies Octava B. V. Mariæ debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum feſto duplici minori. 11. Auguſti 1691.

250. Primæ & ſecundæ Veſperæ Angelorum Cuſtodum dividendæ ſunt à Capitulo, ſi concurrant cum feſto duplici minori. 27. Septembris 1698.

251. Non permittitur ad Altare majus celebratio Miſſæ, dum dicuntur in choro matutinum, & Horæ. 15. Sept. 1664.

252. Ad octavam benedictionem in feſto Converſionis S. Pauli Ap. non dicitur *cujus converſionem colimus*; ſed *cujus feſtum*. 23. Feb. 1666. Patet hinc, quid ſit faciendum in officiis Translationis, Apparitionis, Ordinationis, vel Inventionis, aut ſimilium.

253. Ubi celebratur feſtum S. Raphaelis Archangeli, ad octavam benedictionem dicatur: *cujus feſtum*, non verò *quorum feſtum*. 13. Sept. 1692.

254. Si ſimul ſint transferenda feſta S. Marci Evangeliſtæ & SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, priùs reponatur feſtum S. Marci, deinde feſtum Apoſtolorum. 18. Septembris 1666.

255. Feſtum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam non eſt transferendum poſt Octavam, ſed infra eandem celebrandum, prima die non impedita. 30. Sept. 1679.

256. Officium particulare alicujus Diœceſis vel religionis, quod occurrit die vigeſima quinta Februarii, eſt transferendum in anno Biſſextili ad primam diem non impeditam, dummodò non ſit duplex primæ claſſis. 7. Sept. 1680.

257. Officium ſemiduplex, quod occurrit in Dominica intra Octavam non privilegiatam, non eſt celebrandum in feria ſecunda ſequenti licèt non impedita, ſi habeatur reponendum aliud feſtum altioris ritus. 1. Martii 1681.

258. In repoſitione duorum vel plurium feſtorum ritum habentium eundem, & die occurrentium diverſa, attendatur prioritas translationis, niſi attendenda ſit major dignitas. 13. Junii 1682.

259. Si

259. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen quòd sint ejusdem ritus. 20. Julii 1686.

260. Non est transferendum in diem immediatè sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia priùs translata ejusdem ritus, non obstante Decreto edito sub die 30. Septembris 1679. quoad verò festum semiduplex in Dominica infra Octavam occurrens, omninò servanda est Rubrica generalis Breviarii de Translatione festorum. *n.* 5. Decretum hoc est 22. Dec. 1696.

261. Si occurrerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus Diæcesis vel Religionis, priùs fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. 27. Sept. 1698.

262. Ad Responsorium breve Completorii in Dominica Passionis, ne omittatur, *Gloria Patri*, si die seq. fiat de festo semiduplici. 18. Sept. 1666.

263. Si festum duplex de quo agunt Regulares (sub quo nomine etiam veniunt Moniales) habuerit Missam propriam omnibus, & solis Regularibus concessam, Sacerdotes sæculares celebrantes in eadem Ecclesia Regularium, Missam quidem dicant de festo duplici, sed cum Missali Romano, ex Decreto Sac. Rit. Congr. 19. Nov. 1622. Decretum hoc 9. Jun. 1668.

264. Si Moniales non habeant Missale à Romano diversum, Sacerdotes in earum Ecclesiis celebraturi possunt dicere proprias Missas ipsis Monialibus concessas. 27. Aug. 1672.

265. Conceditur omnibus Monialibus Ordinis Cistercienſis, quæ utuntur Breviario Romano, ut adaptare possint juxta ritum prædicti Breviarii Romani plura officia unà cum Missis propriis anno proximè præterito sub die 9 Dec. toti Ordini Cistercienſi concessa, eaque sic accommodata faciant typis imprimi: necnon secundùm easdem Festivitates valeant celebrari facere Missas per Capellanos Ecclesiis earundem servitio addictos, cum Missali Romano, & juxta illius Rubricas. 23. Jun. 1703.

266. In Missis votivis privatis non est dicendus Hymnus Angelicus, nisi fuerit Missa Angelorum, in qua quotidie est recitandus: vel Missa de B. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. 14. Maii. 1672.

267. Clausula posita in Brevibus Indulgentiarum, scilicet, *Volumus autem ut si altàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsens litteræ nullæ sint*; non comprehendit Altaria Privilegiata pro defunctis. 23. Junii 1676.

268. Sub generali Indulgentiarum suspensione, quæ fit anno Jubilæi, non comprehenduntur Altaria Privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro solis Defunctis concessæ. 24. Januar. 1700.

269. In aspersione Aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit à Sacerdote Alba, & Stola induto, vel etiam cum Pluviali, immediatè celebraturo Missam conventualem, Stola apranda est ante pectus ad modum Crucis, non verò pendens à collo ad utrumque latus. 30. Septembr. 1679.

270. Missa assignata Festivitati Conceptionis B. V. M. non est dicenda in Sabbatis ut votiva. 30. Sept. 1679.

271. Si occurrat Officium novem lectionum de pluribus Virginibus simul, & Martyribus eo die quo cadit festum simplex ejusdem qualitatis, servanda est pro Commemoratione simplici Antiphona *Istarum est enim.* 7. Decemb. 1680.

272. Officia Sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembris, transferri possunt in annum sequentem. 7. Dec. 1680.

273. Officia concessa semel in hebdomada non sunt celebranda in Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, nec in Vigiliis, nisi aliter in concessione exprimatur. 1. Martii 1681.

274. Ubi festum S. Thomæ Episcopi, & Martyris celebratur sub ritu duplici, si occurrerit in eo Dominica, die sequenti fiat officium de die infra Octavam Nativitatis Domini. 1. Martii 1681.

275. Quotiescunque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam officium fuerit de septima die infra aliquam Octavam, Psalmi Vesperarum erunt de Psalterio, Capitulum de Dominica sequenti, cum sola Commemoratione de dicta Octava. 1. Martii 1681.

276. In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt intra Ecclesias sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata. Quòd si pulsetur & advertatur elevatio, tunc genuflectendum utroque genu à transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento progrediendum. Similiter si aliqui transeant in elevatione Calicis. 1. Martii 1681.

277. Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, non ideò debent facere Commemorationem in feria quarta Cinerum. 24. Jan. 1682.

278 Si in quadragesima officium occurrerit infra Octavam, debent prædicti privilegiati dicere Missam conventualem de feria cum Commemoratione Octavæ: Missæ verò privatæ dici possunt de Octava cum Commemoratione feriæ ut præscribit Rubrica Missalis Tit. 3. de feria & vigilia *n* 2. Decretum est 24 Januarii 1682.

279. Regulares non tenentur recitare Officia de Patronis minùs principalibus, nisi sint descripta in Kalendario Romano, vel in proprio dictorum Religiosorum. 24. Jan. 1682.

280. Regulares tenentur quidem celebrare sub ritu duplici primæ classis Festum de Patrono principali loci Regni seu Provinciæ, & de Titulari Ecclesiæ cathedralis; sed ad eorum octavas non tenentur. 20. Martii 1683.

281. Si Festum S. Confessoris transferatur in proximè sequentem diem, in Hymno. *Iste Confessor*, nulla fiat mutatio Versiculi; sed dicatur, *Meruit beatas*, dummodò primæ Vesperæ non sint impeditæ. 13. Januarii 1683.

282. Translato Festo S. Confessoris ultra sequentem diem, in Hymno *Iste Confessor*, facienda est mutatio Versiculi, dicendo *Meruit ſi premos*. 14 Junii 1692.

283. Officia affixa diebus Dominicis, ut de Patrocinio B. V. Mariæ, si sint impedita festo altioris ritus vel dignitatis, sunt omittenda. 20. Martii 1683.

284 Officium Nominis B. V. Mariæ occurrens in festo Exaltationis sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus aut dignitatis, transferatur, non verò omittatur. 20. Julii 1686. Si concedatur pro aliquo festo ritus duplex sine expressione majoris vel minoris, concessio intelligatur de duplici minori, etiamsi ad honorem Deiparæ facta fuerit. 20. Nov. 1688.

285. In festo Nominis B. V. M. non est facienda commemoratio de ejusdem Nativitate, & in secundis Vesperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non est facienda commemoratio de prædicto Nomine. 20. Sept. 1684.

286. Si Officium Nominis B. V. M. venerit in octava Nativitatis ejusdem officium erit de Nomine, omissa in utraque Vesperis, & Laudibus commemoratione de prædicto die octavo Nativitatis. 15. Sept. 1685.

287. Sola

287. Sola ratione SS. Sacramenti expositi, non est dicendum symbolum in Missis privatis. 2 D. 1684.

288. Potest fieri Commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit etiam in Missa de festo duplici, quod non sit primæ vel secundæ classis 2. D. 1684.

289. Qui celebrat Missam de B. Maria, eo die, quo fit de aliquo festo semiduplici infra Octavam ejusdem B. Mariæ, debet dicere Missam de Octava, sed more votivo sine *Gloria* & sine *Credo*, nisi fuerit Sabbatum, quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. 2. Decemb. 1684.

290. Qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, si celebret Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria*, neque Præfationem B. Mariæ. 2. Decem. 1684.

291. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missali, velut *A cunctis*, ut eadem loco dicatur aliqua Oratio imperata ab Episcopo, veluti *Deus refugium*: neque ut recitetur post altimo loco oratio pro Defunctis. 2 Decemb. 1684.

292. Quando dicitur Oratio *A cunctis* vel *Ecclesiæ*, non est dicenda Oratio contra Paganos, vel alia hujusmodi, quia sufficienter una continet, quod & altera. 16. Ap. 1688.

293. Quando dicitur Collecta vel Missa contra Paganos, non potest mutari nomen Paganorum, dicendo, Turcarum, Hæreticorum &c. 29 Julii 1689.

294 Si in Commemorationis omnium fidelium Defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi festum de præcepto diei Dominico æquale, officium cum Missa Defunctorum transferatur in sequentem diem, etiam festo duplici impeditam 5. Oct. 1688.

295. In Sabbato sancto omninò prohibentur Missæ privatæ, etiam post pulsationem campanarum, in quacunque Ecclesia aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine. 11. Februarii & 11. Martii 1690.

296. Si festum Annunciationis B. Virginis Mariæ occurrerit in feria sexta in Parasceve vel in Sabbato sancto, transfertur ejus officium unà cum præcepto audiendi Missam & vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis; protracto ad aliam diem festo in eo occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. 11 Martii 1690. *Notandum* 1. Quòd si alicubi in prædicta feria secunda occurreret duplex primæ classis, ibidemque Annunciatio celebraretur sub eodem ritu, adhuc duplex illud esset transferendum, & celebranda Annunciatio. *Notandum* 2. Quòd licet Annunciatio sit secundæ classis, si tamen haberetur reponendum Officium primæ classis, nihilominus in prædicto casu esset agendum de Annunciatione. *Notandum* 3. Quòd protracta ulteriùs Annunciatione ob festum altioris ritus in eo occurrens, non ideò protrahenda obligatio audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus.

297. Si simul transferenda sint festa S. Josephi, & Annunciationis, prius reponatur Annunciatio, deinde S. Joseph non obstante Decreto edito in contrarium sub die 12. Junii 1682. Decretum est 14. Junii 1692.

298. Translato Festo, in cujus die concederetur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali, 10. Junii 1690.

299. Si primæ Vesperæ de S. Martina impeditæ fuerint festo duplici vel Dominica, Hymnus proprius Vesperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus, sub unica conclusione. *A nobis abigas*. 26. Aprilis 1692.

300. Ubi die decima octava Decemb. celebratur Officium de Expectatione B. Virginis Mariæ, omittendæ sunt ad Laudes Antiphonæ illæ, quæ occurrunt in illa Feria in proprio de tempore. 12. Maii 1692.

301. Si prædictum festum Expectationis venerit in feria quarta Quatuor Temporum, nec erit dicenda nona lectio in Officio, nec legendum ejus Evangelium in fine Missæ, sed illud S. Joannis; ideóque de feria sola fiat Commemoratio in officio & in Missa. 12. Maii 1692.

302. A die decima septima Decembris inclusivè usque ad Vigiliam Nativitatis exclusivè, fieri potest quodcumque Officium novem lectionum, sive occurrens sive etiam translatum. 17. Maii 1692.

303. Si festum de septem doloribus B. V. Mariæ, quod multis in locis celebratur feria sexta post Dominicam Passionis, impediatur ab officio majoris ritus vel dignitatis, transferatur in Sabbatum sequens non impeditum, & non ulteriùs. 26. Febr. 1693.

304. Si Vigilia S. Mathiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, observetur eadem die jejunium, non verò anticipetur. 23. Jan 1694.

305. Evangelium pro solemni Palmarum benedictione, canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat, absque Diacono & Subdiacono. 27. Ap. 1697.

306. Ubi Oratio quadraginta Horarum fuit ob tumultus bellicos intermissa, debet restitui. 15. Ap. 1603.

307. Festa duplicia, & semiduplicia translata, præferenda sunt officio S. Benedicti semel in hebdomadâ concesso. 8. Febr. 1699.

308. Regulares obtenta à locorum Ordinariis licentia oretenus vel in scriptis faciendi solemnes Processiones extra limites Conventuum suæ Religionis cum statua aut Reliquia alicujus Sancti, possunt uti pluviali, licèt ejus usus non fuerit expressus in licentia obtenta. 21. Martii 1699.

309. Usus pluvialis in Processionibus solemnibus non est testimonium nec signum Jurisdictionis in utente Sacerdote 21. Martii 1699.

310. In paramentis nigris non est administranda Eucharistia. 22. Januarii 1701.

311. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debet continuò ardere in Altari duo lumina, aliàs non exponantur. 22. Januarii 1701.

312. Sacerdos in Sacrificio Missæ congruentiùs utitur cingulo lineo quàm serico. 22. Jan 1701.

313. In Sacrificio Missæ non est adhibenda Palla drappo serico à parte superiori cooperta. 22. Jan. 1701.

314. Temporis præscriptio ad recitandum in choro Divinum Officium, ab Ordinario cum duobus vel tribus Deputatis à Capitulo diversimodè fieri debet secundùm diversa Anni tempora, & adnotari in Tabella appendenda in Sacristia. 7. Aug 1595.

315. Ubi Canonici sunt pauci, Dignitates etiam accedere tenentur ad Legile, & cantare sicuti alii. 20. Aug. 1601.

316. Cùm Antiphonæ præintonantur, omnes ab utroque latere Chori, etiam Canonici, surgere debent, juxta Cæremoniale, non obstante consuetudine. 23. Mart. 1602.

317. Missa Conventualis in Festis dicenda est tempore æstivo hora decimaquarta, tempore verò hyemali hora decima septima: In Feriis autem potest dici paulò citiùs, modò non valde diluculo. 27. Jul. 1602.

318. Qui destinatus fuerit ad regendum Chorum, non est dimovendus à Choro, ut assistat Episcopo. 6. Sept. 1603.

319. Accensis suo tempore candelis, non differatur Officium, licèt absit Hebdomadarius, sed jussu Majoris suppleat alius. 18. Apr. 1617.

320. Ad Majorem in Choro spectat intonare initium Officii per *Pater noster*, & idem, eo finito, dabit signum, ut incipiatur Hora. 18. Apr 1617.

321. Dictus Major in Choro dicet: *Dies, & actus, &c. Noctem quietam, &c. Benedicat & custodiat, &c.* ac etiam

Dominus

Dominus det nobis suam pacem, nisi alia sit consuetudo. 18. Apr. 1617.

322. Nemo exeat de Choro, etiam expleto Officio, nisi dato à Majore signo finis. 18. Apr. 1617.

323. In Ecclesia SS. Nazarii & Celsi transfertur Festum SS. Victoris & Innocentii sub ritu semiduplici post Octavam, de Communi plurimorum Martyrum, cum Evangelio ut in die, & Oratione propria, in qua omittuntur Socii. 12. Febr. 1633.

324. Tolerandum, quòd Canonici tribus Mensibus Anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. 13. Sept. 1641.

325. Magister Cæremoniarum tenetur personaliter significare Episcopo, quando debeat ad Ecclesiam accedere pro Functionibus Episcopalibus. 3. Octob. 1642.

326. Canonici Lateranenses extra Urbem existentes, licèt possint & valeant celebrare Officia Sanctorum, quorum Reliquiæ in Basilica Lateranensi reperiuntur, non ideò in Missa dicere debent *Credo*. 2. Dec. 1684.

327. Licèt Rituale dicat, quòd post Absolutionem, quæ fit super Cadaver in Die Obitus, vel super Tumulum in Anniversario, dicto ℣. *Requiescant in pace*, subjungi debet, Animæ ejus & animæ omnium Fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace, nihil tamen addendum super lecticam, seu Castrum doloris in Die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum. 2. Dec. 684.

328. Officium semiduplex in Dominica infra Octavam occurrens tantùm habet juris in Feria secunda immediatè sequenti non impedita (juxtà ea, quæ dixi suprà, n. 260.) ut non cedat duplici primæ classis translato. 16. Sept. 1702.

329. Conceditur Missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, ponenda in Missali post Missam *Pro remissione Peccatorum*, & in Rubricis generalibus in titulo *de Coloribus Paramentorum* sub Colore Violaceo. 20. Mar. 1706.

330. Festum Conceptionis B. V. M. Immaculatæ ubique terrarum ab omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus sicut alia Festa de præcepto, servetur & celebretur, ac sub præcepto observationis Festorum comprehendatur 28. Jan. 1708.

331. Extenditur ad Ecclesiam Universalem Festum B. V. M. de Mercede, celebrandum die vigesimaquarta Septembris sub ritu duplici de præcepto. 18. Febr. 1696. ¶ At quia in Decreto non exprimitur sufficienter Ritus, ideò intelligendum est de duplici minori, ut patet ex superiùs dictis, n. 284.

332. Benedictiones & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non sunt de Juribus merè Parochialibus. 10. Dec. 1703.

333. Non sunt de Juribus merè Parochialibus Functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ. 10. Dec. 1703.

334. Celebratio Missæ solemnis Feria quinta in Cœna Domini non est de dictis Juribus Parochialibus, sed spectat ad Parochos. 10. Dec. 1703.

335. Non est de Juribus merè Parochialibus prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto, sed spectat ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. 10. Decemb. 1701.

336. Expositio Quadraginta Horarum, & Benedictio, quæ fit super Populo, non est de Juribus merè Parochialibus. 10. Dec. 1703.

337. Expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super Populo non est de Juribus merè Parochialibus, & quoad Benedictiones cum Reliquiis, & Imaginibus, servetur Decretum. 10 Dec. 1703.

338. In Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possunt Horæ Canonicæ, cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa. 10. Dec. 1703.

339. In dictis Oratoriis privatis est licita celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario loci, & contradicente Parocho. 10. Dec. 1703.

340. Capellani Confraternitatum possunt Populo denunciare Festivitates, & Vigilias occurrentes in Hebdomada, absque licentia Parochi. 10. Decemb. 1703.

341. Intra ambitum Ecclesiarum Confraternitatum fieri possunt Processiones juxta cujusvis Confraternitatis institutum, absque interventu vel licentia Parochi. 10. Dec. 1703.

342. Eædem Processiones fieri non possunt extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est, nisi adesset licentia Episcopi. 10. Dec. 1703.

343. In dictis Processionibus non possunt Capellani Confraternitatum deferre Stolam extra propriam Ecclesiam. 10. Dec. 1703.

344. Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, non est porrigendum Aspersorium à Parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ. 10. Dec. 1703.

345. In dictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri non potest Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ. 10 Dec. 1703.

346. Præsuppositа facultate retinendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in eisdem Ecclesiis publicis Confraternitatum, non potest per annum publicè exponi sine licentia Ordinarii. 10. Dec. 1703.

347. Sacerdotes exteri confluentes ad Regularium Ecclesias, & celebrantes de Sanctis Ordinis servatis servandis possunt in Missis se uniformare cum Regularibus quoad *Credo*, & quoad numerum Orationum more duplicium. 11. Jun. 1701.

348. Diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus Octavæ, & Regulares celebrantes in alienis Ecclesiis possunt uti Coloribus juxta Ritum earundem: Et tam exteri in Ecclesiis Regularium, quàm Regulares in alienis, possunt apponere commemorationem Octavæ ut suprà occurrentis, servata Rubrica de duplici Oratione habenda in Dominica infra Octavam. 11. Jun. 1701.

349. In Officio ad Hymnum *Iste Confessor*, pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est dies obitus, recitari non debet ℣. *Meruit beatas scandere sedes*, licet reverà Officium fiat de die obitus: Et eadem regula servanda est in Officiis de Confessoribus translatis, quamvis Officium sit de die obitus. 11. Jun. 1701.

350. Cùm multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit à Sancta Sede Apostolica, ut semel vel pluries in singulis Hebdomadibus, vel Mensibus celebrentur varia Officia per Annum, exempli gratia, de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici vel semiduplici, hujusmodi Indulta non habent locum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum Jejunio, sive absque Jejunio, nec in Feria secunda Rogationum, nec in alia Feria, in qua secundùm Rubricas fit reponendum Officium impediti Festo duplici vel semiduplici Dominicæ. 20. Mar. 1706.

351. Dies Officiis recitandis, intelliguntur etiam pro dictis Dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici vel semiduplici translato, quemadmodum aliàs

responsum

reſponſum fuit, quod ſcilicet Feſtum duplex vel ſemiduplex etiam tranſlatum; nec non Dies Octavæ ſit Dies impeditus reſpectu talium Officium. 29. Mart. 1706.

352. Regulares abſque ſpeciali Privilegio, ſed ſola communicatione Privilegiorum aliorum Religionum non poſſunt addere Nomen Sancti Fundatoris in Litaniis & *Confiteor*, neque recitare Officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus. 20. Mar. 1706.

353. Gratia, quam Clemens Nonus die 20. Martii 1668. & die 16. Febr. 1669 conceſſit Monialibus Conceptionis B.M.V. Immaculatæ in Campo Martio de Urbe, Ordinis S. Benedicti, celebrandi ſingulis Annis Feſtum SS. Benedicti, & Scholaſticæ cum Octava, extenditur ad totam Congregationem Caſinenſem, nempè tam ad Monachos, quàm ad Moniales eidem Congregationi ſubjectas. Clemens Decimus. 17. Feb. 1672.

354. Monialibus Ordinis S. Benedicti ſubjectis Ordinariis in Statu Veneto conceditur, ut quolibet Anno celebrare poſſint Feſtum SS. Benedicti, & Scholaſticæ cum Octava, ad inſtar Conceſſionis (de qua ſuprà, n. 352.) aliàs factæ Congregationi Caſinenſi ejuſdem Ordinis. Clemens X. 31. Dec. 1672.

355. Interdicitur omnibus ac ſingulis facultas aſſignandi diem fixum Sanctis tranſlatis, ſine ſpeciali Decreto, ideóque Officia Sanctorum propria die celebrentur, & ſi ſunt impedita, transferantur juxta Rubricam *de Tranſlatione Feſtorum*, ſcilicet prima die non impedita Feſto novem Lectionum, aut Die Dominica. 28. Nov. 1682.

356. Officium ſemel in Hebdomada conceſſum recitari poteſt die Sabbati, ſi tota Hebdomada ſit impedita, & in tali caſu omittendum Officium Beatæ Mariæ in Sabbato 27. Ap. 1697.

357. Prima die Menſis non impedita Feſto duplici vel ſemiduplici, & in qua occurrit recitari Officium Defunctorum, poteſt recitari ſupradictum Officium ſemel in Hbedomada conceſſum, transferendo vel etiam aliquando omittendo Defunctorum Officium. 27. Apr. 1697.

358. Officium conceſſum pro aliqua Feria cujuſcunque Hebdomadæ ſub ritu ſemiduplici ad libitum, non poteſt recitari infra Octavar. 30. Sept. 1679.

359. Propoſito Dubio: An in Concurſu S. Æmiliani Abbatis duplicis minoris cum Feſto omnium Sanctorum Monachorum duplici ſecundæ claſſis, facienda ſit in primis Veſperis ipſorum commemoratio prædicti S. Æmiliani juxta Rubricas generales Breviarii, an verò omittenda, tanquam unius ex ipſis Sanctis Monachis? Sacra Rituum Congregatio reſpondit, Commemorationem S. Æmiliani non eſſe omittendam. 22. Maii 1700. ¶ Ex hac particulari reſponſione inferri poteſt ad generalem regulam, quòd concurrente Feſto alicujus Sancti ſub ritu duplici ſecundæ claſſis celebrando cum Feſto omnium Sanctorum ritu duplici primæ claſſis decorato, in Veſperis de ſequenti erit facienda commemoratio præcedentis, licèt inter omnes Sanctos includatur etiam ille.

360. Si Feſtum Sanctiſſimæ Annunciationis inciderit in Feriam quintam Majoris Hebdomadæ, Præceptum audiendi Miſſam & abſtinendi à Servilibus non erit transferendum, ſed omninò ſervandum in prædicta Feria quinta, adeóque per Ordinarios Locorum providendum, ut eo die pro Civitatum & Pagorum qualitate, ac Chriſti fidelium in iis degentium numero plures Miſſæ privatæ ante celebrationē Miſſæ Conventualis pro Præcepti adimplemento celebrandæ non deſint. 12. Sept. 1716 approbante Clemente XI. die 27. ejuſdem Menſis & Anni.

361. In prædicto caſu Sanctiſſimæ Annunciationis occurrentis in Feria quinta in Cœna Domini antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa Solemni ejus Diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Inſtitutionem & Memoriam recolit, ſumma Religione hactenùs obſervatus, nullo modo omittatur. 12. Sept. 1716.

Quæſt. 310. *Quid natandum ſit circa iſta* 2056
CCCLXI. *Decreta?*

Reſp. Seqq §. 1. Decreta illa do fide, qua accepi: omnia Pragæ ſunt impreſſa, cæteroquin à Joanne Baptiſta Pittono Sacerdote Veneto collecta, in quibus apicem nullum immutavi, ſed tantùm præpoſui numerum, ut quando ad illa remittam, poſſint ex præfixo numero ſtatim inveniri.

§. 2. An omnia iſta Decreta ſint authentica, & 2057
verè emanata à S. Congr. Rituum, equidem neſcio, tam ex dictis *l.b.* 1. *n.* 574. conſtat, non quidquid circumfertur tanquam decretum vel declaratum, ſtatim hoc ipſo prudenter credi poſſe aut admitti, prout obtruditur, ſine ſufficiente approbatione Ordinariorum, ſubſcriptione debita, &c. Nihilominus quamdiu non reſciam oppoſitum, habebo relata Decreta pro authenticis, & quidquid hactenùs dixi vel dicam, exactè redigam ad illorum depoſitionem ſeu tenorem.

§. 3 Non omnia emanarunt à S. Congregatione 2058
eiſdem verbis; prout hìc jacent, uti patebit ex dicendis. Hoc opto, ut Collector & compendiator ſemper attigerit, & expreſſerit genuinum ſenſum: conſtabit ex dicendis *n.* 2061. vel eum qui Pragæ, vel eum, qui Leodii collegit, in aliquo defeciſſe.

§ 4. Multa ex his Decretis paſſim non obſer- 2059
vantur, quia in his partibus ignorantur. Et ſi quis caſu in libro legat vel audiat de tali aliquo novo Decreto, neſcit an authenticum ſit necne, hinc communiter non redigitur ad praxin, & conſequenter negligitur.

§ 5. Longè plura Decreta, quàm hic conſignata 2060
ſint, etiam circa materias hactenùs tractatas emanarunt à SS. Congregationibus, nam per decurſum omnium librorum plura retuli, de quorum veritate dubitare non poteram: attamen putavi etiam hæc adjicienda eſſe, ut paulatim innoteſcant omnia, & ita ſenſim inducatur in Ritibus externis uniformitas, quæ ſingulariter exornabit Eccleſiam, & liberabit à multis cavillationibus hæreticorum apud imperitum vulgus accuſantium diſcrepantium cœremoniarum apud nos; ſaltem ſi Religioſi advertant hæc emanaſſe, plerique ſe accommodabunt, & ſpes eſt, ut etiam alii ſequantur horum exemplum.

§. 6. Circa Decretum 4. Directorium Leodienſe 2061
anni 1710. refert illud hoc modo. Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis celebrari debet *à ſæcularibus in tota Diœceſi ſub ritu primæ claſſis ſed ſine Octava, præterquàm in ipſa civitate*: & idem dixi lib. 4. n. 1257. quamvis hoc non notetur in Decreto hìc relato juxta impreſſionem Pragenſem, de qua ſuprà, §. 1.

§. 7. Meritò Regulares omnes ſe accommodant 2062
Decreto 5. de non celebranda Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ſed tantùm de die ipſa ſub ritu ſecundæ claſſis ſine octava, quamvis in contrarium attulerim aliqua in l. 4. n. 1257.

§. 8. Dixi l. 4. n. 1287. infra Octavam Corporis 2063
Chriſti non legi nonam lectionem de ſimplici: addenda eſt hæc exceptio Decreti 18. *Quòd ſi feſtum illud ſimplex occurrerit eo die, quo fit de feſto duplici infra eandem Octavam, tunc non omittitur, ſed legitur 9. lectio de eodem ſimplici; dummodò feſtum illud non ſit duplex prima claſſis.*

§. 9. Pro

2064 §.9. Pro Regula generali posui l.4.n. 1274. duplicia, licèt haberi non possint primo die infra Octavam, posse sequentibus: addenda est hæc exceptio Octavæ Corporis Christi, uti habet Decretum 20. *Occurrentibus eadem die duobus festis duplicibus infra Octavam SS. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediatè sequenti non impedita, sed post Octavam; nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis.* Quoad alias Octavas, manet Regula.

2065 §. 10. Decretum 27. dicit, quòd Altare portatile perdat consecrationem, quando frangitur vel loco movetur repositorium Reliquiarum: quod multò magis valet de Altari fixo: & ita jam videtur decisum, de quo tam multi Authores hìc de Sacrificio *n.* 306. relati in utramque partem disceptabant.

2066 §. 11. Decretum 35. habet, quòd Matrimonio Defunctorum in die Animarum recitari debeat manè die 2. Novembris, & non pridie: hinc emendandum est, quod cum communi dixi l.4 n. 1292.

2067 §.12. Decretum 37. dicit, si sub Altari vel ejus gradibus humata sint Defunctorum cadavera, non esse ibi celebrandam Missam, donec aliò transferantur. V. Pignat. *t.4. conf.* 32. Si tamen humata sint profundè in cella aliqua sub alio fornice constructa, videntur satis sopora ab altari, nec ullo modo super illa cadent verba Sacerdotis ad introitum osculantis Altare & dicentis; *quorum Reliquiæ hìc sunt.*

2068 §. 13. Decretum 52. dicit Canonicos debere in choro cantare, alioquin non satisfacere obligationi suæ: & sententia communis relata l. 4. n. 878. dicit alioquin lucrari non posse distributiones.

2069 §.14. Ex Decreto 67. constat Clericos non tantùm posse, dum sunt extra Diœcesin suam, recitare officia suæ Ecclesiæ, quod dixi l.4.n.1244. sed etiam decere, ut illa recitent.

2070 §. 15. Secundùm Decretum 117. in votivis pro re gravi, si sint violacea paramenta, omittitur *Credo*: quod non notavi hìc de Sacrif. n.466. attamen notavi posteà n.502.

2071 §.16. Decretum 138 habet, quòd Abbates & Regularium Superiores non possint benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum. Et hoc est conforme illi, quod ex Averf. *retuli hìc n.353.* cui meritò deberent se conformare omnes.

2072 §.17. Secundùm Decretum 141. inferiores Episcopo, dum se induunt paramentis pro Missa, non debent ea sumere de Altari. Ubi tamen commoditas non est illi alibi deponendi: possent deponi & sumi, non in medio Altari, quod solis Episcopis convenit, sed in loco Evangelii vel Epistolæ, ut notavi hìc n. 575.

2073 §.18. Ex Decreto 37. & 143. Altare portatile deberet habere repositorium Reliquiarum, quod aliqui non observant, præsertim qui in Missionibus circumferre non possunt crassa & ponderosa Altaria: sed facilè parari poterit etiam in tenui lapide parvum receptaculum ad istum finem

2074 §. 19. Decretum 188. sic habet in originali.

DECRETUM GENERALE.

CUm Sacror. Rituum Congregationi innotuerit quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii sub prætextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630. & in Breviario Romano impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia & Missas celebrari de illis Sanctis quorum Corpora aut Reliquiæ insignes in ea asservantur: Eminentissimi Patres eidem Sac. Congregationi Præpositi iisdem abusibus evellendis præcipuè intenti, inhærendo Decretis alias in similibus editis, declararunt prædicta officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodò constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari & Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quòd ipsorum Corpora vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur. Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenùs servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione Beati Pii V. contentis. Die 11. Augusti 1691.

Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua hujusmodi Decretum approbavit: ac, ut debitæ exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum esse præcepit, Die 19. Oct. ejusdem anni 1691.

Retuli l. 4. n. 1260. Romæ rescriptum nobis esse, quòd Decretum illud esset subtractum è typographia Apostolica, adeóque cessari tacitè revocatum nunc verò meliùs edoctus sum, semper Decretum illud nullatenus revocatum esse, sed omninò vigere: quare standum est illi; ac propterea hoc anno 1712. Coloniæ non habuimus Officium aut Missam de SS. Constantio & Fausto, nec posthac habebimus, nisi S. Sedes id specialiter nobis concesserit.

§.20. Dixi hìc n.403. usum annuli in Missa pro- 2075 hiberi Protonotariis, Doctoribus, Canonicis cathedralibus, nam ita habet Decretum 198. Additur tamen in Decreto 199. *Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo, & de rigore uti: sed sine gemma & sine aliqua effigie.*

§. 21. Decretum 216. circa festa ad libitum, 2076 prout in originali est, retuli l.4.n 1269. & addidi n. 1274. posse officium fieri de semiduplicibus ad libitum in diebus infra Octavam non priviligiatam. Idem repetivi hìc n. 334. quia per relatum Decretum non excludebantur à diebus infra Octavam, sed tantùm à diebus Octavis, dies autem octava & alii dies infra Octavam valdè differunt, & quod de die Octava dicitur, non videbatur extendendum ad diem infra Octavam, *usquedum clarior daretur declaratio*, quam hactenùs non videramus. Hanc clariorem declarationem jam habemus in Decreto 220. quod emanavit undecim annis post Decretum 216. & conformiter ad illud jam tenendum est, quòd officia ad libitum occurrentia infra Octavas etiam non privilegiatas, & etiam particularis alicujus Diœcesis vel Religionis; non sint celebranda, sed omittenda.

§.22. Si officium ad libitum occurrat eo die, in 2077 quo poni deberet festum translatum, dixi l.4 n 1270. si festum ad libitum esset altioris ordinis, de hoc posse fieri. Decretum 217 plùs dicit, nam non distinguit, an sit altioris ordinis an æqualis sed simpliciter dicit, *Officia ad libitum occurrentia eo die, in quo aliàs aliquod festum translatum poni deberet, posse celebrari, prorsus ulteriùs ad alium diem festo translato.*

§. 24. Decreto 219. cavetur, ne pro habendo 2078 festo ad libitum transferatur Officium proprium alicujus Diœcesis vel Religionis eodem die incidens, quod non obstat jam dictis n.2077. nam hoc Decretum 219. agit de festo tum incidente, Decretum 217. de festo translato & reponendo.

§ 24. Dixi hìc n.527. cum communi, omnes tres 2079 Missas in Nativitate Christi posse legi ante auroram: & hoc stat cum Decreto 221. *Non licet in media nocte Nativitatis dominica celebrare successivè alias duas Missas*: dividi enim adhuc possunt illæ Missæ per plures horas, cùm Solito die, priùs oriatur post octavam, adeóque aurora priùs adsit circa medium septimæ.

§. 25. In Decreto 136. statuitur, ut si festa S. Jo- 2080 sephi vel Annunciationis B. Virginis incidant in diem

Jovis sanctum, illo die celebrentur etiam pro foro externo: Deinde Decreto 296 statuitur festum Annunciationis occurrerit die Veneris vel Sabbato sancto, ut transferatur ejus Officium unà cum præcepto audiendi Missam, & vacandi à servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis &c. In Archidiœcesi Colonienſi statutum est authoritate Ordinarii 20. Jan. 1690. ut si imposterum alterutrum festum incidat in septimanam sanctam, festum S. Josephi anticipetur feria proxima ante Dominicam Palmarum non impeditam festo 9 Lectionum: Annunciationis autem posticipetur feria proxima post Dominicam in Albis similiter non impeditam festo 9. Lectionum, & utrumque tam à Clero in choro quàm à populo in foro. Si autem alterutrum incidat in aliquam Dominicam Quadragesimæ, in choro & foro transfertur in diem proximam non impeditam festo 9. Lectionum.

2081 §. 26. A Regula communi, quam S. Congregatio posuerat in Decreto 2078. & tradideram l. 4. n. 1268. nempe inter festa de præcepto translata, si sint ejusdem classis, id priùs celebrandum esse, quod priùs erat translatum: Decretum 297. excipit festa Annunciationis B. Virginis & S. Josephi, quæ licèt sint ejusdem secundæ classis, tamen ubi festum S. Josephi etiam transferendum esset cum festo Annunciationis, mandat priùs reponi festum Annunciationis; & insuper Decretum 296. mandat, quamvis alium Officium Primæ classis etiam reponendum esset, ut Officium Annunciationis, licèt secundæ tantùm sit classis, ante illud reponatur.

2082 §. 27. Dixi l. 3. p. 2. n. 1273. si vigilia S. Matthiæ incidat in unum diem è Bacchanalibus, justam causam esse cur Episcopus dispenset, ad vitanda scandala, & peccata populi. Addidi statutum esse in pluribus diœcesibus, ut si festum S. Matthiæ incidat in diem Cinerum, jejunium apud Regulares anticipetur in Sabbato. De cætero si aliter non disponatur per Ordinarium ex justis causis & legitima potestate, observandum est Decretum 304. *Si vigilias S. Matthiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, observetur eadem die jejunium, non verò anticipetur.*

2083 §. 28. Si plura occurrant, in quibus discesserim à Decreto aliquo vel à doctrina vera, demissè peto admoneri, ut etiam inscius, & invictus Lectorem in errores inducam. Si suo tempore fiat alius typus; referam suis locis ac in contextu inferam hæc aliáque Decreta, ac emendabo ea, in quibus defecero.

Obj. Plurima ex allatis Decretis sunt antiqua, & contra illa jam videtur præscriptum, quia hactenùs observata non sunt R. Contra leges præscribi potest, non ita contra ejusmodi directiones positas ad inducendam uniformitatem Rituum in Officiis divinis, quandocumque etiam, etiamsi seriùs, innotescant, recta ratio docet sub veniali saltem esse obligationem se conformandi illi Ecclesiæ, cujus ritum elegi observandum.

TRACTATUS V.

2084 *De Extremâ-Unctione, & Ordine.*

CAPUT I.

Quid sit Extrema-Unctio, & quæ circa eam servanda.

„ Resp. 1. Est Sacramentum à Christo institutum, „ ad ægroto periclitanti de vita conferendam sa„lutem animæ, vel etiam corporis, per unctionem „olei benedicti, & orationem Sacerdotis, S. Th. *in 4. dist. 23. q. 1. Unde resolver.*

„ I. Materia ejus remota, est oleum benedictum, „ quod in pyxide chrismali signatur littera I. (in cu„jus defectu non licet uti chrismate, si tamen usus sit, „ nihil repetendum esse, docet Laym. *l. 9. tr. 8. c. 2. n. 9.*) „ Idque renovandum est quotannis in Cœna Domi„ni, veteri exusto: si tamen novum haberi non „ possit, licet uti antiquo, Lay. *l. c.* & si hoc non sufficiat „ illud consecratum, vel in necessitate non consecra„tum (in minore tamen quantitate quàm vetus est) „ addere: Etsi Dan. *p. 6. t. 6. R. 44.* ex Less. & aliis 4. „ dicat, contrarium habere praxin Ecclesiæ, ut scili„cet paulatim, & per vices (si ita requirat necessitas „ propter copiam infirmorum) longè etiam major „ quantitas addatur, quàm ab Episcopo fuerit conse„crata initio. Bon. *d. 7. q. 1. n. 8.* ex Possevino. „

„ II. Materia proxima; est unctio certarum par„tium corporis, ac saltem quinque sensuum, vel si „ mutilati sint, vicinarum partium, facta à Sacerdo „ te: non simpliciter necessariò contactu immediato „ manus; nam peste grassante potest uti virga ob„longa oleo tincta, quam posteà comburat, Sylv. „ Chapeavill. Dian. *p. 3. t. 4. R. 197.* Quidam etiam „ Doctores putant, unam tantùm unctionem esse de „ essentia Sacramenti, ideóque in periculo pestis & „ simili necessitate sufficere unum tantum organum „ magis obvium; vel potiùs caput, quòd in eo sensus „ maximè vigeant, ungere, dicendo, *Per istam, &c. „ quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odora„tum, tactum &c.* Et quidem pro hac sententia citan„tur varia Pastoralia, Agendæ & Doct. Lovan. Sylv. „ *in 3. p. q. 32. art. 2.* Laym. *c. 3.* qui eam non omninò „ improbabilem; Tan. & March. *in Horto Pastorum* „ qui omninò probabilem & in praxi usitatam; Dian „ *Resp. 108.* qui in praxi tutam dicit, citansque pro ea „ *p. 8. tract. 1. R. 21.* Gran. Amic. Aversam, affirmat „ Pontificem id posse permittere, & denique Escob „ (citans Becanum *c. 25. q. 7. n. 6.*) & Barb. in Trid „ *sess. 14. c. 1.* id permittit. Verùm cùm alii Doctores „ communiter repugnent tutius saltem erit (quod „ suadet Laym. & Dian. *ll. cc.*) eo casu unum oculum „ aurem, manum, narem, & os velociter sine crucis „ forma ungere, dicendo unicam formam, comple„ctentem reliquas. Illud verò certius est, pedes, aut „ renes inungere non esse essentiale; imò quoad re„nes, non est decens, præsertim in fœminis & viris „ religiosis, ideóque omitti solet, Henr. Sà. Tol. Suar. „ Bellarm. *c. 10. in fine.* „

„ III. De essentia hujus Sacramenti est I. Ut orga„na 5. sensuum, quæ inunguntur, nominentur, Pa„laus *t. 25. p. 4. c. 26.* Averf. *s. 4. &c.* communiter, licèt „ Dian *p. 8. t. 7. R. 56.* ex Reg. contrarium censeat pro„babile; imò ad valorem sufficere, si inter ungen„dum omnes sensus dicas: *Per istas sanctas unctiones „ indulgeat tibi.* II. Verba illa: *Per hanc sanctam Unctio„nem*, etsi Palaus *l. c.* dicat valere, si tantùm omittas „ Tò *sanctam.* III. Verba deprecativa: *Indulgeat tibi „ Deus.* Hinc formam imperativam, v. g. *Per hanc, &c. „ remittatur tibi quidquid, &c.* non valere dicit Palaus „ *l. c.* Dian. *l. c.* „

„ IV. Hoc Sacramentum tantùm dandum est morti „ propinquis, ex morbo, vulnere, partu vel senectute „ quia hi solent esse infirmi. Quòd si morbo liberati „ rursus periclitentur, iterandum est; & quidem in „ diuturnis morbis, quoties erit periculum novum „ neque expectandum, (sub gravi culpa, Quin *t. 5. s. 9.*) „ donec sensibus careant, vel omninò sint desperati. „ In dubio verò de vita, detur sub conditione, Laym. „ *l. c.* ex S. Th. Suar. *d. 40.* „

„ V. Si conferatur infirmo communi morbo, sive „ non graviter vel periculosè laboranti, non est vali„dum, *Suar. Palaus, Gran. Amic. &c. commun.* Ac „ licèt *Less. VVigers & Quintan.* contrarium putent „ proba„

„probabile, concedunt, tamen, sic inunctum iterùm „inungendum esse (etiam in eodem morbo) quando „periculosè laborare cœperit, ob mutatum statum in„firmitatis, additque *Quint.* mortaliter peccaturum „fuisse: v. Quint. *sect.* 7. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 45.

„ VI. Ad Sacramentum hoc cum fructu recipien„dum, in eo, qui rationis est compos, & conscius „peccati mortalis, (si non confiteatur) requiritur „contritio saltem existimata; neque sufficit attritio, „Bonac. *d.* 7. *q. un. p.* 5. *n.* 2. ex Regin. *l.* 28. *c. ult. art.* 73. „Ordinariè autem, nisi obstet causa rationabilis, „(v. g. si ob vomitum communicare non possit) „præmittenda est confessio & communio, ob Ecclesiæ „consuetudinem, quæ Unctionem, tanquam minùs „necessariam ad salutem, postponit, v. Bonac. *l. c. n.* „13. Licèt autem, per se loquendo, confessio non „necessariò præmittatur, cùm per contritionem se „disponere possit, per accidens tamen requiri potest, „v. g. si post Viaticum peccasset mortaliter, & time„retur post Unctionem defuturum tempus confes„sioni, tunc enim priùs audiendus & absolvendus „esset, quia Sacramenta magis necessaria tali casu „priùs sumenda sunt, Fill. Barb. Dia. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 92.

„ VII. Pueris habentibus sufficientem rationis usum „ad peccandum, tametsi sacram Eucharistiam non „recipiant, non rectè negatur extrema Unctio, cùm „inde nonnunquam salus ipsorum dependere possit, „Suar. 3. *p. t.* 3. *d.* 70. *s.* 1. Graff. Angl. Zamb. apud Lay. „*c.* 4. *n.* 2. qui Parochos quorundam locorum excusat „per consuetudinem toleratam ab Episcopis, si non „dent pueris ante annum 14. vel 15. excepto „casu necessitatis, quo puer, quem rationis usum „consecutum esse constet, aliud Sacramentum ante „mortem suscipere non possit, v. Chapeav. *c.* 5. *q.* 17. „Ac licèt Parochus in confessione cognoverit, pue„rum nunquam actualiter peccasse, debere tamen „illum inungere contra Nugn. & Sanctium, docet „Suar. Reg. Fill. Kon. &c. cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 181. Si „verò dubium sit, an puer usum rationis habeat, un„gendus est sub conditione, Dian. *p.* 9. *t.* 3. *R* 85. & San. „Zamb. & Lug.

„ VIII. Minister, est solus Sacerdos proprius, sive „Pastor, sine cujus venia, si extra necessitatem alius „det, validum quidem est, sed graviter peccat, Sylv. „Sotus, Kon. *d* 9. *n.* 28. & Religiosus incurrit excom„municationem Papalem, Suar Reg. *l.* 18. *n.* 40. Posse „tamen Regulares hoc Sacramentum (uti & Viati„cum) in articulo mortis suis familiaribus minis„re, docet Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 52. ex Mancino, &c. In ne„cessitate verò, ut si Pastor absit, vel dare nolit, nec „Superior possit adiri pro petenda licentia, licitè mi„nistrat quivis non excommunicatus aut suspensus: „(etiam Regularis, ut contra Gav. docet Præp. „Henriq. Fern. Gran. Dian. *R.* 82. censetur enim tunc „Papa dare licentiam, Laym. Reg. Suar. *l. c.* Dian. *R.* „176.)

„ IX. Sufficit Sacerdos sine ministro in necessitate, „nec in ea fœmina adhibenda est; quòd si tamen fiat, „veniale esse docet Quint. *t.* 5. *s.* 6. In ea posset etiam „unus unam, alius aliam partem inungere, pronun„tiando tamen formam illi unctioni respondentem, „Bon. *l. c. & commun.* non tamen potest unus inungere „aliquem sensum, & alius formam pronuntiare: ne„que unus unum oculum, alter alterum. V. D a. *p.* 9. *t.* „7. *R.* 56. Quòd si Sacerdos non possit progredi, sup„plenda erant per alium, quæ restant, Tan. Præp. Mer. „qui apud Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 87. notat licere etiam alteri „unctiones ab initio repetere, perinde, ac si prior „nullam earum inchoasset.

„ X. Etsi in administratione hujus Sacramenti ser„vanda sint omnia præscripta in Rituali, Agenda vel Manuali: mortale tamen non esse, administrare, „in necessitate sine superpelliceo vel stola, docet „*Quint. & Leand.* concedit que *Amicus.* Et Dian. *p.* 8. *t.* 1. „*R.* 79. id excusat ab omni peccato, si infirmus non „sit capax alterius Sacramenti, & ista haberi non „possint contra *Suar. Regin. &c.* „

Imò etiam extra necessitatem non esse mortale, „1. Omittere Psalmos Pœnitentiales, Litanias & cæ„teras preces, docet *Palaus & Gran.* Dico, *extra*, quia, „in necessitate, v. g. tempore pestis, & morte immi„nente, statim ungendus est sine præmissis oration„bus, quæ tamen posteà supplendæ sunt, si supervi„vat infirmus Bon. *d.* 7. *p.* 6. *n.* 8. 2. Deferre ad ægrum, „vel administrare sine lumine, Leand. citans Posse v., „Quint. *t.* 5. *s.* 13. Barbos. *de offic. Paroch. c.* 12. 3. Si solus, „sine ministro administret: imò hoc in necessitate, „permittunt Tol. Sà, & v. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 364. Si un„gat aliter, quàm in forma crucis, Suar. Bec. Laym., „v. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 178. „

XI. Pastor, ratione officii, tenetur sub mortali, „dare iis, qui petunt, nisi justa causa excuset: etiam „tempore pestis, modò possit absque periculo vitæ: „cum eo enim non teneri docent Tann. Dian. *p.* 5. *t.* „3. *R.* 93. Si peste infecti sint confessi, posse sine pec„cato omitti, absolutè docet idem Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* „174. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 83. & 93. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 21. ex Villal., „Tann. Amico, Fran. Lugo, &c. Suar. Fill. Kon. Bon., „*ll. cc.* „

XII. Sacerdos curatus peccat mortaliter, si peten„tem negligat inungere, vel differat cum probabili „periculo, ne sine Unctione moriatur æger, (nisi „justa causa excuset) quia in re gravi non præstat „id, ad quod tenetur ex justitia. Alius verò Sacerdos, „si absente Parocho licitè, & facilè possit, tenetur „ex charitate, sed sub veniali tantùm; nisi tamen „ægrotus valdè indigere, v. g. si alioqui sine omnibus „Sacramentis esset moriturus, quòd aliud nullum „suscipere possit; tunc enim quidam graviorem „obligationem agnoscere, videntur. V. Dian. *R.* 170. „Laym. *l.* 5. *t.* 8. *c.* 7. *n.* 3. „

XIII. Parocho vesperi timenti ne noctu vocetur „ad ægrum, non licet retinere dum sacrum oleum, „ut vocatur possit venire expeditiùs; Licèt venialem „culpam in eo tantùm agnoscat Barbos. *c.* 22. ex Poss., „item Quint. *t.* 5. *s.* 10 tamen à mortali non audet ex„cusare eum, qui semper domi retineret. „

XIV. Decens est, ut stuppa comburatur, quæ ad „singulas unctiones nova adhibenda est, nisi aliud „habeatur in agenda. Laym. *l. c.* Sà. „

Resp. II. Effectus ejus principalis est, roborare „animam contra tentationes dœmonis in morte. Se„cundarius est. 1. decere reliquias peccatorum. 2. „tollere pœnas restantes. 3. aliquando etiam sanita„tem corporis conferre, si expediat, S. Th. Sylv. Suar. „*d.* 41. *sect.* 1. *Unde resolves.* „

Cujus Sacramenti non sunt capaces. 1. Pueri ante „usum rationis; etsi sufficiat ea ætas, qua possunt „peccare, Nav. Suar. *l. c.* 2. Perpetuò amentes; aliis verò „delirantibus, si ante petiverint, aut perituri fuissent, „si cogitassent, aut ostenderint signum doloris, dari „potest, & debet, *Sylv. Henr. Laym.* Et si tales unctioni „resistant, ligandos esse, vel fortiter tenendos, ait „Zambr. apud Dian. *pag. s. t.* 3. *Resp.* 84. qui „cum Barbos. *c.* 22. dicit esse necessarium, quan„do phreneticus non potest aliud Sacramentum „suscipere. „

3. Muti, surdi & cæci à nativitate sunt capaces, „atque adeò debent inungi propè organa sensuum, „quibus carent, etsi exteriùs per illa non peccarint, „potuerunt tamen peccare per interiores potentias, „quibus illa respondent. Posse v. Nald. Præp. Dian *p.* 5. „*c.* 6. *R.* 11. „

» 4. Non ſuſcipere hoc Sacramentum, per ſe lo-
»quendo, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſt
»peccatum mortale, *Suar. Laym. Tann. Eſcob. &c.*
»multò minus peccant mortaliter domeſtici, ſi id
»non procurent. Veniale tamen eſſe docet Kon. *d.*
»19. *dub.* 10. contra Nug. v Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 170. *p.* 8. *t.* 1.
»*R.* 58. *& p.* 5. *t.* 3. *R.* 97. ubi notat ex *Tann.* non cenſeri
»contemnere, qui ſciens prudens omittit tempore
»apto, & oblata commoditate: contrarium tamen
»vult *Tol.* præſertim ſi probabiliter deinceps non ſit
»futura commoditas.

ADDENDA.

2085 *Quæſt.* 311. *Quinam hìc ſint hæreticorum errores vel opiniones aliquorum: & quænam doctrinæ Scripturæ ac Conciliorum?* Reſp. 1. Bell. *hìc c.* 1. oſtendit *Valdenſes, Albigenſes, Wicleff, Luth. Calv.* & alios ſectarios negare ac tantùm irridere hoc Sacramentum Unctionis. Notat etiam Averſ. *hic ſ.* 1. plures catholicos opinatos eſſe hoc Sacramentum non eſſe immediatè à Chriſto, ſed ab Apoſtolis ex commiſſione Chriſti inſtitutum.

2086 §. 1. Certum eſt ex Trid. *ſeſſ.* 7. *Can.* 1. omnia Sacramenta eſſe immediatè inſtituta à Chriſto: quod etiam definit de hoc Sacramento, ut referam n. 2089. quamvis non ita ſciatur quando; probabiliter tamen poſt Reſurrectionem, quando inſtituit Pœnitentiam, cujus conſummativam eſſe Unctionem dicit Trid. *ſeſſ.* 14. *de Extr. Unct. in proœm.* Quòd autem aliqui referunt ex Marci 6. v. 13. *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*, Arcud. *de concord. Eccl. Occid. & Orient. l.* 5. *c.* 8. *& Averſa* probabiliter intelligunt de alia unctione non ſacramentali, de qua *Trid.* dicit, quòd per illam inſinuatum ſit hoc Sacramentum, Catechiſ. Rom. *c.* 2. dicit Chriſtum dediſſe illius ſpecimen, *Arcud. & Averſ.* dicunt adumbratum fuiſſe, ſicuti Baptiſmus Joannis fuit umbra Baptiſmi Chriſti. Et certum eſt ab initio Eccleſiæ multas alias fuiſſe unctiones, quæ non eſſent Sacramentum, uti dixi l. 6. p. 1. n. 381. ad quarum diſtinctionem hæc vocatur *extrema.*

2087 §. 3. Hoc Sacramentum promulgatum eſt à S. Jacobo Apoſtolo in Epiſt. c. 5. v. 14. *Infirmatur quis ex vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* De illo ſic habet *Florentinum p. ſt ſeſſ. ult. in Decreto Eug. IV. ad Armenos. Sacramentum quintum eſt extrema Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ: forma, Per iſtam Unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum &c. deliquiſti*: nam unctio fit, inquit, *in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem.* *Tridentinum* ſuprà dicit Apoſtolica traditione Eccleſiam docere, hujus Sacrmenti *materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum..... formam, illa verba, Per iſtam Unctionem &c.*

2088 §. 4. Præcipuus finis hujus Sacramenti eſt peccatorum reliquias tollere, & juvare homines contra dæmonem in ultimo agone, nam *etſi adverſarius noſter*, inquit Trid. *occaſiones per omnem vitam quærat, & capiet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit, nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ vafritiæ nervos incendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quam cùm impoſitor noſter exitum vitæ perſpexit*: Hinc c. 2. explicans effectum hujus Sacramenti addit, *ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi labores ac incommoda leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit.*

§. 5. Per ſequentes 4. Canones doctrinam hìc ſuam concludit Trid. 1. *Si quis dixerit extremam Unctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, à B. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.* Can. 2. *Si quis dixerit ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema ſit.* C. 3. *Si quis dixerit extremæ Unctionis ritum, uſum, quem obſervat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Jacobi Apoſtoli, ideóque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, anathema ſit.* C. 4. *Si quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adhortando eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ord natos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.* 2089

Q. 312. *Quid notandum ſit circa varias ſententias, quæ concernunt materiam, formam, Miniſtrum, & ſubjectum Sacramenti Unctionis?* Reſp §. 1. Opinio illorum, qui cum *Suar.* dicunt chriſma eſſe materiam validam hujus Sacramenti, quamvis ſit ſpeculativè probabilis, tamen non eſt talis practicè, ſed ſubjacet damnationi *Innoc. XI.* in 1. propoſ. quia *Florent.* & communiſſima apud Averſ. *ſect.* 2. dicit materiam eſſe *oleum olivarum*: & hanc non ſequendo Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, Card. *in 2. criſi diſſ.* 2. *n.* 497. Si tamen deeſſet oleum, liceret uti chriſmate, nam in caſu neceſſitatis, quando haberi non poteſt medium certum, utendum eſt probabili. Quòd ſi poſteà haberi poſſet oleum, aut ſi Paſtor per errorem inunxiſſet ægrum chriſmate, dicendum eſt cum S. Carolo Borrom. *in Inſtr. Paſt.* & aliis cum Illſ. *hic. n.* 1. contra Laym. *l.* 5 *t.* 8. *c.* 2. *n.* 4. Sacramentum debere repeti ſub conditione, quia dubium eſt, an cum chriſmate fuerit validum. Et idem dicit *Synodus Colonienſis*, anni 1662. ſi Sacerdos per errorem uſus eſſet oleo catechumenorum. 2090

§. 2. Putarunt aliqui apud Averſ. *ſ.* 2. de valore non eſſe benedictionem olei: & hoc defendi poſſe dicit etiam Arcud. *c.* 2. ſed poſt damnationem 1. prop. ab *Innoc. XI.* hoc non eſt practicè probabile, nam agitur de valore, & cùm oppoſitum ſit longè probabilius cum S. Th. *in ſuppl. q.* 29. *art.* 5. Averſa, Illſ. ſuprà & communiſſima, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: cui tamen non exponetur, ſecundùm *Averſ.* ſi fiat aliqua benedictio ordinata ad effectum hujus Sacramenti, quamvis non ſervetur illa, quæ in Pontificali præſcribitur. 2091

§. 3. Docent multi benedictionem hujus olei poſſe committi ſimplici Sacerdoti, ſaltem à Papa, nam *Clemens VIII.* die 31 Aug. 1595. *in Inſtruct.* quæ eſt inter illius Conſtitutiones 34. ſic habet: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta præter chriſma, ab Epiſcopis latinis Diœceſanis accipere, cùm hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ſeu benedicantur, chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere.* Unde quamvis S. Th. *art.* 6. Bellarm. *cap.* 7. Dicaſt. *hic n.* 32. Averſ. *ſect.* 2. & communiſſima dicat ex præcepto Chriſti requiri hìc benedictionem Epiſcopi, cùm tamen certum ſit benedici à preſbyteris Græcis approbante latina Eccleſia, ſententia illa pro Eccleſia græca videtur eſſe practicè certa, ſed pro latina eſt ad ſummum ſpeculativè probabilis, pro quo videri debent dicenda n. 2135. 2092

§. 4. Si

2093 §. 4 Si oleo benedicto per decursum anni successivè affundatur non benedictum, & quantitas affusa non benedicti, si omnes partes simul spectarentur, esset superatura quantitatem benedicti, sententia dicens perdi per hoc benedictionem defenditur à multis, uti habet Carden. *à num.* 460. qui hoc dubium misit ad Sacram Congregationem, petens resolvi, an sic fieri possit; quæ 23. Septembr. 1682. respondit posse, adeóque nunc partim ex consuetudine plurimarum Ecclesiarum, partim ex hac declaratione, partim etiam ex *Rituali Romano* practicè certum est; licitum esse sic procedere, dummodò successivè, & per particulas sic affundatur, ut pars nunc affusa sit minor parte altera, cui affunditur, totum enim hoc ipso fit benedictum, uti de aqua benedicta communiter docetur, & hinc si iterum iterumque aliquid affundatur, semper totum est benedictum.

2094 §. 5. *Suar. & Fill.* putarunt ad valorem non sufficere allini unam guttam olei, uti ad Baptismum non sufficit apponi guttam aquæ, sed rectè contradicunt Averss. & Dicast. *n.* 44. *s.* 2. nam si digito allinas guttam olei, diceris ungere: E contrà si digito apponas guttam aquæ, non diceris abluere: ad ablutionem enim requiritur fluxus, uti habet communior ex dictis *l.* 6. *p.* 1. *n.* 258.

2095 §. 6. Per formam hujus Sacramenti necessariò significari debent. 1. Actio ungendi, uti Averss. *s.* 3. cum communi tenet. 2. Modus deprecationis, ut probabiliùs tenent S. Th. *in suppl. q.* 29. *art.* 8. S. Bonav Sot. Suar. Valent. Con. Bon. Averss. & alii cum Dicast. *hic d.* 1. *dub.* 4. quia S. Jacobus *n.* 2087. relatus dicit, *inducat presbyteros & orent super eum ungentes &c. & oratio fidei &c.* oppositum tamen tenent *Alb. Magn. Rich. Palud. Estius, Becan* putantes sufficere, si in indicativo diceretur, *ungo te in indulgentiam delictorum, quæ admisisti per visum &c.* 3. Deprecatio pro remissione peccati, & quidem commissi per sensum, quamvis enim Bosco *de pœnit. d.* 7. *s.* 3. *n.* 31. putet non esse opus exprimere peccatum, sive Tò *quidquid deliquisti*, patet illius sententiæ praxin esse illicitam. Formas saltem secundùm verba alias apud græcos & alios latinos usitatas, refert Arcud. *c.* 5.

2096 § 7. Si dicatur, *ungo te, ut Deus tibi indulgeat, quidquid deliquisti per visum &c.* Nugn. & Bon. dicunt obstare valori, sed negant Suar. Laym. Dian. Averss. *s.* 3. Dicast. *n.* 65. videtur enim manere sensus deprecativus: praxis tamen est illicita, secundùm sæpè dicta.

2097 §. 8. Quandonam mutatio materiæ sit substantialis vel tantùm accidentalis, colligitur ex dictis *l.* 6. *n.* 1. *à n.* 18. ubi *n.* 26. dixi usurpationem antiqui olei pro novo non esse substantialem. Quandonam mutatio formæ hic sit substantialis vel tantùm accidentalis dixi ibid. *à n.* 29. ubi *n.* 33. addidi si plures ungant singulos sensus; Sacramentum valere. Ibid *n.* 42. dixi fore mutationem accidentalem sed notabilem, ideóque peccaturum mortaliter, qui hìc usurparet oleum antiquum pro novo; qui omitteret nomen sensus illius, qui inungitur, aut verba illa, *& suam piissimam misericordiam*, maximè cùm Nugn. Bellarm. *c.* 7. & alii dicant hæc verba esse de essentia. Rectè autem docet Averss. *s.* 3. quamvis Rit. Rom. velit dici, *per hanc sanctam Unctionem* tamen Tò, *sanctam*, non esse de essentia, licèt videatur dubitare, Suar. Florent. enim & Trid. non addunt. Si ungens dixerit, Indulgeat tibi Deus, quidquid *deliquisti*, pro, *deliquisti*; rectè dicit Gob *n.* 8[illegible] debere iterari.

2098 §. 9. Non tantùm materia & forma, sed etiam partiales materiæ hujus Sacramenti moraliter conjungi debent: hinc si una Unctio quadrante horæ distaret ab altera putant Nugn. & Averss. *s.* 5. Sacramentum fore nullum. Quòd si Sacerdos post aliquas Unctiones deficeret, putant multi alium Sacerdotem debere tantùm addere reliquas Unctiones, sed *Merat.* putat non esse certum valorem Sacramenti sic per partes successivè à pluribus ministrati, ideóque Unctiones omnes sub conditione ab initio repetendas, quod etiam admittit Averss. *s.* 10.

§. 10. Quamvis Waldensis putaverit hoc Sacramentum in necessitate posse ministrari ab inferiore Clerico, aut etiam à laico, tamen omnes alii, inquit Averss. *s.* 10. pro certo docent neminem nisi Sacerdotem, nequidem ex dispensatione Papæ, posse ministrare, quod probat saltem praxis Ecclesiæ, quæ nunquam dispensat, ut ab alio fiat. 2099

§. 11. Cum S. Jacobus dicat *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes*, Græci ad hoc Sacramentum ministrat[illegible]um adhibent septem presbyteros, aut saltem tres: sed rectè docent S. Thom. aliique PP. cum Arcud. *c.* 3. & Averss. *s.* 10. practicè certum esse, quod sufficiat unicus. Et quamvis adessent plures, rectè ostendit Arcud. *c.* 6 esse usum apud Græcos, quod singuli ungant eandem partem, repetita toties forma. 2100

§. 12 Plures Græci putant etiam non ægros esse capaces hujus Sacramenti, propter immaturam mortem, quæ sæpè contingit: sed contradicunt latini omnes cum S. Th. *in supp. q.* 32. *art.* 1. hinc Arcud. *c.* 4. dicit usum Græcorum esse merum abusum. Exemplum autem S. Heduvigis ante morbum petentis Unctionem, uti refert Rayn. *in Heter. T.* 16. *s.* 1. *p.* 12 *n.* 2. fuit extraordinarium ex instinctu divino. Fatetur tamen *Arcud.* sæpiùs etiam à viris sanctis frontem energumenorum vel etiam locum affectum hominis non ægri esse isto oleo unctum, sed non per modum Sacramenti: hinc addi non debet forma Sacramenti, nec cæremoniæ consuetæ. 2101

§. 13. Si sciretur, quod æger nunquam actualiter peccasset, *Nugn. Syl. Jo. Sanch. Arc.* putant non fore capacem hujus Sacramenti, & consentit Averss. *s.* 8. si nequidem ante Baptismú actualiter peccaverat: sed contradicunt Suar. Henr. Con. Fill. Vill. Regin. Bon. Dian. Dicast. Compt. Rayn. *n.* 6. quia fines hujus Sacramenti sunt alii præter sublationem peccati vel reliquiarum ejus, uti constat ex dictis *n.* 2088. & dicendis *n.* 2111. & 2119. Et ideò plures secundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *n.* 181. putarunt Beatam Virginem etiam suscepisse hoc Sacramentum, sed hi supponere debent eam ex infirmitate aliqua decessisse, hinc meritò cum aliis contradicit Illsf. *n.* 13. 2102

§ 14 Certum est ex Trid. *c.* 3. contra Goffridum apud Ray. *n.* 13. hoc Sacramentum esse iterabile. Ut autem redeunte periculo in eodem morbo iterum inungi possit infirmus, *Age da Colonienses* dicit infirmitatis statum per moram diuturnam ita interrumpi debere, ut judicio communi videantur esse morbi distincti: sed Synodus Colonienses *c.* 3. §. 7 rectè dicit, *si melius habere cœperit, & Medicorum judicio extra probabile seu propinquum mortis periculum fuerit constitutus*, posse utiliter iterari; Hinc S. Th. Kellis. Dian. Busemb. & alii cum Rayn. *n.* 15. dicunt, si in eadem infirmitate diu durante, v. g in hydropisi, phthisi, notabiliter varierur morbi status, ita ut æger evadat è periculo proximo mortis, licèt non è morbo, & relabatur in tale periculum, posse Sacramentum reiterari: Iteratum autem in eodem morbo & periculo est irritum, Averss. *s.* 5. 2103

§. 15. Latini ungunt quinque sensus, uti dictum est n. 2087. Græci autem frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, ex utraque parte, & pedes, Arcud. *c.* 7. Et quamvis multi apud Averss. *s.* 4. putent de valore non esse, ut ungatur ullus sensus, sed satis esse ungi aliam corporis partem: item quamvis aliqui apud Dicast. *hic n.* 68. putent opus non esse expli- 2104

explicitè & directè significari ullum sensum in particulari, tamen utrumque oppositum est longè probabilius; hinc sententiæ illæ non sunt practicè probabiles.

2105 §.16. S.Th. *in suppl. q.30. art.1. ad.3* Aversf. *s.4 & 5.* Dicast. *n.49.* & alii dicunt singulas sensuum unctiones esse de essentia hujus Sacramenti, ideóque Sacramentum non existere nec causare ante positam ultimam: Oppositum valdè probabiliter tenèt Suar. Henr. Con. Lay. Arcud. Serar. aliiq; multi cum Diana *p.3 t.4. res.168.* & Illf. *n.4.* quamvis enim singulorum sensuum unctiones non sint integrum, & completum Sacramentum, attamen sunt quasi incompletum, simili modo, quo singulæ species panis, & vini in Eucharistia sunt Sacramentum inadæquatum Ordinis, ideóque illa singula seorsim causant speciales gratias sibi correspondentes Sed non obstante quacunque probabilitate hujus sententiæ praxis illius non est tuta, quia cùm non sit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, Card. *n.497.*

2106 *Q.313. Quid præterea sit notandum circa Sacramentum Unctionis?* R. seqq §. Dixi l.6. p.1. n. 202. Unctionem cum obice gratiæ susceptâ reviviscere, si intra tempus ejusdem morbi removeatur obex: possuntque plura de hoc videri apud Aversf. *s.7.* Item *hic n.1875.* dixi surdo, muto & cæco, qui nunquam habuit usum rationis, dari non posse, sed tantùm illi, qui habuit usum rationis, & instructionem aliquam: Etiam hìc *n.1953.* dixi daturum Unctionem non debere interrogare Confessarium, an æger sit absolutus, sed tantùm an sit confessus.

2107 §.2. Hoc ipso, quod quis Christianus sit, censetur velle sibi dari hoc Sacramentum, quamvis nec petierit, nec ullo sensu nunc utatur, qui enim est in Ecclesia, & in ea vult mori, vult ejus Sacramentis juvari debito tempore. Barbos. Dicast. Burgh. *cent. 3. cas. 76.* Steph *t.5. d.6. n.14 & 18.* Et secundùm dicta l.6. p.1. n.172. hìc sufficit voluntas interpretativa, de qua S. Aug. *l. de adult. cong. c. ult.* ait: *Multo satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi, velit an nolit, non apparet: attamen credibilius est eum, si posset, velle se potiùs dicturum fuisse.*

2108 §.3. Reus, qui sumpto veneno expectat mortem est inungendus, quia venenum reddit periculosè infirmum, Aversf. *sect.8.* Steph. *n.14.* Reum autem rotæ affixum non tenetur Parochus inungere, cùm non sit consuetudo: potest tamen, si reus ferventer petat, cùm graviter infirmetur ex divulsione membrorum, Lohn. Gob. *t.8. n.850.* Ungendus etiam est ille, qui est in mortis periculo, eò quòd sisti non possit sanguis per nares affluens, Steph. suprà. Item puerpera, si fœtus sit extrahendus vel mors ob specialem rationem timeatur in hoc partu, Sylv. Nav. Alcoz. Lohn. Item quia senectus ipsa est morbus, inungendus est senex deficiens, *Rit. Rom.*

2109 §.4. Reo decapitando vel suspendendo, item inituro prælium vel periculosam navigationem non datur, cùm non dicantur infirmi. Si autem alicui abscindatur pes vel manus, Quintan. & Gob. putant inungendum, quia meritò timeri potest, ne deficiat. Negat probabiliùs Lohn. quia experientia docet ordinariè non deficere, & alioqui, qui secatur pro calculo vel ruptura etiam esset inungendus.

2110 §.5. Pueros septennium vix egressos inungi posse negant Sot. Vivald. & alii, & videtur consentire S. Th. *in suppl. q.32. art.4* quia non habet actualem devotionem: hinc Sot. Lop. *Agenda Colon.* dicunt ætatem huic Sacramento præfinitam esse eandem, quæ Communioni. Addunt cum S.Th. *art.3.* non esse ungendos furiosos & amentes, nisi in lucido intervallo. E contrà non esse expectandam ætatem Communioni præfinitam rectè cum communi dicunt Aversf. *sect.8.* & Rayn. *nn.10.* Imò dari posse pueris omnibus, si peccati capaces fuerint, docent Zamb. Sà, Laym. Aversf. Rayn. Burgh. *cent.3. casu 93.* & alii communiter. Et idem videtur esse de furiosis & amentibus, qui habuerunt usum rationis, si absit periculum irreverentiæ, uti habet Rit. Rom. & Syn. Colon. anni *1662. cap.3. §.6.* ac communiter Theologi cum Rayn. *n.8.* Et ad cavendam irreverentiam, tales homines ligari posse notant gravissimi Auctores cum Aversf. Similiter dandum est ebriis deficientibus, nisi constet esse in mortali, Lohn Gob. *n.832. 892.* Item vulneratis in duello, si post illud superfuit tempus pro contritione, quod in dubio est præsumendum, Con. Laym. Tamb. Lohn.

§.6. In dubio, an puer vel quicunque alius æger 2111
unquam sit usus ratione, ungendus est, quia hoc Sacramentum non est tantùm ad peccata, & peccati pœnas tollendas, sed etiam, ne æger in agone tentationibus succumbat, & ut, si ita expedit, sanitati restituatur, Zamb. J. Sanch. Dian. Aversf. Rayn. *n.10.* Schild. *t.6. c.6.* Hinc etiam dari debet illi ægro, qui in articulo mortis baptizatur, Rich. Palud. Sylv. Suar. Henriq. Zamb. Dian. Rayn. *n.6.* Castrop. *tr. 26. pun.6. n.9.* Saltem sub conditione, si post Baptismum peccarit; inquiunt Leand. & Dicast. *n.156.* sed secundùm dicta nu. 2102. opus non est conditionem illam addere. Item dari debet in omni alio dubio, v. g. an sit in mortali, an adsit periculum mortis, quia in extrema necessitate præsumendum est in favorem hominis, pro quo instituta sunt Sacramenta, Chapeav. Lohn. Schild. suprà.

§.7 Si peste infectus non possit recipere aliud 2112
Sacramentum, tenetur Parochus per se vel per alium ei ministrare Unctionem, etiam cum periculo contagii, ut colligitur ex dictis l.3. p.1. à n.755. tum enim est gravissima necessitas parochiani, fortè constituti in mortali, quo per hoc Sacramentum liberari potest; vel si in mortali non sit, poterit accipere vires ad resistendum dæmoni & feliciter emigrandum, Suar. aliique communissimè cum Card. *in 1. crisi d.76. c.3.* Idem est, si infectus receperit Sacramentum Pœnitentiæ sed non Eucharistiæ, quamvis enim tum non sit in extrema necessitate, tamen est in gravi, in qua etiam tenetur subdito subvenire Parochus, secundùm dicta l.3. p.1. n.755. potuit enim pœnitentia fuisse defectuosa, quæ per hoc Sacramentum per accidens supplebitur in ordine ad causandam primam gratiam.

§.8. Aliqui, ut se Christo à Patre derelicto, & 2113
sine Sacramentis morienti conforment, renuunt etiam hoc Sacramentum suscipere, sed rectè ostendit Rayn. *n.16.* hanc esse apertam deceptionem diaboli, qui hominem supernaturali hoc auxilio destitutum devorare quærit. Quamvis autem, si æger receperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, S. Thom. Aversf. *c.9.* Rayn. *n.6* & alii communiter dicant non esse obligationem sub peccato suscipiendi hoc Sacramentum, tamen esse obligationem suscipiendi docent Mag. P. Sot. Turr. Genett. *hic. c.3. q.1.* hinc *Syn. Colon.* anni *1662. c.3. §.5.* vult, ut nolens suscipere careat Ecclesiastica sepultura. Licèt autem Parochus sentire vellet cum prima sententia, tamen, si æger petat, tenetur ex justitia & sub mortali ministrare, quia hoc Sacramentum est magnæ utilitatis, & illud ministrare spectat ad officium, quod parochus in se sumpsit, habetque parochianus jus ad illud petendum, & suscipiendum. Suar Card. suprà, Aversf. *s.10.* & alii. Inde tamen malè inferunt aliqui obligationem etiam sub mortali suscipiendi, nam Parochus peccaret mortaliter, si toto anno extra Pascha nollet parochiano suo ministrare Eucharistiam, hic tamen si non sumat, non ideò peccat. Concludit Illf. *n.15.* quamvis nullum exeat illius recipiendæ præceptum tamen vix posse omitti sine veniali propter

aliqualem

aliqualem saltem negligentiam.

2114 §.9. Arr. & Gobat. docent contra alios apud Busemb. licitum esse Parocho ferre sacrum oleum ad domum suam, quando probabiliter credit se noctu vocandum: intellige, si aliàs foret periculum, ne fortè serò veniret.

2115 §. 10. Dicast. *t.* 3. *n.* 150. dicit se vidisse à viris non indoctis ministrari Unctionem mediante argentea virgula, etiam extra tempus pestis: sed quamvis hoc non obstet valori; tamen Avers. *s.* 4. dicit fore mortale, si extra tempus pestis fiat, quia est in re notabili contra universalem consuetudinem Ecclesiæ.

2116 §. 11. Quamvis sit gravis obligatio in administratione hujus Sacramenti, utendi habitu, id est, superpelliceo, & stola, attamen in necessitate posset ministrari sine habitu.

2117 §. 12. Unctio oculorum incipit ab oculo dextero, similiter à dextera aure, manu, pede &c. nec tota forma est enuncianda, priùs, quàm utrumque membrum sit inunctum: satis autem est unctionem fieri in palpebra oculi, in labiis &c. Secundùm Rit. Rom. manus exteriùs unguntur Presbyteris, reliquis autem interiùs: secundùm *Agendam Colon.* unguntur manuum palmæ tam Sacerdotum quàm laicorum. Pedes unguntur in planta, quia hac præcipuè ambulamus. Rit. Rom. dicit inunctionem renum omitti etiam in viris, *quando infirmus commodè moveri non potest. Agenda Colon.* ait, *renum inunctio propter honestatem tam in viris, quàm in mulieribus fere omittitur, eorumque loco pectus circa regionem cordis sacro oleo liniri solet*, quod intellige de viris, maximè cùm Rit. Rom. dicat, *sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Nec est de valore, ut ungatur uterque oculus, utraque auris &c. sed satis est ungi unum ex illis organis: item de valore non est, ut isto ordine ungantur sensus, aut in formam crucis: qui tamen aliquid horum negligeret, peccaret etiam graviter pro qualitate transgressionis. Si ungatur pars corporis infecta lepra vel gangrena, expedit oleum, ne totum inficiatur, accipere calamo vel festuca, & applicare pollici.

2118 §. 13. Populus dedoceri debet sequentes errores 1. quòd inunctus citiùs sit moriturus: imò rectè notat Bellarm. *de arte bene moriendi l.* 2. *c.* 8. causam, cur multi ægri non convalescant, esse, quòd tam tardè petant extremam unctionem: hinc Syn. Colon. *c.* 1. dicit suscipiendam, *quando est verisimile mortis periculum propter infirmitatem.* 2. Quòd inunctus non possit condere testamentum, nam per hoc Sacramentum nullius rei vel dispositionis sit incapax. 3. Quòd inunctus, si convalescat, peccet, si incedat nudis pedibus. Et has aniles fabulas vide fusè rejectas apud Rayn. *à n.* 3.

2119 §. 14. Per *peccati reliquias*, quas Trid. *c.* 2. dicit hic abstergi, multi apud Avers. *s.* 6. putant intelligi sola venialia, sed improbabiliter, inquit Bellarm. *hic c.* 8. nam S. Jacobus dicit *si in peccatis*, simpliciter; & forma habet *quidquid deliquisti*, ergo malè restringitur ad venialia: hinc dicendum cum S. Th. *in suppl. q.* 30. *art.* 1. Bellarm. Avers. Arcud. *c.* 8. intelligi, partim peccata, etiam mortalia, inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; partim pœnas peccatorum & speciatim languorem vel anxietatem relictam post peccatum, ideóque S. Jacobus ait, *alleviabit eum Dominus.*

2120 §. 15. Quamvis Rit. Rom. dicat ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum esse, & fortè sit obligatio, sed sub veniali tantùm, inquit Avers. *s.* 9. ut si tempus & infirmi conditio permittat, Pœnitentia & Eucharistia ante Unctionem suscipiatur, tamen de hoc nullum est præceptum, & exempla multa de suscepto post Unctionem Viatico refert Rayn. *n.* 12. Et saltem si infirmus aliquanto tempore supervivat, & iterùm petat Viaticum, debet ei administrari: ac quoties voluerit, est pro Confessione audiendus, & absolvendus, Synod. Colon. *cap.* 3. §. 6.

2121 §. 16. Ritual. Rom habet, vas, quo asservatur hoc oleum, esse argenteum aut stanneum: item si oleum deportetur ad ægrum, ob effusionis periculum posse deferri in lana bombycina. Denique si periculum sit, ne infirmus decedat, antequàm fiant omnes Unctiones, citò ungantur sensus, & forma sic proferatur, *per istas sanctas Unctiones, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, gustum &c. deliquisti.* Deinde si adhuc supervivat, repetantur unctiones singulorum sensuum, & addantur orationes prætermissæ: si verò, dum inungitur decedat, presbyter ultrà non procedat, & prædictas orationes omittat. Quod si dubitet, an vivat, adhuc Unctionem prosequatur sub conditione pronunciando formam, *si vivis, per istam sanctam Unctionem &c.* Ita Rit. Rom.

CAPUT II.

De Sacramento Ordinis.

DUBIUM I. 2122

Quid Ordo, quotuplex, & quæ ejus materia.

Resp. I. Ordo est Sacramentum, quo traditur potestas circa Eucharistiam ritè administrandam. Ordines universim sunt septem, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. Quod rursus est duplex, Minus & Majus, sive Episcopatus: Unde quidam octo numerant. Prima verò tonsura non est Ordo, nisi latè, sed tantùm dispositio ad Ordines per quam quis fit Clericus & capax beneficii Ecclesiastici ac privilegiorum Clericalium. Ex his tres posteriores dicuntur Majores sive sacri, ob annexum votum solemne castitatis, etsi ordinatus per gravem metum vel nimiis blanditiis, & importunitate parentum probabiliter eo non teneatur, nisi sponte ratificaverit, Suar. *d.* 29 Azor. Fill. *t.* 10 *c.* 4 *q* 3. Kon. *n.* 150 Bon. *de matr. q.* 3 *p.* 9) Reliqui Minores, quos cum Vasq alii Sacramentum esse negant, alii cum Bellar. Kon. Fill. &c. communiùs, & probabiliùs affirmant. Et quidem unum, vel perfectione ac fine, vel unitate attributionis. V. Fill. *tr.* 9. *c.* 1. Bon. *d.* 8. *q.* 1.

Resp. II. Materia remota Ordinum, est aliquod instrumentum, traditum ordinandis in signum potestatis spiritualis. Proxima, est ejusdem traditio & acceptio: cujus contactum physicum & immediatum, etsi non esse essentialem aliqui probabiliter doceant cum Sa, Henr. Reg. Laym. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *res.* 185. &c. aliis, quos citat; contrarium tamen communius est ac tutius, ut altera saltem manu tangatur; imò ex præcepto, ad scrupulum vitandum, utraque manu, & quidem omnia, v. g. calix cum patena, hæc cum hostia, ut docet Fill. idque simul cum prolatione verborum Episcopi. V. Laym. *l.* 5. *t.* 9. *c.* 5. Bon. *d.* 8. *q.* 1. *p.* 3. Dian. *p.* 8. *t.* 1. *res.* 40. & 42.

Resp. III. Ostiarius ordinatur traditione clavium Ecclesiæ; Lector, libri lectionum; Exorcista, libri Exorcismorum; Acolythus, ampullarum vacuarum, vel saltem unius candelabri cum cereo extincto, quia ejus est præparare lumen, vinum & aquam ad Missam; Subdiaconus, traditione calicis vacui, cum vacua patena superposita, quia illius est hæc ad Missam præparare; Diaconus, impositione manus, & traditione libri Evangeliorum, quia ejus est catechizare, cantare Evangelium, &

„& cum facultate Parochi prædicare, baptizare „Eucharistiam dare, *v. suprà*; Sacerdos, traditione „calicis cum vino & patenæ cum pane, addita forma, „qua datur potestas sacrificandi, deinde impositione „manus, addita alia forma, qua datur potestas re„mittendi aliis peccata. V. Fil. *t.* 9. *c.* 2 Reg. Bon. Dian. „*p.* 3. *t.* 4. *r.* 186. 187. & 188. & *p.* 8. *l. c. Ex dictis re„solves.*

„ I. Potest Episcopus extra diœcesin suis subditis „conferre primam tonsuram, quia non est Ordo, „Bon. & alii 4. cum Dian. *p.* 4. *t.* 4. *r.* 143. contra Barb. „Sanch. &c.

„ II. Quando dubium occurrit, an Ordo sit verè „collatus, v. g. quia materia fuit dubia, iterari po„test, & debet sub conditione: Quando verò sunt „rationes utrimque probabiles pro nullitate, & vali„ditate, ait Dian. *p.* 5. *t.* 3. *res.* 47. ex Gran. posse „iterari sub conditione, imò debere, si sit Episco„palis vel Sacerdotalis; v.g si Sacerdos vel Episcopus „non tetigisset vasa sacra, aut illud instrumentum, „in cujus porrectione imprimitur character. Excipit „tamen Sacerdotem, qui immediatè tetigit patenam, „sed non hostiam. Eum verò, qui non tetigit calicem, „& patenam, dum forma proferebatur, sed paulò post, „posse quidem ad majorem animi sui quietem sub „conditione iterùm ordinari, non tamen esse neces„sarium, docet Lug. *resp. mor. l.* 1. *d.* 33. Rectè au„tem notat Dian. *l. c.* etiamsi quis timeat, ne invali„dè ordinatus sit, aut non recordetur se tetigisse „sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non „illicò iterandum esse Ordinem, cùm sola oblivio „vel etiam timor non sufficiat ad prudens ac ratio„nabile dubium vel probabilitatem.

„ Resp. IV. Episcopus non potest ordinare nisi „subditos, vel ratione originis (si scilicet in ejus „diœcesi sint nati,) vel ratione domicilii, voluntate „istic perpetuò habitandi, vel ratione beneficii in „sua diœcesi existentis, Dian. *p.* 8. *t.* 2. *r.* 8. Lez. „Præp. &c. comm. Quocunque autem horum modo„rum sint subditi, licitè eos ordinat, ut habetur „*hic c. Cum nullus, de temp. ordin. in* 6. & ex communi „Henr. Less. *l.* 2. *c.* 34. *d.* 19. *Unde resolves.*

„ I. Qui in una diœcesi est natus, in altera habet „domicilium, in tertia beneficium, à quovis trium „istorum Episcoporum potest Ordines vel dimis„sorias accipere. Præp. *q.* 1. *d.* 14. Laym. *c.* 9. Dian. „*R.* 8. & 9. ubi cum Aversa. & *aliis* 3. contra Barbos. „dicit, etsi ab uno eorum acceperit Ordinem unum „posse alterum ab alio accipere.

„ II. Potest quis ordinari ut originarius, ubi „ipse vel pater ejus est natus, Barbos. Zerola, „Aversa. & alii 9. cum Dian. *res.* 12. Non tamen „potest ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi natus „est fortuitò v.g quia mater ibi itineris vel negotio„rum causa degebat, quia non contrahit ibi civilita„tem originis, sed ubi parentes domicilium habent, „ibi enim natus esse censetur, Sanch. & alii 7. cum „Dian. *res.* 11. contra Hurt.

„ III. Qui in diversis Episcopatibus habet duo do„micilia, in quibus æqualiter (etsi non mathe„maticè) habitat, potest ab utriuslibet loci Episco„po ordinari, quia utrique est subditus ratione „domicilii, Præp. *l. c.* Sanch. Aversa. &c. cum Di„ana. *res.* 14. ejus tamen filius ab illo tantùm in „cujus diœcesi natus est: quòd si fortuitò extra utri„usque diœcesin sit natus, ab utrovis potest ordinari, „quia uterque censetur ejus Episcopus originis, „cùm non sit potior ratio de uno, quàm alio, Præp. „Dian. *l. c.* Natus autem ex fornicatione, matris „potiùs, quàm patris domicilium sequitur, Præp. „Dian. *res.* 18.

„ IV. Qui plura habet in diversis diœcesibus bene„ficia, potest à quolibet illorum Episcoporum ordina„ri, Garc. Præp. *l. c.* Dian. *res.* 25. „

„ V. Studiosi qui in universitate habitant (etiam „ultra decennium) animo redeundi in patriam, „non contrahunt ibi domicilium, atque adeò ab ejus„loci Episcopo ordinari non possunt: Imò si istic„ducant uxorem, nec filii eorum: sicut enim is non„dicitur Episcopus domicilii respectu patris, ita nec„Episcopus originis respectu prolis, quæ nata fingitur„in domicilio patris, Dian. *res.* 15. & 17. „

ADDENDA.

Quæst. 314. *Quinam hìc sint hæreticorum errores, & quæ doctrinæ Scripturæ ac Conciliorum?* R. §. 1. 2123
Præcipuus error est Lutheri, Illyrici, Kemnitii & aliorum, qui negant Ordinem esse Sacramentum, uti refert Bellarm. *T.* 3. *controv. de sacram. Ordinis c.* 1. sed Ordinem esse verè & propriè Sacramentum à Christo institutum, de fide est ex Trid. uti referam *n.* 2129. ac clarè colligitur ex Scripturis: ad Ephes. 4. *v.* 11. & 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 6. aliisque locis apud Bellarm. *c.* 2. qui sequentibus capitibus idipsum fusè probat ex traditione SS. PP. & ratione ipsa: breviter Aversa. *de Ordine q.* 1. *s.* 1.

§. 2. Ordinationem Ministrorum Ecclesiæ spectare ad laicos vel ad Magistratus politicos docuerunt 2124
Vvicleff, Huss. Luth. Calv. aliique Sectarii, uti refert Bellarm. *tom.* 2. *l.* 1. *t.* 1. *Clericis c.* 2. *qui c.* 3. & *sequentibus*, ac post eum Aversa. *q.* 3. *s.* 1. evidenter ostendunt id à Christo commissum esse Apostolis, Episcopis aliisq; authoritatem spiritualem habentibus in Ecclesia. Quod autem alii dixerunt, etiam mulierem esse capacem Ordinum, videri potest confutatum apud Dicastillum *de Ordine dup.*

§. 3. In hoc Sacramento carpunt præcipuè hæ- 2125
retici, quòd pro sacris Ordinibus requiramus cœlibatum, sed Bell. *suprà de Clericis c.* 18. & 19. ostendit cœlibatum illum antiquitus & jure Apostolico merito annexum esse sacris Ordinibus: similiter obligationem continentiæ esse antiquissimam, Ostendit. Av. *q.* 4. *s.* 5. ab ipsis usque adeo Apostolis: convenientiam autem exponit *s.* 6.

§. 4. Duo præterea in hoc Sacramento argu- 2126
unt hæretici, nempe unctionem & tonsuram; sed unctionem esse antiquissimam cæremoniam Ecclesiæ Christi, ostendit Bellarm. *tom.* 3. *de Sacram. Ordinis c.* 12. Tonsuram autem esse pariter antiquissimam, & in Ecclesia semper usurpatam ostendit *tom.* 2. *l.* 2. *de Monachis cap.* 40.

§. 5. Fuit etiam error aliorum, qui dixerunt 2127
simplices Sacerdotes posse idem, quod possunt Episcopi, nec hos esse illis superiores: sed oppositum est de fide ex Trid. *uti referam n.* 2129. potestque veritas catholica videri latè probata à Bellar. *to.* 2. *l.* 1. *de Clericis c.* 14. & 15. E contrà tamen audiendi etiam non sunt alii, qui plus æquo tribuunt dignitati Episcopali, & putant dedecere Episcopum, ut aliquando hostiam à simplici Sacerdote consecratam sumat, hos enim rectè arguit S. Hieron. & post eum Rayn. *in Heter. T.* 16. *s.* 1. *pu.* 13. *n.* 10.

§. 6. Florentinum *post sess.* ult. in Decreto Eug. 2128
IV. ad Armenos de hoc Sacramento ita docet: *Sextum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua supposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.*

§. 7. Trid.

2129 §.7. Trid. *sess.*23. doctrinam catholicam de Sacramento Ordinis proponit per hos 8. Canones 1. *Si quis dixerit non esse in novo testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi Evangelii, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.* 2. *Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur, anathema sit.* 3. *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse, tantùm ritum quendam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.* 4. *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.* 5. *Si quis dixerit sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantùm non requiri sed contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis cæremonias, anathema sit.* 6. *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, vel Ordines ab illis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos qui nec ab ecclesiastica, & canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, & sacramentorum Ministros, anathema sit.* 8. *Si quis dixerit Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.* Atque ex jam dictis supponendum est cum Theologis, & Aversa *hic q.*2. *s.*1. contra multos canonistas ad valorem Ordinis requiri materiam, & formam, nec posse solo verbo conferri à Papa dicente v.g. *Esto Sacerdos.*

2130 §.8. Adhuc notanda sunt seqq.1. Materia remota hujus Sacramenti sunt instrumenta, quæ traduntur; proxima est eorum traditio, vel in quibusdam Ordinibus, materia remota sunt manus Episcopi, proxima est illarum manuum impositio. 2. Multiplices ab initio Ecclesiæ fuerunt manuum impositiones, uti retuli l.6.p.1. n. 381. quod advertendum est pro explicandis variis Canonibus Conciliorum, & dictis SS. PP. 3. In Ordinatione presbyteri apud latinos est duplex manuum impositio. De *prima*, quæ fit ad Tractum ante Evangelium, sic habet *Pontificale Romanum*: *Pontifex imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successivè, nihil dicens: idemque faciunt post eum omnes sacerdotes, qui adsunt.* De *secunda*, quæ fit post communionem, sic habet: *Pontifex cum mitra sedens super faldistorium ante medium Altaris imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* 4. Forma hujus Sacramenti sunt verba, quibus significatur traditio potestatis respondens Ordini, qui confertur, uti patet ex jam dictis.

Objic. Florentinum non assignat manuum impositionem pro materia ullius Ordinis apud Latinos, ergo perperam hoc asseritur. R. n. conf. Mens Florentini non fuit tradere materias, & formas adæquatas omnium Sacramentorum, nam certum videtur, quòd secunda manuum impositio, & forma illi respondens sit de essentia Presbyterii apud Latinos, uti communissimè Authores cum Dic. *hic n.*145. Item ad materiam partialem Diaconatus communiter requirunt authores etiam impositionem manus Episcopi, & tamen de his non meminit *Florent.* uti nec de benedictione chrismatis confirmandorum, quæ tamen secundùm dicta l.6.p.1.n.374. requiritur ad valorem. Item non meminit de intentione Ministri nec de consensu suscipientis Sacramentum, quæ etiam secundùm ibidem dict. n. 54. & 166 requiruntur ad valorem sacramentorum. Itaque secundùm Lugo *de sacram.d.*9.*n.*121. & Dicast *hic n.*191. Florent. tantùm voluit dare exempla in unoquoque Sacramento; vel potiùs secundum Bellarm. *de Ordine c.*9 voluit ea tantùm tradere, quæ omneni poterant ignorare, aut in quibus fortè errabant, de manuum autem impositione non dubitabant, sed fortè de eo, an apud Latinos opus esset omnibus istis aliis materiis. Addit Amic. *de sacr. d.*2. *n.* 66. ideò potuisse assignasse aliquas alias materias quàm impositionem manuum, quia illæ aliæ materiæ erant expressiùs, & clariùs significantes potestatem, quæ traditur, e contra impositio manuum est materia magis indifferens, & communis pluribus Sacramentis.

*Q.*315. *Cùm unica sit Ecclesia, quæ habere debet ubique eadem Sacramenta, quomodò fiat, quòd Ecclesia Græca, & Latina non utantur eisdem materiis Ordinum?* 2131 Resp. Presbyteratus & Diaconatus apud Græcos conferuntur per solam impositionem manuum, apud Latinos autem Presbyteratus præter impositionem manuum requirit traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, uti constat ex dictis: similiter Diaconatus requirit etiam traditionem libri Evangeliorum, uti posteà dicetur. Inde oritur difficultas, quomodo apud Græcos & Latinos sit idem Sacramentum Ordinis de quo licèt aliquid dixerim l.6.p.1. n. 16. tamen hic res ista magis explicanda est: Variæ autem sunt opiniones Authorum.

§.1. Non nemo putavit etiam apud Græcos re- 2132 quiri, ut pro Presbyteratu tradantur patena, & calix, &c. favetque Tann. *de sacram. d.* 7. *q.* 1. *dub.* 3. & 4. putans semper in omni Ecclesia fuisse, & adhuc esse opus adhibere utramque illam materiam, additque cum Henriq. olim v. g. quando S. Stephanus ordinatus est Diaconus, pro libro Evangeliorum, quæ necdum scripta erant, traditam fuisse cartam continentem mysteria quædam evangelica. *Contrà* est, nam Bellarm. c.9. Arcud. *de concord. Eccl.occid.& orient.l.*6. *c.*3. & 4. Amic. *de sacram. d.*2 *sect.*4. rectè ostendunt ex Conciliis, & PP. olim per manuum impositionem ordinatos esse Presbyteros, & Diaconos: Lugo autem *de sacr.d.*2 *s.*5. testatur se vidisse Romæ, quòd sciente, & consentiente Papa ordinati sint presbyteri Græci à Græcis Episcopis per solam manuum impositionem cum hac forma, *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat seu promovet Titium venerabilem Diaconum, in Presbyterum*: neque de valore talis ordinationis dubitatum est in Florentino, neque Latini quidquam ideò objecerunt Græcis, imò sic ordinati in Ecclesia Græca hodie dum assumuntur ad Latinam, fiuntque Archi-Episcopi, & Cardinales. Præterea in constitutione Clement. VIII. de qua dixi n.2092. habetur: *Insuper S. D. N. constituit Romæ habendum esse Episcopum Græcum catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, & Insularum adjacentium subjectos ab Episcopo Græco ordinari volentes,*

cum illorum dimissoriis ad id tantùm concedendis ritu Græco ordinet. Addit Amicus *n.* 37. *&* 75. omnes materias, & formas Græcorum à sacra Congregatione sub Urbano VIII. confirmatas esse: ex quibus infert cum Lugo *n.*85. Dic. *de sacram. d.* 1. *n* 363. non posse nunc nisi temerè dubitari de valore talis Ordinationis: & Palav. *n.*74. ex aliis absurdis, quæ ex oppositа sententia sequerentur, judicat esse certum, quòd Græcorum ordinationes valeant.

2133 §.2. Gravina, & Gonet *de sacr. d.* 1. *n.* 79. dicunt Græcos ordinari per contactum mediatum patenæ cum pane, & calicis cum vino, ac consequenter etiam libri Evangeliorum, quia debent attingere Altare, in quo hæc sunt, atque ita mediatè hæc tangunt: sufficere autem contactum mediatum docent Authores plurimi, nam vinum in calice etiam mediatè tantùm attingitur: *Contrà est*, nam licèt probabile sit sufficere talem contactum mediatum panis, & vini, si nempe immediatè attingantur patena, & calix tanquam vasa instituta ad continendum illa, tamen in æstimatione præsentum aliquis non dicitur simpliciter tangere panem, vinum, librum Evangeliorum, per hoc, quòd attingat Altare, in quo ista sunt, nec enim sufficit qualiscunque mediatio tactus, alioquin qui templum tangeret, diceretur etiam attingere illa, quæ sunt in templo.

2134 §.3. P. Marchantius *in Trib. to.* 3 *tr.* 6. *tit.* 6 *q.* 3. putat materiam essentialem Presbyterii semper fuisse, & etiamnum esse utramque impositionem manuum, traditionem autem patenæ, & calicis esse partem tantùm integralem illius materiæ, cui tum adjungatur forma moraliter adhuc cadens super primam impositionem manuum. *Contrà est*, ergo latinus validè ordinaretur, qui nec patenam nec calicem attingeret, quod præter *Marchan.* nemo jam audet dicere.

2135 §.4. Dicendum est cum Innoc IV. *Serar. Arcud. Bellarm. Lugo, Amic.* quos citat & sequitur Dic. suprà n.370. item cum Aversa *q.*2. *s.*1. Arr. *de sacram d.* 6. *s.*2. Haun. *l.*4. *n.* 530. Palav. *n.* 75. Bosco *hic sect.* 2. *conc.* 1. aliisque plurimis, Christum tantùm in genere determinasse materiam, & formam Ordinum, volendo fieri per signa & verba repræsentativa potestatis conferendæ, reliquisse autem ulteriorem determinationem Ecclesiæ tanquam habenti publicam authoritatem circa res sacras, quæ pro Græcis presbyteris determinavit manuum impositionem cùm sua forma, pro Latinis, saltem posterioribus temporibus, etiam traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino. Est tamen in utraque Ecclesia idem Ordo à Christo institutus, nec ab Ecclesia variata est Christi institutio, quia Ecclesia retinet utrobique signa, & verba repræsentativa potestatis, quæ confertur. Et idem videtur dicendum de extrema Unctione, uti insinuatum est n.2092. tenetque Dicast suprà n.371. & pluribus de extr. Unct. dub.3. & 4. eò quòd etiam in hoc Sacramento materia, & forma non fuerit ultimò determinata à Christo.

2136 §. 5. An Presbyteratus futurus esset validus, si Græci ordinarentur per traditionem patenæ & calicis, Latini verò per solam impositionem manuum, aut si Ecclesia nunc institueret unum lignum utrique Ecclesiæ commune, dixi l. 6. p. 1. n. 6. in *Instantia* 1. ubi in *Instantia* 2. explicavi, cur Latinus validè ordinetur per formam Græcè prolatam, attamen invalidè per materiam in Græca tantùm Ecclesia usitatam.

2137 Q 316. *An presbyterium apud Latinos sine prima manuum impositione collatum sit certò validum?* R. §. 1. Negat S Bonav. *in 4 dist* 24. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 4. ubi docet per eam impositionem imprimi characterem; imò in ea sola videtur constituere materiam presbyterii. *Nec obstat*, quòd Tann. hanc sententiam vocet falsam, improbabilem, & erroneam, *nam* imprimis *P. March.* hanc *Tann.* censuram vocat parùm modestam, si non insolentem. Deinde credibile est *Tann.* censurare eam sententiam, in quantum à materia excludit traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, quam *Florent.* ponit pro materia, hinc *Tann.* pro ratione ait, *quia est contra Florentinum.* Presbyterium sine prima manuum impositione collatum esse certò validum negat etiam Marchant. *in trib. tom.* 3. *tr.* 6. *tit.* 6. *q.* 3. dicens esse sententiam sequacium *S. Bonav.* & addit utramque impositionem manuum, primam, & secundam esse essentialem, licèt admittatur traditionem patenæ, & calicis etiam esse materiam partialem. Idem negat Hallier. apud Gob. *t.*8. *n.* 93. dicens usque ad annum Christi 157. per solam impositionem manuum collatos esse Ordines, posteà adjunctam esse traditionem patenæ, ac calicis tanquam materiam integralem de præcepto adhibendam, essentialem autem materiam esse primam manuum impositionem. Lugo *de Sacram. d.* 1. *n.* 90. dicit quidem esse materiam tantùm integralem, posteà tamen loquitur dubiè: hinc Arr. *de Sacram. d.* 6. *n.* 3. Platel. *p.* 5. *n.* 1004. Tamb. *l.*7 *cap.* 5 §.1. *n.*3. Bosco *d.*10. *sect.* 2. *n.* 103. & alii dicunt *Lugonem* tenere, quòd sit materia essentialis, & propter hanc *Lugonis* authoritatem dicit *Arr.* non audere se sententiam illam improbabilitatis arguere, *Bosco* dicit defendi posse cum aliqua probabilitate: Aversa. *q.*2. *s.*8. pro eadem sententia citat etiam *P. Sot. Arcud. Becan.* Proponam argumenta utriusque cum responsionibus quæ communiter afferuntur.

§.1. Argumenta pro sententia negante Presbyterium, ne prima manuum impositione collatum, esse certò validum, sunt seqq. 2138

1. Ex S. Ambrosio in Epist. 1. ad Timotheum cap. 4. ubi ait, *Manus impositiones verba sunt mystica, quibus .·.·. accipiens authoritatem .·.·. ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre:* ubi patet eum loqui de prima impositione, nam per secundam non accipitur potestas sacrificandi, sed tantùm absolvendi à peccatis. *Respondetur*, fortè antehac tempore S. Ambrosii contulit Ecclesia Latina per primam manuum impositionem, quæ etiam cum habuerit propriam formam, quæ forma cùm nunc non usurpetur, signum est Ecclesiam substituisse traditionem patenæ & calicis cum forma sibi propria.

2. *Concilium Carthaginense IV. Can.* 3. ait, *Presbyter: cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant, Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus manum super caput ponat.* Manus autem impositio est de essentia Diaconatus, ergo similiter Presbyteri, maximè cùm dicat *Episcopo eum benedicente*, id est, formam proferente. *Resp. Conc.* illud tantùm refert ritus, quibus præparatur ordinandus ad presbyterium, uti notant S. Th. Castrop Illf. & alii: hinc idem S. Th. & plurimi alii apud Illf. negant manuum impositionem esse de essentia etiam Diaconatus.

3. Ita clarum est in tota antiquitate Presbyterium etiam apud Latinos collatum esse per primam impositionem manuum, ut nemo id negare possit, uti fatentur Bellarm. & Vasq. quamvis posteà addita sit traditio patenæ, & calicis, tanquam materia clariùs expressiva potestatis conferendæ, sed non ideò Ecclesia priorem materiam reprobavit, aut excluſit ab essentia, cùm ab Apostolis fuerit introducta, uti habet Greg. IX. cap. *Presbyter* De Sacramentis non iterandis, quod caput Lugo & alii multi cum Dic. *n.*158. intelligunt de prima manuum impositione,

ergo

ergo cùm hæc semel fuerit de essentia, nec sciatur desisse esse, manet in possessione. *Respondetur* uti *ad* 1. Et satis certum est ex Florent. traditionem valorum esse materiam essentialem.

4 In aliquibus Pontificalibus non invenitur secunda impositio manuum sub iis verbis, *Accipe Spiritum sanctum. Resp.* Invenitur in Pontificali Romano, quod debet esse norma cæterorum, cum sua forma significante potestatem absolvendi, quæ tum accipiatur, nam dicitur, *Accipe*, ergo antecedenter necdum habuit, hæc autem potestas est pars presbyterii, ergo.

2139 §. 3. Argumenta pro sententia affirmante Presbyterium sine prima manuum impositione esse certò validum, sunt seqq. 1. Ex Florentino, quod dicit, Sacramentum *sextum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Resp.* ex dictis n. 2130. Florentinum non voluisse assignare adæquatas materias Sacramentorum, nam etiam non facit mentionem secundæ impositionis manuum.

2140 2. Gregor. IX Cap. *Presbyter*, De Sacramentis non iterandis, sic habet, *Presbyter & Diaconus, cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt: quòd si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, cautè supplendum, quod per errorem extitit prætermissum: suspensio autem manuum debet fieri, cùm oratio effunditur super caput ordinandi.* Hinc videtur sequi, quòd prima impositio manuum non sit essentialis, alioqui iterandum esset Sacramentum, quia potestas absolvendi, quæ datur per secundam impositionem, invalida est, si non præsupponatur potestas consecrandi Corpus Christi. *Respondent* Gonz. ad Cap cit. Pith. aliique plurimi, ibi agi de secunda impositione, quæ semper & sola potest suppleri, quamvis sit essentialis. *Nec obstat*, quòd vocet ritum ab Apostolis introductum, *nam* cùm Christus non determinasset in individuo materias Ordinum, potuerunt Apostoli, qui tum regebant Ecclesiam, manuum impositionem assumere tanquam materiam pro conferenda potestate absolvendi.

2141 3. Sensus communis Doctorum, inter quos est expressè S. Thom. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *a.* 3. qui dicunt impositionem primam manuum esse cæremoniam tantùm accidentalem, facit sententiam illam moraliter certam. *Respondetur*, sensum communem Doctorum non semper facere moralem certitudinem, sed attendendum, quales sint, & quibus fundamentis innitantur, tam Doctores illi communiter ita sentientes, quàm pauci contradicentes: dubium autem videtur hic manere, an authoritas, & fundamenta communi sententiæ elidant probabilitatem authoritatis, & rationum anteà allatarum.

2142 4. Prima impositio manuum fit etiam per Sacerdotes, qui non sunt Ministri Ordinis, consequenter eorum impositio non est materia essentialis, cùm hæc poni debeat vel à Ministro, vel à suscipiente, ergo nec prima impositio manuum Episcopi erit materia essentialis. *Resp.* n. conf. impositio, quam faciunt alii Sacerdotes, habet aliam significationem, nempe receptionem ordinandi in statum & numerum Presbyterorum: hanc significationem non habet impositio manuum Episcopi, nam ordinandus non recipitur in statum, & numerum Episcoporum, ergo debet habere aliam significationem practicam, quæ est, causare in ordinando potestatem sacrificandi.

2143 5. Prima impositio non habet verba, quæ sint ejus forma, ergo non est materia. *Respondet* Lugo, licis, esse formam, quæ determinet etiam istam primam impositionem manuum, manet enim sufficiens moralis connexio per actiones, & cæremonias sibi succedentes ac connexas: sicuti multæ actiones intervenientes in coronatione Regis moraliter uniuntur per successionem ad invicem, & ultimò determinantur per impositionem coronæ, vel porrectionem sceptri, quæ in fine fit.

6. Per traditionem vasorum sufficienter, & clarissimè significatur potestas consecrandi, ergo dicendum est hanc in Ecclesia latina esse substitutam. *Resp.* n. conf. satis enim est dicere esse adjunctam, uti habet *Lugo*, & alii. Quòd si argumentum valeret, nec secunda impositio essentialiter requireretur. 2144

§. 4. Omnibus consideratis censui cum aliis 2145 tribus Doctoribus licitè reperi sub conditione ejusmodi ordinationem, quod & factum est anno 1702. Addo pro confirmatione, quòd Lugo *in Resp. mor. l.* 1. *dub.* 1. loquens de Baptismo in capillis facto dicat: *Licèt sententia negans valorem non æstimetur probabilis, nihilominus foret sufficiens motivum reiterandi, quia prudenter formidare possumus, ne fortè sit probabile, quòd sit invalidus, aut saltem, ne accedente judicio plurium Doctorum id successu temporis fiat probabile, & cum omninò esset obligatio iterandi.* Ibidem dub. 3. ait Lugo: *Si Sacerdos non attigerit vasa cum prolata forma, sed immediatè post, quamvis possit quiescere in prima ordinatione sine reiteratione etiam conditionata, non tamen peccabit, si ad majorem animi quietem iterum sub conditione ordinetur: quod etiam Episcopus licitè in gratiam ejus poterit facere: quamvis enim sententia* Cal. Scot. Rich. Nav. Zamb. *fuerit quòd talis ordinatio sit invalida, est tamen nunc antiquata, nec ampliùs probabilis, propter illam tamen licite est reiteratio conditionatam: imò* Granado *dicit propter eorum authoritatem esse obligationem reiterandi.* Denique Gob. *in Exp. t.* 2. *n.* 381. cum aliis docet Baptismum esse licitè iterabilem *propter dubium utcumque rationabile, seu non apertè vanum, futile & explodendum:* ista omnia hic valent, ergo licitè reiterari potest hæc ordinatio.

Q. 317. *Quid præterea sit notandum circa varias* 2146 *sententias in hac materia?* R. Post damnatam ab Innoc. XI. prop. 1. quæ dicebat licitum esse in conferendis Sacramentis sequi sententiam probabiliorem relicta tutiori, etiam quando agitur de valore; in genere dicendum est, omnes istas sententias esse practicè improbabiles, & damnatas, quæ à valore alicujus Ordinis excludunt aliquid, quod alia sententia probabilis requirit: istæ enim sententiæ non sunt moraliter certæ ergo Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Et ut in particulari aliqua declarentur:

§. 1. Certa videtur esse sententia, quòd valeat 2147 consecratio Episcopi facta ab uno Episcopo ex dispositione Apostolica, assistentibus duobus Sacerdotibus, uti constat ex praxi S. Greg. M. Greg III. S. Pii V. quam confirmarunt Inn. X. & Alex. VII. uti referunt ac docent Arcud. *De concord. Eccl. occid. & orient. l.* 5. *c.* 3. §. *ult.* Schild. *t.* 2. *n.* 117. Steph. *t.* 5. *d.* 7. *n.* 2. Carden. *in* 2 *crisi diff.* 2. *n.* 502. Gorm. *de Sacram. d.* 5. *n.* 319. optimè Pignat. *tom.* 1. *cons.* 182. quamvis contradicant Castrop. *tr.* 27. *punct.* 14. *n.* 13. & Avers. *q.* 3. *s.* 2. §. *In hac re*: nam de tali consecratione ita resolvit S. Congregatio 15. Dec. 1657. *Quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris, fuisse validam, quantum verò spectat ad licitam executionem Ordinis, fuisse irritam, & inanem, & Episcopum ita consecratum, & respectivè consecrantem indigere absolutione, & dispensatione.* Quòd autem S. Anacletus Papa decrevit, ut Episcopus non à paucioribus quàm tribus Episcopis ordinetur, uti legitur

in Breviario 13. Julii, item quod Pontificale Rom. dicit, *adsint duo ad minùs Episcopi Assistentes*, hoc præcepti est: si non dispensetur Sedes Apostolica: Et quamvis Dic. *à n.* 268. Putet Papam posse dispensare, ut etiam nullo Presbytero assistente Episcopus ordinetur ab unico Episcopo, tamen sententia illa non est certa. Quòd si Episcopus ab uno tantùm Episcopo etiam assistentibus duobus sacerdotibus consecraretur sine dispensatione Apost. Henao *post tr. de scient. media part.* 11. dicit talem consecrationem probabiliter fore invalidam, ideóque Dian. Averf. & alii apud Henao *n.* 1501. rectè dicunt sub conditione esse repetendam.

2148 §. 2. Practicè improbabiles sunt seqq. sententiæ, 1. Quòd ad validam consecrationem Episcopi sufficiat sola manuum impositio, & non requiratur traditio, nec baculi pastoralis, nec annuli, nec libri Evangeliorum: possuntque Dicast. *à n.* 110. & Illf. *n.* 25. de hoc videri. 2. Quòd ad valorem Diaconatus sufficiat, vel sola impositio manuum, vel sola traditio libri Evangeliorum, & non requiratur utrumque simul, de quo vide, possunt Averf. *q.* 2. *f.* 6. & Dic. *à n.* 164. 3. Quòd sufficiat priùs post formam attingere vasa, ordinationem enim tunc esse invalidam docent *C. f. Rich. Nav. Gran.* & alii. 4. Quòd ad valorem Ordinum majorum non requiratur, ut Ordinans ipse tradat materias. 5. Quòd ad valorem Ordinum non requiratur contactus physicus saltem mediatus vasorum, seu instrumentorum, &c. *Ratio* horum omnium est, quia sententiæ negantes talia requiri ad valorem, non sunt moraliter certæ, sed tantùm probabiles; oppositæ autem sunt tutiores, ergo non licet his relictis sequi illas, *Carden.* & alii; potestque videri etiam Averfa *f.* 2. afferens Authores, & rationes in utramque partem.

2149 §. 3. Quamvis Carden. *n.* 511. dicat sententiam illam, quòd ad valorem Subdiaconatus sufficiat traditio calicis vacui cum patena vacua, non esse damnatam nec prohibitam, & Castrop. *p.* 4. *n.* 12. dicat esse certam, tamen quia Aureol. Medin. Tann. Viguer. Fill. *tr.* 9. *n.* 45. Averf. *t.* 1. Dicast. *n.* 186. dicunt etiam requiri traditionem libri Epistolarum, prior non est certa, adeóque est in praxi illicita.

2150 §. 4. Si calix, & patena, quæ traduntur pro Subdiaconatu, & Presbyterio, non sint consecrata, vel consecrationem amiserint, docent Sylv. Fornar. Dicast. *n.* 182. Castrop. *n.* 16. ordinationem fore invalidam quia secluſa consecratione non sunt vasa sacra, ergo non videntur referri ad sacrificium, ergo nec erunt apta significare potestatem in ordine ad sacrificium. E contrà Ledes. Sot. Sà, Henriq Bonac. Fill. Leand. Dian. Sennyei, Sanch. *in Conf. l.* 7. *cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 5. aliique communiter, & probabiliùs contradicunt, quia hoc nullibi præscribitur, & talis calix, ac patena satis per verba determinantur ad hoc, ut referantur ad sacrificium: quod Tamb. *hic cap.* 3. §. 2. dicit esse moraliter certum respectu Presbyterii, eò quòd patena, & calix ideò requirantur, ut decenter tradatur panis, & vinum, quæ si immediatè traderentur in manum putat ordinationem fore validam: his tamen omnibus non obstantibus praxis hujus sententiæ est prohibita, quia ratio primæ sententiæ videtur esse satis probabilis.

2151 §. 5. Si in ordinatione Sacerdotis per errorem loco vini fuerit aqua tantùm in calice. Henriq. P. March. Less. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 186. putant ordinationem esse validam, quia si dicamus, quòd traditio materiæ hic sit necessaria, illa non defuit, cùm adfuerit panis, sicut sufficit in Sacramento Pœnitentiæ pro materia unum peccatum, si alia sine culpa omittantur: si autem dicamus traditionem panis, & vini non esse necessariam, uti tenet *Less.* putans, quòd traditio patenæ, & calicis sufficienter verificet formam, jam patet validam esse: sed Schild. *t.* 2. *n.* 114. Gob. *t.* 8. *n.* 98. dicunt sub conditione repetendam, meritò enim dubium est de valore: imò Dian. *in Comp. v. Ordinis Sacramentum n.* 6. meritò dicit sententiam oppositam esse probabiliorem, ideóque sic ordinatum necessariò esse sub conditione reordinandum.

§ 6. Si quis tangat calicem, & patenam, sed non 2152
hostiam, valet ordinatio, ut docet *Sot. Valent. Con. Castrop. Dian. Rhod. Dicast. Gob. Steph. Sporer* aliique communissimè. 1. Quia Pontif. Rom. quod necessaria assignavit, non dicit de tangenda hostia, sed tantùm de *cuppa calicis, & patena*, sic enim habet: *Pontifex tradit cuilibet Calicem cum vino, & patenam superpositam cum hostia, & ipsi illam accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam calicis & patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente, Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, &c.* 2. Quia sicuti tacto calice censetur tangi vinum in calice, ita tacta patena censetur tangi hostia in patena. Et hoc moraliter certum esse dicunt Præpos. *hic dub.* 10. *n* 92. Castrop. *punct.* 4. *n.* 20. Dian. *p.* 10. *t.* 16. *R.* 88. Dicast. *n.* 205. Gob. *post n.* 108. addens absque nota superstitionis non posse asseri, quòd tactus immediatus hostiæ requiratur hinc sic ordinatum reordinari non debere sub conditione dicunt Sanchez *in Conf. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 2. *n.* 9. Schild. *tract.* 2. *n.* 116. quidquid contradicant Bernal. & Faber apud Dian. suprà item Fernand. apud Gob. *n.* 107. putantes requiri etiam ipsiusmet hostiæ contactum, hos enim improbabiliter loqui dicunt alii: *Busemb.* dicit saltem ex præcepto, & ad cavendum scrupulum, ut tangatur calix cum patena, & patena cum hostia.

§. 7. Si presbyterandus attigerit calicem, & ho- 2153
stiam, non autem patenam, dubitarunt aliqui de valore talis ordinationis. 1. Quia *Florent.* dicit materiam hujus Sacramenti esse, per cujus traditionem confertur Ordo: confertur autem per traditionem etiam patenæ, uti patet ex dictis n. 2128. ergo etiam patena est materia hujus Sacramenti. 2. Quia Pontificale Rom. jam relatum disertè dicit *cuppam calicis, & patenam simul tangi.* Oppositum tenent authores communiter. 1. Quia tactus patenæ est propter hostiam, sicuti tactus calicis est propter vinum, ergo sicuti tacto calice censetur tangi vinum, sic à potiori tacta hostia sufficienter censebitur tangi tota materia necessaria: hinc Tamb. *hic c.* 3. §. 2. dicit sibi moraliter certum esse, quòd instrumenta adhibeantur tantùm ad decentem traditionem panis, & vini, ideóque si panis, & vinum traderentur immediatè in manus ordinandi, fore validam ordinationem. 2. Cùm secundùm antedicta sufficiat tactus calicis, & patenæ, non tacta hostia, multò magis sufficiet tactus ipsiusmet hostiæ. 3. Causa, ob quam præcipitur tactus instrumentorum est, ut illo tactu significetur potestas, & ministerium, significatur autem multò aptiùs per tactum hostiæ quàm patenæ. Et hanc sententiam dicunt esse ferè certam, Vasq. Con. Bonac. Castrop. addit Gob. *à n.* 109. oppositam carere probabilitate: hinc *Schild.* suprà dicit talem non esse reordinandum, & ita etiam senserunt tres Doctores à me consulti: è contrà alii duo Doctores judicarunt valorem esse dubium, & idem videtur velle Balsæus *tom.* 1. *v. Ordo n.* 2. nam dicit tutius esse immediatè tangere, & patenam, & hostiam, *ne ordinandus periculo se exponat non recipiendi Ordinem.* Itaque consideratis omnibus, & maximè propter dicta n. 2145. existimo valde consultum esse, ut Ordo talis sub conditione repetatur.

§. 8. Si quis attigerit solum calicem, cui patena 2154
cum hostia est superposita, Præpos. *n.* 95. dicit sibi

videri

videri practicè certum, quòd sufficiat, quia per modum unius traditur illum totum aggregatum è calice cum vino, & patena cum hostia: similiter Bosco *de Ordine n.* 177. dicit moraliter certum esse, nec oppositum esse probabile: sed Dian. *p.* 6. *t.* 8. *R.* 19. & Castrop. *hic p.* 4. *n.* 20. dicunt sententiam illam non esse certam, Dicast. *n.* 205. dicit talem in praxi reordinandum, quod tenendum est.

2155 §. 9. Si ordinandus una tantùm manu, vel uno tantùm digito tangat materiam hoc sufficere ad varem ordinationis, docet rectè Sanch. *n.* 3. Præp. Avend. Aversa *q.* 2 *s.* 2. Gob. *post n.* 108. *litt.* O quia qui tangit una manu, simpliciter dicitur tangere, imò etiamsi solo ungue manus, uti habent Lugo, & Gob. *n.* 62. nam si solo ungue laceret vultum alterius, utique tu diceris eum tetigisse. Ratio ulterior est, quia non debemus dicere aliquid requiri ad essentiam Sacramenti, quando sine illo salvatur forma Sacramenti, & authoritas Scripturæ, vel Ecclesiæ nos non cogit ad tale quid requirendum, Bosco *p.* 4. *de sacram. d.* 10. *s.* 2. *n.* 164. Rectè tamen notant Fill. *t.* 9. *n.* 9. & Busemb. suprà, contactum faciendum esse utraque manu, ex præcepto, ad scrupulum vitandum.

2156 §. 10. Sententia, quam *Patel.* hìc innuit, nempe ad valorem Presbyteratus sufficere, si Episcopus, in secunda impositione manuum pro conferenda potestate absolvendi à peccatis, unicam manum imponat, videtur esse reprobata, nam Pontificale Romanum expressè habet imponendam esse utramque manum, & authores idipsum dicunt, veluti supponentes esse absolutè necessarium. *Nec obstat*, quòd Græci unicam manum dexteram imponant, *nam* ab illis ad Latinos non valet argumentatio, uti patet ex dictis à n. 2135.

2157 §. 11. Si Episcopus, pro hac ordinatione Sacerdotis ad absolvendum, imponat manus rectas chirothecis, videtur certò valere, 1. quia nullus alius tactus ab Ecclesia requiritur, imò Episcopus post primam impositionem manuum, quando jam debet manus presbyterandorum inungere, tum priùs in Pontificali jubetur chirothecas deponere, ergo non obstat tactui in prima impositione, quòd fiat cum chirothecis, ergo nec in secunda. 2. Græci imponunt manus presbyterandis interjecto pallio, teste Gob. *post n.* 108. *litt. V.* & sic dicuntur tangere caput ordinandi: ergo multò magis fieri poterit interjectis chirothecis. 3. Moraliter, & in communi hominum æstimatione ille dicitur tangere alterum, qui tangit manu habente indutam chirothecam, sicuti dicor tangere hominem, quem licèt indutum vestibus percutio: Et hoc moraliter certum esse dicit Gob. *l.c.* idemque judicarunt duo Doctores à me consulti: hinc etiam Castrop *punct.* 4. *n.* 20. ferè certum esse existimat valere, si tangas calicem medio aliquo panno interposito, aut intermedio aliquo velo, inquit Aversa *q.* 2. *sect.* 2.

2158 §. 12. Quoties aliquis tenetur rebaptizari propter certitudinem, probabilitatem, aut dubium de nullitate Baptismi, toties etiam tenetur reordinari Ordine Presbyterii, & Episcopatus, si velit in illis ministrare, ob periculum irreverentiæ Sacramenti, & salutis proximi. Si autem tantùm probabile sit Baptismum fuisse invalidum, repetito Baptismo, & Presbyteratu non esset absolutè opus repeti cæteros Ordines, quia probabile esset fuisse validos, nec ista pericula aderunt, quamvis essent invalidi, cùm secundùm dicenda n. 2202. Presbyteratus illos suppleat, Gob. *à n.* 169. & alii.

2159 §. 13. Rectè dicunt Bardi, & Gob. *n.* 206. rarò esse prudens dubium de valore suscepti Ordinis: Et speciatim quoad illos, qui postea scrupulosè timent ne fortè non bene, ne nimis citò vel nimis serò attigerint vasa, eò quòd jam non sciant, nec possint recordari, aut imaginari an, quando & quomodo ista fuerint, rectè notant Dian. Bardi, Busemb. Gob. *n.* 207. ista omnia non esse prudentia motiva dubitandi, nam non tenemur, nec possumus recordari omnium, quæ agimus, aut egimus, & dum solliciti sumus pro hoc, vel illo in individuo bene faciendo, minùs reflexè cogitamus de reliquis, & inde est quòd posteà de his debitè factis non possimus positivam rationem reddere; neque hoc requiritur; sed hoc ipso, quòd sciveris, quid faciendum esset, & quidem sub mortali, suppone te feciisse, quamdiu non scis te non fecisse.

Q. 318. *Quid addendum sit circa castitatem sacris Ordinibus annexam?* R. §. 1. Certum est, quòd Clericus in majore aliquo ordine constitutus obligetur ad castitatem, per se loquendo, ac communissimè docent omnes cum Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 29. Estque probabilius, quòd non teneatur ex præcepto divino, S. Th. Scot. S. Bonav. Sanch. *d.* 7. Aversa *q.* 4. *s.* 3. Dicast. *n.* 361. contra alios, quod colligitur ex Trid. *sess* 24. *Can.* 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris constitutos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Ex usu Ecclesiæ, quæ etiamnum Græcis Sacerdotibus permittit Matrimonium, & quandoque etiam Latinis Subdiaconis. 2160

§ 2. An ea obligatio sit ex voto an ex præcepto Ecclesiastico, an ex voto, & præcepto simul, disputant Authores, uti videri potest apud Aversa *sect.* 7. Dicast. *dub.* 26. Gob. *t.* 8. *à n.* 753. nam S. Thom. Suar. Dicast. *n.* 386. Sanch. *d.* 27. *n.* 10. & apud hunc 59. authores, quibus accedunt *Cardin. Busemb.* & alii multi, dicunt obligationem illam esse immediatè ex voto saltem tacito, & implicito, mediatè autem ex præcepto Ecclesiæ, quæ præcipiat hoc voveri. E contrà *Scot.* & alii 20. quos refert Sanch. *n.* 9. & sequitur *Aversa*, dicunt non esse ex voto, sed ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex se obligationem illam annectat istis Ordinibus. *Ratio* horum est, quia si quis nihil omninò sciviisset de tali obligatione annexa, aut saltem si suscipiens talem Ordinem absolutè noluisset se obligare, nihilominùs obligaretur, & tamen non vovisset, quia votum non est sine voluntate, & consensu interno, uti omnes docent, cùm sit lex privata, quam sibi ipsi quisque fert, ergo ea obligatio non est ex voto: hinc Castrop *t.* 27. *p. n.* 17. *n.* 5. Con. Bernal. Esparsa aliique dicunt esse, & ex voto, & ex præcepto, quod præceptum innotescit saltem ex eo, quia Ecclesia tali ordinato prohibet Matrimonium. Alii dicunt esse vel ex voto, vel ex præcepto, id est, si quis in Ordinatione non obliget se ad hoc ex voto, dicunt Ecclesiam tum præcipere; si autem saltem tacitè se voto obliget, putant non apponi præceptum Ecclesiæ; id enim tum videtur frustrà. Quidquid sit, sive sit votum *sive* præceptum, utrumque est ex eodem motivo religionis, hinc peccatum, quod Clericus in majoribus constitutus contra castitatem committit, *est* unicum sacrilegium contra virtutem religionis. Quamcumque autem sententiam teneas, dicendum *est* eum, qui suscepisset talem Ordinem ante rationis usum, non obligandum ad continentiam, *sed* posse inire Matrimonium, quia nec votum emisit, nec Ecclesia vult eum obligare, nisi factum ratum habeat, Sanch. *d.* 30. Dicast. *d.* 27.

§ 3. Vix, aut *ne vix* quidem potest esse ignorantia castitatis *ordini sacro* annexæ, quia ordinandus saltem confusè *id* cognoscit, hoc ipso, quòd videat omnes *sic ordinatos* abstinere à Matrimonio: si quis tamen *invincibiliter* ignorasset hanc obligationem esse *annexam*, non teneretur ad castitatem, nec ex lege, nec ex voto, quia Ecclesia non intendit talem adstrin- 2162

adstringere, Con. Castrop. *n.* 12. contra Aversam §. *Quinò*, qui putat obligandum ex lege Ecclesiæ. Culpabiliter ignorans tenetur ex lege, quia tenebatur examinare, quid connexum esset cum illo, quod voluntariè assumebat. Invalidè ordinatum non teneri satis certum est, inquit Aversa §. 8. contra paucos alios.

2163 §. 4. Inductus ad Ordinem majorem per metum injustum, qui cadit in constantem virum, secundùm Sanch. *d.* 29. Dicast. *dub.* 2. *n.* 29. Sporer *t.* 1. *c.* 2. *n.* 57. & alios plures quàm viginti quos sequitur Aversa *sect.* 8. & quibus videtur consentire Busemb relatus l. 3. p. 1. n. 361. non obligatur ad castitatem, nec ad Horas, potestque sine dispensatione inire Matrimonium, si nolit in usu sacri Ordinis permanere, quia Deus non acceptat tale votum, neque Ecclesia censetur velle obligare sic inductum. E contrà secundùm S. Anton. Sot. Castrop. *n.* 13 aliosque apud Sanch. *n.* 4. & Aversam, tenetur, donec dispensetur, quia quamvis votum dicatur requirere plenam libertatem, tamen hæc tum censetur plena, quando est talis, qualis sufficeret ad peccandum mortaliter: hanc autem metus gravis non tollit, ergo talis metus non irritat de jure naturæ illud votum, ergo sicuti qui metu adactus jurat latroni solvere lytrum, tenetur ex vi juramenti, donec juramentum relaxetur, secundùm dicta l. 3. p. 2. à n. 727. ita & hic: maximè cùm nullibi inveniatur, quòd jus positivum irritet tale votum. Si tamen coactio probaretur, Ecclesia facile obligationem remitteret, inquit Castrop.

2164 §. 5. Si quis susciperet sacrum ordinem ante pubertatem, v. g circa annum duodecimum, Sanch. *d.* 30. Dic. *dub.* 28. Aversa *sect.* 8 putant non teneri ad castitatem, quia vel Ecclesia non præcipit ob immaturitatem judicii vel irritat illud votum, uti irritantur vota professionis religiosæ facta ante pubertatem. *Sot. Suar. Vega, Con. Pontius, Bonac.* & alii cum *Castr.* suprà probabilius dicunt teneri, nam talis ordinatus est capax illius voti, nequeconstat illud irritari ab Ecclesia, uti constat de professione religiosa, in qua dispar est ratio, nam vota religiosa sunt longè difficiliora, ergo fuit major ratio illa irritandi: deinde facta irritatione votorum Religionis, non maneret Religiosus, è contrà etiamsi irritaretur votum ordinati, ille nihilominus maneret ordinatus, ergo in reverentiam sacrorum Ordinum est major ratio hoc votum non irritandi, & consequenter relinquendi obligationem castitatis. Quòd si talis ordinatus jam pubes factus Ordinem susceptum exercuerit, aut aliter approbaverit, tenet utraque sententia eum ad castitatem obligari, nec resilire posse.

2165 *Quæst.* 319. *Quid addendum sit circa obligationem non ordinandi alienum subditum?* R. De hoc emanavit sequens

CONSTITUTIO INNOCENTII XII.

Qua plura declarantur, ac præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum subditorum.

SPeculatores Domus Israël ..... Hac gnerali nostra, & perpetuò valitura Constitutione de-
2166 cernimus, & declaramus, *nulli Episcopo*, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii, juxta modum inferiùs declarandum, legitimè contracti non Subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expressè adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum ad illud instruatur. *Præterea* Clericum, qui legitimè jam à 2167
proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Diœcesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales litteras proprii Episcopi, tam Originis quàm Domicilii super suis Natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinati in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit. *Licèt verò* Clericus ratione cujusvis Beneficii in 2168
aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcussè servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur. sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quàm de reditu Beneficii hujusmodi expressum in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. *Cæterum* 2169
subditus ratione originis is tantùm sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenùs ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. *Quòd si* quis tanto temporis spatio in 2170
eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut poterit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut suprà, obtinere, illasque Episcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur. *At si Pater* in alieno loco, ubi ejus filius natus est, 2171
tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. *Subditus autem* ratione domicilii ad effe- 2172
ctum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulteriùs utroque casu se verè, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. *Si quis* tamen à propriæ 2173
originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut suprà, afferre debebit; ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit. *Ad* 2174
hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii, Prælati testimonialibus litteris,

ut

ut suprà,& nisi ad præscriptum *Concilii Tridentini præfati sess.23.c.9. De Reform.* familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superiùs præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi testimonio expressam, itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

2175 *Porrò*, ut quicumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apostolica Authoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis authoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam *Concilii Tridentini suprà dicti sess.14.cap.3.de Reform.* quoad scientiam examinare valent, verùm etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minimè præstitisse compererit,à susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque,ne in Altari,aut in aliquo Ordine ministrent,interdicere possit ∴∴. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno 1694.die 4. Nov.

Circa Constitutionem illam notanda sunt sequentia:

2176 §. 1. Constitutio relata, habet decem puncta principalia, quæ distinxi *alio charactere*, additis ad marginem suis numeris: Puncta autem sunt sequentia: 1. Pro accipienda prima tonsura per hoc non fit aliquis hîc subditus, quòd statim post illam acceptam sit accepturus Beneficium, ad quod jam præsentatus est, licèt fundatio conditionem illam contineat, ut talis præsentari possit. 2. Tonsura, vel Minoribus initiatus à suo Episcopo, non potest ab alieno Episcopo ulteriùs ordinari titulo cujuscumque Beneficii in hujus Diœcesi obtenti, nisi priùs à proprio Episcopo tam originis quàm domicilii exhibuerit testimoniales,in actis hujus Curiæ conservandas, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita. 3. Quamvis aliquis fiat alieno Episcopo subditus, hoc ipso quòd in hujus Diœcesi acquirat Beneficium, tamen non potest ab hoc Episcopo ad sacrum Ordinem promoveri, nisi hoc Beneficium de se, & absque ulla per patrimonium supplerione sit sufficiens ad congruam sustentationem, & actu pacificè possideatur. 4. Ille solùm censetur subditus ratione originis, qui naturaliter, & non ex accidenti natus est in ea Diœcesi, in qua petit Ordines, unde si ita ex accidenti sit alibi natus, naturalis origo patris debet censeri ejus origo. 5. Qui in illo loco, in quo ex accidenti natus est, tamdiu est moratus, ut ibi potuerit contrahere impedimentum, indiget testimonialibus Episcopi hujus loci, ut possit à proprio Episcopo ordinari. 6. Si pater in loco, ubi filius ex accidenti natus est, contraxerit domicilium, origo filii non erit, ubi est origo patris, sed ubi pater illud domicilium contraxit. 7. Ille tantùm censeri debet fieri hìc subditus ratione acquisiti domicilii, qui huc venit cum animo perpetuò hìc permanendi, & hunc animum probabit, vel per decennium hìc habitando, vel huc ad instructas ædes deferendo majorem partem rerum suarum, ac insuper per aliquod considerabile tempus hìc commorando: deberque jurare se hunc animum nunc habere,8 Qui à propriæ originis loco discessit in ea ætate, in qua potuit incurrere impedimentum, indiget testimonialibus Ordinarii suæ originis. 9. Episcopus titulo familiaritatis nequidem prima Tonsura potest initiare, vel ordinare subditum alienæ Diœcesis, nisi sic ordinandus afferat testimoniales proprii Episcopi originis, seu domicilii, & Ordinaturus cum suis sumptibus per triennium aluerit secum in suo actuali servitio, eidemque intra mensem conferat Beneficium ad congruam sustentationem sufficiens. 10. Episcopus originis, sive domicilii potest à suis per alienum Episcopum, etiam cum commendatione sua, ordinatis, petere testimoniales Ordinum susceptorum, ac recognoscere, an observata sit forma, & dispositio hujus Constitutionis: quòd si ordinatus non præstet intra tempus præscriptum, potest eum omninò suspendere ab exercitio susceptì Ordinis. Mandat denique Pontifex circa illa, quæ n. 2166. 2168. 2170. 2173. 2174. facienda præscribuntur, ut testimonio Ordinis susceptì inferatur, quòd ista sint observata.

§. 2. Quæ hìc specialiter ordinantur vel declarantur, imprimis n. 2168. circa qualitatem Beneficii, quo quis sit subditus, deinde n. 2169. circa locum originis, & n. 2172. circa acquisitionem domicilii, intelliguntur præcisè *ad effectum suscipiendi Ordines*, uti expressè bis repetitur in hac Constitutione. De cætero communis sententia est cum Bonac. Barb. *De Off. Epi. alleg. 4. à n.* 44 Gob. *t.* 8 *n.* 310. Delbene *de immun. Eccles. c.* 12. *dub.* 7. *f.* 7. *n.* 18. contra Lessium & alios, aliquem fieri subditum per quodcumque etiam tenue Beneficium, etiamsi non requirat residentiam, nec beneficiatus resideat. Item probabiliter sunt alii modi habendi alicubi originem, vel acquirendi domicilium in ordine ad alios effectus, etiam ad suscipienda alia Sacramenta, uti dicetur de Matrimonio, quando de assistentia proprii parochi, v g communis sententia cum Sanch. *de Matrim. l.3. d.23. n.* 2. dicit acquiri domicilium *statim*, ac quis incipit habitare alicubi, cum animo ibi perpetuò habitandi, sed hoc aliaque similia non juvant ad *effectum* alicubi *suscipiendi Ordines*, respectu quorum observari debet, quidquid specialiter ordinatur in hac Constitutione.

2177 §. 3. Aliquis non fit Episcopo subjectus ex hoc, quod in ejus Diœcesi habeat bona, & patrimonium, etiamsi hoc pro titulo sufficiente sit approbatum, uti rectè aliis citatis Barb. *n.* 58 addens n. 59. idem esse dicendum de habente alicubi præbendam temporalem. Et idem est de habente alicubi Missas fundatas, quamvis proventus ex illis sufficiant ad congruam sustentationem: hinc etiam qui ex alia Diœcesi admittuntur ad Ordines sacros titulo mensæ Episcopalis, vel servitii spiritualis alicubi exhibendi, debent nihilominus adferre dimissorias à suis Episcopis,quia titulus patrimonii, Missarum, servitii, mensæ, non est reipsa Beneficium, ergo huic Episcopo per hoc non fiunt subjecti ratione Beneficii, ergo cùm etiam non sint subjecti ratione originis vel domicilii,non sunt simpliciter subditi hujus Episcopi respectu Ordinationum. *Nec obstat*, quòd ille, qui ita ordinatur titulo mensæ Episcopalis,adscribatur alicui Ecclesiæ in hac Diœcesi, ac debeat approtmittere,se in hac servituram, neque aliò discessurum sine voluntate hujus Episcopi, ideòque videatur habere animum perpetuò ibi habitandi, & sic acquirere domicilium. *nam saltem* non acquirit eo modo, quo Constitutio n. 2172. requirit.

2179 §. 4. Si Beneficium quoad jura Episcopalia sic subjectum *huic* Episcopo, quamvis quoad præsentationem & institutionem subjiciatur alteri Episcopo, beneficiatus potest hìc ordinari, Sanch. *in Conf.*

*Consl.7.c.1.dub.23.n.12.*Barb *n.52.* Si autem aliquis sit subditus Episcopo inferiori, non potest sine hujus licentia ordinari ab Archiepiscopo, nequidem tempore visitationis, & in loco exempto, Piasec. *in praxi Epis.p.1.c.1.n.* 10. Gob. *n.* 312. 320. Notant Sanch. Garc Ugol.Pias.*n* 9.Delb. *n.*21.Barb.*n.*51. si quis Beneficia plura habeat in diversis Diœcesibus,fieri subditum in omnibus, ut in singulis recipere possit Ordines.

2180. §. 5. Putarunt multi apud Gob *n.*281.originem Avi tui etiam hìc posse censeri tuam, quia domicilium originis paternæ est etiam domicilium originis tuæ, sed alii cum Bard. *n.* 13. & Gob. *n.* 283. meliùs contradicunt, maximè cùm Constitutio n. 2171. remittat præcisè ad propriam patris originem. Dicendum est etiam, quòd Episcopus originis respectu patris adoptantis non sit proprius respectu filii adoptati, quando enim Canones loquuntur de *patre*, hoc nomine venit pater naturalis: oppositum quidem tenent aliqui Juristæ, sed hoc servire non potest, nisi fortè ad effectus aliquos civiles. Quòd si quis habeat æqualiter duo domicilia in diversis civitatibus pertinentibus ad diversas diœceses, Riccius, Delb.*n.*21.Piasec.*n.* 9.Barb.*n.*38.Sanch Lotter.Ugol. Aversq.3. *f.*6. notant ab utroque Episcopo posse ordinari, debet enim posse ab uno, nec est major ratio pro uno quàm altero. Addunt Aversc. Gob *n.* 100. Barb.*n.* 32. Nobiles habentes plura feuda in diversis Diœcesibus,quamvis ibi non habitent,censeri esse ibi subditos, idque decisum esse à S.Congregat Idem dicunt Rebuff.Barb.*n.* 34 Gob.*n* 301. de Officialibus, qui in diversis Diœcesibus habent perpetua officia, quamvis non fiant illarum cives, & hæc extendunt etiam ad eorum filios. sed non credo ista ultima esse conformia intentioni relatæ Constitutionis.

2181 §.6. Per Baptismum in aliena diœcesi non habetur titulus originis, quia Baptismus est origo spiritualis tantùm, non autem *naturalis*, quam Constitutio n 2169. requirit. Excipiunt tamen aliqui cum Gob.*n.* 280 nisi fuisset Turca,Judæus, aut alius infidelis,eò quòd tales nulli fuerint Episcopo subjecti,nequidem ratione parentum,ideóque videantur ibi sortiri primum locum originis respectivè ad Ecclesiam, ubi regenerantur.

2182 § 7. Gonz. Castrop.*t* 27.*p.*15.Barb.*n.*15. Piasec. *n.*9. & alii docent illegitimum sequi ventrem, id est, matrem, & censeri habere originem, aut domicilium, ubi illa habet, quia mater solet esse notior: hinc si paternum domicilium ignoretur, domicilium matris habetur pro tuo.Gonz.Piasec Barb *n.*16.si autem patris, & matris domicilium ignoretur, potest quis,secundùm Castrop.Barb *n.*17 Gob.*n.*285.ordinari in loco,ubi fuit inventus seu expositus Unde probetur origo, fusè prosequitur Mascardus De probationibus. Volum.3.Concl.1141.

2183 §.8. Studiosi, qui etiam per decem, & plures annos studeant in eadem Academia, non acquirunt domicilium ad effectum suscipiendi Ordines, quia non habent animum perpetuò hìc habitandi, seu figendi domicilium, prout requirit Constitutio num. 2172.

2184 §. 9. Non impedit animum perpetuò alicubi habitandi,quòd quis ita sit animo comparatus,ut aliò migraret, si promotio officium, casus improvisus, necessitas familiæ eò vocaret, uti cum communi Sanch. *in Decal.l.4.c.39.n.* 10. Less in Auct. v. *Ordines sacri ca.*1.Laym *l.*5 *t.*9.*cap* 9.*n.*10.Gob.292 Si tamen prudenter prævideret se ex tali causa aliò abiturum, tum animus non conquiesceret hìc, sed esset velut suspensus, & ad interim expectans morum, adeóque jurare non posset se *verè, & realiter habere animum perpetuò ibi permanendi*, quod tamen fieri postulat Constitutio n.2172. In dubio autem,an quis habuerit animum perpetuò alicubi habitandi communissima sententia cum Barb.*n.*28.& Gob.*n.*298.dicit,si habitarit ultra decennium, præsumi talem animum habuisse, quod Constitutio non reprobat, attamen, secundùm dicta,debet nunc jurare se *verè,& realiter animum hujusmodi habere.*

§.10. Henriq.Præp.Zyp.Pignat.*tom.* 1. *cons.* 38. 2185 Aversc. suprà Engel.*l.*1.*tit.*11.*n.*31.& alii cum *Busemb.* suprà rectè dicunt contra Barb.*n.*1.& alios, quòd ordinatus uno Ordine ab Episcopo originis,possit alium Ordinem suscipere ab Episcopo domicilii, & iterum alium ab Episcopo Beneficii, quia respectivè ad Ordines suscipiendos est verus subditus singulorum, nemo autem indiget dimissoriis ad suum Episcopum: neque id improbat relata Constitutio, sed quantùm attinet ad Episcopum Beneficii ad summum vult ad hunc adferri testimoniales, secundùm dicta n. 2167. Hoc tamen statuitur in Trid. *sess.*14.*de Ref* quod Ordines,cap. 1. ut si quis, v. g. ab Episcopo originis sit prohibitus promoveri ad ulteriores Ordines, vel suspensus,non possit ab alio Episcopo petere alium Ordinem nisi prior Episcopus consenserit, vel Papa rehabilitarit post cognitam causam.

§. 11. Ex dictis solvitur sequens casus: Titius 2186 origine Leodiensis venit Coloniam cum Cajo filio, animo hìc perpetuò habitandi,& acquirit domicilium, quo durante Cajus tonsuratur Coloniæ: Titius & Cajus Colonia relicta redeunt Leodium: Cajus nunc petit Coloniæ ulteriores Ordines.

§. 12. *Quæritur*, an hìc possint ei dari? *Videtur posse*, quia per Tonsuram factus est Clericus Ecclesiæ Colonienſis, & manet Clericus, sed nullius alterius Ecclesiæ præterquàm Colonienſis,ergo cùm Ordinarius Colonienſis ordinare possit omnes Clericos suæ Ecclesiæ, poterit ordinare Cajum. *Respondeo non posse*, quia(sive jam nominari possit Clericus Colonienſis, sive non) reipsa non est subjectus Ordinario Colonienſi,non ratione originis, vel Beneficii, uti supponitur nec ratione domicilii,nam illud jam amisit, uti certum est, ergo etiam amisit subjectionem requisitam ad hoc,ut hìc ordinari possit,sicuti si Cajus nunquam hìc habuisset domicilium,sed antehac habuisset Beneficium, vi cujus fuisset subjectus, & tum etiam hìc ordinatus Subdiaconus,ac consequenter adscriptus alicui Ecclesiæ Colonienſi,si Beneficium illud hoc anno resignasset, quamvis factus esset Subdiaconus Colonienſis, jam non posset Coloniæ sine dimissoriis ordinari Diaconus, licèt afferret titulum patrimonii,vel alterius Beneficii obtenti Leodii, quia nempe amisisset hìc subjectionem requisitam, ergo similiter in nostro casu.

§.13. Quod dicitur n. 2174. Episcopum posse 2187 ordinare suum familiarem alienæ Diœcesis subditum, non intelligitur de Episcopo Nullatenſi, sive ordinato titulo Ecclesiæ in partibus infidelium, nam Trid. *sess.*14.*cap.*2.*de Ref.* circa Ordines id prohibet his verbis: *Nemo Episcoporum,qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis,etiam exempto,aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promovere, seu ordinare valeat: contraveniens, &c.* De cætero notat Delb *sup.l.*7.*n.*25.ad titulum familiaritati sufficere, si tertius annus sit incœptus:& addit n.27.cum *Sanch.*& aliis idem posse facere Episcopum cum famulo sui familiaris,quia etiam ille est familiaris Episcopi,si reliqua adsint,quæ Constitutio suprà requirit.

§.14.Epis-

2188 §. 14. Episcopus invitatus ad ordinandum subditos alienos & in aliena Diœcesi, potest alios, aliunde generaliter dimissos hìc ordinare sine speciali licentia Episcopi hujus alienæ Diœcesis, uti habet declaratio Cardinalium apud Sanch. *in Conf. l. 7. c. 1. d. 10. n. 35.* adest enim, & in hoc casu sufficit tacita licentia Episcopi Diœcesani, Sanch. Turr. Dian. Delb *s. 5.* Dicast. *n. 232.* Et idem est de subditis Episcopi invitati, qui non indigent dimissorialibus ad seipsum. Qui autem posset, si dimissoriæ alienorum haberent, *à quocumque in propria Diœcesi residente, vel ordinante,* dicetur n. 2246.

2189. §. 15. Huc spectat resolutio sequentium dubiorum. In Diœcesi, v. g. Monasterienſi statutum est, ut omnes majoribus Ordinibus initiandi priùs obierint Exercitia spiritualia per octo continuos dies: id autem statutum non est in Diœcesi, v. g. Hildesienſi. *Quæritur* 1. An Episcopus Hildesienſis existens in Diœcesi Monasterienſi, & cum hujus Episcopi facultate hìc ordinans possit aliquos ordinare non præmissis illis spiritualibus exercitiis. 2. An Episcopus Hildesienſis celebrans Missas, vel ordinans Monasterii debeat, aut possit sequi Rituale, seu Pontificale, vel Monasterienſe, vel Hildesienſe, vel Romanum. 3. An idem Episcopus Hildesienſis consecrans Ecclesiam in Diœcesi Monasterienſi possit Ecclesiæ consecratæ concedere Indulgentias. *Respondeo ad 1.* Si ordinet subditos Monasterienses, hi præmittere debent exercitia, quia statutum Episcopi Monasterienſis tangit hos in persona tanquam subditos, tum saltem, quando etiam isto loco ordinantur. Hildesienses ordinari possunt sine exercitiis, quia statutum illud non tangit hos utpote non subditos: Et sic praxis habet, ut aliunde dimissi ordinentur, dummodò habeant illa, quæ requiruntur in Diœcesi sua, è qua dimittuntur, licèt desit aliquid, quod requiritur in Diœcesi, in qua ordinantur. *Ad 2.* Potest sequi rituale Monasterienſe, quia licitum, imò convenientius est se accòmodare ritui loci. Potest sequi etiam Rômanum, quia Romana Ecclesia est quasi mater, cui se conformare possunt reliquæ. Potest etiam sequi Hildesienſe, quia dans licentiam facit potestatem, ut in illis, quæ ipsum Ordinantem concernunt, operetur eo modo, atq; si esset apud suam Ecclesiam, non enim potest præsumi, quòd velit obligare ad discendos ex tempore ritus hujus Ecclesiæ alienæ: Et sic Græci græcè celebrant etiam in Latio; item peregrinus Sacerdos ubique legere potest Missas secundùm ritum, formam, & directorium suæ Ecclesiæ, à qua abest. *Ad 3.* Potest, quia Episcopus Monasterienſis committens, etiam cómmittit testatem concedendi Indulgentias, vult enim ab ipso observari Rubricas Pontificalis, quæ expressè mandant in fine promulgari Indulgentias; imò supposita facultate Episcopi, ut alius consecret Ecclesiam in sua Diœcesi, jus ipsum in Pontificali expressum tribuit cõsecranti potestatem cõcedendi Indulgentias.

2190. §. 16. Quod Abbates attinet, Trid. *sess. 22. cap. 10. de Ref.* sic statuit: *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis existentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre.* Deinde *Synod. Colon. anni 1662.* de Sacr. Ordinis c. 1. §. 9. refert hoc Decretum, de cujus fide non est dubitandum, inquit Gob. *n. 328.*

Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, utraque parte informante, ore, & scriptis, & rationibus hinc inde deductis, maturè examinatis, inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Aprilis 1592. coram bon. mem. Cardinale Seraphino de ordine fel. rec. Clementis VIII. factæ, necnon declarationibus ejusdem sacræ Congregationis dictæ decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares Benedictione Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut Instituti, habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumque Mitræ, Baculi & benedicendi, ac facultatem primam Tonsuræ, & minores Ordines conferendi, non posse dictam primam Tonsuram, vel alios Ordines minores, nisi suis subditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant litteras dimissoriales suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt. Et multò minùs personis sæcularibus etiam habentibus litteras dimissoriales à suis Ordinariis. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus tam sæcularibus: quam Regularibus, ne in futurum concedere non audeant supradictas litteras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipere, quòd si secus fiat, tam concedentes, quàm ordinantes à Collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas. Quam declarationem Sanctissimus D. N. die 17. Januarii 1642. ad se delatam approbavit, & inviolabiliter observari jussit.

§. 17. Si Abbas conferat Tonsuram vel 2191
Minores sæculari, vel alteri Regulari ad se dimisso, Laym. Asc. Tamb. & alii cum Gob. *à n. 330.* putant ejusmodi Ordinationem fore validam, quia Trid. tantum dicit, *non liceat*: & pro hoc refertur declaratio Congregationis apud Castrop. *pu. 14. n. 15.* qui consentit. Sed Suar. & alii cum Pignat. *tom. 1. conf. 366. & to. 4. conf. 158.* dicunt fore invalidam, quia Abbas de se non habet eam potestatem, cùm non habeat characterem episcopalem, vi cujus sit ordinarius Minister Ordinum, sed tantùm habet per concessionem Papæ, cujus præscripti termini excedunter, ergo etiam excedit potestas: & in Declaratione ante relata dicitur, tales Abbates hoc *non posse*: Id saltem absolutè dicendum est, si Abbas ordinet non subditum, aut non sibi subjectum, Ordinationem esse irritam, quia caret potestate ordinaria, nec aliunde ipsi est commissa ad talem. E contrà tamen si Episcopus ordinet non subditum, valebit Ordo, quia habet potestatem ordinariam ex vi Ordinis sui, quæ stat sine jurisdictione, sine qua tamen prohibetur exercere actum sui characteris circa non subditum, Aversa *q. 3. sect. 6.* Delb. supra *sect. 7. n. 1.* Plura de titulo Ordinationis, item de testimonialibus, commendatitiis, dimissoriis, addentur ad dubium sequens, ubi etiam à n. 2235. dicitur, an Abbates, vel Superiores regulares dare possint dimissorias suis subditis sæcularibus, vel saltem Regularibus.

Q. 320. A quo Episcopo ordinari possint, vel debeant Religiosi? R. §. 1. Secundùm dicta *n. 2190.* 2192
Abbates possunt suis subditis Regularibus conferre Tonsuram, & Minores, sed Ordines Majores, per se loquendo, peti debent ab Episcopo loci, in quo Monasterium, uti habet communis cum Barb. *de Off. Episc. allg. 4. à n. 60.* qui addit, si habitent in loco nullius Diœcesis, debere ordinari ab Episcopo viciniore. Circa hoc Gallem. ad Trid. *sess. 23. c. 8. de Ref.* refert sequentem declarationem. Greg. XIII. *statuit, ut Regulares suscipiant Ordines sacros ab Episcopis, in quorum Diœcesi sunt Monasteria, in quibus tunc degunt, vel dimissorias ab eis accipiant.* Nec refert, quòd fortè sint Regulares exempti à jurisdictione Episcopi, cui non licet ordinare,

nisi subditum, nam quod hoc possunt Superiores Regulares subditos suos subjicere Episcopis, cùm sit in ipsorum favorem, uti cum communi Sanch. *in Cons. lib. 7. cap. 1. dub. 20. n. 44.* An autem Regulares debeant ab Episcopis petere dimissorias, dicetur à n. 2236.

2193 §. 2. Si Superior subditum Religiosum à proprio Episcopo rejectum transtulerit ad Monasterium alterius Diœcesis, ut ab hoc Episcopo statim ordinetur, Riccius dicit peccari, & incurri pœnas, videturque consentire Gob. *n.* 420. quia nemini debet fraus sua prodesse, in hoc autem est fraus, uti in simili colligitur ex dicendis n. 2236. Putat etiam *Asc. Tamb.* talem Superiorem peccare, si suorum Ordinationem differat dedita opera usque ad mortem, vel absentiam sui Diœcesani, nisi hic fortè esset nimis morosus & rigidus, sed *Gob.* non agnoscit in hoc causam gravis noxæ, quia tales Prælati utuntur jure suo.

2194 §. 3. Quod Societatem JESU attiner, appono hic, quæ prodierunt Romæ *typis Rever. Cameræ Apostolicæ anno* 1695. *Superiorum permissu*: Et hæc uno loco pono omnia verbotenus, ut huc remittere possim aliunde.

Decreta Sanctissimi, suarumve Congregationum, in causis infrascriptis Societatis Jesu.

Beatissime Pater.

SOcietas JESU ex Sedis Apostolicæ benignitate à sæculo, & ultrà utitur privilegio, quod Sanct. Mem. Greg. XIII. eidem Societati concessit in sua Constit. 77. Bullarii Rom. tom. 2. die 22. Sept. 1582. ut nimirum ejusdem Societatis Religiosi prævia suorum Superiorum facultate, ad quoscumque tam minores quàm Sacros Ordines promoveri valeant à quolibet Episcopo, & Antitiste, gratiam & communionem dictæ S. Sedis habente absque ulla functione, inquisitione de idoneitate, aliisque requisitis, & signanter absque ulla interstitiorum observatione, in tribus Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis. Quod indultum Greg. XIV. & Paulus V. sanct. mem. cum cæteris eidem Societati à summis Pontificibus anteà concessis planè confirmarunt. Quoniam verò die 14. Decemb. 1693. Congregatio particularis à Sanctitate vestra deputata decretum edidit super moderatione indultorum suscipiendi Ordines extra tempora à jure statuta, quamvis dicta Societas nec explicitè, nec implicitè videatur in eodem decreto comprehensa, nihilominus ad omnem hæsitationem, quæ contingere posset, removendum, Thyrsus Gonzalez Præpositus Generalis ejusdem Soc. humillimè supplicat S. V. ut dignetur declarare dispositionem præfati decreti nullatenus involvere dictam Societatem: Quod sperat, &c. Quam Deus, &c.

Commissio Sanctissimi ad Relationem Illustr. & Reverendiss. Dom. Secretarii memorialium.

Ad Dominum vices gerentem cum Sanctissimo.

Carolus Augustinus Fabronus.

DECRETUM.

SAnctissimi D. N. Innocentii Papæ XII. referente Illustr. & Reverendiss. Dom. Episcopo Interamnensi vices gerente, die 17. Aug. 1695.

Facto verbo cum Sanctissimo D. N. Sanctitas sua prævia declaratione, quòd in decreto de sacris Ordinationibus edito die 14. Decembr. 1693. non comprehendantur Clerici Societatis JESU, specialiter, & expresè mandavit in eis ad Ordines promovendis servari Constitutionem Gregor. XIII. quæ incipit, *Pium, & utile*, datam 22. Sept. 1582.

Sperellus Episcopus Interamnensis vices gerens.

Gregorius Papa XIII. ad futuram rei memoriam.

PIum & utile Societatis JESU Institutum non patitur certa quædam ab iis, qui sub ejus vexillo, & disciplina salutari militant, obiri, quæ in sacris ineundis generaliter præscribuntur.

§. I. Quocirca cùm dictæ Societatis, ac disciplinæ alumni nulli Ecclesiæ nullive loco certo mancipati sint, ut ibi permaneāt, sed veluti viatores omni tempore parati expectantesque diem, & horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cùm venit usus, emittantur, ubi quisque pro captu suo, & juxta datam sibi à Domino sapientiam sese in vinea Domini excolenda exerceat, ejusque rei causa Fel. Record. Paulus Papa III. Præposito ejusdem Societatis concesserit, ut idoneos, & comprobatos ab ipsa Societate, quibuscumque mallet catholicis Antistitibus, & gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus præsentare posset, qui illos sic præsentatos absque ulla promissione, vel obligatione ad Ordines hujusmodi promoverent.

§. II. Nonnulli tamen Antistites post Conc. Trid. decreta eos sic præsentatos priùs in cujusque tam Minorum, quàm sacrorum Ordinum hujusmodi præscripto munere exercitatos, temporumque determinatorum post susceptos præscriptum finem, antequàm ad Superiores Ordines ascendant, omninò expectandum, eosque eorundem Ordinum functionibus, chorique officiis plenè instructos, & denique super eorundem vita, moribus, ætate, & natalibus ad Parochi inquisitionem, aut aliàs testimonium, & certa alia requisita habenda esse contendunt, quamvis nonnisi ad eosdem Ordines suscipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur.

§. III. Nos his incommodis, quantùm in nobis est occurrere volentes, omnibus Episcopis, & aliis Antistitibus præsentibus, & futuris in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quicquam prædictorum requirant, vel exigant, sed ipsos etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, & cæremoniis ecclesiasticis idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requisitis ad Minores, ac etiam extra tempora à jure statuta tribusque Dominicis, aut aliis festis diebus etiam continuis ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines promoveant, ac si omnibus illis præditi essent: Nos enim illis Ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus.

§. IV. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque: præsentis autem gratiæ communicationes omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, & participare poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus. Cæterùm quia difficile esset præsentes, quocumque istis opus erit, deferre.

§. V. Volumus, ut earundem præsentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu etiam dicti Præpositi munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die 22. Septemb. 1582. Pontificatus nostri anno XI.

Ordinationis Mechlinienſis.

Archi-Episcopus Mechlinienſis per libellum à Sanctissimo remissum, oraculum S. Congregationis Conc. Trid. exquisivit super jura examinandi, & ad Ordines promovendi Religiosos Societatis JESU, duplici dubio proposito:

Primum

Primum dubium. An Clerici Societatis JESU Sacros Ordines ab Episcopo Mechlinienſi ſuſcepturi, debeant ſe ſubjicere examini, prout cæteri Regulares?

Die 5. Julii 1581. S. Congreg. Concilii reſpondit negativè, niſi adſit conſuetudo in contrarium.

Secundum dubium. An Clerici Societatis JESU habitantes in Diœceſi Mechlinienſi Archi-Epiſcopo Ordinationem habente poſſint extra Diœceſin Mechlinienſem ordinari ab alio Epiſcopo in propria Diœceſi?

Dicta die 5. Jul. 1681. & 8. Maii 1683. ſacra Congreg. reſpondit affirmativè.

2195 *Mechlinienſis miniſtrationis SS. Euchariſtiæ Sacramenti.*

Conquerentibus nonnullis Parochis, & dubium infraſcriptum proponentibus in Congreg. Conc. Trid.

An PP. Societatis JESU aliique Regulares poſſint miniſtrare SS. Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus à Dominica Palmarum uſque, & per totam Dominicam in Albis?

Die 31. Januarii 1682. S. Congreg. reſpondit affirmativè, excepto die Paſchatis, ita tamen, ut ſæculares ſumentes Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium in aliis diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè non ſatisfaciant præcepto Eccleſiaſtico.

2196 *Sicula ſeu Mazzarien. dimiſſionis.*

Ambroſius Maſſa Siculus è Societate à Provinciali dimiſſus anno 1634. de injuſta dimiſſione ad Præpoſitum Generalem reclamavit, Societatem repetere contendens; ſed dimiſſionis actu à Generali confirmato, cauſam reingreſſus introduxit coram S. Congregatione Epſcoporum, & Regularium, quæ auditis Patribus dictoque Maſſa, acerrimè informante, reſcripſit, primò, *Acquieſcat in Domino.*

Eo tempore non acquieſcente, novamque Audientiam obtinente, ſecundùm reſcriptum à S. Congreg. prodiit, *Acquieſcat omninò.*

Omnem movit lapidem Maſſa, ut tertiò audiretur, quo ex mira S. Congregationis benignitate impetrato, tertium quoque reſcriptum emanavit: ſic igitur firmata dimiſſionis validitate ejuſdem S. Congregationis judicium Inn. X. ſanctæ memoriæ die 27. April. 1684. conſtanter approbavit, & perpetuum Ambroſio Maſſæ ſilentium indixit.

Neapolitana Remotionis.

Remotionem N.N. Religioſo Societatis JESU à quodam Collegio detrectante, nec ad conſuetum obedientiæ nutum ſe ad alterum Collegium transferente, imò ad S. Cong. Epiſcoporum, & Regularium ſupplici oblato libello recurrente, ut in Collegio ſibi placito tuendæ valetudinis gratia immorari liceret.

Die 27. Junii 1692. S. Congr. reſcripſit: *Pareat omninò.*

Limana Ejectionis.

Archi-Epiſcopus Limanus in Indiis petiit declarari à Sacra Congreg. Conc. Trid.

An Patres Societatis JESU in ſacris Conſtituti juxta indulta, & privilegia ejuſdem Ordinis, & poſteà dimiſſi, ſeu ejecti abſque patrimonii, aut Beneficii eccleſiaſtici aſſignatione ad propriam ſuſtentationem competente juxta Conc. Trid. *Conſtitutionem ſeſſ. 25. de Reform. cap. 2.* habeantur ut ſuſpenſi ab executione præfatorum Ordinum: & quatenus non ſunt ſuſpenſi, an Religio illis teneatur providere de honeſto victu, ſaltem in reditu 40. aureorum, donec ſufficiens Beneficium fuerint aſſecuti?

Die 18. Febr. 1662. S. Congr. reſpondit, Religioſos Societatis poſt tria vota ſimplicia dumtaxat, vigore privilegiorum ejuſdem Societatis dimiſſos, non comprehendi in Conſt. Urb. VIII. de apoſtatis, & ejectis. *Quoad reliqua nihil innovandum.*

Gerunden. Patrimonii.

Martinianus Battle Gerundenſis, Sacerdos pauper, è Societate dimiſſus, ne cum Ordinis dedecore mendicare cogeretur ſupplicem libellum obtulit ſacræ Congreg. Conc. Trid. inſtans, ut ſibi provideretur de annuo reditu 40. aureorum ex bonis Religionis, unde propoſitum fuit dubium:

An ſecundùm ea, quæ proponuntur, oratori provideri debeat de dicto annuo reditu ſuper bonis Religionis?

Die 4. Jun. 1672. S. Congr. perpenſis deductis, tum pro parte Oratoris, tum pro parte Religionis, reſpondit, *Nihil eſſe innovandum.*

Panormitana prætenſæ congruæ.

Dominus Georgius Vaccarinus Sacerdos Siculus quæſtionem hanc de alimentis Sacerdoti pauperi è Societate dimiſſo præſtandis reaſſumpſit, & congruam 40. aureorum ſibi aſſignari de bonis Societatis, tum voce, tum ſcripto acriter inſtitit, ſed Societate Sanctiſſimum rogante pro diſcuſſione quæſtionis, quoad perſonam Vaccarini dumtaxat, non autem in abſtracto, Sanctitas ſua audita relatione ſibi facta de ſpeciali ejus commiſſione ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Raynutio Pallavicino ejuſdem S. Congreg. Secretario die 2. Decembr. 1694. mandavit, ut ſuſpenſa propoſitione in abſtracto, idem dubium proponeretur in concreto tantùm, ac in caſu particulari dimiſſionis Sacerdotis Georgii Vaccarini; nec ultrà eſſe innovandum, ne fiat in Societate JESU turbatio, ac ſtatus ejuſdem immutatio. Itaque duplici dubio propoſito:

1. An Georgio Vaccarino ordinato Sacerdoti ad titulum paupertatis in Societate JESU, & deinde ab ea dimiſſo debeatur congrua portio ſaltem aureorum 40. annorum? 2. An eidem ſint ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis? S. Congreg. ita reſcripſit, Die 28. Maii 1605. S. Congr. Eminent. S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, juribus ab utraque parte deductis maturè perpenſis, ad utramque reſpondit Negativè.

G. Card. Mareſcotus Pro-Præfectus.

Raym. Pallavicinus Secretarius.

Et facta de præmiſſis, ab eodem Illuſtr. & Reverend. D. Pallavicino Secretario relatione Sanctiſſimo, die 4. Junii 1695. Sanctitas ſua favorabilem Societatis ſententiam ſacræ Congr. approbavit, & mandavit Vaccarinum, *Non eſſe amplius audiendum, ac impoſterùm nihil innovandum.*

Repetitis verò per D. Vaccarinum precibus coram Sanctiſſimo in audientia publica, eoque inſtante cauſam committi de voto Rotæ, Sanctitas ſua die 16. Julii 1695. denuo referente eodem Illuſt. & Reverend D. Pallavicino Secretario, & ſpeciali commiſſione ſibi facta ſtetit in decretis 4. Junii prædicti.

Et cùm rurſus die 27 ejuſdem menſis Julii alium ſupplicem libellum in publica audientia Vaccarinus Sanctiſſimo obtuliſſet: petens ſibi, & cæteris Sacerdotibus è Societate dimiſſis alimenta præſtari, ſub prætextu novæ ſcripturæ repertæ obligationem præſtationis hujuſmodi inducentis, quæ tamen ſcriptura ſatis antiqua eſt, ſæpè examinata, in antecedentibus judiciis reproducta, recens recocta, floccique ſemper ex pluribus ſolidiſque rationibus à S. Congregatione habita, Sanctitas ſua reſcripſit, *Acquieſcat.* Videri poteſt Pignat. *tom. 10. conſ. 72.* adhuc pluribus iſta referens, & firmans.

Q. 321. An & à quo ordinari poſſint Novitii Ordinum Religioſorum? Reſp. §. 1. Novitii ordinari poſſunt, ſi habeant aliàs requiſita: quod enim S. Greg. *lib. 8. Epiſt. 25.* de admiſſis ad Religionem dicit, priuſquàm biennium in converſione compleant, nullo modo audeant tonſurare, rectè cum aliis explicat, Sanch. *in Decal. l. 6. c. 10. num. 19.* ſenſum eſſe, quòd, ubi conſuetudo eſt biennii pro Novitiatu, non deſcant ante hoc completum admitti ad tonſuram monachalem, ſive ad ſtatum profeſſionis. *Dixi,* 2197

si habeant aliàs requisita, inter quæ pro majore Ordine est titulus congruæ sustentationis, secundùm dicenda à n. 2168. titulum autem *paupertatis* non habent Novitii, cùm Ordo illos ad professionem, vel vota Religionis necdum admiserit, nec illos stabiliter acceptarit, nec se obligarit ad eos alendos. Hinc Aversa *q.* 3. *s.* 10. Delbene *De immun. eccl. c.* 12-*dub.* 3. *s.* 8. *n.* 9. Barb. *De off. Epis. alleg.* 7. *n.* 31. notant Novitios à S. Pio V. prohiberi suscipere majores Ordines ante professionem, nisi aliunde haberent titulum.

2198 §. 2. Quamvis secundùm dicta *n.* 2190. Abbates possint Regularibus sibi subditis conferre Tonsuram, & Minores, tamen dubitatur, an etiam Novitiis: negant Nav. Rodr. Henriq. Barb. Jord. A. Tamb. & alii cum Castr. *pu.* 14. *n.* 6. quia non sunt subjecti Prælatis, nisi quoad illa, quæ spectant ad probationem, ad quam non spectat subjectio quoad Ordines; uti cum communi Sanch. *in Dec. l.* 6. *c.* 10. *n.* 22. E contrà posse affirmant Suar. Pirinch. Gob. *n.* 324. eò quòd Novitii in favorabilibus veniant nomine regularium & gaudeant privilegiis Ordinis, in quo sunt secundùm dicenda n. 2237. debentque censeri Abbati suo magis quàm Episcopo esse subjecti. Utraque opinio est probabilis.

2199 §. 3. Major difficultas est, à quo Episcopo Novitius Majore Ordine esset initiandus. *Suar. Henriq.* & alii putant ab Episcopo suæ originis, vel prioris sui domicilii, quia cùm ingressus sit non animo perpetuò ibi habitandi, sed tantùm experiendæ Regulæ per unum, vel duos annos, non videtur acquirere domicilium in loco Novitiatus, & in hanc sententiam inclinat etiam Barbosa *de off. Ep. alleg.* 4. *n.* 63. E contrà Sanch. suprà *n.* 21. & *l.* 4. *c.* 39. *n.* 20. Castr. *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 11. *num.* 8. Delb. *num.* 7. putant in loco Novitiatus statim acquiri domicilium, adeóque posse ordinari ab Episcopo hujus loci, quia, quantùm est de se, habet animum ibi perpetuò permanendi, saltem apud religiosos, qui professionem *loci faciunt*: cui animo, secundùm dicta hìc n. 2184. non obstat, si fortè per accidens eum casus, vel causa aliò vocet. Etiam utraque hæc opinio est probabilis. An autem Prælati licentia requiratur, ut Novitius ordinari possit; item an Prælatus ei possit dare dimissorias: denique an etiam Novitius Societatis JESU gaudeat illis privilegiis, de quibus n. 2194. dictum est: colligitur ex dicendis n. 2237.

2200 *Q.* 322. *Quid notandum sit circa suppletionem Ordinum, vel rituum in ordinatione omissorum?* Resp. §. 1. Universim circa suppletionem notant *AA.* cum Aversa *q.* 2. *s.* 13. & Gob. *tr.* 8. *à n.* 231. *seqq.* 1. quando posteà suppletur aliquis actus, debent iterari forma, & orationes annexæ illi actui, & si pars formæ sit omissa, debet tota repeti. 2. Si certum sit ordinem, vel cæremoniam notabilem esse omissam, debet, si fieri potest, supplere ab eodem Episcopo, qui cæteros ritus adhibuit, & per se loquendo eo tempore, quo confertur talis Ordo, nisi excusat ratio infamiæ, scandali, aut alterius extrinseci gravis incommodi: hinc notat *Aversa* quando defectus fuit occultus, occultè esse supplendum ad vitandum scandalum, & turbationem aliorum; pntat tamen semper suppleri debere in aliquo ex diebus pro collatione Ordinum designatis, eò quòd ita præscribat Cap. *Presbyter*, De Sacram. non iterandis. 3. Si ob solum dubium sub conditione iteretur Ordo, vel cæremonia, potest iterari à quovis Episcopo, quovis die, in privato sacello, & quidem uno eodemque die omnes simul tam majores quàm minores Ordines eidem conferri possunt, nec necessario adhibendæ sunt solemnitates ordinatæ, præter probabiliter necessarias ad valorem.

2201 §. 2. Si in Collatione Ordinis omissus sit ritus notabilis, v. g. in collatione Presbyterii unctio manuum, quamvis Ordinatio sit valida, uti certum videtur contra Hostium quem refert Aversa *s.* 8. tamen unctio illa est supplenda sub mortali ante ministerium in tali Ordine, Sanch. *in Conf. l.* 7. *c.* 1. *d.* 13. Gob. *à n.* 226.

§. 3. Notat Carden. *in* 2. *crisi diss.* 2. *n.* 513. 2202
damnatam non esse sententiam Granadi, quòd quando est opinio probabilis, licèt minùs tuta, circa valorem suscepti Diaconatus, Subdiaconatus, & minorum Ordinum, non sit opus talem Ordinem iterum suscipere sub conditione, quamvis hoc debeat fieri in Ordine Presbyteratus, & Episcopatus secundùm dicta *num.* 2146. Et disparitas hìc est, quia Presbyteratus supplet omnia, quæ fortè deessent ex illis aliis Ordinibus, neque ideò patietur notabile damnum vel Ecclesia, vel salus fidelium, neque ullum Sacramentum per hoc exponetur periculo nullitatis, Gob. *n.* 191. citans alios.

§. 4. Ex dictis colligitur, quid dicendum fuerit 2203
de hoc casu. Titius ad Subdiaconatum accedens intendit non obligari voto Castitatis perpetuæ: non multo tempore post, facti pœnitens, exercuit actum Subdiaconatus: postmodùm ritè ordinatus est Diaconus, & Presbyter: incepit posteà dubitare, an accedens ad Subdiaconatum non habuisset intentionem illum re ipsa non suscipiendi. *Quærebatur* 1. an deberet reordinari Subdiaconus? 2. An ob exercitum actum Subdiaconatus ita suscepti non incurrisset suspensionem, vel irregularitatem? *Respondi ad* 1. Non esse reordinandum Subdiaconum, 1. quia præsumptio est pro valore actus. 2. Cùm Titius hactenùs non dubitarit de valore; imò non multò post susceptum Subdiaconatum exercuerit actum illius, ab initio supposuit esse validè susceptum, ergo est quædam possessio certa pro valore, à qua non dejicit dubium nunc superveniens, quod censeri debet esse imprudens. 3. Quamvis fortè Subdiaconatus validus non fuisset, Presbyteratus nunc supplet: si tamen sciretur Subdiaconatum non esse validè susceptum, per se loquendo, esset obligatio supplendi, uti ante dictum est. *Respondi ad* 2. Non incurrisse, quia in dubio non censentur contractæ tales pœnæ (excepto dubio de homicidio) uti habet communissima, & latè Sanch. *in Dec. l.* 1. *c.* 10. hic autem ad summum est dubium, an suspensio, & irregularitas sit contracta: uti patet ex Resp. *ad* 1. Et ita mecum senserunt quoad omnia alii 4. Doctores hujus Universitatis.

§. 5. Si per traditionem calicis, & patenæ col- 2204
lata sit potestas consecrandi, sed aliquid essentiale neglectum sit in secunda impositione manuum Episcopi, talis ordinatus invalidè absolveret pœnitentes, uti patet, & uti probabiliùs docet Aversa *qu.* 2. *s.* 8. §. *ult.* etiam invalidè ministraret extremam Unctionem. Quamvis autem validè consecrare posset, nam jam anteà validè consecravit cum Episcopo, attamen posteà illicitè Missam legeret ante suppletionem illius secundæ impositionis manuum, quia necdum est completè Sacerdos, cui soli Ecclesia concedit Missas legere. Hæc autem suppletio impositionis manuum potest fieri sola, neque opus est ideò repetere traditionem calicis, & patenæ, quia potestas in Corpus Christi verum est independens à potestate in Corpus Christi mysticum. E contrà si in traditione calicis, & patenæ neglectum esset aliquid essentiale, quamvis in secunda impositione manuum nihil esset neglectum, deberet repeti etiam secunda manuum impositio, quia potestas in Corpus Christi mysticum supponit priùs adesse potestatem in Corpus Christi verum, quæ hìc non adfuisset, Aversa *s.* 13.

§. 6. Si aliquis esset ordinatus Sacerdos per tradi- 2205
tionem unius tantùm speciei, ut si in calice non fuisset vinum, secundùm dicta n. 2151. deberet Ordinatio omninò ex integro repeti saltem sub conditione, quia meritò dubium est, an quis validè ordinari possit ad consecrandum solum Christi Corpus, & non

sanguinem. Aversa *sect.*8. §. *Sed de facto*, & pluribus *sect.* 13.

2206 *Q.* 313. *Quid præterea notandum sit circa Ordinationem, & Ordines?* Resp. §. 1. Secundùm dicta l. 6. p.1. n. 93. Episcopus peccat mortaliter, si consecret alium Episcopum, vel alicui conferat Ordinem in mortali: sed secundùm dicta ibidem n.96. non peccat mortaliter, si in mortali conferat Tonsuram vel benedicat chrisma, &c.

2207 §. 2. Omitto hic multa alia, quæ potiùs ad Scholasticam pertinent, & tantum paucis insinuo, si fortè opus esset aliquem de illis scire, ac remitto ad authores, qui quæstiones illas fusè discutiunt in utramque partem. 1. Sacramentum Ordinis institutum est partim ante, partim post Resurrectionem, nam Sacerdotium, quoad primam partem consecrandi, est institutum in ultima cœna, Lucæ 22. v.19. *Hoc facite, &c.* Quoad alteram potestatem absolvendi pœnitentes, videtur institutum Joannis 20. v.23. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Episcopatum putant aliqui institutum Joan. 21. v. 18. quando dixit Petro, *Pasce oves meas*, sed Aversa. *q.* 2. *s.*10. probabiliter dicit institutum cum Sacerdotio. Et dicendum videtur Ordines alios, utpotè tendentes ad Sacerdotium, esse institutos quando data est prima potestas Sacerdoti. Sacerdotes autem, & Episcopos nunc non immediatè à Christo, sed per Papam habere jurisdictionem, dixi hic à n.1550. & consentiunt S. Thom. aliique communissimè cum Aversa. *s.* 12.

2208 2. Prima Tonsura non est Ordo, sed sicuti habitus, & tonsura tantùm disponit ad religiosum statum. ita prima Tonsura ad Ordines, Aversa. *q.* 1. *s.* 5. Dicast *à num.* 18. Quando autem vocatur Ordo clericatus, sensus est, quòd sit nota, per quam quis ex ordine laïcorum evehitur ad ordinem, seu statum Clericorum. Nec officium cantoris, seu psalmistæ est Ordo, uti nec officium fossarii, id est, egerentis fossam pro sepeliendo mortuo, cùm Pontificalia de eorum Ordinatione non agant, sed tantùm extrinsecè deputentur, uti choraulæ, organædi, custodes, campanistæ, Dicast. *à num.* 21. Probabilius est autem quatuor Minores esse vera Sacramenta, de quibus etiam Pontificalia præscribunt speciales Ordinationes, Aversa *s.* 4. Dicast. *à numero* 96. Illsf. *numero* 22. Similiter Subdiaconatus, & Diaconatus, Aversa. *s.* 3. Dicast. *à num.* 64. Diaconatum, & Presbyteratum esse diversos Ordines probat Petavius *post tom.*4. *de Incarnat. in append. tom.* 3. *de Hierarch. eccles. lib.* 1. *cap.* 10.

2209 3. Episcopatus est Ordo, & Sacramentum, Aversa. *qu.*1. *s.*6. Dicast. *à n.*28. *&* 67. Et probabilius est, Presbyteratum, & Episcopatum esse duos distinctos ordines, quamvis Episcopatus supponat, & quasi includat Presbyteratum, cujus est perfectio, Petav. *suprà cap.* 1. *& seqq.* item *lib.*2. *toto*, Aversus *s.*7. Illsf. *numero* 18 Chori-Episcopatus, ut vocant, Archidiaconatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus, Primatus, Papatus, non significant Sacramentum, vel Ordinem, sed potiùs dignitatem majorem, & superioritatem officii ad regendos plures Christi fideles, Aversa. *q.*1. *s.*8. Dicast. *à n.* 43.

2210 4. Quamvis Sacerdotium valeat sine præsuppositis aliis Ordinibus, tamen Episcopatus non valeret si non supponeretur susceptum esse Sacerdotium, Aversa. *q.* 1. *s.* 9.

2211 5. In quolibet Ordine imprimitur distinctus character, qui simul omnes per aggregationem faciunt unum characterem Ordinis, Dicast. *à n.*210. & Aversa. *s.* 7. speciatim id probat de Episcopatu.

2212 6. Nulli non Sacerdoti potest committi collatio ullius Ordinis: probabilius tamen est Sacerdotem non Episcopum posse ex dispensatione Papæ validè Ordines conferre usque ad Diaconatum inclusivè, Aversa *q.* 3. *s.*3. Dicast. *à n.*326. Illsf. *n.* 35. contra Gonet. *d.*3. *n.*3. & Thomistas.

7. Mulier nequidem ex dispensatione Papæ est capax etiam solius primæ Tonsuræ, cùm enim incapax sit omnis Ordinis, etiam incapax est specialis dispositionis ad Ordinem, Aversa *s.* 4. Dicast. *à n.*286. Gob. *n.*346. Nomina Presbyteræ, Diaconissæ, &c. mulieres olim participabant à viris suis, qui erant Presbyteri, vel Diaconi. Infantem esse capacem Ordinum, probat Aversa *s.* 5. 2213

DUBIUM II.

Quæ requirantur in ordinando. 2214

RESP. I. Ad validam Ordinationem requiritur, & sufficit, ut sit mas baptizatus, S. Th.3. *p.q.* 39. *art.*2. Kon. *à* 20. *dub.*10. Vasq. Fill. *t.*9. *c.*4. *q.*1. *Unde resolves.*

I. Incapax Ordinum est, & quidem jure divino, 1. Fœmina *Vasq. Regin. Fill.*2. Hermaphroditus, in quo sexus fœmineus prævalet Fill. *l. c.* Quòd si autem in eo incipiat prævalere post Ordinationem validam, non potest validè consecrare, vel absolvere, licèt characterem Sacramentalem retineat, Lug. *Resp. mor. l.*1. *d.* 21. 3. Non baptizatus.

II. Validè non ordinantur, 1. Perpetuò amentes, cæci, muti, privati manibus; etsi jure naturali sint inhabiles. 2. Irregulares, etsi jure Ecclesiastico sint inhabiles, maneantque ab eorum usu suspensi. 3. Pueri in cunis, qui tamen ad castitatem non tenebuntur vi voti, nisi id ratificaverint, Tol. Henr. Azor. *l.*13. *c.*14. Bon. *l. c.*

R. II. Ut Ordo licitè, & secundùm jura Ecclesiæ ritè sumatur, aut non incurratur censura, requiritur in recipiente præter statum gratiæ,

1. Ut non sit Neophytus vel infamis vel Hermaphroditus vel irregularis, suspensus, excommunicatus.

2. Animus clericandi, Trid. *sess.*23. *cap.*4. sine quo si primam tonsuram vel Ordines minores accipiat, videtur peccare saltem venialiter (nisi justa causa excuset) quia fraus est levis, v. suprà l.4 c.2. d.1. ar.3. Similiter venialis inconstantia videtur sine justa causa statum Clericalem deserere.

3. Ut sit confirmatus, Trid. *sess.*23. *c.*4. & quidem secundùm Bon. *d.*8 *p* 5. *n.*10. sub mortali, secundùm *Sot. & Kon.* sub veniali,

4. Litteræ dimissoriæ (etiam pro prima tonsura) Episcopi proprii, sive originis, sive Beneficii, sive domicilii. V. Dian. *p.*3. *t.*4. *R.* 194.

5. Examen coram Episcopo, de scientia necessaria ad usum cujusque Ordinis; nam Trid. *sess.* 23. *c.* 4. pro prima tonsura requirit, ut sciant Fidei rudimenta, item legere & scribere; & de quibus probabilis sit conjectura, quòd Clericatum elegerint, non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent. Pro minoribus, ut linguam latinam intelligant. Pro Subdiaconatu, & Diaconatu, cognitionem eorum, quæ ad istos Ordines spectant. Pro Sacerdotio tantam scientiam, ut populum docere possint necessaria ad salutem, & administrare Sacramenta.

6. Titulus sustentationis; ut beneficii vel patrimonii; vel paupertatis, *ut in regularibus*, Trid. *sess.*21. *c.* 2. V. Bon.

7. Ordo inter perceptionem unius & alterius, cujus inversio, v.g. *suscipere* Diaconatum ante Subdiaconatum, erit *mortale*; Episcopatus ante Sacerdotium, erit etiam *invalidus*.

8. Tempus; Sic minores conferuntur quavis Dominica *vel festo*, & quidem tali, quod ex præcepto Ecclesiæ celebretur etiam in foro, ut *Sylv. Azor.*

„*Bard.* &c. comm. docent. Ac licèt *Præp. Fag. Tan.* „*&c.* putent sufficere quodvis festum duplex in Eccle„„sia, eamque sententiam Dian. *p.* 3. *tr.* 13. *R.* 47. „vocet tutam in praxi, eam tamen ex decreto Urbani „VIII. rejectam esse monet Lugo. *l.* 1. *Resp.mor.d.*43. „Eosdem autem posse ex recepta Episcoporum consuetu„dine, etiam feria V I. vespere ante Sabbatum, quo „omnes Ordine s jure conferri possunt, notat Dian. *p.*2. „*tr.*16. *R.*28. ex Henriq. Regin. &c. majores verò Sab„batis Quatuor temporum, & Dominicæ Passionis, ac „Hebdomadæ sanctæ.

„ 8. Interstitia temporum; Sic majores non nisi post „annum ab alterius susceptione conferri possunt, ex Trid. „*sess.* 23. *c.*11. 13. 14. In quo tamen Episcopus ob ne„cessitatem vel utilitatem Ecclesiæ potest dispensare. „Eodem tamen die, nonnisi de licentia Papæ, duo „Ordines majores possunt dari. Minores verò omnes, „dispensante Episcopo, possunt dari eodem die, & si „consuetudo sit, simul cum Subdiaconatu. Nav. *c.*25. „Henr. *l.*10. *c.* 11. Vasq. Suar. Sàv. Ordo, Laym. *l.*3. „*t.* 9. *c.* 8.

„ 10. Locus; scilicet pro solemni collatione Ecclesia, „pro privata, sacellum.

„ 11. Ætas, in qua ordinariè Episcopus non potest „dispensare: & sic pro prima tonsura & minoribus, „requiritur saltem septennium completum, licèt Quint. „*t.*6. *f.*21. contra Sanch. &c. puret sufficere inchoatum: „pro Acolytho annus 12. completus, Fill *t.*9. *n.*28. pro „Subdiaconatu vigesimus secundus; pro Diaconatu vige„simus tertius; pro Sacerdotio vigesimus quintus, om„nes incepti; pro Episcopatu trigesimus completus. „V. Bon. *d.* 8. *q.* 1. Fill. *v.* 4. Lay. *c.* 6. *&* 7. Dian. „*p.*3. *tr.*4. *R.*192. Si autem dubium sit, an quis æta„tem requisitam habeat, v. g. pro Sacerdotio, an „num 25. ingressus sit, ordinari non potest, Sanch. „Layman. Bardi *d.* 6. *cap.* 11. *p.*6. §. 2. v. suprà *lib.* „*1. t.*1. *cap.*2. *dub.*3. Peccat autem tam ordinans quàm „ordinatus, si ordinetur, qui non habet qualitates re„quisitas.

„ *Quæres.* Quæ sint officia ordinatorum?

„ *Resp. I. Ostiarii* est claves templi servare, aperire, „& claudere ejus januas; arcere eos, quibus non licèt „interesse sacris; campanas pulsare; quæ intra Eccle„siam sunt, custodire: ei, qui prædicat, aperire li„brum. 2. *Lectoris* munus est, legere in Ecclesia le„ctiones veteris, & novi testamenti; item docere ca„techumenos rudimenta fidei Christianæ. 3. *Exorcistæ* „munus est, manus imponere supra vexatos à spiritibus „immundis, ad illos adjurandos & ejiciendos: item ad „exorcizandos catechumenos. 4. *Acolythi* munus est, „præparare ampullas vini & aquæ ad Sacrificium Missæ „& porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem Sacri„ficium, & illi ministrare, unde & Ceroferarius dici„tur. 5. *Subdiaconi* munus est, immediatè subordinari „Diacono ad Sacrificium Missæ, calicem & patenam illi „tradere, urceolum cum aqua præbere, aquam ad la„vandas manus infundere, Epistolam ex officio & so„lemniter in Missa legere. 6. *Diaconi* munus est can„tare solemniter Evangelium in Missa, ministrare im„mediatè Sacerdoti in omnibus, quæ pertinent ad „Missæ Sacrificium, vestire altaria, crucem ferre, „& deinde ex commissione Sacerdotis prædicare, & „baptizare. 7. *Presbyteri* munus est, offerre Sacrifi„cium Missæ, absolvere à peccatis, baptizare, be„nedictiones aquæ & similes facere, populum do„ctrina & exemplo pascere. V. Escob. *Exam.* 8. „*tr.* 7. *s.* 1.

ADDENDA.

1215 QUæst. 324. *Quid præterea sit notandum circa requisita in ordinando?* R. seqq. §. 1. Hermaphroditus, in quo uterque sexus est æqualis, secundùm Sanch. *de Matr. l.*7. *d.* 106. *n.*10. est incapax Ordinum, quia æquè est fœmina quàm vir, ergo congruum fuit, ut talem removeret Christus, qui voluit fœminam non esse capacem Ordinis.

§. 2. Multi, quos citat & sequitur Gob. *tr.* 8. 2216
num. 429. dicunt probabile esse, quòd Episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto, quamvis id communiùs negent *Suar. & alii.* Cum illegitimis notoriis ordinariè dispensat solus Papa ad Ordines majores, Dignitatem & Beneficium curatum: Episcopus verò aut Capitulum Sede vacante quoad Minores, & Beneficium simplex, Gob. *n.*442. ubi *n.* 443. notat dispensatum ad Ordines Minores non ideò censeri dispensatum ad Beneficium simplex, quia cùm actualis dispensatio sit odiosa, non debet extendi, secundùm dicta l. 1. n.622. ubi plura addidi huc spectantia circa restrictionem vel extensionem verborum in dispensationibus ad Ordines. Et specialiter hìc quando petitur dispènsatio pro illegitimo, exprimi debet, an sit natus ex utroque parente soluto, an ex alterutro conjugato, vel constituto in Sacris, alioqui dispensatio est nulla, Sanch. Castrop. Gob. *n.*444.

§. 3. Quando dubitatur, an aliquis sit illegitimus 2217
an legitimus, reputari debet pro legitimo, uti cum communi dixi l. 4. n.754. ubi hoc extendi ad plures casus. Quid faciendum sit, si illegitimitas sit occulta, & illegitimus publicè habeatur pro legitimo, dixi ibidem n.755. Expositi etiam habentur legitimi, secundùm ibi dicta n.766. Item nati stante Matrimonio in se invalido sed publicè, & bona fide contracto, licèt postea declaretur fuisse nullum & fiat divortium, uti ibid. n. 753. est dictum, ideóque tales non indigent dispensatione. Plura de illegitimis & eorum legitimatione videri possunt ibidem à n.750.

§. 4. Nati in Germania hæreticis parentibus non 2218
sunt infames, unde conversi possunt sine dispensatione promoveri ad sacros Ordines, Sa, Henriq. Sanch. Laym. Sayr. Gibal. Gob. *à n.* 655. Potest etiam Episcopus eum admittere ad Ordines vel ad eorum exercitium, qui deformavit vel occidit aliquem, si illa deformatio vel homicidium non sit factum vel cum peccato mortali vel tanquam à publico Ministro justitiæ, Covar. Gomez. Vasq. Lay. Castrop. Turr. Hurt. Tann. Gob. *à n.*668. contra pleroscque Canonistas & antiquiores Theologos. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus in Jure clarè expressis, uti notant omnes communiter cum Suar. *de censuris d* 40. *sect.* 5. *&* 6. nullo autem Jure clarè exprimitur irregularitas ob aliud homicidium. Monent tamen rectè citati Authores attendendam esse loci consuetudinem, & cavendum scandalum.

§. 5. Energumenus est irregularis, adeóque ordi- 2219
nari non debet: attamen rectè notat Less. *in Auct. v. Ordines sacri cas.* 7. non facilè judicandum aliquem esse talem, nisi manifestis signis certò constet: & si quis jam perfectè liber sit ab insidente dœmone, dicit cum Laym. *l.* 1. *tom.* 5. *p.*5. *c.*7. *n.*3. posse in ea irregularitate dispensare Prælatum regularem, cui hæc potestas in Ordine Fratrum Minorum competit, ac participatur ab aliis. Addit sufficere implicitam dispensationem, v. g. si mittat ad Ordines, licèt de ea re nihil cogitarit, ut dispensaret, nam aliàs peccasset mittens eum cum impedimento canonico, quod ipse poterat tollere. Addit semel sic dispensatum manere capacem Prælaturæ in Ordine vel extra, nec opus esse alia dispensatione.

§. 6. Circa conjugatum, notanda sunt seqq. 1. 2220
Cap. ult. De tempor. ordin. in 6. sic statuitur: *Nullus Episcopus vel quivis alius clericalem præsumat conferre Tonsuram conjugato, nisi volenti Religionem intrare, aut ad sacros Ordines promoveri, prout est sacris*

ſacris Canonibus definitum : Eccleſia enim non permittit, nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in hoc, ut conjugatus fiat Clericus ad permanendum in Tonſura vel Minoribus. 2. Cap. *Conjugatus* De converſ. conjug. ſtatuitur, non licere conjugato abſque uxoris licentia vel juſto divortio ad ſacros Ordines promoveri : quod Joann. XXII. In Extrav. *Antiquæ*, De voto, extendit etiam ad illum, qui eſt in ſolo Matrimonio rato, quamvis hic poſſit ingredi Religionem, per quam dirimeretur illud Matrimonium : & eum obligari ad ingrediendam Religionem, ſi inſcia uxore ſacrum Ordinem ſuſceperit, docent *S. Anton. & alii*, attamen alii meliùs negant eã obligationem. 3. In eadem Extrav. ſtatuitur, ut qui abſque uxoris, quam ſciebat vivere, licentia vel juſto divortio ſacrum Ordinem aſſumit., ſit irregularis, nec poſſit in Ordine ſuſcepto miniſtrare, nec ulteriorem Ordinem vel Beneficium vel Officium eccleſiaſticum ſuſcipere, etiamſi uxor moreretur vel poſteà conſentiret. 4. Maritus ita ordinatus tenetur redire ad uxorem & reddere debitum, attamen petere non poſſet. 5. Per Cap. *Conjugatus* & Extrav. ſuprà poteſt maritus de licentia uxoris ordinari Sacris, dummodò licentia ſit ſpontanea, id eſt, ſine vi, metu, dolo, fraude, data, & quidem debet eſſe expreſſa, uti colligitur ex Cap. *Conſuluit*. De converſ. conjug. id enim exigit rei gravitas, cùm uxor ſpolietur uſu juris certò quæſiti. 6. Cap. *Conjugatus*, dicitur, quòd in hoc caſu debeat etiam uxor *continentiam profiteri* : putantque *Hurtado*, *Dian. Pontius*, ſufficere votum ſimplex manendo in ſæculo, ſed communior & probabilior ſententia admittit hoc quidem de uxore ſene, id eſt, ſaltem quinquagenaria, ſi tamen juvenis ſit, dicit debere profiteri in Religione, ſic enim ſtatuitur in Jure, quando maritus ſit Religioſus vel Epiſcopus. 7. Votum ſimplex, quod uxor manens in ſæculo emitteret, eſſet impedimentum dirimens Matrimonium, quod etiam viro mortuo contraheret talis uxor, uti dicetur de Matrimonio. 8. Poſt factum juſtum divortium poteſt maritus, etiam inſcia & invita uxore non tantùm Religionem ingredi, uti expreſſum eſt in Cap. *Agathoſa* 27. *q.* 2. Cap. *Conſtitutus* & Cap. *Veniens*, De converſ. conjug. ſed etiam ſacros Ordines ſuſcipere, uti docent *S. Anton. Sot. Nav. Abb. Vaſq. Sanch. Pont. & alii* contra *Innoc. Hoſtienſem*, *Graff. & alios*, quia uxor in caſu juſti divortii perdit jus retinendi aut revocandi maritum, ergo hic ſit liber ſicuti ad Religionem, ita etiam ad ſuſceptionem ſacri Ordinis, quæ quoad hoc æquiparantur. 8. Jam dicta tenent, ſi divortium fiat ob delictum uxoris : ſi autem fiat petente uxore ob delictum mariti ; adhuc putant aliqui iſta valere, ſed alii meliùs limitant, ſi uxor rogata nolit redire, tum enim maritus plenè liberatur. Hæc omnia videri poſſunt fuſiùs præpoſita & deducta apud Averſam *q.* 4. *ſ.* 9. & 10. Plura adhuc habet Pignat. *to.* 8. *conſult.* 63.

2221. §. 7. Qui tale habet vitium corporis, ut fieri non poſſit Sacerdos, etiam non videtur fieri poſſe, v.g. Diaconus, quia in Jure canonico abſolutè prohibetur, ne vitiari corpore adhibeantur miniſteriis divinis : quod Suar. *De cenſ.* d 40. *ſ.* 2. *n.* 2. & *ſ.* 3. *n.* 25. Bonac. *De Irreg. q.* 1. *pu.* 4. *n.* 1. & *alii* extendunt etiam ad ſuſceptionem primæ Tonſuræ, quia finis Tonſuræ eſt aliquis Ordo, finis autem omnium Ordinum eſt Sacerdotium, ergo ceſſante hoc fine, ceſſant media. Notãt tamen rectè omnes cum Laym. *ſup.* n. 7. tale vitium ſuperveniens Ordinibus ſuſceptis non impedire Ordinum exercitium, ad quod manet habilitas.

2222. §. 8. Balbutiens ordinari poteſt, dummodò ita loqui poſſit, ut intelligatur, quamvis cum difficultate, Paſq. *De ſacrif. qu.* 215. De graviter audiente ſive ſurdaſtro, item de illo, qui privatus eſt lumine ſiniſtri oculi, aliiſque ſimilibus defectibus, dicetur in l. 7. quando de Irregularitate ex defectu.

§. 9. Præter relatos à Buſemb. docent plures 2223. quàm 12. Authores apud Barb. ad Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de Reform.* non eſſe mortale ſuſcipere Tonſuram & Ordines ſine prævia Confirmatione, & eam ſententiam probabilem vocat Jordanus. E contrà præter Bonac. dicunt mortale eſſe Tolet. Nugn. Caſtrop. *p.* 5. *n.* 7. Averſa *q.* 3. *ſ.* 8. Et quia ubi agitur de mortali contrahendo, non eſt aſſerenda obligatio, niſi certiùs conſtet, prima ſententia videtur probabilior. Et ad promovendum ordinandum, ut Confirmationem priùs ſuſcipiat, ſatis eſt dicere, quod peccet venialiter, ſi negligat.

§. 10. Ex dictis n. 2208. ſequitur, ſtatum 2224. gratiæ non prærequiri ante primam Tonſuram, cùm non ſit Sacramentum : attamen prærequiritur ante ſingulos quatuor Minores, quia ſunt Sacramentum vivorum per ſe non conferens primam gratiam.

§. 11. Præcipitur, ut Ordinans & ordinandus 2225. ante ſacros Ordines ſint jejuni, cùm communicare debeant ; non tamen præcipitur ſub mortali ordinandis, ut communicent, nequidem Presbyteris, uti probabiliter putat Gob. *à n.* 358. quamvis de Presbyteris oppoſitum videatur probabilius, cùm enim conſecrare debeant, etiam videntur debere conſummare Sacrificium per ſumptionem. Ad Minores non requiritur jejunium, cùm ſæpè conferantur poſt prandium, Gob. *n.* 352. cum communi, qui addit n. 357. non eſſe ullam obligationem. ut Ordinaturus vel ordinandus pridie jejunet.

§. 12. Syn. Colon. anni 1662. *De Sacr. Ordinis* 2226. *c.* 4. §. 4. ſic habet : *Serò mandamus omnibus ad ſacros Ordines aſpirantibus ut cantum Gregorianum ſeu choralem addiſcant.* Qui tamen hoc non feciſſet, poſſet ſine peccato Ordines ſuſcipere, cum praxis ſatis doceat ſive interpretetur non eſſe ſtrictè præceptum.

§. 13. Apparatus ordinandorum, ſecundùm 2227. Pontificale Romanum eſt hic. Quilibet tonſurandus habere debet ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum & candelam in manu dextera. Ordinandi Minoribus ſunt in ſuperpelliceis cum candelis in manu. Subdiaconandus debet indutus eſſe amictu, non tamen ſuper caput, alba & cingulo, habere manipulum in manu ſiniſtra, tunicellam ſuper brachio ſiniſtro & candelam in manu dextera. Diaconandus amictu, alba, cingulo & manipulo paratus, ſtolam in ſiniſtra manu, candelam in dextera, dalmaticam ſuper brachium ſiniſtrum tenet. Presbyterandus amictu, alba, cingulo, ſtola & manipulo paratus, tenet planetam ſuper brachium ſiniſtrum complicatam, & in dextera candelam, inſuper mappulam pro ligandis manibus.

Q. 315. *Quid addendum ſit circa intentionem* 2228. *requiſitam in ordinando & Ordinante ?* Reſp §. 1. Ad valorem Ordinis in adulto requiritur voluntas ſaltem implicita recipiendi talem Ordinem, nec ſufficit interpretativa, uti dictum eſt l. 6. *p.* 1. *n.* 17.

§. 2. Bann. Arrag. Led. Machin Paſq. & alii 2229. cum Barb. *de Off. Epiſcopi alleg.* 11. *num.* 12. putant peccari mortaliter, ſi prima Tonſura ſuſcipiatur ideò tantùm, ut ſubterfugiatur ſæculare judicium, quia Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *De Reform.* prohibet talem initiari. Sed non peccari mortaliter docent Nav. Conſanch. Vivald. Laym. *n.* 7. *n.* 2. Caſtrop. *p.* 8. *n.* 9. Gob. *t.* 8. *num.* 27. Delb *de imm. tr. t.* 1. *d.* 6. quod Averſa *qu.* 4. *ſ.* 2. dicit eſſe certum, quia Trid. non utitur verbis præceptivis, & quamdiu quis vult ſervire Deo, poteſt gaudere juribus ſervorum Dei : hinc addit Averſ. peccare tantùm venialiter, ſi faciat cum poſitivo animo non perſeverandi & nullo modo peccare, ſi cum animo experiendi ſive faciendi poſteà, quod

quod ipsi magis expedire videbitur, & consentit Castr. *n.* 8. Aliud est de ingrediente Novitiatum Religionis sine animo manendi, nam hic in re gravi decipit Superiores. qui meritò inviti sunt ad illos sumptus & molestias, item ad patefacienda alicui secreta sui Ordinis.

2230 §. 3. Si quis dicat se metu gravi adactum suscepisse sacrum Ordinem, habuit intentionem suscipiendi, adeóque certum est Ordinem esse validum. An autem obligetur ad continentiam & Horas, retuli Authorum sententias n. 2163. Quòd si dicat, se dubitare de intentione, hæc præsumitur adfuisse, quia sub mortali adesse debuit, nec delicta præsumuntur: ac præterea standum est pro valore actus, donec de invaliditate constet. De alio scrupulo circa intentionem, dixi n. 2203.

2231 §. 4. Pontificale Rom. habet Edictum, quo Ordinaturis *sub pœna excommunicationis præcipit* ne ullus habens impedimentum audeat suscipere Ordines. Quòd si Episcopus ante Ordinationem dicat, se non habere intentionem ordinandi excommunicatos, irregulares, alienigenas, illegitimos, ferentes falsas literas, accedentes furtivè, id est, non verè examinatos & admissos ab Episcopo, seu per fraudem, v. gr. sub alieno nomine se insinuantes, & testes Gob. *n.* 346. qui eodem die vellet suscipere duos Ordines, v. g. omnes Minores, & subdiaconatum &c. probabile est eum Episcopum adhuc habere intentionem sufficientem ordinandi tales, quia Episcopus ordinans semper censetur retinere practicam & absolutam intentionem ordinandi hominem præsentem, neque appositio contrariæ conditionis solet fieri ab Ecclesia, ad quam non spectat punire in foro externo peccata occulta, ideóque si Episcopus talem conditionem apponeret, docent Lug Dicast. Lez. Escob. *l.* 23. *probl.* 37. Steph. *t.* 5. *d.* 7. n. 17. Gob. *n.* 316. & pluribus iterum *à nu.* 704. fore peccatum, saltem ob datam occasionem gravium damnorum apud proximum, si tales invalidè essent ordinati: hinc dicunt Authores illos censendos esse per illa verba tantùm velle deterrere, & significare, se nolle, id est, non optare, ut tales accedant ad Ordinationem, sed optare ut emaneant; quod inde colligit *Escob.* quia statim post, absolvunt ab ejusmodi impedimentis, si fortè adsint. In dubio autem, an Episcopus reverà fortè noluerit ordinare tales, Gob. *num.* 310. dicit præsumi debere, quòd ordinare voluerit, quia delicta non præsumuntur, & dubia interpretanda sunt in meliorem partem, Lugo apud Dian. *p.* 5. *tr.* 13. *R.* 66. dicit interrogari debere Episcopum, si commodè fieri possit. Vide dicta l. 6. p. 1. n. 68.

2232 *Q.* 326. *Quid addendum sit circa litteras dimissoriales?* R. Vox, *dimissoriales*, sive *dimissoriæ* variè sumitur, & sæpè confunditur cum voce, *testimoniales*, uti notat Leur. *De Vicario Episc. qu.* 646. Sed hic per dimissoriales intelligimus litteras, quibus datur facultas accipiendi Tonsuram vel Ordinem ab alieno Episcopo: & quandoque etiam vocantur *Formatæ* vel *Reverendæ*: de illis notanda sunt seqq.

2233 §. 1. *Ille potest tibi dare dimissoriales*, qui potestate ordinaria te posset ordinare, unde quia, secundùm Cap. *Cùm nullus*, De temp. ordin. in. 6. & dicta nu. 2166. ordinare te posset Episcopus originis, domicilii, vel Beneficii, etiam à singulis illis Episcopis accipere potes dimissoriales, Nav. Ric. Barb. Gob. *t.* 8. *n.* 568. qui addit Episcopum originis tui patris hic censeri tuum Episcopum, maximè cum apud patrem habeas domicilium, quod etiam dixi l. 4. n. 323. & tenet communis cum Delb. *De Imm. eccl. c.* 12. *dub.* 7. *f.* 7. *n.* 8. & 14. Et possunt dimissoriales dari ab Episcopo in possessione constituto quamvis necdum consecrato, quia eas dare est actus non Ordinis sed jurisdictionis, Aversa. *q.* 3. *f.* 7. Quod Gob. *in append. ad n.* 571. & alii dicunt de Episcopo in concordia electo, & nondum confirmato, in locis ab Italia dissitis, id est, tam multùm remotis à finibus Italiæ, quantùm ab iisdem finibus distat Roma. Rectè tamen addit *Aversa* non posse ab Archi-Episcopo dimissoria dari subditis Suffraganeorum, nam secundùm dicta n. 2179. etiam illos ordinare non potest. Docent præterea *Aversa.* & alii posse ab Episcopo etiam dari suo familiari, de quo dictum est nu. 2174. 2178. & consentit Delb. *nu.* 26. si dimittat ad titulum pensionis alicujus vel patrimonii, quia ratione familiaritatis habet sufficientem subjectionem. An Nuncius Apostolicus possit dimittere omnes subditos suæ provinciæ, colligitur ex dicendis n. 2264.

§. 2. Vicarius Generalis in spiritualibus non 2234
potest dare dimissoriales, nisi Episcopo specialiter id concedente aut in remotis agente, Cap. *Cùm nullus* suprà, & habet communissima cum Aversa. & Leur. *q.* 170. ac speciatim pro hac Archidiœcesi Colonienſi ita statuitur in synodo anni 1662. de Sacrament. Ordinis c. 1. §. 4. & 5 unde multò minùs dimittere possunt Archidiaconi aliique Prælati ecclesiastici Episcopo inferiores. *Az. Laym. Fagn. Leur. suprà.*

§. 3. De Abbatibus, qui habent subditos sæ- 2235
culares, ita statuit Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *de Reform. Nec ipsi Abbates nec alii exempti aut collegia vel Capitula quæcunque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio . . . ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existant, pertineat, non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorialibus.* Et n. 2190. retuli Decretum, quo Abbates vetantur tales sæculares sibi subditos etiam sola Tonsura vel Minoribus ordinare. Hoc non obstante docent aliqui cum Gratiano *in discept. forens. to.* 2. *c.* 212. hoc decreto non comprehendi Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, putant enim hos adhuc posse dimittere illos sæculares subditos suos. Sed oppositum tenendum est cum Fagn. in Cap. *significasti* De off. Archidiac. Pignatel. *to.* 10. *consult.* 158. & aliis communissimè, quia textus *Trid.* nimis clarè id prohibet. Ad summum, inquit *Aversa.* dici potest, quòd hæc prohibitio non intelligatur de illis Abbatibus, qui non existunt intra fines alicujus Diœcesis, sed ipsimet habent propriam Diœcesin & omnem jurisdictionem Episcopalem, uti notavit *Moises.* afferens S. Congreg. declarationem, & *Machin.* afferens etiam quandam Rotæ decisionem. Putat etiam *Aversa.* Abbates posse alios ad se dimissos cum licentia Episcopi Diœcesani ordinare Tonsura & Minoribus, pro quo affert declarationem aliquam, sed videtur obstare Decretum n. 2910. relatum.

§. 4. Abbates & alii Superiores Regularium 2236
possunt per Trid. teste Fagn. & Leur. *q.* 656. *n.* 3. dare dimissorias suis subditis Regularibus. Nec dubium est quoad Tonsuram & minores, si possint eos Ordines conferre suis; qui enim potest ordinare, potest dimittere, secundùm regulam communem, Pignat. suprà. Tamen *Syn. Colon.* anni 1662. cap. 1. §. 7. Piasec. *in praxi Episc. p.* 1. *c.* 1. *n.* 14. Barb. *De Off. Episc. alleg.* 7. *n.* 18. referunt hoc decretum validè limitans eam potestatem.

De mandato S. D. N. Clementis divina providentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus & singulis quorumcunque Regularium Superioribus, ut de cætero observent & observari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis.

Sacra Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse

Regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia, ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit: & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel abfuturus vel nullas habiturus esset Ordinationes vel sedes Episcopalis vacaret. Verùm cùm à Superioribus Regularibus Episcopo Diœcesano absente vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quòd si Regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Diœcesis, hujusmodi dimissorias concedendas esse per Episcopum viciniorem, in eóque procedere omnia, quæ de Episcopo Diœcesano superiùs præscripta sunt. Quod qui non fecerint, officii & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S.D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent. In quorum, &c. Datum Romæ 15. Martii 1596.

Delb. suprà *s.* 8. postquam retulit illud decretum, subdit: Ad quod decretum accessit posteà mense Decembri 1619. talis declaratio Congr. Trid. *Si Regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Diœcesis, hujusmodi dimissoriæ concedendæ sunt ad Episcopum viciniorem, in eóque procedunt omnia, quæ de Episcopo Diœcesano in dicto decreto dicta sunt.*

His non obstantibus docent Sanch. *in conf. l.7.c.1. dub.20.n.* 44. Laym. *l.5. t.* 9. *c.* 9. *n.* 9. Castrop. *t.27.p.* 14. *n.* 8. Gob. *à n.* 406. Superiores Ordinum religiosorum exemptorum posse dare dimissorias, etiam pro sacris Ordinibus, suis subditis ad quemcunque Episcopum. Et quæ ibi decernuntur à Sacra Congreg. putant tenere ad summum de Regularibus Ordinario subjectis, si absit privilegium vel alia consuetudo: hi enim ordinari debent vel dimitti ab Episcopo, uti habent relata Decreta & fatetur Sanch. *n.* 45. Nec obstare putant, quòd in præfatione hujus Decreti dicatur, *quorumcumque Regularium*, & Syn. Colon. dicat *etiam exemptis* illud esse observandum, nam intelligunt, secluso privilegio & consuetudine; testantur autem Authores apud *Laym. & Gob.* esse privilegium pro exemptis, & *Sanch.* dicit talem esse praxin omnium Religiosorum: *Ave s.* suprà rectè concludit standum esse Decretis illis, nisi constet de privilegio vel contraria consuetudine, quæ præscripserit. Privilegium pro Societate JESU retuli n.2194.

2237 §. 5. A quo ordinari possit vel debeat Novitius Ordinis religiosi, dixi à n. 2194. Cùm autem Novitius, secundùm dicta n. 2109. non sit subjectus Prælato, nisi in illis, quæ spectant ad probationem, nequidem licentia Prælati de rigore requiritur, ut Novitius ordinetur, Barb. suprà *n.*32. Nec Prælatus, per se loquendo, potest eum dimittere ad alienum Episcopum, Delb *n.* 6. nisi Religio habeat privilegium suos dimittendi ad quemcumque, tum enim putant Sanch. *in Decal. l.*6. *c.*10. *n.*22. Barb. Avers. suprà, privilegio isto gaudere etiam Novitium; nam secundùm multos cum Sanch. *ibid. n.* 4. *d.*39. *n.*17. Novitii gaudent privilegiis Religionis, quod probabile esse dixi l.4. n. 56. & pro Societate JESU certum est ex novo comp privil. v. *Communicari* § 5. ac speciatim Novitium Societatis, si secundùm dicta n. 97. habeat alia requisita, posse sicuti professum ex licentia Superiorum ordinari, docent Suar. Sanch. Castrop. *t.16.d.1.pu.*11. *n.*8. In casu autem, quo Prælatus vel Superior non posset dare dimissorias Novitio, Sanch. & alii cum Delb. *n.* 7. dicunt eas peti posse ab Episcopo loci, in quo est Monasterium, Suar. & alii cum Barb. *n.*33. putant petendas ab Episcopo originis: ac pendet ab eo, an Novitius acquirat domicilium in loco Novitiatus, de quo dixi n.2199.

§.6. Dimissoriales debent reipsa haberi, ut quis 2238
ordinari possit ab Episcopo non suo, uti patet ex dictis à n. 2166. Putant quidem Alloza v. *Ordo n.* 35. & alii, quos referunt Avers. suprà, & Sanch. *in Conf. l.7.c.1.dub.*20. *n.*12. sufficere ratihabitionem prudenter præsumptam, quòd Episcopus proprius sit futurus contentus: sed meritò contradicunt Turr. Bonac. Ric. Avers. Sanch. suprà *n.*13. & *dub.*28. *n.* 2. quia sic daretur ansa Episcopis, ut hoc quæsito colore alienos promoverent ad Ordines, unde innumerabilia damna, & confusiones orirentur. Putarunt tamen quatuor Doctores à me cònsulti, si Ordinarius bona fide quæsitus reperiri non valeat, aut nequidem ad eum scribi possit, sufficere præsumptam ratihabitionem pro Tonsura.

§.7. Dixi l.6. par.1. n.392. Episcopum posse con- 2239
firmare illum, qui ex aliena Diœcesi affert dimissoriales ad Tonsuram: imò dimissus pro Subdiaconatu, videtur etiam dimissus esse ad quatuor Minores, si hos non habeat, & per oblivionem, vel incuriam non petierit hoc inferi, ut censuerunt tres Doctores mecum, & ita etiam sentire videtur Rebuf. *in praxi benef. de formula dimissoriarum pag.*13. *n.*5. ubi ait, *Formula dicit etiam sacros Ordines, quia concedendo recipi Minores, vel Ordines tantùm, non intelligeretur concedere de majoribus, c.* 1. *De temp. ordin. ideò oportet & sacros exprimere. . . nam cui conceditur minus, non conceditur majus, per regulam Juris, sed è contrario.* Quòd si dimissoriales habeant, *ad omnes etiam majores Ordines*, hoc ipso dimissus est, etiam ad Presbyterium, quamvis non addatur, Gob. *in app. ad n.* 590. Expedit tamen semper exprimi, ad quos Ordines aliquis dimittatur; quia dimissus ad Ordines absolutè non censetur dimissus ad Ordines sacros, *Rebuff.* suprà & alii cum Sanch. *dub.*20 *n.*9.

S. 8. *Sylv. Aug. Henriq. Trm.* aliique cum *Gob.* pu- 2240
tant, si Episcopus det dimissoriales ad alienum Episcopum, hoc ipso dare huic Episcopo licentiam disponendi in quocunque impedimento Ordinum, quia *concesso uno videtur concedi id, sine quo illud concessum non potest consistere*; uti habetur in Jure, quod verum esse dicit Gob. *n.* 575. quamvis in dimissoriis adderetur hæc clausula, *si tamen alias nullum ibi obsistat impedimentum canonicum*, per hoc enim putat, non arctari potestatem Ordinantis, sed indicari mentem dimittentis esse, non facere gratiam indigno aut canonicè inhabili. Sed rectè contradicunt Nav. Sanch. *dub.*27. *n.*2. & *De Matr. l.*8. *d.*1. *n.* 25. Castrop. *De cens. d.*6. *pun.*7. *n.* 2. Dian. *p* 8. *t.* 2. *R.* 35. tum quia privilegium non extenditur ultra casum expressum, tum etiam quia à separaris non fit illatio, potestas autem ordinandi, & dispensandi in impedimentis sunt disparata, unde Regula illa Juris, *Concesso uno, &c.* tum tantùm habet locum, quando concessum habet alterum necessariò connexum, quod hic non est, quia potestas ordinandi potest stare sine potestate dispensandi.

§. 9. Dimissus à tuo Episcopo Colonienſi ad 2241
Moguntinum, peccas, si facias te ordinari à Trevirensi, quando tuus ex speciali causa te dimiserat ad Moguntinum, ita ut noluisset te dimittere ad alium; si autem non habuit specialem causam, sed ideò dimisit ad Moguntinum, quia hic erat vicinior, aut quia tui pertinuit, licitè accedis Trevirensem, vel quemcunque alium, quia in gratiam tui erat designatus Moguntinus, *quod* autem *ob gratiam alterius*

conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, Reg. 61. Juris in 6. Quintanad. Gob. *n.* 599. Et hoc confirmatur ex doctrina, quam tradit Gob. *in Exp. t. 5. in Append. 5. post n. 950. litt. I. &* K. his fermè verbis: Statuens aliquid censetur tacitè statuisse id, quod statuisset, si interrogatus fuisset Gloss. in L. *Tale pactum §.* fin. ff. *De pactis.* Quod Baldus ad cit. legem appellat *multum bonum notabile*; & Gabrielius cum aliis applicat Rescriptis gratiosis Principum, nam per gratiosam concessionem sufficienter declaratur permissio in tali gratia faciendi substitutionem accidentalem, si absit præjudicium tertii, valet enim, quod ait Prateus *de Reg. Juris l. 4. c.* 4. in contractibus lata fit interpretatio, in testamentis latior, in Rescriptis (gratiæ) latissima.

2242 §. 10. Si Papa dedit facultatem, ut Cajus ordinetur extra tempora, *à suo ordinario tantùm*, potest, cum dimissoriis suis, ordinari ab alio, nam idem est ordinari à suo Episcopo, & ab alio de ejus licentia: unde quòd additum sit, *tantùm à suo*, ideò erat, ne proprio Episcopo, vel *Trid.* præjudicaretur, quod non fit, si habeat à suo licentiam, Nav. Sanch. *dub. 25. n. 2.* Gob. *n.* 570.

2243 §. 11. Trid. *sess. 7. c. 11. de Ref.* loquens de dimissorialibus ait: *Facultates de promovendo à quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam.* Praxis autem habet, quòd hæc causa censeatur sufficiens, quia ordinandus est jam alibi, aut ei specialiter incommodum foret ad Diœcesin suam accedere.

2244 §. 12. Quamvis dimittens possit committere examen tituli illi, ad quem dimittit pro Subdiaconatu, tamen si ordinatus non fuerit sufficienter provisus quoad istum titulum, Cap. *Si Episcopus*, De præbendis in 6. ita statuitur: *Si Episcopus, cui nullis personis expressis in genere commisisti, ut vice tua Ordines in tua Diœcesi celebraret, ad sacros Ordines promoverit quempiam titulum non habentem, ei (cùm in culpa fuerit taliter ordinando eundem) tenebitur vitæ necessaria ministrare, donec sibi per eum vel alium de competenti Beneficio sit provisum; si verò certas commisisti eidem ordinare personas, tu (qui prævidere hoc casu, an haberent titulum, debuisti) taliter ordinato ad prædicta, donec per te beneficiatus fuerit, obligatus existis. Eis autem, quibus à Diœcesanis datur licentia, ut possint, à quo voluerint Episcopo ad omnes sacros Ordines promoveri, non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam (cùm eam dare non debeant titulum non habenti) ad præmissa, si titulum non habeant, obligantur.* Excipit tamen Gob. *tr. 8. n.* 609. nisi parentes possint alere ordinatum vel hic aliunde habeat, quo se alat. Item nisi factum sit sine ulla culpa dimittentis, nam ubi nulla est culpa, non videtur subeunda pœna, Sanch. Diana, Gob. *n.* 603 Aversa *q. 3. s.* 10. §. *Uno.*

2245 §. 13. Quamvis dimissoriæ exprimant dimissum esse examinatum, & approbatum, potest tamen Ordinarius eundem adhuc vocare ad examen, uti ex *Trid.* & declarationibus S. Congregat. probant Bonac. Barb. Jordan. Gob. *n.* 580.

1246 §. 14. Si dimissoriales habeant, *à quovis Episcopo in propria Diœcesi residente seu ordinante.* Gutt. Rodriq. Sanch. *d.* 20. *n.* 8. dicunt non posse ordinari ab Episcopo cum licentia in aliena Diœcesi ordinante, quia facultas videtur esse restricta in ordinantem in propria Diœcesi. *Led. Dian.* & alii contradicunt, quibus videtur adhærere. *Aversa*, suprà, quia tantùm intenditur, ne absque licentia fiat in aliena Diœcesi: & quod fit ex mandato vel licentia residentis censetur fieri à residente, hinc Trid *sess 7. c. 11. de Ref.* ait. *Non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente.*

§. 15. Dimissoriæ datæ ab Episcopo vel à Vicario 2247
Capituli Sede vacante, non expirant, licèt per mortem vel casum cesset officium dimittentis, quia sunt gratia, quæ non expirat morte concedentis, Nav. Gutt, Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gl. 12. n.* 39. Rebuff. Henriq. Fill. *t. 9. n.* 102. Piasec. *p. 1. c. 1. n.* 14. Barb. *alleg. 7. à n.* 23. Engel. *l. 1. tit. 11. n.* 38. Cabassut. *in theor. & praxi Juris Canon. l. 1. c.* 14. *n.* 7. Excipe, nisi ille, qui concessit, vel ejus successor verbis claris, & expressis revocet: in dubio autem, an revocatæ sint necne, præsumuntur non revocatæ, quia mutatio, vel correctio talis est odiosa: Unde si Episcopus dedit Titio dimissorias, & posteà curet ipsi dici, ne se faciat ordinari ab alio, non ideò revocat, sed tantum indicat non esse necesse, ut privilegio concesso utatur, sed se velle ordinare, si velit: nihilominus si adeat alium, rectè ordinatur, uti notant Nav. aliique cum Gob. *n.* 587. 591.

§. 16. Qui ab alieno sine dimissoriis suscipit 2248
Ordinem sacrum, peccat graviter & manet suspensus: potest tamen proprius Episcopus posteà ratam habere talem Ordinationem, uti contra alios probabiliter tenent Gl. Decius & alii cum Less. *de just. l. 2. c. 34. n.* 93. Quod si quis sic tonsuretur, vel Minoribus ordinetur, non gaudet privilegio clericali, Rebuff. & alii cum Sanch. *dub.* 20. *n.* 15. Nec est capax Beneficii, aut aliorum Ordinum, uti tenent plures apud Sanch. *dub.* 28. *n.* 3. cum Lessio *n.* 94. & Delb. suprà *dub. 7. s.* 9 quamvis ipse Sanch. *n.* 6. probabiliter dicat esse capacem eorum, cùm propriè non sit suspensus, nec illa incapacitas inveniatur in Jure statuta: in hoc conveniunt *Sanch. Delb. &* alii contra *Rebuff.* posse Tonsuram, & Ordines sic collatos ratificari à proprio Episcopo remittente injuriam sibi factam, & volente ita valere, ac si à seipso factum fuisset, atque sic ordinatum restituendum in omnibus. Plura de pœnis tam Ordinantis alienum sine dimissoriis, quàm sic ordinati, videri possunt apud Barb. *de Offic. Ep. alleg. 8. tota.*

§. 17. Quamvis Trid. *sess. 21. c. 5. de Ref.* gravissimè 2249
prohibeat aliquid dari, vel accipi pro dimissoriis, sigillo, &c. tamen videmus id non observari in Germania, ubi etiam exigitur certa pecunia, Gob. *n.* 590. & alii.

Q. 327. *An, ut quis ordinari possit, etiam necessariæ* 2250
sint litteræ testimoniales seu commendatitiæ? Resp. §. 1. Trid. *sess. 23. c. 5. de Ref.* sic statuit: *Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho & à Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò, qui ad singulos Majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vitæ à fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primùm transmittat.* Et c. 8. *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, si secus fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

§. 2. Maximè convenit, ut Episcopus originis 2251
testetur de natalibus & ætate, Episcopus autem domicilii, si sit diversus, de moribus & vita, illi enim optimè ista rescire possunt. Et quamvis in rigore secundùm verba, Constitutio Inn. VII. à n. 2166. relata videatur requirere, ut singuli de omnibus illis testentur,

ſentur, tamen ſi Epiſcopus ſolius originis nil dicat de moribus & vita, è contrà ſi Epiſcopus ſolius domicilii nil dicat de natalibus & ætate, videntur ideò de illis tacere, quòd neſciant, ideóque remittat unus ad teſtimonium alterius, qui id ſciat: hinc Gallem. ad Trid. c. 8 ſuprà, refert hanc declarationem: *Cenſuit Congregatio in caſu, quo aliquis fuerit abſens per plures annos ab Ordinario, ita ut illum commendare de vitâ & moribus non poſſit, ſufficere litteras dimiſſorias Ordinarii, quæ continebunt, quòd ordinandus non ſit excommunicatus vel contumax, ſed de legitimis progenitus parentibus, informatio verò de vita & moribus habenda eſt ex loco, in quo fuit verſatus:* Et hoc eſt conforme Conſtitutioni relatæ n. 2170. 2173.

2252 §. 3. Si neuter Epiſcopus teſtatus ſit v.g de ætate, ordinandus autem afferat teſtimoniales de ætate ex libro baptiſmali à Parocho ſcriptas, dubitatum eſt, an hoc ſufficeret: Negarunt aliqui, quia Conſtitutio Inn. XII. requirit teſtimonium de ætate dandum determinatè ab Epiſcopo, nec ſufficit aliunde haberi certitudinem, alioquin ſi Ordinans ſit certus, v.g. de moribus Titii, quia ipſi cohabitavit ſatis diu, ordinare poſſet ſine teſtimonialibus ullius alterius Epiſcopi: Et ratio poteſt eſſe, quia quamvis in hoc caſu particulari videatur ceſſare finis legis, qui eſt certitudo de ætate & reliquis, non ideò ceſſat lex illa, ſecundùm dicta l. 1. à n. 863. quia nempe reipſa manet finis legis, qui eſt evitare fraudes, quæ communiter evenirent, ſi ſufficeret quævis certitudo ex teſtimonio cujuſcumque alterius, qui non eſſet Epiſcopus originis aut domicilii. E contrà alii duo, aut tres Doctores, quos interrogavi, putarunt ſufficere, quia ſi ita ſemper haberetur certitudo, nunquam eſſet periculum fraudis: & quamvis hoc reſtati non ſint Epiſcopi, præſumitur omiſſum, quòd neſcirent, ſicque remitterent ad certitudinem aliunde accipiendam.

2253 §. 4. Si quis afferat dimiſſorias ab Epiſcopo originis ſuæ, non indiget teſtimonialibus, quas Conſtitutio Inn. XII. n. 2167. requirit, nam tantùm loquitur de illo, qui in aliena Diœceſi ordinatur ratione ac titulo Beneficii in hac aliena Diœceſi obtenti, & hunc dicit egere teſtimonialibus Epiſcopi originis, non autem loquitur de illo, qui ordinatur ratione, & ex vi dimiſſoriarum ab Epiſcopo originis allatarum. Conſtitutio autem reſtrictiva Juris communis non debet extendi ad caſum non expreſſum Et ratio eſt, quia ſi Epiſcopus originis dimittat, cenſet aptum, qui ordinetur, ergo ſufficienter atteſtatur de natalibus, ætate, moribus & vita, non item, ſi ab eo non dimittatur, ſed purè ratione Beneficii fiat ſubditus Ordinanti, qui ordinariè non ita poteſt reſcire de illis qualitatibus. Atque ita cenſuerunt etiam Doctores, ac Profeſſores noſtri Coloniæ & Monaſt. VVeſtph &c.

2254 §. 5. Conſtitutio n. 1167. tantùm habet, quòd Clericus à proprio Epiſcopo initiatus Tonſura, vel Minoribus non poſſit ab alio Epiſcopo titulo Beneficii in hujus Diœceſi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, niſi exhibuerit teſtimoniales Epiſcopi originis & domicilii. Unde ſi quis non fuiſſet à proprio Epiſcopo initiatus Tonſura, vel Minoribus, ſed vellet his initiari titulo Beneficii alibi obtenti, judicarunt plures Doctores, quantùm eſt ex vi iſtorum verborum dictæ Conſtitutionis, non teneri exhibere teſtimoniales iſtorum aliorum Epiſcoporum, quia verba extendi non debent ultra caſum expreſſum: attamen non eſt negandum aliunde eſſe obligationem teſtimoniales ſufficientes exhibendi.

2255 §. 6. Pro Regularibus dat teſtimoniales, non Epiſcopus, ſed Superior regularis, Barb. *de off. Epiſc. alleg.* 7. *n.* 31. cujus ratio etiam valet reſpectu Novitii, ſi hìc ordinari deberet, nam etiam de aptitudine, vita, & moribus Novitii meliùs reſcit Superior regularis, quàm Epiſcopus.

§. 7. Si Titius, certus ſe antehac eſſe tonſuratum, 2256
teſtimonium amiſerit, nec reperiatur catalogus Suffraganei, à quo tonſus eſt, ſufficiet, ſi id juret, ut admitti poſſit ad Ordines, quia ubi non poteſt haberi probatio plena, admitti poteſt illa privilegiata. Si tamen Capitulum, à quo deberet v.g. inveſtiri, ſed priùs oſtenſo teſtimonio Tonſuræ, nollet iſta probatione acquieſcere, cogi non poſſet, quia poteſt ſecundùm ſtatuta poſtulare probationem plenam & juridicam, unde deberet Titius attribuere caſui & infortunio, quòd pergere non poſſet: ita vindicavi cum tribus aliis Doctoribus. Et ſcio aliquem iſto modo excluſum eſſe à Præbenda Cathedrali, ad quam præſentatus erat.

Q. 328. *Quid Sede vacante fieri poſſit circa Ordina-* 2257
tionem, dimiſſoriales & teſtimoniales? Reſp. §. 1. Olim poterat Capitulum Sede vacante dare licentiam ordinandi etiam ſuos quamvis non arctatos, per Cap. *Cùm nullus* De tempor. Ordin. in 6 Sed nunc Trid. *ſeſſ. 7. c. 10. de Ref.* ſic ſtatuit. *Non liceat Capitulis Eccleſiarum Sede vacante intra annum à die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimiſſorias ſeu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Juris communis diſpoſitione quàm etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere; ſi ſecus fiat, Capitulum contraveniens eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali, præſertim in criminalibus gaudeant: in Majoribus verò, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati ſint ipſo jure ſuſpenſi.* Idem repetit ſeſſ. 23. c. 10. de Ref. ubi addit, *concedentes autem dimiſſorias contra formam Decreti, ab Officio & Beneficio per annum ſint ipſo Jure ſuſpenſi.* Et Gallem. *in declarat. n.* 6. dicit eſſe extenſum ad Capitulum exemptum habens immemorialem poſſeſſionem contrariam. Pœnam tamen initiati Minoribus, ut non gaudeat privilegio clericali, putat Sanch. *in Conſ. l.* 7. *c.* 1. *d.* 28. *n.* 8. eſſe tantùm ferendæ ſententiæ.

Non obſtante illo Decreto Trid dicit Barb. *de jure eccleſ. l.* 1. *c.* 32. *n.* 89. Capitulum Sede vacante poſſe concedere licentiam Epiſcopo extero, & multò magis Epiſcopo Nullatenti apud ſe Suffraganeo, exercendi Pontificalia in Eccleſia vacante: citatque pro hoc Henriq. Quarantam Garc. *de Benef. p.* 5 *c.* 7. *n.* 93. qui refert hanc declarationem S. Congreg. *Capitulum Sede vacante poteſt concedere etiam licentiam extero Epiſcopo exercendi Pontificalia in eorum Eccleſia & Ordines conferendi tam Clericis illius Diœceſis, quàm extens habentibus dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum juxta tamen formam hujus Decreti.* Et ob hanc declarationem Diana *p.* 8. *tr.* 4 *R.* 41. ſic habet: Etſi Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius non poſſit intra annum ſubditis ſuis dimiſſorias concedere, poterit tamen intra eundem annum per alium Epiſcopum Pontificalia exercentem ordinare Diœceſanos ſuos. Videtur etiam favere Nav. *Conſil.* 44. *de tempor. Ord.* Item videtur tenere Sanch. *dub.* 26. Id autem poſſe Capitulum Sede vacante, tenent abſolutè Quintanadv. *tr.* 6. *ſingul.* 6. & Leur. *in Vicario q.* 466. & 509. *Ratio* poteſt eſſe, quia licèt Epiſcopus Suffraganeus non habeat propriam Diœceſin in actu, tamen illa Diœceſis, in qua eſt Suffraganeus, eſt aliquo modo ſua, eò quòd in ea inſtitutus ſit ad Pontificalia exercenda, uti notant Themudo apud Dianam *p.* 8. *t.* 4. *R.* 72. & *alii.* Sed oppoſitum *videtur* abſolutè eſſe tenendum ob clara verba *Trid. ſuprà.*

Reſpondent Sanch. *n.* 2. Themudo apud Dian. Quintanadv. & Leur. ſuprà, Tò *ordinandi licentiam*, ſumi paſſivè, ita ut ſenſus ſit, non liceat Capitulo conce-

concedere alicui *licentiam, ut ordinetur* extra illam Diœcesin, ita ut ordinandi licentia, & dimissoriæ, uti & Reverendæ, pro eodem sumantur. *Contra est* 1. quia explicatio illa est contra clara verba: nec credibile est in *Trid.* in quo fuerunt tot doctissimi viri, etiam optimi Grammatici, neminem futurum fuisse, qui admoneret de sensu passivo, si hunc intendissent, exprimendo per solas has voces, *ut ordinentur licentiam*, ergo cùm posuerint gerundium activum *ordinandi*, quod nulli verbo passivo convenit, standum est sensu proprio & Grammaticali, nec ab eo in Decretis vel legibus recedendum est, nisi cogat gravissima authoritas vel ratio. 2. Trid. dicit, *ordinandi licentiam aut litteras dimissorias concedere*, ergo ista duo non sumit pro eodem, quia *aut* est particula disjunctiva, & si pro eodem sumpsisset, dixisset, sive litteras dimissorias, uti dixit, *dimissorias seu reverendas*, quia hæc sumebat pro eodem: Hinc Barb. *de dictionibus*, ait, *aut* est dictio disjunctiva propriè, ac disjunctivè regulariter sumitur, quamvis autem notet aliquando sumi pro *et*, tamen addit, *principaliùs est adversativa, & ponitur inter diversa.*

Et planè illum esse sensum *Trid.* adeóque Capitulo Sede vacante non licere primo anno, etiam per talem Suffraganeum ordinare subditos suos non arctatos, docent absolutè Pax-Jord. *l.* 3. *tit.* 6. *n.* 152. Piasec. *p.*1. *c.*1. *n.*12. Aversa *q.*3. *sect.* 7. Dicast *hic n.* 237. Gavantus *in Manuali Epis. v. Capitulum Sede vacante* in addit. *n.*20 Engel. *l.* 1. *tit.*11. *n* 36. Gob. *tr.*8. *n.*266. qui *n.* 275. refert Nuntium Apostolicum Lucernensem suspendisse Capitulum Constantiense, quia Sede vacante dederat Suffraganeo licentiam sic ordinandi, & infinitum esse referre omnes Authores, qui idem tenent.

Citati autem in contrarium non tenent oppositam sententiam: Barb. *l. c.* tantùm dicit in genere, posse exercere Pontificalia: non autem posse ordinare diœcesanos non arctatos, clarè docet *de off. Epis. Alleg.* 7. *n.*17. & Trid *sess.*7. *c.*10. *de Ref.* unde certò stat pro sententia nostra. *N. obstat*, quòd l. c. *De Jure eccl.* n 124. Item *De Canon. & Dignit. c.* 24. *n.* 124. dicat, poterit insuper idem Capitulum præfato anno durante concedere Episcopo exercitium Pontificalium, & Ordinationem propriorum subditorum vacantis Sedis: *nam* manifestum est esse errorem typographi, & utroque loco omitti hæc verba, *non tamen* vacantis Sedis, utroque enim loco in summario capitis ad n. 124. expressè habet, *& Ordinationem propriorum subditorum, non tamen subditorum vacantis Sedis*: Et de Jure ecclesiast. post relatos Authores statim subdit, *quia quoad subditos vacantis Sedis, non nisi post elapsum annum*: Et similiter in Indice utriusque operis ad numeros relatos eodem modo dicit, *& ordinationem propriorum subditorum, non tamen vacantis Sedis.* Henriq. *l. c.* tantùm dicit Vicarium Sede Apostolica (non autem Episcopali) vacante posse concedere dimissorias, quod etiam dicam n. 2263. Quaranta apud Sanch. *n.*3. expressè dicit Sede vacante non posse ordinari subditos ipsius capituli. *Garcias* & declaratio apud illum expressè habet in fine, *juxta tamen formam hujus decreti*, nempe *Trid.* suprà, ubi tantùm conceditur de subditis Sedis vacantis, si sint arctati. Et cùm ista declaratione nitatur *Diana*, etiam ipse plùs non vult, quàm arctatos posse ordinari. *Nav.* tantùm loquitur de tempore post annum vacationis, *Sanch.* tantùm loquitur de subdito Sedis vacantis, si à suo Episcopo defuncto, vel à Papa, vel à Nuntio Apostolico habeat dimissorias ad quemcunque Episcopum: hinc rectè dicit Gob. *n.*266. quòd illi quos pro se citat *Quintanadv.* non faveant ipsi. Nec ratio adducta persuadet; jurisdictio enim Suffraganeis est delegata ab Episcopo vel à Capitulo committente.

§. 2. Arctati ratione Beneficii recipiendi vel recepti possunt etiam primo anno Sedis vacantis ordinari, uti constat ex dictis. Docent autem Ricc. Ugol. Barb. *in Collect.* ad Trid. suprà *n.* 17. Garzias *p.*5. *c.*7. *à n.*99. illos esse arctatos ratione Beneficii recipiendi, qui habent jus, seu sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans aut Capellaniam requirentem actu Ordinem, quo illi carent. Item qui cùm non sit ordinatus prima Tonsura, est præsentatus ad Beneficium: sed pro hoc videnda sunt dicta n. 2166. E contrà non potest dici arctatus ratione Beneficii recipiendi, qui est præsentatus ad aliquod Beneficium seu Capellaniam habentem annexum certum Ordinem, ad quem ille, qui obtinet, tenetur facere se promoveri: similiter non dicitur arctatus occasione Beneficii recipiendi is, cui aliquis vult resignare aliquod Beneficium requirens actu Ordinem, quo ille caret, hoc enim est merè voluntarium. Arctatus ratione Beneficii recepti est, qui obtinet Beneficium requireus servitium personale, ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ vel fundatione tenetur intra annum facere se promoveri, *Ricc. Ugol. Garz.* exemplificantes in eo, qui obtinet Parochiam, nam est arctatus ad Sacerdotium intra annum: item de eo, qui obtinet Canonicatum, cui certus Ordo est annexus. Item in aliquibus Beneficiis seu Capellaniis requirentibus servitium personale seu aliquem Ordinem: item si Ordo suscipiendus ita annexus est Beneficio, ut tempore provisionis in eo constitutus esse debeat, sed impetrans dispensatus fuit, ut hoc non obstante hujusmodi Beneficium obtineret, Barb. *n.* 1. 2258

§. 3. Etiam ille potest ordinari in loco, & in primo anno Sedis vacantis, qui à suo Ordinario affert dimissorias, Sanch. *dub.*26. *n.*2. Neuss. *d.* 109. *n.*62. Tamb. *n. c.*8. *s.*2. *n.* 9. Bosco *s.*3. *num.*211. Pirh. *l.* 1. *tit.* 6. *n.*255. Leur. *qu.* 509. qui citant præterea Henriq. Laym. Quarant. Ventrig. Piasec. Ratio est, quia finis Trid. fuit, teste Nav. *in Cons. l.* 1. *ad tit. tempor. Ordinat. Cons.* 27. *n.* 2. ne quis ordinaretur absque consensu sui Ordinarii, quod non fit, si afferat sui Ordinarii dimissorias: Et hoc à S. Cong. declaratum esse dicit Garc. apud Leur. *n.*3. *Nec obstat*, si fortè Episcopus defunctus, aut etiam idem Suffraganeus, qui nunc ordinat, antehac dimiserit, *nam* id per accidens est; & dimissus vi suarum dimissoriarum potest in quacunque Diœcesi ordinari à quocunque Episcopo licentiam ordinandi habente, quam hic Suffraganeus habet à Capitulo. 2259

§ 4. Multo magis possunt ordinari Regulares etiam primo anno in loco Sedis vacantis afferentes dimissorias, & testimoniales ab eis, ad quod spectat dare ipsis, uti ex declaratione S. Cong. tenent Themudo & Portell. apud Dian. *p.*8. *t.*4. *R* 72. Corr. *in praxi dispens. l.*4. *c.*6. *r.*16. Quintanad. *singul.* 6. Tamb. suprà *n.*12. Leur. *q.*509. *n.*7. maximè, cum Regulares in odiosis non veniant nomine Clericorum, quos hic vetat ordinari Trid. neque nomine subditorum Capituli Sedis vacantis. 2260

§. 5. Capitulum non potest nunc Sede vacante intra primum annum dare dimissoriales nisi arctatis, uti constat ex Trid. suprà, docentque omnes cum Leur. *q.* 1512. qui cum Fermosino *De Capitulo Sede vacante q.* 20. n.16. extendit etiam ad primam tonsuram, sed Gallem. *n.* 2. putat: cùm Trid. dicat *ordinandi* licentia, non comprehendi primam tonsuram, quæ non est ordo. Saltem Garc. *n.* 93. refert hanc declarationem S. Congr. *Vicarius Capituli, Sede vacante infra annum potest concedere litteras dimissorias ad primam tonsuram, ei qui est præsentatus à patronis laicis ad Beneficium ecclesiasticum juris patronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat.* 2261

§. 6.

2262 §. 6. Si quis ex alia causa quàm Beneficii arctetur ad Ordinem suscipiendum, v. g. ad obtinendum gradum in Theologia, Capitulum Sede vacante non posset intra primum annum ei dare dimissorias, quia exceptio illa firmat Regulam in contrarium, Ventrig. & alii cum Leur. *q.* 512. *n.* 9.

2263 §. 7. Vicarius Papæ potest Sede Apostolica vacante facere ordinari suos, aut eis etiam non arctatis dare dimissorias, Henr. Aversa. *q.* 3. *s.* 7. Barb. *de Off. Episc. alleg.* 7. *n.* 13. Trid. enim non restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ vacantis: Et idem dicunt Mandos. Graff. Vulpej apud Barb. de Vicariis Episcoporum deputatis per Papam, quos Apostolicos vocamus.

2264 §. 8. Nuntium Apostolicum posse intra primum annum dimittere subditum Sedis vacantis non arctatum, negant Garc. suprà *n.* 104. & Pirh. *l.* 1. *tit.* 11. *n.* 54. cujus hoc est fundamentum; quia, inquit, Nuntius non potest dare dimissorias nisi illis, qui à suo Ordinario habuerint testimoniales, sed Sede vacante non potest quis ab ordinario habere testimoniales, quia tum non datur Ordinarius, eò quòd nomine Ordinarii dantis testimoniales non intelligatur Capitulum aut Vicarius Sedis vacantis, sed ipse Episcopus, qui tum non est; Ex quo infert Nuntium non posse nisi in casibus, in quibus potest Capitulum Sede vacante. Sed ratio illa nulla est, uti constabit ex dicendis n. 2265. nam Capitulum & Vicarius Sedis vacantis potest dici Ordinarius ac dare testimoniales.

Hinc Nuntium Apostolicum posse talem dimittere, absolutè affirmant Led. apud Garc. suprà, Barbos. *de Jure Eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.* 122. Molina *de just. to.* 6. *d.* 11. *n.* 4. Fermos. suprà *n.* 14. Escob. *l.* 23. *c.* 17. *n.* 400. Graff. & Cenedo apud Bosco hic *l.* 3. *n.* 20. Gob. *tr.* 8. *n.* 573. Leur. *q.* 509. *n.* 3. Ratio est 1. quia Nuntius Apostolicus meritò dicitur se habere sicuti Vicarius à Papa constitutus, de quo n. 1263. dictum est. 2. Quia Nuntius posset talem ordinare, cùm sit Ordinarius, secundùm dicta n. 1494. ergo etiam potest dimittere. 3. Quia facultas dandi dimissorias est data Nuntio absolutè sine restrictione ad Sedem plenam aut vacuam, ergo malè restringitur ad plenam. Quia tamen res illa est valde controversa, Aversa. *q.* 3 *s.* 7. relatis in utramque partem Authoribus concludit, *Quare in hoc standum erit consuetudini*: Et quod attinet ad consuetudinem, Molina suprà testatur se sæpiùs vidisse id à Nuntiis factum esse in civitate Concheusi: Idem fecisse Nùtium in Helvetia, testatur Gob. suprà.

2265 §. 9. Capitulum potest etiam pro anno Sedis vacantis dare suis subditis non arctatis litteras testimoniales seu commendatitias de vita & moribus, Card. de Luca *in annot. ad Trid. dis.* 31. *n.* 31. Aversa. suprà, Leur. *q.* 511. citant alios contra Garciam *n.* 105. & Pirh. suprà. Neque hoc est contra dispositionem Trid. requirentis testimoniales sui Ordinarii, quia quamvis Nav. Garc. Pirh. putent per ordinarium in Trid. intelligi proprium Episcopum & non alium, proculdubiò, inquit Molina, vehementer falluntur, quia Sede vacante Capitulum & ejus Vicarius verè & simpliciter sunt Ordinarii, ut docent Lot. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 42. Corr. *De Benef. l.* 1. *c.* 22. *n.* 92. De Luca ad Trid. *dis.* 5. *n.* 23. Paris. *De resign. l.* 7. *q.* 23. *n.* 124. Et cùm post annum vacationis dent testimoniales, imò & arctatis durante primo anno, uti fatetur Pirh. *n.* 59. evidens est, quòd veniant nomine Ordinarii.

2266 §. 10. Quod dicitur fieri posse per Capitulum Sede vacante, intelligitur ex speciali commissione Capituli per Vicarium Generalem intra primos octo dies à Capitulo institutum, non enim potest Capitulum per seipsum, uti notant Authores cum Leur. *q.* 513 adducentes pro hoc declarationem S. Congregat. nisi fortè Capitulum propter hæresin, pestem vel similem causam esset dispersum, tùm enim sufficere etiam ab uno solo Capitulari residente hoc fieri, & id pariter decisum est apud Garciã suprà *n.* 93.

Q. 329. *Quid specialiter notandum sit circa jam dicta, tempore Sedis vacantis in Episcopatu, in quo alternant Episcopus catholicus & Princeps acatholicus?* R. 2267 Si Episcopus catholicus rexerit & moriatur, tum incipit primus annus Sedis vacantis, ac tenent, quæ hactenus dicta sunt: E contrà si rexerit & moriatur Princeps acatholicus, putavit doctus Canonista tum etiam incipere primum annum Sedis vacantis, adeóque locum habere decretum Tridentini *nu.* 2257. relatum. Rationem dabat, quia caput illius Episcopatus in temporalibus fuit iste Princeps acatholicus, caput autem & veluti Ordinarius in spiritualibus, secundùm concordata & dispositionem Pacis Monasterienſis, erat Metropolitanus, pro illo nempe tempore, quo in temporalibus regeret Princeps acatholicus: hoc autem Principe acatholico mortuo censetur commori Metropolitanus respectu hujus Episcopatus, quia desinit ejus jurisdictio spiritualis, adeóque videtur incipere Sedes vacare etiam in spiritualibus, saltem fictione Juris pro casu, de quo Jus nihil disposuit. Sed oppositum tenendum, & consequenter dicendum, quòd in eo Episcopatu possint, uti ante, fieri Ordinationes & dari dimissoriæ etiam non arctatis. Ratio est 1. quia vacatio Episcopatuum est ad modum vacationis Beneficiorum, hæc autem dicuntur vacare per obitum vel cessionem ipsiusmet beneficiati, usque dum novus in eodem verè instituatur, Corrad. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 16. & 51 cum communi. 2. Viduitas Ecclesiæ est à morte ultimi sponsi usque ad novum Episcopum, id est, usque ad aliquem qui habeat in spiritualibus supremam potestatem, & cui fiat provisio talis Ecclesiæ. Lotter. *l.* 3. *q.* 29. *n.* 118. 119. Barbos. *De Jure eccles. l.* 1. *c.* 8 *n.* 6. Debetque nova provisio fieri authoritate Apostolica, Corrad. *n.* 52. Idcóque viduitas durat usque ad novi Episcopi confirmationem à Papa faciendam, Paris. suprà *n.* 48. citans Gloss. & alios: Tota enim vis extinctiva prioris vacationis attribuitur actui legitimæ collationis, quæ succedit, Asc. Tamb. *de Jure Abb. in dec.* 25. *rotati n.* 2. & 4. Lott. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 19. citans alios 3. Quamvis Papa alicui Episcopatum vacantem dedisset in commendam, vel ad administrandum, tamen per obitum hujus commendatarii vel administratoris non inciperet vacare Sedes, Tãb. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 6. Garc. 4 *c.* 4. *n.* 64. ergo similiter hic. 4. Quando Trid. prohibet dare dimissorias tempore Sedis vacantis in primo anno nomine vacationis venit vera & non ficta vacatio, id est, vacatio per mortem vel cessionem veri Episcopi, Paris. *de Resign. l.* 12 *q.* 10. *n.* 25 ergo Decretum illud prohibens & restrictivum Juris communis extendi non debet ad vacationem tantùm politicam, quæ tantùm respicit gubernationem temporalem.

Obji. Capitulum in hoc casu solet statuere vel confirmare Vicarium in pontificalibus & spiritualibus, ergo signum est, quòd Sedes censeatur tum incipere vacare etiam canonicè. *Respondeo n. conseq.* nam mortuo Principe acatholico cessat administratio Metropolitani, qui non implebat Sedem, & jurisdictio spiritualis, quæ à Capitulo post primum annum vacationis venerat ad Metropolitanum, mortuo Principe acatholico revolvitur ad Capitulum, & iterum connectitur cum jurisdictione temporali, quam tum etiam recipit Capitulum. De cætero potest sufraganeus ex facultate à Metropolitano concessa pergere exercere pontificalia, dummodò Capitulum non reluctetur, sicuti si accepisset ab Episcopo mortuo talem facultatem, dato quòd esse primus annus vacationis, facultas illa non expirasset per mortem

Episcopi

Episcopi concedentis, Sanch *De Matrim. l.8. d.28.n.* 64. & 82. Themudo cum Diana *p.8.tr.4. R.72.* Fermosin. suprà *nu.1.* maximè si Capitulum confirmarit hunc Suffraganeum etiam tanquam Vicarium, non enim potest semel à se constitutum dejicere sine causis & causarum cognitione, Castrop. *t.13. d.2. p.29. n.7.* Barb. *De Jure eccles. l.1. c.32. n.47.* & alii, quos citant: nec etiam potest Capitulum concessam semel potestatem limitare, Garc. *p.5. c.7 à n.25.* & alii, maximè cùm potestatem eam acceperit à Metropolitano, Garc. *n 34.* Leur. *qu. 510.* Nihilominùs post jurisdictionem iterum devolutam ad Capitulum, inconveniens non est, si talis Vicarius recognoscat suos Principales, & petat confirmationem à tali Capitulo, quod sciet, quid de Jure facere possit aut debeat.

2268 *Q. 330. Quid addendum sit circa titulum Ordinationis?* Resp. De hoc ita statuit Trid. *sess. 21. c.2. de Reform. Cùm non deceat eos, qui divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinibus cum dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; compertumque sit complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se Beneficium ecclesiasticum aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacifi è possidere: id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius Beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constet, quòd aliunde vivere commodè possit. Et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque priùs perfecto, patrimonium illud vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Circa hunc sustentationis titulum notanda sunt seqq.

2269 §. 1. Titulus pro Ordine sacro debet esse quid perpetuum, immobile, non revocabile, distinctum à lucris quotidianis: unde non sufficit lucrum, quod quis habere ex Missis non fundatis, ex Musica, ex instructione puerorum &c. quia hæc per revocationem, infirmitatem, vel alium casum impediri possunt, Sanch. *in Conf. l.7. c.1. d.23. n.10.* Nec sufficit Beneficium manuale vel Capellania, à qua quis removeri potest, quia sic non est ei satis cautum de honesta sustentatione. Putant tamen Paris. Gonz. & alii sufficere talem Capellaniam temporalem, à qua nemo soleat removeri nisi concessa alia provisione; sed contrà est, quia immeritò imponitur hoc onus Patrono, Castrop. *t.27. p.10. n.4.* Putant etiam Nav. & alii cum Sanc. *d.15. n.4.* sufficere Coadjutoriam in Beneficio, quia Coadjutor investitur: sed meliùs negat illam sufficere Castr. *n.5.* cùm sit tantùm spes Beneficii, & quidem incerta, eò quòd Principalis possit diutiùs vivere. Valeret tamen, si pars una sustentationi sufficiens ei in perpetuum titulum assignetur, Garc. Gob. *t.8. n.* 637. Census etiam redimibiles censentur immobilia, dummodò adhibeatur ea cautio, ut si fiat redemptio, pecunia ex Judicis decreto deponatur apud idoneas personas, ut iterùm constituatur census, Castr. *p.11. n.9.* & alii contra Bonac. & alios. Ex hoc autem, quòd Beneficiatus deponi possit ab Episcopo vel Collatore, si committat enorme crimen, ob quod jus permittit deponi & Beneficio privari, non ideò Beneficium desinit esse perpetuum, hoc enim præcipuè oritur ex libertate beneficiati, qua vult delinquere, ergo non ideò est ad nutum alterius amovibilis.

§. 2. Titulus ordinariè debet assignari cum 2270
obligatione reali & hypotheca: estque advertendum, ne hujusmodi bona sint priùs ære alieno gravata: de cætero titulus super bonis ita fundatus, est onus reale, & transit ad quemcunque possessiorem jure ordinario hypothecæ, Engel. *l.1. tit.14. n.17.* addens *n.18* si à Monasteriis vel Ecclesiis Collegiatis concedatur titulus, non requiri quidem hypothecam, quia bona Ecclesiarum non possunt regulariter alienari, attamen requiri consensum Capituli, quia successor non tenetur stare obligationi sui antecessoris sine utilitate vel necessitate Ecclesiæ cóctractæ, per ea, quæ traduntur in cap pen. *De fidejussor.* & cap.1. *De solut.*

§. 3. Garcias *De Benef. p.2. c.5. nu.93.* dicit à S. 2271
Congreg. declaratum esse, quòd assignatio mensæ Episcopalis non sufficiat ad titulum, & ratio potest esse, quia onus alendi ordinatum non potest imponi mensæ successoris: sed si consentiat Capitulum, quod censetur facere, quando scit fieri & non contradicit, praxis habet, quòd sic ordinentur, id enim utile est & quandoque necessarium, præsertim in Diœcesibus, in quibus non sunt seminaria pro instituendis Clericis: tum autem servantur sequentia: 1. Indicto tempore aliquo ante concursum, per rigidum examen Synodalium eliguntur tot, quot requiri videntur ad instantem necessitatem. 2. Hi ordinati mittuntur, ut tanquam Sacellani serviant apud Parochos exemplares, doctos & zelosos. 3. Post captam apud hos experientiam per quatuor saltem annos, si vacet parochia, hi ad concursum pro tali parochia admittuntur. Et si iste modus servetur, excitatur æmulatio juniorum Clericorum, exercent se diligenter in ministeriis curæ animarum, laborant, ut bene vivant, se perficiant, & ab illis, apud quos primis annis serviunt, referant bona testimonia: nec facile periculum est, ut destituantur necessaria sustentatione.

§. 4. Barb. putat, quando urget penuria Sacer- 2272
dotum, ad titulum sufficere, si quis etiam privatus promittat ordinando se omnia necessaria illi subministraturum, quia ex hac timeri potest minus damnum, quàm ex carentia tam necessarii Ministri. Addit Gob. *n.617.* si Comes aliquis aut communitas obliget omnia sua ad alendum aliquem in defectu sufficientis sustentationis, sufficere ad titulum, sed Jord. & Gallem apud Gob. *n.614.* probabilius negant id sufficere, & requirunt cóstitui aliquid certum determinatum, irrevocabile; & talis videtur esse mens Tridétini.

§. 5. Beneficium, ad cujus titulum qui ordina- 2273
tur debet esse ecclesiasticum, actu pacificè possessum, uti habet Trid. suprà, & expressè *Synodus Colon.* anni *1662. p.2. tit.10. c.3* §.7. unde non sufficit spes certa, quam quis habet, quia est electus vel præsentatus, Sanch. *dub.35.* n 2. Castrop. *p.10. à n.7.* contra Sayr. & alios, qui putant sufficere collationem & institutionem, si sincerè putetur, quòd non sit impedienda possessio, & sic procedunt communiter Episcopi; hinc Jord. *De ord. l.3. tit.6. n.301.* dicit, quando ex circumstantiis appareret de bona fide, & omnis fraudis suspicio tolleretur, non esse omnino improbabilem eam opinionem.

§. 6. Beneficium actu possessum sufficit ad ti- 2274
tulum, quamvis primo anno nil percepturus sit, Gob. *n.633.*

§.7. Henriq. Avila, & alii putarunt Doctorem 2275
Juris vel Theologiæ posse ordinari sine alio titulo, quia

quia docendo poterit se honestè sustentare : quod Cord. & Dian. admittunt, per se loquendo, de Doctore promoto in insigni Universitate : sed rectè negant Sà, Sanch. Barb. Aversa. *q.* 3. . 10. Gob. *n.* 627. nam S. Congr. id reprobavit, nec scientia panem ei dabit, quamvis fundatam etiam lectionem habeat, nil enim stabile est, cùm per infirmitatem impediri, vel ob aliam causam possit amoveri.

2276 §. 8. Titulus patrimonii ordinariè debet esse major quàm Beneficii : in dubio autem regulariter præsumitur esse sufficiens, de Luca *de Benef. disc.* 37. *n.* 7. Et universaliter in quovis titulo, si modicum deficiat ad honestam sustentationem, curandum non est, inquiunt Sanch. suprà *dub.* 25. *n.* 8. & Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 20. Hoc tamen, quod pro titulo assignatur, non potest hypothecari, alienari, permutari, resignari, nequidem quoad fructus vel in subsidium aliorum bonorum, inquit Castrop. *p.* 10. *n.* 13. *& pu.* 11. *n.* 10. nisi quantum de fructibus honestæ sustentationi superfluit, etiamsi ordinatus posset aliunde sine titulo ullo, vel sine ejus fructibus sustentari.

2277 §. 9. Pro titulo patrimonii non sufficit, quòd filius certo expectet pinguem legitimam à patre : Si tamen pater sit dives, potest filius eum adstringere, ut sibi patrimonium irrevocabiliter designet titulo, Castrop. *pu.* 11. *à n.* 2. Hoc autem sibi assignatum negant multi debere computari in legitimam, cùm sit veluti donatum filio ad sustentationem quotidianam; verius tamen affirmant Mol. Garc. Castrop. *n.* 6. & alii, quia bona talia non alienantur, sed postea redeunt ad hæredes; ergo meritò censentur esse legitima.

2278 §. 10. Ad titulum patrimonii aut alterum non perpetuum, sed habentem se per modum patrimonii, non prærequiritur ulla institutio seu investitura, sed sufficit præcessisse instrumentum assignationis & judicium Episcopi de futura illius sufficientia : spectatque hoc judicium ad Episcopum illum, in cujus Diœcesi sunt ea bona pro titulo assignata.

2279 §. 11. Ut caveantur fraudes, quæ frequenter contingunt in titulo patrimonii, præscribuntur in stitui debet in determinatis bonis vel obligationibus ejusmodi, quæ pro immobilibus habeantur, quales non sunt, quæ solis syngraphis vel instrumentis per Notarium tantùm & testes subscriptis constituuntur. Domus, horrea, aliaque ædificia non necessariò admittuntur, quia incendiis sunt exposita : plerique tamen admittuntur, maximè extra tempora belli. 2. Bona illa debent publicè & judicialiter recognosci, cum attentione, quòd sint allodialia, propria illius, qui ordinando constituit titulum. Item quòd non sint hypothecata aliis &c. Item quòd constituens titulum possit ea cedere absque præjudicio legitimæ liberorum suorum vel quorumcunque aliorum. Item absque præjudicio sustentationis ad vitam propriam necessariæ. 3. In eodem judiciali documento exprimi debet, quantum secundum commune judicium prudentum singula prata, singuli agri, singuli horti &c. annuè afferre possint in pecunia, planè liberè, detractis omnibus oneribus, contributionibus &c. 4. Summa pecuniæ ita annuatim liberè provenientis ex talibus bonis, debet attingere taxam tituli in tali Diœcesi constitutam. 5. Constituens titulum debet per idem judiciale instrumentum actu cedere jus in re plenum horum bonorum in favorem ordinandi, ita ut hic statim possit ingredi in actualem possessionem. 6. Hæc bona debent cedi irrevocabiliter, nec postea onerari, hypothecari &c. usq; dum ordinatus moriatur, vel apud Episcopum doceat sibi aliunde esse provisum. Causa hujus rigoris est justa, quia Nobiles passim obligabant bona tantùm in genere, conferentes solùm jus ad rem, & quando ordinati offendebant, depellebantur, nec nisi litibus & cum gravissimis molestiis Nobiles compelli poterant ad dandam sustentationem. Similiter fiebat, quando Nobilis titulum constituens moriebatur, bona enim devidebantur inter hæredes, & nesciebat ordinatus, à quo vel unde alimenta peteret : his obviatur, si ipse rem certam sibi obligatam possit apprehendere aut habeat apprehensam. 7. Solent hujusmodi bona tribus Dominicis vel interpolatis festis in Ecclesia parochiali, sub cujus districtu bona sita sunt, publicè proclamari, ut constet talem desuper ordinandum, & intelligatur, an opponatur aliquid contra qualitatem aut valorem bonorum in proclamationibus exprimendum. §. Ordinandus jurat hæc se ita habere. In archidiœcesi Colonienſi per Decreta & statuta jussu *Maximiliani Henrici* anno 1651. edita n. 33. ponitur hæc formula. *Ego N. juro, quòd in acquisitione & designatione bonorum meorum patrimonialium, quorum titulo promovendus sum ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, nulla fraus, aut dolus intercesserit, quódque illa veré & pacificè possideam, neque ulli sint oppignorata, neque imposterum directè, vel indirectè alienabo, seu quoquo modo distraham, nisi mihi prius fuerit de perpetuo Beneficio ecclesiastico, eoque ad congruam meam sustentationem sufficienti provisum, neque tunc quidem aliter quàm cum prescitu, & consensu Romani Pontificis, seu Revevendissimi mei Archiepiscopi, ac Principis Electoris Colonienſis, seu ejus Vicarii in Pontificalibus Generalis in litteris ipsius alienationis seu distractionis specialiter exprimendo. Beneficium autem, quod in dicti mei tituli locum successerit, sine simili consensu non resignabo. Ita me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.*

§ 12. Quod n. 2168. dicitur, de non sup- 2280
plendo defectu Beneficii per adjectionem patrimonii, intelligitur circa titulum ordinandi non subditi nisi ratione talis Beneficii acquisiti, de hoc enim solo est illa clausula Constitutionis *Inter. XII.* De cætero quilibet Ordinarius potest cum suo subdito facere combinationem tituli ex Beneficio & patrimonio, Castr. *pun.* 10. *n.* 2. Gob. *n.* 612. & habet praxis apud omnes.

§. 13. Si Titius origine Colonienſis habeat 2281
tenue Beneficium in Diœcesi Trevirensi, & ad conflandum titulum adjiciat partem patrimonii, quod habet in Diœcesi Moguntina, hic titulus potest, per se loquendo, approbari ab Ordinario vel Colonienſi vel Trevirensi, quia his est subditus : non tamen à Moguntino, quia ibi non habet originem, Beneficium, aut domicilium & patrimonium non facit eum subditum, secundùm dicta n. 2178. Praxis autem habet, ut in loco, ubi sunt bona, fiat instrumentum judiciale & publicum; quantum bona talia annuè subtractis oneribus præstare possint; & tum proprius aliquis Episcopus ordinandi erigit bona ista sive approbat in titulum.

§. 14. Peccat mortaliter, qui pro titulo curat sibi 2282
fieri patrimonium sub uno ex *his pactis* 1. Ut illo non utatur. 2. Ut post susceptos Ordines reddat. 3. Ut illud ad certos tantùm annos habeat. Ut ejus fructus cedat alteri : & idem de pactis similibus; hæc enim sunt contra expressam mentem Tridentini, volentis titulum esse perpetuum & irrevocabilem, qui sustentationi honestæ ordinandi semper serviat, Castrop. *pu.* 11. *n.* 15. Putantque multi, quòd ordinatus super ejusmodi titulo incurrat suspensionem, quamvis id probabilius negent Garc. Barb. Castro *pun.* 12. *n.* 6 Aversa *n.* 3. . 10. si enim saltem ad tempus acquirat, dominium illius, reipsa est dominus tituli ergo non promovetur absque titulo. An autem teneatur stare hoc pacto, disputat Auctores utrinque probabiliter, Castr.

n. 15.

*n.*15.negat,quia cùm illud pactum sit turpe, & de re contra legem,censetur pro nõ adjecto.An sit simonia, si quis emat titulũ Ordinationis dixi l.3.p.1.à n.150.

2283 §. 15. Licitum est suscipere matrimonium sibi factum pro titulo, sub pacto reddendi illud post mortem, aut etiam post acceptum Beneficium ecclesiasticum, aut sustentationem aliunde habitam, cum licentia Ordinarii,Garc.Barb. Castr.*pu.*11.*n.*16. Bona enim,quæ in titulum Ordinationis assignantur, non fiunt ecclesiastica,debent tamen, secundùm Canones,gaudere privilegio fori ecclesiastici, quamdiu sunt bona tituli personæ ecclesiasticæ.

§. 16. Qui cum titulo ficto vel non habente conditiones requisitas ordinatur,peccat graviter,quamvis aliunde habeat, quo vivat,quia agit contra strictum præceptum Tridentini. Et quamvis Tolet. Henriq.Con.Sayr.Dian. March. Gob. *n.* 604. putent per hoc non incurri suspensionem, tamen incurri probabiliùs affirmant Nav.Suar.Vasq. Sanch. Bonac. Comit.Less.*in aut.*v.*Ordines sacri cas.*6.Castrop.*pu.*12. *n.*11.Aversa,*q.*3.*s.*10. quia pœna illa fuit per antiquos Canones imposita, pœcas autem antiquas *Trid. super his innovat.* De contraria autem declaratione, quam Gob. putat non esse visam ab Auctoribus nostræ sententiæ, rectè dicit Aversa non satis constare.Eandem suspensionem videtur incurrere, qui decipit in parte notabili, qualis est quarta, uti si dicat se annuè pro titulo habere centum, quos requirit Ordinarius, cùm tantùm habeat 75. Gob. *n.* 624. apud quem n. 604.Garc. Barb. Jord. dicunt ejusmodi fraudulentos non incurrere ipso facto tales pœnas, sed per ferendam sententiam.

2284 §. 17. Si quis absque titulo justo, etiam per errorem & bona fide sit factus Subdiaconus,vel si titulum suum amittat aut relinquat,non potest ascendere ad superiorem Ordinem sine novo titulo,quia manet ratio præcepti,quæ est,ut talis ordinatus sit provisus mediis honestè vivendi,Castr.*p.*9.*n.*4. Gob.*n.*605.

2285 §. 18. Ex dictis colligitur,quid fuerit dicendum ad hunc casum. Titius accepit titulum Ordinationis à Communitate, quæ obligavit omnia sua bona in communi ad pendendos illi quotannis 50. aureos. Titius metuens ne titulus factus cum generali tantùm hypotheca rejiceretur ab Ordinario,ad facilitandum negotium curat in instrumento exprimi hypothecam etiam specialem aliquorum bonorum, non admonita de hoc Communitate, nec requisito consensu. *Quærebatur*, an posset super hoc titulo petere majores Ordines? *Respondi*, si in ista Diœcesi soleat Ordinarius rejicere titulos habentes generalem tantùm hypothecam,non potest; quia causa approbationis tituli est suppositicia, ergo approbatio tituli est subreptitia, & vitiata substantialiter. Hinc Titius facere debet,ut vel Communitas consentiat in hypothecam illam specialem, vel ut ordinarius approbet titulum cum hypotheca tantùm generali. E contrà si ille Ordinarius non soleat requirere hypothecam specialem,est vitium tantùm accidentale,& subsistit causa adæquata sufficiens,ideòque potest petere super eo ordinari.

2286 §.19. Plerique cum Castrop.*pu.*11.*n.*11.& Gob. *n.*618. putant alienationem, permutationem, hypothecationem tituli esse invalidam: hinc inferunt Sà, Sanch.& alii, si posteà sine alio titulo promoveatur ad ulteriorem Ordinem, non ideò incurrere suspensionem, quia non ordinatur sine titulo, cùm suum priorem retineat: & hoc est conformius statim dicendis, quamvis Ledesm. & Suar. dicant talem alienationem, &c. esse tantùm illicitam, in qua sententia ordinaretur sine titulo. Si resignaret sub pensione sufficiente ad honestam sustentationem, *Navar. Paris. Rodriq.* putant non esse opus, ut fiat mentio de eo,quòd sit ad talem titulum ordinatus, sed oppositum meritò dicunt Garc.Barb. Castrop. *pu.* 10. *n.* 10. quia mentio de hoc expostulatur, veluti aliquid requisitum ad valorem resignationis, nam Trid.suprà dicit: *Id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius Beneficii titulum sit promotus.* Idem faciendum esse dicunt iidem Auctores cum Castrop. *n.* 11. si fiat permutatio cum alio v. gr. Beneficio æquè sufficiente ad sustentationem: adduntque illum, qui resignat non habens aliunde, unde honestè vivat,hoc ipso excidere Beneficio, non tamen illum,qui resignat, habens unde vivat, quia hic non ita graviter peccat.An autem,quando aliunde habet, unde vivat, opus sit licentia Episcopi ad resignandum vel alienandum titulum,v.g.patrimonii, disputant Auctores, Barb. & alii affirmant, quia Trid. dicit, *sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, aut remitti nullatenùs possint*: è contrà negant Garc.Paris.Castrop.*pu.*11 *n.*13.*& alii*,quia Trid.dicit, *sine licentia Episcopi nullatenùs possint, donec aliunde debeant, unde vivere possint*, ergo si aliunde habeant, non videtur requiri licentia Episcopi: sed videtur standum pro priore sententia, an enim habeat aliunde, quo vivat, hoc ipsum judicabit Episcopus & ideò in hac Archidiœcesi Colonienſi omnes ordinandi in Subdiaconos jurare debent se non resignaturos, nisi aliunde sint sufficienter provisi, *etiam requisito judicio Episcopi.*

§.20. Quantum requiratur ad titulum, definiri 2287
non potest pro omni loco æqualiter, *Trid.*vult, ut sit sufficiens ad sustentationem *honestam*, id est, decoram, & decentem personas Deo consecratas, & relinquitur judicio Episcoporum, qui attendunt ad circumstantias loci, temporis, personarum; hoc tempore Treviris, & Coloniæ requirunt circiter 60. Imperiales; Monasterii Westphaliæ, centum: plùs tamen ordinariè pro titulo patrimonii quàm Beneficii, vel fundationis. Estque probabilius cum Bona. Garc. Castrop.*p.*9.*n.*5. & alii contra Henriq. Gonz. Avilam & alios Episcopum dispensare non posse circa sufficientiam sustentationis, licèt spes certa affulgeat Beneficii paulò post obtinendi,quia Trid.simpliciter mandat non ordinari Sacris nisi actu provisum de honesta sustentatione.

§ 21. Quis teneatur sustentare eum,qui ordina- 2288
tur sine sufficiente titulo,dixi n.2244.Societatem autem JESU non teneri alere Sacerdotem dimissum titulo paupertatis apud se ordinatum, constat ex dictis n.2196. uti nec Episcopus tenetur alere Sacerdotem à se ordinatum, si justè privetur Beneficio, quod fuit titulus Ordinationis ipsius. Denique Novitios non habere titulum paupertatis,dixi n.2198.

*Q.*331.*Quid dicendum sit circa tempora, interstitia* 2289
& locum Ordinationum? R. §. 1. Tempora ordinaria Ordinationum sunt; prima septimana post festum Exaltationis S.Crucis; post diem Cinerum; post Pentecosten; post festum S.Luciæ,ut habet antiquus versus, *Post Crux,post Cineres,post Spiritus,atque Luciæ.* Item in Quadragesima dies Sabbatini ante Dominicam Passionis, & Paschæ.

§ 2. Tonsura conferri potest *quocumque die*, 2290
hora, *loco*, inquit, *Pontificale Rom.* addens, *Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia diebus dominicis, & festivis duplicibus, sed manè tantùm.* Eosdem Minores conferri posse die Mercurii quatuor Temporum ex communi consuetudine, & praxi, dicunt Henriq. Sà, Castrop. *t.*27.*pu.* 13. *n.* 2. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 11. *n.* 21. Nec improbant Sanch. *in Conf. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 52.*n.*3. & Gob. *t.* 8. *n.* 453. addens id suo tempore alicubi factum. Approbat etiam Lay.*hic c.*8.*n.*1 ubi consuetudo est.Scio alicubi isto die simul duodecim ordinatos esse Minoribus,

sed

sed fortè nimis multos, quia videri poterat tanquam ordinaria publica Ordinatio Gob.*n.*452.testatur morem esse in Germania,ut etiam die Veneris quatuor Temporum conferantur, additque Constantiæ conferri manè istius diei. Majores Ordines conferuntur in Sabbatis Temporum: Episcopatus in Dominica, uti habent Canones apud Averſ.*q.*3.*ſ.*9.

2291 §. 3. Si Episcopus non possit in Sabbato absolvere Ordinationem, putant Sylv. Rosel. Henriq. Sanch. Villal. contra Averſ. posse pergere in Dominica,sed continuandum esse jejunium ab Ordinante, & ordinandis,ut censeatur manere eadem dies.Quòd si non continuent jejunium, Suar.aliique cum Gob. *n* 469. negant fieri posse: ideóque rectè addit Castr. *n.*3.si ita continuatum sit jejunium, Episcopum non posse eidem conferre unum Ordinem majorem in Sabbato,& alterum in Dominica,quia censeretur eodem die contulisse eidem duos Ordines sacros.

2292 §.4.Putant Sylv Angel.& alii, Ordines majores non conferri validè extra Missam,sed Sanch.*dub.*4.*n.* 3.meritò dicit oppositum esse certissimum, cùm omnia essentialia possint poni.

2293 § 5.Practicè probabile est,quòd Episcopus possit conferre Ordines in festo duplici; etiamsi non celebretur in foro,sed in choro tantùm,& ad libitum,imò & si solemniter celebretur in solo illo loco, in quo ordinat, Asc.Tamb.Coron.Gob.*n.*472.486 & ita videmus fieri ab optimis Episcopis. Si tamen facultas vel dispensatio expressè haberet, ut fieret in festo de præcepto, probabilius est per festum de *præcepto* intelligi,non illud,quod opponitur festo ad libitum,sed quod præcipitur celebrari in fo o, Castr. *n.* 13. *n.* 2. Gob.suprà.Notat etiam T.Tamb.*de Ordine c.*10.*n.*15. si dies S.Matthiæ incidat in diem Cinerum, ideóque Officium & festum in choro transferatur in feriam quintam,adhuc die Cinerum conferri posse Ordinem sacrum, quia internum Pontificum est, ut ejusmodi Ordo conferatur in die apud populum solemni, manet autem solemnis, hoc ipso quod sit de præcepto abstinendum à servilibus,& audienda sit Missa.

2294 § 6. Morale est ordinare vel ordinari extra Tempora à Jure statuta,Gob. *n.* 460. Quando autem cum licentia fit extra Tempora,notant omnes non debere tot ordinari,ut videatur generalis Ordinatio: putatque Escob.*l.*23.*n.* 427. Ordinationem sex vel septem hominum non videri generalem.

2495 §. 7. Circa causas dispensandi ad conferendos Ordines extra Tempora, emanarunt sequentia.

Decreta Congregationis à Sanctissimo D. N. specialiter deputatæ super moderatione Indultorum suscipiendi Ordines extra Tempora à Jure statuta.

QUæ quidem Congregatio in ædibus Eminentissimi Carpinei die 10.Novembris, atque 1.Decembris anni currentis habita, re maturè discussa, Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit,concedi posse ex causis infrascriptis: videlicet: ut quis Beneficio, vi cujus arctatur,ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad vitam sibi concessæ per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in iis partibus vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium patris vel matris, dummodò 50. ætatis annos excedant, & saltem per triennium in Clericali habitu honestè, & laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusque signaturæ, familiaribus summi Pontificis, Canonicis Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque Coadjutoribus, Magistris,seu etiam Baccalaureis in sacra Theologia, Doctoribus utriusque vel saltem Canonici Juris, seu Licentiatis, dummodò singulos præfatos gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint. Iis etiam, qui saltem per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverint: ac tandem 26. ætatis annum excedentibus, si per triennium in Clericali habitu honestè, & laudabiliter vixerint. E contrà censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quòd quis Diaconus vel Subdiaconus litterarum Apostolicarum scriptor sit, seu Magister in artibus, Nobilis, aut præsens in Curia, vel quòd Philosophiæ cursum absolverit,aut alicui Ecclesiæ adscriptus fuerit,ad cujus servitii titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt: aut onus Missarum,non tamen ex Beneficio ecclesiastico proveniens, habere se doceat.Insuper censuit Indulta hujusmodi deneganda esse iis,qui aliqua dispensatione indigent, ex eorum delicto provenientibus impedimentis; & Sede Episcopali vacante, infra annum à die vacationis, minimè danda iis, qui Beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctati non fuerint. Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio,arbitrio Episcopi definiendo.Denique censuit Episcopos omnes ac etiam Apostolicæ Sedis Nuntios, & Legatos litteris in forma brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem suam Indulta prædicta non ita passim, sed ex certis tantùm legitimisque causis concedere, nec ipsos Episcopos ad eorum executionem adstringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata conscientia, relinquere. Item per eadem indulta licentiam non tribui promovendi quemquam ad patrimonii titulum, nisi ad normam Conc.Trid *sess.*21.*c.* 2. Eos verò omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra Tempora, vel aliis respectivè tribuendi licentiam,ut conferant,maximè cavere debere,ne præscriptus sibi in iisdem facultatibus limites cujusvis consuetudinis aut exempli prætextu transgrediantur.

Romæ ex Typographia Rever.Cameræ Apostolicæ anno 1693. 14. Decembris.

§.8.*Tridentinum sess.*23.*cap.* 11. *de Ref.r.* statuit, 2496 ut interstitia serventur etiam quoad Ordines minores,pro quo adducit plures causas: addit tamen, *nisi aliud Episcopo expedire videbitur* hinc praxis habet, ut etiam eodem die conferantur tonsura, & omnes Minores,Castrop.*punct.*13.*n.* 5. Dicunt quidem Sanch.& Averſa *q.*3.*ſ.*9.requiri aliquam causam ad dispensandum in eo, sed addunt sufficere qualemcunque, intellige,aliquo modo rationabilem,& prudentem. Secundùm Trid. ibidem deberet inter Minores & Subdiaconatum interponi annus, *nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat*; hinc quia communiter expedit Ecclesiæ habere pro necessitate Ministros proximè dispositos ad Presbyterium, sine scrupulo post Minores confertur Subdiaconatus sine longi temporis interstitio: imò si notoria consuetudo contraria non obstet vel scandalum alioqui dandum, potest Episcopus eodem die quatuor Minores & Subdiaconatum eidem conferre: uti præter citatos a Busembaum tenent Rebuff.Castrop suprà dicens se sæpè vidisse,Gob.*n.*3.& 460.G.Hurt.Burgh.*cent.*2.*cas.* 89. nec improbat Averſa suprà, si judicio Episcopi adsit saltem utilitas Ecclesiæ, quia quando *Trid.* prohibet duos Ordines conferri eodem die, loquitur de duobus sacris,ut patet ex *sess.*23.*cap.*13.Et quamvis alicubi esset consuetudo contraria,hanc non habere vim legis putat Vasq.licet contradicat Laym.*l.*5. *t.*9.*c.*8.*n.* 7.Secundùm *Trid.ibid.c.*13. *promoti ad sacrum subdiac. Ordinem,si per annum saltem in eo non steterint,ad alteriorem gradum,nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Et *c.* 14.statuit, ut qui ad Presbyteratus

Ordinem assumuntur, *in Diaconatu ad minùs annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint.* Denique cùm Episcopatus videatur tantùm inadæquatè distingui à Sacerdotio veluti ejus perfectio, putant Castrop. *pu.* 13. *n.* 4. Gob. *n.* 465. posse eodem die suscipi, sed meliùs contradicunt Innoc. S. Antonin. Suar. Barb. Aversa, cùm enim tam novus Sacerdos, quàm novus Episcopus debeat concelebrare cum Ordinante, saltem ex hoc capite id fieri non potest.

2297 §. 9. Ex relatis verbis Tridentini constat, quæ causæ sufficiant pro dispensatione in interstitiis Ordinum; nam pro dispensatione interstitii inter Minores, & Subdiaconatum, sufficit *necessitas vel utilitas Ecclesiæ*: pro dispensatione interstitii inter Subdiaconatum, & Diaconatum, non requiritur necessitas vel utilitas Ecclesiæ, sed sufficit quævis rationabilis causa arbitrio Episcopi, Villal. Rodr. Castr. *n.* 6. Rectè tamen notant Sanc. *dub.* 55. & Gob. *n.* 491. id non relinqui puræ voluntati liberi Episcopi, sed ejus prudenti arbitrio, ad quod formandum requiritur justa causa. Pro dispensatione interstitii inter Diaconatum, & Presbyteratum non sufficit necessitas vel utilitas Ecclesiæ, sed requiritur copulativè, & simul utilitas, ac necessitas. Et quamvis Gob. *n.* 492. putet per generalem consuetudinem Germaniæ derogatum esse his Decretis, cùm videamus omnes Ordines intra medium annum, aut etiam intra sex hebdomadas Quadragesimæ conferri, tamen credendum est id ab Episcopis fieri ob necessitatem aliquam vel saltem notabilem utilitatem Ecclesiæ. Censetur autem etiam tum esse necessitas Ecclesiæ, si ordinandus habeat Beneficium, cui debeat inservire, quia minùs decens est Officium fieri per interpositam personam. Utilitas tum est, si præsumatur obsequium aptius Ecclesiæ præstandum, Castrop. *pu.* 13. *n.* 5. Denique causæ, quæ sufficiunt pro dispensatione extra Tempora, & *n.* 2296. relatæ sunt, videntur multò magis sufficere pro dispensatione in solis interstitiis.

2298 §. 10. Episcopus, nisi speciale privilegium habeat, dispensare non potest in Temporibus, potest tamen in interstitiis etiamsi sit Episcopus ratione Beneficii tantùm, quia ordinandus ratione Beneficii sufficienter fit subjectus quoad illa, quæ sunt annexa Ordinibus, Dian. *in Comp.* 5. v. *Ordines n.* 13. Nuntii Apostolici dispensare solent in Temporibus, & in interstitiis cum arctatis Beneficio, quod in supplica exprimi debet, Gob. *n.* 455. Si autem aliquis non esset beneficiatus, sed v. g. Religiosus quamvis esset arctatus, v. g. quia in Monasterio deessent Sacerdotes, ordinarie non dispensaret, quia in facultate Nuntii utrumque additur, ut sit sufficienter beneficiatus & arctatus, Gob. *n.* 459.

2299 §. 11. Qui à suo Episcopo accepit dimissorias ad alium non potest ordinari, nisi observatis interstitiis: & in hoc potest dispensare solus Episcopus ordinandi, non autem ille, ad quem dimittitur: hinc curandum, ut dimissoriis addatur, *etiam non servatis interstitiis*, Na. Sanc. Jord. Averf. *q.* 3. *f.* 9. §. *Habet*, Gob. *n.* 493. ex declaratione S. Congr. Similiter si hic alter Episcopus haberet facultatem ordinandi *suos* extra tempora, & non servatis interstitiis, non ideò posset hunc dimissum, quia quamvis hic dimissus ipsi subjiciatur quantùm est ad actum Ordinationis, non tamen ad alium effectum dispensationis vel jurisdictionis.

2300 §. 12. Quamvis Suar. Sanch. Hurt. & alii putent Superiores regulares posse dispensare cum suis subditis regularibus in interstitiis, tamen id tantùm intelligitur ex privilegio, quod creduntur communiter habere; nam auctores apud Averf. suprà referunt hanc declarationem S. Congr. in contrarium. *Superiores regulares non posse dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quod causam dispensandi judicium suum formare debet ex attestatione Superiorum regularium.*

§. 13. Si dispensatio dicat, *ad tres Ordines ma-* 2301
jores tribus diebus festivis accipiendos non observatis interstitiis, intelligi debent dies non continui sed interpolati quia specialis est gratia id permitti diebus continuis, uti constat ex Decretis relatis nu. 2296. & ex variis privilegiis apud Gob. *nu* 464. Habet autem *Syn. Colon.* anni 1662. p. 2. tit 10 c. 3. §. 8. *Vetamus ordinatum aliquem ad ulteriorem Ordinem admitti, nisi priùs Ordinis suscepti publicum fecerit exercitium in Ecclesia, cujus servitio se adscripsit, desuperque testimonium sufficiens exhibuerit.* Si tamen absit ab illa Ecclesia, satis erit docere se fecisse alibi.

§. 14. Qui ordinatur non servatis interstitiis, 2302
peccat graviter sed non incurrit suspensionem aut irregularitatem, Barb. Ricc. Averf. Qui autem eodem die susciperet duos sacros Ordines, suspenderetur ipso facto ab exercitio saltem ultimi Ordinis, Avers. imò & utriusque, secundùm Castrop. si faceret Ordinante inscio, quia tum furtivè ageret. Quòd si ordinem non servet, v. g. si fiat Diaconus antequàm sit Subdiaconus, suspenditur, uti & si sine privilegio vel dispensatione ordinetur extra Tempora, Castrop. *pun.* 13. *n.* 14.

§. 15. Si quis in loco, ubi est novum Kalenda- 2303
rium, susceperit Subdiaconatum in quatuor Temporibns mensis Septembris hujus anni, & cum dimissoriis proficiscatur ad locum, ubi est vetus Kalendarium, non poterit quatuor Temporibus ejusdem Septembris in hoc loco suscipere Diaconatum, sic enim censeretur eodem die suscipere duos Ordines sacros: utrumque enim Sabbatum moraliter, & respectivè ad Judicium Ecclesiæ censetur idem pro quatuor Temporibus Septembris isto anno, & per accidens est, quòd uno loco veniat citiùs, altero seriùs.

§. 16. Extra Tempora statuta, & non servatis 2304
interstitiis, etiam tribus diebus continuis, ordinari possunt Societatis JESU Religiosi, ex privilegio, quod retuli nu. 2194. Et idem, saltem quoad illud extra tempora, licere illis Ordinibus, quibus ante Tridentinum fuit, docent Rodriq & alii multi cum Diana *p.* 3. *tr.* 2. *R.* 31. & Castrop. *pun.* 13. *n.* 11. putant enim non censeri à Tridentino esse revocatum hoc eorum privilegium: quam sententiam tutam esse in praxi dicit Averf. *qu.* 3. *f.* 9. & pro suo Ordine Clericorum regularium Minorum testatur sæpiùs in pluribus Diœcesibus, & in ipsa Romana urbe servatum esse. Videri possunt Barb. *de Off. Epi. c. alleg.* 18. *n.* 11. & Pelliz. *De regular. tr.* 8. *c.* 2. *à n.* 172.

§. 17. Tonsura & Minores possunt conferri 2305
quovis decenti loco. Pro aliis sic statuit Trid. sess. 23. c. 4. de Refor. *Ordinationes sacrorum Ordinum in cathedrali ecclesia vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis publicè celebrentur: si autem in alio Diœcesis loco, præsente clero loci, dignior quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.* Et quamvis Az. Henriq & alii cum Busemb. *n.* 2122. putent Episcopum posse etiam in aliena Diœcesi absque speciali licentia conferre suo subdito tonsuram, quia cùm non sit Ordo, non ideò censetur in aliena Diœcesi conferre Ordines: tamen meliùs contradicunt Sanch. Barb. Averf. quia tonsura est actio Pontificalis, Trid. autem *sess.* 6. *c.* 5. *de Ref.* sub pœna suspensionis ab exercitio pontificalium, prohibet *pontificalia in alterius Diœcesi exercere.*

Q. 232. *Quid addendum sit circa ætatem ordinandi?* 2306
R. §. 1. Ætas hìc numeratur, non à die conceptionis, nec necessariò à die Baptismi, sed nativitatis, uti dictum est *l.* 4. *n.* 806. Antiquitùs requirebatur major

major ætas pro omnibus Ordinibus, uti constat ex *dist.77.c.3.5.6.7.& dist.* 78.*c.*1.4.5. Sed nunc standum est dispositioni Tridentini, secundùm quam loquitur Busemb. *n.* 2214. relatus. Putant quidem Quintanad. & Gob. *tr.*8. *n.*510. posse aliquem præcocis judicii tonsurari ante completum septennium, sed standum est Jure septennium completum requirente apud Gob. ipsum *n.* 508. Trid. *sess.* 23. *c.*4. *de Ref.* insuper requirit, ut sciant legere ac scribere, Synod. Colon. anni 1662. *p.*2. *tit.*10. *c.*2. §. 4. ad Minores requirit annum duodecimum Busemb. saltem ad Acolythatum requirit duodecimum completum; quod etiam videtur communiter observari in praxi, quamvis Sanch. *in Conf. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 33. *n.* 17. Steph *t.*5. *d.* 7. *n.* 13. Gob. *n* 508. putent sufficere septennium completum.

2307 §. 2. Pro valore Ordinum non requiritur certa ætas, Averf. *q.*3. *s.*5. & 8. Gob. *n.* 505. nequidem pro Episcopatu, latè Sanch. *dub.* 32. nisi pro acquirenda jurisdictione, quia hujus acceptatio requiritur.

2308 §.3. Notat Gob. *n.* 932. ex Bartolo, Rodriq. & Miranda, quòd quando Jura agunt de ætate requisita, & loquuntur in genitivo, v.g. *sit* 20. *annorum*, aut in ablativo sine præpositione, 20. *annis vixerit*, aut in accusativo cum verbo significante rem perfectam, 20. *annos vexerit*, vel cum futuro conjunctivi, *si* 20. *annos vixero*, tum requiratur ætas seu annus completus: si autem non addatur tale verbum significans rem perfectam, & agatur de re odiosa, v. g. *si uno anno perduret in contumacia*, adhuc requiratur complementum: è contrà si agatur de favore, *si* 20. *annis serviverit, sit liber*, satis sit inchoasse, uti & tum, quando Jura loquuntur de ætate in ablativo cum præpositione, *in*, aut in accusativo cum præpositione, *ad*: *in anno vigesimo*, *ad annum vigesimum ætatis*. Illæ tamen Regulæ non tenent ubique.

2309 §. 4. Non datur hìc parvitas materiæ: hinc qui hodie priùs complet annum vigesimum quartum hora duodecima, non potest hoc manè ordinari Sacerdos, quia necdum attigit annum vigesimum quintum: poterit tamen etiam medio quadrante tantùm post duodecim, quia jam incæperit annum vigesimum quintum, non posset autem medio quadrante ante duodecim, quia quando ab illo, quod parum est, pendet impletio totius præcepti, & hic est, illum simili, si quis medio Ave ante vel post duodecimam noctis inter diem Jovis, & Veneris comedat carnes, Sanch. *dub.* 33. *à n.* 6. Gob. *n.* 516. 531. possuntque videri dicta in *l.* 1. *à n.* 582. ubi ostendi tempus in ejusmodi præceptis debere intelligi de momento ad momentum. Putant quidem aliqui cum Dian. *p.*5. *r.*5. R.17. & Averf. *q.* 2. *s.* 8. posse ordinari hodie manè, etiamsi post meridiem priùs incipiat annus vigesimus quintus, quia vespera diei trahitur ad manè, & cum eo facit unum diem, quo inchoatur annus vigesimus quintus, quam sententiam plures cum Gob. *n.*524. dicunt esse probabilem sed rectè contradicunt Nav. Villal. & supracitati, ob rationem jam datam.

2310. §. 5. Si quis sciat se hac die complere annum vigesimum quartum, sed nesciat, an ante vel post meridiem, ordinari non debet Sacerdos, quia non probat se habere ætatem requisitam: hinc præceptum prohibens ordinari ante annum vigesimum quintum manet in possessione, Sanch. Gob. *n.*531.

2311 §. 6. Cùm anni ad Ordines requisiti censeantur esse anni ordinarii constantes diebus 365 è contrà anni bissextiles recurrentes singulis quadriennìis habeant dies 366. hinc putant Pelliz. aliique apud Gob. *à n.* 534. quòd quando numeratur ætas pro Ordinatione, non sit opus connumerare illos dies bissextiles, ideóque cùm ille, qui anno 25. esset natus 1. Januarii, sexies vixerit annum bissextilem, inferunt illum prima Januarii complere annos 24. & 6. dies, adeóque posse ordinari etiam 5. diebus ante istam primam Januarii: quam sententiam licet Gob dicat esse practicè probabilem, tamen non videtur sustineri posse, 1. quia est contra praxin, & communem sensum omnium, quando enim multi anni computantur, hi numerandi sunt indiscriminatim, & civiliter, prout occurrunt & numerantur à populo, quamvis aliqui sint breviores, aliqui longiores isto uno die; duo enim illi dies habentur pro uno. 2. & præcipuè, quia dies intercalaris, qui adjicitur Februario quarti cujusque anni, est necessarius ad complendum unumquodque quadriennium, deerant enim 6. horæ unicuique è tribus præcedentibus annis, ergo dies ille intercalaris non est aliquid supra totum quadriennium, sed aliquid absolutè necessarium ad illud habendum, ergo illa prima Januarii reipsa plures non habebuntur quàm 24. anni.

§. 7. Si quis è libro baptismali nequeat habere testimonium ætatis, sufficit quòd parentes testentur, se notasse diem nati filii. Quòd si parentes dicant se tantùm recordari, & cum hoc eorum testimonio concordet filii vultus, vox, cæteraque signa, potest Episcopus credere & ad Ordines admittere, Dian. Gob. *n.* 501. notans nu. 529. quòd, ubi non possunt haberi alia testimonia, sufficiant conjecturæ, & indicia, item aliorum hominum testimonia, uti habet nu. 533. 2312

§. 8. Conferens vel recipiens etiam solam primam Tonsuram ante ætatem, peccat mortaliter, Sanch. *dub.* 33. *n.*16. Ordinatus etiam bona fide ante ætatem non potest exercere illum Ordinem nisi obtenta ætate, quando enim prohibetur Ordinatio ante talem ætatem, etiam consequenter prohibetur exercitium Ordinis ante illam, & quidem sub mortali, Averf. *q.*3. *s.*8. obtenta tamen ætate potest, nec indiget dispensatione. Quòd si mala fide & scienter processerit, simul incurrit suspensionem, à qua priùs debet absolvi; alioqui in ea exercens Ordinem fit irregularis, Averf. Castrop. *p.* 7. *n.* 7. Gob. *n* 502. Ordinatus Sacerdotio uno die ante expletum annum vigesimum quartum, putans nihil distare quoad parum distat, si fuerit ignorantia culpabilis, peccabit mortaliter: & quamvis Nav. Sa, Avil. Barb. & alii putent non incurrisse suspensionem, quia ab incursione talis pœnæ contra præsumentes impositæ putant excusare etiam mortaliter culpabilem ignorantiam, de quo dixi *l.* 1. *à n.* 767. tamen sub mortali tenetur non legere Missam, nec exercere Sacerdotalia ante legitimam ætatem, hac autem expleta, secundùm Hurt. Barb. Castrop. Burgh. *cent* 2. *cas.*2. & alios poterit Missam legere sine ulla dispensatione: si tamen suspensionem incurrisset, probabilius dicunt alii cum Averf. indigere absolutione. 2313

§. 9. Causæ ad dispensandum in ætate ad Presbyterium sunt, si tribus annis fuerit in Sacris Ordinibus, vel si parentes ejus sint adulti ultra 50. annos, vel si tribus annis studuerit Theologiæ; attamen nec Episcopi nec Nuntii Apostolici communiter habent facultatem dispensandi in ætate ordinandi, nequidem ad unum diem, S Anton. Sylv. & alii cum Sanch. *dub.* 36. *n.*18. Nunc tamen ex speciali privilegio dispensant Episcopi ad certum tempus, saltem pro Beneficio curato, ubi est necessitas vel utilitas Ecclesiæ. 2314

Q. 333 *Quid standum sit circa proclamationem, tonsuram & habitum ordinandi, item circa adscriptionem Ecclesiæ?* R. 8. 1. Quid statuerint aliquæ Diœceses circa proclamationes, dixi n. 2279. Trid. *sess.* 23. *c.*5. *de Ref.* vult publicè in Ecclesia fieri proclamationem 2315

Personæ sacro Ordine initiandæ, ut de illa haberi possint testimonia circa natales, vitam, mores &c. & idem statuit *Syn. Colon.* anni 1662. De Ordine c. 2. §. 7. vultque eas repeti ante singulos majores Ordines.

2316. §. 2. *Synodus Colon.* suprà §. 1. promulgat Constitutionem *Sixti V.* circa habitum & tonsuram: debet autem tonsura sive corona Sacerdotis esse par magnæ hostiæ: Clerici aut initiati Minoribus, parvæ hostiæ: Diaconi, paulò minor sacerdotali: Subdiaconi, paulò major clericali: Pastoris seu habentis curam animarum, paulò major sacerdotali: Prælati, paulò major pastorali. Quanta autem sit & ad quos pertineat obligatio gestandi habitum, & tonsuram, dictum est l. 4. nu. 1370. & plura addidi ibidem à n. 1371.

2317. §. 3. Trid. vult quemvis sacro Ordine initiandum alicui Ecclesiæ adscribi, sic enim habet sess. 23. cap. 16. de Ref. *Cùm nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, S. Synodus vestigiis sexti Canonis Conc. Calcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus imposterùm ordinetur, qui illi Ecclesiæ aut pio loco pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quòd si locum inconsulto Episcopo deseruerit, et Sacrorum exercitium interdicatur.* Et ex his verbis colligitur pœnam illam non incurri ipso facto, sed esse ferendam ab Episcopis, qui tamen passim in variis neque gravibus causis absentiæ dissimulant.

2318 *Q.* 334. *Quid sit dicendum circa preces, vel Missas, quæ in Ordinatione adjunguntur ab Episcopo?* R. §. 1. Episcopus secundùm Pontificale Rom. post Ordinationem dicit: *Singuli ad primam tonsuram vel ad quatuor minores Ordines promoti dicite semel septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, versiculis, & orationibus. Ad Subdiaconatum vel Diaconatum, Nocturnum talis diei. Ad Presbyteratum verò ordinati, post primam vestram Missam tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam de fidelibus defunctis dicite, & omnipotentem Deum etiam pro me orate. Quod illi devotè suscipiunt, & respondent se facturos.* Circa quæ.

2319 §. 2. Suar. Az. Less. Lay. & alii cum Aversa *q. 2. s. 13.* dicunt ista esse persolvenda sub mortali, quorum sententiam Steph. *t. 5. d. 4. n. 72.* dicit esse probabiliorem, quia Episcopus potest, & quando aliud non declarat censeri debet graviter imperare, cùm hæc materia sit gravis. E contrà Sot. Valent. Dian. Castr. Pelliz. Lohn. Gob. *in Exp. tr. 3. n. 713. & t. 8. n. 771.* dicunt esse tantùm obligationem decentiæ, non autem sub peccato, saltem non sub mortali, quia licèt sub mortali posset imperare, tamen cùm hactenùs id non declararint Episcopi, tenenda est benignior interpretatio, præsertim cùm sciant ordinatos satis oneratos esse Horis recitandis, & communiter aliis divinis Officiis satagendis. Quidquid sit, videtur saltem fore veniale, si id negligatur, nam imperativè injungitur ab Episcopo, qui sub veniali obligare potest ad materiam gravem, secundùm dicta l. 1. n. 668. essetque inordinatum Superiori in hoc non obtemperare.

2320 §. 3. Nocturnum, quod præscribitur Subdiaconis, & Diaconis, non necessariò est Nocturnum istius diei, quo fit Ordinatio, sed cujuscunque, quem Episcopus designat, Gob. *t. 8. nu. 772.* Missæ autem Presbyteris injunctæ non leguntur primis diebus impeditis, post primam Missam, sed diebus primis non impeditis, id est, quibus licebunt votivæ, & de Requiem, Sennyei *de Missa nu. 162.*

Q. 335. Quid notare debeat Neo-presbyter consecratus cum Episcopo? R. §. 1. Hunc ritum, & consuetudinem Ecclesiæ Romanæ esse licitum ac laudabilem, certum est, uti contra Dur. Sot. & alios rectè ostendunt Mendo *diss. 12. n. 50.* & Aversa *de Euch. q. 10. s. 2.* ita enim decrevit *Innoc. III.* observat Ecclesia, docent S. Th. & Catholici communissimè. 2321

§. 2. Neo-presbyter curare debet, ut verba consecrationis absolvat cum Episcopo, non ante, nec post: unde formare debet hanc intentionem, *si verba absolvero cum Episcopo, volo consecrare, alias non*: Si enim absolutè volens consecrare verba absolveret ante Episcopum, Episcopus nil consecraret, quod videtur inconveniens: è contrà si absolveret post Episcopum, ipse ordinatus nihil posset consecrare, quia nihil supereset consecrabile, ergo frustrà proferret formam volens consecrare, ita *Suar. Avers.* suprà, Gob. *t. 3. n. 116. & t. 8. n. 131.* Ad tollendum omnem scrupulum satis est, si Neo-presbyter conetur verba absolvere cum Episcopo, & velit facere, quod ibi vult fieri Ecclesia, aut sicut meliori modo fieri potest. Imò docet Gob. *t. 8. n. 132.* cum aliis contra Dicast. & Quitanadv. non esse obligationem saltem gravem, ut Neo-Presbyter consecret cum Episcopo, cùm nulla lex graviter obligans ostendi possit, attamen videtur esse standum consuetudini Ecclesiæ, & præscripto Pontificalis. 2322

§. 3. Potest Neo-presbyter hanc primam Missam, quam cum Episcopo legit, offerre pro altero, non aliter ac si solus legeret, reipsa enim consecrat, & substantialiter ponit Sacrificium, Gob. *t. 3. n. 117.* Attamen non videtur pro tali Missa accipere posse stipendium, tum quia petens censetur velle aliam cum omnibus ordinariis cæremoniis & actionibus ad altare peragendam, tum præcipuè, quia dubium est, an consecret, eo quòd fortè verba non absolvat cum Episcopo. 2323

Q. 336. Quandonam legi debeat alia prima Missa? Resp. De jure communi non est determinatum certum tempus. *S. Ignatius Loyola* scribitur ad sesquiannum expectasse, ut se meliùs præpararet, Gob. *t. 3. nu. 486.* In *Synodo Colon.* suprà c. 4. §. 9. statuitur: *Sacerdotes intra 40. dies ab Ordinatione sua juxta antiquam consuetudinem primitias suas celebrent: & si qui præscripto tempore id non præstiterint, denuntientur ac debitè puniantur.* 2324

Q. 337. Quid denique circa Ordinantes, & ordinatos sit notandum? R. De horum Officiis & obligationibus satis dictum est. Coronidis loco pono trium Sanctorum sententias. *S. Aug.* relatus à *Gratiano* in Decreto dist. 40. Cap. *Ante omnia*, dicit, *nihil apud Deum esse miserabilius, & tristius, & damnabilius, Officio Episcopi aut Presbyteri, si perfunctoriè agatur. S. Antonius* in Chronicorum opere tit. 11. c. 1. §. 4. de *S. Leone I.* Papa refert, *Eidem ad sepulchrum Beati Petri oranti, & jejunanti, & ut peccatorum suorum veniam Petrus impetraret, petenti, apparuit Petrus ipse dicens, Deprecatus sum pro te Dominum, & omnia peccata tua tibi dimisit: solummodò de manus impositione debet inquiri, id est, si bene vel aliter alicui manus imposuerit, scilicet conferendo Ordines vel Beneficia. S. Chrysostomus* Hom. 3. in Act. Apost. post medium ait, *Non temerè dico, sed ut affectus sum ac sentio, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant*: cujus assertionis suæ causas ibidem plures affert, & subdit: *Ne mihi dixeris igitur, Peccavit Presbyter, aut Diaconus, omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt.* 2325

LIBER SEXTUS,
PARS TERTIA.
TRACTATUS IV.

De Matrimonio.

PRiusquàm aggrediar materiam hujus tractatus, resolvendæ sunt aliquæ quæstiones velut præliminares.

1 *Quæstio* 1. *Quæ sit genuina significatio aliquorum terminorum, quorum erit frequens usus in his materiis?* R. §. 1. Matrimonium significat contractum, quo mas, & fœmina de præsenti tradunt sibi mutuum in sua corpora dominium ad usum humanæ generationis: hinc à Perez definitur; *conjunctio maritalis.* Dicitur autem *Matrimonium*, vel, quia communiter *matres facit*, vel quia est *matris munus*, inquit S. Aug. *l.* 19. contra Faustum; vel quia est præcipuè *matrum onus*, uti habet S. Th *in suppl. qu.* 44. *art.* 2. ipsi enim incumbit præcipuè fovere, gestare & educare proles. Alio nomine latinis, dicitur connubium, græcis γάμος à δάμω, quod *domare* significat, mutato δ in γ δάμος γάμος, ideò quia fœminas seu potiùs conjuges domat, Arcudius *de concord. occid. & orient. Eccl. l.* 7. *c.* 1. Et inde sunt nomina, monagamus, bigamus, polygamus; unius, duarum, plurium uxorum vir &c.

2 §. 2. Matrimonium dicitur *legitimum* sive *legale, ratum, consummatum. Legitimum* quod conformiter ad leges naturæ perficitur solo consensu contrahentium, quale est apud infideles, fuitque in lege naturæ & Judaïca. Et quamvis secundùm se exigat perpetuitatem aliquam, tamen ex causis dissolvi potest, uti dicetur à n. 402. *Ratum*, quando est Sacramentum, attamen carnali copula necdum consummatum, estque minùs solubile, quàm legale. *Consummatum*, quando jam est copula carnali perfectum, & tum est omninò insolubile quoad vinculum, quamvis solubile sit quoad torum.

3 §. 3. Per sponsalia ordinariè significatur *futurarum nuptiarum promissio* can. 1. 30. q. 5. *Dicta sunt à spondendo, nam mos fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores*, L. 2 ff. de sponsal. Et specialiter hìc requiritur, ut sponte fiant, atque ideò aliqui putant, sponsalia dici à *sponte* promittendo. Quandóque per sponsalia intelligitur Matrimonium ipsum, & sponsalia de præsenti dicuntur Matrimonium ratum; conjuges autem in Matrimonio, dicuntur sponsi de præsenti, Sanch. *l. d.* 1. *n.* 1.

4 §. 4. Nuptiæ sæpè idem significant, quod Matrimonium, hinc *L. 1. ff. de ritu nuptiarum*, dicitur: *Nuptiæ sunt conjunctio maris, & fœminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio.* Dicuntur nuptiæ, eò quòd puellæ nupturæ pudoris gratia se velo, quasi nube, obtegebant, *Catech. Rom.* hìc *c.* 1.

5 §. 5. Per conjuges significantur mas, & fœmina conjuncti Matrimonio, quod dicitur conjugium à conjungendo, quia uxor, cum viro quasi uno jugo adstringitur, *Catech. Rom.* suprà. Propriè autem loquendo *uxor & maritus* dicuntur illi, qui sunt conjuges in Matrimonio, nihilominùs, quando lex in favoralibus loquitur de sponsis, uxore, marito, per sponsos intelliguntur etiam illi, qui sunt in Matrimonio rato, sed nondum consummato, per uxorem autem, & maritum etiam intelliguntur Sponsi de futuro: E contrà in odiosis per uxorem, & maritum intelliguntur illi soli conjuges, qui consummarunt Matrimonium, nisi obstet peculiaris ratio petita ex verbis, vel aliunde, propter quam prudenter judicetur intelligi etiam alios, Sanch. *à n.* 2. Gob. *tr.* 10. *à n.* 2.

§. 6. In antiqua lege, in qua licebat viro habere plures legitimas conjuges, illæ dicebantur uxores, quæ assumebantur ad generationem prolis, & gubernationem domus. E contrà illæ dicebantur concubinæ, quæ tantùm ad generationem prolis assumebantur. In nova lege, & sæpè in Jure canonico apud Krimer quæstionum canonicarum *l.* 4. *a n.* 571. uxores dicuntur, quæ copulantur cum omnibus solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis. E contrà concubinæ dicuntur, vel quæ verè copulatæ sunt sine accidentalibus solemnitatibus Ecclesiæ, vel quæ sine ullo Matrimonio domi retinentur ad libidinem, & concubinas in hoc secundo sensu nullibi approbant Canones. 6

§. 7. *Divortium vel à diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt Matrimonium*, L. 2. ff. de divort. & repud. vel potiùs dicitur à *divertendo*, quia ab invicem discedunt. Reliqua per decursum explicabuntur. 7

Q. 2. *Quinam sint præcipui hæreticorum errores, & quænam doctrina Scripturæ, ac Conciliorum circa Sacramentum Matrimonii?* A. §. 1 Multi hæretici, item aliqui politici seu potiùs athei dicunt Matrimonium non esse necessarium, eò quòd licitus sit concubinatus, & pro hoc abutuntur variis textibus Juris, etiam canonici, ubi videtur approbari: sed *n.* 6. dixi, quo sensu accipiatur concubinatus, quando dicitur licitus. De soluto autem concubinatu dicit Trid. *sess.* 24. *de reform. Matr. c.* 8. *Grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravissimum verò & in hujus magni Sacramenti contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, &c.* Vultque eos omnes excommunicari, & tales mulieres plecti ac præscribi. 8

§ 2. Simon Magus, Marcio, aliique apud Aversam *hic q.* 1 *s.* 1. negarunt Matrimonium ejusque usum esse licitum, & Apostolus 1. ad Timoth. 4. v. 3. prædixit, fore hæresin *prohibentium nubere*, sed error ille confutatur, imprimis ex asserta per Scripturas institutione Matrimonii Genesis 1. & 2. & ex pluribus aliis Scripturis, ex quibus sequitur etiam Matrimonii usum, qui est ejus finis, etiam esse licitum, & ideò Apost. 1. ad Corinth 7 v. 5. ad vitandam fornicationem mandat Matrimonii usum, paretque idem tum ex necessitate ad propagandum genus humanum, tum ex sensu totius Ecclesiæ 9

§. 3. Antiqui hæretici cum Simone Mago negarunt Matrimonium esse à Deo institutum: docebant enim à Deo permitti promiscuum usum cujuscunque fœminæ. Luth. Calv. & plerique recentiores hæretici fatentur quidem Matrimonium esse à Deo institutum, sed negant esse elevatum ad caudandam gratiam, adeóque volunt non esse Sacramentum, uti fusè refert Bellarm. *to* 3. *contr. l. de Matr. c.* 1. sed hæretici antiqui clarè convincuntur ex Scriptura, quæ Matth. 19. v. 6. dicit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quamvis autem pertinaciâ recentiorum non possit clarè expugnari per solum verbum Dei scriptum, uti constat ex illis, 10

quæ

quæ adducit Bellarm. *c.*2. tamen sufficit nobis verbum Dei traditum ex testimonio tum Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, tum antiquissimorum PP. quos refert Bellarm. *c.* 3. & 4. Et accedit definitio Ecclesiæ per Florentin. *post sess. ult.* in Decreto *Eugen. IV.* ad Armenos, ubi ait *Septimum Sacramentum est Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia secundùm Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Trid. autem *sess.* 24. *can.* 1. ait: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit*, v. Aversa. *qu.* 1. *s.* 3. Communior autem sententia Theologorum est cum Sanch. *l.* 2. *d.* 4. quòd Matrimonium pro lege naturæ institutum sit Genesis 1. v. 28. *Masculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait; crescite & multiplicamini, & replete terram.* Pro lege scripta confirmatum est Deuter. 25. v. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus eorum absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.* Pro lege gratiæ evectum est ad rationem Sacramenti, Matt. 19. *Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Vide Kugler. *de Matrim. à n.* 16.

Objicies. Nullum Sacramentum pugnet cum virtute, aut cum alio Sacramento, sed Matrimonium pugnat cum continentia, & cum Sacramento Ordinis sacri, ergo. Resp. n. min. nam imprimis continentia conjugalis convenit Matrimonio, virginalem autem non contemnit, sed prætermittit, quia non est obligatio semper sequendi perfectiora. Deinde de se non excludit Sacramentum Ordinis, nam etiam conjugati ordinantur, sed Ordines sacri propter decentiam majorem postulant abesse Matrimonium, non ratione sui, sed status & usus, qui minùs convenit sacris functionibus.

11 §. 4. Valentinianus Imperator alioqui Catholicus, ut posset plures simul habere uxores, decrevit polygamiam esse licitam. Errorem illum secutus est Lutherus apud Bellarm. *suprà c.* 10. dicens, id à Deo prohibitum non esse. Idem tenuerunt plures apud Pignat. *in novissimis consult.* 118. Sed Trid. *can.* 2. ita definivit: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Ex quo Canone aliisque tum Conciliis, tum Canonibus apud Mendo *in Statera diff.* 14. *n.* 36. Aversa. *qu.* 14. *sect.* 1. Pignat. *tom.* 1. *cons.* 115. *n.* 6. videtur certum contra Caj. dispensare non posse Papam, ut quis habeat plures uxores. Manet tamen controversum, qua lege divina id prohibitum sit. Bellarm. *c.* 11. putat, lege divina naturali, in qua Deus post diluvium dispensarit pro antiquo testamento cum Hebræis ad multiplicandum fidelem populum, quam concessionem aliqui putant etiam extensam esse ad Gentes, ad propagandum genus humanum diluvio universali imminutum; quæ causæ nunc cessant, ideóque nequidem gentilibus licita nunc est polygamia. Videri potest Aversa, qui dicit, Deum eo tempore tantùm mutasse materiam Juris naturæ, in quantùm uni viro dederat potestatem tradendi, & acquirendi dominium corporum respectu plurium uxorum, sicuti cum Hebræis non dispensavit in furto, sed dederat potestatem in bona Ægyptiorum. Videri etiam potest Mastrius n. 55. ubi dicit polygamiam plurium virorum cum una muliere nunquam esse permissam à Deo, attamen permitti posse, si Deus impediret inconvenientia ex ejusmodi copulis aliàs oritura, v. g si faceret non impediri generationes per confusionem seminum, sed tot nasci proles, quot viri talem mulierem cognoscerent.

§. 5. Luth. Calv. Kemnit. & alii apud Bellarm. *c.* 5. 12 docuerunt, Matrimonium etiam consummatum, esse quoad vinculum solubile. Alii dixerunt Matrimonium tantummodò ratum non esse solubile, nequidem per professionem religiosam. Alii, quos refert Bellarm. *c.* 14. dixerunt manente Matrimonio quoad vinculum non posse fieri divortium quoad torum. Sed omnia opposita sunt de fide, nam *Florent.* suprà enumerans Matrimonii *tertium* bonum, inquit, *est indivisibilis Matrimonii, propter hoc, quòd significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ: quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est cùm Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Trid. Can. 5. ait. *Si quis dixerit propter hæresin aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Can. 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.* Can. 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Et hæ veritates Catholicæ videri possunt ex Verbo Dei, SS. PP. & ratione probatæ apud Bellarm. *c.* 14. *& seqq.* Et quidem Matrimonium ratum solvi per vota solemnia Religionis, pluribus probat Bellarm. *tom.* 1. *l.* 2. *de Monachis c.* 38. Licere autem conjugibus se toro separare, & ex mutuo consensu vovere continentiam, probat *ibid. c.* 37. Plura de indissolubilitate addentur posteà *à n.* 402.

§. 6. Luth. Calv. aliique hæretici apud Bellarm. 13 *suprà de Monachis c.* 6. docuerunt, statum Matrimonii esse æquè perfectum ac statum virginitatis aut cœlibatus, nec aliquid majoris perfectionis habere consilia, quæ vocamus evangelica; sed damnantur à Scriptura 1. ad Corinth. 7. v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*; quod ipsum pluribus ibi asseritur. Hinc Trid. *sess.* 24. *Can.* 10. ait: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi Matrimonio anathema sit.* Potestque hæc veritas catholica videri etiam ex aliis Conciliis, PP. & ratione probata apud Bellarm. *suprà c.* 7. *& seq.* & speciatim circa professionem status continentiæ *c.* 22. *& seq.* An autem, si omnes Laici periissent, Religiosi & Clerici tenerentur inire Matrimonium, videri potest Aversa. *q.* 1. *sect.* 2. *§. ult.*

§. 7. Luth. aliique hæretici, quos refert Bellarm. 14 *suprà de Matr. c.* 21. *& seqq.* docuerunt, perperam ab Ecclesia constituta esse impedimenta dirimentia Matrimonium, ac speciatim aliqua consanguinitatis, & affinitatis; item illud de voto solemni; sed damnantur à Trid. Can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Can. 3. *Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui*

qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit. Can. 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, & oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui consentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit, cùm Deus id rectè petentibus non denegat, ne patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.* Possuntque errores illi videri pluribus confutati apud Bellarm. *suprà.*

15 §.8. Calv. & Kemnit. apud Bellarm. *tom. 3. de Matr. c.* 31. reprehendunt Ecclesiam, eò quòd observet tempora Matrimonii contrahendi, certas cœremonias & benedictionem in eo contrahendo; sed damnantur à Trid. Can. 11. *Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tirannicam ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.* Et hunc quidem benedictionis usum esse antiquissimum, demonstrat ex Conciliis, & SS. PP. Aversa. *q.* 20. *s.* 1.

16 §. 9. Novatiani, Montanistæ, Tertullianus damnarunt secundas nuptias, sed certum est esse licitas, non tantùm secundas, sed & tertias, aliasque plures, quia nullo jure prohibentur, imò & positivè permittuntur à Conciliis & SS. PP. apud Arcud. *l.* 7. *c.* 27. & 29. Quod autem in quibusdam Conciliis pœna imponatur sæpiùs nubenti, ideò est, quia plures nuptiæ plerumque sunt signum incontinentiæ: de cætero Apostolus ad Rom. 7. v. 3. ait: *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Prima ad Corint. 7. v. 9. loquens de non nuptis, & de viduis, *quòd si non se continent, nubant*, & v. 39. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*, 1. ad Timoth 5. loquens de viduis, *volo ergo juniores nubere*; si nempe sit periculum incontinentiæ. Et quòd viduæ, idem viduo licitum est, quia quoad ista sunt pares, uti rectè Arcud. suprà *s.* 2. Quomodo verò secundæ nuptiæ, quamvis prohibitæ non sint, tamen etiam in Jure sint odiosæ, ac passim improbentur, adjectis etiam quibusdam quasi pœnis, latè habet Tiraquell. *tom. 4. tr.* 4. ad L. Boves *à n.* 141. & breviùs Krimer *à n.* 1807. Denique secundas ejusmodi nuptias esse verè Sacramentum, videtur esse de fide, cùm sint verissimum Matrimonium inter fideles initum ex intentione Sacramenti. *Nec obstat*, quòd tale Matrimonium sive bigamia non repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, *nam* secundùm se consideratum præsentat. cùm sit conjunctio unius cum una, quamvis consideratum respectivè ad prius conjugium id non repræsentet, sed hoc non obstat rationi Sacramenti, cùm absolutè & secundùm se consideratum habeat rationem habeat.

17 *Q. 3. Quis sit Judex competens in causis matrimonialibus?* Resp. §. 1. Causæ de dote, sponsalitia largitate, alimentatione, successionibus hæredibus, pertinent ad forum civile, sunt enim merè temporales, Bellarm. suprà *de Matr. c.* 3. Sanch *l.* 10. *d.* 8. *n.* 15. Aversa. *q.* 9. *s.* 1. Rectè tamen notant multi cum Delb. *de immun. Eccl. c.* 10. *d.* 6. *s.* 3. & Sperell. *dec.* 1. *nm.* 15. & *dec.* 138. *à n.* 107. Judicem ecclesiasticum, postquàm cognovit principaliter de Matrimonio, posse incidenter, & accessoriè, cognoscere de causa dotis per Cap. *de prudentia*, De donation. inter vir. & uxor. Item si causa sit pia, uti si puella sit pauper, & requirat Judicem ecclesiasticum, Cap. *Per tuas*, Qui filii sint legitimi. Similiter docent cum multis contra alios multos Sperell. *n.* 17. & Delb. *s.* 5. posse etiam Judicem ecclesiasticum, si requiratur, causa pietatis cognoscere de alimentatione præstanda spurio. Item *s.* 7 docet Delb. si hæredes intra annum non exequantur legata, etiam profana, posse etiam apud Judicem ecclesiasticum conveniri ratione pietatis; quia defunctus est persona miserabilis, quæ se juvare non potest. Et ex illis, quæ habet Sperell. *in dec.* 156. & 158. item Pignat. *tom. 3. cons.* 24. probatur pupillos, viduas, virgines, item mulieres habentes viros tantùm inutiles, posse confugere ad Judices ecclesiasticos; sunt enim tum causæ piæ.

§. 2. Si agatur de valore vel invaliditate sponsa- 18
lium, pertinet ad solum forum ecclesiasticum, quia ratione finis, qui est Sacramentum Matrimonii, causa est spiritualis, Abb. Rosell. Palud. Sanch. Sperell. *d.* 1. *n.* 12. De dissolutione sponsalium dicetur n. 215.

§ 3. Ex Cap. *Tuam*, de ordine cognitionum constat, 19
quòd causæ circa proclamationes, contractum, valorem, partes Sacramenti Matrimonii, benedictionem sacerdotalem, & similia, pertineant ad Judicem ecclesiasticum: & de his intelligitur *Trid. sess.* 24. *can.* 12. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit.* Per Judicem autem Ecclesiasticum intelligitur hìc Episcopus, vel cui ille committit, nam *Trid. sess.* 24. *de ref. c.* 20. ait: *Causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini, & jurisdictioni relinquantur.* Hinc si quæratur, an hoc vel illud Matrimonium sit licitum aut validum, id spectat ad Episcopum, ita ut invalida sit decisio aliorum, etiamsi partes in alios compromittant, Cov. Tann Sperell. *dec.* 9. *n.* 9. & *dec.* 8 *n.* 50.

§ 4. Harum causarum cognitionem potest Episco- 20
pus etiam inferioribus Prælatis delegare. Vicarius autem generalis non potest has causas cognoscere sine speciali commissione, Barb. *de potest. Epis. alleg.* 54. *n.* 94. Krimer. *n.* 1508.

§. 5. Causæ de gradibus cognationis, divortiis, 21
impedimentis, principaliter pertinent ad Judicem ecclesiasticum quamvis in quantùm concernunt naturales contractus, possint etiam pertinere ad sæcularem, Bellarm. suprà sed notat Pignat. *tom.* 8. *cons.* 111. in talibus legem civilem debere cedere ecclesiasticæ; & ita quamvis Justinianus permiserit conjugia consobrinorum, tamen Canon *Quædam lex*, 24. *q.* 3. id rejicit, & observari debet Canon ille.

§. 6. Putant Anchar. Abb aliique Juristæ com- 22
muniter cum Marta, quando agitur de possessorio Matrimonii, laicum posse esse Judicem, quia an Matrimonium de facto fuerit (quod regulariter habetur ex attestatione Parochi adeóque manu teneri debeat, est res purè facti, quæ Matrimonii valorem non attingit, ideóque omnem possessionem cujuscunque rei spiritualis, v. g. Beneficii, esse aliquid facti, ac pertinere etiam ad Judicem civilem, docent aliqui ex Cap. *Cùm nostri*, De concess. præb. ubi refert Delb. *c.* 7. *s.* 7. *s.* 1. Addunt aliqui apud Sperell. *dec.* 9 *n.* 2. licèt Matrimonium prout est Sacramentum sit res spiritualis, attamen prout est contractus, esse quid civile, idcóque etiam ad Judicem sæcularem pertinere conjuges ad mutuam fidem servandam compellere. Oppositum tenent, Covar. Delb. *c.* 10. *d.* 5. & Canonistæ communiter. Rationem dat Sperell. *dec.* 8. & 9. tum quia, ad quem spectat causa principalis, etiam spectat accessoria. *l. Nulli* Cod. de judiciis *c.* 1. de causa possess. & propriet. tum maximè quia in causa de possessorio semper probari debet titulus saltem colloratus, hujus autem probatio in hac materia, secundùm

cundùm omnes, ſpectat ad ſolum Judicem eccleſiaſticum.

23 §. 7. Si agatur de aliquo puniendo, v.g qui clandeſtinè vel ſine proclamationibus vel cum impedimento Matrimonium iniit, quamvis ad forum eccleſiaſticum ſpectet declarare, an clandeſtinitas intervenerit, tamen ſuppoſita aliunde notoria illorum certitudine putant Sanch. Tann. Gob. Loth. Krim. *n.* 1509. & alii, cauſam punitionis eſſe fori mixti, & poſſe præveniri à foro civili, ut ſit in aliis contractibus civilibus, quia Matrimonium olim fuit contractus civilis, neque videtur adhuc conſtare, quòd quoad iſta deſierit eſſe ſubjectus Juriſdictioni civili, adeóque forum civile videtur manere in poſſeſſione, quamvis contradicant Decius & alii, eò quòd ille contractus jam ad rationem Sacramenti ſit à Chriſto elevatus. Putant tamen multi, Judicem ſæcularem cogere poſſe ad ſervanda ſponſalia, uti cogere poteſt ad ſervandam fidem aliorum contractuum, quamvis juramento ſint confirmati; & univerſaliter docent Averſ. *q.* 6. *ſ.* 8. & Pignat. *t.* 8. *conſ.* 87. Principes ſæculares poſſe per leges pœnales coadjuvare leges eccleſiaſticas, ſic enim videmus per eos conſtitui pœnas contra blaſphemos, perjuros, hæreticos, maximè cùm ſpectet etiam ad gubernationem civilem, ut omnia etiam circa ſponſalia, & Matrimonia ritè obſerventur. Imò poſſe Judicem ſæcularem per cenſuras compelli ad aſſiſtendum Judici eccleſiaſtico requirenti, docent Far. Men. Barb & alii cum Pignat. *t.* 9. *conſ.* 130. *n.* 89. Quòd ſi attingatur cauſa ſanguinis, ſolus laicus eſt Judex competens, quia Clericis prohibetur, ne attingant cauſas ſanguinis. Quinam ſit Judex in cauſa concubinatus, non convenit inter Doctores. Pignat. *to.* 9. *conſ.* 139. *à n.* 84. putat etiam ad forum civilem pertinere, hinc multi dicunt dari locum præventioni, adeóque eſſe mixti fori. Videri poſſunt multa de hoc apud Pignat. tota illa conſultatione.

24 §. 8. Si laicus in delicto mixti fori ſit à Judice eccleſiaſtico condemnatus vel abſolutus, non poteſt à Judice laico propter idem delictum moleſtari, uti latè probant Sperell. *dec.* 134. & Pignat. *tom.* 5. *conſ.* 44. Hoc tamen non obſtante docet cum aliis Sperell. *dec.* 92. & 137. *n.* 48. ſi Judex laicus prævenerit, & pœna temporali punierit, poſſe Eccleſiaſticum adjicere eccleſiaſticam, & v.g. excommunicare. Hinc etiam Krimer *n.* 582. & alii dicunt, ſi Judex laicus mulctarit concubinarium, poſſe Eccleſiaſticum eundem corrigere, qui licèt punitus in uno judicio, non debeat puniri in alio, tamen quando unus Judex tantùm agit ad punitionem, uti facit laicus, Judex Eccleſiaſticus, qui non tam agit ad punitionem, quàm ad correctionem, non ideò debet cenſeri per præventionem excluſus.

25 §. 9. Si agatur de divortio, quoad vinculum, ſolus eccleſiaſticus eſt Judex. Can. *Sæculares* 35. *q.* 6. Can. *Multorum* 35. *qu.* 6. Cap. *Per venerabilem.* Qui ſint filii legitimi Cap. *Tuæ fraternitatis*, De procuratoribus. Cap. *Porrò*, & Cap. *De illa.* De divortiis, ubi dicitur, ſi etiam parentela eſſet publica & notoria, abſque judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non poterit. Etiam quando agitur de divortio, quoad torum tantùm aut habitationem, ratione hæreſis vel adulterii, adeundus eſt ſolus Judex Eccleſiaſticus, Sanch. *l.* 10. *d.* 8. *n.* 15 Caſtrop. *d.* 3. *p.* 6. §. 5. Gob. *in Quint. tr.* 5. *c.* 36. niſi alicubi eſſet conſuetudo contraria, ſicuti ſolet Judex laicus ſe informare de ſævitia mariti &c. Et quia ſecundùm ante dicta, ſi cauſa principalis ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum, etiam ad eum ſpectat acceſſoria, ſequitur, ſi Eccleſiaſticus decideret de valore Matrimonii, ad eum ſpectare etiam agere de cauſis divortii, de conſtituenda vel reſtituenda dote, Sperell, Gob Loth, Delb. Crimen polygamiæ ſpectare ad forum eccleſiaſticum, demonſtrat Pignat. *tom.* 1. *conſ.* 115. & *in noviſſimis conſult.* 118.

§. 10. Quamvis ſecundùm dicta n. 17. cauſa dotis ſpectare poſſit ad Judicem laicum, etiam quando per 26
ſe, & principaliter agitur cauſa dotis reſtituendæ poſt divortium, putat tamen Krimer *n.* 1793. quandiu lis pendet apud Judicem eccleſiaſticum ſuper cauſa divortii, non poſſe laicum ſe ingerere pro muliere in dotis repetitionem, niſi ab eccleſiaſtico priùs fuerit deciſum, quòd mulier juſtè divertat ob culpam viri, Sanch. *l.* 9. *d.* 4. De Luca *de Matrim. diſc.* 11. Quis Epiſcopus judicare debeat de divortio, dicam n. 430.

§. 11. Circa clericum conjugatum, an gaudeat pri- 27
vilegio fori eccleſiaſtici, videntur tenenda ſeqq. ex illis, quæ fusè diſputat Pignat. *tom.* 1 *conſ.* 45. 488. *tom.* 2. *conſ.* 42. *tom.* 4. *conſ.* 6. *tom.* 5. *conſ.* 61. *tom.* 9. *conſ.* 21. 36. 39. nempe 1. non gaudet, niſi authenticè probet ſe initiatum Tonſura: ſe poſt Matrimonium retinuiſſe habitum, & Tonſuram, aut Clericatum reaſſumpſiſſe: ſe duxiſſe unicam eamque virginem. De variis probationibus Clericatus agit fusè Pignat. *tom.* 9. *conſ.* 45. 2. Si quis, poſtquam fuit judicio laicali ob crimen ſubjectus, ſuſcipiat Tonſuram, clericatus non prodeſt ipſi quoad bona, fortè nec quoad perſonam, cùm res præventa ſit, & Clericatus ſubſecutus non invenerit perſonam liberam, ſed jam affectam tribunali laico. 3. Si habitum, & Tonſuram dimiſerit, & hæc non reaſſumpſerit, præſertim pluries ab Epiſcopo monitus, privari poteſt privilegio Clericali. 4. Si in habitu ſæculari, comprehenſus ſit à Curia ſæculari, remanere debet ſub poteſtate ſæculari, donec definiatur an gaudeat privilegio fori. Hoc autem definire ſpectat ad Judicem eccleſiaſticum, citato Judice laicali. 5. Filius clerici conjugati, quamdiu pater vivit etiam gaudet privilegio fori cum illo, Pignat. *tom.* 1. *conſ.* 99. & 463. qui cum aliis idem extendit etiam ad uxorem, cum ejus conſenſu maritus ſacrum Ordinem ſuſcipit, ſunt enim una caro: & univerſum ratione Matrimonii mulier ſequitur forum viri. L. fin. Cod. De incol. L. *Cùm quidam*, ff. de juriſd. omn. Jud. L. *Ea, quæ deſponſata*, ff Ad municip.

§. 12. Si conjuges ſint infideles, cauſæ matrimonia- 28
les eorum ſpectant ad Judicem ſæcularem, quia Eccleſia non judicat de extraneis. Si autem eorum unus convertatur ad fidem Sanch. *l.* 7. *d.* 3. *n.* 9 putat, ſi fidelis litem moveat, debere fieri apud Judicem laicum; ſi infidelis, apud eccleſiaſticum, quia actor debet ſequi forum Rei: è contrà Pontius *l.* 6. *c.* 1. *n.* 6. dicit, quamvis infidelis ſit actor contra fidelem, interpellandum Judicem laicum, quia tale Matrimonium remanet in ratione puri contractus humani; & hoc verum eſt, ſi litigetur de primo valore vel rebus ſpectantibus ad illum primum contractum: ſi tamen agatur de diſſolutione talis Matrimonii, cauſa ſpectabit ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum, non ideò, ut vult Aver. *q.* 9. *ſ.* 1. quaſi Matrimonium reſpectu fidelis tranſeat in Sacramentum, ſed ideò, quia ſecundùm dicenda à n. 405. Chriſtus ſoli Eccleſiæ in favorem fidelium dedit poteſtatem tale Matrimonium diſſolvendi.

§. 13. Ad agendum in cauſis matrimonialibus ſuffi- 29
cit, ſi procurator habeat mandatum generale, uti cum aliis contra alios tenet Sperell. *dec.* 25.

§. 14. Eſt hic obiter notandum, quòd Aſſeſſor Judi- 30
cii mixti, in quo tractantur cauſæ civiles, & eccleſiaſticæ, poſſit eſſe etiam uxoratus, ſic tamen, ut cauſæ ſpirituales non committantur laico, ſed ſoli eccleſiaſtico: & quamvis laici poſſit conſuli aut etiam referre in cauſa eccleſiaſtica, ac etiam accedente Epiſcopi conſenſu, ſecundùm aliquos authores, poſſit in eos ſimul cum clericis tanquam arbitros compromitti,

mitti, Cap. *Per tuas* 9. De arbitris, quia consilium dare, aut arbitrium proferre non sunt actus Jurisdictionis spiritualis, Clarus, Mol. VViestner *Instit. Canon. l. 1. tit. 29. n. 29.* Item quamvis laicis ab Episcopo delegari possint causæ pecuniariæ, & aliæ similes merè civiles Clericorum & Ecclesiarum, Gloss. in Cap. *Decernimus. 2.* De judiciis, *Abb. Laym. Barbo. VViestn. n. 31.* tamen Cap. *Decernimus*, expressè dicitur, non debere Prælatos negotia ecclesiastica committere laicis tractanda: hinc Fagnan. in Cap. *Contingit*, De arbitris, pag. 609. ait; Laico non potest delegari causa spiritualis, nisi per Papam; & Glossa ad finem, v. *sed in laicum*, idem habet: unde Conc. Calcedon. relatum Cap. *Si quis*, de foro compet. dicit, quòd Episcopi deligere possint alios Judices, intelligit Glossa, ecclesiasticos, Pirh. *l. 2. tit. 2. §. 3. n. 71.* Fagnan. in cap. *Si quis, n. 7.* Ideóque Clericus non potest sibi constituere Judicem laicum, etiamsi Episcopi & Adversarii consensus accedat, sed ad hoc requiritur auctoritas Papæ. nam inquit *VVanger.* in Cap. *Contingit* Concilium dicit, *prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur, sicut non convenit laicum judicare de spiritualibus, &c.* Quòd si contraria est alicubi consuetudo, dicendum videtur, esse ex defectu Ecclesiasticorum qualificatorum, aut accessisse concessionem Papæ.

31 §. 15. Si Judici ecclesiastico in hac materia controvertatur sua jurisdictio, potest ipsemet de hoc jure suo cognoscere, uti ex jure, authoritate, & ratione probat Sperell. *dec. 133.*

32 §. 16. Si agatur de valore Matrimonii aliisque similibus, tractari debet summariè, de plano, ac sine strepitu Judicii; si autem agatur de adulterio, sive criminaliter, sive civiliter opus est processu ordinario, uti pluribus Krimer *à n. 2449.* Quandonam dicatur agi criminaliter, vel civiliter, dicam n. 432.

33 *Q. 4. Quis sit accusator vel testis competens in causis matrimonialibus*; R. § 1. Qui ob turpem quæstum accusat vel impedire quærit Matrimonium, non auditur, Cap. *Significante, 5.* Qui Matrim. accusare. Et ratio redditur, quia malitiis hominum non est indulgendum: quod valet de omni pravo fine: item de illo, qui sciens impedimentum, non denuntiavit, nisi probet se tum justè tacuisse, Cap. *Cùm in tua*, ibid. Ex quo habetur sufficere, si juret, se primò posteà intellexisse, & nunc manifestare non ex malitia.

34 §. 2. Si accusatio fiat circa impedimenta, quæ ipsi contrahentes removere, aut soli scire possunt, uti sunt servitus, error, defectus, consensus, impotentia, soli contrahentes sive conjuges accusare possunt; in aliis possunt etiam alii, per se loquendo: cæterùm qui scientes, & tacentes Matrimonium invalidè contraxerunt, non sunt contra illud ulteriùs audiendi, c. 1. ibid.

35 §. 3. Accusare ad separationem tori competit soli conjugi innocenti. Si maritus noluit uxorem adulteram accusare, admittitur pater adulteræ & cæteri cognati; imò & quandóque externi: non ita facilè admittitur uxor accusans virum de adulterio, quàm vir uxorem.

36 §. 4. Qui Matrimonium contractum accusare possunt, admittuntur etiam ut testes contra illud: attamen, per se loquendo, voce præsentes debent exponere de impedimento. Hactenùs dicta pluraque alia videri possunt ex jure deducta apud Krimer *à n. 1485. & 1500.*

37 *Q. 5. Quid notandum sit in materia de Matrimonio circa propositionem 1. damnatam ab Innoc. XI.*? R. Propositio illa sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Circa quam, pro materia Matrimonii, notanda sunt sequentia cum communi ex Gob. *tr. 10. à n. 732.* & Cardena *in 2. crisi disp. 2. à n. 514.*

§. 1. Ex damnatione illius propositionis sequitur, 38
illicitum esse contrahere Matrimonium sequendo opinionem tantùm probabilem de illius valore relicta tutiore, quæ ad valorem præterea requirit aliquid, quod non observatur, nisi accedat aliquid, ex quo valor talis Matrimonii reddatur sufficienter certus: quamvis enim *Filguera* explicans hanc propositionem damnatam putet non prohiberi praxin illius in rebus, quæ non sunt de Jure divino, sed tantùm de Jure ecclesiastico, uti sunt multa in materia Matrimonii; sententia tamen illa rejicitur ab omnibus, & ratio est, quia finis damnationis erat, ne Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, cui exponitur, quando aliquid omittitur, quod ad valorem requiritur, etiam de jure tantùm ecclesiastico.

§. 2. Dubium, quod in his materiis potest occurrere, 39
est, vel Juris vel facti; tum est Juris, quando dubitatur, de lege, v. g si dubitetur, an detur lex, quæ prohibeat Matrimonium clandestinum. Dubium facti est, quando dubitatur de aliquo alio, quàm de lege, uti si dubitetur, an prior maritus sit mortuus, an hoc vel illud impedimentum sit contractum. Simili modo explicari debet duplex probabilitas vel certitudo, nempe juris aut facti, quando probabile vel certum est dari vel non dari legem; aliquid distinctum à lege vel non esse factum.

§. 3. Qui habet probabilitatem facti vel præsump- 40
tionem de eo, quod existat impedimentum, nullam autem probabilitatem vel præsumptionem de carentia impedimenti, illicitè contrahit: similiter qui habet meram probabilitatem facti, nullam autem certitudinem de carentia impedimenti, etiam ordinariè saltè, illicitè contrahit, quia agendo, quod est minùs tutum, exponit Sacramentum periculo nullitatis. *Dixi*, ordinariè saltem, propter dicenda n. 42. 414. 538. 795.

§. 4. Quando in quæstione facti ex conjecturis utrin- 41
que probabilibus resultat purum dubium, si hoc dubium sit vincibile, est illicitum contrahere, donec ita vincatur dubium, ut stet certitudo pro carentia impedimenti, alioquin Sacramentum adhuc exponitur periculo nullitaris, cùm aliunde non accedat certitudo de valore. Si autem resultet dubium omninò invincibile, contrahi potest Matrimonium, quia possessio tum est pro libertate, ideóque communiter docent Auctores, quòd tale impedimentum tum desinat, uti habet Sanch. *l. 8. d. 6. n. 18.* Attamen excipe si sit possessio pro impedimento, v. g. quando dubium est invincibile circa viam prioris conjugis, uti dicetur à n. 672.

§. 5. Quando est vera probabilitas Juris, sive, quan- 42
do circa valorem Matrimonii vel dispensationis sunt opiniones verè probabiles, id est, tales, quæ communiter admittantur à DD. tanquam probabiles, neque in praxi rejiciantur à Curia Romana, versenturque circa valorem Matrimonii vel dispensationis, cum tali probabilitate licitum est contrahere Matrimonium: v. g. lex est, quòd cognatio spiritualis cum matre infantis contrahatur à Patrino, item, quòd Matrimonium contrahi debeat coram Parocho & testibus, item, quòd debeat esse consensus liber; tamen etiam probabile est, cognationem spiritualem non contrahi, si Baptismus sit privatim collatus ob necessitatem, & periculum vitæ infantis; item probabile est, quòd quando Matrimonium initum est coram Parocho invito, aut initum est cum metu reverentiali, sit validum: cum tali probabilitate licitum est, & patrino posteà inire Matrimonium cum matre talis baptizati, & contrahere coram Parocho invito, & consummare, quamvis una pars contrahat ex

metu reverentiali. Atque idem est de similibus opinionibus; ratio autem est, quia valor certus talibus Matrimoniis accedit ex approbatione aut dispensatione Ecclesiæ, quod convincitur partim ex consuetudine Ecclesiæ, quæ in Tribunalibus suis sæpè declaravit Matrimonium sic contractum esse legitimum, quas declarationes de singulis his exemplis affert Cardenas, consuetudo autem hìc secundùm dicenda *à n.* 517. habet vim abrogandi leges: partim ex responso *Alex. VII.* quo in materia Matrimoniorum dixit, ubi utrimque essent opiniones probabiles, ut Missionarii sequerentur illas, quæ pro conditione locorum, ac hominum barbarorum essent favorabiliores: sicque innuit sequendo utramque partem talium opinionum non remanere impedimentum. Denique etiam ex eo, quia certum est causam Matrimonii esse favorabilem, certum autem etiam est, quòd in dubio semper standum sit pro valore actus favorabilis, ergo certum est, quòd in dubio quocunque etiam positivo standum sit pro valore Matrimonii sive contracti, sive contrahendi. Et ideò *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 111. dixi, certum esse quòd Ecclesia suppleat in errore communi, & *n.* 117. addidi, etiamsi absit error communis, quòd adhuc suppleat, si adsit opinio verè probabilis in materia Juris, ac consuetudo sic operandi, quam non reprobet stylus Curiæ, ubi etiam exempla dedi in hac materia Matrimonii, valentque hæc, quamvis dubitetur de valore propter aliquod requisitum, non tantùm ex Jure humano, sed etiam divino vel naturali, quia cùm Ecclesia sæpè adhuc decernat Matrimonia sic contracta esse valida, sequitur, quòd contrahenda etiam sint futura certò valida, si sic contrahantur: quod enim semel est invalidum, non convalescit manentibus eisdem circumstantiis. Itaque dicimus, quòd quando probabile est contractũ matrimonialem esse vel fore validum, licèt fortè reipsa & coram Deo non foret validus, nisi Ecclesia suppleret, tamen Ecclesia tum supplet, quæ à Deo habet potestatem faciendi valorem tali contractui, quamvis probabiliter putetur etiam esse invalidus, & sic ex dispositione Ecclesiæ fit certò validus.

43 §. 6. Ex dictis sequitur eum, qui cum tali dubio speculativo suscipit Matrimonium ex sententia probabili relicta tutiore, non peccare, nec incurrere pœnas per damnationem primæ propositionis intentatas, quia ob dispensationem Ecclesiæ accedit circumstantia, quæ sententiam illam ex directè probabili facit esse reflexè certam, & practicè tutam. Hæc generaliter dicta suo loco applicabuntur determinatis materiis.

CAPUT I.

De Sponsalibus.

DUBIUM I.

Quid sint sponsalia.

44 „RESP. Sunt promissio voluntaria, deliberata & „mutua, signo sensibili expressa, futuri Matrimo„nii, inter personas Jure habiles.

„ Dicitur I. *Promissio*, quia propositum non sufficit, „cùm non inducat obligationem: Ut. de qui diceret, „*volo te accipere, habere aut ducere in uxorem*, non con„traheret sponsalia, ut Bon. *t.* 1. *de sponsa. q.* 1. *p.* 1. docet „ex aliis, quia hæc verba non promissionem, sed pro„positum promissionis tantùm significant; nisi tamen „ex circumstantiis aliud colligatur.

„ Dicitur II. *Voluntaria & deliberata*, scilicet deli„beratione sufficiente ad peccatum mortale, cùm „sponsalia sub mortali obligent, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 273. „ex Sanch. Pontio, &c. etsi Bon. *p.* 4. *n.* 2. plus requirat: „Unde regulariter non non sunt valida ante septen„nium completum, ut docet Kon. *d.* 21. *art.* 5. Sanch. *lib.* 1. *de Matrim. d.* 16. nisi malitia & prudentia sup„pleant ætatem. Dian. *R.* 274. Pontius &c. (quod ta„men quidam negant sufficere, cùm jus determinarit „ætatem) imò nec post septennium, si de usu rationis „sufficienti non constet; uti neque, si vi, dolo, errore „vel ignorantia circa substantiam, aut notabilem „conditionem substantialem fiant, secundùm dicta *de „Voto & contractibus*. „

Dicitur III. *Mutua*; Unde si Titius promittat „nuptias Cajæ, & hæc acceptet sine repromissione, „neuter obligatur, quia cùm contractus sponsalium „sit onerosus & reciprocus, non potest claudicare; „involvit enim conditionem, *si tu repromiseris*. Quòd „si tamen Titii promissio fuisset absoluta ac gratui„ta, & acceptata à Caja, solus Titius obligaretur, „non vi sponsalium, sed simplicis promissionis. Ita „Sanch. *l.* 3. *d.* 3. contra *Pontium*, apud Dian. *R.* „244. „

Dicitur IV. *Signo expressa*: quia contractus inter „homines non fit nisi signo externo. Unde non suf„ficit ad sponsalia taciturnitas Cajæ, etiam cum con„sensu interno in promissionem Matrimonii, quod „Titius ei promittit. Si tamen pater vel mater pro „filio aut filia, aut Curator pro eo, cujus curam ha„bet, præsente & non contradicente, (dummodò „metus absit) contrahat, valida erunt, quia in hoc „casu, jus accipit taciturnitatem pro expressione „consensus, Sanch. *l.* 1. *d.* 22. Dian. *R.* 270. imò etiam si „pro absente; saltem si is rescians id expresè vel „tacitè signo aliquo sufficienti ratificet, Sanch. Pont. „Dian. *R.* 271. contra quos *Sotus & Henr.* ne hoc qui„dem requirunt, sed tantùm ut rescians non contra„dicat: Quod *Kon.* admittit; si per ipsos Tutores vel „parentes iis proponatur, tunc enim si taceant, censeri „consentire. „

Dicitur V. *inter habiles*: id est, qui & ætatem à Ju„re præscriptam habent, & nullo impedimento „prohibentur. *Unde resolves*. „

I. Quando verba vel signa sunt dubia, in foro „conscientiæ standum est intentioni contrahentium, „si de illa constet: in externo autem, communi in„telligentia & sensu verborum; ita tamen, ut potiùs „inclinetur in favorem Matrimonii. V. Dian. *R.* 205. „Bon. *to.* 1. *de Matr. q.* 1. *p.* 1. „

II. Verba de præsenti, inter impuberes, apta ad „Matrimonium, (cùm hoc ex Jure positivo sit nullum) „habent vim sponsalium. Ratio est ex interpretativa „intentione contrahentium, quia actus, quando non „valent eo pacto, quo fiunt, valent meliore modo, quo „possunt: sponsalia autem virtute continentur in Ma„trimonio, Laym. *l.* 3. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 17. „

III. Ad sponsalia non sufficit, 1. Si dicas, *Non „ducam aliam, quàm te*, quia sunt verba merè nega„tiva, & potes ducere nullam, Bon. *qu.* 1. *p.* 7. *n.* 7. *n.* 13. „2. Dicere, *Contraham tecum, si Papa dispensaverit*, „Barbos. & alii 10. cum Dian. *R.* 292. contra „*Sanch. Con. & Pont.* ac proinde licitum est utri„que contrahenti, ante & post impetratam à Pon„tifice dispensationem, altero invito resilire. Si ta„men impensæ magnæ factæ sint causa dispensa„tionis, eas tenebitur refundere resiliens. 3. Sub„harrhatio annuli & missio munerum jocalium; ni„si consuetudo patriæ aliud habeat. Ratio, quia po„test fieri ex aliis causis. Quòd si tamen verba unius „præcesserint, tunc immissio annuli & verbum „*Recipio*, operatur Sponsalia, vel etiam Matrimo„nium, pro ratione promissionis, ut docet *Filliuc.* „quia recipiendo sic annulum, tacitè consentit: „itemque si habito inter amicos tractatu de Matri„monio, sponsus misit arrhas & munera jocalia „eáque sponsa acceptavit, Laym. *c.* 2. 4. Sponsalia „metu gravi contracta, licèt juramento firmata „sunt „

»ſunt invalida, quia juramentum metu extortum, non »firmat contractum, imò probabiliter nec obligat, adeóque relaxatione non indiget, Sanch. Barboſ. Dian. R. 278. *v. ſuprà l. 2. t. 2. c. 2.*

ADDENDA.

45 *Quæſt. 6. Quid circa naturam & modum ſponſalium ſit prætereà notandum?* R. ſeqq §. 1. Non eſt opus, ut ſponſalia fiant ante Matrimonium, quamvis communiter præcedere ſoleant, Tann. Gob. 7. 10. n. 8. Et poſſunt eſſe clandeſtina, uti dicetur *n. 51.* Debent tamen, ſecundùm dicta *l. 3. p. 2. à n. 654.* ſigno externo manifeſtari, quia *intentio mente retenta nihil operatur in humanis contractibus, L. Non omnis 15. ff.* De rebus credit. Hinc licèt *Led. Sot. Arriag. Palat.* & alii cum Dia. *p. 3. t. 5. R. 116.* putent fore valida, ſi merè internè exiſtentia per Dei manifeſtationem reſcirentur; tamen meliùs contradicunt Sanch. Pont. Vaſq. Leſſ. Tann. Dicaſt. Averſ. *q. 8 ſ. 3.* quia non adeſſet modus humanus contrahendi. *Conſtat etiam abſentem deſponderi poſſe, & hoc quotidie fieri, l. 4. ff. de ſponſ. & l. 5. hæc ita ſi ſtientibus his, qui abſunt, ſponſalia fiant, aut ſi poſteà ratum habuerint.* Idem repetitur *l. 18. ibid.*

46 §. 2. Ad valorem ſponſalium non requiritur voluntas ea adimplendi, dummodò adſit voluntas ſeriò ſe obligandi, uti in ſimili dictum eſt de voto *l. 3. p. 1. n. 363.* tenentque communiter omnes cum Perez *d. 2. ſ. 7.* Averſa, Krimer *à n. 87.* Quamvis autem *Vaſq.* alii cum Pontio *l. 12. c. 2.* putent, volitionem externè proferèdi promiſſionem non eſſe ſaparabilem à ſufficiente volitione interna ſe obligandi, ſicuti volitio externè proferendi detractionem ſeparari non poteſt à volitione interna detrahendi, tamen oppoſitum dixi *l. 3. p. 2. n. 608.* docentque omnes communiſſimè cum Averſ. & Krimer *à n. 91.* poſſe eſſe intentionem externè tantùm & fictè proferendi verba promiſſoria, nec ideò conſtitui ſponſalia, quæ requirunt intentionem promittendi, cognoſcendo vim promiſſionis ad obligandum: De detractione non eſt ſimile, nam talis externa locutio eſt ipſamet detractio ſive imminutio famæ alienæ, ergo volitio tale quid externè loquendi eſt intentio detrahendi; è contrà poteſt quis externè promittere ſine animo promittendi, ſed decipiendi, aut ſaltem putans ſe per promiſſionem ſuam non obligari, ſine hac autem obligatione non ſtant ſponſalia. Reliqua contra hoc ſoluta ſunt *l. 3. p. 2. n. 609.*

47 §. 3. Ad valorem ſponſalium requiri deliberatum conſenſum, qualis requiritur ad peccandum mortaliter, dixi *l. 3. p. 2. à n. 650.* & pluribus probat Krimer *à n. 380.* Si quis tamen ſtatim ante copulam promiſerit puellæ Matrimonium, communiter præſumi debet habuiſſe ſufficientem libertatem & deliberationem, adeóque obligatur, quia quamvis amor ſit quædam ſpecies furoris, uti ait *Plato*, tamen communiter non impedit deliberationem requiſitam ad mortale, ergo nec requiſitam ad obligationem ex promiſſione Matrimonii. Excipiunt quidem Gob. *n. 25.* Spor. Krim. *à n. 119* ſi duæ illæ perſonæ eſſent tam diſparis conditionis, aut promittens hactenùs ita abhorruiſſet à puella, ut certò nunquam voluiſſet ei promittere extra furorem libidinis, putant enim tum præſumi poſſe, quòd non habuerit conſenſum perfectè deliberatum, ſed communiter præſumi debet oppoſitum, quia quamvis cæcus ille amor multùm traxerit, non ideò ſuſtulit deliberationem ad validè contrahendum requiſitam, uti nec ſuſtulerat ſufficientem ad mortaliter peccandum. Quòd ſi in ipſa copula id promiſerit, putat Gob. *n. 26.* ſæpè fieri poſſe, ut caruerit deliberatione ſufficiente, cùm medici ſcribant, quòd copulam actualem, comitetur quædam veluti tranſiens infamia, ideóque ſi homo talis in confeſſione examinatus conſtanter dicat, ſe non fuiſſe ſibi ſatis præſentem, putat *Gob.* quòd Confeſſarius poſſit declarare eum in conſcientia non obligari ad Matrimonium: hìc tamen caſus erit rariſſimus, quia ſi adfuerit libertas ad peccandum mortaliter, ergo etiam ad validè promittendum, hinc ſemper cogi poſſet in foro externo ducere, quamvis juraret ſe non ſatis fuiſſe ſibi præſentem, quia juramentum tale ſuppletorium in propria cauſa non admittitur, maximè, quando eſt in præjudicium tertii, ut hìc ita cum aliis Gob. *ſup. n. 28* Et univerſim in cauſis matrimonialibus juramentum ſuppletorium probationis non admittitur, quamvis in ſponſalibus faciliùs admitti poſſet, Gob. *n. 90.* Ut tamen etiam in ſponſalibus admittatur, adeſſe debet ſemiplena probatio, quæ habetur vel per unum teſtem omni exceptione majorem, vel per famam, vel per præſumptionem vehementem, ita cum aliis Gob. *n. 93.*

§. 4. Quamdiù promiſſio non eſt acceptata ab altera parte, quamvis ſit jurata, non obligat, ſed poteſt pro libitu revocari, quia ad contractum oneroſum requiritur acceptatio mutua conſenſus, ſecundùm dicta *l. 3. p. 2. à n. 65.* & in omni promiſſione ſubaudiri conditio, *ſi velit, ſi acceptet*, juramentum autem in hoc ſequitur naturam promiſſionis, uti acceſſorium principale Sporer *n. 135.* Krim. *à n. 7.* Quòd ſi Cajus promittat patri, tutori, aut curatori Titiæ, San. *l. 1. d. 7.* putat poſſe ab his acceptari nomine Titiæ, quia illam repræſentant, & in aliis contractibus poſſunt pro ea ſtipulari, e contrà Caſtr. *d. 1. p. 3. n. 6.* negat, eò quòd acceptatio tanti momenti videatur debere eſſe actio perſonalis, cùm ſit res adhærens ſemper & onerans ipſam perſonam. Similiter ſi promiſſio abſenti facta, intimetur huic per aliquem non deputatum ad intimandam promiſſionem, & ita poſteà acceptetur pro illa abſente, non obligat Sanch. Caſtrop. Krimer *n 33.* Poſſet tamen pater acceptare promiſſionem de ducenda ſua filia, in quantùm promiſſio hæc cenſeretur illi patri utilis, Krimer *n. 32. qui à n. 63.* probat taciturnitatem filiæ in circumſtantiis parentum pro filia præſente, cui optimè volunt, contrahentium eſſe ſufficientem acceptationem promiſſionis. 48

§. 5 Vaſq. Pontius *l. 12 c. 4.* & alii putant te non poſſe obligari ad contrahendum cum puella, quæ viciſſim tibi ſe non obligat, quia hoc ipſo, quòd acceptet tuam obligationem, quæ eſt ad mutuandum corpus, neceſſariò videtur acceptare etiam mutuationem ſui corporis, quòd fieri non poſſe videtur ſine reciproca obligatione; ſed Sanch. *l. 1. d. 5.* Caſtrop. de Luca, Krimer *à n. 19.* aliique multi cum Averſ. *q. 8. ſ. 1.* contradicunt, licèt enim contractus Matrimonii ſit mutuus, ſic ut impoſſibile ſit te tuum corpus dare Bertæ, niſi hæc viciſſim ſuum det tibi, tamen obligatio contrahendi non neceſſariò eſt mutua, nam unus ſæpè promittit & alteri relinquit certum tempus deliberandi, poteſtque puella acceptare tuam obligationem retinendo libertatem ſe viciſſim obligandi ſi ſibi placuerit. Ex quo ſequitur, non eò ipſo puellam Matrimonium repromittere, quòd tuam promiſſionem acceptet, nam non ideò acceptet Matrimonium abſolutè futurum, ſed ſub conditione, *Si ſibi placuerit.* An autem ex acceptatione talis promiſſionis oriatur talis obligatio, ut promittens cogi poſſit ſervare promiſſum, diſtinguit *Sanch.* dicens, oriri, ſi promiſerit non gratuitò; e contrà non oriri, ſi planè gratuitò promiſerit, ſed Pontius & de Luca *de Matr. d. 8.* videntur ſtare pro non obligatione tanta. Quid autem cenſendum, ſit in dubio, an promittens voluerit abſolutè ſe obligare, dicetur *n. 121. & 132.* 49

§. 6. *A primordio ætatis ſponſalia eſſe poſſunt*, 50

si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quàm septem annis. L. 14. ff. de sponsal. Et ita etiam per canones expressè declaratur sufficere septennium, *c. Litteris, cap. Accessit, cap. Ad dissolvendum de despons. impub. & c.un. eod. tit. in 6.* Debetque septennium esse completum, Castrop. *d. 1. pu. 16.* Aversa. *s. 7.* Gob. *à n. 113.* Mastrius *n. 68.* partim contra *S. Ant. Gutt. Dia. Rebell.* & alios, qui dicunt non obstare, si desint pauci dies: partim contra Sanch. Con. Pont. Dicast. Sporer Kugl. *p. 1. n. 79.* & alios, qui dicunt non requiri septennium, si malitia suppleat ætatem, quia quamvis etiam ætas sit præscripta ad valorem Matrimonii, tamen *cap. de illis 2. de despons. impub.* dicitur sufficere, *si malitia suppleat ætatem.* Item *à Juveris*, De sponsalibus, dicitur, quamvis ducta esset puella necdum septennis, contractam esse publicam honestatem, quæ non contrahitur ex sponsalibus invalidis. *Sed contra est*, quia Jus apponit in Matrimonio, non autem in sponsalibus talem exceptionem malitiæ supplentis ætatem. In *cap.* autem *Juvenis*, dubium erat, an completo septennio reservatus esset consensus, hinc prohibetur ducere consobrinam. Itaque ratio nostra est, quia quamvis finis legis videatur cessare in tali casu particulari, tamen non ideò cessat lex, secundùm dicta *lib. 1. n.* 868. imò nec ratio legis cessat, quæ est, quia communiter omnes ante completum septennium sunt immaturi judicii. Putant quidem *Aversa, Mastr. & alii*, cùm hæc materia sit favorabilis, sufficere si ultimus dies completi septenii sit inchoatus, cùm id etiam observetur aliàs, ubi completus annus requiritur, sed oppositum videtur probabilius, secundùm dicenda *n.* 689. His tamen non obstantibus, si infantes ante septennium habentes plenum usum rationis sibi promittant Matrimonium, probabilius videtur cum Sanch. Con. Aversa. Mastr. *n.* 70. Krim. contra *Syl. Bonac.* & alios non peccare. Et quamvis hic contractus non valeat in ratione sponsalium, nec inducat publicam honestatem, tamen valere posset in ratione simplicis promissionis, S. Anton. Sylv. Sanch. *l. 1. d. 6. n. 27.* Aversa. Mastr. suprà.

51 § 7. Qui sunt simul surdi, muti, & cæci, sunt incapaces sponsalium, quia non possunt scire naturam, & finem contractus, nec modum contrahendi, Sanch. *d. 8. n. 30.* Gob. *n. 116.* Spor. *n. 167.* Similiter, qui nunquam possunt validè contrahere Matrimonium, invalidè contrahunt sponsalia, uti dicetur *n. 93.* quia non datur medium ad finem impossibilem.

52 §. 8. Ubi *Trident.* decretum, de assistentia Parochi & testium, receptum est, si ineatur Matrimonium inter puberes sine Parocho & testibus, Navarr. Sanch. *d. 20.* Gob. *n. 78.* aliique plurimi cum Kugler *p. 1. n. 72.* dicunt talem contractum non valere, nequidem in vim sponsalium, quod Sanch. *d. 21. n. 2.* Less Castrop. *d. 1. p. 4. n. 8.* tenent, non tantùm quando expressè non excluserunt sponsalia, *si Matrimonium non valeret*, sed etiam extendunt ad casum, quo contrahentes habuissent expressum animum se obligandi eo modo, quo possent, tum quia *Trident.* tales contrahentes reddit omninò inhabiles ad contrahendum; tum maximè, quia Ecclesia hunc actum omninò irritat, sponsalia autem debent continere actum externum validum, cùm sint contractus inter homines, ergo cùm hic actus externus sit omninò nullus, sola intentio interna non potest indicare obligationem ad sponsalia contrahenda requisitam. Oppositum tenent Covarr. Henriq. Rebell. Laym, Spor. *n. 182.* Aversa. *q. 8. s. 3.* Krimer *à n. 85. & 611.* idque probabiliter, fatente *Lessio*, quia soli Matrimonio officit clandestinitas, non autem sponsalibus, uti cum communi docent. Aversa. *s. 8.* Krim. *à n. 123.* & fatentur Castrop. *d. 1. p. 2. n. 15.* Spor. *n. 158.* Kugler *p. 2. n. 64.* probatque praxis quotidiana. *Trid.* verò non reddidit clam contrahentes Matrimonium, inhabiles ad sponsalia, sed tantùm ad Matrimonium, uti agnoscit *Gallem. ad Trid. sess. 24. de ref. Matr. c. 1. n. 13.* dicens id sæpè resolutum esse; neque *Trident.* irritat actum clandestinum, quominùs sit contractus sponsalium, sed tantùm quominùs sit contractus Matrimonii, ergo licèt actus illi externus sit omninò irritus in ratione Matrimonii, non ideò est irritus in ratione sponsalium. *Conf.* nam si sic de præsenti contrahant impuberes, valet in ratione sponsalium, quamvis suspensa maneant, ut habetur *cap. finali de Despons. impub. & c. un. eod. tit. in 6.* tibi redditur ratio, *quia mens contrahentium censetur esse, ut si actus non valeat quoad omnia, tamen valeat, quantum potest*, cum sponsalia includantur in Matrimonium, tanquam imperfectum & inchoatum in perfectiori, ergo idem est in casu, si puberes sic contrahant, quia jus positivum nihil disponit contra hanc obligationem Juri naturali conformem. Putatque idem Gob. *à n. 11.* Episcopum posse pro sua diœcesi irritare sponsalia, quæ posthac clam inirentur, sed hoc incertum est, & saltem non posse inducere impedimenta Matrimonii, dicitur *n. 514.* Certum autem videtur cum *Gallem.* suprà, sic contrahentes non ideò fieri inhabiles ad validè contrahendum de novo coram Parocho & testibus.

S. 9. Si contrahentes sponsalia coram Parocho 53
& testibus utantur verbis de præsenti, v. g. dicant: *accipio te in meam, & ego te in meum*, non ideò erit Matrimonium, quia contrahentes non intendunt nisi sponsalia, cùm enim sciant sub peccato gravi prærequiri proclamationes ante Matrimonium, non debent præsumi velle Matrimonium ante illas, Nav. Laym. Lohn. Spor. *n. 38.*

§. 10. Matrimonium raptoris cum rapta necdum 54
restituta libertati est irritum, secundùm dicenda *à n. 630.* Putantque *Sanch.* & alii, etiam sponsalia inter eos esse invalida, quia est eadem ratio de sponsalibus, quæ est de Matrimonio, nempe ut salva sit libertas raptæ, lex autem etiam correctoria & pœnalis extendi debet, ubi est eadem ratio. 2. Quia sponsalia sunt propter Matrimonium, in subordinatis autem, ratio, quæ afficit unum, etiam afficit alterum. Sed meliùs contradicunt Perez, Wiestner, Krim. *à n. 129.* quia cùm sponsalia maneant rescindibilia, & fiant de Matrimonio post restitutam libertatem ineundo, non requiritur tanta libertas ad illa, quanta ad Matrimonium, ergo non est eadem ratio de sponsalibus & Matrimonio; & sic patet ad rationes oppositas.

§. 11. Si conjugatus promittat alicubi Matrimo- 55
nium post mortem suæ conjugis ineundum, Sanch. *l. 7. d. 79. n. 40.* dicit peccare mortaliter tam promittentem, quàm acceptantem talem promissionem, quia datur ansa cantandæ mortis conjugis, *cap. de eo qui duxit.* Imò promissionem irritam esse tradunt *Abb. Alex. Anchar. Lancelot.* quia similiter non valet promissio vacaturi Beneficii, *c. 2. de concess. præb.* quia nempe jus resistit ejusmodi pactis; ne detur ansa captandæ mortis, *L. fin ff. de pactis.* Eadem habent Fill. *tr. 10. p. 2. n. 255.* & Perez *d. 33. s. 9 n. 9.* Hinc Aversa. *q. 8. s. 5. §. Rursus*, dicit, si conjugatus promittat mulieri eam ducere, si sua uxor moriatur, non videri habere vim sponsalium mortua uxore, quamvis insinuet posse obligare per modum simplicis promissionis. Hic obiter notandum, quod quando aliquid promittitur sub conditione mortis, intelligatur mors naturalis, & non civilis tantùm, *L. Qui heredi, §. Mævius, ff. de condit. & demonstr.* mors enim civilis est ficta tantùm, & non vera mors.

§. 12. Promissio non ducendi uxorem facta homi- 56
ni,

ni ; non obligat ex justitia, imò invalida est, si saluti expediat uxorem ducere, sicuti etiam quia jus testandi debet cuique relinqui liberum, invalida est promissio non mutandi testamentũ, *Less. in auct. v. Matrim. cas.* 21. Si autem talis promissio facta sit Deo, poterit habere rationem voti, si sit de meliori bono, uti fusè Krim. *à n.* 45. Quid autem sit dicendum, si dixerit, *non ducam alium, nisi te*, dicam *n.* 127. ubi addam plura de variis dubiis circa sponsalia.

DUBIUM II.

57 *Quæ & quanta obligatio Sponsalium.*

» RESP. I. Obligant ad ineundum Matrimonium » sub peccato mortali, si tamen terminus non »sit præfixus, sufficiet, si promittens impleat, quan»do à promissario requiretur, vel pro more regionis. »Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi, »in re gravi. Ratio posterioris est, quia id est com»mune omni debito, Sanch. *lib.* 1. *d.* 28. Kon. *d.* 22. »*dub.* 1. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 245. *Pontius* tamen »*ibidem* vult obligari statim post contractum : *Unde* »*resolves*.

» I. Resiliens cogi potest ad Matrimonium, etiam »à Judice per censuras ; quod tamen rarò expedit, »ob periculum infelicis exitus.

» II. Si Judex secundùm allegata & probata cogat »ad Matrimonium, licèt à parte rei reverà coactio »sit injusta, valet Matrimonium, *Sanch. & Perez* con»tra *Texe l.* apud Dian. *p.* 9. *t.* 8. *R.* 26.

» III. Fornicatio sponsæ, est circunstantia in con»fessione exprimenda, quia mutat speciem, & con»stituit injustitiam, quæ in sponsa gravis, ideóque »mortalis habetur, ut si quis rem alteri promissam »notabiliter corrumpat : quod tamen sponsus non »censetur facere fornicando, cùm in viro fornicatio »non tanti æstimetur, nisi aliud accedat, Sanch. *lib.* 1. »*d* 2. Kon. Fagund. Fill. *&c.* probabiliter contra Laym. »Az. *&c.* v. Lugo *de pœn. d.* 16. *n.* 176.

» IV. Qui simulato animo promisit, per se loquen»do ; non obligatur ad nuptias, tametsi damnum »creatum debeat resarcire. Dixi, *per se*, quia si facta »promissione puellam induxit ad copulam, tenetur »illam ducere, Bon. *q.* 1. *p.* 2. Ubi excipit, si puella »esset longè inferioris conditionis, (v. g. quoad nobi»litatem vel divitias) tunc enim non teneri ducere (v. »gr. virum nobilem filiam agricolæ) præsertim si illa »fuerit conscia disparis status seu conditionis, eò »quòd tum decipi potiùs voluerit, quàm decepta »sit : unde nec teneri eo casu illam dotare : Secus »tamen, si ipsa inæqualitatem status ignoravit, aut »si ipse non fictè sed ex animo Matrimonium pro»miserit. Ita Bon. *q.* 1. *p.* 3. *num.* 7. *& seq.* ex Vasq. »Mol. *d.* 106. Sanch. *lib.* 1. *de Matr. d* 10. v. Less. *l.* 2. »*c.* 10. *d.* 3. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 10. & Mart. Perez »*d.* 2 *s.* 3.

» V. Sponsalia posteriora contra priorem fidem »inita, tametsi jurata sint, aut copula etiam acces»serit, sunt invalida, *Sanch. & Val.* tametsi con»trarium teneant *Kon. & Pont.* cum Dian *p.* 3. *t.* 4. *R.* »210. Matrimonium tamen post sponsalia contractum »cum altera est validum, licèt injustum, Bon. *p.* 5. *&* 7. »Laym. *n.* 5.

» VI. Liberi, qui parentibus insciis contraxerunt »sponsalia, etiam cum iis, qui imparis sunt condi»tionis, v. gr. ignobilis cum nobili, licèt peccarint, »tamen obligantur ; nec à parentibus possunt im»pediri, quod minùs servent fidem datam, Laym. »*n.* 11. ex S. Th. *&c.* nisi scandalum magnum ex Ma»trimonio timeretur, Dian. *p.* 9. *to.* 7. *R.* 71. ex *M. l.* »*Sanch. &c.*

» VII. Resiliens culpabiliter à sponsalibus perdit »suas arrhas, & teneretur ad alterius partis reddendas, ac ad restitutionem, quanti ejus intererat talem» contractum impleri. »

Resp. II. Ubi *Trid.* non est receptum, sponsalia jure» antiquo transeunt in Matrimonium, per quævis» signa externa materiali affectu exhibita, v. g. per» copulam. Dico, Ubi *Trid. &c.* quia ubi hoc recep»tum est, hæc signa non tenent, si sint clandestina;» ideóque graviter in illis peccari potest : *Unde sequens*» *casus resolvitur* ; »

Sponsis non licent tactus impudici, cùm proximè» disponant ad copulam & pollutionem ; etsi liceant» amplexus & oscula, in signum amoris, Sanch. *lib.* 9.» *d.* 47. Vid. Dian. *p.* 2. *tr.* 17. *R.* 6. *& tr.* 1. *miscel.* R. 31. *&*» *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 131. »

ADDENDA.

58 QUæst. 7. *Quid præterea sit notandum circa obligationem sponsalium & tempus ineundi Matrimonii?* R. §. 1. Si Titius absolutè, sed liberaliter promiserit, & Caja acceptarit promissionem, sed non repromiserit, si Titius resiliat, probabile est tantùm venialiter peccare, quia secundùm dicta *l.* 3. *p.* 2. *n.* 772. probabile est virtutem fidelitatis ac veracitatis, obligare tantùm sub veniali, & ita docent etiam Gob. *tr.* 10. *n.* 121. Spor. *n.* 260. Si tamen voluisset alteri strictum jus facere, & tum resilire, probabilius est peccaturum graviter contra justitiam, secundùm dicta *ibid. n.* 774.

59 §. 2. Si mutuò promittant, Vasq. & Pont. *l.* 2. *c.* 12. dicunt, quòd non possint se obligare sub veniali tantùm, quamvis vellent, eò quòd contractus sponsalium ex natura sua obliget graviter, Sanch. *l.* 1. *d.* 9. *n.* 6. dicit, quòd possint se obligare tantùm venialiter, quia tota obligatio pendet à sola voluntate contrahentium, uti obligatio voti à vovente, vovens autem potest se leviter tantùm obligare ad materiam de se gravem, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *n.* 429 ergo & sponsi ad sponsalia. Et ideò docet etiam Sanch. *d.* 6. *n.* 3. sponsalia posse ex sola fidelitate contrahi. Aversa. *q.* 8. *l.* 8. *Tamb. Spor.* probabiliùs dicunt posse quidem se obligare sub veniali tantum, imò & sub nulla culpa, sed tantùm sub pœna amittendi arrham ; sed tum non fore propriè dicta sponsalia, quia hæc ex communi sensu Ecclesiæ debent afferre gravem & certam obligationem futuri Matrimonii, alioquin etiam non inducerent impedimentum publicæ honestatis. Semper autem præsumi debent sponsi voluisse se obligare sub mortali, Gob. *n.* 121.

60 §. 3. Tenendum est cum *S. Th. Laym. Busemb.* suprà, quòd sponsalia obligent, quamvis inita sint etiam in minori ætate, cum impari quoad opes, inconsultis & invitis parentibus, uti dicetur *n.* 100. ideóque validum esse etiam Matrimonium, quod insciis & invitis parentibus initur, quamvis per hoc peccari possit, uti dicam *à n.* 569. & universim sponsalia posse esse valida, quamvis peccetur illa ineundo, docent Sanch. *l.* 7. *d.* 2. 9. Pont. *l.* 6. *t.* 7. *n.* 9. ficuti votum valet, quamvis fiat contra prohibitionem Superioris.

61 § 4. Si tempus non sit præfixum pro ineundo Matrimonio, obligant sponsalia, per se loquendo, quam primùm commode fieri potest, uti colligitur ex *l. in omnibus obligati & ibus, ff. de Reg. Jur.* & *l. cum qui, ff. de verb. oblig.* quò enim diutiùs differtur sine causa, eò plùs subtrahitur de debito promissionis. Additur tamen *L. Sapè, de sponsi.* sapè *justa ac necessaria causa non solùm annum vel biennium, sed etiam triennium & quadriennium trahunt sponsalia, velut valetudo sponsi sponsæque, vel mortes parentum.* Et quamvis v. g. sponsa non moneat sponsum sine causa differentem, si tamen id non faciat ex reverentia, pudore, metu, ne offendat, tenetur ipse sponsus urgere, quia ea dilatio non est voluntaria sponsæ, Sanch.

l. 1.

l.1. d.28.n.2. Averſ. *ſ.8.* Quid dicendum ſit, ſi ſponderit pro certo die inire Matrimonium, dicetur *n.206.*

62 § 5. Sæpè non expedit, ut quis poſt ſponſalia invitus cogatur inire Matrimonium, hinc *Lucius III. Papa* relatus *c. 17. deſponſ.* ait: *Requiſivit à nobis tua fraternitas, qua cenſura mulier compelli debeat, quæ juramenti religione neglecta nubere remiſit, cui ſe nuptiram interpoſito juramento firmavit, ad quod breviter reſpondemus, quòd cùm libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potiùs quam agenda, cùm coactiones difficiles frequenter ſoleant exitus habere.* Putarunt quidem *S. Th.* & alii, non poſſe aliquem per Judicem in foro externo compelli ad ſponſalia implenda, quia etiam ſic videtur ſtatui, *c. Præterea 1. deſponſ.* è contrà S. Bonav. S. Ant. Henriq. Con. Sanch, *l.1.d.19.* Pontius *l.12.c.6.* aliique dicunt Judicem cogere poſſe, etiam quando non ſunt juramento firmata, ſic enim habetur *c. Ex litteris de ſponſ.* ut Epiſcopus recuſantem cogat cenſuris: & ratio eſt, quia tenetur ex juſtitia: ergo ad hoc attineri poteſt per Judicem: ſed Averſ. Maſtr. Krim. *n.177.* conciliant ſententias, & dicunt, ſi Judex præ[illegible]cat jurgia vel alia mala ex Matrimonio, meritò debere moderatè procedere, aut tantùm conſulere; ſi autem non occurrat prudens periculum mali ſecuturi, meritò cogere etiam per pœnas.

63 §. 6. Monendi ſunt ſponſi, ut poſt ſponſalia non diu differant Matrimonium, hæc enim dilatio eſt occaſio plurimarum turpitudinum, Gob. *n.124.* Similiter cavendum, ne ſponſi tales relinquantur ſoli, quid autem illis liceat, dicetur à *n.151.*

64 Q. 8. *Quid addendum ſit circa illum, qui fictè promiſit vel non cogitat de obligatione.* R. §. 1. Quamvis *Led. Nov. Vaſq.* & alii cum Averſ. *q.8 ſ. 2.* dicant eum, qui fictè promiſit, teneri ducere, tamen rectè contradicit cum communi *Buſemb.* ſuprà, pro quo dedi rationem *l. 3.p.2.à n.608.* & ſolvi, quæ opponuntur. Itaque ſufficiet compenſare damna, ſi quæ ideò cauſata ſint. Quòd ſi aliter damna compenſare non poſſet, quàm ducendo, rectè docet Delbene *c.8. d.19.ſ.7.* per accidens teneri ducere.

65 §. 2. Qui fictè promittit ex joco, vel non exigendo, ut pars altera ſeriò repromittat, ſecluſo alio damno, peccat tantùm venialiter peccato mendacii, Sanch. Perez, Gob. *tr.10.n.36.* Spor. *n.137.*

66 §. 3. Si ille, qui fictè promiſit, à Judice interrogetur, an promiſerit, negare poteſt, quia promiſſio ficta non eſt promiſſio vera & obligatoria, de qua ſola interrogat Judex: ſi autem fateretur, quamvis diceret ſe fictè promiſiſſe, poſſet cogi ad ducendum, quia confitens promiſſionem probare non poſſet fictionem, ideóque præſumeretur ſeriò promiſiſſe, & ita ſine interno conſenſu cogeretur ad Matrimonium contra generalem mentem Eccleſiæ volentis Matrimonia eſſe libera.

67 §. 4 Qui promiſit omninò non cogitans de obligatione, adeóque bona fide nec volens nec nolens ſe obligare, ſi ſciebat, quid eſſet promittere Matrimonium, aut ſaltem, ſi volebat promittere juxta morem communem, quo alii contrahere ſolent ſponſalia, tenetur, quia implicitè voluit ſe obligare. Si autem omninò neſciebat de tali obligatione neque noluit facere, quod alii faciunt, ſed merè propoſitum tale concepit & manifeſtavit (quod tamen in praxi vix fiet, neque eſt præſumendum) talis non obligaretur. Denique ſi ſtudioſè voluit præſcindere, & ſuſpendit voluntatem ſe obligandi vel non obligandi, proceſſit mala fide, tenebatur enim velle ſe obligare, unde tenetur ad id, quod fictè promiſit.

68 Q. 9. *Ad quid teneatur, qui ficta ſpe, vel ſub ficta promiſſione Matrimonii puellam induxit ad copulam?* R. De hoc dixi multa *l.3. p.2. à n.317. 324.* etiam pro caſu, quo fuit vel poſteà ſupervenit impedimentum. Addidi *n.330.* quid faciendum ſit, ſi defloratus neget ſe habuiſſe copulam, & puella juret eſſe habitam. Ad quid autem teneatur defloratus, qui abſque promiſſione Matrimonii per blanditias vel preces obtinuit copulam, dixi *ibid. n.316.* & repeto hìc cum Delb. *c.8.d.19.§.8.* contra multos alios, probabiliter ad nihil teneri, quia volenti non fit injuria. Circa eum autem, qui hìc fictè promiſit vel decepit, addi debent ſeqq.

69 § 1. Sub mortali tenetur ducere, qui fictè promiſit, & ſub illa ſpe virginem defloravit, nec ſufficit dotare, tum quia in omnibus contractibus, ubi intervenit, *do ut des*, aut *facio ut facias*, vult juſtitia, ut cùm una pars contractum implevit, impleat & altera, ſi poſſit; tum quia eſto dotem dando daret æquale pro damno virginitatis aliter in ſua ſpecie non reparabilis, at pro injuſta deceptione, non eſt ſatis, niſi dolum auferat, & verum conſenſum, ad quem ex juſtitia tenebatur, loco ficti reponat. Nec eſt verum, quòd juſtitia plùs non requirat, quàm æquale quando idem, quod in ſpecie debetur, in ſpecie reddi poteſt, S Ant Adr. Mol. Leſſ Cov Delb. *ſ.7.* Maſtr. *n.76.* Sanch. *l.1.d.10.* aliique multi cum Kugl. *p.2.n.40.* contra aliquos, quos citat, qui cum Krimer *à n.107.* putant ſatis eſſe dotare.

70 §.2. Probabiliùs videtur cum Palud. Sylv. Delb. *ſ.8.* fictum promiſſorem teneri ducere puellam, quam cognovit, quamvis ſciverit eam priùs ab alio fuiſſe corruptam, quia hoc non obſtante liberè contraxit, nec, ut ſupponitur, eſt diſparitas notabilis inter contrahentes, nec fraus intervenit ex parte fœminæ. *San.* tamen & alii non improbabiliter putant teneri, ſed ſatis eſſe alio modo injuriam compenſare, eò quòd ducere, videatur eſſe longè majus, quàm copulam habere cum corrupta.

71 §.3. Quamvis puella ſciverit defloratorem eſſe nobilioris conditionis, non ideò hic liber eſt, quamvis fictè promiſerit, quia ſæpè fit, ut aliquis nobilior ſeriò promittat, aut etiam ducat viliorem, ergo hæc bona fide inducta, ut idem hìc & nunc crederet, non imprudenter id credidit, ergo contractus tenet.

72 §. 4. Huc pertinet ſequens caſus. Cajus ſub ficta promiſſione Matrimonii imprægnavit Bertam; nata jam prole, renuit illam ducere, eò quòd dicat ſe eam averſari, attamen offert ſe ad ſuſtentandam prolem. Berta pergit urgere Matrimonium. *Quæritur*, an licitè inducatur Berta, ut cum damno prolis non legitimandæ acquieſcat certa ſumma pecuniæ, & an Cajus, ſi non acquieſcentem ducere renuat poſſit abſolvi? R Si ex Matrimonio prudenter timeantur graviora mala, v.g. perpetuæ diſcordiæ, (quæ facilè præſumi non debent, poſteà enim redit affectus, quando ſe mutuò ligatos advertunt, uti experientia docet) ad hæc cavenda permitti poteſt illegitimitas prolis, ſic enim Judices ſæpè ſtatuunt non fieri Matrimonia, ſed dotem augere, & damna aliter compenſari: è contrà, ſi ejuſmodi mala non impendeant, non video, cur non ſit obligandus Titius, aut cur Berta eſſet inducenda, ut cedat, quia cùm Titius per fictionem fecerit injuriam ac damnum etiam proli, nec poſſit hæc tollere, niſi fictione ſublatam Bertam ducat, videtur ad hoc obligandus, & ſi nolit, non eſt diſpoſitus ad abſolutionem.

73 Q. 10. *Quid dicendum ſit de ſponſalibus poſteriùs initis contra fidem priorum?* R. §. 1. Quamvis poſteriora eſſent jurata, non ideò, prævalerent, uti ſecundùm omnes (excepto forte *Innocentio*) certum eſſe dicit Averſ. *q. 8. ſ. 13. §. Quintò*, quia nempè ſunt de re illicita. Vide dicta *l.3.n.2.n.33.* & Krimer *l.4.à n.278* Idem eſt, quamvis poſteriora eſſent ſolemniter coram Parocho & teſtibus inita, priora autem clan-

clandestinè, quia solemnitas nullum addit robur actui de se invalido, nec clandestinitas obest valori priorum, secundùm dicta *n.*52. Si tamen sponsus advertat se ad posteriora compellendum à Judice, eò quòd priora probari non possint, licitè contrahet cum posteriore, uti docet *Sanch.* contra Burgh. *cent.*1. *cas.* 57. negatque posse cogi à Judice, sed oppositum est verum, quia Judex procedere potest & debet secundùm allegata & probata, unde sponsa prior debebit tum esse contenta saltem durante illo Matrimonio, ita etiam Laym. & Spor. *n.*210.

74 §. 2. Si primæ gratuitò promiserit, secundæ autem cum defloratione, aut secundam, quamvis fuerit vidua, sub spe vel promissione Matrimonii induxerit ad copulam, *Mar. Palat. Con. Rebell. Dian. Castrop. Regin. Pontius*, dicunt teneri ducere secundam, quia titulus onerosus videtur prævalere gratuito, uti quis promiserit gratuitò equum uni & eundem alteri vendat, accepto consumpróque pretio, tenetur equum huic tradere & non illi: sed probabiliùs contradicunt Sot. Navarr. Ledesm. Hurtad. Henriq. Sanch. *l.*1. *d.*49. Aver. §.6. Krimer *n.* 275. & alii multi cum Kugler *p.* 3, *n.* 67. quia non ideò tollitur jus prioris, & homines insistunt juri suo, non curando de injuria vel damno, quod sit alteri: per prima autem sponsalia debebatur jus strictum, erant enim utrimque onerosa, hinc disparitas est in gratuita promissione & venditione equi, quia promittens gratuitò, non obligat se ex justitia, vendens obligat se ex justitia, hinc titulus justitiæ prævalet, prima autem sponsalia ex justitia obligant. Si tamen ex violatione priorum sponsalium exiguum incommodum sit obventurum priori sponsæ, secundæ autem grave, aut si magna orirentur scandala, æquitas saltem aliqua ac charitas postularet, ut prior cederet juri suo potestque tum Judex compellere ad ducendam posteriorem, sicuti enim, si quis post votum contrahat sponsalia, & defloret virginem, cum qua contraxit, secundùm probabilem sententiam censetur Deus obligationem voti postponere obligationi justitiæ; ita & hic censetur major obligatio cedere minori, *Sanch. Aver. Spor.* suprà, Gob. *n.*325. Hinc etiam docet *Lugo*, si tantùm præcessisset gratuita & simplex promissio Matrimonii, quamvis à puella acceptata esset, sed sine repromissione, si cum alia sequantur sponsalia cum copula, hæc prævalere.

75 §. 3. Huc refertur sequens casus: Caja iniit sponsalia cum Titio, postmodùm imprægnatur à Sempronio, qui nunc se offert ad eam ducendam: *Quæritur*, an Caja dissimulatis primis sponsalibus possit Sempronio nubere? R. Posse, nam si Titius resciret constitutionem Cajæ nunc, certò resiliret. & sic prudenter præsumitur consentire, ut alteri nubat, habetque Caja nunc junctam causam sic regendi istam suam infamiam.

76 §.4. Qui contra sponsionem primæ factam pluribus promittit, si prima moriatur vel remittat obligationem, non ideò tenetur ulli ex posterioribus, quia posteriores contractus ab initio fuerunt invalidi. & tempore non convalescunt, Sanch. *l.*1. *d.* 50. Pon. Burgh. *cent.*1. *cas.*57. quod aliqui apud Aversa. q.8. *l.*13. tenent, etiamsi posterioribus jurasset, in hoc tamen contradicunt *Cov. & Rebell.* quia talis promissio jurata servari potest sine peccato, ergo servari debet. Quòd si contractus cum prima non fuisset validus, teneretur secundæ, & sic deinceps, omnibus autem tenetur de damno causato, Less. Lugo *de Just. d.*12. *n.*3.

77 §. 5. Si sponsalia posteriora fuerint inita sub conditione, si altera sponsa nollet, vel moreretur, vel remitteret, sunt valida, Krim. *n.*273. In dubio autem, an fuerint absoluta, an conditionata, præsumi debent fuisse conditionata, quia alioquin deberet præsumi peccasse contra priora sponsalia, delicta autem non præsumuntur, *Tamb. Spor.* suprà Quòd si priora fuerint conditionata, & posteriora absoluta, adhuc prævalent prima, quia causabant obligationem expectandi conditionis eventum, uti statim dicetur, & tum ineundi Matrimonium Sanch. *l.*5. *d.*5. *n.*13 Castrop. *d.*1. *p.* 16. *n.*10. Krim. *à n.*280.

Q. 11. *Quid addendum sit circa sponsalia conditionata?* R. §. 1, Sponsalia conditionata obligant ad duo; imprimis ad ineundum Matrimonium post eventum conditionis; deinde ad expectandum illum eventum: Si enim dies sit appositus v. g. *ducam te, si fuerit Pentecostes*, suspenditur contractus usque ad illum diem, quo accedente, contractus fit absolutus, Castrop *d.*1 *p.*6 *n.*11. Gob. *tr.*10. *n.*274. Spor. *de Matr. n.*183. 78

§. 2. Universaliter supponi debet, quòd pro foro 79
conscientiæ standum sit intentione, quam contrahentes sciunt se habuisse in contractu sponsalium, qualiscunque conditio fuerit adjecta, uti probabitur *n.* 240. Si autem dubium sit, qua intentione hæc vel illa conditio sit adjecta, multi dicunt standum esse jure naturali, quia quamvis Jus positivum *n.*28. referendum disponat, ut conditio turpis vel impossibilis censeatur non esse adjecta Matrimonio, ideóque semper debeat Judex pronunciare pro valore Matrimonii, tamen cùm hæc videatur esse dispositio odiosa, non videtur esse extendenda ad sponsalia, sed de his dicendum erit secundùm præsumptiones ex circumstantiis. Oppositum probabiliter tenent Sanch. *l.*5. *d.*17. *n.*2. & Krim *à n.*828. 834. Rationem dant. 1. Quia dispositio illa circa Matrimonium non est strictè odiosa, & censetur comprehendere sponsalia, quæ inducunt obligationem Matrimonii. 2. Quia talis conditio censetur adjici, cum reflexione, si non sit turpis vel impossibilis, ergo si sit turpis vel impossibilis, censeri debet non adjecta. Utraque sententia est probabilis, & ideò authores variant in resolutione casuum circa tales conditiones, uti constabit ex jam dicendis.

§.3. Si conditio adjecta sit repugnans Matrimonio, 80
sponsalia sunt invalida, uti si promittam sub conditione, ut unus vel uterque non habeat jus petendi, vel potestatem reddendi debitum, ut Matrimonium duret ad decem tantùm annos &c. Ut de his irerùm dicetur *n.*258. Licitè tamen adjicitur pactum de non petendo vel reddendo debito, quod pluribus declarabitur *n.*228.

Objic. Subdiaconus Ordinis sacri affert obligationem ad continentiam, item substantia religiosæ professionis affert denudationem à dominio rerum temporalium, & tamen valent Ordo & professio, licèt apponatur conditio, ut non sit obligatio ad continentiam, vel ad denudationem illam, uti habetur *Can. Diaconi, dist.*28. *& cap. Insinuante*, 7. *Qui enim vel valentes*, ergo. R. *Ad* 1. Statum continentiæ non esse de substantia Ordinis sacri, ut colligitur ex dicendis *à n.* 573. *Ad* 2. Ut valeat professio, debet esse voluntas se abdicandi jure dominii: In *cap. Insinuante*, fuit tantùm voluntas retinendi usum domini dependenter à nutu Prælati. Vid. Krim. *à n.*779.

Inst. Intentio non servandi fidem conjugalem, vi- 81
tandi prolem &c. sunt contra substantiam Matrimonii, cùm sint bona illius intrinseca, nec tamen ideò invalidantur sponsalia. R. Bonum fidei & prolis est de essentia Matrimonii quoad obligationem tantùm, quæ suscipitur, non autem quoad executionem, quam salvo valore Matrimonii possum velle negligere. Vide dicenda *n.*218.

§.4. Si conditio sit impossibilis, v.g. *ducam te, si cras* 82
fueris unus cubito major quàm jam sis, communis sententia est cum *Sanch. Diaz. Less. Escob.* & aliis, quòd sponsalia valeant, quia conditio censeri debet pro jocosè adjecta, adeò-

adeóque habetur pro non adjecta; sed probabiliùs contradicunt alii cum Gob. *n.* 149. & Spor. *n.* 189. qui enim talem conditionem apponit, sufficienter significat se nugari, & nolle contrahere.

82 §. 5. Si conditio sit turpis, v. g. *te ducam si fias Lutherana, si consenseris in copulam*, Sanch. & alii plurimi dicunt esse habendam pro non adjecta, adeóque valere sponsalia: sed Avers. *q.* 5 *s.* 6. Gob. *à n.* 151. Spor. probabiliùs dicunt standum esse intentione contrahentium. Sponsalia tamen ante conditionem impletam non obligant, quia conditio poni non debet, cùm sit turpis, & nemo possit obligari ad peccandum: tali tamen conditione copulæ impleta erit obligatio ad Matrimonium, si absque peccato contrahi possit. Quid tenendum sit, si contrahatur sub conditione, *si vivens adhuc conjux suus fuerit mortuus*, dixi *n.* 55.

83 §. 6. In dubio, an conditio turpis sit seriò, an solùm ex joco adjecta, prima sententia *n.* 79. relata dicit, censeri debere, quòd seriò, quia communiter fit, ut seriò adjiciatur, est autem ex communiter contingentibus prudens præsumptio. Idem putant *Gob. & Spor.* de conditione impossibili, sed oppositum videtur probabilius, quia communiùs deest verus consensus, uti *n.* 81. dictum est. De Matrimonio illud statuit Jus, uti dicetur *à n.* 238.

84 §. 7. Si spoponderint impediti, sed sub conditione, *Si Papa dispenset*, ac sciverint, Papam non solere in tali impedimento dispensare, erit veluti impossibilis conditio, nec valebunt sponsalia. Si dispensare soleat in tali impedimento, sed hìc non sit causa justa dispensationis, etiam peti non debet, sed dissolvenda sunt sponsalia, ne petatur aliquid quod illicitum est peti & concedi. Si & Papa dispensare soleat, & simul adsit justa causa, Nav. Sot. Henr. Barb. Ricc. Avers. *q.* 8. *s.* 5. de Luca *de Matrim. d.* 7. *n.* 4. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 290. dicunt sponsalia adhuc esse invalida, ideóque utrumque posse resilire, ante, imò, & post obtentam dispensationem, pro qua sententia Gob. *n.* 164. affert plures decisiones Rotæ. Rationem dant. 1. Quia conditio pendens à voluntate Principis censetur impossibilis. 2. Quia tales contrahentes habentes impedimentum, sunt ante dispensationem inhabiles ad contrahendum, ergo ante dispensationem invalidè contrahunt, ergo nisi ponatur novus consensus, sponsalia manebunt invalida. 3. Si quis post votum sacrorum Ordinum iniret sponsalia sub conditione, *si Papa dispenset*, nemo coget eum ad dispensationem procurandam, & idem est in similibus impedimentis, ergo signum est sponsalia ab initio non esse valida. E contrà Sanch. Pont. Rebel. Comit. Castrop. Gob. *n.* 162, Spor. *à n.* 184 Krim. *à n.* 853. 257. Kugler *n.* 2 *n.* 54. probabiliùs dicunt esse valida, & posita dispensatione transire in absoluta, sunt enim sub conditione possibili, honesta & relata ad tempus, quo erunt habiles, docetque praxis quotidiana, sæpè fieri ejusmodi contractus sub conditione ratihabitionis obtinendæ à Principe, cujus voluntas, si adsit causa, cur meritò ratihabeat, non censetur impossibilis, & quamvis tales sint inhabiles ad contrahendum Matrimonium, nullus tamen textus vel ratio probat esse inhabiles ad contrahenda sponsalia, ergo si contrahant, tenentur. De contractu ipso Matrimonii inito sub conditione, *si Papa dispenset*, &c. dicam *n.* 244.

85 §. 8. Si responderint impediri, sed sub conditione, *si impedimentum cesset*, *Victor.* & alii *n.* 48. relati dicunt impleta conditione requiri novum consensum, quia prior erat inter inhabiles, ergo nullus: è contrà Cov. Angel. Sanch. *l.* 3. *d.* 8. *n.* 10. aliique cum Krim. *n.* 869. probabiliùs dicunt sufficere, quòd prior consensus permaneat habitualiter, quia erat inter habiles sub conditione habilitante, nempe sub conditione cessantis impedimenti, ergo ferebatur in personas pro tali tempore futuro habiles, ergo hac conditione posita & cessante impedimento est jam absolutus consensus, & inter personas habiles. Et universaliter, quòd contractus conditionati adveniente conditione sine novo consensu fiant absoluti, dicam *n.* 246.

§. 9. Quando sponsalia inita sunt sub conditione, *si* 86
pater consentiat, tunc si pater non contradicat, sed taceat censetur consentire, uti & tum, si priùs moriatur, quàm rogetur, Sanch. *l.* 5. *d.* 7. *n.* 19. Si autem primis petitionibus contradicat, sed postmodùm tandem consentiat, conditio videtur esse impleta, & sponsalia. Si ita firmiter dissentiat, ut spes non sit, quòd consentiet intra breve tempus, non obligant, quia mens contrahentium non censetur fuisse ita diu differri Matrimonium. Si pater primò consentiat, & statim post contradicat, non censetur impleta conditio; quia contradictio statim secuta facit præsumi, quòd prior consensus non fuerit moraliter absolutus. Denique si priùs consentiat, & diu post contradicat, videtur manere conditio impleta, & sponsalia transisse in absoluta, quia vim acceperunt à priori consensu jam ante absolutè posito, Spor. *n.* 186. Avers. *tamen q.* 5. *s.* 6. §. 3. & Gob. *n.* 167. recensent plurimas sententias authorum pro & contra circa hunc casum, & notant attentè considerandam esse intentionem contrahentium.

§. 10. Si alter repromiserit sub conditione, sed abs- 87
que determinatione certi temporis, v. g. repromitto, *si priùs facias te promoveri Doctorem*, conditio implenda est, quamprimùm moraliter fieri poterit, *L. hæc conditio, ff. de condit. & demonstr. Hæc conditio, si in Capitolium ascenderit, sic recipienda est, si cùm primùm potuerit, ascenderit.*

S. 11. Si quis cum duabus inierit sponsalia, vel cum 88
utraque conditionatè, vel cum prima conditionatè, & cum secunda absolutè, posteriora sunt invalida, quamvis secunda conditio priùs impleatur, quam prima, quia hæc secunda sunt contra fidem priorum, & contra jus primæ acquisitum, vi enim priorum sponsalium tenebatur expectare eventum primæ conditionis, ita cum aliis Castrop *sup. n.* 5. Spor. *n.* 182, 184. contra Laym. *sup. n.* 7. *& alios.*

§. 12. Si copula sit secuta post sponsalia conditiona- 89
ta, præsumitur accessisse absolutam promissionem, etiamsi conditio necdum sit impleta, quia credibile non est, vel juvenem petiturum, vel saltem puellam consensuram fuisse, nisi sub spe absoluta & determinata futuri Matrimonii. Perez, Gob. *n.* 276. Spor. *n.* 183. Krim. *n.* 864. contra Sanch. & alios. Si tamen habens copulam noluisset absolutè se obligare pro foro conscientiæ, non esset attendenda præsumptio, utpotè nitens falso.

§ 13. Si Caja fateatur se repromisisse Titio, sed di- 90
cat se repromisisse sub conditione aliqua, Titius autem dicat illam absolutè repromisisse, aliqui dicunt Cajæ incumbere onus probandi, quòd conditionem adjecerit, quia affirmanti incumbit probatio, & reus suam exceptionem vel intentionem, in qua se fundat; probare tenetur, cùm ordinariè præsumi non possit. E contrà *And eas Gaill.* & alii multi cum Gob. *n.* 189. probabiliter dicunt Titio incumbere probare, quòd conditio adjecta non fuerit, quia qui acceptat confessionem, debet illam acceptare cum modo, qualificatione, & exceptione, quam addit ille, qui confitetur, alioquin, si hæc simul non acceptentur, reus censetur potiùs manere negans, quàm esse confitens, valet autem hoc tantùm in causis, quæ non sunt criminales, & ubi non est præsumptio in oppositum, uti notant iidem Auctores.

§. 14. Si Berta affirmet, Matrimonium sibi à Cajo 91
esse promissum sub conditione copulæ, quam ideò admiserit. Cajus autem fateatur copulam, sed neget conditionatam illam promissionem, Bertæ imperari debeg

debet silentium, quantùm ad sponsalia attinet, & Cajus est absolvendus, quia actore non probante absolvitur reus. Neque Berta aut Cajus potest admitti ad juramentum, nisi afferant aliàs præsumptiones vel indicia facientia pro se semiplenam probationem. Si autem pro utroque essent talia indicia, quæ facerent semiplenam probationem, *Barb.* putat juramentum purgativum esse reo deferendum, actori autem non esse permittendum juramentum in supplementum probationis, quia Judex debet esse propensior ad liberandum, quàm ad condemnandum: in hoc tamen multum permittitur arbitrio prudentis Judicis, Gob. *n.* 92.

92 §. 15. Si alteruter impediat, quominùs conditio licita & honesta impleatur, talis impediens manet obligatus etiam non impleta conditione, alter autem manet liber, donec impleatur, sic enim habet regula Juris, apud Gob. *n.* 272. & Spor. *n.* 181. quòd, quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri, stat quò minùs impleatur, perinde sit respectu illius ac si impleta esset, qui autem talem conditionem conatur impedire, æquivalenter frangit fidem datam, & renuntiat sponsalibus, hinc pars altera, si velit, potest resilire, Gob. *n.* 273. Vide Krim. *à n.* 922.

Plura circa consensum & Matrimonium conditionatum addentur *à* n. 238.

93 *Q.* 12. *Quid præterea notandum sit circa promissionem Matrimonii inter consanguineos vel aliter impeditos?* R. §. 1. Si promissio fiat absolutè, non obligat, quia, vel sunt inhabiles ad Matrimonium, vel promittunt rem illicitam, ad quam non potest esse obligatio, & perinde est, sive impedimentum inter illos sit dirimens sive impediens tantùm, uti rectè Avers. *q.* 8. *s.* 7. omnia enim dirimunt, id est, impediunt valorem sponsalium absolutorum; quamvis, si sit impedimentum impediens tantùm, Matrimonium initum futurum esset validum. Et consequenter invalida sunt absoluta sponsalia eorum, qui aut validè aut licitè non possunt inire Matrimonium, Gob. *n.* 98. Idem dicunt Sanch. *l.* 5. *d.* 5. *n.* 6. & Gob. *n.* 166. quamvis in mente habuissent petere dispensationem, si hoc exteriùs non expressérint, quia cùm sit contractus inter homines, quæ ex natura non insunt, debent exprimi, alioquin non attenduntur, uti ex Jure probat Krim. *n.* 860. Si tamen post promissionem locuti sint, & egerint de impetranda dispensatione, jam expressa est conditio, uti rectè Sanch *n.* 27. nam perseverabant in illa promissione, cui jam sufficienter etiam externè adjecerunt conditionem.

94 §. 2. Si promiserint sub conditione dispensationis obtinendæ, dixi *n.* 84. probabilius videri, quod promissio valeat, quamvis autem ante conditionem impletam non sit obligatio in ratione sponsalium (quamdiu enim consensus non est absolutus & perfectus, non sunt stricte sponsalia, ideóque non pariunt impedimentum publicæ honestatis) est tamen obligatio ex promissione simplici, quæ impleta conditione transivit in sponsalia. Et quamvis inhabiles fuerint ad contrahendum pro tunc, tamen non ad contrahendum pro tempore impletæ conditionis, Sanch. *n.* 24. Et ex his inferunt aliqui si Scholasticus Societatis JESU promiserit Matrimonium sub conditione liberationis à votis suis, solutum ab his teneri, quia, quamvis vota illa dirimant Matrimonium de præsenti, non tamen impediunt valorem promissionis pro statu libero implendæ.

95 §. 3. Sanch. *n.* 36. Laym. Gob. *n.* 164. putant plerumque præsumi debere, quòd is, qui Matrimonium urget, vel cujus magis refert iniri, tacitè se obligarit ad procurandam dispensationem, quamvis contradicat Castrop. nisi per hoc, quòd dixerit, dispensationem fore facilem, obtinuisset copulam, tum enim subivisset onus illius procurandæ, alioquin sicuti si aliquis promittat aliquid sub conditione si fiat consul, non ideò obligatur specialiter procurare, ut fiat consul, ita & hic. Communibus tamen sumptibus procurari debet dispensatio. cùm sit causa communis, uti omnes notant cum Sanch. *n.* 37.

§. 4. Si fidelis promittat infideli, sub conditione, 96
si fiat fidelis, obligare quidem possunt in ratione simplicis promissionis, attamen juxta mentem Ecclesiæ non sunt sponsalia, nec inducunt publicam honestatem, quia Canones tantùm loquuntur de sponsalibus inter fideles, Angeles, Henriq. Avers. *q.* 8. *s.* 5.

Q. 13. *Quid notandum sit circa promissionem Matri-* 97
monii disjunctivam vel incertam? R. §. 1. Promissio disjunctiva, uti si quis spondeat ducere *vel Cajam vel Titiam*, non constituit sponsalia propriè dicta, quia hæc debent esse circa determinatam personam: nihilominùs si talis promissio acceptata sit ab utraque, inducit obligationem ducendi alterutram. Quòd si unam eligat, & illa renuat; non tenetur ducere alteram, quia per ipsum non stat, quominùs promissionem impleat, sed stat per illam, quæ recusat, quia retinuerat liberam optionem alterutrius, Sanch. *lib.* 1. *d.* 26.

§. 2. Si quis promiserit Cajæ vel Titiæ ejus so- 98
rori, & cum Caja habuerit copulam, præsumi debet, se determinasse ad Cajam & absolutè voluisse hanc ducere, quia non debet præsumi, quòd peccare voluerit contra justitiam, contra quam peccasset, si absolutè noluisset ducere Cajam, quia per copulam cum Caja contraxit affinitatem cum Titia, ergo tenetur ad Cajam. Quòd si promisisset Cajæ vel Titiæ non consanguineis, dicunt multi cum Avers. *q.* 8. *s.* 3. non debere ex copula cum Caja præsumi, quòd determinarit se ad Cajam, nisi aliud dederit signum determinati consensus, quia adhuc posset ducere Titiam, sed oppositum videtur probabilius, quia secundùm dicta *n.* 89. credibile non est, vel ipsum petiturum, vel ipsam consensuram fuisse in copulam, nisi sub promissione saltem tacita contrahendi Matrimonii.

§. 3. Promissio incerta, uti si quis spondeat acci- 99
pere *unam è tribus filiabus Titii*, etiam non sunt propriè sponsalia, obligat tamen talis promissio, & tenetur unam accipere, quæ ei placuerit, *Bon. Avers. suprà*, Gob. *n.* 136. Similiter si pater jurarit Titio se daturum unam è tribus filiabus suis, potest assignare, quam volet, & si Titius unam respuat, non tenetur dare aliam: si reliquæ moriantur, antequàm designarit unam, tenetur dare superstitem. Quòd si Titius habeat copulam cum una, pater nullam tenebitur dare; non illam, cum qua habuit copulam, quia ad nullam determinatè tenebatur, nec aliam, propter impedimentum affinitatis, quod contraxit, Sanch. *supra*, Bon. *de sponsal. q.* 1. *p.* 3.

Q. 14. *Quid dicendum sit de sponsalibus, quæ ineuntur* 100
inscis vel invitis parentibus? R. §. 1. Multa sunt in utroque Jure, quæ videntur statuere, ut non tantùm Matrimonium, sed etiam sponsalia fiant conscíis & consentientibus parentibus: sed dicendum est cum Krim. *à n.* 132 & communi, non esse debitum necessitatis ad eam personam, quam proponunt parentes, sed ad summum, debitum honestatis & decentiæ, attamen teneri cõsulere parentes, uti pluribus dicã *à n.* 569.

§. 2. Si parentes contradicant sponsalibus initis, 101
putat *Machius* promittentem hoc ipso non obligari, sed alii cum Gob. *n.* 140. melius dicunt obligari, nisi secutura essent gravia incommoda, quia sponsalia fuerunt absoluta, neq; hæc præcisè est justa causa dissolvendi, secundùm dicenda posteà.

§. 3. Quamvis parentes minarentur exhæreda- 102
tionem, tamen si imprægnavit sponsam facta spósione vel ipse Matrimonii, tenetur ducere; & quamvis

leges quorumdam locorum permittant tales contrahentes exhæredari, hæ tamen sunt correctæ à Jure, non tantùm Canonico, sed etiam civili, uti dicetur *n.* 571. Quòd si timeretur perpetua offensa parentum, *Sanch.* aliique apud Gob. *n.* 335. putant talem sponsum non teneri ducere, sed de hoc dicam *n.* 169. An autem pater possit filiæ contra voluntatem suam nubenti negare dotem, dicetur. *n.* 572.

103 Q. 15. *Ad quid teneatur, qui juravit se ducturum Titiam, & nullam aliam?* R. Tenetur ducere Titiam: Si autem Titia renuat, potest ducere aliam, quia juramentum erat factum in gratiam Titiæ, quæ jus remittit: & quòd dixerit, *nullam aliam*, intelligebat præ Titia, seu prætermissa Titia, si ipsa vellet, Gob. *tr.* 10. *n.* 134.

104 Q. 16. *An sponsalia ex metu injustè incusso contracta sint valida, vel saltem obligent ex religione, si accedat juramentum?* Operæ pretium est scire, an valida sint, nam, si valida sunt, inducunt impedimentum publicæ honestatis. Quis autem metus dicatur levis aut gravis, & quotuplex sit, dixi *l.* 3. *p.* 2. *à n.* 630. quibus suppositis.

105 §. 1. Levis metus injustè incussus non invalidat sponsalia, uti colligetur ex dicendis *n.* 649. Attamen talia sponsalia manent infirma in foro conscientiæ, & propria authoritate metum passi sunt irritabilia, uti dixi *l.* 3. *p.* 2. *n.* 642. ac præter ibi citatos, docent *Bonac. Bucan.* nec improbat Avers. *qu.* 8. *s.* 3. Ratio autem est, quia cùm pars metum incutiens teneatur relaxare fidem metu injustè extortam, poterit ille, qui injustè passus est metum, revocare fidem à se datam. An autem ille saltem, qui metunt incusserat, obligetur, dubium est: negant Sanch. *l.* 4. *d.* 15. *n.* 5. & Spor. *n.* 150. quia putant in contractu oneroso utrimque obligante ad æqualitatem, qualis est promissio Matrimonii, vel utramque vel neutram partem esse obligatam, sed oppositum videtur probabilius cum *Aversa*, & constat saltem ex promissione simplici acceptata posse ex una tantùm parte esse obligationē.

106 §. 2. Probabilius videtur, quòd metus gravis etiam ab extrinseco & injustè incussus ab altero etiam contrahente ad extorquendum consensum, spectato Jure naturæ non invalidet sponsalia, uti nec alios contractus ex natura sua rescindibiles, secundùm dicta *l.* 3 *p.* 2. *à n.* 636. ubi authores affirmantes & negantes retuli, & præter ibi citatos pro parte affirmativa stant *Cov.* & *Avers.* suprà: è contrà pro negativa, quæ nostra est, stat acriter Krimer *à n.* 408. Ratio est, quia quamvis talis metus imminuat, attamen non videtur tollere libertatem ad sponsalia sufficientem, cùm relinquat ea simpliciter voluntaria. Et cùm hæc injuria maneat reparabilis per rescissionem sponsalium, non est sufficiens ratio dicendi, quòd Jure naturæ sunt irrita. Et hæc firmabuntur ex dicendis *n.* 671.

Obji Talia sponsalia spectato jure naturæ non poterant obligare ad ineundum Matrimonium, ergo spectato Jure naturæ sunt irrita saltem ratione objecti sui, ad quod obligarent. *Probatur. ant.* Tale Matrimonium est ab initio irritum saltem Jure positivo, uti constabit ex dicendis *à n.* 653. implicat autem dari obligationem ad actum ab initio irritum, ergo *Conf.* Nam recta ratio dictat non posse dari obligationem ad aliquid illicitum, vel per leges impossibile, Matrimonium autem tale est illicitum & per leges impossibile, ergo R. Non poterant obligare obligatione inevitabili, c. obligatione evitabili, nam metum passus statim posset contractum rescindere, & se ab obligatione illa liberare, si autem nollet rescindere, posset liberè & voluntariè contrahere Matrimonium: unde patet responsio ad confirmationem; nam si nolit illa sponsalia rescindere, Matrimonium erit utrimque licitum. Et simile est, si jures latroni dare pecuniam, secundùm dicta *l.* 3. *p.* 2. *n.* 728. nam religio ratione juramenti te obligat ad dationem, quamvis latro eam illicitè exigat, & si non velis rescindere illam obligationem petita relaxatione juramenti, teneberis eam nunc liberè solvere, quamposteà post momentaneam solutionem maneat tibi jus repetendi solutum.

Inst. Votum ingrediendi Religionem metu extortum est Jure naturæ irritum, quia professio metu extorta est irrita, ergo similiter sponsalia: sicuti enim ingressus in Religionem est via ad professionem, ita sponsalia ad Matrimonium. *Respondent* 1. multi apud *Busemb.* quem retuli *l.* 3. *p.* 1. *n* 363. negando consequentiam, eò quòd Deus vota extorta non acceptet, homo autem acceptet promissionem extortam. R. 2. *n. ant.* nam si voveat ingredi Novitiatum ad experiendum, retenta libertate posteà profitendi vel non profitendi, votum valebit, uti dixi *l.* 4. *n.* 52. & si posteà profiteatur, valebit professio, quia jam liberè fiet. Si autem coactus sit metu etiam ad vovendum, vel ad professionem, si probat hunc metum interveniss, professio declarabitur fuisse, saltem Jure positivo, irrita. Reliqua soluta sunt *l.* 3. *p.* 2 *à n.* 643. Quid autem tenendum sit de ipso contractu Matrimonii ex metu gravi contracto, spectato Jure tam naturali quàm positivo, dicetur *à n.* 647.

§ 3. Probabile est, quòd sponsalia ita inita ob 107
gravem metum ab altero contrahente injustè incussum sint Jure positivo invalida, sic enim videtur statui *c. Ex literis, de desponsi. impub.* & docent gravissimi authores cum Covar. Avers. *q.* 4. *s.* 6. Sanch. *l.* 4. *d.* 19. *n.* 3. Kugler *p.* 1. *n.* 34. contra Less. Haun. Wiestn. Krim *à n.* 426. *& alios*, qui etiam probabiliter contradicunt, sed rectè addunt Sanch. *à n.* 5. & Less. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 38. quamvis valida essent, posse coactum propria authoritate ab eis resilire. *Dixi*, ab altero contrahente incussum, nam Krim. *n.* 432. putat, si metus à tertio sit incussus, per *L.* 14 §. *In actione, ff. Quod metus causa*, fieri potestatem metum passo, ut sponsalia per Judicem rescindantur, uti etiam in aliis contractibus notavi *l.* 3. *p.* 2. *n.* 640.

§. 4. Ejusmodi sponsalia ex gravi metu inita 108
non firmantur juramento, uti patet ex *cit. Cap. Ex literis*, docentque authores cum Sanch. *d.* 21. *n.* 3. Nec tale juramentum obligat, quia jus illud ab initio irritat, unde nec opus est relaxatione illius, Azor. *l.* 1. *c.* 11. *q.* 14. E contrà si sponsalia ex metu levi validè inita, essent etiam jurata, quamvis non firmarentur juramento, tamen juramentum obligaret ex religione, usque dum relaxaretur ab Episcopo, Sanch. *n.* 4. Quid autem tenendum sit de ipso Matrimonio per metum extorto, si juramentum illi adjiciatur, dicam *n.* 666.

Q. 17. *Quid addendum sit circa sponsalia impube-* 109
rum? R. Supponendum est ex dictis *l.* 3. *p.* 2. *n.* 667. masculos esse impuberes, qui annum decimum quartum, fœmellas autem, quæ duodecimum necdum compleverunt, uti habetur *cap. Attestationes, de desponsi. impub.* Et de illorum sponsalibus addenda sunt seqq.

§. 1. *Cap.* 3. 4. 5. 15. *de desponsi. impub.* requiritur 110
septennium ad valorem sponsalium, debetque illud esse planè ac physicè completum, secundùm dicta *n.* 50. & dicenda *n.* 689. Addidit tamen hìc *n.* 50. non peccare eos, qui ante septennium ineunt, quia illud nullo Jure prohibetur, quod enim adducitur ex *c.* 2. *de desponsi. impub.* dicam *n.* 691. esse intelligendum de Matrimonio. An autem tuum valeat, si malitia suppleat ætatem, dixi *n.* 50.

§. 2. Si impubes contrahat Matrimonium de 111
præsenti, hic contractus est quidem invalidus in ratione Matrimonii, uti dicetur, *n.* 689. attamen valet

in

in ratione ſponſalium ſecundùm dicta n. 52.

112 §. 3. Sponſalia ab utroque vel alterutro impubere inita ſunt valida, cùm per nulla Jura irritentur, imò inducunt impedimentum publicæ honeſtatis pet *c. Litteras, c. Accuſat, c. Continebat, de deſponſ. impub.* ſunt tamen ſuſpenſa, quia quamprimùm impubes fuerit aſſecutus annum pubertatis, datur ei optio, vel reſiliendi vel approbandi ſponſalia, *c. De illis, c. A nobis, ibid.*

113 §. 4. *Cap. de illis, ibid.* ita ſtatuitur: *De illis, qui infra annos aptos Matrimonio ſponſalia contrahunt, ſive uterque ſive alter reclamet, antequam ad annos Matrimonio aptos pervenerint, & poſtulent ſeparari, non ſunt ullatenùs audiendi*: id eſt, talia ſponſalia non poſſunt ſine diſpenſatione, nequidem mutuo conſenſu diſſolvi; priuſquàm facti ſint puberes: cujus legis cauſas dant Sanch. *l. 1. d. 51.* Gob. *tr. 9. n. 382.* ſufficit hæc, ne ætas illa ob inconſtantiam exponatur nimiis mutationibus. Quòd ſi ante ſeptennium contraxiſſent, ſecundùm dicta *n.* 30. non eſſent ſponſalia, ſed ſimplex promiſſio, quæ mutuo conſenſu revocari poſſet: Jus enim tantùm loquitur de ſponſalia contrahentibus, Averſ. *q.* 8. *ſ.* 11. §. *ſexto.*

114 §. 5. Si impubes ſponſalia firmaſſet juramento, *Sanch.* & alii multi cum Averſ. §. *ſeptimò* dicunt teneri ex motivo religionis, nec poſſe adepta pubertate reſilire, quia *c. Ex litteris, 2. De ſponſalibus* abſolutè dicitur, talem impuberem intuitu juramenti debuiſſe compelli priorem ſponſam accipere. E contrà Tamb. Pont. *l. 12. c. 9. n. 7.* abſolutè negant, eò quòd juramentum videatur ſequi naturam actus, cui adjicitur. *L. fin. C. de num. pecun.* ſponſalia autem imbibunt conditionem, niſi facti puberes reſiliamus, ergo cùm poſſint ſe expedire ab obligatione contractus, etiam videntur ſe poſſe expedire ab obligatione juramenti. Attamen reſponderi poteſt pro *Sanch.* quamvis juramentum non firmet actum, cùm tamen ſine peccato ſervari poſſit, reverentia divini Numinis invocati videtur poſtulare, ut obſervetur, donec diſpenſetur, uti dictum eſt *l. 3. c. 2. à n.* 726. Fatentur tamen omnes minorem cauſam ſufficere pro talibus ſponſalibus & juramentis impuberum diſſolvendis.

115 §. 6. Si ſponſi ante pubertatem ſe carnaliter cognoverint, ſponſalia cenſentur completa, nec datur locus reſiliendi, quia, qui habet generandi potentiam, in Jure non reputatur impubes, *cap. A nobis. cap. Puberes, de deſponſ. impub. cap. ult.* de eo, qui cognovit conſanguineam.

116 §. 7. Si pubes cum impubere contraxerit, non poteſt reſilire, niſi alter quoque factus pubes ei obligationem remittat, poteſtas enim reſiliendi eſt conceſſa ſoli impuberi in favorem & privilegium ſtatus, Krim. *n.* 617. Spor. *n.* 197. cum communi.

117 §. 8. Qui priùs fit pubes, poteſt ſtatim reſilire non expectata pubertate alterius, quia *fruſtra expectatur eventus, cujus nullus eſt effectus, cap. Cùm contingat.* 36. *De officio delegati*, & ita docent Abb. Hoſtienſ. Sanch. *lib. 1. d. 51.* Con. Dian. Averſ. *§. Si ergo*, Krim. *n.* 613. contra Gob. Nald. Maſtr. *n.* 79. *& alios.*

118 §. 9. Si parentes pro liberis necdum ſeptennibus contrahant ſponſalia, invalida ſunt, niſi liberi ſeptennio majores approbaverint, communis cum Kugl. *p. 1. nu.* 98. Similiter ſi contraxerint pro impuberibus ſeptennio majoribus, etiam invalida ſunt, *ſi aliquo modo non conſentit filius.* Et utrumque habetur *c. unic. de deſp. impub. in* 6. Quando autem *c. Ita nos, de deſponſ. impub.* dicitur, *poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omninò debet hoc implere.* Tò *debet* ſignificat debitum decentiæ; honeſtatis, pietatis erga Parentes, ſi non adſit cauſa in contrarium; de cæteris Parentes, qui talia ſponſalia contraxerunt pro liberis ſuis, non tenentur niſi procurare, quantùm potuerunt, conſenſum liberorum, quando adoleverint, Krim. *n.* 606. Attamen talia ſponſalia per parentes cõtracta, quãdo voluerunt, reſcindere non poſſent. niſi liberi ſint puberes, Sanch. Krim. *n.* 618.

§. 10. Factus pubes debet, per ſe loquendo, ſta- 119
tim reſilire, ſi reſilire velit, id eſt, intra triduum ſaltem ante vel poſtquàm pubertatem eſt aſſecutus, quod enim intra triduum fit, dicitur in continenti & ſtatim fieri, *L. fin. Cod. de errore advocati, & L. fin. Cod. de Judiciis*; Quòd ſi non illicò reclamavit, ſponſalia ſine poſitiva ratificatione manent completa. Ac ſufficeret pro foro conſcientiæ reclamationem à pubertatem aſſecuto eſſe factam etiam internè tantùm, ubi habent Sanch. *lib. 1. d. 51. n.* 17. Krimer. *n.* 619. *& alii* contra Pontium *lib. 12. c. 9. n. 5.* & Caſtrop. *d. 1. p. 17. n. 5.* Et pro foro externo, ut Judex pro diſſolutione ſententiam ferat, ſufficit factam eſſe coram Confeſſario & teſtibus: imò ſufficit factam eſſe reclamationem ante annum pubertatis, dummodò pubes eum diſſenſum non muret, quia licet impubes non poſſit invalidare ſponſalia, poteſt tamen ſi in diſſenſu illo perſiſtat pubes factus, per illum ipſum diſſenſum ſic continuatum impedire, ne lapſu temporis requiſiti videatur illa tacitè ratificaſſe, quia tum pubes cenſetur in illo diſſenſu perſeveraſſe, Sanch. *n.* 16. Averſ. §. *Notant.*

Q. 18. *Quid dicendum ſit in variis dubiis circa valo-* 120
rem & obligationem ſponſalium? R. Aliqua de dubiis circa contractus dixi *l. 3. p. 3. à n.* 661. quæ etiam huc pertinent, & ibi videri poſſunt. Hic adde ſequentia.

§. 1. Qui ante ſeptennium inivit ſponſalia, & nunc dubitat, an tum habuerit uſum rationis, illis non tenetur, ex *cap. Acceſſit, de deſponſ. impub.* Schild. *t. 6. c. 7* §. 1. Unde nec talia ſponſalia inducunt publicam honeſtatem, hoc enim caſu tollitur illud impedimentum, vel per hoc quòd Eccleſia omnem contractum puerorum ſeptennio minorum invalidet, licèt ratione utantur, ſic ut etiam ex conſenſu illorum in ſponſalia & Matrimonium nolit oriri impedimeum publicæ honeſtatis, uti docent *Abb. Socinus, Roſella, Brunellus, Carrerius*; vel quia in eo, qui minor eſt ſeptennio, conſenſus fuit nullus, eò quòd præſumatur non adfuiſſe uſus rationis, uti docent cum communi Sanc *lib. 1. d. 16. n.* 9. vel quia Eccleſia omnes actus ſponſalitios & Matrimoniales ante ſeptẽnium initos, quando dubium eſt, an adfuerit uſus rationis, invalidat, ſub conditione tamen, ſi poſteà non innoteſcat, quòd adfuerit uſus rationis, vel ſi nolit de futuro, & Deus videat, quòd poſteà non innoteſcat contrahentem uſum eſſe ratione, uti vult. *Schild.*, rejectis duabus aliis ſententiis. E contrà certus de ſponſalibus initis poſt ſeptennium, & dubius an cum uſu rationis, tenetur ſe gerere, ac ſponſalia inviſſet; Jus enim tum præſumit adfuiſſe usum rationis, *l. ſi inſtituti Cod. de Jure delib.* Item dicit *Schild.* de eo, qui dubitat, an ſponſalia inierit ante, an poſt ſeptennium; nam Sanch. *in Dec. lib. 4. c. 1. n.* 14. Idem etiam dicit de voto, ſponſalia autem & vota communiter non fiunt ante ſeptennium, ergo ex communiter contingentibus præſumitur facta eſſe poteſt ſeptennium; ſed de hoc videri poſſunt dicta *lib. 3. p. 1. n.* 387.

§. 2. Dubitans an verè promiſerit, non tene- 121
tur, quia libertas eſt in poſſeſſione, communis cum Sanch. *l. 1. d. 9. n.* 11. ſi autem ſciat ſe promiſiſſe, ſed neſciat, an ſeriò, an fictè, Spor. *n.* 139. adhuc putat non teneri, quia necdum certum eſt promiſſionem obligatoriam poſſediſſe, ſed Sanch. *n.* 13. & alii probabilius dicunt teneri, quia verba promiſſoria ſunt in poſſeſſione, cum quibus præſumi debet fuiſſe animum ſe obligandi, prout verba ſignificabant, unuſquiſq; enim

præsumitur loqui secundùm mentem. Unde etiam, quando scit se fuisse obligatum promittere, sed non scit, an satisfecerit huic obligationi, indicabit se promisisse, quia delicta vel fraudes non præsumuntur, & in dubio probabiliter id factum, quod de Jure erat faciendum, Gob. *tr.* 10. *n.* 136.

122 §. 3. Quamvis verba, *accipiam te in uxorem, ducam te &c.* de se indifferentia sint ad significandum nudum propositum, vel promissionem, tamen ex communi sensu, & interpretatione censentur in hac materia tanquam promissiva, & obligatoria, *S. Th.* & alii communiter cum Avers. *q.* 8. *s.* 3 §. *Deber.* Idem est, si juvenis petat, *vis me ducere?* & puella dicat, *ita*, nisi ex circumstantiis colligeretur, quòd juvenis tantùm voluisset explorare mentem puellæ, *Vasq. Avers.*

123 §. 4. Quando dubium est, an per verba significentur sponsalia, an Matrimonium, si omnia adhuc integra sint, standum est pro libertate, & dicendum esse tantùm sponsalia, Gob. *n.* 86. Notaque ex aliis multis Barb. *de Diction.* 436. *n.* 14. quòd verbum *volo*, junctum alteri verbo infinitivo non importet dispositionem de præsenti, sed voluntatem agendi de futuro, uti si dicam, *volo te ducere in uxorem*, & colligitur ex Gob. *in L. Servi electiones, vers. possumus, ff. de legatis*, hinc Sanch. *l.* 1. *d.* 18. *à nu.* 25. docet, per ea fieri sponsalia, sed dubium esse, an Matrimonium fiat: nihilominùs per illa verba: *volo te ducere*, fieri non tantùm sponsalia, sed etiam Matrimonium volunt alii cum Pontio *l.* 2. *c.* 9. *n.* 8. Vide Lugo *in Resp. Mor. l.* 3. *d.* 16. *n.* 47.

124 §. 5. Si juvenis coram Parocho, & testibus dicat: *ex crastino, seu in crastinum accipio te in uxorem*, & puella respondeat, *& ego te in maritum*, multi dicunt esse Matrimonium, quia dicunt, se de præsenti consentire; quamvis executionem suspendant in crastinum, uti si hodie dem equum pro cras utendum. E contrà Sanch. & Gob. *n.* 64. dicunt esse tantùm sponsalia, quia quamvis loquantur in præsenti, tamen videntur referre ad futurum tempus pro habendo ultimato consensu. Utraq; sententia est probabilis; sed prima videtur probabilior. Quòd si vir dicat, *accipio te in uxorem*, & puella respondeat, *& ego te accipiam in maritum*, erunt tantùm sponsalia, quia licèt verba viri significent in præsenti, tamen responsio puellæ transfert utrumque consensum ad futurum, Avers. *q.* 8. *s.* 3. §. *Potest*, Spor. *n.* 145. Si dicant, *volo te esse meam, & meum conjugem*, Pontius dicit esse Matrimonium, *Sanch.* Sponsalia. Si tamen dicerent, *ex nunc volo*, Avers. fatetur fore Matrimonium.

125 §. 6. Quando verba, vel signa personæ priùs loquentis de sponsalibus, clarè significant promissionem, si verba, quæ altera pars reponit, sint dubia, debent intelligi secundùm verba illius, qui priùs est locutus, censetur enim respondisse ad rem, & ad materiam subjectam, Sanch. *l.* 1. *d.* 18. *n.* 4. Gob. *n.* 72. Spor. *n.* 152. E contrà, si verba, aut signa utriusque sint ita dubia, ut ex iis non possit mens conjici, debet Judex potiùs interpretari contra sponsalia, Rebell. Perez, Dicast. Gob. *à n.* 73. Spor. *n.* 153. contra *Tann. Tamb. & alios.* Ratio est quia standum est pro libertate possidentis illam, nisi Jus aliquid contrarium disponat. Jus autem respectu sponsalium nihil disponit in contrarium, quamvis disponat, ut in dubio stetur pro valore jam initi Matrimonii: ubi est diversa ratio, cùm è Matrimonio dissoluto nasci possint alia incommoda circa proles vel dotem: hinc, inquit Gob. *n.* 76. cum *Henr. & Tann.* si quis sit dubius de suis sponsalibus, potest pronunciare pro sua libertate. Cavendum tamen est potiùs fœminis quàm masculis, quia hi solent sæpiùs decipere, aut faciliùs frangere fidem, Henr. Sanch. Gob. *n.* 77.

§. 7. Verba certò significantia sponsalia, sunt 126
accipiam, vel ducam te: non aliam sed te ducam: habeas me in fidem, nisi te ducam: Gob. Spor. n. 155. Ratio est, quia hæc, & similia ex communi sensu omnium significant saltem implicitè promissionem, & voluntatem se obligandi, Sanch. *l.* 1. *d.* 18. *n.* 12. Tamb. Tann. Gob. *à n.* 48. è contrà hæc verba dubiè significant sponsalia, *te desponsabo: tecum sponsalia contraham*, quia potest esse promissio sponsalium tantùm, & non Matrimonii, item illa; *volo contrahere tecum; placet te ducere*; nam multi dicunt per illa significari animum tantùm faciendi sponsalia, vel affectum ad Matrimonium, quamvis necdum admittatur obligatio: Similiter per illa: *volo te habere, volo te tenere in uxorem*, Item, *tu eris mea*; putant multi perfici Matrimonium, alii sola sponsalia, Gob. *n.* 58. dicit apud Germanos nudis illis verbis nihil perfici, nisi aliquid aliud accedat, quia non satis exprimitur obligatio, sed potiùs declaratur tantùm desiderium habendi pro uxore: per illa autem, *contraham tecum Matrimonium*, significatur tantùm propositum, nisi aliud colligeretur ex circumstantiis, Tann. Gob. *n.* 61. Spor. *n.* 159.

§. 8. Hæc verba, *nullam aliam ducam præter*, vel, 127
nisi te, facere possunt sensum, vel hunc: *ducam te, & nullam aliam*; vel istum: *si aliquam ducam, te ducam.* Et probabilius videtur cum Sanch. *l.* 2. *d.* 19. Laym. Avers. *q.* 8. *s.* 3. Krim. *n.* 76. contra alios multos, quòd faciant posteriorem sensum, adeoque non faciant sponsalia, nam nisi alia intentio aliunde constet, sicuti cùm dico: *nullam Religionem ingrediar, nisi Carthusianam*, significo, si ingrediar aliquam, ingrediar Carthusianam, attamen possum nullam ingredi, ita & hic. Si tamen coram Parocho, & testibus diceret, *non duco aliam nisi te*, fieret Matrimonium, quia ex circumstantiis constaret, sic debere exponi: *duco te, & nullam aliam.*

§. 9. Si Cajus propinans Titiæ dicat, *propino* 128
tibi in Matrimonium, & Titia annuens respondeat, *Deus tibi benedicat*, communiter censeri non debent sponsalia, si de contrahendo ante hac nil egerint, quia nec juvenes solent seriò talia dicere, bene scientes, quòd puellæ non facilè soleant ita citò seriò repromittere, nèque Titia satis significavit repromissionem: si tamen ante hac tractassent de sponsalibus, & ex circumstantiis judicarentur seriò agere, præsumi deberet valere sponsalia, quia tum satis adverteretur esse serius animus in Cajo promittente, & mutuus consensus in Titia respondente, sicuti, si cui propinetur sanitas Cæsaris, & ipse dicat, Deus tibi benedicat, censetur consentire in apprecationem pro sanitate Cæsaris, uti è contrà, si propinetur ad sanitatem Turcarum, nunquam dicet, Deus benedicat, & sic ostendit dissensum, Gob. *à n.* 31. Sporer *n.* 162.

§. 10. Hæc verba: *promitto tibi amorem, & fide-* 129
litatem nisi adsint aliæ circumstantiæ, non continent promissionem Matrimonii, quia amor, & fidelitas possunt in aliis rebus præstari, Gob. *n.* 65. Si tamen mox sequeretur traditio annuli, vel copula, censerentur contracta sponsalia, quia dubium per talem circumstantiam censeretur sufficienter solutum. Spor. *n.* 161.

§. 11. Si juvenis dicat: *Do tibi hunc annulum vel* 130
hoc strophiolum in ordine ad Matrimonium, & puella accepter, quamvis nihil dicat, videntur esse sponsalia, quia acceptatio cum taciturnitate est æquivalenter repromissio, Sanch. Gob. *n.* 67. E contrà tamen, si juvenis apprehendat manum puellæ, & dicat: *sub fide mea te ducam*, illa autem nec retrahat manuum, nec contradicat, per hoc non censetur repromittere: sed si juvenis diceret: *habes meam manum in signum, quod sim te ducturus, si tamen etiam me velis,*

&

& puella viciſſim daret manum, forent ſponſalia, quamvis illa nihil diceret, quia datio manus eſt ſufficiens ſignum reciproci conſenſus, Sanch. Gob. *n.* 66.

131 §. 12. Si puella dicat: *tibi nubam, ſi Deo placuerit*, & juvenis reſpondeat, *& ego ducam te, ſi Deus ita diſpoſuerit*, non ſunt ſponſalia ſaltem abſoluta, quia non eſt abſoluta promiſſio, niſi ex circumſtantiis intelligeretur, quòd ſignificarent ſe judicare, quòd ſic ſibi expediret ad ſalutem, & ideò promittere, quia cenſerent Deo placere, & illum ita diſponere, Gob. *n.* 169.

132 §. 13. Si Titius promiſerit Matrimonium Cajæ acceptanti promiſſionem ſed non repromittenti, & dubitetur, an Titius voluerit ſe abſolutè obligare, an tantùm ſub conditione, ſi Caja repromitteret; cenſendum eſt, quòd non voluerit ſe abſolutè obligare, quia in dubio præſumitur id, quod plerumque fieri ſolet: ſponſi autem non ſolent velle ſe obligare, niſi dependenter à reciproca repromiſſione, Bonac. Averſ. *q.* 8. *f.* 1. §. *ult.* Gob. *n.* 20. Spor. *n.* 135.

133 §. 14. Si ſpoponderint pro certo die, v. g. pro feſto S. Petri inire Matrimonium, nec addiderint, an dies ille eſſet pro terminanda, an verò pro urgenda obligatione, ſi necdum ſit feſtum S. Petri, debet hoc dubium mutuo conſenſu determinari. Si feſtum adſit vel præterierit, debet unus alteri proponere executionem promiſſi, qui, ſi renuat, videtur etiam alter eſſe liber, niſi aliunde præſumeretur voluiſſe etiam poſt illum diem permanere obligationem. Videri poſſunt Tamb. *l.* 8. *tr.* 3, *c.* 2. §. 3. Krim. *à n.* 77. *&* 81. Kugl. *de Matr. à n.* 56. ubi agunt de verbis, aut ſignis dubiis circa ſponſalia, & Matrimonium. Quomodo autem probari poſſit, vel unde præterea præſumi debeat contracta eſſe ſponſalia, fusè tradit Gob. *à n.* 89. *&* *à n.* 91. ubi agit de qualitate teſtium in hac materia.

134 *Q.* 19. *Quid notandum ſit circa arrhas, ſponſalitiam largitatem, donum matutinum?* R. §. 1. Arrha ſæpè ſumitur pro contractu, quo traditur pignus pro ſtabilienda obligatione ad non recedendum à facto contractu ſub pœna amittendi tale pignus, Onnate *de cont. tom.* 2. *d.* 34. *d. ſect.* 1. Nos hìc per arrham intelligimus hoc, quod poſt ſponſalia datur veluti pignus pro aſſecuratione Matrimonii futuri, *L. Arrhis, C. de ſponſal.* Statuitur autem *L. Si is, & I. Mulier, ibid.* ſi dans arrham ſine juſta cauſa reſiliat, ut eam amittat, & alter lucretur, ſi verò accipiens arrham ſine juſta cauſa reſiliat, teneatur eandem reſtituere, & tantundem in æquivalenti adjicere, imò etiam triplum, aut quadruplum, niſi eſſet mulier minor 25. annis, tum enim tenetur reſtituere ſolam arrham. Injuſtè autem reſiliens tenetur ante ſententiam reſtituere arrham, ſed quod eſt ſupra arrham, videtur teneri, ſaltem ſi pars altera exigat, uti tenet Averſ. *q.* 8. §. 10. Alii volunt teneri abſolutè, alii tantùm poſt ſententiam Judicis. E contrà, ſi dans arrham ſtet promiſſio, retinet ſuæ arrhæ dominium, poteſtque abſq; omni ſententia Judicis ſtatim repetere initio Matrimonio, uti & tum, quando cum juſta cauſa reſilit, poſſuntq; etiam parentes ſponſorum ſub eisdem conditionibus dare, & accipere arrhas. Denique probabiliùs videtur arrhas poſſe in quacumque quantitate conſtitui, etiam in rebus immobilibus, etiam reciprocè, quia nihil horum per leges vetatur: Hæc & plura videri poſſunt apud Sanch. *lib.* 6. *d.* 27. *& ſeqq.* Arr. *d.* 34. *&* 36. Averſ. *ſuprà.*

135 §. 2. Sponſalitia largitas eſt donum, quod poſt ſponſalia traditur ſponſæ, non velut in arrham, attamen ſub conditione ſaltem tacita, ſi Matrimonium ſequatur, & non fiat fraus in dote, ſolerque aliis nominibus vocari jocalium, dotalitium, mundus muliebris, donatio ante nuptias, donum ſponſalitium. Unde ſi aliquid detur poſt ſponſalia, & expreſsè non addatur, quòd ſit veluti in pignus, & aſſecurationem, non erit arrha ſed ſponſalitia largitas.

§. 3. De ſponſalitia largitate ſtatuitur *L. Cùm veterum, & L. Si à ſponſo, C. de donat ante nupt.* ut ſi Matrimonium ex juſta cauſa non ſequatur, dominium illius maneat penes dantem; item ut ſponſa, quæ poſt valida ſponſalia paſſa eſt oſculum (& multò magis ſi copulam) acquirat pro ſe, & hæredibus ſuis dominium mediæ partis, quia ruborem iſtum vel incommodum ſubiit, & facta eſt in tantùm vilior. Quod etiam poſt *Trid.* valere docet Sanch. *l.* 6. *d.* 19. *n.* 5. contra Onn. 36. *n.* 58. quamvis enim oſculum, & copula illa ſint peccata, tamen per ea deterioratur ſponſa, ergo lex meritò potuit hoc in compenſationem damni, vel in pœnam peccati ſponſi adjudicare ſponſæ. Si autem Matrimonium conſummatum fuerit, totum eſt uxoris quoad dominium, & uſum, quia eſt vera donatio transferens plenum jus, nec revocabilis, niſi ex cauſa ingratitudinis, *L. Si mater, L. Si filiæ, C. de donat*, & communis cum Sperell. *deciſ.* 172. Præterea ille, qui abſque juſta cauſa reſilit, perdit jus ad jocalia, & alter innocens acquirit dominium. 136

§. 4. In dubio, an aliquid ſit arrha, an ſponſalitium donum, *Gomez* putat præſumi debere eſſe arrham, quia ſemper eſt ob futurum Matrimonium. *Molin.* vult eſſe donum, quia eſt ut ſponſa ornatior evadat, aut ut ſponſus tantò magis amorem conciliet, Caſtrop. *d.* 1. *t.* 13. §. 1. *n.* 3. cum aliis multis diſtinguit, & dicit cenſenda eſſe dona, ſi ſint res non magni momenti, quales conjux etiam in Matrimonio donare ſolet conjugi; è contrà ſi ſint pretioſa, & magni momenti, putat eſſe velut arrhas. Addit n. 4. ſi alicubi conſuetudo ſit, ut ea, quæ ſponſus mittit, non repetantur, quamvis ſint pretioſa, cenſenda eſſe dona. Etiam *Sperell.* ſuprà fusè diſcutit, quandonam præſumi debeat eſſe ſponſalitia largitas & quandonam quaſi dos. Poſſuntque de ſponſalitia largitate plura videri apud Sanch. *l.* 6. *d.* 16. *& ſeqq.* Onn. *d.* 25. Caſtrop. *ſuprà.* 137

§. 5. Si Titius ante ſponſalia det Cajæ aliquid, hoc non eſt arrha nec ſponſalitia largitas, quia hæc debent ſequi ſponſalia, ſed eſt donum ad conciliandum amorem, cujus dominium poteſt Caja acquirere ſine ullo onere. Et quamvis Caja viciſſim redonet aliquid Titio, per hoc non ſpondet Matrimonium, ſed poteſt tantùm velle recognoscere liberalitatem Titii. Si tamen ſciretur, quòd Titius aliter noluiſſet à ſe abdicare dominium illius rei, niſi ſub conditione ſecuturi Matrimonii, aut quia putabat eſſe vera ſponſalia, quæ aſſecurare voluiſſet Cajæ, hæc in conſcientia teneretur ei reddere, vel quia defuiſſet abſoluta voluntas donandi, vel quia error circa ſubſtantiam dediſſet cauſam donationi. 138

§ 6. Si ſponſalia diſſolvantur abſque culpa utriuſque ſponſi, v. g. quia alteruter ingreditur Religionem, moritur, &c. ſponſus itemque ſponſa, quæ non eſt paſſa oſculum, vel copulam, debent omnia poſt ſponſalia accepta reſtituere, quia acceperunt ſub ſpe Matrimonii, & ob illius cauſam, qua ceſſante, ceſſat omnis æquitas ad retinendum: è contrà ſi ſponſa paſſa ſit oſculum vel copulam retinere poteſt medietatem ob rationem ante datam; ſi autem mutuò conſenſu diſſolvantur ſponſalia, multi cum *Sanch.* docent, nihil poſſe retinere, quamvis oſculum vel copulam admiſerit, quia liberè cedit omni priori juri, ſed Caſtrop. *n.* 17. probabiliùs dicit retinere ad illud, quod acquiſivit amiſſo pudore. 139

§. 7. Qui innocens eſt, & ob alterius culpam, 140

v. g. fornicationem recedit à ſponſalibus, acquirit accepta, & juſtè repetit à ſe donata, uti ante inſinuatum eſt, & in Jure habetur apud Caſtrop. *n.* 18.

141 §. 8. Donum matutinum, ſeu *morgengeba*, uti vocat Haun. *de juſt. t.* 1. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 330. eſt donum, quod maritus ſecundo die nuptiarum dat uxori pro pudicitiæ, vel virginitatis theſauro ſibi credito. In Hiſpania, & Luſitania datur etiam viduis, in Bavaria ſolis virginibus, aut quæ ſaltem in communi æſtimatione, cùm nuberent, habebantur virgines. Hujus doni dominium ſpectat ad uxorem, quæ etiam alienare poteſt inter vivos; ſed quamdiu retinet, uſusfructus ſpectat ad maritum, de quo plura videri poſſunt apud Haun. *à n.* 462. Circa dotalia, contradotalia, aliaque bona conjugum videri poſſunt dicta l. 3. p. 1. à n. 1017.

142 *Q.* 20. *An ſponſalibus addi poſſint pacta?* R. §. 1. Affirmativè, & patet ex quotidiana praxi. Inter cætera addi poteſt pactum, 1. Ut vir perpetuò habitet in domicilio uxoris, Caſtrop. *tr.* 28. *d.* 1. *p.* 15. 2. Ut vir poſt mortem uxoris teneatur reſtituere ejus hæredibus tot nummos in eadem ſpecie, quot accepit, quamvis certò futurum ſit, ut valor eorum ſit tum notabiliter major, quamvis enim hoc non liceat in mutuo, in quo debet manere æqualitas, talis tamen æqualitas non requiritur in pactis dotalibus, ſed poteſt uxor ad onera Matrimonii ferenda dare 1000. & vir liberè ſe obligare ad reddenda 2000. hoc enim faciendo cenſetur tantum augere dotem uxoris ſuæ, quod ipſi licitum eſt, ut probat Lug. *in Reſp. mor. l.* 6. *dub.* 23.

143 §. 2. Quamvis L. *Si ita ſtipulatus ff. de verb. obligat.* non valeat pactum, ſi ſponſus dicat ſponſæ, *ducam te, ſi donaveris mihi mille*, quia præſumitur intendere contractum ex libidine, & turpi quæſtu, tamen ſi abſit præſumptio illa turpitudinis, & id petat cauſa dotis augendæ, vel propter inæqualitatem ipſorum, aut ex alia ſimili cauſa honeſta, valebit, Abb. Onn. *d.* 34. *n.* 19. Deb. *c.* 8. *d.* 19. *ſ.* 6.

144 §. 3. Nobilis habens hæredes ex conjuge mortua licitè ducit ſecundam ſub pacto, ut hæc, & proles naſcituræ abſtineant à bonis, titulis, inſignibus, & contenti ſint certa dote ſibi conſtituenda, nam *lib.* 2. Feud. *tit.* 29. talia Matrimonia approbantur, & vocantur ad *morganaticam*, de quibus videri poteſt Krimer *à n.* 556.

145 § 4. Huc ſpectat ſolutio ſequentis caſus: Titius non vult cum Caja Matrimonium inire, niſi addito hoc pacto; quòd, Caja renunciet lucris in Matrimonio faciendis, quæ alioquin Jure communi dividenda eſſent inter ipſos, hæc enim lucra vult Titius ſibi, & hæredibus ſuis cedere. Caja contractum init ſeriò, vel fictè. *Quæritur*, 1. Si ſeriò inierit, an non poſſit reſcindere? 2. Si iniit fictè, quid dicendum ſit? R. *ad* 1. Si ſeriò iniit, non poteſt reſcindere, non enim apparet, quo Jure vel privilegio id poſſet, nam potuit cedere illo jure per contractum, qui non repugnat Matrimonio, & quem liberè fecit acceptavitque Titius, Sanch. *l.* 6. *d.* 5. *n.* 1. Verum quidem eſt, quòd donatio liberalis à conjuge conjugi facta ſit ſemper revocabilis, ſed hoc eſt ex diſpoſitione Juris poſitivi, & in Matrimonio tantùm, ob cauſas, quas Jus affert, nempe ne ob amorem nimium expoliet unus alterum, &c. Jus autem nihil ſimile diſpoſuit circa pacta dotalia, neque pro hoc caſu eædem ſunt cauſæ, imò Sanc. *n.* 5. docet uxorem poſſe in favorem viri, etiam in Matrimonio, renunciare lucris acquirendis, quia non ideò cenſetur alienare aliquid ex proprio patrimonio. Nec inde ſequitur conditionem Cajæ fore velut ancillæ, nam gaudet cæteris privilegiis eorum: & licèt habeat ſortem ſolito inferiorem, ea habet, qui ſic voluit, & quia judicabat ſibi melius eſſe etiam talem habere quàm non habere: mortuo autem Titio non erit miſerior, quàm fuerit antequàm haberet Titium, imò multam ſupellectilem aliaque cum bona gratia Titii ſecum auferet, ergo non habet, quòd de injuria ulla quæratur. R. *ad* 2. ſi fictè contraxit, imprimis nihil ipſam juvat fictio, quia ex juſtitia tenebatur ſeriò contrahere, ergo injuriam fecit fictè contrahendo, ergo tenetur ad reſarcienda omnia damna, quæ ſequerentur ex fictione, ſeu ex non poſito ſerio conſenſu. Si autem prætextu ficti conſensus vellet ſibi clàm partem ſublegere, damna illa ſequerentur ex fictione, ergo tenetur illa reſarcire; hinc jam obligatur ſic agere, atque ſi conſensum, uti ex juſtitia tenebatur, ſerium posuiſſet. Deinde ſi Titius talem intentionem habuit, quòd non conſentiret in Matrimonium, niſi Caja conditionem illam acceptaret, conſensus ſic conditione non purificata poſitus eſſet nullus, adeóque Matrimonium foret invalidum, nec Caja poſſet aliquid prætendere ex vi juris per tale Matrimonium acquiſiti: teneretur nihilominùs Caja etiam nunc ſeriò conſentire, ac reſignare lucris, & facere ut revalidaretur Matrimonium. Hæc quoad rem habentur apud Lugo *de juſt. d.* 22. *ſ.* 4. & Dicaſt. *de juran. d.* 3. *n.* 339.

146 §. 5. Huc etiam reducitur ſolutio ſequentis caſus: Titius legat Cajæ nepti ſuæ 100. ſi nubat nobili de patria. *Quæritur*, ſi nubat alteri, an legatum perdat? R. Negant aliqui, quia cùm hæc conditio faciat quaſi pœnam, & obſtet libertati Matrimonii, cenſetur non adjecta. E contrà ex illis, quæ dixi *l.* 3. *p.* 2. *n* 600. & quæ habet D. Luca *de Matr. diſc.* 14. iterumque ad Trid. *diſc.* 26. *n.* 27. Caja perdit legatum, quia cùm non agatur de pœna, qualis eſſet, ſi poneretur conditio, ut alioqui careret legitima, vel dote, ſed agatur de mero lucro obtinendo, ſi Caja hoc velit, debet conditionem implere. Neque hoc cenſetur impedire libertatem Matrimonii, cùm ſit liberum id lucrari vel dimittere, & maneat libertas eligendi unum ex tot nobilibus de patria.

De pactis dotalibus, & aliis, quæ adjungi poſſint ſponſalibus, fuſiſſimè agit Onn. *d.* 37. qui videri poteſt.

147 *Q.* 21. *An, & quomodo puncta pœnalia ſponſalibus adjecta obligent?* R. §. 1. Negant obligare S. Th. *in ſuppl. q.* 43. *ar.* 1. *ad* 4. Beja *p.* 1. *car.* 1. Sanc. *l.* 1. *d.* 30. *n.* 2. Tann. *to.* 4. *d.* 8. *q.* 1. *n.* 44. Tamb. *l.* 8. *tr.* 3. §. 3. Dicaſt. *d.* 1. *n.* 36. Onn. *d.* 34. *n.* 15. Tancr. *l.* 1. *d.* 30. *nu.* 1. kugler *p.* 1. *n.* 42. Averſ. *q.* 8. *ſ.* 9 qui cum Sanch. *d.* 32. & aliis multis id tenet, quamvis adjectum eſſet juramentum. Rationem dant, 1. quia in Cap. *Gemmæ* 29. De ſponſal. Gregorius IX. dicit: *cùm itaque liberæ Matrimonia eſſe debeant, & ideò talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit meritò improbanda, Mandamus, quatenùs ſi ita eſt, eundem B. ut ab extorſione prædictæ pœnæ deſiſtat, Eccleſiaſtica cenſura compellat.* 2. L. I. Titia 134. ff. de verb. oblig. dicitur: *inhoneſtum viſum eſt vinculo pœnæ Matrimonia obſtringi, ſive futura, ſive jam contracta.* 3. L. fin. Cod. de ſponſal. ſic habetur: *extra definitionem autem hujus legis* (quæ erat de arrhis) *ſi cautio pœnam ſtipulationis continens fuerit interpoſita, ex utraque parte nullas vires habebit, cùm in contrahendis nuptiis libera poteſtas eſſe debeat.*

148 §. 2. Ejuſmodi pacta pœnalia adjici poſſe, & obligare, ſi quis ſine juſta causa reſiliat; probabilius tenent Suar. Vaſq. Con. Laym. Barb, Perez, Engel. Vvieſtn. Caſtr. *d.* 1. *p.* 9. *nu.* 3. Pont. *l.* 12. *c.* 19. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 211. Delb. *c.* 8. *d.* 19. *ſ.* 4. Gob. *tr.* 10. *n.* 172. Haunol. *de juſt. to.* 1. *tr.* 4. *à n.* 362. krim *à n.* 152. & tandem in re videtur conſentire Onn. *à n.* 27. ac abſolutè conſentiunt *Mol. & Leſſ.* ſaltem ſi juramentum ſit adjectum. Ratio eſt, 1. quia talia pacta pœnalia

Jure

Jure naturæ honeſtè adjiciuntur contractibus, uti conſtat ex dictis l.3.p.2.n.606. nec in ſponſalibus Jure poſitivo reprobantur, nam leges allatæ fundantur in hoc, ne Matrimonii libertas impediatur, ſed hæc libertas non ideò impeditur, quia libertas moralis non datur ad reſiliendum ſine cauſa, quod enim eſt inhoneſtum, hoc ſecundum leges eſt impoſſibile, ergo leges non favent iſti libertati, ſed tantùm volunt non impediri libertatem ad reſiliendum ſine cauſa, ergo leges illæ permittunt fieri pacta etiam pœnalia ad non reſiliendum ſine cauſa. 2. Per pœnas,& cenſuras Eccleſiaſticas abſterreri poteſt aliquis, ut ſine cauſa non reſiliat ab ejuſmodi ſponſalibus,nam Cap. *Ex litteris* 2. De ſponſal. de tali reſiliente dicitur: *ſi non acquieverit monitis, Eccleſiaſticis cenſuris compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat*, ergo ſimiliter leges allatæ loquuntur tantùm in caſu, quo quis per pœnas adjectas impediretur reſilire cum cauſa; hanc enim libertatem volunt non impediri, & quidem in Cap. *Gemma*, ſermo eſt de ſponſalibus inter pueros ante ſeptennium contractis per parentes uti fatentur omnes cum Sanch. *n.*3. à quibus, utpote invalidis non licet argumentari ad ſponſalia ab adultis validè contracta. 3. Arrhæ per leges permittuntur,& per leges imponitur earum amiſſio, ſi quis ſine causa reſiliat à ſponsalibus, uti patet ex dictis *n.*134. ergo etiam pacta pœnalia permittuntur contra injuſtè reſilientes. *St dicas*, communiter fieri pactionem de pœna majore ſolvenda pro futuro, arrhæ autem, quæ de præſenti dantur communiter ſunt minores,ideoq; minus impediunt libertatem. *Contrà eſt*: ergo ſaltem valebunt pacta pœnalia de pœnis modicis & non valebunt arrhæ magni pretii,quorum primum eſt contra plerosque Adverſarios,poſtremum contra omnes. Hinc rectè dicunt Engel. & Delb. *n.* 10. impoſſibile eſſe aſſignare ſufficientem rationem diſparitatis quoad arrhas, & pœnas, cùm evidens ſit iſtam arrhæ amittendæ ſtipulationem habere rationem pœnæ. Et addit Delb. *ſect.* 5. cum Krim. *n.* 158. adjici poſſe ſponsalibus pactum de ſolvenda à marito pœna, ſi extra caſus à jure conceſſos vellet uxorem repudiare, aut admittere concubinam, &c. cùm id nullatenùs impediat libertatem Matrimonii.

Obji. Jus aliter loquitur de arrhis, & prohibet pœnas: nos autem ſimiliter loquimur de arrhis, & pœnis, nam dicimus neutras valere contra juſtè reſilientem, & utrasque valere contra injuſtè reſilientem, ergo non loquimur conformiter Juri Reſp.n.c nam Jus etiam non permittit arrhas contra juſtè reſilientem, &, uti oſtendimus, permittit pœnas contra injuſtè reſilientem, ergo in nullo eſt nobis difforme, quamvis de pœnis contra injuſtè reſilientem non ita clarè expreſſerit, ſicuti expreſſit de arrhis, quod non erat opus, cùm ſatis colligeretur ex dictis de arrhis.

149 §. 3. Communior ſententia eſt cum *Gutt.* quòd non ſit obligatio ſolvendi pœnas conventionales,quæ per leges adjiciuntur pacto ſponsalitio, niſi poſt ſententiam Judicis, qui illas attemperare poteſt ſecundùm delictum, & circumſtantias, quamvis aliàs pœnæ adjectæ per contractus debeantur ante omnem ſententiam,ſaltem ſi alter exigat,uti dictum eſt *l.3.p.1.n.606.*

Imò *Sanch. & Onz.* ſuprà, licèt cum prima ſententia dicant pœnam ſponsalibus adjectam eſſe irritam, tamen putant, ſi ſoluta ſit, non eſſe obligationem reſtituendi, quia lex tantùm irritat promiſſionem pœnæ, non autem retentionem, eò quòd ille, qui dedit, præſumatur remittere, ſi non reperat.

150 §. 4. Si pœna ſolvenda ab injuſtè reſiliente, promiſſa ſit addito juramento,multò magis obligat etiam ſecundùm plerosq; authores, qui dicunt tale pactum pœnale eſſe irritum, uti rectà probat Onn.*n.* 18. quia adjectio talis pœnæ non eſt Jure naturæ irrita, nec contra bonos mores naturales, ergo talis contractus firmatur iſto juramento,uti dictum eſt *l.3.p.2.n.732.* E contra ſi jurarint ſolvere pœnam, etiamſi juſtè reſilirent, probabile eſt non obligari, non ex juſtitia, quia promiſſio irritatur per Cap. *Gemma*; neque ex religione,nam cùm tale juramentum ſit contra libertatem,quam in Matrimonio voluit eſſe Chriſtus,videtur eſſe contra bonos mores, ideóque non acceptari à Deo.

Qui plura volet de pactis doralibus, etiam pœnalibus,cóſulat Caſtrop. *d.* 1. *pu.* 9. & 15. item Gob. *à n.* 170.

Q. 22. *Quid liceat ſponſis?* Reſp.§.1. *Buſemb.* relatus hic *n.* 57. citans pro ſe *Sanch. & Dian.* dicit illis non licere tactus impudicos, quia proximè diſponunt ad effuſionem ſeminis, attamen licere amplexus, & oscula in ſignum amoris. Relatus *l.* 3. *p.*1. *n.*887. ſequens *Sanch. & Bon.* dicit, licere illis tactus pudicos in partibus honeſtis, ſi tantùm intendant delectationem ſenſitivam, non autem, ſi veneream. Navarr. Sanch.*l.9.d.*46. *n.*47 Gob.*tr.*10.*n.*670. Spor. *in theol. mor.par.*1.*tr.*1.*cap.*6.*num.*41. dicunt oſcula,amplexus, & tactus non nimiùm ex objecto impudicos, & notabiliter non moventes ad libidinem licere illis, ac cohoneſtari per ſponsalia, maximè ſi fiant ad bonum finem,nempe ad conciliandum,vel cóteſtandum amorem,etiamſi præter intentionem, & ſecluso periculo conſensus aut pollutionis,ſequeretur commotio ſenſibilis, quia habent jus remotum ad copulam, ergo etiam ad illos actus, qui ſunt remota diſpoſitio ad copulam. Addunt aliqui apud Mendo *diſſ.* 5. *n.* 115. quod etiam tenet Gob. *num.* 671. in eo casu, quo ſponſi eſſent habendi pro nimiùm auſteris,& inurbanis, niſi darent oscula, & amplexus, non fore mortale, quamvis ex tali actu prævideret orituram pollutionem, dummodò illa non intendatur, & abſit periculum conſensus, quia tunc ſufficiens causa eſt illa ponendi: quòd autem ex illis ſequatur pollutio, putant eſſe per accidens. E contrà Suar. *de peccat d.* 5. *ſect.*5. *n.*12. Leſſ. Henriq. Comit. Hurt. & alii cum Mendo probabiliùs dicunt, iſta non aliter licere ſponſis, quàm aliis omninò ſolutis; ideò enim non licent ſolutis, quia illis non licet copula, atqui etiam ſponſis non licet copula, ergo nec tactus, oſcula, amplexus. Nec refert, quòd inituri ſint Matrimonium, tum, quia etiam alii ſoluti inire poſſunt, & fortè volunt, tum maximè, quia Matrimonium neccdum eſt, quod ſolum cohoneſtat talia in conjugibus, eò quòd his licita ſit copula; ſicuti enim ex eo, quòd aliquis eras futurus ſit Judex, non ideò ipſi licitum eſt hodie obire munus Judicis, ita & hic, & conſequenter, ſicuti ſolutis quandoque licent oscula non impudica, v. g. propter morem patriæ, ita & ſponſis licebunt in ſignum mutuæ benevolentiæ. Quod autem *Buſemb.* dicit, licere illa ſponſis, ſi tantùm intendant delectationem ſenſitivam, non videtur practicè probabile, uti dixi *l.3.q.*1. *n.*895. & *l.5.n.*106. quia ordinariè ſemper aderit certum periculum conſentiendi in delectationem veneream, quæ ſimul erit conjuncta.

§. 2. Licitum eſſe ſponso *delectari* de copula in 152
Matrimonio habenda, *docuerunt multi* apud Moyam *tr.3.diſp.3.n.*68. Idem *dixerunt aliqui* de delectatione ſub conditione, ſi *adeſſet* Matrimonium, ut refert Moya *n.*69. Præterea Sanch. *l.*47. Dian *p.*3 *tr.*5.*R.*2 Gob.*n.*674 Spor. *docet*, licitum eſſe ſponsis conſensum in ipsam *copulam* ut futuram, talis enim conſensus ſaltem *implicitus* videtur includi in *ipſo* contractu Matrimonii: unde etiam licitum *eſſe* dicunt *deſiderium illius*;item,gaudium & delectationem radefiderium *de futura* copula, ejuſque delectatione cationalem *capienda*,cum enim ex ipſis ſponſalibus contractis talis

copula,

copula,& delectatio aliquando futura sit licita,voluntas videtur sequi intellectum repræsentantem eam ut futuram licitam. & hoc nihil est aliud, inquiunt, quàm gaudere, & delectari de spe boni futuri, quæ spes præsens est, & licita. E contrà Suar. suprà, Castrop Ovied. *de peccat. contr.* 4. *n.* 50. Dicast. Moya *à n.* 88. Aversa. *quæst.* 1. *sect.* 8. §. *ult.* & *alii*, meliùs contradicunt;quia licèt intendat delectationem tantùm spiritualem,aderit periculum, vel consensus in delectationem venereamm præsentem, vel desiderii pro præsenti, vel pollutionis,quæ omnia in sponsis sunt peccata mortalia. Deinde, non est in potestate nostra sistere in delectatione rationali, sed naturaliter simul oritur delectatio sensitiva,aliæque commotiones pravæ, uti constat ex dictis *l.* 3. *p.* 1. *n.* 910. in has autem facillimè consentiet voluntas. Prætereà, qui delectatur copula ut futura, fermè necessariò delectabitur objecto turpi nunc illicito, & nunc intentionaliter præsente, ut rectè notant Carden. & Less. *in auct. v. Luxuria*, ergo, cùm secundùm dicta in *l.* 3. *p.* 1. *n.* 892. delectatio etiam merè spiritualis in objecto venereo, licèt præscindatur à commotione spirituum genitalium,semper sit mortale in homine soluto, talis delectatio, vel desiderium copulæ, ut futuræ, in praxi non licebit. *Nec refert*, quòd objectum talis delectationis vel desiderii videatur esse licitum, cùm sit copula in Matrimonio, *nam* est licitum conjugato, sed illicitum non conjugato, uti dixi *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1025. Deinde quamvis objiceretur copula licita, adhuc manet, quòd delectatio in illa sit inchoatio copulæ, quæ hic simul est cum commotione spirituum genitalium, & est illicita sponso. Et hinc etiam colligitur,cur fortè delectatio simplex comestionis carnium in die jejunii non pugnet cum temperantiâ, ut tenent authores aliqui relati *l.* 5. *n.* 81.è contrà delectatio sponsi in copula futura pugnet cum castitate, nam disparitatem dant illi authores, quòd talis delectatio comestionis carnium non causet affectum oppositum temperantiæ, quæ adhuc potest continere appetitum intra fines suæ honestatis, oppositum autem est in nostro casu, & ideò ibidem *n.* 90. dixi, quamvis ex parte objecti alicujus nulla esset malitia, attamen delectationem ex parte sui posse habere malitiam, sic enim solutus peccat mortaliter, si morosè delectetur de copula, quam licitè habent duo conjuges,quamvis copula illa conjugum sit objectum in se omninò licitum.

Obj. Sponsus licitè desiderat Matrimonium, & licitè delectatur illo tanquam objecto honesto, ergo etiam licitè desiderat, & delectatur in copula, quæ est finis, & usus licitus Matrimonii. Resp. Idem argumentum valet de omni etiam soluto non sponso: itaque n.c. nam desiderando Matrimonium, & se delectando in ejus honestate, etiam desiderat, & se delectat in statu,in quo licita erit copula, jam tamen illicitum est ipsi desiderium vel delectatio immediatè de illa copula,cùm hæc sit objectum jam ipsi illicitũ.

Inst. Saltem sponsus volens Matrimonium, potest etiam efficaciter velle copulam suo tempore futuram, dummodò jam non delectetur in ea, certum enim videtur posse aliquem efficaciter velle aliquod objectum, quamvis in eo non delectetur; ejus enim agnoscens se justè condemnatum,potest efficaciter velle patibulum, quamvis in eo non delectetur. R. Hoc speculativè tantùm dici in materia luxuriæ, nam moraliter impossibile est, quin simul delectetur in copula intentionaliter præsente: sed casu dato,adhuc dico illicite nunc velle eam immediatè in se, quia est objectum, jam ipsi turpe, & illicitum, non aliter, ac cuicumque alteri homini soluto; non item patibulum, supposita condemnatione justa.

153 §. 3. Quamvis sustineretur, quòd delectatio rationalis, vel desiderium rationale copulæ, ut futuræ, licita esset sponsis, tamen id sustineri non posset de delectatione vel desiderio appetitus sensitivi: & disparitatem dat Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 2. *à n.* 33. quia quamvis utraque sit de eodem objecto, tamen delectatio voluntatis sequitur cognitionem intellectus; delectatio appetitus sensitivi sequitur imaginationem phantasiæ, jam verò intellectus videtur posse illam copulam proponere nunc sub conditione licitam, v. g. si esset conjux, si esset status Matrimonii, ergo voluntas videtur per desiderium, vel per delectationem simpliciter tendere in eam, ut propositam sub tali conditione,per quam separatur ab omni malitia: è contrà, phantasia non potest apponere ullam conditionem, tum, quia in omni conditionali est quædam illatio, v. g. *si est homo, est animal*, nam æquivalet huic, *est homo, ergo est animal*, hoc autem non convenit phantasiæ, tum etiam, quia in ejusmodi conditionalibus est præcisio unius rationis ab alia, si enim quis appetat copulam cum aliqua, si esset sua uxor, hoc ipso, quòd non sit uxor, & sit appetitus copulæ, , debet ratio copulæ præscindi à ratione malitiæ,hoc autem non convenit phantasiæ, ergo delectatio appetitus sensitivi non potest ferri in copulam sub conditione aliqua licita, ergo hoc ipso, quòd nunc adsit delectatio appetitus sensitivi, sic fertur in copulam absolutè, quæ nunc est illicita.

Obj. Ergo etiam peccabit, qui delectationem appetitus sensitivi habent in his objectis, v.g. si laicus imaginetur se Sacerdotem esse, & audire confessiones; si privatus imaginetur se esse Judicem, & aliquem justè condemnare ad mortem, &c. deficiente enim conditione sacerdotii, & potestatis publicæ hæc objecta sunt mala. R. neg. seq. quia aliqua sunt, quæ specialem habent turpitudinem, si appetitus per delectationem sensitivam in ea feratur, talia sunt copula, vindicta, fraus, & similia; sive est illicitum delectari de his per appetitum sensitivum, quando conditio non subest: è contrà alia sunt, quæ secundùm se non important turpitudinem, sed potiùs sonant bonum,& de his etiam sensitivè delectari,quamvis non subsit conditio, non censetur malum: tale quid est audire confessiones, esse Judicem, &c. ratio à priori est, quia pro his objicitur aliqua ratio communis abstrahens à licito,& illicito,in aliis non item.

§. 4. Etiam in sententia eorum, qui dicunt 154
sponsis licita esse aliqua, quæ non licent solutis, tenendum est ea non esse licita sponsis inter se consanguineis, aut aliter impeditis, uti nec illis, qui sub aliqua conditione iniverunt sponsalia, quia dispensatione non obtenta, aut conditione non impleta, necdum sunt absolutè, & simpliciter sponsalia, ergo necdum est hoc, per quod authores illi dicunt talia cohonestari,Sanch. *l.* 5. *d.* 5. *n.* 38. & 40. Aversa. suprà, Gob. *n.* 672. Spor. *n* 180. & 262.

§. 5. Si sponsus vel sponsa peccet contra fidem 155
in sponsalibus datam, dixi *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1058. probabile esse, quòd non ideò contrahatur species malitiæ contra justitiam: & hoc etiam absolutè tenet Aversa. *q.* 8. *s.* 14 Mastr. *n.* 73. Krim. *n.* 184. Oppositum tamen dixi etiam esse probabile, quod cum multis tenet kugler. *p.* 2. *n.* 24. quamvis in rigore non sit adulterium, cùm non sit violatio tori sui vel alieni. Addidi *n.* 1075. probabilius videri, quòd accedat species incestus, si sponsus cognoscat sororem suæ sponsæ. An autem peccet sponsus,si cum sponsa in peccato mortali constituta contrahat Matrimonium, dixi *l.* 6. *p.* 1. *n.* 147.

DUBIUM III.

Quomodo dissolvantur sponsalia. 156

R. I. Dissolvuntur seq. casibus, I. Per Matrimo- „
nium validum cum alia initum, Bon. *q.* 1. *p.* 7. „
„ II. Per

» II. Per mutuum consensum, sicut quivis contra-
»ctus, Laym. *l.5.t.10.p.1.c.2.n.*.
» III. Si superveniat impedimentum dirimens Ma-
»trimonium, Bon. *p.8.n 5.*
» IV. Per atrox crimen alterius sponsi, solvuntur
»ex parte innocentis: quale censetur.
» 1. Fornicatio, sive spiritualis, ut hæresis; sive cor-
»poralis, tam sponsi, quàm sponsæ, post sponsalia; &
»sponsæ etiam ante illa, sed à sponso ignorata, licèt
»per vim facta. Bon. *p.* 8. Imò si sponsa permittat se
»tangi impudicè ab alio per oscula, & amplexus,
»potest sponsus resilire à sponsalibus, sed non vice
»versa, quia etsi sponsus id faciat, nō est dedecus spon-
»sæ, nec mutatio alicujus momenti, Regin. Sanch.
»Dian. *par.3.t.4.Res.*283. Limitat autē Kon. & Laym.
»nisi talia oscula, & tactus sint ita frequentes, ut in-
»dicent valdè propensum sponsi animum in alteram,
»ut meritò timeri possit, ne sponsæ non sit fidē serva-
»turus. Si autem uterque sponsus fornicetur post
»sponsalia, neutrum posse resilire docet *Palaus*, &
»*Bon.* contra *Kon. Regin. Sanc. Lay. Pont.* qui soli viro id
»eo casu permittunt, cò quòd delicta sint imparia, &
»longè gravius damnum immineat ipsi propter in-
»certitudinem prolis, Dian. *R.*284.
» 2. Furtum grave, homicidium, &c. vel simile,
»quod grave damnum, vel infamiam pariat, Bon.
»*p.*8 *n.*12.
» V. Si notabilis mutatio accidat, vel detegatur,
»quæ si à principio cognita fuisset, à sponsalibus de-
»terruisset; qualis esset v.g.
» 1. Inimicitia, vel odium grave inter sponsos. Quò
»refertur morum asperitas, vel sævitia post sponsalia
»primùm cognita: item justus timor, ne ex Matri-
»monio scandala, & gravia odia nascantur inter pa-
»rentes, vel consanguineos, Laym. *c.1. n.* 78. Bon. *n.*
»8. *&c.*
» 2. Si alteruter incidat in lepram, paralysin, mor-
»bum gallicum, &c. si graviter mutiletur, ut amis-
»sione oculi, nasi; vel aliter graviter deformetur,
»præsertim sponsa, vel sponsus reddatur ineptus ad
»opificium exercendum, vel acquirendum officium
»ad sustentationem familiæ necessarium, Dian. *R.* 85.
»ex Sanch. *l.1.de Matr.d.* 57. Kon. *d.* 23. *n.* 8 Laym.
»Bon. *ll. cc.* Non tamen tenetur sponte aperire tales
»defectus, qui reddant nuptias minùs quidem appe-
»tibiles, non tamen pernicioſas; præsertim si aliquam
»infamiam habeant adjunctam (v.g. si sponsa vi, vel
»sponte fuisset corrupta) dummodò tamen contra-
»rium positivè verbo factove non simulet; potest-
»que interrogatus licitè dissimulare, & contrahere
»Matrimonium. Si verò defectus sint pernicioſi, v.
»g. morbus contagioſus, gravis infamia, sive persona-
»lis, sive generis, aut familiæ, non licet (etiamsi post
»sponsalia contracta in eos inciderit) contrahere
»cum eorum ignaro, nisi similes defectus ipse patia-
»tur, Con. Pont. Dian. *R.*287. Ubi ex Con. & Sanch.
»contrà Pont. Nav. &c. infert, sponsam post sponsalia
»corruptam posse sponsum, defectus istius occulti
»ignarum, cogere ad standum sponsalibus, & contra-
»hendum Matrimonium.
» 3. Si magna alterius debita detegantur, vel grave
»sit periculum fortunarum, famæ, morbi, paupertatis,
»&c. vel sponsa dotem promissam afferre nequeat,
»vel denique si sponsus incipiat vagari cum incom-
»modo sponsæ, Bon. *l c.* Quòd si autem defectu spon-
»sæ detecto dubitet sponsus, an si eum ab initio cog
»novisset, contracturus fuisset, tum si defectus ille
»censeatur gravis ac notabilis, præsumetur pro spon-
»so, cui liberum erit resilire, Sanch. Bon. Tancred. *t.1.*
»*l.1.d.*65. secus, si defectus sit levis, Bardi *l.* 6. *c.* 11.
»*p.* 7.

VI. Si alter sine alterius licentia proficiscatur in-
»terram longinquam; quia censetur renunciare suo
»juri, Laym. *l. c.* Bonac. *p.*6. »

VII. Si sint inita cum conditione certo tempore
»contrahendi Matrimonium, liberatur obligatione is,
»per quem non stetit, quò minùs sit contractum,
»Laym *n.*16. »

VIII. Solvuntur, licèt sint jurata, per susceptio-
»nem Ordinis sacri, vel ingressum alterius in Reli-
»gionem, aut votum eam ingrediendi, Laym. *l. c.* Bo-
»nac. *p.* 5. Nec obstat, si hic postèa ad sæculum re-
»deat, ut docet Sanch. *l.* 1. *d.* 24. licèt Præpositus,
»Fill. & alii putent talem ex parte sua prioribus spon-
»salibus teneri, uti etiam ad damna resarcienda spon-
»sæ, si quæ passa esset. Unde non posset ingredi Re-
»ligionem, si sponsam defloraſſet, nec aliter quàm per
»Matrimonium posset resarcire damnum. V. Dian. *R.*
»207. Bon. *l.c.* »

IX. Probabile est solvi etiam per votum simplex
»castitatis, ut docent *Suar. Azor.* & alii, cùm hoc sit
»de meliori bono; etsi contrarium doceant *Fill.*
»*Sanch. Kon. & alii*, eò quòd Deus non acceptet pro-
»missionem rei alteri promissæ, & in alterius præ-
»judicium. Unde etiam in foro externo talis soleat
»compelli, ut vel fidem servet, vel intret Religionem.
»Interim post tale votum alteri parti datur jus spon-
»salia solvendi, eò quòd vovens resilierit, & censeatur
»juri suo renunciasse. V. Bon. *p.5.n.*13. »

X. Per Matrimonium validum dissolvitur saltem
»quoad eum, qui non contraxit Matrimonium; quoad
»eum verò, qui contraxit, non extingui obligatio-
»nem, si alter expectet, sed suspendi, & Matrimonio
»isto soluto teneri ad implenda sponsalia priora, do-
»cet *Pont.* contra *Sanch.* qui vult omninò dissolvi. V.
»Dian *R.*209. »

XI. Si sponso nova superveniat hæreditas, ita ut
»illi sponsa jam sit inæqualis, non habet ideò jus resi-
»liendi, quia non est deceptus in conditione sponsæ,
»in qua nulla facta est mutatio. Idem est de sponsa,
»si ipsi hæreditas nova superveniat, Sanch. Kon. Re-
»gin. Dian. *R.*186. »

Resp. II. In supradictis casibus, quando manifestæ
»sunt, non requiritur authoritas Judicis ad dissolven-
»da sponsalia: alioqui requirit ur Quòd si sponsus
»cognito suo jure resiliendi, nihilominùs carnaliter
»cognovit sponsam, censetur tacitè suo juri renun-
»ciasse, & sponsalia ratificasse. Laym. *n.* 23. »

ADDENDA.

Q*Uæst.*23. *Quid præterea sit notandum circa dissolutionem ex mutuo consensu?* R. §. 1. Certum videtur contra paucos apud Averſ. *q.* 8. *s.* 11. sponsalia puberum posse dissolvi mutuo consensu, quia, per se loquendo, *omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Leg. 1. De reg. Jur. Et idem dicitur Cap. 2. De sponsal. singuli enim possunt cedere juri suo. Quod tenet, etiamsi adjectum esset juramentum, aut votum etiam principaliter in honorem Dei, ut, si aliquis ex pietate juraſſet ducere hanc pauperem puellam, ne innupta veniret in pericula animæ, sicuti enim in sponsalibus semper imbibitur illa conditio, *nisi ab illo, cui spondeo, remissa fuerit obligatio*, ita & in juramento vel voto illis adjecto. Deinde mutuo consensu tollitur obligatio contracta in gratiam alterius, quæ obligatio est materia juramenti, sublata autem materia juramenti tollitur juramentum: præterea Deus non acceptat, nisi in gratiâ sponsæ, ergo si sponsa remittat, absolvitur sponsus, Castrop. *t.1.p.17.n.*4. Dian. *p.* 9. *tr.* 7. *R. ult.* Averſ. §. *Quinto* Gob. *tr.*10. *n.*251. Spor. *n.*196. Krim. *n.*219 contra alios. *Nec obstat* 1, quòd *n.* 107. dixerim eum qui

sponsalia ex metu levi inita, juravit, ex religione teneri observare, donec juramentum dispensetur vel relaxetur, *nam* juramenta sponsalium imbibunt conditionem, si sponsus vel sponsa non remittat, quod in hoc casu non fit, qui enim metu coegit, non remittit, sed pergit urgere, uti supponitur. *Nec obstat*, 2. quòd *n.* 114. dixerim sponsalia impuberum jurata obligare, quamvis pars altera remitteret; *nam* Jus disposuit, ut remittere non possit, secundùm dicta *numero* 113.

158 §. 2. Sponsi, qui sine rationabili causa etiam mutuo consensu dissolvunt sponsalia, præsertim jurata, videntur peccare venialiter, est enim levitas sine causa resilire à fide data, Gob. *n.* 256.

159 §. 3. Si unus absque justa causa petat relaxationem sponsalium, potest alter exigere aliquod munus, seu pecuniam in compensationem: si autem ille petat cum justa causa, alter nihil potest exigere, quia ille jus habet ad dissolvendum, nec æquum est, ut emat rem suam, Gob. *n.* 265.

160 §. 4. Si alteruter non liberè consentiat, sed fraude, metu, vel aliter injustè inductus dissolvat sponsalia, dissolutio est invalida, quia hæc remissio est quædam species donationis, quæ debet esse liberalis, & libera, Averſ. & Spor. suprà, Gob. *n.* 258. Et ex dictis resolvitur sequens casus.

Titius contraxit sponsalia cum Caja, sed videns sibi affulgere spem connubii cum Sempronia ditiore, abstinuit quidem à sponsalibus cum Sempronia contrahendis, attamen non excurrit, ut solebat, ad Cajam, sed mensibus ferè decem ab ejus consortio abstinuit, scriptis quandoque ad eam litteris hinc inde querulis, captans saltem indirectè hac ratione occasionem dissolvendi sponsalia cum Caja, quæ etiam inaudiens, quòd cum Sempronia familiariùs ageret, arrham ei remittit, liberumque relinquit facere, quod velit, exprobrata duriùs ei sua infidelitate, desuperque conscientiam gravans. *Quæritur*, an Titius peccarit, & sponsalibus sic dissolutis tutò possit inire nova cum Sempronia. Resp. 1. Titius, per se loquendo, peccavit mortaliter, quia egit contra jus magni momenti Cajæ acquisitum per contractum, cujus obligationem, si liceret etiam indirectè ita tollere, vix ulla sponsalia possent manere firma. Nec causa resiliendi sufficiens videtur esse præcisè sponsa melior, cùm per hoc status primæ non immutetur, neque notabiliter varientur circumstantiæ priorum sponsalium: suppono autem, quòd & cum Caja juxta statum suum commodè vivere possit, quamvis fortè minùs commodè. 2. Caja dicens, se onerare conscientiam Titii videtur significare, quòd non cedat jure, sed tantùm nolit convenire in foro externo, unde Titius manet obligatus, nisi Caja ob hanc fortè offensam liberè remittat jus suum, & debet de hoc se certiorare Titius, cum jus Cajæ sit in possessione. 3. Caja acquisivit jus ad arrham, quia Titius sine culpa Cajæ resiliit, & sine causa, unde si Caja ideò reddidit, quia putabat se teneri reddere, erravit, & noluit reddere, si non tenebatur, ergo cùm non teneretur, noluit à se abdicare, unde Titius tenetur ipsi reddere; ficuti si solvissem pecunias putans me debere, cùm non deberem, non exui me dominio, sed alter teneretur mihi restituere. Potuit tamen Caja absolutè velle reddere, v. gr. ut se generosam ostenderet, nolens aliquid ab illo habere, de qua mente Cajæ tenetur se iterum certiorare Titius, cùm jus Cajæ sit in possessione.

161 Q. 24. *Quid addendum sit circa dissolutionem ob crimen?* Resp. §. 1. *Armill.* & alii dicunt, sponsalia non rumpi per illatam sponsæ à tertio vim, seu stuprum, quia si essent conjuges, non ideò separarentur toro, nec per hoc violata est fides, nec ideò præsumi potest periculum ejus violandæ. Oppositа sententia, quam communiter tenent Theologi, & Juristæ cum Sanch. *l.* 1. *d.* 55. *n.* 7. Averſ. *q.* 8. *s.* 14. Mastr. *n.* 84. Krim. *n.* 309. Kugler *p.* 3. *n.* 83. est probabilior, & colligitur, ex Cap. *Raptor.* 27. *q.* 2. Ratio autem est, quia sponsa per hoc est reddita notabiliter vilior, tum maximè, quia sponsus exponeretur periculo alendæ prolis, quod subire non tenetur. Quæ rationes non tenent, si sponsus metu gravi cogeretur fornicari, hinc communis cum Sanch. *n.* 8. tenet, non ideò posset resilire sponsam. Si tamen hæc propterea horrorem haberet ab hoc sponso, Krim. *n.* 310. dicit non esse cogendam ducere.

§. 2. Si uterque post sponsalia fornicetur, quid 162
Authores dicant, refert Busemb. suprà, & plures pro singulis sententiis adducit Averſ. §. *Porrò*. Ratio autem eorum, qui dicunt cum *Bonac.* neutrum posse resilire, est, quia delictum unius compensatur per delictum alterius. *Nec refert*, quòd delictum sponsæ censeatur gravius, *nam* adulterium uxoris etiam censetur gravius, & tamen, si tam vir quàm uxor adulterarint, delicta se compensent, & non fit divortium. Ratio eorum, qui dicunt, solum sponsum posse resilire, est, quia in sponsa est hoc fœdius, quæ fit notabiliter vilior, & quia fit incertum, cujus sit futura proles, Castrop. *d.* 1. *p.* 21. Averſ. Krim. *n.* 312. Kugler *p.* 3. *n.* 89. probabiliùs dicunt utrumque posse resilire, quia uterque violat fidem, ergo uterque dat alteri jus resiliendi. Et sponsum posse rejicere sponsam fornicariam non obstante vinculo juramenti, deciditur Cap. *Quemadmodum* 25. de jurejurando.

§. 3. Si adsit sola præsumptio commissæ fornica- 163
tionis, uti si sponsa frequenter domum illius, cum quo scitur peccasse ante sponsalia, Menoch apud Gob. *n.* 329. putat hoc sufficere ad dissolvenda sponsalia, sed oppositum est probabilius; nam præsumptio illa fieri non debet, quia delicta non præsumuntur, ergo sponsalia manent in possessione. Poterit tamen suspendi Matrimonium, donec facta sit inquisitio, &, quantum fieri potest, sit comperta veritas.

§. 4. Si sponsus resciat sponsam admittere ab alio 164
tactus, vel oscula impudica, secundùm *Pontium* potest resilire, id tamen negat licere sponsæ, si sponsus ista faciat: limitat *Lym.* nisi ejusmodi actus essent frequentes, sed *Castrop. & Krim.* dicunt similiter licere sponsæ, quia hi actus denotant levem animum sponsi cum periculo minoris etiam post contractum Matrimonium amoris erga sponsam.

§. 5. Si unus sponsorum incidat in hæresin, est suffi- 165
ciens causa resiliendi (imò & ordinariè obligatio) si enim sufficiat superveniens deformitas corporis, multò magis animæ, præsertim cùm ordinariè habiturus sit periculum perversionis in se vel in prolibus, Krim. *n.* 314.

§. 6. Solus ille, qui injuriam passus est, potest resi- 166
lire, non autem alter, Averſ. *s.* 4. & 14. Krim. 308. & colligitur ex dictis *l.* 2. *p.* 2. *n.* 641. *Nec obstat* quòd sponsalia non possint claudicare, sed vel debeat esse ex utraque, vel ex neutra parte obligatio: *nam* hoc datò saltem ille, qui injuriam fecit, tenetur ex sua simplici promissione ab altero acceptata.

Q. 25. *Quid notandum sit circa varias mutationes*, 167
quæ fortè superveniunt? R. §. 1. Quamvis in aliis contractibus onerosis non admittatur ea regula, quòd licitum sit resilire, si superveniat notabilis difficultas, vel causa, quæ si initio prævisa fuisset, contractus non fuisset factus, uti constat ex dictis *l.* 3. *p.* 2. *à n.* 620. tamen hæc regula ordinariè valet in sponsalibus, quia promissio Matrimonii, quod inducit vinculum indissolubile, requirit majorem libertatem, neque intentio spondentis censetur se extendisse ad casum ita difficilem, Navar. Henr. Sanch. Castrop. *d.* 1.

d. 1. *par.* 28. *n.* 6. Aversf. *q.* 8. *sect.* 14. Gob. *tr.* 10. *n.* 310. Sporer *n.* 215. Notandum tamen est, quòd sponsalia communiter non fiant, propriè loquendo, sub hac, vel simili conditione, *si non oriatur mutatio*, nec propriè loquendo imbibunt talem conditionem, sed sunt absoluta, & ab initio valida, ideóque afferunt publicam honestatem, & etiam tribuunt uni jus alterum obligandi cum potestate remittendi eam obligationem, quod non facerent, si ab initio non essent absoluta, & valida: nihilominùs semper reservatur facultas illa rescindendi, si aliquid interveniat, vel innotescat, quod communiter habetur pro justa causa dissolutionis: hinc, quando post contracta sponsalia inconveniens aliquod notabile, quod à principio existens impediret ea contrahi, supervenit, præbet justam dissolvendi causam, quia rebus notabiliter mutatis promissio non obligat, etiamsi esset jurata, Cap. *Quemadmodum* 25. De jurejurando, Sanch. *l.* 1. *dist.* 62. *à n.* 3. Aversf. §. *Tertiò*, juramentum enim includit exceptiones, quas includit contractus, cui adjicitur, secundùm dicta *n.* 157.

168 §. 2. Si dubium sit, an mutatio sit talis, ut, si prævisa fuisset, impediviset sponsalia, interrogari debet ille, qui resilire vult, an, si eo tempore hoc ipsi dictum fuisset, noluisset contrahere: affirmanti autem vel neganti, maximè, si addat juramentum, credi debet, Sanch. *d.* 26. *n.* 9. Fill. Laym. Gob. *à n.* 299. Spor. *n.* 215. Unde, si nihilominùs contraxisset, nunc non potest dissolvere post cognitam illam causam, quia quod non dedit causam contractui, nullam facit mutationem respectu consensus, qui ad illam causam non attendebat, Mol. Sanch. *d.* 65. *n.* 2. Castr. *p.* 29. *n.* 2. Tamb. *tr.* 4. *c.* 5. §. 9. *n.* 5. Si autem nunc ipsemet dubitas, an contracturus fuisses, necne, Leand. apud Tamb. *n.* 3. dicit, si defectus sit gravis, præsumi non fuisse contracturum, secus, si levis tantùm.

169 §. 3. Inimicitiæ ortæ inter parentes sponsorum, sunt causa sufficiens dissolvendi, Gob. *n.* 337. Spor. *n.* 216. Si inter sponsos ipsos sint ortæ, qui fuit causa, tenetur priùs adhibere media ordinaria ad pacem reducendam, alioquin esset injusta causa dissolutionis, *Sporer*. Similiter si sit certum periculum, & prudens timor, ne parentes sponsorum propter Matrimonium fiant inimici, est causa sufficiens dissolvendi, Sanch. *d.* 14. *n.* 3. Tamb. Busemb. Sporer suprà. Monent tamen sæpè apprehendi tales timores, ubi non sunt, inito enim Matrimonio sæpè statim cessant omnia. Et rectè notant Perez, & Gob *n.* 130. quando non est certum, sed tantùm probabile periculum gravium malorum, aut damna, quæ timentur, non sunt manifestè gravia, manere vim sponsalium, quæ in possessione sunt.

170 §. 4. Vehemens suspicio morbi gravis, & incurabilis, item prudens metus exhæredationis, secundùm Pontium, Tamb. Spor. *à n.* 217. sunt causa sufficiens dissolvendi, quia nemo tenetur se immittere in grave onus morbi, vel paupertatis: sed probabilius videtur oppositum, quia, si non sit causa manifestè justa, sponsalia manent in possessione, ergo saltem expectandum, donec metus ille depellatur.

171 §. 5. Putant Sanch. Pont. Spor. *n.* 271. quòd fœtens halitus sit sufficiens causa dissolvendi sponsalia, quia valdè onerosum est illum debere perpetuò tolerare. Docent iidem cum Castr. Illf. Kugl. *p.* 3. *n.* 101. contra Covar. Lop. Gutt. etiam sufficientem causam esse, si sponsa è pulcherrima fiat notabiliter deformis, quia in materia Matrimonii multùm æstimatur pulchritudo: hinc *Con.* putat etiam sponsam posse resilire, si sponsus fiat horribiliter deformis. Addit Gob. *n.* 305. causam sufficientem esse, si sponsus, qui laborare deberet, comperiatur habere herniam, sed in his aliisque similibus attendi debent circumstantiæ, an non, quamvis hæc fuissent ab initio, illis non obstantibus, fuisset contracturus, uti ante dictum est.

§ 6. Si uterque sponsus in æqualem paupertatem 172
incidat docent Bon. Tam. Spor. *n.* 218. utrumque posse resilire, quia est notabilis mutatio, nec dari potest compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius, cùm neutra aliquid afferat. E contrà *Reb. Pont.* & alii dicunt tenere sponsalia, quia manent, ut fuerunt, omnia æqualia: utraque sententia est probabilis, prima tamen videtur probabilior, quia meritò posset alteruter sponsorum jam nolle Matrimonium, cujus onera ob paupertatem præsentem sustineri non possent; si tamen alteruter adhuc vellet Matrimonium cum simili persona, teneretur priorem ducere, Aversf. *§. Quartò.*

§ 7. Plerique cum Busemb. Krim. *n* 311. Kugler *p.* 173
3. *n.* 107. dicunt, si unus repentè fiat multò ditior, vel honoratior, non ideò posse resilire, quia alter per hoc non est factus deterior, sed mansit, qualis erat, & ideò etiam non potest resilire sponsus, etiamsi offeratur ipsi alia ditior. E contrà Amic. Hurtad. Illf. & alii apud Gob. *n* 340. dicunt priorem posse resilire, quia mutatio illa in ipso facta causat inæqualitatem, qualis si fuisset initio utique non contraxisset. Perez *d.* 9. *sect.* 11. distinguit, putatque resilire posse, si iniens sponsalia habuit reflexionem ad æqualitatem opum, vel honorum, è contrà, si sine reflexione ad ista propter aliam causam contraxerit, quæ etiam nunc maneat, dicit non posse resilire, Tamb. §. 8. *n.* 15. & Gob. suprà nolunt judicium suum ferre de his sententiis. *Leand. apud Tamb.* simpliciter dicit utrumque esse probabilem, Sporer *n.* 218. sapienter, ait, consulendum esse alteri, ut non multùm repugnet dissolutioni ob pericula dissensionum in Matrimonio sic quasi coacto, ideóque potiùs petat aliquid in compensationem.

§. 8. Si unus sponsorum incipiat, & etiam invitus 174
pergat ita abhorrere ab altero, ut seriò, & ex judicio conscientiæ dicat, se malle quidlibet pati, quàm inire illud Matrimonium, Gob. *n.* 337. dicit esse causam sufficientem dissolvendi sponsalia, quia ex tali Matrimonio sequentur discordiæ; sed magna hìc cautela est opus, ne detur cuivis occasio tale quid apprehendendi vel confingendi, & inquirendum initia, & causas talis aversionis; potest enim esse ab inanibus phantasiis, quæ inito Matrimonio statim dissipabuntur, uti experientia sæpè docuit. Quòd si esset ex quodam vilipendio sponsæ, quæ admisisset copulam cum sponso, certum est ejusmodi aversionem sponsi non sufficere ad dissolvenda sponsalia.

§. 9. Si sponsa, quæ à sponso non putabatur esse 175
pauper, dotem non afferat, quàvis de hoc non sit facta mentio, erit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, quia in omni actione nuptiali includitur promissio dotis, nisi sponsa sciatur esse pauper: receptum enim est, mulierem nubentem omnia bona sua in dotem promittere, quamvis non exprimat, *Castrop. p.* 28. *n.* 3. Gob. *n.* 339. Krim. *n.* 318. contra Malcard. Barb. & alios.

§. 10. Si omnibus consideratis causa dissolvendi 176
sponsalia maneat dubia, accedere debet judicium, & declaratio Superioris Ecclesiastici, Sanch. *d.* 69. De cætero, pro foro conscientiæ sufficit moralis certitudo, ut dissolvantur etiam propria authoritate, Sanc. *d.* 63. Castr. Hurt. Tamb. *c.* 5. §. 9. *n.* 7. & 8.

Q. 26. *Quid tenendum si circa causas, vel defectus* 177
ignorantes? R. §. 1. Causa vel defectus, qui, si fuisset cognitus, impediviset sponsalia, quamvis antefuit ignoratus, & postea innotescat, cesserit, dat jus ea dissolvendi, quia paria censentur adhuc non apparere, L. *De Lege ff. de contrab.* esse, & ideò etiam paria sunt, aliquid supervenire, emper.

& præcedere ignoranter, res enim dicitur fieri, quando primùm innotescit, Sanch. *l.* 1. *d.* 63. *n.* 2. Less. *l.* 2. *c.* 42. *dub.* 9. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. Mastr. *n.* 86. probatque Sanch. *n.* 7. hoc valere, quamvis adjectum sit juramentum, nam secundùm ante dicta, consensus dabatur cum implicito quasi pacto, si mutatio non superveniret, Gob. *n.* 205. Spor. *n.* 219. notatque Sanch. *d.* 67. non esse opus petere dispensationem, vel relaxationem ejusmodi juramenti, quia non impleta hac quasi exceptione non obligat. Et in omnibus consentiunt plures cum Aversa. *q.* 8. *s.* 15.

178 §. 2. Si sponsus post sponsalia priùs intelligat sponsam fore ineptam generationi, voluit autem talem, quæ esset apta, resilire potest, quia defectus notabilis est detectus Gob. *n.* 344. Porrò Aristoteles putat ineptam esse, si sit 50. annorum, Albertus M. si sit 45. sed attendenda est complexio, & naturalis vigor.

179 §. 3. Si priùs postea innotescat, quòd non habeat insignia nobilitatis, quæ habere eam putavit, etiam est notabilis defectus, præsertim in Germania ratione prolium ad certos canonicatus vel comitia admittendarum, ideóque poterit resilire, Gob. *n* 345.

180 § 4 Si postea innotescat, quòd sponsus ante sponsalia sit fornicatus, *Navarr.* putat sponsam posse resilire, ut sponsus potest resilire, si innotescat sponsam tum esse fornicatam, uti habet communis cum Mastr. *n.* 84. sed oppositum probabiliùs tenent Sanch. Castr. Aversa. *q.* 8. *s.* 15. Mastr. quia vitium illud est minoris æstimationis in sponso, è contrà reddit sponsam longè viliorem. Si tamen sponsus ex fornicatione haberet prolem, sponsa posset resilire, tum quia Matrimonium per hoc redditur notabiliter difficilius propter obligationem alendæ illius prolis, tum quia hoc communiter dat causam discordiarum, Con. Castrop. Krim. *n.* 312.

Objic. Cap. *Quemadmodum*, De jurejurando sic habetur: *Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei opponere fornicationem præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem.* R. Textus loquitur de fornicatione præcedente, & cognita ante sponsalia, uti Gloss & DD. ibi notant.

181 §. 5. Est obligatio manifestandi talem defectum, propter quem Matrimonium alteri parti futurum esset notabiliter difficilius, alioquin fit illi injuria, dum imponitur onus, in quod non consentit, Gob. *n.* 367. Spor. *n.* 219 meritò addens cum Gob. *n.* 474. talem defectum in sponsa esse, si sit imprægnata ab alio, ut dicetur *n.* 183.

182 §. 6. Si unus sponsorum laboret vitio occulto non afferente speciale incommodum, quod tamen, si resciretur, daret justam causam dissolvendi sponsalia, uti si sponsa ante, vel alteruter post sponsalia fornicatus sit, ordinariè potest tacere, sponsalia contrahere, vel post contracta alterum cogere ad Matrimonium: quia, quamvis alter posset ob ejusmodi defectum, aut in pœnam fractæ fidei ei non servare fidem, tamen talem pœnam non tenetur in se exequi, ut praxis probat, nec Confessarii ad hoc obligant, esseque nimis durum obligare ad ita se diffamandum, vel abstinendum à Matrimonio, Sanch. *l.* 1. *d.* 68. *n.* 8. Dicast. Perez, Aversa. *s.* 19. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 20. contra Sotum. Et similiter dicam *n.* 372. adulterum posse tacere, & pergere petere debitum, quamdiu enim ignoratur talis defectus, injustè negaretur Matrimonium, vel debitum, ergo cùm alter non teneatur se manifestare, non peccat petendo hoc, de quo conventum est. *Nec obstat*, quod ementi fiat injuria, si reticeatur vitium mercis, quo cognito non fieret emptio, nam ex dictis *l.* 3. *p.* 2. *n.* 927. & à *n.* 948. constat, non esse opus tale vitium manifestare, si non obstet fini ementis, & specialiter in sponsalibus renunquitur alteri sponso, ut in ejusmodi vitia ipsemet inquirat, nec usus habet, ut altera pars ejusmodi defectus suos detegat, Nav. Con. Dian. Aversa. *sup.* San. *l.* 6. *d.* 27. Pont. *l.* 12. *c.* 18. Dixi, ordinariè, nam aliud est, si periculum esset, ne defectus erumperet, & causaret posteà graves rixas, &c. An peccet contrahens, & tacens impotentiam temporalem coeundi, dicetur *n* 797.

§. 7. Huc pertinet resolutio sequentis casus; Titia 183
imprægnata à Sempronio adultero, quærit, an possit inire Matrimonium cum Cajo proco suo, ut sic vitet infamiam publicam. R. 1. Si Titia absolutè possit aliter vitare illam infamiam, v. g. pariendo alibi, non potest, uti per se patet: si autem aliter non possit vitare illam infamiam, antequàm ineat Matrimonium, tenetur, quoquomodo occulto potest, cogere Sempronium, ut assignet media sustentationis proli spuriæ nascituræ, ne Cajo, & prolibus legitimis causetur damnum. Quòd si Titia non possit aliter vitare infamiam, neque adducere Sempronium, ut damna præcaveat, videri posset Titia inire posse Matrimonium cum Cajo, sub suscepta, in conscientia, strictissima obligatione justitiæ, ut quomodocunque poterit, compenset Cajo, & prolibus legitimè nasciturís damna sustentationis, vel fortè participandæ partis hæreditariæ, procurando suo tempore, ut proles spuria ingrediatur Religionem, aut quocunque prætextu, etiam invita, domo ejiciatur; interim ipsa conetur ex paraphernalibus, vel extraordinaria industria sua, vel aliunde Cajo, & legitimis prolibus compensare dicta damna. Suadetur hoc 1. quia si Titia non posset aliter vitare infamiam istam, quàm illam spuriam prolem exponendo ante ostium Caji, non peccaret, si exponeret, dummodò nulla suspicio, vel infamia redundaret in Cajum, & Titia esset parata, quantum in se est, compensare damnum causandum Cajo ratione prolis alendæ, ergo nec peccaret Titia in talibus circumstantiis imponendo prolem istam in ipsam domum Caji, atqui in substantia, quantùm est ratione damni, plus non facit Titia in nostro casu: ergo 2. Si Titia esset in Matrimonio cum Cajo, & conciperet ex alieno, non teneretur cum infamia sua nequidem soli Cajo hoc significare, sed tacere posset, & permittere damna Caji, ac prolium legitimarum, ergo similiter Titia in casu nostro ad cavendam infamiam suam publicam. 3. Saltem si post contracta sponsalia supervenit illa imprægnatio, poterit Titia ex jure per sponsalia quæsito pergere ad Matrimonium, tacendo. 4. Ratio horum omnium à priori videtur esse, quia nemo tenetur se infamare publicè, ad cavendum, ne ex actione sua jam posita, quam infectam reddere nequit, alius patiatur damnum in bonis fortunæ, quæ minoris sunt æstimationis, quàm famæ, cum enim censetur potiùs permittere damnum alterius, quàm positivè inferre: quod magis valet, si incertum sit, an hoc damnum fortunæ sit secuturum, uti est in nostro casu, quia incertum est, an proles spuria sit nascitura, & supervictura, plurimi enim fœtus emanent, & multi nati emoriuntur. 5. Ratio ulterior etiam à priori est, quia Cajus suppositis talibus circumstantiis non videtur rationabiliter invitus ad talia damna fortunæ, vellet enim sibi hoc fieri, si esset loco Titiæ nunc pœnitentis. Hanc sententiam videtur tenere Dicast. *t.* 10. *d.* 1. *n.* 640. quamvis non ex his rationibus, nam universaliter docet, sponsum vel sponsam posse reticere defectum graviter perniciosum alteri parti, v. g. lepram, morbum gallicum, &c sed R. 2. Absolutè tenendum est Titiam non posse tacito hoc vitio inire Matrimonium ita Con. *d.* 21. *n.* 100. Pont. *l.* 12. *c.* 18. *n.* 6. Perez *d.* 10. *sect.* 2. *n.* 9. Castr. *d.* 12. *p.* 30. *n.* 5. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 287. Gob. *tr.* 10. *n.* 367. Ratio est: quia peccat contra justitiam qui vendit

mercem

mercem valdè vitiosam, vel noxiam, maximè si hoc vitium occultum ab altero deprehendi non possit, uti de lignis putridis traditur L. Julianus, 13. ff. De actione empti: & L. 1. ff De ædilit. edicto; hìc autem in contractum adducitur merx valdè vitiosa, & noxia, ergo. 2. Licèt Titia firmissimè proponat præcavere, aut compensare illa damna Caji, & prolium legitimarum, vixerit, ut possit, quia carebit propriis, & spurius non tenebitur credere, se esse spurium, sed dividet hæreditatem cum aliis, imò quia primò gignetur; speciale jus sibi fortasse attribuet, ergo Titia saltem exponit se periculo proximo injustè damnificandi Cajum, & proles legitimas, ergo hoc ipso peccat. Ad rationes oppositas facilè est respondere. *Ad* 1. Disparitas est, quia si exponeret ante domum, vel etiam in domo Caji, posset Cajus, si vellet, non acceptare, sed vel deponere alibi, vel adferre ad Superiores, quorum esset providere, aut si horum neutrum vellet facere, liberè admitteret; in nostro autem casu planè involuntarius est, & cogitur innocens, & nil sciens, damnum injustum subire. *Ad* 2. Titia tum censeretur se permissivè habere ad damnum, quia non posset aliter impedire salvo jure; quod habet ad famam: sed in nostro casu potest omittere Matrimonium; si non omittat, per illud positivè inducit damna illa Cajo: neque habet jus ad famam cum tali injuria Caji, sed culpæ suæ imputare debet illam infamiam. *Ad* 3. n. ass. quia principalis contractus est Matrimonium adhuc ineundum, ad quod afferret mercem vitiosam, & noxiam, ergo faceret injuriam Cajo, si id non manifestaret. *Ad* 4. nego, quòd habeat se permissivè, sed positivè causat Cajo illud damnum nunc liberè ineundo Matrimonium, ex quo solo redundaret damnum in Cajum. *Ad* 5. Cajus est rationabiliter invitus, & si esset loco Titiæ, irrationabiliter vellet sibi hoc fieri, uti patet ex dictis.

184 §.8. Si sponsa interrogata, dicat se esse virginem, cùm tamen non sit mendacium illud est veniale tantùm, cùm non sit graviter perniciosum, Perez, Gob. *n.* 371. per accidens tamen fieri posset, ut esset mortale, si prudenter timeretur, ne hoc erumperet, & graves inde orirentur discordiæ, tum enim vel esset fatenda veritas, vel non ineunda sponsalia, Castrop. *d.* 1 *p.* 20. *n.* 4. vel defectus arte aliqua tegendus esset in primo congressu maritali, inquit *Avers.* Si autem positivè finxerit se virginem, & ita induxerit ad sponsalia, non potest cogere ad Matrimonium, quia sic positivè fingendo fecit injuriam, quam continuaret, Castrop. *n.* 3. Gob. *n.* 373.

185 §.9. Si putasti virginem, sed posteà intelligas esse viduam, videtur esse causa sufficiens dissolvendi sponsalia, tum quia vidua censetur longè vilior, tum quia tu fieres bigamus, & dissoluto conjugio non posses absque dispensatione promoveri ad Ordines, quod videtur esse notabile incommodum, Sanch. Castrop. *c.* 29. *n.* 6. Averf. *q.* 8 *pct.* 15. contra con.

186 §.10. Si post talem causam supervenientem, aut jam priùs cognitam sponsalia anteà valida ratificaveris, vel expressis verbis, vel ipso facto, & præsertim secuta copula; non est ampliùs potestas resiliendi, quia censeris remisisse jus tuum, & alteri restituisse jus suum pristinum, Sanch. *d.* 66 *n.* 2. Averf. *sect.* 17. Tamb. §. 19. *n* 4. Aliud est, si nesciveris causam resiliendi, aut si tale quid faciens expressè noluisses ratificare sponsalia, tum enim docent Hurtad. Tamb. Gob. *n.* 384. Spor. *n.* 219. contra Sanch te in conscientia non teneri, quia non cessisti juri tuo, cùm copula nequidem implicitè includat voluntatem cedendi illo jure, & præsumptio, quæ est in contrarium, hìc & nunc sciatur niti falso: posset tamen pro foro externo cogi à Judice talem contrarium animum non præsumente. Quod si ratione talis copulæ vel sponsalium causatum esset damnum alteri, hoc compensandum esset, uti certum esse dicit Tamb. *n.* 5.

187 *Q.* 27. *Quid addendum sit circa dissolutionem sponsalium ob ingressu Religionis, votum, Ordines sacros, vel aliud impedimentum superveniens?* Resp. §. 1. Si unus sponsorum ingrediatur Novitiatum Ordinis religiosi, docent plurimi apud Sanch. *l.* 1. *d.* 42. *n.* 2. hoc ipso utrimque dissolvi sponsalia, si enim professio unius ob suam perfectionem utrimque dissolvat Matrimonium ratum, Novitiatus, qui similem perfectionem participat, & est via ad professionem, utrimque dissolvet sponsalia: è contrà *Caj. Durand. Armil.* & alii dicunt, ex neutra parte dissolvi, donec fiat professio, quia nullo Jure, vel lege probari potest ea dissolutio, & si alter è Novitiatu exeat, possunt adimpleri, ergo tempore Novitiatus manente, quamvis sint suspensa, Nav. Sylv. Sanch. Tol. Bon. Castr. *d.* 1. *p.* 16. Mastr. *n.* 80 Averf *q.* 8 *f.* 12. Gob. *n.* 317. Spor. *n.* 203. Kugler *p.* 3. *n.* 31. probabiliùs dicunt dissolvi ex parte illius, qui in sæculo remanet, nam ingrediens censetur renunciare sponsalibus, & ex notabilis mutatio in illo, tum quia gravatur ille, qui remanet (tenebitur enim expectare saltem uno anno) tum quia, qui ingressus est, censetur vilior in ordine ad Matrimonium, quia omnes refugiunt ducere eam, quæ fuit monialis, vel nubere ei, qui fuit monachus. Non dissolvuntur autem ex parte ingressi, uti probabiliùs tenent Con. Hurt. Rebell. Laym. Pont. Castrop. *p.* 21. *n.* 4. Averf. Mastr. Krim *n.* 234. contra Henriq. Sanch. Bonac. Becan. & alios, nam quòd per professionem dissolvatur Matrimonium ratum, hoc scimus ex Jure positivo, & est dispar ratio, quia professio est status, à quo nemo potest recedere; non item Novitiatus, qui non excludit potestatem ad Matrimonium.

188 §.2. Si professio religiosa fieret in fraudem, vel cum damno alterius, v.g sponsæ, spe Matrimonii data corruptæ, quod damnum aliter reparari non posset, quàm per Matrimonium, non solverentur sponsalia, imò professio esset nulla, tam in ratione voti respectu Dei, cùm sit de re hìc, & nunc illicita, quam in ratione contractus respectu Religionis, quæ talem professionem admittere non vult, nec potest, quippe contra jus sponsæ damnificatæ, Averf. *ibi. Tertiò*, Spor. *n.* 202.

189 §.3 *Si votum perpetuæ castitatis fiat post sponsalia, non in fraudem, vel damnum alterius, sed sincerè, ob cultum Dei, & salutem animæ, præter citatos Busemb.* docent, etiam ex parte voventis dirimi sponsalia, Sylv. Angel. Sot. Conet. Less *in Auctar. v. Sponsalia, cas.* 6. Gob. *t.* 10. *n.* 312. Pont. *l.* 12. *cap.* 12. *r.* 4 Averf. *q.* 8. *f.* 12. §. *Votum*, Amic. *d.* 32. *num.* 40. Mastr. *num.* 81. aliique multi, quos referunt Sanch. *d.* 46. *n.* 7 & Castrop. *d.* 1 *pu.* 20, *n* 5. Et idem videtur velle S. Th. *in* 4. *d.* 38. *quæst.* 1. *ar.* 3 *qu.* 4. putant enim imbibitam fuisse illam conditionem, nisi elegero statum perfectiorem, qualis est status castitatis etiam in cœlibatu. Et hanc sententiam Sanch. Dicast. *d.* 1. *n.* 461. Verric. *l.* 1. *art.* 46. *n.* 3. vocant probabilissimam, Busemb. probabilem. E contrà Sylv. Nav. Palud. S. Anton. Valent. Con. Fill. Hurt. Regin. Rebell. Becan. aliique multi cum Sanch. Castrop. Spor. Platel. Krimer *d. num.* 256. Kugler *p.* 3. *à n.* 44. aliique apud Averfam probabiliùs negant sponsalia per illud votum dirimi: nam Cap. *Veniens*, Qui Clerici vel voventes, Papa jubet imponi pœnitentiam ob mentitam fidem mulieri, quæ post sponsalia votum castitatis emiserat, ergo id ei erat illicitum, quia frangebat fidem. Ratio autem est, quòd illa conditio non insit ex natura talis contractus, neque ex dispositione Juris positivi, neque ex intentione contrahentium, qui minimè cogitant de refer-

reservando sibi illo jure, unde, sicuti obligatio solvendi rem debitam alteri non solvitur per votum donandi pauperibus, neque Deus acceptat donationem absolutam rei jam alteri debitæ; ita & hìc: Deinde delicta non præsumuntur, talis autem vovens peccaret, si absolutè voveret castitatem contra jus sponsæ, ergo præsumi debet vovisse sub conditione, si remitteretur, vel cessaret obligatio sponsalium, consequenter obligatur voto, quantùm servare potest, id est, tenetur ad continentiam, si sponsa obligationem remittat, vel post contractum Matrimonium moriatur: in Matrimonio autem non potest petere debitum, sed tantùm reddere, uti dicetur *n.* 357.

190 §. 4. Votum ingrediendi Religionem emissum post sponsalia, per se loquendo est licitum, uti & votum profitendi, Castr. *d. 1. p. 30. n. 4.* Spor. *n.* 240. votum tamen ingrediendi non dissolvit sponsalia ex parte voventis, quia ingressus ipse non dissolvit, ut jam dictum est. E contrà multi cum Laym. Gob. *tr. 10. n.* 314. docent, per votum profitendi dissolvi sponsalia etiam ex parte voventis, putantque ad hoc acceptari à Deo ob illius excellentiam, & quia obligat ad perpetuò manendum in Religione, adeóque ad aliquid incompatibile cum Matrimonio: nihilominus *Castrop. & Spor.* suprà probabiliùs dicunt tantùm suspendere sponsalia, cùm enim tale votum ante professionem non constituat statum, sed relinquat potestatem implendi sponsalia, non est ratio, cur dicatur obligationem illam extinguere.

191 §. 5. Si votum Castitatis, vel Religionis præcesserit, & sequantur sponsalia absque copula, & damno alterius, prævalet obligatio voti præcedentis, & impedit obligationem justitiæ ex sponsalibus, quæ reipsa nulla sunt, secundùm dicta *n.* 93. unde tum tantùm obligabit promissio sequens, si alter injustè pateretur notabile damnum in fama, vel fortunis, Sanch. *l. 1. d. 45. n. 5.* Pont. *l. 6. c. 12.* J. Sanch. *d. 8. à n. 13.* Lug. *De just. d. 12. n. 4.* Pirh. *de spons. n. 54.* Et hoc vult S. Th. *in supplem. q. 53. art. 1. ad 1.* dicens, *propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda*, quod docet etiam S. Anton. quamvis talia sponsalia jurarentur, quia hoc juramentum est de re illicita, seu voto contraria. Quid autem dicendum sit, si post tale votum defloraverit puellam, vel conscíam, vel non conscíam talis voti, dixi *l. 3. p. 2. n.* 320. Et ibi *dictis consentiunt* Mastr. *n. 74.* Krim. *à n.* 246. Kugler *p. 3. à n. 56.*

192 §. 6. Votum perpetuò habitandi in aliquo monasterio sine voluntate profitendi, non dissolvit sponsalia ex parte voventis, uti colligitur ex dictis, attamen dissolvit ex parte alterius, quia hoc vovens censetur jus suum remittere, Gob. 317.

193 §. 7. Si quis juramento firmaverit sponsalia, *Navar. Led. Rebell.* & alii putant, non posse ingredi Religionem, nisi priùs contraxerit Matrimonium ratum, ut sic impleat juramentum, quod debet, quantùm potest, servari, ubi non est dispendium salutis æternæ & ideò *Sot.* dicit hoc esse consulendum: è contrà Sanch. *d. 43.* Castrop. *n. 5.* Averf. *q. 8. s. 12.* Spor. *n.* 203. Krim. *n.* 238. aliique multi cum Kugler *p. 2. n.* 48. probabiliùs dicunt, per se nullam esse obligationem Matrimonii contrahendi, sed posse statim ad Religionem ire, tum, quia per sponsalia intendebat constanter inire Matrimonium, ad quod non tenetur volens ingredi Religionem, tum maximè, quia juramentum imbibebat hanc exceptionem, nisi statum religiosum voluero. Testaturque Pignat. *tom. 9. conf.* 133. *n.* 48. Gregorium XIII. declarasse, quòd mulier etiam post jurata sponsalia liberè possit fieri Monialis. *Dixi*, per se, nam si ad cavendum alterius damnum, aut ad legitimandam prolem opus esset priùs contrahi Matrimonium, ad hoc esset obligatio ex justitia vel charitate, tumque sine consummatione Matrimonii ingredi deberet Religionem; *Henriq Sanch.*

§ 8. Si alteruter contrahat, habens animum post 194
Matrimonium ratum ingrediendi Religionem, & de hoc non præmonuerit alterum, putat *Præpos.* & alii non peccare, quia utitur jure suo, cùm etiam alteri maneat tempus deliberandi ad bimestre; sed Sanch. *n.* 12. aliique cum Castr. *n.* 7. Spor. *n.* 252. Averf. suprà, probabiliùs dicunt peccare graviter contra charitatem, quia graviter decipitur sponsa, si enim hoc scivisset, non consensisset, & ille hoc reticendo sine justa causa, facit, ut ipsa veniat in suspicionem alicujus defectus, item, ut ad finem Novitiatus expectare debeat, & ideò fortè deteriùs nubat, quæ sunt notabilia contra charitatem, si tamen esset gravis causa, v. g. si alter non posset vitare scandalum, mortem, infamiam magnam, non peccaret sic ineundo. Quòd si cum voto castitatis contraheret Matrimonium eo animo, ut ante consummationem transiret ad Religionem, ordinariè loquendo adhuc graviter peccaret, tum ob causas jam datas, tum, quia ordinariè loquendo se exponit periculo frangendi votum, Sanch. *n. 6.* Castrop. *n. 8* Krim *à n* 248. qui tamen excipiunt casum necessitatis, uti si aliter non posset consulere famæ suæ vel alienæ, evadere carcerem &c. uti *n.* 183. insinuatum est.

§. 9. Nec prima Tonsura, nec Ordines minores 195
dissolvunt sponsalia: si tamen sponsus inscia vel invita sponsa horum aliquid suscipiat, Gob. *n.* 361. & Spor. *n.* 205. dicunt solvi ex parte sponsæ, quia sponsus ostendit se inconstantem, & per hoc, quòd de statu clericali cogitet, videtur remittere jus suum: & hoc dicit esse probabile Krim. *n.* 285. sed Sanch. *l. 1. d. 47. n. 1.* etiam probabile dicit, non solvi, quia cùm hoc nullo modo impediat Matrimonium aut ejus usum, & talis maneat liber ad statum religiosum, ad quem fortè, aut ad aliquid aliud prodesse possent minores Ordines, videtur jus habere ad illos suscipiendos salvis ex utraque parte sponsalibus, uti his salvis proponere potest ingredi Religionem. An autem licitum sit suscipere sacrum Ordinem invita sponsa: dicam *n.* 200.

§. 10. Sylv & alii *n.* 189. relati, qui dicebant per 196
votùm Castitatis sit perveniens solvi sponsalia, putant similiter solvi per votum sacrorum Ordinum, quia etiam hi sunt status perfectior, sed *Navar.* & alii ibidem relati probabiliùs contradicunt, nam est tantùm votum vovendi castitatem, ergo cùm secundùm ibi dicta nequidem votum castitatis dissolvat sponsalia, multò minùs votum sacri Ordinis: imò illicitum est tali sponso suscipere sacrum Ordinem secundùm dicenda *n.* 200. Unde & votum absolutum suscipiendi est ipsi illicitum, valet tamen conditionatum, si sponsa remittat, vel si post Matrimonium moriatur, & tale semper præsumi debet esse, ideóque tenebitur talis vovens Ordines sacros tum suscipere.

§. 11. Si susceptio Ordinis sacri fiat in fraudem vel 197
damnum sponsæ defloratæ vel impregnatæ, quod aliter reparari non possit, quàm per Matrimonium, valet quidem Ordo, sed non est obligatio ad castitatem, quia illam vovere, vel suscipere in his circumstantiis, esset vovere vel suscipere illicitum, & contra jus quæsitum alterius; ergo tale votum obligare non potest, unde talis tenebitur inire Matrimonium, nisi timeantur inde alia mala, vel Ecclesiasticus Judex aliter disponat, Gob. *n.* 320.

§. 12. Si Cajus, & Titia mutuò promittentes ha- 198
buerint copulam, & postea priùs advertant se habuisse impedimentum, v. g. quia erant consanguinei in tertio gradu, uterque etiam invito altero potest resilire, quia nec obligatur ratione promissionis, cùm promissio

rei

rei illicitæ non obliget,& ſicuti Matrimonium cum tali impedimento eſt invalidum ita & ſponſalia:neque obligatur ratione doli vel injuriæ, cùm nihil tale intervenerit,Bonac. *de ſponſal.q.1.tr.7.n.7.*

199 §. 13. Ad quid teneatur, qui fornicatur cum conſanguinea, cui fecit ſpem vel promiſſionem Matrimonii,dixi *l.3.p.2.n.321.* Si autem Titius poſt ſponſalia inita cum Berta fornicetur cum Caja Bertæ ſorore, & cum hac ineat nova ſponſalia, facit injuriam Bertæ,quia ob contractam affinitatem reddit ſe inhabilem ad ſatisfaciendum juri ad rem, quod Berta habebat in ordine ad futurum Matrimonium. Et quamvis etiam ducere non poſſit Cajam ob contractam publicam honeſtatem ex ſponſalibus cum Berta, tamen ducere debet alterutram,& erit prudentum determinare ex circumſtantiis cavendi ſcandali vel damni reparandi,ad quam petita diſpenſatione potiùs ſit inducendus,teneri enim ad petendam diſpenſationem ſaltem ordinariis & moderatis ſumptibus ſuis, docent Caſtr. *d.1.p.26.* Tamb. Spor. *n.214.276.* Krim. *n.321* & per ſe loquendo tenetur ad ducendam Bertam,quia tenetur ad reparationem juris, quod Berta habuit;deinde,quia ſponſalia poſteriora contra fidem priorum inita, licèt juramentum, & copula accedat, ſecundùm dicta à *n.* 73. ſunt invalida, ergo priora ſponſalia manent, ad quæ tenebitur diſpenſationem petere; prætereà Titius tenebatur ſe non reddere inhabilem, ergo tenetur etiam tollere inhabilitatem, ut ſic injuriam juri Bertæ illatam reſarciat, & ita videtur abſolutè ſentire etiam Gob. *p.* 10. *n.* 327. quamvis alii diſſentiant. *Si dicas,* tum tantùm faciendam eſſe reſtitutionem, quando damnificatus habuit jus in re, quia jus ad rem eſt obnoxium multis caſibus, ergo non poteſt ex eo violato oriri obligatio reſtitutionis ſaltem non ad totum; *contrà eſt,* quia licèt Berta non habuerit jus ad uſum corporis Titii, tamen habuit jus in re, id eſt, poteſtatem in jure ad uſum corporis, ergo quamvis Titius non obligetur ad reddendum uſum corporis, obligatur tamen ad reddendum jus, quod Berta habebat ad uſum corporis Titii; ſicuti, ſi quis jus habeat ad electionem pro Beneficio, quod jus per injuſtam alterius intruſionem violatur, non debetur ei quidem reſtitutio Beneficii, ſed tamen debetur redintegratio juris, quod habebat ad electionem pro Beneficio. Quòd ſi Titius renuat ducere Bertam, eò quòd fortè aliqui authores ſint, qui dicunt illum non obligari ad petendam diſpenſationem, ſuadendum Bertæ, ut ipſa petat etiam inſcio aut invito Titio,qua obtenta non ampliùs excuſabitur. Satisfieri tamen debebit etiam Cajæ ſaltem ad vitandas rixas & incommoda alia. Denique licèt Titius vellet Bertam, & pro ea ducenda obtinuiſſet diſpenſationem, tamen Berta poſſet eum repellere, quia ob inconſtantiam Titii, & ob injuriam ſibi illatam habet jus reſiliendi ab iſtis ſponſalibus:& ideò S. Congreg.29.Martii 1653.apud Pignat.*to.1.conſ.* 367. declaravit ſponſalia per talem ſupervenientem affinitatem diſſolvi.

Obj. L. Continuus, §. Cùm quis, ff. de verb. obligat. dicitur, *quæ pendent à voluntate principis cenſeri quaſi impoſſibilia*, ergo Titius non poteſt obligari ad procurandam talem diſpenſationem. R. antecedens intelligitur de illis, quæ omninò non,aut rariſſimè concedi ſolent; diſpenſationes autem ejuſmodi facilè obtinentur: ergo ad eas eſt obligatio pro reſarciendo damno injuſtè illato.

200 *Q.* 28. *An & quomodo peccet,qui necdum diſſolutis ſponſalibus, & invita ſponſa, ex ſincero animo Deo melius ſerviendi ſuſcipit ſacros Ordines?* R. Negant peccare Henriq. Sotus, Merat. Pont. Eſcob Dian. *p.3.l.4.R.208.* Averſ.*q.8 ſect.* 12. Pro eadem citantur Nav. Sylv. Cordub. Vega apud Sanch.*l.1.d.* 47. *n.* 1. qui ſententiam illam vocat probabiliſſimam: Verric. *l.1.d.47.n.* 1. vocat ſatis probabilem, dicaſt. *d.* 1. *n.* 478. probabilem agnoſcit, dum dicit, probabile eſſe, quòd licitè voveatur ſuſceptio Ordinis ſacri. Eandem tenet Guttier apud Caſtr. *d.1.p.19.n.1.* Id ipſum à potiori tenebunt illi, qui docent, licitè poſſe poſt ſponſalia emitti ſimplex votum caſtitatis, quo ſponſalia dirimantur, de qua ſententia dixi *n.* 189. Laym. *l.5.t.10.p.1.c.2.n.7.* agens de facultate diſſolvendi ſponſalia per ſuſceptionem ſacri Ordinis, ait *cùm ſententia hæc ob gravium Doctorum authoritatem probabilis ſit, in conſcientia tutus erit, qui à ſponſalibus præſertim cùm celebratis, ſincero animo amplectendi ſtatum perfectiorem continentiæ reſilierit.* Addit, *ſi ad forum externum talis cauſa deferatur, Eccleſiaſticus Judex compellere ſolet ad ſponſaliorum fidem ſervandam, quamvis etiam contentus Judex eſſe poſſit ſacri Ordinis ſuſceptione.* Æquum tamen eſſe dicit *num.* 8. ut reſarciat damna, quæ ob id ſponſa incurrit, quia v. g. expenſas in ſponſalibus fecit, aut in præparatione ad nuptias. Ratio illius ſententiæ eſt, tum quia ſacri Ordines faciunt ſtatum valdè perfectum, & includunt ſolemne caſtitatis votum, propter quod licitum eſt poſt ſponſalia inire ſtatum religioſum: tum & præcipuè, quia ſponſalibus videtur ineſſe hæc tacita conditio, *niſi voluero ad ſtatum perfectiorem tranſire.* E contrà Palud. Sanch. Con. Caſtr. Rebell. Perez *d.9. ſ.6.* Krim. *n.*288. dicunt id ſub mortali non licere, quia frangitur fides alteri data in materia gravi juſtitiæ: nec ullo Jure probatur talem conditionem eſſe imbibitam: quòd autem imbibatur conditio, *niſi voluero ingredi Religionem*, inde ſcimus, quia Eccleſia concedens privilegium ingrediendi Religionem ob excellentiam hujus ſtatus facit conditionem illam imbibi: nullibi autem legitur, quòd Eccleſia id faciat ob excellentiam ſacri Ordinis, neque hic in poſitivis valet argumentatio à ſimili, nam etiam Matrimonium ratum ſolvitur per profeſſionem religioſam, non tamen per ſuſceptionem Ordinis ſacri, imò conjugatus non admittitur ad Ordines ſacros, ergo argumentatio non valet à ſtatu religioſo ad ſacros Ordines: *Si dicas,* licitum eſt mutare votum in melius, ergo etiam licebit mutare obligationem ſponſalium in obligationes perfectiores annexas Ordinibus ſacris. R. N. conſ. nam ideò *licitum eſt mutare votum in melius,quia omnia vota* fiunt Deo,ſatisfit autem,& fit rectè, ſi illi ſolvatur majus, cui debetur minus; è contrà ſponſalia obligant homini, votum & Ordo ſacer obligat Deo, Deus autem vult,ut cuique jus ſuum tribuatur, neque enim quiſquam dicet me ex eo, quòd Deo vel piæ cauſæ ſolvam 100. Dalcros, eſſe liberatum ab obligatione eos ſolvendi illi,cui ob emptum pannum illos debeo,ergo nec ſatisfacio juri ſponſæ, licèt me Deo obligem ad majora per Ordines ſacros. Hinc quamvis Tamb.*t.3.c.5. §.3.* dicat, utramque ſententiam ſua probabilitate non carere, & Spor. *n.* 295. dicat utramque eſſe æqualiter probabilem,tamen ſo- dicat utramque eſſe æqualiter probabilem,tamen ſo- cunda videtur eſſe mihi longè probabilior, & tum ſaltem abſolutè tenenda,ſi quis vellet ſacros Ordines ſuſcipere purè, ut ſe à tali ſponſa ſibi nunc diſplicente liberaret.

Q. 29. *Quid notandum ſit circa diſſolutionem ſponſa-* 201
lium per Matrimonium contractum cum alia? R. §. 1. Palud. Gabr. Henr. Bonac. Becan. Fill. Villal. Leſſ. Laym. Sanch *l.1. n.* 48. dicunt ita diſſolvi per Matrimonium cum alia initum, ut quamvis hæc uxor moriatur, aut profiteatur in Religione, ipſe non teneatur *ducere primam*, quia ſuperveniens obligatio major Matrimonii videtur extinxiſſe minorem priorum ſponſalium, ſicuti profeſſio in ſtrictiore Ordine extinguit profeſſionem in priore Ordine laxiore. E

contrà

contrà Adr. Led. Hurt. Vega, Con. Pon. Averſ. *q.* 8. *ſ.* 13. Maſtr. *n.* 82. Caſtr. *p.* 21. *n.* 4. Spor. *n.* 208. Krim. *à n.* 262. Kugler *p.* 3. *n.* 77. probabiliùs dicunt, quòd maneat obligatus primæ, quia ſuperveniens Matrimonium tantùm impedit executionem priorum ſponſalium, ſicut etiam impedit ingreſſum in Religionem, ſi anteà voviſſet Religionem ingredi, non autem tollit illam obligationem. Et diſparitas eſt in profitente Religionem ſtrictiorem, nam profeſſio eſt vinculum ex ſe perpetuum, quod ſola morte tollitur, hinc facta profeſſione in Ordine ſtrictiore meritò cenſetur extincta profeſſio in minùs ſtricto; Matrimonium autem ſolvitur, vel morte conjugis, vel profeſſione, quo ſoluto manet in altero aptitudo ad implenda priora ſponſalia, ergo etiam obligatio. Quid dicendum ſit de ſponſalibus initis contra fidem priorum, dixi à n. 73.

202 §. 2. Si Matrimonium hoc non fuiſſet validum, nequidem ſuſpenſa fuiſſent ſponſalia, quia, *quod de Jure non habet effectum, non præſtat impedimentum*; Cap. *Non præſtat.* De reg. Jur. in 6.

203 *Q.* 30. *Quid addendum ſit circa diſſolutionem ob abſentiam ſponſi vel nimiam dilationem?* R. §. 1. Si ſponſus ex juſta cauſa ſe aliò conferat, v. g. ad ſtudium, ad negotiationem, & redire velit, *L. ſapè, ff. De ſponſal.* ſignificatur expectandum eſſe, donec cauſa ceſſet, *l.* 2. *Cod. de repud.* dicitur expectandum ad triennium. *L.* 2. *Cod. de ſponſal.* dicitur expectandum ad biennium, ſi ſponſus moretur intra provinciam; ſi autem extra, ad triennium, putantque multi has leges civiles adhuc obligare: ſed alii cum Sanch. *l.* 1. *d.* 54. Caſtr. *d.* 1. *p.* 23. *n.* 2. Averſ. *q.* 8. *ſ.* 11. Gob. *t.* 10. *n.* 351. Spor. *n.* 201. dicunt Jus civile correctum eſſe per Jus Canonicum, quod Cap. *De illis*, De ſponſ. expreſsè, & abſolutè dicit: *De illis, qui promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos, & poſteà dimittunt terram, ſe in partes alias transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quòd liberum erit mulieribus ad alia ſe vota transferre.* Pirh. & alii cum Krim. *à n.* 294. dicunt, Jus civile tantùm loqui de expectando tanto tempore, ſi velit retinere arrhas, & donata à ſponſo, de cætero poteſt illis remiſſis ſtare diſpoſitione Juris Canonici, attamen expectandum erit aliquo tempore juxta arbitrium prudentis, uti notant Caſtr. *n.* 3. Gob. 353. Spor. Et ſi ſciret brevi rediturum, omninò non poſſet ad alia ſponſalia procedere.

204 §. 2. Si ſponſus volens reverti aliò profectus eſſet, & diutiùs abeſſe cogeretur ob cauſam non tantùm juſtam, ſed etiam neceſſariam, v. g. ob mortem parentis, ob morbum vel grave negotium, teneretur ſponſa expectare, donec impedimentum illud ceſſaret, uti habet lex relata *n.* 61. id enim poſtulat æquitas, cùm neceſſitas non habeat legem. Plures cum Spor. *ſuprà* contra Gob. *n.* 351. & alios.

205 §. 3. Si ſponſus inſcia vel invita ſponſa aliò ſit profectus animo remanendi, aut jam alibi fixerit domicilium, Sanch. Gutt. Con. Pont. Lay. Caſtr. *n.* 1. rectè dicunt non teneri vel uno momento eum expectare, quia cenſetur renuntiaſſe ſuo juri, & mutare domicilium eſt grave onus, cui ſe non ſubmiſit per ſponſalia: ſi tamen velit ſtare ſponſalibus, notat Leſſ. in Auct. v. *ſponſalia, caſ.* 1. debere ſequi, & ſi nolit, etiam ſponſum fore liberum.

206 §. 4. Si certo tempore contrahendum fuit Matrimonium, qui in culpa eſt, quòd eo tempore non fit contractum, peccavit mortaliter, & manet obligatus, ſi alter voluerit, qui ſolus reſilire poterit, Averſ. *q.* 8. *ſ.* 1. Caſtr. *p.* 24. *n.* 5. Gob. *n.* 357. Spor. *n.* 198. Quòd ſi terminus non ſit præfixus ad ſiniendam obligationem, ſed tantùm ad ſiniendam licentiam differendi Matrimonium, uterque manet obligatus, Maſtr. *ſuprà.* Si autem dubium ſit, an terminus ſit præfixus ad ſiniendam obligationem, an ad licentiam differendi, oportet attendere ad cauſas præfixi termini, & ex iis erit judicandum, Caſtr. *n.* 3. Si autem dubium permaneat, videntur manere ſponſalia, quia ſunt in poſſeſſione, expedit tamen, ut dubium hoc inſinuetur utrique parti, & ſi velint diſſolvantur mutuo conſenſu, quia etiam probabile eſt, quòd libertas ſit in poſſeſſione contra obligationem ulterioris temporis.

207 § 5. Si ſine cujuſquam culpa Matrimonium iniri non potuit tempore præfixo, Palud. Sanch. *l.* 1. *d.* 53. Bon. Pon. *l.* 1. 12. *c.* 16. dicunt non ideò poſſe diſſolvi ſponſalia, quia legitimè impedito non currit tempus: è contrà Nav. Con. Laym. Caſtr. *n.* 8. Krim. 302. Kugler *p.* 3. *n.* 93. probabiliùs dicunt poſſe diſſolvi, niſi aliud conſtet de mente contrahentium, quia cauſa diſſolvendi non eſt culpa, ſed defectus conditionis requiſitæ, quæ appoſita erat: leges enim, quæ permittunt diſſolvi poſt elapſum tempus præfixum, non meminerunt de culpa vel non culpa, ſed abſolutè dicunt eum poſſe reſilire, per quem non ſtetit, quominùs Matrimonium ſit initum tempore præfixo; quod ergo dicitur, tempus non currere legitimè impedito, valet tantùm in iis contractibus, in quibus Jura ſic ſtatuunt, & benignè interpretantur talem voluntatem contrahentium: circa ſponſalia autem, & terminum in eis præfixum nil ſimile ſtatuunt, ſed potiùs oppoſitum.

208 §. 6. Si certum tempus non ſit ſtatutum pro contrahendo Matrimonio, *L. Si is, Cod. De ſponſ.* biennio expectare cenſetur nimium, è contrà Cap. *Sicut, De ſp.* innuitur, etiam quinquennium non eſſe nimium: Con. & Krim. *n.* 298. dicunt, non teneri expectare, niſi tempore, quo ex communi uſu inter tales impleri ſolent ſponſalia, hinc rectè dicunt Sanc. *d.* 52. & Averſ. *q.* 8. *ſ.* 1. *n.* 1. ſpectandas eſſe circumſtantias rerum & perſonarum: cui non erit integrum expectare, tenebitur monere alterum, ut vel impleat, vel non ægrè ferat reſcindi ſponſalia.

209 §. 7. Hactenùs dicta tenent, quamvis ſponſalia eſſent jurata, quia ſemper intelligebatur, ſi altera pars vellet contrahere, & ſervare fidem Averſ. Maſtr. *ſuprà.* Quòd ſi unus promiſerit, & alter poſt factam acceptationem nimis differat re promittere, cenſetur nolle Matrimonium, & alteri obligationem remittere, Spor. *n.* 135.

210 *Q.* 31. *Quid addendum ſit circa alias cauſas abſolvendi ſponſalia: item circa diſpenſationem, & ſententiam Judicis?* R. §. 1. Si concurrant plures cauſæ diſſolutionis, quarum nulla ſeorſim ſufficiat, poterunt omnes ſimul ſumptæ ſufficere, quia poterunt contractum Matrimonialem reddere notabiliter difficilem. Gob. *tr.* 10. *n.* 341.

211 §. 2. Solus Papa tanquam ſupremus Princeps poteſt ex gravi cauſa diſpenſare in ſponſalibus, non autem Epiſcopus, quia nemo poteſt jus acquiſitum alteri invito auferre, præter ſupremum Principem, unde ſicuti ex communi ſententia Epiſcopus non poteſt relaxare juramentum præſtitum tertio, quia hoc cederet in præjudicium tertii, ita nec ſponſalia, Spor. *n.* 193. & alii. Putat autem Leſſ. *in Auct. v. Sponſalia, caſ.* 4. cauſam ſufficientem eſſe, ut diſpenſet Papa, ſi parentes nollent conſentire, & timerentur gravia incommoda vel ſcandala, addit nue in hoc caſu potiùs opus non eſſe diſpenſatione, cùm videatur eſſe illicitum contrahere Matrimonium.

212 §. 3. Si ſponſalia ſint jurata, nequidem Papa poteſt diſpenſare ſine cauſa graviſſima concernente bonum commune, uti habet communior: Palud. tamen & alii cum Leſſ. ſuprà putant Papam, quando cauſa legitima ſubeſt, poſſe abſolvere à juramento, etiam in præjudicium tertii: Et ſemper petendam eſſe relaxationem juramenti, etiáſi cauſa diſſolvendi ſit ſufficiens,

si non sit necessaria, docent Sot. Viguer. & alii, quia sic videtur statui Cap. *Si verò*, & Cap. *Verum*, De jurejur. Oppositum tenent Abbas, Innoc. Con. Sanch. *l.* 1. *d.* 67. Averſ. *q.* 8. *ſ.* 15. & alii, nam Cap. *Quemadmodum*, dicitur non esse perjurum, qui post sponsalia jurata recedit ob fornicationem sponsæ, idem autem videtur esse de aliis causis; & ratio est, quia sicuti in promissione, ita etiam in juramento imbibitur tacita quasi exceptio, si non occurrat causa in contrarium, capitula autem ante citata loquuntur de juramento adjecto dispositioni non imbibendi talem quasi exceptionem.

213 §. 4. Ordinariè prærequiri sententiam Judicis ad dissolvenda sponsalia, tenuerunt multi, sed rectè dicunt Sanch. *d.* 69. Mastr. *n.* 86. Averſ. & Busemb. suprà, si certum sit adesse justam causam, posse propria authoritate dissolvi, sic enim habet etiam praxis, potest autem de justitia causæ esse certum, vel Jure, si causa sit in Jure expressa: vel facto, si certum sit, causam justam, quæ allegatur, reipsa dari. Vide Krim. *à n.* 324. Et etiam rectè notat Perez *d.* 11. *ſ.* 2. *n.* 3. non esse opus processu judiciali, si sponsalia dissolvantur per dispositionem, si autem per declarationem, esse opus, attamen ex Cap. *Cùm in tua*, 27. *De sponſ.* potest Judex de plano inquirere super impedimento, de quo est fama.

214 §. 5. Si causa dissolvendi sponsalia sit occulta, quæ Judici aperiri non possit sine infamia alterius, v. g. si sponsa clam sciatur esse fornicata, hæc privatim monenda est, ut remittat sponsalia, si nolit, monendi sunt parentes, vel his deficientibus alius vir prudens, ut ab ea mente avocet: si non acquiescat, licebit à judice petere dissolutionem, sponsus enim licitè urget jus suum, quod cùm sponsa nolit ei reddere, nisi coacta, imputet sibi, quòd diffamatur, Averſ. §. *ult.*

215 §. 6. Ut Judex sponsalia etiam jurata dissolvat propter impedimentum aliquod Matrimonii, sufficit testis unicus fide dignus, jurans se illud scire, vel fama impedimenti, non tamen rumor: per hoc autem distinguitur fama à rumore in hac materia, quòd fama sit vulgaris opinio, & sermo in majori parte communitatis vel viciniæ, rumor autem sit opinio, & sermo minoris partis, v. g. tertiæ vel quartæ. Ut autem Judex dissolvat propter crimen, v. g. ob fornicationem, non sufficit unus testis juratus, quidquid contradicat Averſ. *ſ.* 16. sed requiruntur duo omni exceptione majores, quia tum præcipuè agitur de præjudicio tertii. Ut verò quis propria authoritate dissolvat sponsalia etiam jurata, sufficit non tantùm fama & quælibet probatio moraliter certa, sed etiam unicus testis fide dignus, qui deponat, de certa scientia, & qui de mendacio non sit suspectus, Sanch. *d.* 73. *n.* 2. Averſ. *ſ.* 16. Gob. *n.* 377. Castrop. *d.* 1. *p.* 32. *à n.* 3. probantes hæc omnia adductis textibus Juris, notantque Sanchez *d.* 69. *n.* 10. & Averſ. §. *Judex*, per Judicem nic intelligi solum Ecclesiasticum, ordinarium vel delegatum, attamen Parochum non venire hìc nomine Judicis.

216 §. 7. Si uterque contrahens putet adesse causam dissolvendi sponsalia, Judex rectè decernit esse dissolvenda, quia licèt fortè causa non sit, tamen hoc ipso sibi remittunt mutuò obligationem, Castrop. *n.* 2. Krim. *n.* 330.

217 §. 8. Si omnibus consideratis causa dissolvendi sponsalia sit dubia, non est licitum propria authoritate dissolvere, quia est possessio pro sponsalibus, & sic dissolvens exponit se periculo faciendi injuriam alteri. Rectè tamen notat Sanch. *d.* 69. *n.* 9. non semper requiri certitudinem, quæ penitiùs excludat omnem oppositam opinionem, quia in moralibus ad operandum in similibus dicitur haberi certitudo, cùm adest magna probabilitas, sicque in conscientia potest acquiescere, qui duorum vel trium virorum intelligentium habet judicium de sufficientia causæ ad dissolvenda propria authoritate sponsalia.

Q. 32. *Ad quid teneatur, qui cum, vel sine justa causa, resilit à sponsalibus?* R. §. 1. Si quis excusetur quidem ab ineundo Matrimonio, attamen causa omittendi non sit necessaria, sed ipse liberè resiliat, v. g. quia sponsa sine sua culpa facta est deformis, putant Henr, & Gutt. sponsum teneri compensare sponsæ expensas opportunas factas pro dispositione ad Matrimonium, & resarcire damna causata, quia L. *Si pecuniam*, ff. *De conditione ex causa data*, dicitur, *si quis alterum conduxit ad iter faciendum, si hoc revocet, teneri servare indemnem de expensis pro itineris præparatione factis.* Oppositum probabiliùs tenent Sanch. *l.* 5. *d.* 5. l. 8. *d.* 36. Less. *in Auct. V. Sponſ. caſ.* 1. Averſ. *q.* 8. *ſ.* 18. Gob. *tr.* 10. *n.* 380. quia hæc est natura sponsalium, ut par sit illorum conditio, & utrique cum causa liceat æqualiter & liberè resilire, unde patet disparitas: non enim erat par conditio vel libertas conducentis ad resiliendum. 218

§. 2. Si quis excusetur à Matrimonio ineundo, ab ipso tamen oriatur, & per eum stet, quòd Matrimonium non ineatur, uti, si voveat, vel ingrediatur religionem, Castrop. *d.* 1. *p.* 33. & alii adhuc dicunt, non obligari ad expensas vel damna, quia cùm justè resiliat, pars altera non habet, quòd conqueratur. E contrà alii cum Spor. *n.* 207. dicunt obligari, quia nemini licitum est prosequi suum bonum etiam spirituale cum vero & reali damno alterius, & Jura concedentia ingressum Religionis, semper intelligunt, salvis reliquis juribus alterius partis, cùm enim dispositio illa, ut pars una cedat jure ad sponsalia, sit præjudicioſa huic parti, strictè interpretanda est, & non extendenda ad præjudicandum aliis juribus, videtur autem Jure naturæ deberi restitutio illorum damnorum & expensarum saltem ex parte, cùm ingrediens religionem sit eorum causa. Utraque sententia est probabilis, sed prima ob rationem §. 1. datam videtur probabilior. 219

§. 3. Si quis sine causa, & injustè recedat à sponsalibus, *Abb. Sylv. Bart. Jaſon. Alexat. Roſell.* & alii dicunt non teneri compensare expensas, & damna, quia Jura annullant omnem oppositionem pœnæ in sponsalibus, hæc autem obligatio induceret hanc pœnam. Oppositum tenet communissima cum Sanch. *l.* 1. *d.* 30. *n.* 15 & Averſa *q.* 8 *ſ.* 18. quia sic resiliens est injusta causa illarum expensarum, & damnorum. Nec verum est, quòd annulletur appositio pœnæ contra injustè resilientem, uti dictum est *n.* 148. Et quamvis annullaretur appositio pœnæ, hæc compensatio nec censetur pœna apposita, sed obligatio restituendi de Jure naturæ sequens ad injuriam damnosam. 220

§. 4. Si quis ab initio inivit sponsalia animo 221
postea etiam ex justa causa recedendi ab eis, v. g. ingrediendi Religionem, tenetur ob rationem jam datam alteri compensare expensas & damna, quia per dolosam rejicientiam fuit injusta causa illorum, Averſ. *ſup. à.*

§. 5. Qui sua culpa dat alteri justam causam 222
resiliendi à sponsalibus, v. g. si sponsa sit fornicata, ideóq; resiliat sponsus, Sanch. Averſ. Gob, *n.* 381. rectè dicunt, hanc teneri sponso refundere suas expensas, quia est injusta causa, cur non ineatur Matrimonium, & idem facit, ac si injustè resiliret, quo casu teneretur, uti dictum est. Et hactenùs dicta tenent etiam ante sententiam Judicis, si par altera petat, nec censeatur remittere, Averſ. *ſuprà.*

223 CAPUT II.

De Matrimonio secundùm se.

DUBIUM I.

Quid sit, quæ ejus materia, forma & minister.

„ RESP. Est Sacramentum inter baptizatos, quo „ vir & mulier mutuò legitimè corpora sua „ tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum pro„ lis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ. „ Materia ex qua & proxima, est mutuus consensus „ externis signis expressus, quatenùs habet rationem „ traditionis. Forma autem est idem consensus, „ quatenus habet rationem acceptationis, Suar. *to.* 3. „ *d.* 2. *s.* 1. *a.* 1. Sanc. Vasq. Minister non est Sacerdos, „ sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam, „ & formam. Porrò Matrimonium dicitur ratum, „ quando contractus est factus, etsi non sit secuta „ copula carnalis: Consummatum verò dicitur, „ quando ea secuta est, *Unde resolves.*

„ I. Validè & licitè contrahi potest cum pacto con„ tinentiæ, sine intentione prolis & remedii concu„ piscentiæ. Ratio, quia non pugnat essentia Matri„ monii: Et patet exemplo B. Virginis & S. „ Joseph.

„ II. Non videtur licitum contrahere tantùm prop„ ter voluptatem carnis vel vanitatem, quia finis „ debet saltem esse honestus, Nav. *c.* 22. *n.* 79. „ Sanch. *l.* 2. *hic d.* 29. *q.* 3.

„ III. Licitè contrahitur in remedium concupis„ centiæ, (nihil aliud intendendo) modò proles po„ sitivè non impediatur; hoc enim sub mortali non „ licet, Kon. *d.* 25. *d.* 2. *n.* 16. Pont. *l.* 1. *c.* 21. Hurt. „ Perez *d.* 18. *s.* 7. n. 6. ex 1. Cor. 7. Hinc etiam con„ juges possunt abstinere ab usu conjugii, & optare, „ ne plures accipiant liberos, quàm possint alere, „ dummodò, ut dixi, positivè non impediant, nec „ abortum procurent, Perez *l. c.* Bonac. *q.* 4. *p.* 1. „ *n.* 12. Nav. *c.* 16. *&c.*

„ IV. Licitè etiam contrahitur ob fines honestos „ extrinsecos, fini intrinseco Sacramenti (qui est „ mutua animorum conjunctio, & conjugum sancti„ ficatio) non contrarios, ‖v. g. ad pacem inter „ Regna vel illustres familias componendam, vel „ splendorem familiæ conservandum, ita contra „ Sanch. & Sylv. docent Præp. Pont. Gaspar. Hurt. „ Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 219. Perez. *n.* 7. Ubi cum Dian. *l. c.* „ etiam permittit, ob divitias, & nobilitatem.

„ V. Validè sed illicitè contrahitur cum inten„ tione negandi debitum, vitandi prolem vel etiam „ non educandi, mæchandi, &c. nisi tamen talis „ intentio in pactum deducatur, id est, nisi adjicia„ tur tanquam conditio obligans ad aliquid, con„ trarium essentiæ Matrimonii. Unde invalidè con„ trahit, qui vinculum Matrimonii vult tantùm du„ rare per annum, vel reservat sibi potestatem adul„ terandi vel non reddendi debitum debitè exigenti. „ V. Perez *s.* 6. *&c. ll. cc.*

„ VI. Contrahentes, ut non peccent, debent esse „ in gratia, etiam tunc, quando per procuratorem „ contrahunt, quia verum Sacramentum suscipiunt, „ licèt dormiant: Secus est de procuratore, per quem „ contrahunt, uti & de Sacerdote copulante, quia „ nec suscipit, nec administrat Sacramentum, sed „ tantùm ut testis assistit C. Lugo *de Sacr. d.* 8. „ *n.* 155.

„ VII. Conjux habet potestatem in alterius cor„ pus, sed non ad exercendam libidinem generationi „ adversantem.

„ VIII. Requiritur consensus de præsenti, verbo, „ scripto, aut nutibus expressus; sufficit tamen ex„ primere per alium, ut si parentes pro filiis con„ trahant, his tacentibus. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 272. „ Sufficit etiam, si alterius consensui præcedenti, & non revocato, alterius accedat: Unde si quis „ coram Parocho non verè consenserit, satisfacit „ consentiendo postèa, V. Dian. *R.* 292. „

Quæres. An sufficiat consensus conditionatus? „

Resp. I. Sufficit conditionatus, sub conditione „ de præterito vel præsenti stante conditione, quia „ tunc contractus non suspenditur. „

Resp. II. Sufficit sub conditione necessaria de „ futuro, dummodò contrahentes non intendant „ suspendere tantisper consensum, v. g. Duco te, „ si cras sol oriatur. Item sub conditione de futuro „ impossibili, v. g. si cœlum tetigeris; vel de futuro „ turpi, modò non repugnet substantiæ Matrimo„ nii, & consensus sit absolutus, v. g. si patrem occi„ deris. Ratio, quia tales conditiones habentur pro „ non adjectis, Sanch. *l.* 5. *d.* 15. Molf. Fill. Less. „ *l.* 2. *c.* 18. *d.* 15. Laym. Bonac. „

Resp. III. Non sufficit sub conditione de futu„ ro quæ sit contra substantiam obligationis matri„ monialis, v. gr. si prolis generationem impedire „ velis maleficio, vel victum comparare adulterio „ patet ex c. fin. De condit. V. Sanch. *d.* 10. Kon. „ *d.* 29. *dub.* 3. Fill. &c. „

Resp. IV. Consensus sub conditione honesta de „ futuro, est contractus sponsalium tantùm, & non „ Matrimonii, quia hic debet esse de præsenti. Ob „ quam rationem non incipiet validari Matrimo„ nium sine novo consensu, postquàm conditio „ impleta fuerit, ut docet D. Th. cum aliis apud „ Sanch. etsi Fill. Laym. & alii *quidem* putent contra„ rium esse probabile, eò quòd contractus celebra „ tus sub conditione honesta futura, hac impleta „ purificetur: Quod concedit Bon. *q.* 2. *p.* 10. *n.* 20. „ si contrahentes in eodem consensu manserint sal„ tem virtualiter. „

ADDENDA.

224 *Quæst.* 3. *Quid præterea sit notandum circa essentiam, consensum & finem, quo initur Matrimonium?*

R. §. 1. Matrimonium aliud dicitur legitimum, aliud ratum, aliud consummatum, uti dixi *n.* 2. Hic potissimum agimus de Matrimonio inter fideles rato vel consummato, aliqua tamen per decursum dicemus etiam de Matrimonio infidelium.

225 §. 2. Notat Sanch *l.* 2 *d.* 1. *n.* 2. septem in Matrimonio intervenire. 1. Est mutuus consensus. 2. Externus contractus. 3. Mutua corporum traditio. 4. Vinculum ortum ex illo contractu. 5. Mutua obligatio ad reddendum debitum, cohabitandum &c. 6. Jus, quod est in unoquoque ad alterum. 7. Usus & consummatio Matrimonii. Rectè autem dicit post Scotum Mastr. *à n.* 4. Matrimonium sumi posse, vel pro vinculo, vel pro contractu, ex quo resultat vinculum, vel pro Sacramento, sive signo sensibili causativo gratiæ, & ideò Matrimonium à variis variè definitur secundùm variam acceptationem, attamen secundùm communiorem modum loquendi docent Sanch. & alii cum Arcud *l.* 7. *c.* 1. contra multos alios cum Aversa *q.* 2. *s.* 1. essentiam Matrimonii simpliciter, non debet statui præcisè in mutuo consensu, contractu, traditione & acceptatione corporum, sed in vinculo conjugali significante conjunctionem Christi cum Ecclesia, cujus quodammodò causa sit ipse consensus seu contractus, nam *Florent.* in decreto Eugen. IV. ad Armen. ait; *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*: & ideò S. Th. *in supplem. qu.* 45. *a.* 1. *ad* 2. ait: *Dicendum, quòd Matrimonium non est ipse consensus, sed quædam unio ordinatorum ad unum, quam consensus facit.* Et Catech. Rom. *hic c.* 1. ait: *patet Matrimonii naturam & rationem in vinculo illo consistere.* Et in eum sensum

sensum Alex. III. Cap. *Illud*, De præsumpt. & Justinianus Instit. De patr. potest. in principio dicunt: *Matrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Quæ, ut melius explicentur, aliqui addunt, *Matrimonium est conjunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur autem *conjunctio maritalis*, id est, fundata in mutua traditione corporum: nam in sponsalibus etiam est conjunctio, attamen non maritalis, quia hæc fundatur in sola promissione traditionis corporum: Et additur, *inter legitimas personas*, id est, non habentes impedimentum dirimens. Per *individuam vitæ consuetudinem* intelligitur indissolubilitas, quam Matrimonium affert. Porrò allata definitio convenit etiam Matrimonio, quod Sacramentum non est, unde prout est Sacramentum, definiri potest hoc modo: *Sacramentum conjunctionis maritalis*, &c. vel *conjunctio maritalis viri & fœminæ inter legitimas personas, causativa gratiæ, & individuam vitæ societatem retinens.*

Objic. Theologi docent, solam Eucharistiam esse Sacramentum permanens, reliqua consistere in actione transeunte. Deinde Sacramentum suo usu causat gratiam, sed vinculum suo usu non causat gratiam, aliàs quoties conjuges uterentur Matrimonio, acciperent ex opere operato gratiam. R. Vinculum physicè loquendo, includit illam actionem consentiendi, & contrahendi physicè transeuntem, sicuti relatio paternitatis includit generationem, & ideò etiam Matrimonium dicitur consistere saltem indæquatè in actione physicè transeunte, & hoc sui usu, sive hac prima physica sui existentia causare gratiam; hoc non obstante Authores citati defendunt, quòd vinculum præter actionem illam includat personas aptas maritaliter, & indissolubiliter connexas, sicuti relatio paternitatis in probabili sententia præter generationem includit entitates fundamenti & termini.

Inst. Christus solam actionem contrahendi elevavit ad causandam gratiam, ergo in illa sola consistit Sacramentum. R. n. conf. cùm enim actio illa inclusa in Sacramento, elevetur & causet gratiam, hinc totum Sacramentum denominativè dicitur elevari, & causare gratiam, sicuti quia anima inclusa in homine cognoscit, totus homo denominatur cognoscere, sed sicut non ideò sola anima est homo, sic nec sola actio est Sacramentum.

Objic. 2. Matrimonium debet significare indissolubilem unionem Verbi cum natura humana, sed hanc non significat, nisi per copulam conjugalem, nam solùm Matrimonium consummatum est indissolubile, non autem Matrimonium ratum, ergo copula debet esse pars illius intrinseca vel essentialis, ut docet Gratian. Cap. *Instrumenta* 27. *qu.* 2. Idem videtur velle Inn. III. Cap. *Debitum* De bigamis; vel saltem integralis, uti docet Bellarm. R. Totam essentiam tam contractus quam Sacramenti, id est, signi causativi gratiæ, haberi pro priori ad copulam per Matrimonium ratum, quod etiam hoc ipso est signum representativum unionis indissolubilis Christi cum anima. Fatendum tamen est, quòd Sacramentum illud in ratione signi representativi unionis indissolubilis Verbi cum natura humana, sic partialiter includat etiam copulam: hac enim sola non posita, non est absoluta indissolubilitas. Et in hoc tantùm sensu loquuntur Gratian. & Innoc. III.

226 §. 3. Quando Florentinum dicit, causam efficientem Matrimonii esse mutuum consensum, videtur per metonymiam ponere effectum pro causa, ita ut sensus sit, quòd mutuò consentientes sint causa efficiens Matrimonii, physicè eliciendo, & efficiendo mutuum consensum tanquam materiam, & verba tanquam formam: ad eum modum, quo dicere solemus, verba esse effectiva Sacramentorum, id est, physicè proferentem verba efficere Sacramentum. Unde minùs apta est explicatio aliquorum cum Bosco *d.* 1. *s.* 3. *n.* 24. qui dicunt, sensum esse, quòd mutuus consensus sit causa efficiens vinculi sequentis ex Matrimonio, nam mutuus consensus non tam est causa efficiens, quam intrinsecum constitutivum istius vinculi, in quo consistit Matrimonium. Etiam minùs apta videtur explicatio eorum, qui cum *Haun.* dicunt sensum esse, quòd mutuus consensus sit causa Matrimonii in sensu humano, in quantùm mutuus consensus imperat manifestationem per verba, per quæ homines sciunt Matrimonium esse initum, nam Conc. non dicit esse causam efficientem manifestationis, sed Matrimonii ipsius, unde illa explicatio videtur torta: deinde, non ipsemet consensus, sed communiter alia concomitans vel subsequens volitio imperat manifestationem illius consensus, & consequenter Matrimonii. Denique utraque explicatio non videtur esse ad mentem Concilii, cujus finis ibi erat ostendere materiam & formam Matrimonii, uti ostenderat aliorum Sacramentorum.

§ 4. Putant Valent. Arcud. Con. Herinx, 227 Averf. *qu.* 3. *s.* 1. Spor. *n.* 227 aliique cum Rayn. *in Heter. to.* 16. *s.* 1. *p.* 14. *n.* 5. contra Sanch. *l.* 2. *d.* 26. Pontium & alios, si Deus ex supremo dominio in corpora daret jus viro in fœminam, & contrà, sicque consociaret mutuo vinculo, illos fore veros conjuges sine celebratione contractus vel traditione mutua, & fortè, inquit *Arcud.* sic fecit Deus cum Adamo & Eva. Et hoc forte significare voluit *Florent.* dicens, causam efficientem Matrimonii *regulariter* esse mutuum consensum. Quidquid sit de hoc, de facto ponitur Matrimonium solo mutuo consensu, & solus ille contractus est elevatus à Christo ad rationem Sacramenti, adeóque sine eo consensu non esset Sacramentum, nec sit hoc supplere potest Ecclesia, uti habet communis & certa cum Averf. *q.* 3. *s.* 1. & Kugl. *n.* 49. consensus autem ille debet verè internè existere, uti constat ex dictis *l.* 3. *p.* 2. *à n.* 608. Item, debet esse cum intentione se obligandi graviter, secundùm dicta ibidem *n.* 611. Item, debet esse liber à vi & metu, uti dicetur à *num.* 647. Item, debet esse plenè deliberatus, qualis requiritur ad peccandum mortaliter, uti colligitur ex dictis *l.* 3 *p.* 2. *à n.* 65. Debetque esse externè manifestatus, & acceptatus per acceptationem etiam externè manifestatam, uti dictum est ibidem à *num.* 654. 666. docetque plurib. Averf. *q.* 3. *s.* 2. Notat tamen Mastr. *n.* 27. quamvis ad Matrimonium, prout est contractus inter homines, nunc necessaria sit aliqua manifestatio externa interni consensus, tamen si Deus faceret, ut duo sibi invicem loqui possent per conceptus vel volitiones internas, ut fit in Angelis, tales fore aptos contrahere Matrimonium, quod tamen non esset Sacramentum, cùm hoc requirat signum sensibile. Præterea debet hic consensus esse liber ab inadvertentia, ignorantia, & errore circa substantiam, uti constat ex dictis *l.* 3. *s.* 1. *à n.* 612. & de errore iterum dicetur *à n.* 549 Et de aliisque etiam quoad sponsalia notà vir Busemb *n.* 44 relatus. Quid autem dicendum sit in variis dubiis circa contractum, dixi *l.* 2. *s.* 1. *à n.* 661. quæ ex parte etiam contractui Matrimonii applicari possunt. Et speciatim hic, quid dicendum sit si parentes contrahant filio vel filiæ præsente, & tacente, dicam. *n.* 272.

228 §. 5. Consensus ad Matrimonium necessarius debet esse intentio invicem tradendi, & acquirendi dominium corporum in ordine ad copulam, attamen non necessariò debet esse intentio copulæ exercendæ, imò nec obligationis proximè ad illam, uti patet

in B.V. & S. Josepho, aliisque multis, sed potest stare, ut simul ineant pactum, & obligationem nunquam habendi copulam, non enim tenentur uti illo jure copulæ, ergo licèt non possint se abdicare jure remoto, tamen possunt se obligare ad non usum, seu exercitium illius, hæc enim non opponuntur, sed stant simul, velle habere, & retinere jus ad copulam,& velle obligari ad non utendum jure copulæ, uti patet in conjugibus post Matrimonium consummatum professis, Avers. *q.* 3. *s.*3. aliique communissimè. Hinc licèt *S. Th. S. Bonav. Sanch.* & plures alii videantur dicere Matrimonium esse invalidum, si contrahatur sub conditione non petendi vel non reddendi debitum, tamen meliùs contradicunt Vasq. Pont.Bonac.Hurt.Perez,Dicast.Laym.*l.*5. *tr.*10. *p.*2.*c.* 7.*n.*8.Krim.*à n.* 797. nam traditur dominium in corpus, quod de se utile est, possetque secundùm se habere usum.

Dices 1. Jus ad usum equi sine potestate unquam utendi, est inutile, ergo etiam inutile erit jus ad copulam sine potestate copulæ unquam habendæ. R. n. cons. Jus ad usum equi supponitur non esse utile, nisi propter usum equi, è contrà jus ad usum copulæ habet alias utilitates adjunctas præter usum copulæ, nempe individuam vitæ societatem, mutuum auxilium in necessitate, & gubernatione familiæ, immunitatem à fornicatione, quæ cum sua non committitur, &c.

Dices 2. S. Aug. contra Faustum *l.*19.*c.*26. ait,non ob aliud debet fœmina nubere, quàm ut mater fiat. R. Vel intelligit ordinariè, vel vult nubentem, quæ intendit copulam, non debere excludere intentionem generationis.

Dices 3. Qui contrahit sub conditione repugnante fini essentiali Matrimonii,contrahit invalidè,sed qui contrahit sub conditione non habendi copulam, contrahit sub conditione repugnante finis essentiali Matrimonii, cum repugnet generationi & bono prolis, ergo. R. n. min. nam secundùm dicenda n. 236. generatio actualis est tantùm finis accidentalis Matrimonii, essentialis autem est mutua traditio corporum, & radicalis obligatio reddendi debitum. Pactum verò illud non reddendi debitum, si fiat cum consensu compartis, non obstat positivè vel absolutè bono prolis, quæ jus non habet, ut generetur, sed quasi conditionatè, nam ad summum proles habet jus, ut si fiat copula; non impediatur ejus generatio.

Dices 4. Si conjuges, qui mutuò promiserunt non uti copula, retineant jus ad copulam, ergo utendo copula facient, & non facient sibi mutuò injuriam: faciant, quia agent contra pactum: non facient injuriam, quia nemo facit injuriam utendo jure suo. R. Facient injuriam. Probationem in contrarium dist. nemo facit injuriam utendo jure suo,non vinculato *c.* vinculato *n.* & patet, si enim unus mercator pacto se obliget ad non vendendam rem suam, nisi ergo priùs vendiderim meam, vendendo rem suam facit mihi injuriam. Ex his constat multò magis valiturum Matrimonium, si ineatur sub conditione non reddendi debitum, in casu, quo alteri non licebit exigere, uti dicetur *n.* 241.

229 §. 6. Abb. J. Andr. Anchar. requirunt ad 229
valorem, ut uterque consensus simul existat, quia uterque constituit contractum, estque causa traditionis, & acceptationis. *Led.* & *Vega* id tantum requirunt, ubi *Trid.* est receptum, quia aliter constare non potest parocho, & testibus de utriusque consensu concurrente ad Matrimonium: sed simultas physica non requiritur ratione Sacramenti, uti patet in Sacramento Pœnitentiæ, nec ratione contractus, cùm multi fiant inter absentes per litteras, consensu unius sequente ad consensum alterius, hinc *Nav.* vult. sufficere consensum non esse revocatum, etsi alterius consensus multo tempore posteà sequatur, & videtur consentire Spor. *n.* 232. sed Intelligi non potest, quòd sufficiat quantacunque distantia temporis,quia contrahentes non censentur velle semper manere suspensi, & diutissimè expectare consensum alterius; hinc Sanc.*l.*2.*d.*23.*q.*2.Pontius *l.*2.*c.*16. Mastr. *n.*31. requirunt simultatem tantùm moralem: & idem volunt Castrop.*d* 2.*p.*6.,Avers.*q.*3.*s.*6. Krim.*à n.*371. nempe sufficere simultatem habitualem,& moralem, id est, quandiù censetur permanere consensus,præsertim juxta intentionem illius, qui prior consensit.

§. 7. Secundùm ante dicta requiritur, ut con- 230
sensus interni externè manifestentur, & acceptentur, debetq; acceptatio consensus esse ex parte utriusque contrahentis, qua posita, hoc ipso valet Matrimonium; hinc si Cajus dixerit, *accipio te in meam*, & Berta responderit, *& ego te in meum*, licèt Cajus statim post verba Bertæ dicat, ego autem revoco meam voluntatem, nihilominus putant Lugo *in resp.mor.l.*1. *dub.*42.Gob.*tr.*10. *n.*399. Spor. *n.*232. Matrimonium illud fore validum, dummodò Cajus voluntatem non revocaverit ante expressionem verborum Bertæ completam, quia Cajus dicens, *accipio te in meam*,hoc ipso dicit, volo te habere mihi obligatam, obligatio autem Bertæ non est sine acceptatione consensus Bertæ, ergo hoc ipso acceptabat consensum Bertæ, si ipsa illum poneret, ergo hoc ipso, quòd sit ille positus, jam purificata est conditio, & consensus est acceptatus, ergo frustrà revocat Cajus suum consensum. Et acceptationem posse fieri ante promissionem, docet rectè Palav. *De Sacram. n.* 61. ex *l.* 1. *Si quis*, juncta Glossa, *ff. De verb. oblig.*

§. 8. Canus putavit Matrimonia solis nutibus 231
contracta non esse Sacramenta, sed surdos, & mutos posse contrahere solis nutibus constat ex Cap. *Tuæ*, De sponsal. certum autem videtur, quòd tale Matrimonium inter fideles sit Sacramentum, & cùm alii contractus fieri possint sine verbis, non est ratio, cur non etiam Matrimonium, & fortè ideò *Florent.* dixit consensum *regulariter* exprimi per verba. Putavit quidem *Con.* saltem in illis, qui loqui possunt, necessariò requiri verba, sed oppositum tenet communis cum Mastr. *n.* 29. Mendo *diff.* 12. *n.*7. nam *c.* 1. *De spons. impub. in* 6. dicitur valere Matrimonium, si parentes exprimant consensum nomine præsentium, & non contradicentium. Attamen docent *Led. Rodriq. Sylv. Avers.* & alii sub mortali requiri verba in illis, qui loqui possunt: *Sanchez, Fill.* & alii requirunt sub veniali tantùm, sed Pont. Castr. *p.*7. *n.*5. Herinx, Tamb. Spor. *n.*229. Krim. *n.*377. dicunt per se nullam esse culpam exprimere alio signo, & videtur consentire Mastr. *n.*29. dummodò absit periculum scandali, & dubii de existentia consensus, debet enim sufficienter exprimi de præsenti mutua traditio juris ad usum corporum.

§. 9. Si in loco, ubi *Trid.* de Parocho,& testibus 232
adhibendis non est receptum, post sponsalia sequatur copula, Ecclesia olim præsumpsit consensum de præsenti, quo actu fieret Matrimonium, quia non debet præsumi delictum fornicationis, Cap. *Veniens* 2. Cap. *Is qui fidem* & C. ult. De sponsal. Si tamen reipsa abesset consensus, Matrimonium non valeret. Et cùm nunc, ubi *Trid.* receptum est, necessariò debeat contractus fieri coram Parocho, & testibus, si absque his habeatur copula, non fit Matrimonium, uti patet. Et quamvis Ecclesia fecerit, ut consensus sive contractus clandestinus nunc non sufficiat ad valorem Matrimonii,tamen non ideò mutavit formaliter, & proximè hoc Sacramentum, prout à Christo institutum est, uti explicavi in l. 6. p.1. n. 17.

233

233 § 10. Si uterque falsò existimet subesse impedimentum dirimens, & nihilominùs contrahant, an tum valere possit Matrimonium, dicam *n.* 531. Quid autem sit dicendum, si voluerint contractum, & non rationem Sacramenti, dicam *n.* 276.

234 §. 11. Quando Matrimonium contrahitur inter præsentes, præsumitur prior consensisse sub conditione, si alter etiam consentiat durante eodem congressu, quòd si tum non consentiat, censetur consensus prioris desiisse: si autem Matrimonium contrahatur inter absentes per procuratorem vel epistolam, censetur durare consensus prioris tanto tempore, quantum humano modo intercedere debet, & solet, usque dum ad alterum perveniat epistola vel procurator, & is data congruente mora consentire possit, ita cum aliis Spor. *n.* 232.

235 §. 12. Bonum Matrimonii est tripartitum, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne propter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, & religiosè educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur, uti ex S. Aug. refertur can. *Omne q.* 2. & *c. ult. De condit. appos.* Unde *bonum prolis* exigit, ut in usu Matrimonii non impediatur generatio; *bonum fidei*, ut abstineatur ab adulterio; *bonum Sacramenti* inducit indissolubilitatem. Et quidem ad valorem Matrimonii requiritur consensus saltem implicitus contrahendi obligationes procurandi ista bona, quamvis ad valorem non requiratur consensus obligationes illas exequendi, uti rectè explicant Aversa *q.* 3. *s.* 4. & Krim. *à n.* 791.

236 §. 13. Matrimonium in statu innocentiæ fuit in officium naturæ ad propagandum genus humanum. In lege naturæ & scripta simul fuit in remedium concupiscentiæ. In lege gratiæ est ad eosdem fines, & præterea ad rationem Sacramenti elevatum est; secundùm dicta num. 10. Estque finis ejus essentialis mutua corporum traditio, & radicalis obligatio reddendi debitum; finis accidentalis, sed proprius, & primarius, est generare, & ad Dei cultum educare prolem: secundarius est remedium concupiscentiæ. Fines intrinseci sunt sanitas corporis, mutuum juvamen, pax inter familias, divitiæ, honores, voluptas. Quòd si Matrimonium contrahatur ob solos fines extrinsecos non inclusos in institutione Matrimonii, communior est contra Angelum & Covarr. non esse mortale, cùm non sit magna deordinatio. Esse tamen veniale putant Sanch. *l.* 2. *d.* 29. Laym. Tamb. quia est deordinatio aliqua, si finis extraneus primò, & principaliter intendatur, videturque esse alienum à natura rationali, quòd aliquis operetur absque fine virtutis. Nihilominùs nullum esse peccatum dicunt Con. Pont. Spor. *num.* 226. Castr. *d.* 1. *p.* 1. Averf. *qu.* 1. *f.* 1. quia cùm fines tales sint honesti aut saltem indifferentes, non videtur peccatum esse, si quis honesto medio, quale est Matrimonium, velit illos obtinere: sicuti non peccat, qui lectione Missæ intendit pingue stipendium. Quidquid sit de hac sententia, certè admittenda non est, si intendatur sola voluptas copulæ, uti dicetur *à n.* 294.

237 §. 14. Si quis præter finem aliquem intrinsecum intendat etiam aliquem extrinsecum, nullo modo peccat, Cathec. Rom. *c.* 3 his verbis: *quòd si ad eas causas etiam aliæ accedant, quibus homines inducti Matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illi præponant, ut hæredis relinquendi desiderium; divitiæ, forma, generis splendor, morum similitudo, hujusmodi fuè rationes damnandæ non sunt, cùm Matrimonii statui non repugnent, neque enim Gen. 29. Jacob reprehenditur, quòd Rachelem ejus pulchritudine illectus Liæ prætulerit.*

Ex quo fine licita sit copula conjugalis, dicetur *à n.* 288.

Q. 34. *Quid addendum sit circa consensum, & Matrimonium conditionatum?* R. Matrimonium contrahi posse sub conditione, certum est, quamvis, quamdiu conditio, contingens saltem, impleta non est, suspendatur, & secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 80. ac dicenda hic n. 242. habeat rationem solorum sponsalium, de quibus, quando conditionatè contrahuntur, multa dixi à n. 78. quæ etiam Matrimonio applicari possunt, adhuc tamen hìc adde sequentia. 238

§. 1. Bonum in Matrimonio est triplex, uti dictum est *n.* 235. Et si conditio adjiciatur opposita uni ex his bonis, Matrimonium est irritum, quia censetur esse contra ejus substantiam, ut definit Greg. IX. *Cap. fin. de condit. oppos.* his verbis: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu, licèt aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Si iraque ineatur Matrimonium sub conditione, ut sibi liceat copula cum alio, est contra substantiam; nam finis Matrimonii est fides seu obligatio, se non commiscendi cum alio, secundùm dicta nu. 235. si autem ineatur sub conditione, si mecum furari volueris, non est contra substantiam, & censetur non adjecta. An autem item dici debeat de sponsalibus conditionatis, vide dicta *n.* 82. 239

§. 2. Universaliter hìc supponi debet, quòd 240 in contractu Matrimonii pro foro conscientiæ standum sit intentione, quam contrahentes sciunt se habuisse, qualiscunque conditio fuerit adjecta, uti statim probabitur. E contrà, quando dubium est, qua intentione hæc vel illa conditio sit adjecta; standum est dispositione Juris n. 238. relata. Hinc in dubio, an conditio turpis vel impossibilis sit seriò vel joco, aut ex errore adjecta, præsumitur adjecta ex joco vel errore, adeóque habetur pro non adjecta, estque validum Matrimonium, tum quia in tali dubio præsumi debent voluisse contrahere secundùm mentem Ecclesiæ, quæ vult tales conditiones, haberi pro non adjectis, tum etiam, quia in dubio præsumitur pro valore actus. Et est perinde, sive conditio turpis aut impossibilis sit de præsenti vel præterito, sive de futuro, uti probabiliùs tenet Krim. *à n.* 842. contra Sylv. Item perinde est, sive impossibilitas, & turpitudo fuerit contrahenti cognita, sive incognita, uti tenent Hann. & Krim. *à n.* 837. 847. contra Sanch. Item perinde est, sive conditio sit ex natura sua, sive tantùm per accidens, & de facto impossibilis, Krim. *à n.* 849. Castrop. Et ratio universalis est, quia *Jus canonicum* absolutè id dicit, non distinguens inter eas conditiones, ergo nec nos distinguere debemus.

§. 3. Cùm Ecclesia non possit supplere consen- 241 sum, si sciretur intentionem fuisse expressè restrictam ad talem conditionem suspensivam, nec aliter consensisse, nisi conditio subsisteret, hac non subsistente consensus esset nullus, ut dixi l. 3. p. 2. n. 599. *Nec obstat* quòd consentiens sciverit conditionem esse impossibilem, adeóque videbatur nihil voluisse, *nam* ex hoc ipso verum est, consensum illius fuisse nullum. Quomodo autem præterea ab aliis authoribus explicetur textus Juris relatus *n.* 239. absolutè statuens talem conditionem impossibilem vel turpem debere haberi pro non adjecta, item, quando talis conditio adjecta, sit vel non sit suspensa, fusè habet

Averf.

Averſ. *q. 5. ſ. 4. & 5.* poſſuntque etiam videri, quæ dixi *l. 3. p. 1. n. 588.* & à n. *596.*

241 §. 4. Sanch. *l. 5. d. 11. n. 2.* putat non valere Matrimonium initum ſub conditione non reddendi debitum in caſu, quo alteri non licebit exigere, quia hæc conditio videtur eſſe contra ſubſtantiam Matrimonii: cùm auferat jus in corpus alterius: ſed oppoſitum eſt probabilius, non enim eſt contra ſubſtantiam, cùm acquirat, & retineat jus remotum ad talem copulam, & privare ſe poſſit uſu ſive exercitio *illius* juris, ſecundùm dicta *n. 228.* ubi dixi Matrimonium poſſe iniri ſub pacto nunquam petendi vel reddendi debitum. An autem illicitè petens copulam, habeat ad hanc jus proximum, & ideò alter ei teneatur reddere debitum, dicetur à n. 352.

242 §. 5. Si conditio ſit de præſenti vel præterito, quæ ſubſiſtat, Matrimonium hoc ipſo ſtatim valet, licèt contrahentes neſciant conditionem ſubſiſtere, S. Thom *in 4. d ſt. 29. q. 1. art 3. quæſtiu. 3.* Sanch. *l. 5. d. 6.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. cap. 7. n. 1.* Fagn. *in 4. decret. ad Cap. fin. De condit. appoſ.* Pirh. *l. 4. tit. 5. §. 2. n. 3.* Averſ. *q. 5. ſ. 1.* contra Conin. Et ſumitur ex lege, *Cùm ad præſens 37. ff. De rebus creditis*: Leg. *Inſtitutio, 10. & ff. De condit. & demonſtr. Inſtitut. De verb. oblig. §. Conditio.* Ratio eſt, quia contractus ex voluntate contrahentium accipit legem, & conditionem, unde in cit. leg. *Inſtitutio*, dicitur, quòd nulla ſit conditio, quæ in præteritum confertur vel in præſens, idq; propterea, quia non ſuſpendit actum, qui ſtatim valet vel non valet. Suſpenditur tamen ejuſmodi Matrimonium, quoad uſum, donec ſciatur, an conditio ſit impleta necne. Si autem conditio ſit de futuro, Matrimonium ſuſpenditur, etiam quoad ſuum eſſe, neque tum adhuc eſt Matrimonium, ſed habetur ſola ratio ſponſalium, quamvis enim conſenſus poſſit eſſe conditionatus, Matrimonium tamen ſemper eſt abſolutum, neque eſt ante poſitam conditionem, Sanch. Gob. *tr. 9. n. 137.* Boſco, Spor. *n. 227.*

Obji. Talis modus contrahendi ſub conditione ignorata non exprimit determinatè conſenſum, tam parum, quàm ſi dicas, *duco, vel non duco te.* Ergo etiam valebit, ſi dicas, *duco te, ſi Deus prævideat fratrem tuum ante te eſſe moriturum.* R. ad 1. *neg. aſſ.* nam non habet ſe indifferenter ad conſenſum, & diſſenſum, uti in poſteriori caſu, ſed determinatè exprimit conſenſum, quamvis ſub conditione. Ad 2. *neg. ſeq.* imprimis, quia licèt conditio illa ſit de præſenti quoad divinam præſcientiam, tamen nunc ob intrinſecam connexionem cum eventu futuro naturaliter incognoſcibili, eſt nunc remota à commercio humano, ergo non eſt apta commercio humano exigenti valorem de præſenti: deinde conditio illa facit valorem contractus illius pendere ab ipſomet eventu futuro, ergo oportet de tali contractu loqui, ſicuti ſi fieret ſub conditione de futuro. Quid dicant authores aliqui, ſi abſolutioni ſacramentali addatur hæc conditio, *abſolvo te, ſi Deus cognoſcat, quòd eras reſtituas*, dixi *l. 6 p. 1. n. 81.*

243 §. 6. Poteſt iniri Matrimonium ſub conditione, *ſi ſit virgo*, id eſt, ſi explorata à mulieribus peritis judiceris eſſe virgo. E contrà, ſi ſenſus conditionis oppoſitæ eſſet hic, ſi in prima copula reperero te eſſe virginem, conditio eſt turpis, quia provocat ad faciendam poteſtatem corporis, priuſquàm ſit verum Matrimonium, ita Krim. *n. 827.* cum aliis, Spor. *ſuprà*, Gob. *tr. 18. n. 491.* Si autem ſenſus ſit, *ſi reipſa ſis virgo*, quod relinquo tuæ conſcientiæ, ſi ſciatur intenta fuiſſe hæc conditio, & ipſa non ſit virgo, Matrimonium ſecundum dicta n. 240. non valebit, ſi autem dubitetur, an conditio ſit ſerio intenta, necne, Krim. *n. 852.* putat cenſeri non adjectam, ideóque valere Matrimonium propter dicta n. 238. quia eſt de facto impoſſibilis, ſed vide dicenda *n. 248. ad obji. 2.*

§. 7. Matrimonium ab impeditis initum ſub conditione, *ſi Papa diſpenſet*, ſi ſit tale impedimentum, in quo Papa juſtè poſſit, & ſoleat diſpenſare, valeat ſecundùm Covarr. Angel. Con. Pont. Bonac. Dic. Sanch. *l. 5 d. 8.* Krim. *à n. 853.* & alios, & rationes inſinuatæ ſunt n. 84. ubi dixi de ſponſalibus initis ſub conditione, ſi Papa diſpenſet. Oppoſitum tenent Inn. Roſell. Vict. Sot. Lugo aliique cum Averſ. *q. 5. ſ. 2.* Rationem dant, 1. Quia perſonæ tales ſunt inhabiles ad omne Matrimonium, ergo hic eorum conſenſus in Matrimonium ab initio eſt nullus, ergo ut Matrimonium valeat, debet poni novus conſenſus. 2. Si vir fidelis mulieri infideli dicat, *contraho tecum Matrimonium, ſi baptizeris*, item, ſi duo fideles dicant, *inimus Matrimonium, ſi comparuerimus coram Parocho & teſtibus*; item, ſi conjux dicat innuptæ, *duco te, ſi uxor mea fuerit mortua, &c.* utique nihil faciunt, ſed poſteà impleta conditione requiritur novus conſenſus, quia nempe in iſtis circumſtantiis ſunt omninò inhabiles ad contrahendum tale Matrimonium, ergo ſimiliter in noſtro caſu. Utraque ſententia eſt probabilis, ſed ſecunda videtur probabilior, hinc ad rationem *n. 84.* allegatam dico non eſſe ſatis conſenſum contrahentium referri ad tempus, quo habiles erunt, ſed debere tum, quando contrahunt, eſſe habiles ad contrahendum: tales autem, impediti ſunt omninò inhabiles ad contrahendum ullo modo Matrimonium, non item ad ſponſalia, quamvis enim Eccleſia conſtituendo impedimentum dirimens inhabiliter ad contrahendum Matrimonium, tamen non ideo inhabilitat ad illud promittendum, uti patet in impuberibus, qui valide promittunt pro tempore pubertatis, attamen invalidè contrahunt etiam pro tempore pubertatis, qua habita requiritur novus eorum conſenſus.

244

§. 8. Qui ſub conditione de futuro duxit unam, ſi ante eventum conditionis ducat aliam, illicitè agit, ſed validè. Si autem duxerit duas ſub conditione tali, cum illa valebit, cum qua conditio priùs complebitur, ita Sanch. Dicaſt. Gob. *tr. 10. n. 472.* Spor. *ſuprà & n. 182.* Quòd ſi conditio ſimul impleatur, Pont. dicit, prius Matrimonium tenere, *Ledeſma* dicit valere ſecundum, *Sanch. & Spor.* cum aliis probabiliùs dicunt neutrum valere, quia in Jure Cap. *Ex litteris, De ſponſal.* dicitur, quòd incertitudo vitiet Matrimonium.

245

246

§. 9. Si primus conſenſus conditionatus fuerit validus, & contrahentes permanſerint habiles, ſeu non impediti, valdè probabile eſt Matrimonium impleta conditione hoc ipſo etiam ſine novo conſenſu eſſe validum, etiamſi tum dormirent ſponſi, uti tenent Abb. Inn. Hoſtien. Palud. Sanch. Lug. Dicaſt. Caſtr. *d. 2. p. 11. §. 2. n. 5.* Sylv. Averſa *q. 5. ſ. 1.* Gob. *tr. 10. n. 454.* Spor. *nu. 227. & 237.* Krim. *n. 485. & 866.* aliique quamvis contradicant *Buſemb.* & alii, quos refert *Averſ.* Ratio eſt 1. Quia illi contractus conditionati poſita conditione fiunt abſoluti ſine novo conſenſu, uti conſtat ex Jure apud *Averſam*, & dixi cum communi *l. 3 p. 2. n. 605.* nec aliud diſponit Eccleſia circa contractum Matrimonii, ergo. 2. Ideò id verum eſt in aliis contractibus, quia conditio ſuſpendit eorum valorem, & conditione poſita contractus illi jam ſunt abſoluti, atqui idem eſt de contractu Matrimonii, ergo. Hic tamen benè notanda eſt diverſitas inter iſtos modos contrahendi, quo ſponſi dicunt, *accipiam te intra meenſem in meum, & meam, ſi parentes noſtri conſentiant*; & *accipio te in meum & meam, ſi parentes noſtri intra menſem conſentiant.* Prior modus eſt per verbum de futuro ſub conditione de futuro, qua impleta habentur ſola ſponſalia,

sponsalia, & ut sit Matrimonium, requiritur alius consensus de præsenti. Posterior modus est per verbum de præsenti sub conditione de futuro, ita ut consensus contrahentium sit modò præsens quamvis consensus Parentum sit conditio, cui subsłat, qua conditione posita, jàm est Matrimonium vi prioris consensus contrahentium. An autem, quando Matrimonium ita contractum est coram Parocho, & testibus sub conditione, posteà Parochus, & testes debeant saltem rescire de conditione impleta, dicam n. 762.

247 §. 10. Ex dictis colligitur, quid dicendum sit ad hunc casum: Cajus contrahit cum Berta, dùm contraheret, nulla conditione apposita, sed paulò ante dixerat audientibus multis se ducturum Bertam, si haberet 10. millia aureorum, aliter non ducturum. Post initum Matrimonium rescit Bertam nihil habere, & ideo abstinet à copula.

Quæritur, an Matrimonium censeri debeat validum. Pro parte affirmativa est, 1. Quia conditio non est apposita in contractu. 2. Quia cùm non apposuerit conditionem videtur ab ea recessisse. 3. Credi non potest Cajo dicenti se in mente habuisse eam restrictionem, nam Cap. *Per tuas* De probat. dicitur, *nimis indignum est, ut quòd sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare.* 4. Quia in dubiis standum est pro valore Matrimonii. Cap. fin. De sent. & re judic. Oppositum probabiliùs tenent in simili Sanch. *l. 2. d. 45. q. 2.* Pont. *l. 4. c. 21. n. 13.* Fill. *tr. 10. cap. 2.* Regin. *l. 31. cap. 14. n. 93.* & in nostris terminis Pignat. *to. 9. consult. 136.* Quia voluntas Caji tam expressè declarata, est in possessione, & censetur permansisse; quod à posteriori colligitur, quia ideò noluit habere copulam: unde R. *Ad 1.* Satis esse fuisse anteà appositam, & non mutatam, censetur enim permansisse virtualiter. *Ad 2.* Contrarium colligitur ex negata copula. *Ad 3.* Hoc intelligitur de nudo testimonio nulla conjectura vel ratione confirmato. *Ad 4.* Regula illa non tenet in casu magnæ disparitatis pro una parte, uti rectè Sanch. *l. 3. d. 5. n. 7.*

248 §. 11. Huc etiam pertinet sequens casus: Titius coram Parocho, & testibus contrahit cum Caja ignota, sub conditione, si sit honesta, id est, honestè semper vixerit: Caja promittit se intra 4. Septimanas daturam testimonia honestæ vitæ. Dum hæc expectantur, Titius cognoscit Cajam, de qua posteà rescitur, quòd antehac honestè non vixerit.

Quæritur, an hoc Matrimonium sit validum? R. non valere, quia consensus contrahentium pendens à veritate conditionis de præsenti vel præterito, ab initio nullus est, si non subsistat veritas conditionis, S. Bonav. *in 4. dist. 30.* Palud. *ibid. ar. 1. n. 9. concl. 3.* & alii cum Fagnan *in 4. Decretal.* Cap. fin. *De condit. appos.* Hìc autem non subsistebat veritas conditionis, ergo.

Objic. 1. Titius per subsecutam copulam videtur recessisse à conditione, & præsumitur adjecisse consensum absolutum. R. *n. aff.* quamvis enim id fortè possit præsumi, si conditio esset de futuro, tamen ubi conditio est de præsenti aut præterito, non ideò, quòd habetur copula, receditur à conditione, uti rectè *Fagnan.* suprà addens hanc esse communem sententiam, quem sequuntur Anchar. *n. 3.* Abb. *n. 4.* Angel. *V. Matrimonium.* Covarr. *in 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 1. num. 13.* ubi ait: *si post defectum conditionis sequitur copula, nil conducit ad conjugii præsumptionem, cùm jam promissum Matrimonium omninò defecerit.* Imò etiamsi citer probaretur, uti rectè Gob. *tr. 10. n. 457* ubi ait, omnes quos legi docent ex L. *Ita stipulatus, ff. De verb. obl.* absolutè, & sine ulla distinctione inter ratum, & consummatum non impleri contractum matrimonium, sed permanere suspensum, donec impleatur conditio apposita in Matrimonium: & ita dicendum est reipsa. Ideóque si Titius mansit in constante voluntate non habendi Cajam pro uxore, si deprehenderetur non esse honesta, sanè licèt ante illam deprehensionem decies fuisset commixtus carnaliter cum ea, nullum seu ratum, seu consummatum extitisset Matrimonium.

Inst. Ante *Trid.* censebatur quis per copulam recessisse à conditione, quia Ecclesia, ut excluderet delictum fornicationis, præsumebat accessum esse factum affectu maritali cum consensu puro, uti tenent *Gl. magna* circa med. in Cap. *Per tuas*, Sylv. *V. Matrimonium.* Tiraq. *De retractu conv. ad v. ad finem tit. 1. n. 77.* Abb. Inn. Collect. Zabarell. Hostien. Alex. *de Nevo*, & alii apud *Barbosam*, ergo idem dicendum est fieri etiam jam post *Trid.* R. Ante *Trid.* per copulam censebatur quis recessisse à conditione, quando conditio erat de futuro, c. & hoc conforme est Cap. *Per tuas*: Quando conditio erat de præterito aut præsenti, uti in nostro casu est, n. cum authoribus ante citatis.

Objic. 2. Conditiones impossibiles vel turpes adjectæ Matrimonio, & substantiæ illius non adversantes, habentur pro non adjectis, uti habet communis & certa, sed conditio, *si es honesta*, videtur esse impossibilis respectu corruptæ, cùm in præteritum non sit potentia, secundùm *Hostiens.* ergo R. Opinionem *Hostiens.* communiter rejici, quando enim à Matrimonio rejiciuntur conditiones impossibiles, intelliguntur eæ solùm, quæ per se sunt tales: uti, *si cœlum digito tetigeris*, non autem, quæ ex se sunt possibiles, & ex accidenti solùm impossibiles, qualis est conditio, *si es virgo, si es honesta*, Aret. *Consil.* 82. Palud. *in 4. dist. 39 q. 2. a. 5.* Sylv. *V. Matrimonium 3. q. 8.* & alii apud Covar. *suprà §. 2. n. 3.* Fagn. *suprà n. 20.*

§. 12. Notat Aversˢ. § *ult.* moraliter loquendo 249 non esse licitum contrahere Matrimonium sub conditione, nam si est conditio de præsenti vel præterito in eam potiùs inquirendum: si est de futuro, est expectanda, ut absolutè contrahi possit, quia iste modus contrahendi sub conditione est subjectus variis perplexitatibus, causatque sæpè multa dissidia, & lites.

De modis contrahendi Matrimonii sub variis conditionibus videri potest etiam Aversˢ. *q. 5. §. 6.*

Q. 35. Quid dicendum sit de Matrimonio, quod catholicus contrahit sub conditione, si conjux maneat fidelis? 250 Casus potest sic proponi: Titius ritu Calvinistico contracturus Matrimonium cum Titia, intendit expressè, (quamvis intentionē mente reservata, uti solent reformati doctiores) sic contrahere, & non aliter, quàm sub ea conditione, uti si Titia sibi fidem servaverit, & quandiu sibi fidem servaverit, velit hanc esse suam, si fidem non servaverit, neque Titius velit teneri contractu Matrimoniali. Titia postmodùm non servat fidem, cujus ubi convicta fuit, Titius, per sententiam consistorii declaratur liberà contractu Matrimoniali, daturque facultas ad secunda vota transeundi. *Quæritur*, an Titius nunc catholicus possit transire ad secundas nuptias cum catholica?

§. 1. Negarunt multi Doctores catholici ex his 251 rationibus: 1. Matrimonium ex natura sua est indissolubile, ergo quando Titius voluit Matrimonium, voluit contractum indissolubilem. 2. Titius vel voluit contractum Matrimonialem secundùm substantiam, vel non; si voluit, etiam implicitè voluit Sacramentum, vel saltem contractum indissolubilem: si non voluit, ergo nequidem voluit Matrimonium quod est contra terminos casus. 3. Matrimonium saltem consum-

consúmatum Jure divino est indissolubile, uti tenent omnes DD. Catholici, sed Titii Matrimonium est consummatum, quia proles habet, ergo Jure divino est indissolubile. 4. Titius voluit, & intendit Matrimonium validum, ergo potiùs voluit valorem, quàm conditionem repugnantem valori Matrimonii. 5. Titius præsumitur ita animo comparatus, ut si sciret contractum Matrimonialem esse elevatum à Christo ad rationem Sacramenti, esse hoc crediturus, & contracturus conformiter institutioni Christi, quæ generalis animi comparatio, & intentio prævalet privato errori. 6. Ex animi comparatione prudenter præsumitur, quòd Titius appretiativè id malit, quod vult vera Christi Ecclesia, sed hæc vult indissolubilem contractum, ergo & Titius. 7. Habent hæretici generalem intentionem faciendi eo modo contractum, quo Christus instituit, hæc intentio sufficit ad Sacramentum Matrimonii, ergo. 8. Titius habuit duas intentiones contrarias, unam, volo contrahere Matrimonium, sicuti in vera Ecclesia Christus instituit; alteram, volo contrahere dissolubiliter in casu fornicationis, ergo Matrimonium Titii potiùs fuit indissolubile, quàm dissolubile. *Prob. conseq.* Inter duas intentiones illa sortitur effectum, quæ prævalet; sed prævalet prior, quæ ex suo modo tendendi est magis universalis, ergo. 9. Conditio apposita contra substantiam Matrimonii tunc solùm vitiat contractum, quando uterque consentit in appositionem, non autem, si alter contradicat, aut taceat, quia hoc casu perinde se habet, ac si adjecta non fuisset; ita Fagnan. ex Cap. *Aliquando*, 32. *q.* 2. Post *Præpos. Sylv. Covarr. Barbos.* consentiunt *Vincent. Hostiens.* & alii suadentes mulieribus, ut si quando viri ad mulieres alliciendas ostendant se velle cum iis Matrimonium contrahere, & apponant hujusmodi conditiones contra substantiam Matrimonii, ipsæ taceant, secuta enim copula, erit Matrimonium. 10. Conditio turpis habetur in contractu Matrimonii pro non adjecta, Cap. fin. *De condit. appos.* atqui conditio, quæ est contra substantiam Matrimonii, est turpis, cùm sine peccato impleri non possit, ergo. 11. Conditio mente retenta nihil operatur in contractibus L. *Cùm in plures* 60. §. *Locator*, *ff. Locati*; ubi Glossa: quis enim est tam stupidus, qui putet tacitam contrahentis cum aliquo voluntatem in contractibus spectandam esse? Adde, quòd conditio hæc ex errore speculativo adjecta, ad valorem vel non valorem actus perinde se habeat, ac si adjecta non fuisset. 12. Confertur Baptismus ab eo, qui non credit Baptismum esse Sacramentum, ergo etiam ministratur Matrimonium ab eo, qui non credit illud esse Sacramentum, Gob. *tr.* 10. *Cas.* 19. 13. Præsumptio fori externi stat contra Titium, eò quòd id solùm judicabit, quod forinsecùs demonstravit, foris autem declaravit Matrimonium, ergo censebitur voluisse Matrimonium contrahere secundùm suam naturam, quæ verè insolubilis est, donec sufficienter illum defectum suæ intentionis probaverit. 14. Ex contraria sententia sequetur Matrimonia hæreticorum passim esse dissolubilia, cum maxima confusione Christianitatis, item proles esse spurias, & illegitimas. 15. Sequentur itidem multa inconvenientia, iniquissima divortia fient, polygamia inducetur, hæreticæ mulieres horrebunt connubia. 16. Denique sequitur posse dari contractum matrimonialem purè civilem, & dissolubilem, qui pugnet cum natura Matrimonii, cùm hoc necessario versetur circa corpora in perpetuum tradenda: omnis enim matrimonialis contractus versatur circa corpora indissolubiliter tradenda.

252 §. 2. Pro parte affirmativa, *supponendum est.* 1. Punctum difficultatis recidere ad hanc quæstionem, an consensus Titii ex prævalente intentione fuerit restrictus ad conditionem illam, repugnantem insolubilitati Matrimonii, posseque quæstio habere locum etiam in Catholico, qui ex invincibili ignorantia putaret probabilem esse sententiam, quam dicunt fuisse Cajetani & Catharini docentium, Matrimonium etiam consummatum fidelium Catholicorum esse dissolubile quod vinculum in casu fornicationis, ideóque expresè nollet Matrimonium, nisi ita solubile, de illo similiter quæri posset, an hoc Matrimonium esset validum? *Supponendum* 2. Titium & Titiam hæreticos materiales fuisse bene gnaros suæ sectæ, illiusque doctrinæ, quòd nempe liceret ipsis Matrimonium contrahere sub illa conditione, & si frangeretur fides, transire ad aliud, nempe per legitimam consistorii, aut legitimi Superioris decisionem, uti millenis exemplis scimus Matrimonia quoad vinculum esse dissoluta in Anglia, Batavia, Palatinatu, Helvetia. *Supponendum* 3. Prudenter præsumi, nisi, aliud constet, quòd quisque in agendo velit se conformare moribus gentis suæ, item suæ sectæ ac doctrinæ in illa propositæ, quam invincibiliter putat esse unicè veram: hinc præsumimus materialem hæretice absque scrupulo die Veneris comedere carnes: Calvinistam nolle sumere corpus Christi: Lutheranum velle sumere corpus Christi, sed cum pane. Pari igitur Jure præsumendum est, si duæ sectæ habeant diversa principia circa contractum Matrimonii, quòd utriusque sectatores velint illum inire juxta sua principia. His suppositis: Putarunt alii Titium posse ducere aliam: Ratio est 1. Quia prius Matrimonium ab initio fuit nullum, aut si fuit aliquod, per quas causas, & quomodo fuit aliquando contractum, per easdem desiit esse. Quòd Matrimonium Titii arbitrio fuerit nullum, ita suadetur: Quicunque contrahit Matrimonium sub conditione pugnante cum substantia Matrimonii acceptata ab altero contrahente, & ex tali intentione efficaci ac prævalente, is contraxit invalidè: atqui Titius contraxit Matrimonium sub conditione pugnante cum substantia Matrimonii acceptata ab altero contrahente, & ex tali intentione efficaci ac prævalente, ergo *Major* est omnium, & deciditur *Cap. fin. De conditionibus appositis*, nam alioquin intendent, & non intendent Matrimonium. *Minor prob.* Imprimis Titius contraxit sub conditione pugnante, non contrahens sub conditione dissolubilitatis in causa fornicationis, contrahit sub conditione pugnante cum substantia Matrimonii; Titius contraxit sub ista conditione dissolubilitatis, ergo. *Major* est omnium Catholicorum, & constat ex eodem Cap. fin. *Minor* patet ex terminis casus. Deinde cõditio hæc fuit acceptata ab altero contrahente (quamvis id non sit opus, uti contra Fagnan. Covar. & alios Canonistas rectè ostendunt *Pontius l.* 3. *c.* 12. *n.* 8. Perez *d.* 16. *s.* 5. Hurt. *d.* 7. *diff.* 8. *n.* 30. Dicast. *d.* 5. *dub.* 11. *n.* 148. Bosco *De Sacram. d.* 1. *s.* 3. ubi dicit, omnes Theologos ita sentire) nam uterque contrahens voluit se alteri obligare more in sua religione usitato, & similem alterius obligationem acceptavit, quam credidit ex suæ religionis instituto, & ex Jure divino non esse absolutè perpetuam, sed tantùm conditionatè, ergo uterque acceptavit conditionem. *Antecedens* est certum ex suppos. 2. & 3. *Consequentia* est per se nota. Denique contractus ille essentialiter conditionatus fuit ex intentione efficaci ac prævalente, nam Titius vel habuit duas intentiones, unam universalem, *volo sic contrahere, sicuti debeo in vera Christi Ecclesia*, & alteram, *volo contrahere dissolubiliter in casibus mihi juxta principia meæ sectæ licitis*, vel habuit unam tantùm, contrahendi posteriori modo; quidquid dicatur, voluit intentione absoluta, & efficaci contra-

here

here sub conditione pugnante cum substantia Matrimonii, quæ necessariò affert indissolubilitatem, ergo. *Minor* quoad posteriorem partem patet ex terminis; quoad priorem, probatur. Inter duas intentiones contrarias illa est de præsenti prævalens, quæ essentialiter est clausiva alterius, atqui inter istas intentiones posterior est exclusiva prioris. ergo. *Major* est certa: *Minor* patet, cùm expressè non aliter velit contrahere, nisi excludendo indissolubilitatem, & consequenter Titius non voluit efficaciter Sacramentum Matrimonii, neque contractum matrimonialem distinctum à Sacramento, & insolubilem, cum utraque enim pugnat expressa intentio contrahendi dissolubiliter, imò facilè quilibet ex terminis casus deducet, quòd nequidem inefficaciter voluerit contractum indissolubilem. *Ratio* 2. est ab authoritate *Cap. final. De condit. appositis*, & ex omnibus ferè doctoribus in illud Caput; nam expressè dicunt, si apponatur conditio repugnans perpetuitati vel insolubilitati Matrimonii, hoc ipso conditionem haberi pro non adjecta, hoc est, ita vitiari contractum, ut de facto nullus sit. Hinc Pontius *in append. ad tract. de Matrim. l. 9. §. 2. n.* 11. quærens; si hæreticus in eo sit errore, ut existimet Matrimonium esse causa dissolubile, & licere libellum repudii, ut olim in lege ante Christum, quid fiet? Cui quæstioni ita in terminis paulò post respondet: *si verò expressè ita velit contrahere, & non aliter, sive eum animum explicet, sive in mente retineat, nullum est Matrimonium.* Idem communissima habet Fagn. *ad Cap. fin. suprà*, item Lugo *d.* 8 *s.* 8. Perez, Dicast. *De Matrim. d.* 2. *dub.* 4. Avendanno *in addit. ad append. p.* 1. § 2 *n.* 481. *Ratio* 3 est, quia Catholicus sine dubio magis censetur velle sic contrahere Matrimonium, sicut vult vera Ecclesia, quàm hæreticus: quo non obstante, si Catholicus velit contrahere sub conditione pugnante cum insolubilitate, idque appretiativè magis, hic vitiat contractum, & Matrimonium illius nullum est, ergo.

253 §. 3. Hæc secunda sententia videtur esse probabilior; quia tamen videtur esse aliqua probabilitas pro valore primi illius Matrimonii, quod est in quadam possessione, putarem saltem propter scandalum non esse procedendum ad aliud Matrimonium, nisi priùs obtenta tribunalis alicujus Catholici declaratione de invaliditate prioris.

254 §. 4. *Ad rationes oppositas*, est facilis responsio *Ad* 1. & 2. Titius voluit Matrimonium, & ejus substantiam, non quomodocunque consideratam, sed præcisè ut respicientem ritum hæreticorum, id est, ut dissolubilem ex causa fornicationis. *Ad* 3. Matrimonium consummatum est Jure divino insolubile, si sit initum juxta institutionem Christi, qui voluit intendi indissolubilitatem: aliter initum non est inconsummatis. *Ad* 4. Intendit Matrimonium validum, sed valore respiciente conditionem dissolubilitatis efficaciter appositam, sic autem volendo valorem, simul voluit conditionem pugnantem cum valore Matrimonii, quæ posterior volitio prævalebat, atque ità exercitè excludebat valorem, quem signatè tantùm volebat. *Ad* 5. Dato Titium sic fuisse comparatum, non ideò hæc comparatio animi prævaluit præsenti volitioni, fundatæ in errore privato, quem invincibiliter putabat esse unicè verum. *Dixi*, dato, nam multi Catholici fugiunt Matrimonium, quia timent se perpetuò alligandos uxori rixosæ, & fortè adulteræ, ergo etiam posset id timere acatholicus, & ideò nolle contrahere, si sciret esse pro omni casu indissolubile. *Ad* 6. Præsumitur, quòd appretiativè id malit, quod facit Ecclesia sua juxta judicium suum invincibiliter erroneum, non autem quod facit vera in se Ecclesia Catholica, actu enim præfert suam Ecclesiam Catholicæ, & ex hoc invincibiliter errante judicio præfert ejus modum contrahendi Matrimonium modo contrahendi catholico: ex illa autem comparatione animi, quam ponit objectio, solùm sequitur, quò mallet facere, quod facit Ecclesia Catholica, si crederet, hanc esse veram, non autem sequitur, quòd de facto malit, uti rectè notant Pontius, Lug. Dicast. Avendanno suprà. *Ad* 7. Qui sic intentionem restringunt, ut casus supponit, habent generalem intentionem eo modo contrahendi, quo Christus juxta suam apprehensionem instituit, nempe dissolubiliter. *Ad* 8. Patet ex dictis; nam prævalet intentio contrahendi dissolubiliter, cùm expressè se ad hoc restringat. *Ad* 9. nego, quidquid ibi dicitur, nam imprimis cùm uterque contrahens sit minister hujus Sacramenti, & simul suscipiens, si simul unius intentio sit nulla, totum Sacramentum est nullum. Deinde hic utriusque intentio est nulla, cùm uterque expressè intendat dissolubilitatem, ergo cùm tale Matrimonium ab initio sit nullum, nec mutetur intentio, manet nullum, nec validari potest per copulam cum eodem errore positam. *Ad* 10. Cap. illud expressè dicit, si conditiones turpes sint contra substantiam conjugii, puta, *contrahо tecum, donec inveniam aliam*, &c. haberi pro non adjecta, & facere Matrimonium esse nullum, talis autem est conditio hæc apposita. *Ad* 11. Lex illa loquitur de foro externo, nam de interno certum est apud omnes conditionem mente retentam, si sit contra substantiam Matrimonii, vitiare contractum, Bosco *l. c.* Perez, *s. d.* 8 *n.* . & 3. Quod additur de errore speculativo, nihil est, quia error Titii valdè practicus fuit, dirigens actionem contrahendi. *Ad* 12. Si baptizans vel suscipiens Baptismum absolutè per prævalentem intentionem non aliter vellet Baptismum, quàm si non esset Sacramentum, Baptismus non esset validus, uti tenent omnes, & in hoc est paritas cum nostro casu. *Ad* 13. Præsumptio fori externi est pro eo, quòd Titius more in sua secta usitato contraxerit, id est, solubiliter. Et tam parum tenetur Titius probare in foro externo, quòd habuerit expressam intentionem contrahendi dissolubiliter, quàm Catholicus teneatur probare intentionem contrahendi indissolubiliter, id enim debet æqualiter præsumi de utroque in sua religione benè instructo. *Ad* 14. Loquimur de Matrimoniis initis cum intentione ita restricta, prout iniit Titius; an alii ita ineant nescimus. Quod additur de spuriis, & illegitimis prolibus, nihil est, nam omnes fermè gentes contrahebant dissolubiliter, nec tamen ullus dixerit proles omnes eorum esse illegitimas, quia nempe illegitimus non censetur, qui inter gentes tolerato civiliter Matrimonio nascitur, tales enim in Imperio, & Regnis plerisque admittuntur ad hæreditates etiam Catholicorum. Adde, quod passim teneant DD cum Sanch. *l.* 8. *d.* 34. . . 6. Gob. *in Quint. tract.* 5 *cap.* 37. *n.* 247. prolem natam ex Matrimonio bona fide contracto esse legitimam. *Ad* 15. Non est, quòd ista timeantur. Divortium in casu adulterii esset justum. Delinente per legitimam Judicis sententiam opinione prioris existimati Matrimonii, alterum supervenire sine polygamia. Hereticæ absque paranymphis Theologis invenient sponsos, putant enim tam masculi quàm fœminæ apud eos se esse prædestinatos ad opera carnis, & impossibile esse servare castitatem. *Ad* 16. Sive illud quale quale Matrimonium nominetur contractus purè civilis, contractus Matrimonialis dissolubilis, vel aliter, ad rem non facit, cùm verum maneat, Titium posse transire ad alia vota. De cætero postea dicam à num. 411. contractum de præsenti inter

sponsos vel non valere in ratione Matrimonii simpliciter, vel esse indissolubilem.

255 §.5. Hæc dicta non habent locum, si non sciatur, quòd alteruter contrahentium habuerit expressam intentionem ita restrictam ad dissolubilitatem, tum enim præsumitur, quòd intentio contrahendi secundùm institutionem Christi prævaluerit, & quòd intenderint, ut valeret actus, prout valere potuit, & debuit. Consequenter dicendum est, quòd Matrimonia acatholicorum ordinariè censeri non possint invalida, & hoc satis evincunt saltem aliquæ ex rationibus n. 251. allatis, ac ita tenet etiam cum aliis Gob. *in exp. tr.* 10. *n.* 707. dicens oppositum sibi non ampliùs videri esse probabile. Et quamvis probabile esset, tamen secundùm dicenda à n. 527. standum esset Matrimonio, quod in possessione est.

256 *Q.* 36. *Quid notandum sit circa illum, qui fictè tantùm consentit?* R. §.1. Qui singit se consentire, peccat, imprimis peccato sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, in quantum Minister est, & falsò absque justa causa sine intentione adhibet signa Sacramenti. Deinde contra justitiam quia in contractu oneroso, si unus bona fide ponat partem suam, habet jus, ut etiam alter adjiciat suam, & sic ponatur æqualitas, Aversa *q.* 3. *s.* 1. Gob. *tr.* 10. *n.* 411. Quid dicendum sit, si quis metu gravi cogatur inire Matrimonium, quod sit invalidum, dicetur n 660.

257 §.2. Qui fictè contraxit Matrimonium, sivè secuta sit copula sive non, regulariter tenetur fœminam illam ducere, si hæc non sit usa fraude, quia alioqui per injuriam fit ei damnum notabile, tum in fama, tum in fortunis, & conditione vitæ, nam nulli alteri permitteretur nubere, cùm prius Matrimonium præsumatur fuisse validum, Sanch. Lug. *de Justit. d.* 12. *n.* 36. innuens, contra *Sanch.* rarò excusare disparitatem conditionis, nam quando ipse comparebat coram Parocho, & testibus, non poterat prudenter præsumi fictio, non enim poterat præsumi velle illudere Ecclesiæ, ergo puella prudenter putavit se per Matrimonium illud elevatam esse ad dignitatem conjugis, à qua deturbari non debet. *Dixi*, regulariter, nam si puellæ nullum sequeretur damnum, eò quòd Matrimonium non esset ita publicè notum, putat Sanch. *l.* 1. *d.* 11. *n.* 5. deceptorem non teneri ducere, quod Castrop. & Krim. *n.* 529. reputant probabile, quia uterque manet æqualiter liber ad alias nuptias: imò putant aliqui, quamvis damnum causatum esset puellæ, deceptorem non teneri hoc resarcire, determinatè eam ducendo, sed satis esse, si aliter, v. g. augendo dotem. Oppositum probabiliùs tenent alii cum Pontio *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. secundùm illa, quæ dixi à n. 69. Et probat pluribus Kugl. *à n.* 72. etiamsi uterque dicat se fictè consensisse, eis non credi pro foro externo, quia præsumitur in favorem Matrimonii, & prolium.

258 *Q.* 37. *Quid notandum sit circa Matrimonium, quod inter absentes contrahitur?* R. §.1. Inter absentes potest contrahi Matrimonium: imprimis per procuratorem, uti constat ex Can. *Honorantur*, 32. quæst. 2. & cap. fin. De procurat. in 6. Deinde per litteras, uti habetur L. *Mulierem* ff. De ritu nuptiar. & L. *sufficit* ff. De sponsal. nec alibi improbat Jus canonicum, quidquid contradicat de Luca ad Trid. *d.* 26. *n.* 29. Denique per nuntios. Ratio universalis est, qui etiam alii contractus possunt istis modis fieri inter absentes, & in ordine ad contractus *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*: item, *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum*, Reg. 68. & 72. Jur. in 6.

259 §. 2. Cap. fin. De procurat. in 6. sic statuitur: *Procurator non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale, & quamvis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu non poterit deputare alium, nisi hoc idem specialiter sit commissum.* Unde requiritur, imprimis actus ipsius principalis, qui mandet procuratori, ut suo nomine contrahat cum certa persona, ut habet communis cum Krim. *n.* 654. quamvis Con. & Aversa *q.* 3. *s.* 5. putent sufficere, si mandarit etiam generaliter cum illa, quam procurator elegerit: nec opus est, ut hoc mandatum fiat coram Parocho, & testibus. Deinde requiritur actus procuratoris exprimentis coram Parocho, & testibus consensum sui principalis per hæc vel æquivalentia verba, *Titius accipit Cajam in uxorem mediante me: Caja accipit Titium in virum mediante me, &c.* Putantque *Ledesm. & Sanch.* sola verba principalis spectare ad essentiam hujus Sacramenti, sed Hurt. Mastr. Pont. *l.* 1. *c* 10. *n.* 6. Aversa suprà, dicunt etiam verba procuratoris spectare ad essentiam, quia his solis sublatis mandans non censetur sufficienter in ordine ad hunc contractum manifestare suum consensum: nec inde sequitur procuratores esse partiales Ministros, aut debere esse in statu gratiæ, quia non agunt nomine suo, sed principalium, adeóque actus procuratorum reputatur esse actus principalium.

§.3. Si principalis esset factus perpetuò amens eo 260
tempore, quo per procuratorem completur contractus, Pontius, Lugo *De Sacram. d.* 8. *n.* 108. Diana, Aversa *s.* 6. dicunt Matrimonium fore invalidum, quia sicuti mandatum expirat morte mandantis, ita videtur expirare mandante facto furioso vel amente, uti habetur L. *Qui servum n.* 47. & L. *Si quis alicui* 48. ff. De acquir. hæred & observat Molin. *De just. tom.* 2. *d.* 552. E contrà Sanch. Henriq. Con. Bonac. Arr. *de Sacram. d.* 19. *à n.* 34. dicunt valere, sicuti valet Baptismus, & absolutio data lapso in amentiam: nec simile est de morte, & amentia, maximè cùm amens maneat aptus copulæ, & generationi, qui est finis Matrimonii.

§.4. Si principalis etiam internè tantùm revocet 261
consensum, antequàm procurator officium suum expleverit, Cap. fin. De procur. in 6 sic dicitur: *Sanè si procurator, antequàm contraxerit, à Domino fuerit revocatus, contractum post modum Matrimonium ab eodem (li. èt tam ipse, quàm ea, cum qua contraxeris, revocationem hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit, cùm illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* Et ratio est, quia nec Jus, nec Ecclesia in hoc contractu possunt supplere consensum in traditionem corporum, quorum dominium non habent, quamvis possint, & sæpè suppleant in aliis contractibus circa res temporales, quarum dominium altum est apud Principem, vel Rempublicam. Quòd si priùs volueris, posteà revoces, & iterum consentias, antequàm procurator mandatum expleverit, valebit Matrimonium, quia prior consensus moraliter rediit, & adest, quando contrahitur, Sanch. Krim. *n.* 565.

§.5. Si fictè consensisti, quando mittebas procu- 262
ratorem, sed posteà seriò consentias, quando ille mandatum exequitur, *Henriq. & Sanch.* dicunt valere, quia tum adest consensus requisitus. Con. Spor. Krim. *n.* 564. probabiliùs dicunt non valere, quia, cùm constitutio procuratoris initio fuerit nulla, & ipse ex vi illius agat, agit ex nulla potestate, neque est verus procurator, neque agit nomine alterius, cùm non acceperit commissionem. Attamen fatentur, quòd per quemcunque consensum consequentem, & actum, quo posteà tractat conjugem ut suam, confirmetur Matrimonium.

§ 6. Pro-

263 §. 6. Procurator potest esse diversi sexus ab illo, nomine cujus contrahit, unde potest fœmina contrahere pro viro, agit enim non suo, sed alterius nomine. Aversa. *s.* 5. rectè addens, nec requiri certam ætatem, quia quamvis Cap. *Qui generaliter*, De procurat. in 6. dicatur, procuratores ad negotia debere esse 17. annorum, tamen id non est de valore, nec requiritur in Matrimonio, in quo non exigitur industria procuratoris, sed tantùm manifestatio consensus, hinc nequidem requiritur, ut sit pubes, Sanch. *l.* 3. *d.* 41. *n.* 8. Krim. *n.* 2185.

264 §. 7. Si contrahatur per litteras, sponsus scribere debet, quòd se tradat in Matrimonium, & sponsam acceptet in uxorem, sponsa autem coram Parocho, & testibus dicere debet vicissim. Quòd eum acceptet in maritum, & se tradat in uxorem, sicque erit actuale Matrimonium, etiamsi ille qui scripsit, tum actu dormiat; Castrop. *d.* 2. *p.* 9. Spor. *n.* 234. Quòd si uterque per litteras agat, debet uterque alterius litteras legere coram Parocho & testibus.

265 §. 8. Per nuntios contrahitur, si hi utriusque mittentis traditionem, & acceptationem significent coram Parocho, & testibus: debentque eadem observari, quæ de contractu per procuratorem dicta sunt. Per hoc autem distinguuntur modi contrahendi per procuratores, & nuntios, quod procuratores repræsentent principale & eorum nomine contrahant, nuntii autem nudè significent voluntatem principalium, quod etiam litteræ solùm agunt.

266 Q. 38. *An tale Matrimonium inter absentes contractum, nunc post Trid. habeat rationem Sacramenti?* R. §. 1. Negant Sylv. Canus, Ledesm. Rebell. Cajet. Vict. Estius aliique. 1. Quia sicuti collatio Sacramenti est actio personalis, ita etiam reacceptio videtur debere esse actio personalis, adeóque nullum Sacramentum videtur confici posse vel recipi, nisi Minister & subjectum sint præsentes. 2. Quia, quamvis sententia judicialis possit ferri circa absentes, tamen absolutio sacramentalis non valet ad absentem. 3. Videtur absurdum dicere, quòd aliquis dormiens, quando procuratores complent contractum, recipiat gratiam Sacramenti. 4. *Trid.* vult virum, & mulierem interrogari de mutuo consensu, ergo vult esse præsentes.

267 §. 2. Oppositum probabiliùs tenent Innoc. Covarr. Palud. Scot. Sot. Valent. Navarr. Sanch. *l.* 2. *d.* 11. Pont. *l.* 11. *cap.* 10. Mendo *diff.* 12. *n.* 9. Aversa. *qu.* 1. *s.* 5. Mastr. *n.* 14. Krim. *n.* 346. & 2460. quam sententiam *Castr.* vocat verissimam, Tann. & Gob. *tr.* 19. *n.* 388. dicunt temeritatis esse damnandum, qui hoc tempore id negaret; ratio est. 1. Quia ratio contractus matrimonialis inter fideles non est separabilis à ratione Sacramenti, uti dicetur à n. 275. ergo si Matrimonium inter absentes valet in ratione contractus, etiam valet in ratione Sacramenti. 2. Si Matrimonium inter absentes non esset Sacramentum, Ecclesia positivè non permitteret, sed potiùs prohiberet illud sic contrahi, vult enim semper suscipi Sacramentum, quando initur Matrimonium. 3. Si tantùm alteruter contrahat per procuratorem, litteras vel nuntium, ponitur Sacramentum, saltem ex parte præsentis, uti plerique etiam ex Adversariis fatentur, ergo etiam ex parte alterius, quia hoc Sacramentum est essentialiter duorum. 4. Quando ita contrahitur, principales censentur contrahere per se, & reipsa per ipsos censetur poni materia, forma, intentio Sacramenti, ergo non est ratio, cur non ponatur Sacramentum.

268 §. 3. Ad 1. rationem oppositam n. ass. id enim specialiter convenit Sacramento Matrimonii, quod sequitur rationem contractus. Ad 2. Id resciimus per declarationem Ecclesiæ, secundùm dicta *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1195. nihil autem simile, sed potiùs oppositum declaravit de Matrimonio: & ratio disparitatis est, quia secundùm ibidem dicta n. 1200. absolutio sacramentalis requirit verba formalia ipsiusmet Ministri, directa ad præsentem, non solemus autem verbis formalibus alioqui absentem: è contrà, Matrimonium contrahi potest scripto, vel aliis signis significativis consensus, quæ pro absentibus sufficienter poni possunt per alios ad id deputatos: & propterea etiam absolutio à censuris non requirens vera formalia fieri potest scripto ad absentem. Ad 3. n. ass. nam qui dolens & confessus incidit in amentiam, aut in somnum lethargicum, si in hoc moribundus absolvatur, suscipit Sacramentum, & gratiam Sacramenti, uti omnes fatentur. Ad 4. *Trid.* ibi tantùm præscribit hoc pro ordinario modo, quo Matrimonium contrahitur, neque hoc est de essentia, neque *Trid.* in hoc puncto aliquid innovavit diversum ab antiquo Jure Canonico, imò hoc ipsum fieri potest, quando contractus fit per procuratores, nam in ipsis interrogantur & respondent principales: quod etiam faciunt per internuntios & litteras. Attamen Aversa in fine non malè addit, *Ad majorem securitatem & ad tollendum illud dubium, quod ex nostra sententia posset oriri, juvabit, si posteà contrahentes, quando erunt sibi præsentes iterum privatim inter se repetant mutuum consensum, ut in omni casu perficiatur vera ratio Sacramenti, & ejus fructus indubitanter percipiatur.*

269 *Q.* 29. *An Matrimonium semel rectè initum, & non dissolutum possit inter eosdem sæpiùs iniri?* R. Affirmat Rayn. *in Heter tom.* 16. *f.* 1. *p.* 14. *n.* 34. ita, ut quoties ex rationabili causa renovatur coram Parocho & testibus, toties iterum fiat Sacramentum conferens novam gratiam ex opere operato, ad eum modum, quo repeti sæpiùs potest confessio ejusdem peccati cum novo Sacramento, & effectu novæ gratiæ: causam rationabilem dicit esse, si longo tempore copulati prolem non susceperint, si hactenus vixerint in jurgiis, & jam renovare velint amorem mutuum, &c. probatque exemplis effectus bonos inde secutos. Aversa. Mastr. *n.* 18. Lug. *de pœnit. d.* 13. *n.* 83. probabiliùs contradicunt, quamvis enim posset consensus sæpiùs renovari, uti renovantur vota professionis religiosæ, attamen sicut tunc non est nova professio, i. a nec hic novum Sacramentum: & ratio in utroque est, quia contractus Matrimonii, & professio consistunt in introductione possessionis in dominium corporum vel personæ professæ, introductio autem sonat incæptionem traditionis: ergo cùm posteà non ampliùs possit poni incæptio traditionis corporum, cùm enim sint tradita & acceptata, non amplius sunt sua, ergo nec ampliùs tradi possunt, ergo nec poterit inter tales repeti contractus aut Sacramentum Matrimonii. Ex quo patet disparitas de iterata confessione ejusdem peccati, hæc enim non significat ejusmodi incæptionem remissionis peccati, cùm idem peccatum possit sæpiùs remitti, secundùm dicta *l.* 6. *p.* 2. *n.* 599.

270 *Q.* 40. *Quandonam præsumatur, aut quomodo probetur, quòd Matrimonium sit initum?* R. *Quid* sit præsumptio, & quæ communiter regulæ admittantur circa illam, dixi *l.* 4. à *n.* 1434. Hic de *præsumptione* Matrimonii.

§ 1. Matrimonium præsumitur, 1. Ex verbis, quibus contractus Matrimonii iniri solet, de quibus fusè habent Gob. *tr.* 10. Spor. *n.* 156. Kugl. à *n.* 56. 2. Ex hoc, quòd contractum Matrimonium consummarint, etiamsi unus nunc dicat, se fictè consensisse, quia non debetur ei fides, secundùm dicenda n. 307. 3. Ex solemni deductione sponsæ ad domum viri. 4. Ex cohabitatione 10. annorum, quando adest fama vicinæ, quòd vir mulierem in lecto, & mensa

ut uxorem habuerit. Et ita intelligendum videtur Cap. *Ad id*, 21. De sponsal. & Matr. ubi Clemens III. de aliqua quæ per annum, & dimidium permanserat cum viro, dicit, videri consensisse, nempe accedentibus aliis signis. De cætero nuda cohabitatio etiam per longum tempus non facit certam præsumptionē Matrimonii ad favorem conjugum, quamvis eam faciat ad favorem prolium, ut censeantur legitimæ, uti Sperel. *decis.* 175. *à n.* 27. ex Jure & AA. 5. Etiam præsumitur ex publico instrumento coram 3. testibus facto, Schild. *tr.* 6. *c.* 7. §. 3. 6. Ex libro Parochi, cui inscripsit, Barb. & alii cum Kug. *n.* 70. Notandum tamen hìc est, quòd nulla quantumcunque magna præsumptio faciat Matrimonium valere, si reipsa defuerit consensus, vel aliquid essentialiter requisitum, *quia præsumptio cedit veritati*, arg. L. *Continuus* 137. ff. de verb. oblig. & L. ult. ff. Quod metus causa: Latè *Tusc.* v. *Præsumptio*, concl 612. & constabit ex dicendis n. 272. 274.

271 §. 2. *Si* prius Matrimonium sit tantùm præsumptivè verum, & posterius sit certò initum cum omni solemnitate, docet Schild. §. 7. adhuc esse standum pro priore, quia sicut pro primo stat præsumptio valoris, ita pro secundo stat præsumptio nullitatis: sed oppositum tenendum est secundùm dicenda n. 679.

272 §. 3. Quamvis Cap. un. §. *Porrò*. De desponsi. imp. in 6. Filius vel filia, si præsens sit, dum parens nomine ipsius contrahit (vel etiā absens, & posteà sciat ac taceat) & omni secluso metu non contradicat, præsumatur consentire; tamen in foro conscientiæ hæc præsumptio locum non habet, si filius vel filia dicat, se non consensisse, sed ob reverentiam parentis tacuisse, quia in foro interno, sicuti creditur dicenti contra se, ita etiam pro se. Regula autem juris 43. in 6. *qui tacet consentire videtur*, rectè explicatur per reg. 44. ibid. *qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, cùm taciturnitas sit aliquid indifferens ad consensum & dissensum: pro quo Sanch *l.* 1. *d.* 5. *n.* 5. & *d.* 6. *n.* 11. Delb. *De immun. eccles. cap.* 8. *dub.* 19. *à n.* 27. & alii dicunt, quòd tacens consentire censeatur, 1. Si agatur de ejus commodo, & favore, non, si de incommodo vel præjudicio 2. Si det signum interni consensus, uti si talis sponsa tacens admitteret annulum à spondente, vel ejus manum acciperet. 3. Si aliàs negare vel contradicere deberet. An autem talis metus reverentialis impediat valorem consensus, dicam n. 657.

273 §. 4 Quando agitur de valore matrimonii, sufficiunt quicunque testes: è contrà, quando agitur pro invaliditate illius, quamvis rati tantùm, communis sententia est, quòd requirantur testes omni exceptione majores, uti habent Jura, & Authores apud Sperel. *dec.* 75. ubi notat sequentia, 1. Si varietas attestationum in substantialibus laceret, & conquassat depositionem, sunt tanquam singulares testes. 2. Etiamsi agatur pro dissolvendo matrimonio, domestici & familiares, si reliqua habeant, non ideò possunt repelli. 3. Etiam hìc fieri potest, ut numerus testium, si nempe sint ultra tres, suppleat defectum aliquem. 4. Quando agitur de causa dissolvendi matrimonium intra domesticos parietes illata, domestici & familiares habentur tanquam omni exceptione majores, tum quia præsumuntur meliùs scire, quàm extranei, tum etiam, quia sæpè tales causæ, v. g. metus injectus, verberationes, minæ, non fiunt coram extraneis. 5. Quamvis aliquis fuerit famulus, dum causa dissolvendi posita est, si tamen non ampliùs sit famulus, dum testatur, non obstat, cùm cessarit præsumptio nimiæ reverentiæ vel amoris. 6. Non ideò contraria sunt testimonia, quòd unus plus testetur, quàm alter. 7. Si causa invaliditatis matrimonii sit plùs quàm semiplenè probata, potest etiam mulieri, contra quam aliàs nulla est exceptio, injungi juramentum suppletorium. 8. Quamvis quis testetur ex auditu, si AA. dicti repellantur, etiam repelluntur testes, quia plùs non creditur copiæ, quàm originali, plùs non creditur referenti quàm relato Hæc omnia fusè deducit & probat *Sperel.* partim l. c. partim dec. 79. n. 46. De testibus plura addam à n. 757.

Q. 41. *An Matrimonium pro foro interno invalidum, possit pro foro externo censeri validum, & quid tum sit agendum?* R. Constabit ex resolutione sequentis casus. Titius appromisso matrimonio imprægnat Casjam ancillam suam, & quia posteà ducere non vult, persuadet Cajæ vicinæ partui, & Dulo servo suo, ut ineant matrimonium, impetratque illis ab Ordinario facultatem contrahendi sine proclamationibus, coram quocunque Parocho, quod etiam fit præsentibus testibus. Pro majore elucidatione. *Notandum* 1. Nec Dulum nec Cajam unquam locutos esse de matrimonio ineundo, aut de subeunda ulla obligatione vi hujus actionis, nec ullum unquam carnis tactum ante, vel post ab invicem prætendisse, imò inter ipsos convenisse, quòd vellent facere in speciem ad placendum Titio, & reportandam ab eo pecuniam. Titius autem hanc comœdiam adornavit merè, ut se à Caja expediret, dispositio Dulo, ut se patrem prolis mentiretur. 2. Postquàm sic dispositi comparuerant coram Parocho & testibus, renovarunt contractum, quòd vi hujus fabulæ nunquam aliquid prætenderent ab invicem, & sic discesserunt, neque posteà ulla cohabitatio, familiaritas, aut correspondentia inter ipsos fuit. 3. Caja posteà instructa, quòd nubere non posset, nisi habita certitudine de morte Duli, de eo nil rescire potest intra decem annos, & quia est in periculo incontinentiæ. *Quæritur*, 1. An alteri nubere possit. 2. An si Dulus casu rediens negaret contractum, de nihil prætendendo ad invicem, Caja posset in foro externo prohiberi, ne alteri nubat. 3. An etiam posset cogi ad cohabitationem. 4. An etiam ad redditionem debiti. 5. An ut nunc alteri nubat, indigeat dispensatione, vel declaratione de Matrimonii nullitate. 6. An, & à quo, quibusque modis, illam petet, ac impetrabit. R. Tale matrimonium pro foro quidem interno esse invalidum ob defectum consensus, uti definit Innocent. III. Cap. *Tua nos*, De sponsal. & Matrim. in foro tamen externo haberi validum, cùm enim contractum sit in facie Ecclesiæ, est præsumptio, & certa possessio pro illo, secundùm dicenda n. 679. Unde ad singulas quæstiones dico, *Ad* 1. Caja quoad forum internum posset cuicunque nubere, adeóque, si fortè in Indiis, vel tali loco, ubi non posset constare eam antecedenter matrimonium in facie Ecclesiæ contraxisse, posset securè cum quocunque matrimonium inire, non potest autem in his partibus, uti constat ex dictis. *Ad* 2. Posset in foro externo prohiberi, ne alteri nubat, uti & Dulus, ne alteram ducat. *Ad* 3. Posset cogi ad cohabitationem. *Ad* 4. Non ad redditionem debiti ante positum serium consensum mutuum in matrimonium, quia alioqui cogeretur ad fornicationem. *Ad* 5. & 6. Indigeret utique pro locis, ubi notum est, vel esse potest, quòd ita contraxerint, sed nequidem à Papa obtinendam esse talem declarationem. Dispensatio autem in tali matrimonio veluti rato vix, aut ne vix quidem sperari potest. Ita c[a]sa annum 1690. judicavit Illustrissimus Dominus Nuntius Apostolicus, & plures hìc Coloniæ Doctores, quibus assentior. 274

Q. 42. *An ratio Sacramenti sit separabilis à ratione indissolubilis contractus matrimonialis inter fideles, sive baptizatos?* R. §. 1. Multis modis separabilem esse docent multi, quorum præcipuos retuli l. 6. p. 1. n. 73. Plures addit Avers. *q.* 1. *s.* 5. & ex recentioribus putant Merat. Gonet. Platel. Sporer, Krim. *n.* 340. qui con- 275

contendunt id fieri posse saltem ratione intentionis conficiendi contractum, & non Sacramentum. Rationes sunt 1. Quia de hac inseparabilitate nil dicunt Concilia, nec SS. PP. nec unanimis Doctorum opinio, ergo non est dicendum ex institutione Christi dari inseparabilitatem contractus à ratione Sacramenti. 2. In antiqua lege fuit perfecta ratio contractus marrimonialis separata à ratione Sacramenti, ergo cùm non sit ratio præsumendi à Christo factam esse tantam mutationem in hoc contractu, sed fundamentum tantùm sit dicendi contractum illum esse elevatum ad rationem Sacramenti, meliùs dicetur, posse esse naturaliter, & civiliter validum absque ratione Sacramenti. 3. Potest quis velle inire matrimonium sine intentione Sacramenti ministrandi, vel suscipiendi, atqui sine tali intentione non fit Sacramentum, uti dictum est l.6.p. 1. num. 54. validus autem erit contractus, ergo. 4. Si puer, & puella hodie baptizati cras ad Turcas deferantur, ibi educentur in infidelitate, & nubant, facient contractum matrimonii validum, non tamen Sacramentum, cùm de Sacramento tali nil sciant, & infideles negent nostra Sacramenta. 5. Infideles legitimè conjuncti, dum baptizantur, facere non possunt, ut contractus præteritus elevetur ad rationem Sacramenti, uti dicetur n. 407. ergo in illis manet ratio contractus jam habitualiter existentis inter fideles, & tamen deest ratio Sacramenti, ergo idem potest esse ab initio.

276 §. 1. Nullo modo, nequidem per intentionem contrahentium, posse nunc rationem contractus inter fideles separari à ratione Sacramenti, præter citatos ibi l.6 docent, Bellarm. Præpos. Avers. suprà, Pignat. *l.7.conf.22 n.7.* aliique plurimi cum Sperell. *dec. 9. n.* 23. qui dicit hanc esse veram sententiam, & Romæ approbatam: accedunt ex Scotistis Hique. Pont. Brancat. Rationes sunt. 1. Authoritas Innoc. III. cujus verba retuli loc. cit. l. 6. videtur enim asserere, quòd Baptismus, hoc ipso quòd inamissibiliter sit admissus, faciat contractum matrimonii esse Sacramentum, & ideò etiam Concilia, & Sancti Patres communiter dicunt, vel supponunt matrimonia fidelium esse Sacramenta. 2. Certum est, quòd Christus rationem validi contractus matrimonialis inter fideles elevarit ad rationem Sacramenti, atque ita instituerit, ut ad rationem contractus accederet ratio Sacramenti, saltem ordinariè, & per se loquendo. Nullum autem est fundamentum dicendi, quòd privatis fidelibus reliquerit potestatem separandi unam rationem ab altera, quamvis enim circa instituta à se Sacramenta potestatem aliquam concesserit Ecclesiæ, non tamen ita privatis fidelibus, ergo. *Confirmatur*, nam sicuti Christus non dedit sacerdoti potestatem ferendi sententiam remissivam peccati, nisi intendat rationem Sacramenti, ita & hic. 3. Si ratio contractus separari potest à ratione Sacramenti, ergo prudenter suadebitur hæreticis, aut etiam aliis, qui in mortali sunt, nec volunt pœnitere ante matrimonium, ut intendant solum rationem contractus, & non Sacramenti, ne committant sacrilegium: item fieri poterit, ut unus intendens contractum, & Sacramentum, suscipiat Sacramentum, alter autem intendens solum contractum, non suscipiat Sacramentum, quæ, inquit *Avers.* planè sunt absurda, & præter mentem Ecclesiæ ac existimationem fidelium. Utraque sententia est probabilis, & ideò pro neutra vult se determinare Mastr. *n.24.* in utramque partem etiam discurrens de mente *Scot.* omnibus tamen consideratis videtur negativa esse probabilior, hinc R. *Ad 1. & 2* fundamenta sufficientia esse jam data. *Ad 1.* dico, ex dictis l.6.p. 1. n. 73. si non prævaleat intentio generalis faciendi hoc, quod Christus instituit, sed absolutè nolit contractum, nisi separatum à ratione Sacramenti, Matrimonium fore nullum. *Ad 4.* dico idem, si enim non habeant intentionem sufficientem ad valorem Sacramenti, certum est ex dictis ibidem n. 45. non confici Sacramentum, ergo nec subsistere valor contractus indissolubilis matrimonialis, tam parùm, quàm subsistere, si isti duo baptizati contraherent, & ignorarent se esse consanguineos, hic enim non juvat ignorantia, uti dicetur n. 526.

277 *Q. 43. An matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum sit Sacramentum?* R. Ut quæstio locum habeat, supponi debet, quòd Ecclesia dispensarit in isto impedimento disparis cultus, ita ut potuerint inire contractum saltem civiliter validum, qualis est inter infideles: hoc supposito Sot. Cathar. Eckius Reb. Avers. *q. 1. s. 6* Ex Scotistis. Hique. Pont. Brancatus defendunt fore Sacramentum ex parte fidelis, putant enim, quòd inter conjuges sint duo partialia Sacramenta, quorum unum possit subsistere sine altero, sicuti sæpè in uno causatur gratia, & non in altero. Sed oppositum est tenendum cum Vasq. Henr. Sanc. Con. Bec. Pont. Mastr. *n.20.* Kriel. *n.350.* quia sicuti est unicus duorum contractus, & unicum vinculum; ita debet esse unicum Sacramentum, ergo cùm non baptizatus non sit capax hujus Sacramenti, secundùm dicta l.6.p.1.n.165. ob hunc defectum deficiet totum Sacramentum.

Objic. Apostolus 2. ad Corinth. 7. v. 14. dicit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, ergo docet saltem respectu fidelis esse Sacramentum. R. n. conf. nam non loquitur de sanctificatione sacramentali, sed morali tantùm, in quantùm mulier fidelis exemplo, & pia conversatione sua virum infidelem adducit ad fidem, & gratiam. Matrimonium utriusque infidelis non esse Sacramentum, dixi l.6.p 1. n. 16. An autem, quando infideles convertuntur, & renovant consensum, tum saltem fiat Sacramentum, dicetur n. 407.

278 *Q. 44. Quid notandum sit circa consummationem matrimonii?* R. seqq.

§. 1. Certum videtur ex Cap. *Veniens.* De sponsal. contra paucos apud Sanch. *l.2.d.21. n.12.* Matrimonium non consummari per copulam post sponsalia ante matrimonium habitam, quamvis etiam suscitatæ sint proles, quia talis copula non est matrimonialis, sed fornicaria.

279 §. 2. In locis, in quibus subsistunt matrimonia clandestina, si post sponsalia sequatur copula, præsumitur fieri Matrimonium de præsenti, & consummatur per illam copulam concomitanter, secundùm dicta n. 232. ubi autem non valent Matrimonia clandestina, quamvis copula post sponsalia sequatur, secundùm jam dicta, non ideò censebitur consummatum, licèt posteà contrahatur, Gob. *t.10.n.402. & 403.* Mos autem in Germania, ut procurator cataphractus decumbat cum sponsa, non est consummatio matrimonii, sed tantùm servit ad acquirenda aliqua jura, Gob. *n.* 405.

280 § 3. Si semen à viro alioquin potente vas penetrare effundatur circa muliebria, & matrix illud ad se attrahat, sufficere ad matrimonii consummationem docent *S. Anton. Corduh Sot. Covarr. de Nevo, Lopez*, quos infert, & sequitur Boudevvins *p.2.q.19.* certum enim videtur ex variis authoribus, & historiis tali effusione seminis sæpè concepisse, & peperisse mulieres, quamvis cum aliis contradicat *Zachias* in quæstionibus medico-legalibus *l.3.tit.1. q.8* Imò hoc verum esse, quamvis dæmonis ministerio semen viri in vase debito recipiatur, docent Rosell. *Sylv.* Tabien. Sanch. *n.2.* Benac. Avers. *q. 2. s. 4.* ideòque absque virginis defloratione, aut corporis ejus penetratione

hoc

hoc fieri posse, nullus, quòd sciam, Medicorum dubitat, inquit *Boudevv.* An verò tum etiam contrahatur affinitas dicam n. 695.

281 §. 4. Si vir vas fœminæ penetrarit, sed ad illud non venerit, nec attractum sit semen, multi dicunt fore consummationem matrimonii, sed probabiliùs negat Sanch. *n. 5.* quia non censentur caro una, nisi sit copula, quæ ad generandum sufficiat, nam etiam per hoc dicuntur una caro, quòd commiscendo sua corpora sint principium generans unam carnem, sive prolem, quod hìc non est.

282 §. 5. Si conjugata primo bimestri vi opprimatur à viro suo, matrimonium consummatur, quia verè fiunt una caro, cùm sit copula sufficiens ad generationem unius carnis, attamen talis oppressa adhuc potest ingredi Religionem, uti dicetur n. 421.

Objic. Talis copula non repræsentat unionem Verbi cum humanitate, quia non fuit voluntaria, ergo non est vera consummatio matrimonii. R. Repræsentat illam quod substantiam, cùm per hoc fiant una caro, quamvis non repræsentet quoad circumstantiam voluntariæ, quod non est opus, uti opus non est, ut repræsentet quoad circumstantiam *sanctæ*, cùm copula conjugatorum, etiamsi voluntaria sit, possit esse peccaminosa.

283 §. 6. Si vir affirmet consummationem esse factam, mulier autem neget, vel contrà, si mulier affirmet, & vir neget, secundùm Schild. *à n. 99.* cui consentire videtur Aversa. *q. 13. sect. 5. §. Quòd si,* potiùs credendum est affirmanti, quàm neganti, tum quia standum est pro matrimonio, tum ob alias authoritates, & rationes, quas adducunt Sanch. *l. 7. d. 109.* & Gob. *tr. 10. n. 403.* ideóque licitum non erit ab eo recedere, uti nec in alio dubio, an matrimonium fuerit consummatum, necne, quia Matrimonium est in possessione, cujus vinculum scitur esse de se absolutè insolubile, & necdum esse solutum. An ad consummationem Matrimonii requiratur, ut etiam mulier seminet, dicetur n. 696.

284 *Q. 45. Quid addendum sit circa Ministrum in Sacramento Matrimonii, & Parochum, qui assistit?* R. §. 1. Minister hujus Sacramenti non est Parochus, aut Sacerdos, qui benedicit; quia secundùm S. Th. in 4. dist. 26. *a. 1.* ad 1. *benedictio Sacerdotis est tantùm quoddam Sacramentale* & dist. 28. q. 1. 2. 3. *est tantùm de solemnitate Sacramenti, unde si omittatur, verum matrimonium est.* Idem docent Scot. Mastr. *n. 12.* Et contrahentes esse Ministros luculenter ostendunt Bellarm. *to. 2. de matr. c. 6. 7. 8.* Rayn. *in Heter. to. 16. s. 1. pu. 14. n. 3.* contra Guillelm. Paris. Canum, Estium, Sylv. apud Aversam *q. 1. s. 5.* ad quos accedit *Juenin*, quorum sententiam Vasq. Con. Pont. apud Aversam *q. 2. s. 1.* vocant improbabilem, *Rebell.* temerariam, sed omissa censura, quod diximus, *Probatur* 1. ex *Florent.* suprà, quod dicit mutuum consensum contrahentium esse causam efficientem Matrimonii, ergo contrahentes sunt Ministri, qui enim efficit, sive conficit Sacramentum, ille est ejus Minister. 2. Quia Trid. *sess. 24. de Ref. matrimonii c. 1.* docet, clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit. *Si dicas,* esse contractus, sed non Sacramenta, *contrà* est, nam ex dictis n. 276. ratio validi contractus non est separabilis à ratione Sacramenti: deinde *Trid.* initio illius sessionis, & canonum immediatè antecedentium pro titulo ponit, *De Sacramento matrimonii*, & statim à c. 1. subjungit decreta de illius reformatione, ergo intelligit Sacramentum. Denique contrahentes sunt Ministri contractus, ergo etiam Sacramenti; quia contractus elevatus est ad rationem Sacramenti.

Objic. 1. Multa Conc. Provinc. & Ritual. vocant Parochum Ministrum, sive, dicunt esse illum, qui hoc Sacramentum administrat. 2. Dicunt in benedictione Sacerdotis conferri gratiam, ergo per illam intrinsecè constituitur Sacramentum. 3. Parochus dicit, *ego vos in matrimonium conjungo*, ergo ipse conficit eorum matrimonium. 4. In aliis Sacramentis Minister distinguitur à suscipiente, ergo & hìc. 5. Actio sacramentalis est sacra, ergo pro Ministro requirit personam sacram. R. *Ad* 1. intelligunt esse Ministrum solemnitatis, & cæremoniæ, quæ latè dicitur Sacramentum. *Ad* 2. Gratia communiter confertur in benedictione, quia tum perficitur, & completur contractus per consensum conjugum. *Ad* 3. Sensus est, *ego matrimonium vestrum nomine Ecclesiæ ratum habeo. Ad* 4. n. conf. alioquin etiam dicam, in aliis Sacramentis, Minister & suscipiens debent esse sibi præsentes, ergo etiam hìc: oppositum tamen constat, quia secundùm dicta à n. 258. potest matrimonium inter absentes contrahi. *Ad* 5. n conf. nam etiam Baptismus est actio sacra, id est, à Christo elevata ad causandam gratiam, & tamen validè confertur à laïco.

§. 2. Dixi *l. 6 p. 1. n. 147.* non peccare sponsum, si 285
ex causis justis cum sponsa etiam publicè indigna contrahat matrimonium, sicque illi ministret hoc Sacramentum, ubi addidi etiam Parochum teneri assistere, dummodò non deprehendat aliud impedimentum. Et plura de assistentia Parochi addentur à n. 706. Quamvis autem Trid. habeat, ut Parochus *viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum*, tamen id de valore non est, & quamvis Parochus nil prorsus dicat, sed tantùm sit testis, Matrimonium valet, uti cum communi docet, & inter declarationes S. Congreg. refert Gallem. suprà n. 5. & 6. Quale autem sit peccatum illa omittere, referam sententias n. 505.

Q. 46. Quinam sint speciales effectus matrimonii? 286
R. Præter indissolubilitatem, & obligationem reddendi debitum, de quibus aliqua dicta sunt, & plura per decursum dicentur præcipui sunt sequentes. 1. Communicatio quædam bonorum, & honorum, de qua Aversa. *qu. 21. s. 1.* Quænam autem sint bona conjugum, tum propria, tum communia, & quid circa omnia illa possint maritus, & uxor, dixi, *l. 3. p. 1.* à n. 1017. 2. Libertas à servitute, si dominus tradat nuptui, vel ipsemet ducat personam servituti subjectam. Item jus, ut neuter possit saltem licitè absque alterius consensu se in servitutem vendere, *Aversa* suprà. 3. Nullitas quarundam donationum inter conjuges, de quo aliquid dixi *l. 3. p. 2. n. 806.* & plurima habet Sanch. *l. 6. 4.* Potestas mutuò irritandi, vel suspendendi vota, in quantùm præjudicant juri conjugum, de qua Busemb. relatus *l. 3 p. 1. n. 482.* & 503. quibus aliqua addidi ibid. à n. 493. & n. 504. 5. Obligatio cohabitandi, cùm id postulet obligatio reddendi debitum, Gob. *tr. 10. n. 750. 766.* Aversa. *3.* ubi explicat, quandonam possint habitatione separari, & *Busemb.* hìc referendus n. 401. in fine breviter notat, quandonam uxor teneatur sequi virum, quoad habitationem. 6. Obligatio præbendi alimenta, aut sibi mutuò succurrendi, de qua Aversa. *s. 4.* & etiam dixi *l. 3. p. 1.* à n. 709. 714. 719. 731. 7. Legitimatio prolis illegitimè conceptæ, aut etiam natæ, de qua Aversa. *s. 2.* & etiam dixi *l. 4.* à n. 751. 757.

DUBIUM

DUBIUM II.

287. *De usu Matrimonii.*

ARTICULUS I.

An usus Matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus?

„RESP. Per se est licitus, & honestus. Quod est de „fide, & patet ex 1. *Cor.* 2. *Uxori vir debitum „reddat.* Per accidens est illicitus in sequentibus ca„sibus.

„ I. Si Matrimonium à parte rei sit nullum: quod „tamen si uterque ignorat, non peccat, nisi mate„rialiter. Si uterque vel alter id certò sciat, non po„test, quocunque etiam periculo proposito, uti Ma„trimonio. Unde si non potest sine periculo vitæ aut „famæ detegere impedimentum, nec sperare dispen„sationem, debet vel ingredi Religionem (si necdum „consummavit) vel fugere, vel petere divortium, ob „conjugis sævitiam, v.g. vel adulterium, si tale sit, vel „certè omnia incommoda patienter sustinere, Bon. „*q.* 8. *p.* 8. *n.* 16.

„ II. Si Matrimonium sit dubium. Et quidem si „alter tantùm dubiter, is non potest petere debitum, „reddere tamen tenetur, cùm alter habeat jus pe„tendi. Si uterque dubia fide contraxit, vel dubitat „de ejus valore, neutri petere, aut reddere licet ante „veritatis indagationem, Vasq. Sanch. Dian. Bardi, „*d.* 6. *c.* 11. *p.* 7. §. 3. Secus post eam, Bon. *q.* 4. *p.* 4. *suprà* „*l.* 1. *t.* 1. *c.* 2. *d.* 3.

„ III. Si fiat cum gravi periculo vitæ aut sanitatis. „Nisi tamen sit causa gravis, cui damnum corporale „videatur postponendum, v.g periculum incontinen„tiæ in se vel comparte, Bon. *p.* 6. *n.* 8. M. Perez *d.* 50. „*s.* 4. *n.* 5.

„ IV. Si fiat pravo fine, v. g. tantùm voluptatis „causa. Quod tamen Doct. communiter, ut Sanch. „*l.* 9. *d.* 11. Bon. *q.* 4. *p.* 6. censent esse tantùm veniale, „contra *Pontium*, qui vult esse nullum: nullum au„tem erit, si delectatio non quæsita sentiatur, vel ad „eam se excitent, quando copula debita redditur. „Sanch. *d.* 11. *&c.* Vide etiam Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 216. „Bon. *p.* 6. Perez *d.* 49. *s.* 2. *n.* 6.

„ V. Si exerceatur mente adultera, ut si dum ac„cedit ad suam, imaginetur aliam, u Sanimum pascat, „quod est mortale, Sanch. Bon. *n.* 7.

„ VI. Si fiat modo indebito, v. g si non servetur „vas naturale: quod multi docent esse veram sodo„miam; alii esse grave peccatum contra naturam. „*Vid.* 6. *præcept.* 2. Si sine justa causa situs sit innatu„ralis, præposterus, &c. quod aliqui dicunt esse mor„tale, alii, secluso periculo effusionis seminis, veniale „*R* 204. 3. Si alter conjugum ex morositate, vel alia „alia ratione seminationem cohibeat: quod quidam „generatim dicunt esse mortale, quia finis actus „conjugalis, scilicet generatio, impeditur; quidam „tamen, ut *Præp. & Sanch.* dicunt in fœmina nullum „esse. V. Bon. *p.* 6. *n.* 15. *& p.* 1.

„ VII. Si loco indebito, v.g. sacro, qui inde viole„tur, vel in loco publico.

„ VIII. Si absque urgente causa fiat tempore in„debito. 1. In magna solemnitate, ut Paschæ, vel pri„die Communionis. V. Perez *d.* 49. *s.* 2. 2. Quando „uxor est gravida, saltem si sit periculum abortus, „Navar. Sylv. Sanch. Kon. Filliuc. *t.* 10. *p.* 1. *n.* 337. „Hoc enim si non sit, non erit saltem mortale: quòd „enim tunc fine suo frustretur semen, non sequitur „per se ex actu. Unde Dian. *R.* 24. & Kon. *t.* 34. „*dub.* 9. nullum peccatum agnoscunt. 3 Quando „uxor laborat fluxu menstruo. Quod tamen non esse „mortale, contra *Azor.* docet Sanch. *d.* 21. *n.* 2. Imò „aliqui apud Dian. *l.* 6. ut Pontius *l.* 10. *c.* 11. *& c.* 14. *n.* 5. *& 6.* docent, nec veniale esse, si periculum „urgeat, quod Sanch. *l. c.* docet esse probabile, addit „que *Perez*, si ob finem honestum fiat, nullum esse, „& teneri reddere uxorem, si maritus exigat. *V.* 49. *s.* 3. „

Ex dictis casibus consequenter resolvitur, lici„tum esse uti Matrimonio. 1. Prolis causa, etsi hæc, „non necessariò debeat intendi, dum exercetur, dum„modò positivè non impediatur: imò etiam ali„quando simplici affectu licitè excludatur, v. g. à „paupere, ne nimiùm prolibus gravetur. 2. Ad vitan„dum periculum incontinentiæ, in se, vel comparte, „Perez *d.* 40. *s.* 2. ex Kon. Pont. Hurt. &c. contra „*Sanch.* qui vult esse veniale, ni tamen stimuli car„nis aliter sedari non possint. 3. Valetudinis causa, „vel propter alios fines extrinsecos: quia honestum „ex natura sua, & relatum ad unum finem, licitè re„fertur ad alium isti non repugnantem, ut docet Sà, „Kon. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *n.* 3 *cap.* 4. Perez *d.* 49. *sect.* 1. *n.* 4 „V. Dian. *R.* 218. Solius tamen sanitatis causa uti, „probabile est esse veniale, ut docet S. Thom. Henr. „Laym. *l. c.* contra Perez &c. *ll. cc.* „

Quæres. An, & quando liceant tactus, aspectus, & „verba turpia inter conjuges? „

Resp. Tales actus per se iis licent, quia cui lici„tus est finis, etiam licent media; & cui licet con„summatio, etiam licet inchoatio. Unde licitè „talibus naturam excitant ad copulam. Quòd „si verò separatim, & sine ordine ad copulam, „v. g. voluptatis causa tantùm fiant, sunt venialia „peccata, eò quòd ratione status, qui illos actus „cohonestat, habeant jus ad illos, nisi tamen, ut sæpè „contingit, sint conjuncti cum periculo pollutionis; „aut conjuges habeant votum castitatis, tunc enim „sunt mortalia, ut dictum *suprà l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. *dub.* 4. „Dian. *R.* 104. *&* 216. *Unde resolv.* „

I. Conjux venialiter tantùm peccat. 1. Tangen„do seipsum ex voluptate, & tactum non ita expressè „referendo ad copulam, ut contra *Vasq.* & alios pro„babiliter docet Sanch. *d.* 44. II. Oblectando se ve„nereè, sine periculo pollutionis, de actu conjugali, „dum abest compars, vel actu exerceri non potest, „Fill. Laym. Tann. Mald. cum Dian. *R.* 224. contra „Nav. Azor. &c. „

II. Peccat graviter, I. Vidua, quæ se venereè oble„ctat de copula olim habita, quia est illi illicita per „statum. II. Bigamus, qui in actu conjugali cum se „cunda exercito, repræsentat sibi priorem, & de ea „carnaliter delectatur; quia est permixtio cum aliena, „Laym *v. sup. l.* 5. *t.* 4. *c.* 2. *& l.* 5. *c.* 1. *d.* 2. *ar.* 2. „

ADDENDA.

288 *Quæst.* 47. *Ex quo fine usus Matrimonii sit licitus?* R. §. 1. Usus Matrimonii communiter fit, vel ob bonum prolis, qui est finis illius primarius; vel ob redditionem debiti conjugalis; vel ob remedium concupiscentiæ alienæ, aut propriæ, qui sunt fines secundarii; vel ob sanitatem corporis, aut voluptatem, qui sunt fines extranei, secundùm dicta n. 36.

289 §. 2. Si fiat ob bonum prolis generandæ, & ad cultum Dei educandæ, est licitus, & meritorius, uti omnes fatentur, sic enim est actus religionis, uti expresè S. Thom *in c.* 7. *Epistolæ* 1. *ad Corinth.* & in suppl. q 41. a. 4. Si autem primariò quidem ordinetur ad generandam prolem, sed præcisè pro suo commodo, v. g. ut habeat successorem, propaget familiam, &c & nullo modo, nequidem virtualiter, referatur ad glorificandum Deum, putant S. Thom. alique cum Sanch. *d.* 8. *n.* 2. fore veniale, quia sistendo in fine operis agitur contra finem Sacramenti ad Dei honorem instituti. Ad hoc tamen, ut dicantur virtualiter referre, satis est, si conjuges ab initio Matrimonium inierint propter hunc finem, nec intentionem

nem in ipso actu contrariam habeant. Unde etiam deducit Sanch. *n.*4. conjugem non peccare, qui actum conjugalem habet omninò immemor illius finis, hoc ipso enim, quòd finem contrarium non habeat, censetur manere in eo fine, quem initio habuit, & ad quem actus ille ex natura sua intendit.

290 §. 3. Si fiat propter fidem Matrimonii, & ad implendam obligationem ex justitia reddendi debitum, etiam est licitus & meritorius, sic enim est actus justitiæ, uti iterum expressè S. Thom. aliique suprà, & per hoc virtualiter tenditur etiam in primarium finem.

291 §. 4. Si fiat præcisè ad vitandam incontinentiam in altero conjuge, etiam est licitus, & meritorius, quia est redditio debiti, adeóque actus justitiæ, & propterea charitatis, de se sufficienter tendens in finem suum primarium.

292 §. 5. Si fiat præcisè ad vitandam incontinentiam propriam, SS. Aug. Ans. Bonav. Thom. *in supp. q.* 49. *art.* 5. & speciatim S. Greg. relatus can. *Nervi.* 2. *dist.* 13. videntur dicere esse veniale, & consentit Carden. *in* 2. *crisi d.* 7. *n.* 50. quia talis actus aberrat à fine suo primario, ad quem à Deo est ordinatus. Palud. Sot. Henriq. Sanch. & alii dicunt tum tantùm non fore peccatum, si reliqua media incontinentiæ vitandæ non juvent. S. Anton. & alii putant in circumstantiis, in quibus est spes prolis, fore veniale, si finis hic omittatur. Denique alii plurimi Theologi, & Juristæ cum Duar. Caj. Medin. Naval. Almain. Caspens. Lay Con. Rebell. Hurt. Herincx, Pont. *l.* 1. *c.* 21. Mastr. *n.* 125. Averss. *q.* 21. *s.* 4. probabilissimè dicunt nullum fore peccatum præcisè intendere vitationem concupiscentiæ, & remedium sui peccati, dummodò positivè non excludatur finis primarius. *Probant*, imprimis ex Apostolo, nam dicitur, 1. ad Corin. 7. v. 2. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* v. 5. *revertimini in ipsum, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram, hoc autem dico secundùm indulgentiam non secundùm imperium*: quod autem lex tali modo indulget, non videtur posse esse peccatum, nam est permissio moralis, similis illi, qua Apostolus ib. v. 28. permittit virginibus nubere, dicens, *ego autem parco vobis*, id est indulgeo. Deinde probant ex ipso S. Th. nam *in supplem. q.* 42. *ar.* 2. *in O.* docet Matrimonium post peccatum institutum esse, secundùm quod remedium præbet contra vulnus peccati, & ad 2. addit, esse etiam in remedium contra peccatum, & *q.* 54. *ar.* 3. *in O.* ait, finis Matrimonii secundarius, per se, est concupiscentiæ repressio, atqui usurpare medium ex fine, ex quo à Deo institutum est, non potest esse inordinatum, vel illicitum. Et ideò idem S. Th. *q.* 51. *art.* 5. *ad* 3. ait: *quamvis senes non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam, & ideò conceditur eis Matrimonium, secundùm quod est in remedium, quamvis non competat eis, secundùm quod est officium naturæ.* Rationes sunt. 1. Quia hic finis est honestus, nec ullo modo opponitur fini primario, qui non necessariò semper intenditur, uti patet in senibus, & sterilibus, maximè cùm non sit obligatio semper operandi ex fine honestissimo, sed satis sit ex honesto de se non excludente honestiorem, ex quo patet ad rationem in oppositum: inordinatum enim non est operari ex fine honesto minùs perfecto, quando positivè non excluditur perfectior. 2. Secundùm dicta n. 291. licita est copula ad sedandam concupiscentiam in altero, ergo etiam in seipso, quia charitas, quæ est regula omnium virtutum, magis respicit seipsum, quàm alterum, maximè pro subsidio animæ. 3. Alioquin regulariter illicita esset copula, & consequenter etiam cohabitatio illis, qui non habent spem gignendi proles, quales sunt senes, & steriles, hoc autem nemo dicit, ergo. SS. Patres in oppositum citatos intelligunt aliqui de usu ad voluptatem, vel concupiscentiam tantùm explendam.

293 §. 3. Si fiat præcisè ob sanitatem corporis, S. Th. *q.* 49. *art.* 5. *ad* 4. aliique cum Carden. *n.* 52. dicunt fore veniale, quia omittitur finis primarius. Limitat *Sanch.* nisi deessent alia media obtinendæ sanitatis. Alii multi cum *Av rs.* suprà dicunt nullum esse peccatum, quamvis alia adessent media, dummodò non excludatur finis primarius, quia non tenemur semper positivè agere ex fine intento à Deo vel legis latore, sed satis est, si actus noster referatur ad finem honestum, & non excludatur relatio ad finem à lege intentum, maximè in hoc casu, in quo sanitas juvabit ad gignendam prolem, ergo quod refertur ad sanitatem, virtualiter refertur ad gignendam prolem.

294 §. 7. Non est licitum exercere actum conjugalem ob solam voluptatem, nam Innoc. XI. damnavit hanc 9. propos. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.* Hinc oppositum, quod antehac tenuerunt plures, nunc sustineri non potest. Tum autem exercetur ob solam voluptatem, quando voluptas intenditur, & in ea sistitur. Tum in ea sistitur, quando intendens non refert eam neque ad primarium, vel secundarium Matrimonii finem, neque ad alium de se bonum, & honestum. An autem sensus damnationis sit, quòd sit saltem veniale, si sistatur in sola voluptate, id est, si intendatur voluptas ex natura sua tendens ad generationem prolis, jam tamen actu, & positivè non referatur ad finem illum, quamvis hic finis etiam positivè non excludatur, neque de illo incidat cogitatio, an verò tum tantùm sit saltem veniale, si sistatur in sola voluptate, ita ut Tò *sola* significet excludi alterum finem, de quo incidit cogitatio, & tamen ad eum non refertur, an, inquam, sensus damnatæ propositionis sit hic, vel ille, non est meum definire, sed tantùm dico propositionem damnatam in uno sensu per verba propriè significato esse falsam, & contradictoriam ipsius in opposito sensu esse veram. Ratio autem damnandi eam, saltem in secundo sensu, est, quia est inordinatum positivè velle sistere in eo, quod Deus, & natura voluerunt tantùm haberi tanquam medium ad aliud, voluptatem autem illam voluerunt haberi tantùm velut medium ad magis alliciendum ad generationem prolis, eamque facilitandam, aut ad remedium concupiscentiæ, ergo quærere voluptatem, & non referre ad eum finem, quando de eo incidit cogitatio, est inordinatum, & ita docent SS. PP. apud Rayn. *in Heter. to.* 16. *s.* 1. *p.* 14. *à n.* 38. S. Aug. *l. de bono conjug. cap.* 6. ait: *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, tamen cum conjuge, veniale.* S. Th. 4. *contra gentes c.* 87. *n.* 5. *& in supplem. q.* 40. *art.* 6. dicit, inordinatum esse venereis uti propter solam delectationem: quæ omnia confirmantur ex dictis l. 5. à n. 312. ubi ostendi, si quis comedat, bibat, audiat musicam, olfaciat flores, positivè sistendo in voluptate, quam inde habet, peccare venialiter, ex quo intuli n. 313. probabilius videri, quòd non dentur actus humani individuo indifferentes.

295 §. 8. Aliqui apud *Averss.* putarunt esse mortale, si conjuges habeant copulam ob voluptatem, sed ex *S. Aug. S. Th* & aliis communissimè satis certum est, per se loquendo, esse veniale tantùm.

296 §. 9. Si actus conjugalis fiat propter voluptatem tanquam propter finem primario fini Matrimonii subordinatum, id est, si velint actum conjugalē propter voluptatem in ordine ad generandam prolem, ita ut non sistant in voluptate, sed hanc habeant pro fine

inter-

intermedio relato ad generationem prolis tanquam ad finem ulteriorem, & primarium, nullo modo peccant, quia Deus, & natura voluptatem illam conjugum destinarunt ad generationem prolis, ergo quærunt illam ad finem à Deo, & natura illi propositum, ergo ordinatè, & licitè: neque damnatur propositio dicens, opus conjugii ob voluptatem exercitum carere culpa, sed ob solam voluptatem exercitum, & ideò etiam dixi l. 5. n. 312. si quis voluptatem, quæ capitur ex cibo vel potu, referat ad honestum finem, nullo modo peccare.

297 *Q. 38. Quid agendum sit, si post contractum Matrimonium, suboriatur dubium de illius valore?* R. Caram. *in Theolog. fund. n.* 1424. negat dari posse prudens dubium de valore Matrimonii bona fide contracti, quia possessio, quam non elidit dubium, est & manet motivum grave pro valore. Opinionem illam fusè confutat Carden. *in 1. crist d. 6. à n.* 169. & posse prudens dubium suboriri, constabit ex dicendis. Itaque in dubio de valore Matrimonii videntur tenenda sequentia.

298 §. 1. In dubio circa valorem Matrimonii, standum est in utroque foro potiùs pro valore, quàm invalidate ipsius, Sanch. *l. 1. d.* 18. *à n.* 5. ideóque etiam singularis opinio unius Doctoris stantis pro valore Matrimonii, si probabili ratione nitatur, præferri debet sententiæ Plurium, valorem oppugnantium, Boss. Sperell. Sanch. *n.* 7. Gob. *in Quin. tr. 1. n.* 195. Delb. *c.* 8 *d.* 20. *s.* 1. *à n.* 16. Ratio est, quia Matrimonium est causa favorabilis, pro qua standum, *cap. Ex litteris, de prob.* Et universum, *Actus in dubio debet interpretari validus, L. Quoties, de rebus dubiis*, Barbosa *axiom.* 12. *n.* 7. quia præsumitur pro validitate actus, donec de invaliditate constiterit, Menoch. *de præsumpt. l. 6. præs.* 4. Tusch. *v. præsumptio, concl.* 620.

299 §. 2. Qui probabiliter putat Matrimonium esse validum, licitè petit debitum, tum quia est possessio pro illo, tum etiam, quia aliquis potest hic, uti & alimuniss imè omnes cum Schild. *de conscientia, tr.* 2. *n.* 126. additque rectè Aver. *q.* 21 *s.* 2. §. *ult.* etiamsi opinio pro invaliditate esset probabilior. Et hoc est conforme dictis l. 1. à n. 268. de licito usu opinionis probabilis.

300 §. 3. Si quis probabiliter putet Matrimonium esse nullum, nec habeat probabilem rationem pro valore, dicunt *S. Anton. Syv. Rodriq. Schild.* nequidem posse debitum petenti reddere, licèt petens opinetur Matrimonium subsistere, quia tenetur sibi formare conscientiam ex sua, & non ex aliena opinione. Contradicunt probabiliùs Sanch. *l. 2. d.* 44 Bress. Merolla, Carden *in 2. crist d.* 19. *n.* 106. & dicunt, debere reddere, nisi de nullitate sit certus, quia possessio est pro valore Matrimonii, & consequenter pro jure petentis. Atque id videtur decidi *cap. Inquisit. de sent. excomm.* uti dicam n 302.

301 §. 4. Talis habens rationes probabiles pro nullitate Matrimonii, & nullas pro valore, si habeat spem obtinendi majorem certitudinem, non potest petere debitum; quia tum tale debitum censetur vincibile, quo stante non licet operari, Carden. *à n.* 113.

302 §. 5. Si Matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de valore & post inquisitionem nil reperiri, nec dubium deponi possit, *prima sententia*, quam tenent S. Thom. S. Bonav. S. Ant. P. Sot. Ledesm. Val. Vasq. Azor, Rebell. Pont. Hurt. Turr. Arr. Aversa. *q.* 21. *s.* 2. & alii 17 cum Schild. *nact.* 7. *c.* 7 §. 4. dicit, posse quidem reddere debitum, sed non petere, quia ita videtur esse decisum *cap. Inquisit. de sent. excomm.* ubi dicitur, *cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & dissuetà, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Rationem dat. *Schild.* quia licèt is, qui bona fide accepit possessionem bonorum fortunæ, dubio superveniente retinere, & eis frui possit, quia scilicet potestas Superioris translato per jus altum dominio aufert à tali dubio possessore malitiam, quæ fortè esset in detentione rei; si fuit, vel sit aliena tamen cùm nemo tollere possit malitiam à fornicatione, dubio superveniente non videtur posse peti debitum, sicuti qui est in possessione bonæ fidei quoad Sacerdotium superveniente prudente dubio de valore Ordinationis, nemo potest ei dare licentiam, ut celebret, quia nemo facere potest per concessionem suam, ut Ordinario, si fortè non valuit, valida fiat. Addit, quòd possessio in matrimonio non acquiratur per contractum, sed per usum corporis, & cohabitationem, uti possessio Beneficii non est ex donatione, sed ex usu, at ille, qui bona fide accessit ad non suam, non potest petere debitum, uti concedunt omnes, ergo multò minùs, qui solùm bona fide contraxit. Hinc infert *Schilder*, nec conjugem posse petere debitum, si dubitare incipiat, an matrimonium sit invalidum ob metum: nec in casu, quo adulter promisit matrimonium adulteræ post mortem conjugis suæ, & posteà dubitat, an uxor sua vixerit tempore promissionis, aut si dubitet, an adulterium cum tali promissione commissum sit: nec in casu, quo quis priùs contraxit cum una coram simplici Sacerdote, qui fortè licentiam assistendi non acceperat à Parocho, & posteà etiam bona fide cum altera contraxerit coram Parocho, atque ita dubitet, utra sit uxor; si tamen Parochus rationabiliter judicetur consensisse, ut simplex Sacerdos assisteret, putat posse adhærere primæ. *Secunda sententia*, quam tenent D. Sor. Vera crux, Vict. Lopez, Suar. Con. Laym. Bonac. Regin. Less. Lorca, Bress. Lug. Boss Bardi. Sanch. *l. 2. d.* 41. Dian. *p.* 4. *tr.* 3. *n.* 15. Dicast. *de restit. d.* 5. *à n.* 221. Terill. *de conf. q.* 2. *n.* 66. Car. *n.* 107 dicunt posse etiam petere debitum, 1. Quia præmissa sufficienti diligentia conjuges habent invincibilem ignorantiam de invaliditate, ergo manet possessio pro validitate, ergo pergere possunt supponentes valere. 2. Durissimum est compellere homines *culpæ* immunes, ut vitam cœlibem ducant ad hoc autem compellerentur, si uti non possint matrimonio. 3. Id videtur sufficienter decisum à Lucio III. Cap. *Dominus*, uti referam n. 672. ibi enim supponit, si secundo matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de morte prioris conjugis, posse eum, qui bona fide contraxit petere debitum, & alterum, etiamsi mala fide contraxerit, posse reddere. Similiter Cap. *Laudabilem de frigid. & malef.* dicitur; superveniente dubio de impotentia, utrumque posse ad triennium reddere, & petere debitum. Ad Cap. *Ex parte*, respondent aliqui, ibi tantùm dici, quòd non liceat petere ante majorem inquisitionem. Lugo *de just. d.* 17. *n.* 88. dicit, ex contextu constare, quòd Pontifex ibi loquatur de casu, in quo conjux judicium probabile de sola nullitate Matrimonii, & nullum habet probabile motivum pro valore, ac tùm non posse petere, sed tantùm reddere, nisi aliunde sibi formet conscientiam secundùm dicta n. 300. Si autem sit dubium vel utrimque positivum, vel utrimque negativum, dicit cum Terillo, & aliis etiam licitè posse petere, tum enim est possessio pro valore, adeoque etiam pro licito usu Matrimonii. Ad rationem in oppositum patet responsio ex dictis. Nec simile de dubio ordinato, nam cùm pro nullam concessionem, vel opinionem fieri possit, ut Ordinatio, si fortè non valuit, valida fiat, Sacramenta

certò exponerentur periculo nullitatis, hinc relicta etiam probabiliori ibi sequendum est tutius, secundùm dicta *l.6.p.* 1. à n. 104. è contrà certum est aliquando *licitum* esse se exponere periculo materialis fornicationis, uti constabit ex dicendis n.672.& 803. Atque hæc secunda sententia videtur,saltem spectata ratione, esse probabilior.

303 §. 6. Docet consequenter prima sententia cum *Schilder* §.5. ejusmodi dubitantem non posse reddere debitum, quando non tenetur reddere, ut primo bimestri. Item si deprecando possit alterum avertere à petitione debiti. Item quando potest alteri non dubitanti detegere suum dubium sine summo suo incommodo, si enim in his casibus petat alter, secundùm illam primam sententiam petet illicitè,ergo poterit negare. Addit, etiam tum non posse reddere, quando intra breve tempus veritatem assequi potest, vel petere dispensationem, aut quando Matrimonium non est adhuc consummatum, & movetur lis de nullitate, aut quando alter commisit adulterium, incestum,&c. illis enim casibus non tenetur reddere. Sed secunda sententia, quamvis ista omnia suadeat, ut vitetur periculum etiam materialis tantùm fornicationis, de rigore tamen ad illa non obligat. Et fatetur etiam *Schild.* talem non teneri cum summo suo incommodo, v.g. cum periculo gravissimi mali,aperire dubium conjugi, licèt sciat inde oriturum esse dubium, & sic non petendum debitum, sed posse tum reddere: nec teneri ante consummationem ingredi Religionem, ut se perplexitate liberet; nec pro majori securitate teneri de novo contrahere, si v. g. dubitet de servitute uxoris, de metu in contrahendo, &c. quia causa, ex qua immediatè sequuntur effectus tum malus, tum bonus bonitate sua elidens *malitiam* alterius, licitè poterit poni ex intentione *obtinendi* effectum bonum, dummodò non intendatur effectus malus prævisus. Similiter licitè permittitur, seu non aufertur causa, ex qua sequitur similis effectus bonus intentus, si non intendatur malus, hoc autem fit, quando permittitur debitum de impedimento dirimente,intenditur enim evitatio gravissimi damni incurrendi per veritatis inquisitionem,aut dubii detectionem & tantùm permittitur perplexitas, quod *licitum* est facere, ne vita humana exponatur innumeris anxietatibus. Hinc, inquit *Schild.* licitum est acquiescere sententiæ probabili, quando evidens non nisi cum gravibus incommodis haberi potest.

304 §. 7. Sic dubitans, si dubium detegere non teneatur, nec possit conjugem divertere à petitione, tenetur ei bona fide petenti reddere debitum, uti tenet utraque sententia cum *Sanch.* suprà, contra quosdam dicentes tum reddere non posse,& contra *Homem* dicentem posse, at non teneri;sed ratio est, quia in perplexitate pars habens minus, aut minoris peccati periculum est amplectenda, erit autem gravius negare contra jus,quàm reddere, licèt absit jus. Quòd si ex redditione esset periculum majoris peccati, v.g. sacrilegii,eo quòd dubitaretur, an in ordinibus fuisset, putant *Schild.& Arr.* tum non licere,sed secunda sententia dicit absolutè licere, ideoque etiam in hoc casu.

305 §. 8. Si conjux dubiter, an alter sit mancipium, adulter,incestuosus &c. tenetur reddere debitum bona fide petenti, quia prævalet hujus jus & possessio, *Sanch.Vasq.Averf.Hurt.* & alii cum *Schild.* suprà contra alios. Similiter si conjux dubitet de valore matrimonii consummati, tenetur reddere,etiam postquàm de nullitate Matrimonii agere cœpit,modò non habeat probationes in continenti paratas. S. Anton. Palud.Sanc.*l.1.d.*41.*n.*40.*Hoff. Schild.* probantque ex Jure & ratione, negando enim exponit se periculo majoris peccati,quàm sit fornicatio.

§.9. *Si* duo petant debitum à muliere, eò quòd 306
dubium sit de valore Matrimonii cum utroque successivè initi, reddere non potest,nisi primo,quia possessio est pro valore primi Matrimonii, & primi conjugis, uti colligitur ex dictis à n.298.

§.10.Conjux ordinariè, nisi essent circumstantiæ 307
moralem certitudinem facientes,non tenetur credere conjugi asserenti se non consensisse in Matrimonium initum,aut dicenti, se post Matrimonium initum inveniisse impedimentum dirimens, Nav. Valent. Rebell.Sanch.Bonac.Dicast.Averf.*q.*21.*f.*2.Burgh.*cent.*3. *cas.*75.& alii cum Schild.contra Tabien.quia semper est præsumptio pro consensu, qui adesse debuit, & pro valore actus,qui positus est. Attamen, licèt propriè non dubitetur, debet inquirere in circumstantias, v. g. an conjux sit fide dignus, & sine passione loqui videatur ac juret, tum enim videtur prudenter dubitari posse. Quid agendum sit,si Matrimonio contracto superveniat dubium de valore ob impedimentum impotentiæ,dicetur à n.787. Quid autem dicendum,si Matrimonium sit adhuc contrahendum,& dubium oriatur de impotentia, de impedimento dirimente, de futura fortè invaliditate Matrimonii contrahendi,dicetur à n.40.533.796.

Q. 49. *Quid liceat conjugi, si post initum secundum* 308
Matrimonium incipiat dubitare de vita prioris conjugis? Casus potest sic proponi; Cajus Titiam conjugem ante annos sexdecim clam deseruit. Titia ante annos 10. audiit Cajum adhuc vivere, & ante 9 annos, cùm nihil ampliùs audiret de Cajo, duxit Sempronium, neque scit, an vivat Cajus, an non, nec potest jam quamvis diligentissimè inquisiverit, id rescire. *Quæritur*,quid liceat his conjugibus, Titiæ & Sempronio? R.§.1. Pontius *l.6.c.*53.*n.*5. Marchant.& alii putant, quamvis mortuus esset Cajus, Matrimonium cum Sempronio esse nullum, adeóque illis nihil licere, quia Clemens III.referendus n.672. dicit, non posse contrahere aliud Matrimonium, donec certus nuntius afferatur de morte prioris mariti, adeóque videtur illam reddere inhabilem ad aliud Matrimonium. Oppositum longè probabilius docent Averf. Spor. *n.* 51.Mastr.*n.*110.& alii communiter, & clarè colligitur ex Cap. *Dominus*,quod referam,n.312. Verba autem illa, *non possunt*, non significant Matrimonium ideò fore irritum,si mortuus sit prior conjux,sed tantùm illicitum,nam & verè dico cum, qui vovit continentiam,non posse Matrimonium contrahere, quia quod est illicitum, censetur impossibile: attamen si contrahatur, valet. Sed præscindendo ab hoc, an vivat,vel non vivat.

§.2.Si uterque mala fide processerit,certissimum 309
est,inquit,Sanch.*l.2.d.*42.*n* 8. neutrum posse petere aut reddere debitum, quia non est possessio pro Matrimonio, sed pro sexto præcepto copulam inter eos prohibente. nec alterutro favet possessio Juris pro petendo debito, cùm possessio Juris inchoari non possit cum mala fide. Quòd si eorum tantùm unus mala fide contraxerit, hic non potest petere debitum ob rationem jam datam.

§.3.Pignat.*tom.*4.*consult.*189.*à n.*3. putat bonam 310
fidem hìc esse ampliùs non posse,si contrahatur absque certitudine mortis alterius conjugis, quia jura prohibentia sunt clara,& ignorantia Juris non excusat. Oppositum tenent *Simanc. Gutt.* & alii, nam imprimis potest bonam fidem habere, qui nescit alterum fuisse conjugatum: deinde potest fieri, ut etiam alter ex probabilibus argumentis bona fide judicet priorem suam conjugem obiisse, nec sciat requiri de hoc pleniorem certitudinem: unde etiam ille dicitur hìc bona fide Matrimonium contraxisse, qui inculpabiliter judicavit sibi licere etiam stante tali dubio,& in circumstantiis casus propositi matrimonium

monium contrahere, tametsi universaliter sciverit, superstite altero conjuge non licere ad secundas nuptias transire: è contrà, si processerit cum dubio, formidine, aut remorsu, ne peccaret sic contrahendo, non processit bona, sed mala fide.

311 §.4. Quamvis bona fide processerit, putarunt aliqui debere nihilominùs separari, nec posse vivere ut conjuges, 1. Quia nullum habetur probabile argumentum de valore secundi Matrimonii, cùm enim Cajus abierit clàm, signum est habuisse aversionem à Titia, & noluisse sciri, ubi esset, ne Titia sequeretur, vel ipse cogeretur ad eam redire: ergo quamvis jam emanaret ad 30. annos, imò & ad 100. inquit Pig. nat, *n.* 1. non ideò prudenter præsumi poterit obiisse, tam enim parùm prudenter potest Titia ratione illius absentiæ præsumere Cajum esse mortuum, quàm parùm Cajus, si alicubi esset, ubi de Titia nil rescire posset, præsumere posset Titiam esse mortuam. 2. Cùm Titia & Sempronius contraxerint uno circiter vel altero anno, postquàm nunciatum erat Cajum adhuc vivere, præsumi debet Cajum tum vixisse, ergo Matrimonium præsumi debet ab initio fuisse invalidum, tempore autem convalescere non potest, neque nunc licitum est de novo contrahere, cùm non habeatur certitudo de morte Caji: 3. Primum Matrimonium est in certa possessione valoris, nec probabile est illud primum Matrimomonium desiisse, cùm desit omne prudens argumentum pro morte Caji, imò pro ejus vita fuerit testimonium uno anno ante initum secundum Matrimonium, ergo non est probabile, quòd secundum Matrimonium sit validum, bona autem fides contrahentium non juvat ad inchoandum vel continuandum saltem usum Matrimonii, nisi tum, quando dubium oritur, adsit saltem probabilitas de valore, si enim improbabile sit esse validum, ergo non erit probabile jus ad usum, cùm jus ad usum fundetur in valore.

312 6 §. Si saltem unus eorum bona fide contraxerit, & adhibita diligenti inquisitione nil rescìri possit de vita vel morte Caji, possunt permanere simul, & uti conjugio, nam Lucius III. *Cap. Dominus, de secundis nuptiis*, ait: *Super Matrimoniis, quæ quidam ex vobis non-dum habita obeuntis conjugis certitudine contraxarunt, id vobis respondemus, ut nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec et constet, quòd ab hactenùs non graverit conjux: si verò aliquis, vel aliqua id hactenùs non servaverit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum; ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum: quòd si post hoc de prioris conjugis vita constiterit: relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur,* unde tales adhuc tenentur ulteriùs inquirere, si sit modus rescìendi de vita prioris conjugis. *Nec obstat*, quòd Pignat. *to. 4 consult.* 189. *n.* 4. dicat, responsum illud Lucii III. cùm dicat de illis, qui *hactenùs* id non servaverunt, non valere pro his temporibus, eò quòd jam non possit esse bona fides, sed tantùm ita disposuisse de Matrimoniis eo tempore præteritis, *nam contrà est*, quod ejusmodi dispositiones Juris, licèt dicantur fieri pro tali tempore, tamen secundùm Authores passim sunt regula communis etiam pro futuris temporibus, nisi aliud expressè dicatur: posse autem etiam jam esse bonam fidem, dixi n. 310. Ex dictis.

313 §.6. Sequitur 1. Quòd in dubio de morte alterius conjugis, etiam ubi unus mala fide processit, non necessariò debeat dissolvi Matrimonium, sed quòd ille, qui bona fide processit, sit in possessione juris, ut etiam petat debitum, & consequenter alter sit in obligatione, ut reddat, & consequenter, quòd possessio juris ad usum secundi matrimonii possit esse, quamvis sit certa possessio valoris pro primo Matrimonio; & non sit certum sed dubium, quòd illud primum Matrimonium desierit. 2. Multò magis, si uterque bona fide processerit, erit possessio juris pro utroque ad petendum, & reddendum debitum. 3. Possessio juris pro licito usu Matrimonii non necessariò fundatur in positiva probabilitate de valore, nam *cap. Dominus*, dicitur mansisse dubium de morte prioris mariti, unde gratis dicitur, quòd bona fides in hac materia non juvet, nisi ubi est talis positiva probabilitas pro valore, nam jus ad usum hìc fundatur in secundo Matrimonio bona fide inito, & existimato valere.

§. 7. Ad rationes in oppositum allatas patet res- 314
ponsio, nam est latum discrimen inter Matrimonium contrahendum, quod ante habitam certitudinem de morte prioris conjugis illicitè contrahitur, ut patet ex *cap. Dominus*. Et quamvis primum Matrimonium sit in certa possessione valoris, & nullum sit positivum probabile argumentum pro valore secundi, est tamen pro illo secundo bona fide inito, & tamdiu continuato possessio, quantùm est necesse in ordine ad licitum ejus usum.

Q. 50. An usus Matrimonii ex metu gravissimæ infa- 315
miæ vel mortis sit licitus conjugi, qui sciens, vel saltem ignoranter contraxerit Matrimonium cum impedimento dirimente, quod tam citò removeri non potest? Affirmant Magister, Hugo à S. Victore, Hostiens. Idem dixerunt Henr. & alii, saltem tum, si Judex compellat ad reddendum debitum, quia tum videtur tolli impedimentum: sed oppositum est certum, uti tenent reliqui cum Aversa. *q.* 11. *s.* 3. Et ratio est, quia cùm Matrimonium sit nullum, copula certò erit fornicaria; nec ignorantia impedimenti, aut metus mortis, qui tunc est, eum possunt reddere habilem ad contrahendum, uti constabit ex dicendis: n. 526. Nec Judex dispensat, sed tantùm ex errore sibi invincibili supponit abesse impedimentum.

Q. 51. An steriles, item illi, qui post Matrimonium 316
facti sunt eunuchi, aut impotentes licitè tenent usum Matrimonii, tangant se, &c. R. § 1. Quoad steriles, affirmet cùm communi *Busemb.* quia capaces sunt copulæ seminalis, & per accidens est, quòd non sequatur generatio. Et idem de senibus decrepitis dicam n. 791. Potestque de sterilitate fœminarum videri Zacchias *l. 3. tit. 1. q. 7.*

§. 2. Si quis post Matrimonium sit factus eunuchus, 317
docent Tol. Perez, Sanch *l. 7. d.* 102. Gob. *n.* 606. Krim. *n.* 1280. & alii licitum esse illi reddere, & petere debitum, quia jus habet ad actum conjugalem, uti & tum, quando scit se esse sterilem, aut uxorem ita gravidam, ut non sit conceptura: copula autem illa adhuc servit illi ad remedium concupiscentiæ, qui est finis secundarius Matrimonii, & per accidens est, quòd non emittat semen prolificum. *Oppositum* tenent *Ledesm. & Dicast.* quia cùm non emittat verum semen, copula illa non est apta generationi, ergo illicita, secundùm dicenda n 789.

§. 3. Quando post Matrimonium *supervenit im-* 318
potentia feminandi intra vas, illicitum est tentare copulam, si autem sit spes, licitum est, etiam ad quoscunque annos, quamdiu spes manet, & quamvis semen per accidens communiter effundatur, Sanch. *l.* 9. *d.* 17. *an.* Gob 18. *r.* 10. *n.* 591. Spor. *n.* 122. Esse autè licitum tentare copulam, etiam usque ad triennium, quando dubium est de impotentia vel antecedente, vel subsecuta post Matrimonium, dicetur à n. 787.

§ 4 Si *alterutri* conjugi superveniat impotentia 319
sine spe copulæ, putant Sanch. *l.* 9. *d.* 17. *n.* 21. & Aversa. *q.* 21 *s.* 8. licere illis tactus, sed quid tenendum sit colligetur ex dicendis à n. 329. est enim duplex sententia *satis* probabilis circa hoc.

320 *Q.52. An sint aliqua tempora, quibus actus conjugalis specialiter sit illicitus?* R. Colligetur ex seqq.§ 1. Specialiter prohiberi die, quo conjuges benedictionem Matrimonii susceperunt, videntur asserere aliqua Concilia particularia apud Rayn. *in Heter.tom.16.f.1. p.14.n.35.* quia reverentia videtur exigere, ut quo die corpora benedicta sunt, non dehonestentur eo actu. Oppositum probabiliùs tenet cum communi *Rayn.* actus enim ille est honestus, & potest esse meritorius: benedictio autem physicè transiit, & sicut moraliter tantùm existens cras non impediet illum usum, ita nec hodie.

321 §. 2. Per se loquendo licitum esse die Communionis habere usum Matrimonii, dictum est l.6. p.1. n.550.R.1. Et ea, quæ can. 1. & seqq. caus. 33. q. 4. referunt ex Hier. de abstinendo die Communionis; ex S.Aug. S. Th. *in supp.q.64.art.5.* aliique apud Tir. *ad l.15. connub. à n.112.* de abstinendo diebus festorum, & processionum; ex S.Ambr. diebus jejuniorum &c. Scot. Navar. Henriq. Sanch. Con. aliique plurimi cum Aversa *q.21.s.6.* dicunt esse consilii, & talia, quæ *sub forma prohibitionis dissuadeantur*, uti in simili notat Glossa *ad ca. Ad ejus, 4. dist. 5.* vel dicendum est per accidens ideò peccari, si pietas debita per hoc impediatur, v. Rayn *n.140. in fine.*

322 §. 3. Tempore fluxus, qui omni mense regulariter accidit fœminis, illicitam esse copulam, docent S. Th. Gabr. Turrecr. & alii, nam *cap. fin. dist. 5.* dicitur: *cùm in consuetis menstruis detinentur uxores, viris suis miscere prohibentur.* Et id prohiberi sub mortali, tenent *Scot. S. Bonav. Rosell.* sub veniali, *S. Anton. Caj. Sot. Bonac.* quia teste Boudevv. *p.2.q.15.* est periculum aliquod infectionis viri, & prolis monstruosæ gignendæ. Attamen occurrente justa causa, v.g. ob periculum incontinentiæ, nullum, per se loquendo, esse peccatum, docent Nav. Sanch. Pont. Con. & alii cum Aversa *q.21.s.6.* nam suprà *cap. fin.* tantùm refertur prohibitio antiquæ legis, quæ nunc non obligat, periculum autem infectionis vel monstruositatis rarum est. Et huic proli simpliciter melius est esse, quàm non esse. Imò Ludov. Guyon. *in variis lection. l.3.c.22.* fusè contendit sanguinem menstruatum nihil maligni habere: Deum autem prohibuisse coitum cum menstruata, eò quòd sanguis menstruus nimiùm crudus, & frigidus, esset in matrice impediturus generationem. Suadendum tamen omninò est expectari post menstrua, quod tempus Medici notant esse aptissimum generationi, ob expurgatum, & recluſum uterum, ideóque difficulter concipientibus suadent tum coitum.

323 §. 4. Quando alteruter conjux laborat gonorrhæa, id est, profluvio seminis, quod effluit involuntariè & sine ulla imaginatione, soletque in mulieribus esse fluor albus, tunc tenentur abstinere, quia sunt in proximo periculo tabis, & mortis, nisi sistant profluvium, ergo peccant magis irritando, *Boudevv.* suprà. Si tamen morbus diu duraret, & esset proximum periculum incontinentiæ, præstaret mederi animæ quàm corpori: quod magis admittit Sanch. *n.9.* si vir fluxum seminis patiatur.

324 §. 5. Quamvis abſit periculum abortus, quod communiter abest, tamen copulam esse illicitam, quando mulier est gravida, videntur docere SS. Ambros. Aug. Isid. apud Sanch. *l.9.d.22.n.2.* & apud Rayn. *in Heter.to.16.f.1.p.14.n.40.* speciatim S. Hier. relatus *cap. Orig. 5. causa 32. q. 4.* Attamen non esse mortale docent S. Th. Alb. M. & Doctores omnes, teste Sanch. *n.3.* Esse autem veniale, tenent plerique, sed Sanch. *n.6.* & Averſ. *q.2.s.6.* concludunt cum aliis, per se loquendo, nequidem veniale esse, quia Matrimonium etiam est in remedium concupiscentiæ, cùm autem uxores magna temporis parte gravidæ sint, nimis periculosum esset sub peccato obligari tanto tempore abstinere.

§. 6. Statim post partum coire, antequàm mulier 325
physicè purgata sit, putant aliqui cum *Boudevv.* suprà esse mortale, quia vel non concipiet, sed solvetur vis retentrix omnis cum gravissimo periculo uxoris, vel concipiet, & constrictus uterus pessimos humores continebit, erupturos in gravissima incommoda. Alii dicunt esse veniale tantùm, quia non credunt subesse tanta incommoda: Sanch. *n.11.* & alii cum Averſ. *q.21.s.6.* concludunt, si nullum mulieri immineat grave incommodum, nullum fore peccatum, quod enim communiter additur ex *cap. fin. dist. 5 Nisi purgationis tempus priùs transierit, mulieres viris suis non debent admiscere*, id consilii esse notant *Averſ.* & alii. Attamen planè dissuadendum est, & credendum Medicis in sua arte peritis, quòd inde eveniant incommoda uxori.

§. 7. Dum mulier lactat, copulam sub mortali il- 326
licitam putarunt aliqui, sed etiam tum licitam esse, habet communis cum Sanch. 15. Pont. Averſ. suprà, nisi per hoc redderetur impotens lactare, nec posset aliter nutrire prolem, nam quod habetur *c. Ad ejus 4. dist. 5.* ut abstineant à concubitu mulieris, quamdiù lactat, censendum est esse consilii: hinc *Gloſſa* ibidem etiam notat aliquos exponere, quod talia sub forma prohibitionis dissuadeantur. Attamen quia plures Medici dicunt lac per hoc fieri pernicioſum proli, meritò dissuadetur; & ideò etiam Nobiles, qui petunt nutrices pro prolibus suis, solent quærere viduas, aut si admittant uxoratas, monere solent, ut abstineant à commerciis maritorum.

§. 8. Notat Sanch. *l.9.d.24.n.4.* statim post pran- 327
dium habere copulam, nocere valetudini, retulitque Medicus virum in phthisin incidisse, quia solitus erat post prandium convenire uxorem: quod si ita est, uti illicitum est sibi accersere morbum lethalem, ita & habere usum conjugalem, qui talis morbi sit causa.

Q.53. Quid præterea sit addendum circa peccata con- 328
jugum? R. De his multa habet Busemb. relatus *l.3. p.1.n.708.* & præter hucusque dicta adde sequentia.

§. 1. An peccet ille, qui cum constituta in peccato contrahit Matrimonium, dixi *l.6.p.1.n.147.* Qui autem Matrimonium contrahit in statu peccati mortalis, peccat duplici novo mortali, uno, quia indignus ministrat hoc Sacramentum, altero, quia indignus suscipit, uti explicavi *l.6.p.1.n.93. & p.2.n.1119.* quidquid contradicant Rayn. *in Heter. t. 16. f.1.p.14.n.4.* aliique cum Averſ. *q.2. f.2.* Quod valet, quamvis per procuratorem, litteras vel nuntium contraheret. An verò ille, qui scienter contrahit Matrimonium invalidè, v.g propter impedimentum dirimens, peccet peccato sacrilegii, vel alterius speciei, dicam num. 532. Quamvis autem fideles adulteri committant irreverentiam in Sacramentum, tamen *l.6.p.2.n.1120.* dixi hoc peccatum propriè non esse sacrilegium, & satisfacere confitentem, si accuset se de adulterio. Venialiter tantùm peccare conjuges, si ob solam voluptatem habeant actum conjugalem, dixi n.295.

§. 2. Peccat mortaliter conjux, qui in actu conju- 329
gali cum sua, vel desiderat aliam, vel etiam tantùm imaginatur, morosè se delectando in alia quasi præsente, & carnaliter dilecta: si autem imaginatio & delectatio versetur circa aliam personam, non ut carnaliter dilectam, id est, sine ullo affectu turpi, sed solùm ut naturaliter delectantem ob naturalem pulchritudinem, aut formam amabilem, idque ob honestum finem sese provocandi, aut ut proles formosior concipiatur, per se loquendo nullum saltem mortale peccatum agnoscit Sanch. *l.9.d.7.n.6.* etsi meritò fateatur rem esse plenam periculi, nec facilè permittendum,

dum, & cautissimè consulendum, potiùs enim permittendæ sunt imagines, attamen non sacræ, nam has adhibere foret gravis irreverentia. Videri debent dicta *l.6.p.2.n.*1052.

330 §.3. Ex dictis *l.6.p.2.à n.*1053. certum est committi adulterium, si conjux etiam consentiente suo conjuge peccet cum tertio Ibidem dixi à n.1055. si conjugatus peccet cum conjugata, esse duplex adulterium. Item si vir etiam cum propria uxore exerceat sodomiam &c. contrahi novam speciem explicandam in confessione. Quandonam autem peccetur per copulam conjugalem in loco sacro factam, dixi Ibid. n. 1071. poteslque videri Sanch. *l.9.d.*15.

331 §.4. Arr. *de pecc.d.*47.*n.*16. quamvis dicat oppositum esse probabilius, tamen putat valdè probabile esse, quod conjugato licita sit delectatio morosa de cogitata copula etiam cum aliena: sed tenendum est oppositum ex jam dictis, maximè cùm copula cum aliena sit objectum etiam respectu talis conjugati intrinsecè malum. V. dicta *l.5.n* 82.

332 §.5. Quamvis Sanch. *d.*16. aliique multi cum Averf. *q.*21 *f.*5. dicant non esse mortale, si conjuges non servent situm, vel naturalem modum coeundi, v.g si vir cognoscat mulierem à tergo, si vir sit succubus, & mulier incuba, tamen alii gravissimi Authores dicunt istos duos modos esse mortalia, tum quia videntur graviter repugnare naturali honestati, tum etiam, quia communiter erit periculum dispergendi seminis: saltem fatetur. *Sanch.* esse grave veniale, ideóq; conjuges ita coeuntes esse graviter increpandos. An autem sit obligatio reddendi debitum conjugi sic petenti, dicam n. 356. Hoc notat Boudevv. *p.* 2.*q.* 15. *& alii*, si coitus fiat stando vel ex latere, rariùs esse periculum effundendi seminis, eò quòd non tam per influxum recipiatur in uterum, quàm per attractionem matricis, quæ se protrudat antrorsum, & sæpè avidiùs attrahat, quando est situs alius coeuntibus magis placens, unde si adsit aliqua justa causa, dicunt fieri posse sine ullo peccato, ideóque sterilibus quandóque suaderi à Medicis.

335 §. 6. Si conjuges habeant ordinariam commixtionem corporum, sed studiosè contineant semen, *Sylv.* Gob. *tr.*10.*n.*592. Averf. *q.*21. *f.*5. dicunt, si ab utroque absit periculum effundendi seminis, hoc se habere tantam merum tactum, de quo posteà dicetur.

334 §. 7. Si viro in copula seminante uxor studiosè contineat semen suum, *S. Anton. Cajet. Palud. Henriq. Bonac.* & alii cum *Averf.* suprà dicunt peccare mortaliter, quia semen mulieris vel requiritur ad generationem, vel saltem est utilissimum. Sed dubitant alii saltem de mortali, & *Gob.* suprà negat esse mortale, dummodò per hoc non intendat impedire generationem, nam sententia satis communis est, semen uxoris non esse necessarium, neque statim mortale est omittere aliquid, quod ad generationem magis conducerer.

335 §.8. Docent Zanard. Bonac. *d.*4.*p.*6.*n.*15. Dicast. *d.*9.*n.* 9. Homob. Sanch. Less. aliique, quos referunt Mendo *diff.*5.*q.*18. & Dian. *p.*2.*tr.*17.*R.* 38. fœminam post copulam conjugalem quam ipsa non consummaverat, posse per tactus seipsam provocare, ut seminet: addit *Baucus* etiam in eo casu licere viro eam provocare per tactus in uxore, ut semen emittat, quia hoc est copulam consummare, semen enim muliebre multùm conducit saltem ad meliorem formationem fœtus. Oppositum meliùs tenent Texeda, Dian. Castrop. Mendo *suprà*, Burgh. *centur.* 2. *cap.* 46. qui addit, in operibus. *Sanch.* contrariam opinionem deletam esse *l.9.d.*17.*n.* 9. & 10. Lessium quoque ita habere solùm in editione Parisiensi, non Antverpiensi, Baucii sententiam cœpisse malè olere apud *S.Congreg.* Indicis: Ratio est, tum quia seminatio mulieris non est necessaria ad generationem, tum etiam, quia fieret ob voluptatem post completum actum generationis, ergo esset mortaliter illicita. *Antecedens probatur*, quia si necdum censetur generatio completa, ergo soluta, quæ post copulam cum adolescente se ita provocaret & seminaret, non peccaret peccato distincto à copula, quod dicere non audent contrariæ sententiæ authores.

§. 9. Peccat mortaliter uxor si post copulam habeat talem motum vel situm corporis, ex quo scit oriri, ut semen è matrice effluat, Sanch. *l.9.d.*20.*n.*3. An autem unquam liceat procurare expulsionem fœtus saltem inanimati, dictum est *l.3.p.1.à n.*823. Et rectè docent Laym. & Gob. *tr.*10.*n.*618. nunquam esse licitum sumere pharmacum ad impediendam conceptionem prolis, etiamsi tantùm ideò sumeretur, ut uxor posset marito reddere debitum. 336

§.10 Nav. Sylv. Lop. Corduba, Sa, Rodriq Vega & alii, ad quos inclinat *Pont.* putant mortaliter peccare conjugem, si quando non est occasio vel voluntas habendæ copulæ cum sua conjuge, morosè delectetur de hac copula habita vel habenda, 1. Quia venerea delectatio non est illi licita, nisi in ordine ad copulam, quam tum habere non vult, vel non potest. 2. Quia tendit ad effusionem seminis extra vas. 3. Quia ob similes causas etiam illicitum est conjugi seipsum delectare in tactibus proprii corporis, uti n.339. dicetur. E contrà non esse mortale probabiliùs tenent S. Th. S. Anton. Gers. Med. Suar. *de Pecc. d. 5. f.7.n.9.* Vasq. Lay. Sanch & alii plurimi cum Dian. *p.* 3.*f.*4. Ref. 124. quia actus, & delectatio sunt ejusdem rationis, ergo cùm actus sit eis licitus, & de objecto secundùm se tali conjugi licito, quamvis tum non sit illi possibile, non ideò delectatio erit graviter illicita, maximè cùm non adsit periculum effundendi seminis, uti supponitur. Nec simile est de tactibus proprii corporis, uti intelligetur ex dicendis n. 339. Et quamvis Dian. *p.*2. *tr.* 17. *Ref.* 36. dicat ejusmodi delectationem morosam esse conjugi licitam, tamen multi cum Averf. *q.* 1. *f.* 8. dicunt esse veniale, vel ob inordinationem aliam, vel saltem ob defectum justi finis. 337

§.11. Conjux, qui ante vel in Matrimonio castitatem vovit, peccat, si incipiat tactus secum vel cum conjuge; item, si delectetur de copula licitè habita vel habenda, quia hæc sunt vel initium copulæ, vel saltem contra votum, Castrop. Averf §. *Sextò*. Docent tamen Castrop. Dian. *p.*3.*tr.*4.*R.*224. & alii apud Mendo *n.*150. delectationem de copula cum sua per accidens tantùm illicita, v. g. ob periculum abortus, vel ob affinitatem, quæ supervenit, licere conjugi, quia talis delectatio videtur de se pertinere ad hoc conjugium; sed videtur loquendum secundùm jam dicenda. 338

§. 12. Sanch. Busemb. & alii apud Mendo *n.*150. negant esse mortale, si conjux nolens coire, seipsum tangat propter voluptatem, absque periculo pollutionis. E contrà S. Anton. Sylv Nav. Vasq. Salas. Sanctius, Armill. Dian. *p.*3.*tr.*4.*R.*215. Aver. *q.*21.*f.*8.§. *Tertiò*, dicunt esse mortale, quia conjux non habet jus sic utendi corpore in ordine ad voluptatem secum excluso altero conjuge explendam, sed tantùm habet jus in ordine ad copulam, vel saltem communicando cum conjuge, ergo hic actus non excusatur per conjugium, ergo manet de se mortaliter malus, sicuti esset extra conjugium, & sicuti corporis, ita istorum membrorum & spirituum usus non videtur esse licitus conjugi in præjudicium Matrimonii & alterius conjugis, ad quem ejusmodi tactus non referuntur, sed potiùs ex natura sua proximè, & vehementer tendunt ad effusionem seminis extra vas. 339

§.13. Ex

340 §. 13. Ex dictis inferunt multi, hoc solùm videri esse licitum conjugibus, quod referri potest ad actum conjugalem, si enim eò referri non possit, putant ab omni peccato per conjugium non excusari, quamvis à mortali sæpè videatur excusari posse. Hoc autem solum dicunt referri posse ad actum conjugii, quòd ad illum de proximo habendum aliquo modo conducit, uti conducunt ostensio amoris mutui, dispositio naturæ ad actum conjugalem. Et ideò Tann. *de Pecc. d.4.q.8.n.140.* Herincx *de Pecc.d.7. n. 36.* aliique dicunt tales tactus vel delectationes extra occasionem copulæ esse saltem venialia defectu justi finis, qui si absit fatetur etiam Sanch. *l.9.d.44.n.21.* esse venialia.

341 §.14 Huc pertinet, quod Taberna *p.2. tr. 1.c.5.§. 1.q.5. res.1.* docuit: nempe, si actus conjugalis sit illicitus conjugibus ob aliquam circumstantiam extrinsecam, v. g. ob morbum, periculum abortus, quamvis alii actus venerei tum exerciti sint veniales, dum illis deest debitus finis, tamen non ideò præcisè esse illis mortaliter illicitos. Et idem dicendum putavit in casu impotentiæ supervenientis Matrimonio. Hanc propositionem damnavit quidem Episcopus Atrebatensis 5. Maii 1703. attamen eam etiam docent Cajet. Sotus, Lopez, Tolet. Med. Ochag. Rodr. Zanard. Angel. Ledesm. Angles, Fagund. Victor. Marchant. Graff. Rosell. Bon. Sylvius, Uviggers, Manigart, Mastr. Alvar. Vivald. Sanch. Hurtad. Con. Avers. Bass. Fill Dicast. Spor. Loth, Kellis. Herincx, Salmant. Dian. quos omnes & alios plures adductis locis refert *Vindex Tabernæ in Collectaneis pag.* 47. dicuntque multi ex his authoribus, si actus tales sint in conjugibus semper peccata mortalia, Matrimonium fore proximam ac perpetuam occasionem damnationis æternæ, ideóque conjugibus illicitam fore omnem societatem conjugalem, utpote afferentem periculum proximum ejusmodi actuum, consequenter illos nunquam absolvi posse, cùm occasiones illas proximas non sint parati deserere: atque ex dictis colligitur omninò probabile esse, actus tales in conjugibus de se non esse mortaliter malos.

Obj. Status Matrimonii illos tantùm actus cohonestat, qui hìc & nunc censeri possunt usus conjugii, sed talis tactus vel delectatio non potest censeri usus conjugii, cùm ad eum, utpotè hìc & nunc impossibilem ordinari non possit, erga. R. n. maj. alioqui nec licerent illis ulla oscula vel aspectus, ni actu cogitarent coire, ergo omninò probabile est statum Matrimonii etiam cohonestare tales actus, quamvis non sint primarius usus Matrimonii, cùm sint saltem secundarius. Et etiam probabiliter dicit Avers. *q.21. s. 8.* ejusmodi tactus de se reipsa ordinari ad copulam, non quasi non liceant, nisi inter eos, qui volùnt & possunt habere copulam sed quia non licent, nisi inter eos, quibus est licita copula, etiamsi habere nolint, aut hìc & nunc habere non possint.

342 §. 15. Si ob delictum vel impedimentum conjugi in pœnam prohibitum sit petere debitum, putant *Sanch. & Dian.* licitè petere tactus, quia pœna talis non debet extendi. Sed contradicit Avers. *s.5.* putans in ejusmodi dispositionibus cum copula simul intelligi tactus de se ad copulam ordinatos.

343 §. 16. Si ad tactus inter conjuges prævideatur secutura pollutio, Doctores omnes, teste Sanch. *l. 9. d. 45.n.13.* dicunt esse mortale: atque idem est de osculis hujusmodi pollutiones causantibus. Putant quidem Sanch. Fill. Zanard. apud Dian. *p. 3. n.4.R.217.* conjuges per tales tactus & oscula non peccare mortaliter in his casibus; imprimis si pollutio accidat patienti tactum vel osculum, deinde etiam petenti, si intendat copulam, & interim priùs erumpat pollutio, denique etiam, quando sit ad excitandum aut conservandum amorem; rationem dant, quia sic dant operam rei licitæ, & pollutio sequitur præter intentionem. Sed sententiam illam meritò rejicit Avers. §. *Verùm.* Cùm enim illæ actiones sint in materia venerea, & per se vehementer tendant ad effusionem seminis, si quis eas velit prævidens secuturam pollutionem, censetur etiam velle ipsam pollutionem.

S. 7. Si conjuges per aspectus exponant se peri- 344
culo distillationis, Medin. Curiel. Zumel, Verricelli, Villal. Sanch. *l.9.d 45.n.41.* Dian. *p.3.tr. 4. R. 226.* dicunt non esse mortale, quia humor ille non est semen, & delectatio illa honestatur per conjugium, potestque ordinari ad copulam: sed oppositum est probabilius; nam censetur intendi distillatio, quam intendere est mortale, cùm effundatur semen inchoatum, & reipsa talis distillatio sit inchoata pollutio, uti fatetur Sanch. *n.31.*

§. 18. Si conjugati perfricent verenda circa vas 345
præposterum absque periculo pollutionis, docent AA. *5.* apud Mendo *n.* 127. non esse mortale, qui consequenter dicunt, uti refert Mendo *n.*141 si vir inciperet aut tentaret copulam in vase præpostero absque periculo pollutionis, & absque animo consummandi eam sodomiticè, non esse mortale, quia sunt meri tactus, qui inter conjuges non sunt mortalia; item, si absit periculum pollutionis, putant multi apud eundem Mendo *n.*135. non esse mortale, si conjux membrum virile immittat in os uxoris, quia etiam hic est merus tactus, quem à culpa mortali videtur excusare status? sed primum esse mortale etiam in conjugibus docent Sanch. *l.9.d.17.n.5.* Fagund. Castr. Mendo *n.*128 & alii, quia graviter repugnat honestati, & per se non tendit, nisi ad copulam illicitam. Secundum autem dicit Mendo *n.*137. etiam esse mortale, quia illa immissio in os est actio inchoativa copulæ, hanc autem inchoare in vase indebito est mortale. Et in praxi semper resolvendum est pro his sententiis rigidioribus, ne usus Matrimonii declinet tandem in abusus plùs quàm bestiales.

§. 19. Docent Fill. Dian *p.3 tr.4.R.225.* Mendo *n.* 346
134. & alii, oscula verendorum in conjugibus excusari à mortali: sed *Palud. Sylv. Rodriq*, meritò contradicunt, eò quòd hoc videatur notabiliter repugnare honestati naturali, uti & alia, de quibus dixi *l.6. p. 2. n.*1038.

§. 20. Si conjux consentiente conjuge abrumpat 347
cœptam copulam, dummodò absit in utroque periculum pollutionis, Sanch. *l 9.d.19.n.3.* Laym. & Dian. *R.227.* dicunt non esse mortale, esse tamen veniale, si fiat sine causa, & addit *Sanch.* frequenter esse mortale ob periculum dispergendi ab alterutro seminis.

§. 21. Gravius est, si conjugata cognoscat duos 348
solutos, quàm si conjugatus duas solutas, 1. Quia ordinariè impeditur generatio ex confusione duplicis seminis. 2. Quia vergit in præjudicium prolis, cùm sit incertum, cui sit assignanda. 3. Quia majora sequuntur incommoda, v. g. ratione alimentationis vel hæreditatis, quæ, si præberetur simul spurio, fit injuria legitimis, Azor. Fill. Bonac *q.4. punct. 15. n.4.*

§. 22. Ad evitanda multa peccata juvabit, si vir 349
consideret illa, quæ notat Petr. Greg. Tholosanus *in Syntaxi artis mirabilis l.23. n 3 p.3. nempe.* 1. Meminerit uxorem suam sibi sociam à Deo datam, ut non viliùs, ut ancillam habeat, non magnificentiùs ut dominam, siquidem ex latere, non capite facta 2. Servet uterque tori fidem. 3. Sit uxori & liberis vivendi exemplum. 4. Nunquam metum incutiat uxori sine verecundia & aliqua reverentia, peccata modica ignoscendo, nam pati sine verecundia ad meretrices pertinet, & metus cum odio tyrannum potiùs in domo, quàm maritum facit. 5. Ea præsens vir faciat & dicat, quæ eodem absente uxorem moneant multò sibi commodiorem virum præsentem absente. 6. Tria semper abscondat

ſcondat ab uxore maritus, theſaurum vel ejus finem, Veneris poſtremæ impotentiam, conſilia rerum non domeſticarum. Benè dixit Inn. III. Papa *de contemptu mundi l. 1. c. 6.* tria ſunt, quæ non ſinunt hominem in domo permanere, fumus & ſtillicidium & mala uxor. *Ennius* eas ferè fœminas ait incolumi pudicitia eſſe, quæ ſtatæ, id eſt, media quadam forma eſſent, Aulus Gellius *in noct. Atticis, l. 5. c. 11.*

Quandonam peccet uxor, ſi in neceſſitate non ſubveniat conjugi, colligitur ex dictis *l. 3. p. à n. 719. & 731.* An vir peccet percutiendo uxorem, dixi *ibid. n. 734.* Quandonam peccet conjux uſurpando vel malè utendo bonis alterius conjugis, aut etiam communibus, quæ vel ad Matrimonium contulerunt, vel in eo acquiſiverunt, dixi *ibid. à n. 1017.* Plura circa uſum licitum aut illicitum Matrimonii addentur *à n. 352. 391.* ubi plura addentur de redditione & petitione debiti.

350 *Q. 54. Quid addendum ſit circa peccata viduarum?*

R. §. 1. Viduis illicita eſt delectatio venerea, aut etiam ſenſibilis de copula præterita, ad eum modum, quo *n. 151.* dixi, ponſis illicitam eſſe delectationem in copula futura. Et ratio eſt eadem, quia actualis copula eſt illis nunc illicita, ergo etiam delectatio venerea vel ſenſibilis in illa intentionaliter præſente, cùm hæc delectatio ſit non tantùm de objecto illis nunc illicito, ſed etiam per commotiones venereas naturaliter concomitantes ſit quædam inchoatio copulæ actualis, quæ viduis illicita eſt, Nav Suar. *de pe. c. d. 5. ſ. 7. n. 12.* Vaſq Sanch. *l. 9. d. 47. n. 7.* Spor. *n. 42.*

§. 2. Si in viduis ſit tantùm rationalis approbatio copulæ habitæ, vel rationalis complacentia, ſive gaudium de aliquo honeſto effectu ex illa ſecuto, v. g. de tali prole genita, nullum eſt peccatum, non enim tenentur reprobare vel deteſtari tales cauſas licitè poſitas, aut effectus bonos ex iis ſecutos: neque hi actus manentes in ſuperiore parte animæ, per ſe loquendo, ſolent commovere ſpiritus venereos, aut ad copulam tendere. *Dixi*, ſi &c. nam licèt talis delectatio rationalis, quæ conſiſtit in tali volitione approbativa abſolutè poſſit eſſe ſine delectatione ſenſitiva, tamen homini ad delectationes venereas prono etiam tales cogitationes vel delectationes rationales plerumque periculoſæ erunt, uti notant Auctores cum Gob. *t. 10. n. 675.*

ARTICULUS II.

351 *An actus conjugalis ſit præceptus & debitus?*

„RESP. I. Etſi conjuges nulla lege obligentur ad „uſum Matrimonii, tenentur tamen per ſe ex „juſtitia ſibi reddere debitum, ſi alter ab altero ex„preſsè vel tacitè verecundia ſcilicet obſtante, petat. „Ratio prioris eſt, quia non tenentur uti ſuo jure. „Ratio poſterioris ſequitur ex natura contractus. „mutui, S. Th. *in 4. d. 32. q. 1. n. 2. &c. communiter ex 1. „Cor. 7. Unde reſolves:*

„I. Neuter tenetur, per ſe loquendo, ad petendum „debitum, etſi per accidens aliquando teneatur, vel „ex charitate v. gr. ad avertendum periculum incon„tinentiæ imminens conjugi, Perez *d. 50. ſ. 2. n. 4. &* „*ſ.* vel ex juſtitia legali, eò quòd ſalus publica peri„clitetur, niſi proles naſcatur.

„II. Conjuges tenentur ad cohabitationem, nec „poteſt alter ab altero invito diutiùs abeſſe ſine ne„ceſſitate: quia hæc obligatio ſequitur ex obliga„tione reddendi debitum, Sanch. *l. 9. d. 4.* Kon. *d. 2. n.* „18. Perez *n. 3.*

„III. Peccat mortaliter, qui conjugi ſeriò & in„ſtanter petenti debitum negat, quia eſt res gravis, & „debetur ex juſtitia: intellige, niſi petens precibus, „aut alia ratione honeſta averti poſſit, & petitio „non ſit immoderata, (nam ſi ſæpè petenti ſemel vel bis negetur, citra periculum incontinentiæ, videtur, „eſſe tantùm veniale, ob levitatem materiæ; & ali „quando, ſi nimis immoderatè & juſto ſæpiùs petat, „nullum, ſecundùm Perez *ſ. 4.*) nec ſit alia juſta „cauſa negandi, Bon. *q. 4. p. 1.* ex Sanch. Fill. &c. juſtam, „autem (ſecluſo periculo incontinentiæ utriuſque), „eſſe cenſet Perez *n. 6.* ſi plures naſcantur filii, quàm „poſſint alere. „

IV. Peccat graviter vir vel mulier, ſi ſe impo„tentem reddat, etiam mediis aliàs licitis, v. g. jeju„niis, &c. invita comparte; imò ſi aliter non poſſit „reddere debitum, licitè non obſervat jejunia Ec„cleſiæ, ſicut & uxor, ſi notabiliter fiat deformior, „Bon. *loc. cit.* Sanch. *d. 3. n. 11.* Regin. Kon. Fill. *n. 306.* „&c. Perez *ſect. 2.* „

V. Conjux tenetur reddere debitum, quamvis „illicitè petenti, ſi redditio hìc & nunc non ſit illi„cita v. g. petenti voluptatis cauſa, vel ligato caſtita„tis voto, vel die feſto, &c. Vid. Sanch. *l. 6. Pont. l. „9. c. 3.* Kon. *dub. 6.* Perez *ſect. 5.* quia malitia alterius „non dat illi jus negandi, quod ſuum eſt. Non tamen „tenetur reddere petenti, ſine gravi cauſa, modo in„naturali, vel loco publico, vel ſacro, &c. „

VI. Non tenetur reddere, 1. Si alter alteri de„bitum remiſerit, v. g. ſi conſenſu mutuo voverint „caſtitatem, vel authoritate publica celebrarint di„vortium. 2. Si petens ſit amens; quia talis non eſt „capax uſus dominii, nec petit cum ratione, & huma„no modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter „tamen ut petere, ita & reddere licet tam ebrio, quàm „amenti, niſi eſſet periculum fœtus enecandi, Nav. „*cap. 16.* Sylv. Laym. *l. 5. t. 10. p. 3. c. 1 n. 9.* Si alter mæ„chatus ſit; quia frangenti fidem, fides frangitur „eidem: niſi tamen ipſe quoque ſit adulter, vel cauſa „adulterii. „

VII. Etſi is, qui Matrimonio contracto ſciens „prudens voluntariè cognovit conſanguineam uxo„ris in primo vel ſecundo gradu, non poſſit petere „debitum, tenetur tamen reddere. Idem eſt de eo, „qui inſcia comparte vovit caſtitatem, poſt Matri„monium conſummatũ. Si tamen ante voviſſet, vide„tur obligari ad ingreſſum Religionis, ſaltem primo „bimeſtri, (niſi tamen Matrimonium conſummaverit) „imò etiam poſt, ſi uxor conſentiat, de quo plura vid. „Laym. *n. 10.* „

Reſp. II. Conjux non tenetur reddere debitum, „ſi inde grave damnum vel periculum ſibi vel proli „meritò timeat, Perez *ſect. 4. Unde non tenetur jejunan„tibus caſibus.* „

I. Si illud petat maritus morbo contagioſo la„borans, v. g. gallico, peſte, lepra, &c. (niſi tamen hæc „ante Matrimonium fuerit cognita & non ſit nimis „gravis) Bonac. *q. 4. p. 1. n. 8.* Perez, Sanch. *d. 14* Laym „*cap. 1.* „

II. Si petat ab uxore laborante febri vel alio „morbo, cui copula noceret, Bon. *n. 4.* ex Sanch. &c. „Item Perez *loc. cit.* aut ut quidam volunt, tempore „menſtrui, Bon. *p. 3. n. 11. & p. 6. n. 10.* contra Sanch. „Hurt Perez *d. 49. ſ. 3.* aut cùm uxor eſt gravida, & ex „redditione periculum mortis (vel etiam abortus,) „probabile timetur proli jam concepta. Imò tunc „nec petere, nec reddere licitum eſt, ut per ſe patet, „ait Laym. *n. 7.* & eſſe mortale dicit Perez *ſ. 3* (addens „ex Sanc. Kon. & Hurtad ceſſante periculo prolis, uſum „Matrimonii licitum eſſe) aut ſi non poſſit uxor „edere fœtum, ni mortuum, Bon. *p. 1. & 2. n. 14.* „Laym. tamen *n. 7. n. 7.* dicit eo caſu licere reddere, „imò & petere, quod Bon. *l. c.* concedit, ſi fiat ob peri„culum incontinentiæ) aut non poſſit edere, niſi „cum præſenti periculo vitæ, Bonac. *n. 7.* Laym. *n. 6.* „Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia „gravi ex cauſa, eam poſſe permittere & debitum „redde-„

„reddere, insinuat Laym. *l. c.* ex Sanch. *l. 7. d. 102. n. 11.*
„Denique propter grave periculum morbi (non tamen
„propter ordinarios dolores partus) potest conjux ne-
„gare debitum, etiamsi in altero esset periculum in-
„continentiæ, Sanch. Præp. Palaus, Dian. *p. 6. t. 7. R. 64.*
„*& p. 9. t. 7. R. 4.*

„ III. Si alter debitum exigat innaturali modo; nisi
„tamen ex negatione timeantur graviora m aa, v. g.
„rixæ, odium, incontinentia.

„ *Quæres.* An aliquando liceat impedire prolis ge-
„nerationem?

„ *Resp.* Possunt quidem conjuges ex gravi causa
„aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio
„seminis, peccant tamen, si in usu Matrimonii, vel
„post usum, faciant aliquid, quo impediatur con-
„ceptio, aut semen conceptum rejiciatur Ratio prio-
„ris est, quia non impeditur generatio, nequidem in-
„directè, sed tantùm permittitur, ut non fiat, quod
„licet ex causa rationabili. Ratio posterioris, quia
„agunt contra fidem & finem principalem
„Matrimonii: Unde tales non excusat paupertas
„imminens, aut periculum, ex partu. *Unde resol-*
„*ves.*

„ I. Licitè interrumpitur actus conjugalis, etsi ex
„naturæ concitatione secutura sit pollutio, dummodò
„sit justa causa interrumpendi, v. g. si ex continua-
„tione immineat periculum morbi vel mortis ab
„hoste, vel aliquis alius interveniat. V. Perez *d.*
„*49. s. 9.*

„ II. Peccat probabiliter fœmina, quæ in usu Ma-
„trimonii, animum aliò distrahit, ne natura exci-
„tetur; venialiter tamen, ut Perez *n. 7.* docet ex Sanc.

ADDENDA.

352 *Quæst. 55. Quandonam debitum licitè reddatur conjugi illicitè petenti?* R. Hic variè loquuntur Authores, uti refert Aversa *q. 21. s. 7. §. Septimò*, & constabit ex jam dicendis.

§. 1. Quando petens tantùm venialiter peccat, Sanch. *l. 9. d. 16. n. 6.* absolutè dicit, alterum sine peccato reddere, si aliàs esset offensurus, quia hæc causa excusaret cooperantem: quod verum videtur si posset aliter licitè petere, uti si petat ob voluptatem, ad cavensam reddere potest, quia posset ex alio fine honesto petere.

353 §. 2. Quando petere est mortale tenens se ex parte petentis, uti si petens habeat votum castitatis, vel aliud novum impedimentum, alterum posse & teneri reddere docent Adr. S. Anton. Henriq. Sanch. *l. 5. d. 11. n. 2.* Castrop. Perez, Busemb. *relatus l. 2. n. 250.* Viva *ad prop. 9. Inn. XI. n. 14.* quia sicuti si quis contra votum suum repetat depositum, teneor reddere, quia malitia petentis non tollit jus, quòd habet adrè aliunde tuam, ita etiam hìc, cùm actus ille secundùm se sit licitus, & tantùm illicitus ex circumstantia petentis, ergo videtur retinere jus suum, secundùm Regulam de cooperatione *l. 2. n. 250.* explicatam, quòd ille non peccet, qui ex justa causa cooperatur actui, quem alter ex sua tantùm culpa facit malè. E contrà nec teneri, nec posse in tali circumstantia reddere docent Rich. Sylv. Comit. Pontius *l. 10. c. 3.* Krim. *à n. 819.* & alii, quia petens hìc & nunc non potest talem actum licitè facere, & per votum vel novum impedimentum amisit usum sui juris, cùm non possit habere jus ad peccandum, ergo non est licitum illi cooperari. Regula enim de cooperatione *l. 2. à. 255. & l. 6. p. 1. à n. 209.* explicata tantùm dicit licitè fieri cooperationem, quando alter hìc & nunc posset modo licito ponere talem, cui cooperor. Et hæc secunda sententia videtur probabilior; suadet autem rectè Aversa *q. 10. s. 4.* ut ille, qui prævidet petendum, petat ipsemet, & tum poterit uterque licitè talem actum habere.

§. 3. Si petens per suam culpam amiserit jus peten- 354
di, quia v. g. per incestum contraxit affinitatem cum conjuge, conjux non tenetur reddere, Sanch. *n. 8.* Imò *5. Th.* aliique gravissimi AA. quos refert Sanch. *n. 11.* docent peccare innocentem, si reddat, quia cùm justè negare possit, secundùm dicenda n. 375. si non negat, videtur non tantùm consentire in peccatum ipsius, sed etiam cum impedimento per novam affinitatem contracto, sine ulla necessitate coire, quod videtur illicitum. Oppositum tenent Sanch. *n. 12.* Dian. *p. 9. tr. 8. R. 32.* quia quamvis negare posset, tamen si reddat, per hoc non videtur formaliter cooperari peccato, vel illicitæ petitioni alterius, sed tantùm actui de se licito, ad quem jus habet, & cujus usu privari non debet ob crimen alterius, & ideò *cap. Transmissæ. & cap. Tuæ de eo, qui cognov. consang.* dicitur, quòd affinitas post Matrimonium contracta ei conjugi officere non debeat, qui iniquitatis particeps non fuit, officeret autem, si peccaret reddendo, & sic semper teneretur primus petere. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior, Aversa. tamen *q. 17. s. 3.* tenet cum secunda, si postquàm innocens monuit nocentem, ut abstineat, non possit sine gravi suo incommodo id illi persuadere: tumque iterùm rectè suadet, ut ipsemet innocens petat debitum, quia nocens poterit sine peccato reddere.

§. 4. Quando petere est mortale ob circumstantiam 355
tenentem se ex parte ipsius actus copulæ, uti si petatur in loco sacro, vel cùm periculo pollutionis, abortus &c. tum etiam reddere est mortale, quia tum fit formalis cooperatio ad actum de se malum, Sauch. *n. 16.* Spor. *supra.*

§. 5. Si conjux ob majorem voluptatem, quæ se- 356
cundùm dicta *n. 295.* sit venialiter mala, petat debitum situ vel modo non consueto, Armill. Palat. Henriq. & alii apud Sanch. *n. 1.* dicunt, alterum conjugem non teneri reddere, tum quia non petitur modo debito & naturali, tum etiam, quia non habet jus ad peccandum, secundùm dicta *n. 353.* Contradicunt tamen Pontius, Escob. Sanch. *l. 9. d. 16. n. 8.* quia cùm secundùm dicta *n. 352* licitè possit reddere, videtur teneri, si bonis verbis non possit adducere ad abstinendum, vel ad aliter coeundum, nec censebitur formaliter cooperari ejus peccato, quia posset hìc & nunc aliter licitè petere. Et secundùm Regulam jam datam putarunt aliqui, si vir nolit seminare nisi extra vas, uxorem non teneri quidem, attamen posse admittere talem imperfectam ejus copulam 1. quia habet jus ad copulam: quòd autem vir non faciat, uti deberet & posset, est ejus solius culpa, ad quam non censetur uxor, nisi materialiter cooperari, eo modo, quo petens Sacramentum ab illo, qui ex sua culpa ministrabit indignè, non censetur ejus peccato formaliter cooperari, secundùm dicta *l. 9. p. 1. à n. 211.* Opponunt quidem priores Authores, *non esse annuendum, sed resistendum desiderio peccantis, cap. Negligere, 2. q. 7 cap. Animæ, 22. q. 5.* nam petenti etiam rem suam in grave damnum corporale proprium vel alienum, non est annuendum, ergo multò minùs in spirituale damnum, ergo etiamsi posset aliter petere, si aliter non petat, negandum est illi. Sed Authores illi respondent ex textibus illis Juris tantùm probari, quòd si posset commodè adhiberi correptio fraterna, & impediri peccatum petentis, ad hoc esset obligatio, secundùm dicta *l. 2. à n. 208.* & notat Sanch. *n. 5.* De cætero, ubi impediri non potest sine incommodo, offensa, rixa, periculo incontinentiæ in petente, permitti potest peccatum, & cooperatio erit materialis tantùm, aut fieri debet, quod suadet *Ave s.* Ad rationem in contrarium,

dispa-

disparitatem dat Sanch. *n.* 17. quòd nemo habeat dominium corporis proprii vel alieni : è contrà Deus homini requirit dominium morale circa bona animæ, quam reliquit in manu consilii ejus.

357 *Q.* 56. *Quid specialiter sit notandum circa illum, qui ante vel in Matrimonio vovit castitatem, virginitatem, cælibatum, Religionem, sacros Ordines* ? R. 1. §. 1. Gloss. Angel. & alii, quos referunt Sanch. *l.* 9. *d.* 33. & Mendo *disp* 5. *n.* 167. dicunt eum, qui vovit castitatem, peccare mortaliter in sola prima petitione debiti, quod probabile esse dicunt alii 6. Authores cum Sà. Imò aliqui cum Tann. & Gob. *t.* 10. *n.* 628. putant eum, qui ante Matrimonium vovit castitatem, nequidem in prima petitione peccare mortaliter, saltem si petat post primum bimestre, quia votum videtur suspendi per Matrimonium initum : talis enim tenetur consummare Matrimonium & reddere debitum ; redditio autem debiti æquè adversatur castitati, ac petitio. *Confirmant*, quia, qui vovit Religionem, si Matrimonium inierit, potest illud consummare, & post consummationem reddere ac petere debitum, nec tenetur stante Matrimonio tantùm rato transire ad Religionem, ergo & qui vovit castitatem. Sed absolutè dicendum est, quamvis ille, qui castitatem vovit stante Matrimonio rato, non teneatur ingredi Religionem secundùm dicenda *n.* 360. attamen nunquam licitè petere debitum, ita S. Th. & 70. gravissimi Authores cum Sanch. *n.* 5. & Mendo *n.* 173. Ratio est quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cùm vovens se obstringat ad abstinendum ab omni actu venereo, ergo votum castitatis etiam in Matrimonio factum obligat semper & pro semper quoad ea, quæ cum Matrimonio sunt compatibilia, compatibile autem est non petere debitum, licèt non reddere, non sit compatibile. *Nec refert*, quòd hoc viro videatur difficile, itemque onerosum uxori, quæ verecundabitur petere, *nam* imprisationem. Deinde poterit vir reddere, non tantùm quando uxor petet expressè, sed quando ex signis, quæ inter conjuges sunt nota, advertet eam optare, uti paulò post dicetur.

358 §. 2. Qui vovit virginitatem, per hanc intelligens continentiam à primo actu, quo virginitas amittatur, hac necdum amissa peccat mortaliter ineundo Matrimonium, nec potest prima vice petere debitum : attamen, secundùm dicta, potest reddere, & sic semel reddito debito, aut aliter etiam priùs amissa virginitate, potest contrahere Matrimonium, reddere & petere debitum, quia cessat omnis obligatio illius voti non ampliùs implebilis : quandonam autem amittatur virginitas, dixi, *l.* 3. *p.* 1. *n.* 917. E contrà si per virginitatem intellexisset continentiam ab omni actu venereo, reipsa vovisset castitatem, uti rectè Sanch. *n.* 7. & intelligitur ex dictis *l.* 3. *p.* 1. *n.* 561. deberetque de illo dici, quod de vovente castitatem. Et notant Sanch. & Avers. *q.* 10. *s.* 4. in dubio præsumendum esse, quòd per virginitatem intellexerit castitatem.

359 §. 3. Qui ante Matrimonium vovit cœlibatum vel sacros Ordines, peccat mortaliter, imprimis ineundo Matrimonium ex intentione consummandi : deinde etiam consummando, quia per primum vult se constituere, per secundum se constituit in eo statu, ut votum explere nequeat, attamen consummato semel Matrimonio potest reddere & petere debitum, quia imprimis cœlibatus non est ipsi ampliùs possibilis, & votum illud non ineundi Matrimonium non erat votum absolutum abstinendi ab actu conjugali, sed tantùm, quasi conditionatum, supposita abstinentia ab ipso Matrimonio, S. Anton. & alii cum Sanch. *n.* 22. Krim. *n.* 1969. contra Nav. Cajet. & alios. Deinde vovendo Ordines sacros non vovit castitatem, sed tantùm statutum, in quo vovenda est castitas, sicuti non ideò tenetur ad Horas canonicas, sed tantùm ad statum, in quo teneretur ad horas, si illum suscepisset, Sanch. Laym. Krim. *n.* 2128. Et idem est, si in Matrimonio rato voveret sacros Ordines, & posteà consummaret Matrimonium : uterque tamen, soluto per mortem conjugis Matrimonio, vel etiam inducto justo divortio, tenetur adimplere suum votum, quantùm adhuc fieri potest, Sanch. *suprà n.* 14. *& d.* 34. *à n.* 6.

§. 4. Qui ante vel post Matrimonium ratum 360 vovit Religionem, peccat mortaliter ineundo illud animo consummandi, vel consummando, posset enim & teneretur ante illud consummatum Religionem ingredi, & votum suum observare : si tamen semel consummarit, posteà potest & petere & reddere debitum, secundùm dicta *n.* 357. Qui autem ante vel post Matrimonium ratum vovit sacros Ordines, non potest resilire à Matrimonio rato, imò secundùm dicta *n.* 206. nequidem à sponsalibus, ut sacros Ordines suscipiat. Si quis verò ante vel etiam post Matrimonium ratum voverit castitatem, virginitatem, sacros Ordines, & alter conjux non consentiat, nec abstinere velit ab actu conjugali, docent Alensis, Scot. Cajet. Nav. aliiq; multi apud Sanch. *l.* 9. *d.* 34. *n.* 2 illum teneri ingredi Religionem, quia hoc ipsi licitum est, & ita potest illis votis suis satisfacere, ergo ad hoc videtur teneri. E contrà non ideò teneri ingredi Religionem, sed posse reddendo debitum consummare Matrimonium saltem post primum bimestre, docent Sot. Henr. Angel. aliique cum Sanch. *à n.* 3. quia ita videtur statui in *Extrav. Joan. XXII. Antiquæ, de voto*, ubi insinuatur, talem renuere posse ingredi Religionem. Ratio autem est, quia sicuti ille, qui vovit aliquid donare, aut etiam solvere alteri, si id non possit obtinere, nisi vendendo se in servitutem alicui, ad hoc non tenetur, ita in nostro casu. Et ratio utriusque à priori est, quia cùm tale medium servitutis vel Religionis sit aliquid in se difficillimũ, & excedens id, quod voveat, vovendo, non censetur voluisse se obligare ad tale medium excessivè difficilius & altioris ordinis.

§. 5. Eum, qui ante vel post Matrimonium ratum 361 vovit castitatem, teneri saltem primo bimestri negare debitum, docent Sanch. *l.* 9. *d.* 6. *n.* 14. Avers. *qu.* 10. *s.* 4. §. *Itemum*, Gob. *tr.* 10. *n.* 629. & alii, cùm enim sine peccato possit negare, & sic eousque stare voto per medium non difficile sed ordinarium non apparet, cur non debeat. Probabile tamen esse, quòd debitum reddere possit, tenent aliqui apud Dian. *p.* 11. *tr.* 5. *R.* 40. eò quòd status Matrimonii videatur quoad redditionem suspendere votum. An autem etiam ille illo bimestri negare possit debitum, qui omninò nihil cogitat de Religione ineunda, dicetur, *n.* 420. *ubi à n.* 419 plura addentur de isto bimestri.

§. 6. Peccat qui Matrimonium contrahit cum 362 illo, quem scit habere unum ex prædictis votis, quia cooperatur huic sacrilego ejus cõtractui, potest tamen posteà ab hoc exigere debitum, Sylv. Sanch. *l.* 9. *d.* 33. *n.* 2. An autẽ peccet conjux si cõjugi suo voto castitatis obstricto & illicitè petenti reddat debitum, dixi *n.* 353.

§. 7. Si quis post Matrimonium consummatum 363 absque licentia conjugis voveat Religionem, aut sacros Ordines, intendens nunc implere, patet votum esse irritum, cùm sit de re illicita : si intenderit implere post mortem uxoris, vel obtento legitimè divortio, valet, & præsumendum est sic esse factum, si absolutè & simpliciter vovit, non præfiniendo tempus, standum enim est pro valore actus, & delicta non præsumuntur, ita quoad omnia Sanch. *l.* 9. *d.* 35. *à n.* 11.

§. 8. Votum non petendi debitum, quod sine 364 licentia conjugis, sive à viro, sive ab uxore emit-

emittitur post consummatum Matrimonium, est validum, quia neuter tenetur petere, & laudabile est abstinere, S. August. S. Thom. Sanch. *l.9 d.35. à n.18.* contra alios. Similiter votum castitatis, quod tantum obligat ad non petendum debitum; hæc enim est materia divisibilis, in quam cadit votum, Sanch. *à n.25.* & colligitur ex *cap. Quidam, & cap. Placet, de Convers. conjug.* valetque hic, *si non valet, quod ago, ut ago, valet, ut valere potest, cap. un. de despons. impub. in 6.* Hinc infert Sanch. *nu.29.* votum hoc etiam obligare ad non ineundum aliud Matrimonium, *item* ad abstinendum ab omni actu venereo extra Matrimonium, quia potuit, & censetur se voluisse ad ista obligare.

365. §. 9. Si vir & uxor statim post Matrimonium ratum mutuo consensu voverint Religionem sub pacto, uterque ingrediatur, sed neuter sine altero, possunt post hoc consummare Matrimonium, quia non voverunt castitatem, nec per hoc impeditur ingressus in Religionem, quamvis mortaliter peccare possit ille, qui est in mora ingrediendi, & ita non implendi votum, Sanch. *l.9. d.37.n.5.* E contrà, si ex cõmuni cõsensu vir voveat sacrum Ordinem statim suscipiendũ, & uxor juvenis castitatem, neutrum votũ valet, etiamsi fiat ante consummatum Matrimonium, quia vir non potest ad sacros Ordines promoveri ex licentia uxoris manentis in sæculo, nisi hæc sit sexagenaria, & non suspecta de incontinentia, & consequenter votum uxoris etiam erit irritum, quia erat respectivum ad votum viri, vovebat enim castitatem pro eo tempore, quo vir haberet sacros Ordines, uti suppono cum Sanch. *n.7.* qui putat in utroque casu posse utrumque amicabiliter petere, & reddere debitum, attamen neutrum posse exigere aut teneri reddere, quia mutuo illo consensu & pacto videntur sibi remisisse obligationem. Addit *n.8.* si mutuo consensu & pacto vir voveat Religionem, & uxor sexagenaria nec suspecta de incontinentia castitatem, neutrum peccaturum, si petat aut reddat debitum, quia vir non vovit castitatem, & uxor eandem non vovebat, nisi vir profiteretur in Religione, uti iterum suppono: & quamvis Matrimoniũ consumment, poterunt & debebunt sua illa vota implere.

366 §. 10. *Can. Manifestum, 33. qu. 5.* dicitur: *si quilibet eorum alterum à suo jure absolverit,* scilicet consentiendo ut castitatem voveret, *ad præteritam servitutem ipsum revocare non poterit.* Attamen qui consentit, ut conjux suus castitatem voveret, non ideò se privavit jure exigendi debitum, & ideò, si petat, tenebitur alter reddere, innoc. Abb. Sot. Nav. & alii cum Sanch. *l.1.d.36. à n.4.* contra alios: si tamen vir consensisset, ut uxor voveret castitatem omnimodam, hoc ipso concessit, ut uxor se voto obligaret etiam ad non reddendum debitum: hinc, nisi hoc votum irritaret, peccaret ab ea petendo debitum; an autem hoc votum irritare possit, dicetur *n.368.* Quòd si voto non irritato peteret debitum, uxor teneretur reddere, *nisi vir per pactum à se abdicasset jus justitiæ ad usum conjugii,* tum enim uxor illicitè redderet, Palud. Henriq. Sanch. *n.7. & 11.* Idem dicit Sanch. *d.37. n.4.* si vir priùs cum consensu uxoris, & postea uxor cum consensu viri castitatem vovisset, uterque seorsim & absque mutuo pacto vel abdicatione juris, cum enim maneret in utroque jus justitiæ ad petendum, & consequenter maneret obligatio ad reddendum debitum etiam illicitè petenti.

367 §. 11. Pactum mutuum inter conjuges non petendi nec reddendi debitum est validum, nulli enim fit injuria, & sicut possunt mutuò vovere, ita pacisci, uterq; tamen licitè poterit pactum illud remittere alteri, & ita petere & reddere debitum, *quia,* ubi aliunde non advenit vinculum, *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. De Reg. Juris,* Nav. Henr. Sanch. *l.9.d.37. n.19.* Quòd si jurassent stare pacto, & juramentum esset adjectum in favorem utriusq; ut manerent liberi ab obligatione reddendi, possent mutuo consensu illud remittere, secus, si ex pietate ad colendum Deum per continentiam, tum enim haberet se, sicuti si supervenisset votum castitatis, quod observandum esset. In dubio autem, qua intentione jurarint, præsumendum pro causa pia, Sot. Graff. Sanch. *n.20.*

§. 12. Dixi *l.3. par.1.n.493.* cum communiore, 368 quòd maritus non possit directè irritare vota uxoris, sed tantùm indirectè, & quasi suspendere, in quantùm præjudicant suo juri; qualiter uxor etiam viri vota potest suspendere. Putat quidem *Illsf.* probabile esse, quòd uxor possit irritare votum viri de non petendo debito, sed ex dictis *l.3. p.1. n.504.* oppositum est tenendum, aliter enim potest satisfieri juri uxoris, uti jam dicetur. Et de omnibus illis potest videri Sanch. *l.9. à d.39. usque ad 44.* fusissimè agens de irritatione quorumcumque votorum, quæ tam maritus quàm uxor emittit ante vel in Matrimonio aut etiam in divortio &c.

§. 13. Maritus, qui sine consensu uxoris vovit, 369 vel castitatem, vel non petere debitum, potest huic offerre actum conjugalem, si advertat eam optare, & præ verecundia non petere, quia tum censetur ea tantùm redditio, S. Thom. *in suppl. q.64. art.2.* Imò id posset facere, licèt uxor consensisset in votum mariti, si adverteret eam alioquin fore in periculo incontinentiæ; nec tenetur suum votum manifestare, si prævideat, quòd ipsa ideò non sit petitura debitum, uti cum aliis docet Sanch. *l.9. d.7.* & in simili hæc omnia dicentur à *n.378.* de incestuoso. De cætero dixi *l.3. p.1 n.560.* votum ingrediendi Religionem emissum cum licentia conjugis irrevocabiliter cedentis juri suo, esse reservatum, uti & emissum sine licentia conjugis necdum consummato Matrimonio.

§. 14. Si uterque etiam communi consensu 370 vovisset non petere debitum, & alteruter adverteret alterum indigere ob periculum incontinentiæ, possent, imò secundùm. Nav. Sanch. *l.9. d.7. n.11. & d.37. n.22.* tenetur sibi mutuo reddere debitum, quia per votum non petendi non voluerunt excludere usum reddendi ex justitia, vel saltem ex præcepto charitatis debitum. Aliud est, si communi consensu irrevocabiliter vovissent castitatem, valeret enim hoc votum nec possent petere, S. Aug. S Greg. Alb. M S. Anton. Nav. aliique plurimi cum Sanch. *l.9. d.37.n.10.& 17.* Imo dixi *l.3. p.1.n.560.* probabile esse tale utriusq; votum esse reservatum. Quòd si fierent obnoxii periculo incontinentiæ, aut etiam alteruter laberetur in fornicationem, non ideò possent per Judicem Ecclesiasticum compelli, ut redirent ad usum corporis, sed tenerentur, vel fortiùs resistendo vincere tentationes, vel petere dispensationem, Sanch. *n.12.* addens *n.17.* posse esse veniale, si prævisо tali periculo sic voveatur.

§. 15. Dispensatio in petitione debiti ob votum 371 priùs editum, tantùm servit vivente conjuge, non autem post ejus obitum, tum enim non poterit de novo contrahere sine nova dispensatione, secundùm dicta *l.3. p.1. n.564.* Similiter cum quo dispensatum est, ut cum voto castitatis aut Religionis contraheret, posset que etiam petere debitum, si post conjugium actum carnalem exerceat, aut etiam durante conjugio cum alia, quam cum uxore sua, peccabit contra votum, quia tantùm dispensabatur respectu suæ, Sanch. *l.9. d.33. n.11.* Laym. Lohn. An votum castitatis, cœlibatus, Religionis &c. obliget eum, qui ita proclivis est in luxuriam, ut ipsi salubriùs videatur inire Matrimoniũ, dixi *l.3. p.1. n.480.* An autem

proles

proles nata è conjugibus obligati voto castitatis, professis in Religione, post sacros Ordines susceptos, sit legitima aut irregularis, dicam *l.* 7. *cap.* 5. quando de irregularitate.

372 *Q.* 57. *An conjux adulter vel incestuosus habeat jus ad copulam?* Resp. §. 1. Est veluti pœna conventionalis Jure naturali & divino inducta, inquit Sanch. *l.* 1. *d.* 68. *n.* 4. ut frangenti fidem fides non servetur, ideóque si unus conjugum admittat adulterium, potest alter innocens ipsi negare debitum; quamdiu tamen id non rescit vel dissimulat, nihil excipiendo contrà, probabilius videtur cum Caj. Sot. Sanch. *n.* 4. Fill. *tr.* 30. *n.* 87. Gob. *t.* 10. *n.* 600. & aliis contra alios, adulterum ipso facto non amisisse jus petendi debitum, ideóque non posse quidem exigere tanquam debitum, attamen posse petere tanquam benevolè concedendum, quia non tenetur delictum suum prodere, nec pœnam talem primus in seipso exequi, & quamvis dicatur privari ipso facto, intelligitur, si à conjuge innocente privetur.

373 §. 2. Si pars innocens habeat sufficientem certitudinem de adulterio, quamvis juridicè probare non possit, potest negare debitum, nec ab adultero licitè cogitur ad reddendum, quia uti dictum est, privatur ipso facto, id est, ad privandum hoc jure non requiritur sententia, sed sufficit sola innocentis voluntas, Sanch. *l.* 10. *d.* 12. *n.* 8.

374 §. 3. Si pars innocens semel remiserit adultero hanc pœnam, posteà non potest ampliùs negare ob idem adulterium, Sanch. *l.* 9. *d.* 6. *n.* 9. Fill. Suprà. Si autem admiserit copulam vel signa amoris sine animo remittendi jus suum, sed intendens aliis vicibus negare, potest postmodum negare, & etiam accusare, Sanch. *l.* 10. *d.* 14. Si autem admiserit, abstrahendo ab eo, an remitteret, necne, docent Nav. Sanch. Fill. Spor. *n.* 284. non posse ampliùs negare debitum, vel accusare, eò quòd ista signa amoris voluntariè suscepta censeantur vera remissio, sed *Tamb.* meritò dubitat. V. dicenda *n.* 389.

375 §. 4. Qui commisit incestum cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu, in pœnam caret jure petendi debitum per *cap.* 1. *de eo, qui cognov. consang. Si quis cum sororis suæ sciens fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem.* Et secundùm Gloss. *in Can. Nosse* 30. *q.* 1. ipso facto ante sententiam privatur eo jure. Poterit tamen uxor innocens petere debitum, ut habetur *cap. Transmissæ, cap. Discretionem, cap. Tuæ, ibid.* An autem possit uxor incestuoso illicitè petenti reddere debitum, dixi *n.* 354. Et hanc pœnam non extendi, nisi ad incestum in secundo gradu, rectè contra alios probant Sanch. *l.* 9. *d.* 27. *n.* 14. & Avers. suprà, quia est propter affinitatem ex copula illicita, quæ nunc extenditur ad solum secundum gradum. Ad incurrendam tamen eam pœnam non prærequiritur ulla declaratio criminis, imò sufficit occultus incestus, Sanch. *d.* 30.

376 §. 5. Qui non scivit illam, cum qua coibat, esse consanguineam, aut putavit esse in remotiori gradu conjunctam, non incurrit eam pœnam, nam textus dicit: *si sciens*: putatque Sanch. *l.* 9. *d.* 32. *n.* 47. excusare ignorantiam etiam vincibilem & crassam, si non sit enormiter temeraria, vel affectata. Quòd si sciverit se committere incestum intra secundum gradum, sed non sciverit hanc pœnam esse illi annexam, putant Laym. Dian. Bonac. Portel. Casti. *tr.* 2. *d.* 1. *pu.* 17. Lohn. Burgh. *cent.* 3. *c.* 64. non impediri à petitione debiti, quia pœnæ novo Jure ab Ecclesia statutæ non incurruntur ab ignorante eas, uti cum communi Sanch. *in D* . . *l.* 4. *c* 22 maximè si pœnæ sint extraordinariæ. & illas reus in seipso teneretur exequi, uti hic facere deberet. Oppositum probabiliùs tenent Henr. Pont, Perez. Sanch. *d. Matr. n* 50. suprà Avers. *q.* 17. *s.* 3. sicuti enim secundùm dicenda *n.* 64. mulier occidens virum, ut cum adultero contrahat, incurrit pœnam criminis, quamvis non sciverit esse annexam, quia impedimentum criminis non est mera pœna, sed simul inhabilitatio, ita & hic incurritur inhabilitas ad petendum debitum ob contractum impedimentum novæ affinitatis.

§. 6. Uxor, quæ cognovit consanguineum mariti 377
sui, coacta metu gravi cadente in constantem fœminam, secundùm Sanch. *hic l.* 9 *d.* 31. Pont. Perez non potest à marito petere debitum, quia ille metus non excusat à culpa, ergo nec à pœna: & sicuti metus à culpa non excusans participantem cum excommunicato etiam non excusat ab excommunicatione, ita hic à pari. Oppositum tenent Laym. Bonac. Lohn. Avers. *q.* 17. *s.* 3. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 52. quia universim vis aut metus gravis excusat à transgressione & contumacia contra legem Ecclesiasticam, cùm non sit credibile benignam marrem velle obligare cum tanto rigore, pœnæ autem tales statuuntur tantùm contra transgressores & contumaces, uti docent, præter citatos, *Nav. Aril. Salas, Fill. C.* 31. Et hinc patet ad 1. rationem. Quòd autem metus non excuset participantem cum excommunicato, inde est, quia quando metus incutitur in contemptum Ecclesiæ, uti fieri supponitur, quando quis cogitur participare cum excomunicato, metus non excusat à culpa aut pœna, uti dicam, *l.* 7 *n.* 98 hoc autem non est in nostro casu.

§ 7. Si periculum sit, ne propter omissionem 378
petitionis debiti, Matrimonium uxori nimis odiosum fiat, fiat, potest maritus incestuosus offerre uxori actum conjugalem, quoties ipsi videbitur honestum, vel quoties advertet id optare uxorem verecundam, aut alioquin futuram in periculo incontinentiæ. Ratio est, quia hoc petendi genus censeri potiùs debet redditio, ad quam tenetur, quàm petitio debiti, S. Th. & alii cum Sanch. *l.* 9. *d.* 7. Addit Sanch. *n.* 8. conjugem, cui prohibitum est petere posse alteri manifestare suum impedimentum, ne suam petitionem expectet, & ne reddatur ei Matrimonium onerosum.

§. 8. Quando conjux prudenter timet, ne, si 379
non petat debitum, alter veniat in cognitionem sui criminis, & gravis inde discordia oriatur, petere potest debitum, & non urget hæc pœna, Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 15. Lohn.

§. 9. Quamvis conjux innocens etiam sæpiùs 380
debitum petierit ab incestuoso, non ideò censetur remisisse, aut amisisse jus imposterum ei negandi debitum: imò cùm hæc privatio juris petendi debitum non sit in favorem innocentis, sed in pœnam incestus, & ob affinitatem novam contractum, innocentem non posse hanc pœnam remittere, docent cum communi Sanch. *l.* 9. *d.* 6. *n.* 9. & Avers. suprà.

§. 10. Si uterque conjux commiserit adulterium, 381
utrique licitum est petere & reddere debitum, quia delicta se compensant, *cap. penult. & ult. de adult.* E contrà si uterque sit incestuosus, neutri licitum est petere, quia utrique imponitur pœna non petendi propter contractam affinitatem, Abb. 5. Ant. Nav. Sylv. Avers. *l.* 7. *s.* 3 Sanch *l.* 9. *d.* 28 addens neutrum etiam posse reddere alteri illicitè petenti, id enim in Jure conceditur soli innocenti, neuter autem hic est innocens; si tamen malitiosè fecissent animo alterum debito conjugali defraudandi, quamvis uterque peccaret petendo, tamen Sanch. contra *Aversam* putat, quòd teneretur petenti reddere, quia *cap. Si vir, de conv. conj.* videtur ita esse decisum de cognatione spirituali, ubi redditur ratio, *quia malitia & fraus non debent eis patrocinari*; & idem videtur hic esse. Ratio autem universalis (quæ sæpè servire poterit) est hæc, quia quando lex, etiam de se odiosa,

exprimit rationem, ob quam lata est, extenditur etiam ad casum, in quo clarè occurrit eadem ratio legis, uti colligitur ex *L. 2. §. 29. Quòd si curatores, ff. ad S. C. Tertyll.* Ex *cap. Si postquam*, cùm Gloss. *v. Mente, de Elect. in 6.* Ex *L. illud, ff. ad leg. Aquil.* Ex *L. A Titio, 108. ff. de verb. oblig.* junctis Glossis, docentq; Panorm. Gutt. Mantic. Tiraq. Decian. Mascard. Barbat. Cravet. Paris. & alii, quos citant & sequuntur Pignat. *in novissimis cons. 195. pag. 478.* & de Justis *l. 2. c. 19. n. 3.* quia ubi ratio exprimitur, debet esse eadem Juris dispositio, etiam in pœnalibus: neque illa censetur esse interpretatio extensiva, sed declaratio comprehensiva: sequenda enim est mens legis, ubi exprimitur, & non solum verbum.

382 §. 11. Qui post ratum, sed ante consummatum Matrimonium contrahit affinitatem cum uxore sua, non tenetur Religionem ingredi, sed potest reddere debitum & consummare Matrimonium, ut in simili dictum est de illo, qui voverat castitatem: & docet specialiter de incestuoso Sanch. *l. 9. d. 29.*

383 §. 12. Si fiat coitus sodomiticus, quamvis sit vel adulterium vel incestus quoad malitiam & repugnantiam cum natura rationali, tamen non ideò incurruntur hæ pœnæ civiles aut canonicæ, neque etiam impedimentum affinitatis, quia leges vel Canones loquuntur de adulterio & incestu in vase naturali, nec in pœnis valet extensio à minori ad majus, Fill. *tr. 30. n. 106.* Tamb. & alii.

384 §. 13. Qui cum muliere affine uxori suæ; Item qui cum sua consanguinea habet copulam, non ideò privatur jure petendi debitum, quia Canones tantùm loquuntur de eo, qui habuit copulam cum cósanguineis uxoris suæ. Putant etiam aliqui cum *Herincx*, si conjux consentiat in copulam incestuosam sui conjugis, privari jure petendi debitum, sed non invenio id ulla lege esse statutum.

385 *Q. 48. Quid dicendum sit, si Matrimonio superveniat cognatio spiritualis?* R. §. 1. Si pater in necessitate baptizet suum vel suæ conjugis filium, contrahit quidem cognationem spiritualem cum matre, attamen non privatur jure petendi debitum, quia *æquum non est, ut qui obligationi suæ satisfacit, ideò pœnam subeat, Can. Ad limina 30. q. 1.* Sanch. *l. 9. d. 26. n. 2.* Aversa. *q. 16. s. 2.* Gob. *tr. 10. n. 605.* qui dicit id probabile esse, quamvis citra necessitatem fecisset, uti notavi *l. 6. p. 1. n. 358.* idemque defendunt Durand. Caj. Suar. Con. Hurt. Perez *d. 29. s. 6.* Dicast. *d. 9. dub. 8. n. 90.* Spor. *n. 90. & 276.*

386 §. 2. Pater absente omni alio assistens velut patrinus suo vel suæ conjugis filio probabiliter etiam non privatur jure petendi debitum, quia quamvis in eo casu patrinus non requiratur ad valorem, attamen requiritur ex præcepto, & ut habetur tota significatio Sacramenti, ergo hæc etiam necessitas excusat, S. Th. aliique plurimi apud Sanch. *n. 3.* & Mendo *diff. 5. q. 2. n. 159.* contra Ledesm. Henriq. & alios.

387 §. 3. *Si quis extra necessitatem* stante Matrimonio contraxerit cognationem spiritualem cum sua conjuge, Glossa, Durand. Præpos. Con. Dian. *p. 11. tr. 5. R. 39.* Aversa. suprà & alii dicunt non privari jure petendi, multò minùs reddendi debitum, quod Sanch. & Bonac. *qu. 4. pu. 2. n. 4.* dicunt esse valdè probabile, quia pœna non petendi debitum non videtur esse in Jure statuta, nisi ratione cognationis spiritualis ante Matrimonium contractæ; cùm Jura loquentia de cognatione illa contracta post Matrimonium nihil dicant de pœna illa, sed expressè velint non separari toro, odiosa autem non sunt extendenda. E contrà dicendum videtur cum communi, Sanch. *n. 7.* Mendo *n. 165.* teneri quidem reddere debitum; quia innocens non debet jure suo privari, attamen petere non posse, uti, secundùm dicta ante, non potest petere, si stante Matrimonio voveat castitatem, aut contrahat affinitatem per copulam illicitam cum consanguinea conjugis. Et quamvis quoad cognationem spiritualem id clarè non evincatur ex Jure, sufficit tamen communis consensus Theologorum & Juristarum, qui in hoc Glossam deserunt. Neque hic extenduntur odiosa, sed explicantur leges in casibus omninò æqualibus, & per æquivalentia iisdem.

388 §. 4. Si conjux ignoranter contraxerit hanc cognationem, non impeditur usus conjugii, nequidem quoad petitionem debiti *can. de his, 30. q. 1. cap. Si vir, de cogn. spirit.* Sanch. *d. 32.* Valetque non tantùm in ignorantia facti, si non sciverit esse filium suæ conjugis, sed etiam in ignorantia Juris, si nesciverit legem id prohibentem. Si tamen scivit legem prohibentem, quamvis non sciverit oriri illud impedimentum, non excusatur, sed impeditur à petendo, *Aversa.*

389 §. 5. Aliqui putarunt, si tam maritus, quàm uxor ejusmodi cognationem contraxerit, delicta quasi compensari, & neutrum privari jure petendi debitum. Sed oppositum tenendum est, quia ita postulat reverentia Sacramenti, quod, vel in quo ministravit. V. *Aversa.* suprà.

390 §. 6. Quamvis secundùm dicta impediatur petitio debiti per supervenientem cognationem spiritualem, attamen non impeditur per supervenientem cognationem legalem, uti dicetur *n. 601.* Quis autem dispensare possit ad petendum debitum, si Matrimonio superveniat affinitas, cognatio spiritualis, votum castitatis &c. dicetur suis locis.

391 *Q. 59. Quid præterea addendum sit circa petitionem, & redditionem debiti?* R. §. 1. Excusatur conjux à peccato gravi, quando negat alteri petenti tantùm benevolè, & amicè, non autem tanquam debitum, quia tum non censetur petere cum animo obligandi, Perez *d. 50. nu. 3.* E contrà peccat mortaliter, si vel semel neget seriò, instanter, & rationaliter petenti, Gob. *tr. 10. n. 611.* Attamen non peccat mortaliter, saltem ordinariè, qui tantùm parvo tempore differt, v. g. si petenti de die, neget, quia reddet de nocte, Dian. *p. 5. t. 5. R. 14.* Perez, Gob. *n. 614.* Spor. *n. 276.*

392 §. 2. Quamvis licitum sit negare debitum ad vitandum magnum detrimentum in bonis fortunæ vel famæ, quia contrahens non obligavit se ad notabilia incommoda ideò subeunda, Sanch *l. 9. d. 25. n. 5.* Tamen multiplicatio prolis ordinariè non excusat, nisi abesset omne periculum incontinentiæ, & immineret magna incommoditas in alendis tot prolibus Sot. Lop. Sà. De cætero finis Matrimonii est propagatio generis humani, & ordinariè non ideò incurretur gravis necessitas, Sylv. Sanch. Lay. Gob. *n. 625.* Spor. Et saltem in perpetuum non poterit ideò negari debitum ob periculum incontinentiæ, ergo frustrà negabitur ad breve tempus, post quod nihilominùs fiet conceptio.

393 §. 3. Peccat conjux, qui per voluntarias pollutiones reddit se impotentem ad reddendum debitum: item, qui sine justa causa diu vel longè peregrinatur absque consensu conjugis, quia injustè privat solutione debiti.

394 §. 4. Si vir sit amens vel ebrius uxor potest, attamen non tenetur ei reddere debitum, quia petitio illa non est actus humanus, ergo non obligat, Sòr. Henriq. Sanch. *l. 9. d. 23.* Aversa. *p. 21. s. 7.* Loth. *tr. 18. à n. 17.* contra Navarr. Sylv. & alios. Si vir sit tantùm semiamens vel semiebrius, uxor tenetur reddere, quia possessio juris ad petendum stat pro viro: item si vir aliàs pateretur pollutionem, uxor tenetur reddere, quia æquitas postulat, ut valdè egenti reddatur, quod debetur. Sanch. Gob. *n. 615.* Spor. *n. 284.* Peccat vir compos mentis, si petat debitum ab uxore amente,

amente, quia probabilissimum est periculum, ne fœtum in utero necet, Sanch. *n.*8.Gob. *n.*595. Si uterque sit impos mentis, mortale esset eos conjungere ad copulam, quia evidens est periculum prolis suffocandæ, vel si nascatur, malè educandæ, ideò enim etiam vagus concubitus est illicitus, Ledesm. Lop. Sanch. *n.* 5. Aversˢ. suprà.

395 §. 5. Si morbus, v. gr. gallicus, vel lepra valdè diu duret, congruum erit, ut alter conjux aliquando reddat, Sanch. *d.* 24. *n.* 23. Imò videtur teneri aliquando reddere, quia nimis difficile est aliquibus perseverare in perpetua lucta contra motus concupiscentiæ; potest autem alter sic tegere se, aut tali modo congredi, ut vitet periculum contagionis, Spor. suprà. Hectica laborantem Laym. excusat à redditione debiti, quia multum nocet homini phthisico, vel hectica laboranti effusio seminis. Si lepra supervenerit uni conjugum, alter sanus non tenebitur ei quidem cohabitare cum probabili periculo infectionis, quia obligationi debiti prævalet salva individui sui incolumitas, Sanch. *n.*29. qui cap. 2. *De conjug. leprosˢ.* intelligit, si fieri possit absque notabili periculo infectionis. De excusatione à reddendo debito ob periculum morborum, vel infectionis, plura videri possunt apud Zacch. *l.* 3. *t.* 3. *q.* 6.

396 §. 6. Si nimis frequenter petatur debitum, negari potest, v. gr. si ter una nocte reddiderit, potest quarta vice negare, Rodriq. Laym. Sperell. *n.* 513. addit Gob. *n.*622. videri etiam nimis frequenter peti, si maritus non contentus nocturna redditione etiam per diem petendi consuetudinem habeat: aliud est, si quandoque tantùm per diem peteret.

397 §. 7. Uxor sciens ex judicio Medicorum, se, si concipiat, & pariat, fore per hoc in proximo periculo vitæ, illicitè ejicit semen, uti habet communis, & certa Fagund. itaque vel deprecetur, vel neget debitum, nam secundùm dicta *n.* 395. non tenetur reddere cum tali periculo.

398 §. 8. Uxor non peccat communicando in usu matrimonii, aliisq; rebus omnibus cum viro suo excommunicato, dummodò in crimine ipso non communicet, Cap. *Quoniam multos*, 11. *q.*3. similiter vir cum uxore excommunicata. Quod valet, etiamsi tantùm tatum sit Matrimonium, & quamvis uterque esset excommunicatus. Possuntq; ista pluribus videri deducta apud Sanch. *l.* 9. *d.* 14. ubi plura habet circa conjuges excommunicatos.

399 §. 9. Confessarius debet monere pœnitentem, si advertat eum negare debitum: tum autem est causa suaviter rogari potest, an etiam omnia præstet, ad quæ obligatur, conjugi suo vel suæ. De obligatione reddendi in primo bimestri, dicetur à *n.* 419. Ad quid teneatur uxor, si vir propter arctitudinem vasis non posset habere copulam, dicetur *n.* 798.

400 *Q.* 60. *Quid ad hujus casum sit dicendum*? Cajus viduus procatur Claudiam, quæ in Matrimonium consentire noluit, nisi Cajus promitteret ei mille imperiales ad liberam ejus dispositionem in perpetuum dandos. Facit hoc Cajus, sed in Matrimonio invenit Claudiam minus habilem ad copulam, ita ut actum Matrimonialem sæpiùs consummare non possit: & cùm asseveranter dicat se eo solùm animo eandem duxisse sub tanto pretio, ut reliquis vitæ diebus uteretur licitis delectationibus Matrimonii, *Quærit*, an teneatur totam illam summam dare Claudiæ? *Resp.* Si Claudia possit servire moderatis usibus conjugii, ita ut Cajus non ideò subeat periculum incontinentiæ, vel pariatur graves tentationes, Cajus tenetur præstare, quod promisit, quia Claudia non censetur se obligasse, nisi ad quod tenentur conjuges, conjux autem non tenetur reddere debitum conjugi immoderatè petenti, uti *n.* 396. dictum est. E contrà, si Claudia non possit ei præstare illas delectationes licitas, & moderatas, videtur probabile, quòd Cajus possit retinere, & Claudia teneatur remittere partem promissæ summæ. Ratio 1. esse potest, quia corpus Claudiæ hìc habet se velut merx habens vitium occultum, ergo sicuti vendens talem mercem posteà tenetur restituere, quanti æstimabile erat hoc vitium, ita Claudia tenebitur remittere, quanti judicio prudentum æstimabilis est ista inadæquata carentia illicitæ delectationis. 2. Cajus dicit, se eo solùm animo duxisse Claudiam sub tanto pretio, ut licitis delectationibus Matrimonii uteretur, quando autem qualitas ignorata (licèt accidentalis sit) fuit tota ratio, & finis, & unicum motivum celebrandi contractum, illa deficiente consensus est omninò involuntarius, adeóque nullus, uti expressè *Onnate De contr. d.* 3. *n.* 131. sicuti si ego Sacerdos volens me vestire, absens emerim pannum, quem putabam nigrum, erat autem albus, quamvis nigredo sit qualitas valdè accidentalis panno, tamen emptio est nulla, quia deficit totus finis, & unicum motivum meæ emptionis, ergo. Pro opposita parte est, quòd major vel minor habilitas corporis in Claudia non venerit in contractum, neque ad illam majorem habilitatem consensum suum restrinxerit Cajus (alioquin ipsum Matrimonium esset invalidum) ergo sicuti absolutè consensit in Matrimonium, ita etiam in donationem illius summæ: *Nec obstat*, quòd non consensisset, si scivisset defectum corporis in Claudiam, *nam* hoc non obstante consensit nunc absolutè, actus autem alius, qui futurus fuisset, si defectum illum scivisset, non obstat valori contractus nunc absolutè initi. Unde ad 1. rationem in oppositum, *R.* Majorem habilitatem corporis non fuisse mercem; cùm in contractum non venerit, nec de illa mentio sit facta, sed merx erat corpus secundùm se habile ad validũ Matrimonium. *ad* 2 *n.* totum finem vel motivum deficere, quia simpliciter potest consũmare Matrimonium. & hæc erat substantia finis, quòd autem non possit tam sæpè, per accidens est, quia frequentior usus non venit in contractum. Hæc in utrãque partem occurrerunt. Attamen puto hìc debere distingui duos contractus: Primus est Matrimonii, de cujus valore dubitari non debet Secundus contractus est de pretio mille imperialium, qui per accidens est adjectus; & de hoc solo est quæstio, neq; de ejusmodi contractu debet judicari idem, quod de Matrimonio, uti omnes notant cum Sanch. *l.* 6. *d.* 18. *n.*18. Less. *De just. l.* 2. *c.* 17. *n.*29. Itaque imprimis puto Claudiam, si præsciverit inhabilitatem suam ad frequentem copulam, commisisse dolum, ob quem contractus manet rescindibilis secũdùm arbitriũ Caji, aut saltem reducibilis ad æqualitatem, ut habent Authores omnes cõmunissimè. Deinde etiamsi Claudia cum pura ignorantia, & bona fide processerit, tamen adhuc videntur urgere rationes allatæ pro Cajo, quibus addo hãc; nam hic cõtractus fuit merè lucrativus respectu Claudiæ, quæ ad nihil se reciprocè obligavit, adeoq; reipsa fuit gratuita promissio vel donatio illius summæ: hoc supposito, communis, & vera (etenim est cum Mal. Turr. Lug. *De just. d.* 22. *n.*89. ejusmodi promissioné, vel donationem gratuitã vitiari etiã ex solo errore, etiamsi non sit circa substantiã, si error talis sit, ut sine eo non fieret, promissio, vel donatio, quia concedens non aliter videtur concedere, nisi stante veritate causæ, qua apud se movetur ad concedẽdum, uti ait Lugo suprà, idem firmans in aliis exemplis. Hinc demùm puto standum pro Cajo: Quia tamen Cajus non poterit in foro externo probare illud fuisse unicum suum motivum dandi illũd pretium, suadendum est, ut potius componat cum Claudia. Ita judicavi cum alio Doctore ann. 1709.

DUBIUM

DUBIUM III.

401 *An, & quibus ex causis possit fieri divortium?*

» Resp. I. Etsi Matrimonium consummatum inter » Christianos nullo casu solvi possit, quoad vin- » culum, vivente utroque conjuge: (Vide Sanch. » & Perez. *d.29. s.9. & d.55. s.4.*) divortium tamen, » seu potiùs separatio quoad torum, fit sequentibus » casibus:

» I. Si alter conjux moriatur; de quo si est certum, » rursum nubere potest: quòd si interim alter mortuus » non sit, fama tamen, & indicia sufficientia habe- » antur, excusatur nubens, neq; ex dubio superve- » niente, an prior vivat, debent separari, cùm fortè » non vivat, adeóque Matrimonium sit validum.

» II. Si ex conjugibus infidelibus altero ad fidem » converso, alter maneat infidelis (saltem nisi paci- » ficè cohabitare velit, sine contumelia Creatoris;) » idque ex dispensatione divina, in favorem fidei, ut » patet ex 1. Cor. 7. v. 15. Perez *d.* 26. *s.* 4. *&c. communiter.*

» III. Si ante Matrimonii consummationem (ad » quam intra primum bimestre, quod ad deliberatio- » nem datur, non tenentur nec cogi possunt sine in- » juria) alter intret Religionem, in eaque profitea- » tur, Perez *l. c. &c. communiter.*

» IV. Si Papa ex alia justa causa dispenset ante » consummationem, sicuti eum posse probabilior » sententia affirmat, Navar. Bell. Perez *d.*20. *s.*7.

» Resp. II. Manente vinculo Matrimonii licitè fit » divortium, & separatio quoad torum, & cohabi- » tationem ad tempus, vel in perpetuum, ob gra- » vem, & justam causam, qualis est:

» I. Alterius conjugis culpabile adulterium: (per » quod hìc etiam intelligitur omnis species luxuriæ, » in qua caro cum alia dividitur, qualis est bestiali- » tas, sodomia, etiam intra eundem sexum, Bonac. » *q.*4. *p.*5. *n.*2. contra Fill. Sanch. Perez *d.*56. *s.*1. & 2. » ex Math. & *Cap. Gaudemus cap. Ex litteris*, non tamen » mollities, vel pollutio, oscula, tactus vel ample- » xus impudici, Bon. Sanch. Perez *ll. cc.* licèt propter » similia ad tempus possit aliquando fieri separatio, » ut nocens emendetur) tunc enim innocens Reli- » gionem ingredi, aut sacros etiam Ordines susci- » pere potest, nocens verò nonnisi cum innocentis » consensu. Excipitur tamen ab hoc casu, 1. si » uterque conjux particeps sit ejusmodi criminis vel » æqualis, Sanch. *l.* 10. *d.*6. Bon. *l. c.* 2. Nisi inno- » cens condonarit, quod aliqui eum fecisse censent, » si eam post adulterium intellectum rursus cogno- » verit, Bon. ex Con. Henr. Fill. Perez *s.* 3. ubi vide » plures casus exceptos.

» II. Sævitia mariti, vel uxoris: ex qua si grave » periculum comparti immineat, potest separatio » peti à Judice; imò si mortem minetur, vel vene- » num paret, potest divertere ante Judicis consen- » sum. V. Bon. *l. c.* Laym. Perez. *s.* 5.

» III. Si conjux compartem trahat in peccatum, » v. gr. sollicitet ad hæresin, veneficium, &c. tunc » enim innocens potest se separare, imò tenetur, si » periculum sit grave, Laym. *l.* 5. *t.*10. *p.*3. *c.*7. *n.*16.

» IV. Morbus contagiosus, v. g. lepra. Quòd si » tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, ad » id tenetur, aut saltem adhabitare, & ministrare, » nisi alter remittat.

» V. Hæresis vel apostasia superveniens Matrimo- » nio. Quo casu, si separatio facta sit judicio Eccle- » siæ, non tenetur conjugem conversum recipere, » saltem ex justitia; nam ex charitate aliquando te- » netur, ut si sit periculum incontinentiæ, Bonac. » Lay. *l. c.* Perez *d.* 57. *s.* 1.

» VI. Mutuus consensus. Ex quo licitè se separant, vel toro, sive ad tempus, sive in perpetuum, ob » finem spiritualem; vel etiam habitatione. Quod » tamen non solet permitti, nisi uterque ingrediatur » Religionem, vel uxore ad Religionem transeunte » (aut si vetula sit, id est, sexagenaria, Azor, &c. » vel saltem quinquagenaria Sanch. Bon. Barbos. » Dian. *p.*3. *t.*4. *R.*73. manente in sæculo, in voto » continentiæ) maritus suscipiat sacros Ordines. » Porrò apud quem, & cujus expensis, facto divor- » tio liberi sint educandi. V. Laym. *l. c.* Sanch. » Perez. *d.* 58. *&* 59. Bon. *q.*3. *p.*5. *n.*11. »

Quæres. An uxor teneatur sequi virum ad coha- » bitationem? »

Resp. Teneri, quia vir est caput familiæ, & » uxoris: *Excipiuntur tamen sequentes Casus:* »

I. Si ex sequela timeatur onus, vel periculum, » v. g. vitæ, pudicitiæ vel salutis: vel uxor à viro » peregrè non alatur. »

II. Si vir post Matrimonium factus sit vagus, » nec facile sit sequi. Secus tamen, si ante fuit va- » gus, idque ipsa scivit. »

III. Si in contractu Matrimonii additum fuit » pactum de non mutando domicilio, & nulla gra- » vis necessitas urgeat. »

ADDENDA.

Quæst. 61. *Quid præterea sit notandum circa vin-* 402 *culum, & indissolubilitatem Matrimonii?* Resp. §. 1. Matrimonii inter fideles consummati vinculum esse indissolubile, de fide est contra hæreticos, uti constat ex *Florent. & Trid.* relatis *n.* 12. valentque ista etiam contra Græcos aliquos, qui teste Arcudio *l.*3. *c.* 6. adhuc sustinent Matrimonium esse solubile in casu adulterii. Et saltem viro licitum esse etiam quoad vinculum dimittere uxorem adulteram, putat Arcud. *cap.* 9. docuisse etiam *S. Ambros. Caj. Cathar.* Eandem dissolutionem Matrimonii quoad vinculum concessit aliquando Jus civile, etiam in pluribus casibus, quàm adulterii, uti refert Arcud. *c.* 18. sed ista nunc defendi non possunt post definitionem Conciliorum, quæ retuli *num.* 12. & probatur ex Scriptura, quia Christus *Matth. 5. & 19 Marci* 28. *Luc.* 16. præcipit indissolubilitatem, quod præceptum sic interpretatur Apostolus ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi*: & 1. ad Corinth 7. *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat*: ergo cùm Dominus præcipiat mulierem discedentem ex quacumque causa, si non reconcilietur, manere innuptam, manifestum est, voluntate viri non posse solvi vinculum, uti pluribus ostendi Arcud. *c.* 10. si enim solvi posset, nemo dicet præceptum divinum esse, ut tum maneat innupta, sed sicut vir, ita uxor posset soluto Matrimonio alium ducere, in hoc enim sunt pares vir, & uxor, uti ostendit Arcud. *c.* 20. Et ita Scripturas illas intelligunt SS. PP. etiam Græci, quos diligentissimè expendit Arcud. *à cap.* 11. usque ad 27. sic enim S. Aug. *cap.* 2. *de adult. conjug. c.* 4. *Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit, esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur.* Rationem dant Conc. Florent. & PP. cum Arcud. *c.* 15. quia secundùm Apostolum ad Eph. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesia*, id est, Sacramentum Matrimonii consummatum ideò magnum est, quia est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, ergo sicuti conjunctio Christi cum Ecclesia, est perpetua, & indissolubilis, quia tota Ecclesia simul nunquam peccat, ita etiam conjunctio Matrimonii consummati est perpetua, & indissolubilis.

Objì.

Obji. Christus *Matth.* 5. & 19. præcipit uxorem non dimitti, nisi ob fornicationem, qua exceptione videtur dicere, quòd ob fornicationem uxoris viro licitum sit hanc etiam à vinculo dimittere. Resp. n. ass. primis enim verbis significat dimissionem à toro, uti constat ex verbis Florentini *n.* 12. relatis. Et quando dicit, qui dimiserit, intellige in perpetuum quoad torum, nonnisi ob fornicationem, mœchatur, id est, facit mœchari, quia est causa mœchationis in uxore, secundùm illud Matth. 5. v. 32. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari,* si enim ipsa sit de se fornicaria, dimittens non est causa fornicationum, ideóque non solet concedi divortium perpetuum, nisi ob fornicationem, ob alias causas verò conceditur ad tempus. Itaque sensus Christi est: qui in perpetuum dimiserit uxorem quoad torum extra casum fornicationis, & qui ea sic dimissa aliam duxerit, mœchatur, & quidem dupliciter, imprimis quia in perpetuum dimittendo quoad torum est causa mœchationis in uxore dimissa, deinde quia ipse necdum soluto Matrimonii vinculo ducens aliam, ipsemet in se mœchatur. V. Arcud. *c.* 18. & 19.

Inst. 1. Pharisæi interrogabant Christum de dimissione quoad vinculum, ergo Christus censeri debet etiam de illa respondisse. R. De illa tantùm, n. de illa, & etiam altera quoad torum, c. plùs enim respondit, quàm interrogarint, & dixit, licere quoad torum dimittere propter fornicationem, & tamen sine adulterio non licere dimittere quoad vinculum. V. Arcud. *c.* 19.

Inst. 2. Jus canonicum dicit, uxorem adulteram non posse ducere alium: è contrà virum posse ducere quamcumque volet. Resp. Sensus est, virum posse mortua uxore, ubi è contrà uxor adultera nequidem viro defuncto potest alium ducere saltem in locis, in quibus lex illa usu recepta est. Plures objectiones videri possunt solutæ apud Arcud. *c.* 16. & 19.

403 § 2. *Mag. S. Bonav. Rich.* & alii putant, nequidem olim Judæis fuisse licitum repudium uxoris quoad vinculum, sed tantùm permissum, ut impunè fieret ad evitandum gravius malum, uti Christus Matth. 19. v. 8. innuit, *propter duritiam cordis eorum.* Sed S. Th. Scot. Mald. Abul. Abb. Bald. Sanch. *de primog. q.* 66. *n.* 25. Mastr. *n.* 55. aliique cum Pign. *to.* 8. *cors.* 93. probabiliùs dicunt, virum licitè ex causis potuisse dimittere uxorem quoad vinculum, quamvis uxor non posset dimittere virum, sed tantùm dimittit, & tunc poterat uterque alteri copulari, nam Scriptura, præsertim *Deuter.* 24. positivè approbat id à viris fieri, quòd autem dicatur id permissum à Deo propter duritiam cordis eorum, nimirum ne uxores suas occiderent, non sequitur, non esse permissum licitè fieri. Neque hoc carebat mysterio, nam significabat Christum repudiaturum synagogam, & loco ejus insolubiliter desponsandum suæ Ecclesiæ.

404 § 3. S. Thom. *in suppl.* §. 67. *art.* 1. *in o.* Sot. Vasq. Gob. Bellarm. Hurt. Pont. Castrop. Dicast. Avers. *q.* 2. *s.* 4. aliique apud Perez *d.* 20. *s.* 2. dicunt indissolubilitatem omnis Matrimonii oriri ex Jure naturæ; adeóque Matrimonia infidelium etiam Jure naturæ esse indissolubilia, quia de Jure naturæ non est licitus concubitus vagus, cùm id repugnet honestæ successioni, & educationi prolis, ergo de Jure naturæ non est licita solutio Matrimonii, ex hoc enim sequeretur licere concubitum vagum. E contrà *Perez*, aliique dicunt oriri ex institutione divina, ideóque docent Sanch. *l.* 2. *disp.* 13. Con. Laym. & alii, Matrimonium infidelium spectato Jure naturæ non esse indissolubile, maximè cùm Deus in antiqua lege dispensarit in eo, permittens libellum repudii, quod tamen non ampliùs licitum est, nequidem Judæis, quia lex vetus hoc tempore cessavit, multò minùs gentilibus cum quibus Deus nunquam dispensavit. Ratio autem dicendi non esse indissolubile Jure naturæ est hæc, quia *nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est* Reg. 35. ff. De Reg Jur. ergo manebit intrinsecè solubile per mutuum consensum. Quòd autem solutio quandoque repugnet fini Matrimonii, & bono prolis, tantùm probat non esse solubile per accidens, & ratione adjuncti incommodi, quod sæpissimè abesse potest, si nempè, conjuges sint steriles, vel proli sit provisum. Hinc *Lop.* aliique plures apud Sanch. *n.* 7. dicunt indissolubilitatem omnem oriri à ratione Sacramenti inter solos baptizatos initi, ideóque Matrimonia infidelium esse omninò solubilia. Glossa aliique Canonistæ apud eundem *Sanch.* dicunt oriri ex Jure ecclesiastico tantùm, cui cùm non subdantur nisi soli fideles, sola horum Matrimonia erunt insolubilia. Denique Stalen. *p.* 2. *c.* 8. Mastr. *n.* 59. Herincx, Spor. *n.* 250. dicunt indissolubilitatem Matrimonii fundari quidem in Jure naturæ quod vagos concubitus excludit, attamen omnimodam indissolubilitatem Matrimonii consummati haberi Jure divino ex ratione Sacramenti in nova lege, quia Deus per illud significari voluit indissolubilitatem unionis Verbi cum humanitate, unde quia per Matrimonium ratum tantùm significari voluit unionem Christi cum anima per gratiam; hinc Matrimonium ratum manet quibusdam casibus solubile, uti unio gratiæ manet per peccatum solubilis. Hæ omnes sententiæ videntur probabiles, sed ultima probabilior.

§ 4. Certum videtur, quòd legitimum Matri- 405
monium inter fideles dici debeat absolutè indissolubile, quia dissolvi non potest mutuo consensu contrahentium, juri enim illi resignarunt consentiendo in Matrimonium, quod ex natura sua exigebat perpetuam vitæ societatem. Deinde nec dissolvi potest authoritate Principis gentilis, cui Deus nullibi eam potestatem dedit. Nec authoritate Ecclesiæ, cui infideles subditi non sunt: imò si Judæi unnc inirent Matrimonium cum intentione dissolvendi ex causis, ob quas Deus olim concesserat dissolvi, tale Matrimonium foret irritum, quia nunc cessavit eorum lex, & eorum Matrimonia debent esse indissolubilia, sicuti Jure naturæ, vel divino talia sunt apud omnes alios infideles, Sanch. *l.* 10 *d.* 1 Pont. *l.* 7. 50. Avers. *q.* 3. *s.* 4. Pignat. *n.* 23. Ideóque addunt Sot. Nav. Suar. Sanch. *l.* 7. *d.* 7. *n.* 6. aliique cum Avers. *q.* 9. *s.* 1. contra Henr. nequidem respectu Judæorum vigere amplius legem veterem quoad impedimenta Juris positivi divini.

§. 5. Si unus infidelium conjugum ad veram 406
fidem convertatur, Matrimonium non dissolvitur præcisè per Baptismum conversi, nec per Papam dissolvi potest, ut probabiliùs tenent Authores cum Krim. *n.* 750. contra Nav & Sanch. Attamen ex Cap. *Quanto*, & Cap. *Gaudemus*, De divortiis, scimus tribus casibus posse, quamvis sit consummatum, dissolvi etiam quoad vinculum; ita volente, aut dispensante Deo, 1. Si remanens infidelis ideò nolit cohabitare converso, quia conversus est, nam Apostolus 1. ad Corinth. 7. v. 15. dicit: *Si infidelis discedat*, discedat: unde si ex alia causa discederet, v. g. quia conversus ante vel post conversionem commisisset adulterium, non ideò solvi posset vinculum. 2. Si infidelis velit quidem cohabitare, sed non sine injuria Creatoris, quia nempe blasphemat Christum, spernit fidem, verum Dei cultum impedit, pergit usurpare superstitiones infidelitatis, &c. 3. Si ex ejus contubernio immineat periculum perversionis, quia vel tentat conversum iterum pervertere, vel saltem ad peccatum mortale inducere, *in his* casibus potest conversus aliud Matrimonium inire, etiam non expectata sententia Judicis, Perez *d.* 36. *s.* 6 *n.* 5. Et hoc initio

dissolu-

dissolvitur prius Matrimonium, ideoque potest tum etiam infidelis inire aliud Matrimonium, ut habet communis cum Aversa *q.2.s.5.§. Dum*, contra S.Thom. & alios. E contrà, quamdiù conversus non inivit aliud Matrimonium, infidelis invalidè init aliud, quia tantùm conceditur, ut per aliud Matrimonium conversi solvatur prius Matrimonium. Notat etiam Pignat. *t.8. cons.* 100. quamvis viro converso mulier velit in infidelitate permanere, ei restituendam esse dotem, cujus saltem fructus debent esse ad ejus sustentationem.

407 §. 6. Additur Cap. *Quanto*, suprà: si post virum infidelem conversum convertatur etiam uxor, quòd vir, si necdum aliam duxerit, teneatur hanc recipere, & dicit Gl. *lit. F.* videri tunc esse novum Matrimonium. Itaque si ambo conjuges infideles convertantur, & baptizentur, neutri licitum est ab altero discedere, sed Matrimonium eorum per Baptismum fit ratum, & post consummationem post Baptismum factam etiam fit indissolubile, non aliter, ac Matrimonium fidelium, voluntque S.Thom Palud.Covarr. Bellarm.Lay. Valent. Tann.Sanch. *l.2 d.9.* Gob. *tr.10. n.390.* Aversa *q.1 s.6.* & alii plurimi, quòd etiam transeat in Sacramentum, quia tunc incipit significare indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, ergo hoc habet ratione Sacramenti, propter quod est absoluta insolubilitas. Sed contradicunt Vasq. Præpos. Dicast.Henriq. *l.2.q.2. n.10.* Mastr. *n.17.* Pont. *l.1. c.9. n.3.* quia omnia Sacramenta, præter Eucharistiam, consistunt in actione transeunte; hinc ratio Sacramenti in Matrimonio consistit in primo fieri intrinseco contractus, quod tum ampliùs non est, nisi merè habitualiter. Et quamvis Ledesm. Dur. Capreol. Henriq. Bellarm. Rebell. Platel. *n.1085.* dicant tum saltem fieri Sacramentum, si post Baptismum coram Parocho, & testibus renovent consensum, quia tum ponitur contractus matrimonialis inter fideles, tamen adhuc contradicunt Mastr. Castrop. Pont *n.9.* Krim. *n.* 35 1. cùm enim corpora sint anteà tradita, nec possint iterùm tradere quod suum non est, non ponitur nova materia vel forma contractus, sed tantùm verbotenùs renovatur antiqua voluntas, ergo videtur non poni jam posse Sacramentum, quamvis Ecclesia primum contractum ita ratificatum habeat veluti absolutè indissolubilem, rationem autem indissolubilitatis non esse præcisè ex ratione Sacramenti, patet, quia Matrimonium solummodò ratum est Sacramentum, & tamen est absolutè solubile.

408 §. 7. Ut constet de infidelis obstinatione, moneri debet, & interrogari, an velit converti: Pont. *tamen l.9.c.4.* Aversa *q.2.s.5.* Pignat. *n.24.* dicunt S. Pium V. & Gregor. XIII. declarasse, si conversus in his partibus habeat conjugem infidelem in loco remotissimo, unde non possit resciri ejus voluntas, conversum validè contrahere cum alia, quia infidelis præsumitur non velle converti, aut non cohabitare sine contumelia Creatoris vel scandalo: ut tamen licitè fiat, Gregorius insinuat requiri dispensationem Pontificiam. Videri potest Pignat. *etiam to.4. cons.* 189. *à n.7.*

409 §.8. Si infidelis nolens converti vellet pacificè sine contumelia Creatoris, & periculo peccati remanere cum converso, *S.Th. S.Bonav. Dur. Nav. Tol. Rebel. Pont.* aliique multi dicunt, conversum non posse recedere, aut dissolvere vinculum, quia Apostolus 1. ad Corinth. 7. v.12. dicit: *si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier &c.* & idem videtur colligi ex Cap. *Gaudemus*, cùm nulla adsit ex causis ob quas dicitur solvi posse vinculum. Contra dicunt probabiliter Sanch. Con Dian. & alii cum Aversa *q.2.s.5.* nam Apostolus præmittit, *cæteris ego dico, non Dominus, &c.* itaque pro eo tempore Apostolicum consilium erat, ut permanerent, propter spem conversionis, nunc autem videtur consuetudine, quæ vim legis habet, esse inductum ut ob periculum perversionis, quod communiter remanet, non liceat simul manere, sed possit conversus recedens aliud Matrimonium inire.

§. 9. Si infidelis conversus inscia uxore profitea- 410
tur in Religione, putant Led. Henr. Sanch *l.7.d.76. n.9.* professionem fore validam, quia sicut Matrimonium fidelium ratum solvitur per professionem, ita videtur solvi Matrimonium quamvis consummatum infidelium, cùm sit magis solubile, quam ratum fidelium. Contradicunt Abul.Con.Hurt. Perez, Pont. *l.7. c.48 n.19.* Pignat. *to.8. cons.77.* nam de privilegio Christi respectu Matrimonii consummati infidelium nihil scitur ex Scriptura, vel traditione.

§. 10. Matrimonia hæreticorum vel sunt nulla, 411
vel sunt omninò indissolubilia, non aliter ac Catholicorum, quia omne Matrimonium baptizatorum, per se loquendo, est Sacramentum, & indissolubile. Hæretici enim illi contrahentes, aut saltem unus illorum, vel expressè intendit non contrahere, nisi civiliter tàtùm, & dissolubiliter quod vix censeri debet, tumque tales contractus non sunt Matrimonium, quia deest consensus requisitus ad substantiam Matrimonii: vel generaliter, & per intentionem prævalentem intendunt contrahere, sicut fideles contrahunt in vera Ecclesia, & sicut Christus instituit, quod ordinariè præsumi debet, quamvis per errorem privatum, nolint contrahere, sicut contrahitur in Romana Ecclesia, ideóque nolint rationem Sacramenti, vel indissolubilitatis, tumque talia Matrimonia sunt valida, & vera Sacramenta, ac omninò indissolubilia, uti dictum est *l.6. p.1. à n.69.* attamen potest intentio prævalens contrahentium ita restringi, ut nolint contrahere, nisi dissolubiliter, & tum Matrimonium est nullum, uti dixi hic *n.* 252.

§. 11. Matrimonium inter fideles ratum dissolvi 412
non potest mutuo cõsensu, uti certum est: Nec per impotentiam supervenientem, uti dicetur *n.*801. Nec per susceptionem Ordinis sacri, uti expressè declarat *Joannes XXII.* Extrav. *Antiquæ.* De voto. Attamen ex privilegio Christi dissolvi potest per professionem religiosam, secundùm declarationem Trid. *sess.24. de Matr. Can.6* uti etiam ex declarationibus plurium Pontificum ostendit Sanch. *l.2.d.18.n.3.* ita ut per professionem, etiam post 20. annos priùs post Matrimonium ratum, ab uno factam cesset omninò vinculum Matrimonii in utroque, possintq; alter in sæculo remanens contrahere cum alio. Putantque *Sot.* & alii posita professione Matrimonia illa dissolvi à Deo ipso: V. Bellar. *to.2.de Monachis l.1.c.38.* & Aversa *q.2. s.6.* Valentq; dicta etiam respectu professionis in ordine Melitensi, Sperell. *dec.21. n.45.*

§.12. Quamvis Gregorius XIII. in Bulla, *Ascendente* 413
Domino, innuat, vota simplicia in Societate SESU habere eandem vim, quam habet religiosa professio in aliis Regularibus, tamen non intelligit quoad omnia, cùm non dent talem indissolubilitatem, sed tantùm in ordine ad constituendum Religiosum, & vim dirimédi Matrimonium, uti *n* 579 dicetur, hinc quia vota illa non dissolvunt Matrimonium ratum, quidquid contradicat De Justis *l.2.c.14. d.*106. si quis in Matrimonio rato constitutus admitteretur, ne uxori fieret injuria, deberet ipsi permitti, ut post primum annum Novitiatus ederet professionem & sic dissolveretur Matrimonium.

§. 13. Quamvis indissolubilitas Matrimonii 414
etiam tantùm rati sit de Jure divino, tamen docent 60. gravissimi Auctores cum Sanch. *d.14. n.2.* Aversa *qu.2. s.6.* De Luca *D. Matrim. d.9.* & ad Trid. *d.27. n.16.* Arcud. *l.7. c.16.* Gob. *tr.10. n.691.* Carden

in 1.

in 1. *crisi diff.* 19. *n.* 157. Sporer *n.* 352. Mastr. *n.* 62. contra Scot. S. Bonav. Covarr. Turrecrem. Gutt. Castrop. Pont. quòd Matrimonium ratum, si adsit justa causa, possit ex concessione divina quoad vinculum dissolvi per dispensationem Pontificiam: leguntur enim sapientissimi Pontifices decem sic dispensasse, teste Pignat. *to.* 1. *cons.* 148. ubi etiam refert sic declarasse sacras Congreg. cùm enim possint dispensare in professione religiosa, per quam dirimitur Matrimonium ratum, cur non possint in Matrimonio ipso? imò Baunius putat, nisi Pontifex id prohibuisset, posse etiam Episcopum dispensare in tali Matrimonio, quia secundùm ipsum, & alios multos, quod Pontifex potest in Ecclesia tota, potest, per se loquendo, Episcopus in sua diœcesi, exceptis definitionibus circa fidem, & mores, quam sententiam Mendo *diff.* 12. *qu.* 2. dicit esse probabilem, sed id communiter non admittunt alii. Quod autem Pontificem attinet, videri potest quæstio illa in utramque partem fusè disputata apud Krim. *à nu.* 1611. qui *nu.* 1649. concludit, spectata praxi Pontificem id posse: & De Luca *d.* 7. putat causam sufficientem esse, si alio Matrimonio inito, & consummato inter personas illustres sequeretur infamia, & scandalum, si staretur altero Matrimonio rato. Alias causas affert disc. 9. Imò docet De Justis apud Krim. *num.* 2184. sufficere pro dissolvendo Matrimonio rato, quod in tenera ætate contraxerint, cùm facilè potuerint decipi, & nunc incipiant sibi displicere; sed meritò contradicunt alii. Qui autem dicunt licitè contrahi aliud Matrimonium ex vi talis dispensationis in primo, debent, propter dicta à *num.* 38. consequenter dicere, per istas dispensationes, & declarationes factam esse sufficientem certitudinem practicam talis sententiæ.

Objic. Christus *Matth.* 19. prohibet Matrimonium dissolvi, nam dicit, *quod Deus conjunxit, homo non separet*, & quòd loquatur de Matrimonio etiam rato tantùm, probatur, nam loquitur de Matrimonio, quale fuit inter Adam & Evam, *Genes.* 2. sed hoc fuit tantùm ratum, nam priùs post peccatum *c.* 4. cognovit Evam, ergo. Resp. Prohibet dissolvi authoritate humana, c. divina, n. Hanc enim Deus concessit Ecclesiæ, uti constat à posteriori, cùm Ecclesia sæpè fecerit. An autem Matrimonium ratum dissolvi possit per Judicem, propter adulterium cum alieno, dicetur *n.* 429.

Inst. Matrimonium consummatum dissolvi non potest, secundùm dicta *n.* 402. ergo nec ratum, nam non differunt essentialiter. Resp. differre essentialiter in ratione significationis, nam secundùm dicta *num.* 402. consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, item conjunctionem Verbi cum humanitate, quæ conjunctiones perpetuæ sunt, & indissolubiles: è contrà ratum significat conjunctionem Christi cum anima justi, quæ solubilis est per peccatum mortale. Vide Arcud. suprà.

415 §. 14. Posita dispensatione Pontificis circa Matrimonium, dicendum est, quòd vi illius dispensationis possunt conjuges recedere ab illo Matrimonio rato, & validè, atque licitè transire ad alias nuptias, quia contrahentes tantùm se obligant, quantùm possunt, ad non resiliendum à contracto, qui est ex natura sua, & ex parte contrahentium indissolubilis, non cedunt autem jure suo ad dissolutionem, quæ est ab extrinseco, v. g. per professionem religiosam, aut per dispensationem Pontificiam, voluntas enim habendi talem indissolubilitatem in Matrimonio rato effet, vel contra voluntatem Christi volentis, ut dissolvi possit per professionem religiosam, vel contra praxin Ecclesiæ etiam dispensantis in ejus vinculo dissolvendo. Ergo posita dispensatione Pontificia licitè ineunt aliud Matrimonium, Carden. *n.* 171 Itaque in casu, quo quis Matrimonio rato per dispensationem Pontificiam dissoluto iniret & consummaret secundum Matrimonium, primum Matrimonium maneret tantùm speculativè probabiliter validum, quia non est probabile, quòd ambo Matrimonia simul maneant valida quoad praxin, ob incompossibilitatem duplicis Matrimonii validi, ergo secundum Matrimonium, quoad praxin evadit certò validum, & indissolubile, Carden. *n.* 177.

§. 15. Quamvis Matrimonium consummatum in 416
veteri lege fuerit aliquando dissolutum per dispensationem divinam, uti docent S. Th. Alb. M. S. Anton. aliique plurimi cum Averf. *q.* 2. *f.* 5 contra Magistrum, S. Bonav. & alios, tamen nunc in nova lege semel consummatum inter infideles, nec per professionem religiosam, nec per dispensationem Pontificiam dissolvi potest, quia mens contrahentium, secundùm Christi institutionem erat, ut si fuerit consummatum, absolutè nullo modo dissolvatur, qualem intentionem non habent, quam sua manet ratum tantùm, & non consummatum, Carden. *an.* 165. In rarissimo tamen casu, quo inter vivos, sexus unius conjugis mutaretur, desineret Matrimonium etiam consummatum, quia constat non esse nisi inter marem, & fœminam.

§. 16. Cùm Matrimonio necessariò conveniat in- 417
dissolubilitas vinculi, putat Carden. *in* 1. *crisi d.* 19. nullum Matrimonium posse esse meritò probabile quoad praxin, sed omnia esse vel certò valida, vel certò invalida, quia indissolubilitas Matrimonii etiam solummodo rati de se postulat, ut conjuges contracturi suam libertatem obligent ad illud perpetuò retinendum, quantùm possunt, & reipsa sic se obligant etiam, quando contrahunt juxta opinionem tantùm probabilem de valore Matrimonii, aut dispensationis, etiam in casu, quo ignorarunt probabilitatem nullitatis, de qua postea incidit dubium, adeoque se obligant ad cedendum omni jure, quod qualiscunque probabilitas daret in ordine ad deferendum tale Matrimonium, ergo sic contractum secundùm opinionem probabilem, aut de quo postmodùm speculativè probabiliter putatur, quòd sit invalidum, reverà debet in praxi censeri certò validum. Hinc quamvis multi cum Sperell. *dec.* 95. *n.* 25. putent standum esse opinioni communi, etiam quando agitur de valore Matrimonii sustinendi, tamen plures cum Sanch. *l.* 1. *d.* 18. probabiliter dicunt præferri opinionem etiam minùs communem stantem pro valore.

§. 17. Morte dissolvitur Matrimonium etiam con- 418
summatum, unde si unus conjugum, anteà mortuus resurgeret, non amplius essent conjuges, & si esse vellent, de novo foret contrahendum, S. Thom. ex 1. ad Corinth. 7. v. 39. *Si dormierit vir ejus, liberata est a lege viri.* Idem docent Theologi communissimè cum Gob. *tr.* 10. *n.* 680. & ratio à priori est, quia mens contrahentium fuit obligare se, usquedùm alteruter moreretur, extendebatur ad casum miraculosum, qui probabiliter videri non poterat.

Quid dicendum sit, si contrahentes intendant Matrimonium indissolubile, & expresse nolint Sacramentum, dixi *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 72. An autem ratio Sacramenti sit reipsa separabilis a ratione contractus Matrimonialis inter fideles, dixi hic *à n.* 275.

Q. 62. *Quid notandum sit circa tempus bimestris,* 419
quod conceditur conjugatis? Resp. §. 1. Cap. *Ex publico*: De convers. conjug. conceduntur duo menses conjugibus ante consummatum Matrimonium pro deliberatione, an velint Religionem ingredi. Hoc tamen non obstante uterque primo illo bimestri licitè potest debitum, quod alter etiam licitè negat, si velit uti jure sibi concesso. Intelligitur autem bimestre

ante ingressum in Novitiatum. Quòd si ultra bimestre maneant sine consummatione Matrimonii, manent liberi ad ingressum, etiamsi illicitè negassent sibi debitum. Sanch. Laym. Gob. *t.* 10. *n.* 689. Si autem alteruter ingrediatur, alter expectare debet professionem alterius, antequam contrahat cum alio, & secuta professione Matrimonium illud ratum planè dissolvitur, uti dictum est *n.* 412.

420 §. 2. Navar. Angel. Con. Hurt. Laym. Castrop. Perez, Spor. *n.* 252. probabiliter dicunt privilegium illud concedi tantùm conjugi, qui cogitat vel deliberat de statu religioso, ideóque si nollet ingredi, putant teneri reddere debitum, quia Canones tantùm permittunt cogitanti ingredi, & in favorem Religionis; sed valdè probabiliter contradicũt S. Th. S. Bonav. Sách. *l.* 2. *d.* 24. *q.* 5. Pont. Dian. Tamb Aversa. *q.* 21. *s.* 6. Burgh. *cen.* 1. *cas.* 17. quia quamvis de facto nil cogitet de Religione, posset interea mens illa incidere, & nunc utitur tempore sibi concesso; electio autem status Religiosi conceditur Cap. *Ex publico*, non tantùm pro illo bimestri, sed etiam post illud, quamdiù Matrimonium non est consummatum, Con. Krim. *n.* 643.

421 §. 3. Si vir ante evolutum bimestre vi obtineat copulam, graviter peccat, non contra castitatem, sed justitiam. Putant autem S. Anton. Sot. & alii, uxorem tum non posse ingredi Religionem, nam jus ideò permittit post Matrimonium ratum, quia hoc dissolvetur per professionem, sicque poterit vir ducere aliam, hoc autem jam fieri non poterit, quia secundùm dicta *n.* 282. & *n.* 402. Matrimonium consummatum est, & factum omninò indissolubile, Abb. Sylv. Palud. Arm. Laym. Sporer *n.* 252. & alii probabilius dicunt posse profiteri in Religione inter viduas, vel conjugatas, non vi privilegii, quod concessum est Matrimonio rato, sed quia vir talis tenetur reparare damnum causatum, ergo tenetur consentire, ut mulier profiteatur, quia damnum aliter reparari non potest. Quod admittit etiam Ledesm. Sanch. Aversa. *qu.* 23. *s.* 10. contra Sylv. & Arm. quamvis sola metu gravi esset coacta, quia ipsa ob alterius scelus non debet privari jure suo, neque ille ex suo scelere reportare jus retinendi hanc uxorem: quod autem usque ad mortem professæ manere debeat tanquam cælebs, imputet suo sceleri, quo injustè consummavit hoc suum Matrimonium. Si tamen mulier facta esset gravida, putat Krim. *n.* 465. per accidens impediri ab ingressu Religionis, quia recta educatio prolis vix fieri poterit sine matre.

422 §. 4. Si conjux tantùm ideò eligat Religionem, quia alter ei displicet, secundùm Tamb. & Spo. non peccat, quia utitur jure suo; nec refert, quòd alter fortè patiatur gravia incommoda, eò quòd v.g. difficulter inveniat novum maritum, id enim non tollit jus alterius, & uterque contraxerat cum implicita illa conditione, habebatque uterque parem potestatem resiliendi, unde nulla fit injuria alteri, sed nec charitas obligat ad cavenda damna alterius cum gravi suo incommodo.

423 §. 5. Scot. Caj. Angel. Pont. *l.* 6. *c.* 12. *n.* 5. aliique dicunt, eum non peccare, qui voto castitatis, vel Religionis obstrictus init Matrimonium, intendens intra bimestre Religionem ingredi, quia utitur jure suo. E contrà peccare mortaliter dicunt S. Anton. Sylv. Sot. Henr. Con. Sanch. *l.* 1. *d.* 43. *n.* 7. Castr. *d.* 4. *p.* 2. aliique cum Aversa. *q.* 10. *s.* 4. Mastr. *n.* 91. tum quia decipit alterum in re gravi, valdè molesta, & communiter multũ damnosa, tum ob alias rationes, ob quas dixi *n.* 194. illum peccare mortaliter, qui contrahens sponsalia vult, aut post sponsalia vovet ingredi Religionem, & init Matrimonium cum animo ingrediendi. An autem ille, qui ante, vel post Matrimonium ratum vovit castitatem, possit primo bimestri reddere debitum, dixi *n.* 361.

§. 6. Illicitum est viro ante consummationem Matrimonii rati invita conjuge suscipere sacros Ordines. *Nec obstat*, quòd secundùm jam dicta conjux ante consummationem possit invito altero transire ad Religionem, *nam* dispar est ratio, tum quia professio dirimit Matrimonium ratum, non item Ordo sacer, uti declaravit *Joannes XXII.* in Extrav. *Antiquæ*, tum etiam, quia utrique conjugi est æqualis potestas ad Religionem, non autem ad Ordinem, Castrop. *d.* 3. *p.* 6. §. 11. *n.* 7. notans cum Sanch. & Gutt. non sufficere dissimulationem, sed requiri expressam licentiam, ut vir ante, vel post consummatum Matrimonium possit suscipere Ordines. 424

§. 7. Copula quæ præcessit Matrimonium, non consummat illud, uti dictum est *n.* 278. hinc uterque adhuc primo bimestri potest Religionem ingredi, Gob. *n.* 690. Quandonam autem Matrimonium consummetur, dixi *à n.* 278. Quid autem censendum sit in dubio, an Matrimonium sit consummatum, item si vir affirmet, & mulier neget, vel contrà, dixi *n.* 283. 425

Q. 63. *Quid præterea sit addendum circa divortium?* R. §. 1. Divortium unde dicatur, dixi *n.* 7. Posse autem fieri divortium, definit *Trid.* cujus verba retuli *n.* 12. Christus ipse *Matth.* 5. & 19. statuit uxorem sic dimitti posse propter fornicationem, per quam intelligitur adulterium: & idem statuitur Jure canonico Cap. *significasti*. Cap. *Gaudemus*. Cap. *Ex litteris*. De divortiis ac alibi sæpè. Imò id ob causam adulterii de Jure naturæ esse, & semper fuisse docent gravissimi AA. cum Aversa. *q.* 23. *s.* 1. 426

§. 2. Divortium Matrimonii etiam tantùm rati fieri non potest quoad vinculum sine judicio Ecclesiæ, etiamsi impedimentum dirimens esset publicum, & notorium. *Nec obstat*, quòd Cap. *Evidentia*. De accusat. & Cap. *De manifesta* 12. *quæst.* 1. dicatur, notorium probatione non indiget, *nam* hoc non obstante in hac materia expressè statuitur, Cap. *Porrò*, De divort. quòd si etiam parentela esset publica, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non poterit. Ratio est, quia cùm authoritate publica Ecclesiæ contractum sit, decet, ut authoritate ejus publica dissolvatur, secundùm Cap. *Omnes* 27. *q.* 2. maximè cùm aliquando plura dicantur notoria, quæ verè non sunt, Cap. *Consuluisti*, 14. de appellat. 427

§. 3. Ad faciendum divortium Matrimonii etiam tantùm rati quoad vinculum, requiritur ut Judex habeat duos testes omni exceptione majores, qui de impedimento deponant: nec sufficit testimonium utriusque conjugis dicentis ante Matrimonium contractam fuisse, v.g. affinitatem per fornicationem cum consanguinea; nam possent hi conjuges colludere contra Matrimonium, hinc aliæ debent accedere rationes rationabiles, & fide dignæ. Si tamen uterque vel etiã unus, qui desideraret Matrimonium esse validum, fateatur impedimentum, declarari potest nullitas Matrimonii, cùm quivis præsumatur in præjudicium suum loqui veritatem: non sufficit tamen fama de impedimento. Et licèt testimonium matris dicentis sponsum esse consanguineum sponsæ sufficiat ad impedimentũ, ne Matrimonium contrahatur, tamen non sufficit, ut contractum declaretur esse irritum, Schild. *t.* 6. *c.* 7. §. 7. probans hæc omnia ex Jure, & ratione, addens pro divortio quoad tuorum sufficere concessionem, quam de adulterio à se commisso facit ille conjux, qui divortium nollet. 428

§. 4. Caj. aliique apud Aversa. *qu.* 2. *s.* 4. putarunt Matrimonium non tantùm ratum, sed & consummatum posse quoad vinculum dissolvi propter adulterium, sed ex dictis *n.* 12. & 402. oppositum est certum ex Conciliis, & Patribus, etiam apud Mendo *diff.* 12. *n.* 11. & Aversa. suprà, ac clarè definit Trid. relatum *num.* 12. adulterium enim est tantùm causa justè negandi 429

gandi debitum, & petendi divortium.

§. 5. Si conjux unus agat contra alterum ad dis-
410 solutionem Matrimonii, aliqui voluerunt Judicem competentem esse solum Episcopum loci, in quo contractum est Matrimonium, 1. quia per contractum in aliquo loco celebratum sortitur quis forum. 2. Quia ligati sunt authoritate hujus Episcopi, ergo eadem solvi debent. E contra Krim. *n.* 1660. probabiliùs dicit Judicem hic competentem esse etiam Episcopum domicilii, hujus enim jurisdictioni etiam subjacet, & nihil novi est, quod quis habeat in pluribus locis forum. Hinc Resp. *ad* 1. non ideò excludi Episcopum etiam domicilii, si apud hunc conveniatur. *Ad* 2. Non Episcopus, sed conjuges ipsi propriè se ligarunt, nec tamen se solvere possunt, uti constat ex dictis. Quod si post divortium coram Judice laico agatur de restitutione dotis, *L. Exigere dotem* 65. ff. de judiciis statuitur, ut non spectetur locus contractus, nec domicilium uxoris, sed mariti.

431 §. 6. Caj. quamvis *tom.* 1. *opusc. tr.* 19. se correxerit, tamen *in cap.* 19. super *Matth.* docuerat, non licere uxori divortium à viro, ob hujus adulterium. 1. Quia repudium in lege veteri, cui in nova successit divortium, conveniebat solis viris. 2. Quia Christus *Matt.* 5. & 19. loquitur de solis viris. 3. Quia uti aliqui volunt, consuetudo habet, ut hoc non concedatur uxoribus. Hanc sententiam Sanch. *l.* 10. *d.* 3. & Sperell. *dec.* 140. *n.* 3. vocant falsam, & temerariam, tenentque oppositum Conc. PP. S. Th. & Theologi passim cum Beja *p.* 2. *cas.* 26. Pignat. *t.* 9. *cons.* 139. *à n.* 122. Avers. *s.* 1. hinc Can. *Christiana*, 32. qu. 5. dicitur, *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat ..... vir utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur ....., neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus.* Ratio autem est, quia licèt non ita censeatur fœdum in viro, tamen leges pœnales non ita accuratè ponderant quantitatem culparum, satis enim est in utraque esse sufficientem causam pœnæ. Unde Resp. *Ad* 1. Divortium non in omnibus successit repudio. *Ad* 2. Christus expressit de viris solis: fortè quia fœminæ frequentiùs in hoc delinquunt. *Ad* 3. Non esse consuetudinem contrariam, constat ex praxi.

432 §. 7. Ut per Judicem decernatur separatio, debet adulterium probari saltem per propinquas, & violentas præsumptiones, uti cum communi Sanch. *l.* 10. *d.* 12. de Luca *de Matrim. d.* 13. & fusè Sperell. *dec.* 140. *à n.* 8. Videri possunt etiam, quæ dixi *l.* 4. *à n.* 1434. De præsumpt. & probat. Et verbo hic insinuandum est, quòd adulterium prohibeatur in judicium deduci, nisi ad instantiam mariti, Patris vel fratrum, quorum querela non debet esse extorta, sed libera, aliàs inquisitio est irrita, uti ex Jure & authoribus probat Pignat. *to.* 9. *cons.* 153. Prætereà notandum est, accusationem adulterii posse esse vel criminalem, si fiat ad pœnam seu vindictam publicam, vel civilem, si fiat ad divortium, aut privationem dotis, vel purè denunciativam, quæ potest esse, aut charitativa, si fiat tantum ad impediendum peccatum, aut canonica, si ad impediendum v. gr. Matrimonium cum affine, aut promotionem ad Beneficium. Et pro majore præjudicio, quod provenire potest ex diversis istis accusationibus, requiritur etiam major certiorque probatio, sic enim ad denuntiativam sufficit semiplena probatio per testem unum, vel per famam nixam probabilibus indiciis: ad civilem requiritur plena: ad criminalem plenissima, Krim. *à n.* 2441. Quamvis autem accusatio adulterii ad pœnam aliam præscribatur lapsu quinquagennii, tamen nunquam præscribitur in ordine ad petendum divortium, Sanch. Pignat. *to.* 9. *cons.* 139. *n.* 125.

433 §. 8. Si uxor malè, & injustè tractata sit quasi ejecta à viro, etiam negante alimenta, & conjugale debitum, idcóque abiens in eo exilio fiat adultera, virum adhuc posse facere divortium, dicunt Sanch. Dic. *d.* 8. *n.* 37. Burgh. *cit.* 3. *cas.* 37. nam ita videtur decidi Cap. *Significasti* & Cap. *Ex litteris.* De divo. quia vir per hoc, quòd causâ adeò remotâ adulterii dederit, non censetur in illud consensisse, vel intendisse, Oppositum tenent S. Th. Angel. Ledesm. Covar. Vega, Tiraq. & alii: sic enim de denegante debitum dicitur Can. *Si tu*, 27. q. 2. *si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ*, idem autem est in casu sævitiæ, ejectionis vel negatorum alimentorum. Avers. *s.* 3. & Krim. *à n.* 1534. rectè conciliant has sententias, & tenent cum prima, si vir non intenderit, neque prudenter prævidere potuerit adulterium uxoris: è contrà, si intendetit, vel prudenter prævidere potuerit, tenent cum secunda, sic enim valent textus, & rationes pro utraque sententia adductæ. Et ideò Tabern. & Krim. *à n.* 2428. rectè concludunt, si alteruter conjux per longum tempus, v. gr. per 5. aut 6. menses contra justitiam negarit debitum alteri conjugi, quem satis sciebat ideò fore in periculo proximo incontinentiæ, censeri causam secuti adulterii, ideóque non posse propterea petere divortium.

§. 9. Etiam tum non licet expellere adulterantem, 434
quando ab altero conjuge data est adulterandi facultas expressè, vel tacitè, Avers. *q* 23. *s.* 3. Hinc si vir, cùm possit absque gravi incommodo, non prohibeat adulterium uxoris, censetur consentire, L. 2. Cod. Ad L. Juliam. De adult. Oppositum tamen de uxore dicunt Sanch. Tanc. Caspens. Krim. *n.* 1541. quia uxores non habent authoritatem illam; nec communiter audent corripere viros, ergo, quamvis taceant, non ideò censentur consentire. Contradicunt valdè probabiliter Avers. & Mastr. *n.* 131. quia vir, & uxor quoad debitum conjugale sunt pares, & si uxor audeat virum ejicere, magis deberet corripere.

§. 10. S. Bonav. Durand. Palud. Sanch. Castr. Goner. 435
c. 9. *q.* 13. Krim. *n.* 1528. & Juristæ multi dicunt, ad pœnam divortii sufficere, si adulterium sit commissum, etiam ex metu gravi, quia quamvis metus gravis aliquando excuset à pœnis Jure humano statutis, non tamen ab hac, quæ uti *n.* 426. insinuatum est, quasi de Jure naturæ consequitur hoc delictum. Oppositum tenent Abb. Sylv. Rosell. Tabien. Graff. Avers. *q.* 23. *s.* 3. qui extendunt etiam ad casum, quo mulier præ verecundia, & metu infamiæ non clamaverit, quia Can. *Propositio*, 32. *q.* 1. dicitur de Lucretia gravi metu compulsa ad adulterium, *mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium unus commisit:* unde videtur colligi, quòd copula ex tali metu facta non censeatur pro foro externo adulterium. Hæc sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior. Quòd si uxor violentè esset cognita, esset adulterium tantùm materiale, nec ideò ejici posset.

§. 11. Docet Goner. *cap.* 9. *qu.* 8. divortium pari, & 436
concedi posse etiam propter pollutionem, quia hæc videtur generaliter venire nomine fornicationis, refertque pro eo S. Aug. S. Th. S. Bonav. Tostatum, Abbatem; sed Sanch. *l.* 10. *d.* 4. aliique plurimi cum Bubemb. & Mastr. *n.* 129. meliùs negant, quia per hanc non dividitur caro cum aliena per concubitum, quæ est ratio faciendi divortium ob fornicationem Fatentur tamen valdè probabiliter S. Th. S. Bonav. Durand. Con. Tam. Hurt. Bonac. Sperell. *dec.* 140. *à n.* 40. sufficere sodomiam cum tertia persona; quod extendunt multi cum Busemb. & Krim. *n.* 1525. etiam ad bestialitatem, quamvis præter citatos à Busemb. contradicant Inn. III. Pont. & Avers. *s.* 1. eò quòd ista non sit copula apta ad generationem, per quam spuria pro-

les in domum, vel familiam alterius conjugis induci possit; quod videtur directiùs repugnare Matrimonio: & sicuti ista scelera non sufficiunt ad inducendam affinitatem, vel irregularitatem bigamiæ, ira nec videntur ipsis sufficere ad divortium: sed ratio nostra est, quia per ista verè dividitur caro, & adulterans sit una caro cum altera persona vel bestia, & quidem maximè contra naturam, Mastr. suprà agnoscit utramque sententiam esse probabilem.

437 §. 12. *Si* adulterium sit certò commissum, divortium quoad torum, sive denegationem debiti, quæ actio privata est, fieri potest authoritate propria, uti habet communis cum S.Th. De divortio etiam quoad habitationem, cùm hoc sit quid publicum, est major difficultas, nam saltem quamdiu adulterium est occultum, docent S.Th. S.Bonav. S.Anton. Durand. Bellarm. Becan. Sperell. *dec.* 138. Avers. *s.* 2. & alii multi, fieri non posse authoritate propria, quia ita videtur statui Can. *Sæculares* 32. qu. 2. Can. *Multorum* 33. qu. 6. Can. *Porrò*. De divort. Et Rationes sunt 1. Qui Matrimonium tale publica authoritate Ecclesiæ celebratum est, ergo sine ea non est ab eo recedendum. 2. Quia quoad publica, nemo in propria causa debet esse Judex. 3. Quia divortium tale est pœna publica, ergo debet provenire à Judice. Excipiunt aliqui, si nocens ad vitandam infamiam sua sponte vellet cedere: alii addunt, si innocens probare non posset in foro externo, dicunt enim tum communiter omnes posse clàm se subducere, prætexendo negotia alibi, per hoc enim nocenti nullam injuriam facit. E contrà innocentem invitio etiam nocente absolutè posse separare se etiam quoad habitationem docent Nav. Sot. Henriq. Rebell. Con. Regin. Bonac. Castrop. Dicast. Sanch. *l.* 10. *d.* 12. *n.* 31. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 38. Krim. *n.* 1544. quia Christus, supremus Judex, *Matth.* 19. videtur absolute dare facultatem dimittendi propter fornicationem, neque ullum aliud Jus clarum dicit expectandam esse sententiam alterius Judicis humani, maximè cùm secundùm dicta *n.* 426. id de Jure naturæ licitum sit. Accedit, quòd conditio ad retinendam obligationem Matrimonii etiam ex authoritate Ecclesiæ sit non divisio carnis, ergo hac divisione facta, non manet obligatio. Denique jus divortii nascitur ex delicto, & non ex publicitate, ergo posito delicto, etiam occulto, est jus ad divortium; Et ideò Sanch. Pignat. *to.* 9. *cons.* 139. *n.* 124. docent uxorem innocentem posse recedere à domo mariti, nec reverti, nisi expulsa concubina. Sententia hæc est probabilis pro foro conscientiæ, attamen altera S. Th. videtur probabilior: & in utraque sententia Judex à nocente imploratus debebit innocenti mandare, ut redeat, donec probet alterius delictum, Cap. *Litteras*, & in simili Cap. *Ex conquestione*, De rest. spoliat. fateturque hoc etiam Sanch. *à n.* 16. & pluribus ostendit Sperell. suprà.

438 §. 13. Si adulterium uxoris sit certum, & publicè notorium potest vir invita uxore, & propria authoritate non tantùm ingredi Religionem uti habetur Cap. *Significasti*, De divortio, sed etiam suscipere sacros Ordines, uti cum communi Sanch. *l.* 10. *c.* 11. *n.* 16. Pont. Perez, Pign. *to.* 8. *cons.* 133. Tum autem etiam censetur hîc esse notorium, si sint probationes in promptu. Plura de probatione adulterii habet Pignat. *tom.* 10. *cons.* 3.

439 §. 14. Si ex divortio oriatur scandalum, uti fieret communiter ex eo, quòd Matrimonium privata authoritate dissolveretur, vel quoad vinculum, vel quoad habitationem, in omnium sententia debet dissolutio fieri authoritate Ecclesiæ, ut sic obvietur scandalo, quod maximè valet in casu dubii de causa divortii, tum enim est possessio pro Matrimonio quoad omnia servando.

§. 15. Hæresim Matrimonio supervenientem sufficere ad divortium habetur Cap. *Quæsivit*, Cap. *De illa*, Cap. *Quanto*, De divortiis, Cap. ult. De convers. conjug. & alibi: Attamen rectè negat *S. Th.* in 4. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 3. *procedi posse ad divortium propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur*, debet enim esse hæresis, quia significat pertinaciam, & sufficit ad separationem, non tantùm quoad habitationem propter periculum perversionis, sed etiam quoad torum, *quia* inquit S.Th. suprà, *est contra Matrimonii bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei*? Potestque pars catholica recedere authoritate propria, quia Cap. *De illa*, De divortiis dicitur, mulierem, quæ absque judicio Ecclesiæ à viro in hæresin lapso recesserit, esse reddendam, quando vir ad fidem redierit. Et additur, illo casu esse compellendam, ut ad illum redeat: unde licèt vel ipsa Religionem, vel vir sacrum Ordinem suscepisset, redire deberet ad conversum, attamen si judicio Ecclesiæ facta esset separatio, catholicus non teneretur recipere conversum, sed posset mutare statum, aut etiam in sæculo sic permanere separatus, uti habetur Cap. *De illa*, docentque Gonz. Pont. Krim. *à n.* 1554. contra Barb. Hæreticus tamen conversus non posset sine consensu catholici mutare statum; quòd si mutasset, posset ab illo revocari. Hæc omnia pluribus deducit Avers. *s.* 9. citatque Authores in oppositas sententias hîc valdè divisos. 440

Objic. Christus *Matth.* 5. & 19. dicit, viro non licere dimittere uxorem, *excepta causa fornicationis* sive adulterii, ergo hæresis non est sufficiens causa divortii. Resp. Omissis variis explicationibus, quas refert Avers. *s.* 9. § *ult.* dici potest, Christum voluisse solum adulterium esse ex Jure divino causam perpetui divortii, quamvis aliæ causæ posteà ex Jure ecclesiastico sint additæ ad divortium saltem ad tempus, & tales sunt etiam scandalum, sævitia, morbus contagiosus, mutuus consensus, &c.

§. 16. Divortium fieri non potest ob quodvis crimen, nam *Alex. III.* Cap. *Quæsivit*, De divortiis, declarat, *quod mulier pro foro vel alio crimine viri sui, ab eo separari non debet*, posse tamen quandoque fieri etiam propria authoritate ex aliis etiam causis, si ita postularet præceptum correctionis fraternæ, metus injusti damni, aut etiam periculum ruinæ spiritualis, secundùm illud Matth. 18. *si manus tua, pes tuus, oculus tuus scandalizat te* &c. *projice abs te*: Estque hoc de Jure naturæ, quo quisque obligatur studere saluti suæ: sed hæc intelliguntur ad tempus, nam *cessante necessitate illud quoque cessat, quod pro necessitate factum est*, Can. *Ordinationes* 9. qu. 1. Videri potest Avers. *q.* 23. *s.* 10. 441

§. 17. Circa causam divortii ob sævitiam, Cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. conceditur divortium, etiam nocenti post adulterium, ne perpetuis vexationibus crucietur. Nec in casu sævitiæ locum habet compensatio, quia si mutuò alter ab altero sibi timeat, uterque potest divertere. Non sufficit autem esse malè tractatum de præterito, si pro futuro non timeatur malum grave, quia non conceditur ad ulciscendam, sed evitandam injuriam saltem probabiliter imminentem. Etsi sit periculum in mora, fieri potest authoritate propria, aliàs per Judicem, qui solus separare potest in perpetuum, si non sit spes remedii. V. Avers. *q.* 23. *s.* 10. & præcipuè Sperell. *dec.* 139. ubi adductis legibus, Authoribus, & rationibus, probat sequentia, 1. si vir moderatè, & ex causa uxorem verberaverit, ad quod jus habet, non ideò potest uxor divertere, nec ideò tenetur vir conjugi consulere per remedium cautionis. 2. Si vir sæpiùs percutiens excesserit modum domesticæ correctionis, adeóque 442

fuerint atrocia verbera, sitque ideò prudens timor novæ molestiæ gravis, non ideò statim concedenda est separatio tori, sed sufficere poterit cautio pignoratitia, fidejussoria, & quandóque juratoria tantùm de non offendendo imposterùm. 3. Quando concurrunt sæpiùs exercita atrox sævitia & talis prudens timor futuræ, ut non videatur sufficienter consultum per cautionem, Cap. *Litteras*, De restit. spoliat. conceditur divortium in verbis: *Si tanta sit sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet ei restitui, sed ab eo potiùs amoveri.* Quandonam dicatur sævitia vel atrox verberario, dat exempla Sperell. *a n.* 62. qui *dec.* 138. *n.* 70. notat uxori de sævitia viri conquerenti non credi, nisi illam probet.

447 §. 18. *Cùm quilibet ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem*, Cap. *Ex conscientia*, De crimine falsi, & divortium sit pœna delinquentis, ac favor innocentis, eo non tenetur innocens uti, si nolit, Sanch. *l.* 10. *d.* 13. Krim. *n.* 1542. Docent quidem *S. Th. Bonav. Caj. Sylv.* aliique multi peccare virum, si permaneat in consortio adulteræ, nã Cap. *Si vir*, De adulteriis dicitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps:* Et similiter *Nav. Sot. Bon. Gob.* & alii docent ex Cap. *Si quis uxorem*, 1. 32. q. 1. teneri etiam uxorem dimittere adulterum se non emendantem: quæ vera sunt, si ita postulet præceptũ correctionis fraternæ, vel scandali vitãdi; de cætero rectè ostendit Averſ. *ſ.* 5. correctionem illam per dimissionem rarò profuturam, quia conjux dimissus magis & liberiùs indulgebit adulteriis; scandalum autem faciliùs tolletur, & cum majori spe pœnitentiæ, si privatim & publicè pergat arguere & abstrahere. Nec ideò vir retinens talem uxorem censebitur esse causa damni legitimi hæredibus causandi, si fortè adultera concipiat ex alieno, id enim ipse, quantùm in se est, impedit, uti suppono, nec semper tenetur aliquis cum gravibus suis incommodis aliena damna cavere.

448 §. 19. Post sententiam divortii perpetui ob fornicationem, potest innocens sine consensu nocenti mutare statum, suscipiendo sacros Ordines vel Religionem, Cap. *Constitutus*, Cap. *Mulier*, De convers. conjug. & hoc est, quod dixi l. 6. p. 2. n. 2220. tenetque communis cum Pign. *tom.* 10. *conſ.* 3. Post sententiam divortii non perpetui, sed ad tempus, donec nocens v. g. emendarit mores, innocens non potest mutare statum, uti nec si separaverit se authoritate propria, nam nocens saltem emendatus posse, implorare Judicem, & repetere conjugem, cujus restitutio verget in scandalum, aut etiam in damnum status religiosi vel clericalis.

449 §. 20. Quando innocens mutat statum, v. gr. suscipiendo sacros Ordines vel Religionem, potest nocens etiam sine voto vel præcepto continentiæ remanere in sæculo, nullibi enim præcipitur huic tale votum vel continentia, unde mutuo innocente conjuge, poterit inire aliud Matrimonium, Averſ. *q.* 23. *ſ.* 8. Attamen Pign. *t.* 3. *conſ.* 42. refert aliquas declarationes Congregationũ, quæ dicunt saltem ubi est incontinentiæ, si adulter suscipiat sacros Ordines vel Religionem, innocentem manentem in sæculo debere continentiam vovere.

450 §. 21. Si conjugatus post sententiam perpetui divortii assumens Religionem vel Ordines, neget se esse conjugatum, probabilius est cum Averſ. *q.* 23. *ſ.* 8. contra *Sanch.* peccare mortaliter, quia est res valdè notabilis, & Superior vel Episcopus habebat jus interrogandi, ergo alter obligationem manifestandi, cùm possint causæ vel circumstantiæ promotionem talem impedire.

§. 22. Si divortium sit propria auctoritate factum, 451
& innocens non immutaverit statum, tenetur recipere nocentem, si emendaverit se, & non sit prudens periculum relapsus, Can. *Quod autem* 32. *q.* 2. Can. *Si vir*, De adult. Can. *Ego dixi*, 34. *q.* quamvis Averſ. *ſ.* 6. putet ibi non imponi obligationem sed asseri convenientiam & quandam æquitatem. E contrà si divortium propter fornicationem in perpetuum per sententiam Judicis factum sit, innocens cogi non potest ad recipiendum, nisi committat simile crimen, Can. *De benedicto*, 32. *q.* 2 Can. *Admonere*, 33. *q* 1. Cap. *Gaudemus*, de convers. conjug. Potest tamen etiam tum, si velit, propria auctoritate recipere, ut habet communissima cum Averſ. *ſ.* 6. quia sententia lata est in favorem innocentis, & *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, Reg. 61. Juris in 6. Teneturque nocens separatus privata auctoritate innocentis, redire, si revocetur ab innocente, & de licentia ejus non immutarit statum, imò quamvis per sententiam sit separatus, non potest immutare statum sine consensu saltem tacito innocentis, quia hic retinet jus eum revocandi, si velit, ergo nocens tenetur redire, S. Th. S. Bonav. S. Anton. Sylv. Angel. Sanch. Pont. Averſ. *ſ.* 6. & 8. Mastr. *n.* 135. Krim. *n.* 1580. Si tamen innocens per sententiam separatus ter cum congruo intervallo temporis, aut saltem per biennium rogatus, renuat recipere nocentem emendatum, hic poterit absque illius consensu in Religione profiteri, Cap. *Gaudemus* suprà, Authent. *Sed hodie*. Cod. de adult.

§. 23. Sanch. *l.* 10. *d.* 14. *n.* 2. docet, si innocens in- 452
ternè tantùm condonet delictum, non posse posteà in conscientia intentare divortium: sed meliùs contradicit Averſ. *ſ.* 7. quia in commercio humano interna volitio non obligat, si nullo signo manifestetur; imò quamvis innocens externè manifestet, si nocens non accepter, sed recuset, probabilius est contra eundem *Sanch.* innocentem posse condonationem suam revocare: talis enim gratia inter homines censetur indigere tacita saltem acceptatione.

§. 24. Si innocens conscius delicti, ante vel post 453
sententiam divortii petat, aut alteri petenti reddat debitum, hoc ipso pro foro externo præsumitur condonare, cùm id liberè faciat, nec obligatus: aliud tamen est, si faceret coactus per metum, aut sententiam, vel ex errore, *S. Th. S. Bonav. Dur.* Addit *Averſ.* etiam tactus, amplexus, oscula esse sufficientia signa condonationis internæ, cùm ordinentur ad copulam. Et idem est, si redeant ad mutuam familiaritatem, mensam, vel cohabitationem eandem. Si tamen reipsa internè nollet condonare, quamvis etiam fictè diceret se condonare, non ideò pro foro conscientiæ perderet jus, quia cessio requirit consensum internum, uti donationes aliique contractus, secundùm dicta l. 3. p. 2. n. 608. *Sa, Sanch. Averſ.* contra *S. Bonav. Sot.* & alios. *Nec obstat*, quòd ita fingendo videatur facere injuriam, *nam* cùm non causet damnum, in juria non est talis, ut ideò teneatur posteà sincerè condonare. Imò si innocens talia signa condonationis ponat, habendo se indifferenter, non cogitando an condonet vel non, aut ignorando, quòd talia signa sufficiant ad condonationem, *Averſ.* probabiliùs dicit contra *Sanch.* in conscientia non teneri posteà condonare, qui videtur requiri expressa voluntas cedendi hoc suo multùm æstimabili jure.

§. 25. Quamvis crimina conjugum utrumque non 454
sint omnino æqualia, quia v. gr. unum est occultum, alterum publicum, unum adulterium, alterum incestus, vel sodomia: item quamvis unus semel tantùm, alter decies commiserit adulterium, nihilominùs hæc crimina compensant se, nec datur locus divortio, uti colligitur ex Cap. *Tua fraternitas*, De

adult. conjug. docentque *S. Th. S. Bonav. Palud. Gabr. Sanch.* & alii cum Averſ. *ſ.*4. contra *Hoſtienſ. Joannem Andr.* & alios. Et univerſaliter, ut crimina ſe compenſent, requiritur, & ſufficit, quòd utrumque de ſe det juſtam cauſam divortii, tunc enim cenſentur paria, id eſt, pariter per ſe ſufficientia ad divortium, Maſtr. *n.* 132.

Objic. Ex dictis, adulterium & hæreſis ſufficiunt ad divortium, & tamen ſi uxor labatur in adulterium, vir in hæreſin, hæc crimina non compenſant ſe, ſed uxor poteſt divertere à viro, Reſp. Aliqui cum Krim. *n.*1563. probabiliter dicunt, cùm crimina illa ſint planè diſparata, & hæreſis directè non ſit contra fidem Matrimonii, quòd nullo modo ſe compenſent, ſed ſinguli poſſint petere ſeparationem, Sanch. Averſ, *ſ.*9. etiam probabiliter dicunt hæreſin ex diſpoſitione ſpeciali Juris neceſſariò cauſare divortium, & ideò, ubi illa intervenit, non dari compenſationem neceſſariò faciendam eſſe, quod verum eſt, & quidem ex præcepto naturali, ſi adſit periculum perverſionis: è contrà, ſi hoc periculum abſit, probabiliter dicunt *S. Antan. Sylv. Arm.* & alii, dari etiam inter illa crimina compenſationem, & neutrum poſſe ab altero divertere: & ideò poſteà fatetur cum aliis *Averſ.* poſſe cum hæretico dimiſſo fieri reconciliationem, quamvis hæreſin non dimittat, dummodo abſit perverſionis, aut alterius mali periculum, quod abeſſe poteſt: quando autem ex diſpenſatione Eccleſiæ contrahitur Matrimonium catholici cum hæretico, omnes fatentur fieri non poſſe divortium. Similiter docet cum communi Pignar. *tom.*7. *conſ.*51. ſeparari non debere conjuges, primò hæreticos, ſi eorum unus convertatur ad fidem, quamvis inter eos ideò ortæ eſſent aliquæ diſſenſiones; hinc ſuprà *nu.* 440. tantùm locuti ſumus de hæreſi ſuperveniente Matrimonio inter catholicos contracto.

455 § 26. Si uterque commiſerit crimen ad divortium ſufficiens, ſed unus egerit pœnitentiam, alter autem pergat in crimine, *S. Anton. Sylv.* & alii putant primum poſſe facere divortium, qui per pœnitentiam quaſi rediit ad ſtatum innocentiæ. E contrà Ledeſ. Hurt. Pont. *l.*9 *c.*17. & alii dicunt, quòd crimina pergant ſe compenſare, cùm antecedenter ſint poſita. S. Bonav. Henr. Regin. Con. Bon. Sanch. Averſ. *ſ.*4. Maſtr. *n.*132. probabiliùs tenent cum prima ſententia, ſi pœnitens alterum admonuit, qui tamen contumaciter pergat; ſi autem non admonuit, tenent cum ſecunda, quia ille pergens nec dum cenſeri poteſt contumax.

456 §. 27. Si vir etiam poſt ſententiam divortii committat ſimile crimen antequàm ſtatum mutaverit per religioſam profeſſionem, vel ſacros Ordines, Cap. *Ex litteris*, De divort. jubetur redire ad dimiſſam, & ita etiam docent Con. Hurt. Averſ. Maſtr. *n.* 133. quia vir manebat obligatus fide Matrimonii, ergo ſi hanc frangat uxori dimiſſæ, delicta ſe compenſant. Addit Pignat. *to.* 8. *conſ.* 148. etiam poſſe revocare dimiſſam, ſi ſit in periculo incontinentiæ, quamvis ipſa cum conſenſu viri emiſiſſet votum caſtitatis. Rectè tamen notat Averſ. *ſ.*4. virum non teneri ſe prodere, vel offerre non petenti, aut ignaræ ſui criminis; imò ſi ſententia Judicis ſeparatus ſit, probabilius videtur non teneri redire, niſi per Judicem compellatur: attamen etiam probabiliter dicunt Caſtr. & Krim. *n.*1577 contra *Sanch. & Laym.* quamvis ſententia divortii tranſierit in rem judicatam, id eſt, quamvis tempus à ſententia Judicis appellandi jam eſſet elapſum, nihilominus innocentem in conſcientia teneri reconciliari, ſi ſimile crimen committit, quia non habuit, nec ſententia dabat ipſi jus divertendi, niſi, quamdiù innocens eſſet, quia ſi fiat ſimiliter nocens, nullum amplius jus habet. Excipit rectè Pont. *l.*9. *c.*20. *n.*7. ſi fieret ſimiliter nocens poſtquàm profeſſionem vel ſacros Ordines ſuſcepiſſet, quia tum non deberet præjudicari juri, quod Religio, vel Ordo legitimè acquiſiviſſet.

§. 28. Si etiam poſt plurimos annos oſtendatur ſen- 457
tentiâ divortii fuiſſe latâ ex falſis cauſis, vir debet redire ad dimiſſam, quamvis in Religione profeſſus ſit, vel ſacros Ordines ſuſceperit, quia talis ſententia, in quantùm eſt contra innocentem, nunquam tranſit in judicatum, quin ipſi liceat per viam querelæ contra eam agere, quamvis non per viam appellationis, manſitque jus dimiſſæ, quod Judex noluit tollere, S. Th. S. Bonav. Sanch. *l.*10. *d.*9. Caſtr. Krim. *n.*1578. *& à n.* 1571. ſi tamen etiam dimiſſa profeſſa eſſet in Religione, *Sanch.* putat ceſſiſſe juri ſuo, ſed adhuc contradicit *Caſtr.* quia neuter validè conſenſit, cùm error in ſubſtantia dederit cauſam. Et Krim. *n.* 1579. dicit hoc eſſe probabilius, quamvis *n.* 1677. etiam oppoſitum teneat.

§. 29. Quid dicendum ſit circa alimentationem al- 458
terius conjugis, quando divortium fit cum vel ſine culpa conjugis dixi l. 3. p. 1. à n. 710. Si autem culpa patris factum ſit divortium, liberi apud matrem educantur expenſis patris, ſi factum ſit culpa matris, educantur apud patrem expenſis matris, uti ſtatuit Jus apud Sperel. *dec.* 138. *n.* 104. poteſtque videri etiam Krim. *n.*1584. An verò uxori adulteræ debeantur alimenta, pars acquiſitorum, reſtitutio dotis ſaltem per hæredes, ſi maritus obierit, dixi l. 3. p. 1. à n. 714. Et de illis videri poteſt etiam Sperell. *à n.* 20. ubi inter cætera putat lite pendente deberi conjugi contra quẽ agitur, ſi ex ſuis aliundè non habet, uti etiam debentur Monacho contra Abbatem litiganti, ſi nempe adſit præſumptio boni juris. An autem talis litigans debeat fide jubere de refundendis expenſis in caſu ſuccumbentiæ, examinat Sperell. *à n.* 97. poſſuntque etiam multa circa iſta videri apud Krim. *n.* 1585. uſque ad 1608.

De divortio videri poteſt etiam Gob. *in Exp. tr.*10, *n.*714. ubi in compendio redigit ea, quæ in *Quinario tr.*5. *à c.*32. *uſque ad* 45. fusè de illo diſputat. Quid dicendum ſit de donationibus inter conjuges, ac reſtitutione dotis, quando ſupervenit divortium, videri etiam poteſt fusè Krim. *à n.* 1685.

CAPUT III.

459

De impedimentis Matrimonii.

DUplicis generis ſunt impedimenta, quædam „
illicitum tantùm, alia inſuper irritum Matri- „
monium reddunt: Priora dicuntur *impedientia*, „
Poſteriora, *dirimentia.*

DUBIUM I.

Quæ ſint impedimenta impedientia tantùm?

REſp. Præter peccatum mortale, & excommuni- „
cationem, ſex potiſſimum reddunt Matrimo- „
nium mortaliter illicitum, ſcilicet: „
Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriarum, „
Atque catechiſmus, crimen, ſponſalia, votum, „
Impediunt fieri, permittunt facta teneri. „

Dicitur I. *Vetitum*, id eſt, prohibitio Eccleſiæ, „
quæ fit ab Epiſcopo, vel Parocho ob dubium impe- „
dimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulan- „
dos, Bon. *q.*1. *p.*14. *n.*1. „

Dicitur II. *Tempus feriarum*: quòd ſecundùm „
Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 10. *de ref.* incipit nunc ab Ad- „
ventu Domini uſque ad Epiphaniam incluſivè, & à „
die Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſivè. „
Quo tempore non prohibetur ipſe contractus, aut „
ejus conſummatio, ſed tantùm nuptiarum ſolem- „
nitates, ut eſt benedictio nuptiarum, ſolemnis „
ſponſæ in domum ſponſi traductio, ſolemniora „

convivia

convivia, & tripudia, &c. Neque Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. prohibet Matrimonium conſummari ante benedictionem, ſed tantùm hortatur, ne fiat. V. Bon. *q.* 3 *par.* 14. Sanch. *l.* 7. *d.* 7 Kon. *d.* 30. Fill. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 9. Perez *d.* 43. *ſ.* 10. *n.* 7.

Dicitur III. *Catechiſmus.* Quod impedimentum contrahitur ab eo, qui reſpondet pro infante, quando ſupplentur cæremoniæ poſt Baptiſmum collatum in neceſſitate, ſed videtur ſublatum per *Trid.* ſecundùm *Sanch. Fagund. Kon. Fill. &c.* qui ideò monet Parochos, ut in libro diſtinguant patrinos catechiſmi à patrinis Baptiſmi. V. Bon. *l. c.*

Dicitur IV. *Crimen*, ut 1. inceſtus cum conſanguinea conjugis in primo, vel ſecundo gradu, ſcienter admiſſus, (qui impedit Matrimonium cum quacumque alia perſona V. Perez *d.* 23. *ſ.* 5.) vel cum propria matre vel filia. 2. Raptus alienæ ſponſæ. 3. Uxoricidium. 4. Presbytericidium. 5. Suſceptio propriæ prolis ex Baptiſmo, ad impediendam redditionem debiti. 6. Publica pœnitentia quamdiù durat. 7. Matrimonium cum Moniali. Verùm hæc per non uſum ſunt ſublata, ut Laym. hîc *c.* 15. ex Nav. Sanch. *d.* 17. Kon. *dub.* 3.

Dicitur V. *Sponſalia*, cum una contracta, & non diſſoluta, Kon. *dub.* 3. Sanch. Fill. Bon. *n.* 5.

Dicitur VI. *Votum*, ſcilicet ſimplex, ſive caſtitatis, ſive Religionis, ſive non nubendi. V. Sanch. *d.* 13. Regin. *l.* 31. *n.* 184. Bon. *n.* 7.

Dixi in Reſponſione, *potiſſimùm*, quia præter ſuprà dicta alia tria impedimenta numerantur.

Primùm, eſt clandeſtinitas: etſi enim valeat Matrimonium clandeſtinè contractum, ubi *Trid.* non eſt receptum, non licet tamen ſub mortali. Ubi autem Tridentinum eſt receptum, ſaltem quoad punctum Matrimonii, eſt irritum, de quo ſequenti dubio.

Secundum. omiſſio benedictionis; quia ſine hac, etſi validè, illicitè tamen contrahitur Matrimonium, ſaltem primum, ut ex C. *Noſtrates*, & C *Sponſus q.* 5. docet Bon. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 2. Sanch. *l.* 7. *d.* 82. Sa. Henr. Fill. &c. Qui tamen concedunt non eſſe mortale, intelige, per ſe loquendo; nam per accidens, ratione præcepti particularis, ſcandali vel contemptus, (ut ſi omittant nihil faciendo, ac ſi eſſet res vana vel vile ac puerile haberent ei ſe ſubjicere) docet Perez *d.* 43. *ſeqq.* 10. *num.* 4. poſſe eſſe mortale. Dixi, *Primum*, nam ſecundæ nuptiæ non benedicuntur, niſi primæ non fuiſſent benedictæ. Quòd ſi autem alter conjugum ſit viduus, alter verò primas nuptias celebret, aut ſaltem nunquam fuerit benedictus, etſi jure antiquo non licuerit, nunc tamen quibuſdam locis conſuetudo habet, ut benedicantur, ut v. Bon. *l. c.* & patet ex Agenda. Debet autem fieri in templo à proprio Parocho, ſine cujus licentia ſi quis faciat, manet ipſo facto ſuſpenſus, donec abſolvatur ab Ordinario Parochi, à quo benedictio erat accipienda.

Tertium, ſi contrahatur Matrimonium ſine præviis proclamationibus, ſine quibus etſi valeat, non licet tamen ſub mortali, ut habet cómunis, (quamquã Sãch. *l.* 3. *d.* 5. *n.* 7. & Gaſp. Hurt. *d.* 5. *n.* 59. putent non eſſe mortale unam omittere, quando certum eſt moraliter nullum ſubeſſe impedimentum. Sed contrarium docet Perez *d.* 42. *ſ.* 1. *n.* 7. ex Kon. & *Pontio*) niſi Epiſcopus vel ejus Vicarius diſpenſet, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. quod circa eas præcipit ſequentia: 1. Ut fiant in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia. Poſſunt tamen etiam fieri in oratorio, vel juxta Eccleſiam, aliove loco confluente magno populo. 2. Ut fiant à proprio Parocho vel alio Sacerdote de ejus licentia. 3. Ut fiant in Parochia propria, & quidem utriuſque contrahentis, uti declaravit Congregatio. 4. Ut fiant tribus diebus feſtis, non immediatis, continuis tamen, id eſt, qui feriatis quidem diebus, nullo tamen feſto, interpellentur. V. Bon. *q.* 2. *p.* 6. *Ub. de reſolvet.*

I. Licet ſtatim poſt ultimam proclamationem contrahere, etiam eadem die: non licet autem differre ultra quatuor menſes, intra quos ſi non contrahant, repetendas eſſe denuntiationes, declaravit Congregatio *in ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de ref.* Imò *Rituale Romanum* duos tantùm menſes permittit, intra quos ſi non contrahatur, jubet repetere denunciationes, niſi videatur aliud Epiſcopo.

II. Poſt proclamationes tenetur ſub mortale, qui novit impedimentum, illicò denuntiare, quantumvis ſecretum eſſet, ad impedienda gravia mala, v. g. inceſtum, ſacrilegium, &c. ſi tamen inde alteri periculum infamiæ naſceretur, is ex Charitate priùs eſſet monendus, ut a Matrimonio deſiſteret, Sanch. *l.* 3. *d.* 13. Fagund *p.* 2. *l.* 6. *c.* 5. Henriq. Laym. *l.* 3. *tr.* 3 *p.* 2. *c.* 4. *n.* 8 *& c. comm.* contra Pontium *d.* 5. *q.* 6. qui negat, teneri denuntiare, ſi ſit occultum. Idemque tenet, Perez *d.* 43. *ſ.* 6. *n.* 1. *& ſeqq.* ſed cum hac limitatione, ſi tantùm audivit, & neſcit à quo: vel ſi pro foro, interno ſit diſpenſatum, vel ſi metuat magnum ſcandalum aut periculum: vel ſi ſciat contrahentes eſſe in bona fide.

III. Contrahens ipſe, legitimè interrogatus de impedimento occulto, tenetur illud fateri vel Matrimonio abſtinere, niſi diſpenſationem pro foro conſcientiæ acceperit, tunc enim fateri non tenetur: niſi Judex aliunde habeat ſufficientem probationem, Sanch. Sylv. v. Laym. *l. c. n.* 10. v. Bon. *l. c.* Perez, *d.* 43. *ſ.* 7. *n.* 2.

IV. Parochus cognito impedimento, tenetur prohibere Matrimonium, & remittere ad Epiſcopum, vel ejus Officialem, neque poteſt aſſiſtere, Sanch. *l.* 3. *d.* 15. Perez *ſ.* 7. *n.* 6. *&c.* contra *Pontium.* Niſi tamen ex ſola confeſſione noſſet, tunc enim nullo modo poſſet negare Matrimonium, ſive publicè ſive, privatim petenti, neque illum admonere officii extra confeſſionem, licèt in confeſſione poſſet ac deberet. Et tunc, ſi quidem ſine magno ſcandalo à Matrimonio non poſſent deſiſtere, nec vellent ſuadere, ut contrahant communi conſenſu, ſub conditione ſi Papa diſpenſet, animo tantiſper cohabitandi, ut fratres (non autem quoad torum) donec accedat diſpenſatio, & iterum contrahant. Ita ex Bonya & Pontio *l.* 5. *t.* 35. Perez *l. c.* qui addit, ſi id omninò nolint, perſiſtantque petere, debere Parochum aſſiſtere.

V. Poteſt Epiſcopus vel ejus Vicarius, non autem Decanus ruralis, diſpenſare, vel ut una tantùm fiat proclamatio, vel ut fiant poſt contractum ſub hoc factum coram Parocho & teſtibus, ante conſummationem, vel etiam ut planè omittantur, ſi juſta cauſa ſubſit, v. g. timor, ne alioqui malitiosè impediatur Matrimonium, pudor contrahentium, lenium, inconſtantia, ſtatus diſparitas, metus ſcandali, infamiæ, incontinentiæ, &c. Bon. *l. c.*

VI. Etſi, quando per diſpenſationem contractum eſt Matrimonium ante proclamationes poſtea faciendas, conjux non teneatur, nec debeat alteri reddere debitum, priuſquàm factæ fuerint, quando tamen certi ſunt nullum ſubeſſe impedimentum, non peccare mortaliter conſummando, tenent Sot. Led. Texed. contra Sanch. apud Dian. *pag.* 9. *tr.* 8. *R.* 19.

VII. Etſi Parochus diſpenſare non poſſit, poteſt tamen in caſu neceſſitatis per epiſtolam declarare, præceptum hoc hîc & nunc non obligare, v. g. ſi moriturus concubinam velit ducere, ob prolis legitimationem, Bon. *l. c.* ex Sylv. Sanch. &c.

ADDENDA.

460 Quæst. 64. *Quid præterea sit notandum circa impedimenta tantùm impedientia?* R. §. 1. dari aliqua, quæ tantùm impediant, & non dirimant certum est, nam *malta facta tenent, quæ fieri prohibentur*. Cap. *Ad Apostolicam* De Regul. *Nec obstat*, quòd Cap. *Tua fraternitas*. De sponsa duorum, & can. *videtur nobis*, 35. q. 6. dicatur: Matrimonia contra interdictum Ecclesiæ inita, *posse irritari, rata non haberi, nam* primus textus tantùm dicit, conjuges posse separari, donec constet de validitate; secundus autem loquitur de Matrimonio cum altera inito adhuc vivente prima uxore. Docet quidem Averſ. *q.* 10. *ſ.* 2. ſi Papa poneret interdictum cum clauſula irritante, fore impedimentum dirimens, ſed de hoc videri poteſt Krim. *à n.* 1342. ubi oſtendit, quamvis in ejuſmodi cenſura etiam excommunicationis prohibeatur iniri Matrimonium, non ideò irritari.

461 §. 2. Raymund. apud Mendo *diſſ.* 12. *n.* 12. docuit, omne votum caſtitatis coram Epiſcopo, Parocho, vel alia perſona publica emiſſum habere ſufficientem ſolemnitatem ad diriméndum Matrimonium, ſed certum eſt oppoſitum, nempe quòd aliquod ejuſmodi votum ſimplex caſtitatis ſit impedimentum tantùm impediens. *Dico*, aliquod, nam per aliquod etiam votum ſimplex caſtitatis poſſe dirimi Matrimonium conſtabit ex dicendis *à n* 579. Ad quid autem teneatur, qui ante vel in Matrimonio vovit caſtitatem, virginitatem, cœlibatum, Religionem, ſacros Ordines, dictum eſt *à n.* 357.

462 §. 3. Quamvis fortè poſſint Epiſcopi diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis in ordine ad contrahendum Matrimonium, tamen id non poſſe nequidem Superiores Regulares dixi *l.* 3. *p.* 1. *n.* 565. Hinc Confeſſarius Mendicans habens juriſdictionem etiam Epiſcopalem nequit diſpenſare cum Caja in voto abſoluto caſtitatis, quamvis nuptiæ jam paratæ ſint, & cum ingenti infamia ac grandi incommodo ſuſpendi deberent, Suar. Sanch. Fagn. Laym. Caſtr. Barb. aliique communiter cum Burgh. *cent.* 3. *caſ.* 32. contra Crouſers *in Reg. S. Franciſci cap.* 7. *lect.* 29. quia Epiſcopi ipſi id ad ſummum fortè habere poſſunt ex poteſtate extraordinaria, quam aliis ſubdelegare non poſſunt.

463 §. 4. Qui vovit caſtitatem ſub conditione, v. g. ſi non inebriarit ſe hoc anno, tenetur voto, ſi hoc anno ſe non inebriat: ſi tamen anno nec dum expleto Matrimonium ineat, non peccat, quia quando votum eſt pœnale vel conditionale non eſt obligatio expectandi eventum vel defectum conditionis pendentis à noſtra libertate. Quòd ſi poſtmodùm anno necdum expleto ſe inebriet, tenébitur in Matrimonio ita ſervare caſtitatem, atque ſi poſt emiſſum abſolutè votum caſtitatis iniiſſet Matrimonium. E contrà, qui vovit caſtitatem ſub conditione, ſi hoc anno convaleſcat à morbo, peccat, ſi ante expletum annum ineat Matrimonium, quia eventus hujus conditionis non pendet ab illius voluntate, ergo tenetur eũ expectare, Sanch. *in Decal. l.* 4. *c.* 22. *n.* 11. Caſtrop. *tr.* 15. *d.* 1 *p.* 16. *n.* 6. Gob. *tr* 9. *n.* 87.

464 §. 5. An ille peccet, qui obſtrictus voto caſtitatis vel Religionis init Matrimonium animo non conſummandi, ſed ingrediendi Religionem dixi *n.* 423.

465 §. 6. Qui vovit Religionem, ſi bona fide Novitiatum ingreſſus fuerit, & cum juſta cauſa exeat vel emittatur, ſatisfecit ſuo voto, nec tenetur tentare alium Ordinem, ſed poteſt Matrimonium inire, quia non cenſetur voviſſe profeſſionem, ſed ingreſſum in Religionem, qui eſt Novitiatus, Sanch. ſupra *cap.* 16. *n.* 95. Gob *n.* 101. addens aliquos docere etiam tum eſſe liberum, quando ſine juſta cauſa exit, dummodò ſerio & ſine fraude Novitiatum ſit egreſſus.

§. 7. Durante Novitiatu Jus prohibet contrahi Matrimonium, quia Matrimonium eſt ſtatus alienus ab habitu aſſumpto, Caſtrop. *tr.* 16. *p.* 10. *n.* 3. Similiter in diœceſi Leodienſi prohibetur, ne quis non confirmatus ineat Matrimonium, Marchantius apud Gob. *in Exp. tr.* 2. *n.* 772. 466

§. 8. Licitè contrahunt leproſi, uti fusè oſtendit Boudevv. *p.* 2. *q.* 14. quamvis enim proles fortè infecta gignatur, tamen adhuc beneficium acquirit per exiſtentiam, & melius eſt ei eſſe, quàm non eſſe, inquit S. Th. E contrà, putat Boudevv. eos, qui actu laborant lue venerea, peccare graviter contrahendo, ob periculum abortuum & miſerias graviores prolis gignendæ. 467

§. 9. Impedimenta etiam tantùm impedientia obligant ſub mortali, *Sacramentum, tempus & vetitum* ex obedientia, *ſponſalia* ex juſtitia, *votum* ex religione, S. Anton. Sor. Sanch. *l.* 7. *d.* 17. aliique cum Averſ. *q.* 9. *ſ.* 5. contra Led. Sa, & Tol. qui, quamvis id admittant de voto, tamen negant de reliquis, ſed contrà eſt, quia etiam in reliquis eſt res gravis. Putant quidem, Sanch. Villal. Dian. & alii tempore vetito non eſſe obligationem abſtinendi à conviviis aliiſque lætitiæ ſignis, ſed quamvis poſſit in hoc ex levitate materiæ tantùm venialiter peccari, aut etiam nullo modo, ſi iſta ſint privata, attamen ſi adhibeantur publicæ pompæ, ſaltationes &c. rectè dicunt Pont. Averſ. *q.* 20. *ſ.* 2. peccari poſſe mortaliter, quia ſecundùm communem, mortale eſt tum ſacram benedictionem ſolemniter adhibere, ergo multò magis ſæculares pompas publicas, cùm hæ magis dedeceant tempus ſacrum, & avocent à divinis. 468

§. 10. Tempus feriarum ante Quadrageſimam incipit hora 12. noctis ante Cineres. Ante primam Dominicam Adventus de Jure deberet cum Dominica incipere à primis veſperis in ſabbato, niſi conſuetudo in certis locis aliud haberet, Sanch. Krim. *n.* 1955. 469

§. 11. Fagn. in Cap. Capellanus, *De feriis à n.* 8. operosè contendit ſacris temporibus prohiberi etiam privatam deductionem ſponſæ ad domum ſponſi, itẽque conſummationem Matrimonii, ſed rectè cum communi contradicunt Sanch. Pign. *t.* 6. *conſ.* 47. Krim. *n.* 1956. quia Canones loquuntur de ſola benedictione nuptali, ſolemni traductione ſponſæ, publicis lætitiis &c. & ſi novis conjugatis prohiberetur copula, etiam non liceret aliis conjugatis. Hinc addit Pignat. declarationes, quæ adducuntur in contrarium, vel non eſſe authenticas, vel datas eſſe propter particulares conſuetudines in certis locis. Infert Gob. *t.* 9. *n.* 70. Parochum non agere contra ullum Jus, ſi tempore Adventus vel Quadrageſimæ aſſiſtat Matrimonio non ſolemni, dilatis benedictionibus in aliud tempus, niſi obſtet alicubi conſuetudo, nam notat Taberna. *t.* 7. *c.* 7. Jure particularium aliquarum Eccleſiarum non permitti tum Matrimonium etiam non ſolemnizatum, niſi adſit cauſa ſpecialis & licentia Ordinarii. 470

§. 12. Epiſcopum diſpenſare poſſe in præcepto certis temporibus prohibente Solemnitatem nuptiarum, negant Henriq. & alii, quia eſt lex Superioris. Poſſe diſpenſare docent Sot. Sa, Pont. & alii, quia non reſervatur Papæ, & id admittit Sanch *l.* 7. *d.* 7. *a.* 6. & Averſ. *q.* 20. *ſ.* 2. ex cauſa urgente, quæ rara erit, ſi non poſſet recurri ad Papam. 471

§. 13. Parochus Solemniter celebrans Matrimoniũ temporibus ab Eccleſia prohibitis, poteſt ab Epiſcopo puniri pœna arbitraria, S. Congreg 3. Dec. 1644. apud Pignat. *to.* 1. *conſ.* 287. An peccet, qui metu gravi coactus contrahit Matrimonium cum impedimento impediente, dicam *n.* 660. 472

Q. 65. *Quid circa proclamationes ſit addendum?* Reſp. § 1. Per proclamationes intelliguntur denuntiationes ſive banna, quibus publicatur Matrimonium 473

inter

inter certa Sanctorum esse ineundum, per quod tantò magis cavetur, ne sit clandestinum. Dupliciter enim dicitur clandestinum, vel simpliciter, vel secundùm quid: Clandestinum simpliciter est, quod contrahitur sine Parocho, & testibus, de qua clandestinitate agemus *à n.* 706. Clandestinum secundùm quid est, quod contrahitur neglectis proclamationibus, tum enim caret perfecta publicitate, & de hac clandestinitate agimus.

474 §. 2. Circa proclamationes ita statuit Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *de ref. Matrim. c.* 1. *Imposterùm, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia intra Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur... Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantùm denunciatio fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus Matrim. celebretur, deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod ipsius prudentiæ & judicio S. Synodus relinquit.* Atque ex his verbis *Trid.* infert cum communi. Aversa. *q.* 7. *s.* 1. contra Sot. & Ledesm. certò forte mortale, si contracturi inirent, aut Parochus assisteret Matrimonio omissis proclamationibus, quamvis aliundè haberetur certitudo de absentia impedimenti: hac tamen habita, præter citatos à Busemb. putant Gutt. Villal. Barb. Dian. non fore mortale, si omitteretur una ex tribus, sed adhuc contradicunt alii, ad quos inclinat Aversa. tum quia ideò non cessat lex, licèt finis ejus in particulari casu videatur cessare, secundùm dicta *l.* 1. *à n.* 863. tum maximè, quia cum sit usus, ut fiant tres proclamationes, posset esse, quòd quis expectaret tertiam ad detegendum impedimentum. Attamen omittere diem festivum intermedium, aut proclamare extra Missarum solemnia, aut in publico concursu extra Ecclesiam, non videtur fore mortale, uti insinuat Aversa. addens fieri debere à Parocho, vel ex ejus commissione ab alio, qui non necessariò debeat esse Sacerdos. Notavit etiam *l.* 1. *n.* 797. quamvis certum sit adesse causam ineundi Matrimonium sine proclamationibus, non ideò iniri posse sine dispensatione.

475 §. 3. Ab hac lege proclamationum non excusantur milites, quamvis à suis Officialibus afferrent testimonium, quòd careant impedimento: faciliùs tamen tum posset esse causa dispensandi, aut etiam in necessitate procedendi sine proclamationibus, secundùm dicenda posteà. De cætero cùm milites facile mutent præsidia, ac frequenter alibi uxores habeant, decretum est in diœcesi Monasteriensi, ut ejusmodi milites vagi & extranei proclamentur, habeatque usus, ut etiam petatur informatio ex locis, in quibus proximè fuerunt, quia compertæ sunt sæpè fraudes, imò priusquàm ad proclamationes deveniatur, expedit Capitaneos & alios commilitones consulere, qui facilè scient, an in alio fortè loco uxorem habeant. Et universim circa proclamationes vagorum emanavit per sacram Congreg. generalis Inquisitionis de Urbe, anno 1637. mandatum ad omnes Ordinarios, ne permittant fieri denuntiationes forensis sive vagi, nisi Parocho adstituro per authenticam fidem Ordinarii ipsorum vagorum de illorum statu libero constet, & quamvis id meritò observandum esset, cùm experientia sæpè docuerit ejusmodi vagantes alibi uxores aut maritos habuisse, tamen potest quis quoad hoc stare usu in sua diœcesi præscripto, Krim. *n.* 2164.

§. 4. Docent Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 10. Gob. *t.* 10. 476
n. 514. Lohn. non esse damnandam consuetudinem quorundam diœcesium, in quibus proclamationes fiunt tantùm in illius sponsi Parochia, in qua celebrandæ sunt nuptiæ, sed tenendum est oppositum ob declarationem S. Congreg. *à Greg. XIII.* confirmatam, qua ex Nav. refert Gallemart ad Trid. *sess.* 24. *De ref. Matr. cap.* 1. *n.* 1. ideóque in *Synod. Colon.* an. 1662. De Mart. c. 2. §. 5. sic statuitur: *Si Matrimonium contracturi diversarum sint parochiarum, in utraque fiant proclamationes, nec ante Parochus unius ad Matrimonii solemnis actum, nisi habito ab alterius Parocho testimonio, quòd præscriptæ à Conc. Trid. proclamationes in sua Parochia, legitimè factæ fuerint, & de nullo constet impedimento, procedat.* Imò intentio fuit ann. 1697. in diœcesi Monasteriensi, ut inituri Matrimonium proclamarentur, non tantùm in loco domicilii, sed etiam originis, ubi impedimenta consanguinitatis notoria sunt, sed hactenùs non potuit deduci ad praxin, nec reipsa id videtur requirere *Trid.* cùm dicat *à proprio Parocho*, qui censetur esse Parochus, non purè originis, sed domicilii: si quis autem per diversas anni partes in diversis Parochiis habitet, volunt aliqui in singulis proclamari, alioquin non obtinetur finis præcepti, qui est, ut impedimentum, si fortè subest, ab illis detegatur, apud quos hactenus est commoratus; fatentur tamen, si Parochiæ essent ita vicinæ, ut quod in una scitur, etiam sciatur in altera, fore satis in una proclamari. Alii cum *Pontio* dicunt sufficere fieri in Parochia, in qua ultimò est. Alii cum Con. Sanch. Barb. Dian. in ea, in qua diutiùs habitavit. Aversa. *qu.* 7. *s.* 1. rectè dicit observandum usum & consuetudinem locorum. Quid circa vagos sit prætereà observandum, dicam *à n.* 746.

§. 5. Putant Laym. Lohn. Kramer *n* 691. & alii pro- 477
clamationes fieri posse die non festo, si in choro sit solemnitas, & conventio frequens populi adsit, sed *Synod. Colon.* anni 1662. De Matr. cap. 2. §. 3. verat id fieri sub pœna 30. aureorum. Imò Zerola & alii cum Barb. dicunt, nequidem Episcopum posse dispensare, ut fiat die feriali, quia Trid. expressè dicit, *diebus festivis* ergo debet esse festum, saltem mane, dum fit proclamatio, quamvis post post meridiem non sit festum.

§. 6. Sanch. & Laym. putant debere intercedere 478
saltem duos dies inter unam & alteram proclamationem: Gob. *n.* 519. dicit, sufficere unum, imò Hurt. Dicast. Lohn. dicunt, nequidem opus esse, ut unus intercedat, cùm de hoc nihil præcipiatur, unde spectanda est consuetudo locorum: *Synod. Colon.* suprà §. 3. requirit minimùm unius diei intervallum; si autem transiliatur unus dies festus, non erit peccatum, si adfuerit causa aliquo modo rationabilis, vel inadvertentia, Con. Tann. March. Dicast. Gob. Lohn. Hinc si qui hac Dominica proclamati sint, & quia defertur impedimentum, quod priùs debet examinari, vel tolli, omittatur Dominica sequente secunda proclamatio, poterunt posteà superaddi reliquæ proclamationes, dummodò inter primam & secundam, quæ resumitur, non sint interlapsi duo menses.

§. 7. Si absit scandalum, proclamationes fieri pos- 479
sunt in templis hæreticorum, uti fiunt proclamationes aliorum contractuum, Leil. *in auct.* v. *Hæretici caſ.* 24.

§. 8. March. apud Gob. *n.* 518. dicit in diœcesi Leo- 480
diensi jurare sponsos se contracturos intrà 40. dies post ultimam denunciationem. Busemb. dicit die ultimæ denuntiationis posse contrahere, sed *Syn. Colon.* suprà vult intercedere saltem unius diei intervallum, ut deferri possit impedimentum, si quod subsit. Quòd si non contrahant intrà 4. menses post ultimam denunciationem, refert Gallem. *n.* 3. declaratum esse, quòd de-

nuntiationes repeti debeant. *Rit. Rom.* ait, *si intra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.*

481 §. 9. Qui scit impedimentum inter eos, qui denunciati sunt, etiam impediens tantùm, Aversˉ. De Justis *n.* 235. ac multò magis dirimens, etiamsi planè occultum, & etiamsi sub secreto jurato, tenetur sub mortali illud denunciare, tum ex Jure naturæ, tum ex speciali præcepto Ecclesiæ, cùm commune bonum, salus proximi & validitas Sacramenti prævaleant; si autem inde oriretur infamia denunciatis, tenetur privatim admonere: quòd si non desistant, tenetur monere Parochum. Quod tenet, etiamsi probare non posset, ad hoc enim non tenetur, & quamvis audierit tantùm à fide digno, vel per famam ortam à fide dignis, tum enim Superiori incumbet videre, quid agendum sit, excusabitur tamen, si prævideat sibi inde grave detrimentum vel scandalum. Hæc omnia pluribus firmat Aversˉ. *qu.* 7. *ſ.* 4. cum communi contra aliquos. Notat autem rectè de Justis *l.* 2. *c.* 19. te non excusari à delatione impedimenti, quamvis præsumeres posse esse deferendum ab alio, si de hoc certus non sis, quia sic omnes possent excusari & nullus deferre.

482 §. 10. Si contrahentes procedant bona fide, nec sciant impedimentum suum dirimens, & judicetur nunquam prodendum, putant Pont. Perez, Burg. *cent.* 2. *cas.* 78. non esse obligationem denunciandi: sed oppositum tenendum est, per se loquendo, ita enim postulat reverentia debita Sacramento, & obligatio ex charitate impediendi etiam fornicationes materiales sponsorum, quando id fieri potest sine gravi incommodo, uti dictum est. *l.* 2. *n.* 214.

483 §. 11. Si Episcopus solus noverit impedimentum, docet Perez *d.* 43. *ſ.* 8. eum non posse prohibere Matrimonium, quia est Judex, qui non debet procedere ex privata scientia: Teneri tamen deferre ad Superiorem docet Gob. *in Quint. tr.* 5. *c.* 37. *n.* 48. E contrà Con. & Aversˉ. §. *At si*, probabiliùs dicunt posse prohibere, quia hîc non agitur in cujusquam præjudicium quia sponsis favorabile est repelli à tali Matrimonio irrito: & si non obstante hoc, quòd sit Judex, deferre possit ad Superiorem, etiam potest cum sponsis id exequi & nomine Ecclesiæ attinere, ut à tali crimine abstineant.

484 §. 12. Parochus, qui hîc Judex non est, debet negare suam assistentiam, etiamsi solus & ex scientia sua privata noverit impedimentum, ac sponsi publicè petant conjungi, Aversˉ. §. *Alii*, Gob. *in Exp. tr.* 10. *n.* 539. De Justis *n.* 225. contra Ledesm. Pont. autem *l.* 5. *c.* 35 *n.* 6. negat si Parochus non resciat per alium testem. *Nec obstat*, quòd peccatori occulto publicè petenti non debeat negari Sacramentum, ne causetur infamia, secundùm d. 16. p. 1. n. 144. *nam* speciale aliquid est Matrimonio, in quo Ecclesia requirens proclamationes publicas, agit per modum judicii fori externi, in hoc autem judicio externo pro sufficiente probatione habetur id, quod certò, etiamsi secretò, constat per unicum testem, uti Jus statuit, quod referam *n.* 486. Parochus autem hîc est talis testis, quia tenetur id referre Episcopo.

485 §. 13. Si Parochus sciat contrahentes habere impedimentum, & quia probare non potest, ab Episcopo cogatur eos conjungere, si id faciat, non peccat, quia, quando quis impedire non potest, non peccat, quamvis alteri materiam peccati subministret, Henriq. Bon. Castrop. Sanch. *l.* 3. *d.* 15. *n.* 12. Aversˉ. §. *Si verò*: Gob. *in Quint. tr.* 5. *c.* 37. *n.* 45.

486 §. 14. Si unus tantùm de auditu, aut non juratus testetur de impedimento, non sufficit ad impediendum Matrimonium, sed potest ad nuptias procedi, Nav. Gob. suprà *n.* 35. Docet tamen Aversˉ. *q.* 7. *ſ.* 5. §. *Debet*, in impedimento consanguinitatis sufficere, si testis deponat, se audivisse à Majoribus istis, saltem duobus, cóputando distinctè ex utraq; parte gradus. Si aut̃ post unam aut alterã proclamationem, etiã unicus testis testetur de visu, & cum juramento, quòd adsit impedimentum, Parochus non potest pergere, nam Cap. *super* De testibus & attest. dicitur: *super illa quæstione, an mulier conjungenda non sit viro, pro eo, quòd sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur, non debent conjungi*: Et idem est, si publica fama de impedimento probetur in judicio, Aversˉ. §. *Censetur*. Et hoc defendit Sanch. *l.* 1. *d.* 71. etiamsi sponsalia essent jurata. In quo tamen casu juratorum sponsaliũ deberet allegans impedimentum non eàm, sed declarato suo nomine id attestari, uti habent Iuristæ apud Aver. §. *Debet*: Parochus autem non debet excipere juramentum talis testis, nec examen instituere de impedimento, hoc enim facere esset actus jurisdictionis exterioris, quam non habet Parochus, sed Ordinarius, Gob. *n.* 31. & 36. addens *n.* 32. in Germania Parochum posse petere, quale sit impedimentum, & si certò advertat esse nullum, debere pergere.

487 §. 15. Si unus sponsorum sua sponte dicat se alteri promisisse Marrimonium, sed fictè; aut si priùs dixerit se impeditum, & posteà revocet: alii dicunt, alii negant ei esse nunc credendum. Aversˉ. §. *Si rursus* rectè dicit remittendum esse ad judicium Episcopi, qui considerabit circumstantias facti & personarum.

488 §. 16. Quando dispensatio impedimenti est data pro foro conscientiam tantùm, si nemo præter sponsos ipsos illud denunciet, possunt conjungi; quia impedimentum sublatum est, nec notitia impedimenti vel dispensationis per hoc deveniet ad forum externum: sit autem aliquis post proclamationes denunciet tale impedimentum, Sanch. *l.* 3. *d.* 15. *n.* 15. Gob. *n.* 44. Corrad. Pont. De Justis *l.* 1. *c.* 6. *n.* 175. & alii dicunt non posse conjungi, tum quia per clausulam, *pro foro conscientiæ tantum*, præcipitur, ut is, cui impedimentum denunciatur, sic se habeat, atque si non esset dispensatum: tum etiam, quia hoc ipso, quòd aliquis post proclamationes denunciet, censetur delatum ad forum externum. Aversˉ. tamen *q.* 7. *ſ.* 5. §. *ult.* putat, si denunciator secreto & privato tantùm modo id dixisset Parocho, qui eum moneret de silentio & dispensatione obtenta, sicque faceret acquiescere planè & tacere, posse procedi ad copulationem, sic enim impeditur, quominùs censeatur deductum aut deducendum ad forum externum.

489 §. 17. Quando contrahentes spectant ad diversas diœceses, si non dispensetur, debent in suis Parochiis utriusque diœcesis proclamari: si tamen alteruter Ordinarius dispenset in proclamationibus, sufficit, ut sine eis possint contrahere, etiam in altera diœcesi, in qua dispensatum non est, quia verum est dispensasse Ordinarium, Con. Regin. Sanch. *l.* 3. *d.* 7. *n.* 7. Barb. *De officio Episc. alleg.* 32. *n.* 35. Aversˉ. *q.* 7. *ſ.* 2. Gob. Krim. *n.* 686. contra Bonac. qui dicit, tum tantùm sufficere, quando Matrimonium contrahitur in diœcesi illius, qui dispensavit.

490 §. 18. Episcopus non tenetur semper dispensare, quando licitè potest, cùm tamen id committatur, non ipsius libertati, sed arbitrio, id est, judicio secundùm prudentem rationem regulato, tenetur sub mortali, quando id exigit necessitas publica vel privata ad vitandum grave aliquod incommodum animæ, corporis, famæ vel fortunarum proximi, Tann. Gob. Aversˉ. suprà, Sanch. *d.* 10. *n.* 6. & addunt Sanch. *n.* 26. & 29. Pont. *l.* 5. *c.* 32. *n.* 7. Con. Krim. *n.* 589. si tum neget Episcopus, posse contrahi absque denunciationibus, eò quòd leges humanæ non ligent cum tanto damno, sed Aversˉ. limitat, quando non pateret recursus ad majorem Prælatum.

§. 19.

491 §. 19. Sanch. apud Gob. *tr.* 10. *n.*483. generaliter dicit posse remitti proclamationes, quoties non subest prudens timor ullius impedimenti: item, quando contrahentes sunt vagi & ignoti, nam frustra tales denunciantur, Gob.491. Sicuti autem *Trid.* suprà dicit posse sine proclamationibus præmissis iniri Matrimonium, quando est probabilis suspicio, quòd malitiosè impediri possit, ita similiter fieri potest, si concubinarius sit proximus morti, & pro legitimatione prolium petat Matrimonium inire cum concubina, nec tempus supersit petendi dispensationem, utroque tamen casu, si uterque supervivat, debent postea fieri proclamationes, si Ordinarius non dispenset, quod meritò in casibus illis facere debet.

492 §. 20. Vicarius generalis habet potestatem ordinariam dispensandi in proclamationibus, Sanch. *d.*7. *n.* 10. Barb. *alleg.*32.*n.*30. Gob.*n.* 503. contra *Pontium*, testaturque Paris.*de resign.l.*3.*q.*11.*n.*20. quòd, quando *Trid.* concedit aliquid Ordinario, hoc nomine veniat etiam Vicarius generalis; hinc potest Vicarius hanc potestatem delegare alteri, saltem ad casus particulares, uti habent citati Authores. *Nec obstat*, quòd *Trid.* hanc dispensationem remittat prudentiæ & arbitrio Ordinarii, adeóque videatur eligere industriam hujus personæ, *nam* rectè notat Aversa. suprà, quando non in individuo, sed in communi tantùm aliquid committitur ratione officii vel dignitatis alicui, non restringi ad industriam personæ. Vide dicenda *n.* 878.

493 §. 21. Abbates præditi potestate Episcopali habent hic eandem potestatem, quam Episcopi, non tamen Archi-Episcopi respectu diœcesium subjectarum subordinatis sibi Episcopis, Barb. suprà, Gob. *n.* 504.

494 §. 22. Declarare potest Parochus non obligare præceptum proclamationum, si Episcopus dispensare teneretur, & adiri non posset. Item si sponsus aliàs esset desertus sponsam, vel ipsa non contracto Matrimonio secutura esset, & permansura in fornicationibus. Item, si Ordinarius injustè neget dispensationem, quando est urgens causa illius, nec recurri potest ad alium, Sanch. *n.* 493. Quando autem est prudens suspicio, quòd malitiosè impediendum sit Matrimonium, Vivald. putavit per *Trid.* suprà fieri Parocho potestatem assistendi sine dispensatione Episcopi, sed alii communiter cum Aversa. contradicunt, nam Conc. Lat. ad quod se remittit Trid. committit omnia judicio Episcopi, nisi necessitas aliud postulet, & periculum sit in mora.

495 §. 23. Huc pertinet solutio sequentis casus: Titius cum Caja filia Bonnensi redit Coloniam, & quia Patre Cajæ obnitente noluit eos copulare Parochus Bonnæ, petunt Coloniæ copulari, ac pro eo, quòd nullum adsit impedimentum, offert Titius realem cautionem omnium suorum bonorum, minitans se abiturum deserta & infamata Caja, si statim non copuletur. *Quæritur*, An Titii Parochus Coloniæ bene faciat illis assistendo? Resp. Non bene, sed cùm possit, prius recurrere debet ad Ordinarium suum, & facere, quod ille ordinaverit, qui re perpensa poterit in proclamationibus dispensare. Deinde rationabilis consuetudo postulat, ut vel proclamentur utrobique vel saltem exhibeantur aliquæ dimissoriæ alterius Pastoris, tum ad detegenda impedimenta, tum ad avertenda alia incommoda, hoc autem non fiet, si ita passim & liberè procedatur cum nuda ejusmodi cautione verbali aut etiam reali.

496 §. 24. Si tam citò haberi non posset dispensatio in denunciationibus, putat Hauckius apud Lohn. sufficere unam tantùm fieri in his præterea casibus, & postea reliquas supplendas post contractum Matrimonium: 1. Si multum pudeat sponsos ob inæqualitatem, senium, vel infamiam, si fuerint concubinarii. 2. Si proximum sit tempus, quo prohibentur nuptiæ: & hanc vicinitatem temporis clausi sufficere, dicit Hurt.*d.*5.*diff.*20.*n.*69. *à S. Congreg.* esse decisum. 3. Si magnates contrahere velint, inter quos constet, non esse impedimentum. 4. Si damnum notabile, temporale vel spirituale, alias nasceretur. Sed hæc & similia ad summum pro foro interno valere poterunt, plerumque enim improbabunt Ordinarii, si Parochus sic procedat. Quòd si post contractum ita Matrimonium nollent abstinere ab usu, usque ad suppletas reliquas denuntiationes, notant rogandum Episcopum, ut dispenset. Si autem ante dispensationem, & non suppletis denuntiationibus Matrimonium consummet, Ledesma dicit, si certi sint abesse impedimentum, peccaturos tantùm venialiter: Con. Sanch. Bon. Pont. dicunt toties peccaturos mortaliter, quoties consummabunt: Henriq. & Aversa. *s.*3. putant, in prima tantùm consummatione peccaturos mortaliter. Videtur tamen adhuc manere obligatio ad denunciationes ut in facie Ecclesiæ habeatur certitudo de valore Matrimonii.

§. 25. Huc reducitur sequens casus: Titius & Berta dispensati à proclamationibus, cum clausula, ut copularentur à Parocho sponsæ: ob causas, quas putabant justas, accesserunt ad Parochum sponsi, & coram eo ac testibus contraxerunt. *Quæritur*, an validè? R. Affirmativè, quia *Trid.* plus non requirit, quàm ut contrahant coram proprio Parocho: sacra autem Congregatio declaravit per proprium Parochum intelligi Parochum alterutrius è sponsis, quod immutare non potuit Episcopus dispensans à proclamationibus: hoc unum velle potuit, ut non valeret dispensatio à proclamationibus, nisi contraherent coram Parocho sponsæ, sed hoc non tollit valorem Matrimonii contracti, nam si absque petita dispensatione à proclamationibus ita contraxissent, valuisset Matrimonium, uti certum est, docetque cum communi Aversa. *q.*7.*s.*1. contra paucos Juristas, ergo & nunc valet. Id unum restat, quòd casu quo Episcopus noluerit dispensare in proclamationibus, nisi sub conditione, quod contraherent determinatè coram Parocho sponsæ, tum reipsa contraxerunt sine dispensatione, adeóque sunt ita punibiles, ac si absque proclamationibus contraxissent. 497

Q. 66. *Quid notandum sit circa pœnas statutas contra eos, qui contrahunt, vel assistunt Matrimoniis, neglectis proclamationibus?* Resp.§.1. Si Matrimonium in gradu prohibito contrahatur neglectis proclamationibus, imprimis proles non habentur legitimæ, licèt parentes contraxerint cum ignorantia impedimenti, si non fecerint Matrimonium suum in facie Ecclesiæ publicari ante detectum illud impedimentum, Cap. fin. De clandest. desponsa. Deinde tales contrahentes carent spe dispensationis, quamvis similiter contraxerint cum ignorantia impedimenti, Trid. *sess.*24. *c.*5. *de ref. Matr.* cujus hæc sunt verba: *Si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur penis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis, dispensari poterit.* 498

499 §. 2. Ut hæ pœnæ incurrantur, requiritur imprimis, ut nec in gradu tali prohibito, nec in proclamationibus fuerit dispensatum, & proclamationes scienter ac præsumptuosè cum culpa sint neglectæ, quia *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, Reg. 23. Juris in 6. *Rem, quæ culpa vacat, in damnum vocari non convenit*, Cap. 2. De constit. *Omnis pœna, si justa est. peccati pœna*; S. Aug. *l.* 1. *Retract. c.* 9. Imò cum dicatur, *si scienter contrahere præsumpserit*, ab hac pœna excusat ignorantia etiam vincibilis aliquando, secundùm dicta *l.* 1. *à n.* 769. unde si saltem unus contrahentium fuisset acatholicus, qui bona fide processisset, eò quòd non agnovisset impedimentum in tali gradu, nec putasset proclamationes esse necessarias, non incurrisset pœnam *Trid.* quæ supponit scientiam & præsumptionem.

500 §. 3. Incurruntur hæ pœnæ, licèt Matrimonium initum sit coram Parocho & testibus, imò & coram tota communitate, quia si neglectæ sint proclamationes, non habet publicitatem legalem & specialiter præceptam sub tali pœna, Sanch. *l.* 3. *d.* 1. *n.* 10. contra *Innoc. Abb.* & alios.

501 §. 4. Eodem Cap. fin. dicitur: *his, qui aliter præsumpserint, etiam in gradu concesso* sine proclamationibus, *copulari, condigna pœna imponatur*; præterea etiam dicitur: si Parochus vel alius Sacerdos ab eo designatus præsumat assistere Matrimonio in gradu prohibito neglectis denunciationibus, per triennium ab offi io suspendatur, gravius puniendus, si culpæ gravitas postulaverit: & hanc pœnam extendunt aliqui etiam ad Matrimonium validum neglectis proclamationibus contract m, quamvis contradicat Krim. *n.* 725. Est autem hæc pœna ferendæ sententiæ; nec potest à Judice imminui, sed tantum augeri, talisque suspensio, vel elapso triennio desit ex se, vel ante triennii finem tolli potest à sola Sede Apostolica, quia Concilium, quod Episcopo superius est, expressè determinat triennium, quo duret, Avers. *q.* 7. *s.* 3. Krim *à n.* 725.

502 §. 5. Si Matrimonium sine proclamationibus contrahatur, non in gradu prohibito consanguinitatis vel affinitatis, sed in alio impedimento, quod per proclamationes manifestari potuerit, v.g. in impedimento criminis, Sanch. *l.* 3. *d.* 24. *n.* 4. Barb. & alii putant adhuc incurri pœnas, quia hîc manet ratio legis: sed probabilius contradicunt Castrop. & Krim. *à n.* 710. & 2187. quia Jus utroque loco expressè dicit, *si intra gradus prohibitos*, ergo cùm odiosum, extendi non debet, sed manere restrictum ad omissionem proclamationum, per quas reseiri potuisset gradus prohibitus: Et pro hoc refert declarationem Gallem. ad Trid. suprà *n.* 2.

503 §. 6. Si tale Matrimonium saltem tempore natæ prolis sit validatum, proles est legitima, Cap. *Quod nobis.* 2. clandest. desponsa. & Cap. *Quod nobis* 5. Qui filii sint legitimi, Castrop. *d.* 12. *p.* 13. §. *ult. n.* 4. putat tamen Krim. *n.* 718. hoc tenere tantùm in casu, quo ignoraverant impedimentum.

504 Q. 67. *Quid circa benedictionem Matrimonii sit addendum?* R. §. 1. Circa illam sic statuit *Trid.* sess. 24. de ref. Matrimonii, c. 1. *Eadem S. Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine etiam immemoriali, quæ potius corruptela dicenda, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos sive Regularis, sive sæcularis sit, etiam id sibi ex privilegio vel immemoriali consuet.idine licere contendat, alterius Parochia sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Notatque Avers. *q* 6. *s.* 8. §. *ult* hanc suspensionem esse ab officio & Beneficio, quia dum non restringitur ad alterutram partem, intelligitur utraque, cum ratio non sit, cur potiùs intelligatur de una, quàm de altera: Estque hæc pœna imposita soli assistenti vel benedicenti, non autem deputanti alium, qui faciat per se, Avers. *q.* 50. *s.* 5.

505 §. 2. Docent Nav. & Gob. *tr.* 10. *n.* 561. per se loquendo nequidem veniale esse omittere benedictionem: sed esse saltem veniale tenendum est cum communi apud Busemb. Imò Avers. qui *q.* 6. *s.* 7. dixerat fore veniale, si omittantur sine causa, *q.* 20. *s.* 4. docet peccari mortaliter, si absolutè omittatur. Si autem benedictio fiat priùs post consummationem Matrimonii, Palud. Tab. & alii adhuc dicunt peccari mortaliter, & quidem toties secundum S. Anton quoties illud consummabitur, sed probabilius dicunt Nav. Sanch. Pont. Laym. Krim. *n.* 1867. in hoc nullum esse peccatum, dummodò posteà fiat, quia nullibi invenitur præceptum, & Trid. suprà tantum *hortatur*, ut conjuges ante benedictionem in eadem domo non cohabicent: communiter tamen, inquit Avers. erit veniale, differre post consummationem, nisi adsit justa causa, qualis est, si quis, v. gr. initio Quadragesimæ contraheret, quia durum esset, differre consummationem usque ad benedictionem post octavam Paschæ faciendam.

506 §. 3. Quamvis plures cum Barb. *De off. Episc. alleg.* 32. *n.* 18. dicant hanc esse declarationem S. Congregationis: *Ordinarius non potest prohibere, quin Matrimonia domi celebrentur servata Concilii forma: sed cùm maximè deceat, ut in Ecclesia celebrentur, id hortari debet, non præcipere*; idemque refert Pignat. *to.* 9. *cons.* 133. *n.* 14. tamen Avers. *q.* 6. *s.* 5 §. *Ad ritum*, notat, vel non constare de illa declaratione, vel esse usu abrogatam, nam Romæ, Panormi, & alibi præcipitur, ut fiat in Ecclesia; Et ideò Pign. *to.* 1. *cons.* 351. refert aliam declarationem S. Congr. datam 7. April. 1649. quæ dicit faciendam esse in Ecclesia, Hinc Syn. Colon. anni 1662. De Matrimonio *c.* 4. §. 1. præcipit sub gravi pœna, ut solemnizatio Matrimonii fiat in Ecclesia sub Missa.

507 §. 4. Parochus utriuslibet sponsi potest benedicere, uterque enim est proprius, communis cum Sanch. *l.* 7. *d.* 82. Gob. *n.* 566. contra paucos, qui dicunt, id fieri debere à Parocho sponsæ, sed non apparet ratio: unde quamvis coram Parocho sponsi esset contractum Matrimonium, posset postea benedici à Parocho sponsæ, nisi alicubi esset consuetudo contraria. Quòd si subitò à Parochia, in qua conjuncti sunt, abirent ad aliam, deberent ab hoc ultimo Parocho benedici, quia hic solus jam est proprius, Avers. *q.* 20. *s.* 3.

508 §. 5. Ecclesia non benedicit secundas nuptias, Cap. vir, De 2. nuptis, *vir autem aut mulier ad bigamiam transiens non debet à Presbytero benedici, quia cùm alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Si tamen unus eorum nunquam sit benedictus, Laym. Lohn. Busemb. docent posse benedici, quod S. Th. S. Bonav. Sylv. Covar. Nav. aliique dicunt tum saltem faciendum, si mulier nunquam fuerit benedicta, quia ad illam præcipuè pro fœcunditate dirigitur benedictio, quamvis contradicant multi cum Avers. *q.* 20. *s.* 1. Krim. *n.* 1870. putantes omitti debere benedictionem, si vel vir vel mulier aliquando est benedicta, quod Bonac. & alii cum Krim. *n.* 1872. extendunt, etiamsi prius Matrimonium fuisset irritum, quia benedicto cadebat in personam, Sanch. *l.* 7. *d.* 82.

& alii

& alii probabiliter concedunt de consuetudine saltem posse benedici secundas nuptias, si alteruter antè non sit benedictus.

509 §. 6. Putat Averſ. *q.* 1. *ſ.* 6 §. *Etenim*, ſi duo infideles convertantur, poſſe illorum, quaſi novas nuptias benedici, quamvis ad hoc non ſit obligatio; & addit contractum priorem, ſuppoſito Baptiſmo, tranſire in Sacramentum, ſed hoc valdè incertum eſt, ſecundum dicta *n.* 407. Hoc tamen non obſtante videntur, poſſe benedici, cùm benedictionem nunquam acceperint. Et non debere benedici, ſi uterque contrahens ſit acatholicus, poſſe autem benedici, ſi alteruter tantùm ſit acatholicus, dixi *l.* 2. *n.* 99. An Puerpera acatholica poſſit purificari, dicam hic *n.* 995.

Objicies. Sanch. *l.* 7. *d.* 6. *n* 13. & Tann. *d.* 8. *q.* 4. *n.* 5. *n.* 94. dicunt illicitum eſſe benedicere nuptias, ſi alteruter ſit hæreticus. R. n. aſs. nam Sanch. loquitur de excommunicato excommunicatione majori, hanc autem, ſaltem multi rudes in Germania non incurrunt, aut quia ſunt hæretici tantùm materiales, aut quia neſciunt eſſe annexam ſuæ hæreſi: & in dubio nemo præſumitur eſſe excommunicatus, ſecundum dicenda *l* 7. *n.* 121. Deinde dato contrahentem hæreticum eſſe excommunicatum, attamen eſt toleratus, ergo ſi catholicus contrahens, cum & Parochum requirat, poteſt ille toleratus cum eo communicare, etiam in ſacris, uti rectè Sanch. *n.* 11. conſtat nunc poſt *Conc. Conſtant.* *Tannerus* loquitur de Matrimoniis inter perſonas hæreticas; & rationem dat tum quia benedicens approbat actionem contrahendi, ac Deo gratam eſſe jubet: tum quia cùm hæretici damnent cæremonias eccleſiaſticas, digni non ſunt, quibus illæ adhibeantur. Hæ autem rationes tantùm probant, ſi uterque ſit hæreticus, nam ſi alteruter ſit catholicus, actio, quia hic contrahit, approbari poteſt tanquam Deo grata; & ipſe non damnat cæremonias eccleſiaſticas, ſed eſt eis dignus.

510 §. 7. *Syn. Colon.* ſuprà c. 4 §. 6. prohibet Curatis & vice-curatis, *ne in nuptialibus conviviis circumeant menſas, adhortando invitatos, ut liberaliter ad inſtruendam familiam novorum conjugum, vel gratias agendo pro donativo oblato, multò minùs in iis choreas agant.*

511 *Q.* 68. *An licitum ſit interroganti dicere, quòd Matrimonium cum impedimento tantùm impediente, vel ſine proclamationibus contractum ſit validum?* Reſp. Hoſtienſ. Lop. Vega & alii dicunt, hoc dicere eſſe peccatum mortale, quamvis de hoc interrogetur, quia per hoc datur ei ſcandalum & occaſio, ut Matrimonium illicite ineatur, ideóque dicunt, negari debere reſponſum. Sylv. Roſella & alii dicunt, eum peccare venialiter, qui ſic interrogatus reſpondet eſſe validum. Sanch. *l.* 7. *d.* 11. *n.* 12. & alii dicunt, ſi petens videatur fragilis & abuſurus reſponſione, fore contra charitatem, ſi non adhibeatur cauta reſponſio vel eluſio, unde poterit dicere, hoc eſſe deciſu graviſſimum, vel ſimile quid: ſi tamen non adhibeat hanc cautelam, & etiam non apertè dicat eſſe validum, dicit non fore mortale, quia præceptum charitatis non ita ſtrictè obligat ad tantam circumſpectionem. Si autem petens pergat rogare, an ſaltem validè ſiat, probabilius eſt cum Averſ. *qu.* 10. *ſ.* 5. §. *Ex eo*, nullum fore peccatum, ſi rotundè dicat fore validum, ſed illicitum, ideóque admoneat, ne id faciat, nam ſi aliquod ibi ſcandalum intervenit, eſt acceptum, non datum, cùm nihil ponatur, quod ex ſua natura ducat ad peccatum, tam parùm, quàm ſit, ſi dicam alicui ignoranti, peccatum mortale eſſe vocare Deum in teſtem rei falſæ quantumcunque levis, alter enim, ſi nihilominus agat contra meum conſilium, ex pura malitia ſua abutitur meo reſponſo.

DUBIUM II.

Quæ ſint impedimenta dirimentia Matrimonium?

RESP. Præter defectum conſenſus, de quo ſuprà *c.* 1. *d.* 1. ſunt, quæ ſequentibus verſibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Ætas, affines: ſi clandeſtinus; & impos,
Raptave ſit mulier nec parti reddita tutæ,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Dicitur I. *Error*: ſcilicet perſonæ: qui dirimit Jure naturæ, v.g. ſi Cajo volenti ducere Annam offerat ſe Maria, cum qua putans eſſe Annam, contrahat: quia error aufert libertatem & conſenſum requiſitum Jure naturæ ad contractum.

Dixi, *Perſonæ*: quia error qualitatis ſeu conditionis perſonæ (excipio ſervitutem) non irritat Matrimonium, ut v. g. ſi putetur eſſe nobilis, virgo, dives, &c. quam quis vult ducere, nec ſit talis: quia hic error non tollit conſenſum in perſonam & materiam contractus. Aliud tamen eſſet, ſi abſolutè nollet conſentire in perſonam, niſi tali conditione affectam, aut ſi ipſa conditio, juxta intentionem contrahentis, tranſiret in conditionem perſonæ, ut ſi quis vellet ducere primogenitam Regis, nec aliam, & tamen alia ſubſtitueretur, non ſubſiſteret contractus, Bon. *q.* 3 *p.* 2. ex Sanch. *l.* 7. *d.* 18. Kon. *diſt.* 31. Fill. *&c.*

Dicitur II. *Conditio*; ſcilicet ſervilis, ut ſi homo liber ignoranter contrahat cum ſerva, vel ſervus cum ſerva, nullum eſt Matrimonium; idque ſecundùm ſententiam communiorem, Jure tantùm Eccleſiaſtico, fundato tamen Jure naturali cui eſt valdè conforme. Ratio, quia talis contractus adverſatur. 1. Bono Sacramenti, cum ſervus invito domino nequeat cohabitare conjugi. 2. Bono fidei conjugalis, cum non poſſit ſo vere debitum ad libitum alterius. 3. Bono prolis, cùm ſervus omnia acquirat domino. Ubi tamen *Notandum*, non eſſe proriè ſervos, qui ſunt coloni originarii, vel aſcititii, vulgo dicti *Seibergene* V. Lay. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 4. *c.* 2.

Dicitur III. *Votum*: ſcilicet ſolemne caſtitatis, per ſuſceptionem Ordinis ſacri vel per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata, ſponte emiſſa.

Dico I. *Sponte*: quia metus gravis irritat profeſſiones, ut v. ſuprà *l.* 5. *c.* 1. *d.* 2.

Dico II. *Solemne*: quia votum ſimplex tantùm impedit, non dirimit, (excipe tamen vota ſimplicia Societatis:) Vide Laym. *cap.* 3.

Dicitur IV. *Cognatio*, quæ triplex eſt.

Prima dicitur legalis, quæ eſt propinquitas perſonarum, proveniens ex adoptione perfecta, (qua ſcilicet perſona extranea aſſumitur in filium vel nepotem, ita ut tranſeat in poteſtatem adoptantis ei-que ſuccedat, vel tanquam hæres neceſſarius ex teſtamento in quarta parte, vel tanquam filius ab inteſtato in totum) ea enim dirimit Matrimonium uſque ad quartum gradum, inter adoptantem & adoptatum ejuſque deſcendentes. *Cap. Per adoptionem*, 30. *q.* 3. *Cap. Diligere* 3. *q.* 3. V. Bon. *q.* 3 *p.* 5. §. 3. *n.* 4. & 5. Vide tamen Laym. 7. & Dian *p.* 9 *tr.* 6. *R.* 54. ubi contra communem ſententiam notat ex *Henriq.* *Leſſ. &c.* probabile eſſe, quòd poſt *Trid.* tantùm dirimat uſque ad gradum ſecundum inclusivè cognatio ſpiritualis.

Secunda eſt cognatio ſpiritualis, quæ Jure Eccleſiaſtico oritur inter perſonas aliquas, ratione Baptiſmi & Confirmationis, dirimitque Matrimonium, (ut habetur *c.* 1. *De cognatione ſpirituali. in 6.*

„ *in 6.Cap.veniens* & conſtat ex Trid.*ſ.24.c.2.*V.Bon. „ *q. 3. p. 5.* Sanch. *l. 7. d. 34.* Suar.*3.p.q.67.*) inter „ baptizãtem & baptizãtum & hujus patrem & ma„ trem; item inter ſuſceptorem & ſuſceptum,& hu„ jus patrem & matrem.

„ Tertia eſt cognatio conſanguinitatis carnalis,quæ „ eſt vinculum perſonarum, ab eodem ſtipite proxi„ mo deſcendentium, dirimitque Matrimonium uſ„ que ad quartum gradum lineæ tranſverſæ incluſi„ vè. Et quidem quoad primum, fortaſſis Jure na„ turæ; quoad reliquos tres, ſolo Jure Eccleſiaſtico. „ Unde etiam Pontifex in his, ex juſta cauſa, diſpen„ ſare poteſt. Gradus verò lineæ rectæ, probabile eſt, „ omnes Jure naturæ eſſe prohibitos. Porrò pro gra„ dibus conſanguinitatis dignoſcendis ſtatuuntur ſe„ quentes regulæ.

„ *Prima.* In linea recta tam aſcendentium, quàm „ deſcendentium, quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus „ una dempta, ſcilicet ſtipite, v. g. pater & filius ſunt „ conſanguinei in primo gradu; nepos & avus in ſe„ cundo, &c.

„ *Secunda.* In linea tranſverſa æquali, (quæ eſt in„ ter perſonas à communi ſtipite æqualiter diſtantes) „ quot gradibus perſonæ ſingulæ à communi ſtipite „ diſtant, totidem diſtant inter ſe. Unde frater & ſo„ ror ſunt in primo gradu lineæ tranſverſæ; patrue„ les & conſobrini in ſecundo; filii eorundem in „ tertio.

„ *Tertia.* In linea tranſverſa inæquali, inter perſo„ nas inæqualiter diſtantes à communi ſtipite, quot „ gradibus remotior perſona diſtat à ſtipite, tot gra„ dibus diſtant inter ſe. Unde patruus & nepos,filius „ & ſoror patris, ſunt conſanguinei in ſecundo gra„ du: quæ omnia patent in adjuncto ſequenti ſche„ mate:

Schema conſanguinitatis.

	IV.	
IV.	*Abavus.*	IV.
Magnus Propatruus.	*Abavia.*	*Magnus Proavunculus.*
Magna Proamita.		*Magna Promatertera.*
	III.	
III.	*Proavus.*	III.
Magnus Patruus.	*Proavia.*	*Magnus Avunculus.*
Magna Amita.		*Magna Matertera.*
	II.	
II.	*Avus.*	II.
Patruus.	*Avia.*	*Avunculus.*
Amita.		*Matertera.*
	I.	
I.	*PATER.*	I.
Frater.	*MATER.*	*Soror.*
	Hypote.	
	I.	
	Filius.	
II.	*Filia.*	
Filii & Filiæ Fratris.	II.	II.
	Nepos.	*Filii & Filiæ Sororis.*
III.	*Neptis.*	
Nepotes & Neptes ex Fratre.		III.
	III.	*Nepotes & Neptes ex Sorore.*
IV.	*Pronepos.*	
Pronepotes & Proneptes ex Fratre.	*Proneptis.*	IV.
	IV.	*Prnnepotes & Proneptes ex Sorore.*
	Abnepos.	
	Abneptis.	

„ Dicitur V. *Crimen*: idque triplex: Primum eſt homicidium conjugis ab altero conjuge & alio ter„ tio, ſive phyſicè, v. g. gladio vel veneno, ſive mo„ raliter, ut imperio, perfectum, eo conſilio, ut „ poſteà inter ſe Matrimonium contrahant. Quòd ſi „ cædes tentata ſit, ſed non perfecta; vel perfecta, „ ſed abſque intentione Matrimonii ineundi; vel cum „ intentione quidem ea, ſed non ſignificata exterius; „ vel non communi conſilio, ſed ab altero tantùm, „ non dirimit Matrimonium, niſi etiam adulterium „ præceſſerit; tunc enim, etſi unus tantùm cædem „ perfecerit, altero ignaro, dummodò id fecerit in„ tentione Matrimonii, verè dirimit. Ita Kon. Le„ deſm. Sà, Sanch.*l.7.d.78.n.13. & d.79.* „

Secundum eſt adulterium, quando nimirum duo „ carnaliter ſe cognoſcunt, vivente alterius conjuge, „ & vel Matrimonium ineunt de præſenti, vel ſaltem „ dant fidem de ineundo poſt mortem conjugis. Sed „ in hoc caſu requiritur, ut promiſſio ſit acceptata, „ & uterque ſciat alterum eſſe conjugatum; ſi enim „ vel alteruter ignoret, non irritatur Matrimonium, „ ſi quod poſteà ineatur conjuge mortua, Perez, „ Kon. *d.31, n. 57. & 61.* Sanch. *l. 7. d. 79. n. 12.* „ Fill. *n. 256.* Vide etiam Bon.*q. 3. p. 6. n.* 8. Dian. „ *p. 3. t. 4. R.* 198. excuſatque ignorantia quævis, „ etiam facti, Sanch.M Leo *in praxi p.2.ſ.*284. Suffi„ cit autem, ſi adulter dubitet, utrum tempore a„ dulterii & non promiſſionis de Matrimonio cum „ adultera, vixerit alter conjux, quia præſumitur vi„ xiſſe, niſi mors probetur, Nav. Sanch.*d.*79 Bard.*d.* „ *6.c.11.§.8.* „

Tertium eſt raptus, per quem perſona cum vio„ lentia abducitur, libidinis exercendæ vel Matrimo„ nii ineundi cauſa, S.Th.Mol.*t. 3.d.*105. Durat au„ tem hoc impedimentum, ſecundum *Trid.* quam„ diu rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi liberè „ conſentiat: Unde libertati reſtitutam ducere poteſt, „ Probabile tamen eſt, *Tridentini* decreto tantùm „ comprehendi raptum, qui ſit cauſa Matrimonii, „ Sanch.*d.*13.V.Laym. „

Dicitur VI. *Diſparitas* cultus ſive religionis: qui „ dirimit Matrimoniũ inter baptizatum,& non bapti„ zatum etiam catechumenum. Idque Jure tantùm „ Eccleſiaſtico, non ſcripto, Bon.*q.3.p.*7.ex Kon. *&c.* „ Inter baptizatos verò non dirimit,etſi impediat.Ma„ trimonia verò cum hæreticis etſi illicita, ſunt ta„ men valida. V.ſuprà *l.2.t.1.c,4.dub.*3. „

Dicitur VII. *Vis*, ſive violentia, & gravis metus „ injuſtè incuſſus, ad Matrimonium extorquendum; „ irritatque in utroque foro. Et quidem Jure naturæ „ ſi à contrahente; poſitivo autem, ſi a tertio ſit in„ cuſſus.

Addo *gravis*, qualis ſcilicet cadit in virum con„ ſtantem, v. g. mortis, perpetui carceris, amiſſionis „ bonorum, injuſtæ excommunicationis, enormis „ indignationis patris valdè auſteri. Quando verò „ metus eſt levis, contractus cenſetur ſpontaneus; „ idque ad cavendas lites, etiam in matrimonialibus, „ ut Sacramento conſulatur, *Rebell. Sanch.Pont.&c.* „ communiter cum Dian.*p.3.t.* 4. *R.* 230. *& t.* 5. *R.* „ 117. quamvis *Nav. Gabr. & Covar.* id negent, ſi „ metus ita extorſerit conſenſum, ut abſque eo non „ fuiſſet. Addidi 2. *injuſtè*; quia ſi juſtè ſit incuſſus, „ valet Matrimonium; talis enim non tam infertur „ ab alio, quàm ab ipſomet, qui cauſam dedit: ut ſi „ v. g. deprehenſo in crimine cum filia, mineris accu„ ſationem, niſi illam ducat. Addidi 3.*ad extorquen„ dum*: quia Matrimonium ex metu etiam gra„ viſſimo, undecunque & quandocunque incuſ„ ſo, dummodò non ad Matrimonium extor„ quendum, valet, tunc enim non tam contrahitur „ metu,

metu quàm eligitur medium evadendi periculum: & Matrimonium est simpliciter voluntarium. Unde resolvitur valere Matrimonium in sequentibus casibus. V. Bon. *q.* 3. *p.* 8.

1. Si concubinarius metu gehennæ vel mortis, in morbo vel naufragio contrahat cum concubina. Bon. *l. c.*

2. Si quis à Medico persuasus, non diu se victurum, nisi ducta uxore, eam ducat, Bon. *n.* 19.

3. Si in carcerem conjectus, spe evadendi contrahat cum filia lictoris, Sanch. *l.* 4. *d.* 12. *n.* 10. Kon. *d.* 28. *dub.* 1. *c.* 3.

4. Si ad mortem damnatus, ut evadat, ducat meretricem aut aliam, Kon. *n.* 10 Fill. *c.* 4. *q.* 9.

5. Si princeps obsessus offerat filiam in Matrimonio obsidenti, ut liberetur obsidione, *Ibid.*

6. Si raptor vel deflorator virginis, metu mortis offerat se Judici ad eam ducendam, Bonac. *n.* 22. *ex Regin. Henriq. &c.*

8. Si ad mortem decumbens contrahat cum filiâ Medici alias illi mederi nolentis, Reb. Sanch. *d.* 12. Con. Fill. *n.* 103. &c. etsi alii quidam negent.

8. Etsi metus gravis incussus fuerit tantùm ad contrahendum Matrimonium in genere, contractum tamen nullum esse docet *Sanch. Salas, Palaus, Pont. &c.* cum Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 33. contra Azor. *& alios* 4.

9. Quando Matrimonium ex gravi metu contractum fuit, non teneri (in foro conscientiæ) per se loquendo, illud perficere, possèque altero invito resilire, etiam eum, qui liber à metu fuit, etiamsi ab ipsò seu ejus culpa illatus fuerit, docet Sanch. Villal. Hurt. & Ochag. cum Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 229. *& p.* 9. *t.* 8. *R.* 27. contra *Kon. & Pont.*

Dicitur VIII. *Ordo* scilicet sacer sive major, quem qui non coactus suscepit, invalidè Matrimonium contrahit, ut vid. suprà *de Sacramento Ordinis*; & hîc *impedimento tertio.*

Dicitur IX. *Ligamen*, propter quod quamdiù quis ligatus est conjugi adhuc viventi, invalidè contrahit cum alio: quamquam licitè, & sine peccato, si moraliter sit certus de morte conjugis: qui si postèa compareat, tenetur ad eundem redire, dimisso posteriori. V. Bon *p* 10.

Dicitur X. *Honestas*, hoc est, justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia vel Matrimonium ratum. Et quidem ante *Tridentinum* & Jure antiquo hoc impedimentum dirimit Matrimonium inter sponsum & consanguineos sponsæ usque ad 4. gradum, oriturque ex sponsalibus quibuscunque, etiam invalidis, (præterquàm ex defectu consensus) Jure verò novo *Tridentini* non oritur, si sponsalia sint invalida; & irritat tantùm usque ad primum gradum, si ex sponsalibus; ad quartum verò si ex Matrimonio rato sequatur, V. Bon. *p.* 11. Sanch. *l.* 7. *d.* 68. Fill. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 6. Notat etiam *Dian.* non oriri ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 222. ex *Pont.* & aliis 3. contra *Sanch.* uti neque ex conditionatis, donec conditio sit impleta, *p.* 9. *t.* 6. *R.* 52. ex *Opat* Oriri tamen ex Matrimonio invalido, nisi sit tale ob defectum consensus, *p.* 9. *t.* 6. *R.* 50. ex declaratione *S. Pii V.* atque adeò etiam ex clandestino, *ibid. R.* 53. ex *Pontio*, *Palao*, *Hurtad. Perez &c.* contra *Sanch. & Propos.*

Dicitur XI. *Ætas*, quia ad valorem Matrimonii Jure Ecclesiastico requiritur annus 14. viri, & 12. fœminæ completus: nisi tamen malitia ætatem supplear, hoc est, adsit & doli capacitas & potentia ad copulam, de quibus judicare prudentù est, Laym. *c.* 12. *n.* 1. *c. De illis, &c. ult. cod. tit.*

Dicitur XII. *Affines*, est autem affinitas, propinquitas personarum, nata ex copula carnali, sive licita, sive illicita. Utraque Jure saltem Ecclesiastico dirimit Matrimonium, illa usque ad 4. gradum inclusivè; hæc verò Jure novo usque ad secundum tantum. Et quidem si antecedat Matrimonium nam si superveniat, v. g. si *Titius* cognoscat uxoris suæ cognatam in secundo gradu, non dirimit, licèt is, qui peccavit, non possit petere debitum, sed tantùm reddere. Porrò gradus & lineæ affinitatis accipiuntur, sicut in consanguinitate, ita ut qui est uxoris consanguineus in primo gradu, sive rectæ sive transversæ lineæ, is sit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ vel transversæ. Denique omnis affinitas, quæ oritur ex affinitate, sublata est per *Concilium Lateranense*, V. Laym. & Bon. *p.* 12. *Unde resolves.*

1. Is qui fornicatus est cum sorore sponsæ suæ, cum neutra potest validè contrahere citra dispensationem; imò nec cum earum consobrina, vel matertera.

2. Potest quis ducere affinem fratris sui, etiam in primo gradu, v. g. duo fratres possunt ducere duas sorores; imò pater & filius possunt ducere matrem & filiam, Laym Bonac. *l. c.*

3. Titius potest successivè ducere Teiam & Bertam, quæ fuerunt uxores Caji & Sempronii fratrum.

4. Titius, qui duxerat sororem Caji, potest post mortem Caji ejusque sororis, ducere Bertam uxorem Caji.

Dicitur XIII. *Si clandestinus*, quia *Trid.* irritat Matrimonium eorum, qui contrahunt aliter quàm coram Parocho vel alio Sacerdote de ipsius vel Ordinarii licentia, & duobus ad minimùm testibus: vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint vel etiam interfuerint, *Unde resol.*

1. Per Parochum intelligitur is, qui habet ordinariam jurisdictionem in contrahentes, ut potè qui domicilium & habitationem in ejus Parochia; item Episcopus vel ejus Vicarius in sua diœcesi, uti & Papa: item Capitulum sede vacante, Cardinales in Ecclesiis sui tituli; Legati in sua provincia. Sufficit etiam excommunicatus aut non Sacerdos. Nec requiritur, ut à parte rei verè sit Parochus, sed sufficit, si habeat titulum saltem coloratum, ita ut communi errore habeatur Parochus, nec sit intrusus absque omni titulo. V. Bon. *q* 2 *p.* 8.

2. Parochus, vel quivis habens jurisdictionem ordinariam, potest alium sibi substituere, non tamen nisi Sacerdotem.

3. Cùm ad testes requisitos non addatur, debere esse omni exceptione majores, sufficiunt etiam infames, fœminæ, pueri habentes usum sufficientem rationis, parentes, domestici, ac servi.

4. Si duo sint Parochi ejusdem Parochiæ, potest utervis assumi. Similiter qui habet duo domicilia, quæ æqualiter inhabitat, vel domum, quæ partim pertinet ad unam Parochiam partim ad alteram, potest alterutrum accersere; quia uterque est prius Parochus, Laym. Bon. *l. c.*

5. Etsi ex præcepto adhibendus sit Parochus contrahentis illius, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sufficit tamen ad valorem, si alterutrius Pastor assistat, ut declaravit *Congr. Cardinalium* apud Rebel. & Bon. *qu.* 2. *p.* 8. etiam extra suam Parochiam vel diœcesin, quia hic actus non est jurisdictionis contentiosæ: Nam tamen licebit tunc nuptiis benedicere sine alterius licentia Sanch. *l.* 3. *d.* 19.

6. Is qui substituitur, debet habere expressam vel saltem tacitam licentiam ex ratihabitione de

„ præsenti, quia non sufficit ratihabitio de futuro, qua „ quis putet alterum posteà ratum habiturum, Sanch. „ *d.* 35. Reg. Kon. apud Bon. *n.* 11. licèt ipse neget „ tacitam sufficere.

„ 7. Vagabundi possunt contrahere coram quolibet Parocho, (idque, ut Laym. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* „ 3. docet ex *Sanch.* etsi alteruter tantùm sit vagus,) „ hic autem tenetur de illorum conditione diligenter „ inquirere, ut monet *Trid.* an scilicet alibi sint con- „ juncti, &c. & deinde petere licentiam ab Episcopo „ assistendi; sine qua licèt validè assistat, graviter „ tamen peccat. Ita Laym. *n.* 3. ex Sanch. *d.* 19. & „ *d.* 25. *n.* 14.

„ 8. Peregrini, qui ex causa exiguo tempore domo „ absunt, non possunt contrahere peregrè coram Pa- „ rocho loci, quia non est illorum verus. Aliud est „ de iis, qui alicubi habitationem figunt pro majore „ parte anni, aut eò venerunt animo manendi, saltem „ majore anni parte, licèt posteà contingat casu subi- „ to recedere, v. gr. famuli, ancillæ, studiosi, Bon. *q.* „ 1. *p.* 8. *n.* 1. Sanch. *d.* 23. *n.* 11. Ratio, quia contrahunt „ ibi domicilium Parochiale, & Pastor illius loci est „ proprius illorum. &

„ 9. Parochus & testes sic debent esse præsentes, ut „ advertere possint, quid agatur, & de eo testari. Et „ quidem non est necesse, ut ipsi videant contrahen- „ tes, dummodò audiant verba contractus, si voces „ contrahentium noverint, Sanch. Fill. Pont. & alii 5. „ cum Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 68. contrà *Barbos.* Nec refert, „ etiamsi per metum, vim, dolum aut injuriam no- „ lentes detineantur, vel etiam contradicant ac resi- „ stant: ac licèt prohibiti sint ab Ordinario, ne inter- „ sint, Bon. *l. c.* ex declar. Card. Kon. Fill. Sanch. „ *ll. cc. &c.*

„ 10. Parochus tenetur utrumque contrahentem in- „ terrogare, non quidem de impedimento, Gutt. „ Sanch. Dian. *p.* 3 *tr.* 4. *R.* 294. sed de mutuo consen- „ su, Trid. *sess.* 24. *c.* 1. Ejus tamen omissio, quando de „ utriusque libero consensu constat, venialis tantùm „ est, Sanch. Kon. Dian. *l. c.* Similiter mortale non esse „ etsi intellecto consensu non dicat: *Ego vos conjun- „ go in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* do- „ cent *Sanch. Con. Vill. Gutt. Dian. R.* 256. contra *Re- „ bel. &c.*

„ Dicitur XIV. *Et impos:* quod impedimentum vo- „ catur frigiditas vel impotentia; Quæ si perpetua sit „ & Matrimonium antecedat, irritat illud Jure natu- „ ræ; vel omne, & respectu cujuscunque, si sit abso- „ luta; vel certum tantùm, si sit restricta seu respecti- „ va: Idque sive orta sit ab intrinseco & vitio naturæ; „ sive ab extrinseco, opera hominis vel diaboli, sive „ cognita alteri fuerit, sive non; sive sit ex parte utri- „ usque contrahentis, seu alterius tantùm. Ratio, quia „ Matrimonium consistit in mutua traditione corpo- „ rum physicè aptorum ad generationem, sive in tra- „ ditione potestatis corporis ad copulam conjugalem: „ hanc autem potestatem impotens non potest trade- „ re, cùm eam non habeat.

„ Porrò impotentia in viro esse censetur, quando „ est eunuchus, vel saltem non potest seminare intra „ naturale vas fœminæ; in fœmina verò, quando vel „ seminare non potest (si verum est, semen fœmina- „ rum requiri ad generationem) vel propter arctitu- „ dinem non potest virũ pati, aut ejus semen recipere.

„ Dixi 1. *Si sit perpetua*: qualis est, quæ nulla arte „ potest tolli. In dubio autem perpetuitatis concedi- „ tur à Jure triennium ad experiendum bona fide.

„ Dixi 2. *Si antecedat*: nam si subsequatur Matri- „ monium, non irritat illud, etsi usum ita impediat, „ ut soli contactus & oscula liceant, citra periculum „ pollutionis. Idque quando impotentia est certa, „ nam si dubia sit, tamdiù licet conari ad copulam quamdiu probabilis est spes seminandi intra vas. „ Lay. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 4. *c.* 12. ex Sanch. Nav. Henriq. „ *Unde resolves.* „

1. Invalidè contrahunt evirati seu eunuchi, quando carent utroque teste quia non emittunt verum „ semen aptum generationi. *Nec refert*, quòd instar „ senum sterilium satisfaciant concupiscentiæ fœminæ, *quia* id non faciunt per copulam naturæ sua aptam generationi, ob defectum seminis, quod senes „ tamen emittunt, etsi semen senum per accidens non „ sit prolificum, Laym. *l. c.* Bon. *q.* 3. *p.* 13. *&c.* „

2. Validè contrahunt, 1. steriles, quia etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam, „ atque adeò sunt capaces omnis juris & obligationis „ Matrimonii; & susceptio prolis, licèt sit præcipuus, „ non tamen unicus, nec immediatus finis Matrimonii, Bon. *p.* 13. ex Henr. Kon. Fill. &c. Eadem est „ ratio de iis, quæ non edunt fœtum nisi mortuum, „ vel non nisi cum periculo vitæ, Bon. &c. *ll. cc.* 2. „ Hermaphroditi quia verè sunt potentes ad usum „ Matrimonii. Et quidem si alter sexus emineat, se- „ cundùm illum tantùm valebit: si uterque sit par, „ optio illis datur; ut utrolibet utantur, ita tamen, „ ut quem semel elegerint, semper retineant, Sanch. „ *l.* 10. *d.* 106. Bon. *l. c.* ex Henr. Sanch. Kon. Filliuc. „ *&c.* 3. Is qui paulò post est moriturus: quia in eo „ manet potentia ad coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur: Patet ex praxi Ecclesiæ, quæ illis „ interdùm suadet, ut concubinas ducant, Laym. *l. c.* „ ex Sanch. *d.* 105. *n.* 3. Cov. *&c.*

3. Impuberes, si utantur ratione, non Jure naturæ sed Ecclesiastico tantùm, invalidè contrahunt, „ quia impotentia illorum est tantùm temporalis. Vide *supra hoc dub. imped.* 3.

Quæres. Quid censendum de Matrimoniis, quæ „ contrahuntur in partibus hæreticis?

Resp. Circa ea *Congregatio Cardinalium* resolvit „ sequentia, 1. Ubi hoc decretum Concilii nondum „ publicatum est in Parochia, v. g. in Saxonia & Anglia, valere Matrimonium contractum absque forma præscripta. Publicatio autem decreti facta præ- „ sumitur, si id aliquo tempore in Parochia tanquam „ decretum Concilii fuit observatum. 2. Hereticos, „ in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, v. g. in Hollandia, Frisia, &c. teneri formam „ præscriptam servare: Unde consequenter ipsorum „ Matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico vel Magistratu contracta, „ videntur esse nulla, Laym *tamen l.* 5. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 4. „ putat eam non esse mentem summorum Pontificum, propter gravissima incommoda inde subse- „ cutura. 3. Si Parochia, in qua aliquando decretum „ fuit observatum, proprio Parocho & Episcopo ca- „ reat, nullusque iste sit, qui vices Episcopi vel Parochi suppleat, Matrimonium valere absque præ- „ sentia Parochi: servata tamen, in quibus potest forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Idem est, si Parochus & Episcopus metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubi sit, vel „ eorum metu absit à diœcesi, & ad neutrum sit tutus accessus.

Dicitur XV. *Raptave sit*, de quo vid suprà *in im- „ pedimento criminis.* „

ADDENDA.

Vast. 69. *Quis possit inducere impedimenta dirimentia?* R. §. 1. Quoad Matrimonia fidelium sola Ecclesia, & non Magistratus civilis potest statuere leges & impedimenta circa Matrimonium, *can. Euphemium* 2. *q.* 3. *c.* 1. *de Sponsal. cap. Tuam, de ordine cognit.* Ratio est, quia hoc ipso, quòd contractus Matrimonii inter fideles sit elevatus ad rationem Sacramenti 513

menti, est sacer, ergo subductus est potestati laicali, ad eum modum, quo ordinatus sacris eximitur à potestate laicali. *Nec obstat*, quòd in Gallia Principes regii sanguinis non possint sine consensu Regis validè contrahere Matrimonium, *nam*, si ita est, fit ex approbatione Ecclesiæ. Videri possunt Pont. *l. 6. c. 1. & 2.* & Delb *c. 8. d. 20. s. 1. & 2. ubi s. 4.* percurrit multas leges civiles circa essentialia Matrimonii, probatque esse irritas. Aversa. autem *q. 9. s. 1.* rectè rejicit *Sanch.* & alios, qui putant Principes infideles posse circa Matrimonia fidelium constituere impedimentum.

Objic. Contractus Matrimonii pertinet ad Jus naturæ, ergo potest illud contrahere, qui à natura nullum habet impedimentum, ergo nequidem potestas Ecclesiastica potest inducere illud impedimentum. R. Pertinet ad Jus naturæ, non præceptivum, sed permissivum, quamvis autem potestas humana non possit præcipere, quod Jus naturæ prohibet, aut prohibere, quod præcipit, tamen potest libertatem naturalem modificare, v. gr. prohibendo hoc, quod seclusis causis & circumstantiis simpliciter liceret.

514 §. 2. Solus Papa vel Concilium generale, non autem Episcopi possunt ejusmodi impedimenta inducere, Pignat. *T. 1. consul. 151. n. 19.* Arcud. *l. 7. c. 29.* Aversa. *q. 9. s. 2.* dicens nunc esse certum, quamvis enim Episcopi olim constituerint impedimenta, tamen potestas illa nunc est reservata Papæ, ex consuetudine saltem, Sanch. *l. 7. d. 1. n. 9.* Pont. *l. 6. c. 1. n. 12.* Ex hoc autem, quòd Ecclesia possit nova impedimenta inducere, non ideò potest formaliter immutare institutionem Christi, ut explicavi *l. 6. q. 1. n. 17.*

515 §. 3. Quoad Matrimonia infidelium, posset Magistratus civilis sive fidelis, sive infidelis, constituere impedimenta, ut possunt circa alios contractus civiles, S. Th. Sot. Bellarm. Sanch. *d. 3. n. 5.* Pont. *n. 2.* Hinc infert *Aversa.* si infideles contraxissent contra leges Principis sui, & converterentur, debere separari, nisi iterum contrahant secundùm leges Ecclesiæ.

516 §. 4. Magistratus civilis nequidem potest imponere pœnam illis, qui v. g. sine consensu parentum, vel cum aliquo extraneo contrahunt: & si volens adjuvare prohibitionem Ecclesiæ imposuerit pœnam illis, qui cum hoc vel illo impedimento contraxerint, non potest pœnam talem exigere, si Ecclesia in tali impedimento dispensarit, quia tum nulla culpa est sic contrahere, ergo non debetur pœna, sed impediretur libertas Matrimonii, quod prohibet Ecclesia, Delb. *d. 19. s. 9.* Rectè tamen notat Pont. *c. 2. n. 5.* & *Aversa.* Magistratus civiles posse ponere leges circa accessoria Matrimonii, ut circa arrhas, sponsalitiam largitatem, dotem, donationes inter conjuges, successiones &c. hæc enim non pertinent ad substantiam Matrimonii, quæ sola sacra est, Delb. *d. 20. s. 1. n. 12.*

517 *Q. 7°. An per consuetudinem possit induci novum, vel abrogari antiquum impedimentum Matrimonii?* R. Quid sit consuetudo, quandonam habeat vim inducendi vel abrogandi legem insinuavi *l. 1. à n. 570.* Hic addenda sunt sequentia.

§. 1. Per consuetudinem potest induci vel abrogari lex aliqua ab Ecclesia lata, *cap. fin. de consuet.* Suar. *de leg. tr. 2. cap. 49. n. 27.* adeóque possunt impedimenta aliqua dirimentia Matrimonii vel induci, vel abrogari per consuetudinem, Less. *in auctario v. Præscriptio casu 5.* Sylv. *in supplem. q. 50. art. un. concl. 7.* Duo tamen requiruntur, imprimis ut hæc consuetudo sit rationabilis: deinde, ut sit legitimè, sive justo & præscripto tempore servata, ut notant omnes.

518 §. 2. Secundùm Pontium *l. 6. c. 5. à n. 2.* & Less. *de just. l. 2. c. 6. dub. 18. n. 45.* consuetudo contra legem dicitur rationabilis, quæ aliàs, servata illa lege, quam everti, non continet turpitudinem aut deformitatem contra legem divinam vel naturalem, vel rationis æquitatem, consuetudo enim non præscribit Juri divino vel naturali.

519 §. 3. Laym. *lib. 1. tr. 4. c. 24. n. 6.* ex communi docent ad præscribendum contra legem civilem requiri annos 10. contra Ecclesiasticam, 40. Castr. *tr. 3. d. 3. p. 1. §. 2. n. 5.* citans multos, dicit in omni lege sufficere decennium, quia tantùm requiritur longum tempus, sed decennium in Jure est longum tempus, ergo. Concedit tamen ad præscriptionem contra Ecclesiam requiri 40. annos: consuetudo autem abrogans legem Ecclesiasticam, secundùm ipsum, potiùs est in favorem Ecclesiæ, & perficitur 10. annis. Idem sentit Less. *l. 2. c. 6. dub. 14. & Gran.* dicens cum Pontio *c. 5. n. 3.* aliud esse loqui de consuetudine, aliud de præscriptione.

520 §. 4. Caj. Sanch. Salas, Sot. Abb. Roch. Sylv. Laym. Vasq. *in 1. 2. d. 177. n. 64.* notant, hoc esse discrimen inter consuetudinem, & præscriptionem, quòd consuetudo non requirat initio justum titulum, imò non possit incipere bona fide, primi enim semper peccant contra legem scriptam, unde, quòd consuetudo legem vincat, non habet ex virtute propria, sed ex consensu Principis tacito vel expresso, ex quo superveniente, usus efficitur licitus, & mala fides purificatur, tacitè autem consentire videtur, & approbare (si enim resistat, nunquam prævalet consuetudo) si sciens populi morem, cùm possit prohibere vel dissensum declarare, longo tempore toleret, v. *Th. Med. Sylv. Sal.* Non requiri autem scientiam specialem Principis vel Papæ (sed sufficere consensum generalem seu legalem traditum in Jure *c. fin. de consuet.* ubi dicitur, consuetudinem rationabilem decennio durantem prævalere, quæ dispositio Juris, est consensus legalis sive generalis omnis Principis) docet Azo. adducens Roch. & Covarr. item Sanch. *l. 7. d. 4 n. 11.* Suar. Con. Less. *l. 2. c. 6. d. 14. n. 45.* Castrop. *tr. 3. d. 3. p. 2. § 4. n. 3.* Malder. Aversa. *q. 9. s. 3.* & Gob. vocat probabilem, licèt contrarium putent alii cum Pontio *c. 6.* E contrà præscriptio induci non potest, nisi actibus à principio justis, & bona fide, uti dixi *l. 3. p. 2. n. 480.* cùm enim hæc à vero domino dominium auferat sola concessione legis, ut contentiones vitentur, si quis mala fide inciperet possidere, iniquum esset legem tali concedere dominium rei.

521 §. 5. Impedimenta Matrimonii, quæ sunt Juris divini vel naturalis, non vincit consuetudo. Nec etiam ea, quæ sunt Juris divini impedientia tantùm, & Juris Ecclesiastici dirimentia, quia hoc ipso, quòd Deus & Ecclesia directè semper vetent talia Matrimonia, præsumendum est illos nunquam in ea consentire. Et tale quid est votum continentiæ, & maximè solemnis, Gob. *tr. 9. à n. 41.*

522 §. 6. Nav. Suar. Laym. *l. 1. t. 4. c. 24. n. 12.* rectè docent nullam legem humanam esse, quæ contraria consuetudine tolli non possit, quidquid contradicant *Az.* excipiens eas, quæ ex legibus divinis vel traditione Apostolorum deducuntur, & in eis fundentur, & *Zypæus* excipiens præterea eas leges, quæ singulis annis repetuntur in Bulla Cœnæ: valeque doctrina *Laym.* etiam circa leges infirmantes contractum, v. g. ob solemnitatem requisitam, personæ ex lege humana inhabilitatem &c. Gloss. Suar. Salas, Sanch. Con. *in 3. par. t. 2. d. 30. dub. 1. concl. 6.* Pont. *l. 5. cap. 9. n. 3.* Et quamvis consuetudo à lege prohibeatur ac reprobetur, vim tamen habet præscripto tempore eam abrogandi, 1. Si mutentur res, aut superveniat nova causa à legislatore non prævisa. 2. Si legis lator concius consuetudinis eam rursum non prohibeat, vel dissensum non ostendat per præscriptum tempus, Laym. Pont. *c. 6. n. 9.* Sanch. Con. *concl. 4. n. 14* Cov. *l. 3. Var. c. 13. n. 4.* dicens hanc opinionem esse communem.

523 §. 7. Consuetudinem habere vim circa impedi-

menta Matrimonii inducenda, colligitur ex *cap.* 1. *& cap. Super eo, de cognat. spirit.* ubi quæstio erat, an valeret Matrimonium inter duorum compatrum filios, & dicitur, *De his te volumus consuetudinem tuæ Metropolitanæ Ecclesiæ, & aliarum circumpositarum exquirere, &c.* similiter habetur *cap. Quod dilectum, de consanguin.* Posse autem etiam per consuetudinem abrogari impedimentum aliquod Matrimonii, docent Sanch. Con. Pont. Castrop. Aversa. Krim. *n.* 1844. quamvis lex etiam generalior talem consuetudinem improbet. Excipiunt, si lex talem consuetudinem vocet, v.g. abusum aut corruptelam: sed iterùm limitant, nisi nihilominus legis lator posteà sciens, & videns eam introduci, tacitè approbet, tum enim de novo vult, aut permittit, ut valeat, sicque desinat esse corruptela; notatque Sanch. & Krim. *à n.* 1257. tum tantùm ejusmodi consuetudinem non esse corruptelam, si per circumstantias ita justificetur, ut hìc & nunc meritò præcipi posset, ideóque multò magis per nullam consuetudinem, quæ plus nocet bono communi quàm prosit, nullam legem etiam humanam tantùm abrogari posse, quia irrationabilis est, & manet corruptela. Ex dictis,

524 §. 8. Colliguntur multa, de quibus alibi suis locis dixi, v.gr. per consuetudinem, quamvis communissima sit & longissima, non justificari, 1. usuram: 2. simoniam: 3. violationem immunitatis Ecclesiasticæ: 4. retentionem plurium Beneficiorum Ecclesiasticorum sine dispensatione ex causa, si singula sufficiant ad plenam sustentationem, &c. Ratio patet ex dictis.

525 *Q.* 71. *Quid dicendum de illo, qui Matrimonium contrahit invincibiliter ignorans impedimentum dirimens, quod habet?* R. Ignorantia illum excusat, ut non peccet, nihilominùs Matrimonium est invalidum, non aliter, ac si impedimentum fuisset cognitum, quia, quamvis ignorantia excuset, ubi lex est prohibens tantùm, non tamen excusat, ubi est irritans. *Nec refert*, quòd impedimenta aliqua videantur habere rationem pœnæ, ut impedimentum criminis: pœna autem secundùm sententiam communem non incurritur, ubi adest ignorantia illius invincibilis, *nam* impedimenta illa, censeri non debent primariò, & principaliter pœnæ, uti dicetur *n.* 642.

526 *Q.* 72. *An leges humanæ constituentes impedimenta dirimentia, absolutè obligent in omni casu?* R. Affirmativè. Hinc 1. si quis cognovit sororem sponsæ suæ, & Superiores dispensare nolint, ex nulla causa vel metu potest sponsam suam ducere, & cum ea sic consummare Matrimonium. 2. Si quis etiam per Judicem cogatur ducere consanguineam suam, non poterit Matrimonium illud consummare ex quocumque metu etiam mortis certò inferendæ, Sanch. *l.* 7. *d.* 5. *n.* 4. Suar. *de leg. l.* 5. *c.* 22. *à n.* 9. Con. *d.* 30. *dub.* 2. *n.* 20. Less. *in auct. v. Matrimonium, cas.* 17. Aversa. *q.* 9. *s.* 5. *& q.* 6. *s.* 2. Card. *in* 1. *crisi d.* 62. *c.* 4. Probatur, nam licèt vis, & metus possint excusare à transgressione vel observatione præcepti Ecclesiastici, tamen cum, qui inhabilis est, non potest reddere habilem ad contrahendum, si enim omnimoda ignorantia me habilitare non possit, secundùm dicta *n.* 315. multò minùs metus; ideóque talis Jure naturæ tenetur abstinere à copula, utpotè fornicaria, cùm inter eos nullum sit Matrimonium. Ratio à priori est, quia inhabilitas antecedenter nascebatur à lege vel voluntate Superioris, quem mea causa vel metus non attingit, sed me solum, ideóque etiam me solum excusare potest à peccato, si quantùm in me est contraham externè ad vitandam mortem intendens non consummare, nisi post dispensationem, & novum contractum, quia talis causa vel metus facere non potest, ut Matrimonio non subsistente, copula mihi sit licita.

Objic. 1. In primo casu cognitæ virginis prævalet ex, saltem charitatis respectu, sponsæ, ergo cedere debet lex impedimenti. In secundo autem casu prudenter præsumimus de benignitate Ecclesiæ, quòd non velit, ut lex sua obliget cum certo periculo mortis, R. *Ad* 1. N. antec. quia non est capax exercere charitatem ineundo Matrimonium, cùm ad hoc sit inhabilis, leges autem non ligant eos, qui non sunt capaces ejusmodi vinculi legum. *Ad* 2. N. ass. 1. Quia habet se sicuti lex inhabilitans Sacerdotem ad Matrimonium, quæ nullum casum excipit. 2. Persuasio communis, & constans usus Ecclesiæ interpretatur legem illam sine ulla exceptione, quis enim audivit unquam aliter factum esse? Et quanta oriretur turbatio in populo, si aliter fieret? Item quàm facilè quærerent omnes prætextum ejusmodi formidinis? Ergo moraliter certum est, & omninò necessarium fuit legem illam esse sine ulla exceptione. 3. Trid. *s.* 25. *can.* 9. *de Sacr. Matr.* absolutè, & sine exceptione definit: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto.....anathema sit.*

Objic. 2. Saltem lex de assistentia Parochi non obligabit, si alio modo publicè ineatur Matrimonium, cessat enim tum finis legis, qui erat evitatio clandestinitatis. R. N. ass. nam falsò supponitur, quòd hic sit adæquatus finis illius legis, nam fuit etiam uniformitas operandi, dum celebraretur hic contractus, ideóque dictum est *l.* 1. *à n.* 868. cessante fine legis in aliquo particulari, non ideò cessare finem adæquatum vel obligationem legis respectu illius, hìc autem etiam specialis ratio fuit præcipiendi illum determinatè modum publicitatis, ne, si id relinqueretur arbitrio cujusque, confusiones, & fraudes committerentur. Quòd autem etiam circa reliqua impedimenta nunquam cesset finis adæquatus legis ea imponentis, fusè demonstrat Card. *sup. à c.* 3.

527 *Q.* 73. *An valeat Matrimonium initum cum impedimento, quod probabilis opinio dicit non esse impedimentum?* R. §. 1. Causa Matrimonii est favorabilis, *Cap. fin. de Sentent. & reiudic.* hinc censeri debet validum, si probabile sit esse validum, vultque Ecclesia favere Matrimonio, censendo illud validum, quoties juxta probabiles rationes contractum est, *Vide in propos. ab Innoc. XI. damnatas*, & cum eo DD. communiter.

§. 2. Si probabilis opinio dicebat non esse impedimentum, Papa autem vel Episcopus posteà declaret, 528
aut testes convincant tum adfuisse impedimentum; si fuerit quæstio Juris & talis materia, in qua posset Ecclesia dispensare, Matrimonium valet, quia pro tempore, quo contrahebatur, Ecclesia dispensabat, uti colligitur ex dictis hìc *n.* 40. *& l.* 6. *p.* 1. *à n.* 112. *&* 117. docentque Carden. & Gorm. *de Sacram. num.* 321. cujus ratio ulterior est, quia lex non erat tum in eo rigore recepta, ergo reipsa debebat censeri non esse tum impedimentum. Si autem fuerit error facti, v.g. quia putabatur non esse consanguinitas, cùm tamen esset, plerique cum Gorm. *n.* 320. dicunt Matrimonium non valere, quia secundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *nu.* 118. ubi non est error communis, sed privatus paucorum, Ecclesia, quamvis posset, non supplet, nec dispensat. Possunt tamen videri dicenda *n.* 535. Quòd si tota aliqua communitas falsò putaret *Trid.* non fuisse in sua Parochia promulgatum, atque ideò inirentur Matrimonia clandestinè, probabile est fore valida, quia secundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *n.* 112. error communis videtur esse sufficiens titulus ad tribuendum jus in ordine ad ita valide contrahendum, Gob. *tr.* 9. *n.* 377. *& tr.* 10. *à n.* 744.

§. 3. Quamvis agatur de impedimento, in quo 529
Ecclesia dispensare non potest, si Matrimonium

fit

sit initum secundùm opinionem probabilem, certum videtur, quòd Ecclesia habeat potestatem judicandi de valore vel invaliditate talis Matrimonii, quia sicuti similis contractus civilis certò continetur intra sphæram jurisdictionis Civilis, ita Matrimonialis intra sphæram Ecclesiasticæ; & ideò in consultatione circa Matrimonia infidelium respondit *Urb. VIII.* procedi posse secundùm opiniones verè probabiles, & favorabiliores Barbaris, uti testantur Carden. & Gorm. *num.* 323.

530 *Q.* 74. *Quid dicendum sit de illo, qui contrahit sciens vel dubitans de impedimento dirimente?* R. §. 1. Si sit infidelis, seu nondum baptizatus, & impedimentum sit Juris Ecclesiastici tantùm, v. g. consanguinitatis, vel affinitatis extra primum gradum, Matrimonium illorum post conversionem & Baptismum censeri debet validum, quia tempore infidelitatis non erant subjecti Ecclesiæ, ergo nec tenebantur ejus legibus. Aliud est, si impedimentum fuisset Juris naturalis, uti si fuissent consanguinei in primo gradu, tum enim Matrimonium nullum esset, quia lege naturali tum obligabantur. Idem est, si fuisset Juris divini, v. g. ligamen, tum enim sola prima uxor esset retinenda, quam solam validè duxisset, Spor. *n.* 231.

531 §. 2. Si fidelis contrahat, certò putans adesse impedimentum dirimens, quamvis tale non subsit, Sylv. Ang. Nav. Sot. Con. Pont. *l.* 4. *c.* 23. Spor. *nu.* 233. & alii dicunt contrahere invalidè, quia ita putans se tale impedimentum habere, non potest absolutè, & efficaciter consentire in Matrimonium, cùm apprehendat illud sibi hic, & nunc esse impossibile. Contradicunt Ledesm. Covar. Rosell. aliique cum Sanch. *l.* 2. *d.* 33. Lug. *in Resp Mor. l.* 3. *d.* 16. *n.* 13. *&* 36. & colligunt ex *Cap.* 1. *de spons. in* 6. & ex *Clemen. un. de consang.* quia prævalere potuit intentio generalis faciendi quod potest, secundùm dicta *lib.* 6. *p.* 1. *à n.* 69. Aversa. *q.* 11. *s.* 2. rectè tenent cum prima sententia, si absolutè putet subesse impedimentum, si autem putet posse non subesse, aut eo non obstante fortè posse validè contrahi, intendatque facere, quòd potest, validè contrahit, est enim habilis, & hæc intentio prævalet: attamen sic contrahens peccat mortaliter, saltem quia contravenit præcepto gravi de non contrahendo cum impedimento.

532 §. 3. Ledesm. Sanch. Hurt. Fill. Dian. Perez, Dic. Gob. *tr.* 9. *n.* 60. negant eum peccare peccato sacrilegii, qui Matrimonium etiam scienter ita invalidè contrahit cum impedimento dirimente, quia cùm ibi nec Sacramentum, nec aliquid sacrum ponatur, non appareret, in quid redundaret irreverentia in rem sacram ad sacrilegium requisita: sed probabiliùs contradicunt Con. Laym. Aversa. *q.* 9. *s.* 5. quia hoc ipso, quòd quasi tentet tanquam Minister ponere contractum Matrimonii, facit rationem Sacramenti à Christo annexam esse irritam, ergo satis gravis irreverentia refunditur in authorem Sacramenti, uti si quis vellet baptizare, & uteretur vino, quamvis nullum poneretur Sacramentum, attamen esset sacrilegus. Peccat præterea talis specialiter contra illam virtutem, ob quam positum est hoc vel illud impedimentum, v. gr. peccat contra virtutem religionis, qui contrahit cum voto solemni, & ita de aliis, Perez *d.* 21 *s.* 2. An autem peccet, qui metu gravi coactus, ita contrahit, dicam *n.* 660. Quam verò pœnam incurrat, qui ita scienter, & malitiosè contrahit cum impedimento dirimente; dicam *à n.* 807.

533 §. 4. Qui contrahit cum dubio de impedimento, contrahit validè, si impedimentum non subsit, quia æquivalenter habet consensum sub conditione, si potest, si est habilis, ergo si impedimentum non aderat, consensus erat absolutus. Quòd si dubium sit vincibile, peccat mortaliter contrahens ante solutum dubium, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis, hinc tenetur saltem sub conditione petere dispensationem, si impedimentum subsit: si post inquisitionem maneat dubium, & vinci non possit, *Less. in auct. v. Matrimonium cas.* 10. Castrop. *tr.* 1. *d.* 3. *pu.* 8. *n.* 18. cum plurimis aliis putant adhuc peccare, si sine dispensatione conditionata contrahat, quia adhuc manet periculum nullitatis: & hæc sententia tutior est ac in praxi suadenda. E contrà Th. Sanch. *l.* 8. *d.* 6 *n.* 16. Jo. Sanch. Caram Tamb. Spor. *suprà*, Gob. *tr.* 9. *n.* 62. Carden. Krim. *à n.* 2436. *Rosmer.* probabiliter dicunt non peccare, quia pro libertate est possessio, certum enim est eum licitè contrahere, qui non impeditur, ergo cùm tantùm dubitetur de impedimento, possessio non est pro impedimento, ergo resolvere se potest sibi hìc, & nunc esse licitum contrahere, fatentur tamen teneri alterum monere de hoc dubio, ne hic exponatur periculo gravium incommodorum. Et si posteà innotescat impedimentum, petendam esse dispensationem.

§. 5. Cùm sit opinio communiter recepta tanquam probabilis, v. g. quòd patrinus non contrahat impedimentum, si physicè non tangat baptizandum, vel confirmandum, si quis plenè probet, se non attigisse, non indiget dispensatione, quia dubium impedimentum, saltem si sit dubium Juris, non est impedimentum, sed omninò tollitur ab Ecclesia, & in dubio, an ejusmodi casus indigeat dispensatione, censendum est non indigere, uti dictum est *l.* 1. *n.* 818. Si autem semiplenè tantùm probet, indiget dispensatione, quia favet illi sola probabilitas facti, cum qua non solet supplere, neque pro valore decernere Ecclesia, requirens certitudinem facti, Carden. *in* 2. *crisi dist.* 2. *à num.* 629. 534

§ 6. Hnc pertinet solutio sequentis casus: Catharina uxor Sempronii, eo tempore, quo concepit Cajum, sæpè coivit etiam cum Titio adultero; Si Cajus ex Titio sit conceptus, est Bertæ, quam Cajus nunc vult ducere, in primo gradu affinis. *Quæritur*, an Cajus debeat censeri impeditus, & indigeat dispensatione? R. Negativè, quia cùm sit conceptus stante legitimo Matrimonio, est præsumptio Juris pro honestate & legitimitate, contra quam prævalere non possunt aliæ præsumptiones facti, ut optimè deducit Sperell. *dec.* 174. adeó que pro certo haberi debet, quòd Cajus natus sit ex Sempronio. Quòd si supponamus remanere dubium, ex quo conceptus sit, putant aliqui opus fore dispensatione, quia licèt Ecclesia, quando est dubium Juris, quod solvi non potest, non agnoscat impedimentum, sed tollat, si fortè subsit, uti dictum est *n.* 534. tamen id non tenet in dubio facti, quale hìc est, si enim posteà erumperet impedimentum, deberet Matrimonium revalidari, ergo signum est, quòd Ecclesia ab initio non dispensaverit, sed fuerit, & manserit invalidum. Nihilominus *Carden. à n.* 525. dicit, quando in quæstione facti ex conjecturis utrimque probabilibus resultat purum dubium omnino invincibile, hoc non obstare contrahendo Matrimonio, quia etiam hìc, dum impedimentum est in statu puri dubii invincibilis, videtur, quòd possessio sit pro libertate, uti cum communi Sanch. *l.* 8. *d.* 6. *n.* 18. Et Cardenæ contentiunt J. Sanch. *d.* 43. *n.* 44. Burgh. *cent.* 3. *cas.* 100. & rectus aliquos faventes referam *n.* 536. Videri etiam potest Zacchias *l.* 1. *tit.* 5. *q. ult.* ubi examinat, si mulier, quæ statim ab obitu viri nupsit alteri 9. Mensium spatio patiat, cujus mariti proles censeri debeat? Quid autem dicendum sit, si vultus prolis majorem similitudinem habeat cum uno eorum, qui cum eadem muliere coierunt, quàm cum altero? examinat idem Zacch. *q.* 4. & certum videtur, quòd hoc signum sit absolutè fallibile. 535

o ſt e in provenire à phantaſia ſolius matris.

536 §. 7. Hùc etiam pertinet ſolutio ſequentis caſus. Dubitatur, an non proavus Titii, & proavia Cajæ fuerint frater & ſoror? Cauſa dubitandi eſt, quia ſciuntur fuiſſe ex eadem villa, & habuiſſe idem cognomen. Si fuerint frater, & ſoror, nepotes illi, qui nunc volunt contrahere, ſunt conſanguinei in quarto gradu: ſi autem Titius, & Caja fuerint patrueles tantùm, aut aliter agnati, nullum inter jam contracturos ſubeſt impedimentum. Hoc dubium jam ſolvi non poteſt, neque ex memoria vel ſcientia hominum, neque ex libro baptiſmali vel aliunde. *Quæritur*, an cenſeri debeant impediti, aut quid agendum ſit? R. Putarunt aliqui cenſeri poſſe nullum ſubeſſe impedimentum, quia Jus *Cap. Licèt, de teſt. & atteſt.* requirit, ut clara computatione diſtinguantur ſinguli gradus ex utroque latere & *Cap. Tua, de conſang. & affi it.* ſtatuitur, ut incipiatur à ſtipite, diſtinguendo gradus nominibus propriis vel æquipollentibus, deſignando perſonas, quod hìc fieri non poteſt, ergo in hoc caſu Eccleſia non agnoſcit impedimentum. Deinde ſecundùm dicta *nu.* 527. conjugium multum favoris habet: prætereà *in obſcuris favendum libertati, libertas omnibus rebus favorabilior eſt, ff. de Reg. Juris, Reg.* 122. *& Reg.* 20. *Quotiens dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundùm libertatem reſpondendum erit.* Oppoſitum putavi tenendum, quia dato, quod in vero utrimque dubio impedimenti, ſi dubium ſolvi non poſſit, Eccleſia non agnoſcat impedimentum, tamen caſus hic non videtur habere ejuſmodi dubium, quia eſt poſitiva probabilitas, & admodùm magna præſumptio pro impedimento, pro negatione autem impedimenti nulla eſt poſitiva ratio, hinc judicavi petendam eſſe diſpenſationem, ſi contrahere vellent. Unde univerſaliter.

537 §. 8. Quando præſumptio ſtat pro impedimento, quamvis videatur aliquo modo dubium, illicitum eſt ſine diſpenſatione contrahere, uti fatentur communiter omnes cum Sanch. & Krim. *n.* 2438. v. g. qui ſcit ſe cum ſorore Bertæ habuiſſe copulam intra vas, & dubitat, an intra vas ſeminarit, contrahere non poteſt cum Berta, niſi diſpenſata affinitate, quia cùm in tali actu communiter fiat ſeminatio intra vas, præſumitur etiam jam facta eſſe, nec pro oppoſito habetur prudens argumentum.

538 §. 9. Ex dictis *n.* 534. ſequitur, quamvis probabilius ſit impedimenium Juris Eccleſiaſtici ſubeſſe, ſi probabile ſit non ſubeſſe, poſſe Matrimonium iniri ſine diſpenſatione, quia Eccleſia tum tollit impedimentum, ſi ſubſit, Sanch. *l.* 8. *d.* 6. *n.* 18. Sperell. *dec.* 119. *n.* 57. *& dec.* 175. *n.* 89. E contrà, ſi ſit impedimentum, in quo Eccleſia fortè diſpenſare non poteſt, ſecundùm dicta *n.* 535. in praxi petendam eſſe diſpenſationem, ne Sacramentum exponatur periculo invaliditatis, tum enim declarabit Eccleſia, quid fieri debeat. His non obſtantibus docet Dicaſt. *de Baptiſm. d.* 1. *num.* 208. pro Matrimonio licitè contrahendo ſatis eſſe ſequi opinionem tantùm probabilem, etiamſi agatur de impedimento per Eccleſiam non diſpenſabili. Idem tenet Gorm. *de Sacram. n.* 323. ubi ex *Cardena* refert in conſultatione, an infideles converſi tenerentur ſtare primis Matrimoniis, an verò, poſſent è mulieribus ſecum baptizatis accipere, quam vellent, *Urbanum VIII.* reſpondiſſe: Matrimonia illa contrahenda eſſe regulariter ſecundùm opiniones verè probabiles, & favorabiliores eis Barbaris. Illſ. *tr.* 1. *d.* 1. *n.* 77. docet, quandoque licere contrahere, licèt non ſit certus valor, nempè ſi obligatio procurandi certitudinem eſſet obnoxia plurimis ſcrupulis, vel graviſſimas difficultates afferret: poſſuntque videri dicta *l.* 6. *p.* 1. *d.* 119. Quid agendum ſit, ſi poſt contractum Matrimonium ſuperveniat dubium de illius valore, dixi *à n.* 291. An autem rationabiliter dubitans de impedimento, impotentiæ, poſſit inire Matrimonium dicetur *n.* 795. ſi dubitetur, an impotentia præceſſerit vel ſecuta ſit, an tum tranſiri poſſit ad alias nuptias, item ſi dubitetur, an impotentia ſit naturalis an accidentalis, &c. dicam *n.* 802. An contrahere liceat, ſi dubitetur de vita prioris conjugis, dicam *à n.* 672.

Q. 75. *Quomodo practicè ſit procedendum, quando* 539
advertitur impedimentum, vel oritur prudens de eo ſuſpicio? R. §. 1. Sponſi poſt ſponſalia intelligentes ſe habere impedimentum dirimens; tenentur deſiſtere à nuptiis, donec diſpenſationem obtinuerint: ſi tamen aliter non poſſent effugere ingentem infamiam, poſſent pergere, non ſimulando ſe conſentire, ſic enim mentirentur, ſed conſentiendo, quantùm poſſunt, nam in tali neceſſitate Eccleſia non prohibet, ut contrahant, quantùm poſſunt, nec per hoc formaliter ſimulant adminiſtrationem vel ſuſceptionem Sacramenti, uti explicatum eſt *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 162. Matrimonium tamen illud non valebit, quia ſecundùm dicta *n.* 526. manet inhabilitas. Itaque tales debebunt habere animum non conſummandi, priuſquam obtinuerint diſpenſationem, & Matrimonium revalidarint. Sanch. Perez, Gob. *tr.* 9. *n.* 256. *&* 550.

§. 2. Quid facere debeat Parochus, ſi ſciat contrahen- 540
tes habere impedimentum, & tamen per Epiſcopum cogatur aſſiſtere, dixi *n.* 485. Si autem Confeſſarius advertat pœnitentem bona fide contraxiſſe cum impedimento, & adhuc ignorare illud, tenetur, per ſe loquendo, eum admonere, uti materiales etiam fornicationes impediat, ſi nempe ſit ſpes, quòd ſint abſtenturi à copula. E contrà ſi advertat iſtos conjuges eſſe in errore invincibili, ac moraliter certò judicet eos, ſi reſcirent impedimentum, tamen perrecturos in uſu Matrimonii, tenetur tacere, donec obtinuerit diſpenſationem, ut curet revalidari, quia melius eſt permittere peccatum materiale, quàm eſſe cauſam vel dare occaſionem peccati formalis, uti dixi *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1758. & confirmat Averſ. *q.* 21. *ſ.* 3. ex *Cap. Quia circa, de conſanguinitate*, ubi dicitur, *diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cùm ex ſeparatione videas grave ſcandalum imminere. Nec obſtat*, quòd qui ita animo comparatus eſt, ut non deſiſteret ab uſu Matrimonii, ſi reſciret Matrimonium ſuum eſſe nullum, non videatur diſpoſitus ad obſervanda omnia Dei præcepta, ideóque nec diſpoſitus ſit ad abſolutionem, *nam* hoc verum eſt, ſi ita comparatus ſit ex actu voluntatis præſente vel præterito habitualiter perſeverante, non autem, ſi ita comparatus ſit ratione actus tantùm conditionatè futuri, quia non ideò nunc eſt, ſed tantùm eſſet malè diſpoſitus, ſi reſciret, ergo non ideò jam eſt, ſed tantùm eſſet indiſpoſitus; & id patet in aliis exemplis, nam multi non ſunt ita animo comparati, ut abſtinerent à peccatis, ſi eſſent lento igne torquendi, & tamen nunc diſpoſiti ſunt ad abſolutionem, quando de facto nec habitualem, nec actualem habent comparationem animi ad peccandum, licèt pro tali circumſtantia habituri eſſent: imprudentia autem eſſet illic talia proponere, & ſic tentare ac inducere in peccatum.

§. 3. Quamvis prævideatur, quòd monitio ſit profu- 541
tura, ſi tamen conjuncta ſit cum graviſſimo incommodo alterius, v. g. prolium, Confeſſarius non tenetur monere, ſed poteſt permittere eos in bona fide, Gob. *à n.* 57. *iterumque n.* 111. & Spor. *ſupra*. Quòd ſi aliud malum non timeatur, quàm præcisè divortium, quod alter conjux ægrè eſt laturus, Gob. *n.* 115. dicit eſſe manifeſtandum, quia minus malum eſt triſtitia unius, quàm continuatio fornicationum materialium: ſi tamen ſimul redundaret infamia in conjugem alterum, ſilere poſſe; ſi autem Matrimonium tale vergeret in grave damnum publicum, teneretur monere,

quia

quia publicum bonum prævalere dicit privato. *Gob.*

542 §. 4. Quando Confessarius dubitat, an sua admonitio sit profutura an obfutura, si Matrimonium necdum contractum est, communiter consultius est impedimentum detegere, dummodò sit aliqualis spes, ut pœnitens desistat vel dispensationem petat: si Matrimonium sit contractum, conferri debent inter se spes, & timor damni, idque eligendum, quod præponderat: si autem discerni non possit, quid præponderet, tutius est silere, donec Confessarius ipse dispensationem conjugibus obtinuerit, aut pœnitens speretur disponendus ad audiendam monitionem: quòd si dispensatio brevi obtinenda esset: moneri posset, quia spes magna est tantisper abstenturum ab usu Matrimonii, & quamvis adhuc adsit periculum, tamen videtur præponderare certa scientia, quòd sæpè fornicationes materiales sit facturus, quàm incertus timor, quòd aliquas formales facturus sit, Gob. *n.* 75. *&* 113.

543 §. 5. Si pœnitens dubius de valore sui Matrimonii interroget, Confessarius, per se loquendo, tenetur dicere veritatem: an autem possit aliquando dissimulare, dixi *lib. 6. p. 2. n.* 1759. Quidquid sit de obligatione respondendi, plus non respondeat, quàm interrogetur, nam rectè dicunt Tann. & Gob. *n.* 66. posse dissimulare veritatem aut verbis eludere si gravissima mala imminerent ex clara veritatis manifestatione.

544 §. 6. Si conjux confiteatur se carnaliter peccasse cum non conjuge, appromisso illi Matrimonio, communiter spes est, quòd profutura sit admonitio, hinc Confessarius debet monere, ut eum animum dimittat, eò quòd Matrimonium illud futurum sit invalidum ob impedimentum criminis, Gob. *num.* 107.

545 §. 7. Quamvis Confessarius sciat Matrimonium esse nullum ob impedimentum dirimens, si tamen causas justas habeat hoc tacendi, & pœnitens pergat invincibiliter ignorare impedimentum, tenetur illum obligare ad reddendum debitum, si fortè illud neget ex odio vel aversione, aut quia vovit castitatem, dicendo conjugem teneri reddere debitum justè petenti, quia tenetur obligare ad peccatum materiale, quando aliter evitari non potest formale, actio enim illa tum propriè non est peccatum, sed omninò est licita, Sanch. Fill. Con. aliique multi cum Gob. *n.* 100. contra Sot. Bon. *& alios.*

546 §. 8. Quamvis manifestando impedimentum nullo modo manifestetur peccatum, si tamen cedat in damnum illius, ex cujus confessione hausta est illius notitia, taceri debet, quia alioquin confessio redditur odiosa, Gob. *à n.* 120.

547 §. 9. Si Cajus adductus in suspicionem fornicationis commissæ cum consanguinea Bertæ, quam volebat ducere, negarit primùm, sed postmodùm fassus sit cum juramento, & coram testibus, nunc autem iterum neget & dicat, se esse inductum ad hoc jurandum, Lugo *in Resp. mor. l. 1. dub.* 41. dicit Episcopum vel Parochum ei credere non posse, nisi sufficientibus indiciis probet falsitatem suæ confessionis, quia confessio extrajudicialis probat contra confitentem, donec de ejus errore constet, uti docet Menochius apud Lugonem *suprà*: hinc Pontius *l. 5. c. 3. n. 3.* ait; si contrahentes opposito per unum testem impedimento, & non probato, primùm confessi sint impedimentum, & postea negaverint, standum esse primæ confessioni, nisi probent secundam esse veram. Similiter Sanch. *l. 3. d.* 15. *n.* 6. dicit, concubinarium non potuisse ducere concubinam, qui fassus erat Parocho interroganti, quòd vivente prima uxore cognovisset concubinam data fide Matrimonii, si uxor moreretur, quamvis posteà id negarit, audiens esse impedimentum dirimens.

548 10. Si populus mussiter de impedimento inter contracturos, videndum, ex quo fundamento id fiat, nam si tantùm est rumor vulgi sine certo authore, communiter nihil subest, ideóque manet contemnendus, si autem sit fama communis, huic tribuendum est aliquid; attamen rectè notat cum communi Sperell. *dec.* 173. ad famam, quæ probet vel attendi debeat, requiri, ut sit non vaga, non levis, non sibi ipsi contraria, sed solida, constans, uniformis, perpetua, quæ originem habeat à personis honestis, & fide dignis. Et eadem firmat *decl.* 174. *à n.* 115.

549 *Q.* 76 *Quid addendum sit circa impedimentum erroris?* R. §. 2. *Can. un.* 29. *q.* 1. enumerantur præcipui errores: Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel è converso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est. Error qualitatis, quando putatur bonus, qui malus est.

550 §. 2. Certum est errorem in persona esse impedimentum dirimens, uti habetur eodem *can. & cap. Tua nos, de sponsi.* sed solvi debet 1. Quòd Jacob *Gen.* 29. validè contraxerit cum Lia, licèt putarit esse Rachelem. 2. Quòd valida fuerit benedictio data eidem Jacob. *Gen.* 27. quamvis Isaac putarit esse suum filium Esau. 3. Quòd valeat absolutio sacramentalis data Petro, quamvis putarem esse Paulum. R. *Ad* 1. Non valuisse, nisi postquàm Jacob renovavit consensum, & voluit nihilominùs etiam Liam habere uxorem. *Ad* 2. Benedictio ex divina voluntate cadebat in præsentem, qualiscunque esset. Et ita etiam fieri potuisset, ut Jacob ab initio validè duxisset Liam, si consensisset in præsentem, qualiscunque esset. Quòd si Jacob anteà positivè noluisset Liam, & tum ita consensisset positivè in præsentem, quid tum censendum esset, dixi *l. 6. p. 1. n.* 71. *Ad* 3. Intentio Confessarii est, & debet esse, absolvere præsentem pœnitentem, quicumque ille sit. Et idem est in aliis Sacramentis, excepto Matrimonio, dixi *l. 6. p. 1. n.* 68.

551 §. 3. Error in nomine non obstat, quia nihil essentiale impedit. E contrà tamen si Cajus contrahat cum Berta, quam in re putabat esse Titiam, quamvis maluisset contrahere cum Berta, si scivisset hanc esse, Matrimonium est nullum, quia consensit in solam Titiam, & ex ista comparatione animi tantùm sequitur, quòd habuisset consensum in Bertam, si sciviset eam esse, non autem, quòd de præsenti consenserit in Bertam, quod tamen requiritur ad valorem Matrimonii cum Berta: unde quamvis talis error concomitans non reddat actum contrarium voluntati Caji, tamen reddit actum Caji non voluntarium respectu Bertæ, respectu cujus deberet esse voluntarius, ut valere posset Matrimonium, Bon. Aversa. *q.* 12. *s.* 1. Et idem est, licèt sic intenderet: *ducerem Bertam, si scirem hanc præsentem esse Bertam*, per hoc enim tantùm significat se habiturum fuisse consensum præsentem circa Bertam, si sciviset adesse, non autem, quòd actualiter habuerit, Sanch. *l. 7. d.* 18. *num.* 6.

552 §. 4. Quamvis error circa qualitatem fuerit causa contractus, tamen probabilius est cum Sanch. Castr. *d. 4. p. 4.* Aversa *supra* contra Medin. & Pont. *lib. 4. c.* 21. *nu.* 7. Matrimonium esse validum, quia non vitiatur consensus quoad substantiam, & licèt error ille causaverit, tamen non fuit materia vel objectum simpliciter motivum aut finis contractus.

553 §. 5. Quando qualitas est finis Matrimonii, ita ut Matrimonium expresse assumatur tantùm veluti medium ad illum finem, si erretur in qualitate, Matrimonium est irritum defectu consensus, v. g. non cogitabas ducere uxorem, sed quia audis Bertam esse nobilem, ideò ducis illam, ut fias affinis nobilium: si Berta non sit nobilis, non consentis, quia deest

objectum simpliciter motivum tui consensus, ita cum aliis Gob. *tr. 9. n. 113.*

554 §. 6. Si Titius dicat, *duco præsentem, quam puto esse filiam consulis*, quamvis non sit filia consulis, Matrimonium valet: si dicat, *duco filiam consulis, quam puto esse hanc præsentem*, si non sit filia consulis, Matrimonium non valet, pro quo hanc Regulam dant S. Th. Nav. Sanch. *l. 7. d. 18.* Aversa. §. *Itaque*, Gob. *n. 107.* Spor. *n. 3* quando qualitas, in qua erratur, respicit certam personam distinctam ab illa, quæ præsens est, ita ut contrahens formet sibi conceptum personæ sub ista qualitate, & posteà offertur persona non habens talem qualitatem, tunc error qualitatis redundat in errorem personæ. E contrà, si qualitas non respiciat certam personam distinctam a præsente, sed independenter ab ea qualitate format sibi conceptum personæ præsentis, quam directè vult, quamvis decipiatur, putans tali personæ inesse talem qualitatem, quæ tamen non inest, error non redundat in personam; hinc validè contrahit in primo casu, quia directè intendit illam, quæ adstat, quamvis erret putans esse filiam Consulis. In secundo invalidè contrahit, quia filiam Consulis sibi in mente proponebat, & directè illam intendebat, quam sub ea qualitate sibi proponebat in mente, non autem illam, quæ adstabat, si ea qualitate careret.

§. 7. Etiam suppositis jam dictis, adhuc manet du-
555 bium, quid ad hunc casum sit dicendum. Titius petierat filiam natu minorem Caji in uxorem, quam viderat esse formosam, Cajus negat illam, sed appromittit natu majorem, quæ formosa non erat, Titius jubet per Sempronium videri hanc, sibique referri; cujus formæ sit illa natu major. Cajus Sempronio ostendit natu minorem dicens esse natu majorem, hinc deceptus Sempronius nuntiat Titio natu majorem esse formosam, & ideò Titius per procuratorem init Matrimonium cum natu majore.

Quæritur, an validè? R. Affirmant Sanch. *n. 35.* Perez, Gob. *n. 124.* quia error tantùm fuit in qualitate pulchritudinis, & Titius consensit in natu majorem, quam pater obtulerat: è contrà negant alii cum Spor. *num. 8.* quia consensit in illam, quæ fuit ostensa Sempronio, ad hanc enim solam se determinavit ratione pulchritudinis, ergo cum errore qualitatis erat conjunctus error personæ. In hoc casu nihil potest absolutè definiri, sed examinanda est intentio, quam ex actuali comparatione animi præsumetur habuisse Titius, partim secundùm regulam jam datam, partim secundùm ea, quæ dixi *l. 3. p. 1. n. 71.*

§. 8. Si virgo putavit commixtionem corporum
556 non esse necessariam ad generandam prolem, validè contraxit, quia habuit generalem intentionem faciendi, quod alii contrahentes faciunt, Gob *n. 128.* Si autem Caja defforata gerat se ut virginem, & sic ducat Cajum ignorantem hunc defectum, quid tum tenendum sit colligitur ex dictis *n. 184. & 243.*

§. 9. Si contrahentes intendant Matrimonium,
557 sed velint esse solubile, quid tum dicendum sit, dixi *l. 6. p. 1. n. 72. & hic à n. 250* Quid autem sit dicendum, si intendat Matrimonium indissolubile, sed expressè nolit Sacramentum, dixi *ibid. lib. 6. num. 73. & hic num. 276.*

§. 10. Ex dictis solvitur hic casus: Titius post habi-
558 tam copulam cum sorore Cajæ, init bona fide Matrimonium cum Caja, ignorans se impeditum. Caja posteà injustè malè tractatur à Titio, & aliundè vehementer suspicans de illo impedimento agit pro dissolutione sui Matrimonii apud Papam. Titius negat factum, quod Caja probare non potest, ideóque jubentur manere in Matrimonio, cui sententiæ acquiescit Caja jam volens dimittere suam suspicionem velut temerariam. *Quæritur*, an Titius possit manere in illo Matrimonio, & petere ac reddere debitum? *Videtur* posse, quia Ecclesia jubens illos manere in Matrimonio, videtur hoc ipso tollere impedimentum affinitatis, ergo jam sunt habiles, & cùm acquiescat Caja, reipsa renovat consensum. R. Non posse, tum, quia mens Ecclesiæ non est agere contra jus Cajæ, tum maximè, quia error facti falsò negati à Titio dat causam huic revocato consensui, ergo est irritus, secundùm dicta *l. 3. p. 2. à n. 612.* neque Ecclesia potest hunc consensum supplere. Quòd si resciretur Papam dispensare in affinitate, si fortè subesset, & Cajam adhuc suspicantem de illo impedimento nunc independenter à primo suo consensu absolutè consentire, eò quòd mallet manere in hoc Matrimonio, quàm perpetuò esse in rixis, aut se exponere periculo fornicationum, per hunc renovatum consensum fieret validum hoc eorum Matrimonium.

§. 11. Multos textus, & Authores adducit Sperell. 559
dec. 150. nu. 6. quibus videtur dici, quòd non vitietur Matrimonium ex subreptione, dolo vel mendacio initum, sed rectè concludit cum Sanch. *l. 7. d. 18. à n. 18.* id intelligi, si ista versentur tantùm circa qualitates accidentales, uti satis intelligitur ex dictis.

Q. 77. *Quid addendum sit circa impedimentum con-* 560
ditionis servi? R. §. 1. Hæc conditio strictæ servitutis 4. modis inducitur, jure belli, nativitate, justa condemnatione, emptione, Certum autem est Matrimonium etiam strictè servorum non ideò esse irritum, quia non consenserunt Domini, nam *Cap. 1. de conjug. servor.* sic statuitur: *Nec inter servos debent Matrimonia ullatenùs prohiberi, & si contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.* Imò nec ideò Matrimonium illicitum est, per se loquendo, uti ex *S. Th.* & aliis rectè ostendunt Sanch. *l. 7. d. 21.* Aversa. *q. 3. s. 7.* incommoda enim illa, quæ refert *Busemb.* non obstant substantiæ Matrimonii, quamvis ejus usum aliqua ex parte impediant, uti & infirmitas corporis, possunt tamen esse pacta, saltem ex consuetudine, ut si servus inscio vel invito Domino contrahat, non ampliùs gaudeat certis beneficiis sui domini.

§. 2. Quòd servitus dirimat, est ex Jure Eccle- 561
siastico, *Cap. Si quis ingenuus, Cap. 2. 3. & ult. de conjug. servor.* Si autem contrahens, qui liber est, sciverit conditionem servilem alterius, S. Th. *in suppl. q. 52. art. 1. & 2.* Sanch. *d. 19. n. 13.* Arcud. *l. 7. c. 3.* & alii communiùs docent, Matrimonium fore validum, quia ejusmodi homo liber cedit juri suo, darque liberum consensum, quem jus positivum non irritat; irritat autem, si servitus fuerat à libero ignorata, quia ex hac parte consensus non fuit voluntarius, sed fuit error quodammodò circa personam, uti pluribus deducit Sanch. *à n. 15.*

§. 3. Si servus ducat liberam ipsius servitutis igna- 562
ram, *Sylv. Nav. Henr.* & alii dicunt servum invita libera resilire non posse, quia leges in ejusmodi casibus favent soli injuriam passo. Alii cum Sanch. *l. 4. d. 15. n. 5.* probabiliùs dicunt, si aliud damnum secutum non sit, etiam servum resilire posse, si enim reneretur stare contractu, id esset in pœnam sui delicti, ad talem autem pœnam prærequiritur Judicis sententia.

§. 4. Si persona serva intra breve tempus, nempe 563
infra sex menses, erat futura, libera, quamvis ignorata sit servitus, Sanch. *l. 7. d. 19. n. 4.* putat valere Matrimonium, quia illa brevis servitus non videtur adferre præjudicium, sed Sylv. Ang. Av. *q. 12. s. 2.* meliùs contradicunt, quia si liber hoc resciret, posset Matrimonium suum habere pro nullo, ergo verè nullum erat. Sententia tamen communissima cum Sanch. *d. 20.* Aversa. Pont. *l. 7. c. 44.* dicit valere, si Dominus servam collocet in Matrimonio cum libero ignorante servitutem, quia hoc ipso servæ concedit libertatem, uti habetur ex *auth. de nuptiis, §. Si verò decretum.*

§. 5.

564 §. 5. Servitus ignorata dirimit, quamvis ignorantia sit crassa, & imprudens, eò quòd facilè reſciri potuiſſet, quia Eccleſia, ut Matrimonium valeat, requirit conſenſum directum in conditionem ſervitutis cognitæ, Sanch. Con. Averſ. §. *Quintò*, contra *Sot. & Ledeſm.* Aliud eſt, ſi haberet dubitationem, vel opinionem de ſervitute, & tamen contraheret, tum enim cederet ſuo juri: & idem videtur eſſe, ſi haberet ignorantiam affectatam, eò quòd poſitivè vellet, nec inquirere nec inquiri, quia talis ignorantia æquivaleret ſufficienti notitiæ, *Pont. Averſ.*

565 §. 6. Si ſervus contrahat cum ſerva credens hanc eſſe liberam, valet Matrimonium, quia non erratur quoad ſubſtantiam, & Eccleſia irritat ſolùm Matrimonium liberi ignorantis ſervitutem alterius, S. Th. Henr. Victor. Sanch. *d.* 19. *n.* 23. Aver. §. *Septimò*. Et idem eſt, ſi ſervus ducat liberam, quam putabat eſſe ſervam, de hoc enim caſu nil ſtatuit Eccleſia, & ceſſat cauſa, quæ erat, ne liber deprimeretur ignoranter ducens ſervam, Av. §. *Octavò*.

566 §. 7. Qui ad tempus tantùm liberatus ſervitute, poſteà in eam relapſurus eſt, contrahit invalidè, quia reipſa incumbit ei ſervitus, quæ ignoratur, Sot. Gabr. Averſ. §. *Quartò*.

567 §. 8. Qui ignorans ducit ſervam, actualiter ita affectus, ut ducere velit, quamvis ſit ſerva, ducit validè. E contrà, ſi tantùm habitualiter ita comparatus ſit, ut voliturus eſſet ducere, quamvis ſciret eſſe ſervam, ducit invalidè, quia non habet conſenſum de præſenti, ſed tantùm habiturus fuiſſet, ſi ſciviſſet eſſet talem. V. *n.* 551.

568 §. 9. Si liber duxerit ſervam, putans liberam, & hæc fiat libera illo inſcio, ac propterea non ponente novum conſenſum, quamvis pergat illam habere, ut conjugem, non ideò validatur Matrimonium, quia tantùm agit ex vi primi conſenſus invalidi, uti intelligetur ex dicendis *à num.* 813. docentque communiter omnes cum Sanch. *l.* 2. *d.* 36. & Averſ. §. *Nonò*, contra Angel. & alios. Si tamen poſt cognitam etiam actualem adhuc ſervitutem habeat velut conjugem, jam ponit novum conſenſum, & ratificat Matrimonium, *Cap.* 2. *& ult. de conjug. ſervor.*

569 *Q.* 78. *An conditio filii dirimat, & quid dicendum ſit, ſi Matrimonium ineatur inſciis vel invitis parentibus?* R. §. 1. S. Baſil. apud Arcud. *l.* 7. *c.* 2. putavit conditionem filii dirimere, ſi parentes ſint inviti, & hoc videtur habere fundamentum in utroque Jure, nam ita habetur *Can. Aliter* 30. *q.* 5. *Can. Honorantur, & Can. Non omnis* 32. *q.* 2. *Paternus conſenſus deſideratur in nuptiis, nec ſine eo legitimæ nuptiæ habeantur, juxta illud Evariſti Papæ: aliter non ſit legitimum conjugium, niſi à parentibus tradatur. L.* 2. *ff. de ritu nuptiarum. Nuptiæ conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant omnes, id eſt, qui cœunt, quorumque in poteſtate ſunt.* Idem habetur *L.* 9. 10. *ibid.* Etiam Luth. Bucer. Eraſm. apud Bellarm. *de Matr. c.* 19. dixerunt, Matrimonia prolium inita ſine conſenſu parentum, vel irrita eſſe, vel ſaltem per parentes irritari poſſe. Sed oppoſitum nunc certum eſt ex Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. Matr. c.* 1. ubi ait, *Eos S. Synodus anathemate damnat . . . . qui falsò affirmant Matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu Parentum contracta, irrita eſſe, & Parentes ea rata vel irrita facere poſſe;* docentque S. Th. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. & nunc Canoniſtæ ac Theologi omnes cum Delb. *cap.* 8. *dub.* 10. *ſ.* 9. Pignat. *tom.* 4. *conſult.* 147. Averſ. *q.* 3. *ſ.* 7. Kugl. *a n.* 131. *&* 574. *ubi à n.* 576. ſolvit argumenta contraria. Notat etiam rectè Bellarm. & Arcud. *c.* 4. id jam fuiſſe in antiqua lege, nam Eſau *Gen.* 26. *&* 28. duxit uxores ex voluntate parentum; Jacob *Gen.* 29. *&* 30. duxit ſine ſcitu parentum; ſimiliter Tobias *c.* 7. nec ideò reprehenſi ſunt, hinc dicendum eſt Canones antiquos, & leges iſtas pro nunc eſſe à *Trid.* emendatas. 570

§. 2. Rectè docet cum communi Averſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 5. contra *Sot. Nav.* & alios, filium non teneri obedire parenti imperanti certum Matrimonium, hinc quamvis doceant *Gutt. Barb. Fugund.* & alii filium, & præcipuè filiam, peccare mortaliter contrahendo contra voluntatem, & conſenſum parentum, quia horum cura, & poteſtas poſtulat, ut proles in re tam gravi nihil determinent contra eorum voluntatem, oppoſitum tamen tenent S. Th. 2. 2. *q.* 10. *&* 104. *a.* 5. Tol. Henr. Sanch. *l.* 4. *d.* 23. *n.* 10. Burgh. *cent.* 3. *caſ.* 55. Krim. *à n.* 132. quia circa electionem perpetui ſtatus, ſuſtentationem proprii corporis, prolium generationem, quiſque cenſetur eſſe ſui juris; & ideò S. Bon. *in* 4. *d.* 29. *q.* 3. *n.* 16. ait; *per præceptum non poteſt pater ad contrahendum cum hac vel illa filium obligare.* Attamen *Delb. & Averſ.* adhuc diſtinguunt, & dicunt, ſi parentes impedire velint ab omni Matrimonio, non teneri obedire cum periculo incontinentiæ, juxta illud 1. *ad Corinth.* 7. *v.* 9. *melius eſt nubere, quam uri.* Si impedire velint à certo Matrimonio, ad quod filius vel filia propendet, expendendas eſſe ex utraque parte rationes, & ſi parentum rationes juſtæ ſint, teneri obedire; ſi nullius ſint momenti, non teneri. Denique ſi parentes inducere velint ad certum Matrimonium, à quo abhorrent, non teneri obedire. Addunt tamen communiter omnes cum *Sanch.* teneri exquirere conſilium parentum, ſi commode fieri poſſit, & non prævideant impedituros, quamvis Spor. *n.* 177. putet non peccaturos graviter, ſi etiam hoc negligant. Deinde tenent etiam communiter omnes cum *Toleto, Sanch. Burgh.* ſuprà, etiam teneri ſequi conſilium parentum, ſi multùm referat cum tali contrahere, v. gr. ad tollendas graves inimicitias, pietas enim tum obligat, per ſe loquendo, ut tollant talem neceſſitatem gravem parentum: & eadem fermè habet cum aliis Buſemb. relatus *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 692. Quòd ſi ex tali Matrimonio ſcandala, aliaque mala prudenter timerentur, rectè dicit Delb. *n.* 43. ſine peccato contrahi non poſſe, ſed tanquam repugnans charitati & pietati, implorata etiam Judicis authoritate, eſſe impediendum, quia *in malis promiſſis fidem non expedit ſervari, Reg.* 69. *Juris in* 6. Denique notandum, quòd in Gallia, & quibuſdam aliis locis Matrimonia contracta contra voluntatem parentum cenſeantur irrita quoad effectus aliquos civiles.

§. 3. Non ideò poteſt exhæredari proles, quòd ineat 571
Matrimonium etiam cum inæquali contra poſitivam voluntatem parentum, uti cum aliis plurimis docent Sanch. *l.* 4. *d.* 25. Laym. Diana, Gob. *tr.* 10. *n.* 108. Dicaſt. *de juſt. t.* 19. *n.* 393. Leſſ. *in auct. v. Matrimonium, caſ.* 20. neque oppoſitum ulla lege vel conſuetudine induci poteſt, niſi accedat aliquis conſenſus Eccleſiæ, ſecundùm dicta *à num.* 517. Delb. *c.* 8. *d.* 19. *ſ.* 2. *& ſeqq.* Ratio eſt, quia Jure naturali non poteſt ideò exhæredari, niſi hic parentum voluntatem teneatur ſequi, quod ſecundùm dicta non tenetur. Jure autem poſitivo tum tantùm poteſt exhæredari, ſi adſit una ex his cauſis ingratitudinis, quas recenſet *Authent. Ut cum, De appellatione, Collat.* 8. §. *Aliud quoque capitulum* 1. Si parentibus manus intulerit. 2. Si per ſe, & directè gravem, & inhoneſtam injuriam eis ingeſſerit. 3. Si accuſaverit in criminalibus, quæ non ſint contra Principem vel Remp. 4. Si ut maleficus cum maleficis verſetur. 5. Si tentaverit inſidiari vitæ parentum. 6. Si commiſcuerit ſe novercæ ſuæ vel concubinæ Patris. 7. Si per delationem gravia diſpendia cauſarit parenti. 8. Si pro parente captivo noluerit fidejubere. 9. Si impedierit, ne parentes conderent teſtamentum. 10. Si arcuarium vel mimum pergat agere, cùm parentes ejus profeſſionis non ſint. 11. Si filia vel neptis

vigintiquinque

vigintiquinque annis minor, rejecta oblatione mariti vel dotis elegerit vitam luxuriosam. 12. Si parentem factum furiosum neglexerit. 13. Si non festinaverit redimere captivum. Quamvis autem ducat imparem contra voluntatem parentum, non ideò committit casum ingratitudinis ob unam ex his causis, ergo. Videri potest Krim. *à n.* 488. Putavit quidem *Fachin.* posse exhæredari prolem ex similibus vel majoribus causis, quàm hæ sint, sed rectè contradicit Krim. *à n.* 496. quia Jus expressè restringit potestatem exhæredandi ad has tantùm causas: sicuti privationem asyli restringit Greg. XVI. ad illa tantùm 8. crimina, quæ recensui *l.* 4. *n.* 1394. ideoque ad alia etiam majora extendi non debet. Putat tamen Molina *d.* 176. posse Rempub. condere legem, secundùm quam talis proles exhæredari posset in certis casibus, nempe illis, quibus in hoc negotio tenetur sequi consilium parentum. V. Kugler *à n.* 695.

572 §. 4. Si proles petito consilio parentum, contra horum voluntatem ineat Matrimoniũ, non ideò potest ei negari dos, communis cum Sanch. *l.* 4. *d.* 26. *à n.* 16. Gob. *n.* 110. Krim, *à* n. 500. Ratio est, quia volenti nubere debetur dos, tum ad alimenta, & sustinenda onera Matrimonii, tum etiam, ne mulier indotata spernatur à viro, uti habetur in Jure apud Krim. *n.* 500. nullum autem Jus dicit, prolem ob adductam causam posse privari dote: Imò licèt nuberet indigno, non ideò posset privari alimentis necessariis, *L.* 5. *§. Si vel parens, ff. de liberis agnosc.* Dos autem & alimenta æquiparantur in Jure. Porrò ille solus censetur accipere indignum, ex quo redundat dedecus in familiam, vel infamia in accipientem. Vide Krimet *n.* 503. & Kugler *à n.* 139.

573 *Q.* 79. *Quid addendum sit circa impedimentum voti?* R. §. 1. Deus permisit Sacerdotibus, & Levitis antiqui testamenti Matrimonium, ejusque usum, saltem extra annum suæ vicis sive deservitionis, cùm enim non fierent Sacerdotes aut Levitæ, nisi è tribu Levi, & domo Aaronis, ne Levitarum genus deficeret, reparandum erat per Matrimonium. In nova lege Græci sacris ordinati etiam licitè utuntur Matrimonio ante subdiaconatum contracto, uti declararunt varii Pontifices apud Arcud. *l.* 7. *c.* 33. Votum tamen habent cælibatus post primæ uxoris obitum, Arcud. *c.* 43 ubi etiã notat Episcoporũ uxores debuisse fieri Monachas.

574 §. 2. An Matrimonia Græcorum, si contrahant post susceptum sacrum Ordinem, sive sint prima, sive secunda, non tantùm sint illicita, sed etiam invalida, fusissimè disputat Arcud. *eodem c.* 43. & contra alios tenet valida esse, sed sic contrahentes debere abstinere à sacro ministerio. E contrà invalida esse multis contendit Pign. *T.* 8. *conf.* 81. Justè autem, & sanctè voluit Ecclesia, ut Latini ordinati sacris essent incapaces Matrimonii, & si illud anteà contraxissent, abstinerent ab usu, uti contra Græcos rectè ostendit Arcud. *à c.* 34. usque ad 43. testimoniis Conciliorum, & PP. tam Græcorum quàm Latinorum: & nunc tantùm loquemur de impedimento voti in Ecclesia Latin.

575 §. 3. Vasq. Az. Platus, Pont. *l.* 7 *c.* 14. *& seqq.* latè contendun tex antiquis Conciliis, & PP. Religiosos in primis sæculis, non obstante professione sua potuisse validè, quamvis illicitè, contrahere Matrimonium. Et idem dicit de initiatis sacro Ordine Pont. *c.* 27. Quod Professionem religiosam attinet videri possunt dicta, *l.* 4. *n.* 3. & hìc dicenda paulò post. De cætero certum est, nunc in Conc. Later. ann. 1139. statutum esse, ut Religiosa professio, & votum ordinati sacris dirimat contrahendum matrimonium, ut refertur *Can. Ut Lex.* 40. *caus.* 27. *q.* 1. & idem statuitur aliis locis, apud Pont. *c.* 22. *n.* 4. & apud Dic. *de Ordine dub.* 25. estque definitum à Trid. *sess.* 24. *Can.* 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica vel voto .·.·.· anathema sit*: unde videtur colligi, si Ordinem sacrum suscipiens nollet castitatem vovere, attamen ad hanc teneri ex præcepto Ecclesiæ, secundùm dicta l. 6. p. 2. n. 2161. & similiter talis ex lege Ecclesiæ in reverentiam Ordinis sacri redditur inhabilis ad Matrimonium, uti rectè Krim. *à n.* 956. Estque hoc verum, licèt suscipiens sacrum Ordinem esset tantùm impubes, quia quamvis per legem Ecclesiæ non sit capax voti Religionis, tamen Ecclesia non reddit eum incapacem hujus voti vel præcepti, Krim. *n.* 963.

576 §. 4. Infans validè initiatur sacro Ordine, uti constat ex Cap. un. *De clerico per saltum promoto*: sic autem ordinatus non teneretur castitate, sed si vellet, posset inire Matrimonium, quia nec vovit, nec ei præcepta est castitas, cùm fuerit voti, & præcepti incapax. Excipe, nisi usum rationis adeptus suam Ordinationem expressè vel tacitè ratificaverit, tum enim tenetur ad castitatem, & inhabilitatur ad Matrimonium, Barb. Krim. *n.* 962.

577 §. 5. Ordinatus sacris ex metu gravi injustè, & directè ad sacri Ordinis susceptionem incusso, secundùm Krim. *n.* 964. & alios multos non tenetur ad castitatem, nec inhabilis est ad Matrimonium, sed videri debent dicta l. 6. p. 2. n. 2163. nam probabilius est oppositum ob rationem ibi datam, quia votum illud Jure naturæ valet, nec invenitur Jure positivo irritari, uti etiam rectè probat Pont. *l.* 7. *c.* 29.

578 §. 6. Qui invalidè ordinatus est, non tenetur, quia votum, & obligatio castitatis ex mente Ecclesiæ tantùm accessoriè sequitur ad susceptionem Ordinis. Oppositum tamen dicunt Castrop. & Krim. *n.* 965. si conjuges invalidè professi sint Religionem: putant enim teneri ad castitatem statui congruam, eò quòd profitendo Religionem, expressè voverint castitatem, ac voluerint actum suum valere, quantùm posset.

579 §. 7. Per votum simplex castitatis, quod Religiosi Societatis Jesu emittunt post Novitiatum, dirimi Matrimonium, certum est ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*, ubi ait: *quinimò omnes illos ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos, & irritos facimus.* Ratiõ est, quia quamvis non sit votum solemne, tamen quia Ecclesia potestatem habet ponendi certas conditiones requisitas ad valorem contractus matrimonialis, ipsa autem ponit carentiam votorum simplicium, per quæ Societatis Jesu personæ fiunt Religiosi, hoc ipso talia vota habent vim dirimendi Matrimonium.

580 §. 8. Docent Abb. Lop. Palud. Laym. *l.* 5 *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 5. Gutt. Castr. *d.* 3. *p.* 6. §. 11. *n.* 20. Aversa. *q.* 15 *sect.* 3. Tamb. *hic tr.* 7. *c.* 4. §. 2. *n.* 9. & alii communiter contra Sot. & Pont. *l.* 7. *c.* 21. *&* 25. per votum simplex castitatis, quod uxor emittit dans marito potestatem suscipiendi sacrum Ordinem, dirimi Matrimonium uxoris, etiam post mortem dicti mariti, quod videtur statui Cap. *Quia sunt*, 10. & Cap. *Si se, dist.* 28. ubi dicitur, ut separentur, non tantùm quoad torum, uti putat *Pont.* sed quia deest vinculum, ut habet ibidem Glossa. Et ratio congruentiæ est, quia talis uxor deberet fieri monialis secundùm Cap. *Sanè*, *De conv. conjug.* & Cap. *Agathosa*, 21. *causa* 27. *q.* 2. ergo congruum est, ut saltem sit inhabilis ad alias nuptias. Alii cum Ax. *to.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 11. & Sanch. *l.* 7. *d.* 40. dicunt Matrimonium uxoris in sæculo remanentis fore quidem irritum, attamen non ratione voti, sed ex constitutione Ecclesiæ, nam etsi uxor votum castitatis non emiserit, si tantùm consenserit in Ordinationem mariti, licèt fortè nihil sciverit de inhabilitate inde consequente, dicunt inhabilitari ad secundas nuptias, nam

nam ita ſtatuitur Cap. *Seriatim*, 14. *diſt.* 32. & Cap. *Quia ſunt*, 10. *diſt.* 28. ubi Gloſſa ait: *Si ea invita ordinaretur, vel ignorante, non fieret ei præjudicium, ſed ſi ſcivit, & tacuit, fit ei præjudicium, ut poſt mortem illius non poſſit nubere, ut diſt.* 32. *Cap. ſeriatim* 14. *unde non requiritur, quòd mulier voveat, ſed ſufficit. ſi ſcit virum ſuum ordinari.* Et eadem Gloſſ. ad Cap. *Si ſe*, 11. *diſt.* 28. *videtur, quòd ſola conſtitutio Eccleſiæ hoc Matrimonium dirimat, non ſcientia, vel votum.* Atque in his conſentit *Sanch.* Quidquid ſit de hoc, unde oriatur; Gloſ. ad Cap. *ſeriatim*, ſuprà ait: *De iſta uxore promoti dic, quòd eo ipſo, quòd dat licentiam, intelligitur vovere.* Et idem dicit Gloſſ. ad Cap. *Agathoſa* 21. *cauſa* 27. *q.* 2. ergo reipſa videtur eſſe ratione voti, ſaltem virtualiter emiſſi, cui, quamvis ſimplex ſit, Eccleſia annexuit talem inhabilitatem, uti eandem annexuit votis ſimplicibus in Societate Jeſu, vel certè dici poteſt, quod in ſimili dixi l. 6. p. 2. n. 2161. nempè ſicuti ſuſcipiens ſacrum Ordinem ordinariè ex voto obligatur ad continentiam, ſi tamen vovere nolit, tum obligari ex præcepto Eccleſiæ, ita hìc ordinariè ex voto oriri illam inhabilitatem, ſi autem non voverit oriri ex diſpoſitione Eccleſiæ. Quid autem tenendum ſit de nocente manente in ſæculo, ſi innocens poſt juſtum divortium ſuſceperit ſacros Ordines, vel Religionem, dixi à n. 448.

581 §. 9. Sanch. *l.* 7. *d.* 32. *à n.* 9. latè probat, ſi unus conjugum profiteatur in Religione, & alter velit manere in ſæculo, debere non tantùm facere votum continentiæ, ſed etiam carere periculo incontinentiæ, alioquin teneri non tantùm ingredi monaſterium, ſed etiam ſuo tempore profiteri in Religione, ut probat Caſtr. *d.* 3. *p.* 6. §. 11. *n.* 12. quamvis *n.* 17. dicat, ſpectato rigore Juris oppoſitum eſſe probabilius. Tamdiu autem cenſetur manere periculum incontinentiæ, quamdiu ſenes non ſunt, quantumcunque probæ ſint vitæ. Si tamen ſint ſenes, præſumi abeſſe periculum; cenſetur autem mulier ſenex, ſi ſit quinquagenaria, vir autem, ſi ſit ſexagenarius, inquit Sanch. & poſt eum Caſtr. *n.* 10. quia tunc in illis, cum potentia generandi communiter ceſſat calor libidinis. Deinde probat idem Sanch. *d.* 33. & Caſtr. *n.* 14. profeſſionem viri fore validam, ſi uxor conſenſerit, quamvis hæc in ſæculo manens, & adhuc juvenis votum caſtitatis non emittat: attamen ad hoc prærequiri licentiam Epiſcopi pro ingreſſu in Religionem, docet Caſtr. *n.* 11. contra Sanch. Gutt. Pontium, & Averſ. *q.* 15. *ſ.* 3. qui dicunt id tantùm eſſe de convenientia. Et ſi remanens in ſæculo emittat votum caſtitatis, docent rectè Sanch. *num.* 8. Gutt. Pont. Caſtr. *n.* 13. quòd votum uxoris non ideò fiat ſolemne, nam Cap. un. *De voto*, in 6. clarè deciditur, quòd votum nullum cenſeatur ſolemne in ordine ad dirimendum Matrimonium, niſi ſit in religioſa profeſſione, vel ſacri Ordinis ſuſceptione. Hinc inferunt hi Authores cum *Av.* tali voto non dirimi ſequens Matrimonium, ſed tantùm impediri. Quòd autem uxor viri ſacris ordinati nequeat ſecundùm dicta n. 580. poſt viri mortem validè inire Matrimonium, hoc dicunt eſſe ex ſpeciali Eccleſiæ ordinatione circa uxorem ordinati, quæ cùm ſit odioſa, non debeat extendi ad uxorem profeſſi. E contrà *S. Bonav. Gabr. Palud. Henricus*, & alii dicunt hoc voto dirimi Matrimonium etiam mortuo profeſſo contrahendum, quia Cap. *Qui uxorem*, 10. cauſ. 33. q. 5. dicitur: *qui uxorem ſuam velare permiſerit, aliam non accipiat, ſed ſimiliter convertatur*, ubi Gloſſa addit: *intrando monaſterium, ſi juvenis eſt, vel ſi ſenex eſt, contineat in ſæculo*, Cap. *Cùm ſis*, de conv. conjug. *& hìc dicit Hugo, quòd eo ipſo, quòd dat uxori licentiam, intelligitur vovere.* Hoc autem votum videtur eſſe ſimile voto, quod emittit uxor ordinati, quod ſecundùm dicta n. 580. Matrimonium dirimit,

& talis vir ingrediens Monaſterium etiam ſæpè ordinatur, ergo votum uxoris in ſæculo manentis habet ſaltem tum ſimilem vim dirimendi, & propter hæc, poſterior ſententia etiam eſt probabilis, quæ dicit hìc non eſſe extenſionem legis, ſed in æſtimatione prudente velut identitatem caſus reſpectu ejuſdem legis.

§. 10. Si Titius hæreticus Ordinis Teutonici ritu 582
hæreticorum fecerit ſolitam profeſſionem, non ideò fit inhabilis ad Matrimonium, tum quia non eſt vera profeſſio religioſa, ſed tantùm inanis cæremonia, tum etiam quia non intendunt ſe obligare ad continentiam, neque Eccleſia ipſis eam præcipit.

§. 11. Thomiſtæ communiter, *Henr. Valent.* & alii, 583
quibus videtur favere *S. Th.* in ſupplem. q. 53. ar. 2. O. putant voto ſolemni Jure naturæ dirimi Matrimonium, eò quòd res Deo per votum tradita non poſſit tradi homini, ſed probabilius eſt oppoſitum cum Scoto, & Scotiſtis omnibus, teſte Maſtrio *nn.* 116. ad quos accedunt Gerſ. Abb. Caj. Az. Bellarm. Sanch. *l.* 7. *d.* 26. S. Bonav. Leſſ. Con. Regin. Hurt. Dic. *ſuprà*, Krim. *à n.* 446. Av. *q.* 15. *ſ.* 1. & alii, quia obligatio Religionis non pugnat cum ſuperveniente obligatione juſtitiæ, uti patet in obligato voto ſimplici caſtitatis, ſi Matrimonium contrahat: Deo enim ex Religione obligaverat corpus, quod nihilominùs etiam validè ex juſtitia obligat conjugi. *Si dicas*, votum ſolemne habere actualem traditionem corporis reſpectu Dei, quam non habet votum ſimplex, *Contra eſt* 1. nam multa vota ſimplicia etiam dirimunt Matrimonium, uti patet ex dictis, ergo talia ſaltem habent reſpectu Dei actualem traditionem corporis. 2. Ideò votum ſolemne eſt actualis traditio, quia per illud homo abdicat ſe jure utendi corpore, ſed per quodvis votum ſimplex etiam abdicat ſe homo jure utendi corpore, quia nullum in tali homine manet, nec unquam eſt in aliquo jus ad actus illicitos, ergo. Confirmatur, nam Pontifices diſpenſare poſſunt cum profeſſis ad ineundum Matrimonium, uti dicetur n. 819. ergo ſignum eſt, quòd profeſſio dirimat Jure tantùm Eccleſiaſtico: ſolemnitas enim, ob quam præcipuè eſt vis dirimendi, juncta eſt votis vel Ordini ſolo Jure Eccleſiaſtico, uti rectè Krim. *à n.* 446.

§. 12. Sicut votum profitentis in Religione impe- 584
dit valorem Matrimonii, ita Matrimonium conſummatum impedit valorem profeſſionis religioſæ, ſi fiat abſque licentia conjugis, & extrà caſum juſti divortii, *cap. Notificaſti*, 33. *qu.* 5. *cap. Veniens*, *cap. quidam de converſ. conjug.* poteſtque ſic invalidè profeſſus ſua ſponte redire ad ſæculum, & in eo ſemper manere, etiamſi alter poſteà conſenſerit vel dederit cauſam juſti divortii, niſi poſt hæc profeſſionem ſuam legitimè ratificarit. Et talis profeſſio de ſe non habet vim voti ſimplicis aut Religionis poſteà ineundæ aut ſervandæ caſtitatis aut non petendi debitum, quæ quidem præſumuntur, ſecundùm Cap. *Quidam* & Cap. *Placet*, de converſ. conjug. ſed an ita ſit, pendet ab intentione profitentis, quæ ex quirenda eſt. *Dixi*, ſi fiat abſque licentia conjugis, & extra caſum juſti divortii, quæ licentia vel divortium, ſi adſit, licitè & validè profitetur, uti colligi poteſt ex dictis tum hìc n. 438. tum etiam *l.* 6. *p.* 2. num. 2120. ubi dixi, talem etiam poſſe ſuſcipere ſacrum Ordinem. Poſſuntque hæc omnia videri pluribus deducta apud Averſ. *q.* 15. *ſ.* 2. *& ſ.*

§. 13. Huc ſpectat reſolutio ſeqq caſuum: 1. Titius 585
invalidè profeſſus, poſt elapſum quinquennium relata cauſa invaliditatis, emiſſus, invit Matrimonium. *Quæritur*, an validè? Negat Pignat. *tom.* 1. *conſul.* 88. referens multas declarationes, quæ dicunt, ibi eſſe tacitam profeſſionem. Sed Reſp. Quamvis Eccleſia prudenter præſumat talem eſſe tacitè profeſſum, ſive interea ratificaſſe profeſſionem ſuam, vis

enim esse potest, quin ratificaverit, cùm tamdiu in Religione vixerit, tamen cùm Ecclesia non possit supplere consensum ad valorem professionis necessarium si reipsa nunquam ratificasset, secundum dicta l. 4. n. 12. nunquam valuisset professio, & Matrimonium jam contractum esset validum. E contrà, si etiam tacitè tantùm ratificaverit primam invalidam professionem, nec aliunde aliquid defuerit, secundùm dicta l. 4. à n. 31. est verè professus, & consequenter Matrimonium ejus est invalidum, & de hoc casu intelliguntur declarationes apud Pignatellum.

568 *Casus* 2. Berta potens probare se coactam vi esse ingressam, & professam in Religione, post medium annum à professione clàm profugit, & jam in Matrimonio est per decem annos, susceptis prolibus, petitque tandem, ut Judex Ecclesiasticus habita plena probatione coactionis declaret Matrimonium, & proles legitimas. *Quæritur*, an id fieri possit? Ratio dubitandi est, quia Trid. *sess. 25. de Regul. c. 19.* dicit: Regularem talem non esse audiendum, *nisi intrà quinquennium tantùm à die professionis causam deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si anteà habitum sponte dimiserit, nullatenùs ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur.* Nihilominùs quatuor Doctores facultatis Theologicæ Coloniæ putarunt Judicem Ecclesiasticum adhuc posse declarare professionem irritam, Matrimonium, & proles esse legitimas, quia ignorantia Juris excusat in sexu fœmineo. Et mulier, ut inquit Gloss. *nov. in authen. de incest. nupt. §. 1.* Mascard. *de prob. vol. 1. concl. 74. n. 5. vol. 2. concl. 1080. n. 9.* ignorat sua jura, quidve ipsi competat. Et cùm res integra non sit, præsumendum de benignitate Matris Ecclesiæ, quod conjuges illos nolit manere in perpetuis animæ, & corporis angustiis.

Casus 3. Cajus metu, quem probare potest, coactus, verbis tantùm externis sine interno animo fecit professionem; cessante intra triennium causa metus, statim protestatur contrà, sed non auditur à Superioribus, nec permittitur implorare Ordinarium, imò in carcerem conjicitur, è quo elabens, fugam arripit, dimisso habitu ea intentione, ut intrà tempus quinquennii sibi currentis imploret Ordinarium. Iterum deprehensus conjicitur in duriorem carcerem: tandem interrogatur: num professionem suam velit ratificare, aut aliàs damnari perpetuò tali carcere? cumque non esset aliud evadendi medium, Cajus obtulit ratificationem, sed non aliter ratificat, quàm priùs illam fecerat, scilicet sine animo se obligandi. Liber factus habita occasione iterum fugit, sed cùm nullibi tutus consisteret, ex desperatione, militiæ nomen dedit, nec amplius sui juris, per annos 12. in ea mansit. Redux inde reassumpsit coram Ordinario suam reclamationem: sed fortuitò incidens in notitiam cum Caja, cum hac, totum negotium ignorante, contrahit Matrimonium in facie Ecclesiæ, & ex ea tres proles suscitat. *Quæritur* 1. an Cajus possit ab Ordinario loci restitui in integrum contra lapsum quinquennii? 2. An, ut audiatur ab Ordinario & Superiore loci, è quo profugit, compelli debeat ad reassumendum priùs habitum?

Respondeo ad 1. affirmativè 11. Quia restitutio in integrum nunquam intelligitur excluſa, nisi specialiter sit prohibita, *Socin.* & alii communiter, sed non est prohibita in casu hoc, quo injustè negata est omnis via reclamandi, nec ullibi Papæ reservatur restrictio in integrum, Zypæus *in Analysi Juris Pontif. de Regul. n.* 47. 2. Cajus reclamavit ante lapsum quinquennii, quod satis est, non enim requiritur, ut causa absolvatur ante quinquennium. 3. Ordinarius potest in sua diœcesi, quod Papa in orbe, nisi specialiter reservetur vel prohibeatur, Barb. *de jure Eccles. lib. 1. cap. 8. n. 20.* Sperell. *dec. 110. n. 21.* & Trid. in omnibus causis concedit primam instantiam Ordinariis, exceptis solis causis tractandis secundùm Canones apud Sedem Apostolicam, quod de hac causa nullibi dicitur. *Si dicas*, Ordinarius videtur hìc esse delegatus, delegatus autem non potest restituere, in integrum, Cap. *Causa, de rest. in integr.* Resp. n. esse delegatum, nam Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regul.* dicit, causam pertinere ad Ordinarium, & Superiorem regularem, nulla facta mentione delegationis: & licèt Ordinario adjuncta sit jurisdictio etiam circa exemptos, per tale additamentum non fit jurisdictio delegata, Salgado *de retent. Bulla p. 2. c. 25.* Vide de Luca *de Regul. d. 8. n. 7. & d. 16. n. 13.*

Respondeo ad 2. Fagn. ad Cap. *Perlatum* De his, quæ vi metusve caus. num. 52. *Covarr.* & alii videntur dicere, non audiendum, nisi in habitu, quia *Trid.* videtur Ordinario jurisdictionem concedere tantùm pro casu, quo intrà quinquennium causas deduxerit, manens in Monasterio: nam addit: *Quod si anteà habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur.* Unde de hoc casu egressus dimisso habitu, Pignat. *tom. 9. cons. 173. nu. 4.* ait: Trid. *velle, quòd priùs resumat habitum, & posteà admittatur ad adducendum causas nullitatis, alioquin vult agendum cum ipso, prout cum apostata.* Similiter Barb. *de potest. Episc. alleg. 104. num. 14.* ait, dimissionem habitus non impedire, ut regularis non audiatur, si posteà eundem reassumat. Contradicit Sanch. *lib. 7. d. 37. num. 3.* ubi ait: limitandum est, nisi professus is justam dimittendi habitus causam haberet, vel si non posset obtinere licentiam eundi ad reclamandum, nec ire, nisi habitu deposito, aut non permitteretur causas nullitatis proponere coram Ordinario: & ob id habitu dimisso fugit, ut reclamet, quippe *Trid.* temerariam habitus dimissionem punire intendit; at non temerè dimittit, qui ut allegando causas nullitatis, remedio Juris concesso uti possit, id efficit, sic Nav. Azor. Addit Sanch. *n. 11.* fictè professum posse, cessante scandalo, & omissa reclamatione, & non deductis causis coram Ordinario, ac Superiore, fugere, nec teneri redire ad Monasterium, nec esse apostatam. Hinc videtur dicendum, cùm Cajus injustè impeditus sit, quominus ageret, potuit dimisso habitu fugere, ut ageret; & cùm nullibi tutus esse posset, quòd se dederit militiæ, videtur feciſse coactus, deserere autem militiam vel non potuit, vel non est ausus, & cùm dimissus à militia statim inceperit iterum agere coram Ordinario, non videtur excludendus beneficio restitutionis in integrum apud Ordinarium, nec ipsi tutum est redire ad Ordinem, in quo fortè libertatem non haberet agendi causam suam apud Judicem competentem.

Q. 80. *Quid addendum sit circa cognationem legalem?* R. §. 1. Adoptio tum dicitur perfecta sive arrogatio, si homo liber adoptatus authoritate Principis transeat in potestatem adoptantis tanquam hæres necessarius ex testamento, & ab intestato: tum est imperfecta, si homo etiam alieni juris assumatur in filium, non transeundo in adoptantis potestatem, & non tanquam hæres necessarius ex testamento, sed tantùm ab intestato per potestatem Judicis inferioris ex consensu solius adoptantis. 587

§. 2. Probabilius est cùm *Innoc. IV.* Sylv. Henriq. Sanch. Con. Laym. Dian. Tanc. Merat. Bonac. Regin. 588

Fill.Sylv.Tãn.Aver.*q.16.ſ.3.*Pirth.Zoeſ.Engel.Haun. Vvex.*p.5.tr.2.contr.*4.Krim.*n.*1121.contra Scot.Abb. Palud.Pont.Caſtrop.Barb.Schneidevv.&Scotiſtas omnes teſte Maſtrio *n.* 104. ſolùm adoptionem perfectam dirimere, cùm de imperfecta nil ſtatuatur in Jure, ſed tantùm de adoptione ſimpliciter,ſive ſine addito, quo nomine venit ſola perfecta, maximè cùm Jura irritantia potiùs in favorem Matrimonii reſtringenda ſint, quàm amplianda.

589 §. 3. Cognatio legalis dividitur in Paternitatem, fraternitatem, & affinitatem. Paternitas reperitur inter adoptantem, & adoptatum, ac hujus deſcendentes, & hæc cognatio eſt perpetua, etiamſi per emancipationem, aut aliter ſolvatur adoptio. Fraternitas reperitur ſolummodò inter liberos legitimos adoptantis, & inter adoptatum, non autem inter adoptatum, & filios illegitimos adoptantis, neque inter filios legitimos adoptantis, & filios adoptati, durat autem ſolùm tamdiu, quamdiu adoptio. Affinitas legalis reperitur inter adoptantem, & uxorem adoptati, item inter uxorem adoptantis, & adoptatum, duratque etiam in perpetuum, Averſ. ſuprà, Krim. *n.* 1128. Lohner *p.* 4. *in inſtruct. Paſtorum pag.* 207.

590 §. 4. Linea legalis Paternitatis eſt hæc:

Titius adoptans eſt cognatus, cum { adoptato in 1. gradu; liberis adoptati, in 2.; nepotibus adoptati, in 3.; pronepotibus adoptati, in 4.

591 §. 5. Hæc cognatio inter adoptantem, & adoptatum non extenditur, niſi ad eam perſonam, quæ tempore adoptionis erat ſub poteſtate adoptati, hinc adoptans validè contrahit cum filia adoptati nata poſt adoptionem, vel etiam nata ante, ſed priùs emancipata: item cum filia ſuæ filiæ adoptivæ, quia mulier neminem habet in ſua poteſtate: item cum liberis illegitimis adoptati, quia hi non ſunt ſub hujus poteſtate, Sanch. Laym. Krim. *n.* 1124. Similiter nulla eſt cognatio legalis inter adoptantem, & parentes adoptati, quia hi parentes non ſunt ſub poteſtate adoptati, Krim. 1126.

592 §. 6. Linea legalis fraternitatis eſt hæc:

Cajus adoptatus eſt cognatus, cum { Liberis adoptantis in 1. gradu; nepotibus adoptantis, in 2.; pronepotibus adoptantis, in 3.; abnepotibus adoptantis, in 4.

593 §. 7. Linea Legalis affinitatis eſt hæc:

Titius adoptans, & uxor Caji adoptati, Cajus adoptatus, & uxor Titii adoptantis. { ſunt legaliter affines.

594 §. 8. Impedimentum cognationis legalis, ſecundùm dicta, non contrahitur à liberis adoptivis inter ſe, hinc filii adoptati à Cajo contrahere poſſunt cum filiabus adoptatis ab eodem Cajo, Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 121. Gob. *tr.* 9. *n.* 177. Averſ. ſuprà. Bonac. *Krim. n.* 1125. Similiter filius adoptatus poſſet ducere filiam legitimam adoptantis, ſi alteruter emanciparetur, vel ſi moriatur adoptans, quia tum ceſſat adoptio, Krim. *à n.* 1125. E contrà filius adoptatus etiam ſoluta adoptione ducere non poteſt eam, quæ fuit uxor adoptantis, uti nec adoptans uxorem adoptati, quia ſecundùm dicta, eſt quædam inter hos quaſi publica honeſtas perpetua. An ſuperveniens cognatio legalis impediat petitionem debiti, dicetur *n.* 601.

595 *Q.* 81. *Quid dicendum ſit circa generationem ſpiritualem?* Reſp. §. 1. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de reform. Matrim. ſtatuit, ut unus tantùm, ſive vir ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contra-*

hatur. Et idem dicendum eſt ex Confirmatione, in qua patrinus aſſiſtens, & confirmans contrahunt cognationem cum confirmato, cumque hujus patre, ac matre.

§. 2. Cùm *Trid.* dicat, inter illos *tantùm* contrahi 596
hanc cognationem, conſequenter non contrahitur inter patrinum, & matrinam, neque inter plures patrinos vel plures matrinas, ſi plures adhibeantur; neque inter illos, qui baptizantur vel confirmantur ab eodem Miniſtro, neque inter Miniſtrum Sacramenti, & patrinos, neque cum parentibus vel uxore Miniſtri, neque cum conjuge patrini, vel matrini, neque cum liberis vel vitrico vel noverca baptizati, aut confirmati.

§. 3. Si Berta uxor Titii adulteretur cum Cajo, qui 597
ob levatum Titii, & Bertæ infantem habet cum eis cognationem ſpiritualem, quamvis ſit inceſtus ob cognationem ſpiritualem, tamen Berta hoc non obſtante poteſt à Titio petere debitum, qui non impeditur per cognationem ſpiritualem, quæ non extenditur, niſi ad perſonas in Jure expreſſas, adeóque Berta non ideò contraxit cognationem ſpiritualem cum Titio marito ſuo: Neque hîc contracta eſt affinitas cum Titio, hæc enim tantum oritur ex copula cum ſanguine juncto, ſeu cum cognato ratione ſanguinis, qualis non erat Cajus, qui cum Berta, & Titio habebat tantùm cognationem ſpiritualem.

§. 4. Pontius *l.* 7. *c.* 40. *n.* 13. putavit non incurri hoc 598
impedimentum, ſi quis cum ignorantia facti teneat aliquam, v. g. ſi filiam ſuæ concubinæ, neſciens hunc eſſe: ſed oppoſitum videtur certum cum Averſ. *q.* 16. *ſ.* 2. ubi ſibi contrarius eſt, ignorantia enim vel error hîc non excuſant, maximè cùm illud ſtatuatur non velut pœna, ſed tantum veluti impedimentum canonicum, quale eſt etiam affinitas ex copula fornicaria, uti dicetur poſteà.

§. 5. Docent Tol. Henriq. Suar. Coninch. Sanch. 599
Bonac. aliique AA. graviſſimi, quos citat, & ſequitur Pign. *tom.* 1. *conſult.* 10. *non confirmatum non contrahere cognationem ſpiritualem*, dicitque à S. Congreg. in his terminis declaratum eſſe 13. Jun. 1654. ſed quamdiu non conſtat de ea declaratione, manet valdè probabile oppoſitum, nam ita docent AA. relati à Sanch. *l.* 7. *d.* 10 *n.* 21. aliique cum Averſ. quem retuli *l.* 6. *p.* 1. *n.* 400. videri poteſt etiam Gob. *tr.* 9. *à n.* 169.

§. 6. Contrahit hoc impedimentum laicus bapti- 600
zans etiam privatim, & in neceſſitate, quia etiam hîc intervenit vera regeneratio per Baptiſmum, propter quam Eccleſia hoc impedimentum ſtatuit inter baptizantem & baptizatum, Sanch. Lay. Krim. *n.* 1198. An autem contrahat patrinus aſſiſtens Baptiſmo non ſolemni, aut ſolis cæremoniis, aut Baptiſmo ſub conditione repetito, dixi l. 6. p. 1. n. 361. ubi a n. 359. pluribus dixi quid requiratur ad contrahendam hanc cognationem.

§. 7. Cognatio ſpiritualis ſuperveniens Matrimonio 601
impedit ejus uſum, ſecundùm dicta *à n.* 587. Illum tamen non impedit ſuperveniens cognatio legalis, hinc quamvis Titius adulteratus cum ſorore uxoris ſuæ impediatur à petitione debiti, non tamen impeditur, ſi ſororem uxoris ſuæ adoptet, quia hoc nullo Jure ſtatuitur, Sanch. *l.* 7. *d.* 65. *n.* 19. Krim. *n.* 1238. An autem pater in neceſſitate baptizans, vel aſſiſtens ſuæ, aut uxoris proli contrahat cognationem, & impediatur à petitione vel redditione debiti, dixi *à n.* 384. & videri etiam poſſunt dicta l. 6. p. 1. n. 358.

Q. 82. *Quid circa cognationem carnalem, ſeu con-* 602
ſanguinitatem ſit addendum? R. §. 1. Ante omnia intelligi debet ſignificatio nominum hîc, ad quod ſervire poterunt ſequentia ex Lohner *p.* 4. *in Inſtruct. Paſtor. pag.* 198.

Nomina consanguinitatis.

Latinè.	Germanicè.	Gallicè.
Cognatus.	*Veter Bluts-vervvandt.*	Parent, Cousin.
Cognata.	*Baas.*	Cousine.

Paterna linea. Vatters Geschlecht. Ligne du Pere.
Materna linea. Mutter-Geschlecht. Ligne de la Mere.
Pater. Vatter. Pere.
Mater. Mutter. Mere.
Liberi. Kinder. Enfans.
Filius. Sohn. Fils.
Filia. Tochter. Fille.
Frater. Bruder. Frere.
Frater ex patre. Bruder vom Vatter. Demyfrere du côté du pere.
Frater uterinus. Bruder von der Mutter. Frere uterin.
Germanus frater. Leiblicher Bruder. Frere Germain.
Soror. Schvvester. Sœur.
Gemini. Zvvilling. Freres Gemeaux.
Avus. Anherr. Grosvatter. Ayeul : Grand-Pere.
Avus paternus. Des Vatters Vatter. Ayeul Paternel.
Avus maternus. Der Mutter Vatter. Ayeul Maternel.
Avia. Anfrau. Grosmutter. Ayeule, Grand-Mere.
Proavus. Uranherr. Bisayeul.
Proavia. Uranfrau. Bisayeule.
Abavus. Uranvatter. Trisayeul.
Abavia. Uranmutter. Trisayeule.
Atavus. Urans-ann. Le Pere du trisayeul.
Tritavus. Urans Uran. Le grand pere du trisayeul.
Nepos. Enkel, Kinds-Kinder. Petit fils.
Nepos ex filio. Sohns-Sohn. Petit fils, fils de mon fils.
Nepos ex filia. Tochters-Sohn. Petit fils, fils de ma fille.
Neptis ex filio. Sohns-Tochter. Fille de mon fils.
Neptis ex filia. Tochters-Tochter. Fille de ma fille.
Pronepos. Enkels-Sohn. Fils du petit fils.
Proneptis. Enkels Tochter. Fille de la petite fille.
Abnepos. Enkel des Enkels. Petit fils du petit Fils.
Abneptis. Enklen des Enkels. Petite fille de la petite fille.
Nepos. Enkels Urenkel. Arriere fils.
Abneptis. Enkels Urenklen. Arriere fille.
Patruus, Frater patris. Vatters Bruder. Oncle Paternel, frere du Pere.
Patruus magnus, Frater avi. Anherrens Bruder. Grand oncle Paternel, frere du grand Pere.
Propatruus : frater proavi, Uransherrens Bruder. Arriere oncle, frere du bisayeul.
Avunculus, frater matris. Mutter Bruder. Oncle maternel, frere de la mere.
Avunculus magnus, frater avi materni. Anfrauens Bruder. Grand oncle maternel, frere du grand pere materuel.
Proavunculus, frater proavi materni. Uranfrauen Bruder. Arriere oncle maternel, frere du bisayeul maternel.
Amita. Vatters Schvvester. Tante, sœur du Pere.
Amita magna. Anherrns Schvvester. Grande Tante, sœur du grand pere ou de la grande mere paternelle.
Proamita. Uranherrns Schvvester, Arriere Tante, sœur du bisayeul ou de la bisayeule paternelle.
Matertera. Mutter Schvvester. Tante, sœur de la mere.
Matertera magna. Anfrauens Schvvester. Grande Tante, sœur du grand pere ou de la grand mere maternelle.
Pro-matertera. Uranherrns Schvvester. Arriere Tante, sœur du bisayeul ou de la bisayeule maternelle.
Nepos ex fratre. Bruders Sohn. Neveu, fils du frere.
Nepos ex sorore. Schvvester Sohn. Neveu, fils de la sœur.
Neptis ex fratre. Bruders Tochter. Nièce, fille du frere
Neptis ex sorore. Schvvester Tochter. Nièce, fille de la sœur.
Patrueles. Zvveyer Bruder Kinder. Cousins ou cousines germaines, enfans de deux freres.
Consobrini, consobrinæ Zvveyer Schvvester Kinder, Geschvvestert Kinder. Cousins ou cousines germaines, enfans des deux sœurs.
Amitini. Bruders und Schvvester Kinder. Enfans du frere & de la sœur.
Sobrini. Geschvvestert Enklen. Neveux des deux sœurs.

Denique notandum est, quòd in Jure illi dicantur agnati, qui ab aliquo descendunt per lineam masculinam, illi autem cognati, qui per fœmininam, quamvis quandoque nomen cognati tanquam genus sumatur ad utrosque.

§. 2. Quia hic loquemur de consanguinitate ejusque lineis, gradibus, stipite, &c. notandum est, quid his terminis significetur. *Consanguinitas* est conjunctio personarum ex eo proveniens, quia una descendit ab altera, vel ambæ ab eadem : dicitur autem consanguinitas, quasi conjuncti sanguinis. *Linea* consanguinitatis est collectio personarum ab eodem stipite descendentium continens, & distinguens gradus inter eas, series autem illa, sive ordo personarum ex eodem stipite descendentium dici solet arbor consanguinitatis. *Gradus* lineæ est distantia unius personæ ab altera intra eandem lineam, & dicitur gradus, quia ita progredimur de proximo ad proximum. *Stipes* dicitur illa persona, à qua cæteræ, de quarum cognatione quæritur, descendunt, ideóque dicitur communis stipes, quia illi, de quibus quæritur, habent eum, velut communem truncum, à quo ipsi veluti rami proveniunt, & in quo primò conveniunt, si in eorum originem inquiramus, sic pater est stipes respectu fratris mei, sororis meæ & mei, avus est stipes respectu mei, & patrui mei, quia nullus est proximior, quàm avus, à quo uterque nostrum descendat, quamvis enim ego proximiùs descendam à patre meo, tamen patruus meus non descendit à patre meo, neque ab ullo alio proximiùs, quam ab avo meo. Similiter proavus est stipes respectu mei, & avi mei, quia est primus, à quo etiam uterque nostrum descendit. 603

§ 3. Linea est vel recta, vel transversa. *Linea recta* est, in qua sibi illi collocantur, quorum unus est principium alterius, sive, quorum unus est ab altero generatus, sive sint ascendentes, sive descendentes. Dicitur autem linea ascendentium, si ab inferioribus incipiatur versus superiores, v. g. filio ad patrem, avum, proavum, abavum. Et contrà si a majoribus respiciatur ad inferiores, dicetur linea descendentium, v. g. à patre ad filium, nepotem, pronepotem, abnepotem. *Linea transversa*, quæ etiam collateralis appellatur, est illa, in qua tales collocantur, qui licèt descendant ab eodem communi stipite, v. g. ab eodem patre, unus tamen non descendit ab altero, sicut duo fratres, vel frater, & soror ab eodem patre, patruus, & ego ab eodem avo, ita tamen, ut inter nos unus non descendat ab altero, quia neuter generavit alterum : hæc linea transversa dividitur in æqualem, & inæqualem, *æqualis* tum est, si personæ à se mutuò non descendentes æqualiter, id est, cum eodem numero graduum distant à communi stipite, v.g. ego frater & soror mea æqualiter distamus à patre. Tum est *inæqualis*, quando personæ à se non descendentes distant inæqualiter, id est, cum inæquali numero graduum ab eodem stipite, v.g. ego & patruus meus respectu avimei, nam patruus ab eo distat uno gradu, cùm sit ejus filius, ego duobus, cùm sim nepos. 604

§. 4. Propinquitas, & distantia graduum reducitur ad has tres regulas. 605

Regula 2. Totsuntgradus in linea recta tam ascendẽte quàm descẽdente, quot sunt personæ, una dempta. Alii sic ponunt regulam ; positi in lineare cta tot gradibus à se invicem distant, quot intercedunt generationes

generationes activæ, v.g. nepos tuus distat ab avo tuo quatuor gradibus, quia in primis si ascendendo incipias numerare personas à tuo nepote usque ad avum tuum, invenies quinque, nempe nepotem tuum, filium tuum, te, patrem tuum, avum tuum, itaque unam tollas, & remanent quatuor, sicque erunt quatuor gradus, præterea quatuor sunt generationes activæ ab avo tuo usque ad nepotem tuum, scilicet illa qua avus tuus generavit patrem tuum; deinde altera, qua pater tuus te generavit; tertia est, qua tu generasti filium tuum; quarta denique, qua filius tuus generavit filium suum, qui est nepos tuus, consequenter tuus nepos est in quarto gradu consanguineus cum tuo avo, nam respectu avi tui est abnepos.

Regula secunda. In linea transversa æquali, tot gradibus distant personæ inter se cõparatæ, quot gradibus singuli distãt à cõmuni stipite, v.g. ego, frater & soror mea, singuli à cõmuni stipite, qui est pater, distãus uno gradu, ideoque inter nos sumus consanguinei in primo gradu. Item, ego & patruelis meus, id est, filius patrui mei à communi stipite, qui est avus noster, distamus duobus gradibus, ideóque inter nos etiam distamus duobus gradibus, & sumus consanguinei in secundo gradu æquali.

Regula tertia. In linea transversa inæquali tot gradibus distant personæ inter se comparatæ, quot gradibus distat à communi stipite persona illa, quæ est remotior, v. g. patruus meus distat ab avo meo uno gradu, ego autem disto ab eodem avo meo duobus gradibus; hinc ego etiam duobus gradibus disto à patruo meo, sive dicto primo gradu in secundo, uti habet stylus in curia Romana, ideóque cum illo sum consanguineus in secundo gradu inæquali, sive in gradu primo secundo. Pro claritate pono singulas lineas, quas, qui leget in *Lohner.* cautè usurpet, & corrigat, quia ibi multi sunt errores in numeris à typographo malè notatis.

606 *Linea recta consanguinitatis,*

Ascendentes.
- Cum abavo suo in 4.
- cum proavo in 3.
- cum avo in 2.
- cum Patre in 1.

Titius est

Descendentes.
- Cum filio in 1.
- cum nepote in 2.
- cum pronepote in 3.
- cum abnepote in 4.

Linea transversa æqualis.

- cum amitino suo in 2.
- cum consobrino in 2.
- cum patruele in 2.

} cum horum liberis in 3. Nepotibus in 4.

Titius est
- cum fratre suo in 1. cum hujus liberis in 2. Nepotibus in 3. Pronep. in 4.
- cum sorore in 1. cum hujus liberis in 2. Nepot. in 3. Pronep. in 4.

- cum patruele in 2.
- cum consobrina in 2.
- cum amitina in 2.

} cum harum liberis in 3 Nepot. in 4.

Linea transversa inæqualis ratione patris.

Titius est
- Cum propatruo ejusque liberis, nepotibus, & pronepotibus in 4.
- cum patruo magno, ejus liberis, & nepotibus in 3. cum pronepotibus in 4.
- cum patruo in 2. cum liberis patrui in 2. nepot. in 3. cum pronepot. in 4.
- cum amita in 2. cum liberis amitæ in 2. cum nepot. in 3. cum pronepot. in 4.
- cum amita magna, hujus liberis, & nepotibus in 3. cum pronepotibus in 4.
- cum proamita ejusque liberis, nepotibus, & pronepotibus in 4.

Linea transversa inæqualis ratione matris.

Titius est
- Cum proavunculo ejusque liberis, &c. in 4.
- cum avunculo magno, ejus liberis, & nepotibus in 3. cum pronepotibus in 4.
- cum avunculo in 2. cum hujus liberis in 2. cum nepotibus in 3. cum pronepotibus in 4.
- cum matertera in 2. cum hujus liberis in 2. cum nepotibus in 3. cum pronepotibus in 4.
- cum matertera magna, ejus liberis & nepotibus in 3. cum ejus pronepotibus in 4.
- cum promatertera, ejus liberis, nepotibus, & pronepotibus in 4.

Nota. In his lineis transversis quoad descendentes non semper est linea inæqualis: quinam autem sint in linea æquali, facilè colligitur ex antedictis, & prioribus tabulis.

Linea transversa inæqualis ratione fratris & sororis.

Titius est
- Cum Cajo fratris sui pronepote in 4.
- cum fratris nepote in 3. cum hujus liberis in 4.
- cum fratris liberis in 2. cum horum liberis in 3. cum nepotibus in 4.
- cum sororis liberis in 2. cum horum liberis in 3. cum nepotibus in 4.
- cum sororis nepote in 3. cum hujus liberis in 4.
- cum sororis pronepote in 4.

Q. 83. *Quomodo practicè sit agendum, quando dicitur, quòd cognatio intercedat inter sponsos?* R. Quamvis Parochus vel Confessarius non debeat se veluti Judicem statuere in causis matrimonialibus, tamen potest veluti amicus, & consultor interrogare, cur putetur adesse impedimentum, vel unde sit dubium. Ut autem veritatem comperiat, practicè sic procedat: scribat in parte inferiore cartæ nomen sponsi ad sinistrum latus, ad dextrum, nomen sponsæ, supra sponsum describat ordine semper ascendendo à proximioribus nomina illorum sponsi cognatorum, qui ex hac parte dicuntur dedisse causam cognationis: similiter scribat in altero latere nomina eorum, qui ex parte sponsæ dicuntur dedisse causam cognationis, nec cesset à scriptione, donec perveniat ad communem stipitem, è quo sponsus, & sponsa sint mediatè generati: si non reperiatur talis stipes, tum certum est nullam adesse cognationem, sed fortè erit affinitas, de qua posteà: si verò perveniatur ad communem stipitem, consideret, in qua linea sint sponsi, an in recta vel transversa, æquali vel inæquali, & applicet regulas, uti supra. Quòd si inveniat esse intra quatuor gradus, erit impedimentum; si ultra quatuor gradus, dicat nullum esse impedimentum, ita Gob. *tr.* 9. *n.* 165. 607

Q. 84. *Quid præterea sit notandum circa impedimentum consanguinitatis?* Resp. §. 1. Non omnes consanguinitatis gradus dirimere Jure naturæ, certum videtur ex dicendis *n.* 828. Ecclesia enim in aliquibus dispensat. Attamen docent *Scot. S. Anton. Palud. Dur. Abb. Bellarm. Vasqu. Con. Hurt. Merat. & alii*, omnes gradus in linea recta usque in infinitum dirimere Jure naturæ, ideóque si Adam viveret, non posse jam cum illa fœmina à se descendente inire Matrimonium, & ita expresse asseritur L. *Nuptiæ*, ff. *De ritu nupt.* Rationem dant, quia semper dicuntur parentes, & filii, genitores, & geniti, principia & principiati, ita ut superiores respiciant inferiores tanquam aliquid sui, ergo natura semper exigit speciem reverentiam ad invicem, ergo prohibet inter eos copulam conjugalem, quæ videtur supponere copulandos esse natura pares, & extraneos invicem. Contradicunt S. Th. Caj. Vict. Ledesm. Sanch. Pont. Covar. Sot. Valent. Fagund. Perez, Bonac, aliique cum Averf. *q.* 16. *s.* 2. & Krim. *a. n.* 1199. & *a. n.* 1199. dicuntque solùm primum gradum esse de Jure naturæ, nam in primis quò major est distantia, 608

eo minor debetur reverentia, natura enim dictat majorem deberi reverentiam patri quàm tritavo, & consequenter copulam patris cum filia debere magis esse contra naturam, quàm patris cum abnepte; & rationem à priori dat Pignat. *t.* 7. *cap.* 22. *n.*45. quia peculiaris affectio erga consanguineos nascitur ex virtute superiorum traducta ad inferiores cum similitudine complexionis, morum, lineamentorum, hæc autem similitudo paulatim diminuitur, & tandem evanescit, ergo saltem in remotissimis gradibus censebitur quasi moraliter cessare omnis illa similitudo, & consequenter abhorrescentia naturæ. Deinde Canones nunc absolutè dicunt consanguinitatem ultra quartum gradum non dirimere; sic enim Cap. *Non debet*, De consang. dicitur: *prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum non excedat*, nec distinguunt, an in linea recta, vel transversa, ergo nec nos debemus distinguere: cùm autem nunc restrinxerint ad quartum gradum, cùm antehac extenderetur ad septimum, ratio hæc est, quia nunc ætas hôminum est brevior, nec multi vivunt quintam generationem suorum descendentium. Ad rationem oppositam resp. solum patrem dici per se principium filii, progenitores autem dicuntur tantùm principia per accidens, quia ad rationem filii sufficit habere patrem, quamvis hic pater non haberet progenitores, uti patet in Abel respectu Adami, ergo meritò debetur patri alia reverentia, quàm aliis progenitoribus.

609 §. 2. Quamvis concederemus Matrimonium in quinto gradu lineæ rectæ esse Jure naturæ illicitum, non ideò esset Jure naturæ irritum, nam Jure naturæ illicitum est Matrimonium contra fidem datam alteri sponsæ, vel contra fidem Deo datam de castitate servanda, & tamen ejusmodi Matrimonia non sunt Jure naturæ irrita, Sanch. *l.* 2. *d.* 51. *& alii.*

610 §. 3. *Si* solus pater, & filia superessent, secundùm Sanch. *l.* 7. *d.* 51. *n.* 10. & alios, indecentia Matrimonii inter eos videtur honestanda per extremam necessitatem propagandi genus humanum, adeóque videretur Deus tum quasi dispensare. Quamvis alii cum Aversa. *q.* 16. *s.* 1. putent, pro tali casu judicandum fore, quòd Deus vellet finem humanæ generationis, nisi aliter prodeat. Saltem docet Pign. *to.* 7. *consult.* 22. *n.* 1. Deum absolutè posse etiam pro primo gradu dispensare.

611 §. 4. Sot. Vasq. Bellarm. Valent. Ledesm. Bonac. Henriq. Perez: Sanch. *d.* 52. *n.* 11. putant Matrimonium in 1. gradu lineæ transversæ, nempè fratris cum sorore, esse Jure naturæ irritum, nam Ecclesia, quamvis rogata, nunquam dispensare voluit. Contradicunt Alens. Scot. Caj. Hurt. Dian, *p.* 4. *t.* 4. *R.* 93. Pont. *l.* 7. *d.* 32. *n.* 3. Castr. *d.* 4. *p.* 7. Aversa. suprà: aliàs Matrimonium non fuisset licitum inter proles Adami, & Deus debuisset aliter providere propagationi humanæ; hinc putant esse Juris positivi, divini, & Ecclesiastici.

612 §. 5. *Si* infideles contraxerint in gradu per Ecclesiam prohibito, & postea baptizentur, non idcò separari possunt, Cap. *De infidelibus* 4. *De consang. & affin.* nam non erant subjecti Ecclesiæ, dum contraxerunt, ergo etiam non tenebantur ejus impedimento. *Nec obstat*, quòd infidelis conversus, si sit bigamus, sit irregularis, quod etiam à statuto Ecclesiæ provenit, *nam*, quòd sit bigamus, est ex natura rei, sive sit fidelis, sive infidelis, quòd autem bigamus prohibeatur suscipere Ordines, &c. hoc solùm est à statuto Ecclesiæ.

613 *Q.* 85. *Si Titius & Berta sint consanguinei in gradu mixto ex quinto & quarto, an sint impediti?* Ratio dubitandi est, quia reipsa contingunt se in 4. gradu, hinc qui in 4. & 3. se contingunt, debent explicare etiam tertium, ut in hoc etiam specialiter dispensetur, ergo similiter hic. Resp non esse impeditos, uti expresse habetur Cap. fin. *Vir qui.* De consang. nisi alicubi fuisset hactenus contraria consuetudo, propter quàm aliud decernitur, ibid. Cap. 3. *Si dilectò*, quod pro isto tantùm loco dicitur, ut ne fieret novitas in populo isto: Hinc Sanch. *l.* 7. *d.* 53. *n.* 5. & Aversa. *q.* 16. *s.* 1. docent cum communissima, tales posse contrahere, quamvis ex una parte attingeretur etiam primus gradus. Ratio est, quia licèt Titius sit in primo gradu v. g. cum Cajo, & Berta sit in 5. gradu cum eodem Cajo, tamen Berta non est cum Cajo conjuncta in ullo gradu impediente, cùm ultra 4. gradum non extendat se impedimentum, ergo Titius, & Berta etiam inter se non sunt in ullo gradu impediente, nam gradus continentiæ inter se debet desumi per respectum contingentiæ ad stipitem, qui est Cajus: hinc ad rationem oppositam patet responsio, nam etiam ratione 4. gradus oritur impedimentum, ergo non est mirum, quòd illius debeat fieri mentio: hic autem ostensum est ratione 5. gradus nullum oriri impedimentum.

Q. 86. *Quid addendum sit circa impedimentum criminis?* R. §. 1. Universim posset impedimentum criminis distingui quadruplex: 1. Machinatio concurrente utraque parte cum intentione Matrimonii cum conjuge superstite. 2. Machinatio unius tantùm partis ex intentione Matrimonii, & adulterium absque alio contractu vel promissione Matrimonii. 3. Adulterium cum contractu vel promissione Matrimonii. 4. Raptus, de quo à *n.* 630. 614

§. 2. Per machinationem hìc intelligitur crimen homicidii, id est, non solus conatus occidendi, sed occisio conjugis; Cap. *Si quis vivente*, 31. *q.* 1. Debetque mors sequi ex actione occidentis & non ex culpa Medici, vel negligentia morientis, Pont. *l.* 7. *cap.* 45. *num.* 4. Mastr. *n.* 104. Perinde autem est, sive sit occisio uxoris procurata à viro, sive viri procurata ab uxore, uti certum est ex communissima cum Sanch. *l.* 7. *d.* 78. Aversa. *q.* 18. *s.* 4. contra Victor. & Ledesm. Et censetur machinatio, si vir uxorem deprehensam in adulterio occidet ex consilio, seu intentione contrahendi cum alia, quia quamvis leges civiles factum illud non puniant, tamen canonicæ detestantur, nec excipiunt, dum constituunt hoc impedimentum, *Aversa.* & alii contra *Henriq. Rebell. Bonac.* 615

§. 3. *Aversa. & Mastr.* suprà putant utrumque oriri impedimentum, si unus etiam inscio altero machinatus sit, nam per Cap. *Si quis vivente*, hic machinator ligatur eo impedimento, ergo etiam alter, cum quo intendebat contrahere, quia hoc ipso, quòd unus impediatur, etiam impeditur alter. Oppositum tenet communis cum *Busemb.* in quam fatetur *Mastr.* etiam magis propendere *Scot.* Ratio est, quia ita videtur statui Cap. *Super hoc*, De eo qui duxit, nam dicitur non posse ducere, *si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dederit sive non, quòd ea defuncta hanc esset ducturus*: putantque Pont. Gutt. & Kri. *n.* 1003. probabiliter, nequidem à machinante incurri, si exteriùs non manifestarit intentionem Matrimonii. Attamen contradicit Castr. *d.* 4. *p.* 12. *n.* 5. quia quamvis Ecclesia non puniat actus merè internos, tamen punit externos ex hac vel illa intentione factos, nam excommunicat Inquisitorem, qui reis facit injustitiam ex odio vel amore, *Clement. 1. § Verùm quia, de hæret.* 616

§. 4. Si Cajus maritus præmisso adulterio cum Berta machinatus sit mortem suæ uxoris, primariò quia oderat, secundariò, ut cum Berta iniret Matrimonium, oritur impedimentum, quia machinari sunt animo contrahendi. Jura autem non exprimunt debere esse primariam intentionem, Less. *in auth. v.* 617

Matr.

Matr. caſ. 10. Quod, valet, etiamſi, cùm contraherent, dubitarint, an etiam ſecundariò habuerint intentionem contrahendi, quia factum ſcitur, & prudenter præſumitur illa intentio, communiter enim comitatur. Si tamen contraxerint bona fide, nil ſuſpicantes, & poſteà dubitatio illa ſuperveniat, quando poſt adhibitam diligentiam nihil certi comperitur, probabile eſt non indigere diſpenſatione, adhuc tamen probabiliùs cenſet *Leſſ.* quod indigeant, quia difficile creditu eſt, eum animum non adfuiſſe. Debere autem ſaltem in uno adfuiſſe animum ineundi Matrimonium, nec ſufficere commune conſilium occidendi, videtur certum cum *S. Th. Bonav. Averſ.* ſuprà & aliis commnniſſimè, quamvis contradicant *Cajet. Arm. Sot.*

618 §. 5. Si uxor occidat virum ex conſilio Matrimonii cum alio, æquè incurritur impedimentum, quia Can. *Si quis*, 31. *q.* 1. dicitur: *ſive vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur*, &c & idem patet ex Cap. *Laudabilem*, *de converſ. infidel.* Ut autem quis dicatur machinatus mortem alterius cum effectu, ſufficit, quòd occiderit conſilio vel mandato, quia machinatio propriè ſignificat occultam inſidiationem reſpectu mortis, Pyrrh. Corr. Krim. *n.* 1001. Attamen non ſufficit ratihabitio patrati homicidii, quia non eſt cauſa patrati homicidii, & quando Regula 10. Juris in 6. dicit *ratihabitionem mandato æquiparari*, intelligitur, vel quando effectus pendet tantùm à ratihabitione, vel quando Jus ita diſponit, Laym. Caſtrop. *n.* 4. Similiter quamvis Cap. *Cùm quis*, *de ſent. excomm. in* 6. dicatur, quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato æquipararetur, etiam ad pœnam excommunicationis, hoc tamen extendi non debet ad alias, & ſpecialiter non ad hanc pœnam contra favorem Matrimonii, Sanch. Krim. *num.* 2443.

619 §. 6. Sive promiſſio antecedat, ſive ſequatur poſt adulterium, cauſat impedimentum, Sanch. *l.* 7. *d.* 79. *n.* 3. Lug. *in reſp. mor. l.* 1. *dub.* 44. *n.* 2. Gob. *tr.* 9. *n.* 199. Krim. *n.* 1006. Quod valere dicit Averſ. *q.* 18. *ſ.* 3. etiamſi promiſſio bena fide facta præceſſiſſet. Unde nec opus eſt, ut eodem tempore fiat adulterium, & promiſſio, quia in omnibus his caſibus præbetur anſa captandi mortem conjugis, ad quod cavendum inductum eſt illud impedimentum. Si tamen promiſſio tacitè, vel expresè revocetur ante adulterium, oritur impedimentum: è contrà ſi revocetur pr ùs poſt adulterium, ſive facta ſit ante illud, ſive poſt, oritur, quia jam cauſatum erat, Averſ. Gob. *num.* 195.

620 §. 7. Si promiſſio fiat de Matrimonio contrahendo ante mortem alterius conjugis, Sanch. *n.* 2. putat non oriri impedimentum, quia Can. *Relatum*, 31. *q.* 1. expreſsè dicitur, promiſſionem referri ad tempus futurum poſt mortem alterius conjugis, & ratio Canonis eſt, quia ſic dabatur cauſa machinandæ mortis. Contradicit Averſ. *q.* 8. *ſ.* 3. ſicuti enim dirimit Matrimonium de præſenti contractum vivente alio conjuge, uti ſtatim dicetur, ita etiam videtur dirimere promiſſio ejus de præſenti, cùm etiam detur cauſa machinandi mortem, ut tale Matrimonium validari poſſit.

621 §. 8. Quamvis Matrimonium, quod de præſenti contrahunt hi adulteri, ſit invalidum ratione ligaminis, tamen oritur impedimentum criminis, Cap. *Super hoc*, De eo, qui duxit, Averſ. Krim. *à n.* 976. Putat quidem *Hurt.* requiri tale Matrimonium, quod aliàs foret validum, niſi adeſſet hoc ligamen alterius conjugis, adcóque non contrahi impedimentum criminis, ſi clandeſtinè contraherent, vel eſſent affines aut conſanguinei, ſed Sanch. *n.* 8. probabilius contradicit, quia cùm ſufficiat promiſſio Matrimonii pro futuro inter tales, multò magis ſufficiet attentatio illius pro præſenti, cùm hæc attentatio ſit veluti illius promiſſio pro futuro, eò quòd velint Matrimonium eſſe perpetuum.

§. 9. Si uterque ſit conjugatus, Pont. *l.* 7. *c.* 45. *n.* 5. 622
& Hurt. *d.* 23. *diff.* 2. dicunt non eſſe opus, ut uterque hoc ſciat de altero, ſed ſatis eſſe, quòd uterque ſciat ſe eſſe conjugatum, quia hoc ipſo uterque ſcit ſe patrare adulterium. E contrà Nav. Sanch. *n.* 31. Averſ. probabiliùs dicunt requiri, ut uterque ſciat de Matrimonio ſaltem unius, nam qui ignorat, non infert injuriam illi Matrimonio ignorato, ſed tantùm ſuo proprio, hoc autem impedimentum eſt inductum propter injuriam, quæ ab utroque ſit eidem Matrimonio. Putantque *Sanch. & Averſ.* excuſare hìc ignorantiam etiam vincibilem, quia quando lex requirit ſcientiam, vel dolum, videtur talis ignorantia excuſare: docent tamen ſufficere dubium de vita prioris conjugis, ſi reipſa vivat, quia hoc dubium in Jure æquiparatur ſcientiæ.

§. 10. Si fides Matrimonii data eſt ſub priori Ma- 623
trimonio, & adulterium ſub poſteriori ſit commiſſum, non oritur impedimentum, quo debet eidem Matrimonio, & conjugi illata eſſe utraque injuria, Sanch. Barb. Krim. *n.* 992. Item ſecundùm dicta *n.* 619. non oritur, ſi promiſſio concorditer ſit revocata ante adulterium, non tamen ſi poſt, Krim. *n.* 992. & 1007. Item non oritur, ſi non fuerit verè adulterium, uti ſi poſteà innoteſcat, non fuiſſe verum Matrimonium, Cap. 2. *de eo qui duxit.* Et idem eſt, ſi putaverint vivere alterum conjugem, qui tamen mortuus erat. Eſt tamen adulterium, quamdiù manet vinculum Matrimonii, etiam rati tantùm, etiamſi fuerint toro, & habitatione ſeparati, Sanch. Averſ. *q.* 18. *ſ.* 3. & 4. Krim. *n.* 1008.

§. 11. Si fides Matrimonii data ſit ante, ſed adulte- 624
rium ſit commiſſum poſt notitiam conjugii, Krim. *n.* 983. putant non incurri impedimentum, quia diſpoſitio illa pœnalis videtur requirere, ut tam promiſſio, quàm adulterium ſit formalis injuria reſpectu alterius conjugis; ſed contradicit Sanch. *à n.* 32. quia ſolum adulterium cenſetur hìc eſſe injurioſum, ergo ſatis erit illud fieri cum notitia conjugii.

§. 12. Henriq. Sà, Bon. Dian. Laym. Averſ. Krim. 625
n. 990. dicunt promiſſionem debere eſſe factam ſerio animo, aliàs non eſt propriè promiſſio, & nomine promittentis, in quem fertur hæc pœna, non videtur venire, niſi verus promittens, ſicuti etiam fictè rebaptizantes non incurrunt irregularitatem, fictè profitentes hæreſin non incurrunt excommunicationem. Oppoſitum tenent Sanch. *n.* 10. Con. aliique apud Gob. *n.* 196. & dicunt ſatis eſſe, ſi fiat animo ficto, dummodò pars altera non advertat fictionem, quia etiam, quando eſt fictio, æquè timeri poteſt vitæ innocentis conjugis. Prima ſententia videtur probabilior, quia in poſitivis non valet argumentatio ex paritate rationis.

§. 13. Quamvis una pars non repromittat, dum- 626
modò accepter promiſſionem alterius, oritur impedimentum, Sylv. Con. Sanch. Rebell. Perez, Aver. Caſtr. *d.* 4. *pu.* 12. *n.* 12. contra Henr. Bellar. Dian. Lay. Burgh. *cent.* 2. *caſ.* 4. Kri. *n.* 297. Et pro acceptatione ſufficere, quòd taceat, docent *Con. & Pont.* ſed negant *Sanch. Bon. Averſ.* quia ſi acceptaret, cùm abundet amore erga adulterum non taceret: hæc tamen ratio non tenet in multis adulteris, qui non tam quærunt Matrimonium de futuro, quàm de præſenti copulam. Videtur autem certum, quòd ſufficiat promiſſio ſimplex, & non requiratur jurata, Aver. Gob. *n.* 197. Sanch. & alii putant ſufficere promiſſio- 627
§. 14. *Nav.* Matrimonii ſub conditione de futuro, v. gr. ſi nem Matrimonii hæreditatem, quia æquè dat cauſam captandæ accipias mortis. Con. Lay. Dian, Aver. *q.* 18. *ſ.* 5. Gob. *n.* 198.

Kri.

Kri. *n.* 991. requirunt promissionem absolutam, vel quæ fiat absoluta durante vita alterius conjugis, quia quamdiu non ponitur conditio, promissio censetur nulla, nec conditionata dat æqualiter causam captandæ mortis, nam si non impleatur conditio, non obligat promissio. Similiter non sufficit promissio non ducendi aliam, quia tantùm significat, *si aliquam ducam, te ducam*, per quod nequidem constituerentur sponsalia, Laym. Krim. *n.* 1009. Quid dicendum sit, si fiat sub conditione contraria substantiæ Matrimonii, impossibili, turpi, colligitur ex dictis *à n.* 239. Si enim habeatur pro non adjecta, aut censeatur remissa, non suspendit contractum.

628 §. 15. Si crimen machinationis committatur à fideli & infideli, certum est ex Cap. *De convers. infidel.* fidelem inhabilitari ad Matrimonium cum illo infideli etiam converso. Quod Avers. *q.* 8. *s.* 5. contra Sanch. *l.* 7. *d.* 78. *n.* 4. extendit etiam ad crimen adulterii cum promissione Matrimonii, licèt homicidium conjugis posteà secutum sit sine consilio fidelis. Idemque dicit Avers. contra Sanch. *d.* 79. *n.* 43. & Krim. *n.* 994. si duo infideles adulterium ante, & promissionem Matrimonii post, vel promissionem Matrimonii ante, & adulterium fecerint post Baptismum. Quod etiam tenet Avers. contra Pont. *l.* 7. *c.* 45. *n.* 6. & Krim. si uterque in infidelitate constitutus commiserit crimen machinationis vel adulterii cum promissione Matrimonii, & posteà convertantur, quia quamvis Ecclesia non possit tales punire ob præterita delicta in infidelitate commissa, tamen requirere potuit, si fideles fierent ac vellent invicem contrahere, ut non essent Rei talis criminis antecedentis.

629 §. 16. Infert Krim. *n.* 2458. ut contrahatur hoc impedimentum criminis, requiri seqq. conditiones. 1. Ut adsit machinatio mortis alterius conjugis, sive ab alterutro conjuge, sive ab adultero facta, eff ctu, id est, morte secuta. 2. Ut ea machinatio fiat animo ineundi Matrimonium determinatè inter conjugem superstitem, & adulterum, vel eum, qui simul machinatus est. 3. Quando unus tantùm machinatus est, ut adsit adulterium, & si desit adulterium, ut uterque sit machinatus. 4. Ut ubi requiritur adulterium, sit formale & perfectum. 5. Ut adulterium fuerit verum, id est, commissum cum vero, vel à vero alterius conjuge. 6. Crimina ista non dirimunt, nisi respectu complicis in tali crimine, Avers. *q.* 18. *s.* 4. contra Palatios.

630 Q. 87. *Quid specialiter circa crimen raptus sit addendum?* Resp. §. 1. Cap. *Placuit* 36. *q.* 2. statutum erat, ut quamvis rapta libertati restituta consentiret, Matrimonium esset irritum. Posteà Cap. fin. *De raptor.* statutum erat, ut Matrimonium valeret, si rapta consentiret, quamvis non esset priùs libertati restituta, sed Jure novo Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform. Matr.* sic statuitur. *Decernit S. Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiù ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

631 §. 2. Si puella sit rapta tantùm propter libidinem exercendam & non ex intentione Matrimonii, Sà, Bonac. & alii cum Platel. *n.* 1179. dicunt oriri impedimentum, quia est propriè raptus. Sanch. *l.* 7. *d.* 15. Dian. Avers. Corrad. Gob. *n.* 542. Vivez *p.* 5. *t.* 2. §. 4. *n.* 43. Kugl. *n.* 1639. probabiliùs negant, quia *Trid.* innuit, tum tantùm esse impedimentum, quando sit causa Matrimonii, & ideò etiam notat Gallem. in declaratione ad eum locum, per *S. Congregationem* decisum esse 23. Jan. 1586. raptores ob aliam causam, quàm, ut in uxores ducant, non comprehendi à *Trid.* illis infligente pœnam excommunicationis. Putant tamen aliqui cum Krim. *n.* 511. quamvis rapta tantùm sit causa libidinis, si tamen detineatur causa Matrimonii, contrahi impedimentum, quia continuatio abductionis videtur tum esse raptus ex causa Matrimonii. Imò putant aliqui apud Krim. *n.* 512. si vir uxorem per Matrimonium tantùm ratum sibi copulatam rapiat invitam ex fine consummandi Matrimonium, ante expletum primum bimestre, fore raptum sub dispositione *Trid.* contentum, quia impedietur libertas, vel firmandi per copulam, vel per Religionem solvendi Matrimonium. Sed Krim. *n.* 2002. meritò dicit oppositum esse probabilius, quia raptus non habet vim dirimendi Matrimonium priùs ritè contractum.

§. 3. Violentia hìc intelligitur non tantùm physica, 632
sed etiam moralis per minas, & metum gravem, non tamen per solas preces, blanditias, promissa, Avers. *q.* 12. *s.* 3. Gob. *n.* 544. Quandonam autem preces importunæ æquivaleant metui gravi, dixi *l.* 3. *p.* 2. *n.* 632. & videri possunt etiam hìc dicenda *à n.* 657. ut autem dicatur raptus, non est satis puellàm trahi ab uno conclavi ad aliud, sed necesse est, vi abduci de loco in alium moraliter locum, Haun. Krim. *n.* 513.

§. 4. Putat De Justis *l.* 2. *c.* 18. *n.* 69. esse raptum, si 633
quis puellam, quæ ad se nolebat venire, vocari faciat per vicinam, in domum vicinæ, ut eam ibi cogat, & hoc videtur conforme L. *un. §. Et si quidem, Cod. de rap. virg.* ubi dicitur, *nisi odiosis artibus circumvenerit:* sed si puella non vi aut metu, sed tantùm tali dolo vel fraude sit vocata, probabilius est non oriri impedimentum, quia reipsa non est rapta, sed tantùm accepta vel seducta, Sanch. Less. Hurt. Dian. Aver. Plat. *n.* 1179. Putat tamen Kri. si ita abducta detineatur vi, ut extorqueatur Matrimonium, oriri impedimentum. Sed oppositum tenent alii, quia abfuit omnis raptus.

§. 5. Si quis puellam, non per se, sed per alium 634
rapiat, solus mandans rapi incurrit impedimentum, Aver. Cor. Plat. Kri. *n.* 518.

§. 6. Si puella juvenem raperet, Sanch. Pon. Bon. 635
Escob. Dicast. Gob. *n.* 543. Vvex *n.* 40. Kugl. *n.* 1646. dicunt non oriri impedimentum, quia Trid. tantùm loquitur de raptore, non de raptrice, & leges non solent fieri de casibus rarissimis, qualis hic est. Contradicunt Henriq. Gutt. Avers. Haun. Krim. *à n.* 521. tum quia secundùm dicta *n.* 381. quando ratio legis exprimitur, uti hic fit, nempè libertas Matrimonii, lex etiam odiosa pertinet ad casum, cui ratio convenit; tum etiam, quia alii similes Canones loquentes in masculino, etiam intelligunt fœminas, sic enim dicitur de impedimento criminis, si vir occidat uxorem, & tamen secundùm dicta *n.* 615. etiam intelligitur, si uxor occidat virum. Item percussor Clerici dicitur excommunicari, & tamen etiam mulier excommunicatur, si percutiat: hinc in simili loquens S. Cypr. *de discip. & habit. virg. c.* 2. ait: *in masculo simul significatur & fœmina*, ubi nempè eadem pro utrisque est ratio. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior. Et si usurpetur in praxi, non ideò Sacramentum exponetur periculo nullitatis, quia cùm sit materia Juris, si fortè ea opinio sit falsa, secundùm dicta *n.* 48. 528. 534. Ecclesia tollit istud impedimentum.

§. 7. Si illa, quæ rapitur, sit antecedenter raptori 636
desponsata, *Henriq. Rebell. Less.* aliique cum *Barb.* negant oriri impedimentum, quia cogitur ad hoc, quod facere tenebatur, & ita dicitur cap. 6. *De raptor. iste*

raptor

raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit. E contra oriri dicunt. *Sanch. Aversˇ. Escob.* & alii, quia verum est, quòd raptæ fiat violentia, Gob. *n.* 545. & alii cum Krim. *n.* 514. probabiliùs dicunt incurri in eo tantùm casu, quo rapta justam causam habet hìc, & nunc non stándi fide data, & ideò invita raperetur.

637 §. 8. Si illa quæ rapitur sit meretrix, Beckman putat non incurri impedimentum, quia per raptum videtur intelligi abductio personæ honestæ, sed rectè contradicunt *Sanch.* & alii cum *Krí.* quia *Trid.* non attendit ad qualitatem honestæ, *sed voluit* esse consultum libertati cujuscumque mulieris respectu Matrimonii.

638 §. 9. Si puella volens sequatur, sed parentibus, sub quorum potestate est, omninò repugnantibus, Nav. Tusc. Molin. Henriq. Gutt. Bon. Zerola dicunt oriri impedimentum, & consentit De Luca *de Matr. disc.* 5. & ad Trid. *d.* 28. pro casu, quo non præcesserunt sponsalia vel tractatio Matrimonii ineundi, quia secundùm S. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *O. quandoque violentia infertur Patri, sed non virgini, puta, cùm ipsa consensit, ut ipsa per violentiam de domo patris abstrahatur: qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus.* Contradicunt probabiliùs Sanch. *l.* 7. *d.* 13. *n.* 13. Con. Tann. Hurt, Less. Regin. Krim. *n.* 514. Aver. *suprà*, Gob. *n.* 546. Pignat. *to.* 5. *conf.* 80. Mastr. *n.* 108. Kugl. *n.* 1633. Vvex. *n.* 42. quia manet puellæ plena libertas, propter quam inductum est illud impedimentum, nam *Trid.* voluit illud tum cessare, si esset *à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta*, sive restituatur parentibus, sive non: & ideò etiam Cap. penult. *de raptor.* dicitur: *Iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam dispensaverit, quàm recognoverit, licèt parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.* Ex quo patet ad *S. Th.* qui tantùm vult tum quomodocumque puellam rapi parentibus, sed non ideò est raptus præjudicans puellæ libertati, quam *Trid.* ibi volebat salvari, nihil reflectens ad consensum parentum, quibus etiam invitis ipsa ex causis poterat Matrimonium inire, secundum dicta n. 569.

639 §. 10. Si abiit consentiens, sed posteà invita cogatur ad copulam, non est raptus; è contrà manet raptus, si invita abducta est, licèt posteà consentiat in copulam, quia hìc attenditur initium. Fill. Krim. *n.* 515.

640 §. 11. Pœnæ, quæ decernuntur à Trid *suprà*, cadunt tantùm super illos, qui concurrunt ad actum rapiendi, non autem in Parochum vel testes, qui assistunt Matrimonio raptæ. Et procedunt omnia dicta & pœnæ, licèt rapta esset vidua, aliundè impedita ad contrahendum cum raptore, &c. Aversˇ. *q.* 12. *s.* 3.

641 §. 12. Probabile est impedimentum criminis, quod nunc est esse à *Trid.* inductum, adeóque per crimina in præcedente, & hac quæstione recensita non causabitur impedimentum, ubi *Trid.* non est receptum, Gob. *n.* 58. An sponsalia inter raptorem, & raptam sint valida, dixi n. 54.

642 *Q.* 88. *An ista impedimenta criminis incurrantur ab ignorante illa esse tali crimini annexa?* Resp. Negant Palud. Bauc. & alii, quorum sententiam Krim. hìc à *n.* 1011. & iterùm *l.* 5. *à n.* 729. defendit tanquam absolutè probabilem, rationem dant, quia tale impedimentum est propriè pœna, sed pœna non incurritur ab ignorante eam annexam esse, uti posteà dicetur de censuris, ergo. Oppositum tenendum est cum planè communi, Sanch. *l.* 7. *d.* 17. *n.* 9. Hurt. Perez, Con. Less. Dicast. Aversˇ. *q.* 11 *s.* 2. Gob. *tr.* 9. *n.* 67. & 190. Spor. *n.* 213. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 54. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1 *c.* 5. *n.* 8. Vvestner *de impedim. conjug. p.* 2. *a.* 14 *à n.* 20. Vvex *p.* 5. *tr.* 2. *contr.* 5. Ratio est 1. Tale impedimentum, licèt imponatur etiam in pœnam delicti, tamen primariò, & principaliter est inhabilitas canonica, qualis etiam est affinitas ex copula fornicaria, quæ certò incurritur etiam ab ignorante illam ex tali copula sequi, absentia autem, aut remotio talis inhabilitatis est conditio absolutè prærequisita ad valorem talis contractus, uti patet in impedimento consanguinitatis, &c. 2. Praxis Ecclesiæ est optima legum interpres, sed notorium est, teste Corrad. *in praxi dispens. l.* 8. *c.* 9. *n.* 17. §. *Quandoque*, quòd Rei talis criminis nunquam permittantur contrahere sine dispensatione, ergo.

643 *Q.* 89. *Quid addendum sit circa impedimentum disparis cultus?* Resp. §. 1. *Caj. Vasq.* & alii putarunt Matrimonium fidelis cum infideli esse Jure naturali, vel saltem positivo Christi irritum, quia hoc ipso quòd Christus Matrimonium evexerit ad rationem Sacramenti, & infidelis non sit capax Sacramenti, etiam non erit capax Matrimonii. Sed præter citatos à Busemb. docent plurimi cum Aversˇ. *q.* 18. *s.* 1. Krim. *l.* 4. *n.* 2155. id tantùm esse de Jure Ecclesiastico, & quidem potiùs per consuetudinem, quàm legem scriptam introducto. Matrimonium autem inter tales, licèt non habeat rationem Sacramenti, attamen habet rationem contractus de se indissolubilis, uti constat ex dictis nu. 405. Et pro Matrimonio fidelis cum infideli contrahendo non dispensat Ecclesia, nisi in casu urgentissimæ necessitatis, v.g. si ageretur de conversione alicujus regni. De Matrimoniis infidelium, qui convertuntur, dixi à n. 406.

644 §. 2. Quamvis invalidum sit Matrimonium baptizati profitentis, v.g. Judaissimum cum infideli, tamen Matrimonium fidelis cum baptizato profitente Judaismum est validum, sed ob periculum perversionis illicitum, Nav. Con. Krim. *n.* 2155.

645 §. 3. Quamvis Matrimonium fidelis Catholici cum altero fideli acatholico sæpè sit periculosius, quàm fidelis cum infideli, ideóque varia Concilia, & Authores apud Aversˇ. *q.* 18. *s.* 2. dicere videantur illa esse irrita, tamen Rayn. *in Heter. tom.* 16. *s.* 1. *pun.* 14. *n.* 23. rectè demonstrat oppositum, & patet ex Cap. *Decrevit, de hæreticis in* 6. probatque praxis Ecclesiæ. Sub quibus autem pactis iniri possit, dixi l. 2. à n. 85. Et an ejusmodi contrahentes possint comparere coram prædicante vel Magistratu acatholico, dicam à n. 775.

646 §. 4. Circa Matrimonia personæ catholicæ cum acatholica pro praxi observanda sunt seqq. 1. Si necdum sit promissum, dissuaderi debet, quia Ecclesia illud prohibet multis locis apud *Aversam*, nempè ob periculum subversionis in personam catholicam, & in prolibus, turbationis rei domesticæ, & observationis festorum, jejuniorum, &c. Si catholica persona sic admonita, consilio non acquiescat, sed nihilominùs inista pericula se velit immittere, si hìc & nunc censeantur esse proxima pericula istorum malorum, neganda est absolutio, quia non habet propositum vitandi omne mortale. 2. Si sponsalia sint inita, rescindantur, hæc enim est causa sufficiens, nec satis est, quòd acatholicus spondeat libertatem religionis, vel conversionem suam, quia fallax est, quod amor extorquet, si non præcedat conversio actualis, posteà enim dicet, se contra conscientiam agere non posse, & experientia certa frequentissimè docet ita fieri. 3. Si contractum sit Matrimonium, prudens Confessarius non ideò neget absolutionem dolenti de peccato, quod commisit sic contrahendo, & conetur imprimis cavere alia pericula perversionis in tali persona, & prolibus; deinde etiam conjugem alterum adducere ad veram fidem. 4. Docent plures cum Aversˇ. *q.* 18. *s.* 2. Parochum, & testes peccare, si assistant tali Matrimonio, quando illicitè, id est, sine justis causis contrahitur, quia ex officio, Parochi & testes tenentur non cooperari tali illicito actioni: alii dicunt esse materialem tantùm cooperationem, sicut si

assistatur duobus hæreticis, secundùm dicta *l.2.n.99.* aut etiam catholicis in mortali contrahentibus: possent enim se convertendo facere tale Matrimonium licitum.

647 *Q.90. Quandonam dirimat vis & metus?* R. Ad hoc impedimentum reducitur, quidquid impedit libertatem Matrimonii: est autem duplex libertas ad contrahendum, physica & moralis. Physicam libertatem impedit necessitas agendi vel non agendi. Moralem impedit vis & metus: quandoque etiam dolus sive deceptio, & de his aliqua sunt addenda.

§.1. Certum est ad valorem contractus Matrimonialis requiri libertatem physicam agendi, & non agendi, hinc perpetuò amentes non habentes lucida intervalla, ebrii, dormientes, nequeunt Matrimonium contrahere; si quis tamen deliret partialiter, sive in quibusdam tantùm objectis, sed non in materia Matrimonii, validè contrahit, Vasq. Sanch. Avers. *qu.4.s.1.* E contrà, si quis se inebriarit, etiam ex intentione contrahendi, & in ebrietate contrahat, Matrimonium est irritum, quia deest actualis libertas contrahentis. *Nec obstat*, quòd validè contrahatur per procuratorem, quamvis **principalis tunc** dormiat, vel ebrius sit; *nam* a **habitualis libertas principalis** transfusa est in actualem libertatem procuratoris nomine ejus contrahentis, cujus liber consensus tum existit, cùm fit Matrimonium, & moraliter est consensus sui principalis, Avers. *suprà.*

648 §.2. Quid intelligatur per vim & metum, quæ impediunt libertatem moralem. Item, quotuplex sit metus, dixi *l.3.p.2. à n.630.* An autem sponsalia ex vi vel metu inita valeant, dixi *à n.104.* Circa Matrimonium ipsum, certum est Ecclesiam velle, ut sit à vi & metu liberum, nam Trid. *sess.24.c.9.* De refor. Matr. sic statuit: *Cùm maximè nefarium sit Matrimonii libertatem violare, & eis injurias nasci, à quibus jura expectantur, præcipit S. Synodus omnibus cujuscunque gradus, dignitatis & conditionis existunt, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominùs liberè Matrimonia contrahant.* Ubi notat Gallem. ex declaratione Greg. XIII. hac pœna latæ sententiæ ligari solos dominos temporales, & Magistratus, attamen privatos homines ita cogentes peccare mortaliter, & ab Ordinariis posse excommunicari. Addit Delb. De imm. Eccles. *c.8. dub.19. s.9.* Reges & Imperatores etiam ideò peccare mortaliter, uti & parentes, si proles cogant, vel impediant, attamen non incurrere excommunicationem, cùm non nominentur. E contrà tamen non obstante voluntate Ecclesiæ, ut Matrimonia sint libera, si ex aliquo Matrimonio oritura essent gravissima scandala, potest Episcopus illud prohibere sub pœnis quibuscunque, etiam incarcerando alterutrum, uti habet cum aliis Pignat. *to.2. consult.11.* An autem aliquid possit Magistratus civilis circa Matrimonia ineunda, insinuatum est *à n.17. & 513.*

649 §.3. Probabilius est, quòd metus levis non irritet Matrimonium, uti habet communissima cum S. Thom. Less. Avers. *s.4.* Krim. *à n.398.* Kugler. *n.664.* contra Cov. Nav. Tann. Gob. quorum sententiam probabilem censet Sanch. *l.4.d.17.n.4.* Ratio nostra est, quia notabiliter non minuit libertatem, & facilè contemni potuit ac debuit.

650 §.4. Certum est, quòd aliquis metus gravis aliquando irritet Matrimonium, saltem Jure positivo, nam ita habet Jus Canonicum Cap. 14. & 15. De sponsal. & tit. De his, quæ vi metuve. Item Jus civile multis locis, sicque ostendit praxis omnium ubique tribunalium, quæ declarant Matrimonia esse ob metum quandóque invalida. An autem etiam Jure naturæ sint invalida dicetur *à n.669.*

651 §.5. Metus ab intrinseco provenien's non invalida, uti nec incussus à causis naturalibus, sed ut invalidet, debet à causa libera & extrinseca procedere, alioquin dicitur conceptus à metuente, & non incussus, Sperell. *dec.79.n.40.* Nec invalidat ab extrinseco justè incussus secundùm dicenda *n.653.* E contrà injustè incussus etiam ab aliquo tertio invalidat, quia æqualiter reddit contractum involuntarium, secundùm dicta *l.3.p.2.n.640.* docetque cum communi Avers. *q.4.s.2.* & probat ex utroque Jure Sperell. *dec.75.n.74.* quod verum est, quamvis sit de malo non tantùm contrahenti, sed etiam aliis propinquè conjunctis inferendo: quod aliqui apud Avers. *sect.3.* extendunt ad consanguineos vel affines, etiam usque ad quarrum gradum, imò idem dicunt multi cum Gob. *tr.9. n.246* quamvis esset de malo eventuro alteri, qui arctissima amicitia est conjunctus, quæ enim eveniunt ita conjuncto, censentur ipsi evenire, sed probabiliùs videtur non impedire, nisi sit de malo proximè conjunctis intentato, non enim ita videtur tangere malum alteri amico, vel remotè consanguineo illatum.

§.6. Si metus sit injustè incussus, sed non ad extor- 652
quendum consensum in Matrimonium, non irritat, secundùm dicta *l.3.p.2.n.639.* tenetque etiam communis cum Sperell. *dec.79.n.41.* quia tum respectivè ad Matrimonium, videtur potiùs esse ab intrinseco, hinc si Titius ex odio intentet tibi mortem, & tu ob hunc metum mortis spondeas ducere ejus filiam, valebit matrimonium, quia tu spontè eligis Matrimonium, ut redimas hanc vexam, Avers. *s.4.* Sperell. *dec.6.n.9.* contra alios. Extendit hoc cum aliis Sanch. *l.4.d.12.n.25.* ad casum, quo Medicus, qui solus posset mederi, nollet tibi mederi, nisi duceres ejus filiam, quia metus mortis oritur ex morbo ipso. Sed in hoc meliùs contradicit Avers. nam metus ille etiam oritur ex denegatione medicinæ, quæ denegatio tendit ad extorquendum Matrimonium: & similis casus esset, si puellæ extremè indigenti negares Eleemosynam, nisi te duceret. Similiter ille indirectè cogit, qui renuit debitum solvere, nisi tale Matrimonium ineat, Barb. Krim. *n.504.* Item secundùm *De Luca*, ad Trid. *disc.26.n.36.* præjudicatur libertati necessariæ Matrimonii per ea omnia, quæ inducunt speciem pœnæ, ac privationis ejus, quod aliàs de jure competit.

§.7. Dixi *l.3.p.2.n.634.* metum justè incussum non 653
invalidare contractum, docentque idem de Matrimonio cum communi Sperell. *dec.5. & 6.* Kugler *à n.685.* Busemb. dans pro exemplo, *ut si deprehenso in crimine cum filia, mineris accusationem, nisi illam ducat.* Contra quod videtur facere Cap. *Veniens.* De sponsal. & Matr. nam cùm pater puellæ simul in uno lecto inveniens, ipsum eam per verba de præsenti desponsare cœgisset, Alex. III. mandat, *nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit, adhærere facias, ut uxori*, ergo si ex metu gravi iniviss et, Matrimonium esset irritum, licèt metus ille esset justus. R. Metum illum fuisse injustum, quia pater ille injustè minatus est eum privata auctoritate plectere. E contrà si tantùm minatus fuisset accusare apud Judicem, & ab hoc procurare ejus pœnam, fuisset justè incussus, & non irritasset Matrimonium, communis cum Avers. *q.4. s.4.* Vide Sperell. *dec.6.*

§.8. Si Judex secundùm allegata, & probata justè, 654
attamen reipsa injustè, quia testes falsum deposuerunt, metu gravi adigat aliquem, ut aliquam ducat, Sanch. *l.4.d.14.n.8.* putat Matrimonium valere; sed oppositum est probabilius, quia extortus est consensus metu reipsa injusto, Pont. Dian. Avers. *suprà.*

§.9. Sufficit metus mali gravis, sive sit absolutè, sive 655
tantùm respectivè grave, æquè enim tollitur libertas consensus; malum autem absolutè grave dicitur, quod plerique habent pro gravi, seu valdè molesto, uti

uti sunt etiam infamia, verberatio gravis, amissio majoris partis bonorum, Less. *De just. l. 2. c. 17. n. 35.* Respectivè grave est, quod est grave solùm respectu apprehensionis, aut conditionis personæ, nam mulieribus, & viris meticulosis valdè gravia accidunt multa, quæ alii cordati contemnerent. Et sufficere metum esse gravem respectivè ad talem personam, quamvis non cenferetur gravis respectivè ad aliam personam, tenet cum communi Sperell. *dec. 75. à n. 69. & dec. 79. n. 6. & 42.* Putantque Gob. & Ills. metum etiam imprudentem, si ob exoticam imaginationem subjecti censeatur impedire plenam libertatem, irritare Matrimonium, sed *in hoc* probabiliter contradicunt Con. & Kugler. *n.* 97. de tali enim metu reipsa vano non habetur in Jure ratio. Metus autem exhæredationis, vel amittendæ dotis, in casu, quo dos necessaria est ad alimenta, vel ad onera Matrimonii suscipienda, est metus mali absolutè gravis, unde si alteruter metus à parentibus injustè incutiatur ad extorquendum consensum, Matrimonium, sic initum, erit irritum, Krim. *n.* 499. Quandonam autem metus exhætedationis vel amittendæ dotis injustè incutiatur, dixi *à num.* 571.

656 §. 10. Ut metus dicatur cadere in constantem virum, debet esse. 1. De malo saltem respectivè gravi. 2. Debet prudenter timeri. 3. Metum incutiens debet posse exequi minas. 4. Etiam debet solere illas exequi. 5. Metum patiens debet non facilè posse occurrere malo illi, Sanch. *l. 4. d. 1. à n. 10.* aliique communiter cum Sperell. *dec. 79. n.* 43. Et talem metum irritare matrimonium etiam pro foro conscientiæ, videtur certum ex iis, qæ habet Kugler *à n. 637.*

657 §. 11. Quamvis multi cum Sanch. *l. 4. d. 6.* Aversa. *q. 4. l. 5.* Mastr. *n. 36.* Sperell. *dec. 75. n. 62.* Kugler *n. 671.* probabiliter contradicant, tamen etiam probabile est, quòd metus reverentialis dirimat, secundùm Reg. 4. ff. De regulis Juris, *velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris vel domini :* talis enim metus reverentialis communiter censetur æquivalere metui gravi. Pont. *l. 4. c. 5.* Tann. Less. Barb. apud Gob. *n.* 249. In praxi tamen non est facilè dissolvendum Matrimonium, nisi metus gravis mali accesserit, quia standum est pro valore Matrimonii, ubi non constat esse irritum. Quòd si ad metum reverentialem accesserint minæ, communis sententia est cum Pignat. *to. 7. consult. 77.* irritare. Quis autem metus dicatur reverentialis, & quandonam preces importunæ censeantur facere metum reverentialem, dixi l. 3. p. 2. num. 632. Quandonam censeantur facere blanditiæ, dixi ibidem n. 649. & tenendum est cum Sanch. *d. 7.* Aversa. suprà & aliis communiter contra Pontium *n.* 17. & alios, solas preces, & blanditias quamvis importunas non irritare Matrimonium. Videri possunt Sperell. *à n.* 62. Mastr. *n.* 38. Kugler *à n. 670. & à n. 679.* ubi agit de importunis precibus, & blanditiis.

658 §. 12. Jure civili, L. *Qui pupillum* ff. De adult. L. *Filius à patre* §. *Si quis eo tempore*, ff. De lib. & posth. L. 1. & seqq. De interdict. Matr. inter pupill. & tut. &c. prohibetur, ne tutor, curator, aut horum filius ducat pupillam, quia præsumi posset coacta metu reverentiali : sed hoc non tenet Jure canonico, quod hìc attendi debet, dummodò reipsa abfuerit vis, & metus, Gutt. Menoch. *cons.* 1082. *n.* 15. Pignat. *to. 6. cons.* 100. *n.* 6.

659 §. 13. Si metu gravi cogaris ad unam è tribus filiabus Caji, relicta plena libertate eligendi, quam voles ex illis, Abb. Felin. Imol. Jason, & alii cum Azor. *l. 1. c. 11. q. 11.* putant valere Matrimonium, quia manet plena libertas quoad personam : sed probabiliùs contradicunt alii cum Dian. Aversa. *q. 4. s. 2.* & Busemb. *supr.* quia non manet libertas ad substantiam, quod est matrimonium ipsum de necessitate contrahendum.

§. 14. Si quis ex metu gravi ineat matrimonium 660
cum impedimento vel, impediente, uti cum voto castitatis, vel etiam cum dirimente, uti cum consanguinitate, si consentiat fictè, peccat venialiter ob mendacium ; si autem verè consentiat, quantùm est de se, probabile est nullo modo peccare, nam non videtur fieri irreverentia Sacramento, cujus pars nulla ponitur, ipse enim nec ponit ejus materiam nec formam, neque hìc & nunc vult esse ejus Minister: quòd autem inutiliter ineat contractum, quem scit esse, & manere invalidum, eum excusat metus gravis, Valent. Sanch. *l. 4. d. 16. & l. 7. d. 5.* Pont. *l. 4. c. 16.* Perez *d. 17. sect. 22. n. 12.* Dicast. Gob. *n.* 256 Kugler *à n.* 702. Et idem dicunt Henriq. Palac. Sanch. quamvis adderet juramentum. *Nec obstat*, quòd hæc propositio, *urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi* uti retuli *lib. 6. part. 1. à num. 149. nam ibidem n. 162.* satis explicavi, quomodo in hoc non sit simulatio formalis circa Sacramentum, sed ad summum materialis circa contractum.

§. 15. Metus non præsumitur, cùm sit aliquid facti, 661
sed ab eo probandus est plenè & concludenter, qui se in eo fundat, uti ex Jure & AA. demonstrat Sperell. *dec. 79. n. 37. 38. 46.* Et conjecturæ quidem, ex quibus concluditur, debent esse propinquæ, & immediatæ illi actui, qui geritur, Mascard. Sperell. *n. 44.*

§. 16. Signa, unde sumuntur conjecturæ, quòd inter- 662
venerit vis vel metus sunt, 1. Pallor vultus & vox submissa, qua sponsa aliquoties interrogata à Parocho, tandem consensum expressit. 2. Multa festinatio in contrahendo. 3. Antecedens animadversio, & repugnantia nubendi. 4. Protestationes antecedentes de non volendo talem maritum, si posteà etiam concurrant aliundè præsumptiones. 5. Si nulli consanguinei illius, qui metum passus est, intervenerint. 6. Si quasi clàm & noctu initus sit contractus. 7. Si metum inferens voluerit celari matrimonium. Potestque videri latè de his differens Sperell. *dec. 5. 72. 79. 94.* ubi specialiter *dec. 5.* examinat, quandonam metus, vel ejus inferendi suspicio irritet matrimonium. Præterea hìc ubique Sperell. admittit regulam istam, quòd ea, quæ non probant singula, simul sumpta probare possint. De conjecturis illati metus etiam aliqua habet de Luca *de Maurim. disc. 6.*

§. 17. Qui ex metu gravi consentit in matrimo- 663
nium, non potest habere usum matrimonii, & si impedire potest, aut sit periculum turpis consensus, nequidem permittere debet tactus aut similia, reipsa enim tale matrimonium est invalidum, ergo plus eis non licet, quàm omninò solutis.

§. 18. Quod gestum est per metum, si causa metus 664
cessat, convalescit per subsequentem ratificationem etiam tacitam tantùm, ut pluribus declarat Sperell. *dec. 80.* matrimonium tamen ex metu initum secundùm communem cum Sperell. *dec. 25. n. 19.* non validatur per copulam similiter ex metu factam, aut ex errore, quòd valeat matrimonium, aut ex mera libidine, multò minùs, si fiat cum expresso animo non manendi in matrimonio. E contrà, si copula, aut alius actus externus, v. g. osculum, postquàm cessavit causa metus fiat cum sincero affectu conjugali, id est, animo se perpetuò habendi tanquàm conjuges, cujus signum est, si habens copulam putaverit se licitè agere, probabile est poni consensum sufficientem, nam supponet & volet se esse maritum, quod probabiliter sufficiet ad validandum illud matrimonium, quamvis alii cum Mastr. *n.* 40. putent copulam de se non esse signum sufficiens interni consensus, idcóque requiri aliud signum ante vel in copula

expreſſivum conſenſus maritalis,quòd omninò tutius eſt. Si tamen tales quietè ſimul vixerint per annum & dimidium , ſemper præſumitur ratum eſſe matrimonium , ita cum aliis Gob. *à nu.* 261. Schild. *tr. 6. c.* 7. §. 3. Unde ſaltem , ubi Trid. non eſt receptum,per hoc convalidatur matrimonium, quòd poſt nullitatem prioris matrimonii tanto tempore cohabitarint , aut ſpontè copulam habuerint , quamvis levi metu extortam,non tamen , ſi gravi,Sanch. *l.* 7. *d.* 18. & Schild. *ſuprà.* Refert quidem Barboſ. *in Collect. Bullarum,V. Matrimonium , p.* 45. hanc declarationem Congreg. Trid. *Matrimonium contractum à filia per metum à matre illatum , eſt invalidum , etiamſi mulier metum paſſa per multos annos poſt mortem permanſerit cum marito , & filios procreaverit :* ſed Lugo *in Reſp. Mor. l.* 3. *dub.* 16. *n.* 45. putat ideo eſſe , quia Congregatio loquebatur de loco , ubi Tridentinum eſſet receptum , pro quo videbatur cenſere , quòd iterum requireretur aſſiſtentia Parochi , & teſtium. *Dixi,* poſtquàm ceſſavit cauſa metus , nam ſi cauſa metus adhuc duret , actus quantumlibet diu ſecutus præſumitur ex præcedenti metu geſtus, nec purgat metum antecedentem , uti ex Jure & AA. probat Sperell. *dec.* 25. *n.* 19. *& dec.* 80. *à n.* 7.

665 §. 19. Si coactus ad contrahendum , etiam ad copulam cogatur metu mortis,Navar. Sylv. Henriq. Sanch. Con. Pont. & alii dicunt potius debere ſubire mortem , quàm habere copulam , quia ſicuti matrimonium ex tali metu contractum eſt ex dipoſitione Eccleſiæ invalidum,ita invalidum manebit,quamvis tali copula conſummetur, peccat autem mortaliter,qui extra matrimonium validum habet copulam , uti docent omnes. E contrà Palud. Sot. Gabr. Covar. aliique cum Averſ. *q.* 4. *ſ.* 6. probabiliter dicunt , talem poſſe tum habere conſenſum validum,& ita ejuſmodi copulam coactam reddere licitam , ac conſequenter validare tale matrimonium,durum enim eſſet dicere per poſitivam diſpoſitionem Eccleſiæ hominem conſtitui in caſu,ut vel mori debeat,vel peccare mortaliter. Itaque dicunt hi AA. quòd pro tali caſu Eccleſia permittat, ut metum patiens cedat juri ſuo , & valide conſentiat, ſi velit : diſpoſitio enim illa facta eſt in favorem patientis vim , *& quod in favorem alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum,* Reg. 6. Juris in 6. Hinc infert Averſ. ſi quis etiam ab initio, quando cogitur ad contractum , haberet intentionem cedendi juri ſuo & validè contrahendi , ab initio valiturum matrimonium , nam vis non poteſt cogere ad illam intentionem , ſed liberè eam haberet, adeóque reipſa liberè contraheret : quidquid ſit de hoc :

666 §. 20. Si ad conſenſum metu extortum acceſſerit juramentum , certum eſt , quòd non ideò firmetur contractus matrimonii : uti pluribus probat Sanch. *lib.* 4. *d.* 20. *nnm.* 12. Et quamvis juramentum poſſit aliquando contractui invalido, quem non firmat,addere obligationem Religionis , uti conſtat ex dictis *l.* 3. *p.* 2. *à n.* 738. tenetque cum communi Sanch. *n.* 4. tamen juramentum tali coacto contractui matrimonii adjectum non obligat , nec indiget relaxatione , quia per Cap. 2. *De eo, qui duxit,* ab initio non tantùm tale matrimonium, ſed etiam adjectum juramentum annullatur, Azor. *l.* 1. *c.* 11. *q.* 13. Sanch. *à n.* 14. Averſ. *q.* 4. *ſ.* 6. Sperell. *dec.* 25. *n.* 20. Maſtr. *n.* 39. Kugler. *à n.* 644. contra Abb. S. Anton. Sylv. Roſell. Henriq. Con. *Nec obſtat* Cap. *Inter cæteras,* 22. *q.* 4. *nam* ibi tantùm dicitur, quòd poſſit ducere eam,quam ita juravit ducere, non autem , quòd teneatur. Et quod dictum eſt de juramento , quod accedit matrimonio , idem dicit Sanch. *d.* 21. *n.* 6. de juramento , quod accedit coactæ conſtitutioni procuratoris ad matrimonium. Quid autem cenſendum ſic de juramento , ſi adjiciatur ſponſalibus metu extortis , dixi n. 108.

§. 21. Docent Gob. *n.* 267. & alii apud Sperell. *dec.* 657
79. *num.* 1. per unum teſtem de viſu ſufficienter probari adfuiſſe metum , imò, ſi fama accedat,per unum de auditu , nam famæ hìc multum tribui tenent AA. apud Sperell. *dec.* 5. *n.* 64. qui à n. 20. cum communi docet , per duos teſtes de libero conſenſu deponentes probari validitatem matrimonii , qui teſtes ob matrimonii favorem poſſunt etiam eſſe parentes, & conſanguinei , Sanch. *l.* 3. *d.* 4. *à n.* 5. Notantque Inn. Abb. Bald. aliique apud Sperell. magis credi duobus teſtibus de metu incuſſo , quàm mille de libero conſenſu deponentibus : & ſententia communis eſt cum Sperell. *à n.* 74. hìc ſufficere minorem metum, quàm in aliis contractibus , ideóque etiam ſufficere leviores probationes metus , Sanch. *l.* 4. *d.* 6. *n.* 1.

§. 22. Illum,qui metum injuſtè incuſſit & ſic inivit 668
matrimonium , non poſſe reſilire,docent præter citatos à Buſemb. Sylv. Nav. Henriq. & alii cum Averſ. *q.* 4 *ſ.* 2. quia leges tantùm favent injuriam paſſo , & quidem quod alios contractus attinet , idem dixi *l.* 3. *p.* 2. *n.* 541. Sed etiam quoad matrimonium poſſe alterum quoque ſua authoritate reſilire , docent alii cum Sanch. *l.* 4. *d.* 15. Laym. Hurt. Perez , Pirh. Spot. Kugl. *n.* 653. quia matrimonium eſt reipſa nullum , & ſi teneretur illo irrito ſtare aut illud validare, eſſet in pœnam delicti , ad quam prærequiritur ſententia Judicis.

An ordinatus ſacris ex metu gravi validè contrahat matrimonium , dixi n. 567.

Q. 91. *An Matrimonium ex metu gravi injuſtè* 667
incuſſo initum ſit de Jure naturæ , an tantùm de Jure poſitivo nullum ? R. §. 1. Eſſe jure naturæ nullum, ſaltem ſi metus ab altero contrahente ſit incuſſus , docent Scot. S. Bonav. S. Anton. Ledeſ. Mol. Barb. Onn. *d.* 3. *ſ.* 13. *n.* 235. Sperell. *dec.* 6. *n.* 3. Pont. *l.* 4. *c.* 14. Meratius *d.* 7. *ſ.* 8. Tamb. *in Decal. l.* 1. *c.* 2. § 5. Krim. *n.* 435. Buſemb. aliique multi apud Sanch. *l.* 4. *d.* 14. *n.* 1. & videtur conſentire S. Th. *in ſuppl. q.* 47. *art.* 3. *in O.* nam ait, *quod perpetuitati repugnat, Matrimonium tollit , metus autem , qui cadit in conſtantem virum, perpetuitatem contractus tollit , quia poteſt repelli reſtitutio in integrum , & ideò hæc coactio tollit Matrimonium . . . quidam autem dicunt , quòd ſi adſit conſenſus, quamvis coactus , interius eſt Matrimonium , quantum ad Deum , ſed non quantum ad ſtatum Eccleſiæ, præſumit ibi non fuiſſe conſenſum interiorem propter metum ; ſed hoc nihil eſt , quia Eccleſia non debet præſumere de aliquo peccatum , quouſque probetur : peccavit autem , ſi dixit ſe conſentire & non conſenſit ; unde Eccleſia præſumit eum conſenſiſſe , ſed judicat conſenſum illum extortum non eſſe ſufficientem ad faciendum Matrimonium* ; ubi cum dicatur , *Eccleſia judicat* , & non dicat , Eccleſia ſtatuit, videtur cenſere hoc eſſe de Jure divino vel naturali, cùm dicat , *metum tollere , quia repugnat perpetuitati,* videtur velle , quòd tollat de Jure naturæ, quòd ſi repugnet perpetuitati, hoc habet non ex Jure poſitivo, ſed ex natura rei. Ratio autem eſt 1. quia in Jure nullus invenitur textus inducens invaliditatem ; nam textus omnes loquuntur de matrimonio antecedenter inito cum tali metu , de quo dicunt, non valere, uti refert Sanch. ſuprà: ſi autem ab initio valeat , Eccleſia non poteſt poſteà invalidare , ſed ſi invalidat , facit antecedenter ſtatuendo ejuſmodi conſenſum non fore legitimum. 2. Ex conſenſu coacto , ſi jure naturæ ſufficeret ad matrimonium, ſequerentur graviſſima incommoda fini matrimonii oppoſita , uti facilis deſertio conjugis, minùs voluntaria procreatio ſobolis , minor amor in conjugem & ſobolem. 3. In omni lege naturæ , & divina prò videri debet , ut reſarciatur injuria , alioquin lex naturalis deficeret in neceſſariis , ſed injuria conjugi

coacto

coacto illata non poterat aliter reſarciri per Jus naturæ vel divinum, quàm ſi antecedenter irritus ſit talis conſenſus, ergo, *Confirmatur*, quia Jus naturæ non videtur pati, ut pars metum incutiens ex iniquitate ſua cum alterius damno irreparabili lucrum habeat. 4. Alioquin inter infideles non ſubjectos Eccleſiæ valebit tale matrimonium coactum. 5. Sponſalia ſolo Jure humano irrita inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, ſed matrimonium ſi coactum non inducit impedimentum publicæ honeſtatis, uti habet Sot. ergo ſignum eſt non eſſe *irritum* ſolo Jure humano. 6. Si ſolo Jure humano eſſet irritum, firmaretur juramento, uti colligitur ex Cap. *Debitores*, Cap. *Ex reſcripto*, Cap. *Cùm contingat*, De jurejurando, Cap. 2. & Cap. *Licèt* De jurejurando in 6. ſed hoc matrimonium non firmatur juramento, Cap. 2. *De eo, qui duxit*, & ſecundum dicta n. 666. ergo.

670 §. 2. Eſſe ſolo jure humano nullum, etiamſi ab altero contrahente incutiatur, docent Dur. Sot. Henr. Arrag. Sylv. Navar. Suar. Lay. Vvieſtn. Sanch. *l.* 4. *d.* 14. *n.* 2. Gonet. *d.* 4. *n.* 77. Averſ. *q.* 4. *ſ.* 2. Lugo. *De juſt. d.* 22. *n.* 120. Kugler. *à nu.* 624. 1. Quia non eſt nullum Jure naturæ ratione injuriæ, hæc enim intervenit etiam in metu levi, & eſt æquè magnum damnum, & obligat ad æqualem reſtitutionem, neque tamen irritat: deinde ſimilis planè injuria intervenit in metu injuſtè incuſſo ad alium finem, quàm ad extorquendum conſenſum, v. g. à latrone, à quo quia timet occidi, ſpondet matrimonium, & contrahit cum Titia, ut ſe liberet, & tamen talis metus non irritat, ut manifeſtum eſt. Deinde metus etiam ideò non irritat, quia obſtat libertati, nam etiam metus levis quandoque fortiùs privat plena libertate, ſic enim avarum poteſt magis impellere, & determinare metus amittendæ parvæ pecuniæ, quàm alium metus amittendæ magnæ, vel etiam quàm mancipium metus flagellorum. 2. Metus perpetui carceris homicidæ incuſſus à Judice, ſtatuente, vel ei ducendam viduam occiſi, vel ei manendum in perpetuo carcere, non irritat matrimonium, cùm ſit juſtè incuſſus; è contrà idem metus incuſſus injuſtè ad extorquendum conſenſum irritat matrimonium, uti certum eſt, ſed uterque æquè repugnat libertati, & fini matrimonii, & contra utrumque æqualiter valent argumenta adverſariorum, ego ſignum eſt oriri ex Jure Eccleſiaſtico ſtatuente perſonas in uno caſu, & non in altero inhabiles ad contrahendum, uti ſtatuit inhabiles, ſi contrahant clandeſtinè, non autem, ſi coram Parocho & teſtibus. 3. Quamvis Baptiſmus ſubjiciat hominem legibus Eccleſiæ, & inducat graves obligationes, tamen valet ſuſceptus ex metu gravi, uti habetur Cap. *Majores*, De Baptiſmo, & Cap. *De Judæis* 45. ergo ſimiliter matrimonium, niſi Eccleſia oppoſitum ſtatuiſſet. 4. Juramentum requirit libertatem, & tamen extortum metu gravi obligat, uti habetur Cap. *Verùm*, & Cap. *Si verò*, De jurejurando, ergo ſimiliter matrimonium, niſi ſe interpoſuiſſet Eccleſia. 5. Dolus dans cauſam contractus bonæ fidei illos irritat, *L. Et eleganter*, §. 1. *ff. De dolo*, *L.* 57. *t.* 5. *p.* 5. metus autem illos non irritat, uti latè Sanch. *d.* 8. *n.* 4. dolus verò non magis contrariatur libertati conſenſus, quàm metus, ergo quòd dolus irritet, oritur ex Jure poſitivo, ergo etiam quòd metus irritet in Matrimonio, oritur ex Jure poſitivo. Fatendum tamen eſt id à Jure poſitivo ſtatutum eſſe ex quadam convenientia naturali, quia recta ratio ſuadebat, ut pro contractu tanti momenti eſſet plenior, & perfecta libertas. *Reſp.* 1. ad tres primas rationes: metum levem, & metum injuſtè incuſſum non eſſe metum cadentem in conſtantem virum ſed tantùm cadere in virum, vel inconſtantem ſive timidum, vel pertinacem, quod videtur colligi ex S. Th. *in ſupplem. ſuprà art.* 2. O. ubi dicit, in hoc conſtantem ab inconſtanti diſtingui, quia conſtans ſequitur rationem rectam, per quam ſcit, quid pro quo dimittendum ſit vel faciendum, ſemper autem minus malum vel majus bonum eligendum eſt, & ideò conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu majoris mali, non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum: ſed inconſtans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, ſcilicet ad peccatum propter metum corporalis pœnæ, &c. addit, ſecundò differunt quantùm ad æſtimationem periculi imminentis, quia conſtans nonniſi ex forti æſtimatione probabili cogitur, ſed inconſtans ex levi, hinc ad 1. dicit; conſtans eſt intrepidus, non quòd omninò non timeat, ſed quia non timet, quæ non oportet, vel niſi quando oportet. *Contra eſt*, quomodocumque talis metus vocetur, æquè obſtat libertati, ac ſi injuſtè eſſet incuſſus, ergo.

Reſp. 2. Si metus juſtè incutiatur à Judice propter culpam præcedentem, cùm hæc culpa fuerit voluntaria, talis metus etiam cenſetur *ipſi* antecedenter & in culpa fuiſſe voluntarius. *Contrà eſt* 1. Si innocens probetur eſſe nocens, & tum Judex cogat illum, ut vel ducat viduam vel ſuſtineat perpetuos carceres, jam metus ille non eſt voluntarius in culpa, quia culpa non præceſſit, & tamen ſecundùm multos ex Adverſariis non invalidat matrimonium. 2. Si retractarit culpam, & nihilominùs poſt à ex metu contrahat, metus non amplius eſt voluntarius, & tamen invalidat.

§. 3. Utraque ſententia eſt probabilis, & ſecunda 671
videtur eſſe conformior dictis *l.* 3. *p.* 2. *n.* 636. Ad argumenta primæ ſententiæ Reſponderi poteſt, S. Thom explicari poſſe, quòd per 1o *Eccleſia judicat*, non excludat, quòd ita judicat, ex eo, quia ab initio ſit irritum ex ipſius ſtatuto; nam, inquit Gonet *n.* 88. tantùm affert cauſam, quæ movit Eccleſiam ad irritanda ejuſmodi Matrimonia, quia cùm pariant ita perpetuam obligationem, & requirant mutuum amorem, conveniebat eſſe planè libera. Ad rationem, 1. R. quamvis talis irritatio ſcripta non ſit, tamen habetur traditione, uti illa, quòd Matrimonium fidelis cum infideli ſit irritum. *Ad* 2. violentum ſimpliciter, quod ſit paſſo nullo modo concurrente, non poteſt eſſe perpetuum, ſecus violentum ſecundùm quid tantùm, quale hìc eſt, poſteà autem facilè commutatur tota voluntas, & quamvis violentum ſecundum quid etiam repugnet connaturali modo hujus contractus, non repugnat tamen eſſentiali. *Ad* 3. & ejus *Confirmationem*, non eſt opus injuriam ſemper poſſe reſarciri in eodem genere, ſic enim, ſi quis metu injuſto cogatur Baptiſmum ſuſcipere, patitur injuriam, quam non eſt opus reſarciri annullando Baptiſmum. Idem eſt, ſi quis fide Matrimonii data defloret hanc, & poſteà ducat aliam: item, ſi quis ex metu, non ad extorquendum conſenſum matrimonii, ſed ob alium finem injuſtè incuſſo ineat Matrimonium, hæ enim injuriæ non reſarciuntur annullatione Matrimoniorum, ſed per accidens eſt tum cauſari damnum in ſuo genere irreparabile. *Ad* 4. Sot. Henr. Lopez apud Sanch. *l.* 4. *d.* 14. *n.* 5. dicunt non valere propter Jus gentium irritans: ſed probabilius dicunt Ledeſm. & Sanch. valere illa Matrimonia inter infideles, niſi lege civili ſint irrita, ſunt enim contractus tantùm civiles. *Ad* 5. Si ſponſalia ſint irrita, & quidem maximè, ſi ex defectu conſenſus, non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis; ergo cùm Matrimonium metu coactum ſit irritum defectu liberi conſenſus, ſecundùm hos Authores etiam non inducit illud impedimentum. *Ad* 6. nego majorem, nam Jure humano irritum, nec firmatur clandeſtinum, ſit cui coactum non firmetur juramento juramento; nec obligatione n pariat dictum eſt n. 666. poteſtque

potestque videri Sanch. *l.4.d.20.* Multa quæ hìc opponi possent, soluta sunt *l. 3. p. 2. a n. 643.*

672 *Q. 92. Quid addendum sit circa impedimentum ligaminis?* R. §. 1. Illicitum esse Jure divino plures simul uxores habere, dictum est n. 11. Estque probabilius id esse Jure divino naturali, uti pluribus ostendit Kugl. *à n. 1833.* ubi solvit objectiones satis difficiles. Matrimonium autem dissolvi per mortem alterius conjugis, dixi n. 418. Esse autem tum licitas secundas, ac etiam plures nuptias, quamvis odiosæ sint, dixi num. *16.*

§. 2. Quando quis conjugem habuit, & nunc dubitat, an objerit, Lucius III. Cap. *Dominus* 2. De secundis nuptiis ait: *Id vobis respondemus, ut nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* Et Clemens III. Cap. *In præsentia*, De spons. & Matr. ita statuit: *In præsentia quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licèt super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari: respondemus, quòd quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Dixi autem nu. 308. per Tò *non possunt*, non idcò talem mulierem reddi inhabilem ad contrahendum, sed Matrimonium valet, si prior maritus erat mortuus.

673 §. 3. Quando hæc certitudo in specie determinari non potest, juxta communem cum Abb. ad Cap. *In præsentia* n. 6. relinquitur arbitrio prudentum, consideratis circumstantiis. Hinc Esparsa *in append. ad q.* de licito usu probabilitatis à n. 181. putat tantùm requiri talem certitudinem, qualis exigi, ac reperiri solet in ordinario rerum humanarum commercio, quia Glossa ait: ubi tamen verisimiliter præsumitur de morte, si mulier nubat, excusatur; unde secundùm Esparsa sufficiet testimonium fidei humanæ ex credulitate probabili, & discreta: similiter non esse necessariam certitudinem moralem, sed sufficere verisimiliorem præsumptionem, putant S. Anton. Sylv. Nav. Lay. Vvagnerech, Gob. *tr. 9. n. 292.* Similiter Krim. *n. 1832.* & Kugler *à n. 1844.* dicunt sufficere magnam probabilitatem, si nempe sit major pro morte quàm pro vita. Piasec. *in praxi Episc. p. 2. c. 4. n. 29.* putat sufficere violentas præsumptiones: è contrà meliùs contradicunt Sot. Angles, Tann. Castr. Sanch. *l. 2. d. 26. n. 6.* Less. *De just. l. 2. c. 10. n. 39.* dicens debere prudenter ita credi, ut contrarium nullo modo videatur probabile, nam cùm sit certa possessio pro priori Matrimonio, hæc non videtur elidi in ordine ad aliud contrahendum, nisi per certitudinem saltem moralem de morte prioris conjugis. Ut verò Judex Ecclesiasticus decernat licere transitum ad secundas nuptias, requiritur adhuc major, nempe indubitata certitudo de morte prioris, uti habet communissima, & fatentur Laym. *l. 5. tract. 10. p. 3. cap. 3. n. 2.* Gob. *n. 308.* Ratio autem est, quia majus imminet periculum scandali, & irreverentia Sacramenti, si fortè prior maritus rediret.

674 §. 4. Ut conjux superstes permittatur inire aliud Matrimonium, non sufficit, quòd juret suum conjugem esse mortuum, & à se sepultum, nisi accedant alia adminicula, uti rectè Gob. *n. 311.* Item non sufficit, quòd unus conjugum dubitans de morte alterius expectarit etiam per decem annos, & nihil de altero audierit, quia Matrimonium certò anteà validum manet in possessione, uti ante dictum est, neque debet excludi jus certum alterius conjugis per metum dubium superveniens; atque in hoc à Jure Canonico correctum est Jus civile apud Arcudium *l. 7. c. 18.* & Aversa, suprà, quod permittebat in dubio post quadriennium, vel quinquennium posse iniri aliud Matrimonium.

§. 5. Si conjuges vixerint semper in bona pace, & 675
unus intra multos annos sæpiùs perquisitus non compareat, prudenter quidem creditur esse mortuus, nam cùm fuerint in bona pace, si viveret, compareret, aut saltem nuntium mitteret. Et quamvis Gob. *n. 352.* dixerit tum posse iniri novum Matrimonium, tamen posteà id meritò revocavit, quia necdum videtur adesse certitudo, quam requirunt Pontifices. Quòd si in bona pace non fuerint, aut non amarint se, cujus signum est, si unus clam deseruerit alterum, quamvis 30. annis abfuerint, non potest præsumi mors alterutrius, quia vita & aversio potest eo usque extendi, & sicuti hìc conjux vivit, sic potest alter vivere.

§. 6. Ex dictis solvitur sequens casus: Caja 37. an- 676
nos nata profugit à Titio marito suo; post alios 36. annos de ea nihil resciit, quamvis facta sit diligens inquisitio: *Quæritur*, an Titius possit aliam uxorem ducere? Pro affirmativa parte allegat Titius, qui non ampliùs existere præsumitur, qui facta diligenti inquisitone nullibi reperitur, Campeg. *De testibus, Reg. 350. n. 10.* sed contrà est, quòd nullum sit positivum argumentum pro morte, cùm enim abjerit in discordia, nolet redire sua sponte, nec resciri, ubi sit; itaque tota præsumptio pro morte est ex ætate 73. annorum, nihil autem novi est, quòd mulier ætatem illam vivat, nam fortè etiam Titius, qui vivit, ætatem similem attigit. Adde, quòd Pignat. *n. 1.* dicat non sufficere, nequidem centum annorum absentiam, quia Pontifex prærequirit certum nuntium de morte alterius conjugis.

§. 7. Argumenta è quibus certitudo sufficiens de 677
morte prioris conjugis habetur, sunt varia, nam sufficit 1. liber Parochi, qui inter mortuos aliquem adscripsit, ita enim habet praxis totius. Ecclesiæ teste Aversa, *q. 14 f. 3.* contra Pontium. 2. Productio testamenti de mortui facta ex mandato Judicis. 3. Communis & constans fama, si ad eam accedant alia adminicula, nempe quòd fuerit senex, valdè æger, pugnaturit in acie, &c. Aversa, & alii communiter. 4. Si ad famam accedat unus testis de visu: semper autem probanda est fama duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponere debent se à fide dignis audivisse, & esse in illo loco publicum, & se credere rem ita se habere. Quòd si conjecturæ probabiles de morte illa non adsint, explicare debent, à quibus personis audiverint, nisi 6. vel octo testibus fama comprobaretur, uti Castr. *d. 4. pu. 13. §. 1. n. 8. habet.* 5. Quando locus, in quo esset mortuus, est distans, ex quo difficile est habere probationes, docent Spor. *in Theol. Sacram p. 4. c. 1. n. 51.* & Illsp. *tr. 6. d. 9. n. 102.* sufficere testem unum oculatum, qui considerata qualitate personæ sit fide dignus, & juramento deponat, se vidisse mortuum, aut saltem, inquit, Gob. *n. 312.* exequias, vel sepulchrum illius, qui dicebatur fuisse talis, tum enim censetur esse testis de visu. Et in hoc casu, si major certitudo, vel plenior probatio haberi non possit, secundùm Pirh. *l. 4. tit. 1. f. 5.* & alios, quos citat, sufficiet talis magna præsumptio, quia excludet moralem dubitationem, & faciet probationem moraliter certam: extra tales autem circumstantias non sufficit unus testis, quia Jura dicunt vocem unius esse vocem nullius, Schild. *tr. 2. n. 123.* Unde quamvis Ab. Hostiens. Angel. & alii absolutè dicant, testimonium unius sufficere, Sanch. autem Bonac. & alii absolutè negent, tamen Aversa & Castrop. putant sufficere, si adsint aliæ simul conjecturæ, uti dictum est, & major probatio haberi non possit, ac testis ex

modo

modo deponendi, aliisque circumstantiis præsumatur certum deponere: è contrà, si horum unum absit, non sufficiet.

678 §. 8. Ex dictis constat requiri majorem certitudinem de morte prioris conjugis, quando agitur de Matrimonio novo contrahendo, quàm quando agitur de permanendo in secundo Matrimonio contracto cum dubio de morte prioris conjugis, in hoc enim casu posse aliquando esse etiam licitum usum hujus secundi Matrimonii, dictum est à n. 308. Quòd si ante secundum Matrimonium deprehendatur adhuc vixisse prior conjux, nunc autem certum sit esse mortuum, Matrimonium manet invalidum, quia quod ab initio non valet, tempore non convalescit, convenit tamen ad scandalum cavendum, & ob educationem prolium, ut ponant novum contractum, sicque valident Matrimonium, Gob. 286. 425. Spor. *n.* 52. Casus alios practicè resolutos videre poteris apud Gob. *à n.* 295. & iterùm fusè à n. 328.

679 *Q.* 93. *Quid dicendum sit ad hunc casum, quasi duplicis Matrimonii?* Titius diu vixit cum Berta, utens ea velut uxore, quàm & uxorem suam esse sæpiùs juravit coram testibus; non potest tamen illo testimonio præsenti probare se Matrimonium contraxisse. Berta adhuc vivente Titius in facie Ecclesiæ contrahit aliud Matrimonium cum Caja. *Quæritur*, quid hic agendum? R. Convenienda est conscientia Titii pro foro interno, qui si jam neget valorem primi Matrimonii, standum est pro secundo: Si autem asserat valere primum, nihilominùs in foro externo solùm secundum Matrimonium cum Caja debet censeri validum, quia contra solemnem contractum secundùm formam Juris initum nullæ valent præsumptiones, quantumvis sint multæ, & magnæ, Barb. Bardi, Gob. *tr.* 10. *n.* 430. Krim. *n.* 477. Less. *in auct.* v. *præscriptio cas*, 7. citans alios multos, qui dicunt id tenere, quamvis pro matrimonio cum Berta essent non tantum fama, & indicia quæ faciant vehementem præsumptionem, sed etiam, quamvis esset fama cum uno teste, quæ duo aliàs faciunt plenam probationem, & è contrà, quamvis pro Matrimonio cum Caja in facie Ecclesiæ contracto essent tantùm præter Parochum duo testes. Esse autem obligationem juridicè denuntiandi virum, qui scitur viva prima ducere secundam uxorem, docet Burgh. *cent.* 2. *cas.* 23. quia hoc vergit in contemptum Matrimonii, in damnum Reip. Christianæ, uxoris utriusque & prolium ex utraque gignendarum.

680 *Q.* 94. *Quid addendum sit circa impedimentum publicæ honestatis?* R. §. 1. Hoc impedimentum est propinquitas personarum orta ex sponsalibus, vel Matrimonio rato, vi cujus neuter sponsorum validè contrahit cum consanguineis alterius: unde provenit ex quadam quasi affinitate cum consanguineis sponsi vel sponsæ, etiam illegitimis, cùm verè descendant ex eodem sanguine, Krim. *n.* 194. Appellatur justitia publicæ honestatis, quia videtur justum, & decens, honestatique publicæ congruum, ut inter se non copulentur Matrimonio, quos hoc impedimentum afficit. Oritur etiam tum, quando sponsalia vel Matrimonium initur per procuratores, vel per parentes ex consensu sponsorum; attamen non oritur, si sponsalia vel Matrimonium sit nullum ex defectu consensus, uti si alteruter fictè tantùm contraxerit, Rebell. Avers. *q.* 17. *s.* 5. Gob. *tr.* 9. *n.* 368. contra Sanch. De Justis *l.* 2. *c.* 7. *à n.* 26. & alios.

681 §. 2. Circa publicam honestatem, quæ oritur ex sponsalibus, ita statuit Trid. *sess.* 24. *De ref. Matr. c.* 3. *justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* Et probabilius est cum Rebell. Castr. Pignat. *tom* 4. *cons.* 15. *n.* 3. Krimer *n.* 204. Kugler *n.* 82. contra Sanch. *l.* 7. *d.* 68. *n.* 14. Barb. Pirh. & alios, Tridentinum intelligi de sponsalibus etiam occultis, & ex occulta causa invalidis, cùm dicat, *quacumque ratione valida non erunt*. Deinde S. Pius V. in Decreto. *Ad Romanum spectat*, declarat *Decretum Concilii hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro aumtaxat, non autem in Matrimonio, sic ut præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de Jure veteri antè prædictum decretum Concilii introductum erat.* Unde imprimis certum est, quòd publica honestas ex Matrimonio rato dirimat inclusivè ad quartum gradum, licèt oppositum tenuerint aliqui apud Avers. *s.* 4. Dein, cùm ex Cap. *Ad audientiam* De sponsal. & ex Cap. un. De sponsal. in 6. colligatur, quòd jure veteri hoc impedimentum oriatur etiam ex Matrimonio rato invalido (præterquàm, si invalidum sit ex defectu consensus) v. g. ex Matrimonio, quod Titius Monachus contraheret cum Caja, inferunt Avers. *s.* 5. Luca *de Matr. d.* 7. *nu.* 8. Krim, *nu.* 205. Cajam posteà invalidè contracturam cum consanguineo Titii usque ad 4. gradum. Quod plerique contra Sanch. apud Castrop. *d.* 4. *p.* 10. *n.* 3. extendunt etiam ad Matrimonium clandestinè initum, ubi Trid. est receptum, & votum est saltem in sententia eorum, qui dicunt tale Matrimonium habere vim sponsalium, de quo dixi n. 52. Et idem etiam in altera sententia dicunt AA. communiter cum Pignat. *tom.* 4. *cons.* 15. *& tom.* 7. *c.* 78. §. 3.

§. 3. Si Cajus priùs inierit sponsalia cum Titia, & 682
posteà ineat Matrimonium ratum cum Berta matre, vel sorore Titiæ, patet hoc Matrimonium esse validum ob publicam honestatem: attamen ex Cap. un. *De sponsalibus in* 6. Cajus tenetur ducere Titiam, hæc enim duo impedimenta non habent vim reciprocam dirimendi, Laym. Gob. *n.* 386. Ex quo inferunt plures cum Avers. *s.* 5. ex Matrimonio rato invalido cum aliqua, non oriri hoc impedimentum, pro speciali casu, quo præcesserunt valida sponsalia cum ejus filia, vel sorore: E contrà putat Krimer *n.* 200. reipsa quidem oriri hoc impedimentum, sed ex dispositione illa Ecclesiæ non habere effectum Juris, eò quòd Ecclesia nolit ideò impediri Matrimonium cum prima.

§. 4. Quamvis Rebell. Barb. Gonz. Pont. Hurt. Dian. 683
Engel. citans declarationem, Busemb. hìc, aliique apud Gob *à nu.* 372. Avers. *s.* 5. Krim. *à n.* 209. dixerint cessare hoc impedimentum, si sponsalia mutuo consensu sint dissoluta, contrarium tamen nunc tenendum est ob authenticam declarationem S. Congreg. datam 6. Julii 1658. & 10. ejusdem mensis approbatam ab Alexandro VII. quam referunt Fagn. *in* 4. *decretalium* Cap. *Quod audientiam De sponsal. & Matr. n.* 29. Sperell. *dec.* 95. Pignat. *tom.* 3. *cons.* 50. *p.* 5. *n.* 1173. Gob. *n.* 358. in qua statuitur, nunc & deinceps certum esse debere, quòd maneat hoc impedimentum, etiamsi sponsalia priora mutuo consensu sint dissoluta. Et ita nunc certum esse, docet etiam Vvex *in Ariadne p.* 5. *tr.* 2. §. 6. *à n.* 26. Ratio est, quia ex sponsalibus validis oritur illud impedimentum, & illo semel orto, non pendet à voluntate sponsorum, ut maneat, vel desinat. Hinc etiam manet, etiamsi unus sponsorum sit mortuus, vel ingressus Religionem, uti fatentur omnes. Item manet ex sponsalibus ab impubere contractis, etiamsi post pubertatem rescindat, uti constat ex Cap. *Accessit*, §. *Sanè*, De sponsal. impub.

§. 5. Sponsalia impuberum, quamvis sint suspensa, 684
secundùm dicta à n. 112. & detur locus resiliendi secundùm dicta usque ad pubertatem, tamen secundùm jam dicta inducunt

inducunt hoc impedimentum, ita cum communi Spor. *nn.*180. Et idem est si impuberes contrahant de præsenti, talis enim contractus habet vim sponsalium secundùm dicta n. 52. docetque Aversˌ *s.*5.

685 §. 6. Ex dictis constat, quòd Titius sponsus invalidè contrahat Matrimonium cum matre, sorore, filia Cajæ sponsæ suæ; item quòd Caja sponsa invalidè contrahat cum patre, fratre, filio Titii sponsi sui, quia hæ personæ attinguntur in primo gradu: è contrà Titius validè contrahit cum matertera, nepte, consobrina, aliisque remotioribus cognatis sponsæ suæ, Caja verò cum Patruo, nepote, & consobrino aliisque remotioribus consanguineis sponsi sui, quia hi non attinguntùr in primo, sed secundo tantùm, vel remotiori gradu; non dirimit autem, nisi primus, si sit ex sponsalibus.

686 §. 7. An sponsalia ex metu gravi extorta inducant hoc impedimentum, colligi debet ex dictis n. 106. Si enim talia sponsalia sint irrita Jure naturæ, non inducunt: si sint ab initio Jure naturæ valida, sed tantùm rescindibilia, inducunt: & ideò etiam inita ex metu levi, quia secundùm dicta n. 105. sunt valida, licèt sint rescindibilia, inducunt hoc impedimentum.

687 §. 8. Publicam honestatem non oriri ex sponsalibus conditionatis conditione necdum adimpleta, decidit Cap.un. *De sponsal. in* 6. Neque oritur ex promissione mutua volentium se obligare sub veniali tantùm, vel tantùm sub pœna perdendi v. g. arrham, secundùm dicta nu.59. Neque ex promissione mutua Matrimonii facta à pueris ante septennium, secundùm dicta n. 50. Neque ex promissione Matrimonii cum aliqua indeterminatè v. g. cum una ex filiabus Titii, uti colligitur ex Cap. un. *De sponsal. in* 6. nam reipsa non sunt sponsalia secundùm dicta n.97. Si dispensetur in impedimento affinitatis ex copula licita, hoc ipso dispensatur etiam in publica honestate, quamvis de illa non sit facta mentio, uti dicetur n.913.

688 *Q.* 95. *An publica honestas, vel affinitas contracta inter infideles dirimat Matrimonium susceptò Baptismo priùs contrahendum?* R. Negat absolutè, & probabiliter Henriq. quia cùm talia impedimenta sint ex solo jure Ecclesiastico, cui neuter infidelis subdebatur, non ligabunt illos post Baptismum, nisi hoc ipso tempore, ab iis contrahantur. Sanch. Con. & alii variè distinguunt, sed Aversˌ *q.*17. *s.*6. & Kugler *à n.*1902. absolutè, & etiam valdè probabiliter affirmant, quia quamvis Ecclesia non possit statuere aliquid, quo ligentur, quamdiù sunt infideles, tamen potest statuere aliquid, quo ligentur, quando erunt fideles. Et ita cum post Baptismum non possint contrahere, v. g. cum consanguinea in quarto gradu, quamvis id potuissent ante Baptismum, idem erit de reliquis istis impedimentis: & ratio universalis est, quia Canones absolutè dicunt, quòd fideles habentes tale impedimentum, sive talem relationem ad invicem, non possint validè contrahere, & Canones illi non distinguunt, an in illud inciderint ante, an post Baptismum, ergo cùm post Baptismum sint fideles, & tale impedimentum, sive talem relationem ad invicem habeant, non poterunt, nisi ea dispensata, contrahere.

Quid dicendum sit circa impedimentum criminis inter tales infideles, dixi n.628.

689 *Q.* 96. *Quid notandum sit circa impedimentum ætatis?* R. §.1. Cùm impotentia impuberum ad generandum sit tantùm temporanea, non dirimit Jure naturæ Matrimonium, sed tantùm Ecclesiastico, in masculis ante 14. in fœmellis ante 12. annum, uti habetur toto tit. *Desponsˌ impub.* Putantque Sanch. *l.* . *d.*104. *n.*1. & 3. & Aversˌ *q.*13. *s.*2. ad valide contrahendum satis esse, si ultima dies complens eos annos ut incæpta. Hostiensis apud Diau. *p.*5. *tr.*5. *R.*16. dat tres dies ante; M. Ledesma decem; Rebell. unum vel alterum mensem, uti refert Carden. *in* 1. *crisi d.* 27. *n.*110. sed dicendum est cum Abb. Pontio, Pignat. *t.* 10. *c.*11. *à n.*38. tempus hoc completum esse debere ad momentum, ita ut nec hora desit; secundùm dicta l.1. à n.582. Si tamen malitia suppleat ætatem, ita ut præter discretionem rationis etiam adsit potentia generandi, Cap. *De illis* 2. Cap. *Puberes*, Cap. ult. De sponsal. impub. statuitur, ante eos annos valere Matrimonium, licèt non dispensetur: hinc Fagn. ad cit. Cap. *De illis*, ait Greg. XIII. *cuidam petenti dispensationem ad Matrimonium impuberis dicitur respondisse; sedem Apostolicam ob hoc non esse interpellandam, cùm, si desit discretio, vel potentia consummandi Matrimonium, sedes Apostolica nihil possit: quod si neutrum deesse cognoverit Ordinarius, poterit, si causæ, quæ narrantur sunt veræ, suo jure dictam licentiam concedere.* Vide Krim. *n.* 623. Exempla eorum, qui ante pubertatem genuerunt, multa breviter referunt Aversˌ suprà, & Krim. *num.* 597. Episcopum autem dispensare posse in dubio, an malitia suppleat ætatem dicetur n. 840.

690 §. 2. Matrimonium ante ætatem legitimam, attamen post septennium initum habere vim sponsalium dixi n. 52. Notat autem Zacch. *l.* 1. *t.* 1. *q.*6. *à n.* 38. *&* *l.* 4. *t.* 2. *q.* 4. ætatem Matrimonio ineundo aptissimam esse, in masculis annum citciter 30. in fœmellis 18. De impotentia autem ex defectu ætatis fusè agit l. 3. tit. 1. q. 2.

691 §. 3. Sanch. suprà putat non peccare eos, qui ante ætatem tentant contrahere Matrimonium, sed probabilius est oppositum cum Kugler *à n.* 2127. 1. quia Cap. 2. De sponsal. impub. dicit, districtius prohibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi urgentissima necessitate interveniente: ex quo colligitur non prohiberi conjunctionem per copulam, hæc enim esset certò fornicaria, & ex nulla causa licita est, sed per consensum voluntatum, id est, Matrimonium de præsenti. 2. Quia videtur esse gravis irreverentia in Authorem Sacramenti, si quis sciens se impeditum, & non posse validè conficere Sacramentum, ponat materiam, & formam illius, intendens tanquam Minister illud conficere, ergo.

692 *Q.* 97. *Quid addendum sit circa impedimentum affinitatis?* R. §. 1. L. *Non facilè.* ff. De gradibus, & affinibus, libro 38. tit. 11 sic habetur: *Affines sunt viri, & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit.* Unde affinitas rectè describitur, quòd sit propinquitas quædam, quæ ex copula carnali, sive in, sive extra Matrimonium habita, etiam cùm invita vel dormiente, oritur inter consanguineos viri, & solam mulierem, item inter consanguineos mulieris, & solum virum: vir autem, & mulier copulam habentes non dicuntur propriè affines, sed fiunt una caro, & vocantur radices affinitatis, quia sunt causa, cur cæteri vocentur affines. Quamvis autem L. *Non facilè*, suprà dicatur, *gradus affinitatis nulli sunt*, tamen Glossa rectè addit, *propriè, nam gradus dicitur ratione cognationis naturalis, quæ hìc non est, impropriè tamen possunt dici gradus.* Notatque De Justis *l.*1. *c.*6. *n.*290. quando duo sunt consanguinei, dicuntur esse *conjuncti:* quando sunt affines, dicuntur *se attinere.*

693 §. 2. Affinitas consanguineorum viri extenditur ad solam mulierem, & non ad consanguineos mulieris: è contrà affinitas consanguineorum mulieris extenditur ad solum virum, itaut nec consanguinei viri sint affines consanguineis mulieris; nec consanguinei mulieris consanguineis viri, quia hæc mediata, & remota

& remota affinitas est sublata; hinc Cajus filius tuus ex prima uxore, potest ducere secundæ uxoris tuæ filiam ex alio viro genitam, ita ut eadem uxor tua sit noverca, & nurus filii tui Caji, tu verò sis ejusdem uxoris Caji vitricus, & socer: item potest è duabus viduis una nubere filio alterius viduæ ex priore marito, quo facto si una filium pariat, poterit altera de tali filio dicere: hic est filius filii mei, & simul frater mariti mei.

694 §. 3. Ut oriatur affinitas, non satis est, quòd penetretur vas muliebre, sed secundùm dicta n. 281. debet vir intra illud seminare, ut sit copula vel immissio seminis apta generationi: unde copula eunuchi affinitatem non causat, quia eunuchus non fundit verum semen generationi aptum: Et etiam dixi n. 385. per coitum sodomiticum non contrahi affinitatem.

695 §. 4. Putant plures cum Aversa. q. 17. s. 1. contrahi affinitatem, si semen effundatur circa muliebria, & attrahatur à matrice, imò etiamsi viro cooperante semen quomodocumque, etiam ope dæmonis vel per artem, recipiatur in matricem, nam censetur etiam tali modo consummatum esse Matrimonium, uti videtur colligi ex dictis n. 280. Oppositum tenet valdè probabiliter Pont. l. 7. d. 33. n. 2. Conrad. *in praxi disp. l. 7. c. 1. n.* 18. & alii, quia in his casibus non dicuntur habuisse copulam, affinitas autem non contrahitur, nisi per copulam.

696 §. 5. Ad contrahendam affinitatem requiri etiam seminationem mulieris, putant multi cum Aversa. suprà, & Krim. n. 460. nam Hippocrates, Galenus, Zacchias q. 7. à n. 11. Dian. *par. 15. tr. 13. R. 54.* docent, quod ad generationem requiratur, & semper interveniat etiam seminatio mulieris, quamvis hæc illam non experiatur ob majorem voluptatem ipsiusmet coitus. Oppositum tamen tenent Arist. S. Thom. Sanch. & communis Doctorum, teste Castrop. d. 3. p. 2. §. 1. n. 1. qui probabilius dicunt ad generationem sufficere solius viri semen. Quidquid sit de hoc, notat Gob. *tr. 9. à n.* 390. semper præsumi seminationem mulieris, si in copula magnam senserit voluptatem. Et quod virum attinet, rectè notat Sanch. l. 8. d. 6. n. 18. si cojerit, & dubiter, an seminarit, vel semen intra vas inciderit, hæc præsumenda esse, quia ita communiter contingit, *& ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.*

697 §. 6. Circa affinitatem ex copula illicita sic statuit Trid. *sess. 24. De ref. Matr. c. 4. Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam incurritur, & Matrimonium posteà factum dirimit; ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restringitur, in ulterioribus verò gradibus statuit hujusmodi affinitatem Matrimonium posteà contractum non dirimere.* Pignat. *tamen to. 4. consult. 15.* refert aliam declarationem S. Congr. datam 3. Decemb. 1663. quæ dicat, si adfuerit figura Matrimonii, id est, si Matrimonium publicè contractum fuerit, quamvis invalidè, ex copula quamvis illicita in tali Matrimonio habita oriri affinitatem usque ad quartum gradum inclusivè, sed hactenus non satis constitit de illa declaratione.

698 §. 7. Oritur hoc impedimentum, quamvis mulier sit vi oppressa, ideóque talis oppressa nubere non poterit consanguineo oppressoris. *Nec obstat*, quòd mulier vi oppressa primo bimestri sui conjugii possit nihilominùs ingredi Religionem, *nam*, quòd ingredi possit Religionem, id ò est, quia secundùm dicta n. 421. oppressor, ut reparet damnum causatum, tenetur consentire, ut oppressa ingrediatur, & per hunc sunm consensum reddit ingressum licitum: è contrà consensus oppressoris non potest tollere affinitatem contractam, nec conjugium cum suo consanguineo reddere licitum.

§. 8. Expedit etiam hìc nosse nomina affinitatis, 699
eorumque significationem: sunt autem hæc:

Nomina affinitatis.

Latinè.	Germanicè.	Gallicè.

Socer. Pater uxoris, vel mariti. *Schvvaher.* Beau-Pere. Pere du mary ou femme.

Socrus, Mater mariti vel uxoris. *Schvviger.* Belle-mere: la mere du mary ou de la femme.

Consocer: Parentes mariti, & uxoris. *Gegen Schvvaher.* Les parents du mary ou femme.

Prosocer, seu socer magnus. *Manns oder Vveibs Aherr.* L'ayeul du mary ou de la femme.

Prosocrus seu socrus magna. *Manns oder Vveibs Anfravu.* L'ayeule, &c.

Gener. Maritus filiæ *Tochtermann.* Beaufils: le mary de ma fille.

Congener. *Myt Eydem.* Le deuxiesme beaufils: le mary d'une autre fille.

Progener, *Sohns oder Tochter Eydem.* Le gendre du fils ou fille.

Nurus. Uxor filii. *Schnur,* Belle-fille: femme du fils.

Connurus. *Mitschnur.* La deuxiesme belle-fille.

Pronurus. *Sohns oder Tochter Schnur.* La belle-fille du fils ou fille.

Levir; frater mariti. *Manns-Bruder.* Beaufrere: frere du mary ou femme.

Glos: soror mariti. *Manns Schvvester.* Belle-sœur: sœur du mary ou femme.

Fratria. Uxor fratris *Bruders-Vveib.* Femme du frere.

Sororius. Maritus sororis. *Schvvester Mann* Mary de la sœur.

Janitrices. *Vveiber Zvveyer Bruder.* Femmes de deux freres.

Sororum mariti. *Manner Zvveyer Schvvester.* Marys de deux sœurs.

Vitricus. *Stieff Vater.* Paratre: mary de ma mere.

Noverca. *Stieff Mutter:* Maratre: femme de mon pere.

Privignus. *Stieff Sohn.* Beau-fils de mon mary ou de ma femme d'un autre lit.

Privigna. *Stieff-Tochter.* Belle fille: fille de mon mary ou de ma femme d'un autre lit.

§. 9. Unica regula pro dignoscendo gradu affinita- 700
tis est, ut in hac procedatur, sicut in consanguinitate est dictum, nam aliquis in eodem gradu est affinis viro, in quo gradu est consanguineus mulieri: E contrà in eodem gradu est affinis mulieri, in quo est consanguineus viro: in quo autem gradu sit talis consanguinitas, dictum est à n. 605.

§. 10. Non omnes gradus affinitatis dirimere Jure 701
naturæ, certum est ex dicendis n. 828. An autem primus gradus affinitatis dirimat Jure naturali, an positivo tantùm, utrimque disputatur; Et Castr. d. 4. *pu.* 8. n. 10. dicit, certum esse, quòd affinitas *talis* ex copula fornicaria sit Juris positivi tantùm, quia in illa dispensat *S. Pœnitentiaria*, quod aliàs non posset; quia hic agitur de valore Sacramenti, tum autem non esset licitum agere secundùm hanc sententiam, si oppositа censeretur verè probabilis. Itaque pulcherrima quæstio est de affinitate ex copula licita, & quidem in primo tantùm gradu. Et siquidem non sit in linea rectа, sed transversa, uti si Titius ducat sororem uxoris suæ mortuæ, communis, & certa sententia est cum Sanch. l. 7. d. 66. n. 11. quòd non dirimat Jure naturæ, nam Pontifices etiam sæpè dispensarunt. Si autem sit in primo gradu lineæ rectæ, uti si Titius ducat matrem, vel filiam uxoris suæ mortuæ, hanc affinitatem dirimere Jure naturæ docent S. Anton. Sylv. Sot. Cov. Bellarm. Vasq. Valent. Est us, Con. Laym. Tamb. Pith. Lug. *in resp. mor. l. 1. d. 49.* aliique gravissimi AA. apud Sanch. n. 6. & Dian. *par. 4. tr. 4. R. 91.* Idem videtur tenere S. Basil. apud Arcud.

l. 7. *c.* 3. & S. Aug. apud Sanch. suprà. E contra dirimere Jure naturæ negant S. Th. Alens. Scot. & Scotistæ omnes teste Mastrio *n.* 113. Caj. Nav. Henr. Sanch. Hurt. Merat. Tancred. Pont. Bonac. Castr. Dian. Dicast. Pignat. *to.* 7. *consult.* 22. *n.* 6. Avers. *q.* 17. *s.* 2. Krim. *n.* 2178. Kugler *n.* 1887. & 1893. & dicit Sylvius utramque sententiam esse practicè probabilem. *Nec obstat* postremæ, quòd non legatur Papam in eo gradu unquam dispensasse, *nam* vel non fuit necessitas, vel causæ non occurrerunt sufficientes. Qui tamen in praxi vellet operari secundùm posteriorem sententiam, deberet judicare esse moraliter certam, nec Sacramentum exponi periculo nullitatis.

702 §. 11. Si affinitas ex copula illicita sit ex una parte in tertio gradu, vel ex copula licita in 5. sequitur ex dictis *n.* 613. nullum esse impedimentum.

703 §. 12. Notandum hìc iterum, quod verbo insinuavi *n.* 692. habentes copulam non dici affines in se, sed primum gradum affinitatis haberi in illis consanguineis utrimque qui in primo gradu sunt conjuncti cum alterutro illorum, qui copulam habent.

704 *Q.* 98. *Quomodo practicè sit procedendum, quando quæritur de impedimento affinitatis, v. g. inter Titium, & Bertam?* R. 1. Inquirendum est, an alteruter habuerit perfectam copulam cum consanguineo, vel consanguinea alterius. 2. Considerandum, an copula fuerit licita vel illicita. 3. Videndum, in quo gradu consanguinitatis persona illa, cum qua Titius, vel Berta habuit copulam, sit consanguinea Bertæ, vel Titio, & tum ex dictis facillimum erit cognoscere, an inter illos sit impedimentum affinitatis, necne.

705 *Q.* 99. *Quomodo Jus civile discrepet à Jure Canonico in computatione graduum cognationis, & affinitatis?* R. 1. Quoad lineam rectam utrumque Jus convenit. Quoad transversas, Jus civile observat unicam hanc regulam, quòd tot sint gradus, quot sunt personæ, stipite dempto; hinc secundùm Jus civile duo fratres sunt in secundo gradu, cùm tamen secundùm Jus Canonicum sint in primo. Atque hæc computatio civilis attenditur in tutelis committendis, & in successionibus ab intestato, v. g. Pater, & non frater succedit ab intestato, quia Pater est in primo gradu cum filio suo, frater autem in secundo tantùm, civiliter computato. E contrà computatio Canonica observatur in Matrimoniis contrahendis. 2. Jus Canonicum vult Matrimonium in quarto gradu affinitatis ex copula licita esse irritum, Jus civile restringit illud impedimentum ad secundum tantùm gradum. 3. Secundùm Jus civile, illi tantùm dicuntur agnati, qui per viros habent consanguinitatem: è contrà illi cognati, qui per fœminas, unde soli agnati, & non cognati dicuntur succedere in feudis masculis, agnati autem, & cognati succedunt in feudis promiscuis.

706 *Q.* 100. *Quid addendum sit circa impedimentum clandestinitatis?* R. §. 1. Clandestina Matrimonia ab initio Ecclesiæ fuerunt prohibita, Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *De ref. Matr.* attamen non fuerunt, nec jam inter infideles sunt illicita ipso Jure naturæ, uti probabilius tenent S. Th. aliique cum Avers. *q.* 6. *sect.* 1. contra Sanch. *l.* 3. *d.* 3. *n.* 8. & alios: tam parùm, quàm alii contractus, qui meritò postulant prohiberi, ne clàm fiant, ob fraudes, aliaque inconvenientia; multò minùs etiam in Ecclesia ipso Jure naturæ sunt irrita, ut satis clarè dicit Trid. suprà, quidquid contradicant aliqui cum Pontio *l.* 5. *c.* 1. Potuisse autem Ecclesiam irrita reddere Matrimonia clandestina, rectè probat Kugler *à n.* 861. Et non ideò Ecclesiam formaliter, & proximè mutasse institutionem Christi, vel materiam hujus Sacramenti, probavi *l.* 6. *p.* 1. *n.* 17.

§. 2. Per hoc Matrimonium non est simpliciter clandestinum, quòd ineatur clàm vel nocte, vel etiam neglectis proclamationibus, uti certum est ex illis, quæ refert De Luca *De Matr. d.* 2. *n.* 7. sed tantùm, si contrahatur sine præsentia Parochi vel testium, secundùm Trid. suprà, quod ita statuit. *Qui aliter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit ... Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Et irritat Trid. Matrimonia clandestina etiam eorum, qui hanc legem ignorant vel de ea non cogitant, uti rectè Kugler *à n.* 868. nam per Tò *attentabunt*, non significat requiri cognitionem legis, sed accipit pro *conabuntur* aliter contrahere: hinc nequidem valet in articulo mortis pro legitimanda prole, secundùm dicta n. 525. & 526. docetque Kugl. *à n.* 874. quia hìc est lex absolutè irritans, & inhabilitans. 707

§. 3. Quamvis Trid. hìc utatur nomine Parochi, tamen etiam per seipsos validè assistunt tum Episcopi, tum etiam eorum Vicarii generales, vel etiam aliis committere possunt potestatem assistendi, cùm sint Ordinarii: & Parochi etiam ipsorummet Parochorum, communis cum Kugler *n.* 316. Leuren. *De Vicario q.* 162. 163. Et quamvis Nav. Sayr. De Luca *ad Trid. disc.* 26. *nu.* 20. aliique dicant Episcopum, & Vicarium generalem invalidè assistere, si Sacerdotes non sint, oppositum videtur probabilius cum Kugler *n.* 317 Pontio *l.* 5. *c.* 11. *n.* 11. Leuren. cùm id validè faciat Parochus non Sacerdos, secundùm dicenda n. 718. Et ista omnia possunt Episcopus, ac Vicarius, quamvis Jurisdictio Episcopi esset suspensa, quia assistentia, & commissio assistendi non sunt propriè actus jurisdictionis secundùm dicenda n. 729. docentque Sanch. Barb. Leur. *q.* 164. Et quæ dicta sunt de Episcopo, ejusque Vicario, ob eandem rationem etiam valent de Capitulo, ejusque Vicario, dum Sedes vacat, Gutt. Pont, Dian. Leur. *q.* 583. Krim. *n.* 678. qui addit, idem esse de Nuntio Apostolico pro sua provincia, item de Archi-Episcopo actu visitante in diœcesibus Suffraganeorum. 708

§. 4. Quamvis Trid. ipsum alicubi promulgatum non sit, si tamen hoc decretum Trid. sit ibi promulgatum, Matrimonium clandestinè initum erit in ratione Matrimonii invalidum, an autem valiturum sit in ratione sponsalium, dixi n. 52. Ut autem hoc Decretum Trid. censeatur promulgatum, non est satis, quod v. gr. Parochus vel etiam Episcopus faciat promulgari, quòd Matrimonia clandestina imposterùm futura sint invalida, sic enim intelligi posset esse tantùm Episcopi legem, sed promulgari debet tanquam lex Tridentini, seù supremæ potestatis, ut fusè deducit Pignat. *to.* 1. *cons.* 151. *à n.* 20. Si tamen Decretum alicubi observetur, præsumi debet esse promulgatum, uti habent declarationes S. Congr. apud Pignat. *to.* 5. *cons.* 79. *à n.* 40. 709

§. 5. Sotus, Graff. & alii apud Mastr. *n.* 44. putant, si sit gravissima causa contrahendi sine Parocho vel testibus, in tali casu non obligare hoc Decretum, v. g. si casu absit Parochus, & concubinarius habens multas illegitimas proles esset sine Matrimonio moriturus, putant Matrimonium coram testibus initum fore validum. 710

validum. Idem tenet Amicus *d.* 7. *n.* 136. si Princeps habens filium ex concubina sit proximus morti, & eo fine hærede mortuo, principatus ad hæreticos devolvendus esset: Rationem dant, quia epiiKia videtur posse in tali lege humana habere locum, cùm sit æqualis vel major necessitas, quàm esset, si non esset tutus ad Parochum accessus, in quo casu valere potest matrimonium sine præsentia Parochi, secundùm dicenda n. 781. idcóque etiam hìc videtur prudenter præsumi voluntas Papæ, ut in tali casu valeat Matrimonium. Oppositum absolutè tenent communiter omnes cum Navar. Henriq. Ledes. Sanch. Less. *in auct.* V. *Matrimonium*; *casu* 17. Pont. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 2. Gob. *tr.* 9. *num.* 476. Mastr. suprà, Verj. *art.* 3. Kugl. *n.* 292. quia lex irritans, vel inhabilitans, vel præscribens contractibus formam substantialem uti facit illa Tridentini, non admittit epiiKiam, in eo autem casu, quando est difficilis accessus ad Parochum, aut nullus est ampliùs in tali loco, tunc Ecclesia specialiter dispensat, uti dicetur à n. 778. non autem in aliis casibus, quamvis fortè essent majoris necessitatis, unde sicuti dixi n. 526. in quacumque necessitate manere impedimentum, v. g. consanguinitatis, sic etiam manet impedimentum ob absentiam Parochi. Hinc etiam si Matrimonium contrahatur per Procuratores extra Parochias utriusque sponsi, debet interesse alterutrius Parochus, vel alius Sacerdos ab hoc designatus, secundùm paulò post dicenda.

711 §. 6. Si alicubi nunquam fuerit Parochus catholicus, certum est non requiri ejus præsentiam ad valorem, cùm enim ibi nunquam fuerit Parochia, obligatio adhibendi Parochum nunquam incepit, quia priùs incipit post dies 30. à publicatione facta in Parochia ipsa: unde, ubi hoc. Trid. Decretum promulgatum, vel receptum non est, vel usu est legitimè abrogatum, quamvis illicitè fiat, validè tamen contrahitur sine Parocho, & testibus, uti constat ex Trid. ipso suprà. Quòd si Decretum illud observetur in aliqua Parochia, ubi tamen promulgatum non sit, fieri poterit, ut per ejusmodi consuetudinem inductum sit hoc impedimentum, secundùm dicta n. 513.

712 §. 7. Si quis è loco, ubi Trid. Decretum viget, eat ad locum, ubi non est receptum, animo istic contrahendi clandestinè, dicendum est contra Sanch. *l.* 3. *dist.* 18. *q.* 4. Ponc. *l.* 5. *c.* 9. Less. *in Auct.* V. *Matrimonium*, *cas.* 14. Aversa *q.* 6. *s.* 2. & alios multos, tale Matrimonium esse invalidum, quod nunc videtur certum ex responso S. Cong. & Brevi Urb. VIII. ad Ferdinandum Archi-Episcopum Colonienſem, cujus hic est tenor.

URBANUS VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit Venerab. Frater Archi-Episcopus Colonienſis, quòd habito nuper per eum ad Venerab. Fratres nostros S. R. E. Card. Sacr. Conc. Trident. Interpretes recursu suprà infrà scriptis dubiis, videlicet; Primò, an incolæ tam masculi, quàm fœminæ loci, in quo Conc. Trident. in punctlo Matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco Matrimonium sine Parocho, & testibus contrahere. Secundò, quid si eò prædicti incolæ tam masculi, quàm fœminæ solo animo sine Parocho, & testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertiò, quid si iidem incolæ tam masculi, quàm fœminæ eò transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum, & secundum, non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes, ac tranſeuntes cum fraude. Ad tertium verò dubium hujusmodi, si domicilium verè transferatur, Matrimonium esse validum responderunt, & resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cùm autem, sicuti eadem expositio subjungebat, dictus Archi-Episcopus responsum seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi pro illius subsistentia, & validitate firmioribus, Apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri summoperè desideret, Nos eundem Archi Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, responsum seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi, authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes illud seu illam, nec non præsentes litteras valida firma & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & juxta illa per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo piscatoris die 14. Aug. 1627.

Quòd autem obliget illud Decretum, testantur Lug. *in resp. mor. l.* 1. *dub* 36. Dia. *p.* 6. *tr.* 7. *R.* 29. Tamb. hìc *l.* 8. *tr.* 6. *c.* 2. §. 2. Kugl. *à n.* 905. Gob. *tr.* 9. *n.* 481. & 504. ubi *n* 468. citat responsum facultatis Viennensis idem resolventis, quod referam n. 754. Et an decretum relatum nunc ubique obliget, satis est, notitiam illius nunc haberi, & factam esse certam per Theologos, inquit Gob. *n.* 482. Quòd si quis ad talem locum iviſſet sine fraude, id est, non ideò præcisè, ut sic contraheret, sed v. g. ob negotia, vel mercaturam, circa hoc nihil resolvit decretum. putavitque facultas Viennensis, & alii cum Lugo, quòd tum contrahatur validè, eò quòd contractus sequatur naturam loci, in quo fit secundùm jam dicenda. Et pro hac sententia Pyrrh. Conrad. *in praxi dispens. l* 8. *c.* 4. *n.* 26. refert declarationem S. Congr. Quid autem sit dicendum, si veniat ad locum, ubi etiam receptum est Trid. dicetur seq. num.

§. 8. Si uterque spectet ad Parochiam, in qua decre- 713
tum non est promulgatum, & peregrinantes clàm contrahant in Parochia, ubi est promulgatum, videri posset valere, quia peregrini non tenentur legibus loci alieni, secundùm dicta lib. 1. n. 685. sed oppositum tenendum est, nam contractus, qui sunt aliquid pertinens ad forum externum, regulantur juxta leges loci, in quo fiunt, Cap. *Dilecti*, & Cap. *finali de foro compet.* Sanch. *l.* 3. *disp.* 18. *n.* 26. Krim. *n.* 645. Kugler *n.* 294. Schiara *l.* 6. *diff.* 13. *n.* 14. Imò communis cum Busemb. suprà *n.* 8. & Pignat. *to.* 5. *conſ.* 79. *n.* 33. quamvis tales contraherent coram Parocho hujus alieni loci, & testibus, adhuc nullum fore Matrimonium, quia peregrinus nolens alicubi manere per majorem anni partem, non acquirit, nec quidem quasi domicilium, ergo hic Parochus non est ipsorum proprius, ergo contrahunt sine ullo proprio Parocho: aliud est de vagis secundùm dicenda à n. 746. nam hi nullibi habent proprium Parochum, è contrà peregrini habent in loco sui domicilii, sine cujus & testium præsentia invalidè contrahent in loco, ubi Trid. est receptum.

§. 9. Si sponſus spectet ad Parochiam, in qua Decre- 714
tum est promulgatum, & sponſa ad Parochiam, in qua non est promulgatum, si Matrimonium in Parochia sponſi ineatur sine Parocho, & testibus, erit invalidum: si ineatur in Parochia sponſæ, erit illicitum sed validum; quia secundùm dicta, contractus

quoad valorem pendent à legibus loci, in quo fiunt, ideóque valere tale Matrimonium respondit S. Congregatio; uti testantur Vvamesl. *in conſ.to.2.conſ.*530. & Pignat. *tom.* 5. *conſul.* 79. *n.* 22.

715 §. 10. Parochus validè assistit extra Parochiam, imò & diœcesin suam, quia, quamvis hæc assistentia fiat tanquam à persona publica, tamen sit privato modo, uti auditio confessionis; nec est actus jurisdictionis, & saltem non contentiosæ, Sanch. Averſ.*q.* 6.*ſ.*3. Krim. *n.* 661. Kugler *à n.*955. Busemb. contra Henriq. Pont. & alios. Si tamen solemniter extra Parochiam suam assisteret, Lay Barb. Averſ. Lohn. Pirh. Castr. *d.* 2.*p.*13.§.9.*n.*7. dicunt peccare, sed etiam hoc negant Sanch. & Krim. *n.*662. quia nullibi prohibetur. Et idem dicunt posse alium à tali Parocho designatum.

716 §. 11. Si contracturi spectent ad diversas Parochias, vel diœceses, Nav. putavit contrahendum coram Parocho sponsæ, & ita dicitur servari Romæ, sed certum videtur sufficere, si etiam coram Parocho sponsi; Jus enim non determinat, cur potiùs fieri debeat coram uno, quàm coram altero, Averſ.*q.* 6.*ſ.*3. Barb. Krim. *n.*660 Pignat. *à n.*13. referens plures declarationes, quæ etiam dicunt valere, licèt in Parochia sponsæ contrahant coram Parocho sponsi. Posset tamen Ordinarius circa ista aliquid præcipere, quod observandum esset, quamvis non de valore.

717 §. 12. Si quis in fraudem prioris Parochi verè transferat domicilium ad aliam Parochiam, valide & licitè contrahit coram hoc Parocho, uti colligitur ex decreto relato n. 712. Nec fraus illi patrocinatur, sed conditio Parochiani, quam licitè acquirit, Fagn. Barb. Boss. De Luca *de Matr. disc.* 1. *num.* 9. Sanch. *n.* 11. Krim. *n.* 672. Sylv. contra Ledesm. & Vegam. Notat tamen rectè De Luca *n.* 14. si quis tantùm de die moraretur in hac altera Parochia, & noctu cubaret in priori domo adhuc instructa suis mobilibus, censeri non acquisivisse domicilium in ista altera Parochia, sed permansisse in priore.

718 §. 13. Quamvis Paulus III. concesserit Societati JESU potestatem familiaribus suis ministrandi omnia Ecclesiastica Sacramenta, uti habetur in novo comp. privil. v. *Familiares*, §. 1. & 2. non ideò habet potestatem assistendi eorum Matrimononiis, quia quamvis id intelligeretur de Matrimonio, in quo Sacerdos non est propriè Minister, tamen hoc privilegium per Trid. esset revocatum, quòd ad valorem statuit, ut adsint tres testes, quorum unus sit proprius Parochus, Lug. *in Resp. mor. l.*1. *dub.* 38. Similiter, quamvis Capellanus in Hospitali possit administrare omnia Sacramenta, & sepelire ibi morientes, tamen non assistit validè eorum Matrimoniis, cùm non sit verè Parochus, De Luca *de Parochis d.* 23. *n.*19.

719 §. 14. Parochus solius originis non censetur proprius in ordine ad assistendum Matrimonio, Sanch. *l.*3. *d.*23. *n.*7 Pont. *l.*5. *c.* 13. §. 1. Gob. *tr.* 9. *n.*486. Pign. *tom.*5. *conſul.*79. Si tamen aliquis, qui semel habuit domicilium in loco originis, semper retinuerit animum revertendi ad locum illum originis, & ibi habitandi, retinuit ibi domicilium habitationis, etiamsi plurimis annis abfuerit, poteritque etiam coram illo Parocho contrahere Matrimonium, Less. *in auctario* v. *Matrimonium caſu* 14. Pont. *n.* 8. non enim amittitur domicilium, dum quis discedit animo revertendi, uti rectè Pign. *to.* 7. *conſ.* 63. pro hoc citans decisionem Rotæ, & 18. gravissimos authores, ac consentit Laym. *l.*5. *t.*6. *c.*10. *n.* 5. adeóque habet domicilium primum in patria, sive loco originis, & alibi acquirit quasi domicilium, ideóque potest apud utriusque loci Parochum valide contrahere Matrimonium; imò quamvis animo alibi perpetuò habitandi deseruisset patriam, putant Gob. *tr.*9. *n.*553. & alii, si non sit sui juris, sed integrè adhuc sub potestate Patria, non ideò amittere illud suum primum domicilium, sed retinere illud per voluntatem eorum, quibus subest, & qui possunt semper eò revocare. Si tamen recenter ad aliquem locum venisset, nec satis notus esset, petendum foret testimonium, quòd absit impedimentum, è loco, in quod diutiùs commoratus est, vel si inde accipi non possit, exigendum juramentum, quòd nullum sciat impedimentum.

§. 15. Communis sententia habet cum Sà, Sanch. 720
Pignat. *tom.*5. *conſult.*79. *n.*44. Delb. *c.*12. *d.*7. *ſ* 7. *n.*11. Krim. *n.* 660. Kugler *n.* 296. quòd voluntas habitandi perpetuò in aliquo loco sufficiat ad domicilium habitationis, ibi statim etiam primo die, quo reipsa habitare incipit, contrahendum, quamvis enim per Constit. Inn. XII. *in lib.* 6 *p.*2. *n.*2172 relatam, id non sufficiat *ad effectum ſuſcipiendi Ordines*, tamen secundùm ibi dicta n. 2177. non obest acquirendo domicilio in ordine ad alios effectus, & specialiter in ordine ad acquirendam Parochiam. *Nec obat*, si hæc voluntas posteà mutetur, *nam* domicilium semel acquisitum priùs non amittitur, quàm quis reipsa corpore se in alium locum transferat. Similiter illa voluntas perpetuò manendi alicubi non excludit voluntatem aliò migrandi, si fortè casus aliquis, vel promotio aliò vocet, uti ibidem dictum est n. 2184.

§. 16. Quamvis ad acquirendum simpliciter domi- 721
cilium habitationis requiratur animus perpetuò ibi habitandi, id tamen non requiritur ad acquirendum quasi domicilium pro Matrimonio, aliisque Sacramentis ab Ordine distinctis; sed pro his acquiritur Parochia per habitationem non brevis temporis, ut si quis propter negotium, studium, famulatum, vel tempore pestis, aut belli alio confugit, quamvis cogitet posteà redire ita, cum multis aliis Sanch. *n.* 13. Pont. *l.*5. *c.*13. *n.*4. Gob. *tr.* 9. *n.* 484. & 534. Engel. *in manuali Paroch. p.* 2. *c.*5. §. 3. Kugler *n.* 301. Ratio est, quia is est proprius Parochus in ordine ad conjungendum Matrimonio, qui in Cap. *Omnis*, *De pœnit. & remiſſ.* appellatur proprius Sacerdos ad audiendas confessiones, sed hic appellatur talis, qui habet coram Parochiæ, in qua quis est per majorem anni partem, ergo. Putat quidem Pignat. *to.*7. *conſ.*63. *nu.*6. si quis Roma è domo paterna missus Paduam studiorum causa etiam 30. annis hîc studeat, non fieri subditum alicui Parochi Paduæ quoad Sacramenta voluntaria, sed tantum in necessitate quoad Sacramenta confessionis, & communionis, vocatque sententiam certam, ex Hostiens. Abb. Menoch. *vol.* 4. *conſ.* 398. Hinc etiam est hoc statutum Cleri Romani; *Familiares, & Famulos Eminent. Cardinalium, ſeu aliorum Primipum, ac Prælatorum, necnon aliorum quorumcumque, qui retinent domicilium in alia Parochia, ad illam Parochiam pertinere ſtatuimus, in qua retinent domicilium, licèt apud ſuos dominos infirmentur, & morte occumbant.* Sed quidquid sit de aliis fortè diœcesibus, dicendum est saltem pro nostra Germania cum Lay. *l.*5. *t.*6. *c.*10 *n.* 5. & aliis communissimè, eos, qui è loco originis vel domicilii veniunt ad alium, animo hîc aliquo tempore permanendi, acquirere quasi domicilium, sufficiens ad subjectionem in ordine ad omnia Sacramenta (excepto Ordine) ad dispensationes in votis, sepulturam &c. pro quo citat Gob. Palud. Gab. Sylv. Suar. Mol. Et certum est teneri à Sanch supra: imò Laym. *l.*1. *t.*4. *c.*22. *nu.*1. putat ad hoc, ut quis non hospes, sed loci habitator habeatur sufficere animum etiam aliquantò minùs, quàm per majorem anni partem permanendi, argum. L. *Heres abſens*, §. *Proinde ff. de judiciis*, sed videtur standum sententia communi, quòd requiratur animus permanendi saltem per majorem anni partem. Quid autem dicendum sit de incarceratis, exulibus, relegatis, qui illubenter detinentur, nec permanerent vel uno die, nisi

nisi cogerentur, vide dicenda l. 7. n. 247. & Kugler *à n.* 299. qui dicit, ut validè contrahant, debere velle permanere per majorem anni partem.

722 §. 17. Etiam hoc quasi domicilium acquiritur primo die, statim ut quis habitare incipit cum voluntate manendi per majorem anni partem, Kugler suprà, & alii. Si quis autem inceperit hic habitare, & mutet Parochiam, recipere poterit, & debebit omnia Sacramenta ab eo Parocho, cui actu tunc subdetur, quia deservit alteram Parochiam, Sanch. *n.* 14. & 15. non sufficit autem solus animus mutandi, uti anteà est dictum, Sanch. *n.* 15.

723 §. 18. Si quis duas Parochias æqualiter, aut ferè æqualiter inhabitet, v. g. unam hyeme, alteram æstate, fit Parochianus utriusque, potestque indifferenter coram alterutro Parocho contrahere Matrimonium, ita ut, si hyeme contrahat, possit contrahere coram Parocho æstivali, quia uterque utroque tempore est proprius ejus Parochus, uti constat ex Jure apud Sanch. *d.* 24. Quòd si non æqualiter habitet utrobique, sed v. g. per septem menses ruri, per quinque in urbe, invalidè contrahit in urbe, quia ut possit in utroque loco, Jure requirunt æqualitatem habitationis in uno, & altero loco, non quidem arithmeticam, sed saltem moralem, quæ hic non est, nemo enim dicet, quòd 154. dies sint moraliter æquales cum 210. sicuti nemo dicèt, quòd homo quinquagenarius sit moraliter æqualis ætate cum septuagenario, Lugo *dub.* 37. Gob. *tr.* 9. *n.* 508. Quid autem dicendum sit, si domus alicujus sit in confinio, seu partialiter in fundo duarum vicinarum Parochiarum, dicam l. 7. n. 241.

724 §. 19. Principes vel Nobiles in ordine ad Matrimonium non habent domicilium in omnibus sibi subditis locis, sed tantum in loco, ubi veram & realem habitationem habent; Lugo *n.* 11. Gob. *n.* 497.

725 §. 20. Episcopus non potest Parocho auferre potestatem validè assistendi, tum quia assistere non est propriè actus jurisdictionis, licèt aliquando talis vocetur ad significandum, quòd non sit actus Ordinis, ergo quamdiù manet Parochus, validè assistit, Sanch. *l.* 3. *dist.* 21. *n.* 12. Averf. *q.* 6. *f.* 3. Lugo *dub.* 45. Kugler *à n.* 822. testantes ita declaratum esse à S. Congreg. tum etiam, quia Episcopi non possunt inducere impedimentum dirimens, secundùm dicta n. 514. Nec juvaret, si Episcopus præter prohibitionem etiam adderet clausulam irritantem, nam hæc ob rationem datam nihil operaretur. Aliud est de Papa, qui potest ponere impedimenta, de quo etiam videndus Pignat. *to.* 4. *consult.* 167. posset autem etiam Episcopus impedire valorem talis Matrimonii, si Parochiam ipso facto tolleret à Parocho attentante talem assistentiam, secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 17. an autem ita possit ipso facto tollere, meritò dubitatur, & videri debent dicenda n. 730. Addit Averf. *f.* 4. Episcopum posse irritare, aut revocare licentiam, quam Parochus dedisset alteri Sacerdoti ad assistendum, quia hic delegatus non ideò esset factus Parochus, & voluntas Episcopi censetur esse superior ac potentior, quàm voluntas Parochi committentis.

726 §. 21. Si statutum diœcesanum habeat, ut Parocho non liceat assistere Matrimonio Catholici cum atholica, licèt pro certo haberet acatholicam non ita diu post futuram Catholicam, eò quòd ex ejusmodi Matrimoniis multa sequi soleant incommoda spiritualia, tum ipsi conjugi Catholico, tum liberis, tum ipsi Reipublicæ christianæ, si Parochus ad cavendam publicam infamiam sponsæ impregnatæ assistat, valebit quidem Matrimonium, sed Parochus peccabit mortaliter, quia manet tota ratio legis prohibentis. *Nec obstat*, quòd infamiam incurrent, *nam* hanc suæ culpæ, & fornicationi imputare debent.

727 §. 22. Valet Matrimonium, cui assistit Parochus habens titulum invalidum, sed coloratum cum errore communi, etiamsi sit tantùm laicus, qui reputetur Sacerdos, uti dixi l. 6. part. 1. nu. 11., docentque Con. Barb. Sperell. *dec.* 50. *n.* 21. Krim. *n.* 667. Kugler *à n.* 940. Pign. *tom.* 6. *consul.* 3. *à n.* 14. dicens id valere, quamvis deesset coloratus titulus, si ex communi errore sit Parochus putativus. Addunt alii expressè, quamvis esset intrusus: sed meliùs contradicunt alii cum Kugler *à n.* 948. quia intrusus non habet titulum collatum ab Ordinario, ergo nullum nequidem coloratum habet titulum, quem tamen requirit communissima.

728 §. 23. Sylv. & alii dicunt Parochum assistentem Matrimonia debere esse Sacerdotem, tum quia debet posse benedicere nuptiis, tum quia Trid *sess.* 24. *De refor. Matr. c.* 1. sic habet: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote... ...contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit*, ergo cùm dicat; *vel alio Sacerdote*, videtur innuere, quòd Parochus etiam debeat esse Sacerdos. Oppositum probabiliùs tenent cum communi Henriq. Con. Laym. Bonac. Barb. Sanch. *l.* 2. *d.* 20. *n.* 3. Kugler *à n.* 929. Gob. *tr.* 9. *n.* 496. Aver. *q.* 6. *f.* 3. pro quo Pontius *t.* 5. *c.* 17. *n.* 1. refert declarationem S. Congreg. Ratio est, quia Trid. nullibi requirit, ut Parochus ipse sit Sacerdos, ideóque paulò post dicit, *qui sine Parocho, vel Sacerdote*, &c. omisso Tò *alio*. Nec rationes allatæ urgent, *non* 1. quia potest benedicere dicendo ego vos conjungo in nomine Patris, &c. *Nec* 2. quia *Lucæ* 23. de Christo dicitur, *ducebantur autem, & alii duo nequam cum eo*, neque tamen inde sequitur Christum fuisse nequam. Unde à pari dixi n. 708. Episcopum, & Vicarium generalem, quamvis necdum Sacerdotes posse assistere. Attamen ex relatis verbis Trid. rectè colligitur eum, cui committitur, ut loco Parochi assistat, debere esse Sacerdotem, quamvis Papa committere posset etiam non Sacerdoti, Krim. *nu.* 479. Nec sufficit esse parochum alterius parochiæ, quia pro admittenda hac commissione habet se sicuti non parochus, ergo debet esse Sacerdos, Krim. *n.* 665. Averf. *f.* 4. addens posse committere cuivis Sacerdoti, quamvis non approbato, & contra prohibitionem Ordinarii, item quamvis excommunicato, &c. uti jam dicetur de ipsomet Parocho.

729 §. 24. Validè assistit parochus suspensus, interdictus excommunicatus, publicè denunciatus, & vitandus, schismaticus, degradatus, dummodò non sit actualiter depositus, quamvis enim v. gr. excommunicatus vitandus careat jurisdictione ad absolvendum, non tamen caret potestate præstandi suam qualificatam præsentiam, Nav. Suar. Henriq. Sanch. *l.* 3. *d.* 21. Con. Pont. Laym. Averf. suprà, Castr. *De censur. d.* 2. *pun.* 15. *n.* 2. Dicast. *De censur. d.* 2. *n.* 659. Pignat *tom.* 7. *consul.* 62. Krim. *n.* 666. Kugl. *nu.* 318. contra Avilam, & alios. Putant quidem Led. Con. Laym. talem Parochum excommunicatum invalidè dare alteri licentiam assistendi, quia hanc dare videtur esse propriè actus jurisdictionis, sed meliùs contradicunt Vega, Henriq. Dian. Barb. Sanch. *q.* 2. Kugler *n.* 967. Averf. *q.* 6. *f.* 4. §. *Si verò*, cum quibus tenui *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1565. nam sicut assistere non est propriè actus jurisdictionis, ita nec substituere aliquem ad assistendum. Unde valeret, quamvis etiam ille Sacerdos substitutus esset excommunicatus, & degradatus, uti docent Sanch. Barb. Bosc. Kugler *n.* 330.

730 §. 25. Quamvis Cap *Licèt canon*, De elect. in 6. statuatur, ut Parochus, qui intra annum non fit Sacerdos, ipso Jure sit privatus Parochia, etiam nulla præviâ monitione, tamen cùm possessio in conscientia non vacet, nisi authoritate Judicis privetur, validè assistit Matrimonio, uti resolvit S. Congreg. 12. Martii

593. & 24. Martii 1653. apud Pignat. *tom.* 8. *conſ.* 24.

731 §. 26. Genettus *cap.* 4. *q.* 10. refert hanc declarationem S. Congr. datam 16. Febr. 1595. *An validum cenſeri debeat Matrimonium celebratum in Parochia mulieris coram Sacerdete habente licentiam à Parocho viri, & præſertim, cùm Parochiæ viri, & mulieris ſint in diverſis diœceſibus conſtitutæ; omnes fuerunt ejus ſententiæ, ut Matrimonium celebratum coram Sacerdote de licentia Parochi viri in Parochia mulieris, etiamſi in diverſis diœceſibus ipſæ Parochiæ conſtitutæ ſint, valeat.* Ratio eſt, quia illa aſſiſtentia Parochi non eſt actus juriſdictionis contentioſæ, uti n. 714. dictum eſt, nec reſpicit locum, ſed tantùm contrahentes, & ideò notat Averſ. *q.* 6. *ſ.* 4. Sacerdotem, cui licentia aſſiſtendi data eſt, poſſe aſſiſtere etiam extra Parochiam concedentis, licèt hìc dixiſſet, ut in Eccleſia, vel Parochia ſua aſſiſteret, nam illa deſignatio loci, niſi aliud conſtaret, credi poſſet eſſe facta ob majorem congruitatem.

732 §. 27. Si Parochus dederit licentiam ſub aliqua conditione, quæ non obſervetur, erit invalida, quia non operatur ultra mentem concedentis: rectè tamen docent Sanch. *d.* 3. *d.* 33. & alii cum Averſ. *q.* 6. *ſ.* 4. §. *ult.* ſi dederit cum conditione, quæ de Jure inerat, v. g. ut niſi diſpenſetur, præmittat denunciationes, ut prius inquirat in impedimentum, &c. quamvis id negligeretur, licentiam, & aſſiſtentiam fore validam, quia tum, niſi aliundè conſtet de reſtricta mente concedentis, cenſetur tantùm apponi tanquam modus, & admonitio quædam, ut ſerventur ea, quæ de Jure ſervanda ſunt: Et in dubio talia verba, *dummodò*, ea conditione, cenſentur eſſe modus, non ſtrictè conditio, Sanch. Boſſ. Kugler *n.* 340.

733 §. 28. Si Parochus generaliter alicui dicat, *committo tibi omnes vices meas, vel conſtituo te in omnibus Vicarium meum, vel committo tibi curam mearum animarum*, docent multi cum Averſ. *q.* 6. *ſ.* 4. §. *Item*, committi etiam facultatem aſſiſtendi Matrimonio: è contrà ſi dicat, *committo tibi adminiſtrationem Sacramentorum in mea Parochia*, Con. Hurt. Gutt. Perez. Boſſ. Kugler *nu.* 333. negant per hoc dari licentiam aſſiſtendi Matrimonio, quia Sacerdos non eſt Miniſter Matrimonii, ſed contrahentes ſunt Miniſtri. E contrà Rebell. Bon. Fagn. Pont *l.* 5. *c.* 29. *n.* Perez, Caſtr. Gallem. Barb. *de off. Parochi*, *c.* 21. *n.* 71. De Luca *De Mart. d.* 4. *n.* 13. dicunt per hoc dari licentiam, teſtaturque Lugo *in reſp. mor. l.* 1. *dub.* 38. *n.* 76. S. Congregationem ita declaraſſe, quia in communi modo loquendi, & in ſenſu vulgi dicitur Parochus, aut ejus loco aſſiſtens etiam adminiſtrare Sacramentum Matrimonii, Dian. Gob. *tr.* 9. *n.* 487. Spor. *De Matr. n.* 364. probabilius diſtinguunt, dicuntque tum cenſeri datam illam licentiam, ſi Parochus velit abeſſe; vel ipſe aſſiſtere non poſſit, ſi autem maneat præſens, & aſſiſtere poſſit, negant cenſeri per hoc datam licentiam aſſiſtendi Matrimonio, ſed tantùm ad danda Sacramenta, quorum ſtrictè Miniſter eſt Sacerdos.

734 §. 29. Quamvis delegatus regulariter non poſſit ſubdelegare, *Cap. Cum cauſa*, 62. *De appellat. l.* 1. §. 1. *& l.* 3. *ff. De offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio*, ideóque Titius delegatus ad aſſiſtendum Cajo, & Bertæ non poſſit hoc alteri committere; attamen conſtitutus etiam ad Matrimonium Vicarius Parochi, ſive vice-cura ipſi commiſſa ſit ab Ordinario, ſive etiam ad paucos dies tantùm à Parocho ipſo, poteſt committere alteri Sacerdoti licentiam aſſiſtendi, quia delegatus ad univerſitatem cauſarum, ſive ad omnes cauſas, ſaltem in certo genere, uti hìc fit, poteſt ſubdelegare, dummodò ſubdeleget ad particularem tantùm cauſam, Averſ. *q.* 6. *ſ.* 4 §. *Item*. De Luca *ad Trid. diſc.* 26. Krim. *n.* 681. Kugler *n.* 330.

735 §. 30. Si detur licentia ad quemcunque Sacerdotem, ſponſi adire poſſunt, quem volunt, Krim. *n.* 683. Qui obtinuit, ut iniri poſſit coram Parocho S. Petri, ſi ineat coram Parocho S. Martini, aſſiſtentia tum eſt valida, ſi deſignatio Parochi S. Petri eſt facta in gratiam petentis, nam eſt tacita, & implicita licentia, ut etiam alium adeat: ſi autem hæc licentia eſſet facta ex ſpeciali cauſa movente ad deſignandum Parochum S. Petri, itaut non dimiſiſſet ad alium, aſſiſtentia erit invalida, Gob. *n.* 525. Et conforme eſt dictis l. 6. p. 2. n. 2141. de dimiſſo ad Epiſcopum A. ſi petierit ordinari ab Epiſcopo B. Quoad Matrimonium tamen videndum, ne exponatur periculo nullitatis.

§. 31. Huc pertinet ſolutio ſequentis caſus: Epiſ- 736
copus dat Cajo Sacerdoti poteſtatem aſſiſtendi Matrimonio, omiſſis proclamationibus, cum facultate, ut poſſit alium juxta ſuam conſcientiam loco ſuo ſubſtituere, qui aſſiſtat: Cajus generali ſcripto ſubſtituit omnes, & ſingulos ſæculares, aut Regulares, quos vel quem Titius elegerit: Titius eligit Regularem. *Quæritur*, an valuerit illa ita generalis ſubſtitutio à Cajo facta, & conſequenter an validum ſit Matrimonium? R. 1. Interrogandus Epiſcopus, quid intellexerit per illud, *juxta ſuam conſcientiam*, & an voluntatem ſuam extenderit ad caſum ejuſmodi generalis ſubſtitutionis, ſcier enim, quomodo fuerit ſaltem habitualiter diſpoſitus: ſi autem inde nihil reſciri poteſt: R. 2. Stando in verbis, non videtur Epiſcopus intendiſſe ſubſtitutionem ita generalem, 1. quia aliàs non Cajo, ſed Titio ipſi immediatè feciſſet poteſtatem eligendi Sacerdotem, quem vellet: 2. Cùm voluerit ſubſtitui alium *juxta conſcientiam Caii*, videtur voluiſſe in Cajo adeſſe ſcientiam determinatè ſubſtituendi, *conſcientia* enim dicit *ſcientiam*, ſeu cognitionem, imò videtur elegiſſe prudentiam vel induſtriam hujus determinatè perſonæ Caji ad dijudicandum de conditione, & aptitudine ſubſtituendi practicè, loquendo, ſuaderem, ut iſti Regulari ſubſtituto nunc daretur abſoluta facultas Matrimonium illud validandi, ſi forrè invalidum eſt, poteritque ille facilè invenire modum renovandi conſenſum inter conjuges primo adhuc amore calentes, qui omninò tenentur revalidare, quia ſaltem probabile eſt Sacramentum illud valere, & ipſi ceſſerunt juri ſuo, etiam pro caſu probabilitatis de invaliditate, uti dictum eſt n. 417. Ita cum aliis cenſui anno 1701.

§. 32. Item huc pertinet ſolutio ſequentis caſus: 737
Titius, & Caja obtenta diſpenſatione ab Ordinario contrahendi coram Parocho ſponſæ, aut de illius præſcitu, & ſalvis juribus, coram alio Sacerdote, omiſſo proprii Parochi præſcitu coram alio Sacerdote contrahunt, ſtatimque altera die in convivio nuptiali ſolvunt proprio Parocho jura, qui eis congratulatur. *Quæritur*, 1. An præſcitus proprii Parochi in diſpenſatione, mentionatus ſit per modum ſimplicis modi, an verò de forma, & eſſentia, importetque clauſulam irritantem? 2. Si importet, an aſſiſtentia proprii Parochi, & congratulatio in convivio nuptiali facta cenſeri non poſſit revalidatio prioris contractus? R. *ad* 1. Clauſulam hanc commiſſioni inſertam, *de illius præſcitu, & ſalvis juribus*, non videri irritantem, ſed præceptivam dumtaxat, ad vitandas querelas proprii Parochi, & ne defraudaretur juribus. Ratio eſt, quia ex una parte ampliſſimus eſt in Jure favor Matrimonii, & ex altera parte decretum Trid. irritans Matrimonia, eſt correctorium, ideóque oportet ſemper ſtare pro valore Matrimonii, quando ea obſervata ſunt, quæ præcisè à Trid. ad tollendam clandeſtinitatem præſcripta ſunt, ad quod ſufficit contrahere, *vel coram proprio Parocho ſponſi, aut ſponſæ*, præſentibus duobus ſaltem aliis teſtibus, vel coram alio Sacerdote ex commiſſione Parochi proprii, *vel ex commiſſione Ordinarii coram alio Sacerdote*,

&

& dictis testibus, ubi non additur, *cum præscitu proprii Parochi*, neque ordinarie solet hoc addi in ejusmodi commissionibus, eò quòd ille præscitus nihil faciat ad finem Trid. qui erat, posse probare contractum factum, ad quod conferre poterat solùm testimonium eorum, qui præsentes adfuissent, ergo non obstante omissione præscitus, validum est Matrimonium. *Confirmatur*, cùm enim facultas hæc concessa alteri Sacerdoti non fuerit restricta ad conditionem prænonendi proprii Parochi, non videtur dubitari posse de valore primi illius contractus Matrimonialis. R. *ad* 2. Videtur congratulatio Parochi proprii, & ejusdem acceptatio facta à neo-sponsis cum repræsentatione jurium coram reliquis convivis esse sufficiens revalidatio consensus ante præstiti. Ita censuerunt mecum Coloniæ ann. 1700. Doctores octo ex hac universitate Colonienſi. Opponi potest ex Herincx *d.* 5. *q.* 2. *n.* 25. Parochum debere adhibere formaliter, id est, contrahentes debere velle ipso tanquam publico, & necessario teste contractum; si autem ita adsit purè materialiter, ex mente contrahentium, non adhiberi tanquam testem, uti nec tum, si casu transiret, & videret ipsos coram aliis contrahentes. R. Hi contrahentes præsumuntur adhuc velle Matrimonium, & reipsa iterum dant consensum mutuum coram Parocho, & testibus, qui de hoc possint testari, ergo sufficit, secundum dicenda *n.* 760. & 761.

738 §. 33. Etiam huc spectat resolutio sequentis casus: Superior Religiosi Parochi nihil scientis de hoc, sed daturi facultatem, si petita esset, assistit loco Parochi Matrimonio Parochianorum. *Quæritur* an validè? R. Negativè, quia hic non sufficit licentia præsumpta, uti notat *Syn. Colon.* anni 1662. *cap.* 2. §. 8 tum enim Matrimonium reipsa non contrahitur præsente Parocho, vel Sacerdote de ejus licentia, Con. Fill. Sanch. *l.* 3. *d.* 35. *n.* 15. Gonz. *ad Regul.* 8. *Cancell. gl.* 47. *n.* 52. Pont. Barb. *De off. Parochi cap.* 21. *n.* 69. Kugl. *n.* 983. *Nec obstat*, quòd administrandam Eucharistiam, & Extremam Unctionem sufficiat præsumpta ratihabitio de futuro, quamvis ista absque licentia Parochi fieri non debeant jura Trid. *sess.* 24. *c.* 13. De reformatione *quia* latum est discrimen: nam licentia Parochi pro Eucharistia vel Unctione non exigitur, ut validè ministrentur, sed ut licitè, ideóq; non est necesse, quòd præcedat ministrationem, sed sufficit probabilis præsumptio illius futuræ; secus in Matrimonio, in quo præsentia Parochi vel alterius de ejus licentia requiritur ad valorem.

739 §. 34. Si Parochus videat alium Sacerdotem assistere Matrimonio, quem, cùm facilè posset, non impediat, eo ipso dat licentiam assistendi, quia etiam in iis contractibus, in quibus requiritur positivus consensus, sufficit tacitus, quando aliquis videns, & potens facilè impedire non impedit, uti docent plurimi cum Suar. *t.* 4. *in* 3. *p. d.* 26. *s.* 1. Sanch. *l.* 3. *d.* 35. *n.* 26. Lugo *in Resp. mor. l.* 3. *d.* 16. *n.* 26. & *de pœnit. d.* 19. *n.* 23. Ave. *l.* 9. 6. *s.* 4. §. *Demum*, Kugler *n.* 984. contra Fagn. & Bonac. Quòd si reipsa internè non consentiret Parochus, Ledesm. docet non valiturum Matrimonium, quamvis contradicant Sanch. *l.* 3. *d.* 22. *q.* 7. & Averſ. qui cum Sperell. *dec.* 30. *n.* 22. idem dicunt, si Parochus externè tantùm, & fictè diceret se consentire, reipsa autem internè non consentiret. Ratio horum est, tum quia valent gesta per Ministrum, qui communi errore computatur legitimus concurrente titulo præsumpto, & colorato, secundum dicta *l.* 6. *p.* 1. *n.* 112. ista autem videntur hic intervenire, tum maximè quia in ejusmodi rebus, quæ dependent ab auctoritate Juris vel Superioris, censetur Jus ipsum vel Superior supplere defectum in remedium communis erroris pro communi bono, ergo.

740 §. 35. *Si* Parochus, qui Cajo dedit licentiam, revocet hanc, antequàm Cajus assistat, & ignoretur revocatio, assistet validè. Idem dicunt Sanch. Perez, Averſ. *q.* 6. *s.* 4. §. *Debet*, Kugler *n.* 3,8. si Cajus revocationem audiret, non à Parocho ipso, vel nuntio ab eo submisso, sed aliundè per accidens. Idem est si Parochus sit prius mortuus, & illa mors communiter ignoretur, quia communis error, & ignorantia sustinet valorem eorum, quæ geruntur per delegatum, Lugo *in Resp. mor. l.* 1. *d.* 35. Krim. *n.* 677. Si autem constaret mors Parochi delegantis, Cajus invalidè assisteret, quia potestas delegata ad unum actum specialem, & determinatum re integra cessat morte delegantis, Sanch. *l.* 3. *d.* 22. *an.* 55 & *d.* 28. *an.* 64. Pont. *l.* 8. *c.* 19. & 2. Lugo *supra* Barb. *de offic. Parochi c.* 21. *n.* 74. testans sic esse resolutum à Rota. Etideò *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1543. Sacellanum vel Vicarium missum, ut juvet Parochum, Parocho mortuo non videri posse assistere Matrimoniis, dicitq; Pignat. *to.* 1. *cons.* 333. ita resolutum esse à *S. Congreg.* 18. Nov. 1645. est autem contra Suar. *to.* 4. *d.* 26. *n.* 6. & 9. & ratio est tum quia talis facultas, quæ pendet à concedentis voluntate, ut informata jurisdictione, & potestate publica, extinguitur cum morte concedentis, tum etiam quia Parochia mortuo Parocho transit ad regimen alterius

§. 36. Qui habet licentiam assistendi, & se habere nescit, non assistit validè, quia licentia non est 741
valida, nisi acceptetur, concessio enim privilegii est quædam donatio, quæ alicujus saltem acceptatione indiget, Cap. 1. *De præbend. in.* 6. Averſ. *q.* 6. *s.* 4. Kugler *n.* 995.

§. 37. Si per nuntium submissum petita sit à Paro- 742
cho licentia, ut alius Sacerdos assisteret, & quia sciebatur eam esse obtinendam ante horam decimam, hora 10. ineatur Matrimonium, priusquàm nuntius renuntiet licentiam esse datam, Sanch. *l.* 2. *disp.* 36. Hurt. Fill. Trull. Barb. *De off. Paroch. c.* 21. *n.* 75. Kugler *n.* 994. Averſ. *suprà*, recte dicunt valuisse licentiam, quia satis est illam esse rogatam, & acceptatam à nuntio submisso. Si tamen Parochus licentiam moto proprio aliundè rogatus dedisset, & Sacerdos adstitisset ante illam cognitam, non valeret, quia haberet se per modum privilegii, quod à nemine acceptatum esset, adeóque secundùm dicta *n.* 741. nihil operatur. Idem dicit Averſ. *suprà*, si Sacerdos ille casu aliundè audivisset licentiam esse concessam: & rectè addit, regulariter credi non debere contracturis dicentibus, se licentiam talem habere, nisi scripto ostendant.

§. 38. Licentia est valida, quamvis metu sit extorta, 743
qui secundum dicta *l.* 2. *p.* 2. *n.* 636. & 638. contractus non tantùm onerosi, sed etiam lucrativi, qualis est donatio, sunt validi, quamvis metu sint extorti, cùm habeant libertatem Jure naturæ requisitam, & Jus positivum eos non irritet, ergo talis licentia, quæ est quasi donatio, valebit, quamvis metu extorquetur, Sanch. *l.* 3. *d.* 39. Con. Regin. Barb. *De off. Parochi c.* 21. *n.* 65. Averſ. suprà, Kugler *n.* 973. Idem est, si detur contra ratihabitionem Episcopi, Pont. Barb. Leuren. *in foro benef. p.* 1. *qu.* 435. *n.* 7. Item si per dolum, & fallaciam impetrata sit, nisi Parochus dederit sub conditione, si vera sint, quæ asseruntur, uti ante dictum est.

§. 39. Tum non valet *licentia*, si dolus, vel error 744
sit circa substantiam, *uti si licentia* peratur pro Titio, & substituatur Cajus, *mens autem* Parochi concedentis tendat determinate *in* Titium, Averſ. *suprà*, de Luca *de Matr. d.* . Pignat. *to.* 5. *consult.* 78. idem dicens, etiam si Parochus cognita veritate fuisset licentiam *pro Cajo* daturus. *Si dicas* errorem nomi- nis non vitiare contractum. R. Id verum esse in eis, in quibus non erratur in substantia, uti si filio Titii

legaveris

legaveris centum, quem per errorem vocasti Titium, cùm vocaretur Cajus, quia intendebas istam personam: in nostro autem casu erratur in persona, quia mens concedentis non tenebat in Cajum, sed Titium, error autem in persona respectu Matrimonii est substantialis. *Nec obstat*, quod Matrimonium foret validum, si Parochus ipse assisteret Cajo putans esse Titium, ut declaravit S. Cong. apud Pignat. *n.* 8. *nam* ad valorem Matrimonii non requiritur consensus Parochi, ergo satis est eum etiam in virum assisteret Matrimonio sui Parochiani, de quo testari possit, quisquis tandem ille sit, adeóque hic non est error substantialis: è contrà consensus Parochi requiritur ad licentiam pro hac determinate persona, ergo si in hac erretur, est error in substantia. Notat verò de Luca *disc.* 4. si Parochus dederit licentiam ad assistendum personis, etiam non designat illarum nomine, ita tamen, ut Parochi voluntas satis cognoscatur fuisse determinata ad istas personas, quibus delegatus assistet, Matrimonium fore validum & idem iterum docet ad Trid. *disc.* 26. *n.* 21. V. Kugler *à n.* 977.

745 §. 40. Matrimonium Caij & Bertæ hæreticorum contractum coram Parocho illius loci catholico, validum est; solus enim catholicus est verè illorum proprius Parochus, Rayn. *in Heter. to.* 16. *f.* 1. *pu* 14. *n.* 18. Majus dubium est, an talis Parochus catholicus li licitè assistat ejusmodi Matrimoniis hæreticorum in sua Parochia habitantium. Negat Pignat. *to.* 7. *c.* 55. *n.* 12 Affirmant Castr. *d.* 4. *p.* 11. *n.* 13. Krim. *n.* 668. Kugler *n.* 310. quia quamvis non sit purus testis, tamen etiam non est Minister, sed ex ordinatione Ecclesiæ interesse debet, ut valere possit tale Matrimonium: imò putarunt Theologi Rhenani, uti refertur in *l.* 4. *Archiv. Rheni infer. pag.* 2. *& seqq.* posse benedicere, uti & aspergere aqua benedicta, maximè cùm illæ benedictiones sint deprecatoriæ, & non enunciativæ. Romani Theologi interrogati distinxerunt, ac putarunt, si assistat, ubi decretum Trid. non est publicatum, non plus peccare, quàm si assistat Matrimonio publici peccatoris: Si autem assistat, ubi publicatum est, dubitarunt, quia videtur consentire administrationi Sacramenti indignæ, quam posset impedire non assistendo; idem sensit Pœnitentiaria, addens testes quoque ideò mortaliter peccare, itemque Parochum benedicendo, videtur enim dignius sacramentale, quam aspergere aqua benedicta, sed *lib.* 2. *n.* 99. dixi præcisè assistere tali Matrimonio non esse illicitum in Germania, eò quòd sit cooperatio materialis tantùm: attamen de more benedicere esse illicitum. Quòd si unus contrahentium sit catholicus, alter acatholicus quamvis Pignat. *to.* 4. *consult* 144. *&* 188. dicat illicitum esse assistere sine causa à Sede Apostolica approbata, & consentiat Serrarius *l.* 3. *n.* 124. tamen praxis est communis in Germania, ut fiat: imò probabile est, quòd licitè etiam benedicat tali Matrimonio, secundum dicta *lib.* 2. *n.* 99. Attamen dicam hic *n.* 995. ilicitum esse adhibere puerperæ acatholicæ benedictiones purificationis, uti & defuncto acatholico cæremonias Ecclesiasticas, secundùm dicta *l.* 2. *n.* 112. An autem & quando licitum sit Matrimonium catholici cum acatholica, dixi *l.* 2. *à n.* 95.

746 §. 41. Vagi sunt, qui certam & constantem sedem habitationis nullibi habent: item, qui post relictum corpore & animo pristinum domicilium iter faciunt, quærentes, ubi se collocent, unde qui relicto priori domicilio confert se ad locum, ubi decrevit figere domicilium, dum est in via, caret domicilio & est vagus, nam caret domicilio, quod habuit, quia deseruit illud animo & facto; deinde caret illo, ad quod tendit, quia non comparatur solo animo, nisi accedat factum; præterea non habet quasi domicilium Parochiæ, per quam transit, qui a hospes brevis temporis nequidem quasi domicilium contrahit, ergo nullum habet domicilium, & consequenter est vagus, Sanch. *l.* 3. *d.* 25. *à n.* 3. Less. *in auth. v. Matrimonium, cas.* 13. Ille tamen non censetur vagus, qui de una Parochia intra unam urbem, v. g. è Parochia S. Severini vult ire habitatum ad Parochiam S Cuniberti, & interea moratur in Parochia S. Martini, cùm enim talis sit totus in urbe, debet proclamari & conjungi, vel ubi diutius habitavit, id est, in Parochia S. Severini, vel ubi habitare incæperit cum animo ibi permanendi saltem per majorem anni partem, quæ erit Parochia S. Cuniberti, Sanch. *à n.* 8.

§. 24. Possunt vagi inire Matrimonium apud quem- 747
cumque Parochum. Et quamvis contradicant Sanch. Laym. Pont. & alii communiter, tamen probabile est cum Con. Perez, Vallensi, Pirh. Dicast. Staleno *de denunciat. c.* 10. Kugler *n.* 304. invalidè assistere extra fines suæ Parochiæ, quia vagi loco Parochi domicilii habent Parochum hospitii, hospitium autem jam habent tantùm intra fines hujus Parochiæ, ergo etiam Parochum. Deinde titulus, quare hic potiùs quàm omnis alius Parochum possit huic vago assistere est, quia hic vagus est in hac Parochia & non alibi, ergo. Et sufficere alterutrum esse vagum, dicam *n.* 750. Attamen Trid. *sess.* 24. *de ref. matr. c.* 7. *Parochis præcipit, ne illorum Matrimoniis interfint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* putantque Sanch. & Aversa. *q.* 7. *sect.* 1. hoc præceptum graviter obligare, sicuti enim secundùm dicta *n.* 474. præceptum proclamationum graviter obligat, ita & hoc præceptum inquirendi, cùm per ordinarias proclamationes non satis provideri possit. posset tamen esse excusatio, si viatores expectare non possint, & causa sit non differendi Matrimonium. De cætero etiam Syn. Colon. anno 1662. *de Matr. c.* 3. §. 7. prohibet *sub pœna suspensionis à divinis*, ne parochi vagos conjungant, *nisi diligenti prius inquisitione facta & re Superioribus significata, licentiam scripto obtinuerint.* Quòd si parochus ista negligat, valebit Matrimonium, uti valet, si illicitè omittantur proclamationes, quia Trid. non prohibet absolutè Matrimonium absque præmissa diligentia & licentia, sed tantùm, præcipit parochis, ut diligentiam illam præmittant, & licentiam petant, estque speciale in Matrimonio, quòd ex simplici prohibitione absque decreto irritante non censeatur annullari, Sanch. *à n.* 16.

§. 43. Si alicubi esset Confessarius pro vagis de- 748
putatus auctoritate papæ, hic deberet assistere, quia ex voluntate habentis potestatem in omnes vagos hic solus esset proprius eorum Sacerdos in eo loco, Sanch. *n.* 12. Kugler *n.* 306. Id tamen non tenet, si sit designatus tantùm ab Episcopo, quia hic in omnes vagos non habet jurisdictionem.

§. 44. Sicut quilibet parochus, cui vagus se subjicit, 749
potest ejus Matrimonio assistere, ita posset talis parochus dare licentiam cuicumq; alteri Sacerdoti pro se in sua parochia assistendi, Sanch. *n.* 15.

§. 45. Si miles, qui Capellanum vel Missionarium 750
catholicum non habet, per sex septimanas sit Coloniæ, & ducat puellam Colonienſem, Less. *in auct. v. Matrimonium, cas.* 13. dicit validè copulari & licitè quocumque alio loco, quia exteri milites quamvis in patria sua abeant domum & domicilium, nihilominùs dum sunt in expeditione foris æquiparantur vagis nullibi habitantibus domicilium, & cùm liberè possint omni tempore contrahere Matrimonium, & omni hora debeant esse parati ad abeundum huc illuc, quò necessitas & mandatum vocabit, non habent animum hic habitandi per majorem anni partem,

tem, ergo non acquirunt hic, nequidem quasi domicilium, sed manent quasi vagi, adeòque ejus habent, ut copulentur, ubi volunt, Schiara *l. 6. dist.* 13. & consequenter etiam sponsa cum illis, nam sufficere alterutrum esse vagum, habet communis cum Sanch. *l. 3. d. 25. n.* 14. Pontio *l. 5. c.* 14. §. 1. Laym. *l. 5. tr. 9. p. 2. c.* 4. Gut. Leand. Tamb. Bosc. Dicast. Gob. *t. 9. n.* 495. Barb. Kugler *n.* 308. Krim. *n.* 670. contra Petr. Ledesmam, qui dicit, si alter tantùm sit vagus, requiri parochum illius, qui non est vagus.

751 §. 46. Putarunt aliqui, milites omnes in diœcesi Monasteriensi censeri vagos, usque adeò etiam philistæos, ut vocant, sed quoad hos philistæos, quando in patria sunt, credo oppositum esse verum, sunt enim rustici habitantes stabiliter in suis parochiis, & tantùm pro temporanea necessitate aliquando avocantur. Quoad illos milites, qui sunt in præsidio, vel etiam multo tempore in serviunt suis Officialibus tanquam famuli in arcibus nobilibus Lessius, quem citat Gob. *tr. 9. n.* 495. videtur eos annumerare vagis, sed dicendum est, si apud ipsos est, ut per majorem anni partem permaneant in servitio sui Officialis in arce nobili, & reipsa animum habeant ibi permanendi permanendi per majorem anni partem, quòd acquirant ibi quasi domicilium, adeòque non sint vagi, sed subditi parochi istius loci. Et idò docet etiam Schiara *diff.* 12. *n.* 11. milites tum acquirere quasi domicilium in loco, ubi v.g. custodiunt fortalitium, si velint ibi permanere & habeant quasi certitudinem ibi permanendi per majorem anni partem. E contrà si securi non sint de permansione, & consequenter animum non habeant permanendi per majorem anni partem, nec alibi domicilium habeant, sunt nagi. Quoad alios milites, qui castra sequuntur, prætér dicta *n.* 750. colligetur ex resolutione casus sequentis. Auctoritate Episcopi, ad quem pertinet Legio, constitutus est Sacerdos castrensis, cum mandato, ut milites dictæ legionis coram illo & nullo alio contrahant Matrimonia, eumque habeant pro vero parocho in omnibus: *Quæritur*, similes dictæ legionis, qui alioqui vagus est, coram alio quocumque paro contrahat, an hoc Matrimonium futurum sit validum. Resp. Dicastillus *d. 3. n.* 133. simili casu putat probabilius esse invalidum, & videtur consentire de Luca & Krim. *n.* 671. Quia quamvis talis miles sit vagus, tamen ex ordinatione Superioris Ecclesiastici habet Parochum, ergo debet coram hoc contrahere. Oppositum videtur brobabilius, nam quamdiu manet vagus, non habet ullibi domicilium, ergo nec parochum, quia ex domicilio quis fortitur Parochum *c. ult. de Parochis.* Nec Episcopus potest immutare Canones, quod tamen posset papa, secundùm dicta *n.* 725. Unde talis Sacerdos statuitur quidem ad Episcopo, tanquam parochus legionis, cui possit se miles hujus legionis subjicere & coram illo valide contrahere, si velit, sed non ideò est ipsi necessariò subjectus, uti nec subjectus est ipsiusmet Episcopi absentis jurisdictioni spirituali, cùm vagus nullius sit diœcesis, sed habet ejus se submittendi, cui volet. Praxis tamen est, ut similiter contrahant coram Missionario talis legionis. Debere etiam talium militum fieri proclamationes sive solitas denunciationes dixi *n.* 475.

752 §. 47. Dubitatum est, an Missionarius castrensis valide assistat Matrimonio militis catholici è legione acatholica catholico parocho destituta? Vagi quidem sunt milites, & ideò inire possunt Matrimonium coram parocho quocunque, sed debet esse parochus loci, in quo contrahitur, non autem sufficit esse parochum legionis non suæ, cùm hic non sit parochus loci, in quo sunt castra, & ideò judicarunt tres Doctores mecum talem Castrensem invalidè assistere, nisi censeatur etiam esse istius acatholicæ legionis Castrensis.

753 §. 48. Huc pertinet resolutio sequentis casus: Titius miles catholichus in legione Hollandica, ducit Coloniæ Bertam acatholicam coram prædicante legionis acatholico, & duobus testibus. *Quæritur*, an Matrimonium valeat? R. Si Berta pertineat ad legionem, in qua est ille prædicans, probabiliter valet, quia Matrimonia talia in Hollandia habentur pro validis, & legiones Hollandicæ extra Hollandiam censentur gaudere eodem jure vel dissimulatione Ecclesiæ, quia etiam censeri possunt veluti parochia cum suo pseudo parocho ambulantes secundùm dicta l. 6. *p.* 2. *n.* 1518. E contrà, si Berta non pertineat ad legionem, legionem, Matrimonium est invalidum ob defectum parochi, nam prædicans respectu Titii non est Parochus, nec extendenda est tacita Ecclesiæ licentia aut dissimulatio ultra casus in locis acatholicis receptos. Ita censuimus Coloniæ anno 1708. inde censuimus anno 1713. valuisse in casu, quo miles acatholicus legionis Hollandicæ coram prædicante suæ legionis Bonnæ duxerat mulierem Catholicam è Belgio, viduam militis olim ejusdem legionis. Attamen abesse debet scandalum, & si fieri possit, suaviter adducendi sunt ad parochum catholicum, vel ad alium Sacerdotem habentem ejus licentiam, ut coram hoc & testibus renovent consensum,

754 §. 49. Si quis tanquam viator seu peregrinus transeat per aliquem pagum, putant Averl. *q. 6. f.* 2. §. *At*, Pont. &c. posse copulari à parocho loci. Huic sententiæ videntur favere *facultas Viennensis* & Tann. apud Gob. *n.* 484. affertque pro ea declarationem Cong. Barb. *in collect. ad Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de ref. Matrimonii n.* 12. sed secundùm dicta *n.* 713. absolutè tenendum est oppositum. Neque primam sententiam tenet *facultas Viennensis*, nam tantùm loquitur de veniente ad locum, ubi *Trid.* non est receptum, de quo casu dixi n. 712. Verba *facultatis Viennensis* sunt hæc: *illi iidem* (acatholici, inquit Gob. habentes domicilium, ubi viget decretum *Tridentini*) *validè contrahunt Matrimonium clandestinum, ubi non est receptum Trid. decretum, si deveniant casu, aut per modum transeuntis, sed non ex industria ut contrahant sine proprio Parocho.* Barbosæ autem verba sunt hæc: *validum fuisse Matrimonium cujusdam juvenis cum meretrice, qui dubitavertat illud in propria civitate contrahere adhibendo Concilii Tridentinii solemnitates, eò quòd juvenis parentes eis impedimentum de facto facturi erant, & propteà Romam venerunt, & coram testibus & Parocho, in Parochia, in qua aliquantulùm permorati erant, Matrimonium contraxerunt per verba de præsenti, firmat Aldan. in Comp. Canon. Resol. l. 1. tit. 8. n.* 12. attestans decisum in *Senen.* 17. Maii 1600. Hæc intelligi debent, uti innuit *Dian.* quòd juvenis ille animo habitandi Romæ saltem per majorem anni partem, statim initio acquisivisset domicilium, secundùm dicta n. 722.

755 §. 50. Famuli, ancillæ, studiosi possunt proclamari & jungi Matrimonio à Parocho *loci*, in quo sunt servitii vel studiorum causa, nam per voluntatem hic manendi per majorem anni partem aquirunt quasi domicilium, uti constat ex *dictis* nu. 721. Nec tamen ideò amittunt proprium *domicilium* habitationis suæ vel paternæ, uti dictum est n. 719.

756 §. 51. Huc pertinet solutio sequentis casus: Titius miles obtinuit licentiam in patriam eundi, petiitque dimissionem à militia, quæ ipsi promissa est, quam, dum necdum facta fuerit conventio, quantum dare deberet: In patria constitutus ante Matrimonium contractum bis solvit certam summam ad computum: interim contrahit sponsalia cum Berta, & copulantur coram Parocho alterius diœcesis. *Quæritur*, quid de

illis dicendum ? R. Matrimonium illud videtur nullum, nam Titius erat virtualiter manumissus, quia in ejus potestate erat reliquum pecuniæ exolvere, sicque se liberare à militia, ergo cùm vellet constanter habitare in patria desiit esse vagus, & primo die recepit hìc suum domicilium, ergo habuit proprium parochum, coram quo tamen non contraxit. *Conf.* Nam cùm ante Matrimonium bis solverit partem pretii, videtur præcessisse aliqua conventio, adeóque completus fuisse contractus dimissionis sub obligatione pretii persolvendi, licèt fortè ejus quantitas non esset expressè determinata, sicuti contractus emptionis completus esse potest ante expressam determinationem aut persolutionem pretii, si nempe emens dicat vendenti, se persoluturum pretium condignum vel ordinarium. *Nec obstat*, quòd Titius absolutè potuerit revocari à Capitaneo; *nam* hoc dato, etiam filius aliunde huc missus ad studia potest omni die revocari à Patre, & nihilominùs, si voluerit per majorem anni partem hic habitare, primo die acquisivit quasi domicilium, habetque hìc parochum proprium in ordine ad contrahendum Matrimonium secundùm dicta à n. 721. ergo multò magis Titius volens perpetuò remanere in patria, in cujus prætereà potestate erat reliquum pretii persolvere, & se reddere irrevocabilem.

757 §. 52. Quamvis *Busemb.* cum communi dicat etiam parentes posse hic esse testes & de Luca *de Matrim. d.* 6. Krim. *n.* 673. Kugler *n.* 1026. cum communi fateantur non requiri, ut testes hìc sint omni exceptione majores, tamen idem de Luca *d.* 2. *n.* 16. citans *Paser. Alex. Menoch. Mascard.* docet, si v.g. pater agat pro valore Matrimonii, ut salvet honorem filiæ, tunc talem patrem potius esse partem interessatam & principalem in causa, ideóq; non posse implere munus testis. Et Kugler *n.* 343. meritò dicit parentes in multis casibus meritò esse suspectos nec sufficere. Similiter de Luca *d.* 26. *n.* 3. probabiliùs dicit, si Matrimonium contrahatur per procuratorem, præter hunc requirit adhuc duos alios testes, eò quòd hic nequeat esse testis de facto proprio, tum maximè, quia *Trid.* præter contrahentes requirit testes, Procurator autem hìc est contrahens, quamvis id faciat nomine alterius.

758 §. 53. Non est opus, ut testes noverint, cujus nominis vel familiæ sint contrahentes, dummodò videant, & dicere possint hos esse, Less. *in auct. v. Sponsalia, cas.* 7. Si autem testes sint surdi, & ex visu possint judicare, quid fiat, sufficit, Gob. *tr.* 10. *n.* 749. Idem dicunt Sanch. pont. Fill. Menoch. *de probat. concl.* 278. *n.* 10. Aversa. *q.* 6. *s.* 6. si sint cæci, & audiant ac norint voces loquentium. Absolutè autem opus est, ut testes morali & humano modo assistant, ac intelligant, quid fiat, nam *L. coram Titio, ff. de verbor. signifi.* dicitur, *coram Titio aliquid facere jussis, non videntur præsente eo fecisse, nisi is intelligat.* Nec sufficit, quamvis iverint ex intentione assistendi Matrimonio, si dum initur, actu non advertant, quid agatur, ut habet communis cum Kugler *à n.* 320. contra Henriq. & Bossium, quia de contractu ipso testari non poterunt.

759 §. 54. Si parochus & testes non intelligant linguam contrahentium, *Sanch.* dicit sufficere, si unicus interpres referat eorum intentionem : *Pont.* sufficere negat dictum istius unius, quia Ecclesia requirens tres testes, majorem fidem postulat, stantes autem dicto unius interpretis erunt quasi unus tantùm testis : sed rectè notat Aversa. *q.* 6. *s.* 6. parochum & testes partim ex dicto interpretis, partim ex aliis signis sufficienter posse eorum intentionem colligere.

760 §. 55. Bonac. Leand. pont. Amic. March. docent ad assistentiam validam parochi requiri, ut sit vocatus, pro quo Gonz. ad *Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 48. *n.* 35. refert hanc declarationem S. Congr. *Parochus præsens Matrimonio debet esse, ut appareat à contrahentibus adhibitum fuisse; secus, si præsens casu fuisset.* Rationem dant, quia quando interventus requiritur ad formam actus, non sufficit illum, cujus præsentia requiritur, casualiter actui supervenire, quia qui casualiter adest, adesse non videtur, Gonz. *n.* 32. citans *L. Quæsitum, §. fin. ff. de legat. L. Generali, §. uxor, ff. de usufr.* & sic testis repentini dictum nullum est, quia non præsumitur sufficienter informatus, *c. Qui ambulat 5. q. 5.* Barbat. Gomes. Gonz. *n.* 33. In alia tamen declaratione *S. Congr.* apud eundem *Gonz.* habetur, parochum dici posse adhibitum, quamvis ex alia causa esset vocatus : fatetur que Gonz. *n.* 22. non requiri citationem, ubi adest præsentia, quæ habetur pro citatione, *L. de unoquoque, ff. de re judic.* Bald. Bartol. Abb. Vantius apud Leur. *in foro benef. p.* 2. *q.* 781. *n.* 4. Hinc Sanch. Laym. Perez, Boss. Rayn. *in Heter. tom.* 16. *s.* 1. *pu.* 14. *n.* 6. Less. *in auctar. v. Matrimonium cas.* 15. Aversa. *q.* 6. *s.* 6. Pignat. *tom.* 4. *cap.* 147. *& tom.* 5. *cons.* 79. *n.* 19. de Luca *de Matri. d.* 2. *num.* 9. *& d.* 6. *n.* 5. iterumque ad Trid. *d.* 26. *num.* 26. Krim. *num.* 673. Busemb. suprà melius dicunt non requiri ad valorem, ut Parochus vel testes volentes adsint, & videtur esse certum, inquit Kugler *num.* 1012. nam *L. coram Titio, ff. de verb. signifi.* dicitur, *scire, non autem velle is debet, nam etiam eo invito rectè fit* : ratio autem est, quia etiam si inviti & vi detineantur, advertere poterunt & testari debebunt, si requirantur : quamvis enim statuatur pro testamentis, ut testes non sint fortuiti, nihil simile statuitur pro Matrimonio, uti pluribus deducit Kugler *à n.* 1019. Multò minùs opus est, ut parochus verbis certis aut etiam ullis utatur ad eos copulandos, secundùm dicta n. 285. & pluribus ostendit Kugler *à n.* 322. Refertque Gonet. *c.* 4. *q.* 10. hanc declarationem *S. Congreg.* datam 29. Aug. 1591. *Sacra Congregatio Concilii censuit Matrimonium coram Parocho & testibus contractum, nisi aliud obstet, validum esse, quamvis Parochus invitus interfuerit, & alia de causa quàm ut Matrimonio interesset, à contrahentibus accersitus fuerit.* Putant tamen plures cum Aversa. *s.* 6. & Pignat. graviter peccaturum, qui ita irreverenter abuteretur parocho : addit *s.* 7. etiam graviter peccaturum Parochum, qui non interrogaret sponsos de consensu, vel omitteret verba, *Ego vos conjungo*, uti ex *Trid.* præscribunt Ritualia : sed alii cum Sanch. *l.* 3. *d.* 38. *&* 40. agnoscunt in omissione illorum veniale tantùm : imò *Con.* dicit posse esse licitum adhibere Parochum etiam invitum & nihil loquentem, si nempe nolit aliquibus assistere, non habens justam causam negandi aut differendi, quod tamen præsumi non debet : & rectè notat Aversa. *s.* 7. §. *Rursus*, fore causam differendi, si contracturi non sciant necessaria ad salutem. Non esse de valore, ut Sacerdos interroget, vel dicat : *Ego vos conjungo*, dixi n. 285.

§. 56. Quamvis contrahentes ex verbis & modo agendi visi sint jocari vel aliud intendere, si internè consenserunt, Matrimonium valet, quia sufficienter manifestarunt, nec opus est parochum vel testes scire intentionem, aut testari de voluntate interna, sed de actu externo, quamvis de intentione dubitent, ita Nav. *de sponsalibus cons.* 54. Imò licèt persuasum sit testibus omnia fieri simulatè, aut licèt putent contrahere de futuro, quando per verba de præsenti contrahunt, valet, Less. *in auct. v. Matrimonium, cas.* 15. 761

§. 57. Si sponsi coram parocho & testibus contraxerint tantùm sub conditione exteriùs expressa, Sanch. *l.* 5 *d.* 8. *n* 24. Fill. Gob. Boss. Spor. Krim. *n.* 484. *&* 872. Kugler *n.* 735. negant post conditionem posi- 762

tam

opus esse iterum convenire Parochum & testes, quia posita conditione contractus est hoc ipso absolutus, secundùm dicta n. 246. & de isto contractu testari possunt, nec opus est posse testari de omnibus, aliàs deberent posse testari de mandato dato procuratori pro contrahendo inter absentes Matrimonio. E contrà communior & securior sententia cum Laym. Præp. Con. Hurt. Barb. Bonac. Castrop. *d.* 2. *p.* 11. §. 2. *n.* 11. Perez, Illsung. Burg. *cent.* 2. *cas.* 3. *& aliis*, dicit iterum contrahendum coram Parocho & testibus eisdem. Aversa *q.* 5 *s.* 1. dicit, debere saltem Parochum & hos testes rescire de conditione impleta, alioquin non poterunt testari hoc Matrimonium esse perfectum; *Trid.* autem videtur requirere, ut de Matrimonio perfecto constet per Parochum & testes: Quod *Conf.* 1. nam si recederent à conditione & non attenta contr adictione parentum, quorum consensum posuerant pro conditione, nunc absolutè de præsenti contraherent, hoc Matrimonium non valeret, nisi de hoc rescirent Parochus & testes, ergo etiam, dum impleta conditione Matrimonium absolutè contrahitur, *Conf.* 2. nam si conditio occultè adimpleretur, posset alteruter sponsorum negare Matrimonium suum unquam fuisse perfectum, ergo ex mente *Trid.* debent Parochus & testes rescire Matrimonium esse posita conditione perfectum. Si tamen contrahentes coram Parocho & testibus non expressissent conditionem, sed ex mutua conventione eam clam in animo retinuissent, rectè dicunt Gonz. & Krim. *n.* 482. non requiri posteà iterum adesse Parochum & testes, aut de conditione impleta rescire, quia testari possent Matrimonium pro foro externo esse absolutè & sine conditione contractum.

763 §. 58. Si Titius & Berta priùs contraxerint coram Parocho & uno tantùm teste, posteà autem renovent consensum coram utroque teste sed absente Parocho; vel coram Parocho & altero tantùm teste; item, si Titius cum Parocho compareat coram duobus, & Berta cum eodem Parocho coram duobus aliis testibus, & si, quando diversæ Parochiæ sunt, Titius solus cum testibus compareat coram Parocho suo, & sola Berta cum eisdem testibus coram suo, in omnibus his casibus contrahunt invalidè, quia omnes tres testes, nempe Parochus, qui est testis qualificatus, & reliqui duo, debent posse testari de eodem actu, & eodem toto Matrimonio, uti habet communis & certa cum Aversa *q.* 6. *s.* 5. *&* 6. Kugler *num.* 342.

764 §. 59. In dubio, an Matrimonium sit initum coram Parocho & testibus, non debet præsumi esse initum, quia solemnitas actui extrinseca non præsumitur esse adhibita, nisi probetur. Unde si Pastor vel Superior alius de eo dubitet & inquirat, conjuges probare debent præsentiam interveniisse. Si tamen privatus vel conjugum unus agat contra alterum, qui sit in possessione Matrimonii, & prior dicat, vel abfuisse Parochum, vel eum, qui adfuit, non habuisse potestatem Parochi, hic prior probare debet Parochum & testes abfuisse & conjux conscientiæ suæ est relinquendus. Similiter actor agens contra legitimitatem prolis probare debet non adfuisse Parochum vel testes, Mascard. Sanch. Schil. *tr.* 6. *cap.* 7. §. 3.

765 §. 60. Certum est contrahentes sine Parocho vel sine testibus non ideò fieri inhabiles ad aliud Matrimonium legitimè contrahendum, nam *Trid.* expressè dicit reddi inhabiles *ad sic contrahendum*: hos tamen contrahentes, uti & Parochum, si assistat sine testibus, & testes, si assistant sine Parocho, Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de ref. Matrim.* præcipit puniri pœna arbitraria, & specialiter quoad illos, qui contrahunt clandestinè, si saltem eorum unus contraxisset bona fide, per *c. Ex tenore. Qui* ita sint legitimi, eorum proles censebantur legitimæ, nunc autem per *c. Cum inhibitio, de clandest. desponsa.* proles ejusmodi non habentur legitimæ. Et hæ pœnæ tenent etiam contra illos, qui præsumunt contrahere sine præviis denunciationibus, uti dictum est n. 498.

§. 61. Parochus vel alius Sacerdos assistens Parochianis alienis ipso facto incurrit suspensionem, uti constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de ref. matrim.* quod retuli n. 504. docentque Henriq. *l.* 13. *c.* 39. *n.* 3. Fill *tr.* 17. *c.* 6. *n.* 102. Castrop. *de cens. d.* 4. *p.* 10. §. 2. Bonac. *t.* 3. *de cens. d.* 3. *pu.* 5. *n.* 6. & habet declaratio ad Trid. suprà apud Gallem. *n.* 16. excommunicationem latam *in Clem.* 1. *de privilegiis*, contra Sacerdotem regularem ita assistentem, esse conversam in hanc suspensionem. Quòd si Parochus ipse non adstiterit, sed alteri commiserit, ut assisteret, in hunc solum assistentem, & non in Parochum directè cadet pœna *Trid.* quia quando pœna fertur in facientem, ordinariè non intelligitur mandans vel consulens, uti habet communis cum Castrop. *suprà d.* 1. *p.* 7. *num.* 12. 766

Q. 101. *Quid censendum sit de Matrimoniis, quæ in locis acatholicorum contrahuntur sine Parocho catholico, vel cum impedimento consanguinitatis aut affinitatis in tertio & quarto gradu?* R. § 1. Præter illa, quæ habet Busemb. *n.* 512. relatus in fine, notandum est, certum esse, quòd decretum *Trid.* circa Matrimonia clandestina non sit promulgatum etiam in Hybernia & Scotia, quia Henricus VIII. defecit à fide anno 1532. sessio autem *Tridentini*, in qua emanavit decretum, habita est anno 1563. Et ideò etiam promulgatum non esse in Svecia, Dania, Pomerania, Prussia, docent Neuss. & Vvex apud Kugler *n.* 289. qui dicit promulgatum esse in Hungaria & Silesia. De Polonia passim tenetur, quòd ibi nunquam fuerit publicatum, alii tamen admittunt de quibusdam tantùm locis. Idem multi tenent de Francia, sed probabilius est ibi promulgatum esse anno 1602. uti ostendunt Less. *in auth. v. Sponsalia cas.* 6. Verjuys *in pastor. miss. tr.* 13. *art.* 1. Pignat. *to.* 1. *consult.* 151. Similiter certum est hoc decretum esse promulgatum in Hollandia, Zelandia, Frisia, & aliis locis contæteratis, anno 1565. & 1566. tempore *Margaretæ Parmensis*, jussu *Philippi II* Hispaniarum Regis, cui adhuc suberant Provinciæ illæ. Nunc dubitatur an Matrimonia sive inter catholicum & acatholicam, sive inter acatholicos, aut etiam inter catholicos in talibus locis, ubi promulgatum fuit decretum *Tridentini*, & adsunt Parochi catholici, si contrahantur sine præsentia hujus, vel in tali gradu prohibito, sint valida. 767

§. 2. *Stalenus* doctè tractans hanc quæstionem in *diss. Theologico-Politica p.* 2. *c.* 4. docet probabilissimum & in praxi securum esse, quòd in talibus locis nunc Principi vel Magistratui acatholico subjectis, in quibus pax & exercitium utriusque Religionis viget, talia Matrimonia censeri debeant valida, quæ incuntur sine Parocho catholico. Et idem alii inferunt de illis, quæ incuntur cum impedimento solus Juris Ecclesiastici, quamvis Illsung *tr.* 6. *d.* 9. *n.* 114. putet rationes non ita urgere de impedimentis, quàm de assistentia Parochi, eò quòd præsentia Parochi requiratur in omni Matrimonio, non autem semper interveniat aliud ejusmodi impedimentum, hinc ne omnia Matrimonia acatholicorum in illis locis sint irrita cum gravissimis incommodis etiam in Ecclesiam redundaturis; putat ipse Ecclesiam potuisse in absentia Parochi dissimulare, non item in aliis. *Rationes* universales illius *sententiæ* sunt. 1. Quia secundum dicta à n. 517. consuetudo potest abrogare legem contrahunt coram Magistratu vel in ejusmodi *locis* acatholico etiam cum tali impedimento, Ministro 100. annos durans videtur abrogasse illa jam ultra 768

decreta *Tridentini*, nam Papa, qui non potest non esse conscius non contradixit ab anno 1605. uti habet Verj. vel ab anno 1605. uti habet Gob. *tr. 9. n.* 464. quando ultimò missa est illa declaratio *S. Congregationis*, de qua habet *Busemb.* & in qua se præcipuè fundat contraria sententia Itaque cum Ecclesia ab eo tempore non contradicat, censetur ob causas gravissimas tacite dispensare. Accedit, quòd *Joannes Episcopus Castorienſis* Vicarius per Hollandiam, anno 1671. proposuerit *S. Congregationi* rationes suas, ob quas putabat Matrimonia talia habenda esse pro validis, responsum autem est ei, *non convenire, ut quæstio illa à S. Offi io definiatur, verùm statueret ipse, quod animarum sibi creditarum saluti crederet maximè expedire*, uti refert Author Thesis Theolog. *De sponsa duorum.* Ab eo autem tempore magis ursit *Castorienſis*, ut talia Matrimonia haberentur pro validis. Et idcò doctus Canonista ait, Papam non approbare quidem, attamen etiam non irritare ejusmodi Matrimonia, consensus autem non irritativus, secundùm illum, est sufficiens ad valorem. Refert præterea Author Thesis resolutionem datam à pœnitentiario Romanis, quòd ejusmodi Matrimonia essent valida. Idem judicavit *Congregatio* utriusque Vicariatus Ultrajectini & Harlemensis, cui interfuerunt omnes Superiores Missionum. Accusatus autem postea Romæ *Castorienſis*, quòd praxin illam induceret, jussus est se purgare à *Card. Columna* Præside *Congregationis* Cardinalium, scripsitque suas rationes, nec Roma opposuit quidquam, quod mihi argumento est, inquit *Castorienſis*, Apostolicam Sedem assentiri sententiæ & praxi hæc in loca per me introductis. *Ratio* 2. *est*, quia si observatio decreti illius dicatur esse in talibus locis necessaria, sequentur gravissima incommoda, & maximè perturbationes in Republica Christiana, nam oportebit dicere, quòd nati e talibus conjugibus sint illegitimi, quod tamen est contra sensum communem & praxin Ecclesiæ, conversi enim ad fidem sine dispensatione promoventur ad Ordines. Deinde si tales conjuges convertantur, licitè divellentur ab invicem rejectis prolibus velut illegitimis, quod iterum est contra praxin, nam si tales convertantur, nemo dicit non esse conjuges, ergo observatio illius decreti in illis partibus afferret perturbationem summam, & incommoda etiam salutis maxima, atqui secundùm S. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 6 quamvis aliquid observari communi saluti sit utile, si tamen emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda, ergo lex illa non necessariò observanda est in illis partibus. *Ratio* 3. *est*, quia contrahendo coram Ministro acatholico & testibus obtinetur finis, quem intendit *Trid.* quia Matrimonium sit publicum, impleto autem fine legis, videtur legi esse satisfactum. *Ratio* 4. *est*, quia multi in talibus locis contrahentes, invincibiliter ignorant hoc decretum, & bona fide contrahunt, putantes nullos alios esse suos veros Parochos, præterquàm prædicantes, ergo illisaltem excusabuntur & contrahent validè, si non inratione Sacramenti, saltem in ratione contractus civilis. Rationes illæ saltem 1. & 2. reddunt sententiampillam speculative probabilem, quam etiam intrinsecè probabilem, faciont Authores eam tenentes, inter quos Stalenus *p.* 1 *q.* 4. & *p.* 2. *c.* 4. refert Lay. Dicast. Tann. Mocquet Bronn. & alii accedunt apud Gob. *n.* 53. 54. & 460. Idem docet Rayn. *in Heter. to.* 16. *f.* 1. *pu.* 14. *an.* 7. dicens, non esse dubitandum Spor. *in tyrocinio Sacr. de matr. n.* 35. faventque Bonagratia, & P. Marchant. *in tribunali, tr.* 1. *tit.* 6. *q.* 4. & *tit.* 7. *q.* 10. Dian. *p.* 11. *tr.* 8. *R.* 98. & Bauni *hi q.* 10. vocant probabilem, item absolute tenent *Castorienſis* & Author Thesis suprà: item Kugl. *an.* 894.

769

§. 3. Probabilius est, non esse licitum contrahere, suadere, aut cooperari Matrimonio contrahendo secundùm relatam *Stateni* & aliorum sententiam, quia secundùm damnationem 1. propositionis ab Innoc. XI. fictam, illicitum est in administratione Sacramenti sequi sententiam probabilem relicta tutiore, quando agitur de valore, nisi aliunde accedat certitudo, uti dictum est *l.* 6 *par.* 1. *à n.* 104. & 111. at qui sententia *Stateni* est tantùm probabilis & opposita est tutior, agiturque de Sacramenti valore, pro quo non accedit aliunde certitudo, cùm sententia illa non sit communiter recepta, nec conformis stylo Curiæ Romanæ, quæ si interrogetur, resolvit talia matrimonia esse invalide contracta, ergo quando Matrimonium adhuc est contrahendum, illicitum est sequi sententiam illam relicta tutiore.

770 §. 4. Si Matrimonium jam sit ita contractum, poterunt conjuges etiam conversi permanere in usu illius, quamvis consensum non renovent coram Parocho acatholico, quia probabile est fuisse validum, & sequendo hanc opinionem probabilem, nullum Sacramentum exponitur periculo nullitatis vel irreverentiæ: tutius tamen erit eos adducere, ut obtenta dispensatione in impedimentis, si quæ adsint, contrahant de novo coram Parocho catholico & testibus, ne se exponant periculo materialis fornicationis.

771 §. 5. In locis Principi catholico subjectis, uti sunt Bohemia, Francia, Julia, Montensis Patria, quamvis fortè aliqui aliter agant, tamen nec *Stalenus* nec *Castorienſis*, nec alii, quos viderim, audent defendere valida esse ejusmodi Matrimonia sine catholico Parocho inita, quia ipsi net Principes & Magistratus catholici videntur reclamare, ergo hìc non præscribet consuetudo. Unde audiendi non sunt. 4. Pastores Parisienses apud Authorem Thesis, qui resolverunt talia matrimonia valere in Francia, quamvis sub Rege catholico, quæ ineunt hæretici, vel catholicus cum acatholica, nam quamvis Ecclesia fortè dissimulet, & tacite consentiat pro illis locis, in quibus Principes sunt acatholici, eò quòd illos non ita cogere possit, tamen id non tenet pro locis Principi catholico subjectis; hi enim contradicere tenentur, & Ecclesia vult, ut contradicant, hinc si v. g. Venetiis contrahat Matrimonium catholicus cum schismatica Græca coram Sacerdote schismatico, decisum est Venetiis, non valere tale Matrimonium, Averſ. *q.* 18. *ſect.* 2.

772 § 6. Loquendo directè, videtur esse probabilius, quòd Matrimonia in locis etiam Principi acatholico subjectis, ubi *Trid.* decretum promulgatum est, contracta sine Parocho catholico, sint invalida, ita Gallem. ad Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. matrim. c.* 1. *nu.* 10. Suar. Præpos. apud Rayn. *n.* 7. Less. *in auth. v. Hæreticorum conversatio, casu* 5. dicens esse certum, Verjuys *suprà*, Pignat. *tom.* 6. *consult.* 79. *n.* 26. *tom.* 8. *consult.* 104. Tamb. Boss. Zoes. apud Kugler. 894. Gob. *tr.* 9. *à n.* 41. iterumque *a n.* 461. Krim. *n.* 1897. *Probatur* 1. nam acatholici tales, per se loquendo, obligantur legibus illis Tridentini, & leges illæ ibi obligarunt aliquando, ac obligarent adhuc, saltem si loca illa redirent ad Principes catholicos, ergo dicendum est etiam nunc pergere obligare. *Probatur* 2. Quamvis in iis locis sit consuetudo leges illas non observandi, tamen secundùm dicta *n.* 520. consuetudo non habet ex se, quòd vincat legem, sed ex consensu Superioris saltem tacitè revocantis aut suspendentis legem: Ecclesia autem illi consuetudini aliquando contradixit, uti constat ex dictis, neque prudenter præsumi potest, quòd Papa nunc velit ita indulgere & permittere despici leges illas ab illis rebellibus, qui Papam vocant Antichristum, & ei negant potestatem ad talia impedimenta inducenda vel tollenda. Quod autem sæpius non contradixerint

dixerint Pontifices, inde est, quia sciebant nil profuturum apud contumaces, & satis erat semel sæpiúsque protestatum esse, nam rectè notat cum communi Suar. *de leg. l. 7. c. 13. n. 12.* ex hoc solo, quòd Superior etiam sciens aliqua permittat, inde non posse universaliter colligi ejus consensum, quia multa per patientiam tolerantur, quæ non approbantur, uti dicitur *c. Jam dudum, de Præbendis*: huc faciunt verba, quæ Trid. *sess. 24. de ref. matr. c. 5.* profert ex Jure, *non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria monita temerè contempsit.* Quòd si illi ipsi hæretici scirent Papam sic benignè secum agere, irriderent eum, uti solent, ergo censeri debet, quòd Papa pergat manere invitus. *Probat.* 3. quia in facultatibus extraordinariis, quas singulis quinquenniis sacra sedes concedit Nuntiis Apostolicis, & Episcopis Germaniæ, hæc est una, *Dispensandi in tertio & quarto simplici & mixto, tantùm cum Pauperibus in contrahendis, in contractis verò cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici & mixto, dummodò nullo modo attingat primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.* Ex qua facultate colligitur Papam etiam nunc non agnoscere illa Matrimonia hæreticorum cum impedimento consanguinitatis aut affinitatis contracta esse valida. Et ex his patet ad rationes oppositas, nam 1. manet soluta ex dictis. *Ad 2.* incommoda illa oriuntur ex malitia acatholicorum, qui Ecclesiæ leges negligunt, hoc autem per accidens est legi, nam etiam similia mala oriuntur ex eo, quòd Ecclesia in quibusdam locis declaret hæreticos esse excommunicatos, nec tamen ideò tales leges tolluntur. Quod autem additur, filios eorum censet illegitimos, verum est saltem pro foro externo & civiliter, secundùm dicta *l. 4. n. 754.* hinc etiam quandoque dissimulatur ab Episcopo, quandoque autem non, ideò pro securitate à plerisque petitur dispensatio. Negari autem debet, quòd tales conjuges conversi possint ab invicem divelli, tum quia probabile est ejusmodi Matrimonia valere, & esse vera Sacramenta, ergo in dubio standum est pro valore: tum etiam, quia probabile est esse valida & indissolubilia saltem in ratione contractus civilis, quamvis fortè non sint Sacramenta, uti pluribus urgent Stalenus *suprà c. 7. &* 8. & Gob. *n. 228.* ergo iterum standum erit pro indissolubilitate eorum, maximè secundùm eam sententiam, quam ex Cardena *in 2. crisi. diff. 2. à n. 529.* tenui *n. 417.* nempe quòd quando probabile est Matrimonium esse & non esse validum, censeri debeat certò validum, eò quòd contrahentes velint omnimodam indissolubilitatem, adeóque cedant omni jure, quod ex probabilitate nullitatis habere possent ad dissolvendum. *Ad 3.* dico mentem Ecclesiæ esse non tantùm, ut publicè sibi constet de Matrimonio legitimè contracto, alioquin etiam in partibus catholicis officeret contrahere coram Magistratu, sed ut sibi de hoc constet per suum qualificatum Ministrum; Parochus enim non adhibetur merè tanquam testis, sed cùm matrimonium sit Sacramentum, Ecclesia voluit, ut ipsi assisteret talis Minister istius solemnitatis, quem vult esse proprium Parochum. *Ad 4.* admitto, quòd invincibilis ignorantia possit excusare à peccato, sed illa non potest eos facere habiles ad contrahendum, quos Ecclesia reddidit inhabiles; uti patet in consanguineis, qui si contrahant etiam ignorantes impedimentum, invalidè contrahunt: neque verum est, quòd hæc inhabilitas sit pœna, adeóque incurri non possit ab ignorante, uti dixi *n. 525.* Porrò parochi talium acatholicorum sunt illi pastores catholici, intra quorum parochiam habitant, vel à quibus catholici in istis locis accipiunt Sacramenta. Quod autem additur in istis locis contrahi validè in ratione contractus civilis; imprimis hoc negabunt omnes relati *n. 276.* qui dicunt rationem validi contractus Matrimonii inter fideles non esse separabilem à ratione Sacramenti. Deinde idem meliùs negatur ab omnibus, quia ubi deest proprius parochus, contrahere volentes inhabilitantur ad quemcumque contractum Matrimonialem, uti inhabilitati sunt illi, qui sunt consanguinei.

§. 7. Huc pertinet solutio sequentis casus: Titius Lutheranus in loco acatholico, ubi *Trid.* receptum est, contrahit Matrimonium cum Caja Lutherana coram prædicante: abit à Caja, & ratus Matrimonium esse solubile, ducere vult Semproniam catholicam. *Quæritur* 1. an id permitti possit ab Ordinario catholico, præsertim si spes sit convertendi Titium, & nulla spes reconciliandi eum cum Caja? 2. Quid si Consistorium Lutheranum dissolvisset prius Matrimonium, facta utrique parti licentia novi Matrimonii? 3. Quid si Caja jam duxisset alium? 4. Quid si etiam Titius jam duxisset Semproniam rei ignaram, servata forma *Trid.* eamque cognovisset, & conviveret, an Ordinarius catholicus cogeret ab invicem dissolvi? Rationes, cur non videatur permittere posse, ut Titius contrahat cum Sempronia, sunt sequentes. 1. Ingentia sequentur scandala. 2. profitebitur palam Matrimonia hæreticorum esse irrita, vel saltem solubilia, per quod offendet. 3. Quilibet Lutheranus cum sua malè contentus volet aliam ducere. 4. Scandalizabuntur catholici relcientes adhuc vivere Cajam uxorem primam in Matrimonio passim habito tanquam vero. Rationes in oppositum sunt. 1. Quia sententia communior, quæ videtur etiam verior, stat pro nullitate primi Matrimonii, adeóque secundum Matrimonium censeri debebit validum. 2. Roma decideret pro hoc secundo Matrimonio, ergo & debet Ordinarius. R. *Ad 1.* Id permitti non posse, quia probabile est primum Matrimonium esse validum, ergo nunc standum est pro ejus valore, secundùm dicta n. 417. *Ad 2.* Dissolutio facta à Consistorio nulla est. *Ad 3.* Nec obstat, quòd Caja alteri nupserit, quia primum Matrimonium est in certa possessione. *Ad 4.* Nec etiam obstat, quòd Sempronius duxerit aliam, quia hoc non tollit valorem primi possidentis. *Ad 1.* Rationem in oppositum patet ex dictis. *Ad 2.* Si Sedes Apostolica consuleretur præsumendum est quòd taceret, uti tacuit, secundùm dicta n. 768. Ita senserunt mecum tres Doctores anno 1702. 773

§. 8. Etiam huc pertinet solutio sequentis casus, Cajus princeps Imperii, olim acatholicus, nunc catholicus, cùm acatholicus esset, probabat Matrimonia ab hæreticis subditis suis inita cum impedimentis à Jure Ecclesiastico inductis, & pro facultate ad illa Matrimonia ineunda, quando occurrebat impedimentum aliquod, per Secretarios suos petebat certam summam pecuniæ. *Quæritur*, an ipse nunc catholicus & ejus successores catholici possint similiter facere? Ratio affirmandi est, quia probabile est ex hactenus dictis consuetudinem in eis locis præscripsisse contra talia impedimenta: Et cùm Capitanei bellici acceptent pecuniam, quando militres petunt venient ineundi Matrimonium, videtur etiam hoc licere Principi. Resp. principem catholicum non posse approbare talia Matrimonia, neque hæc censeri posse valida, uti satis colligitur ex dictis num. 771. Nec exemplum prioris temporis adduci potest pro regula moderni, quia principes antehac cum quibus fortè dissimulabat erant acatholici, cum catholicis, apud quos ejusmodi consuetudo nunquam permittitur. Quod autem attinet ad exactionem certæ summæ pecuniariæ, etiam dicendum est esse principi catholico illicitum: 774

Nec obſtat, quòd olim, dum acatholicus erat, id fecerit, nam erat materialis tantùm hæreticus, & procedebat bona fide, putans Matrimonia eſſe contractus tantùm civiles, circa quos haberet poteſtatem diſponendi, hoc autem jam catholicus putare non poteſt, cùm ſciat eſſe Sacramentum, & non cadère ſub diſpoſitionem poteſtatis ſæcularis, ergo ſi acceptet pecuniam, maximè tanquam diſpenſans in impedimento, certum eſt eum involare in juriſdictionem Eccleſiæ, & acceptare pecuniam pro eo, quod præſtare non poteſt. Nec valet exemplum de Capitaneis, nam hi non admittunt ob impedimenta, ſed promiſcuè ab omnibus contracturis, hoc fortè titulo, quòd milites venientes ſub ſigna, tacitè, ſecundum conſuetudinem, velint obligari ad non contrahendum ſine venia, eo quòd hoc ſit incommodum militiæ, ſi milites ſe alligent uxori, eamque ſecum in campum trahant; hinc in compenſationem iſtius oneris, & pro facultate illa poteſt acceptari pecunia; nullus ſimilis titulus occurrit in noſtro caſu, maximè ſi à ſolis impeditis petatur pecunia. Quòd ſi tamen Princeps catholicus declararet prohibita eſſe ejuſmodi Matrimonia, & ad tollendam pravam conſuetudinem contrariam, quam Eccleſia tollere non poſſet, ipſe taliter contracturis mulctam imponeret, poſſet hanc exigere, conſentit enim Eccleſia, ut, ubi ipſa per ſe non poteſt, etiam à poteſtate ſæculari urgeatur obſervatio legum canonicarum, & tranſgreſſores puniantur ac deterreantur etiam additis mulctis pecuniariis: ſed ut habeatur ratio mulctæ, non debent ejuſmodi Matrimonia approbari, ſed è contrà prohiberi.

775 §. 9 Docet Leſſ. *in Auct. v. Hæreticorum converſatio, caſ.* 24. eos catholicos peccare, qui coram miniſtro acatholico Matrimonium attentant contrahere, quia videtur eſſe proteſtatio, ac ſi hic haberet authoritatem Eccleſiaſticam, quam certum eſt non habere, Et quamvis aliquis jam ante contraxiſſet coram Parocho catholico, adhuc dicit *Leſſ.* peccare, ſi compareat coram miniſtro acatholico adhibente cæremoniam aliquam religioſam, v.g benedictionem nuptiarum. E contra Verjuys *tr.* 13. *ar.* 7. dicit eſſe praxin communem in quibuſdam partibus Hollandiæ, ut coram tali miniſtro compareant, nec in eo eſſe profeſſionem ritus hæretici, eo quòd verba miniſtri apprecantis habeantur pro civili aut politica tantùm gratulatione, id óque eo magis, inquit Arſdec K. *to.* 2. *p.* 2. *tr.* 4. *de Matr. c.* 8 §. 2. quia hæretici dicunt Matrimonium non eſſe Sacramentum. Quòd ſi miniſter talis adhiberetur tantùm ab politicam cauſam, nempe ut tale Matrimonium apud omnes reputetur legitimum, ut legitimæ perſonæ conjungantur, ut impediantur nuptiæ illegitimæ, ut proles cenſeantur honeſtæ, ut hortetur ad Matrimonii fidem, fatetur *Leſſ.* tum non videri per ſe malum, licèt coram illo verba Matrimonii pronunciandæ eſſent, & concio ab illo habenda, vel aliquæ preces recitandæ, dummodo nulla interna vel externa reverentia & veneratio habeatur illius concioni vel orationi, qualem acatholici præſtare ſolent, ſic enim, inquit, prædicans tum adhibetur ut perſona politica tantùm, & idem eſt, ac ſi inter ethnicos quis conjungi deberet coram ſacrificulo: non eſt tamen facilè permittendum etiam apud Miniſtrum acatholicum, niſi abſit omnino ſcandalum & impendeat grave damnum: Et ſi formula ab eis adhiberi ſolita eum Miniſtrum Eccleſiæ dicat, aſſeratque ab eo dari firmitatem Matrimonio &c. non erit licitum. Leſ. *caſ.* 25.

776 §. 10. Licitum eſt catholicis, ante vel poſt Matrimonium coram parocho catholico & teſtibus contractum, comparere coram Magiſtratu acatholico, id enim fit ob finem merè politicum, ut habeantur civiliter honeſti conjuges, proles cenſeantur legitimæ, gaudeant juribus legitimorum &c.

777 §. 11. Huc reducitur ſequens caſus: Titius Lutheranus contraxit cum Sempronia Matrimonium, ſuper cujus validitate poſteà controverſia mota eſt à Lutheranis, & ſecundùm eorum principia Matrimonium à Conſiſtorio annullatum eſt, & Titio conceſſa facultas aliam ducendi, qui Mæviam Lutheranam duxit, vivente adhuc Sempronia. Et ex hoc ſecundo Matrimonio natus eſt Cajus nunc catholicus: *Quæritur*, an huic Cajo apud ordinem Equeſtrem obſtet impedimentum, quòd ex Matrimonio pro invalido à catholicis habito natus ſit; ut ideò ad Comitia admitti nequeat? R. Cajus non ideò eſt excludendus à Comitiis. *Ratio eſt*, Quia Cajus in foro civili, heterodoxorum confeſſione, cenſetur legitimè natus ex Matrimonio legitimo; ergo cùm ad Comitia promiſcuè admittantur tam catholici quàm acatholici, dummodò ſint equeſtris ordinis, & legitimè nati, etiam acatholici, qui ſecundùm illos legitimè nati reputantur, admitti debebunt. 2. Natis ex hujuſmodi Matrimonio non negatur jus ad ſucceſſionem paternorum jurium, & bonorum, accipiunt enim legitimam, & ſuccedunt ab inteſtato in hæreditatem paternam, ut ex praxi notorium eſt, ergo etiam jus comparendi in Comitiis more cæterorum negari non debet, utpote quod ex hæreditario titulo provenit, quem individuum eſſe clari, certique Juris eſt, Ottoman. *in epil. ſi pars hæreditatis petatur Argum. leg.* 1. *ff. De tutel.* præſertim cùm hæreditas nihil aliud ſit, quàm ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit *leg. Nihil, ff. de verbor. ſignific. at. leg. Hæreditas, de Reg. Juris.* 3. Si Cajus manſiſſet acatholicus, indubitatè admiſſus eſſet ad Comitia, ſic enim paſſim admittuntur, qui ſunt ex Matrimonio conjugum in tertio, aut quarto gradu conjunctorum, quod ipſi non agnoſcunt pro impedimento, ergo etiam jam admitti debet, quia converſio ad veram fidem non debet ipſi eſſe in præjudicium, 4. In Inſtrumento pacis Monaſterienſis expreſſis, & diſertis verbis cautum eſt, ne cui fraudi ſit, ac damno una ex tribus Religionibus, catholica, lutherana, calviniſtica, eſſet autem fraudi, & damno, ſi qui ſecundùm unam Religionem legitimi reputantur, ab alia propter illegitimitatem à Comitiis excluderentur. Confirmatur, nam ſi res ad dicaſterium Cæſaris deferatur, haud dubiè Cajus cauſam obtinebit. 5. In *cap. Ex tenore, qui filii ſunt legitimi*, expreſsè habetur, ſi conjugatus vivente prima uxore contrahat cum ſecunda hoc ignorante, quòd proles ex tali conjugio legitima reputetur: ex quo textu deſumunt Authores, quod bona fides unius ex conjugibus faciat prolem legitimam: & à fortiori bona fides amborum, uti notat Fernandes *in lib.* 6. *Tauri num.* 8. & pro hac opinione ſtat Oldrad. *conſil.* 265. *n.* 5. & 66. *Cod. cum inhibitio, de clandeſt. deſp. n.* 9. & iſtam eſſe communem opinionem Theologorum, & Canoniſtarum tenet Joannes Capus *in ſuo tr. de Matr. p.* 2. *n.* 14. & 18. qui dicit, quòd iſta fuerit opinio Innoc. Idem docet Roland. *conſil* 95. *n.* 15. *l.* 3 & alii plures apud Cevallos *hic q.* 647. qui id verum eſſe aſſerit, ſaltem ſi denunciationes conſuetæ præmiſſæ ſint, aut in iis diſpenſatum, uti pluribus probat. Supponitur autem in noſtro caſu bona fides ſaltem alterutrius contrahentium, uti patet, tum ex reſolutione petita à Conſiſtorio Lutherano, tum quia tales perſonæ non cenſentur velle ſpurios, & illegitimos procreare. Neque dubitari poteſt de procla nationibus vel præmiſſis, vel diſpenſatione in illis, alias enim nemo admitteretur ad Matrimonio, ergo. 6. In protocollo Comitiorum publicorum Monaſterii autehac habitorum inveniuntur ſæpè ad nobilitatem recepti, qui ex Matrimoniis acatholicorum quoad ſe invalidis orti erant. Et reperitur ibidem expreſſum decretum, ut non ideò

ideò acatholicis impoſterùm obmoveatur difficultas, eò quòd in Tractatu pacis Oſnabrugenſis deciſum ſit ejuſmodi Matrimonia ſecundùm leges, & conſuetudinem Eccleſiæ Evangelicæ, ut vocant, aut reformatæ inita cenſeri debere valida.

Petitum eſt judicium Univerſitatum Colonienſis & Trevirenſis ſuper hoc caſu & reſolutione, fueruntque hæ ſubſcriptiones:

Sacra Facultas Theologica in Univerſitate Colonienſi cenſet quæſtionem eſſe bene reſolutam, quantùm attinet ad effectus ſaltem civiles inter quos eſt admiſſio ad Comitia. Coloniæ 2. Febr. 1714.

Nos Decanus, Senior cæterique Doctores, Profeſſores ordinarii Facultatum utriuſque Juris generalis ſtudii in hac libera Imperii Urbe Colonienſi, lectis diligenter ac maturè ponderatis rationibus præſentis Reſolutionis ſeu Reſolutionum, ad eandem ſeu eaſdem noſtro quoque conſilio accedimus & reſolvimus talem filium à Comitiis non eſſe excludendum. Coloniæ 12. Febr. 1714.

Similem in modum ſubſcripſerunt Facultates Theologica & Juridica in Univerſitate Trevirenſi.

778 *Q.* 102. *An ergo nunquam valeant Matrimonnia in locis, ubi Trid. fuit ipromulgatum, contracta ſine Parocho* R. §. 1. Leſſ. *in auct. v. Matrimonium, caſ.* 17. dicit nunquam valere; Rationem dat, quia ſine Parocho perſonæ ſunt inhabiles: & quamvis lex poſitiva præcipiens vel prohibens non obliget, ubi ſervari non poteſt, tamen obligat, ſi ſit irritans vel inhabilitans; ſicuti manes inhabilis ad contrahendum cum conſanguinea, quamvis ſis inter infideles, ubi deeſt diſpenſans, & omnis alia mulier, quam ducas. Sed dicendum eſt valere Matrimonia, ubi non ſunt Parochi, quamvis decretum fuerit aliquando ibi promulgatum, dummodò adhibeantur ſaltem duo teſtes, & ita docent Bellarm. *in Epiſtol. ad Nuncium* 31. *Decemb.* 1600. *data*, Dian. Tamb. Chapeaville, Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Stalenus, ArideKin *de Matrim. c.* 8 §. 4. Krim. *n.* 646. & pro hoc ſunt plures declarationes Cardinalium, uti referunt Zypæus *de Sponſ. & Matr. lib.* 4. *n.* 6. & Gallem. ad Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. Matr. c.* 1. *n.* 10. Addunt iidem AA. cum Gob. *n.* 475. & Verjuys *ar.* 2. quamvis alicubi ſit Parochus, ſi tamen metu hæreticorum lateat, aut difficilis ſit ad eum & Epiſcopum acceſſus, etiam valere Matrimonia coram Magiſtratu civili vel 2. teſtibus inita, & ita etiam reſolverunt Theologi Romani cum patre Buſæo *l.* 4. *archivii Provinciæ Societatis JESU ad Rhenum inferiorem pag.* 16 Atque ita etiam ſæpiùs reſponſum eſt à *Congreg. Cardin.* apud Arſd. & Gob. ſuprà, unde.

779 §. 2. Chriſtiani apud Turcas vel alios infideles captivi aut mercatores validè contrahunt ſine parocho & teſtibus, quamvis *Trid.* in patria ſua ſit promulgatum, & ipſi non habeant animum ibi perpetuò manendi, ſed ad patriam redeundi, Loth. *in R. ſ. Theol. tr.* 3. *art.* 9. Gob. *n.* 483. Sylvius, Kugler. *n.* 191. Krim. *n.* 646. quia reipſa ibi non ſunt, vel reſpectu illorum omninò latent Parochi catholici.

780 *Obji.* Dictum eſt n. 526. ſi non adhibeatur forma ſubſtantialis præſcripta, quamvis ex cauſa & inculpabiliter omittatur, non valere contractum. Reſp. Hoc intelligitur, quando forma illa potuit obſervari, aliàs non, uti reſcimus ex pluribus declarationihus Eccleſiæ, Krim. *n.* 647.

781 §. 3. Quamvis alicubi adſit parochus, ſi tamen vel ipſe, vel contrahentes non audeant comparere metu mortis, exilii aut enormis mulctæ, valent Matrimonia inita ſine parocho coram teſtibus, tum enim cenſetur moraliter abeſſe parochus. Hinc univerſaliter, quando non eſt tutus ad parochum acceſſus valere talia Matrimonia, docent Verj. *art.* 2. & alii, refertque Zypæus *in Jure Pontif. l.* 4. *n.* 16. ita reſponſum eſſe à *S. Congr.* ad Archi. Epiſcopum Philippenſem anno. 1603.

782 §. 4. Qui in parochia planè acatholica habitant, ſi ſoleant à vicino parocho catholico accipere reliqua Sacramenta, v. g. Baptiſmum pro ſuis prolibus, Communionem in paſchate, Viaticum, extremam Unctionem, etiam tenebuntur pro Matrimonio comparere coram illo, quia cenſetur eſſe proprius eorum parochus, cui facto ipſo ſic ſe ſubjecerunt.

783 §. 5. Si converratur uxor acatholici, & maritus ejus recuſet renovare conſenſum coram parocho catholico, minans, ſe aliàs velle hunc vel ipſam tradere Prætori, item ſi alteruter conjux recuſet conſenſum renovare coram parocho catholico & interim per Judicem cogantur ſub pœna carceris convivere: item ſi aliquis poſt ſponſalia aut poſt defloration em cogatur ducere aliquam, nec tamen ipſa velit comparere coram parocho catholico, adſitque, v. g. periculum, ne capiatur parochus catholicus, ſi compareat, in his caſibus non eſt opus, ut aſſiſtat parochus catholicus, quia non eſt tutus ad eum acceſſus, Verj. ſuprà.

784 *Q.* 103. *Quid addendum ſit circa impedimentum impotentiæ?* R. De hoc plurima habet Sanch. *l.* 7. *à d.* 92. *ad* 114. & Zacch. *l.* 3. *tit.* 1. *toto*, ubi *q.* 1. agit generatim de cauſis impotentiæ tam coeundi, quàm generandi. *Q.* 2. De impotentia ex defectu ætatis. *Q.* 3. De impotentia ex defectu naturali. *Q.* 5. De frigidis, & maleficiatis. Multa etiam habet Sperell. *dec.* 141. ex quibus do aliqua.

785 §. 1. Pontius *l.* 7. *à c.* 56. & alii putarunt non obſtante impotentia abſoluta, poſſe de Jure naturæ validè contrahi Matrimonium, non in ordine ad copulam carnalem, ſed tantùm ad conjunctionem animorum: ſi autem impotentia illa ignorata ſit, volunt Jure Eccleſiaſtico tantùm dirimere, uti ſervitutem: & videntur favere *S. Th.* ac Canones aliqui apud Averſ. *q.* 13. *ſect.* 1. ideóque ſententiam illam ſatis probabilem eſſe dicit Diana *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 75. Sed oppoſitum videtur certum cum Kugl. *à nu.* 2022. 2047. & communiſſima, quia de eſſentia Matrimonii eſt traditio corporum aptorum ad copulam; item traditio juris ad copulam generationi de ſe aptam, ſecundùm dicta n. 228. conjuges enim ſecundùm Apoſtolum 1. *ad Corinth.* 7. *v.* 3. & 4. acquirunt dominium ad uſum corporis alieni, in ordine ad generationem, quod dominium non ſtat cum impotentia phyſica ad copulam, vel potentiam generandi. 2. Matrimonium, vel conſideratur ſecundùm officium naturæ, & ſic finis illius eſt generatio prolis, vel ſecundùm remedium concupiſcentiæ, & ſic finis illius ſecundarius eſt copula carnalis de ſe apta generationi prolis; neutrum autem finem habere poteſt tale Matrimonium, ergo. 3. Si validè contraheretur Matrimonium præcisè ad conjunctionem animorum, ergo pater, & filia ſic validè contrahent. Item potentes generare, valide ſic contrahent, & conſequenter poſteà fornicabuntur, ſi carnaliter cœant, quia non tradiderunt jus ad uſum corporum, eſt autem inauditum conjuges fornicari cœundo. Quæ aſſeruntur ex S. Th. & Canonibus rectè explicat Krim *a n.* 1315.

786 *Objic.* Corpus aptum copulæ, vel generationi non eſt materia neceſſaria Matrimonii, nam manet Matrimonium, quamvis ſuperveniat abſoluta impotentia copulæ, vel generationis, ergo. R. Non eſt materia neceſſaria Matrimonii in facto eſſe, c. in fieri, n. nam ſi Matrimonium ſit contractum ad copulam carnalem, manet, quamvis deſinat potentia ad copulam carnalem, & tamen ſi dum contrahitur ad copulam carnalem, ad hanc non eſſet potentia, ſecum copulam carnalem, eſſet invalidum: & ſimiliter abſentia affinidùm *Pont.* eſſet perſonas contrahentes requiritur ad fieri tatis inter Matrimonii, non tamen ad conſervari, ſi etiam

adulter

adulter cœat cum fratre, vel sororo conjugis, non ideò solvitur Matrimonium.

787 §. 2. Si impotentia antecedens sit, perpetua, & simpliciter evidens, Matrimonium solvitur absque experimento, quia ab initio est certò nullum: Si sit verisimiliter evidens, requiritur juramentum conjugum deponentium *de veritatete*, quòd non possint coire, & pro singulis, septem manus propinquorum, vel vicinorum deponentium de credulitate, quòd conjuges varum deponant, nec tum requiritur triennale experimentum. Si impotentia sit dubia, præter juramentum conjugum, & septimæ manus, requiritur triennale experimentum, *c. Laudabilem de frigid. & malefic.* Sanch. aliique cum Sperell. *à n.* 3. Si tamen unus conjugum neget impotentiam, hic non indiget istis septem juramentis ex parte sua, sed tantùm ex parte affirmantis necessaria sunt, Inn. Sanch. Krim. *n.* 1303. Tempus autem experientiæ Sanch. Gutt. Krim. *n.* 1302. & alii dicunt computari à die tentatæ copulæ: Hostiens. & alii plures cum Sperel. *a.* 59. à die Decreti per Judicem facti, nam requiri ad hoc decretum Judicis docet Pignat. *tom.* 1. *cons.* 56. habetque communior sententia, quòd quamvis Judex aliquando possit tempus coarctare, non tamen quando agitur de impotentia ex maleficio, quis *c. fin. de frigide & malefic.* statuitur veluti pro forma probatoria, hæc enim impotentia, cùm de se possit esse temporalis, priùs non censetur perpetua. Sed de his plura à n. 803.

788 §. 3. Quia inspectio fallax est, & indecens, uti docet S. Ambr. *Epist* 64. *ad Syagrium*, ac etiam fatetur Sperell. *dec.* 136. negans ideò inspiciendam esse Monialem accusatam, hinc dicunt aliqui eam non requiri, nisi conjuges urgeant dissolutionem Matrimonii ante experimentum triennale, vel alteruter, aut etiam uterque ante, aut etiam post experimentum triennale neget suam impotentiam: Attamen multi cum Sperel. *dec.* 141. *à n.* 11. contendunt absolutè utilem, & quandoque etiam esse ultra hos casus, necessariam, ut judex possit aliquid prudenter decernere, & huic vel illi concedere, aut negare secundas nuptias, ideóque Rota sæpè mandavit tales inspectiones fieri, easque permiserunt Pontifices, & multi Canones apud Sperell. *à n.* 46. *qui n.* 69. notat sufficere duas personas expertas, & non suspectas.

789 §. 4. Quamvis 28. AA. quos referunt Sanch. *l.* 7. *d.* 92. *à n.* 15. & Carden. *in* 1. *crisi d.* 11. *n.* 154. dicant eunuchos totales, id est, carentes utroque testiculo, valide contrahere Matrimonium, tamen post declarationem Sixti V. *in Constit.* 59. *Cùm frequenter*, certum est tale Matrimonium non esse validum, quia quamvis coire possint, & aliquem humorem fundere, attamen non verum semen generationi aptum: & malè supponunt aliqui apud Avers. *s.* 2. *Aristotel.* tenere oppositum. Quando autem in Scriptura eunuchi leguntur contraxisse Matrimonium, per eunuchum intelligitur Minister Regis alicujus, uti exponunt Interpretes cum Sanch. *n.* 17. Spadones, qui uno testiculo carent, sunt potentes, potest enim unus testis suppeditare sufficiens semen. Thlibii autem seu Thlasii, quibus testiculi sunt contriti, possunt esse potentes, si testiculi non sint omninò ita attriti, quin possint perficere semen, Boudevv. *in Ventilabro s.* 2. *q.* 13. Curatus ab hernia per sectionem, ita ut uterque etiam testiculus in inguine sit cum visceribus reconditus, & infutus, capax est Matrimonii, uti judicavit *Universitas Vallisoletana* cum Medicis & Canonistis, & cum aliis multis consentit Kugler *à n.* 2105. Hermaphroditos contrahere posse secundùm sexum prævalentem, habetur *L. Quaritur. ff. de statu hominum* si neuter sextus prævaleant, datur optio, si jurent se perpetuo manere velle in eo sexu: valet tamen, si conjuge mortuo, mutent. Plura de eunuchis, spadonibus, herma phroditis videri possunt apud Zacch. *q.* 9.

790 §. 5. Illa impotentia censetur perpetua, ideóque dirimit, si Matrimonium antecedat, & tolli non possit sine vitæ periculo, sine miraculo, sine peccato, quod enim est illicitum, est impossibile. Hinc si constet impotentiam ante Matrimonium, vel ex causa naturali, vel per maleficium causatam, adhibitis diligentiis tolli non posse, Matrimonium declarari debet ab initio fuisse irritum, secundùm *c. fin.* 33. *q.* 1. *& cap. fin. de frigid. & malef.* Idem est, si impotentia auferatur per miraculum, Sperel. *n.* 38. Item si auferatur ope dœmonis, vel per aliud maleficium, ideò que deberent tales conjuges primù contrahere: è contrà si auferatur per secretam artem peritissimi Medici, sit modo naturali, item si per exorcismos Ecclesiæ, sit modo ordinario; ideóque non censetur tolli per miraculum, vel maleficium, hinc declarandum est ab initio fuisse validum, ut habetur *c. Featernitatis, de frigidis:* Si auferatur licitè rogando maleficum, ut removeat signa maleficii, quibus causavit, Sanch. *l.* 7. *d.* 94. dicit Matrimonium ab initio valuisse, sed alii cum Avers. *s.* 2. contradicunt, quia quod pendet ex sola alterius voluntate, censetur impossibile respectu aliorum. Notant autem omnes communiter impotentiam tum censeri esse ex maleficio, si vir, qui incalescit ad alias mulieres, aut ad pollutionem in somno, frigescat ad suam sibi alioquin dilectam: similiter si mulier subitò arctetur ad accessum viri sibi alioquin dilecti.

791 §. 6. Senes decrepiti secundùm aliquos non possunt contrahere Matrimonium, eò quòd videantur in perpetuum pro futuro incapaces talis copulæ, quæ generationi sit apta, sed dicendum est cum S. Th. *in supplem q.* 58. *ar.* 1. *ad* 3. Castrop. *hic pu* 14. §. 2. Spor. *n.* 122. §. 2. Avers. *s.* 2. Krim. *n.* 1283. Kugler *à n.* 2022. & aliis esse capaces, si natura vel arte calere possint ad coitum, quia hoc ipso fieri possunt una caro, & ex eorundem copula generatio per se sequi potest. Quòd si natura ad talem coitum excitari non posset, putant Abb. Laym. Sanch. Castrop. Krim. *n.* 1284. contra multos alios, esse incapaces Matrimonii, unde meritò arguit *Nav.* quasdam mulieres, quæ cum ejusmodi senibus contrahentes divitias sibi potiùs desponsant, quàm personas. Quid de sterilibus sit dicendum, colligi potest ex dictis n. 316. & contrahere posse, rectè probat Kugler *à n.* 2036.

792 §. 7. Si quis ex morbo ita longueat, ut in eo statu nequeat habere copulam, etiamsi de sanitate recuperanda desperet, sitque morti proximus, est capax Matrimonii, quia talis impotentia non est ex genere, & modo suo perpetua, Avers. *s.* 2. Kugler *à n.* 2029. Si tamen vis morbi ita destruxerit potentiam generandi in ægro, ut nullo medio ordinario reparari posset, quamvis æger convalesceret, esse Matrimonii incapacem dicunt Con. Laym. & Spor. *n.* 122. §. 3. Et possunt plura de impotentia ex morbis videri apud Zacch. *l.* 3. *t.* 1. *q.* 4. Etiam capax est Matrimonii mulier, quæ non potest parere sine periculo vitæ vel suæ vel prolis, quia est capax copulæ de se ad generationem aptæ, Kugl. *à n.* 2041.

793 §. 8. Si vir vas fœmineum penetrare non possit, quamvis in illius introitu semen effundat, cujus pars aliquando per accidens attrahatur à matrice & intromittatur, censeri debet impotentia, quia talis seminatio non sufficit per se, ut tales conjuges modo naturali censeantur fieri una caro, Castrop. *d.* 4. *p.* 14. §. 2. *n.* 1. Krim. *n.* 1271.

796 §. 9. Si mulier sit impotens retinere semen intra matricem, putarunt aliqui non valere Matrimonium, sed oppositum renet communis cum Avers. *s.* 2. quia est apta consummare copulam de se aptam generationi, licèt per accidens semen effluat: atque ideò docet Sanch. *l.* 9. *d.* 17. *n.* 22. tali etiam licitum esse usum Matrimonii.

§. 01.

795 §. 10. Quamvis rationabiliter dubitans de impedimento dirimente, secundùm dicta n. 40. & 533. non possit inire Matrimonium, nisi soluto dubio. Et idem dicunt Sanch. *l.* 7. *d.* 103. *n.* 10. & Krim. in dubio impotentiæ, propter periculum alteri irrogandi injuriam, tamen si hic alter præmoneatur & consentiat, docent Palatios & Schil. *t.* 6. *n.* 94. excipi hoc dubium de impotentia, nam conjuges dubii de impotentia, si per triennium frustrà tentarint copulam, separantur, secundùm dicenda à n. 803. & permittuntur inire aliud Matrimonium, in quo sperant se posse consummare, ergo idem licebit pro ineundo primo Matrimonio. Hinc Dic *de Bapt. d.* 1. *n.* 208. docet, si spectata peritia Medicorũ & experientiis tantùm sit probabile aliquem è contrahentibus habere corpus aptum ad generationem, licitè contrahere, nam imprimis quisq; præsumitur naturaliter potens: neq; per hoc putat agi contra religionem, cùm Sacramentum vel actio sacra non ponatur, nisi ex suppositione validi contractus; ideóq; non Sacramentum, sed solus contractus videatur exponi periculo nullitatis, contrahentes autem tantùm se exponant periculo materialis fornicationis, cui etiam se licitè exponunt illi, qui contraxerunt Matrimonium, si posteà superveniat dubium de impotentia. Deinde etiam non apparet, cur tales contrahentes peccarent contra charitatem vel Justitiam vel nullam aliam virtutem. Ita ille, & sententiæ illi favent dicta n. 538. Estque præterea specialis ratio circa hoc impedimentum impotentiæ. 1. Quia, ne conjugia sint plenissima incertitudine, sufficere debuit ad contrahendum spes consummandi matrimonium, saltem post impotentiam temporalem, alioqui qui diu castissimè vixerunt, non auderent contrahere, quia meritò dubitare possent, an futuri essent potentes nec ne. 2. Et præcipuè, quia cùm pollutio & fornicatio sit illicita, hoc dubium aliter vinci non potest, quàm experiendo copulam in matrimonio; hinc lex naturalis videtur permittere tum iniri matrimonium, & post initum matrimonium lex positiva, ad experiendum, concedit triennium. Et qui hanc sententiam sequi vellet, deberet judicare reddi practicè sufficienter certam per adductas rationes.

796 §. 11. Peccant Medici, qui volentes experiri in homine soluto potentiam vel impotentiam, ad partes genitales affundunt aquas calidas, aliave medicamenta adhibent ad excitandos spiritus genitales, talis enim directa excitatio illicita est solutis: videtur tamen id posse permitti, si capiatur experientia in homine uxorato, quia cùm huic liceat copula, etiam licet excitatio eorum spirituum, dummodò absit periculum pollutionis, Gob. *n.* 448.

797 §. 12. Si quis laboret impotentia temporali, & alteri parti nihil dicat de hoc vitio, putant *Sot. & Henriq.* hanc deceptionem esse mortale, Sanch. *d.* 92. *n.* 5. dicit per se loquendo non esse mortale, imò nec veniale, si sit ad breve tempus, quia obligatio actus conjugalis habet se uti præcepta positiva, quæ non obligant semper pro semper, ergo satis est, quòd redditurus sit, quando poterit, non diu post.

798 §. 13. Quando impotentia potest emendari sine periculo mortis vel gravis morbi, tenetur uxor, quæ v. g. nimis arcta est, admittere incisionem, aliaq; remedia naturalia, quia hoc est necessarium ad copulam, ad quam fecit jus marito, Sot. Lop. Sanch. *l.* 7. *d.* 82. *n.* 32. *& a.* 93. *n.* 2. Boudevv *p.* 2. *q.* 19. Sperell. *n.* 41. Consentit Krim. *n.* 1290 si hujus vitii conscia contraxit cum ignorante illud, quia censetur decepisse: si autem non fuit conscia hujus suæ arctitudinis, dicit non teneri, quia bona fide tradidit corpus, quale à natura habebat, nec videtur teneri ad subeundos quasi intolerabiles cruciatus, ideóq; si ipsa talem incisionem permittere non vellet, valeret nihilominùs matrimonium, uti rectè cum communi Zacch. & Bonac. contra Pont. & Dian. 3. *p. tr.* 4. *R.* 201. Et hactenùs dicta valent, quando ex parte mulieris nimis arcte est defectus. E contrà si ipsa disposita est, prout naturaliter esse debet mulier, sed ex parte viri sit defectus, quia hic habet membrum virile nimis crassum, rectè dicunt Hurt. Diac. Krim. aliq; cum Kugler *à n.* 2057. non teneri pati incisionem multùm molestam.

799 §. 14. S. Th. *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1 *ar.* 2. *ad.* 5. ait: *Si vir non possit implere carnalem actum cum virgine, & tamen possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento possunt claustra pudoris frangi, & ei conjungi.* Imò docet *Boudevv.* posse maritum etiam propriis digitis dilatare claustrum talis virginis à se ductæ in matrimonium (quamvis contradicat Sanch. *d.* 93. *n.* 39.) hinc tale Matrimonium censeri non debet invalidum, quidquid contradicant aliqui apud Avers. *sect.* 3.

800 §. 15. Proposita est nobis hæc quæstio: an nimia latitudo vasis muliebris faciat talem impotentiam, ut ab initio invalidet Matrimonium: sed remisimus ad Medicos & Chirurgos: id solum dicere potuimus, si latitudo antecesserit, nec depelli possit, & sit constans causa, cur semen viri non possit recipi vel retineri à fœmina, facit impotentiam, adeoque ab initio invalidat Matrimonium, quia ab initio non fuit apta generationi, si autem de aliquo horum dubium sit, conformiter ad *c. Laudabilem, cap. Fraternitatis, c. Litteræ, de frigid. & malef.* debere à peritis inspici & examinari talem mulierem, uti etiam notat Gob. *tr.* 9. *num.* 429. potestque de nimia tali latitudine & arctitudine videri etiam Zacchias *l.* 3. *tit.* 1. *q.* 6.

801 §. 16. Putarunt aliqui Matrimonium tantùm ratum dirimi per impotentiam semper duraturam, quæ contracto supervenit, v. g. si vir fiat eunuchus: sed oppositum est certum ex *can. Hi qui*, 32. *q.* 7. *& can. Si uxorem*, 32. *q.* 5. tum enim solubile est ex consummatione Christi, vel per professionem religiosam, vel per dispensationem Ecclesiæ, uti dictum est *à n.* 432. & quæ opponi possunt, rectè solvunt Krim. *à n.* 1277. Kugl. *à n.* 2076. Avers. *q.* 13. *sect.* 4. ubi rectè notat, si in hermaphrodito superveniat impotentia ex mutatione sexus, v. g. si priùs prævalebat in sexu fœmineo, & ideò contraxit ut mulier, posteà autem prævaleat sexus virilis, nec possit coire ut mulier, sed tantùm ut vir, desinit Matrimonium quamvis consummatum, sicuti desineret per mortem, quia Matrimonium non stat inter duos viros, hinc poterit uterque tanquam vir eo- 802
pulari cum alia.

§. 17. Quando dubitatur, an impotentia præcesserit, an supervenerit Matrimonio, putant Sanch. *d.* 103. *n.* 4. Henr. Menoch. Lay. Regin. Mastr. *n.* 114. *& alii*, præsumi posse, quòd præcesserit. Idem sentit Gob. *n.* 432. & Kugl. *n.* 2083. si sit impotentia ex causis naturalibus, quia impotentia naturalis non solet ei obtingere, qui in nativitate fuit capax, si verò sit ex maleficio; dubitat cum *Dic.* putat tamen cum Av. *q.* 13. *s.* 4. & Kugl. *à n.* 2084. etiam præsumi posse, quòd præcesserit, quia sæpè ideò inducitur, ut contrahentes posteà cogantur dissolvere Matrimonium, ergo inducitur ante Matrimonium, alioquin non daret causam dissolutionis. Sed his meritò contradicunt Abul. Hostiens. Abb. Sot. Sylv. Angel. Bon. Castr. *p.* 3. §. 7. qui putant tam de naturali quàm de accidentali ex maleficio præsumendum esse, quòd subsecuta sit: & consentit Krim. *n.* 1295. si dubium oriatur post aliquot annos à contracto Matrimonio, quia quisque præsumitur à natura potens, nisi probetur contrarium, ergo & præsumendum de valore Matrimonii: neque periculum est accedendi ad non suam, præsumet enim melius esse suam, imò si cum alia contraheret, majus esset periculum, ne priore Matrimonio valente posteæ o-

gnoſceret non ſuam. Idem cenſet Spor. *n.* 122. §. 4. ſi ſit ex maleficio, quia malefici ſæpè quærunt tales conjuges tota vita affligere: hinc refert Schil. *à n.* 99. non poſſe tranſiri ad ſecundas nuptias, neque in dubio, an impotentia talis accidentalis cæperit ante, an poſt Matrimonium, neque in dubio, an impotentia ſit naturalis vel accidentalis. Hæ omnes ſententiæ ſunt probabiles: notat tamen. *Averſ.* quòd argumentum illud: *in dubio præſumi debet pro valore Matrimonii*, non videatur habere locum in hoc caſu, nam pro valore actus præſumendum eſt, quando actus poteſt habere effectum ſuum, tale autem Matrimonium cum impotentia antecedente contractum non poteſt habere effectum ſuum, id eſt exercitium copulæ, & conſequenter non videtur pro eo præſumendum.

803 §. 18. Quamvis uterque fateatur impotentiam etiam poſt inchoatum experimentum triennii, Sanch. *d.* 108. & de Luca *de Matrim. d.* 9. dicunt continuandum eſſe: Averſ. *q.* 13 *ſ.* 5. dicit poſſe procedi ad ſententiam ſeparationis, ſi per inſpectionem perſonarum peritarum ſimul cum confeſſione conjugũ appareant ſigna probabilia impotentiæ, quæ ſuperari non poſſit: conſentiunt Leſſ. *in auct. v. Matrimonium, caſ.* 11. & Jo. Sanch. *d.* 56. Rectè tamen notant Panorm. & de Luca, *quod inſinuavi num* 787. *in fine*, quando impotentia eſt ex maleficio, maximè neceſſaria eſt triennii probatio abſque potentia hoc tempus abbreviandi, tum enim non conſtat de perpetuitate impotentiæ, cùm malitia dœmonis, & hominum ſit voluntaria, quæ poteſt deſinere; quid autem etiam poſt evolutum tempus triennii adhuc prærequiratur, antequàm ejuſmodi conjuges ſeparentur, videri poteſt ex Jure deductum apud Sanch. *d.* 108. ubi inter cętera dicit requiri juramentum viri, quòd ſeriò tentarit copulam, & mulieris, quòd etiam conata ſit, nec impedierit: item jurare debent ex parte cujuslibet conjugis ſeptem propinqui, vel his deficientibus ſeptem vicini bonæ famæ, quòd credant conjuges verum affirmare: hæc juramenta ex præſcriptione conſuetudinis fiunt ſuper Crucem, cùm ex Jure communi fieri deberent ſuper Evangelia; & alterutro deficiente, ſententia pro diſſolutione Matrimonii nulla eſt. Et quando conſtat Matrimonium non potuiſſe per triennium conſummari, ordinariè poſteà amplius non poſſunt petere aut reddere debitum, quia tum cenſetur eſſe moralis certitudo, quod non ſuperſit ſpes perficiendi copulam, ergo malè tentatur. Si tamen adhuc eſſet ſpes, poſſent pergere, Caj. Sanch. *l.* 9 *d.* 17. *à n.* 20.

804 *Obj.* Die uno ante triennium abſolutum poteſt peti debitum, ergo etiam die uno poſt illud, quia tum ſpes perficiendi copulam non eſt notabiliter minor. R. Dici poteſt, quòd Jura tempus determinatum ſtatuerint, & judicium de morali certitudine impotentiæ definiverint ad tale tempus, ne homines exponerentur perplexitatibus. Alii dicunt, quòd Eccleſia tum diſſolvat Matrimonium ratum, ſi fortè fuit validum, attamen ſub conditione, niſi poſteà innoteſcat fuiſſe potentiam. Sed, ſecundùm dicta, ſupponi debet non eſſe amplius prudentem ſpem perficiendi copulam.

§. 19. Si quis poſt experientiam triennii judicio Eccleſiæ declaratus ſit impotens reſpectu unius, ideóque abſolutus ſit ab illo Matrimonio, & poſteà deprehendatur fuiſſe potens, v. g. per fornicationem cum alia ſimili, quamvis altera pars illud Matrimonium iniviſſet, & conſummaſſet, S. Th. *in ſuppl. q.* 58. *a.* 1. O. Sanch. *l.* 7. *d.* 99. Gob. *t.* 9. *n.* 430 Boudevv. *p.* 2. *q.* 13. Kugl. *à n.* 2109. abſolutè dicunt debere redire ad prius Matrimonium, quia jam innoteſcit fuiſſe validum. Contradicit abſolutè Pontius *l.* 7. *c.* 65. *n.* 6. quia putat Eccleſiam pro tali caſu diſſolviſſe Matrimoniũ illud tantùm ratum: Av. *q.* 13. *ſ.* 5. diſtinguit, & tenet cum prima ſententia, ſi fuerit caſus impotẽtiæ naturalis, ita enim videtur decidi *c. Fraternitatis, de frigid. & malef.* è contrà, ſi fuerit caſus maleficii, oppoſitum videtur decidi *Cap. fin.* 33. *q.* 1 nam dicitur, *etiam ſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Ratio inſinuata eſt *n.* 790. quia maleficium, quod per media ordinaria auferri non poteſt, ſed tantùm per voluntatem maleficorum, habetur tanquam impedimentum perpetuum, ergo ſicuti, licèt impedimentum de ſe perpetuum tolleretur per miraculum, non ideò ab initio valuiſſet Matrimonium, ita etiam hìc. Et ideò, ſi propter impotentiam ex maleficio ſeparatio ſit facta poſt triennium experientiæ, & alias probationes Juris, quamvis maleficiatus aliud Matrimonium ineat, ad quod ſit potens, non eſt reſtituendus, quia frequenter contigit maleficia perpetua fieri ad cauſandam impotentiam reſpectu certæ tantùm perſonæ, & non omnium, Sanch. *l.* 7. *d.* 92. Krim. *n.* 1311. certum autem eſt, quòd impotentia perpetua antecedens, etiam reſpectiva tantùm, dirimat, uti habet communis cum Kugl. *à n.* 2097.

§. 20. Si mulier de cujus impotentia dubitabatur, 805
fuiſſet poſtmodùm cognita à viro diſſimili, v. g. juniore, aut habente corpus reſpectivè magis proportionatum, quamvis per copulam cum hoc ultimo reddita eſſet habilis etiam ad copulam cum primo, non ideò deberet reddi primo; ex eo enim non probatur, quòd impotentia reſpectu prioris & alterius ſimilis non fuerit perpetua, Sanch. *l.* 7. *d.* 93. *n.* 12. Schild. *n.* 98. Krim. *n.* 1293.

§. 21. Si impotentia naturalis, quæ judicabatur eſſe 806
perpetua, poſteà advertatur eſſe depulſa ſine vitæ periculo, ſine miraculo, ſine peccato, debet ſecundùm dicta *n.* 84. rediri ad prius Matrimonium etiamſi bona fide initum, & conſummatum eſſet ſecundum, quia impotentia erat temporalis tantùm, ideóque primum Matrimonium fuit, & manet validum, ſecundum autem invalidum. Refertur quidem declaratio apud Pignat. *to* 1. *conſ.* 148. quæ videtur contraria, ſed vel ſupponitur, quòd mulier illa reſpectu primi tantùm mariti fuit ob arctitudinem perpetuò impotens, vel dicendum, quòd Eccleſia ex cauſis tum diſpenſarit in Matrimonio rato, ſecundùm dicta *à n.* 414.

Q. 104. *Quam pœnam incurrat, qui contrahit ſciens habere impedimentum dirimens?* R. §. 1. De hoc ita ſtatuitur *Clement. unica de Conſanguin. Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non Religioſos, & Moniales & Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos Matrimonia contrahentes. : : : excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere.* Et præcipitur locorum Ordinariis, ut tales denuncient, & donec ſatisfecerint, vitari curent. Et tamen pœna, cùm ſit odioſa, non extenditur ad alia impedimenta præter expreſſa, uti cum aliis notant Pont. Spor. Averſ. *q.* 7. *ſ.* 5. Krim. *n.* 1239. & 2138. incurritur autem pœna, quamvis Matrimonium non conſummetur. 807

§. 2. Qui ſic contraxit bona fide, ſed re cognita manet in inceſtuoſo vel ſacrilego uſu Matrimonii, non incurrit eam pœnam, quia imponitur contrahenti, & extendenda non eſt, Krim. *n.* 1241. 808

DUBIUM III.

Quomodo Matrimonium invalidum ſit revalidandum? 809

„ RESP. 1. Si fuit invalidum propter conſenſum
„ fictum, vel metu extortum, ſive ex una, ſive ex
„ utraque parte, poteſt revalidari per quodcumque
„ ſignum veri, & novi conſenſus; quia ſi altera
„ tantùm pars fictè contraxit, conſenſus unius partis

habitualiter

habitualiter permanſit, ergo accedente alterius conſenſu revalidatur, Sanch. *l.* 2. *d.* 32. *n.* 9. Con. *d.* 24. *dub.* 10. *n.* 89. Nav. Fill. Bon. &c. *Unde reſolves*,

I. Si metus vel defectus conſenſus fuerit alterius tantum partis, curandum eſt, ut ea ſaltem novum, & liberum conſenſum eliciat, & externis ſignis procedat: alteri autem parti non opus eſt declarari præſtari novum conſenſum ad valorem Matrimonii Sanch. *num.* 10. Kon. Bon. *p.* 9. V. Meratium *d.* 7. *ſ.* 15. *n.* 4.

II. Si uterq; fictè vel coactè conſenſerit, neceſſe eſt, ut uterque conſenſum renovet, & verbis exprimat, quia cùm utriuſque conſenſus planè nullus fuerit, æque neceſſe eſt renovare, & declarare, ac ſi factum numquam fuiſſet, Merat. *n.* 3.

Reſp. II. Si invalidum fuit propter impedimentum conſanguinitatis v. g. vel aliud ſimile occultum dirimens, tunc eo per diſpenſationem vel aliter ſublato, atque ita perſonis ad contrahendum habilitatis, requiritur novus utriuſque conſenſus, ſigno externo expreſſus: & quidem, ut probabiliùs docet Sanch. *d.* 36. abſolutus & independens ab antiquo. Ratio, quia neutrius conſenſus antiquus fuit legitimus, cùm non caderet in legitimam materiam. *Un- de reſolves*,

Si in tali caſu altera pars ſit ignara impedimenti, vel dubitetur, an ſciat, illa ſuaviter inducenda eſt ad novum conſenſum abſolutè præſtandum, dicendo, v. g. *Si mihi non nupſiſſes, nonnè modò nuberes?* vel *Angor ſcrupulis de Matrimonii noſtri valore, ideóque renovemus conſenſum.* Quòd ſi fiat, ſufficere (præſertim ſi ſequatur affectu maritali copula) docet Quintan. *in append. l.* 7. *d. ult.* Quòd ſi autem periculum ſit, ne pars illud impedimentum ignorans detrectet, & ſcandala graveſque moleſtiæ timeantur, licebit uti ſententia contraria, quæ docet ſufficere, ut ſola pars impedimenti conſcia conſenſum renovet, & alteri declaret Sanch. *l.* 2. *d.* 26. & *l.* 8. *d.* 34. *n.* 61. Leſ. *l.* 2. *c.* 17. Kon. *d.* 24. *dub.* 10. & Fill. *n.* 25. *&c.* Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 49.

R. III. Ut Matrimonium invalidum, quod coram teſtibus & Parocho eſt celebratum, revalidetur, non opus eſt denuo coram Parocho, & teſtibus iniri, ſi impedimentum ſit occultum; ſecus ſi ſit notum, quia prius Matrimonium præſumptione Eccleſiæ cenſetur validum, non autem poſterius, Nav. Sanch. *l.* 2. *d.* 37. Kon. *dub.* 4. Regin. *l.* 31. *n.* 183. Fill. *n.* 93.

ADDENDA.

810 Q*Veſt.* 105. *Quid circa hanc revalidationem ſit præterea notandum?* R. §. 1. *Si* tantùm unus conjugum non fuiſſet baptizatus, idque certum eſſet, poſſunt ab invicem recedere, aut ſi velint eſſe conjuges, debent poſt Baptiſmum renovare conſenſum, uti ſi Matrimonium non valuiſſet ex alio certo defectu vel impedimento, nam Baptiſmus prærequiritur ad valorem Sacramenti, ſecundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *n.* 165. Si dubitetur de Baptiſmo, tenentur permanere in Matrimonio, & ſic ſe habere, uti in alio dubio ſuperveniente, Comit. Gob. *in exper. tr.* 2. *à n.* 464. 674. & colligitur ex dictis *à n.* 297.

811 §. 2. S. Th. *in* 4. *diſt.* 29. *ar.* 3. *q.* 2. *ad.* 2. S. Bonav. *ibid. n.* 13. Nav. Gutt. Henr. Rodriq. Dian. Con. Bon. Sanch. & alii cum Buſen. Av. *q.* 3. *ſ.* 6. & *q.* 11. *ſ.* 4. Kugl. *à n.* 590. valdè probabiliter dicunt, ſi unus fictè conſenſerit, ſufficere, ſi hic ſolus poſteà eliciat verum conſenſum etiam internum tantùm, quod de Luca ad Trid. *diſ.* 26. *n.* 32. affirmat, etiamſi per procuratores contraxiſſent, quia quamvis in contractibus mutuis & onerofis, quando inter conſenſum unius, & alterius intercedit multum temporis, non cenſeatur manere virtualiter conſenſus primi contrahentis, ſed renovari debeat, uti cum aliis docet Sanch. *l.* 2. *d.* 32. *n.* 7. rectè tamen excipit *n.* 12. & 14. cum Lug. *in Reſp. mor. l.* 3. *d.* 16. *n.* 31. Matrimonium, & profeſſionem Religioſam: cùm enim conjux ſemper tractet alterum ut conjugem, aut Religio ut Religioſum, cenſetur ſemper permanere prior conſenſus. Oppoſitum etiam probabiliter tenent Scot. Felin. Ledeſ. Comit. Engel. *de divor.* § 1. *n.* 3. Pont. *l.* 4. *c.* 24. Maſt. *n.* 39. Krim. *à n.* 530 Caſtr. *d.* 3. *p.* 7. §. 1. Gob. *t.* 9. *n.* 414. dicentes utrumq; debere renovare conſenſum, quia deceptus non conſentiebat, niſi alter etiam ſeriò conſentiret; hinc dato, quòd conſenſus decepti perſeveret moraliter, tamen non videtur poſſe conſtituere Matrimonium, quia erat irritus, tum ob rationem datam, tum quia erat acceptatio corporis non traditi, ſed tantùm fictè oblati: præterea conſenſus ille decepti fuit cum errore perſonæ, putavit enim alterum eſſe habilem, & tamen Jure naturæ ob defectum voluntatis erat inhabilis, ergo talis conſenſus non conſtituet unquam Matrimonium, quod enim à principio nullum eſt, tempore non convaleſcit, & conſequenter opus erit conjugem certiorem facere de nullitate Matrimonii, ut ſic de novo conſentiat, aliàs ſemper cenſebitur in priori tantum conſenſu, qui invalidus erat, permanere, & ex præſumpto illius valore operari, uti *n.* 814. dicetur. Atq; ita reſpondiſſe *Clem. VIII.* teſtantur Comit. *l.* 1. *q.* 120. & Pont. *l.* 4. *c.* 24. & 25. *n.* 12. *Conf.* nam ſi uterq; fictè conſenſiſſet, requireretur novus utriuſq; conſenſus, uti fatetur Sanch. *n.* 11. ergo ſimiliter in noſtro caſu. *Nec obſtat*, quòd dixi *l.* 4. *n.* 31. nempè ut profeſſio religioſa, quæ ex defectu conſenſus in profitente, invalida fuerat, revalidetur, ſufficere, quòd hic clàm jam ponat ſuum conſenſum, nam ibidem dedi rationem diſparitatis, quia Eccleſia vel Pontif. ſupplet conſenſum, & acceptationem Ordinis, ut ſufficienter colligimus ex *c. Significantem*, 11. *de Regularibus*, & ex *c.* 1. §. *Quod ſi*, *de Reg. in* 6. conſenſum autem & acceptationem alterius contrahentis Matrimonium, nemo poteſt ſuplere.

§. 3. Krim. *à n.* 540. putat, ſi conſenſus mutuus ſit præſtitus coram Parocho, & teſtibus, quamvis contrahentes fuerint impediti, v. g. per ignoratam conſanguinitatem, hac diſpenſatione ſine ullo novo conſenſu convaleſcere Matrimonium, ſicuti ſi defectu ætatis fuiſſet invalidum obrenta ætate hoc ipſo convaleſceret, quia priores illi conſenſus erant tantùm extrinſecè invalidi, intrinſecè autem erant veri conſenſus, quantùm eſt de ſe, conſtituentes contractum: ſatis autem eſt tales veros conſenſus exiſtere habitualiter, uti patet in duobus per procuratores, etiã quando dormiunt, contrahentibus. Oppoſitum tenendum eſt, quia conſenſus illi non erant in ſe legitimi, ſed re ipſa irriti, quamvis id ab extrinſeco proveniret, ergo quamvis iſti conſenſus permaneant habitualiter, nunquam conſtituent Matrimonium: aliud eſt de conſenſibus contrahentium per procuratores, hi enim ab initio erant legitimi, & validi. 812

§. 4. Si etiam bona fide contraxerint cum impedimento, de quo unus tantùm eorum reſciat, non ſufficit, quòd hic renovet conſenſum, ſed debet etiam alter renovare, quia prior conſenſus ex parte utriuſque fuit nullus, cùm eſſet inter habiles, communis cum Averſ. *q.* 11. *ſ.* 4. Ex quo patet diſparitas quoad priorem ſententiam *n.* 811. relatam, nam ſecundùm AA. illos, conſenſus alterius, qui non finxit, erat legitimus, reſpectu perſonarum habilium, cùm nullo impedimento tenerentur, uti ſupponitur. 813

§. 5. Etiam ſuppoſito, quòd opus ſit ex utraque parte renovari conſenſum, putant Krim. *à nu.* 546. & Henriq. non eſſe opus, ut præcedat notitia vel ſuſpicio abſoluta de nullitate prioris Matrimonii, quæ cùm perſuaſione illa, quòd fuerit validum 814

ſtare poteſt intentio revalidandi, ſi fortè ex latente cauſa fuiſſet invalidum. E contrà Sanch. Pont. Caſtr. *d.* 2. *p.* 7. §. 2. *n.* 3. Gob. *in Quint. tr.* 5. *c.* 37. *n.* 141. & alii dicunt neceſſe eſſe, ut uterque fiat certior de nullitate prioris ſui conſenſus, tum quia in litteris diſpenſationis additur, *ut dicto conjuge certiorato de nullitate prioris conſenſus, &c. diſpenſes*; tum maximè, quia, inquit Paulus Leonis *in Praxi ad litteras Pœnitentiariæ p.* 2. *pag.* 251. ſi v. g. mulier perſeverans in ignorantia prioris invaliditatis de novo conſentiat, conſentit ex errore, vultque tantùm firmare, quod putat ante factum eſſe, atque ita putans ſe conſentire in maritum ſic jam anteà ſuum, errat in ſubſtantia. Putarunt quidem *Nav.* & alii ſatis eſſe, ſi alter conjux conſcius impedimenti dicat, *ſuſpicor ex aliqua cauſa te non eſſe uxorem meam, ideò ob pacem conſcientiæ meæ rogo te, ut ſi, & quantùm opus eſt, denuò nos habeamus pro conjugibus*: ſed contrà eſt; quia ſuſpicio affert dubietatem tantùm, & non tollit ignorantiam nec errorem, neque facit certiorem. Putarunt etiam Caj. Sot. aliique multi cum Sanch. *l.* 2. *d.* 36. *n.* 5. ſatis eſſe, ſi conjux conſcius roget, an ita amet ſe, ut jam conſentiat in maritum accipere, ſicuti ſi eſſet libera, tumque ambo conſentiant, ſed obſtant eædem rationes, ideóque neceſſe eſt, ut conſenſus, qui nunc præbetur, ſit independens à priori, unde in rigore non eſt ſatis, ſi adducantur ad hoc, ut dicant: ſi non eſſes mea vel meus, jam *vellem* te habere, ſic enim reipſa tantùm dicerent, ſe eſſe habituros novum conſenſum, ſi ſcirent priorem non voluiſſe; ſed requiritur, ut independenter à priore conſenſu dicant, & ideò te jam *volo*, quia ad valorem requiritur conſenſus de præſenti, Pont. Averſ. *q.* 11. *ſ.* 4. Ratio reflexa hujus rigoris eſt, quia hìc agitur de valore Sacramenti, & relatæ opiniones *Nav. Cajet. Sanch. Krim.* in primis ſunt dubiæ tantùm probabilitatis, ergo nulla eis accedit certitudo ex diſpenſatione Eccleſiæ. Deinde licèt eſſent certò probabiles, tamen non ſunt certæ, & hìc agitur de valore conſenſus, quem Eccleſia ſupplere non poteſt, ergo ſi iſtæ ſententiæ uſurpentur, Sacramentum exponitur periculo nullitatis, ergo praxis earum opinionum damnata eſt ab *Inn. XI. in* 1. *propoſ.* Ita Card. *in* 2. *criſi diſſ.* 2. *à n.* 679. Excipiunt Leſſ. *verb. Matr. caſ.* 3. Gob. *in Exp. t.* 10. *n.* 414. *& in Quint. t.* 5. *c.* 37. *n.* 134. aliique communiter caſum extremæ neceſſitatis, ſi v. g. mulier periclitaretur de vita, aut ſi eſſet periculum graviſſimi mali, inquit Card. *n.* 681. talis enim neceſſitas videtur ſalvare reverentiam Sacramenti, ideóque illam non videtur comprehendere damnatio. Et hoc conforme eſt dictis *l.* 6. *p.* 1. *n.* 110. imò ſi plus fieri non poſſit, putant aliqui AA. cum Tiburt. Nov. *in manud. ad praxin. p.* 2. *c.* 3. in tali graviſſima neceſſitate per actum conjugalem, quem petit conjux impedimentum ignorans, cenſeri poſſe revalidari Matrimonium. Sed ſive hos caſus comprehendat damnatio, ſive non, quoad rem ipſam, in his omnibus adhuc contradicit Aver. *ſ.* 5. quia talis alius modus, aut etiam ſimplex copula non neceſſariò habet adjunctum novum, & abſolutum conſenſum de præſenti. Denique notant rectè *Sanch. Carden.* & alii communiter non eſſe opus, ut in ſpecie dicatur, quale fuerit impedimentum, ſed ſatis eſſe dicere aliquid defuiſſe, aut ſi conjux impedimenti conſcius dicat ſe conſenſum non habuiſſe: conſenſus enim invalidus reipſa non fuit conſenſus, cùm fuerit nullus ſive irritus.

815 §. 6. Quamvis contradicant Gutt. Comit. *l.* 1. *q.* 120. Lug. *in Reſp. mor. l.* 6. *d.* 2. *n.* 3. Pon. *l.* 5. *c.* 6. *à n.* 6. tamen multi docent eſſe moraliter certum, Caſtr. *d.* 3. *p.* 7. §. 3. *n.* 2. dicit eſſe in conſcientia ſecurum, Kugl. *n.* 891. tutum, quòd Matrimonium coram Parocho, & teſtibus invalidè contractum, vel ob defectum conſenſus, vel ob aliud impedimentum, poſteà obtenta diſpenſatione impedimenti poſſit revalidari privatim ſine Parocho & teſtibus, quia Pontifices, & Cardinales declarant ſic eſſe faciendum, uti teſtatur Card. *in* 2. *criſi d.* 2. *n.* 667. ſicque etiam practicat S. *Pœnitentiaria* quando diſpenſat. Deinde certum eſt *Trid.* ideò requirere Parochum, & teſtes, ut vitentur gravia peccata ſcandali aliaque mala naſcentia ex clandeſtinis Matrimoniis, quæ certum eſt non naſci, quando Matrimonium ſemel fuit contractum in facie Eccleſiæ, ergo certum videtur rationem, & finem *Tridentini* non extendi ad hunc caſum, uti pluribus evincit Vvex *p.* 5. *tr.* 2. *contr.* 6. Et ideò etiam abſolutè hanc ſententiam tenent ut veram Nav. Piaſec. Zoeſ. Laym. & alii apud Vvex *n.* 17. Item Barb. *de off. Epiſc. alleg.* 32. *n.* 157. Leſſ. *in art. v. Matrimonium, caſ.* 6. Maſtr. *n.* 45. Pyrrh. Corr. *l.* 7. *c.* 7. §. *Matrimonium*, Gob. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 415. Spor. *n.* 271. Krı. *à n.* 536. Kugl. *à n.* 885. & conſentit Gorm. *de Sacram. n.* 325. pro caſu neceſſitatis. Et cum hæc ſententia ſit certò probabilis, ut cum AA. graviſſimis tenet Averſ. *q.* 11. *ſ.* 5. ſecundùm Regulam datam *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 117. *& hic n.* 40. ſi fortè vera non eſſet, Eccleſia pro tali caſu diſpenſat, ſive ſupplet aſſiſtentiam Parochi, & teſtium: Declarationes autem, quas in contrarium afferunt Adverſarii, rectè explicant Averſa *ſupr.* & Pign. *T.* 8. *conſul.* 27. Extendunt hæc Con. *d.* 24. *dub.* 10. Tamb. *l.* 8. *t.* 4. *c.* 7. §. 7. Gob. & alii ad caſum, quo Parochus vel teſtis ſciviſſet ſubeſſe impedimentum, quia adhuc teſtari poſſunt contractum eſſe externe initum ſecundùm præſcriptum *Trid.* nec ad eos ſpectat teſtari de valore, qui pendet à multis, quæ ipſis ſunt incognita, ſic enim reſcire non poſſunt de conſenſu interno. Sed in hoc probabiliùs contradicunt Aver. Kugler *n.* 884. & alii, quia tum coram facie Eccleſiæ non conſtaret de validitate, ſed potiùs de nullitate talis Matrimonii. Et conſequenter etiam, ſi ſit prudens periculum, ne impedimentum aliquando innoteſcat, quamvis eſſet notum ex ſola conceſſione ſacramentali, deberet cum venia pœnitentis Matrimonium revalidari coram Parocho, & teſtibus, uti tenent Henr. Sanch. Rebel. Hurt. Laym. Caſtr. *n.* 3 Herin. *d.* 5. *n.* 27 Kugler. & certum eſſe dicit Spor. *p.* 4 *c.* 2. *ſ.* 2. *n.* 462. deberetque diſpenſationis renovatique Matrimonii teſtimonium aſſervari, ne poſteà, ſi erumpat, conjuges cenſeantur invalidè contraxiſſe, & proles in foro externo habeantur illegitimæ. Hinc rectè notat Averſ. *q.* 4. *ſ.* 6. & Dicaſt. *d.* 11 *n.* 99. ſi impedimentum eſſet notorium, multò magis debere revalidationem fieri coram Parocho & teſtibus. Et quamvis *Pignat.* dicat etiam præmittendas eſſe proclamationes, tamen pro his meritò petenda, & concedenda eſt diſpenſatio.

§. 7. Quando in reſcripto diſpenſationis expreſsè ponitur, ut inter ſe publicè, & ſervata forma *Trid.* contrahant, multi tenent, tum ſaltem eſſe ſemper neceſſe, ut iterum fiat coram Parocho & teſtibus, quia Pontifex ſub ea conditione & modo diſpenſat. Negant ideo eſſe neceſſe Sanch. Pont. Pyrrh. Corr. Krim. *n.* 539. quia plus non videtur velle Pontifex, quàm ut ſemel ſit factum publicè, & juxta formam *Trid.* ſive prima, ſive ſecunda vice. 816

Q. 105. *An Confeſſarius advertens Matrimonium eſſe nullum teneatur ſtatim admonere, ut abſtineant ab ejus uſu?* Reſp. Hoc reſolutum eſt hìc *à n.* 540. & etiam *lib.* 6. *p.* 2. *à n.* 1758. 817

DUBIUM IV.

A quo, & ob quam cauſam poſſit diſpenſari in impedimentis Matrimonii?

„ Reſp. 1. Papa non poteſt diſpenſare in impedi- 818
„ mentis Jure naturæ vel divino dirimentibus,
„ niſi ex ſpeciali conceſſione, in iis verò, quæ Jure

Eccleſiaſtico

„ Ecclesiastico dirimunt, potest. Ratio prioris, quia „ inferior non dispensat in lege Superioris, nec homo „ in lege naturæ. Addidi, *nisi ex speciali*, quia sic „ Pontifex (non tamen Episcopus) potest Matrimo- „ nium ratum dissolvere, ex justa causa, Sanch. „ Ledesm Præp. *q.* 5. *d.* 8. Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 52. *&* 93. „ Ratio posterioris, quia Pontifex talia impedimen- „ ta inducit; ergo etiam potest tollere, & quidem „ solus. *Unde resolves.*

„ I. Episcopus in impedimentis dirimentibus Matri- „ monium jam contractum non potest ordinario Jure „ dispensare, nisi ex tacita concessione in casu neces- „ sitatis, quando sequentia concurrunt. 1. Ut defectus „ sit dispensabilis. 2. Ut sit occultus, id est, non sit noto- „ rius seu divulgatus, 3. Ut ex altera parte saltem Ma- „ trimonium bona fide sit contractum. 4. Ut non sit „ facilis accessus ad Papam. Ita commun. Sanch. Kon. „ Perez *d.* 43. *s.* 6. Quando autem contractum est ex dis- „ pensatione subreptitia, non potest Episcopus sua dis- „ pensatione priorem confirmare, Dian. *p.* 9. *t.* 7. *R.* 40. „ ex Præp. Perez, &c. In impedimentis verò dirimen- „ tibus Matrimonii nondum contracti videtur nun- „ quam posse: imò nec Legatus à latere, nisi ex speciali „ facultate. Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *&* *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. „ Bon. *q.* 3. *p.* 15. *&c.* contra quos Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 80. „ cum Præp. Villal. & Escob. *de leg. Ex.*: 4. *c.* 4. putat „ Episcopum id posse aliquando in casu raro, & ex cau- „ sa maximè urgente, si omnibus tentatis judicetur „ necessarium esse ad vitandam gravem infamiam „ vel grave scandalum cui aliter occurri non posset, „ idque ex tacita Papæ licentia.

„ Resp. II. In impedimentis non dirimentibus „ possunt Episcopi dispensare universaliter. Quòd „ addo, quia excipiuntur illa, quæ Jure naturali, & „ divino impediunt, ut votum castitatis absolutum & „ perfectum, Bon. *q.* 3. *p.* 15. ex Nav. Sanc. &c. & sponsa- „ lia priora, ut habet Tann. *d.* 8. *q.* 4. *d.* 2. *n.* 50. ex Sanc. „ *l.* 7. *d.* 17. *n.* 8. idem habet Fill. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 306. „ Laym. *c.* 15. *n.* 2. *sub fin.* Similiter Episcopus potest „ dispensare in impedimentis, quæ Matrimonio su- „ perveniunt, & impediunt petitionem debiti, v. g. „ cognationis spiritualis vel affinitatis, Bon. *l. c.* ex „ Sanch. *l.* 8. *d.* 12. *n.* 16. Fill. *l. c.* Ubi excipit incestum „ commissum (Matrimonio consummato,) cum „ consanguineis uxoris, in iis qui non sunt juvenes.

„ Resp. III. Possunt etiam Confessarii Regulares „ approbati, de licentia tamen suorum Provincialium, „ dispensare ad petendum debitum conjugale, propter „ cognitionem consanguinei conjugis in secundo „ gradu, ut Rodr. *q. Regularium to.* 1. *q.* 63. *a.* 1 nullo „ modo tamen in impedimento ipso. V. Perez *d.* „ 44. *s.* 7. *c.* 13. Dixi, *Provincialium*: quia quod Mol. „ Leon, &c. volunt. Confessarios Societatis JESU „ habere omnes hanc facultatem immediatè a P. „ Generali, id refutat Dian. p. 3. *t.* 2. *R.* 14.

„ Resp. IV. Ut licitè dispensetur in impedimentis „ dirimentibus, requiritur justa causa, qualis secun- „ dùm Fill. *c.* 8. est, v. gr. extinctio magnæ litis vel „ odii inter agnatos. 2. Ablatio scandali. 3. Inæquali- „ tas Matrimonii, nisi consanguineis vel affinibus „ nubatur. 4. Defectus dotis competentis. 5. Conser- „ vatio facultatum in eadem cognatione. 6. Merita „ petentis dispensationem. Plures vid. apud Sanch. „ *d.* 19. Kon. *d.* 33. Hurt. 26. Perez *s.* 5. ubi notat. 1. „ Quantò gradus consanguinitatis vel affinitatis, est „ propinquior, tantò requiri causam graviorem. 2. „ Sæpè plures aggregatas causas sufficere, quarum sin- „ gulæ non sufficerent. Vid. etiam Dian. *p.* 8. *tr.* 3. *R.* 93.

„ Resp. V. Si quis dubitet, an habeat impedimen- „ tum dirimens, v. g. contrahendi Matrimonium cum „ certa persona, adhibita diligentia sufficienti non „ possit intelligere veritatem, probabile est posse cum ea contrahere sine dispensatione, (nisi tamen præ- „ sumptio aliqua stet pro impedimento) quia possessio „ stat pro libertate contrahendi, Sanch. Sanctius, „ Franc. Lug. Bardi *d.* 6. *c.* 11. *p.* 7. §. 11. contra „ Laym. & Palaum. „

ADDENDA.

Quæst. 107. *Quid in genere notandum sit circa dis-* 819
pensationes, & præcipuè matrimoniales? R. Multa de dispensatione dixi *l.* 1. *n.* 796. *& seqq.* quæ hìc supponi debent: quandoque tamen hìc ad illa remittam, sed priùs adde sequentia. §. 1. Ad omnem dispensationem, ut licita sit, requiritur causa aliqua, etiamsi Papa det circa legem propriam, uti rectè cum communi Sperell. *dec.* 109. Hinc est celebre dictum S. Bern. *de Consid. l.* 3. *circa finem*: *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis est dissipatio.* Et S. Th. 22. *q* 88. *à* 12. *O.* ait: *omnis dispensatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, & ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus.* Et ideò aliqui Tò *dispensare* derivant à *bis pensare*, quia fieri debet maturè, & consultò. Hinc, quando in Matrimonialibus dicitur peti dispensatio *sine causa* non est sensus, quòd nulla omnìò sit causa; sed quòd petentes nolint causam exprimi: hinc dicitur eos petere *ex certis rationabilibus causis animos oratorum moventibus*, & pro justificanda reticentia causæ suæ potiùs offerunt multam pecuniariam ad sublevandas necessitates Ecclesiæ. Et in hoc casu executor dispensationis non debet inquirere in has causas, sed tantùm examinare, an reliqua narrata verificentur, uti rectè Sanch. *l.* 8. *d.* 35. *n.* 24. Krim. *à n.* 2105. Rosa *de execut. lit. Apost. p.* 1. *c.* 12. *n.* 23.

§. 2. Sperell. *n.* 27. Jure, & Authoribus deducit 820
quindecim causas, quæ dispensationem justificant, & sunt. 1. Personarum numerus. 2. Prætogativa meritorum. 3. Ætas tenera vel provecta. 4. Locus. 5. Tempus. 6. Pietas. 7. Utilitas populi. 8. Religio. 9. Utilitas Ecclesiæ. 10. Necessitas. 11. Scandalum. 12. Eventus rei. 13. Majus bonum, vel majoris mali vitatio. 14. Futurum inde bonum. 15. Misericordia. De causis specialibus dispensandi in hoc vel illo impedimento, aliqua addam *à n.* 898.

§. 3. Si quis Papa inferior in impedimentis dispen- 821
set absque vera, & sufficienti causa, vel absque causæ cognitione, saltem extrajudicialiter; dispensatio est invalida; quia impedimenta sunt leges Superioris, circa quas inferior non potest, nisi ex causis, quas probari, & examinari vult Superior, non aliter concedens dispensandi potestatem; communis cum Sperel. *à n.* 10. *&* 34.

§. 4. Si jus concedens dispensationem, expresserit 822
rationem dispensationis, potestas dispensandi extenditur ad alium casum, in quo tenet illa ratio expressa; nec tum propriè fit extensio, sed casus iste alius ex tacita mente dispensantis includitur in altero, in quibus illa ratio enim allata decidit omnes casus, reperiatur, Gob. Abb. Sanch. & alii cum Sperel. *dec.* 112.

§. 5. Dispensatio trahitur *ad necessariò*, & de se con- 823
nexa, sine quibus habere non posset effectum, uti habet communis cum Sanch. *l.* 8. *d.* 1. Sperell. *dec.* 112. *à n.* 17. alioquin esset irrita, frustrancè data. Hoc non obstante, sublato per dispensationem uno impedimento remanet aliud, quia non sunt necessariò & de se connexa; hinc tot requiruntur dispensationes, quot sunt impedimenta, Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell.* Gob. *n* 97. Sperell. *n.* 24.

§. 6. Ordinariè dispensari potest cum absente, 824
cùm dispensatio non spectet ad forum Pœnitentiæ,

sed sit actus jurisdictionis, quæ manet circa absentem: & ita declarasse Sacram Congr. dicit Pignat. *T.1. consult.20.n.9* An hoc etiam teneat, quando in dispensatione additur, *pro foro conscientiæ*, vel *in foro Pœnitentiæ*, dicetur *n.956.*

815 *Q.108. Quid præterea sit notandum circa potestatem Papæ in dispensando quoad impedimenta Matrimonii?* R.§.1. Putarunt *Ang. Henriq.* & alii Papam ex concessione Dei posse dispensare in omnibus planè impedimentis, etiam de Jure naturæ dirimentibus; sed contradicunt communissimè omnes cum Sanch. *l.8.d.6.* & Av. *q.19.s.1.* quia nullum fundamentum habemus talem concessionem asserendi; imò probabiliùs dicitur, nequidem Deum directè, & propriè dispensare posse in lege naturæ, uti cum communi Suar. *de legib. l.2. c.14. n.5.* talia enim non ideò mala sunt, quia prohibentur, sed ideò prohibentur, quia in se & necessario mala sunt; potest tamen Deus mutare materiam aut circumstantias, & ita facere, ut aliquid non sit ampliùs de Jure naturæ.

816 §.2. Papam posse ex concessione divina propriè dispensare in aliquibus impedimentis, quæ sunt Juris divini positivi, docet cum aliis Sanch *l.8.d.6.* è contrà posse tantùm authenticè declarare Deum hìc, & nunc permittere agi præter legem suam, docent alii, nec videtur esse quæstio, nisi de nomine, de qua videri possunt plura apud Castr. *tr.3.d.6.p.3.* & Krim. *à n.2020.* Posse autem Papam omnem, per se loquendo, in Papalibus & quorumcunque Conciliorum ac Canonum legibus dispensare, habet communissima, cùm sit supra omnia Concilia, & supremus ipse Legislator: quod verum est etiam de lege humana ab aliquo Apostolo lata, quia Papa est legitimus Petri successor, & paris cum eo authoritatis, Suar. *de leg. l.10. c.14.* aliique cum Krim. *n.2030.* Quandonam inferior dispensare possit in lege Superioris, dictum est *l.1.n.796.* potestque videri etiam Krim. *à n.2034.*

817 §.3. Hæc.4. impedimenta sunt de Jure naturæ, saltem respectu humanæ potestatis indispensabilia, ideóque etiam in infidelium Matrimoniis habent locum. 1. Error in persona. 2. Impotentia perpetua. 3. Consanguinitas primi gradus in linea recta. 4. Ligamen in actuali Matrimonio. Cætera sunt dispensabilia, neque habent locum in Matrimoniis infidelium, qui non obligantur Jure Ecclesiastico, Sanch. *l.8.d.6.n.12. Dixi* 1. respectu humanæ potestatis quia manet controversia, an Deus non possit ita mutare vel ponere circumstantias, ut in aliquibus dispensare posset, uti certum est posse plures uxores uni viro permittere. *Dixi* 2. in linea recta, nam *n.611.* retuli multos, qui dicunt consanguinitatem in 1. gradu lineæ transversæ inter fratrem, & sororem esse tantùm Juris positivi divini, & Ecclesiastici. Inter eos autem, qui admittunt esse Juris naturæ, aliqui putarunt dispensari posse in eo à Papa, si ita postularet necessitas regni aliàs interituri, sed meliùs contradicunt alii cum Sanch. *l.8.d.6.n.10.* fatendum tamen est id fore licitum si aliàs genus humanum interiret; nam ideò licuit Matrimonium inter proles Adami; quo casu retuli aliquos *n.610.* qui dicunt etiam tum fore licitum inter patrem & filiam, licèt consanguinei sint in primo gradu lineæ rectæ.

818 §.4. Quamvis 24. Authores magni nominis, quos referunt Sanch. *l.7. d.52. n.5.* & Card. *in 1. crisi d.11.n.153.* dicant, quòd omnes gradus consanguinitatis & affinitatis dirimant Matrimonium Jure naturæ, adeóque in eis nequidem Papam dispensare posse, tamen rectè dicit Sanch. *num.6.* sententiam illam non esse tolerandam, nam licèt sint aliquo modo de Jure naturali quasi secundariò, in quantùm natura dictat erga omnes consanguineos, & affines servandam esse honestatem, ne jungantur copula, tamen jus naturæ non dictat id esse indispensabile in ordine ad Matrimonium, patetque Ecclesiam in plerisque dispensare. Et secundùm hactenus dicta primus gradus affinitatis, & secundus consanguinitatis sunt impedimenta Juris positivi tantùm, ideóque potest Papa in illis dispensare, quamvis in una persona concurrant, dispensaruntque aliquandò, ut testantur Lug. *in Resp. mor. l.1. dub.43. & dub.20. n.29.* Gob. *tr.9.n.609. & 610.* Unde AA. 30. & plures, quos referunt Sanch. *l.7.d.66. n.5.* & Dian. *p.4.tr.4.R.93.* dicunt Papam dispensare posse cum socero, ut ducat uxorem filii sui mortui, quamvis plures numero, & authoritate majores apud Sanch. & Dian. id negent. Lugo *in Resp. Moral. lib.1. dub.40.* dicit, extraordinariam causam requiri ad dispensationem talem, nec expedire, ut fiat, ob dubium, an non sit contra Jus naturæ in multis enim locis Scripturæ copula soceri cum nuru statuitur punienda veluti alia crimina Jure naturæ illicita, & aliqua Concilia Provincialia ejiciunt ea Matrimonia etiam inter infideles velut irrita, ideóque nullus unquam Pontifex sic dispensavit.

§.5. S. Ant. Caj. Dur. Scot. Suar. innumerique alii cum Sanch *l.8.d.n.6.* Mend. *diff.12.n.37.* Mastr. *n.116.* Kugl. 819
n.1662. docent Pontificem posse, & reipsa dispensasse aliquandò cum Religioso professo ad contrahendum Matrimonium, & hoc est conforme dictis *n.583.* quod etiam docuit aliquando S. Th. licèt 2. *2.q.88. a.11. in O.* sententiam illam revocet, & cum *Sylv* dicat fieri non posse, eò quòd continentia videatur esse de essentia Ordinis religiosi, sed respondetur, imprimis probabile esse, secundùm dicta *l.4.n.3.* quòd votum castitatis conjugalis cum debito aliquandò abstinendi ab uxoribus, sufficiat ad statum religiosum. Deinde dato, quòd non sufficiat, sed nunc saltem post *Conc. Later. & Trid.* de quibus dixi, requiratur absoluta castitas, hoc non obstante potest Pontifex facere, ut talis dispensatus desinat esse Religiosus, quia esse Religiosum non habetur per caractererem indelebilem, sed per voluntatem Ecclesiæ, quæ revocari potest, & sicuti talibus votis addidit solemnitatem, ita potest tollere, uti rectè Krim. *à n.452. &* 2158. ad eum modum, quo locus aliquis ex voluntate Ecclesiæ sacer, potest per ejusdem Ecclesiæ voluntatem fieri profanus; si autem talis homo desinat esse Religiosus, non est ratio, cur non possit validè inire Matrimonium, cùm illud, per se loquendo, validè ineat ligatus voto simplici castitatis. Et ex his cadunt omnia, quæ habet Gonet *hic d.9. a.2.* possuntque videri fusè soluta apud Kugl. *à n.1661.*

§.6. Circa dispensationem in gradibus prohibitis 830
iterum refero hìc verba Trid. *sess.24. c.5. de ref. matr.* quæ occasione alia etiam retuli *n.498. Si quis intra gradus prohibitos sciens Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahère, sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus, est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur cujus salubria præcepta temerè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod subesse posteà cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

§.7. Putant Henr. aliique cum Gob. *n.678.* circa 831
ista verba, *nisi inter magnos Principes*, praxin esse, ut hoc extendatur ad omnes personas principaliores

adeóque

adeóque ad omnes valdè potentes, & divites, in ò ad omnes nobiles, sufficitque ad nobilem, quòd solus pater sit nobilis, non tamen, si sola mater, Sanch. *l.* 8. *d.* 19. *n.* 6 Ut autem quis dicatur esse ex honesta familia, satis est, si familia nulla turpitudinis nota laboret. Addunt Nov. Sanc. *n.* 3. ea prohibitione dispensandi in secundo gradu, intelligitur tantùm de consanguinitate & affinitate ex copula licita, non autem ex fornicatione, uti nec de publica honestate.

832 Q 109. *Quid notandum sit circa facultates, quas habere solent Nuntii Apostolici, etiam circa impedimenta Matrimonii?* Resp. Ut sciatur in quibus communiter recurri possit ad Nuntiaturam, circa annum 1680. Nuntio Colonienſi concedebantur sequentes Facultates. 1. Absolvendi ab hæresi & apostasia à fide, & à schismate, quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam sæculares, quàm regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint: nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresin fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantùm.

2. Tenendi & legendi libros prohibitos hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, & Nicolai Machiavelli, ac libros de astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes; ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

3. Dispensandi in 3. & 4. simplici, & mixto tantùm cum pauperibus in contrahendis, in contractis verò cum hæreticis conversis (quamvis pauperes non sint) etiam in secundo simplici & mixto: & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam, dummodò in secundo non attingat primum gradum.

4. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justitiæ ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjuge machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquàm inter levantem, & levatum.

7. Hæ verò matrimoniales dispensationes videlicet 3. 4. 5. & 6. non concedantur, nisi cum clausula, dummodò mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit, in potestate raptoris non reperiatur, & in dispensationibus hujusmodi declaretur illas expressè concedi tanquam à Sedis Apostolicæ delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, aliàs nullæ sint.

8. Dispensandi & commutandi vota simplicia in alia opera, excepris votis Castitatis, & Religionis.

9. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto, occulto tantùm provenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Cænæ Domini, in locis tamen, ubi impunè grassantur hæreses.

11. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit sacra Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, & in casu necessitatis etiam aqua ab Episcopo non benedicta.

12. Communicandi has facultates in totum vel in partem, prout opus esse secundùm ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus in locis tamen hæreticorum, ubi prohibetur exercitium catholicæ religionis.

13. Utendi eisdem facultatibus in locis Nuntiaturæ suæ tantùm.

14. Et præfatæ faculates gratis, & sine ulla mercede exerceantur, duraturæ, quousque munere Nuntii Apostolici in Colonia fungetur.

Eidem Nuntio per alias Litteras etiam concessa erant sequentes, quas continuata serie numerorum hic paucis referam.

15. Quoscunque Clericos illarum partium pro necessitate dictarum Ecclesiarum, & arctatos requisita habentes promovendi ad omnes Ordines titulo Patrimonii vel Beneficiorum seu Missionis, etiam extra tempora, ac interstitiis non servatis, etiamsi in suscepto Ordine, antequàm ad alium promoveantur, se non exercuerint.

16. Ubi penuria piscium est, etiam tempore Quadragesimæ dispensandi in esu ovorum, lacticiniorum & carnium.

17. Absolvendi simoniacos in foro conscientiæ, dimissis per eos Beneficiis, & rebus per simoniam obtentis.

18. Quoscumque sæculares, & Regulares in dignitate Ecclesiastica constitutos deputandi, qui benedicant Ecclesias, cæmeteria, altaria, campanas, & alia utensilia Missæ, etiam in quibus sacra unctio adhibetur, aqua & oleis ab aliquo Episcopo benedictis.

19. Cum pauperibus catholicis dispensandi in secundo cum tertio gradu, item in secundo simplici affinitatis ex actu fornicario, pro contractis & contrahendis Matrimoniis.

20. Per se ipsum vel alium visitandi quascunque Ecclesias, Monasteria, & loca sæcularia, & Regularia etiam mendicantium, & quomodocunque exempta, ac Sedi Apostolicæ immediate subjecta, vel quocunque alio privilegio suffulta: Personas omnes Sæculares, & Regulares etiam exemptas, quoties videbitur: Et in illorum statum, mores, disciplinam in capite, & membris inquirendi, reformandi, mutandi, corrigendi.

21. Contra inobedientes, falsarios, usurarios, raptores, incendiarios & alios criminosos etiam exemptos, eorumque fautores, receptores cujuscumque dignitatis, ordinis, vel conditionis, per viam accusationis vel denuntiationis, aut ex officio simpliciter, sine strepitu judicii inquirendi, & procedendi, reosque pronunciandi.

22. Horum criminum, item matrimoniales, & quascunque alias causas Ecclesiasticas vel appellationes admittendi, attamen sine præjudicio Ordinariorum, quoad causas beneficiales in prima instantia: pronunciandi in illis etiam summariè, simpliciter, sine strepitu, sola facti veritate inspecta.

23. Causas ejusmodi aliis delegandi, ferendi quaslibet censuras & pœnas contra inobedientes &c. apponendi interdictum Ecclesiasticum.

24. Juramenta quæcumque ad effectum agendi dumtaxat quibuslibet relaxandi.

25. Quoscunque à quibuscunque censuris, & pœnis simpliciter vel ad cautelam, prout juris fuerit, absolvendi. Etiam absolvendi ab excommunicatione, aliisque sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus, quas ideò incurrerint.

26. Quæcunque Beneficia Ecclesiastica simplicia extra Metropolitanas, Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias, per obitum illorum ultimorum possessorum extra Romanam Curiam vacantia, conferendi, dummodò illa alias, quàm ratione mensium Apostolicorum reservata non fuerint.

27. Concedendi, ut bona immobilia Beneficiorum in emphyteusim, sed non ultra tres generationes, sub canone non excedente summam quinque annuo ducatorum, in evidentem ipsorum Beneficiorum utilitatem

utilitatem alienentur, & permutentur.

28. Concedendi monitorias, & pœnales litteras contra ignotos malefactores, aut conscios revelare differentes.

29. Omnibus Christi fidelibus pium opus exercentibus centum aut plurium dierum citra annum Indulgentias concedendi. Verè pœnitentibus confessis, & communicantibus, qui sæculares vel regulares Ecclesias aut capellas in una vel duabus anni festivitatibus visitaverint, & pro unione Christianorum Principum, fidei Catholicæ propagatione preces fuderint, pro tali die septem annorum, & totidem quadragenarum.

30. Concedendi, ut tempore interdicti Apostolici in aliquo loco privatim, & januis clausis celebretur in familiæ præsentia.

31. Committendi has facultates in toto vel in parte. *Sequentes prætereà facultates sunt à sacra Pœnitentiaria extraordinariè, & pro foro conscientiæ concessæ duobus Nuntiis Apostolicis pro tempore durantis suæ Nuntiaturæ.*

32. Absolvendi à censuris contra duellantes inflictis, tam in casibus publicis quàm privatis, etiam cum facultate subdelegandi uni vel pluribus prudentibus Confessariis, & approbatis ab ordinario.

33. Item à censuris inflictis contra injicientes manus violentas in clericos vel Presbyteros, dummodò non sit secuta mors vel mutilatio vel fractio ossium, tam in casibus publicis quàm privatis, secuta tamen partis satisfactione, cum obligatione parendi sententiæ sive ordinationi Ordinarii loci, ubi secutum fuerit delictum, sub pœna reincidentiæ in easdem censuras, si satisfacere, & respectivè parere contempserint.

34. In casibus tantùm occultis dispensandi cum eis, qui jus petendi debitum conjugale amiserant ob affinitatem supervenientem, cum gravi pœnitentia salutari, remota occasione peccandi cum uxoris seu mariti consanguinea vel consanguineo respectivè.

35. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum iis, qui voto simplici castitatis adstricti, transgrediendo ipsum votum, Matrimonium contraxerunt, cùm pœnitentia salutari, & obligatione servandi votum excepto usu Matrimonii, & idem votum servandi mortuo seu mortua conjuge.

36. Dispensandi super impedimento occulto affinitatis proveniente ex copula illicita in primo, vel in primo, & secundo, & secundo tantùm gradu, quando agitur de Matrimonio jam contracto, ac etiam contrahendo, dummodò immineat periculum scandali, nec possit dispensatio à *S. Pœnitentiaria* expectari, cum gravi pœnitentia salutari, & remota occasione peccandi cum consanguinea vel consanguineo putatæ seu putati conjugis, cum qua seu quo ante Matrimonium peccaverat, renovato consensu ita cautè, ut Rei seu reæ delictum nusquam detegatur.

37. Absolvendi Religiosos cujuscunque Ordinis, etiam à censuris, & casibus Superioribus suis reservatis, in casibus tamen occultis: & cum illis dispensandi super irregularitate ex violatione censurarum contracta, & quoad fugitivos, & apostatas, etiam absolvendi ad reincidentiam, donec redierint ad suam Religionem, præscripto, eisdem congruenti termino ad redeundum vel reincidendum: prohibito eisdem exercitio suorum Ordinum usque ad reditum.

38. Nuntiatura Colonienſis complectitur Colonienſes, Moguntinenſes, Trevirenſes, Argentinenſes, Spirenſes, Wormatienſes, Monaſterienſes, Oſnabrugenſes, Padebornenſes, Leodienſes, Luxemburgenſes, & Rhenanas partes, cæteraſque Germaniæ inferioris, & Duci Clivenſi, & Juliacenſi ſubjectas Provincias, Ducatus, civitates, & loca omnia huc pertinentia.

Q. 110. *Quid addendum ſit circa facultates ordinarias, quas habent Epiſcopi vel alii ad diſpenſandum in impedimentis Matrimonii?* R. §. 1. Sperell. *dec.* 110. *à n.* 3. fusè refert ſententiam eorum qui dicunt Epiſcopos diſpenſare poſſe circa canones omnes, niſi ubi ipſis à Jure vel Papa expreſsè prohiberûr, tum quia, per ſe loquendo, id poſſunt pro ſua, quòd Papa poteſt pro tota Eccleſia, tum etiam quia Apoſtoli hoc potuerunt. Apoſtolus enim 1. *ad Corinth.* 5. *v.* 12. dicit, *omnia mihi licent*; Epiſcopi autem ſic ſunt etiam in poteſtate ſucceſſores Apoſtolorum, ſicuti Papa eſt ſucceſſor Petri. E contrà *à n.* 26. etiam fuse refert ſententiam aliorum, qui dicunt Epiſcopos non poſſe, niſi quod ipſis poſitivè permittitur per Jus vel per Papam, tum quia poteſtatem ſuam habent mediante Eccleſia vel Papa, uti cum communiori dixi *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1551. tum quia Jura, & Pontifices eis expreſsè præcipiunt, ut canones obſervent, tum denique, quia inferior non poteſt circa legem Superioris, niſi quod hic permittit. Et quamvis, *Sperell.* videatur inclinare in primam ſententiam, tamen ſecunda eſt inter Theologos cùm Krim. *à n.* 2034. longè communior, & probabilior, ideóque *in dec.* 112. *n.* 33. notat etiam *Sperell.* quamvis Epiſcopus diſpenſare poſſit in lege Synodali ſuæ diœceſis, attamen non poſſe in lege Concilii principalis, quia hoc Concilium eſt ſupra Epiſcopum; probatque idem adductis Juribus etiam de Archiepiſcopis Krim. *à n.* 2031. Idem *in dec.* 111. ſaltem hoc defendit abſolutè *Sperell.* quòd Epiſcopus circa adulterium, & omnia delicta adulterio minora ſemper diſpenſare poſſit, niſi ſpecialiter id reperiatur prohibitum, uti habetur *cap. At ſi Clerici*, §. *de adult. de judic.* Poſteà tamen *à n.* 46, addit multas limitationes, & ſublimitationes. E contrà quòd circa delicta adulterio majora diſpenſare non poſſit Epiſcopus, niſi in caſibus à Jure expreſsè permiſſis, habetur eodem *cap. At ſi*, & fusè deducit Sperell. *dec.* 1121 *à n.* 1. Quæ autem delicta ſint majora adulterio, explicat *dec.* 116. *à n.* 32. ubi probat uſuram, & perjurium eſſe minora. 833

§. 2. Quando *imperſonaliter* Lex Pontificia concedit poteſtatem diſpenſandi, v. g. dicendo, *diſpenſetur, diſpenſari poſſit*, tum poteſtas cenſetur conceſſa Epiſcopo, uti ex Jure & AA. probant Sanch *l.* 8. *d.* 5. Pont. *l.* 8. *c.* 6. *n.* 6. Sperell. *dec.* 112. *à nu.* 41. Pontifex enim non indiget tali permiſſione, ſed alius; & ideò putant Cov. Sanch. Krim. *n.* 2039. idem valere etiam, ſi lex Concilii alicujus ita loquatur, quamvis in hoc contradicant alii cum Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 83. *à n.* 23. Quòd ſi aliquid in Canonibus vel Conciliis ſtatuatur ſub veniali tantùm, vel ſub conſilio, cenſetur Epiſcopo conceſſa facultas in eo diſpenſandi pro exigentia rei, & ſubditorum bono, hinc univerſaliter docent Sanch. Salas. Krim. *n.* 2040. ſi apud Religioſos Regulæ Fundatoris vel Congregationis non obligent ſub culpa, poſſe Superiores ſubordinatos in eis diſpenſare. 834

§. 3. Epiſcopus diſpenſare poteſt poſt contractum Matrimonium pro foro conſcientiæ tantùm, ſi concurrant iſta. 1. Si Matrimonium ſit publicum. 2. Si impedimentum ſit occultum. 3. Si initum ſit bona fide, ſive cum ignorantia impedimenti. 4. Si in ſeparatione eſſet ſcandalum. 5. Si non ſit facilis aditus ad Papam, ob paupertatem vel aliam cauſam, vel certè ad periculum peccatorum in tanta dilatione, quia interèà non abſtinebunt ab uſu putati Matrimonii: ita Nav. Angl. Sylv. Henr. Sot. Tab. Arm. Cucus, Spin. B. Led. Capuan. Rodr. Anton. Gomez, Lop. Vival. Sanch. *l.* 2. *d.* 40. *n.* 3. Con. Regin. Fill. Vaſq. Rebel. Caſtr. Salas, G. Hurt. Card. *in* 1. *criſt. d.* 79. *n.* 2. & alii propè innumeri cum Kugler *n.* 2125. Et rationes dabuntur *n.* 838. Poteſt autem hoc Epiſcopus etiam in 1. gradu affinitatis, 835

v. g.

v. g. si sponsus ante Matrimonium cognoverit sororem sponsæ. Tenentque plerique cum Sanch. Krim. *n.* 2050. Kugl. *n.* 2136. contra Garc. & Averſ. *qu.* 19. *ſ.* 2. ſufficere, ſi alteruter proceſſerat bona fide cum ignorantia impedimenti, quia huic non debet præjudicare malitia alterius. Et illi, qui mala fide contraxerit, communiter jubetur imponi gravis ſatisfactio in confeſſione, v. g. ut ad medium annum omni menſe confiteatur, & communicet, ac iiſdem diebus oret Roſarium. Putatque Sanch. *l.* 2. *d.* 40. *n.* 4. ſufficere ignorantiam etiam craſſam, quia *Trid.* dicit, *qui præſumpſerit*: & licèt v. gr. cognita eſſet conſanguinitas, ſi tamen non fuit notum, quòd impediret, non impeditur bona fides, Kugl. *num.* 2137. Quòd ſi uterque contraxiſſet mala fide, quamvis *Henr.* & alii pauci putent id adhuc poſſe Epiſcopum in caſu neceſſitatis, faveatque Kugl. *n.* 2137. citans etiam alios, tamen abſolutè negandum eſt cum communi, propter Trid. *ſ.* 24. *de ref. Matr. c.* 5. ubi tales excludit à ſpe diſpenſationis, uti & illos, qui etiam cum ignorantia impedimenti contraxerunt neglectis ſolemnitatibus; dicit autem *neglectis*, & non, ſi v. g. proclamationes juſtè vel de licentia Superioris ſint omiſſæ, uti habet Averſ. *q.* 19. *ſ.* 2. §. *Quinto*, & notavi *n.* 499. Addunt aliqui cum Perez, Gob. *n.* 580. 590. & alii apud Kugl. *n.* 2125. *ſub fin.* quamvis impedimentum eſſet publicè notum, ſi tamen ſeparatio fieri non poſſet ſine gravi damno, poſſe Epiſcopum diſpenſare, uti & tum, ſi ob paupertatem nequeat adiri Papa, vel dari expenſæ pro diſpenſatione, & tamen ſeparari non poſſit ſine infamia vel ingenti difficultate.

836 §. 4. Univerſaliter loquendo tunc cenſetur eſſe neceſſitas, in qua diſpenſare poſſit Epiſcopus, ſi conjuges etiam divites nequeant abſque gravi incommodo vel ſcandalo ſeparari, ſi autem maneant conjuncti, donec Papa vel dele gatus ejus diſpenſet, verſabuntur in periculo incontinentiæ: ita Authores aliqui apud Kugl. *ſuprà*. Tum autem non cenſentur poſſe adire Papam vel ejus delegatum, quando obſtat eorum paupertas, Gob. *n.* 578.

837 §. 5. Dubitatum eſt, 1. an ſi uterque conjux ſit in bona fide, cauſa ſufficiens non recurrendi ad Papam per litteras ſit impedire fornicationes materiales, adeóque tum poſſit diſpenſare Epiſcopus? 2. An concurentibus illis, quæ relata ſunt, Epiſcopus poſſit diſpenſare etiam in quocumque impedimento, & gradu, qui Juris naturalis non eſt? 3. An etiam in impedimento criminis, ſecuto per machinationem homicidio? R. *Ad* 1. Non videri cauſam ſufficientem, aliàs fruſtrà addita eſſet illa conditio, ſi non ſit facilis recurſus ad Papam, cùm ſemper ſit periculum fornicationis ſaltem materialis. *Ad* 2. Poſſe, niſi aliundè ſpecialiter ipſi reſtringatur poteſtas, *Ad* 3. Pro hoc caſu videtur reſtricta poteſtas tam Nuntii Apoſtolici, quàm Epiſcoporum; nam in facultatibus ordinariis Nuntii, & extraordinariis Epiſcopi expreſsè ſic habetur: *Diſpenſandi ſuper impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac reſtituendi jus perendi debitum amiſſum.* Ex quibus verbis ultimis patet, quòd etiam de Matrimoniis contractis ſit ſermo, ergo cùm circa Matrimonia contracta non habeant poteſtatem niſi tacitam ex conceſſione Papæ, & Papa hìc non taceat, ſed abſolutè dicat, ſi alteruter machinatus ſit, non poſſe diſpenſare, facultas videtur quoad illud impedimentum reſtricta.

838 § 6. Etiam ante contractum Matrimonium poteſt Epiſcopus in impedimentis Jure humano ſtatutis diſpenſare, quando eſt urgentiſſima neceſſitas ſalutis animæ, & non eſt aditus ad Papam, vel eſt periculum in mora, ob periculum incontinentiæ, vel alterius gravis mali ſpiritualis, Vaſq. Salas, Præpoſ. Sanch. Caſtrop. G. Hurt. Reginal. Pont. Bonac. Villal. Baſſæus, Sylvius, Barboſa, Victorellus, Molfeſius, Dian. Leander, Homob. Cornejo, Machado, Candidus, Gorm. *de Sacram. n.* 325. Card. ſuprà *nu.* 4. qui dicit eſſe ſententiam ſecuriſſimam, & moraliter certam, quod iterum docet *in* 2. *criſi*, *diſſ.* 2. *à n.* 636. Kugl. *n.* 2134. vocans probabiliſſimam & ſecuram ſententiam, & pro hac referens adhuc plures Authores. Et ita declaraſſe *Sixtum V.* teſtatur Pyrrhus Corr. quem retuli *lib.* 6. *par.* 1. *nu.* 117. nam poſſe Epiſcopum diſpenſare in legibus Pontificiis in caſibus urgentis neceſſitatis, maximè pro bono ſalutis animarum, quando non datur aditus ad Pontificem, vel eſt periculum in mora, habet communis, & recepta Thologorum ac Canoniſtarum ſententia, quorum octodecim refert Sanch. ſuprà, ad quos accedunt Suar. Vaſq. Salas, Baldel. Caſtrop. Reg. Tapia, Pont. Bon. Barb. Sperel. *dec.* 112. *à n.* 51. & alii plures cum Averſ. *q.* 19 *ſ.* 2. §. *Concedendum*, & Card. *ſuprà*. *Probatur* 1. quia non eſt credibile intentionem Pontificis eſſe, quòd ſibi in tali caſu cum diſpendio boni communis animarum velit reſervare poteſtatem à Chriſto in bonum commune animarum conceſſam, & cùm tot graviſſimi DD. communiter ita interpretentur mentem Pontificis, eſt moraliter certum hìc locum habere ſaltem epiſkiam. *Prob.* 2. poteſt Epiſcopus diſpenſare in Matrimonio contracto, uti Authores ſuprà relati teſtantur, ergo etiam in contrahendo, cùm ſit utrobique eadem cauſa, poſſitque eſſe ſimilis neceſſitas maximè cùm Matrimonium ſic invalide contractum non ſit reipſa contractum, quia fuit irritum, ideóque ſit priùs rectè contrahendum. *Prob.* 3. Certum eſt, quòd conſuetudo det juriſdictionem uti Jura expreſsè dicunt, quæ retuli *l.* 6. *par.* 1. *n.* 117. adducitque etiam Kugl. *n.* 2134. Item certum eſt, quòd lex aliter non obliget, quàm prout eam communis ſenſus, & uſus interpretatur, atqui etiam certum eſt, quòd Epiſcopi in tali caſu ſoleant diſpenſare, cenſentque omnes communiter id eos poſſe, neque hoc ignoratur à Summis Pontificibus, uti teſtantur plurimi apud *Card. & Kugl.* ergo. *Prob.* 4. Poteſtas diſpenſandi in impedimentis Matrimonii etiam de Jure præſcribitur ſpatio 40. annorum etiam abſque titulo, ſi nempè concurrant paupertas, ob quam non liceat recurrere Romam, & gravis cauſa, ob quam moraliter non poſſit negari jam vel differri diſpenſatio: nam bona fide præſumi poteſt Principem in talibus circumſtantiis conſentire, cùm ſecundùm dicta, mens ipſius non ſit, ut reſervatio poteſtatis cedat in detrimentum animarum, Leſſ. *in auct. v. Matr. caſ.* 9. Gob. *n.* 596. praxin autem ſic diſpenſandi habent Epiſcopi ultra 40. annos, ergo. Et hæc extendunt *Sanch. & Averſa* etiam ad caſum, quo contracturi laborarent duplici impedimento, quia neceſſitas manet eadem, ſive ſit unum, ſive plura impedimenta. Et univerſim docent *Suar. Sanch. Salas, & Caſtr.* & Canoniſtæ communiter cum Sperell. *à n.* 47. *&* 72. Epiſcopum poſſe diſpenſare in caſibus extraordinariis, quando neceſſitas urget, & eſt periculum in mora, cum impotentia adeundi Superiorem, uti ſi naſcerentur gravia ſcandala, inimicitiæ, infamia: ac conſentiunt Barb. & Krim. *num.* 2045. ſi ſit caſus, in quo Papa ex juſtis cauſis diſpenſare ſoleat. Ideóque etiam Pign. *to.* 3. *conſ.* 53. docet Epiſcopum poſſe diſpenſare ſaltem ſubjonere poſteà id ſignificandi Papæ, ut ſic ſalvetur honor nobilium conjugum vel familiarum, cùm eorum unus periclitaretur de vita. Et ſimili ratione multi, quos retuli *l.* 5. *p.* 1. *n.* 554. dicunt Epiſcopum quandoque diſpenſare poſſe in votis perpetuæ caſtitatis aut Religionis, quæ aliàs reſervantur Papæ. Et ratio horum omnium à priori eſt, quia pro ejuſmodi gravibus prudenter præſumitur Papam conviſſimis cauſis propter bonum commune. Imò putat cum

aliis Gob. *tr. 9. n. 574.* si votum castitatis vel Religionis emissum sit ex metu injusto gravi aut levi, item si obstrictus tali voto puellam imprægnarit, quam ducere vellet, antequàm pariat, & careat pecuniis ad impetrandam dispensationem, aut non pateat facilis Romam aditus, tum etiam posse dispensare Episcopum.

839 §. 7. Si casus patiatur moram, & Nuntius Apostolicus habeat à Sacra Pœnitentiaria specialem facultatem, quam ab ea non habet Episcopus, recurrendum est ad Nuntium: nam ideò pro tali casu datur talis specialis facultas Nuntio, ut sit in partibus, qui dispenset, cùm sit facilis recursus ad Nuntium, uti supponitur; pro sola autem necessitate potest dispensare Episcopus non habens aliundè specialem facultatem; si tamen etiam Nuntius careat speciali facultate ad aliquid, Episcopus potest idem, quod Nuntius, nec opus est ad hunc recurrere, ita quoad utramque partem Sanch. *l. 2. d. 40. n. 8. & l. 8. d. 9. n. 25.* Avers. *qu. 19 s. 2. § ult.* Tamb. Perez, Gob. Spor. Kugl. *n. 2125.*

840 §. 8. Si Episcopus ex præsumpta licentia Papæ dispensaturus in aliquo impedimento sit certus esse aliquam causam dispensandi, sed dubitet, an sit sufficiens, probabile est posse dispensare secundùm dicta *l. 1. n. 804.* ubi addidi, quid faciendum sit, si posteà resciatur causam dispensandi non fuisse sufficientem, aut etiam si nunc dubitetur, an adsit ulla causa dispensandi: imò Dian. *p. 4. t. 3. R. 44.* Barb. *de potest. Episc. alleg. 33. n. 26.* Sperell. *n. 54.* absolutè dicunt, etiamsi dubitetur, an sit magna necessitas, vel an talis dispensandi causa hìc & nunc sit justa. Et saltem in dubio, an casus indigeat dispensatione, tum posse dispensare Episcopum docet Krim. *n. 2043.* quia reservatio potestatis dispensandi est odiosa, & meritò præsumimus Ecclesiam non reservare dispensationem casus dubii, sed tantùm certi, hinc posse Episcopum dispensare cum illis, qui sunt propè ætatem requisitam, & de quibus dubitatur, an malitia suppleat ætatem, docent Barb. *de jure Eccl. l. 1. c. 11. n. 187.* Krim. *n. 2184.*

841 §. 9. Potest Episcopus, saltem ex consuetudine, dispensare ad petendum debitum cum conjugato, qui post Matrimonium contraxit impedimentum spiritualis cognationis vel affinitatis, Sanch. *l. 8. d. 6.* Quod extendit *Castrop.* etiam ad eum, qui emisso absolvo voto castitatis contraxit Matrimonium, Krim. *n. 2060. & addit. 2127.* similiter posse Episcopum dispensare cum conjugibus, qui ex mutuo consensu voverunt castitatem conjugalem, si etiam mutuò sibi hoc remittant.

842 §. 10. Episcopus, ubi potest, plerumque tenetur saltem ex charitate sub mortali ita dispensare pro bono salutis animarum, Card. *in 1. crisi d. 79. n. 27.* Ratio est, quia secundùm dicta *l. 2. n. 174.* quivis pastor, quo nomine etiam venit Episcopus, tenetur cum gravissimo etiam suo dispendio succurrere subdito in gravi necessitate spirituali constituto, qualis necessitas hìc est, uti constat ex dictis *n. 175.* Et quæ hìc dico, confirmabuntur ex dicendis *n. 995. & 907.*

843 §. 11. Si dispensavit Episcopus, pro quo erat communis error cum titulo colorato, quòd dispensare posset, quamvis non potuerit, valet dispensatio per *legem Barbarius, ff. de off. præt.* quia secundùm dicta *l. 6. p. 1. à nu. 112.* & dicenda hìc *nu. 896.* Ecclesia supplet: è contrà, si fuit tantùm error in Episcopo dispensante, non valet dispensatio, Bardi *de consc. discept. 6. cap. 5. §. 5.* Et idem dicit Sanch. *in Decal. l. 4. c. 44. n. 10.* si dubium fuerit, an causa allata vel subtacita fuerit finalis an impulsiva, & posteà resciatur fuisse finalem, quia cùm talia non spectent ad potestatem Superioris, quæ in bonum Ecclesiæ amplè interpretanda esset, sed tantùm spectent ad voluntatem Superioris, qui intentionem habet dispensandi secundùm veritatem, quæ sibi proponitur, hinc si deest veritas, invalida est dispensatio. Consequenter si Episcopus habens potestatem dispensandi cum solis pauperibus, per errorem putarit se dispensare posse etiam cum divitibus, aut si per errorem privatum putarit hos esse pauperes, qui tales non erant, quamvis Gob. *tr. 9. n. 663.* putet talem dispensationem valere, eò quòd facultates dispensandi committantur Episcopo usuro pro sua prudentia, qua utitur prudenter ita opinans, quamvis reipsa fallatur, tamen oppositum videtur tenendum, quia Papa non concesserat facultatem nisi ad dispensandum cum verè pauperibus, nec aliundè suppletur talis potestas dispensandi cum reipsa divitibus. Neque talis facultas conceditur sub conditione, *si prudenter judicet esse pauperes*, sed sub conditione, *si verè pauperes sint.* Quòd si Episcopus putatit se certum, quòd essent pauperes, & tamen reipsa non essent tales, adhuc videtur probabilius ob rationem jam datam, quòd non valeat dispensatio.

§. 12. Huc pertinet solutio sequentis casus: Titius 844
consanguineus Cajæ in 3. gradu petit dispensationem ab Ordinario, qui putans se posse, dispensavit: non poterat autem cum divitibus, quales erant Titius & Caja, Matrimonium ex hac dispensatione, bona fide initur in facie Ecclesiæ, pluribus annis convivunt, & suscitant proles, post plures annos rescit Titius Ordinarium non potuisse dispensare cum divitibus: *Quaritur*, an jam non possit Ordinarius dispensare in illo impedimento, olim quidem publico, nunc autem occulto, quia omnes jam judicant bene dispensatos fuisse, & per dispensationem sublatum fuisse impedimentum. R. Ordinarius potest dispensare in impedimento occulto, quando Matrimonium est publicum & bona fide contractum, Sanc. *l. 2. de Matr. d. 40. n. 3. & 4.* addens *n. 5.* dispensare posse, etiamsi divites sint: idem habent alii apud Sanch. & apud Tamb. *l. 8. t. 2. c. 4.* Pont. Avers. Perez, Castr. Hoc autem impedimentum, quamvis in se fuerit publicum, jam tamen est occultum in ratione impedimenti, nam nunc de illo non constat, nec moraliter constare potest: tum enim impedimentum censetur occultum, quando publicè creditur legitima dispensatio esse obtenta, uti expresè Platel. *p. 5. n. 1184.* hoc autem hìc publicè creditur, ergo. Et ita senserunt D. de Facultate, & alii Coloniæ anno 1711.

§. 13. Quando Episcopus dispensat in casibus occul- 845
tis ex tacita concessione Papæ, hoc tantùm juvat pro foro conscientiæ, quia si impedimentum fieret publicum, & Episcopi sequentes nollent credere dispensationem interveniisse, possent ratione scandali imperare separationem. De cætero si saltem posteà subsequatur Matrimonium, etiam per dispensationem occultam, proles reipsa legitimantur per hoc subsequens Matrimonium.

Q. 111. Quasnam extraordinarias facultates, præ- 846
sertim in impedimentis Matrimonii, habere soleant à Sede Apostolica Episcopi in Germania? R. §. 1. Habent multas ex illis, quas *n. 832. d. 41* concessas esse Nuntiis Apostolicis, non tamen omnes. Communiter dantur, prout sequitur:

1. Absolvendi ab hæresi, & apostasia à fide, & à schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam sæculares, quàm regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint; nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantùm.

2. Tenendi & legendi libros prohibitos hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi,

&

& Nicoali Machiavelli, & libros de astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri &c. illis Provinciis non efferantur.

3. Dispensandi in 3. & 4. simplici,& mixto tantùm cum pauperibus in contrahendis, in contractis verò cum hæreticis conversis etiam in 2.simplici & mixto, dummodò nullo modo attingat gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justitiæ ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento *criminis*, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum.

7. Hæ verò matrimoniales dispensationes videlicet 3. 4. 5. & 6. non concedantur, nisi cum clausula: dummodò mulier rapta non fuerit,& si rapta fuerit,in potestate raptoris non existat; & in dispensationibus hujusmodi declaretur illas expressè concedi tanquàm à Sedis Apostolicæ delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis,ad quod fuerint concessæ,aliàs nullæ sint.

8. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantùm provenientibus, excepta ea,quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi & commutandi vota simplicia in alia pia opera,exceptis votis Castitatis, & Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Cænæ Domini, in locis tamen, ubi impunè grassantur hæreses.

11. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta,& in casu necessitatis etiam aqua ab Episcopo non benedicta.

12. Conferendi Ordines extra tempora,& non servatis interstitiis, usque ad Sacerdotium inclusivè.

13. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si aliàs idonei fuerint.

14 Consecrandi olea cum quinque saltem Sacerdotibus,non tamen extra diem Cænæ Domini, nisi necessitas illud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram, & aliam post meridiem,sine Ministro,sub dio & sub terra,in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum,& præsentibus hæreticis,schismaticis,infidelibus, & excommunicatis, & aliter celebrari non possit.Caveat verò,ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter,quàm ex gravissimis causis, & rarissimè utatur,in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quòd si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferiùs apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui,qui à S.Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, seriò ipsius conscientiæ injungitur,ut paucis, dumtaxat iis maturioris prudentiæ ac zeli, qui absolutè necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communicet, aut respectivè causas approbet.

16. Deferendi SS. Sacramentum occultè ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidebus sit periculum sacrilegii.

17. Induendi vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

18. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium, ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

19. Dispensandi, quando expedire videbitur super usu carnium, ovorum & lacticiniorum tempore jejuniorum, & præsertim Quadragesimæ.

20. Communicandi has facultates in totum vel in partem, prout opus esse secundùm ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus,& præsertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimùm fieri debebit,per delegatos aut per unum ex eis alio modo providear.

21. Et prædictæ facultates gratis,& sine ulla mercede exerceantur,& tantùm concessæ intelligantur ad quinquennium.

22. Utendi eisdem facultatibus in Civitate, & Diœcesi N. tantùm.

§. 2. Cùm facultates illæ dentur Episcopis tantùm 847
ad quinquennium, & easdem per facultatem 20. communicare possint aliis Sacerdotibus, orta est dubitatio,an communicare possint usu pandas ad tempus longius quàm quinquennium, de quo dubio videri possunt dicta *l. 6. p. 2. num.* 1598. Saltem Nuntius Apostolicus,cùm facultates suas habeat pro tempore suæ Nuntiaturæ, potest illas, quæ communicabiles sunt, alicui communicare pro toto illo tempore.

§ 3. Initio cujusvis Pontificatus promulgatur Regu- 848
la Cancellariæ, quæ ordinariè est 13. vel 14. *Item revocat quascumque facultates concessas quibuscumque Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, & aliis Prælatis, & Personis, necnon Apostolicæ Sedis Nuntiis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum collectoribus, de dispensando cum quibuscumque personis super Matrimonio contracto vel contrahendo in gradu prohibito,ac super natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus Beneficiis Ecclesiasticis insimul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis,ac aliàs à præmissis officia ipsorum Nuntiorum, & Collectorum directe non concernentes quoad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nuntiis ejusdem dictæ Sedis legatis de latere competens fuerit concessa facultas.* Hinc dubitatum est anno 1700. cùm novus esset Pontifex, an relatæ facultates Episcoporum, & Nuntii Apostolici revocatæ essent, & interrogata Roma respondit, facultates illas, quæ à S.Officio concessæ sunt, quales ordinariè sunt, quæ Nuntiis Apost. & Episcopis mittuntur non revocari per illam Regulam, sed eas tantùm, quæ ab antecessore Papa ipso immediatè concessæ erant.

§. 4. Quamvis in facultate 22. Episcopi habeatur, 849
Utendi eisdem facultatibus in civitate, & diœcesi N. tantùm; ita ut iis nullo modo uti possit extra fines præfatæ suæ diœcesis,tamen eisdem uti potest,v.g.Episcopus Monasterienſis pro Neo Stadio Goddens.quamvis hic locus strictè non sit diœcesis Monasterienſis. Ratio est,quia ipse est Episcopus vicinior, & pro spiritualibus ad eum recurrunt, ergo censetur eorum Episcopus, & ita judicarunt mecum anno 1702. tres D.Qui tamen censuerunt Missionarios castrenſis alicujus Legionis non posse ex vi facultatum ab Episcopo Monasterienſi concessarum, v. g. binare Missam in aliena diœcesi legendam, sed videri possunt dicta *l. 6. p. 2. n.* 1518.

§. 5. Circa facultatem 19. judicavit quidam vir 850
doctiss. posse Episcopum à potiori dispensare etiam pro esu carnium diebus Veneris,& Sabbati per annum.

§. 6. Per facultatem absolutè dispensandi in Ma- 851
trimoniis contractis, non possunt illi juvari, qui contraxerunt neglectis proclamationibus;

secundum dicta *numero* 830. 835.

852 §. 7. Circa facultates relatas, tum Nuntii Apostolici, tum etiam Episcoporum. Pign. *to.* 7. *conf.* 53. docet seqq. 1. Facultates illæ quæ non sunt restrictæ ad certas personas, valent pro absolutionibus, & dispensationibus respectu quarumcunque personarum etiam peregrinarum, & advenarum, etiam Regularium exemptarum, quamvis Superiores ignorarent vel inviti essent, ad eum modum, quo *l. 6. p. 2. n.* 1464. dictum est in anno Jubilæi. 2. Facultates illæ valent tantùm in ordine ad forum conscientiæ. 3. Vi facultatis *absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis*, non posset quis absolvi ab hæresi, nequidem in Jubilæo, & hoc etiam dicunt A A. quos retuli *l. 6. p. 2. n.* 1616. Quamvis aliqui cum *Tamb.* contradicant, quantùm ad Germaniam. 4. Quinquennium datum pro usu talis facultatis incipit currere à die acceptationis, pro quo refert *n.* 9. declarationem 13. Aug. 1670. emanatam; oppositum tamen tenendum est de Bulla indulgentiarum, uti *l. 6. p. 2. n.* 6. *n.* 525. dictum est.

853 *Q.* 112. *Quis Episcopus possit dispensare cum sponsis habentibus impedimentum?* R. §. 1. Si sponsa sit diœcesis Colonien sis, & sponsus diœcesis Trevirensis sintque consanguinei in 3. gradu, dubitatum est, an satis sit, ut dispensetur à Colonien si Episcopo cum sponsa, vel an opus sit etiam à Trevirensi dispensari cum sponso. Fundamentum dubitandi est ex Gob, *t.* 9. *n.* 589. nam licèt satis sit dispensari unum, quando uterque est subjectum eidem Episcopo, tamen si sint subjecti diversis, non videtur id sufficere, cùm facultates dispensandi sint restrictæ ad proprios tantùm subditos. Nihilominus dicendum est cum Nav. Henr. Sanc. *l.* 3. *d.* 26. *n.* 6. satis esse alterutrum è sponsis ab uno ex illis Episcopis dispensari, quia dispensatio sponsæ reddit sponsam habilem ad contrahendum cum suo consanguineo, tollitque ab ea consanguinitatem (moraliter loquendo prout impeditivam Matrimonii) & facit tantumdem, ac si in ipsa physicè non esset consanguinitas, debet enim dispensatio sponsæ in ea aliquid operari, nihil autem aliud operatur, nisi hoc, ergo hoc ipso potest sponsus cum ea contrahere, jam enim non contrahit cum consanguinea, sed veluti cum extranea. Ratio à priori est, quia impedimentum consanguinitatis non potest desinere in uno, quin hoc ipso etiam desinat in altero, idcóque per unam dispensationem indivisibiliter tollitur, uti indivisibiliter constat conjunctione sanguinis utriusque personæ, ad eum modum quo sublata albedine ab uno pariete indivisibiliter tollitur similitudo cum altero pariete albo, impossibile enim est sponsum esse consanguineum sponsæ, si sponsa desinat esse consanguinea sponso, cum ista sint correlativa. Fundamentum *Gobati* nihil evincit, quia singuli Episcopi dispensant tantùm cum suo, & unius dispensatione posita, hoc ipso cessat impedimentum etiam in altero, quia tollitur pars illius impedimenti.

Objicies. Si Generalis Ordinis prohibuisset, ne duo ex diversis Monasteriis sint sibi socii in itinere sine dispensatione, licèt Abbas A. cum suo subdito dispensaret, non ideò posset hunc comitari subditus Abbatis B. nisi hic etiam dispenset cum suo, ergo similiter in nostro casu. Resp. disparitatem esse, quia sicuti prohibitio, ita etiam dispensatio ad simul proficiscendum sive ad comitandum, est divisibilis, hoc ipso enim, quòd prohibeatur unus comitari, non ideò prohibetur alter, quia posset prohiberi unus, & non alter, similiter hoc ipso, quòd vinculum prohibitionis tollatur ab uno, non ideò tollitur ab altero, quia uno absoluto posset alter manere prohibitus; è contra impossibile est, tolli vel remanere consanguinitatem in uno, quin hoc ipso tollatur aut remaneat etiam in altero, quia nemo potest esse non consanguineus consanguineæ, aut consanguineus non consanguineæ. Deinde hoc ipso, quòd Titia sit habilis ad ducendum Cajum, Cajus eam ducens, dúcit habilem, ergo non impeditam, ergo nec ipse est inhabilis aut impeditus, cùm inhabilitas aut impedimentum, quod hìc deberet esse, necessariò semper includat duos inhabiles & impeditos, videlicet duos consanguineos aut duos affines, quales non sunt posita dispensatione unius. Aliud est, si sponsus & sponsa haberent alia impedimenta separabiliter impedientia, v. g. si uterque haberet simplex vel solemne votum castitatis, tum enim dispensato & habilitato uno, non ideò habilitaretur alter, quia votum sponsi, quod impedit, non includit votum sponsæ, nec sublato voto sponsi tollitur votum sponsæ, sed planè sunt divisa, potestque sponsus manere voto obligatus, licèt sponsa sit soluta, & idem est aliis similibus impedimentis, secus in consanguinitate aut affinitate, uti dictum est. Ita mecum judicarunt duo Doctores anno 1702.

§. 2. Cùm vagis potest dispensare quivis Episcopus 854
cui se subjiciunt. Quod valet, quamvis tantùm unus eorum esset vagus, hoc enim, secundùm jam dicta, dispensato per quemcunque Episcopum, cui se subjicit, concomitanter habilitatur etiam alter.

§ 3. Huc pertinet solutio sequentis casus: Titius 855
Colonien sis imprægnata Coloniæ Caja sibi in 3. gradu consanguinea abit Treviros famulaturus, ubi ab Episcopo Trevirensi obtinet dispensationem contrahendi cum Caja. *Quæritur* 1. An Episcopus Trevirensis potuerit cum Titio dispensare? 2. Si Titius iverit Treviros animo obtinendi dispensationem, an hæc non sit subreptitia? 3. Si dispensatio valeat, an vi illius obtentæ possit Titius redire Coloniam, & hìc copulari? R. *Ad* 1. Titius volens famulando permanere Treviris per majorem anni partem, primo die acquirit quasi domicilium, fitque subditus illi Episcopo quoad Matrimonium, secundùm dicta *n.* 722. hinc si in hoc impedimento possit ille Episcopus cum suis subditis dispensare, etiam potest cum Titio. *Ad* 2. Non obstat, si Titius eo animo iverit illuc secundùm dicta *n.* 722. quia usus est jure suo, quod habebat ad acquirendum ibi quasi domicilium, quo acquisito potest uti favore. *Ad* 3. In ejusmodi indultis communiter habetur *pro Matrimoniis in tua tantùm diœcesi contrahendis*, hinc vi talis dispensationis non poterunt contrahere extra diœcesin Episcopi dispensantis. Quod si Episcopo absolutè detur potestas dispensandi pro Matrimoniis, Titius obtenta Treviris dispensatione, poterit redire Coloniam, & hìc contrahere, dummodò ante contractum Matrimonium non dimiserit animum redeundi Treviros, & hìc, prout statuerat, per majorem anni partem permanendi. Si autem Coloniam redierit deferens animo & corpore illud quasi domicilium Trevirense, videtur non posse, quia dispensatio non manet moraliter afficiens illum, quando contrahit, non enim afficit, nisi subditum Diœcesis Trevirensis, tum autem non erit illius subditus. *Si dicas*, sublatum semel impedimentum non redire. R. Impedimentum est consanguinitas, quæ semper mansit, & per dispensationem, quæ afficit subjectum, datur potestas contrahendi cum illa consanguinea, sicque tantùm moraliter tollitur illud impedimentum consanguinitatis, quamdiù dispensatio illum afficit, si autem desinat esse subditus ante executam dispensationem, hæc non ampliùs moraliter afficit ipsum, neque in se, neque in aliquo suo effectu, ergo.

Q. 113. *Quis dicatur pauper in ordine ad dispensationem matrimonialem?* R. §. 1. Notant aliqui cum dici 856
inopem, qui nihil habet; *egenum*, qui non habet vitæ necessaria; quis autem dicatur *pauper* est major difficultas, Barb. *De offic. Episc. alleg.* 41. *n.* 24. ait:

pauperes

pauperes dicuntur, non solùm mendicantes, sed etiam habentes congruam sustentationem, qui tamen attento statu personæ & dignitate videntur indigere. Piasec. *in praxi Episc. p. 2. c. 2.* ait : *dicitur pauper, qui ex annuo reditu non recipit ultra decentem sustentationem.* Tuschus. *v. Pauper.* Concl. 160. ait : *aut paupertas consideratur respectu certi actus, putà, quòd solvatur Romæ certa quantitas, & qui non potest* (intellige sine notabili incommodo) *dicitur pauper. Aut loquimur de paupertate indefinitè, & statur arbitrio Judicis.* Addit : *qui non habet tantum, quo vivat, dicitur pauper, vel quando non potest explere officium suum de suo* : saltem omnes communiter fatentur illum esse canonicè pauperem, qui absque imminutione sui status non potest solvere Jura pro dispensatione obtinenda Roma. Gob. *t. 9. à n. 654.* putat mulierem esse pauperem, quæ caret dote ad nubendum extra cognationem vel affinitatem viro paris conditionis secum, è contrà illum virum censeri pauperem, qui ob inopiam nequit reperire sibi uxorem parem natalibus & dignitate. Addit, simpliciter loquendo illum censeri pauperem, qui non habet scuta 50. ut ait Tuschus. Et universim tradit Gob. eos in hac materia haberi pauperes, qui agricultura, opificio, arte etiam liberali, uti pharmacopæia se familiamque suam alunt.

857 §. 2. Quia deprehensum est quosdam titulo paupertatis usos esse, qui solvere potuissent Romæ compositiones & Jura Officialium. Urbanus VIII. loco clausulæ, *dummodo ipsi pauperes existant*, voluit poni, *dummodò ipsi pauperes & miserabiles existant, ac ex solo labore & industria tantùm vivant*, hinc Corrad. *l. 8. c. 5. n. 4.* notat per pauperes intelligi personas miserabiles, nec verificari paupertatem, nisi probetur etiam miserabilitas. Et *n. 12.* dicit : ille dicitur pauper, qui non habet in bonis 50. aureos; ille miserabilis, ad cujus commiserationem nos natura inclinat, circa quæ debet executor se extrajudicialiter informare. Addit *n. 15.* apponitur quòd vivant ex labore & industria manuum *tantùm*, quæ dictio adjicitur ad denotandum, quòd oratores præter laborem & industriam manuum suarum nullo alio modo vivere possint, & sic per eam excluditur omnis alius modus vivendi, & ista omnia pluribus ibi declarat, ideóque aliquis Illustrissimus Nuntius Apostolicus anno 1694. Coloniæ interrogatus declaravit ex nota sibi praxi Romana, solos eos Romæ pauperes haberi, qui tantùm 80. scuta in reditibus annuis habent, ac de reliquo labore manuum vivere debent. Pro his verò partibus juxta potestatem seu facultates Nuntiis & Episcopis concessas illos solos censeri pauperes, qui adeò pauperes & miserabiles sunt, ut Romanam Curiam adire non possint sine magno incommodo, hoc est, solvere non possint istic Jura pro pauperum dispensationibus taxata, v. g. 8. vel 10. scuta, aut etiam plura pro diversitate graduum & causarum in ejusmodi dispensationibus. Krim. à *n. 2292.* post relatas aliorum opiniones concludit eum dici *pauperem*, qui labore suo debet sibi victum quærere : eum *miserabilem*, qui tantùm labore suo, & non alio modo sustentare se potest, putatque hoc adhuc esse verum, quamvis ex agello vel aliundè habeat aliquem modicum proventum, eò quòd censeat piam Matrem Ecclesiam cum tali misero homine nolle rigidiùs procedere. Addit etiam eos dici vivere labore & industria, qui non tantùm labore corporis, sed etiam animi debent sibi victum quærere. Addunt De Justis & Kærchne *n. 262.* non tam attendi, an immobilia habeant bona, sed quos proventus ex illis habeant deducto ære alieno, impensis, oneribus, si enim tam parum habeant, ut ideò ad vivendum cogantur laborare, censentur verè pauperes & miserabiles, nec tenentur bonum vendere, ut taxam solvant. Certum est autem non esse hìc canonicè pauperem, qui reipsa dives est & vivit labore manuum, quia cùm non ex necessitate sic vivat, non est miserabilis, imò nec pauper.

§. 3. Putarunt aliqui illos posse hìc dici pauperes, 858
qui adhuc sunt sub potestate parentum, nec in re habent bona aliqua, quamvis suo tempore expectent pinguem hæreditatem; sed contrà est, nam si hoc valet, plerique filii Principum sunt pauperes vivente parente : Unde rectè dicit Tuschus suprà *concl. 161. tales non esse omninò inanes sive pauperes, propter spem, quòd perveniant ad pinguem fortunam.*

§. 4. Si quis anteà pauper, post signatam Romæ 859
supplicam in forma commissoria ante executionem fieret dives, rectè dicit Corradus *n. 30.* talem non posse contrahere Matrimonium vi dispensationis obtentæ allegato titulo paupertatis, quia dispensatio respiciebat tempus, non tantùm, quo petebatur, sed etiam executioni daretur dispensatio, secundùm dicenda *n. 903.* debebat enim in eam inquirere exequens. 860

§. 5. Gob. *n. 659.* putavit sufficere, si unus sponsorum sit pauper, quamvis etiam in Rescripto ponatur, quòd sint pauperes, quia paupertas unius gravat etiam alterum, sed rectè contradicit Corrad à *n. 2.* Hinc utriusque paupertatem requiri allegat posteà ipsemet Gob. *n. 666.* ex responso cujusdam periti in stylo Curiæ.

§. 6. Circa modum probandi paupertatem, edita 861
est typis sequens Instructio, requisita ad conficiendas probationes circa paupertatem petentium dispensationes matrimoniales à S. Sede Apostolica.

1. Testimonium Parochi utriusque dispensandi prævio juramento non solùm ab ipsomet subscriptum, sed etiam à Not. publico, & Eccles. Curiæ servienti recognitum exprimens paupertatem dispensandorum his ferè verbis.

Forma testimonii Pastoris.

Ego NN. infrascriptus Parochus Ecclesiæ Parochialis S. N. Diœcesis NN. medio juramento fidem facio NN. esse meum Parochianum, ac ejus genealogiam, in affinitate, sive consanguinitate esse infrascriptam.

Hìc Parochus inserat genealogiam & immediatè sub eadem ponat.

Item medio juramento fidem facio pariter ego infrascriptus suprædictum meum Parochianum esse pauperem & miserabilem, itaut vivat propria industria, & labore tantùm. In quorum fidem manu propria me subscripsi, & præsentes sigilli mei sub impressione firmavi. Actum N. die N. anno N.

(L.S.) NN. Parochus Eccl. NN. Diœc.
NN. manu propria subscripsi.

Forma documenti Notarii recognoscentis manum Parochi.

Fidem facio Ego infrascriptus NN. Notarius publicus, quòd anno, & die infrà nominatis coram me comparuerint NN. & medio juramento fidem fecerint subscriptionem, & sigillum prætactas esse manum propriam & sigillum R. D. N. Parochi Parochialis Ecclesiæ NN. Diœcesis NN. causam scientiæ suæ allegantes, quomodo dictum Parochum scribentem, & sigillum & manum ejusdem sæpissimè viderint. In quorum fidem præsentes manu propria scripsi, & consueto Notariatus mei sigillo communivi. Actum N. Anno N. die NN.

(L.S.) NN. Apostolica sive Cæsarea authoritate publicus & approbatus.

Notarius, manu propria subscripsit.

Secundò. Examen duorum testium coram Ordinario, Archidiacono, vel Vicariis Foraneis jurisdictionem Ecclesiasticam exercentibus asserentium prævio juramento paupertatem dispensandorum per pariter juramentum positiones, omissis aliis, quæ de jure, infrascriptæ sufficiendæ, sive stylo fieri faciendæ.

Tenor positionum.

Primò. Cujus nominis, cognominis, patriæ, status, ætatis, quibus parentibus nati, & quam professionem exerceant ipsi Testes.

2. Cujus ætatis, patriæ, & quibus parentibus nati sint supplicantes si habent ipsorum notitiam.

3. Quandiù habuerint notitiam ipsorum, qua occasione & veram habeant familiaritatem & practicam continuam cum ipsis.

4. Utrum sciant exercitium, sive artem, quam unusquisq; ipsorum exerceat, & quid possint lucrari.

5. Utrum sciant bona, quæ possident, tam immobilia, quàm mobilia, census, mercimonia, credita, animalia, aut alios effectus cujuscunque generis, & valorem ipsorum.

6. Utrum sciant & velint affirmare, quòd non possideant alia bona, & quomodo habeant illius certam notitiam.

Pro tertio. Testimonium Ordinarii asserentis paupertatem dispensandorum, in quo affirmet coram se Testes hac de re præstito anteà juramento, examinatos fuisse, quod idem testimonium non solùm ab ipsomet Ordinario subscribi debet, verùm etiam à Notario in sequentem, seu similem formam.

Forma Testimonii Ordinarii.

Ego N N. infrascriptus fidem facio omnibus & singulis quorum interest, & ad quos spectat, N N. esse pauperes & miserabiles, & ex proprio labore, & industria tantùm vivere, prout Nobis constat ex attestatione proprii parochi amborum supplicantium, & ex depositionibus duorum vel plurium testium fide dignorum coram nobis examinatorum cum juramento servata forma instructionis nuper ab Urbe transmissæ.

In quorum fidem &c. (L. S.)

Subscriptio.

Similem ferè Instructionem pro examine testium ex Decreto S. Congregationis die 21. Aug. 1670. emanatam refert Genettus in volumine 2. post Tract. de Matrimonio. Fit tamen sæpè, ut acquiescant Romæ, si solus Ordinarius de hac paupertate testetur, scio etiam solius parochi testimonio, absque istis aliis sumptuosis formalitatibus datam esse fidem, quòd adesset vera paupertas, quamvis jam intelligam sine testimonio Ordinarii nihil Romæ obtineri.

862 *Q.* 114. *An Nuntii Apostolici vel Episcopi in his partibus dispensare possint cum quibusvis pauperibus pro contrahendis Matrimoniis, si attingatur gradus secundus?* Resp. §. 1. Facultas illorum constat his formalitatibus; *Dispensandi in 3. & 4. simplici & mixto, cum pauperibus, in contrahendis.* Unde orum est dubium, an intelligantur gradus 3. mixtus etiam cum 2 an autèm tantùm mixtus cum 4. Episcopum & pariformiter Nuntium habere potestatem dispensandi in gradu 3. mixto cum 2. docent Sanch. *l. 8. d. 24. n.* 34. Angelus *v. Matr.* Tanc. *l. 8. d. 24. Dub tabis* 2. Basæus *to. 2. v. Matr. n. 5.* Ill. *tr. 1. d. 3. n. 33.* Rationē dant 1. quia tertius gradus hìc solùm præstat impedimentum, ut declaravit S. pius V. in motu anno 1566. quem motum per privatas litteras ad Officialem Toletanum esse revocatum ab Urbano VIII. vult. Barbosa, sed non credunt Gob. *tr. 9. n.* 619. & Tamb. *l. 8. tr. 2. c. 9. §. 7.* tum, quia Urbanus tantùm recitativè refert illa verba. *Nuptias ita contractas fuisse irritas & incestuosas*, prout suis litteris inseruerat dictus Officialis: quam interpretationem patiuntur illius verba grammaticaliter accepta: Quomodo enim Urbanus dicere posset incestuosas nuptias, quas nobilissimi conjuges secuti decreta S. Pii V. Clem. VIII. Greg. IX. Clem. VI. & ipsum Jus commune, ut in Bulla testatur S. pius V. contraxerant, absque hoc, quòd dispensationem petiissent super gradu propinquiori? Et licèt ad mentem Barbosæ sic rescripsisset Urbanus, hoc tamen Rescriptum non est receptum, Gob. *l. c.* & videtur potiùs error irrepsisse Ministrorum, Tamb. *l. c.* maximè cùm apud ipsum Barbosam contrarium adhuc ediderint post hoc Rescriptum pontius, Perez, Dicast. 2. Quia tantùm illius gradus habetur ratio, qui est remotior, Cap. fin. *De consanguin.* quando enim duo consanguinei in gradu dispari distant, intelliguntur tantùm distare inter se, quantùm remotior distat à communi stipite, ergo sicut gradus remotior trahit ad se & imbibit proximiorem, quantum ad rationem magis distandi à primo stipite, ita eundem ad se trahet & imbibet, ut solius ejus ratio sit habenda in dispensatione. 3. Ex Cap. *Quod dilectio.* De consanguin. deducitur quidem, facultatem Legato concessam ad dispensandum in certo gradu intelligi; quando uterque gradus distat æqualiter à stipite, sed rationem dant Doctores sic intellectæ facultatis, quòd in eo loco sic haberet consuetudo, & ex dispensatione oriretur scandalum, *Sanch.* suprà. Contrarium autem tenent, ubi est contraria consuetudo, & ex dispensatione attento Jure non orietur scandalum. Quamvis autem in hac patria non sciatur esse contraria consuetudo; tamen non scitur etiam de consuetudine non dispensandi in dicto gradu mixto.

Nec obstat 1. Quod S. Pius V. requirat simul litteras declaratorias de gradu propinquiori: *nam* hæ declaratoriæ non sunt conditio, aliàs valor Matrimonii suspenderetur in utroque foro, donec conditio esset impleta, nec dispensatio anteà sortiretur effectum, cujus oppositum patet ex verbis S. Pii V. dicentis, etiamsi gradus propinquior non esset expressus, adeòque nullæ declaratoriæ super hoc datæ essent, tamen omnia acta, & dispensationes confectas super gradu remotiori, qui propinquiorem imbibit, minimè posse subreptione aut intentionis defectu notari, & ita etiam notant Sanch. suprà, Gob. *n.* 622. Tamb. §. 7. Leand. *p. 2. t. 9. d.* 24. Baff. suprà: tantùm ergo declaratoriæ istæ requiruntur, ut serviant pro foro externo, & occurratur scandalo eorum, cui propter dispensationem in gradu propinquiori non obtentam tam putarent Matrimonium esse nullum. Unde infert *Baff.* si nullum scandali periculum immineret, nec res ad forum externum delata esset, non esse necessarium, ut declaratorias afferant, uti nec tum si impedimentum sit occultum, id est, etiam quando notum quidem est, sed palam creditur legitima dispensatio obtenta, quia tunc non est notum in ratione impedimenti, quod creditur per dispensationem sublatum. Plat. *p. 5. n.* 1184. aut si aliter obviari posset scandalo, exponendo ex motu S. Pii V. gradum proximiorem non officere, oratores absq; mortali possunt negligere declaratorias, pont. Av. Tamb. *à n.* 6. Ordinarius tamen ex præceptopontificis præcipientis dictas declaratorias in ordine ad forum externum, non potest absque illis dispensare sine peccato mortali, *Tamb.* & idem innuit *Sanch.* suprà.

Nec obstat 2. quòd Nuntius Apostolicus non practicet dispensationem in gradu mixto ex tertio & secundo: *nam* id potest esse, quia in Nuntiatura est consuetudo contraria, contra quam, si dispensandi facultate uteretur, posset oriri scandalum: hoc autem, non obest aliis habentibus facultatem dispensandi in gradu tertio, *Sanch.* & alii.

Nec obstat 3. quòd per Rescriptum, significatum sit Nuntio, quòd ipse non possit, *nam* cùm Jure communi, ut dicit S. pius V. & ex Decretis ipsius S. Pii V. Clem. VI. & VIII. uti & Greg. IX. potens dispensare in remotiore, possit idem, si hic mixtus sit, cum propinquiori, eò quòd hic dispensatione non indigeat, particulare Rescriptum missum ad Nuntium Apostolicum, non derogat Constitutioni generali, & ipsi Juri communi, cujus correctio vitanda est,

quoad

quoad fieri potest, *L. Præcipimus: Cod. de appellat.* Castr. *to. 3. d. 5. p. 3. §. 3.* Adde, quòd Rescriptum particulare contra commune Jus non habeat effectum contra hoc, nisi illius mentionem faciat, *L. Rescripta* Cod. Vel precibus Imperatori offerendis : & tradit Glossa in Cap. *Nonnulli* De Rescriptis: Item Abbas, & plures alii, quia Rescriptum est particularis actus, qui non præsumitur factus cum tanta consideratione ad Jus commune oppositum. His non obstantibus.

863 §. 2. Oppositum est tenendum, nempe quòd nec Nuntius Apostolicus nec Episcopi in Germania possint dispensare in gradu tertio, si attingatur secundus. Ratio est 1. Quia cùm hæc facultas non sit data per Jus commune vel per antiquas Constitutiones, sed sit specialis, quæ apud Episcopos singulis quinquenniis indiget renovari, non potest censeri major vel alia, quàm prout est mens S. Sedis hic & nunc concedentis, cujus etiam est interpretari suam mentem, si dubium occurrat. Jam verò certum est, quòd Nuntius Apostolicus in Germania habeat, quoad hoc, eandem prorsus facultatem, quam habent Episcopi : & etiam certum est, quòd Nuntius dispensare non possit, si sit gradus mixtus eum secundo, nam Roma sub annum 1690. declaravit hoc, uti agnoscit Nuntiatura, ideóq; ab eo tempore non dispensat, si secundus gradus attingatur. Similiter certum est, quòd sub annum 1694. idem declaravit Roma interrogata nomine Illustrissimi de Anethan Suffraganei & Vicarii Generalis Colonienſis; & ideò ab eo tempore etiam hi non dispensant in isto gradu. Quod autem de Nuntio & Ordinario Colonienſi dictum est, valet de aliis Ordinariis in Germania similem facultatem habentibus, uti agnoscunt, & ideò non dispensant Vicarii Generales Trevirenſi, Monasterienſis, Spirenſis aliique. Ratio autem est, quia declaratio non immutat, nec tollit, nec affert novum Jus, uti latè Tuschus *litt. D. concluſ. 86. & ſeqq.* sed tantùm manifestat, quid ab initio fuerit in lege aut facultate, & quid etiamnum sit, quamvis fortè invincibiliter putatum sit aliud subesse, ergo cùm declaratio dicat, *vi talis facultatis in eo caſu diſpenſari non poſſe*, nullus Ordinarius vi illius facultatis dispensare potest. Si id possent alii Ordinarii, esset fortè ratione consuetudinis apud ipsos, hoc non, quia consuetudo non juvat nisi prudenter præsumatur approbatio vel consensus Superioris, à quo debet esse facultas, qui consensus hìc prudenter præsumi non potest, quia Superior, cùm interrogatur, semper contradicit. Ad opposita, patet ex dictis, obstat enim declaratio illius, qui facultatem istam concedit, qui potest hoc specialiter concedere uni, & non alteri, uti dicitur concessisse internuntio Bruxellenſi, & fortè aliis, sed id non juvat reliquos.

864 *Q. 115. Quid dicendum ſit, ſi unus ſponſorum, pro quibus petitur diſpenſatio à Nuntio vel Epiſcopo, ſit acatholicus?* R. §. 1. Facultas quinta, quæ dari solet Nuntiis & Episcopis, elata *nu.* 832. & 846. non distinguit, cujus fidei sint illi pauperes, cum quibus dispensatur in 3. & 4. gradu, hinc ortum est dubium, an dispensare possint pro contrahendis Matrimoniis, si horum unus sit catholicus & alter acatholicus. Ratio affirmandi erat. 1. Quia delegatio potestatis dispensandi in aliqua lege generaliter facta quoad personas sine illarum expressione, favorabilis est & latè interpretanda, uti tradit Suar. *l. 6. de legib. c. 17.* dicens esse communem apud Canonistas & Legistas, concessa autè est hæc facultas generaliter, absque expressione personarum, saltem ita, ut non excipiantur hæretici vel hæreticæ. 2. Matrimonium tale in his partibus potest esse licitum, & ei assistere Parochus, ergo poterit Episcopus in hoc, uti in aliis dispensare. 3. Si uterque fuisset acatholicus, & convertendus, possent dispensare, ergo sufficit alterutrum converti, vel esse catholicum, quia quando parochus dicitur posse assistere vagis, secundùm dicta *n.* 750. satis est alterutrum esse vagum, ergo similiter hic. 865

§. 2. Alio tempore iterùm propositum est illud ipsum dubium, & allatæ hæ causæ, ob quas lex ista humana prohibens dispensari cum acatholico, non videatur obligare in istis circunstantiis? nam 1. Sponsus acatholicus relinquet sponsæ & liberis omnibus religionem liberam. 2. Permittet duas filias suas è priore Matrimonio educari catholicè. 3. Si sponsa intra breve tempus non ineat hoc Matrimonium, posthac non poterit nubere pari sibi. 4. Prudenter timetur, ne sponsa comparens coram consistorio acatholico, quod suo modo dispensabit, transeat ad incestuosas nuptias, aut à fide deficiat. R. Rationes allatæ tantùm suadent licitum fore tale Matrimonium, si dispensetur? & causas esse, ut potestatem habens dispenset, sed non persuadent desinere impedimentum, aut fieri Nuntio vel Episcopo potestatem dispensandi. Itaque dicendum videtur ab his dispensari non posse, nisi iste acatholicus ante Matrimonium fiat catholicus, aut adsit causa rationabilis differendi, & simul sit certitudo moralis, quod causa ista rationabili differendi sublata acatholicus statim amplectatur fidem catholicam, ideóque censeatur jam mortaliter esse conversus. Ratio est, quia in facultatibus illis sæpè expressè additur, *cum pauperibus catholicis, fidei catholicæ Romanæ cultoribus &c.* Et Papa plus non delegat, quàm ipse facere velit & soleat, nisi expressè addat, non solet autem aliter dispensare in tali casu, uti testantur Declarationes S. Congreg. apud Pign. *to. 3. conſ. 63.* Unde cùm agatur de valore Sacramenti ineundi, nec constet, quòd contraria opinio sit communiter recepta tanquam vere probabilis & conformis stylo Curiæ Romanæ, (quæ duo, secundùm dicta *l. 1. n. 118.* requiruntur, ut Ecclesia supleat, si fortè opinio fallat) hinc censuimus praxin benignæ illius sententiæ, quòd dispensare possent, non esse licitam. An aliud per specialem aliam facultatem possint aliqui Episcopi, ignoro, attamen alicubi factum esse audivi. *Ad rationes* in oppositum, facilis est responsio, nam si posthac non nubat pari, casus est qualem sæpè dat affinitas, quæ per accidens intervenit. Si apostataret, est ipsius malitia, quæ hìc & nunc impediri non potest: itaque inducantur, ut Romæ dispensationem solicitent, vel plura media adhibeantur pro conversione sponsi. 866

§. 3 Quod Matrimonium contractum attinet; Titius catholicus contraxerat cum Caja acatholica in gradu utriq; ignoto affinitatis, petita est à *S. Penitentiaria* dispensatio; sed hæc negavit, nisi Caja priùs fidem catholicam profiteretur : Caja constanter renuit, & Titius manebat in periculo proximo formalium peccatorum, fortè etiam defectionis à fide, *Quæritur*, an Ordinarius in hoc casu necessitatis posset dispensare? Affirmavit Doctor aliquis; Obmovi, quòd Episcopus non possit etiam in casu necessitatis, nisi ex præsumpta concessione & conniventia Sedis Apostolicæ, ergo cùm Sedes Apostolica expressè contradicat, & negaverit per *Pœnitentiariam*, Episcopus procedere non potest. Reposuit, Sedem Apostolicam non omnia velle per *Pœnitentiariam*, sed sæpè per Pontificem ipsum, aut per alias Congregationes, præsumitur autem prudenter Pontificis consensus, si ex his causis rogaretur. Opter Pontificis consensus, si ex his causis rogaretur. Optimum tenui, nam nec Pontifex solet dispensare cum catholico, nisi conjux acatholica convertatur : Itaque separet se Titius, donec Pontificis benignitatem efficaciùs implorarit.

§. 4. Si conjuges acatholici & impediti post contractum Matrimonium convertantur, facultas 3 Nuntii Apostolici & Episcopi habet, quòd dispensare possint etiam in 2. gradu, dummodò non attingatur primus: attamen facultatem illam non habent quoad 867

Matrimonia

Matrimonia contrahenda, etiamsi uterque sit acatholicus, cum de contrahendis non meminerit facultas, & ejusmodi facultates plus non afferant, quàm sonent. Quòd si acatholici converti nolentes peterent Romæ dispensationem, eo fine, ut proles suæ apud catholicos censerentur legitimæ, *quamvis digni non sint, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiantur, cujus salubria monita temerè contemnunt*, uti habet Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *De ref. Matr.* tamen credo S. Sedem facilius cum illis se eousque submittentibus dispensaturam, & audivi aliquando factum esse, quia hoc sæpè ad conversionem prolium multùm conferre potest ista dispensatione gaudentium.

868 §. 5. Si conjuges acatholici conversi fuerint ante Matrimonium cum impedimento contractum, non ideò possunt dispensari, quia si catholici facti contraxerint, non dicetur dispensari cum hæreticis in Matrimonio contracto.

869 *Q.* 116. *Quandonam impedimentum, aut aliquid aliud, circa quod dispensandum esset, censeatur publicum, notorium, occultum, deductum ad forum contentiosum?* R. Debet hoc sciri, nam Nuntii & Episcopi possunt sæpè dispensare in impedimento vel delictis occultis, non autem in publicis. Et aliqua de publicitate dixi *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1219. *à n.* 1659. *& l.* 4. *num.* 786. adhuc tamen addi debent sequentia.

870 §. 1. Si impedimentum vel crimen, ob quod invalidaretur Matrimonium, probari nequeat duobus saltem testibus, aut licèt probari posset, si necdum sit probatum, non censetur adhuc publicum facto vel Jure; unde, si etiam non sit fama publicum, censetur occultum: Suar. Barb. Pias. *in praxi Epis. p.* 1. *c.* 1. *n.* 56. Tamb. *De Sacram. l.* 8. *to.* 2. *c.* 5. *n.* 17. Castrop. *to.* 3. *d.* 6. *p.* 25. §. 1. *n.* 9. Molin. *De just. t.* 3. *n.* 79. *Nec obstat*, quòd sit violenta suspicio vel mussitatio de eo, *quia* adhuc posset aliqua tergiversatione celari, & ut hìc censeatur publicum, debet à multis sciri Sanch. *l.* 8. *d.* 34. *n.* 55. Tamb. suprà, quamdiù enim aliquis non ideò laborat publica infamia, tamdiù obviatur publico scandalo, adeóque censeri debet occultum, Henr. Rodr. Nav. *in summa lat.* 27. *à n.* 254. Suar. *De cens. d.* 41. *sect.* 3. *n.* 6. Mol. suprà *n.* 8. Azor. *l.* 8. *t.* 1. *c.* 10. *q.* 9. Dummodò personæ, quibus est notum, sint infra decem, inquit Pignat. *to.* 6. *c.* 99. *n.* 8. *&* 9.

871 §. 2. Ut impedimentum censeatur publicum, non est satis, quòd actus, per quem incurritur, sit publicus, sed etiam requiritur, ut publicum sit, talem actum esse impedimentum, ut à pari dixi de delicto *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1657. tenetque etiam pign. à *n.* 30. Et ratio est, quia non quæritur, an actus, ex quo oritur impedimentum, sit publicus vel occultus, sed quæritur, an impedimentum sit publicum; quando autem qualitas afficit vocem, afficit hanc in sua ratione & formaliter, ergo si publicitas non afficiat formaliter rationem impedimenti, non debet impedimentum dici publicum in ratione impedimenti, ergo manet simpliciter impedimentum occultum: Nav. Sayr. Sà, Sanch. *n.* 56. Tamb. suprà, Busemb. relatus *l.* 1. *n.* 707. Krim. *n.* 2342.

872 §. 3. Si impedimentum etiam in ratione impedimenti fiat publicum post executam dispensationem, quamvis data fuerit ab illo, qui non poterat dispensare in impedimento publico, hoc non obstat valori dispensationis datæ, quia hæc priore tempore, quo impedimentum erat occultum, fuit valida & sortita est effectum, ergo nunc invalidari non potest: hinc etiam ordinarie poterit Judex prudenter tum supprimere talem publicitatem, cùm enim Matrimonium contractum invalidari non possit, ordinarie melius vitabitur scandalum omittendo actionem, quàm admittendo frustraneam litem pro tentando divortio; ideóque notant etiam Henriq. & Sanch. *l.* 3. *d.* 15. *n.* 13. cum qui pro foro interno per Breve *Pœnitentiariæ* in occulto impedimento dispensatus est, non esse molestandum in foro externo. Si tamen impedimentum dictum esset publicum, posset ratio scandali postulare separationem, aut obtentionem talis dispensationis, quæ manifestari posset.

873 §. 4. Si impedimentum sit publicum in alio loco, sed occultum hìc, ubi dispensatio petitur, nec detur periculum proximum, ut in hoc loco publicetur, aliqui affirmant, alii negant posse hìc reputari occultum, utrique probabiliter, uti in pari dixi *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1658. tenetque etia Piasec. suprà cum illis, qui affirmant censeri hìc occultum, quamvis cum aliis teneat Pignat. *n.* 29. Vide tamen dicenda *n.* 951.

874 §. 5. Crimen, quod notum est solis complicibus, quamvis hi multi sint, censetur occultum, nam occultū est, quod probari, non potest, sed per complices non potest probari; quia regulariter socii criminis in criminalibus non admittuntur ut testes, & licèt admittantur in criminibus exceptis, tamen probationem non faciunt uti habent Jura & A A. cum pign. *t.* 6. *conf.* 99. *à n.* 27.

875 §. 6. Si Ordinarius vel parochus aliundè resciat impedimentum, & simul resciat dispensationem esse datam tantùm pro foro interno, quandiù hoc illis juridicè non denuntiatur, possunt dissimulare & assistere, ac permittere, ut maneant in usu Matrimonii, quia manet occultum: è contra, si impedimentum juridicè ipsis denuntiatum sit debent, suspendere executionem, aut etiam prohibere usum Matrimonii, usque dum in foro externo probent se dispensatos, quia Judex imploratus non debet negare justitiam, Sanch. Krim. *n.* 2363.

876 §. 7. Quandonam aliquid dicatur esse deductum ad forum contentiosum explicavi *l.* 6. *p.* 2. *à n.* 1659. Adde ex Pignat. *to.* 6. *conf.* 99. *seqq.* 1. Quamvis reus falsis probationibus & testibus se defenderit, & sic sit absolutus, delictum ejus non ampliùs censetur publicum. 2. Id tenet, quamvis non sit absolutus definitivè tanquam innocens, sed tantùm quasi suspensivè, si nempè absolvatur à processu, eò quòd non sit probatus culpabilis. Id tamen non tenet, si tantùm sit relaxatus sub fide jussione de suo tempore repræsentando, tum enim nec dum finitum est judicium. 4. Delictum clerici manet occultum, licèt à Judice sæculari in contumaciam fuerit condemnatus, & etiamsi occasione illius sententiæ nata sit ipsi infamia publica, non ideò est irregularis.

877 §. 8. Quando *S. Pœnitentiaria* in Rescripto addit, *dummodo omninò occultum sit, quòd uterque oratorum in mortem dicti mariti machinatus sit, & planè ignoretur, quòd illius mors inde secuta sit*, plus requiritur ad occultum, uti colligitur ex particulis, *omninò* occultum, & *planè* ignoretur, unde Hostiens. J. Andr. Pignat. *n.* 11. dicunt tum requiri, ut non sit fama notum nec ulla ratione probari possit. Quandonam autem hæresis in ordine ad facultatem absolvendi dicatur occulta, habet Pignat. *n.* 12. & satis dixi *l.* 6. *p.* 2. *à n.* 1649. 1656.

878 *Q.* 117. *Quid notandum sit circa illos, quibus committitur potestas dispensandi, vel dispensatio ipsa?* R. §. 1. Potestas, quam Episcopi habent ex generali vel tacita concessione dispensandi in legibus Papæ vel Conciliorum, censetur ordinaria, ideóque delegari potest, quia conceditur ratione Officii, & est perpetua, Gloss. *in c. fin de off ord.* Covarr. Suar. Sanch. Castr. Kr. *nu.* 2042. 2055. Docet etiam Gob. *tr.* 9. *n.* 701. Episcopos in Germania solere subdelegare facultates etiam extraordinarias sibi concessas; & ideò ex *Cap.* 3. *de off. del.* potest Episcopus causam sibi à Sede Apostolica delegatam subdelegare suo Vicario generali, fortè ideò, quòd Papa delegans non attendat ad industriam personæ uti habet Dynus apud Gob. *n.* 702. vel quia delegatus supremi Principis potest causam subdelegare

legare ſecundùm Auctores *nu.* 885. citandos. Si tamen induſtria hujus perſonæ, cui committitur, eſſet electa, certum eſt non valere ſubdelegationem, uti docent omnes cum Gob. *n.* 709. Quandonam autem aliquis poſſit aliquid facere per alium, aut è contrà quando teneatur facere per ſeipſum, aut induſtria perſonæ cenſeatur requiri, fusè examinat Sperell. *dec.* 106. ex quo paucis noto ſeqq 1 Regulariter, quod poteſt quis per ſe ipſum, poteſt etiam per procuratorem, niſi lex vel Canon aliter ſtatuat, *L* 1. *ff. de procur.* Hinc poteſt juramentum, etiam fidelitatis, ſi Dominus feudi conſentiat, fieri per alium habentem ſpeciale mandatum: item ſolemnis profeſſio religioſa. Imò etiamſi in terminis requireretur *proprium juramentum*, poſſet per alium fieri, attamen teſtis non poteſt per alium jurare, Cap. *Licèt ex quadam*, *de teſtibus.* 2. Requiritur, ut quis aliquid per ſe ipſum faciat in triplici negotio, vel ratione rei, uti in criminalibus: vel ratione perſonæ, ſi actio ponenda non conveniat alteri; vel quando electa eſt perſonalis induſtria: quorum cùm nihil ſit in profeſſione fidei, facienda à docentibus vel beneficiandis, probabilius videtur eam fieri poſſe per alium. 3. Ubi expreſsè vel tacitè eſt electa induſtria perſonæ, ſubdelegatio fieri non poteſt, L. *A Judice*, *C. de judiciis*, *Cap. ult. de off. deleg.* Hoc autem eſt, ſi dicatur, *perſonaliter exequaris.* Idem cenſent multi cum Barboſa, ſi dicatur, *ſuper quo conſcientiam tuam oneramus*, quod tamen multi negant, niſi dirigeretur ad perſonam cognitam & determinatam. Et ſimiliter loquuntur multi de his verbis: *de tua prudentia & circumſpectione plurimùm confidentes.* Hæc tamen, *proprio judicio cognoſcas & definias*, requirunt induſtriam perſonæ; uti & illa, *tu*, *tu cognoſcas* duplicatio enim denotat perſonam. Quando in communi tantùm aliquid committitur ratione officii; non cenſetur reſtringi ad hanc perſonam, ſecundùm dicta *nu.* 492.

879 §. 2. Quando litteræ pro facienda diſpenſatione diriguntur ad Epiſcopum non facta mentione Vicarii, vel ad Vicarium non facta mentione Epiſcopi, ille ſolus, per ſe loquendo, poteſt diſpenſare, ad quem diriguntur, quamvis alius poſſit audire teſtes vel examen inſtituere; ratio eſt, quia Epiſcopus & Vicarius non faciunt unum tribunal in eis, quæ competunt extraordinariè & ex delegatione, unde ſi, v. g. Vicarius, ad quem directa erat diſpenſatio facienda, moriatur, antequàm cauſam cœperit vel cæptam abſolverit, debebit perficere, non Epiſcopus ſed ſucceſſor Vicarii, Sanch. Caſtr. Tamb. alique cum Gob. *n.* 686. & 687. & videri debent dicta *l.* 4. *n.* 251. ubi *n.* 247. notavi, quòd quando aliqua delegatio vel expeditio Roma demandatur Officiali Epiſcopi, per hunc in his partibus intelligatur Vicarius in ſpiritualibus.

880 §. 3. Si Sedes alicubi vacet, idcóque diſpenſatio pro aliquo illi Epiſcopatui ſubjecto ſit commiſſa Epiſcopo vicino, ſi hic non expediverit illam ante electionem novi Epiſcopi; putant Tamb. & Gob. *n.* 688. vicinum illum Epiſcopum non poſſe illam expedire electo jam novo Epiſcopo, quia Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 5. *de reform Matr.* vult id fieri ab Ordinariis eorum, qui impetrarunt: ſed nec poterit expedire novus Epiſcopus, cùm nullam habeat commiſſionem. Alii tamen probabiliter putant vicinum illum Epiſcopum adhuc expedire poſſe, quia accepit commiſſionem abſolutè, & non reſtrictam ad tempus, quo pergeret vacare Sedes.

881 §. 4. Diſpenſationes priùs non ſortiuntur effectum, quàm Ordinarii, ad quos remittuntur ut ipſi diſpenſent, extrajudicialiter ſaltem cognoverint nullam interveniſſe ſubreptionem, uti habet Trid. ſuprà. Unde & Gob. *n.* 743. docet, quod in his impedimentis communiter non diſpenſetur à Papa Romæ, adcóque non poſſit contrahi Matrimonium, quamvis ſciretur Reſcriptum eſſe expeditum à Papa, quia committitur Ordinariis, ut veritate examinata ipſi hìc diſpenſent. Vide dicta *l.* 1. *n.* 815. & dicenda hìc *n.* 903.

§. 5. Si alicui concedatur facultas diſpenſandi in 882
omnibus gradibus, excepto primo, vi hujus facultatis non poteſt diſpenſare in primo gradu affinitatis, imprimis non in linea recta, ſi, verbi gratia, copulam habuerit cum matre vel filia illius, quam vult ducere, quia hæc diſpenſatio eſt difficilior, quàm ſecundus conſanguinitatis, in quo pro foro etiam externo quandoque datæ ſunt diſpenſationes; in foro autem externo nunquam datæ ſunt diſpenſationes in primo gradu affinitatis in linea recta ex copula licita, uti dictum eſt *n.* 701. ſed quandoque tantùm ex illicita, adhuc tamen difficilius, quàm in ſecundo conſanguinitatis. Deinde nec in linea tranſverſa, v. g. ſi peccarit cum ſorore ſponſæ, quia abſolutè excipitur primus gradus, ſub quo continetur & conſanguinitatis & affinitatis. *Nec refert*, quòd majori conceſſo videatur minus concedi, & cui licèt plus, liceat minus, majus autem ſit diſpenſare in ſecundo conſanguinitatis, quàm in primo affinitatis in linea tranſverſa, & ex copula illicita, *nam* illa regula Juris tum tantùm valet, quando illud minus continetur in majori tanquam pars in toto, vel ſpecies in genere, aliàs non, cæteroquin habens poteſtatem diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario, poſſet etiam in irregularitate, v. g. ex defectu lenitatis, cùm hoc ſit minus, nemo autem hoc dicet, ita cum aliis Sanch. & Lugo *in R ſp. Mor. l.* 1. *dub.* 39.

§. 6. Si Delegatus ſemel plenè & per definitivam 883
functus ſit officio ſuo, ſive bene, ſive malè, ceſſat ejus juriſdictio. L. *Paulus*, L. *Judex de re judic* Sanch. *l.* 8. *d.* 27. *n.* 39. Excipit Abb. cum Krim. *nu.* 2423. ſi ejus ſententia ideò nulla eſſet, quia non obſervavit formam mandati, quia tum reipſa non eſt uſus juriſdictione ſua. Et ſi Ordinarius eſſet, adhuc poſſet jure ſuo cognoſcere de Matrimonio, Sanch. Corrad. Krim. *n.* 2217.

Q. 118. *An Vicarius Epiſcopi poſſit idem, quod Epiſ-* 884
copus, ac ſubdelegare facultates, quas habet ab Epiſcopo?
R. §. 1. Si facultates à Sede Apoſtolica conceſſæ Epiſcopo, immediatè communicatæ ſint etiam Vicario, communiter dantur cum poteſtate delegandi, adeóque poterit Vicarius etiam delegare alteri, uti etiam eas delegare poteſt, quas habet Jure Ordinario. E contrà ſi facultates immediatè conceſſæ ſoli Epiſcopo, ab hoc ſint delegatæ Vicario, hic non poteſt delegare: neque Vicarius cenſetur facere unam perſonam vel tribunal cum Epiſcopo, niſi in eis quæ competunt Epiſcopo ratione juriſdictionis ordinariæ, quale quid non ſunt facultates extraordinariæ conceſſæ Epiſcopo, Fagn. & alii cum Leur. *de Vicario q* 111. *n.* 2. Et ita non poteſt ſuffraganeus alteri Suffraganeo ſubdelegare, v. g. poteſtatem ordinandi extra tempora, ſpecialiter Epiſcopo conceſſam à Sede *Apoſtolica*, Leur. *q.* 116. Eſtque idem de aliis ſimillibus. Attamen notavi *l.* 4. *n.* 1416. ex Sanch. & Lugo *in Reſp. mor. l.* *c. d.* 42. poſſe Epiſcopum delegare ſuo ſuffraganeo facultatem hoc modo: *delego tibi facultatem ad hoc*, & *quia tu non poteris ſubdelegare, etiam non do tibi poteſtatem ſubdelegandi aliquem, ſed ego ipſe immediatè do illi, quem tu judicaveris facultatem vel juriſdictionem aptum & deſignaveris.* Similiter ſi petatur diſpenſatio non explicatis ſufficienter circumſtantiis, nec data ſufficienti cognitione cauſæ, ille, qui habet poteſtatem diſpenſandi, ſed non committendi alteri, poteſt ſic reſcribere: *diſpenſo, ſi preces veritate nitantur, cujus examen tibi committo*; vel ſic, *ſi hoc vel illud ita ſit*; *diſpenſo.* Et tum valebit diſpenſatio, ſi conditio fuerit impleta.

§. 2. Si Episcopus Vicario dederit facultatem
835 his verbis: *plenam tibi & omnimodam damus facultatem omnia & singula per teipsum vel alium, cui, dum te à civitate nostra abesse, aut aliàs impediri contigerit, id remittendum duxeris, ritè sedulòque obeundi, perficiendi & exequendi, &c.* Dubitatum est, an Vicarius ex vi hujus facultatis & commissionis possit remotioribus Parochis vel Missionariis in tali diœcesi, pro districtu suæ Parochiæ vel missionis generaliter subdelegare pro casibus in tribunali Pœnitentiæ occurrentibus facultatem dispensandi pro casibus Papalibus, qui ob circumstantias necessitatis & scandali fiunt Episcopales. Pro parte negativa est. 1. quòd aliqua horum, uti facultas dispensandi super irregularitate & suspensione secundùm *Trid.* & communem cum Barb. *de off. Episc. alleg.* 39. *num.* 10. requirant speciale mandatum, ergo saltem ad illa subdeleganda non datur facultas. 2. Barb. *alleg.* 32. *n.* 37. & Gob. *tr.* 10. *n.* 503. docent Vicarium saltem non posse ejusmodi facultates subdelegare alteri generaliter, sed specialiter tantùm, nempè delegando unum vel alterum casum in particulari. 3. Saltem non videntur ejusmodi facultates generaliter committi posse Missionariis, sed hi, quibus committitur, deberent esse cogniti & nominatim designati Vicario; quia in ejusmodi commissionibus censetur eligi industria personæ, quæ electio non fit per simplicem expressionem officii Missionariorum, sed persona debet esse in individuo nota & expressa. 4. Docent cum communi Krim. *n.* 2056. Vicarium Generalem Episcopi non posse vi Vicariatus commissi, sed tantùm ex speciali delegatione dispensare in eis, in quibus potest Episcopus extraordinariè, v.g. pro casu urgentis necessitatis, quia quamvis talis facultas sit ordinaria Episcopo, non tamen Jure ordinario, sed tantùm extraordinario. Pro parte affirmativa est 1. quia facultas Episcopi in prædictis casibus Papalibus non est delegata, sed simpliciter ex ordinaria potestate dispensant, cessante in eis casibus omni reservatione uti habent Sanch. *lib.* 2. *d.* 46. *n.* 3. 7. 14. Paxjord *p.* 2. *l.* 9. *tit.* 1. *c. de dispensationibus n.* 261. ergo similiter Vicarii, quæ enim his committuntur intuitu officii, ad illa habent jurisdictionem ordinariam tanquam annexam & accessoriam suo officio, ut citati Sanch. Sbroz. & Garc. docent Lay. *de jurisd. ord. n.* 105. Leur. *de Vicario q.* 71. *n.* 2. *q.* 98. *& seqq qu.* 199. Pirrhing. *l.* 1. *tit.* 28. *n.* 40. his verbis: *Vicarius Generalis Episcopi habet jurisdictionem ordinariam, non tantùm in iis causis, quæ ex generali officio Vicariatus ipsi competunt, & in generali mandato Vicariatus comprehenduntur, sed etiam in iis, quæ speciali commissione opus habent, modò vel in prima commissione Vicariatus officio specialiter annectantur, vel tanquam Generali Vicario seu intuitu officii Vicariatus posteà per speciale mandatum committantur.* Et hæc pluribus firmant *n.* 58. Consentit etiam Dript. quem citavi *l.* 4. *nu.* 249. similiter, Lugo *in Resp mor. d.* 1. *dub* 46. *n.* 5. docet, quoad dispensationes & similia, quæ Jure ordinario potest Episcopus, idem posse Vicarium generalem, quia etiam hic habet jurisdictionem Ordinariam. *Conf.* 1. nam illa jurisdictio est ordinaria, quam confert lex, consuetudo, vel Princeps ad negotiorum universitatem, uti ex Bart. & Panorm. probant Sanch. *l.* 3. *dist.* 31. *n.* 1. 10. 31. Molina *t.* 6. *de just. tr.* 5. *d.* 14. *a n.* 2. & approbat Lug. *n.* 4. docentque omnes passim cum Vviestner, *l.* 1. *tit.* 29. *n.* 20. talis autem hic est jurisdictio Vicarii, ergo. *Conf.* 2. quia nomine Ordinarii venit etiam Vicarius Generalis, qui propriè etiam est Ordinarius, uti docent Gloss. aliique communiter cum Barb. *de Offi. Episc. alleg.* 32. *n.* 29. Gar. *de Ben. p.* 5. *c.* 8. *n.* 41. Leur. *q.* 69. *Et quoties aliquid Episcopo conceditur, persona Vicarii eadem dispositione comprehensa videtur,* CocK. & Sanch. *l.* 3. *d.* 7. *n.* 10. *& d.* 29. *n.* 15. *&* 16. ergo sicut Episcopus potest facultatem dispensandi delegare alteri, ita etiam Vicarius. 2. Vicarii generales secundùm Lott. *de re benef. l.* 1. *qu.* 28. *n.* 130. sunt socii Episcopi in administratione Episcopali & jurisdictione ordinaria, & sub nomine Episcopi ac diœcesani comprehenduntur, si non specialiter excludantur, ideóque plura exercent, quæ in *Trid.* nulla facta Ordinariorum aut Vicariorum generalium mentione ipsis Episcopis demandantur, & ideò etiam Sperell. *dec.* 111. *à nu.* 32. docet pro casibus, in quibus Episcopus ex Papæ commissione habet potestatem dispensandi, eandem habere Vicarium generalem, si habeat mandatum speciale, & dispensationi faciendæ annexa fuerit causæ cognitio, ergo idem dicendum est circa omnes ejusmodi facultates non restrictas ad executionem solius Episcopi, præsertim cùm ordinaria facultas sit favorabilis & latè interpretanda Paxjord. *n.* 254 Corr. *de disp. Apost. l.* 1. *c.* 5. *n.* 11. 27. 3. Episcopus in nostro casu dat Vicario suo facultatem omnia obeundi, perficiendi, exequendi per se vel alium, cui Vicarius committet, ergo si committat Missionariis, hi poterunt nomine Vicarii omnia peragere: docent enim AA. communiter cum Leur. *de Vicario q.* 159. *n.* 4. posse Vicarium etiam sine speciali mandato substituere sibi aliquos ad certos actus seu ad certam speciem actuum. 4 Necessitas videtur id postulare, quia aliàs vix, aut ne vix quidem juvabuntur pœnitentes, apud quos Missionarii hærere aut redire nequeunt, & pœnitentes, si ad alios remittantur, nescient, quos alloquantur, & intereà manebunt in peccatis periculo salutis.

Respondeo. Rationes pro parte affirmativa videntur quidem esse fatis probabiles, quia tamen sæpè in istis agitur de valore Sacramenti, deberent meritò Episcopi, dum singulis quinquenniis petunt renovationem suarum facultatum, simul petere etiam Vicariis suis potestatem communicandi, cùm hoc sit necessarium in tam vastis diœcesibus.

Q. 119. *An Vicarius Generalis possit sine speciali* 836
mandato dispensare in illis, in quibus potest Episcopus, vel exequi illa, quæ committuntur Episcopo, aut contra?
R. Vicarium dispensare non posse sine speciali mandato præter antèà citatos docent Garc. Felin. & alii cum Leur. *de Vicario qu.* 119. quia dispensatio sonat gratiam & libertatem, quæ non videntur cadere sub generale mandatum Oppositum ex dictis videtur probabile, uti tenent AA. plures apud Sbroz. *de off. Vicarii l.* 2. *q.* 35. *n.* 1. Hinc etiam Sperell. *dec.* 97. cum communi docet 1. Quando in Jurisdictionibus aliquid committitur Episcopo simpliciter; quasi per generalem commissionem, nomine Episcopi venit etiam Vicarius ejus generalis, etiamsi speciali mandato Episcopi careat, nisi reperiatur expressè excl usus, aut materia officio Vicarii non conveniat. 2. Quando aliquid committitur Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, hoc non convenit Vicario ex vi generalis mandati, quia talem causam cognoscit Episcopus, non ut Episcopus, sed ut Delegatus; & Episcopus generaliter constituendo Vicarium ea tantùm committit, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, non autem delegatæ. 3. Potest tamen Episcopus etiam ad hoc specialiter deputare Vicarium, uti constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. nisi fortè electa esset industria personæ Episcopi secundùm dicta *l.* 4. *n.* 252. 4. Si aliquid committatur Vicario etiam sub nomine dignitatis suæ, non ideò potest se ingerere Episcopus, nisi ipsi committat Vicarius, quia in ejusmodi deputationibus non censetur facere idem tribunal. Et hoc docet etiam Leur. *q.* 195. *&* 295. cum communi. 5. Neque tum potest se ingerere Episcopus, si quid committatur Episcopo vel Vicario, & Vicarius jam incæperit expeditionem.

expeditionem. 6. Addit Pignat. *to. 1. consult.* 342. ex declaratione 14. Novemb. 1643. data, si Episcopus ob tenuitatem redituum etiam de consensu S. Congregationis non habeat Vicarium, sed per se faciat omnia, non posse exequi litteras Apostolicas ad Vicarium suæ diœcesis directas. Addit seq. Kr. *à n.* 2213. citatis auctoribus, 1. si executio demandetur Ordinario, potest exequi & Episcopus & Vicarius Generalis: item si sit in diœcesi nullius, potest Prælatus habens jurisdictionem quasi Episcopalem, non tamen ejus Vicarius. 2. Si demandetur Episcopo, non potest Vicarius; si Vicario, non potest Episcopus, quamvis Vicarius absit, deponatur, moriatur, quia in his eligitur industria personæ. 3. Si demandetur Vicario sub nomine Vicarii, etiamsi postpositum sit nomen ejus proprium, verbi gratia: Vicario Colonienſi, Marco Antonio, poterit exequi successor in Vicariatu, quia demandatio est realis. Si sub præposito nomine proprio Vicarii, verbi gratia: Marco Antonio Vicario Colonienſi, solus ipse poterit exequi, etiam amotus ab officio, quia est demandatio personalis. 4. Potest delegatus alteri fide digno committere informationem verificandorum & receptionem testium. Denique notandum posse Episcopum substituere sibi plures Vicarios, Corrad. *l. 7. c. 4. n.* 46.

887 *Q.* 120. *Quid possint quoad matrimonialia Archidiaconi.* R. In Archi-Diœcesi Colonienſi sunt quatuor Archidiaconatus majores, quos habent Præpositi, Colonienſis in Metropolitana, Bonnenſis, Xantenſis, Susatenſis. Hi Archidiaconi putarunt se præter multa alia jus habere. 1. Dispensandi in proclamationibus matrimonialibus. 2. Assistendi aut licentiam concedendi ad assistendum Matrimoniis, cuicumque presbytero sine licentia Parochi 3. Dandi licentiam ad Matrimonium contrahendum in Oratoriis vel domibus privatis. Contradixerunt Archi-Episcopi, Ferdinandus in Synodo anni 1612. & per Edictum 17. Dec. 1619. ac iterùm 1645. Maximilianus in Synodo 1661. & per Edictum 22. Junii 1663. ac iterum 18. Nov. 1675. Joseph. Clemens 3. Aprilis 1691. qui etiam publicavit emanatam à S. Congregatione declarationem circa ista, quam confirmavit Papa, prout sequitur.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam aliàs emanavit à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum Decretum tenoris qui sequitur, videlicet, Colonienſis Jurisdictionis Præpositis 14. Novembris 1676. dubiis infrà scribendis, resolutio dilata fuit; prætendentibus Archidiaconis Jurisdictionem Sacræ Congregationis declinantibus, habito autem recursu ad Signaturam Sanctissimi, rescriptum fuit, causam cognoscendam in Sacra Congregatione cum voto Rotæ, ab hac emanavit sub diebus 17. Aprilis 1679. & 29. Martii 1680. votum, constare de bono jure, etiam ad effectum manutentionis Archiepiscopi Electoris Colonienſis, prout ex Decisionibus, quæ dantur. Proindè nunc Promotor Fiscalis Electoralis, citata parte supplicat declarari, Primò. An Archidiaconi eorumve Officiales possint dispensare in una, aut omnibus denunciationibus matrimonialibus. 2. An possint assistere aut licentiam concedere assistendi matrimoniis cuicunque Presbytero sine licentia Parochi, aut eo reluctante. 3. An item possint licentiam dare contrahendi in Oratoriis, domibus privatis, Capellis ruralibus, aut in Ecclesiis clausis. Die 27. Julii 1680. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit negativè in omnibus. J. Cardinalis Columna Præfectus. Loco † Sigilli. A. Altonitus S. C. Secretarius. Cùm autem sicut dilectus Filius JOSEPHUS CLEMENS ex Ducibus Bavariæ electus Colonien. S. R. Imperii Princeps [Elector Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desideret, Nos ipsum JOSEPHUM CLEMENTEM specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis, Decretum præinsertum Auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium, decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Aprilis M. DC. XC. Pontificatus nostri Anno primo.

(LS.) I. F. Card. Alb.

888 *Q.* 121. *Quid capitulum sede vacante possit quoad matrimonia?* R. §. 1. Potest per Vicarium suum Capitularem dispensare, uti Jure ordinario poterat Episcopus, nam Capitulum repræsentat defuncti personam, & succedit in omnibus (exceptis casibus Jure expressis) quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, etiam voluntariæ; ad ordinariam autem jurisdictionem spectat hæc potestas dispensandi, Abb. Nav. Senis, Garc. Zerol. Barb. Pont. & alii, quos referunt & sequuntur Sperell. *dec.* 111. *à n.* 38. Leur. *de Vicario q.* 479. 563. Quod plerique extendunt etiam ad facultates à Trid. commissas Episcopis, uti *sess.* 24. *c.* 6. dispensandi in irregularitate occulta ex delicto, sed de hoc posteà, l. 7. quando de irregularitate. *Dixi*, per Vicarium suum capitularem, nam Capitulum per seipsum jam non potest, nisi primis octo diebus, uti insinuavi *l.* 4. *n.* 2266. & cum communi notat Leur. *de Vicario q.* 467. 540. 546. 644. quamvis *q.* 567. notet Capitulum posse sibi aliqua gratiosa reservare.

889 §. 2. Sanch. *l.* 8. *d.* 27. *à n.* 32. putat Vicarium capitularem sede vacante posse exequi dispensationem matrimonialem Episcopo defuncto aut ejus Vicario commissam, quia succedit in dignitate Vicarii Episcopi, & dici potest Episcopi Vicarius. Oppositum probabiliùs tenent cum aliis Cov. Garc. Rota, Sperell. *dec.* 31. *n.* 2. Leur. *de Vicario qu.* 197. & 587. quia Capitulum succedit Episcopo tantùm in jurisdictione ordinaria, non autem in delegata, qualis hæc est, & ideò stylus Curiæ habet, ut sede vacante executio dispensationum vel similium gratiarum non dirigatur ad Vicarium Capitularem, sed ad vicinum Episcopum, de quo dixi *nu.* 880. Et Vicarium capitularem non esse nec dici Vicarium Episcopi habet communis cum Leur. *q.* 562. non enim gerit vices Episcopi, sed Capituli, à quo solo jurisdictionem habet. Et lex eodem fundamento docet cum aliis Sperell. contra alios, Vicarium capitularem non posse cognoscere causas, v. g. confugientium ad Ecclesiam, vel ex illa extractorum, quia hæc facultas competit Episcopo, eorumque Vicariis Jure extraordinario. Docent

tamen Rosa, Sperell. suprà *n.* 13. & iterùm *dec.* 85. *n.* 1. cum aliis apud Leur. *qu.* 197. & iterum *q.* 298. *n.* 4. contra alios, si executio sit demandata Vicario Episcopi sub nomine dignitatis, cum, qui post istum sit Vicarius Episcopi, posse exequi, quia licèt Vicarius propriè non dicatur habere successorem, tamen habet consuetudo, ut hoc fiat.

890 §. 3. Etiam potest Capitulum sede Vacante per Vicarium suum assistere Matrimoniis, aut alteri dare licentiam assistendi, quia tum venit nomine Ordinari Sanch. Con. Bar. Dia. Leur. *q.* 467. 583.

891 *Q.* 122. *Quid notandum sit circa potestatem Regularium, in ordine ad dispensandum circa conjuges vel Matrimonia?* R. §. 1. Privilegium, quod habent Mendicantes ad dispensandum cum licentia Provincialium in petitione debiti pro conjugibus incestuosis vel adulteris vel ligatis voto castitatis, docent Quintan. & Gob. *tr.* 9. *n.* 732. contra Bassæum esse bullatum; & quoad illos, qui contraxerunt cum voto absoluto castitatis, docent Castrop. *d.* 4 *p.* 2. §. 1. *n.* 19 & Krim. *n.* 2062. posse Confessarios Societatis ex licentia Provincialis dispensare ad petendum debitum; sed quoad ista omnia videri debent dicta *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1568. 1589. Notant præterea aliqui privilegium datum à Julio II. dispensandi saltem cum incestuosis per Mendicantes à Provincialibus deputatos existentes in domibus & Ecclesiis suis, esse quidem vivæ vocis, attamen subscriptum à maximo Pœnitentiario, Officiali Papæ; Urbanum VIII. autem per Bullam *Aliàs felicis recordationis*, datam 2. Aprilis 1635. declarasse, quòd revocando vivæ vocis oracula etiam manu Cardinalis signata, non intellexisset signata ab illis Officialibus, quibus ratione muneris fides haberi deberet de fide talis oraculi, & tale esse præsens privilegium; quòd tamen extendi non debeat ad impeditos cognatione spirituali, vel voto castitatis, cùm de his non fiat mentio. Et conjugatos superveniente impedimento cognationis spiritualis non posse dispensari à mendicantibus in petitione debiti; fatentur Sanch. *l.* 8. *d.* 16. *n.* 9. & Krim. suprà.

892 §. 2. Vix tenuiter probabile est, adeóque non licet sequi in praxi opinionem illam, quòd Regulares vi cujusdam privilegii à Leone X. Augustinianis concessi possint dispensare in primo gradu post Matrimonium contractum, aut in aliis impedimentis dirimentibus, eodem modo, quo Episcopi, uti contra recentiorem aliquem pluribus probat Card. *in* 2. *crisi d.* 2. *a n.* 3. 9 & ideò etiam Gob. *tr.* 9. *n.* 720. docet privilegium, quod iisdem Augustinianis dicitur esse concessum dispensandi in impedimento affinitatis etiam in primo gradu, esse dubium; addit tamen posse in necessitate aliquem Mendicantem sub dubio dispensare, donec aliundè obtinuerit certam dispensationem; quia in necessitate licitum est uti sententia probabili, quando tutior usurpari non potest, uti dixi *l.* 6 *p.* 1. *n.* 110. De cætero ista servire non possunt Confessariis Societatis JESU. cùm in Comp. privilegiorum non legantur esse recepta.

893 §. 3. Carmelitæ Discalceati dispensant in regno Persarum cum neophytis quoad omnia impedimenta consanguinitatis & affinitatis: item Capuccini Missionarii in Helvetia circa eos, qui, ubi *Trid.* est receptum, contraxerunt clandestinè, vel cum impedimento criminis ignorantes illud, vel in quarto gradu consanguinitatis aut affinitatis. Item Pign. *to.* 6. *cons* 16. *n.* 3. ait, Die 7. Oct. 1682. Inn. XI. *concessit facultatem Præfecto Missionis Brasilii Ordinis Capuccinorum dispensandi super impedimento in* 1. *gradu affinitatis ex copula illicita in foro conscientiæ, illamque communicandi*; hæc tamne omnia non communicantur nobis, uti notat etiam Gob. *n.* 725. Attamen in Bulla, *Licèt debitum*, anno 1549. inter litt. apost. in nova impressione Instituti pag. 14. concedit Paulus III. Generali Societatis, *ut, cùm aliquos ex fratribus seu sociis Societatis in Saracenorum & Paganorum, aliorumque infidelium terras & provincias alias remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis auctoritate nostra facultatem concedere, ut cum iis, qui ab infidelitate convertentur tantùm, & in locis remotissimis, qui priùs in gradibus non licitis, tamen lege divina non prohibitis Matrimonia contraxerant, ut in eisdem manere possint, dispensare.*

894 §. 4. Putat Croufers *ad Cap.* 7. Regulæ S. Franc. pag. 787. quòd Greg. XIII. die 24. Aug. 1576. concesserit PP. Societatis JESU in partibus ultramontanis, ut in eis locis, ubi *Trid.* receptum est, & non servatum ab aliquibus, qui induci non possint ut iterùm contrahant servata forma *Trid.* possint dicti PP. eos absolvere, & dispensare in foro conscientiæ, ut rursus secretò inter se contrahant non servata *Trid.* forma, & hoc privilegium dicit haberi in appendice ad lit. Apostol. pro Societate JESU. Sed cum *Verjuys* dico me hoc in nullo alio inveniisse, nec reperitur in Compendio privil. neque in nova editione Instituti invenio ullam appendicem ad lit. apost. Hinc standum sententia communi, quòd omninò tum necesse sit iterùm contrahere coram Parocho & testibus, quia forma Concilii nunquam est servata.

895 §. 5. Docent Quintanadv. *tr.* 9. *sing.* 11. & Gob. *tr.* 10. *n.* 632. posse Mendicantes, ubi privilegium habent dispensandi, id facere extra Sacramentum, etiam cum absentibus, ideóque ait Gob. *n.* 604. si Parochus scribat Confessario Religioso habenti potestatem, *peto, ut dispenses cum Titio in petitione debiti*, & Confessarius rescribat, *dispenso, si causa subsit*, fore satis: sed Avers. *q* 19 *f.* 3. in hoc ultimo contradicit, quamvis cum Portel. & Dia. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 14. admittat posse ab ipso Religioso per Provincialem deputato fieri extra sacramentalem confessionem. Posse autem Episcopos cum taliter impeditis etiam post Matrimonium tantùm ratum, & intra primum gradum dispensare ad petendum debitum, habet communissima cum *Avers.* suprà contra *Covarr.* & alios, quamvis enim id Jure scripto non concedatur, tamen ita habet consuetudo, & praxis, quam Pontifices ignorare non possunt.

896 *Q.* 123. *An aliquis dispensans sine potestate dispensandi aliquando dispenset validè; & quando sciens facit, an incurrat aliquam pœnam Ecclesiasticam?* R. §. 1. Secundùm dicta *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 112. & hìc *n.* 843. si quis habens titulum coloratum per errorem communem facti putetur habere jurisdictionem & potestatem, quam tamen non habet, & quamvis sciat se eam non habere, attamen Ecclesia supplet, ubi potest, propter utilitatem communem: quod præter AA. ibi citatos egregiè deducit Sperell. *decis.* 30. & 31. *n.* 10.

897 §. 2. Quamvis graviter peccet, qui sciens se carere potestate, temerè dispensat, attamen non inveni pœnam aut censuram à Jure annexam esse isti temeritati. Bulla Cœnæ excommunicat quidem usurpantes jurisdictionem Papalem, sed videtur loqui vel de jurisdictione rerum temporalium; vel si eam aliquis sibi vellet attribuere excluso Papa, aut planè independenter ab illo.

898 *Q.* 124. *Quid universim notandum sit circa causas dispensandi?* R. §. 1. Ante omnia supponendum est cum Trid. *sess.* 25. *de ref. cap.* 18. *sicut publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, ita ex causa & cum delectu esse faciendum.* Et generatim de omnibus cautis dispensandi, dixi à *n.* 819. Inter causas autem speciales est *angustia loci*, idest, si in loco originis, vel ut alii volunt, etiam domicilii tui sit defectus personæ non impeditæ, aut æqualis, aut tibi aptæ ad Matrimonium, durum enim

est;

est, præsertim fœminæ, deserere locum originis, aut stabilem domicilii, aut cogi ad contrahendum cum impari, vel sibi non apto, uti pluribus explicant Gob. *tr. 9. à num.* 644. & Krim *à num.* 2701. notans angustiam loci allegari etiam pro viro. Nec illi causæ obest posse haberi parem in locis vicinis, Sanch. *l.* 8. *d.* 19. *n.* 13.

899 §. 2. Inter causas dispensandi in gradibus consanguinitatis & affinitatis est etiam, si puella sit superadulta, desit, excedens 24. annum, & hactenùs non poterit nec adhuc possit invenire alium sponsum paris conditionis: hinc in his partibus dispensavit aliquis Episcopus, quia puella similis erat 32. annorum. Similiter dispensavit Nuntiatura, quia puella sine proco excesserat 24. annum, & si excedat annum 25. recipitur hæc causa etiam in gradibus propinquioribus. In his tamen partibus aliqui plus requirunt, quia puellæ non solent ita matutè nubere, nec tantus hìc est ardor concupiscentiæ: debetque puella non esse vidua.

900 §. 3. Plures causas speciales Romæ admitti solitas pro dispensatione in impedimentis cujuscunque cognationis, affinitatis, publicæ honestatis, criminis &c. enumerat Pignat. *tom. 8. cons.* 22. *à n.* 19. & sunt 1. *Ob angustiam loci.* de qua jam dictum. 2. *Propter dotis incompetentiam*, si puella sub conditione, si huic nubat, ab aliquo acceptura sit dotem, quam aliàs non haberet. 3. *Pro indotata*, si hic sponsus, & non alius velit illam indotatam ducere & alere. 4. *Propter ætatem*, de qua etiam est dictum. 5. *Propter inimicitias*, si per hoc Matrimonium pacandæ sunt inimicitiæ inter parentes, consanguineos, familias. 6. *Ad componendas lites*, si nempe aliundè ortæ interventu hujus Matrimonii sint componendæ. 7. *Propter hæresin*, si istis locis multi hæretici sunt, ipsi autem sint catholici, & quia animi non possunt inspici, periculum sit, ne fortè nubat alicui non probatæ fidei. 9. *Ad evitanda scandala*, si ex fragilitate se cognoverint, vel ob nimiam familiaritatem de hoc sit sermo vel suspicio vulgi, ita ut si huic non nubat, manszura sit infamata vel innupta: & ordinariè non dispensatur in forma pauperum, nisi adfuerit hæc causa. Causas propter componendas lites & ob nimiam familiaritatem justas esse ad dispensandum etiam in primo gradu affinitatis iterùm probat Pignat. *tom. 8. cons.* 101. & similes causas per hoc sufficientes refert etiam consult. 106. Castrop. & Krim. *n.* 2100. addunt causam, *periculum patiendi gravem jacturam bonorum*, quæ possidet, vel ad quæ jus possidendi habet; nam causa pietatis est succurrere sic periclitanti. Addit Krim. *n.* 2102. *excellentiam meritorum*, quæ majores vel parentes, vel qui pro eis intercedunt, præstiterunt Ecclesiæ. Accedunt apud eundem *n.* 2103. *conservatio alicujus magnæ familiæ, vel etiam divitiarum in eadem familia*, quia Reip. interest locupletes familias catholicas conservari.

901 §. 4. Dispensatio obtenta ex falsis causis nihil operatur, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 802. & idem est, si sit subreptitia vel obreptitia, etiam per errorem alienum, nam non valebit, secundùm illam partem, in qua deficit, uti pluribus explicatum est *l.* 1. *à n.* 806. Quando nam autem, & an omnes causæ finales verificari debeant; item, quid dicendum sit, si in nomine vel diœcesi erretur, si per errorem substituta sit alia causa falsa &c. dixi ibidem à *n.* 808. Quid in casu subreptionis operetur clausula, *motu proprio* dixi ibid. *n.* 814 & *n.* 812. ibidem dixi posse esse talem parvitatem materiæ in asserto falso, vel non expresso vero, ut non idcò vitietur dispensatio. Quòd si orator fideliter proposuerit causam suam, quam dispensans bona fide putaverit esse sufficientem, si reipsa non sufficiebat. Sanch. *l.* 8. *d.* 17. *n.* 8. Vviestn. & Kerchne *n.* 233. absolutè dicunt valere: quod videtur verum, si Papa ipse dispenset in impedimentum, in quo etiam sine causa validè dispensare potest secundùm dicenda *n.* 914. E contrà si dispenetur ex potestate delegata, videtur cum Pontio & Castr. tenendum oppositum ob rationem *n.* 843. datam.

§. 5. Quando una causa non sufficit, possunt plures 902
congeri, quia *singula, quæ non possunt, collecta juvant*, *L. Instrumento*, Cod. de prob. si autem causa finalis in Rescripto allegata non subsistat, quamvis revera adsit alia causa, quæ certò sufficeret, si allegata fuisset, executor non potest pergere, uti dicetur *num.* 986.

§. 6. Quando dispensatio est in forma gratiosa, & 903
continet gratiam factam à Papa, sufficit tum, quando gratia fit, causam verificari, licet postea deficiat, Pont. Castrop. Tamb. Gob. Vviestn. Kerchne *n.* 232. Quando autem est in forma commissoria, & tantùm committitur gratia facienda in partibus, si repererit omnia esse, quæ requiruntur, necesse est, & sufficit narrata verificari tempore executionis, quamvis tempore datæ non fuisset vera; Garc. Conrad. Krim. *n.* 2079. Et universaliter, si causa finalis cesset, antequàm dispensatio sit actu applicata non valet: si autem cesset post factam applicationem, quamvis necdum sit executa, valet, v. g. Caja actu dispensata est ad Matrimonium contrahendum, quando volet, cum consanguineo ob defectum dotis, si antequàm contrahant, Caja accipiat improvisùm hæreditatem, valet dispensatio, quia antequàm acceptasset hæreditatem, dispensatio habuit primarium effectum suum, nempe sublationem impedimenti, quod semel sublatum, causam non habet cur redeat, Suar. Salas, Sà, Rebuff. Mascard. Tiraq. Garc. Regin. *l.* 31. *c.* 27. Sanch. *l.* 8. *d.* 19. *n.* 28. Conrad. *in praxi disp. l.* 7. *c.* 12. *n.* 27. Krim. *n.* 2136.

§. 7. Si legislator sine causa, ideóque illicitè dis- 904
pensarit in sua lege, hac dispensatione utens non peccat, quia validè dispensatus est nec tenetur facere, ut lex prohibens redeat, Suar. Castr. Kri. *n.* 2067.

Q 125. *An aliquando sit obligatio petendi aut con-* 905
cedendi dispensationem, v. g. in Subdia conatu pro contrahendo Matrimonio? Casus est hic: Titius illustris prosapiæ & jam Subdiaconus unicum fratrem morte inopina amittit, & nisi ipse per Matrimonium conservet familiam, fiet 1. Ut diversa bona prænobilia unà cum subditis devolvantur ad Principem acatholicum, cum infallibili ruina multorum millium animarum seu in præsenti seu in futuro. 2. Ut ad eundem acatholicum pariter devolvatur dispositio de pluribus Beneficiis Ecclesiasticis, quæ vel extinguentur, vel non bene administrabuntur. 3. Ut bona prænobilia, quæ familia Titii expectat ab agnatis acatholicis, maneant apud acatholicos, adeóque spes certa plurimas animas ad veram fidem suo tempore adducendi, penitus evanescat. His positis & suppositis, *Quæritur* 1. An ob causas allatas Titius non teneatur petere dispensationem in ordine ad contrahendum Matrimonium? 2. An Superior, à quo petenda, illam non possit licitè & utiliter concedere? 3. An Superior, si possit, non teneatur illam dispensationem concedere? R. *ad* 1. teneri, probatur ex communi doctrina apud Valentiam in 2. 2. *d.* 3. *q.* 4. *pu.* 3. post medium, ubi sic habet: *Quarto dico, si proximus sit in extrema necessitate spirituali, quilibet etiam privatus tenetur cum dispendio vitæ propriæ illi subvenire, si efficaciter possit.* Paulò post: *sed illustrabitur tota hac doctrina magis, si illam accommodemus ad aliquos casus particulares, explicando præsertim, quando possit judicari extrema necessitas spiritualis proximi.* Primus casus est, si aliqui fideles concionatore, ita, ut illi vincibiliter ignorent ab hæresi, atque adeò sint in peccato mortali, nec rem veritatem, aliis aditus ad eos rectè informandos facilè pateat

tum si ii indocti alioqui sint, qui non videntur per se posse dijudicare veritatem, omninò censeri debent esse constituti in extrema necessitate spirituali, quare si quis utiliter & efficaciter possit subvenire illis etiam cum discrimine propriæ vitæ, id tenebitur facere ex charitate. Hucusque *Valentia*, & eadem habent Bon. *in* 1. *præc. Decal d.* 3. *q.* 3. *pu.* 4. *n.* 5. Baldellus *to.* 2. *l.* 2. *d.* 18. *n.* 15. Bassæus *to.* 1. *v. Charitas, n.* 21. Castrop. *tr.* 6. *d.* 1. *pu.* 9. *n.* 10. In nostro autem casu plurimi seducuntur à concionatoribus actholicis, & dato quòd vincibiliter, attamen per se non possunt dijudicare veritatem, ut pote homines indocti, & nisi sub dominium catholicum veniant, non facilè dabitur aliter aditus ad illos informandos. Similiter illi, qui deficiente hærede catholico venient sub potestatem acatholicorum, adducentur in similem necessitatem, & noster Titius potest, si non omnibus, saltem aliquibus efficaciter subvenire, subeundo minus incommodum quàm discrimen vitæ propriæ si, petita dispensatione ducat & suscitet hæredem, ergo tenetur eam petere. *Conf.* 1. Nam honestum est omittere & deserere statum perfectiorem pro bono spirituali proximi, Baldellus *n.* 14. citans *Suar. & Vasq.* quia & hoc ipsum quandoq; est debitum; sic pater relinquere debet ingressum Religionis, ut bene educet proles, filius debet deserere Religionem, ut succurrat parentibus etiam in necessitate corporali, Baldell. ibid. ex S. Th. 2. 2. *q.* 289. *ar.* 6. ergo multò magis hic pro communi, & tanta necessitate spirituali animarum. *Conf.* 2. nam Titius teneretur petere dispensationem, si ipse per votum castitatis esset in periculo salutis propter vim incontinentiæ, v. g. per malum habitum causatæ, ergo & nunc propter commune periculum salutis alienæ tam manifestum. R. *ad.* 2. Superiorem utiliter & laudabiliter facturum, si dispenset, nam si esset periculum solius Titii propter incontinentiam, laudabiliter & utiliter dispensaret, ergo multò magis nunc, ubi est necessitas communis. Addunt Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 8. §. 2. *n.* 7. Laym *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 5. cum communi, convenire legislatori, ut omnium necessitatibus subveniat, ergo multò magis, cùm hic sit utilitas publica magna, urgensque necessitas spiritualis, argumac. 1. De voto, Sot. *De just.* *q.* 7. *a* 3. Suar. *De voto*, *c.* 17. Sanch. *in conf. l.* 4. *cap.* 45. Laym. suprà, Castr. *n.* 6 R. *ad.* 3. Superiorem teneri hic dispensare, uti colligitur partim ex hic dictis *ad* 1. partim ex dictis *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 538. ubi dixi Superiorem aliquando teneri dispensare; & id etiam tenet Sperell. *dec.* 111. *à n.* 5. Neque in tali circumstantia est periculum illius scandali occasione talis dispensationis orituri, sed orietur potiùs ex denegatione, si nempe Ecclesia pluris faceret observationem unius voti particularis personæ, quàm salutem æternam tot animarum sibi à Christo commissarum.

906 *Q.* 126. *Quid notandum circa causam dispensandi in Subdiaconatu, propter periculum incontinentiæ?* R. §. 1. Huic malo frequenter occurri posset saltè antecedèter; nam vel factus est in continens post susceptum Subdiaconatum, vel ante illum fuit incontinens. Si post, erit culpa ejus propter abundantiam cibi, & potus, conversationes periculosas, inordinatã vitã, &c. & per quas causas nata est incontinentia, per oppositas, si nimium inveterata non sit, communiter poterit corrigi & ac recuperari continẽtia, ad quod sincero animo tentandũ tenetur, licèt subeunda sit non levis modestia, & pugna contra carnẽ. Si ante Subdiaconatũ fuerit incontinens; parẽtes plerũque habent culpá, qui ob fines humanos, & bonum tẽporale familiarum, hos vel illos è filiis destinant, & metu reverentiali adducunt ad statum Ecclesiasticum, parum soliciti, sitne hæc eorum vocatio necne; interim adolescẽtes nõ audẽt reluctari, aut prę ẽdere, quod sæpe advertunt, periculum incontinentiæ, sed pergunt, ut sibi fingunt, bona fide, etiam tracti commoditate pinguis prębendę, ac cogitantes Deum, vel tempus de reliquo provisurum: unde providè sapienterque faceret Ecclesia, si adolescentes, maximè Nobiles, non admitteret ad Sudiaconatum, nisi prævia octiduana recollectione, in qua considerarent statum animæ suæ, inclinationes, & habitus tum bonos tum malos, ac serio perpenderent, ac coram Deo & in conscientia sua judicarent se in statu Ecclesiastico faciliùs salvandos, quàm in alio: ac ad eum finem certa media vitæ benè instituendæ sibi præfinirent: hæc recollectio serviret etiam ad expianda peccata vitæ præteritæ maximè cùm jam cogitent statum novum inire, in quo peccata, quæ contra castitatem committuntur, habent distinctam speciem sacrilegii.

§. 2. Potest hæc causa esse justa, tum ut evitentur 907
publica scandala alioqui probabiliter secutura, tum ut consulatur saluti hujus animæ alioqui forsan contempturæ, si in profundum venerit, vel tandem agendæ in desesperationem: hinc ad prudens arbitrium Superioris pertinet considerare circumstantias.

Q. 127. *Quomodo petenda Romæ dispensatio, & quid* 908
in suplica sit experimendum? R. Præter illa, quæ ex Busem. retuli *l.* 1. *n.* 796. tumque etiam ibi addidi à *n.* 797. addenda sunt hìc seqq.

§. 1. Quando impedimentum est occultum, scribi- 909
tur ad S. *Pœnitentiariam*, potestque scribi à quocunque & in quacunque lingua, neque hìc opus est ullis sumptibus. In supplica autem exponitur casus, circumstantiæ debitæ, & causæ, item nomen illius, ad quem remitti debet Rescriptum, & civitas, ad quam debet dirigi, uti habet sequens instructio.

Instructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus quorum absolutio, seu dispensatio à Sacra Pœnitentiaria Apostolica impetratur.

CUm sæpè sit experientia compertum, plurimos utriusque sexus Christi-fideles, præcipuè in longinquis degentes, censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non irregularitatum, & casuum quoquo modo reservatorum ligaminibus adstrictos ad Sanctam Sedem, ejusque Sacram Pœnitentiariam spectantibus irretitos, in illis lacrymosè persistere, & continuis conscientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali causas ex similibus prodire innotuit.

PRIMÒ, eò quòd parochi, vel alii, ad quos hujusmodi pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hìc Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, quibus, cùm ad Ordinarium accendendi (fœminis præsertim) verecundia, aut timor aditum intercludat, consilium ulterius requirere nescientes, remedium desperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt. Secundò evenit, quòd pœnitentes egeni recognitionem pro solicitatione, & labore Agentium Romanæ commorantium, exolvere non valentes, inconsolati, ac conscientiæ motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & fortè (quod pejus est) sibi persuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cùm revera Sacræ Pœnitentiariæ Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serena fronte complectantur.

Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta exposita obtentæ, irritæ evadant, eò quia casus, & circumstantias

neces-

necessarias reticeant, unde fit, quòd litterarum executores casu postea Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inveniant, quare pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confessarii itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates & præfatorum casuum circumstantias considerent causasque dispensationum, aut commutationum exprimant & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta Matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessarii, seu pœnitentes poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocunque alio idiomate propriæ regionis, nam Sacra pœnitentiaria suos ex quocunque regione Pœnitentiarios subordinatos habet: & exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen, cognomen, cui sit à sacra Pœnitentiaria rescribendum, etiamsi ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secura dirigi possit, significando scilicet vulgari nomine, oppidum, seu Civitatem, & Regionem, cum Data mensis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:
Eminentissime, & Reverentissime Domine.

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votũ commutari ad effectũ contrahendi Matrimonium.

Terminent Epistolam, seu supplicationem sic.

Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. N. & exprimãt nomem, & cognomen, cui est rescribendum. Ad civitatem N. exprimendo nomen civitatis: Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario Magistro in Theologia, sive decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epistolam, seu supplicationem scribendo extra, seu à foris in hunc modum.

Eminentissimo, & reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario,
Romam.

Et si tardaverit responsio, Confessarii rescribant, ne forte sit de perdita, & numquam desperent Pœnitentes.

Consultum autem est, ut Romæ sit aliquis, qui dispensationem solicitet, nam multitudo rerum moram causat, aut etiam quandoque oblivionem parit. Plura de Rescriptis *à Pœnitentiaria* addam à *n.* 951.

§. 2. Quando impedimentum est notorium, & publicum, scribi debet ad Datariam, seu Cancellariam, 910 in qua dispensat Papa pro notoriis, & pro foro etiam externo: servantur autem ferè eadem, quæ jam dicta sunt de litteris ad *Pœnitentiariam*, sed scribi debet ad aliquem alium, qui Romæ tradat supplicam, urgeatque Rescriptum, & huc remittat. Scribitur autem etiam ad Datariam pro secundo gradu consanguinitatis, quamvis occulto, & in consanguinitate pro Matrimonio contrahendo, uti dicetur *n.* 951. Ubicunque autem petitur dispensatio pro Matrimonio contracto, semper exprimendum est, an sit contractum servata forma Trid. in facie Ecclesiæ: sive præmissis, vel dispensatis proclamationibus.

§. 3. In genere hic supponendum non vitiari dispensationem, si *per obreptionem* narretur falsum, vel 911
per subreptionem taceatur verum, quorum alterutrum spectet ad causam finalem, seu motivam dispensantis, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 806. Quod verum est, licèt hoc per ignorantiam, vel errorem factum sit, in illis enim spectat ad formam actus, ut Jus, stylus & consuetudo servata sint, uti pluribus explicat Krim. à *nu.* 2109. Notavi etiam *l.* 1. *n.* 805. cum communi, quam etiam tenet Krim. à *n.* 2114. in dubio, an aliquid additum, vel omissum spectet ad causam finalem, an ad impulsivam, præsumendum esse potiùs, quòd spectet ad impulsivam tantùm. Quod si causa finalis desinat secundùm aliquam tantùm sui partem, Sanch. & Krim. *n.* 2116. putant non ideò cadere dispensationem, quia minùs requiritur, ut permaneat, quam ut primò detur; sicuti secundùm Tiraq. tract. *Cessante causa, cessat effectus*, limit. 17. *n.* 1. *&* 103. lex manet, quamvis aliqua, dummodò non tota ejus causa finalis cesset.

§. 4. Si illud, quod certũ est, & pertinet ad substantiã, ponatur sub dubio, vitiatur dispensatio Suar. Sanch. *l.* 912
8. *d.* 21. *n.* 10 Gob. *n.* 683. Idẽ est, si nõ exprimatur, quòd dispẽsatio cedat in præjudicium tertii, quia dispensans non præsumitur huic tertio velle præjudicare, Sanch *n.* 50. Krim. *n.* 2117.

§. 5. Impedimentum exprimi debet, quale in se 913
est, & non ùnum pro altero, hinc si habens affinitatem scribat consanguinitatem, dispensatio est nulla, licèt consanguinitas sit plus quàm affinitas; quia non dispensatur in consanguinitate, quam non habet, nec in affinitate, pro qua non petitur, Sanch. Pont. Aver. *q.* 19. *sect.* 5. Si tamen unum includat alterum, dispensans in includente, dispensat in incluso; hinc si sit publica honestas ex Matrimonio rato, & scribatur affinitas ex Matrimonio consumato, aut si sit affinitas ex copula licita, pro qua dispensatur, tacendo de publica honestate, valet, quia hæc affinitas includit illam publicam honestatem; attamen non valeret, si ex copula fornicaria esset affinitas, quia hæc non includit, nec supponit publicam honestatem, Sanch. Dian. Aver. Pignat. *tom.* 4. *conf.* 15.

§. 6. Si petatur dispensatio in consanguinitate, 914
exprimi debent hæc: an impedimentum sit occultum, an pro contracto, vel contrahendo Matrimonio, in quo gradu sit, in qua linea, an in recta vel transversa, uti habent Sanch. Bonac. Escob. Gob. *tr.* 9. *n.* 622. Krim. *n.* 2141 contra Pontium, & Leandrum; item exprimi debet, an sequantur scandala, nisi contrahant, vel si separentur, & nequeant abstinere à copula, an subsit periculum vitæ vel infamiæ, an impedimentum sit utrique, an uni tantùm parti notum, an alter, vel uterque sit in bona fide: atque idem ferè servatur in impedimento affinitatis, item publicæ honestatis ex Matrimonio rato; Aver. *q.* 19. *s.* 3. §. *Quinto*, qui §. *Sexto*, notat contra Sanch. exprimendum, an affinitas sit ex linea recta, vel transversa, quia major indecentia est, ut quis cõcubitum cum concubina patris quàm fratris, item quia affinitas ex copula conjugali est major, quam ex fornicaria; similiter quia publica honestas ex Matrimonio rato est major, quam ex sponsalibus; hinc putat omnes illos modos esse exprimendos.

§. 7. Quando petitur dispensatio in consanguinitate, vel affinitate, exprimi debet, an gradus lineæ 915
transversæ sit æqualis, an inæqualis; quamvis enim à remotiore sumatur denominatio gradus secundùm Cap. fin. *De consang.* tamen quando petitur hæc dispensatio, consideratur etiam proximior, putat quidem Gob. *tr.* 9. *n.* 620. si gradus proximior esset bona fide omissus, valere, sed contradicit Barbosa in decisionibus *l.* 1. *voto* 3. S. Pius V. autem in decreto *Attendens* dato 26. Augusti 1566. videtur solvisse

dubium

dubium, nam ſtatuit, ut ſi attingatur gradus primus, exprimi debeat: ſi hic non attingatur, *gradus remotior attendatur, trahatque ſecum propinquiorem, ac ob id ſufficiat remotiorem tantùm gradum exprimere, obtentis tamen poſteà ſuper propinquiori litteris declaratoriis.* Putantque Henriq. Con. Sanch. Pont. Corrad. in praxi diſpenſ. *l.* 7. *c.* 7. *à n.* 59. Roſa *p.* 1. *c.* 12. *n.* 33. Kim. *n.* 2147. has declaratorias tantùm requiri pro foro externo, & ad vitandum ſcandalum, adeóque non fore neceſſarias in impedimento occulto, & ceſſante ſcandalo: ſed rectè monet pro praxi Averſ. ne opus ſit his declaratoriis omninò expedire, & ſi petatur à Nuntiatura, vel Epiſcopis neceſſarium eſt, ut ab initio in ſupplica exprimatur etiam gradus proximor ſaltem ſi ſit ſecundus, quia in hoc Nuntius, & Epiſcopi diſpenſare non poſſunt. *Dixi*, in conſanguinitate, vel affinitate, nam de illis ſolis loquitur S. Pius V. ideóque docent Corr. l. 8. *c.* 7. *n.* 124. & Krim. *n.* 2168. in publica honeſtate ſatis eſſe exprimere gradum remotiorem. His omnibus non obſtantibus, docet De Juſtis *l.* 2. *c.* 3. *n.* 40. ex ſtilo jam introducto, & declaratione Pontificis diſpenſationem etiam Romæ obtentam fore hodie dum invalidam, ſi gradus proximior non fuerit expreſſus, unde in praxi hoc obſervandum eſt. Docent etiam Sot. Mol. Sanch. *l.* 8. *d.* 24. *n.* 12 De Juſtis *l.* 1. *c* 4. *n.* 121. ſi fœmina maximè, ſit proximior ſtipiti, debere exprimi, ob maximam indecentiam: ſi v. g. amita, vel matertera, quæ Jure naturæ ſuperior eſt, in Matrimonio ſubſit quaſi nepoti ſuo: id tamen non requirunt in affinitate Sãch. Fill. de Juſtis *n.* 153. quia tũ abeſt illa indecentia.

916 §. 8. Si ſcribatur 4. gradus pro 3. non valet diſpenſatio, quia pro majore gradu difficilior eſt diſpenſatio, & requiritur major cauſa, & imponitur major compenſatio. Si verò ſcribatur 3. gradus pro 4. Corr. *l.* 7. *c.* 5. *n.* 95. adhuc dicit non valere, quia Papa ſæpè pro diverſis gradibus committit diverſis expediendam diſpenſationem: è contrà valere docent Ledeſ. Gutt. Manuel, Vega, Fill. Bon. Sanch. *l.* 8. *d.* 24. *n.* 17. Sperell. *dec.* 112. *n.* 16. Averſ. *q.* 19. *ſect.* 5. Perez *diſp.* 46. *ſect.* 5. *n.* 10. Gob. *n.* 622. Krim. *n.* 2143. & probabile dicit Tamb. *tr.* 2. *c.* 10. §. 2. quia diſpenſat pro 3. cenſetur diſpenſare pro 4. ejuſdem generis, qui includitur, & quamvis Papa committat expeditionem aliquandò diverſis, tamen dum vult tolli gradum tertium, etiam vult tolli quartum incluſum.

917 §. 9. Pro diſpenſatione cognationis ſpiritualis expedit exprimere, à quo tempore ſit contracta: Et exprimi debere, an ſit ex Baptiſmo, an ex Confirmatione, docent Fill. Vvieſtn. Kerch. *n.* 239. Kri. *n.* 2132. (quamvis alii cum Sanch. *l.* 8. *c.* 24. *n.* 51. Tamb. Gob. *tr.* 9. *n.* 622. communiùs negent hoc eſſe exprimendum (videtur enim cognatio eſſe diverſa, & ſigno, & re ſignificata, quia Baptiſmus eſt velut generatio; quod non eſt Confirmatio. Etiam exprimendum eſt, an ſit reſpectu prolis ſpiritualis diſpenſandum, vel an reſpectu parentis ejus; an plerisque ignotum ſit hoc inter illos impedimentum, an & qualia damna immineant non contrahendo. Item exprimendum, an ſit ſimplex, an duplex cõpaternitas, uti ſi Titius prolẽ Cajæ, & Caja Titii levaſſet.

918 §. 10. pro diſpenſatione impedimenti criminis exponendum, an ſit ex machinatione vel adulterio, vel ex utroque, Averſ. *q.* 19. *ſect.* 5. A quo tempore ſi contractum, quomodo ſit occultum, an & quanta ſecutura ſint ſcandala ex ſeparatione, vel ſi non contrahatur Matrimonium, an uterque, an alter tantùm ſit machinatus. Si idem crimen ſit ſæpiùs repetitum, docent Con. Sanch. *l.* 8. *d.* 22. Averſ. *q.* 19. *ſect.* 6. exprimendum eſſe, quia tum difficilior eſt Pontifex, ſed Krim. *n.* 2154. dicit, hoc ex natura rei nõ requiri, nam antehac ſimiliter deliquiſſe, & diſpenſatum eſſe eſt circumſtantia de ſe impertinens. Quod ſi aliud habeat ſtylus Curiæ, videndum eſt, an ſit probatus, conſtans, & notorius, ſæpè enim varius eſt, & tum ſignum eſt non ideò cauſari invaliditatem, quandoque enim præſcribit talem uſum, ſed non ideò irritat contrarium. Videri poteſt Krim. *à n.* 1169. 2099. 2119. Quãvis autẽ hoc non requiratur ex natura rei, tamen notat Corrad. *l.* 8. *c.* 9. *n.* 8. requiri ex obligante ſtylo Curiæ.

§. 11. Si adſit multiplex impedimentum ejuſdem 919
generis, v. g. ſi quis carnaliter cognoverit duas ſorores illius, quam vult ducere, ſi ſit cognatus ex parte patris, & matris, ſi levavit ex fonte Baptiſmi duos filios Titiæ, quam jam vellet ducere, &c. docent Henriq. Ledeſm. Rodriq. Vega, non eſſe opus utrumque exprimere, ſicuti qui per plures actus ejuſdem rationis incurriſſet irregularitatem, non tenetur exprimere, niſi unum actum, & hanc ſententiam Lugo *in reſp. mor. l.* 1. *dub.* 43. dicit eſſe probabiliorẽ, favetque Krim. *n.* 2144. Rationem à priori dant, quia videtur eſſe unum numero impedimentum, ſicuti ſi quis cum eadem conſanguinea plures habuiſſet copulas, eſſet unicum impedimentum, ſi quis cum excommunicatione ſæpiùs celebraſſet, incurriſſet unicam irregularitatem ſi quis peccaſſet contra votum ſæpiùs renovatum, commiſiſſet unicum ſacrilegium, nec teneretur pluralitatem exprimere. Contradicunt alii communiùs, Sanch Pont. Perez *d.* 46. *ſect.* 5. Dic. Tamb. Averſ. *q.* 19. *ſ.* 5. Vvieſtn. Kerch. *n.* 238. quia Rota ſemper decidit oppoſitum, uti refert Card. *in* 2. *criſi diſſ.* 2. *n.* 624. dicens ſententiam primam non eſſe practicè probabilem, ideóque etiam dicunt Bon. & alii eum, qui per duplex homicidium incurriſſet irregularitatem, debere hoc exprimere, ergo multò magis, qui duplex ejuſdem rationis haberet impedimentum, & hoc magis confirmabitur ex dicendis *l* 7. *à n.* 87. ideóque non videtur audiendus Gob. *tr.* 9. *n.* 619. item in Quinario *tr.* 5. *c.* 47. *n.* 240. dicens, non eſſe ſcrupulum movendum, ſi expreſſio duplicis illius impedimenti bona fide eſſet omiſſa: imò ſi antehac diſpenſatus in crimine iterùm committat idem, ut ſi machinatus ſit primæ, & ſecũdæ uxori, Authores *n.* 918. citati cõmuniùs dicũt debere id exprimi: attamẽ id nõ eſt opus, ſi quis aliã uxorẽ ducturus debeat diſpẽſari in eodẽ alio impedimẽto, in quo anteà fuerat diſpenſatus, uti habet communior.

§. 12. Si inter aliquos ſint plura impedimenta, & 920
diverſa, putant Nav. Henriq. Salas, Sà, & probabile eſſe dicunt Sanch. *l.* 8. *d.* 23. *n.* 1. Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *R.* 30. Lug. *Reſp. mor. l.* 1. *d.* 43. *n.* 2. validam fore diſpenſationem, quamvis in diverſis ſupplicis petatur ſingulorum diſpenſatio, & non exprimatur, quòd ſint conjuncta in eadem perſona, quia non ideò poſtulatio redditur fraudulenta, vel ſubreptitia, & ſingula illa impedimenta ſunt per ſe, & ſigillatim capacia diſpenſationis. Contradicunt probabiliùs Ledeſm. Lop. Suar. Laym. Sanch. Pont. Dian Gob. *tr.* 9. *n.* 624. Vvieſtn. Kerc. *n.* 238. & alii, quia plura ejuſmodi impedimenta afferunt in eadem perſona majorem indecentiam, & meritò reddunt difficiliorem diſpenſationem; Papa enim ſæpè non diſpenſaret, ſi ſciret tot in eadem perſona concurrere, adeóque videtur ex errore diſpenſare in ſingulis. Et huc facit communis doctrina AA. apud Sperell. *dec.* 112. *à n.* 36. diſpenſationem non comprehendere caſum mixtum; ideóque Epiſcopum, qui diſpenſare poteſt, & in adulterio, & in inceſtu, non idem poſſe, ſi utrumque crimen in uno conjungatur; ſed de hoc videri poteſt Sanch *l.* 8. *d.* 2. *à n.* 27. Notant autem multi cum Averſ. *q.* 19. *ſect.* 5. ſi aliquod ex his impedimentis eſſet occultum nec poſſet abſque infamia publicari, valere diſpenſationem unius publicè obtentam, dummodò in ſupplica

pro

pro altero occulto fiat mentio istius alterius dispensati, vel dispensandi, quia non videtur consentaneum pietati Papæ obligare ad se, & proximum in isto altero iterum publicè diffamandum, cùm de illo conjunctim alibi fiat mentio. Speciatim autem notant plerique impedimentum impediens voti alicujus posse separatim proponi, cùm per accidens se habeat ad impedimenta dirimentia, & aliquando possit ab Episcopo, vel parentibus tolli.

921 §. 13. Si impetrasti dispensationem pro ducenda Titia cognata, ea autem mortua petas dispensationem pro ducenda Caja etiam cognata tua, non est opus fieri mentionem dispensationis prioris: si tamen Titia vivente peteres dispensationem ad contrahendum cum Caja, Tamb. Perez *d.* 46. *s.* 3. *n.* 6. Gob. *tr.* 9. *n.* 617. dicunt contra Sanch. fieri debere mentionem prioris, quia Papa ægerrimè bis dispensat cum eodem in ejusmodi casu.

922 §. 14. Si cognovisti consanguineam, vel affinem tuam in gradu dirimente, postea que volens contrahere cum ea petas dispensationem, sed non exprimas interveniisse copulam, Nav. Gutr. Ledesm. Rebel. Laym. Ricc. Corrad. Regin. Sanc. *l.* 8. *d.* 25. *n.* 8. valdè probabiliter dicunt dispensationem esse irritam, quia hic est stylus curiæ, unde in aphorismis Sà, v. *Dispensatio*, cùm contrarium docuisset, id correctum est, & additur Cardinales contrarium declarasse, quod etiam testatur Gallem. ad Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *n.* 1. & 8. Oppositum tamen tenent alii cum Henriq. Salas, Vega, Rodriq. Dian. Pontio, Hurt. Krim. *n.* 1177. Perez *d.* 26. *sect.* 6. *n.* 4. Avers. *q.* 19. *sect.* 6. qui vocat in praxi tutum, tum quia si hoc expressum fuisset, dispensatio fuisset facilior, tum quia contrarius stylus curiæ non videtur obligare extra Curiam, nisi confirmetur aliquo decreto Papæ, quod hìc non est: & hanc secundam sententiam vocant probabilem Sanch. & Les. *in auth. v. Matr. caſ.* 8. addens cum Hurt. & Perez, si in dispensatione ponatur: *dispensetur, nisi intervenerit copula*, si hæc sit occulta, adhuc probabiliter valere dispensationem: sed meritò in hoc contradicit Sanc. ob expressam illam conditionem: Aver. tamen & alii putant, si dispensatio obtenta sit pro foro externo, copulam occultam non obstare, quia cùm Rescriptum loquatur pro foro externo, clausula intelligitur, nisi intervenerit copula pro foro externo, id est, publicè nota. De Justis *l.* 1. *c.* 4. *à n.* 279. dicit, si adsit & allegata sit alia justa causa pro dispensatione, non esse opus exprimere copulam interveniisse, quia si decem causæ adsint, satis est allegasse unam sufficientem.

923 §. 15. Si affinitas provenerit ex illicita copula, stylus Curiæ habet, quòd hoc exprimi debeat, uti testantur Corr. *l.* 7. *c.* 1. *n.* 13. & Kri. *n.* 1213. & alii. Imò quando in Curia fit mentio affinitatis, semper intelligitur ex copula licita, De Justis, Krim. *n.* 2172.

924 §. 16. Si Matrimonium cum scientia impedimenti, vel præmissa copula sit initum, ex intentione facilitandi dispensationem, & hoc non exprimatur, dispensatio est irrita, Sanch. *l.* 8. *d.* 25. *n.* 38. Less. *in auct. v. Matr. caſ.* 8. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 82. Si tamen unus sponsorum ignorasset impedimentum, aut non habuisset eam intentionem, aut saltem uterque externè non manifestasset, Avers. *q.* 19. *sect.* 6. & alii multi contra multos alios apud Gob. *n.* 625. dicunt non necessariò esse exprimendum, quia innocens puniri non debet ratione nocentis, & merè interna non subduntur humanæ dispositioni: quidquid sit de hoc, saltem scribere non possunt se bona fide contraxisse, quod alioqui facilitat dispensationem, quia saltem unus mala fide processit.

925 §. 17. Si copula fiat post impetratam dispensationem ejusque executionem commissam Ordinario, non vitiari Rescriptum docent Nav. Gob. *num.* 630 quod Less. vocat probabile: Sanch. dicit oppositum esse probabilius ob stylum Curiæ semper resolventis contrarium: attamen Corrad. *l.* 8. *c.* 1. *à n.* 43. & Krim. *n.* 1139. tenent cum Navarr. quia jam per dispensationem sublata erat prohibitio, ideóque æquivalenter cessaverat consanguinitas, aut affinitas. Vide tamen dicenda *n.* 990.

§. 18. Si scienter contraxerint in gradu prohibito, 926
aut ignoranter quidem, sed neglectis proclamationibus, & hoc non exprimatur; item si non exprimatur, Matrimonium sic contractum sit consummatum, dispensatio est irrita, uti colligitur ex Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *de ref. Matr.* cujus verba retuli *n.* 498. Quid dicendum sit, si unus sponsorum ignoravit impedimentum, colligitur ex Trid. ibid. & ex dictis hìc *n.* 924. Notandum autem est hic, quòd Trid. ibi dicat, *intra gradus prohibitos*, nempe consanguinitatis, vel affinitatis, non autem in alio impedimento, nequidem publicæ honestatis. Vide dicta *n.* 502.

§. 19. Si clandestinè cum impedimanto sit con- 927
tractum, etiam neglectis proclamationibus, putant Henriq. & Sanch. *l.* 8. *d.* 25. *n.* 34. id non necessariò esse exprimendum, quia ibi deficiebat forma substantialis Matrimonii: sed probabiliùs contradicit Avers. *q.* 19. *sect.* 6. quia Trid. non dicit proclamationibus, sed *solemnitatibus neglectis*, quarum præcipua est assistentia Parochi, & testium. *Nec obstat*, deficere formam substantialem Matrimonii, *nam* hoc semper est, si scienter contrahatur cum impedimento dirimente, & tamen id debet exprimi.

§. 20. Quando petitur dispensatio ob paupertatem, 928
quomodo hæc probanda sit dixi *n.* 861. Formula autem petendi dispensationem potest v. g. sic formari:

Beatissime Pater,

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum oratorum (*ponuntur nomina dispensandorum, diœceses originis*) quòd dicti oratores (*ponitur causa dispensationis obtinendæ v. g. patiuntur loci angustiam, & in oppido N. non inveniunt non impeditum paris conditionis, &c.*) & ideò cupiunt matrimonialiter copulari, sed quia (*ponitur impedimentum v. g. quia secundo gradu affinitatis conjuncti sunt*) desiderium suum hac in parte absque Sedis Apostolicæ dispensatione adimplere non possunt; supplicant sanctitati Vestræ, quatenus cum eisdem super dicto impedimento (*affinitatis in secundo gradu*) benignè dispensare dignetur.

§. 21. Expedit per Nuntiaturam solicitare dispen- 929
sationes, quia hujus litteræ certiùs diriguntur, supplicæ per Agentes proprios Romæ citiùs, & efficaciùs proponuntur, expeditiones obtinentur minore sumptu. *Notandum* est autem, quòd mortuo Papa obtineri non possint Roma dispensationes matrimoniales, nam annulus Piscatoris, sive sigillum Pontificis frangitur.

Q. 128. *Quæ ordinariè solvenda sint Romæ, vel in* 930
Nuntiatura? R. §. 1. Taxæ Jurium solvendorum ordinariæ dicuntur Tariffæ, quas quoad *Pœnitentiariam* regulavit S. Pius V. uti refert Pignat. *T.* 7. *c.* 22. *n.* 18. Quantitas autem Jurium istorum variat secundùm tempora, & circumstantias tum personarum, tum etiam causarum, quæ allegantur. Et justè exigi talia Jura certum est, saltem in mulctam, seu pœnam, ut tales impediti abstineant, si nolint talem pœnam pendere; estque ad deterrendum, ne nimio abusu vilescant antiqui Canones improbantes Matrimonia cum tali impedimento inceuda. Impenduntur autem illa, quæ exiguntur ad finem bonum, & necessarium, tum ut alantur Officiales Curiæ Romanæ, tum ut aliis publicis necessitatibus provideatur.

§. 2. Circa ista omnia pono hìc informationes, prout 931
mihi communicatæ sunt, quamvis sciam ob varia-

tionem circumstantiarum non semper eodem modo observari; saltem servient hæc ad aliqualem directionem, etiam pro aliis rebus præter matrimoniales.

Informatio de iis, quæ frequentiùs Roma peti solent.

De Indulgentiis Plenariis.

Nota 1. Regulariter cuivis Ecclesiæ, vel capellæ, quæ non sit Regularium, unica tantùm conceditur Indulgentia per annum ad septennium durans: pro Ecclesiis tamen Cathedralibus, Collegiatis, ac etiam Parochialibus possunt per memoriale à Pontifice impetrari binæ ad septennium.

2. Cuivis Ecclesiæ, sive Regularium, sive non Regularium dantur ad septennium Indulgentiæ pro comprecatione 40. horarum, & pro visitantibus 7. Altaria, & quidem sine memoriali.

3. Pro Ecclesiis Regularium, quæ habent Indulgentias Ordinis, potest ad septennium per memoriale impetrari unica tantùm Indulgentia alia.

4. Pro unica vice, vel etiam pro Communione generali ad semel datur per memoriale Indulgentia cuivis Ecclesiæ tam Regularium, quàm non Regularium.

5. Sine memoriali cuilibet Ecclesiæ datur Indulgentia 100. dierum pro iis, qui intersunt Litaniis Lauretanis in festis B.M. V. & semel in hebdomada.

6. Si sit aliquis locus, qui ob miraculosam quandam statuam vel imaginem à fidelibus soleat processionaliter frequentari: potest quidem, præter solitas Indulgentias, per memoriale impetrari una alia ad septennium pro visitantibus dictum locum semel in anno, sed debet mitti attestatio ab Ordinario vel ejus Vicario, vi cujus fides fiat, quòd reverà locus talis sit.

7. Pro Monialibus dantur sequentes Indulgentiæ ordinariè ad septennium. Indulgentia una pro omnibus Christi fidelibus. Indulgentiæ quatuor pro Monialibus tantùm. Indulgentia 7. altarium, si tot adsint. Indulgentia 7. Ecclesiarum. Indulgentia scalæ sanctæ. Indulgentia in articulo mortis: & hæ omnes sunt plenariæ. Indulgentia 100. dierum, si intersint Litaniis Laeretanis, ut suprà. Altare privilegiatum pro animabus Monialium, Fundatorum, Benefactorum.

8. Indulgentiæ perpetuæ vix dantur, sicut neque durantes ultra septennium, nisi pro partibus valdè remotis, pro quibus dantur ad decennium, vel etiam ultrà.

9. Quando agens in Curia Romana procurat aliquod ex præfatis Brevibus sine memoriali, tunc pro labore dantur illi 10 Bajoci; si autem debeat facere, & porrigere memoriale, superadduntur illi alii 30. Bajoci, ut ita universim sint 50. Bajoci.

10. Quando petuntur Indulgentiæ, debet specificari titulus Ecclesiæ, maximè si non sit Cathedralis, Collegiata, aut Parochialis: item an Ecclesia sit Regularium, & qualium, vel non Regularium: item locus Diœcesis, & dies pro qua petuntur Indulgentiæ, v. g. sic: Petitur Indulgentia Plenaria ad septennium pro Ecclesia Parochiali (vel filiali) S. Petri *civitatis*, pagi N. Diœcesis N. in festo S. Petri. Item Indulgentia 100. dierum pro iis, qui singulis diebus Sabbati, & festis B. M. V. intersunt Litaniis Lauretanis recitari, aut decantari solitis. Hæ binæ Indulgentiæ, quando simul petuntur, inseruntur uni eidemque Brevi, neque ideò plus solvitur.

De Altaribus Privilegiatis.

Pro omnibus fidelibus Defunctis.

Hoc altare Privilegiatum (intellige ad septennium, quia perpetuum vix est impetrabile) conceditur iis Ecclesiis tantùm in quibus quotidie per annum dicuntur 7. Missæ, & quidem (præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac infra ejus octavam) pro unica feria in hebdomade: si dicantur Missæ 14. pro duabus: si 21. pro tribus, & sic deinceps, neque tali casu opus est, ut præsententur Pontifici memoriale, secus verò, si dictim dicantur Missæ tantùm 5. aut 4. Ubi *Nota*, si dicantur 10. aut 9. Missæ, posse per memoriale impetrari Privilegium pro binis diebus: Si 15. aut 14. pro tribus, & sic deinceps. Modus autem petendi hoc altare Privilegiatum est ferè idem, qui suprà adductus est de Indulgentiis v. g. sic. Petitur altare Privilegiatum ad septennium pro Ecclesia Parochiali S. Petri (sive sit Regularium, sive non Regularium) civitatis N. Diœcesis N. & in ea sito altari majore, vel Christi Crucifixi pro singulis feriis secundis, vel pro feria una septimanæ ab Ordinario specificanda, dicuntur in ea quotidie 7. vel. 5. vel 4. Missæ.

De Altaribus Privilegiatis pro Confratribus, & Consororibus alicujus Confraternitatis.

Hoc altare Privilegiatum datur etiam, si hebdomadatim unica tantùm Missa dicatur, modò dicatur illa die, cui affixa sunt suffragia determinatione vel Secretariæ Brevium, vel Ordinarii loci. In petitione hujus Brevis exprimi debet titulus Confraternitatis, v. g. sic: Petitur altare Privilegiatum ad septennium pro Ecclesia S. Petri Parochiali vel filiali (sive sit Regularium, sive non Regularium) civitatis N. Diœcesis N. & in ea sito altari Confraternitatis B.M.V. sine labe originali conceptæ pro una feria cujusvis septimanæ ad arbitrium Confratrum igenda de consensu Ordinarii. Diem autem commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & illius octavam non est opus exprimere, quia jam subintelligitur. Expensæ tam pro isto quàm superiori altari Privilegiato sunt prorsus eædem, quæ pro Indulgentiis, quamvis agens pro hujusmodi Brevibus in Secretaria debeat solvere 10. Bajocos, Brevia autem Indulgentiarum dentur gratis.

De Brevibus perpetuis.

Nota 1. Hoc Breve petitur, quando, aut jam est erecta, aut primò erigitur aliqua Confraternitas, & virtute illius conceduntur sequentes Indulgentiæ perpetuæ pro Confratribus, & Consororibus. Indulgentia plenaria in die ingressus. In articulo mortis. In festo principali per annum. Indulgentia 7. annorum, & 7. quadragenarum pro 4. aliis festis minùs principalibus per annum. Indulgentia 60. dierum pro omni opere pio ex iis, quæ in Brevi specificantur.

2. Quando petitur hoc Breve, festum principale, & 4. minùs principalia possunt specificari, vel non specificari, quando non specificantur, tunc relinquuntur arbitrio, ac determinationi Consodalium cum consensu Ordinarii. Modus autem petendi hoc Breve est iste: Petitur Breve pro Ecclesia Parochiali, vel filiali S. Petri non Regularium (vel Clericorum Regularium) civitatis N. Diœcesis N. & in ea erecta, sive erigenda Confraternitate B.M.V. sine labe orig. conceptæ. Festa omnia ad arbitrium Confraternitatis, vel certè Festum principale Conceptio B.M. V. & quatuor minùs principalia, Annunciatio, Nativitas, Purificatio, & Assumptio ejusdem.

3. Taxa hujus Brevis cum Agenda sunt 5. Scuta, 2. Bajoci, sed quia semper simul datur altare Privilegiatum per 20. Bajocos, ideò pro utroque solvuntur 5. Scuta, 22. Bajoci.

4. Datur aliud Breve perpetuum pro Confraternitatibus Agoniæ, seu, ut vocant, de bona morte, virtute cujus conceduntur Confratribus duodecies Indulgentiæ plenariæ perpetuæ per annum, hoc est, aut una Dominica, aut una feria cujuslibet mensis, id quod in petitione specificari debet, sicut etiam an prima, an secunda Dominica cujusvis mensis, vel an feria, verbi gratia, sexta primæ, an secundæ hebdomadæ in mense, Sed hoc Breve perpetuum, ordinariè datur

datur solùm iis Confraternitatibus, quæ eriguntur in Ecclesiis Societatis JESU, seu in quibus ipsi divina peragunt. Cæterùm modus petendi est iste: petitur Breve perpetuum pro Ecclesia Clericorum Regularium Soc. JESU civitatis N. diœcesis N. & in ea erecta, sive erigenda Confraternitate, seu Congregatione devotionis D.N.J.C. in Cruce moribundi, ac B.M.V. ejus Genitricis dolorosæ ad bene moriendum, pro semel quovis mense, id est, pro prima feria sexta, vel Dominica cujusvis mensis. Hoc Breve datur quidem gravis, pro Agentia tamen, & altari Privilegiato solvitur unum Scutum: vel per aliquos tantùm Imperialis monetæ communis.

De Dispensatione pro Ordinibus per Datariam.

Dispensatio pro extra tempora, & interstitiis datur ob unum ex sequentibus motivis. In solatium parentum senio confectorum, vel utriusque, vel saltem alterius. Ob ætatem 27. annorum inchoatorum. Ob Doctoratum, vel etiam Baccalaureatum Theologiæ. Ob arctationem Beneficii actualis. Ob Subdiaconatum, vel Diaconatum. Ob nobilitatem, sed hoc casu superaddi debent 2. Scuta, adeóque taxa ascendit ad 6. Scuta, nam alioquin taxa universim cum Agentia sunt 4. Scuta. Hæc dispensatio ex Dataria nonnisi spatio 14. dierum haberi potest, si tamen superaddantur Officialibus 50. Bajoci, haberi potest intrà 8. Modum petendi: vide infrà.

De dispensatione eadem per Secretariam.

Secretaria Brevium dispensat ex iisdem motivis, ac etiam ex sequentibus duobus: scil. ob Magisterium in artibus, & eò quòd quis operam navet Theologiæ; potestque dispensatio haberi intra unum diem, sed taxa semper sunt 9. Scuta cum Agentia, *Adverte*, si dispensandus sit oriundus à parte Venetorum, seu Italiæ, cum eo non dispensat Dataria, sed Secretaria, adeóque semper sunt exponenda 9. Scuta. Modus petendi tam à Dataria quàm à Secretaria est iste: petitur extra tempora, seu dispensatio in interstitiis pro N. N. Clerico, seu Scholari diœcesis N. à parte Imperii, vel à parte Reipublicæ N. in solatium patris senio confecti, vel quia jam est Subdiaconus, &c. & si sit periculum in mora, addatur, ut petatur à Secretaria Brevium.

De dispensatione in ætate 13. mensium.

Hæc dispensatio datur ob unum ex sequentibus motivis. Ob penuriam Sacerdotum. Ob utilitatem egregiam Ecclesiæ, quæ speratur à dispensando. Ob solatium parentum, saltem alterutrius viventis. Ob arctationem Beneficii actualis. Ob Diaconatum, vel Subdiaconatum. Ob Doctoratum Theologiæ, vel Philosophiæ, ac etiam ob studium Theologicum. A quibusdam Pontificibus datur etiam ex eo solùm motivo, quòd orator fervore devotionis accensus aspiret ad Sacerdotium. Non dispensatur autem, nisi pro 13. mensibus ad summum, & taxa cum Agentia sunt 11. Scuta: anno 1698. debuit unus dare 14. Scuta; anno 1700. alius 18. Imper. & 60. albos, incluso portorio. Modus petendi est iste: petitur dispensatio in ætate 13. mensium pro N. N. Diœcesis N. in solatium patris senio confecti, vel quia est Magistre Philosophiæ, &c.

De dispensatione super Irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu.

Si delictum, v. gr. homicidium sit occultum, & ad forum contentiosum non deductum, dispensat Pœnitentiaria, sicut etiam in impedimentis dirimentibus occultis, aut Matrimonio contracto supervenientibus, ac in votis simplicibus castitatis, & Religionis. Modus petendi est iste: petitur dispensatio super irregularitate contracta alicujus (non exprimitur nomen, aut cognomen dispensandi, si delictum sit occultum) Diœcesis N. contracta ex voluntario, vel involuntario homicidio, quod sic accidit Et. narratur species facti; additurque, quòd casus sit occultus. Taxa pro ejusmodi dispensationibus Pœnitentiariæ nulla quidem est, Agentiæ tamen solvi debet, & quidem juxta mensuram laboris, & difficultatis. Cæterùm pro Agentia hujusmodi Brevium Pœnitentiariæ solvuntur ordinarie 50. Bajoci Agenti. Si verò delictum sit publicum, aut irregularitas proveniat ex defectu, v. gr. quia dispensandus destituitur aliquo membro corporis, tunc dispensat Dataria, & taxa simul cum Agentia sunt 12. Scuta. Si laicus, qui habuit uxorem, viduam, petat Ordines, taxa quandoque ascendit ad 185. Scuta.

De dispensatione super Natalibus.

Hæc est pro natis ex toro illegitimo, & datur, vel ad suscipiendos Ordines tantùm, & taxa sunt 7. Scuta, 50. Bajoci: vel Ordines & Beneficia, & taxa sunt 41. scuta, vel ad Ordines, Beneficia, dignitates Ecclesiasticas, excepta Prælatura, & taxa sunt 50. Scuta. Si verò dispensandus est filius Presbyteri, debet mitti attestatio Ordinarii vel ejus Vicarii de vita, & moribus dispensandi, qua dicatur, quòd filius non sit imitaturus incontinentiam patris; taxa 20. Scuta ad Ordines tantùm. Modus petendi est iste: petitur dispensatio super natalibus ad Ordines tantùm, vel ad Ordines, & Beneficia simul pro N. N. (exprimatur nomen, & cognomen) Diœcesis N. nato ex simplici fornicatione, vel adulterio ex parte patris, aut matris.

De dispensationibus matrimonialibus in forma pauperum.

Ut possit obtineri dispensatio ejusmodi, quatuor sunt necessaria, & quidem ita, ut si unum ex sequentibus absit, nihil sperari possit: nam debet inter dispensandos, aut intercessisse copula, aut esse tam familiaris conversatio, quæ eos de copula suspectos reddat, aut alia gravis causa adduci. Debet addi, an copula intercesserit ignoranter, an scienter, sive in fraudem, & ad facilius extorquendam dispensationem, quia in hoc solvendo casu, aut non dispensatur, aut duplum pro pœna solvendum. Debet mitti attestatio ab Ordinario, vel ejus Vicario, quòd Oratores sint *pauperes, ac miserabiles, & labore tantùm manuum suarum viventes*, qualiter vivunt rustici, plebeii, mechanici, opifices. Debet autem mitti arbor consanguinitatis, vel affinitatis, aut saltem explicari, qualiter dispensandi se attingant. Et si quidem se attingunt in primo gradu tantùm, apud quosdam Pontifices non erat speranda dispensatio, sicuti neque in 1. & 2. gradu lineæ rectæ. Taxæ variæ pro varietate graduum, in quibus Oratores se attingunt, quod nimis longum foret recensere. Denique si Oratores non sint quidem miserabiles, sed tamen aut mediocris fortunæ, aut pauperes, sive non satis habentes pro statu suo, v.g nobilitate, tum mittitur attestatio Ordinarii, vel Vicarii, in qua exprimantur annui reditus, quos habet Orator, & Oratrix divisim, non conjunctim; & dicit, nobiles aut honestos esse, & dictos reditus vix sufficere ad congruam eorum sustentationem annuam, nam tali casu unius anni reditu acceptare solet Dataria, excepto casu, quo sponsi se attingerent in 2. & 3. gradu: acceptat autem in 2. & 3. gradu ac etiam in aliis gradibus sive conjunctis, sive divisis, modò non concurrat 2. & 3.

De Oratoriis.

Oratoria sunt quadruplicia: 1. pro rure tantùm, Oratoria sunt quadruplicia: 1. pro rure tantùm, pro locis seu habitationibus extra urbem, aut oppidum sitis: Et hoc privilegium datur etiam personis iis, quæ nullam exercent jurisdictionem non sunt nobiles, & aliquo dominio. Modus petendi est iste temporalem in pro N. N. Diœcesis N. vigore cujus Petitur Oratorium conjux ipsius N. cum prolibus, & familia ipse, moderna celebrati Missam cum solitis clausulis, possit cu

& exceptionibus in domo ſuæ habitationis rure extra urbem N. &c. Taxa 12. Scuta. 2. Pro Civitate, & omnibus omninò locis, ſive ea ſint oppida, ſive villæ, ſive dominia; Et hoc datur perſonis tantùm nobilibus exercentibus juriſdictionem temporalem altam, vel baſſam in aliquo loco, qui ſpecificari debet. Datur autem hoc Oratorium cum ſequentibus reſtrictionibus: 1. ut valeat tantùm pro civitate, & locis unius Diæceſis: unde ſi quis velit erigere Capellam in loco alterius Diæceſis, debet petere aliud Oratorium pro illa Diæceſi. 2. ut quotidie tantùm una *Miſſa* dicatur. per quod tamen non prohibentur celebrare ii Religioſi, qui Privilegium habent perſonale celebrandi, ubicumque commoditatem nacti fuerint. 3. ut locus ſit muratus, decenter à domeſticis aliis uſibus ſeparetur: & priùs viſitetur ab Ordinario, vel ejus Vicario. 4. ut in feſtis ſolemnioribus anni iſthic Miſſa non habeatur. 5. ut famuli, & famulæ illo tempore ad ſervitia non neceſſarii diebus feſtis, & dominicis eant ad Eccleſiam publicam; Filii autem & famuli neceſſarii, ac ruri etiam hoſpites nobiles poſſunt dictis diebus intereſſe Miſſæ privatæ cum Domino, & Domina, ſatisfaciuntque præcepto Eccleſiæ. Modus petendi hoc Oratorium eſt iſte. Petitur Oratorium pro N. N. S. Rom. Imperii Comite, &c. ejus moderna conjuge N. prolibus, familia, & hoſpitibus, pro civitate N. & loco N. Diæceſis N. in quo juriſdictionem temporalem exercent. Si quis addere velit etiam alia dominia, quæ fortè quis habet, poteſt, quia etiam illa inſerentur Oratorio, neceſſe tamen non eſt, quia in fine ſemper additur, *aliiſque locis ejuſdem Diæceſis*; Qui autem omnia dicit, nihil excipit; expedit tamen, ut quis addat dominia, quæ habet in alia Diæceſi, quia ſubinde impetratur inſertio, ſi non omnium, ſaltem unius, vel alterius ad idem Oratorium, ſeu Breve, & quidem cum eadem taxa 12. ſcutorum. 6. Pro infirmis nobilibus (ſive juriſdictionem temporalem exerceant, ſive non) quod convenit in omnibus cum Oratorio ſecundi generis, præterquam quòd valeat tantùm pro eo tempore, quo Orator ob infirmitatem domo ad Miſſam audiendam egredi nequit, quamvis aliàs nulla anni dies etiam ſolemniſſima excipiatur. Deinde diebus Dominicis, & Feſtis reſtringitur ad unam tantùm perſonam uſibus neceſſariam; aliæ verò debent audire Miſſam in publica Eccleſia, ut ſatisfaciant præcepto. Si conjux etiam ſit infirma, nominetur & ipſa, quia impetrabitur unum Breve pro utroque, impetrari etiam poteſt pro patre, & filio, vel filia, item pro matre, & filia, vel filio, ac etiam pro fratre, & ſorore infirmis, ſi ſimul habitent. Taxa quæ ſuprà. Modus petendi eſt iſte: Petitur Oratorium pro N. N. & ejuſdem conjuge N. Nobilibus Diæceſis N. laborantibus quibuſdam infirmitatibus, propter quas domo Miſſam audiendi (ſi eſt Sacerdos dicitur *celebrandi*) cauſa egredi non poſſunt, pro civitate N. & tota Diæceſi N. 4. pro itinerantibus, & vocatur altare portatile, quod datur cum ſequentibus clauſulis. 1. ut perſona ſit nobilis, ſive juriſdictionem temporalem exerceat, ſive non. 2. ut valeat tantùm, v. g. per Italiam, vel Germaniam, vel Hiſpaniam, &c. 3. ut valeat tantùm in actuali itinere, & quidem ubi Miſſarum commoditas deeſt. Cæterùm ejuſmodi Miſſæ intereſſe poſſunt validè omnes comites itineris. Taxa, quæ ſuprà. Modus petendi eſt iſte. Petitur altare portatile, ſive viatorium pro N. N. ejuſque moderna conjuge N. nobilibus Diæceſis N. frequenter, aut ſubindè iter facientibus per Germaniam.

De Notariatu Apoſtolico.

Ejuſmodi Notariatus datur quibuſcunque, etiam non nobilibus, non graduatis, neque conſtitutis in alqua dignitate. Taxa cum Agentia ſunt 4. Scuta, 50. Bajoci. Modus petendi colligetur ex jam dicendis.

De Proto-Notariatu Apoſtolico.

Ad hoc ut poſſit à Pontifice impetrari hic Protonotariatus, debet perſona, pro qua petitur, aut eſſe nobilis, aut graduata in aliqua ſcientia Theologica, Juridica, aut Philoſophica, vel eſſe in dignitate aliqua Eccleſiaſtica. Taxa ſunt 24. Scuta. Ejuſmodi Protonotariatum ex Privilegio Pontificum dat etiam Dux Sforzia, aut alius: apud hunc; Taxa ſunt 6. aut 7. Scuta, & 50. Bajoci. Modus petendi iſte; petitur protonotariatus Pontificius (vel Ducis Sforziæ) pro N. N. Diœceſis N. Canonico ibidem vel nobili, vel Magiſtro Philoſophiæ.

Facultas ingrediendi monaſteria Monialium.

Hæc facultas datur fœminis titulatis, v. g. Principiſſis, Comitiſſis, &c. ut poſſint cum duabus matronis quater in anno ingredi Clauſtrum Monialium. Taxa 25. Scuta, 50. Bajoci unà cum Agentia. Datur etiam dominabus in temporalibus, etiamſi non ſint titulatæ, & tunc ſolvuntur 15. Scuta univerſim, qua taxa nunc etiam pro titulatis haberi poteſt facultas. Modus petendi iſte: petitur facultas pro Baroniſſa (vel Domina in temporalibus) ut quater in anno durante vita cum duabus matronis poſſit ingredi Monaſterium Monialium Ordinis N. in oppido N. Diæceſis N.

§. 3. Dixi ſuprà Jura eſſe varia pro variis circumſtantis, & ut conſulerem indigentiæ hominum his afflictis temporibus, dixeram *n.* 929. expeditiones, etiam quæ Roma petendæ ſunt, minori ſumptu haberi per Nuntiaturam, in qua antehac ſolebat ſolvi Imperialis in moneta forti, ſive Leodienſi, aliis Imperialibus noſtræ monetæ Colonienſis addendo circiter 20. albos. 932

Diſpenſatio matrimonialis in conſanguinitate, vel affinitate pro pauperibus, Romæ.

In 2. gradu æquali ex copula licita. Imperiales.	14
in 2. ex copula illicita.	3 ¼
in 3. & 2.	5
in 3. æquali.	4
in 3. & 4.	3 & ½
in 4.	3
pro cognatione ſpirituali.	4
ſuper impedimento publicæ honeſtatis.	2 & ½
ſuper proclamationibus.	1 & ½

ſuper interſtitiis, & extra tēpora, pro arctatis, vel pro neceſſitate Eccleſiæ, gratis, etiam quoad ſcripturam.

Cæteræ quoque expeditiones, & reſcripta concernentia ſacros Ordines, gratis.

Pro divitibus, vel Nobilibus diſpenſant.

In 2. gradu, quando copula præceſſit. Scuta.	540
in 3. & 2. gradu ſine cauſa.	530
cum cauſa.	530
in 3. gradu cum cauſa.	45
ſine cauſa.	30
	280

Hæc, uti ante notavi, variant, pro varietate pecuniæ, & temporum. Ubique debet notari, cujus diæceſis ſint oratores, & ſi Eccleſia, cujus ſunt Parochiani, ſit exempta, addi debet, *nullius diœceſis.*

Q. 129. *Quid notandum ſit circa errores ſupplicæ, vel Reſcripti?* R. §. 1. Si Epiſcopus diſpenſarit, pro quo erat communis error, quòd diſpenſare poſſet; aut tantùm error in Epiſcopo diſpenſante, aut dubium de cauſa, &c. quid tum ſit tenendum dixi *n.* 843. & 896. 933

§. 2. Si Titius Subdiaconus, vel Monachus ſine cauſa à Papa diſpenſetur ad incundum Matrimonium, valide contrahit, quia, ſecundùm dicta *n.* 585. votum ſolemne ſolo jure humano dirimit, & diſpenſatio in tali impedimento etiam abſque cauſa à Papa data eſt valida, uti conſtat ex dictis *l.* 1. *n.* 796. attamen Titius pergit obligari ad caſtitatem, unde debitum petere non poteſt, ſed tantum reddere, quia diſpenſatio in hoc voto fuit irrita, Sanch. *l.* 8. *d.* 8. 934

§. 3.

935 §. 3. Huc pertinet ſolutio ſequentis caſus: Titius, & Caja affinis in 2. gradu, ſolicitant diſpenſationem Romæ per Sempronium, qui ut ſciat de cauſis, petit, an invicem habuerint carnale commercium? Affirmat Titius, ſed intelligit de oſculis, tactibus, &c. poſtmodùm reflectens ſe, monet Sempronium de non habita copula: Sempronius reſpondet, ſit bono animo, proximè adfuturam diſpenſationem: Titius & Caja confidentes de diſpenſatione ſecutura habent copulam. *Quæritur*, an vi diſpenſationis obtentæ per ſupplicam, in qua pro cauſa ſolùm dicebatur, quòd ſe carnaliter cognoverint, poſſint contrahere? R. negativè, *ſi* copula facta eſt poſt præſentationem ſupplicæ factæ Pontifici, & hujus annutum, Sanch. *De Matr. l.* 8. *d.* 30. Leſſ. *De juſt. l.* 1. *c.* 6. *à n.* 301. quia preces oblatæ non nitebantur veritati, & cùm Papa moveretur ex cauſa, debebat cauſa adeſſe, quando annuebat. Hinc etiam Tambur. quamvis cenſeat ſufficere, quòd cauſa adſit, quando per Commiſſarium fit diſpenſatio, tamen excipit, ſi pro motivo allegetur copula, quæ debuit fuiſſe, dum Papa annuit, ne aliàs detur anſa peccandi. Plura dixi *l.* 1. *n.* 808. circa tempus, quo verificari debet cauſa, ob quam diſpenſatur.

936 §. 4. Dixi *n.* 913. non valere, ſi pro affinitate ſcribatur conſanguinitas, *ſi* tamen reipſa fuiſſet affinitas, & etiam in ſupplica ſcripſiſſes affinitatem, in Reſcripto autem per errorem poneretur conſanguinitas, valeret ſecundùm dicta *l.* 1. *n.* 810. quod etiam tenet Krim. *n.* 2211. contra alios, quia lecta ſupplica, quæ exprimebat affinitatem, Papa annuit petitioni, ergo reipſa voluit in affinitate diſpenſare, Gob. *n.* 639. Krim. *à n.* 2149. Nec exequens excedit fines mandati, quia agit ſecundùm intentionem mandantis ſibi ſufficienter cognitam. Retuli etiam plures *l.* 1. *n.* 810. dicentes non obſtare, ſi etiam in ſupplica erratùm ſit in nomine perſonæ, pro qua petebatur diſpenſatio, vel etiam in nomine Diœceſis, ſeu Ordinarii, ad quem dirigebatur: ſed Krim. *n.* 2209. cum Kærchne *n.* 244. iſta intelligit, ſi non in ſupplica, ſed tantùm in Reſcripto quoad iſta ſit erratum. Et *n.* 1250. dixerat non obſtare, ſi in ſupplica petebatur *ob incompetentiam dotis ſponſi*, & in Reſcripto ponatur *ſponſæ*. Et univerſaliter notat De Juſtis *l.* 1. *c.* 6. *n.* 158. ex deciſionibus Rotæ, tenorem Reſcripti eſſe regulandum ex tenore ſupplicæ, quia omnis conceſſio Principis regulatur à petitione ſubditi. Et docet etiam De Juſtis *l.* 1. *c.* 4. *n.* 56. vitiari diſpenſationem in forma pauperum, ſi erretur in prænomine Oratorum, quia aliàs poſſet fieri fraus, & damnum Officialibus Curiæ. Notat etiam Corrad. *l.* 7. *c.* 5. *à n.* 26. contra Sanch. *l.* 8. *d.* 35. *n.* 5. ſi Oratores ſint diverſæ diœceſis, ex ſtylo Curiæ debere apponi utriuſque diœceſin, quia Reſcriptum dirigi ſolet ad Ordinarium ſponſæ, qui aliàs non reſciretur.

937 §. 5. Si in ſupplica pro cauſa allatum ſit hoc tantùm, quòd ſequentur alioqui gravia ſcandala; in Reſcripto autem ponatur, quia ſequentur alioqui gravia ſcandala, & periculum vitæ alterutri, non eſt opus, ut utraque cauſa, ſed ſatis eſt, ſi prima allegata verificetur, uti tenent Sanch. & alii cum De Juſtis *n.* 260. ac reſolverunt duo Doctores alii mecum, diſpenſans enim fuit motus cauſa allegata, & ex ſtylo Curiæ, vel formulis, vel errore ſcribentium additur iſtud alterum: hinc in diœceſi aliqua vicina, ſi cauſa ſufficiens ſit allegata, quamvis in Reſcripto ſit omiſſa, & alia cauſa allegata, quæ hic non verificetur, nihilominùs pergunt, quia putant diſpenſantem fuiſſe motum cauſa allegata, & diſpenſare voluiſſe, quòd autem ſcriptor aliam expreſſerit, putant ad rem non facere.

938 *Q.* 150. *Quomodo ſint intelligenda verba Reſcriptorum?* R. §. 1. Quando conceduntur indulgentiæ, quomodo ea tunc intelligenda ſint, exponit Gob. *in Exp. tr.* 3. *à num.* 637. Quomodo, quando diſpenſatur circa ætatem pro Ordinibus, habet idem Gob. *tr.* 8. *à n.* 722. Quomodo intelligendæ ſint clauſulæ in diſpenſationibus matrimonialibus, explicat idem Gob. in Quinario *tr.* 5. *c.* 37. *ſ.* 5. Paulus Leonis in praxi ad litteras *Pœnitentiariæ*. Tamb. *de Matr. tr.* 2. *c.* 12. *& ſeqq.* Pyrrhus Corrad. *in praxi diſpenſationum Apoſtolicarum*. Roſa *de executionibus litt. Apoſt.* pauca tamen, & ſæpiùs occurrentia breviter annoto.

939 §. 2. Non omnia Reſcripta conſtant iiſdem verbis, unde ad executionem procedendum non eſt ex opinione hujus aut illius Doctoris, priuſquàm cognitum fuerit illum Doctorem loqui de illis ipſis particulis, quæ in hoc Reſcripto ſunt, & quidem ſecundùm modernum ſtylum Curiæ, & univerſaliter oportet obſervare ſtylum illius Curiæ, vel Congregationis, ex qua talis diſpenſatio mittitur.

940 §. 3. De clauſula illa: *dummodò copula non interceſſerit*, dixi *n.* 922. De clauſula, *ſi crimen vel impedimentum ſit occultum*, dixi *à n.* 870. Quando autem inter cauſas ponitur, quòd diſpenſatio detur *ad vitanda ſcandala*, requiritur, ut ſit metus publici ſcandali, Nav. Bonac. Gob. *n.* 171. Vide *n.* 957. in fine.

941 §. 4. Quando, dicitur: *vitæ periculum imminere*, communiter eſt ſenſus, periculum eſſe mortis ab aliquo inferendæ, ſive homicidii alicujus, niſi ex ſupplica vel circumſtantiis reſciretur intelligi vitæ periculum ex morbo, apprehenſione, mœſtitia futurum.

942 §. 5. Quando dicitur: *ut aſſerunt ſe de nobili genere ortos*, & alia cauſa movens Papam non additur, debet illa cauſa coram Executore probari: De cetero, ſi ſimpliciter dicatur Oratores eſſe nobiles, ſufficit Patrem eſſe nobilem, vel ipſos nobiliter vivere, & ea non exercere, quæ populares. Triplicis autem generis ſunt nobiles, *Genere*, qui à majoribus nobilitatem habent.... *Principis privilegio*, ſi ipſi ad nobilitatem ſint evecti: *Honoribus, & virtutibus*, ob quas evehi merentur: ubi è contrà plebeii alii ſunt *viles*, quales ſunt mechanici, qui profitentur artes ſpectantes ad ſolam ferè corporis applicationem, uti fabri lignarii, ferrarii: alii *honeſtiores*, qui profitentur artes requirentes plus ingenii, uti pictores, &c.

943 §. 6. Quando in diſpenſatione cum illegitimo dicitur; *dummodò paternæ incontinentiæ imitator non ſit*; eſt tantùm inſtructio, & cohortatio, ut ne talis ſit, unde quamvis talis eſſet, non ideò irrita eſſet diſpenſatio, Corrad. Krim. *n.* 2392.

944 §. 7. Quandoque additur in diſpenſatione: *dummodò per annum non inſorduerint*, putavit autem aliquis Illuſtriſſimus Nuntius hìc Coloniæ interrogatus, intelligi inſordeſcentiam in cenſura, & non præcisè in peccato, quia ſæpè talibus delictis eſt annexa cenſura, v. g. excommunicatio; in qua per annum hærere, propriè dicitur inſordeſcentia, de qua dicam *l.* 7. *à n.* 287. Et hæc interpretatio valere potuit quoad diſpenſationes eo tempore in Nuntiatura: De cetero cenſeo cum *Plettenberg*, & *alii inſordeſcere per annum*, eſſe, *permanere per annum in tali delicto*, itaut per totum annum non pœnituerit de eo, & conſequenter, ſi talis aliquando per annum, & ſaltem in Paſchate confeſſus ſit, præſumitur bene confeſſus, & efficaciter *retractaſſe* peccatum illud, adeóque non inſorduiſſe, etiamſi poſtea relapſus ſit, dummodò iterum in relapſu, & conſuetudine iſta ſine pœnitentia non remanſerit per annum.

945 §. 8. Quomodo clauſulæ, *ſi ita eſt*; *quatenus ſi ita eſt*; *periculum immineat revelationis*, & *ſcandalorum*: *ex dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata*; *poſtquàm dicto Sacerdoti*: *ſi necdum ſatisfecerit*; ſint intelligendæ, habet Buſemb. relatus *l.* 1. *n.* 798.

in app. R. 2. & de clausula illa *de nullitate prioris consensus certiorata*, dixi hìc *n.* 814. Quid autem operentur verba; *motu proprio*, dixi *l.* 1. *n.* 814. Plura quoad clausulas Rescriptorum ex *S. Pœnitentiaria*, dicam à *n.* 951. Si Rescriptum habeat, non tantùm, ut contrahant *servata forma* Trid. sed etiam expressè, *factis denuntiationibus in Parochia sponsæ*, id non apponitur per modum conditionis ad valorem, sed nihilominùs potest in denuntiationibus dispensari ab ordinario, Sanc. *l.* 8. *d.* 35. *n.* 19. Corrad. *l.* 7. *c.* 7. *n.* 17. & 2. Vviestn. Kerch. *nu.* 259. contra Zerolam, quando enim aliquid in Rescripto apponitur, quod aliundè de Jure requiritur, ordinariè non apponitur cum alia obligatione, quàm quæ antecedenter erat, unde videtur tantùm esse velut monitio, ut fiat, quod Juris est.

946 *Q.* 131. *Quid addendum sit, si in facultate dispensandi addatur; gratis ubique, sub pœna invaliditatis, sine ulla mercede, sine præmio, sine munere, gratis sub excommunicatione, &c.* R. §. 1. Expedita dispensatione licitum esse aliquid acceptare docent plures cum Sanch. *l.* 8. *d.* 35. *n.* 13. uti etiam notavi *l.* 1. *n.* 817. nam imprimis illa datio, & acceptatio prohibetur, per quam dispensatio fit irrita, si autem sit expedita, non ideò fit irrita, ergo. Deinde etiam videtur tum cessare prohibitionis causa, quæ est, ne dispensatus muneribus excæcatus, dispensationis munus minùs bene obeat: & cùm prohibitio sit odiosa, ac strictæ interpretationis, non videtur extendenda ad dationem post negotium expeditum: hinc notaret aliqui prohiberi examinatoribus Episcoporum aliquid accipere ante, attamen licitè accipere, si quid liberè offeratur post examen. His non obstantibus suadendum est contrarium in praxi, quia in materia dispensationum sine distinctione prohibetur acceptatio muneris.

947 §. 2. Ante dispensationem nequidem esculenta, vel poculenta licitè admittuntur, quamvis paucis diebus possint consumi, Corrad. *in praxi dispens. l.* 7. *c.* 6. *n.* 5. Sanch. *n.* 12. Rosa *de execut. litt. Apost. p.* 1. *c.* 5. *n.* 25. Krim. *n.* 2279. quia nempè prohibetur receptatio omnis muneris, & reipsa sunt magna pro tantillo labore dispensandi. Hinc Barbosa *in Collect. Trid. sess.* 21. *De refor. c.* 1. *n.* 5. & 13. docet, pro dispensatione Matrimonii non licere quicquam recipere, nec ratione taxæ, etiam ex immemorriali consuetudine, nec ratione sigilli, vel alterius rei pro mercede laboris. Idem dicit Fagn. *in* 1. *p. l.* 5. decretalium De simonia, C. *In ordinando n.* 38. notans ita decreviss Congreg. Interpretum Trid. 25. Oct. 1588. Rosa etiam dicit non juvare consuetudinem, quia additum est decretum irritans, Garc. *De Benef. p.* 8. *c.* 6. *n.* 110. & 111. Notario tamen licitum est pro examine testium, vel informationibus accipere 4. partem Ducati, uti declaravit S. Congreg. citata à Corrado, & Rosa, qui addit alibi à se solutos Notario 4. ducatos cum dimidio. Hæc referre volui, ut notetur diversitas opinionum, & praxeos pro diversis temporibus, & locis.

948 §. 3. Quando dicitur *à munere te omninò abstinere debere monemus*, non continet solùm consilium, sed præceptum, quia cadit super materiam aliundè graviter illicitam, est enim simonia accipere temporale pro actu jurisdictionis spiritualis, uti ex Trid. & S. Thom. certum esse docet Castrop. *tr.* 17. *d.* 4. *p.* 12. *n.* 10. Quòd si accipiatur pro labore temporali, qui adhiberi debuit, non est propriè munus, sed stipendium, nec simoniacum, uti fatetur Castrop. attamen videtur esse licitum ob prohibitionem, maximè si dicatur, *deposita spe cujuscunque muneris, & præmii*, tale enim stipendium est reipsa præmium laboris, Castrop. Krimer, *n.* 2278.

949 §. 4. Potest dispensans, secundùm dicta, exigere aliquid per viam commutationis, vel impositionis pœnæ, ut minus frequenter petatur dispensatio. Sed praxis habet Romæ, & in Nuntiaturis, ut hoc, quod petitur, cedat in pios usus, & non in utilitatem dispensantis. V. Castr. à *n.* 11. Notat etiam Corrad *l.* 8. *c.* 5. *n.* 34. S. Congregationem declarasse, quòd quando Trid. dicit, ut dispensetur gratis cum illis, qui ignoranter contraxerunt cum impedimento intelligatur, quoad compositiones, non autem quoad Jura, & mercedem Officialium pro expeditione litterarum: & addit cum Garcia nequidem hoc quoad compositiones servari, ob necessitatem, & onera Sedis Apostolicæ, præsertim ad tuendam propagandamque fidem catholicam.

§. 5. Si opus sit dispensantem exire domo ad examen testium, potest pro eo labore dispensationi extrinseco aliquid accipere, V. Garc. *n.* 116. Pro labore tamen in facienda informatione testium ad verificanda narrata in precibus; uti & pro expedienda dispensatione ipsa, non est licitum aliquid accipere, saltem ubi non est consuetudo accipiendi, quia hoc pertinet ad expeditionem dispensationis, pro qua prohibetur acceptio muneris. *Dixi*, saltem ubi non est consuetudo, quia per eam licere docet Sanch. *n.* 11. quia tum censetur non munus, aut præmium, sed stipendium ex consuetudine debitum: solvitque Sanch. ibidem argumentum ex Cap. *Statutum* §. *Insuper*. De rescriptis in 6. Hinc Castr. *n.* 10. dicit, stipendium laboris jure, vel consuetudine debitum posse admitti. Possunt autem de hac consuetudine videri etiam Garc. *n.* 110. & Castrop. *n.* 12. Et propter eam consuetudinem scripsit non ita diu ex Belgio aliquis Reverendissimus Romam, in Curia sua percipi Jura ex dispensationibus: Rescriptum est, *quòd sequi posset exemplum suorum Antecessorum*: Alius ex Germania directe petiit declarari, an non licitè admitterentur Jura Ordinaria pro dispensationibus ejusmodi, & est responsum affirmativè, propter consuetudinem. 950

Q. 132. *Quid præterea speciatim notandum sit circa dispensationes, quæ petuntur à S. Pœnitentiaria?* R. §. 1. *Pœnitentiaria* pro foro tantùm interno dispensat, in omni impedimento occulto Juris tantùm Ecclesiastici, etiam pro contrahendis Matrimoniis excepta sola consanguinitate, nam quoad hanc tantùm dispensat in contractis, & quidem extra 1. & 2. gradum: undè dispensat etiam in primo gradu affinitatis, etiam ex copula licita, etiam pro contrahendis, Krimer *n.* 2304. Quandonam autem impedimentum hìc dicatur occultum, dixi à *n.* 870. Notat autem Tiburtius *in Introd. c.* 3. *pag.* 22. si impedimentum sit publicum Coloniæ, sed occultum Parisiis, ubi nunc habitat Titius Colonien sis, & Parisiis existens petat dispensationem tanquam pro impedimento occulto, non facta mentione de eo, quòd sit publicum Coloniæ, Breve datum à *Pœnitentiaria* fore subreptitium, quia non solet *Pœnitentiaria* admittere casum sic tantùm occultum. 951

§. 2. Notari debet hìc cum Krim. *n.* 2371. significatio varia vocis, *forum*, nam *forum*, in neutro genere aliquando significat territorium, aut locum publicum, in quo res venales exponuntur: *forus* in masculino significat locum judicii, & derivatio in utraque significatione est à *fero*, quia illuc feruntur venalia, vel lites. Sæpe autem per forum intelligitur *judicium*, *jurisdictio*, *potestas*, & in hoc sensu dicitur, aliqua causa pertinere ad forum ecclesiasticum, vel sæculare, aut esse mixti fori, si pertineat ad utramque jurisdictionem. Forum in hoc sensu aliud dicitur externum, sive *forum fori*, in quo tractantur causæ in ordine ad externam gubernationem Reipub. sive Ecclesiasticæ, sive sæcularis: aliud internum, quod dicitur *forum poli*, *seu conscientiæ*, quod intus in mente hominis, ubi 952

ubi conſcientia eſt, exercetur, Forum internum aliud dicitur Pœnitentiæ, in quo aliquid geritur interveniente Sacramento Pœnitentiæ, ſine abſolutione ſacramentali; aliud non Pœnitentiæ, in quo aliquid geritur ſine Sacramento Pœnitentiæ, uti ſi aliquis extra Sacramentum abſolvatur à cenſura, vel reſervatione peccati. Atque ex his patet, forum *Pœnitentiæ, & conſcientiæ* non eſſe idem, nam forum conſcientiæ eſt quid commune foro ſacramentali, & non ſacramentali. Quando tamen dixi *Pœnitentiariam* diſpenſare in foro tantùm interno, ſenſus eſt, in foro tantùm conſcientiæ.

953 §. 3. In ſupplica ad *Pœnitentiariam* non eſt opus exprimere vera nomina oratorum, ſed poteſt dici Titius, Caja, &c. Nec opus exprimere diœceſin vel locum originis ipſorum, quia hæc Reſcripta non remittuntur ad diœceſanum, ſed ad oratorem ipſum, unde ſatis erit, ſi petat Reſcriptum dirigi, v.g. Coloniam ad P. Claudium Lacroix Soc. JESU, vel quemcumque alium, qui tradet Oratori, & Orator eliget Confeſſarium, qui exequatur, ſecundùm jam dicenda.

954 §. 4. *Pœnitentiaria* inſcribit ſuas litteras, *Diſcreto viro confeſſario, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præſentium ſpecialiter eligendo.* Circa quod Krim. *à n.* 2307. & alii notant ſeqq. 1. Non ſufficit eſſe Licentiatum. 2. Nec Doctorem Ordinis religioſi. 3. Confeſſarii Societatis JESU ex commiſſione ſui Superioris poſſunt ſecundùm dicenda *n.* 978. has litteras aperire. 4. Peccat mortaliter, qui aperit ſine qualitate Doctoris vel privilegio. 5. Si ille, qui aperuit, non poſſit, vel nolit exequi, poteſt adiri alius. 6. Si ille, qui priùs noluit exequi poſteà mutato conſilio velit, poteſt. 7. Sufficit eſſe approbatum ab Ordinario, licèt nullas adhuc confeſſiones audierit, & valdè ſit rudis. 8. Quamvis aliqui cum Sanc. *l.* 8. *d.* 37. *n.* 10. dicant non ſufficere, quòd quis errore communi cenſeatur Doctor, tamen communis ſententia habet ſufficere, ſi communi errore cum titulo colorato cenſeatur approbatus. 9. Si ſit approbatus ad viros tantùm, & diſpenſatio non requirat actualem confeſſionem utriuſque, Sanch. Lezan. Perez & alii dicunt ſufficere, quia verum eſt eſſe ex approbatis ab Ordinario: Contradicunt *De Juſtis*, Gob. & alii, quia non eſt ſimpliciter approbatus, & ideò Carden. dicit primam ſententiam eſſe tenuiter tantùm probabilem, eſtque ſecunda conformior dictis in *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1467. quamvis Krim. dicat primam etiam eſſe abſolutè probabilem. 10. Delegatus procedit, *ſi ita eſſe*, prout refertur, *per diligentem latoris examinationem invenerit*: & niſi conſtet oppoſitum, ipſi creditur, *ſine teſtibus*: quamvis autem ordinariè non præſcribatur, poteſt tamen ex cauſa expoſci juramentum. 11. Mandatur, ut ſaltem ex convenientia præmittat *monita, & conſilia opportuna*, de fideliter reſpondendo, de implenda pœnitentia injungenda, de cavendo relapſu in delictum.

955 §. 5. Quamvis aliquis non Doctor, & non habens poteſtatem aperiat Reſcriptum, non ideò careret effectu, dummodò Doctor, aut alius deſignatus illud expediat, nam qualitas Doctoris non requiritur in aperiente, ſed in exequente, Bonac. Gob. *n.* 157. Krim. *n.* 2317. Si autem diſpenſandus unum elegerit, qui cum ipſo diſpenſet, & ille poſteà ſit ei nimis rigidus, poteſt hoc relicto eligere alium benigniorem, non aliter, atque aliquis poteſt confeſſione apud unum inchoata, hunc deſerere, & eam repetere apud alium, Gob. *n.* 167. Krim. *n.* 2318.

956 §. 6. Ex hoc, quòd dicatur, *cum illis diſpenſes in foro conſcientiæ*, non ſequitur fieri debere in confeſſione, aut confeſſionem requiri, Krim *n.* 2336. Si autem expreſsè addatur, ut diſpenſatio fiat *in actu ſacramentalis confeſſionis*, vel *foro Pœnitentiæ audita confeſſione*, &c. ſi diſpenſandus jam ante abſolutus ſit à ſuis exceſſibus, cenſuris ac pœnis, ac nullius mortalis ſibi conſcius ſit, Gob. *n.* 183. & Krim. *n.* 2385. dicunt probabile eſſe non requiri confeſſionem, probabilius tamen eſt cum Dic. apud Gob. *n.* 256. & tandem conſentit Krim. *n.* 2416. adhuc requiri velut conditionem præſtandam ab eo, qui vult gaudere illa gratia, ſecundùm dicta *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1414. de confeſſione pro Jubilæo; quamvis Gob. *n.* 258. putet ſatis fore, ſi in confeſſionali, ubi cum illo diſpenſandum eſt, dicat ſe non habere mortale, quod confiteatur: ſuppoſito autem quòd confeſſio requiratur velut conditio, probabilius videtur contra Krim. *n.* 2325. Gob. *nu.* 188. Kerchne *n.* 266. multoſque alios, quòd invalidè diſpenſaretur, ſi confeſſio eſſet ſacrilega, quia confeſſio ſacrilega non eſt vera confeſſio, quam ſupponitur requirere Pontifex, unde ſicuti per ſacrilegam confeſſionem non ſatisfit præcepto Eccleſiæ, ita nec hìc menti Pontificis: cenſetur autem actus ſacramentalis confeſſionis durare, quamdiù non eſt data pœnitentia, vel abſolutio: imò probabile eſt adhuc durare ſtatim poſt abſolutionem, quia multi A A. cum Gob. *n.* 255. docent tum adhuc licitum eſſe Confeſſario loqui cum pœnitente de auditis in confeſſione.

§. 7. Quando additur, *ut priùs tollatur occaſio peccandi*, 957
Gob. *n.* 189. intelligit occaſionem, quæ eſſet in eadem domo; ſed probabilius eſt intelligi omnem occaſionem proximam, quantùm hæc tolli poteſt, quia Pontifex loquitur moraliter, unde in eadem etiam domo cohabitatio poſſet manere, dummodò deſineret occaſio, & periculum proximum relapſus, uti plures tenent cum Gob. Vvieſtn. Kerch *n* 269. tum enim cenſetur moraliter abeſſe occaſio, debetque hæc occaſio proxima neceſſariò removeri ante abſolutionem, quia eſt quid ſubſtantiale, & magni momenti. Gob. Krim. *à n.* 2391. Quando autem dicitur, *ad evitanda ſcandala, quæ orirentur ex divortio*, nomine ſcandali non venit admiratio, aut prudens opinio de improbitate alterutrius, ſed publica occaſio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, diſſenſiones, imitatio mali exempli, Gob. Kerch. *n.* 267.

§. 8. Confeſſarius, qui hìc poteſt diſpenſare, poteſt 958
etiam abſolvere ab omnibus reſervationibus, & cenſuris, quæ provenerunt ex peccato, ob quod diſpenſatur, non tamen, ſi aliundè proveniant, quia expreſsè additur, *quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit*, Gob. *à n.* 191. Oppoſitum tamen tenet Krim. *n.* 2350. ſi talis alia cenſura, vel reſervatio impediret effectum gratiæ, quia diſpenſans facit gratiam abſolvendi ſacramentaliter, & revalidandi Matrimonium, ergo etiam tacitè facit gratiam removendi, quidquid hunc effectum gratiæ impediret, arg. Cap. *Prætereà* De off. & poteſt. Judic. deleg. ſed videtur dicendum, quamvis diſpenſatio trahatur ad neceſſariò & de ſe connexa, ſecundùm dicta *n.* 823. non tamen ad diſparatè ſe habentia.

§. 9. Si ſupplicans nollet unquam ſecum diſpenſari, 959
aut ſi cum illo nunquam poſſet diſpenſari defectu cujuſdam conditionis, Confeſſarius non poſſet eum abſolvere à reſervationibus, aut cenſuris, quia additur *ad effectum confeſſæ gratiæ*, unde diſpenſatio impedimenti, & revalidatio Matrimonii eſt cauſa finalis cæterorum, *quæ* ceſſante ceſſant reliqua, Gob. *n.* 195. Krim *n.* 2351. Quòd ſi diſpenſatio danda eſſet ſaltem poſt duos treſve annos, poſſet tunc ab electo Confeſſario abſolvi à reſervatis, & cenſuris in ordine ad diſpenſationem tunc ab eodem accipiendam, uti tenent Lug. & Gob. *n.* 199. Putat autem Dicaſt. ſi ſupplicans negligat confiteri, & petere diſpenſationem, ſaltem tum, quando eſt præceptum annuæ confeſſionis, quòd gratia illa finem habeat; ſed

probabilius

probabiliùs dicit Gob. *à n.* 202. si intereà absolvatur ab alio habente potestatem in reservata, & censuras, ut sic satisfaciat præceptis Ecclesiæ, posse enim rationabili causa, v.g. deliberando, an velit inire tale Matrimonium, expectare ad quodcumque tempus, & tum posteà, si volet, eligere eum, qui secum dispenset, dispensatio enim non est alligata tempori confessionis annuæ, neque ulli alteri.

960 §. 10. Circa clausulam, *hac vice absolvas*, docet, Krim. *à n.* 2353. & probabile dicit Gob. *à n.* 204. si dispensandus post datum gratiæ labatur in plures censuras vel reservata, posse etiam ab his absolvi, quia per hæc non est extincta gratia, ergo cùm hæc impedirent effectum gratiæ, debent posse tolli: duratque hæc potestas absolvendi, quamdiù ex rationabili causa differtur executio dispensationis.

961 *Obji.* Si Confessarius à Superiore petierit facultatem absolvendi Titium à lapsu carnis reservato, hæc facultas extendit se tantùm ad illum casum, & non ad alios intereà ante absolutionem commissos, ergo similiter hic. R. Dato ant. de quo dixi *l. 6. p. 2. num.* 1692. n. cons. In primo casu sublatio reservationis habet rationem finis, & limitatur ad peccatum manifestatum, pro quo determinatè petebatur; è contrà sublatio censuræ non habet rationem finis sed medii, ideò enim debet tolli censura, ut dari possit absolutio à peccatis, & cum statu gratiæ revalidari Matrimonium; facultas autem absolvendi mensuranda est secundùm rationem finis, uti habet S. Th. *2. 2. q.* 27 *a.* 6. ergo cùm censuræ illæ, quæ intervenerunt, impediant finem, facultas se extendit etiam ad illas tollendas.

962 §. 11. Quamvis addatur, ut injungatur *gravis pœnitentia*, tamen si supplicans anteà confessus est, & pœnitentiam proportionatam accepit, aut si lucratus est Indulgentias, aut si accedat cum tali dispositione, propter quam gravis pœnitentia, mutari posset in levem, poterit quoque Confessarius parvam injungere; quia tantùm intelligitur præcipi injunctio pœnitentiæ secundùm exigentiam delicti secundùm se, quod nunquam esset confessus, & circa quod non esset causa minuendi ordinariam pœnitentiam, Gob. *à n.* 208. Krim. *à n.* 2397. Vviestn. Kærc. *n.* 271. Notatque rectè Tiburt. suprà *pag.* 24. quòd circa ejusmodi pœnitentiam injungendam, substantia sit servanda, sed quoad quantitatem sit locus discretioni, ut nempe Confessarius consideret pœnitentis sexum, complexionem, ætatem, statum, alias ejus obligationes, & his bene pensatis injungat pœnitentiam, quæ respectivè ad talem personam censeatur gravis. Quando autem committitur dispensanti, ut imponat gravem pœnitentiam sibi bene visam, *cui si lator parere contempserit, in dictam excommunicationem relabatur eo ipso*, sensus est, si parere contempserit rationabili præcepto, nam si dispensans imposuisset, v.gr. ut iret ad triremes, aut faceret aliquid difficillimum, Tiburt. *p. 3. c.* 2. testatur à S. Congr. decisum esse quòd non ideò reincidat, quia nemo dicitur contemnere parere, quando præstare rationabiliter non potest, quod irrationabiliter præcipitur.

963 §. 12. Quando additur, ut simul pro Pœnitentia injungat *confessionem saltem unam singulis mensibus*, Krim. *n.* 2400. putat, si non addatur, *in perpetuum*, vel *per totam vitam*, satis esse, si injungatur ad aliquos annos secundùm mensuram delicti. Contradicit Gob. *à n.* 225. putatque intelligi de singulis vitæ mensibus, & dicit hoc omninò esse injungendum, etiamsi defectu materiæ necessariè non confiteretur, secundùm sententiam suprà insinuatam, vel quamvis essent plenariæ Indulgentiæ, quia dicitur hoc debere injungi ultra pœnitentiam sacramentalem, licèt quoad hoc videatur dissentire Krim. *à n.* 2510. Perinde autem est, quo die mensis fiat, unde satisfaciet confitendo ultimo Januarii vel primo Februarii, aut primo Januarii, & ultimo Februarii: quòd si uno mense omittat, non tenebitur alio compensare, quia videtur annecti mensi: si autem aliundè adhuc, v.g. ex voto vel præcepto teneretur confiteri aliquo mense, per hanc confessionem satisfaceret utrique obligationi, quia mens dispensantis prudenter præsumitur esse, ut confessio ex quacumque tandem causa fiat semel in mense, Salas, Portel. Gob. *n.* 220. Krim *n.* 2406. contra Sanch. Bon. Perez, Dian. & alios. Peccabit autem toties mortaliter, quoties aliquo mense omittet, quia est materia, & præceptum grave, quale est confessionis annuæ vel diurni jejunii, Gob. *num.* 222. contra Krim. *à n.* 2408. qui *à n.* 2411. putat posse cessare hanc obligationem confessionis menstruæ, si dispensatus lucretur Jubilæum, vel Indulgentias plenarias; sed probabiliùs contradicit Gob. *n.* 226. quia est pœna extraordinaria etiam ad alios fortè fines injuncta. In Rescriptis autem non fit mentio Communionis, unde non est obligatio injungendi illam, posset tamen injungi aliquando Communio loco gravis Pœnitentiæ, quæ simul injungi debet, Gob. *n.* 227.

964 §. 13. Quando dicitur Confessarium debere declarare, quòd proles sit legitima *in foro conscientiæ tantùm*, sensus est, prolem talem pro utroque foro fuisse illegitimam, si uterque parens fuit conscius impedimenti, & tum esse legitimandam, in quo Ecclesia dispensat tantùm pro foro interno, quamvis Krim. *n.* 2365. dicat, verè legitimari quoad spiritualia, & temporalia, alii autem dicunt tantùm ad Ordines sacros, & Beneficia, unde si Judex Ecclesiasticus vel sæcularis ageret contra hos conjuges vel proles tanquam illegitimas, dispensatio illa in foro externo nil juvaret, Gob. *n.* 264. & Kri. *à n.* 2360. Quando autem unus saltem bona fide contraxit putans Matrimonium esse validum, vel si non indicetur ipsi impedimentum, quando revalidatur Matrimonium, sive hoc taceatur bona sive mala fide, proles censeri debent legitimæ pro utroque foro, uti ex Jure probant Gob. *n.* 247. & pluribus Sanch. *l.* 8. *d.* 34. *à n.* 50. possuntque videri dicta *l.* 4. *à n.* 750. & Kærch. *n.* 277.

965 §. 14. Quamvis addatur, ut *nulli testes* adhibeantur, si tamen adhiberentur, non ideò esset invalida dispensatio, Gob. *n.* 265. Hinc Fill. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 358. loquens de clausula illa Rescripti ex *Pœnitentiaria* sic habet: *non puto prohiberi, quominùs fieri possit aliqua fides à Confessario de absolutione vel dispensatione impensa, pro consolatione pœnitentis, vel pro testimonio apud Episcopum obtentæ dispensationis in foro conscientiæ, id enim etiam in aliis absolutionibus collatis in eodem foro fieri nil vetat*: Tamb. *De Matr.* 2. *cap.* 23. §. 6. sic habet: *non est neganduin, si Judex sciat ejusmodi dispensationem fuisse datam, posse interdùm illi acquiescere*: imò rectè Filliucius notat posse evenire, ut Confessarius (habita licentia, ut suppono, à pœnitente) faciat fidem apud Judicem se absolvisse, & dispensasse.

966 §. 15. Præcipitur etiam, *ut lanientur litteræ*, id est, ut Rescriptum illud laceretur vel comburatur, vel ita corrumpatur, ut non possit produci in foro exterro, sic enim dicitur legaliter destrui, unde sufficiet detrahere sigillum, dilacerare per medium, indocere lituras vel cancellos, quamvis retineatur; sic enim peribit illius valor pro foro externo, Fill. Gob. *nu.* 268. Krim, *n.* 2372. Quòd si talis laniatio negligeretur, peccaretur quidem mortaliter, cùm id præcipiatur sub excommunicatione latæ sententiæ, non ideò tamen invalidaretur dispensatio, quia non est conditio ad valorem, sed cautela, ne producatur in foro externo, Sanch. Gob. Krim. *n.* 2376. hinc additur *ita* laniandas, ut nullum earum exemplum extet, intellige, authenticum,

authenticum, seu ejusmodi, quo in foro externo posset probari datam esse dispensationem, unde nil peccas, si exemplar illius pro te describas, illi enim tuæ descriptioni nulla fides debetur, Gob. *n.* 273.

967 §. 16. Additur, *ne litteras illas reddat supplicanti*, intellige integras, quæ pro foro externo servire possint: si tamen redderet integras, dicitur, quòd litteræ non suffragabuntur illi, intellige iterum pro foro externo, nam manent pro foro interno validæ; Krim. *n.* 2379. Gob. *n.* 274. & 276.

968 §. 17. Quando committitur dispensatio, ut non obstante v. g. affinitate possint *inire* Matrimonium, addi solet, *dummodò aliud impedimentum canonicum non obstet*: & sensus est, si non obest aliud impedimentum, quod dispensatum non sit, Kærch. *n.* 274. vel dispensari debeat: hinc non obstat, quamvis cum tali affinitate etiam clandestinè contraxissent, quia hoc impedimentum clandestinitatis potest per ipsosmet tolli, si consensum renovent coram Parocho, & testibus, Krim. *à n.* 2420.

969 §. 18. Quamvis Judicis delegati jurisdictio cesset, si semel plenè illa utendo functus sit officio suo, secundùm dicta *n.* 883. tamen si Confessarius electus minùs benè peregerit officium suum, v. g. si dispensavit in impedimento, sed non legitimavit prolem, potest Rescriptum præsentari alteri Confessario qualificato, qui hoc supplere poterit acceptato Rescripto; tum quia talis commissio necdum habuit plenè suum effectum, tum maximè, quia commissio pro foro interno imitatur forum sacramentale Pœnitentiæ, in quo pœnitens, cui unus Confessarius non satisfecit, potest alium accedere, Sanch, *l.* 8. *d.* 27. *n.* 40. Conrad. Krim. *n.* 2327. contra Nav. & Zerol.

970 §. 19. Quomodo intelligenda sit clausula, *parte altera de nullitate prioris consensus certiorata*, dixi *num.* 814. Quomodo scribatur ad *S. Pœnitentiariam*. habet *Instructio n.* 909. relata: Quòd si quis malit scribere ad aliquem è Pœnitentiariis potiùs quàm ad Cardinalem ipsum, scire debet, quòd Pœnitentiarii sint ex Ordine S. Dominici, ex Franciscanis de Observantia, & ex Societate JESU. Occasione hìc dictorum addo ex Tiburtio *p.* 3. *c.* 1. casus publicos non matrimoniales, in quibus ad *Pœnitentariam* recurritur, esse duos. 1. Si quis publicè manus violentas sive percutiendo, sive occidendo injecerit in Clericum. 2. Si pugnavit vel astitit quomodolibet complex in publico duello. Pro casibus publicis contra immunitatem Ecclesiasticam recurritur ad S. Congreg. Immunitatis. Denique addo ex eodem Tiburt, *p.* 4. *S. Pœnitentiariam* habere facultatem etiam pro utroque foro, etiam in factis publicis absolvendi, & dispensandi in multis quoad Regulares, & volentes ingredi Religionem, si accedat consensus & supplicatio Superiorum Regularium.

971 *Q.* 133. *An dispensatio impedimenti prosit ignoranti vel invito?* R. §. 1. Quando idem impedimentum afficit utrumque contrahentium, uti est v. g. consanguinitas, satis est, quòd unus contrahentium petat, & accepter dispensationem, tum enim etiam dispensatur cum altero quamvis ignorante, quia hoc ipso, quòd tollatur inhabilitas ab uno respectu alterius, debet etiam tolli inhabilitas alterius, uti dictum est *num.* 853.

972 §. 2. Si impedimentum afficiat unum tantùm ex contrahentibus, valebit quidem dispensatio impetrata etiam nescienti, sed ut effectum habeat, docent Sanch. *l.* 3. *d.* 36. *n.* 2. & post eum Gob. *tr.* 9. *n.* 641. Burgh. *cent.* 3. *caf.* 89. debere acceptari, imprimis quia est quædam donatio, quæ acceptatione eget, deinde dispensatio semper videtur habere hanc conditionem imbibitam, si tibi dispensando ita placeat, uti etiam privilegium seu gratia, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 841.

Nihilominùs probabile etiam est, quòd prosit ignoranti, imò & invito, quia non apparet, cur inhabilitas ab utroque tolli non possit: uti tenent multi apud Sanch. suprà, & cum Dian. *p.* 8. *tr.* 3. *R.* 86. & 87. sicuti reservatio peccati, irregularitas &c. possunt tolli ab ignorante, & invito, quia pendent è sola voluntate Superioris. Imò non apparet, cur aliquid, quod habet se per modum gratiæ, conferri non possit invito, nisi Jura aliter statuant, sicuti statuerunt, ut dispensatio pro Beneficio non habeat vim, nisi sit acceptata. De cetero Deus dat multas gratias peccatoribus ignorantibus, & invitis. Item potest aliquis etiam invitus absolvi ab excommunicatione, aut dispensari in voto, uti docet ipse Sanch. *in Decal. l.* 4. *c.* 24. *n.* 26. Quid autem dicendum sit de dispensatione petita à *S. Pœnitentiaria* videri potest Busemb. relatus *l.* 1. *n.* 796. *in resol.* 10. & quod dixi hìc *n.* 959.

Q. 134. *Quid addendum sit de dubio circa potestatem dispensandi vel dispensationem ipsam?* R. §. 1. Universim dixi *l.* 1. *nu.* 798. potestatem dispensandi esse rem favorabilem, adeóque late interpretandam: è contrà dispensationem esse rem odiosam, adeóque restringendam, quæ sententia est communissima inter Theologos, & Canonistas, uti videri potest apud Sperell. *dec.* 112. *à n.* 73. Et consequenter, si dubitetur, attamen communiter putetur, quòd potestas dispensandi se extendat ad hunc vel illum casum aut circumstantiam, judicari potest, quòd extendatur, & quamvis postea declararetur reipsa defuisse potestatem, nihilominùs valide esset dispensatum, quia ubi adest error communis, bona fides, & titulus saltem coloratus, Ecclesia supplet; uti dictum est *n.* 42. 528. 534. licèt non ita suppleat, quando est error tantùm privatus secundùm dicta ibidem. E contrà, si dubitetur, an dispensatio concessa se extendat ad hunc vel illum casum, aut circumstantiam, judicari debet non extendi. 973

§. 2. Si Jus concedens dispensari expresserit causam, ex dictis *n.* 381. colligitur etiam extendi ad casum, in quo reperitur eadem causa, si militer dixi *n.* 823. dispensationem extendi etiam ad illas quæ necessariò connexa sunt, & sine quibus dispensatio nullum effectum haberet. 974

§. 3. Quid tenendum sit in dubio, an adsit causa sufficiens dispensandi, & an ulla causa adsit, item an hoc, quod falsò narratum, vel malè subticitum est, fuerit causa finalis, necne, dixi *l.* 1. *à n.* 804. Et universaliter dixi in dubio, an causa, quam expressisti vel tacuisti, fuerit finalis an tantùm impulsiva, præsumendum esse, quòd fuerit tantùm impulsiva, quia præsumendum est pro valore actus. Bardi tamen *de conf. disc.* 6. *c.* 5. §. 4. *n.* 9. tenet oppositum, quando agitur de re odiosa, sed *n.* 10. fatetur: si quis per dispensationem Matrimonium bona fide iniit, & postea superveniat dubium de valore dispensationis quod resolvi non possit, standum esse pro Matrimonio, quia jam favet possessio bonæ fidei inchoata. 975

§. 4. Quid tenendum sit, si certus sis te indigere dispensatione, & dubites, an acceperis: item si certus sis te obtinuisse, sed dubites, an intervenerit vitium, vel an valeat dispensatio, dixi *l.* 1. *n.* 805. & præter Jura ibi citata, ex quibus videtur colligi, quòd præsumi debeat pro valore dispensationis, hoc ipsum docent Abb. Salas, Sanch. Tamb. *in Decal. l.* 1. *c.* 3. §. 7. *n.* 5. Dian. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 45. *An* v. *Dispensare* Matrimonium, quando est licitum sit contrahere probabilitas de impedimento, si dubium vel opinio aliud abesse, dixi à n. 527. 530. 976

probabile sit *Quomodo practicè sit applicanda doctrina* 977

Q. 135. *pratica?* R. hoc modo. 1. Dum advertis *hactenus*

impedimentum inter aliquos, qui contrahere volunt vel jam sunt in Matrimonio, cogita, an illud sit indicandum illis necne. 2. Si sit indicandum illi, qui necdum est in Matrimonio, quantùm potes, dissuade, quia communiter infausta sunt Matrimonia, quæ antecedit impedimentum, nisi valdè justa causa moveat ad dispensationem petendam, plerumque enim movent alia carnalia, & merè temporalia motiva, quæ apud Deum non valent. 3. Si ille in quo advertis impedimentum, sit conjugatus, & sciat se habere impedimentum, velitque dispensationem, eò quòd non possit sine scandalo facere separationem, nec vivere continenter cum uxore putatitia, fac ut impetres dispensationem ipsi, per unum saltem Religiosum ex iis Ordinibus, quos n. 970. notavi habere Pœnitentiarios Romæ, sed jube interim abstinere ab omni actu conjugali. 4. Accepto rescripto, sive pro conjuncto, sive pro alio, si habeas qualitates requisitas, & ille, pro quo petitum est, te ad id munus eligat, ipso præsente aperi litteras, expone omnes clausulas concernentes, quære, an vera sint, quæ, illic afferuntur, & an præstare velit, quæ injunguntur: si dicat vera esse, & paratus sit præstare omnia, jube se ad confessionem disponere, audi confitentem, impone præscriptas pœnitentias, adde admonitiones debitas, declara prolem ejus esse legitimam, si prolem habeat, da absolutionem à censuris, tum à peccatis simul vel etiam ante, intendens cum eo dispensare in impedimento: denique hoc ipsum illi declara, nempe quòd cum eo sit dispensatum, & dilania litteras dispensationis.

978 *Q. 136. Quid præterea sit notandum circa executionem dispensationum matrimonialium?* R. Suppositis illis, quæ l. 4. à nu. 659. dixi de executore litterarum Apostolicarum, notanda hìc sunt seqq. §. 1. Executores hi ordinariè debent esse graduati in Theologia vel Jure Canonico secundùm dicta n. 954. Possunt tamen Superiores Societatis JESU communicare facultatem alicui de Societate non Doctori, aperiendi litteras, *S. Pœnitentiariæ*, ex privilegio *Gregorii XIII.* anno 1582. die 3. Aprilis in Bulla, *Exponi nobis:* ubi ait: *Nos idcircò tuis in hac parte supplicationibus inclinati, presbyteris Societatis hujusmodi per te vel tibi subordinatos illius Superiores de tua licentia designandis, & ab Ordinariis locorum approbandis, etiamsi Magisterii vel Doctoratus, aut aliis gradibus insigniti non sint, litteras hujusmodi aperiendi, confessionibusque fidelium. .... absolvendi ..... exequendi. ..... licentiam, & facultatem tenore præsentium concedimus, & impartimur.* In compendio novo, verbo, *Confessarius*, §. 3. sic habetur: *Ac hanc facultatem aperiendi dictas litteras designantur omnes Superiores aliàs approbati, juxta confessionem, & omnes alii Confessarii, quos ipsi ad id deputaverint.*

979 §. 2. Delegatus non habet in actu jurisdictionem, nisi post exhibitionem originalis mandati, quo authenticè docere possit de facta sibi commissione dispensandi, Cap. *Super eo*, 12. De appel. Cap. *Pastoralis*, 12. De Rescript. Hinc si priùs dispenset, quamvis certus sit de data, & expedita Romæ commissione, nulliter agit, quia absque mandato, & absque cognitione causæ sibi demandata, tale enim mandatum non continet gratiam factam, sed faciendam; communis cum Krim. à *n.* 2222. E contrà aliquis desinit esse delegatus per sententiam definitivam etiam irritam, secundùm dicta n. 883.

980 §. 3. Juxta Reg. 49. Cancellariæ, quando dispensatur in gradu prohibito, semper apponitur, *dummodò dicta mulier propter hoc rapta non fuerit*, tum enim hoc narrari deberet in supplica, nempe si rapta fuerit *propter hoc*, id est, ad Matrimonium. Et quamvis in Rescripto omitteretur, semper intelligitur: hinc si rapta esset, etiamsi consentiret manens in potestate raptoris, Executor non posset pergere, sed requireretur novum Rescriptum in forma, *perindè valere*, Krim. *n.* 2289. 2262.

§. 4. Quando additur: *tuam conscientiam oneramus*, 981
signum est eligi industriam personæ quoad actum ipsum dispensandi, & tum executio relinquitur arbitrio ipsius sine cognitione judiciali, & ab ejus sententia appellari non debet. Barb. Krim. *n.* 2261. Si executio demandetur Episcopo, an ingerere se possit Vicarius generalis, aut si demandetur Vicario generali, an ingerere se possit Episcopus, colligi potest ex dictis nu. 879. Sufficere autem prudens judicium de veritate narratorum, quamvis non adsit certitudo, docet Gob. & Kærch. *n.* 254.

§. 5. Quia Rescripto solet inseri, *si per diligentem* 982
informationem compereris preces veritate niti, & Trid. *sess. 22. cap. 5. de ref.* dicit, ut dispensationes etiam gratiosæ *suum non sortiantur effectum, nisi priùs à delegatis Apostolicis, summariè tantùm & extrajudicialiter, cognoscatur expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere*, hoc spectat ad formam, & prærequiritur ad valorem, quamvis ex confessione sponsorum aut, aliundè sciretur veritas, Sanch. *l.* 8. *d.* 34. *n.* 26. Corrad. *l.* 7. *c.* 6. *n.* 20. Et si dispensatio concessa sit tantùm pro foro conscientiæ, informatio capi potest ab ipsis sponsis, quia in hoc foro possunt esse Rei, & testes: si autem agatur pro foro externo, informatio capi debet ab aliis, quia testis hìc in propria causa non admittitur; potest autem etiam laico committi hæc informatio, quia non concernit jurisdictionem, sed solùm ministerium. Nec requiritur juramentum, dummodò sponsi fidem faciant sine prudente suspicione falsi; ita cum communi Krim. *à n.* 2229. satis autem est, secundùm sæpè dicta, causas finales seu motivas subsistere, quamvis non subsisteret aliquid non substantiale, Krim. *n.* 2258. De falsificatione litterarum apostolicarum, dixi l. 4. à n. 663.

§. 6. Delegatus non debet plus examinare, quàm 983
mandetur, hinc quia nunc non apponitur clausula, *dummodò copula non intercesserit*, in eam inquirere non debet; si autem clausula illa apposita esset, & copula esset occulta, docent Sanch. Pont. & Krim. *num.* 2220. Contra alios, Reum non teneri eam fateri, quia cùm agatur pro foro externo, intelligitur, si intervenerit & publicè sit nota. Et idem est, si Judex interrogaret de alio impedimento, quod occultum esset, & aliter esset in debito tempore tollendum, non enim tenerentur sponsi illud fateri, Corrad. Krim. *n.* 2259.

§. 7. Si preces sint quidem per testes justificatæ, 984
attamen delegatus extra sigillum confessionis sciat illas non subsistere, pergere non potest, quia executio remittitur *ipsius judicio ac discretioni, onerata insuper conscientia ejus*, id est, si in conscientia repererit preces veritate niti, Sanch. Sala, Krim. *n.* 227. Similiter quamvis preces veritate niterentur, si tamen ex dispensatione prævideret secuturum scandalum & majus malum, exequi non posset, ideò enim committitur ejus judicio, discretioni, prudentiæ; Corrad. Krim. *n.* 2239. Et quandoque etiam additur, *si tibi videbitur expediens, ut dispensetur*, per quod remittitur, non quidem ad liberam voluntatem ipsius, attamen ad prudens arbitrium, Med. Soch. Krim. *à n.* 2265.

§. 8. An & quando commissio dispensandi expiret 985
morte committentis, dixi l. 1. n. 816. Notat autem rectè Krim. *num.* 2227. si dispensationis commissio data sit nomine Sedis Apostolicæ, non expirare morte Papæ, quia Sedes Apostolica nunquam moritur.

§. 9.

986 §. 9. Si delegatus reperiat causam bona fide allegatam Papæ, reipsa non subsistere, sed advertat aliam causam adesse, quæ si allegata fuisset, certò obtinuisset idem Rescriptum, Krim. *à n.* 2240. putat posse pergere, quia ex benignitate piæ matris Ecclesiæ præsumi potest, quòd Papa consensum suum non restrinxerit ad hanc specificè causam, sed eum extenderit ad communem, & genericam rationem causæ sufficientis, si pro tali casu adsit. Oppositum probabiliùs tenet Corrad. *lib. 7. cap. 5. à n.* 54. nam ideò demandatur, ut examinetur, an preces allegatæ veritate nitantur, non autem, an subsit alia causa: nec datur mandatum exequendi, *nisi* sub causa allegata: Deinde ex hoc, quòd Papa consensisset, si allegata fuisset ista altera causa, non sequitur, quòd jam consenserit, quia voluntas, quæ non est, sed tantùm esset, nihil de facto operatur, sed tantùm operaretur sub hypothesi, quæ posita non est, uti in simili dixi n. 551.

987 §. 10. An dispensatio pro foro conscientiæ valida sit ante expeditionem Rescripti, de hoc aliquid dixi l. 1. n. 815. possuntque videri plura apud Krim. *à n.* 2267. quòd si Matrimonium ineatur, vel ejus consummatio fiat post expeditum quidem rescriptum, sed antequàm dispensatio pervenerit ad partes, aut antequàm sit executioni data, quid dicendum sit, magis colligetur ex resolutione seqq. casuum:

Casus 1. Titius Romæ à Papa petit pro Cajo dispensationem in impedimento Matrimonii, & plusquàm obtineat, rescribit sine dubio obtinendam intra triduum. Obtinetur intra triduum à Titio; Et post elapsum illud triduum contrahit Matrimonium Cajus Coloniæ existens ante acceptas litteras dispensationis, *Quæritur*, an validè? Negant Suar. Vasq. Perez, Gob. *tr.* 9. *n.* 625. quia præsumi non potest mentem Papæ dispensantis esse, ut dispensatio valorem habeat, antequàm certò innotescat, aliàs daretur occasio abutendi. Validè contraxisse docent Sanch. *l. 3. d. 36. n. 6.* Nav. Vega, Rodriq. Texed. apud Dian. *p. 9. t. 7. R. 36.* Sot. Burgh. *cent. 3. cap. 16.* & alii; quia omnes gratiæ, & privilegia statim robur habent, cùm datus est consensus petenti per Procuratorem, licèt postulans principalis ignoret: unde probabile videtur, inquit Burgh. talem, in raro casu, videlicet in magna necessitate non differendi, etiam licitè id facere.

988 *Casus* 2. Cajus Subdiaconus ob causam certò sufficientem cogitat inire Matrimonium, hinc mittit Romam cursorem, qui dispensationem petat, nec dubitabatur, quin intra viginti dies esset obtinenda: post hos 20. dies contrahit Matrimonium. *Quæritur* an validè? Ratio affirmandi est, quia intra illud tempus concessa fuit dispensatio, uti nunc rescitur ex dato, valor autem dispensationis non pendet à dispensando, sed à solo dispensante, qui ei etiam invito & renuenti obtrudere poterit. R. cum Sanch. *l. 8. d. 26. n. 5.* Amico, Castrop. *tr. 3. d. 6. p. 11. n. 3.* Burgh. *cent. 3. cas. 89.* & aliis communiter; Matrimonium illud nullum esse, quia dispensatio est relaxatio à lege adhuc vivente, & obligante, ergo ut suum effectum habeat, debet esse nota dispensando: vel saltem procuratori, qui ejus loco accepter. 2. Dispensatio semper habet imbibitam hanc conditionem, si tibi dispensando ita placeat ut docent Suar. Sanch. Salas, Castrop. & alii, unde differt hic casus à priori, in quo Cajus acceptaverat per Titium. Ad fundamentum contrarium dico fuisse quidem concessam, sed non habuisse effectum, donec cognosceretur, quia est quædam donatio, quæ per acceptationem completur, unde habet quidem dispensatio valorem à dispensante, non tamen effectum, antequàm nota sit dispensando, vel saltem alteri ejus nomine acceptanti; & in Cap. *Si tibi præsenti*, De præbend. in 6. expressè habetur dispensationem circa Beneficium non habere vim allam, nisi acceptata fuerit à beneficiando.

989 *Casus* 3. Sempronius Titiæ consanguineus petiit dispensationem, sed ob urgentissimas causas Matrimonium contraxit cum Titia impedimenti ignara, priusquàm dispensatio à delegato Confessario expediretur, attamen postquàm Breve datum erat Romæ: Confessarius nunc accipit Breve, & *Quærit*, an illud possit expedire, ita ut vi illius fiant habiles ad validè contrahendum? *Ratio* dubitandi est 1. quia mutatus est casus in dispensatione contentus, agitur enim in ea conformiter ad supplicam, de Matrimonio contrahendo, jam autem est contractum. 2. Dispensatio reddita est difficilior ex Trid. *sess. 24. de Ref. Matr. c. 5.* decernente scienter contrahentem intra gradum prohibitum debere spe dispensationis carere. Nihilominus pro parte affirmativa est 1. quia Sempronius sat mature summo Pœnitentiario supplex factus, narravit se jam tum de Matrimonio ineundo cum Titia tractasse, & resilire non posse. 2. Non videtur dispensatio esse ideò reddita difficilior, cùm Sempronius non temerè præsumpserit, sed ob urgentissimas causas id fecerit, Trid. autem requirit scientiam, audaciam, & temerariam præsumptionem juxta Sanc. *l. 8. d. 25. n.* 26. 3. Quamvis unus sciens impedimentum contraxerit, si alter ignorarit, non incurritur pœna Trid. nec postea opus est de hoc mentionem facere in petitione dispensationis, uti tenent Henr. Sanc. *n.* 30 Perez, *d.* 46. *n.* 13. quia innocens puniri non debet ob alterius delictum, ergo etiam jam licebit gratiam illam exequi. 4. Texeda & alii apud Dianam *p. 9. tr. 7 R. 36* docent, si contrahentes scienter intra gradus prohibitos contrahant, & consumment Matrimonium postquàm Pontifex concessit dispensationem, & nondum ea per Ordinarium, cui committitur, est expedita, in isto casu non esse dispensationem irritam vel subreptitiam, ita autem contigit in præsenti casu.

Respondeo. Confessarius non videtur posse procedere ad executionem. 1. quia est exprimendum apud dispensantem, si Matrimonium fuerit contractum vel consummatum, uti certum videtur, inquit Perez, *n.* 6. & constat ex *Trid.* suprà ubi in eum, qui scienter & præsumptuose contraxerit §. fert pœnam carendi spe dispensationis: è contrà illi, qui solemnitatibus adhibitis contraxerit cum probabili ignorantia, dicit facilius, & gratis impertiendam dispensationem, ergo manifestè supponit hoc debere narrari; unde enim aliàs decernet pœnam carendi vel gratis habendi dispensationem, vel unde sciet an factum sit præsumptuosè, an præmissis solemnitatibus, an cum ignorantia probabili, ti non sit opus factum narrari? 2. Non videtur licitum esse procedere secundùm relatam sententiam *Texedæ*; quia quando agitur de valore Sacramenti, etiam in illis, in quibus Ecclesia potest *supplere*; non est licitum relinquere tutiorem, *nisi* sententia, quam sequor, communiter admittatur *velut absolutè probabilis*, & non sit contra praxin Curiæ Romanæ, tum enim tantùm vult Ecclesia *supplere* secundùm dicta *l. 6. p. 1. n. 118.* sed *sententia Texedæ* non admittitur communiter *velut absolutè probabilis*, hinc *Diana* illam referens *subdit. usque Texeda, tu cogita, an probabiliter* & quamvis *Diana* pro eadem citet *Vegam* non allegato textu, Sanc. *n.* 21. citat *Vegam* pro opposita allegato textu, & sententia fundamentum. Sed illa reverà nullum habet fundamentum. Sed est contra praxin Curiæ Romanæ, quidquid sit de hoc, respondet hoc exprimendum esse, manæ, quæ semper supra juncto *n.* 8. ad quem se reuti restatur San. referatur expressa declaratio factæ Committit, & de hoc caput Trid. *n.* 2. 3. Opinio Henriq. gregationis , supra relata, nempe quòd opus non Sanch. & contractum, & consummatum esse Masit narrandum, si alteruter bona fide processerit, non

videtur vera, nam Trid. toto illo capite loquitur in numero singulari, & nullo verbo innuit requiri utriusque scientiam vel ignorantiam: neque verum est esse pœnam, quòd debeat hoc narrari, sed est tantùm conditio prærequisita pro informatione dispensaturi, ut dispensationem diversimodè, & pro exigentia causæ noverit expedire, uti ante dictum est: pœna autem tantùm est, ut qui scienter ac præsumptuosè contraxit & consummavit Matrimonium, careat spe dispensationis, ergo dato, quòd hæc pœna carendi spe dispensationis non incurratur, si alter uter bona fide processerit, tamen nullatenùs sequitur factum non debuisse, aut adhuc non debere narrari, & quamvis tum nollet dispensare Pontifex propter scientiam & præsumptionem Sempronii, non sequitur Titiam puniri, quamvis indirectè & per accidens in ipsam redundet incommodum; sicuti si Titia bona fide contraxisset Matrimonium cum Cajo Subdiacono qui sciens & præsumptuosè hoc fecisset non expectata dispensatione, cujus spem habebat; si Pontifex postea id rescieus in pœnam præsumptionis Caij nollet dispensare, non ideò puniretur Titia, quamvis & indirectè & per accidens in ipsam redundaret incommodum; itaque petenda est dispensatio nova enarrato facto: ita judicarunt mecum anno 1699. tres Doctores. 990

§.11. Huc etiam refertur solutio sequentis casus: Titius cognovit Cajam & Bertam sorores; vultque ducere Cajam, & petit dispensationem in affinitate, attamen priusquàm dispensatio detur executioni, cognoscit iterum Cajam & Bertam.

Quæritur, an indigeat nova dispensatione? Resp.1. Non ideò indiget, quia iterum cognovit Cajam, quia est tantùm incestus, nec inducit impedimentum respectu Cajæ, & si sit occultus, quamvis commissus sit post obtentam dispensationem, tum saltem non necessariò recurri debere Romam, docent Nav.Gob. *tr.9.n.630.* & alii multi cum Pelliz. *De Regul.tr.8.c.3. a n.243* ac probabile agnoscunt Sanch. Less. *n.922. citati.2.* Si dispensatio non sit facta Romæ, sed tantùm data commissio, ut dispensaretur in partibus, si preces invenirentur veritate niti, etiam non indiget nova dispensatione ex hoc, quòd ante dispensationem factam iterum cognoverit Bertam; nam repetita illa copula non inducit novum impedimentum affinitatis, sed manet unicum, quod prius contractum erat, sicuti si decies cognovisset singulas, esset unicum impedimentum, nec in supplica opus fuisset dicere, quoties cognovisset illas, Sanch. *lib.8. cap.24. num. 8.* Est autem jam data potestas ad dispensandum pro Matrimonio cum Caja non obstante impedimento contracto per copulam cum Berta.3. Si Romæ facta est dispensatio, antequàm Titius iterum cognosceret Bertam, videtur opus esse nova dispensatione, quia impedimentum per priorem copulam cum Berta contractum, erat jam sublatum per dispensationem Romæ factam, quamvis necdum executioni datam seu applicatam Titio: & nunc redit idem impedimentum, quod sublatum erat, ergo debet de novo tolli; non potest autem sine nova dispensatione, quia prior non respiciebat nisi contractum anteà impedimentum Sanch. suprà, Pont. De Justit. *lib.3. nu.163. & lib.4. num. 187. Confirmatur*, nam si Titius post declarationem, quòd reperta veritate narratorum facta esset dispensatio, iterum cognovisset Bertam, opus esset nova dispensatione, ergo etiam jam. *Si dicas*, per priorem dispensationem factum esse, ut Titius posset cum Caja contrahere tanquam cum extranea: *Contrà* est, nam dispensatio non tollebat consanguinitatem istarum sororum, nec impediebat, quo minùs à Titio posset iterum contrahi affinitas, si enim post dispensationem factam postea cognovisset Sempronius ejusdem Cajæ sororem, certò contraxisset impedimentum per aliam dispensationem tollendum, ergo idem est, si iterum cognoverit Bertam. Et hic dicta applicari possunt, verbi gratia, impedimento voti, item dispensationi factæ vel faciendæ per Ordinarium. Denique hic notandum est, quòd dispensatio validè detur executioni, non expectato *placito* aulæ sæcularis vel Officialium belli, quia aliquando volunt se ingerere, rectè enim docet Less. *in Auctor.* v. Bulla Pontificia, *casu* 3. ejusmodi placitum esse impertinens ad valorem Bullæ seu dispensationis exequendæ.

*Q.*137. *Quid præterea observare debeat Parochus circa Matrimonia coram ipso contrahenda?* R.§.1. Trid. sess.24.[a] De ref. Matr. c.1. dicit: *Habeat Parochus librum, in quo conjugum & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describat, quæ diligenter apud se custodiat.* Et cùm inde suo tempore doceri debeant plurima, quæ maximi momenti sunt, rectè notat Aversa. *q.6.s.7.§. ult.* ad hoc obligari parochum sub mortali. 991

§.2. Parochus etiam contracturis proponere debet, quæ ibidem statuit Trid. his verbis. *Postremo S. Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad SS. Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.* 992

*Q.*138. *Quid denique notandum sit circa purificationem puerperarum?* R. Hæc potiùs spectant ad materiam Baptismi, sed quia de illa ibi nihil dixi, addo hic pauca. 993

§.1 De purificatione puerperarum *Synod.Colon.* anni 1662. p.2.tit.3. statuit 1. ex Cap. un *De Purif.post partum*, quamvis puerperæ possint statim post partum venire ad Ecclesiam, attamen etiam in nova lege licitè emanere.2. Non ante 25. à partu diem, nec alibi, quàm in Ecclesia benedicendæ sunt puerperæ. 3. In pœnam peccati mulieres quæ ex illicito concubitu pepererunt, sub pœna suspensionis eo ipso incurrendæ non benedicantur.4. Sine pompa & ad summum cum tribus fœminis deducantur.5. Non fiat in dominica vel festo fori.6. Nullus parochus, Sacerdos vel Clericus debet convivium mulieri purificatæ instructum frequentare. 7. Non substituatur mulier purificanda in locum defunctæ puerperæ, nec ad cadaver defunctæ in partu legantur preces purificationis, nec etiam legantur in privatis ædibus super periclitantem post partum.

§.2. Circa prohibitionem illam, ne mulieres, quæ ex illicito concubitu pepererunt, purificentur, dubitatum est, an id intelligatur etiam de illis, quæ ex illicito concubitu conceperunt, sed pariunt in Matrimonio ante partum contracto; affirmarunt aliqui, quia manet causa, ut sit in pœnam peccati. Oppositum tenuimus anno 1710. tum quia talis nunc in Matrimonio honestè parit, tum maximè, quia statutum illud est pœnale, & tantùm dicit, *mulieres*, quod convertit non conjugatis, ergo non est extendendum ad conjugatas, cùm *Synodus* ibi non agat de Matrimonio, sed de Baptismo. *Nec obstat*, quòd æqualis ratio esset tales conjugatas excludendi: *nam* in positivis non est argumentandum à pari ad par, imò nec à minori ad majus, sed standum verbis in rigore, quæ potiùs restringenda sunt in materiis odiosis, qualis est hæc. 994

§. 3. Sicuti l.2.n.99. & 112. dixi acatholicos esse excludendos à benedictione matrimoniali & à cæremoniis sepulturæ ecclesiasticæ, ita puto excludendam puerperam acatholicam ab hac benedictione purificationis. 1. Quia cæremoniæ illæ sunt ab Ecclesia institutæ pro fidelibus in Ecclesia, & probabiliter nomine Ecclesiæ etiam fiunt istæ orationes, uti insinuat 995

Sanch. *l.7.d.9.n.13.* Ecclesia autem non vult ejusmodi orationes publicas offerre pro acatholicis, qui ab Ecclesia catholica excluſi esse volunt. 2. Quia acatholici, qui cæremonias Ecclesiæ irrident, indigni sunt, quibus illæ adhibeantur. 3. Quia tales acatholici in his locis acatholicis præsumi sæpè possunt esse formales hæretici, adeóque excommunicati, & quamvis vitandi non sint à catholicis, attamen ipsis prohibitum est in divinis communicare cum catholicis, secundùm dicta *l.6. p.2. n.34.* & dicenda *l.7. n.270.* ergo scandalo illis sunt Parochi quiad talia admittendo quasi inducunt illos ad petendam talem ipsis illicitam communicationem in divinis cum catholicis. An licitum sit mortuo acatholico Parochiæ inquilino pulsare campanas catholici templi, dicam *l.7. num.268.*

§. 3. Cùm hæc cæremonia purificationis non sit necessitatis, sed devotionis, Cap. un. *De purif. post part.* putarunt Lay. Peyr. Pasq. puerperas posse à Regularibus admitti ad purificationem, pro quo referunt declarationem *S. Congregat.* sed rectè contradicit Pignat. *tom.5. consult.76.* quia consuetudo saltem id restrinxit ad solos Parochos; & idem dicit alia declaratio *S.Congreg.* unde sicuti benedictio nuptiarum, quamvis non sit necessitatis, tamen secundùm dicta à *n.504.* fit à solis Parochis, ita & hæc cæremonia 996

LIBER SEPTIMUS.

De censuris ecclesiasticis, & Irregularibus.

CAPUT I.

De censuris in genere.

DUBIUM I.

Quid censura ecclesiastica?

1 „ REsp. Est pœna spiritualis & medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci, per potentiam Ecclesiasticam aufertur „ usus quorundam bonorum spiritualium. Lay. *l.1.t.5.p.1.c.1. Unde resol.*

I. censuram non privatur homo bonis merè internis, v. g. charactere, potestate Ordinis: nec bonis „ propriis ac privatis, v.g. fidec, haritate; gratia, &c. „ sed quibusdam externis & publicis, sive actionibus „ quæ habent spiritualem aliquem effectum vel com- „ modum, ut sunt Sacrificium, officium divinũ, Bene- „ ficium, administratio & susceptio Sacramentorum, „ Indulgentia, publica Ecclesiæ suffragia; quia hæc „ & non illa subsunt dispositioni Ecclesiæ. Unde si „ interdum privetur bono aliquo temporali, v. g. „ convictu humano per excommunicationem, id „ tantùm fit secundariò.

„ II. Exilium, carcer, servitus, privatio Beneficii, „ nisi adjunctam habeant suspensionem aliquam spi- „ ritualium actionum, non sunt censuræ, quia sunt „ pœnæ temporales.

„ III. Nec degradatio vel depositio est censura, quia „ etsi sit pœna spiritualis, non tamen medicinalis sed „ perpetua, & ob peccatum præteritum, etiam e- „ mendatum, potest infligi.

„ IV. Necessario à divinis, quia non imponitur per „ modum medicinæ ad tollendam contumaciam, sed „ ad propulsandam injuriam Ecclesiæ factam.

„ V. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia „ hæc non est pœnalis sed tantùm impedimentum „ canonicum; sive sit ex delicto, quia hæc non irro- „ gatur per modum pœnæ medicinalis sed punitivæ „ & ex se perpetuæ: Unde nec tollitur per absolu- „ tionem, sicut censura, sed per dispensationem Bon. „ *d.1. q.1. p.1.*

„ VI. Quando in Jubilæis vel privilegiis datur po- „ testas absolvendi à censuris, non comprehenditur „ irregularitas, nisi expresse addatur.

ADDENDA.

2 QUæst.1. *Quinam circa censuras sint errores hæreticorum, & quæ doctrina catholica?* R.§. 1. Vicleff, Huff. & Lutherus docuerunt censuras nullius esse valoris: sed *Conc. Constantiense* damnavit hos *Vicleffi* articulos: 15. *Illi, qui dimittunt prædicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habebuntur.* 30. *Excommunicatio Papæ vel cujuscunque Prælati non timenda, quia est censuræ Anti-Christi.* Similiter hunc *Huss.* articulum damnavit idem *Conc. Constant.* 18. *Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.* Hos *Lutheri* art. damnavit *Leo X.* 23. *Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.* 24. *Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationes quàm timere.*

§. 2. Hos alios *Vicleffi.* articulos damnavit idem 3
Con. Constant. 11. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo: & qui sic excommunicat, sit ex hoc hæreticus vel excommunicatus.* 12. *Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.* Similiter illos *Joannis Huss.* 14. *Doctores ponentes, quòd aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus, & pro certo sequuntur in hoc Pontifices, scribas & Pharisæos, &c.* 19. *Per censuras ecclesiasticas.... ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit & viam parat Anti-Christo &c.*

§. 3. De fide est esse in Ecclesia potestatem ferendi censuram ex. Matth. 18. *Quodcunque ligaveritis super terram*, nam Calvino reste apud Bellarm. *Pontif.l.1.c.13.* Christus ibi loquitur etiam de potestate excommunicandi, & Christum ibi loqui de actibus externæ jurisdictionis docent SS. PP. & Theologi omnes cum Suar. hic. *d.1.s.2.* possuntque videri etiam Castr. *d.1. punct.3.* & Dicast. *d.3. à n.6.* Ratio autem est, quia in omni bene constituta Rep. debet esse potestas quosdam sibi noxios excludendi à suo corpore, alios malè administrantes suspendendi à quibusdam officiis, aliis interdicendi certos actus & functiones; ergo id etiam esse debet in Ecclesia; hæc autem est ipsa potestas ferendi censuras, nempe excommunicationem, suspensionem & interdictum, ergo. Censurarum autem materiam & cognitionem pertinere ad solos Judices ecclesiasticos docet Trid. cujus verba re fera *num.18.* potestque videri etiam Pignat. *tom.6. cons.19. n.16.&.20.* 4

DUBIUM II.

Quotuplex censura?

Resp. Dividitur 1. essentialiter, in excommunicationem, suspensionem & interdictum. 2. Accidentaliter in eam, quæ est à Jure, & fertur per Canones, Constitutiones vel statuta ecclesiastica, stabili ac permanente lege: & eam, quæ est ab homine, quæ scilicet fertur à Judice vel Prælato per modum mandati vel sententiæ judiciariæ. Est-que vel particularis, circa factum aliquod particulare aut certas personas; vel generalis, quæ nulla singularis facti aut personæ determinatione fertur. 3. In eam, quæ est sententiæ latæ, quam scilicet Jus aut Iudex statuit ipso facto, quo quis, v. g. contra legem facit (sine alia sententia incurrendam: & eam, quæ est ferendæ, quam Jus aut Iudex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam *infligi*: Pro quibus dignoscendis considerandæ sunt verba, quibus censura fertur; quæ si includant alterius actionem seu ministerium, significant censuram esse sententiæ ferendæ: latæ verò, si non includant. Si verò ambigua sint, teneri potest *regula* 49. *Juris in* 6. quòd in dubio circa pœnas benignior interpretatio sit facienda:

Unde resolves,

I. Est censura latæ sententiæ. 1. si verba sint præteriti aut præsentis temporis, v. g. excommunicavimus, excommunicatus est vel fuit, excommunico, suspenduntur, interdicuntur, volumus aut jubemus esse excommunicatum, suspensum &c. 2. Si addatur particula *ipso Jure*, *ipso facto* vel *sine alia sententia*. 3. Si verba sint imperativi modi, v. g. incidat in excommunicationem, maneat interdictus &c. Ratio, quia hæc omnia nullius actionem interponunt.

II. Sententia ferendæ est saltem ut plurimùm. 1. si verba sint futuri temporis, v. gr. excommunicabitur, suspendetur. 2. Si dicatur, excommunicetur, suspendatur, volumus excommunicari. 3. Si verba sint minatoria, v. gr. sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis &c. nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur.

ADDENDA.

4 Quæst. 2. *Quæ sit significatio variorum terminorum, qui in hac materia de censuris sæpè recurrent?*

R. §. 1. *Censura* secundùm Bonacinam hic initio, dicitur, vel à *censeo*, fero sententiam: vel à *censio*, punio, castigo: vel à *censor*, cujus officium est moribus præesse, & delicta corrigere.

7 §. 2. Censura Juris vel Canonis, sive per modum statuti dicitur illa; quæ imponitur per aliquam legem permanenter duraturam etiam post mortem illius, qui imponit: è contra illa dicitur censura hominis seu lata per modum sententiæ aut præcepti, quæ fertur cum intentione de non inducenda lege perpetua, sed tantùm transeunter, & pro hoc 8 casu, uti pluribus explicat Dicast. *d.* 1. *dub.* 9.

§. 3. Censura per sententiam potest ferri, vel per sententiam generalem, uti habet Busemb. si nempè indeterminatè proferatur in aliquem; qui hoc faciet: vel per sententiam specialem & particularem, si feratur contra determinatam in individuo personam propter hoc individuum delictum.

9 §. 4. Quid sit censura latæ & ferendæ sententiæ, rectè explicat Busemb. Hæc adde, imprimis, si sit ferendæ sententiæ, tum dici *comminatoriam*: Deinde, si dicatur ipso facto excommunicetur seu excommunicabitur, est sententiæ latæ, ut habent Toletus Dic. *d.* 1. *n.* 99. Idem est, si cum verbis præteriti addantur hæ particulæ: *mox*, *prorsus*, *ex nunc*, *ex tunc* sit excommunicatus: sed cum verbis aliis, est ferendæ: uti *mox excommunicetur*, Suar. Dicast. *n.* 101. Si autem sic dicatur qui hoc fecerit, est excommunicatus, plerique dicunt esse latæ sententiæ, si tamen dicatur: sit, veluti excommunicatus, Sanch. & Dicast. *n.* 103. & 110. dicunt esse ferendæ: si autem dicatur, anathema sit, Suar. dicit esse latæ sententiæ, Sanc. & Dicast. suprà dicunt esse latæ, quando est contra hæresin, quia hæresis subjacet latæ sententiæ; ferendæ autem est, si contra alia delicta dicatur. Addunt, quòd quando verba non significant actionem ipsam, v. gr. excommunicandi exercendam per ministerium alterius, tum significent sententiam latam, uti si dicatur: subjacebit, incidet, incurrat, incurret censuram, & ita docent Sylv. Ang. Armilla, Suar. Vasq. Avila & Dicast. *n.* 103. Videri potest etiam Pign. *tom.* 10. *cons.* 1. *n.* 13. & Krim. *l.* 5. *à n.* 1614. & quæ dixi *l.* 1. *n.* 609. & 612.

§. 5. Ante censuram ferendæ sententiæ præire solet *monitio canonica*, de qua agitur in Cap. *Constitutionem* de sent. excommun. in 6. per quam intelligitur citatio cum tribus monitionibus, vel una peremptoria continente tres: Si non pareatur, est contumacia, sic dicta vel à *contumeo*, quia qui non obedit, est & manet tumidus seu superbus, vel à *contemnendo*, quia mandatum Superioris non curat. Estque triplex contumacia, *evidens* seu manifesta, quando reus citatus in faciem citanti dicit, se nolle comparere. *Præsumpta* seu dubia, quandó post factam vel publicè affixam citationem non compareat. *Vera*, si in faciem citatus taceat, & tamen posteà non compareat. Plures species contumaciæ enumerat Krim. *à n.* 1712. ubi pluribus exponit, quid ad eam requiratur, ut censeatur canonica. 10

§. 6. Ille dicitur nominatim censuratus, qui denuntiatur esse ligatus censura, vel expresso proprio nomine & cognomine, vel in talibus circumstantiis, ut sufficienter designetur illius persona, uti habet Busemb. 11

§. 7. Quid dicatur occultum, publicum, deductum ad forum contentiosum dixi *l.* 6. *p.* 3. *à n.* 870. & præter citatos tum ibi, tum locis ibi relatis docent Escob. & Dicast. *d.* 3. *n.* 101. aliique apud Castrop. *d.* 6. *p.* 7. *n.* 11. ut quid censeatur deductum ad forum contentiosum requiri, ut accusatus aliquo modo comparuerit, negando vel confitendo, priùs enim non est contentio, ergo neque censetur res ad forum contentiosum deducta. 12

§. 8. Absolutio per hoc differt à dispensatione, quod absolutio sit sententia remittens delictum vel pœnam; dispensatio autem sit exemptio ab obligatione alicujus legis, qua v. g. prohibetur accipere Ordines, qui aliquem occidit. 13

§. 9. Secundùm dicta *l.* 6. *p.* 3. *n.* 952. absolvi in foro interno tantùm, seu pro foro conscientiæ, non semper significat absolvi in Sacramento Pœnitentiæ, sed est ita absolvi, ut pro foro externo maneat jus cognoscendi de illo delicto, illudque puniendi, ita ut absolutio prior nihil juvet in foro externo. 14

§. 10. Pœna purè vindicativa dicitur, quæ imponitur propter delictum præteritum, non habendo respectum ad aliquid in futurum, ita ut imponatur, quamvis nec sit periculum relapsus, nec spes emendationis, & talis est pœna respectu damnatorum. Pœna medicinalis est, quæ simul & præcipuè infligitur, vel ob emendationem, vel ad cavendas imposterùm culpas & relapsus. 15

§. 11. *Anathema* penultima producta, significat idem, quod aliquid oblatum vel appensum velut monumentum ad memoriam: è contrà *anathema* penultima correpta significat separationem, & differt accidentaliter tantùm ab excommunicatione, per hoc 16

quod anathema fiat cum quibusdam cæremoniis ad majorem terrorem, sic enim in Jure præscribitur, ut Episcopus solemniter excommunicaturus per anathema indutus sit amictu, stola & pluviali violaceo, ut 12. Presbyteri Episcopum circumstent tenentes manibus lucernas ardentes, & post latam anathematis sententiam humi projiciant lucernas, & pedibus conculcent, ejiciantque extra Ecclesiam &c. Can. *Debent*, 56. Causa 11. qu. 3. & alibi. Reliqui termini commodiùs per decursum explicabuntur.

DUBIUM III.

Qui possint ferre censuram, & in quos.

17 REsp. I. Censuram ferre potest omnis ac solus „ Superior Ecclesiasticus, habens in foro exter- „ no seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam „ sive delegatam. „

Porrò ordinariam, quæ est ratione officii vel al- „ terius Juris, potestque delegari Clerico clericatus „ privilegiis gaudenti (ut Bon. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 2. Laym. „ *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 1. ex *c. Cùm Ecclesiarum*, S. Th. „ &c. docent, (habet 1. Papa respectu totius Ecclesiæ. „ 2. Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi eorum- „ que Vicarii Generales. 3. Generales, Provinciales „ & Superiores locales Religionum, respectu suo- „ rum subditorum. 4. Congregationes Religionum „ Concilia Provincialia Episcoporum, Capitula Pro- „ vincialia quorundam religiosorum & denique, 5. „ Quidam alii ex concessione, ut multi Archi-Diaconi „ & Archi-presbyteri, & Decani. „

Delegatam habent, quibus ea committitur ab or- „ dinariam habente, cujus morte expirat, nec dele- „ gatus potest alteri delegare, nisi habeat specialem „ hujus commissionem, ut si sit delegatus Papæ. *Vn-* „ *de resolves*, „

1. Non possunt potestate ordinaria ferre censu- „ ram. 1. Parochi. 2. Laici: quia non sunt capaces „ jurisdictionis Ecclesiasticæ; uti & Religiosi pro- „ fessi non habentes primam tonsuram. 3. Fœminæ, „ licèt sint Priorissæ vel Abbatissæ, quia non sunt capa- „ ces jurisdictionis seu potestatis clavium, Quando „ verò in Jure dicuntur posse subjectos sibi Clericos „ suspendere ab officio vel beneficio, suspensio non „ accipitur propriè pro censura, cujus violator irre- „ gularitatem incurrit, sed latè & impropriè pro „ præcepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammo- „ dò subjecto prohibet celebrationem, donec satis- „ fecerit, subtrahens ei reditus interèa. V. Bon. *l.c.* Laym. *n.* 3. „

Resp II. In omnes & solos subditos alicui Supe- „ riori ecclesiastico, potest ferri censura, quia sub „ jectio & jurisdictio sunt correlativa. Laym. *c.* 3. *Vn-* „ *de resolves*, „

1. Non baptizari non incurrunt censuras, licèt „ sint catechumeni: nec mortui; quia non subsunt „ jurisdictioni Ecclesiæ. Nec refert, quòd quandoque „ mortui dicantur excommunicari, non enim de no- „ vo ligantur, sed excommunicatio prior tantùm „ declaratur, ac vivis prohibetur, ne cum iis „ agant, orando pro illis, sepeliendo, &c. Similiter „ dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando „ sepultura & orationes publicæ pro illis permittun- „ tur. Laym. *l. c.* „

II. Advenæ & perigrini brevi tempore alicubi „ commorantes, non ligantur censuris locorum, ge- „ nerali sententia aut statuto decretis, quia non sunt „ subditi, Laym. *n.* 5. „

III. Etsi subditi extra suam diœcesin (vel in loco „ diœcesis exempto) delinquentes contra legem „ sui Episcopi non incurrant censuram, Superior „ tamen saltem regularis potest suos subditos, ubi- „ cunque existant, per particularem sententiam cen- „ suris innodare. V. Laym. *l.c.*

IV. Hæretici, apostatæ & schismatici possunt af- „ fici censuris quia per Baptismum sunt subjecti Eccle- „ siæ. Vide Laym. *l.c.*

V. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia „ nulli est subjectus, Bon. *l.c.*

ADDENDA.

18 QVæst. 3. *Quid præterea notandum sit circa po-* „ *testatem ferendi censuras?* R. §. 1. Ante om- „ nia pro hoc & sequenti dubio notanda sunt verba „ *Trid.* sess. 25. cap. 3. De refor. *Quamvis excommuni-* „ *cationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ* „ *& ad continendos in officio populos valdè salutaris* „ *sobriè tamen magnaque circumspectione exercendus est,* „ *cùm experientia docet, si temerè aut levibus ex re-* „ *bus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, &* „ *perniciem potiùs parere, quàm salutem. Qua pro-* „ *pter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præ-* „ *missis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis* „ *seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus,* „ *præterquàm ab Episcopo, decernantur, & tunc non* „ *aliàs, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter* „ *ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ* „ *ejus animum moveat; nec ad eas concedendas cujusvis* „ *sæcularis, etiam Magistratus authoritate adducatur;* „ *sed totum hoc in ejus arbitrio, & conscientiæ sit posi-* „ *tum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore* „ *eas decernendas esse judicaverit. In causis verò ju-* „ *dicialibus mandatur omnibus Judicibus Ecclesiasticis* „ *cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque exe-* „ *cutio realis vel personalis in qualibet parte judicii* „ *propria authoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant* „ *se tam in procedendo quàm definiendo à censuris ec-* „ *clesiasticis seu interdicto; sed liceat eis, si expedire* „ *videbitur, in causis civilibus ad forum Ecclesiasti-* „ *cum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque,* „ *etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis* „ *ibi existentibus, eo ipso, quòd exactæ fuerint, assi-* „ *gnentur: seu per captionem pignorum personarum-* „ *que distinctionem per suos proprios aut alienos exe-* „ *cutores faciendam, sive etiam per privationem Be-* „ *neficiorum aliaque Juris remedia procedere & causas* „ *desinire. Quòd si executio realis vel personalis adversùs* „ *reos hac ratione fieri non poterit, sitque ergà Judi-* „ *cem contumacia, tunc eos etiam anathematis mu-* „ *crone arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit.* „ *In causis quoque criminalibus, ubi executio realis* „ *vel personalis, ut suprà, fieri poterit, erit à censuris ab-* „ *stinendum; sed si dicta executioni facilè locus esse non* „ *possit, licebit Judici hoc spirituali gladio in delin-* „ *quentes uti; si tamen delicti qualitas, præcedente bina sal-* „ *tem monitione etiam per edictum id postulet. Ne-* „ *fas autem sit sæculari cuilibet Magistratui prohi-* „ *bere ecclesiastico Judici, ne quem excommunicet, aut* „ *mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub præ-* „ *textu, quòd contenta in præsenti decreto non sint* „ *observata, cum non ad sæculare sed ad ecclesiasti-* „ *cos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus verò qui-* „ *cunque, si post legitimas monitiones non resipuerit,* „ *non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac* „ *familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo* „ *censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam* „ *contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi* „ *possit.*

19 §. 2. Avila, Con. Engel. *in Ius canon. l.* 5. *t.* 39. *n.* 15. & alii putant fœminam Jure divino esse incapacem ferendæ censuræ, quia claves Ecclesiæ nulli fœminæ sunt concessæ, sed soli Petro, Apostolis & eorum successoribus, e contra Suar. Sanch. Laym. Castr

p.4.n.5. aliique cum Krim. *num.* 1654. probabiliùs dicunt incapacem esse Jure ecclesiastico tantùm, ideóq, illi communicari posse, quia potestas ferendi censuras, licèt spiritualis sit, non est potestas Ordinis, cùm ex omnium sententia à Papa communicari possit laico: non est autem ratio dicendi, quòd nulla potestas spiritualis conferri possit fœminæ, cùm potestatem habeant ex privilegio conferendi Beneficia, & instituendi. Potest itaque fœmina habere clavem jurisdictionis, quamvis non Ordinis: Atque sic solvitur ratio in oppositum. Hanc tamen potestatem ferendi censuram nec fœminæ, nec laico nec Capitulo ex majore parte constante laicis committere potest Episcopus, quia Canon. Cap. *Decernimus*, De judiciis, qui est supra Episcopos, id prohibet. Probabilius etiam videtur, quòd non baptizatus nequidem à Papa delegari possit ad ferendam censuram, quia cùm non sit membrum Ecclesiæ, nihil ad Ecclesiam propriè pertinens ei committi potest, Krim. *n.* 1655.

20 §. 3. Nemo potest censuram ferre per modum judicii in causa propria, quia nemo in causa propria est Judex; posset tamen fieri etiam per modum judicii, si causa esset ita manifesta, ut nec negari posset, nec opus esset examinari, uti & semper fieri potest per modum justæ defensionis, sicuti enim vis vi repelli potest, ita licitum est injustum invasorem per censuram ab injuria arcere, Dian. Krim. *n.* 1644. & alii.

1 §. 4. Parochus, cùm non habeat jurisdictionem externam, neque jus citandi, nequidem potest ex officio declarare, v. g. aliquem esse excommunicatum, nisi ipsi hoc demandetur: potest tamen ex vi latæ sententiæ excommunicatum prohibere ab ingressu Ecclesiæ, & removere à sacris, Pirrhing. *l.* 1. *tit.* 31. *n.* 142. Krim. *n.* 1634.

§. 5. Si Papa deprehendatur devius à fide, Consi-
22 lium potest eum per censuras cogere, ut pareat, Cap. *Si Papa*, Dist. 40. Leand. Krim. *n.* 1664. Potestque videri Bellarm. *de Pontifice l.* 2. *q.* 30. fusè quæstionem illa tractans.

23 §. 6. Episcopus confirmatus, quamvis necdum ordinatus, potest censurare, quia censuram ferre non est actus Ordinis, sed solius jurisdictionis. Dubitatum autem est, an Episcopus existens extra suam diœcesin possit subditum suum censurare. Affirmant Sylv. Nav. Avila & alii, si causa sit ita clara, ut ejus cognitio non requiratur, quia tum videtur cessare ratio prohibitionis: è contra probabiliùs negant alii cum Delb. *de immun. Eccl. c.* 12. *d.* 6. quia quantumcunque causa sit clara, ferre censuram est actus jurisdictionis contentiosæ, quam in alieno territorio exercere non potest, quia ibi tribunal non habet.

24 §. 7. Vicarium Generalem Episcopi posse sine speciali mandato ferre censuram censent Suar. Sanch. Garc. Gutt. Gibal. Sbroz, Leur. *in Vicar. q.* 147. 148. Krim. *nn.* 1649. contra Ugol. Sayr. & alios, quia hæc pertinet ad potestatem ordinariam Vicarii, qui Cap. 2. De consult. in 6. & ex Cap. *Romana* De appell. in 6. facit unum tribunal cum Episcopo.

25 §. 8. Sedes vacans, sive potiùs, secundùm dicta *l.* 6. *p.* 2. *n.* 2266. Vicarius Capituli sede vacante potest sicut Episcopus ferre censuras, & absolvere ab eis, aut delegare potestatem ordinariam absolvendi, uti sufficienter colligitur ex Cap. un. De major. & obed. in 6. & ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 16. *de ref.* ac pluribus videri potest apud Leurenium *in Vicario qu.* 475. 476. & Less. in Aut. v. *Absolutio cas.* 10.

26 §. 9. Clericus conjugatus non potest ferre censuras, nisi separatus à conjuge unica, & edito utrimque voto talis castitatis.

27 §. 10. Superior ipse existens in censura & vitandus, censurare non potest, nec alteri potestatem delegare, saltem re integra, quia jurisdictio est suspensa, Krim. *à n.* 1659.

§. 11. Jurisdictio Superiorum religiosorum, saltem eorum qui specialia territoria non habent, non est concluса certis finibus locorum, sed possunt sibi subditos citare, censurare, capere, ubicumque sint, & nemine implorato, uti habent Jura & communis cum Delb *d.* 5. *s.* 2. *n.* 21. 28

Q. 4. *Quid addendum sit circa illos, in quos fertur censura?* R. §. 1. Archi-Episcopus ferre non potest censuras in subditum Episcopi Suffraganei, nisi visitet actu, vel ad ipsum devolvatur causa per appellationem. Cap. *Venerabilibus* 7. De sent. excomm. in 6. Con. Krim. *n.* 1629. 29

§. 2. Episcopi, quamvis procedant ut delegati Papæ, item Nuntii Apostolici, Legati à latere non possunt contra Religiosos exemptos ferre censuras, nisi id in specie concessum sit illis, Pelliz. *de Reg. t.* 7. *c.* 1. *n.* 52. Krim. *n.* 1681. ex Bullis apud Rodr. *t.* 2. *qq. Reg. q.* 59. *a.* 5. Notat tamen Pelliz. *nu.* 56. si censura feratur contra personas Ecclesiasticas à Jure communi per constitutionem Papæ, aut statuta Nuntiorum Apostolicorum, sub nomine personæ Ecclesiasticæ comprehendi Religiosos etiam laicos & Moniales. Addit Sanc. *in conf. l.* 6. *c.* 9. *d.* 1. *à n.* 28. etiam Cov. & Henr. si Episcopus processerit per censuram, etiam bona fide, contra exemptum, id esse invalidum ipso Jure, in utroq; foro, quia hic est clausula irritans. Posset tamen Ordinarius denuntiare aliquem esse ipso Jure & facto excommunicatum ob delictum notorium, quia denuntiatio nihil addit, & in notoriis non requiritur cognitio judicialis, Pign. *to.* 7. *conf.* 10. *to.* 8. *conf.* 125. De Luca *in mis. ell. eccles. dis.* 14. Videri potest de Luca ibidem & Krim. *n.* 1684. & maximè Pignat. *to.* 7. *conf.* 44. *à n.* 14. ubi de hac potestate Episcopi contra Religiosos multa habent. 30

§. 3. Episcopus potest subditum suum extra diœcesin existentem ligare censura, quando res est tam manifesta, ut non sit opus cognitione causæ, vel quando jam ante habita est cognitio causæ, Castr. *d.* 1. *p.* 5. *n.* 3. Item, quandocumq; censura ob delictum manifestum non fertur per modum statuti universaliter comprehendentis omnes, sed per modum sententiæ particularis in certam & determinatam personam, & ratio disparitatis est, quia statutum cohæret loco, sententia autem afficit personam, ubicunque sit; ergo cùm hæc sententia non requirat externum factum hominis, v. g. comprehensionem, sed coerceat illum in rebus invisibilibus, non turbat alienam jurisdictionem, ergo potest exerceri etiam in aliena ditione, Engel. *t.* 39. *n.* 33. Vide dicenda *à n.* 43. 31

§. 4. Quamvis Lugo *in Resp. mor. l.* 6. *d.* 22. & alii putent Episcopum non posse ferre censuram in peregrinum in sua diœcesi commorantem, quia non habet potestatem in personam, ad quam debet ferri sententia tamen alii cum Engel. *n.* 35. contradicunt, quia sicuti possunt ferri leges, quibus obligentur peregrini, v. g. de non gestandis armis, ita illis legibus poterit addi censura, & talis peregrinus ratione delicti fiet subditus Episcopo, secundùm Cap. ult. *de foro compet.* Hinc docet Gibal. & ex declaratione S. Congr. Pign. *to.* 1. *conf.* 170. *n.* 8. Episcopum posse ferre censuram in alium Episcopum, imò etiam in Archi-Episcopum in territorio suo Episcopi suffraganei delinquentem, quia quamvis illi sint pares, aut etiam Superiores dignitate, tamen ratione delicti fiunt subditi Domino illius territorii; Quod intellige, si delictum sit contra legem communem Ecclesiæ, quia specialibus præceptis talis Episcopi non tenentur peregrini, uti notant Laym. & Krim. *n.* 1664. & dictum est *l.* 1. *à n* 685. 32

§. 5. Spectato Jure communi antiquo possunt Imperator & Reges etiam ab Episcopo censurari, ut patet in *Theodosio* quem *S. Ambrosius* excommunicavit, sed nunc id sibi reservat Papa, ideóque Imperator 33

&

& Reges, imò & fortè etiam quidam alii supremi Principes, sunt exempti à potestate Episcoporum: *S. Anton.* tamen putat eos adhuc pro casibus notoriis subjacere Episcopis, uti notat Dicast. *d.*2. *n.*223.

34 §.6. Censuræ suspensionis & interdicti generaliter latæ in omnes delinquentes, non tangunt Episcopos, sed tantùm alios inferiores, Cap. *Quia periculum* 4. De sentent. excom. in 6. nimirum ne impediantur in exercitio sui Officii: Id tamen non videtur intelligi quoad excommunicationem, cùm de hac non fiat mentio, nec in positivis valeat argumentum à pari, Nav. Suar. Gibal. Dicast. *d.*1. *n.*276. Krim. *à n.*1687.

35 §.7. Nemo incurrit censuram à se latam, quia nemo tenetur suis legibus quoad vim coactivam & pœnas, sed tantùm quoad vim directivam, communissima cum Delb. *c.*15. *dub.*6. Potest tamen quis occasione censuræ à se latæ incurrere censuram ab alio latam, uti si quis conversetur cum alio à se excommunicato, incurret excommunicationem minorem à Papa latam in illos, qui cum excommunicato communicant, quidquid contradicant Gibal. & Krim. *n.*1643. sicuti si celebret in Ecclesia à se interdicta, probabilius est fieri irregularem.

36 §. 8. Superiores Ordinum possunt Novitios ligare censuris, quia ex voluntate Papæ talem habent jurisdictionem in illos, qualem Episcopi, Suar. Pelliz. *tr.*2. *c.*6. *n.*5.

37 §. 9. Si Regi, Ordini, aut loco religioso concedatur, quòd non possit censurari, intelligitur, quod néc ab Episcopo possit: si concedatur alteri, solum intelligitur, quòd non possit à Judicibus Episcopo minoribus, Cap. *Ne aliqui*, de privil. in 6. Krim. *à n.*1685.

38 §. 10. Potest etiam tota communitas censurari, v. g. subjici interdicto, quia non requiritur contumacia personarum in singulari, sed sufficit in capite, seu totius moraliter corporis, cap. *Quia sæpè*, De elect. in 6. Attamen non debent, & probabiliter etiam non possunt per inferiorem Papa censurari omnes in communi, sed tantùm illi, *quos culpabiles esse constiterit*, ut ex cap. *Romana* 5. De sent. excommun. in 6. colligunt Leand. & Krim. *à n.* 1691. contra multos alios, qui putant censuram esse illicitam, quamvis sciretur omnes & singulos peccasse, attamen dicunt fore validam.

39 §. 11. Si quis, dum sanæ mentis erat, delinquerit, potest censurari existens in ebrietate vel amentia, quia usus rationis & libera voluntas tantum requiruntur ad ponendam causam censuræ, non autem ad incurrendam censuram, Castr. *d.*1. *p.*6. *n.*1. Hinc si perduraret amentia, procedi posset ad pœnam pecuniariam, non tamen mortis vel mutilationis, Mol. Delb. *c.*3. *d.*1. *n.*12. Si tamen amentia perpetuò maneret, putat Laym. non incursurum pœnam censuræ ab homine latæ, quod Leand. & Krim. extendunt etiam ad pœnam censuræ à Jure latæ, quia non posset esse medicinalis.

*Q.*5. *An impuberes incurrant censuras?* R.§.1. Infan-
40 tes qui necdum septennium compleverunt, non incurrunt ullas censuras, uti videtur certum ex Jure apud Delb. *c.*13. *dub.*3. & Dic. *d.*1. *n.*232. quia non supponitur sufficiens in illis esse ratio.

41 §.2. Impuberes incurrunt excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monasteria Monialium, Trid. enim *sess.*25. *c.*5. *de Ref.* expressè addit, *cujuscunq; ætatis sint*, Suar. Vasq. Dic. *n.*227. Etiam probabilius est impuberes incurrere, excommunicationem latam in percussores Clerici, uti ex Jure probat Castr, *de legibus d.*1. *p.*24. *ff.*2. *n.*9. Delb. *c.*13. Dic. *n.*228. & 231. quamvis contradicat Tamb. *de Communione c.*4. §.2. Attamen impuberes non incurrunt aliascensuras ab homine ferendas, uti tenent multi apud Dic. *n.*229. & cum Delb. suprà, quia pro ferenda censura debent moneri, & citari, ætas autem illa non est sufficiens ad intelligendum ordinem judiciarium, ideóque de Jure citari non possunt, neq; admittuntur ad agendum vel defendendum se in judicio, neque in tali materia tenentur per Procuratorem comparere, cum sit res concernens interna & conscientiam ipsorum.

§.3. Quamvis probabile sit impuberes non incurre- 42
re censuras alias à Jure vel homine latas, uti cum *multis* habent Tamb. supr. Castr. *n.*8. Delb. suprà, Krim. *n.*1662. Oppositum tamen etiam est valdè probabile cum Suar. Dic. *n.*232. quia ætas illa est de se capax, censuræ, uti fatetur Krim. & nullo Jure probatur esse exempta, uti patet ex textibus, quos adducit Tamb. ex quibus tantùm colligi potest, quòd non teneantur recurrere ad Papam, uti nec senes vel mulieres, quæ tamen censuras incurrunt. Imò videtur certum in praxi, & fatetur esse verum Delb. quòd quando in totum populum fertur censura interdicti, etiam obligentur impuberes, cùm & illi abstineant à divinis, ergo communis sensus est, quòd incurrant censuram interdicti, ergo & alias incurrunt, quamvis non tam facilè cùm eorum actio sæpius excusetur à peccato.

*Q.*6. *An ille incurrat censuram, qui est extra terri-* 43
torium vel diœcesin Superioris sui statuentis censuram? v. gr. si Episcopus Leo diœcesis sub excommunicatione prohibeat furtum, an eam incurrat subditus Leodiensis, si furtum committat Coloniæ? R.§.1. Notandum est, quod insinuavi *n.*3. illud esse discrimen inter statutum & sententiam, quòd statutum liget tantùm ratione territorii, in quo quis est: sententia autem, vel etiam alium specialia præcepta afficiant personam subditam ubique existentem, Suar. Delb. *c.*12. *d.*1. *s.*3. Krim. *n.*1670. hinc si prohibitio sit statutum territoriale, non ligat absentem, Cap. 2. *De constitut.* in 6. *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint sententia excommunicationis promulgatur, subditi ejus, qui furtum extra diœcesin illius committunt, minimè ligari noscantur, cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* Unde' contrarium videtur dicendum; si Episcopus per sententiam vel speciale præceptum alicubi sub alia censura prohibuisset furtum, incurreret enim illam censuram absens, quamvis contra eum extra diœcesin non posset cum strepitu forensi institui actio, Krim. *à n.* 1675. & alii apud Delb. *s.*4. *à n.*2. qui tamen *n.*1. & 8 oppositum tenet, quamvis posteà *d.*3. *s.*1. *à n.*4. item *dub.*4. *s.*1. videatur recidere in nostram sententiam.

§. 2. Ibi censetur delictum committi in ordine ad 44
incurrendam censuram, ubi exteriùs consummatur, quamvis inchoetur alibi: hinc si Cajus in hac diœcesi lethaliter vulneraverit Titium & Titius primò moriatur in alia diœcesi, Cajus non incurrit censuram in hac diœcesi speciali statuto diœcesano latam contra homicidam Suar. Laym. Dian. Krim. *n.*1674. & 1789. Delb. *d.*1. *s.*3. Quod verum est, quamvis homicidium in ista altera diœcesi etiam prohibitum esset sub eadem censura, nam hoc alterius diœcesis præcepto non ligatur Titius. Putant tamen Bartol. Bald. Abb. Suar. & alii cum Delb. *d.*4. *s.*2. *In locum loci, in quo* inchoatum est delictum, *posse* punire illud alibi consummatum, ita enim videtur colligi ex L.1. Cod. *ubi de crimine*, ne delicta maneant impunita: sed alii contradicunt, eò quòd *talis* pœna, præsertim censuræ, non puniatur inchoatio, sed consummatio.

§.3. Si Episcopus statuto generali sub censura pro- 45
hibuerit lusum aleæ, qui ludit in loco exempto intra diœcesin illam, non incurrit excommunicationem, quia non ludit in illa formaliter, diœcesi, cùm locus exemptus non subjaceat jurisdictioni Episcopi, Cap. 1. *de privil. in* 6. Henriq. Avil. Con. Hurt. Delb. *s.*4. Krim. *n.*1680.

46 §. 4. Qui fugit commisso delicto, secundùm Abb. Covarr. Laym. Krim. *num.* 1677. & alios, potest citari per nuntium vel litterras à suo Episcopo, & si contumax sit, censurari, ex Cap. *Ex tua*, De Cleric. non resid. eò quòd Episcopus sic videatur dicere Ius intra suum territorium, licèt nuntius illud extra territorium exequatur per executionem non judicialem, sed sine strepitu. Contradicunt alii multi cum Delb. *dub.* 5. qui dicunt nullam citationem fieri posse in alieno territorio, eò quòd omnis juridica citatio sit actus judicialis fori contentiosi. Quòd si in delicto manifesto nulla citatione opus esset, dixi *n.* 23. Episcopum posse ferre censuram in subditum suum in alia diœcesi existentem.

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri censura.

47 RESP. Ob solum peccatum externum, censuræ proportionarum, & conjunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v.g. Prælati vel communitatis; (non tamen hominis privati) alias requiritur proprium. Bon. *d.* 1. *qu.* 1. *p.* 3. *Unde resolves*,

I. Non possunt censurari infantes vel amentes, qui non peccant. Bon *p.* 4. Lay. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 3. ex S. Th. Suar. &c.

II. Etsi ob peccatum veniale interdùm ferri possit levis suspensio vel leve interdictum, excommunicatio tamen major, suspensio gravis, & interdictum personale speciale (quidquid sit de generali) non potest ferri, nisi ob culpam mortalem, quia alioqui pœna non esset proportionata culpæ. Imò cùm sint pœnæ medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed quibusdam tantùm, ne censuræ contemnantur, ut monet Trid.

III. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantùm quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non excommunicatur leviter percutiens Clericum, etsi intentionem moralem habuisset; uti nec qui interiùs tantùm est lapsus in hæresin, quam exteriùs non significavit, quia Ecclesia tantùm judicat de externis, Bonac. *l. c.*

IV. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus, & consummatus, nisi expressè aliud sonent verba legis, quia pœnæ, & odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem homicidæ non incurrit favens, mandans, consulens, juvans, nec vulnerans lethaliter, nisi mors sequatur. item quando excommunicatur mandans, consulens, &c. vel ferens suffragium pro indigno, subintellige, efficaciter seu effectu secuto, quia sine eo mandatum, consilium, & suffragium non est completum, & perfectum in genere homicidii, furti, &c. Alii tamen attendendum esse putant, utrùm in mandantes, consulentes, &c. principaliter & per se feratur excommunicatio, an verò accessoriè tantùm; & dicunt priore casu esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus, non item in posteriore. Quæ sententia in praxi est tutior, Bon. *l. c.*

V. Quidquid excusat à peccato mortali, excusat etiam à gravi censura, v.g. materiæ parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiæ, & deliberationis, ignorantia invincibilis; sive ea sit facti, v.g. si nescias, quem percutis, esse Clericum; sive Juris, utsi scias esse Clericum, teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussionem illam sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio, quia non es contumax.

Dixi, *invincibilis*: quia ignorantia culpabilis & crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus v.g. qui hoc fecerit scienter, consultò, qui præsumpserit ausu temerario violare, (quæ verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt strictè) talis autem non potest dici temerariè præsumere, nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum includens, Escob. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 37. Sanch. *de Matr. l.* 9. *d.* 32. *n.* 31.

VI. Non incurritur censura ob peccatum soli naturali, vel divino Juri repugnans, sed requiritur præceptum Ecclesiæ, quod contumaciter violetur. Item, nec ob peccatum merè præteritum potest censura infligi ab homine, nisi aliquo modo pendeat in futurum ratione scandali vel restitutionis non factæ vel perseverantiæ in peccato post monitionem, quia adest contumacia. Nec refert, quòd quis ob peccatum præteritum, vel etiam sine peccato (modò justa causa subsit) possit ad tempus arceri ab aliorum consortio, altari, Communione, &c. ut subinde fit in Religionibus, & in Jure etiam vocatur excommunicatio vel suspensio, sed latè; quia non est censura propriè dicta, cujus violatio inducat irregularitatem, sed simplex tantùm pœna, Fill. *tr.* 11. *n.* 186.

VII. Non incurrit censuram, qui legem transgreditur ex gravi metu, licèt quandoque non excusetur à gravi culpa, quia non censetur contumax, Laym. *c.* 5. *n.* 9. Bonac. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. ex Suar. Kon. &c.

VIII. Censura invalida est triplici capite;

Primò, ob defectum ferentis, si scilicet careat jurisdictione, vel etiam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua v. Laym.

Secundo, si substantialis ordo judicii prætereatur, ut si reus non citetur nec moneatur sub comminatione censuræ. Ratio quia non est contumax, qui ante non fuit monitus de præcepto, & pœna annexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata per sententiam particularem, quia quæ fertur à Jure vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione, cùm lex aut sententia seipsa satis moneat. Idem est de sententia non illativa censuræ, sed declaratoria tantùm, quia absq; alia monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat.

Porrò ut censura sit licita, requiritur. 1. Ut dicta monitio sit Canonica, id est, trina, juxta Canones; etsi aliquando ex justa causa sufficiat una tribus æquivalens, v.g. moneo te semel pro tribus vicibus. 2. Ut ex scripto recitetur. 3. Ut causa censuræ exprimatur. 4. Ut reo petenti exemplum scripturæ, intra mensem tradatur: alioquin Judex ipse suspenditur à divinis officiis. Fill. *tr.* 11. *c.* 4.

Tertio, ob defectum justæ causæ. Hæc autem deficere potest tripliciter. 1. Si nec à parte rei, nec secundùm allegationes fori externi subsistat. 2. Si à parte rei crimen substat quidem non tamen in ordine ad judicium, quia reus de eo non confitetur, nec legitimè de eo convincitur. 3. Si à parte rei non subsistat crimen, etsi juridicè probetur, ideóque titulum seu causam præsumptam habeat Judex. In quo casu etsi sententia à parte rei sit injusta, ideóque probabiliùs censura non liget in foro conscientiæ, in foro tamen externo servari debet, propter scandalum. V. Laym. *c.* 6.

ADENDA.

Quæst. 7. *Quid addendum sit circa actum, quo incurritur censura?* R. §. 1. Quamvis actus nullo teste ut factus, per illum tamen incurritur censura, si verè sit externus, licèt per accidens sit occultus, cum communi Dic. *d.* 2. *n.* 75. Si qui tamen, v.g. hæresin 48

internam manifestet, vel in Confessione, vel etiam extra eam ad petendum consilium, per illam sic manifestatam non incurritur censura, uti pluribus dictum est *l.6.p.2.à n.*1649. ubi explicavi, quandonam peccatum internum censeatur prodire in actum externum. Et conformiter ad dicta ibid.*n.*1653. dicendum est hic cum Krim.*n.*1785.si quis internè consentiens in hæresin, externè dicat, *ita est*, vel percutiat mensam, per hoc non censeri hæresin esse externè manifestatam, quia tò *ita est*, aut percussio mensæ, est aliquid planè indifferens ad manifestationem *hæresis.*

49 §.2. Si censura sit lata *contra non observantem* aliquod præceptum, *qui* externè tantùm, & fictè illud observat non autem internè, si actus internus requiratur ad substantiam rei præceptæ, incurrit censuram quia non ponit rem præceptam; è contrà si actus internus non spectet ad substantiam rei præceptæ, non incurrit, quia ponit rem præceptam; hinc qui externè tantùm audit Missam sine ulla intentione audiendi, incurrit censuram latam contra negligentes Missam, quia intentio audiendi spectat ad substantiam Missæ præceptæ secundùm dicta *l.1.n.*694. è contra qui externè tantùm jejunat sine intentione jejunandi, non incurrit censuram latam contra non jejunantes, quia intentio jejunandi non spectat ad substantiam jejunii præcepti, secundùm dicta *l.1.à n.*695.

50 §.3. Quando levibus præceptis adduntur censuræ, non sunt propriè censuræ, sed comminationes ad terrorem, unde etiam quando Superior sub excommunicatione præcipit rem, & absolutè, & etiam ex circumstantiis levem, transgressio non ideò fit mortalis. In dubio autem, an præceptum sit leve an grave, standum est judicio Superioris: sed si utrumque sit probabile, nempe & quòd sit grave & quòd sit leve, censeri potest leve, quia possessio est pro libertate, uti cum aliis Dicast. *num.*202.208. 211. Potest tamen restitutio levium per venialia tantùm ablatorum, si nunc simul faciant materiam gravem, præcipi sub excommunicatione, quia retentio eorum est mortalis.

51 §. 4. Si delictum, v. g. furtum prohibitum sit sub censura, hæc non incurritur, si furtum sit leve, quamvis ex eo sequatur grave damnum, quia furtum prohibetur in se, ergo ut subjaceat censuræ, debet in suaratione furti habere malitiam gravem, Bon. Fill. Nav. Vasq. Reb. aliique cum Fenech. in floribus casuum in additamento *n.* 61. rectè autem notat Lugo *de just. d.*8.*n.*22. si furatus sit rem gravem, quamvis mutata voluntate statim restituat, ita ut grave damnum domino non sit passum, incurri censuram, non quia grave sit domino carere re sua per ejusmodi brevissimum tempus, sed quia grave est carere cum tanto periculo retentionis, hinc ablatio illa erat injuria gravis, non tantùm effectivè, qualis est, si fureris nummum putans esse aureum, sed etiam affectivè in primo fieri, quia grave damnum patitur, qui privatur pro tunc re sua, & potentia recuperandi, subitque periculum magnum non recuperandi.

52 §.5. Si quis, v. g. furetur solidum ex intentione per similia furta colligendi, ducatum, singulis furtis de se levibus peccat mortaliter, sed non ideò incurrit censuram vel reservationem impositam gravi furto, quia non est furtum externum grave in se, sed tantùm ex intentione interna, Vasq. Lugo *de p.d.*16.*n.*36.

53 §.6. Si mors quomodocunque etiam per miraculum non sequatur, qui lethaliter vulneravit, non incurrit censuram impositam homicidæ, quia quamvis posuerit actionem occisivam, reipsa non occidit: si tamen vulneravit etiam non lethaliter, & læsus propter vulnus illud accedente alia causa accidentali moriatur, incurret irregularitatem, quia hæc imposita est etiam dantì causam vel occasionem homicidio, ita cum aliis Dicast. *de censur.d.*2.*n.*127.

§.7. Si lethaliter vulneratus priùs post triduum moriatur, & qui vulneravit interea doleat, confiteatur, & absolvatur, Lugo *de pœn.d.*16.*n.*453 Avers. *de pœn. q.*10. *s.*2. Dic. Bosco *de pœn. d.*7. *s.*11. *n.*150. dicunt adhuc incurri censuram propter peccatum præteritum posita conditione effectus secuti, & quidem certum videtur, secundùm dicta *l.1.n.*618. & posteà dicenda quòd incurratur irregularitas aliæque pœnæ extra censuras, ad illas enim incurrendas non requiritur contumacia, cùm sint pœnæ purè vindicativæ criminis præteriti, uti rectè Dicast. *de juram.d.*2.*n.* 274. Bosco suprà, probatque ex Jure Tann. *de pecc.d.*4.*q.*3.*n.*52. Castr. *tr.*2.*d.*1 *pu.*3. *n.*2. Vviggers apud Bosco *n.*131. Hurt Oviedo, Krim. *n.*1702. & 2492 Del. *c.*2.*d.*8 *s.*10. probabile esse non incurri censuras, nisi pro foro externo tantùm, quia in foro interno feruntur tantùm in inobedientes, & contumaces, qualis non est, qui crimen retractavit, sed respondent alii inobedientiam & contumaciam sufficientem esse illam, quæ continetur in ipso opere lethalis vulnerationis, quam Jus prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ, si mors sequatur, & hæc sententia videtur probabilior, quam etiam defendit Bosco *suprà.* 54

§.8. Qui se inebriat intendens vel prævidens homicidium a se in ebrietate causandum, si causetur, secundùm Gl. Palud. Sylv. & alios incurrit censuram homicidio annexam, quia est plenè voluntarium in causa, & secutum in ebrietate est tantùm velut conditio, quæ non requirit libertatem, uti nec mors post vulnerationem sine libertate, imò & post retractationem secuta, secundùm dicta *n.*54. 55

§.9. Quandoque censura imponitur *propter contemptum*, sive faciendi aliquid *per contemptum*, pro quo notat Sperell. *dec.*113. contemptum multipliciter fieri posse. 1. Virtualiter, & dicitur materialis, qui includitur in omni transgressione legis. 2. Interpretativè, si adsit consuetudo, & intentio continuandi transgressiones. 3. Secundùm quid, si quis in universum velit subjici legi, Superiori, attamen non hic, & nunc in re levi. 4. Indirectè, si non sit contemptus legis vel Prælati, sed tantùm executionis rei, quæ præcipitur. 5. Formaliter & directè, si quis legem transgrediatur, quia voluntas ejus renuit subjici ordinationi ipsiusmet legis vel Superioris, ita ut ideò, quia renuit subjici: procedat ad transgressionem, uti notat S. Th. 2.2. *q.*186. *à* 9. *ad* 3. pluribus explicavi *l.*5. *à n.*237. Notat etiam Pign. *t.*5. *cons.*8. *n.*2. contemptum dici negativum, si quis de re aliqua nullam curam habeat, ei tamen nullam inferat injuriam: è contrà tum esse positivum, si addat aliquem actum injuriæ vel irreverentiæ verbis aut facto ipso: & de hac etiam dixi *l.*5. *n.*238. Ad incurrendam autem censuram tali modo impositam, requiritur contemptus positivus, & formalis legis, uti habet communis cum Sperel. *sup.* 56

Q. 8. *Quid dicendum sit de mandante, consulente, cooperante?* R. §.1. Censura, quæ fertur contra *facientes* vel *committentes* aliquod delictum, non cadit super mandantes vel consulentes, nisi id exprimatur in lege, vel lex alioqui redderetur inutilis, cùm enim hæ leges odiosæ sint, extendendæ non sunt, Sanch. Con. Ac il. Hurt. Pellizz. Castrop. *d.*1. *p.*7. *n.*21. Pign. *tom.*9. *cons.*11. *n.*2. Krim. *n.*1694. contra Sylv. Rosell. Leandr. *N* [illegible], quod is qui mandat, *moraliter* faciat & committat, *non* quamvis moraliter faciat in ordine ad peccatum, non tamen in ordine ad pœnam censuræ, quia in pœnalibus benignior interpretatio est sequenda, secundùm dicta *l.*1. *n.*596. & 826. 57

Objic. Facientem & mandantem par pœna constringit, Cap. Nuper, de sent. excomm. R. Hoc esse, quando lex ista statuit: de cætero, sensus legis est,

in hoc esse pares, quòd uterque mereatur pœnam, quamvis non semper eandem.

58 §. 2. Si verba sic habeant, *incurret talem censuram, qui per se vel per alium hoc fecerit*, comprehenduntur mandantes & dantes pecuniam eo fine, ut fiat, consulens tamen non comprehenditur, quamvis tum comprehendatur, si dicatur, *quomodocunque quis fuerit causa, si quis fuerit causa, &c.* in dubio autem, an quis comprehendatur necne, judicandum est non comprehendi, quia materia est odiosa, ita cum aliis Dicast. *d. n.* 229.

59 §. 3. Censura tum fertur tantùm accessoriè in mandantem vel consulentem, si in lege exprimatur etiam mandans vel consulens; attamen ita, ut lex non respiciat præcisè mandatum vel consilium, sed potius ipsam rem seu effectum, v.g. homicidium, quod quia vult impediri, ideò etiam *indirectè* prohibet mandari vel consuli. E contrà tum *principaliter* fertur etiam in ipsum mandantem vel consulentem, si velit impediri non tantùm ipsum effectum, sed etiam directè in se, & ratione sui ipsummet mandatum, & consilium.

60 §. 4. Si censura feratur principaliter in mandantem vel consulentem, incurritur, quamvis mandatum, & consilium revocetur, nec sequatur effectus, quia posita jam est actio in se, & ratione sui vetita sub censura, Gibal. Krim. *n.* 1684.

61 §. 5. Si censura accessoriè tantùm feratur in mandantem, & hic revocarit mandatum, eaque revocatio innotuerit mandatario ante effectum patratum, quamvis postea patretur effectus, mandans non incurrit censuram, quia non est causa moralis effectus secuti, Diana, Gibal. & Krim. *n.* 1698. Si autem de mandato doluerit, & revocarit, sed revocatio non innotuerit; docent multi cum Dicast. *d.* 1. *à n.* 290. *& d.* 2. *n.* 344. quòd censuram incurrat, etiamsi tunc fortè esset in statu gratiæ; quia sufficit commissam esse culpam, ex vi cujus sequitur talis effectus. Attamen Innoc. III. Hurt. & Krim. *n.* 1699. dicunt non incurrere, quia non est in actuali contumacia, dum censuram incurrere deberet, censura autem non incurritur sine actuali contumacia: sed secundùm dicta *n.* 54. videtur satis esse, quòd fuerit contumacia in ipso opere mandati ab ipso facti.

62 §. 6. Si censura accessoriè tantùm feratur in consulentem, & hic revocarit consilium, loquendo conformiter ad dicta *l.* 3. *p.* 2. *n.* 28. est probabilius, quòd tum adhuc incurrat censuram effectu secuto, quando suo consilio talem rationem addidit moventem ad agendum, quæ consilio etiam revocato pergebit movere exequentem, hoc enim casu consilium ejus, quamvis sit revocatum manet moraliter in motivo illo suggesto, & pergit esse causa moralis effectus secuti: aliud est in mandato, nam ratio agendi hìc est purum mandatum, quod quando revocatur, desiit esse, in consilio manet ratio suggesta, quæ est ratio agendi, si tamen ostendatur, quòd ratio suggesta sit falsa, tum idem erit, quod dictum est de mandato, & non incurretur censura. Quòd si dehortatus fuisset, quantum potest, probabile est non incursurum censuram, probabilius tamen adhuc est oppositum, quia ratio ab ipso suggesta pergit movere, ergo ipsius consilium manet causa moralis effectus secuti, ita Dicast. *d.* 1. *à num.* 293.

63 §. 7. Si Confessarius mandaverit Reo, ut delictum suum, quod non tenebatur, manifestet Judici, & ideò puniatur morte, docet Krim. *n.* 1706. Confessarium incurrere censuram latam contra accessoriè mandantes homicidium, quia hæc mors per se sequitur ex illo mandato, quod Confessario erat mortaliter illicitum. Oppositum credo esse probabilius, nam licèt fuerit causa injusta mortis, tamen non mandavit eam inferri, ergo in rigore non fuit mandans homicidium, hìc autem in odiosis non est facienda extensio.

§. 8. Si mandasti vel consuluisti hoc, quod licèt tu 64
non mandasses, vel consuluisses, alius tamen mandasset vel consuluisset, cadis in censuram latam contra mandantes, vel consulentes, quia tu prior fuisti causa effectus illius, ergo tu prior incurris censuram, quam alius incurrisset, Dicast. *n.* 298.

§. 9. Si mandasti, vel consuluisti hoc, quod nihilo- 65
minus sine tuo vel alterius mandato, aut consilio erat ponendum ab executore ad hoc determinato, probabile est te non incurrisse censuram, quia effectus jam independenter à te habebat suam causam, Gibal. Krim. *n.* 1704. Si autem promovisti, ut saltem celerius, vel promptius fieret, conformiter ad dicta *l.* 3. *p.* 2. *n.* 29. etiam probabile est cum *P. Nav. Mol. Vasq.* te incurrisse, quia verè attigisti positionem effectus, & sic concurrendo ad circumstantiam attigisti etiam substantiam: sed etiam probabile est te non incurrisse, quia non videris attigisse substantiam, sed tantum modum, ut celeriùs & promptius fieret, quod nihilominus ex præsente dispositione executoris erat ponendum, ita cum aliis Dicast. *n.* 300. & Delb. *c.* 2. *d.* 8. *f.* 13.

§. 10. Si dubium sit, an effectus, qui est secutus, 66
fuisset secuturus sine meo mandato vel consilio, v. gr. an Titius fuisset occisurus, si ego non suasissem, multi dicunt, me posse præsumere, quòd non incurrerim censuram, quia libertas mea est in possessione, sed oppositum est probabilius, quia delicta non præsumuntur, ergo præsumere non debeo, quòd Titius ex sua malitia fuisset positurus effectum, ergo ex facto præsumi debet, quòd occisio sit secuta ex meo mandato, vel consilio, Sperell. *dec.* 77. *n.* 40. Sanch. *de Matr. l.* 2. *d.* 41. *n.* 17. Dicast. *n.* 302. Si tamen Titius fuisset capitalis hostis occisi, vel antecedenter mortem minatus, vel machinatus, rectè præsumeretur occisionem fuisse secuturam sine me, ideóque posse me judicari immunem à censura.

Q. 9. *Quid notandum sit circa dum, quo feruntur* 67
censuræ? R. §. 1. Censuræ ferri possunt sub conditione, v. g. *si non solveris intra mensem, si tale peccatum commiseris*, Cap. *Præterea* 40. *de appell.* Et quando Cap. *Romana* 5. *de sent. excom. in* 6. prohibetur, ne fiat, intelligitur tum non licere, quando non est justa causa, quæ plerumque erit, ideóque addi debet causa, cur sic feratur, deinde prohibitionem illam esse consuetudine contraria abrogatam putant Fill. Pelliz. *de Regul. t.* 7. *c.* 1. *n.* 74. Krim. *n.* 1752. An autem talis censura incurratur, si Judex ante impletam conditionem moriatur, aut ille, cui præcipiebatur, ante impletam conditionem excedat è territorio Judicis, dicam *num.* 103. *& 104.*

§. 2. Sylv. Nav. Sayr. Henriq. Ugol. Vasq. Gordonus, 68
Krim. *n.* 1746. dicunt censuram sub disjunctione latam non valere, v. g. si dicatur, *præcipio tibi hoc sub pœna excommunicationis, vel suspensionis*, quia hæc verba nihil determinatè significant, ergo etiam nihil determinatè efficiunt: è contrà Suar. Bonac. Filliuc. aliique cum Pelliz. *n.* 72. dicunt esse quidem soli Papæ licitam, semper tamen valere, à quocunque sic feratur, quia est determinata confusè, & determinabitur magis per electionem censurati, uti Confessarii sæpè imponunt hoc vel illud pro pœnitentia, prout pœnitens voluerit eligere, ita & hic ligabitur illa censura, quam præeliget. Quòd si neutram eligat, ligabitur utraque, hæc enim debet esse mens ferentis, ut eludere non possit pœnam, adeóque ut unam eligat, vel teneatur utraque.

§. 3. Censura indeterminatè lata in unum è duo- 69
bus, invalida est, quia nihil operatur, cùm non habeat determinatum subjectum, in quo cadat, Suar. & alii cum Krim. *n.* 1748.

§. 4. Censura, quæ fertur ab homine per modum 70
sententiæ, debet, per se loquendo, nisi ferens sit

privi-

privilegiatus, in scripto ferri, & à Judice ipso proferri, expressa illius causa: Esset tamen valida sine scripto, Fill. Bon. Leand. Dic. *d.* 2. *à n.* 231. Krim. *à n.* 1731. Cap. *Cùm medicinalis* 1. *de sent. excomm. in* 6. sic habet: *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur, exemplum verò hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus.* ∴ ∴ *Si quis autem Judicum hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis noverit se suspensum* ∴ ∴ *Et hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententiis volumus observari:* talis tamen censura generaliter lata non tangit Episcopos secundùm dicta *n.* 34. Estque præterea notandum, quòd Prælati Mendicantium, aut uti habet Pelliz. *n.* 75. Regularium, habent privilegium ferendi excommunicationem solo verbo, non scripto. Notat etiam Sperell. *dec.* 39. *à n.* 50. Canone illo obligari solos Superiores Episcopo inferiores, nec obligari denuntiantes, præmonentes ut caveatur censura, sed solos censurantes. Satis autem est scribi per alium, & subscribi à Judice, ac per alium coram, & nomine Judicis legi, uti habent AA. cum Sperel. *à n.* 1. *qui à n.* 22. & 41. infert Judicem ferentem sine scripto sæpè excusari, 1. Si alicubi sit contrarius stylus. 2. Si adsit ignorantia, & absit dolus. 3. Si sententia non sit pura, sed v. g. conditionalis, *nisi solverit intra tres dies.* 4. Si sententia effectum non habuerit. 5. Si scripto fieri non possit, & sit periculum in mora, &c. Videri possunt plura apud Pignat. *to.* 6. *conf.* 19. *à n.* 29.

71 §. 5. Si causa de cætero subsit, & censura à Superiore invito feratur ex metu cadente in virum constantem, probabilius est cum Castr. *d.* 1. *p.* 5. *n.* 2. & Krim. *n.* 1646. valere, quia quæ per metum geruntur, Jure naturæ valent, cùm metus relinquat voluntarium, nec rescitur, quòd Jus positivum rescindat sententiam censuræ, uti quòd absolutionem à censura metu extortam rescindat, scimus ex *cap. un. De his quæ vi*, quia nempe hoc postremum erat magis in favorem potestatis Ecclesiasticæ. Krim. *n.* 1647.

72 *Q.* 10. *Quid notandum sit circa prærequisita, ante quam feratur vel incurratur censura?* R. §. 1. Lentè procedendum est in censuris secundùm Trid. relatum *num.* 18. & priùs tentanda alia media, Barrol. Felin. Pignat. *tom.* 6. *conf.* 19. *n.* 22. ac ordinariè præmittendæ monitiones tres cum intervallo aliquot dierum, uti colligitur ex illis, quæ adducit Sperell. *dec.* 160. *à n.* 1. tamen idem rectè ostendit *à n.* 16. & pluribus *dec.* 28. *à n.* 52. quando agitur de reprimenda violentia & turbatione actuali jurisdictionis exercendæ, non esse opus istis monitionibus, dummodo detur breve tempus, intra quod contumax citatus parere possit, & à violentia desistere. Et eadem firmat Pign. *to.* 1. *conf.* 170. *num.* 9.

73 §. 2. Ut incurratur censura ipso facto à Jure lata, aut etiam ab homine per sententiam generalem, & publicam circa delicta futura, non prærequiritur ulla monitio, quia Jus, & statutum censuram imponens, cùm sit publicum, & permanens, semper manere intelligitur, uti rectè Busemb. Delb. *c.* 2. *d.* 4. *sect.* 22. Engel. *l.* 5. *t.* 39. *n.* 8. Quòd si censura feratur ab homine ob culpam commissam, ut censeatur contumax, prærequiritur monitio ad instantiam partis læsæ, & authoritate ejus, qui censuram ferret, facta personaliter ipsimet censurando coram testibus, aut si dolosè lateat, in ejus domo vel Ecclesia, aliove loco publico, eaque trina & in scripto, additis causis, & concessis debitis intervallis, v. g. duorum saltem dierum, ita De Luca *de Benef. disc.* 60. *n.* 7. Pignat. *to.* 6. *conf.* 19. *n.* 4. urgente tamen causa licitè ferretur, si præcesserit una monitio sine solito intervallo, & quamvis causa non sit urgens dummodo præcedat una monitio, & morale intervallum pro explenda actione præcepta, aut pro vitanda prohibita, censura adhuc erit valida. Quòd si omittatur omnis monitio, probabile est contra Pign. *à n.* 6. Pell. *t.* 7. *c.* 1. *n.* 78. non fore validam, quia non erit medicinalis; debet autem illi monitioni annecti censura, non ferendæ sed latæ sententiæ, Dic. *d.* 2. *d.* 20. & Castr. *d.* 1. *p.* 5. *ubi n.* 5. notat, quòd suspensio, & interdictum quando feruntur, non ut censuræ, sed ut pœnæ & vindictæ, tum monitionem præviam non requirant, & idem habet Pelliz. *supr. n.* 80. ubi *n.* 78. dixit, quòd quando non tantùm peccatum, sed & contumacia est notoria, etiam non prærequiratur monitio, addit autem *n.* 79. Prælatos regulares communiter non egere tali prænonitione. Videri possunt Delb. *supr.* & Krim. *à n.* 1712.

§. 3. Quamvis lex tulerit censuram ipso facto, nec prærequisita fuerit ulla monitio, prærequiritur tamen citatio censurati, uti paulò post dicetur. Nequit autem ferri excommunicatio ex indiciis etiam indubitatis, sed requiritur certa, plena & concludens probatio, Fill. Sperell. Pignat. *T.* 9. *conf.* 11. *n.* 5. 74

Q. 11. *Quid notandum sit circa denuntiationem censuræ?* R. §. 1 Denuntiatio est executio & publicatio censuræ, facta ab eo, qui censuram tulit, *cap. Curiæ*, 11. *q.* 3. *cap. Pervenit* 1. *& cap. Pastoralis §. Verum, de appell. cap. Parochianos, & cap. Conquesti, de sent. excom.* Hæc autem denuntiatio intelligitur de censura lata in particularem personam à Judice post canonicam monitionem. Krim. *a n.* 1765. 75

§. 2. Ante denuntiationem, v. g. excommunicationis incursæ reus citari & audiri debet, aliàs denuntiatio nulla est, *Clement. Sæpè de verb. signif.* Nav. *Man. c.* 22. *nu.* 10. *& l.* 5. *conf. de sent. excommun. conf.* 20. *n.* 20. Cov. *in cap. Alma mater concl.* 2. *de cons.* de Luca *de Benef. disc.* 60. *n.* 7. Menoch. *casu* 541. *n.* 7. *& casu* 543. *n.* 27. 28. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 61. Suar. Castr. *d.* 1. *p.* 9. 12. Pirrh. *l.* 2. *tit.* 29. *s.* 3. §. 4. Dicast. *d.* 2. *n.* 274. Sperell. *dec.* 48. Pignat. *T.* 9. *conf.* 49. *& T.* 6. *conf.* 18. *à n.* 48. *&* 68. Et si reus se correctum, & submissum ostendat, purgat contumaciam, nec procedi potest ad denuntiationem censuræ, Suar. Gibal. Krim. *n.* 1770. 76

§. 3. Pœnæ medicinales, quæ secum ferunt executionem, & ipso facto incurruntur, non prærequirunt sententiam declaratoriam delicti: aliæ tamen pœnæ Ecclesiasticæ, quales sunt privatio officiorum, privatio vocis activæ, & passivæ, inhabilitas ad officia, confiscatio bonorum, non obligant ante sententiam declaratoriam, quamvis ferantur sub his clausulis: *ipso facto, ipso Jure, nulla Judicis expectata sententia, ante omnem declarationem:* nimis enim durum foret obligari ad tales pœnas in se exequendas. Itaque per clausulas illas tantùm intelligitur, quòd incurratur pœna sine alio ministerio Judicis, & absque nova sententia condemnatoria, & præterea talis clausula hoc operatur, ut posteà secuta declaratione criminis retrotrahantur pœnæ usque ad punctum commissi criminis, ut putant Pasq. Dian. Pellis. *t.* 7. *c.* 1. *n.* 66. Addunt Less. Barb. Strenius, Krim. *n.* 1929. per verba illa, *absque alia declaratione*, intelligi de declaratione pœnæ incursæ, at tamen requiri adhuc declarationem criminis commissi; ideóque etiam, ut quis censeatur suspectus de hæresi, & citari possit ad se purgandum, requiritur declaratio misordescentiæ per annum. Si tamen imposita sit aliqua inhabilitas, quæ consurgit ex actione, uti est v. g. irregularitas, tum non requiritur declaratio, quia licet etiam sit pœna, principaliter tamen est inhabilitas, & lex potiùs declarat inhabilem quàm punit, ut proindè non sit propriè lex punitiva, licet ex ipsa sequatur aliqua pœna. 77

§. 4. Quamvis excommunicatio regulariter ferri non possit ab homine ob culpam præteritam, quia, 78

ut incurratur, requiritur actualis contumacia, si tamen à Jure lata fuerit, & ab antecedenter contumace incursa, potest ejus declaratio fieri etiam post delictum, uti plerique tenent cum Suar. & consentit Sperell. *dec.* 160. *à n.* 44. saltem tum, si ille, qui deliquit, non recedat ab audacia vel contumacia.

79 §. 5. Si certum sit aliquem incidisse in censuram, Judex potest eum declarare, sed non tenetur. Nominatim tamen excommunicatos, uti & manifestos Clerici percussores tenetur denuntiare.

80 §. 6. Si judex sciat Titium pro foro interno esse absolutum à censura, docent Henr. *l.* 7. *de Indulg. c.* 13. *n.* 2. *& l.* 14. *de irreg. c. ult. n.* 1. Decius *cons.* 139. *n.* 3. Felin. *d cap. His, de accus. n.* 7. non esse pro foro externo puniendum. Et quoad impedimentum Matrimonii, si sciatur esse dispensatum, & nemo illud denuntiet, similiter locutus sum *l.* 6. *p.* 3. *n.* 872. cum Sanc. *l.* 3. *d.* 15. *à n.* 13.

81 §. 7. Denuntiatio fit publicè in Ecclesiis, & postea in scriptis affigitur ad portas Ecclesiarum cum expressione causæ. In solemni anathemate adhibentur plures cæremoniæ, de quibus dixi *n.* 26. possuntque plura videri apud Suar. *disp.* 3. *sect.* 14.

82 §. 8. Circa denuntiationem aliam censurati sive accusationem illius, qui commisit crimen, cui annexa est censura, videri potest Delb. *c.* 2. *d.* 8. *f.* 17. *&* 18. qui contra alios docet sæpè esse obligationem denuntiandi, quamvis crimen probare non possis, & quamvis lex prohibens fundetur in præsumptione, quæ hic & nunc absit, quòd præcipuè valet circa crimen hæresis, & similia bono publico fidei, vel religionis opposita.

83 *Q.* 12. *Quid notandum sit de censura injusta?* R. §. 1. Censura ligat, quamvis sit injusta extrinsecè, id est, quando fertur ab eo quidem, qui habet jurisdictionem, & cum sufficiente causa, & servato essentiali ordine Juris, nihilominus fertur ex mala intentione, v. g. ex odio, vel modo malo, uti si negligatur accidentalis ordo Juris, qualis est, si non præmittatur trina monitio cum suis intervallis, S. Th. *in suppl. q.* 21. *a.* 4. *O.* Dicast. *d.* 1. *n.* 323. Quomodo autem sententia censuræ sæpè sit non tantùm injusta sed etiam nulla, v. g. ob præcipitantiam Judicis, qui nec citationem sufficientem nec debitum tempus defensionis reliquit, videri potest pluribus apud Pignat. *to.* 6. *cons.* 30. Notabiles autem differentias inter sententiam censuræ nullam, & injustam, latè prosequitur *ibid. cons.* 19. *à n.* 37. & præcipuè sunt, 1. quòd allegans excommunicationem esse nullam, audiatur, licèt non petat absolutionem: allegans autem esse injustam, non auditur, nisi petita, & præmissa saltem ad cautelam absolutione, 2. Injustitia allegata habet tantùm effectum devolutivum, non suspensivum: nullitas habet etiam suspensivum. Si tamen Episcopus declaraverit aliquem esse excommunicatum, poterit à tali declaratione appellare, & appellationem prosequi, absque eo, quòd priùs petat absolutionem, quia non petitur litigium super justitia vel injustitia excommunicationis, sed solum super facto, eò quòd neget delictum à se commissum, ob quod poterit ferri excommunicatio, Pign. *supr. n.* 47. *& to.* 9. *cons.* 160. *à num.* 13.

84 §. 2. Si in foro externo tales affectantur probationes, ut causa putetur esse justa, & sufficiens, quæ tamen re verà non subsistat, v. g. si probaretur esse conscius alicujus consilii, cujus tamen non est conscius, S. Th. Gloss. Dur. Cord. & plerique scholastici dicunt esse validam, & habere omnes effectus censuræ, quia Judex servare debet ordinem judiciarium, & hoc agendo justè agit, ergo sententia illa, quæ fertur secundùm allegata & probata, est omninò justa & valida, quamvis fortè sub sit error. Econtrà Caj. Sot Bonac. Less. Sanch. & alii probabiliùs dicunt cum Dicast. *n.* 333. Pelliz. *tr.* 7. *c.* 1. *n.* 87. Castrop. *d.* 1. *pu.* 8. *n.* 15. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 6. Krim. *n.* 1809. non esse validam pro foro conscientiæ, quia voluntas tacita ferentis censuram debet esse, ut tum tantùm vim habeat, quando causa reverà justa est, cùm lex sit actus justitiæ, ergo si non sit reipsa justa, non ligat in conscientia, sed uti causa est tantùm apparens, ita & censura erit tantùm apparens, ideóque secundùm dicenda *n.* 112. celebrans in tali censura reipsa non fiet irregularis. Et saltem rectè docent Nav. Valer. & Pignat. *to.* 10. *cons.* 122. *n.* 2. sic excommunicatum apud Deum non privari suffragiis Ecclesiæ. In hoc tamen omnes conveniunt, quòd talis censuratus ratione scandali vel saltem obedientiæ teneatur in foro externo se gerere, atque si verè esset censuratus, hoc enim postulat tum disciplina publica, tum defensio publicæ authoritatis in Superiore, quæ duo prævalere debent privatæ causæ vel particularium subditorum incommodis, ut docent S. Th. *supr. & in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiu.* 4. ac alii passim cum Laym. *suprà.* Et in tantum est verum illud *Gratiani* dictum, *sententia Pastoris seu justa seu injusta, gregi timenda est:* quod S. Th. *suprà in supplem. Sed contrà*, attribuit *S. Gregorio*, & approbat his verbis, *secundùm Greg. præcepta Pastoris sive justa sive injusta timenda sunt, non autem essent timenda, nisi aliquid nocerent etiam injusta.* Unde talis injustè censuratus indiget absolutione, ubi è contrà nulliter censuratus nulla absolutione indiget, uti constat ex *cap. Solet. de sent. excomm. in* 6. & Gloss. *ibidem.* Et hæc tenent, quamvis censuratus appellasset, si censurans cum specie probabilitatis appellationem rejecerit, & pergat. Atque etiam ideò Pignat. *tom.* 6. *cons.* 19. *n.* 39. docet ex *Can.* 1. *& can. Si Si Episcopus*, & ex *cap. A nobis de sent. excomm.* quòd excommunicatio etiam injusta liget. Ex dictis,

Inferes 1. Si collatio Beneficii facta taliter excommunicato declaretur esse nulla, debet censeri, & reipsa sit nulla, ita enim expediebat ad bonum commune, *Suar.* Similiter si alicui sub excommunicatione ita latæ sententiæ præcipiatur, ut solvat, quod reipsa non debet, sed legitimè probatur debere, si non solvat, incidit in veram excommunicationem, tunc enim antecedit causa, scilicet inobedientia, & contumacia. 85

Inferes 2. Rectè damnatas esse à *Clemente XI.* die 8. Septembris 1713 sequentes propositiones, quæ sunt Jansenistarum censuras in se ab Ecclesia latas explodentium. 91. *Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro, nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo JESU Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.* 92. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum, tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem.* 93. *JESUS quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato; JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.* 94. *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* 96. *Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.* 97. *Nimis sæpè contingit membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata, sed justus vivit ex fide,* 86

&

& non ex opinione hominum. 98. *Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem JESU Christo.* 100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos: Tempus hoc advenit ∴∴ Haberi & tractari à religionis ministris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquàm membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtrà quis sibi blanditur de suarum intentionum paritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.*

87 *Q.* 13. *An aliquis possit sæpius incurrere in eandem censuram?* Resp. §. 1. Ligatus una censura, potest sæpius ligari, si plures ponat causas, propter quas ligatur quis tali censura, etiamsi causæ essent peccata solo numero distincta, v. gr. qui tribus distinctis vicibus percutit eundem Clericum, ter incurrit excommunicationem, indiget tribus absolutionibus, vel una generali, quæ explicatis pluribus causis, & censuris cadat super omnes simul, Suar. Nav. alii communiter cum Castr. *d.* 1. *p.* 6. *n.* 5. Dicast. *d.* 1. *à n.* 267. Pelliz. *tr.* 7. *c.* 1. *n.* 67. ratio est, quia singulis causis respondet suus moraliter distinctus effectus, qui indiget tolli per plures actiones destructivas illius.

88 §. 2. Etiam probabile est, quòd possit aliquis pro eodem delicto duplici censura ejusdem rationis affici, una à Jure, altera ab homine: item una ab hoc Superiore vel Judice, altera ab alio, si enim huic & illi contumaciam ostendat, non est ratio, cur ab hoc, & illo jurisdictionem habente non possit distincta censura affici, ita Suar. Castrop. *n.* 6. Dicast. *n.* 271. Krim. *nu.* 1707. *Nec refert*, quòd censura sit veluti privatio, quæ tantùm una est, quando una forma excluditur, quamvis plures sint causæ illius exclusionis, *nam* R. quamvis privatio sit una, quando una est forma exclusa & quamvis etiam non multiplicetur physicè, quando multiplicatur causa, potest tamen multiplicari moraliter, v. g. si plura corpora opaca impediant lumen, est quidem una physicè privatio, moraliter tamen tot, quot sunt corpora opaca, quorum uno remoto necdum habetur lux, sed singula debent tolli, quia singula impediunt totam lucem; idem est de censuris. Addit rectè *Pellix.* censuram esse potius positivam pœnam, cùm se habeat per modum vinculi, potest autem quis pluribus vinculis ejusdem rationis ligari, uti patet.

89 §. 3. Si quis unico actu v. g. occidat tres Clericos, probabile est etiam incurrere triplicem excommunicationem, hic enim actus continet tres malitias, & est *n.* 274 contra Leandr. apud Krim. *n.* 1708.

90 §. 4. Si quis percutiat Religiosum, qui simul sit Diaconus, Suar. Gibal. Krim. *n.* 1709. & alii putant incurri duas excommunicationes, tum quia est diversa consecratio Religiosi, & Clerici, & una non continet alteram, tum etiam, quia à Jure pro qualibet circumstantia tam Clerici, quàm Monachi lata est excommunicatio. *Dicast.* supra non omninò assentitur, quia non videtur praxis esse, ut idcò petatur duplex dispensatio.

91 §. 2. Si quis percutiat Sacerdotem, non ideò incurrit tres censuras, unam, quia est Sudiaconus, alteram, quia Diaconus, tertiam, quia Presbyter, omnes enim hæ causæ integrant unam adæquatam & perfectiorem causam, cùm presbyterium quasi includat, aut saltem ordinariè præsupponat alios Ordines, Dicast. *supr.* Krim. *n.* 1709.

92 *Q.* 14. *Quid notandum sit circa causas excusantes ab incurrenda censura?* R. § 1. Impotentia moralis omittendi actionem prohibitam vel ponendi præceptam excusat, quominùs incurratur censura; tum autem adest illa moralis impossibilitas, quando non potest omitti vel fieri sine gravi incommodo. Quòd si aliquis jam obligatus præcepto sub censura lato prævideat se fore postea impotentem, jam sub censura tenetur prævenire, quia jam incipit, & urget obligatio usque ad illud tempus, ergo si jam non præveniat, est sufficienter contumax; ipsa tamen non incurrit censuram, nisi evoluto priùs toto tempore, intra quod tenebatur v. g. restituere, quia tum priùs externo opere consummabitur peccatum neglectæ restitutionis, ideóque si culpabiliter neglecto tempore, quo erat potens, ante tempus evolutum per casum aliquem extraordinarium fieret potens & solveret, non incurrisset censuram, Dicast. *d.* 2. *n.* 340. Si tamen alicui sub censura mandetur aliquid facere, & intra sex illos dies legitimè impediatur, sublato impedimento tenetur sub censura etiam post sex illos dies, quia hic terminus positus est, non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem.

93 §. 2. Cùm ignorantia sæpè excuset, recolendum est ex dictis *l.* 1. *n.* 701. quid & quotuplex sit ignorantia, item ex dictis *ibidem à n.* 748. quandonam censeatur vincibilis aut invincibilis, culpabilis aut inculpabilis, quibus suppositis constat ex *cap. Ut animarum De constit. in* 6. ignorantes non ligari sententiis Ordinariorum, dummodò eorum ignorantia non fuerit *crassa* aut *supina*, & quamvis sciatur peccatum esse contra legem naturalem vel divinam, si non sciatur esse contra Ecclesiasticam, non incurritur, quia tum non est contumacia in Ecclesiam, communis cum Krim. *n.* 1796. Hinc universaliter tenent AA. cum Sperell. *dec.* 39. *à n.* 25. id, quod excusat à peccato mortali, & contumacia, etiam excusare à censura. *Quæ* excusat ab hæresi formali, & consequenter à pœnis illi annexis, latè disputat Pignat. *in novissimis consult.* 197. & aliqua dixi *l.* 2. *à n.* 43. *& hic n.* 48. quandonam censeatur manifestari.

94 §. 3. Quamvis secundùm dicta *l.* 1. *à n.* 268. per se loquendo, licitum sit sequi opinionem probabilem in concursu etiam probabilioris; tamen si tibi etiam probabilius sit aliquid esse licitum vel illicitum, & Superior etiam ex opinione tantùm probabili tibi sub censura injungat oppositum, si contravenias, non excusaris à peccato, & censura, uti dixi *l.* 1. *à n.* 432. & præter ibi citatos tenent etiam Sperell. *dec.* 129. *à n.* 23. rectè inferens *à n.* 26. si causa inter Doctores vel Advocatos sit dubia, non esse reo licitum adhærere etiam probabiliori opinioni Doctorum vel suorum Advocatorum contra sententiam censuræ à Judice latam, quia semper est possessio pro authoritate & potestate Superioris. Attamen censura lata, v. g. contra invadentem bona Ecclesiæ, non ligat eum, qui facit bona fide, & cum probabili titulo, uti *habet* communis cum Covar. Caj. Suar. Bon. Pignat. *to.* 6. *cons.* 18. *à n.* 59. *to.* 9. *cons.* 11. *n.* 1. Item qui *usurpat* rem Ecclesiæ, dubitans an non sit sua, *non incurrit*, quia non *præsumit*, nec cum ista ignorantia est dolus, Pignat. *to.* 7. *cons.* 11.

95 §. 4. Si quis sciat actum *suum* esse prohibitum etiam lege Ecclesiastica, sed *nesciat* censuram ei esse annexam, Cov. *Ledesma, Clarus, Avila, Corduba.* & alii putant incurri *censuram*, quia nihilominùs est inobediens, & contumax contra præceptum Ecclesiæ, ergo non est, cur *censuram* non incurrat: deinde malefici in foro civili puniuntur pœna per leges statuta, quamvis *nesciverint* pœnam illam esse *tali* delicto statutam, ergo idem fiet in foro Ecclesiastico; præterea occidens incurrit irregularitatem, & casum reservatum,

reservatum, quamvis nesciret irregularitatem, & reservationem homicidio esse annexam, ergo etiam incurret censuram. Hæ rationes reddunt sententiam illam probabilem, nihilominùs opposita est probabilior, quam communiùs tenent AA. Sylv. Nav. Bon. Dicast. *d.* 2. *d.* 20. & 23. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 61. Burgh. *cent.* 1. *cas.* 78. Engel. *l.* 5. *t.* 39. *nu.* 10. Krim. *nn.* 1797. Delb. *c.* 2. *d.* 8. *s.* 19. Busemb. aliique, quos citavi *l.* 1. *à n.* 767. ubi rationem dedi, ex qua etiam sufficienter solvuntur, quæ hìc opposita sunt. De irregularitate dabo posteà disparitatem. De reservatione autem dedi disparitatem *l.* 6. *p.* 2. *à n.* 1607.

96 §. 5. Si pœna imponatur *his*, vel similibus verbis, *qui præsumpserit*, *qui scienter*, *qui consultò*, *qui temerè*, *qui audens*, *qui contumaciter* hoc fecerit, non incurret, etiamsi ignorantia pœnæ annexæ fuerit crassa, Nav. Covar. Sanch. *de Matr. l.* 9. *d.* 32. *n.* 36. Castrop. *tr.* 2. *d.* 1. *p.* 18. & alii communiter, quia tum requiritur vel dolus vel contemptus, vel saltem ingens temeritas, quorum nihil est sine ignorantia affectata. Imò Diana, & Burgh. *cent.* 1. *cas.* 78. putant non incurri, quamvis ignorantia fuisset affectata, & consentit *Bonac.* nisi conjuncta esset cum ingenti temeritate; sed Sanch. *n.* 40. cùm aliis absolutè dicit ignorantiam affectatam non excusare, quia potiùs auget, quàm minuit culpam. *Castrop.* tamen requirit ignorantiam talem affectatam, quæ æquivaleat scientiæ, quia talia verba videntur requirere expressam voluntatem se opponendi legi punitivæ, quæ voluntas non est sine expressa cognitione pœnæ appositæ. Videri potest Pignat. *in novissimis conf.* 197.

97 §. 6. Error quandoque excusat, quandoque non, v.g. si quis volens percutere Titium sive laicum, sive Clericum, præter intentionem percutiat Cajum Clericum, non incurrit censuram, quia non percutit voluntariè aliquem Clericum; si autem putans hunc hominem esse Titium Clericum, percutiat Cajum Clericum, Delb. *c.* 2. *d.* 4. *s.* 17. *n.* 4. & *d.* 8. *s.* 19. *n.* 2. Tamb. *in Dec. l.* 6. *c.* 4. §. 3. *n.* 29. aliique dicunt non incurrisse censuram, quia illa actio exterior non est formaliter injuriosa Titio, cùm Titium non tangat, neque Cajo, quem non cognoscit, ergo nulli Clerico, ergo non incurrit censuram annexam soli percussioni, quæ alicui Clerico sit formaliter injuriosa: *Dicast.* dicit, tum tamen incurrere, si habuerit voluntatem saltem virtualem percutiendi eum, quem videt, sive sit Titius Clericus, sive Cajus. E contrà communior & probabilior opinio est aliorum, qui dicunt incurrere censuram, quia voluntariè percutit aliquem Clericum, estque hæc intentio, & actio injuriosa statui Clericali. Neque excusat error in hac persona, hoc enim non obstante, vult percutere & reipsa percutit Clericum, quamvis alium quàm putet, ergo incurrit censuram, quia Ecclesia prohibet percuti Clericum, quicunque ille sit, ita Cov. Vega, Sanc. *de Matr. l.* 9. *d.* 32. *n.* 27. Laym. Barb. Steph. *r.* 5. *a.* 5. *n.* 264. Burgh. *cent.* 2. *cas.* 61. Schild. *t.* 1. *n.* 17.

98 §. 7. Gravis metus, quamvis à peccato non excuset, attamen aliquando excusat ab incursione censuræ, uti si quis metu mortis adigatur ad injustè percutiendum Clericum, ad Matrimonium contrahendum, & consummandum cum consanguinea, quia talis non censetur contumax, nec delinquit ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis, sed ex mera infirmitate naturæ, ergo non incurrit censuram præcepto humano annexam tali peccato, talia enim præcepta humana non obligant cum tanto incommodo, Nav. Suar. Con. Castr. *loc. d.* 1. *p.* 8. *n.* 10. Dic. *d.* 2. *n.* 346. 433. Delb. *c.* 2. *d.* 4. *s.* 23. contra Salas, Sanch. & alios. Dixi, *aliquando*, nam si metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ vel Religionis, non excusat ab incurrenda censura, quia Ecclesia pergit in tali casu prohibere tale factum, ergo qui illud patrat, non tantum peccat contra Jus naturale, & divinum, sed etiam contra Ecclesiasticum, ergo non evadit pœnam transgressioni præcepti Ecclesiastici impositam, Suar. Con. Bonac. Fill. *tr.* 11. *c.* 8. *q.* 18. Unde generaliter loquendo, tum tantùm excusat metus gravis à censura, quando sunt tales circumstantiæ, in quibus Ecclesia non censetur velle ponere suum præceptum vel obligationem, si autem tunc adhuc censeretur velle urgere suum præceptum, metus non excusabit ab incurrenda censura.

Objic. cum Sanch. *de Matr. l.* 9. *d.* 31. *cap. Sacris*, *de his*, *quæ vi*, sic decidit de illo, qui ex metu participaverat cum excommunicato, *Licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari*, ergo quandocunque manet talis culpa etiam incurritur censura. Resp. N. cons. nam sermo est de participante cum contemptu Ecclesiæ, sive in circumstantiis quibus Ecclesia vult præceptum suum urgere.

§. 8. Qui in censura constitutus est, & ex metu gra- 99
vis incommodi facit aliquid, quod ei ratione censuræ prohibetur, secluso contemptu Ecclesiæ vel Religionis, non incurrit pœnam annexam, v.g. si quis sit excommunicatus, & ex metu gravis infamiæ celebret Missam, non fit irregularis, quia per metum excusatur quominus peccet, ergo etiam quominùs incurrat pœnam peccato annexam, Suar. Barb. Lohn. aliique cum Dicast. *supr. n.* 349. & 440. qui rectè addit *n.* 355. metum nunquam facere, ut actus, qui aliàs erat invalidus, fiat validus, hinc si publicè excommunicatus, & declaratus ex metu gravi absolvat, absolvit invalidè, quia omnem amisit jurisdictionem excepto articulo mortis, imò secundùm aliquos redditur irregularis, quia Ecclesia adhuc videtur prohibere illi absolutionem etiam in illis circumstantiis, quibus validè absolvere non potest.

§. 9. Si censura liget v. g. etiam mandantem, si 100
doleat se mandasse, sed non possit ita citò revocare mandatum, quid tum dicendum sit effectu mandati secuto, intelligitur ex dictis *n.* 61. Si autem quis suo mandato vel consilio tantùm fuerit causa: ut effectus sub censura prohibitus poneretur citiùs, fortiùs, animosiùs, retuli sententias *n.* 65. & aliquid addam *n.* 303.

§. 10. Voluntas seu consensus illius, in cujus favo- 101
rem concessa fuit censura, sufficit ad suspendendam censuram, ne incurratur, v.g. si creditor indulgeat vel proroget terminum, intra quem debitor erat futurus censuratus, nisi solveret, debitor non incidit in censuram, neque tali in creditor per hoc exercet actum jurisdictionis, nam directè non suspendit eam censuram, sed tantùm indirectè impedit tollendo causam seu materiam censuræ, Judex enim concedens censuram in gratiam creditoris, non censetur velle ligare debitorem ultra voluntatem, & intentionem creditoris, Innoc. Abb. Sayar. Bon. Fill. Castr. *d.* 1. *p.* 8. *n.* 5. Dicast. *d.* 2. *d.* 25. contra *Sylv. Nav. Sayr.* & alios. Quando autem per voluntatem alterius censura fuit ad tempus suspensa, si intra illud tempus concessum non fiat, quod sub censura præcipiebatur, putant aliqui ad iterum habendam censuram requiri novum præceptum Judicis. Alii probabiliùs negant, quia voluntas Judicis fuit, ut ligaretur censuræ secundùm voluntatem alterius, in cujus gratiam tulit censuram, ergo quando voluntas illa ex suspensa fit iterum absoluta, incurret ex vi prioris præcepti, ita Castrop. *n.* 6. Dicast. *n.* 364. Leand. Krim. *à n.* 1758. Videri potest Pignat. *to.* 2. *conf.* 60. *à n.* 6.

§. 11. Si detectio delicti præcipiatur sub censura, ne- 102
mo tenetur seipsum, vel socium complicem prodere quoad forum externum, nisi detectio esset ita necessaria pro bono animæ, ut quis teneretur vitam potiùs profundere,

profundere, quàm tale delictum occultare, ita Pelliz. *t.7.c.1.n.95*. Quòd si sub censura præcipiatur v. g. ut author talis pasquilli detegatur, si probare non possis, non teneris deferre, quia Judex censetur intendere punitionem authoris, quem tamen punire non poterit, si probari non possit, ita cum aliis Castr. *d.2.p.3. n.9.* addens nec tum teneri, si inde grave damnum tibi immineret, quia leges Ecclesiasticæ non censentur obligare cum gravi dispendio, de his tamen præceptis circa detectionem, vide Trid. *n.18.* relatum & Dicast. *d.3. dub.41.*

103 §. 12. Quando censura est lata sub conditione, & ferens censuram moritur, vel jurisdictionem amittit pendente adhuc conditione, aliqui putant impleta conditione incurri, quia per mortem vel amotionem Judicis non expirant acta vel sententiæ: sed dicendum est cum Sanch. *in cons. l.3. d.32. n.283.* & Dicast. *d.1. n.163.* id verum esse, si censura lata sit per modum legis seu statuti communis, hæc enim sunt perpetua, non, si ab homine per modum sententiæ in personam particularem.

104 §. 13. Si Judex præcipiat Petro solvere sub excommunicatione ipso facto incurrenda, si non solvat ante mensem, & Petrus ante finem mensis non solvat, sed mutato domicilio excedat è territorio Judicis, aliqui dicunt eum non incurrere, quia si medio tempore appellasset, suspensa fuisset jurisdictio Judicis, nec posteà incurrisset, ergo multò minùs incurret, si interea planè excedat è jurisdictione Judicis. Oppositum tenent alii cum Sanc. *supr. n.280.* quia delictum & contumacia jam cæperat in priore domicilio, hinc communior cum *Balão* tenet, si Judex tibi in persona prohibuerit furtum sub censura, te, si fureris post ita mutatum domicilium, adhuc esse incursum, quia quoad jurisdictionem inspicitur principium judicii, ergo satis est, quòd censura in te lata, esset sub conditione, si faceres furtum, sic enim persona tua jam erat præventa. *Nec obstat*, quòd *Cap.2. de Constit. in 6* §. 1. dicatur, *Excommunicatio contra delinquentes non ligat deliquentes extra territorium, nam* loquitur de lege & statuto non tangente personam in particulari, nisi post impletam conditionem subjecta sit, nunc autem desiit esse subjecta. Vide dicta *à n.43.* Hinc universaliter dicit Dicast. *d.1. n.188.* citans *Innoc. Abb. Suar.* probans etiam ex Jure, si quis mutet domicilium, statim desinere obligari non solùm statutis sed etiam præceptis, & sententiis generalibus prioris loci, si statuta illa & præcepta respiciebant aliquid futurum sine respectu ad præteritum; è contrà si sint de delicto vel causa præterita sub conditione in futurum, v. g. Titius, quia damnificavit Cajum vel Cajo debet, sit excommunicatus, nisi intra annum satisfecerit, tunc si delictum vel causa est posita in priore loco, incurret censuram etiam post mutatum domicilium, si non satisfecerit intra annum, quia Titius per positionem delicti vel causæ jam erat factus subditus, & respectivè ad hoc jam talis manet.

105 *Q.15. Quid notandum sit circa appellationem à censura?* R. §. 1. Quando quis censura gravatur, potest ad Superiorem accedere, vel per viam appellationis vel per modum simplicis querelæ, Sanch. *in cons. l.3. d.35.* Appellatio autem est provocatio ab inferiore Judice ad Superiorem ratione gravaminis alicujus; haberque effectum, vel devolutivum, quia causam devolvit ad Superiorem Judicem, vel suspensivum, si etiam impediat sententiæ executionem. Alia autem dicitur extrajudicialis, si appelletur ab actu facto extra judicium, uti collatione Beneficii vel alio, quod fit ex publico quidem officio, attamen extra judicium. Alia dicitur judicialis, quæ interponitur in judicio, sive ante sive post litem contestatam. Et quando interponitur ante sententiam definitivam, dicitur appellatio ab interlocutoria; quando post sententiam definitivam, dicitur appellatio à definitiva. Sententia verò dicitur definitiva, quæ fertur super causa principali, de qua lis est. Tum dicitur interlocutoria, si feratur ante finem litis super *illis*, quæ incidunt vel emergunt circa causam principalem. Tum dicitur mixta, si partem substantialem causæ definiat, attamen ex toto non terminet negotium, Sanch. *supr. d.32. à nu.1.* Est autem iterum appellatio alia verbalis, quæ fit verbis; Alia facti, quæ fit per arreptionem itineris ad Superiorem, *Cap. Dilecti 2. de appell.* Sanch. *à n.19.*

§. 2. Excommunicatus non potest appellare extra- 106
judicialiter, quia hoc est agere, quod ipsi prohibetur: potest tamen judicialiter, quia hoc tantùm est se defendere, communis cum Sanch. *n.12.* In judiciali revocantur omnia attentata; in extrajudiciali tantùm ea, quæ sunt contra appellationem, Marant. Francus, Sanch. *n.15. & alii.* Item judicialis suspendit jurisdictionem Judicis à quo, extrajudicialis non suspendit actum de præterito, nec etiam actum futurum consecutum ad actum de præterito *Cap. Constitutus de appell.* sed tantùm suspendit, quod fit posteà contra appellationem, Nevo, Sanch. *n.14.* Refert autem Pignat. *T.2. cons.60. n.23.* hanc declarationem S. Congr. *Appellationis causa, dum pendet, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoadusque Judex, ad quem appellatum est, visis actis, & causa cognita, aliter decreverit.*

§. 3. Jure communi conceduntur decem dies, ut 107
quis appellet à sententia sive definitiva sive interlocutoria; vel certè appellatio fit à die scientiæ, quo latam esse sententiam intellexerit, Sanch. *n.56.* Vallens. *l.2. t.28. §.7. n.2.* citans complures alios. Jure civili dantur duo menses ad prosequendam appellationem. Jure autem canonico annus. Ex causa necessaria & evidenti, biennium, Sanch. *n.84.* Appellans tenetur petere Apostolos infra 30. dies, aliàs appellatio manet deserta, Sanch. *à n.119.* Quod valet etiam de appellatione extrajudiciali, si est, qui Apostolos dare possit, sive concedere eos peti, Sanch. *n.124.*

§. 4. Appellatio, per se loquendo, est facienda scripto, 108
Sanch. *n.293.* Et coram Judice à quo; si tamen non sit copia habendi Judicem à quo, satis est fieri apud Judicem ad quem. *Si neuter haberi possit*, fieri debet coram honestis personis. Sanch. *à n.128.* Debet tamen, Judici à quo intra decem dies notificari, Sanch. *n.294.* Fieri autem debet ad Judicem superiorem competentem, Sanch. *à n.158.* Et potest aliquando fieri viva voce, Sanch. *à num.168.* In appellatione ab interlocutoria debent in scripto exprimi causæ gravaminis, Sanch. *à n.186.* Et quidem de Jure civili non datur appellatio ab interlocutoria, *nisi* queretur gravamen irreparabile per definitivam; de Jure autem Canonico datur. Jure *Trid.* non datur in criminalibus ab Episcopo vel ejus Vicario, Sanch. *à n.202.*

§. 5. Si appellatio præcedat sententias excommuni- 109
cationis, & interdicti, suspendit eas, ita ut post appellationem latæ, sint irritæ, *cap. Dilecti, de appell. &c. cap. Per tuas, de sent. excommun.* Sanch. *à n.217.* Pirrh. *l.2. t.28. §.8. §.3.* Hinc qui post appellationem est excommunicatus, & denunciatus, non ideò fit irregularis, si celebret, *cap. Licet de sent. excommun.* Sanch. *n.222.* Pign. *to.1. cons.119.* Et licèt appellatio ab interlocutoria non impediat, quin Judex à quo possit ultrà procedere, *cap. Non solum de appell. in 6.* hoc tamen fallit, quando excommunicatio vel aliæ censuræ feruntur post talem appellationem, Rota, Imol. Lamell. Francus, Sanch. *n.37. & 224.* Tenentque *ista*, quamvis appellatio sit extrajudicialis, *cap. Dilecti 2. de appell.* & communis cum Sanch. *n.225.* Excipe, nisi excommu-

nicans sit pars agens pro defensione juris, cujus certum possessionem habet, Sanch. *n.* 227. Et appellatio debet esse legitima, Sanc. *n.* 228. Et debet exprimi causa rationabilis, adeóque etiam ideò debet esse in scriptis, Sanch. *à n.* 235. Hinc universaliter contra illum, qui priùs validè appellavit, invalidè fertur censura, quia appellatio in tempore facta suspendit usum jurisdictionis in Judice, *Cap. Romana, Cap. Si à Judice, de appell. in* 6. Idem facit recusatio Judicis facta priùs, quàm sententiam censuræ ferat, *Cap. Quoties Episcopi* 2. *q.* 6. nisi Judex habeat potestatem agendi *non obstante appellatione.*

110 §. 6. Si excommunicatio lata sit à Jure, & jam incursa, ab ea non datur appellatio, imò nec ab illius declaratione, quoad effectum suspensivum, si factum sit notorium, Sperell. *dec.* 48. *à n.* 41. Et universaliter, appellatio interposita post censuram absolute latam, non suspendit ejus effectum, quia fert secum executionem, Sanch. *n.* 240. Lugo *in Resp. mor. l.* 2. *d.* 6. Poterit tamen quandoque suspendere declarationem seu denuntiationem, uti statim dicetur. Et licèt, quando dubium fuit, Judex posteà declaret validam fuisse excommunicationem, reus non ideò fit irregularis, si intereà celebret, quia non fuit contemptus observantiæ excommunicationis, communis cum Sanch. *n.* 244. Pignat. *supr.*

111 §. 7. Si appellatio fiat post incursam censuram, sed ante illius denuntiationem, *Leander* adhuc putat non suspendi denuntiationem, & colligit ex *cap. Pastoralis* 55. §. *Verùm de appell.* hinc putat appellationem tum habere tantùm effectum devolutivum, & consentit Krim. *n.* 1779. si incursio censuræ, & æquitas sententiæ nulla tergiversatione celari possit, tum enim non est legitima appellatio. E contrà si sit sententia lata ab homine, & æquitas sententiæ non sit per se manifesta, Sanch. *d.* 32. *n.* 243. 286. *& iterùm d.* 33. Pign. *T.* 9. *cons.* 160. *n.* 14. Krim. *n.* 1778. dicunt appellationem à denuntiatione habere vim suspendendi, nam *cap. Pastoralis*, non loquitur de censura lata ab homine, sed de illa, quæ executionem secum trahit, & generaliter verum est cum communi, quòd appellatio legitima in tempore facta habeat vim suspensivam, nisi, uti ante dixi, Judex procedat cum potestate, *non obstante appellatione.* Hinc etiam *Lugo* suprà ait; si quis putet se non fecisse id, propter quod est declaratus esse excommunicatus, ideóque bona fide appellet ad alium Judicem, aut ad eum recurrat, vel accedere velit, ut se defendat, declarationem illam non habere vim, quamvis fortè causa appellationis non subsistat, ideóque talem denuntiatum post apellationem non fore vitandum. Hinc etiam docet Gloss. *in cap. Cupientes*, quòd per appellationem subsequentem effectus declarationis seu denuntiationis suspendatur, ita ut declaratus seu denuntiatus non tantùm non sit vitandus, sed etiam Divina celebrare possit.

112 §. 8. Si quis ante sententiam bona fide appellarit, & Judex putans appellationem esse nullam processerit ad censuram, censuratus autem bona fide v. g. celebret Missam, quamvis Judex superior posteà pronuntiet pro sententia prioris Judicis, tamen alter non erit ideò irregularis, quia nec temeritas, nec mala fides adfuit; attamen secundùm dicta *n.* 84. debet externè se gerere tanquàm censuratùm, donec Judex superior declaret appellationem esse legitimam, Cap. *Ad præsentiam nostram, de appell. & cap. Solet de sent. excomm. in* 6. Quòd si mala fides in appellatione intervenisset, quamvis prosequeretur appellationem, esset irregularis, quia celebraret censuratus; idem dicit *Laym.* si quis post latam in se censuram appellet ab ejus declaratione, & celebrare pergat, Dicast. tamen *d.* 1. *n.* 319. negat, si bona fide appellarit, putans se non incurrisse censuram.

§. 9. Appellatio etiam post sententiam, si fiat intrà 113
decem dies, habet 1. secundùm dicta *n.* 211. quòd impediat denuntiationem. 2. Quod causet devolutionem ad Superiorem, & eximat à jurisdictione Judicis à quo, uti tenent Nav. Felin, & alii cum Sanch. *d.* 32, *n.* 286. Quòd si non fiat intra decem dies, & censuratus petat absolutionem, quàm censurans neget, poterit appellare ab hoc novo gravamine, & ita adhuc totam causam transferet ad Superiorem, Sanch. *n.* 288. Quamvis autem perdita sit omnis potestas appellandi, adhuc manet locus querelæ, Sanch. *n.* 290. Is autem solus potest adiri per modum querelæ, qui habet immediatam jurisdictionem in utrumque disceptantem, Sanch. *supr. dub.* 35.

§. 10. Censura sub conditione de futuro lata sus- 114
penditur per appellationem factam quocunque tempore ante impletam conditionem, nam licèt in *cap. Quod ad* 1. *de sent. & re judic.* statuatur, ut fiat intra decem dies, hoc intelligitur, quando sententia transit in absolutam, & sumpsit vires, non autem, si adhuc pendeat conditio, uti notant Nav. Covar. Suar. Sanch. *d.* 32. *à n.* 256. Krim. *n.* 1756.

§. 11. Si censura sit lata sub conditione, v. g. si 115
ante certum tempus non comparuerit, appellatio justa suspendet censuram, etiamsi aliquis posteà non prosequatur appellationem, quia si censura necdum sit contracta, appellatio absolutè suspendit vim jurisdictionis; nec refert, quòd sub censura prohibeatur, ne appellet, quia prohibere justam defensionem est contra Jus naturale, & continet errorem intolerabilem, Sanch. *d.* 32. *n.* 284. Castr. *d.* 1. *p.* 8. Dicast. *d.* 1. *à n.* 305. Pelliz. *de Regul. tr.* 6. *c.* 7. *n.* 34.

§. 12. Si causa appellandi sciatur non subsistere, est 116
mala fides, neque appellatio suspendit censuram vel declarationem ejus pro foro interno, pro externo tamen tamdiù suspendit, dum probetur talis defectus Dicast. *d.* 1. *n.* 321.

§. 13. Quamvis Trid. *s.* 25. *c.* 4. *de Regul.* statuat, *ne* 117
liceat Regularibus à suis conventibus recedere etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint, tamen, docent. Nav. Suar. Az. Sà. Sayr. Less. Bass. & alii cum Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 56. & Pign. *to.* 10. *cons.* 24. id licere Regulari iniquè vexato per modum appellationis facti, si prævideatur vexantem negaturum esse veniam, pro quo *Rodr.* refert delarationem *S. Congr.* Et si aliter non possit tutò proficisci, docent Portel. & Dian. *R.* 115. non peccaturum, si ideò etiam habitum in via dimittat.

§. 14. Notat De Luca *in miscell. disc.* 15. *n.* 9. & pro 118
hoc refert multas declarationes Pign. *to.* 2. *cons.* 60. *à n.* 17. quando fit comminatio vel latio censuræ ad comprimendam audaciam rebellium contemnentium authoritatem Ecclesiasticam, ut ita abstineant à rebellionibus, & ejusmodi contemptu, tum non dari locum appellationi suspensivæ, id enim esset facere continuari contemptum, & rebellionem. Et universaliter contumax appellare non potest, quia appellatio datur gravato à Judice, non autem rebelli, *L.* 1. *Cod. quorum appell. non recip. L. Ex consensu* 23. §. *ult. ff. de appell.* Vallens. *suprà*, Sperell. *dec.* 48. *à n.* 46. Pignat. *n.* 15. Habent etiam Canones apud Pign. *to.* 9. *cons.* 49. *n.* 21. notorii criminosi appellationem non audiri: attamen *n.* 22. concludit tutius esse audiri, quia sæpè dicuntur notoria, quæ talia non sunt. Quando autem est vel de Jure vel de facto dubium, an appellatio sit legitima, debet admitti, *cap. Cùm speciali*, §. *Porrò, de appell.* & communis cum Sanch. *n.* 43.

§. 15. Nec appellatio nec querela conceditur, si 119
censura lata sit in causis visitationis, & correctionis morum: *Nec in criminalibus ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitivam sententiam, ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine.*

gravamine, nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit, Trid. *sess.* 13. *c.* 1. & *sess.* 24. *c.* 10. *de Ref.* Pignat. *tom.* 6. *cons.* 19. *n.* 46. statuit etiam Trid. *sess.* 22. *c.* 10. *de Ref.* ut Episcopus possit quibuscunque Notariis imperitis exclusa omni appellatione interdicere exercitium sui officii in causis Ecclesiasticis. Item *sess.* 25. *c.* 13. *de Ref.* ut Episcopus controversias componat: hinc si talis Notarius vel alius se opponens tali potestati Episcopi censuraretur, appellare non posset à censura: intellige hæc omnia, quoad effectum suspensivum. Denique nulla appellatio vel exemptio juvat, quominùs ex Decreto Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de Ref.* excommunicatio feratur in Clericos concubinarios recidivos. Et de hoc Clericorum concubinatu ac pœnis in eum statutis possunt plura videri apud Pignat. *to.* 9. *cons.* 139. *à n.* 128. An Judex *ad quem* debeat pro absolutione remittere ad eum, qui tulit censuram. V. Sanch. *dub.* 35. An autem, si Judex *ad quem*, absolvat, debeat citare partem. V. Sanch. *dub.* 36.

120 *Q.* 16. *Quid dicendum sit ad varias dubitationes, quæ hic possunt occurrere?* R. §. 1. Quando dubitas, an sis ligatus censura, quia nescias, an censura in te lata sit, an comprehendat hunc tuum casum &c. nec dubium solvere potes, judica te non esse ligatum, quia materia est odiosa, ergo extendi non debet, & cùm tu per Baptismum acquisiveris certum jus fruendi bonis communibus Ecclesiæ, non debes ab hac certa possessione dejici per dubium superveniens, ita docent latè Sanch. *in Dec. l.* 1. *c.* 10. *à n.* 55. Delb. *c.* 2. *d.* 8. *s.* 13. Castrop. *d.* 1. *pu.* 8. *n.* 8. Pelliz. *tr.* 7. *c.* 1. *n.* 89. qui tamen monent, in hoc casu non esse petendam vel admittendam dignitatem Ecclesiasticam, eò quòd reverentia illius videatur postulare, ne ejus collatio fiat cum periculo cassationis: sed Castrop. *n.* 9. rectè notat, si aliundè non adsit tale periculum, ratione illius dubii neminem prohiberi vel impediri, quominùs petat vel admittat dignitatem.

121 §. 2. Quando dubitas, an alius sit ligatus censura, debes habere eum pro non ligato, quia ipse est in possessione, unde faceres injuriam habendo eum pro ligato, *Pelliz.* & alii suprà. De dubio, an aliquis sit sufficienter denuntiatus, dicam *n.* 186.

122 §. 3. Si scias censuram in te latam esse, sed dubites, vel an Superior seriò, & ex animo tulerit, vel an non legitimè ab ea appellaveris, vel an sis absolutus judica te ligatum, quia possessio est pro censura, Krim. *n.* 1807.

123 §. 4. Si dubites, an causa censuræ sit justa, Dicast. *d.* 1. *à n.* 351. putat probabile esse, quòd possit censeri non justa, quia Superior tantùm est in possessione potestatis ad ferendam sententiam justam, de quo hìc dubitatur, unde subditus videtur manere in possessione suæ libertatis. Sed oppositum cum communi tenendum est, secundùm dicta *l.* 1. *à n.* 432. & 595.

124 §. 5. Si dubites, an Superior potestatem habeat ferendi talem censuram, aut an ejus potestas se ad hunc casum extendat, si Superior sit in possessione sui Officii, quod communiter habet talem potestatem annexam, præsumptio & possessio erit pro superiore, uti in simili circa potestatem ferendi legem dixi *l.* 1. *n.* 594.

125 §. 6. Si dubites, an sis ligatus majore an minore censura, item an latæ vel tantùm ferendæ sententiæ, tene quod minus est, quia *in pœnis benignior est interpretatio facienda*, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 596. & pluribus adhuc *ibid. n.* 826.

Quid tenendum sit in dubio, an sine tuo mandato vel consilio postrus fuisset effectus sub censura prohibitus, dixi *n.* 66. De dubio, an appellatio sit legitima: dixi *n.* 122. De dubio, an censura sit lata ante an post appellationem, videri potest Covar. *cap. Alma mater*, 1. *p.* §. 2. *n.* 5. De dubio, an tenearis satisfacere, antequam absolvaris dicam *n.* 172.

DUBIUM V.

Qui possint absolvere à censuris.

Resp. I. A censura lata per sententiam particularem, ordinariè is tantùm potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel successor, vel delegatus. Ab ea, quæ lata est à Jure communi, vel ab homine per sententiam generalem, si non sit reservata, potest absolvere quivis, qui censuratum potest absolvere à mortalibus; si verò sit reservata, ordinariè & per se potest tantùm relaxari ab authore legis, vel ejus successore, vel delegato. 126

Dixi I. *Ordinariè*: quia in articulo mortis quivis Sacerdos absolvere potest à quavis censura.

Dixi II. *Per se*: quia per accidens, & ex privilegio possunt etiam alii, Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 7.

Resp. II. Episcopi, secundùm Trid. *sess.* 24. *cap.* 9. possunt 1. Absolvere in foro conscientiæ, per se vel Vicarium, ab omnibus censuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ Papæ reservatis; excepta hæresi, à qua per seipsos tantùm absolvere possunt (quantùm est ex vi hujus decreti.) Dicitur autem censura occulta, quæ contracta est ob delictum non publicum nec ad forum contentiosum deductum, aut si deductum fuit, à quo reus ob defectum probationis fuit absolutus, Bon. *d.* 1. *q.* 3. *n.* 15. & *p.* 2. *n.* 1. ex *declar. Card.* & *c.* 2. Possunt etiam sæpè absolvere à censura Papæ reservata, propter impedimentum ejus, qui incurrit, vel quando propter senium, morbum, sexum, pauperiem Pontifex non potest adiri, Bon. *l. c.* ex Nav. Sanch. Avila, Kon. &c.

Resp. III. Multi Religiosi, præsertim Mendicantes, possunt ex suis privilegiis, (in foro tamen interno tantùm) à variis censuris absolvere. V. Dian. *p.* 9. *tr.* 4. *R.* 63. Quare à Superioribus suis illa privilegia petant, cùm ad confessiones audiendas exponentur, & circa ea sequentes regulas sequantur.

Prima. Qui habet potestatem absolvendi à censuris reservatis Episcopo, non potest vi illius absolvere à reservatis Papæ.

Secunda. Qui habet potestatem absolvendi à reservatis Papæ, non censetur posse absolvere à censuris Bullæ Cœnæ: eò quòd hæ censeantur majores, nec comprehendi in concessione generali, Dian. *p.* 5. *t.* 12. *R.* 34. ex Suar. &c. contra Bossium.

Tertia. Qui habet potestatem absolvendi à censuris Bullæ Cœnæ, habet etiam à quibusvis Papalibus, & Episcopalibus à Jure latis, etsi aliqui negent de excommunicatione contracta propter hæresin, de qua alii probabiliùs affirmant, præsertim pro regionibus septentrionalibus, pro quibus alioqui concessio in magnam partem esset inutilis.

Quarta. Possunt Regulares per sua privilegia, sicut ab aliis censuris Papæ reservatis, ita etiam absolvere duello certantes (idem dic de similibus casibus) post constitutionem *Clem. VIII.* sicuti poterant ante eam, præterquàm in Italia extra Urbem: idque ex declaratione ipsiusmet *Clementis* apud Comitolum *l.* 6. *moral.* Regin. *lib.* 21. *n.* 83. *Fill. tr.* 15. *c.* 5. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 3. *c.* 5.

Resp. IV. Ampla etiam solet dari potestas à censuris absolvendi in Jubilæis, in quibus diligenter considerandum, quid, quantum, & quomodo concedatur. Si enim detur potestas absolvendi à casibus reservatis Papæ, etiam conceditur potestas absolvendi à censuris Papæ reservatis, quia is non solet reservare casus, nisi ratione censuræ adjunctæ. Porrò absolutio data confitenti bona fide in Jubilæo, cum intentione lucrandi illud, etsi posteà vel sua negligentia, vel propter aliud impedimentum, non lucretur, est valida tollitque censuram: Secus si ab initio Indulgentias lucrari noluerit, eo enim casu probabi-

lius est absolutionem non valere, & tam peccata reservata quam censuram de novo debere tolli ab eo, qui potest extra Jubilæum.

ADDENDA.

127 Q*uæst.* 17. *Quid præterea sit notandum circa potestatem absolvendi, & absolutionem à censuris?* R. Quid Sacerdos vel Parochus excommunicatus possit circa absolutionem & Matrimonium: item quomodo absolutioni à peccatis præmittenda sit absolutio à censuris: item an absolvatur à censura, qui bona fide confitetur ignorans illam: item quandonam ratione necessitatis possint censura necdum sublata recipi Sacramenta, dixi *l.6. p.2. an.1564.* Quænam autem sit distinctio inter dispensationem & absolutionem à censura, latè explicat Pignat. *in novissimis conf.* 199. *à p.*515. & præcipua est, quòd absolutio sit actus justitiæ, in quo causa secundùm Jus terminatur in favorem Rei, nec revocabilis est: dispensatio autem sit actus gratiæ præter Jus, quæ cessante causa revocari potest. Hic adde seqq.

§.1. Certum est ex *c. Cùm desideres*, 15. *& c. Sacris*, 38. *de sent. excom.* ad tollendam censuram non esse satis, quòd causa illa sit sublata vel desierit contumacia, sed præterea requiri absolutionem, hinc Alex. VII. damnavit hanc 44. prop. *Quoad forum conscientiæ Reo correcto, cùmq; contumacia cessante, cessant censuræ.*

Objic. Sublata causa tollitur effectus. R. Licèt contumacia sit causa pœnendæ censuræ, non tamen conservandæ, sicuti quamvis culpa sit causa pœnæ, tamen sublata sæpè manet reatus pœnæ: unde quia causa censuræ ponendæ fuit voluntas Superioris: ita debet esse causa tollendæ. Imò licèt moriatur is, qui censuram tulit, non ideò delinit, uti clarè colligitur ex *c. Episcopus* 11. *q.*3. *cap. Pastoralis* 11. §. *Præterea, de off. Ordin.* habet que communis cum Krim. *n.*1826.

128 §.2. Communis est cum Castrop. *d.*1. *p.*11. §.5. & aliis contra Sylv. Cov. & alios posse eum Sacerdotem absolvere à censura per Jus vel sententiam generalem lata & non reservata, qui potest absolvere à mortalibus; neque enim hic deficit jurisdictio in foro judiciali, quia in *cap. Nuper* dicitur, *quod si conditor Canonis specialiter sibi absolutionem non reservaverit, hoc ipso videatur aliis facultatem concessisse relaxandi. Dixi* per Jus *&c.* propter dicenda *n.*131.

129 §.3. Manet potestas ordinaria absolvendi eum à censura, qui peccavit & censuram incurrit ex fiducia absolutionis facilè obtinendæ, uti communiùs tenent AA. cum Dicast. *d.*3. *n.*433. contra alios, quia lex illos non excipit, & ubi lex non distingeit, neque nos distinguere debemus; & ideò etiam dixi *l.6. p.2. n.*1451. eum, qui spe Jubilæi committit reservatum, posse, ab eo absolvi in Jubilæo.

130 §.4. Sylv. Angel. Præpositus, Henriq. & alii apud Dicast. *d.*3. *num.*5. putant quemlibet Clericum in articulo *mortis* posse absolvere saltem ab excommunicatione & interdicto personali, *Diana, Lay. Alloza* & alii dicunt probabile esse, quòd tunc absolvere possit omnis etiam laicus, quamvis esset hæreticus, dummodò dispensandum non sit, putatque Marchinus & Sanch. *in Decal. l.*2. *c.*13. *num.*13. aliique multi cum Dicast. *n.*12. id fieri debere, quia secundum dicta *l.6. p.2. num.*1483. probabile est valere, nec potest obesse: deinde nullum inde sequitur inconveniens, & moribundo præstatur magnum obsequium, ut nempè participet suffragia Ecclesiæ & sepulturam Ecclesiasticam accipiat: è contra tamen Castrop. *d.*1. *pu.*11. §.3. *num.*5. Sylvius *in append. ad varias resolutiones oratione* 1. De absolutione moribundi docent, neminem non Sacerdotem, qui neque censuram tulerit, neque specialem absolvendi potestatem habeat à Papa, posse etiam in articulo mortis absolvere à censura, quia absolutio illa est actus jurisdictionis spiritualis, & quædam potestas clavium, quam non habent laici vel Clerici Sacerdote inferiores, nisi specialiter committatur, ideóque etiam quamvis admittat priorem sententiam esse probabilem Lugo *tamen in tr. de fide d.*23. *nu.*114. negat quenquam non Sacerdotem obligari ad sic absolvendum, quia secundùm sententiam Sylvii, quæ communior & probabilior est, Ecclesia sine ullo peccato negavit omnibus non Sacerdotibus potestatem absolvendi, neque voluit committere nisi Sacerdoti, quamvis committere potuisset etiam *aliis*, ergo multò minùs peccabit ullus non Sacerdos, si non absolvat, Ecclesia enim magis tenetur ex charitate providere saluti fidelium, quàm homines privati. Porrò notat Dicast. *n.*44. si quis in periculo mortis sit ab aliquo aliàs non habente potestatem absolutus & evadat periculum, debere se sistere Superiori sub pœna reincidentiæ, sic enim Ecclesia voluit ad frangendam contumaciam.

§.5. Qui excommunicatus est ab homine, medio præcepto aut sententia speciali, quamvis excommunicatio reservata non sit, excepto articulo mortis non potest absolvi, nisi vel ab eo, qui tulit, vel ab hujus Superiore, vel cui hic aut ille potestatem delegarit, vel ab horum successore, vel à Capitulo Sede vacante, id enim necesse est, ut Tribunal Judicis non turbetur, communis cum Krim. *n.*2042. Imò absolutio est ipsimet censuranti prohibita in his casibus. 1. Si fiat excommunicatus vitandus. 2. Si censuram intentavit nomine Papæ absque causæ cognitione. 3. Si eam tulerit Superiore consulto & sententiam ejus confirmante. 4. Si lata sit in incendiarium, quia reservatur Papæ. 5. Si ut delegatus Papæ excommunicarit aliquem, qui ultra annum in censura illa perseveret, tum enim cessat authoritas ex commissione excommunicantis, Bauni. Krim. *n.*2045. 131

§. 6. Quando datur generalis facultas absolvendi ab omnibus censuris, non intelligitur concessa facultas ad reservatas, Dic. *d.*3. *n.*227. Si autem in Jubilæo detur facultas absolvendi ab omnibus censuris reservatis, etiam intelliguntur reservatæ Episcopo, quia sic habet usus non ignorantibus Episcopis, & sic censetur velle Papa, ut sic omnes ex suo privilegio lucrentur Indulgentias, Suar. Dic. *n.*36. Quamvis autem in Jubilæo vel Indulgentia plenaria addatur, quòd adsit facultas absolvendi à quibusvis censuris Sedi Apostolicæ reservatis, non comprehenduntur censuræ provenientes ex casibus Bullæ Cœnæ, nisi Papa exprimat; has enim specialiter sibi reservat, & facultas generalis non censetur se ad ea extendere, quæ specialiter sunt exempta, Chapeaville *de Casib. reserv. p.*1. *c.*4. Imò quamvis adderetur, etiam Bullæ Cœnæ, tamen tenent multi, quos retuli in *l.6. p.2. n.*1616. non intelligi hæresin. 132

§.7. Si data sit potestas absolvendi ab omni censura tam à Jure quàm ab homine lata, Henriq. Avila & alii putant extendi ad censuram per hominem etiam specialiter latam: sed valdè probabiliter contradicunt Vasq. Hurt. Beauni apud Krim. *n.*2043. quia credibile non est tali generali concessione permitti turbationem authoritatis Judicum. Itaque intelligeiur tantùm censura ab homine generaliter lata, quando enim vagè fertur nemine designato, æquiparatur censuræ juris, Laym. Bauni, Krim. *n.*2044. 133

§.8. Quamvis Episcopus facultatem concedat absolvendi à peccatis sibi reservatis, hoc ipso non dat facultatem absolvendi ab annexis censuris, licèt id facere censeatur Papa, nam Episcopi sæpè reservant censuram data potestate in peccatum, Dicast. *n.*2230. Chapeav. *suprà.* 134

§.9. Trid. *s.*24. *c.*6. *de Ref.* concedit Episcopis amplam facultatem his verbis: *Liceat Episcopis in irregulari-* 135

gularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari, Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum. Et hanc potestatem (excepta illa, quæ est ad hæresin) possunt Episcopi, & secundùm dicta *n.*25. Sedes vacans, delegare, cum sit Ordinaria, Less. *in Auctar v. Absolutio, casu* 10.

136 §.10. Inter subditos, quos ita absolvere potest Episcopus habentur vagi, quia possunt se quoad hoc subjicere, uti & illi fiunt subditi, qui animo per majorem anni partem permanendi acquisiverunt quasi domicilium, uti ex consuetudine Ecclesiæ & benigna interpretatione mentis Pontificiæ colligunt Suar. Bon. Sanch. Garc. Barb. Dic. *n.*90. & iterùm 463. Quòd si tamen peregrinetur aliquis vel transeunter sit in aliena diœcesi, adhuc potest absolvi ab Episcopo hujus loci, si censura erat lata à Jure vel ab homine generaliter, neque fuerit reservata: si tamen esset lata ab homine nominatim, non posset, nisi ubi non posset adiri proprius Episcopus, ita cum aliis Dicast. *n.*464. Ab irregularitate non posset nos absolvere, uti dicetur posteà.

137 §.11. Nuntius Apostolicus non potest absolvere censuratos ab inferioribus Prælatis, nisi causa per appellationem sit ad ipsum delata, uti cum aliis tradit Castr. *d.*1. *p.*11. § 4. *n.*7. neque Archi Episcopus potest absolvere à censuris subditos Episcoporum inferiorum, nisi actu visitet, aut censurati appellent ad Archi-Episcopum, aut inferiores Episcopi maliosè negent absolutionem suis subditis, Sanch. Barb. Bard. Castr. Sayr. Pignat. *to.*8. *conf.*128. Dicast. *d.*3. *n.*77. & iterùm *à n.*444. Quòd si Abbas vel alius inferior Episcopo ferat censuram in diœcesanum Episcopi etiam Abbati subditum, *Decius, Cov.* & alii dicunt similiter Episcopum non posse absolvere, è contrà Henr. & alii cum Dic. *n.*451. dicunt debere quidem requirere censurantem, ut ejus authoritatem servet, absolutè tamen posse absolvere, quia nullo Jure sunt subditi Episcoporum inferiorum à potestate Archiepiscopi. Consuetudo tamen habet in aliquibus locis, teste Castr. *n.*6. ut Episcopi non possint relaxare censuras ab Archi-Diaconis latas.

138 §.12. Religiosos non exemptos absolvere possunt à censura soli Episcopi, Dic. *n.*560. Exemptos absolvere non possunt nisi consentibus Prælatis, Dic. *n.*91. & iterùm 135. Similiter quamvis in Bulla Cœnæ negetur omnibus etiam Episcopis potestas absolvendi à censuris in ea Bulla positis, attamen non ideò derogatur facultati Episcopis datæ à Trid. ut absolvere possint ab occultis, & quando Papa adiri non potest, quia lex posterior non censetur derogare statuto alicujus Concilii, nisi expressam de eo faciat mentionem, ita cum aliis Dicast. *d.*3. *à n.*130. contra plurimos alios. In casu autem necessitatis, quando adiri non potest nec Papa, nec Nuntius Apostolicus, nec Episcopus, absolvere posse Parochum putant Henriq. & Dicast *n.*203.

139 §. 13. Episcopus non obstante Trid. potest absolvere subditum suum extra diœcesin suam existentem, item potest ipse extra diœcesin existens absolvere subditum in diœcesi existentem, hæc enim absolutio est actus jurisdictionis voluntariæ, & non contentiosæ, ita cum aliis Dicast. *d.*3. *n.*125.

140 §.14. Si Titius diœcesanus Colonienſis in diœcesi Trevirensi existens inciderit in censuram à Jure vel ab homine latam generaliter, & non reservatam, potest absolvi ab hoc Episcopo Colonienſi: si autem in diœcesi Trevirensi lata fuisset ab homine nominatim in Titium, Titius huc reversus non posset ab hoc Episcopo absolvi, sed à solo censurante vel alio de ejus licentia, ita cum aliis Dicast. *d.*3. *n.*460. Quod si Titius Coloniæ Civis fuisset hic per sententiam generalem censuratus, & deserto hic domicilio aliud acquireret Treviris, posset absolvi à Trevirensi, quamvis censura Coloniæ reservata esset Episcopo: è contrà si Coloniæ censuratus fuisset per sententiam particularem huic Episcopo reservatam, deberet à Colonienſi absolvi, quia cùm causa sit incepta Coloniæ, ad hunc spectat consummatio, Suar. Con. Laym. Delb. *c.*12. *d.*6.

141 §. 15. Potestas absolvendi à censuris, v.g. occultis, aut quando Papa adiri non potest, quæ à Trid. *n.*135. relato datur Episcopis, secundùm *Suar. Bonac.* & alios non censetur data Abbatibus & aliis habentibus jurisdictionem Episcopalem, quia hæc specialiter conceditur Episcopis, quorum etiam industria ad hoc viderut eligi. E contrà Sanch. & alii cum Dicast. *d.*3. *à n.*6. dicunt etiam extendi ad illos, etiam pro hæresi, quia est aliquod attributum jurisdictioni Episcopali, quam etiam habent ejusmodi Abbates & Prælati: quamvis autem *Rodrig.* dicat hanc potestatem ex vi *Trid.* censeri datam Superioribus regularibus, eò quòd etiam hi respectu suorum subditorum habeant potestatem quasi Episcopalem, uti cum aliis multis docet Sanch. *l.*8. *de Matr. d.*3. *n.*9. tamen probabilius est oppositum cum Dicast. *n.*71. quia videtur iis tantùm concedi, qui habent diœcesin, cùm *Trid.* dicat, *in diœcesi sua*, Superiores autem regulares, non habent diœceses, & ita declaravit Congr. Card. apud Barb. *de off. Episco. p.*2. *alleg.*38. *n.*18. Putant tamen ipsi cum Dicast. *n.*72. habere illam potestatem ex vi alicujus Brevis dati à *S. Pio V.* sed id latè confutat Mendo *diff.*1. *q.*4. Non posse autem absolvere sæculares ab excommunicatione ob hæresin occultam constat ex prop. 4. Ab *Alex. VII.* damnata, quæ sic habet; *Prælati religiosi possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunq; sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

142 § 16. *In Comp. priv. v. Absolutio*, § 1 refertur *Paulum III.* per Bullam dedisse Societat. J. U facultatem absolvendi à quibuscunque peccatis, cum Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibuscunque sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis ex illis resultantibus, iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ continentur. Et in fine additur: *Hæc facultas communicatur omnibus Confessariis à Superioribus deputatis, & ab Ordinario loci juxta formam* Conc. Trid. *sess.*23. *c.*15. *de R. f. approbatis, præterquam respectu excommunicatorum generaliter ab homine, quos Superiores tantùm, & ii, qui ab eis specialem licentiam obtinuerint, poterunt absolvere: excommunicatos autem nominatim ab homine, & illos Regulares, qui licentiam non habuerint extra suum Ordinem confitendi, ne Superiores quidem absolvent. Admoneantur autem pœnitentes absolutionem à censuris, quam à Nostris obtinuerint, nisi sibi prodesse in foro externo.*

143 §. 17. Si quis Romam ire non possit pro petenda absolutione à censura *Pontifici* reservata, possit tamen commodè eo scribere vel absolutionem per procuratorem aut Confessarium obtinere, Henr. & Dicast. *d.*3. *n.*57. dicunt non esse obligationem ad scribendum vel ad petendum per alium, sed in eo casu posse Episcopum absolvere, ut in simili casu potest absolvere à peccato reservato, secundùm dicta *l.*6. *p.*2. *n.* 1697. & cum Sanch. & aliis docet Castrop. *tr.*4. *d.*4. *pu.*3. §.5. *n.*7. quia mens censurantis vel reservantis videtur esse, ut delinquens, si possit, ipsemet adeat

& seipsum personaliter sistat, alioquin censeatur esse impotens adire, neque enim videtur obligare ad periculum manifestandi suum delictum alteri, quòd periculum est in scriptione, quæ ex natura sua est aliquid publicum. E contrà tamen *Bonac.* dicit teneri per litteras vel per procuratorem vel Confessarium petere, hoc enim medium est ordinarium & facile, imò minus difficile, quàm si personaliter adire deberet, atque ita etiam habet praxis, ut fiat, certumque est ita fieri in impedimentis Matrimonii, ergo & in censuris, nisi alia ratio excuset: neque est periculum manifestandi delictum, *quia* vel jam notorium est, vel taceri potest persona substituto alio nomine. Quòd si Papa adiri non posset, nec de se posset absolvere Episcopus, attamen *in his* partibus adesse Nuntius Apostolicus potens absolvere, secundùm dicta *l.6.p.2. n.1624.* hic deberet adiri, Sanch. Averf. Dic. *n.59.* contra Henriq. & Avilam. Notant autem Bon. & Pign. *to.1. conf.98.* quando aliquis dicitur debere saltem alium mittere, vel per alium se sistere Romæ pro absolutione obtinenda, satis esse, si alteri Romæ existenti demandet, ut nomine suo se sistat vel absolutionem petat.

144 §.18. Si delictum sit in uno loco notorium, dummodò non sit deductum ad forum contentiosum, vel quando deductum fuit, si probari non potuerit, tenent multi posse veluti occultum absolvi in alio loco, ubi in ratione delicti saltem non est notorium, nec putatur notitia eò brevi ventura, quia quamvis simpliciter dici possit notorium, & notitia ad alia loca absolutè deferri possit, uti argumentantur Suar. & Castrop. *d.6.p.7.n.13.* tamen si putetur eò non deferenda brevi, vere & simpliciter dicitur occultum hoc loco ergo hoc loco absolvi potest ab Episcopo, Sanch. Avila, Dicast. *d.3.num.96. 106. & 107.* vide dicenda *num* 187. Attamen etiam vide dicta *l.6.p.num.951.* Quandonam autem aliquod delictum censeri debeat occultũ vel publicum aut deductum ad forum contentiosum, dixi *l.6.p.2. à n.1656. & p.3. à n.869.*

145 §.19. Si duo idem delictum commiserint, & unus tantùm vocetur ad judicium, delictum respectu alterius censetur non esse deductum ad forum contentiosum, unde absolvi potest ab Episcopo, ita cum aliis Dicast. *n.109.*

146 §.20 Si delictum jam in foro contentioso sit probatum & punitum, *Suar. Gutt. Bon. Barb. & alii* dicunt censuram reservatam, illi delicto annexam non posse tolli ab Episcopo, quia quod in foro est probatum, censetur publicum, & idem in simili de irregularitate docet Castrop. *d.6.p.7. n.13.* sed Sanch. aliique cum Dic. *n.112.* dicunt posse tolli, quia quamvis delictum jam non tantùm sit adductum ad forũ contentiosum sed etiam publicum, tamen cessat causa reservationis, quæ fuit, ut in delictis publicis & deductis ad forum contentiosum, ex prærextu absolutionis Episcopalis non impediretur satisfactio publica, ergo si hæc præcesserit, reservatio censuræ cessat.

147 §.21. Probabile est cum Sanch. & Dicast. *n.82.* quòd Episcopus possit etiam Vicario suo committere absolutionem excommunicationis ob hæresin contractæ *Trid.* enim dicens Episcopis & non eorum Vicariis hoc esse permissum, *sic* intelligi potest, quòd Vicariis non sit committenda potestas generalis ad omnes casus occurrentes, bene tamen specialis & ad casus particulares, quoties occurrunt.

148 §.22. Quamvis in censura addatur, quòd nemo præter Papam possit ab ea absolvere, nisi in articulo mortis, tamen probabiliùs est contra *Sylvestr.* adhuc posse absolvere Episcopum in casibus, quibus non potest adiri Papa, qui censetur id prohibere pro casu, quo ipse potest adiri, ita cum aliis Dic. *n.60.* Notat que etiam rectè Spetell. *dec. 115.* si Papa sciens aliquem esse censuratum conferat ei Ordinem vel Beneficium, censeri absolvere vel cum eo dispensare: non tiem Episcopum, si nullam causæ cognitionem præmiserit, quia Papa potest, Episcopus non potest absolvere vel dispensare, si non præmittat causæ cognitionem.

§.23. Si eadem censura sit Papæ & Episcopo reservata; sublata per Jubilæum reservatione papæ, etiam 149
tollitur reservatio Episcopi, uti dixi *l.6. ⁋.2.n.1451.* talis enim est consuetudo, & sensus communis fidelium. putant etiam *Vasq.* aliique cum Dicast. *d.3. n.233.* quandocunque papa concedit facultatem absolvendi ab omnibus peccatis & censuris reservatis etiam Sedi Apostolicæ, vi illius posse etiam absolvi reservata Episcopo, quia per Tò *etiam*, videtur significare papã se comprehendere omnes alias ab inferioribus latas: sed oppositum est tenendum, secundùm dicta *l.6.p.2.n.1628.*

§.24. papa mortuo nemo potest absolvere à censu- 150
ra Papæ reservata, nisi Congregatio Cardinalium, vel cui Papa ante, vel Congregatio nunc commiserit: mortuo autem Episcopo absolvere potest à censura Episcopo reservata Capitulum, seu Capit. Vicarius, vel cui hi vel Episcopus commiserit, D. *n.41.42. & 51.*

§.25. Si quis in Sacramento pœnitentiæ defectu doloris v.g. invalido absolutus sit à censura, hæc absolutio est valida, potest enim conferri sine absolutione à peccato, neque opus est fieri in confessione, Dicast. *d.3.n.302.* addens tamen *num.* 418. si potestas absolvendi à censuris, sit commissa ex intentione, ut peccator priùs absolvatur à peccatis, uti fit in Jubilæis, non fore absolutum à censura, nisi priùs fuerit deletum peccatum, intendit enim papa, uti obtineant remissionem peccatorum, & sic obtineant indulgentias.

§.26. Si absolutio sit obtenta ex falsa causa, *Gloss.* 151
& S. Antonimus absolutè dicunt esse nullam, quia mens absolventis erat tollere censuram, si causa subsisteret: validam esse dicunt *Cov.* & alii quamvis causa fuerit in se falsa, dummodò sit juridicè probata tanquam vera: *Garc.* & alii dicunt esse validam, si ab Episcopo vel alio inferiori obtineretur: non autem si à papa vel ejus delegato: S. Th. & alii cum Dicast. *num.* 514. probabiliùs dicunt tum tantùm fore validam, si absolvens intendat absolvere non obstante falsa causa, ita ut adhuc absolveret, quamvis falsam esse sciret, quod tamen præsumi non debet, Castrop. *d.1.pu.11.* §.3. *num.8.* Krim. *n.1846.*

§.27. Absolutio extorta metu gravi injustè cum in 152
finem incusso, est invalida, *c. un. de iis quæ vi, in 6.* Krim. *n.1848.*

§.28. Absolutus in foro interno à censura, si non 153
fuerit nominatim excommunicatus, non tenetur se gerere tanquam censuratus, præsertim si constet ita esse absolutum, quia illa absolutio valet ad omnia præterquam in judicio, ubi 154
movetur, Less. *in Auct, v. Absolutio, cas.8.* Krim. *supra.*

DUBIUM VI.

Quomodo danda sit absolutio à censuris.

REps. Id statuendum esse ex natura, tum cen- „ 155
sũræ, tum cujusvis absolutionis: Ex qua circa ab- „
solvendi modum *resolves*, „

I. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed „ 156
sufficiunt ea signa, quibus apertè significetur absolu- „
tionem impendi: in foro tamen externo communiter „
servanda est forma cujusq; Episcopatus. In foro autem conscientiæ hæc ferè est in usu: *Ego te absolvo à vinculo*, v. gr. *excommunicationis, suspensionis, &c.* „
quam incurristi propter NN. (*talem causam*) *&* (si „
sit excommunicatus) *restituo te Sacramentis Ecclesiæ* „
& communioni fidelium, aut (si sit suspensus) *executioni tuorum Ordinum, vel officiorum, vel Beneficio-* „

rum, in nomine Patris &c. In publica autem ac solemni absolutione præmittitur psalmus Miserere, & ad singulos versus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur, (nisi ex justa causa talis cæremonia videatur committenda, præsertim in fœminis) tum adjectis precibus absolvitur, & in Ecclesiam introducitur. Idem modus ferè servatur in absolutione mortuorum, nisi quòd sepulchrum virga percutiatur. *V. Rituale Romanum.*

II. Absolvi à censura potest absens, imò & invitus, etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia sicut pœna *in absentem*, & invitum potest *statui*, *sic* & auferri, Dian. *p.5.tr.9. R.10.*

III. *Is*, qui pluribus censuris est adstrictus, potest absolvi ab una, relictis aliis, quia inter eas non est necessaria connexio. Unde si dicatur, absolvo te ab omni vinculo &c. valet pro omnibus: ideóque si sic absolutus in Jubilæo fortè omisisset invincibiliter peccatum habens annexam censuram, idest, excommunicationem, posset is posteà ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi, cùm non sit ampliùs reservatum, eò quod censura, ratione cujus tantùm erat reservatum; sit sublata.

IV. Absolutio vi, aut metu gravi injustè incussò extorta non valet, imò novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit.

V. Absolutio data ab Ordinario, non præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est, imò etiam data à delegato, modò non delegetur cum conditione satisfactionis: quæ impossibilis sit, sufficit præstare cautionem, ac juramentum de satisfaciendo, cùm poterit.

VI. Dari potest absolutio sub conditione de futuro, contingenti, cùm sit actus jurisdictionis externæ, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi: si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio, si non debet absolvi.

VII. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, id est, pro certo actu, & tempore, quo transacto reincidat: sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat.

VIII. Probabilius est, eum, qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiæ à censura, posse id facere etiam extra confessionem, ut contra Nav. Suar. & alios docet Sanch. *l.8. de Matr. d.16.* Kon. Dian. &c.

ADDENDA.

156 Q. *Vest.18. Quid præterea sit notandum circa praxin, ac modum absolvendi à censuris?* Resp. §.1. Modus absolvendi à censuris habetur in Pontificali Romano, & præscribitur *c.28. de sent. excomm.* de quo & de obligatione illum servandi ad longum habet Chapeaville *de c. s. reserv. p.1. c.10.* Praxis pro foro externo, præter illa, quæ habet *Busemb.* communiter est hæc: Absolvens inducitur superpelliceo, & stola violacea: Reus petit absolutionem, promittens se mandatis Ecclesiæ obtemperaturum: Si censura sit contracta cum alterius detrimento, præstatur satisfactio: Reus cæditur virga, fune, aut flagello. Veniale erit omittere hos ritus, nisi excuset urgens causa vel contraria consuetudo. In absolutione, saltem privata, non est opus exprimere causam, ob quam incursa est, quamvis expediat exprimi, Krim. *n.1844.*

157 §.2. Quamvis absolutio sacramentalis dari non possit sub conditione de futuro aut ad reincidentiam, potest tamen sic dari absolutio à censura, uti habet communis cum Castr. *d.1.p.11.§.2. n.2.* contra *Anton. Sylv.* & alios, quia Sacramentum Pœnitentiæ sic instituit Christus, ut noluerit ejus effectum suspendi per intentionem Ministri, sed voluerit tum valere, quando profertur forma: censura autem ejusque absolutio pendet à voluntate humana, ergo qualis erit voluntas absolventis, talis erit absolutio, ergo si absolvendus velit, ut tum tantùm valeat, quando posita erit conditio, aut ut pro certo tantùm tempore valeat, sic, & non aliter valebit, ita cum aliis Dic. *disp.3. à n.677.* Krim. *à n.1833.*

§.3. Circa absolutionem ad reincidentiam, Pignat. *to.2. consul.60.* notat seqq.1. Tum maximè est absolutio ad reincidentiam, si detur ea conditione, ut re aliqua per novam culpam non præstita absolutus reincidat in censuram similem, & æquivalenter eandem. 2. Absolvere ad reincidentiam possùm omnes, qui habent potestatem ordinariam absolvendi, *c. Cui licèt 53. de Regul. Juris in 6.* Communior autem habet contra Suar. & alios multos, id non posse eos, qui delegatam tantùm habent potestatem absolvendi, quia carent jurisdictione ad censuram reproducendam, attamen in multis casibus à Jure, vel delegante expressis debent sic absolvere. 3. Quandoque etiam fit ad reincidentiam sine nova culpa, uti si quis absolvatur tantùm ad certum tempus vel ad certum actum, v. g. in ordine ad testandum, ad lucrandum Jubilæum, ad recipiendum Beneficium sibi collatum, tum enim absolvitur ad cautelam, & non absolutè, hinc posteà post actus illos peractos reincidit sine nova culpa, vel sententia, uti etiam docent Castr & Krim. *n.1843.* Præterea, si quis sit absolutus sub pœna reincidentiæ, si intra tres dies hoc vel illud non faciat, & intra tres dies id facere non possit, probabilius videtur cum Laym. Castrop. & Krim. *n.1841.* non reincidere in censuram, saltem pro foro conscientiæ, quia mens absolventis erat, *Si posset*, alioquin conditio fuisset irrationabilis: & ficuti secundùm dicta *num.92.* impotentia excusat ab incursu censuræ, ita & à reincidentia. 158

§.4. Docet Viva *ad prop.44. ab Alex. VII.* damnatam *n.8.* quamvis censuræ latæ addita sit clausula, *donec resipiscas*, posita resipiscentia adhuc opus esse absolutione, quia reatus culpæ peccati cadit super peccatum, donec peccator resipiscat, & tamen quamvis per perfectam etiam contritionem resipisceret, indiget absolutione. *Nec obstat*, quòd censura sit medicina, quæ cessat sublato morbo, *nam* censura est medicina, & pœna, unde quamvis ut medicina cesset sublato morbo, non tamen semper ut pœna, uti colligitur ex dictis *n.127.* Fatendum tamen est cum *Nav.* & aliis ex mente censurantis posse fieri, ut quando dicitur, v.g. *Sis suspensus, donec restituas*, hoc ipso concedatur absolutio, si postéa posita sit restitutio, uti fatetur Viva *n.10.* 159

§.5. Quando aliquis à dubia censura simpliciter est absolutus, non est opus, ut posteà iterum absolvatur, quamvis comperiat fuisse certam, *quia* licèt Christus velit, ut peccatum dubium, quando comperitur ut certum, iterùm absolvatur, *secundùm dicta l.6.p.2 n.615.* tamen benignitas Ecclesiæ id non requirit circa censuras, Schildere *tr.6.p.1.§.2.n.47.* Krim. *n.1839.* 160

§.6. Absolutionem à censuris posse dari omninò absenti, docent Spor. Laym. Bon. Lugo. Busemb. Gob. *tr.7. n.286.* Spor. *de pœn. n.617.* Belleg. *de Jubil. l.11. q.1.* Imò absolutionem à censura fieri posse pro foro interno extra confessionem, etiamsi Bulla habeat, *auditis confessionibus*, docent Sanch. *de Matr. l.8. d.34.* Conc. Trull. Bard. Avila, & alii cum Dian. *p.1.n.11. R.250.* quia verba, *auditis confessionibus* videntur significare, *auditis peccatis*, ob quæ inducta est, nam absolutio à censuris nullam habet connexionem cum absolutione sacramentali: quod *Belleg.* suprà extendit ad illum, cui nec soles nec cogitas confiteri: sed probabi- 161

probabiliùs contradicunt Nav. Suar. Vasq. Fill. Viva, *de Jubilæo*, *q.*10. *art.*3. quia quando hoc additur, per absolutionem à censuris intenditur eodem tempore absolutio à peccatis. Imò docet cum aliis Pignat. *tom.*1. *cons.*20. quamvis dispensatio, & absolutio à censuris pro foro externo dari possit absenti, aut etiam invito, tamen in commissionibus *S. Pœnitentiariæ* non posse absenti dari absolutionem, si addatur *pro foro conscientiæ*, & ideò sæpè addere *in actu sacramentalis confessionis.*

162 §.7. Qui à censura est absolutus in foro conscientiæ tantùm, si ejus crimen deferatur ad Judicem, non indiget nova absolutione, prior enim fuit valida, quamvis non prodesset pro foro externo: unde si excommunicatus fuisset, posset occultè communicare cum iis, qui scirent ipsum sic absolutum esse, tum enim cessaret scandalum, Dicast. *d.*3. *dub.*35. Attamen posset Judex adhuc contra talem procedere, donec etiam in foro externo absolutionem obtineret: hinc Pignat. *tom.*2. *consultat.*59. *num.*62. refert hanc declarationem Sac. Congreg. *Non prohibetur Episcopus, vel alius Superior affigere cedulones, & punire excommunicatum, licèt fuerit in foro conscientiæ absolutus, vel cum Brevi Sac. Pœnitentiariæ, vel cum Bulla Cruciatæ, aut Jubilæi, vel in vim cap. Liceat, sess.* 24. *Conc. Trid. vel alio quocunque modo, quia isti duo fori sunt separati, & actum in uno adfert præjudicium in altero. Potest tamen Judex Ecclesiasticus absolutionem in foro conscientiæ datam etiam pro foro exteriori ratam habere, nisi hoc redundet in præjudicium partis.*

163 §.8. Pignat. *suprà num.*46. refert hanc *S. Congregationis* declarationem: *Absolutio excommunicationis pro delicto non valdè gravi privatim dari debet.*

164 *Q.*19. *Quænam sint præmittenda absolutioni à censuris?* Resp. §.1. Absolutioni à censuris ob horrenda, & gravissima crimina incursis præmitti debet juramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ, id est, de cavendo hoc crimine, ob quod incurrerat hanc censuram, uti explicant Suar. Sanch. Dicast. *d.*3. *a n.*263. iterumque *n.*715. 716.

165 §.2. Si quis in casu necessitatis absolvatur à censura qualicunque reservata, obligari debet sub juramento ad comparendum coram Superiore, quamprimùm commodè poterit uti ex Jure cum communi probat Dicast. *à n.*266. Quòd si absolvens ex ignorantia, vel malitia non petat hoc juramentum alter manet absolutus, sed simul retinet onus comparendi, hæc enim obligatio, non oritur ex voluntate absolventis, sed ex ipso Jure, quod ita præcipit fieri sub pœna reincidendi, Dicast. *à n.*271. Putant autem Caj. Nav. Henriq. Dicast. *n.*277. satis esse, si compareat per Procuratorem, sed probabilius contradicunt Ugol. Castrop. *d.*1. *pu.*11. §.2. *n.*8. Krim. *n.*1842. quia Cap. *Quod de his*, 16. *de sent. excommun. Clemens III.* expressè requirit, ut taliter absolutus compareat *in persona*, & videtur exigi præsentia personalis ad frangendam tantò magis contumaciam: Et si sufficeret comparere per Procuratorem, hoc ipsum ab initio poterat, ergo malè fuisset absolutus ab alio: Unde debere se in persona sistere saltem percussorem Clerici, decidit Jus apud Dic. *n.*278. Hæc tamen obligatio comparendi cessat, quando quis per Bullam, vel Jubilæum absolvitur, tum enim absolvens habet à Papa potestatem absolvendi sine obligatione se sistendi Superiori, Dicast. *n.*280.

166 §.3. Si quis ab absolvendo sit læsus, ante absolutionem præstari debet satisfactio, uti jam explicabitur

167 *Q.*20. *Quid notandum sit circa hanc satisfactionem, quæ præmitti debet?* Resp. De hac dixi aliqua *l.*6. *p.*2. *a n.*1453. & speciatim *num.*1455. & 1456. dixi, quæ censeatur pars læsa: hic tamen pro majore explicatione adde seqq.

§.1. Si facultas absolvendi sit delegata cum clausula, *satisfacta prius parte*, si pars sit læsa in pecunia, & adsit facultas nunc satisfaciendi, graviter peccaret Judex, si contentus esset promisso vel juramento posteà satisfaciendi; satis tamen erit, si pecuniam restituendam dederit Confessario, vel alteri probo, vel campsori, qui commodiùs restituit, tum enim censetur moraliter satisfecisse, Dicast. *d.*3. *n.*542. Putant autem Busemb. *n.*5. & alii cum Dicast. *n.*538. quamvis nulla præstetur satisfactio, validam fore absolutionem, quia clausula illa videtur esse tantùm veluti monitio. E contrà alii multi communiùs dicunt fore invalidam, quia facultas data est sub tali conditione & modo. Si autem pars sit læsa in honore, vel simili bono spirituali, Dicast. *n.*262. dicit satis esse, si juret se satisfacturum, cùm poterit: si tamen jam possit, etiam dicendum est debere priùs satisfacere. Et quamvis esset Judex ordinarius, sub mortali tenetur facere, ut satisfactio præmittatur absolutioni à censura incursa ob læsionem, sic enim sæpè præscribunt Jura, Dicast. *n.*699.

§.2. Si jam non possit satisfacere, posse absolvi 168
præstita cautione, dixi *l.*6. *p.*2. *n.*1454. Si autem postea, cum potest, non satisfaciat, præter citatos ibid. *n.*1455. docent *Cordub. Suar. Fill. Hurt.* quòd hoc ipso semper reincidat in eandem censuram, quia sub ea conditione absolvitur, ergo conditione non posita non valet absolutio. E contra Sot. Nav. aliique cum Dic. *n.*381. probabilius dicunt non reincidere, nisi tum, quando absolvens potestatem habet absolvendi ad reincidentiam, qualem secundùm dicta *n.*158. habet solus ille, qui censuram potestate ordinaria ferre potest, debetque tum etiam exprimere, se sic absolvere; unde si simpliciter absolvat addita cautione, & obligatione satisfaciendi, non ideò reincidet, si non satisfaciat, quia censura est absolutè sublata, neque redit, nisi de novo feratur, & ordinariè ob novam causam, alioquin non esset medicinalis, sed pure vindicativa delicti præteriti: ut notat Castrop. *d.*1. *pu.*11. §.2. *num.*10. qui cum *Henriq. Con. Avila*, dicit pro foro conscientiæ hoc ipso reincidere in novam similem censuram. Attamen pro foro externo putant Gibal. & Krim. *n.*1841. prærequiri declarationem conditionis culpabiliter non impletæ.

§.3. Qui censuratus est ab uno Judice, quia parti 169
læsæ non satisfecit, quamvis pars læsa condonet, probabilius est non ideò posse absolvi ab alio inferiore, quia consensus partis læsæ non potest inferiori dare jurisdictionem: probabile tamen etiam est posse absolvi, quia mens prioris Judicis videtur fuisse censurare, & ligare secundùm voluntatem partis læsæ, ut in simili dictum est *n.*161. docetque etiam Dicast. *n.*466.

§.4. Si censura hoc modo sit lata: *sit excommunicatus, donec satisfeceris*, si satisfecit, *Vasq.* & alii dicunt cessare censuram, quia ab initio videbatur absolvi, si poneret satisfactionem, & hoc ipsum pluribus probat Covarr. apud Dicast. *d.*3. *dub.*37. E contra tamen Suar. aliique cum Dicast. *num.*548. iterumque *n.*669. dicunt manere ligatum censura, quia per solam absolutionem tollitur, absolutio autem non datur, quando fertur censura, sed posteà prius est petenda, unde verba talia sic significant, *sis excommunicatus, & non possis absolvi, donec satisfeceris*, atque hæc sententia videtur probabilior, est-que conformior dictis *n.*159. 170

§.5. Si absolvendus falsò dicat se satisfecisse parti 171
læsæ, absolutio est invalida, *cap. Ex parte, de Off. ordin. cap. Officii de sent. excomm.* Si tamen absolvens posset, & vellet absolutè absolvere, valeret, secundùm dicta *n.*159.

§.6. Si pœnitens dubitet de obligatione satisfacien- 172
di,

di, *Nav. Suar. Fill.* & alii dicunt pro foro externo posse absolvi, quia in hoc censetur peti satisfactio pro debito certo: pro foro tamen interno, si certus sit se damnum intulisse, & dubitet, an & satisfecerit, tenetur priùs satisfacere, quia possessio est pro obligatione, si autem dubitet, an damnum intulerit, potest absolvi, quia possessio est pro libertate, Dicast. *d.3. a n.*544. Notat tamen idem *n.*694. debere habere propositum satisfaciendi, si aliquando constiterit læsionem esse factam.

173 *Q.*21. *An mortuus possit vel debeat absolvi à censura?* R.§.1. *Cap. Anobis, 28. de sent. excomm.* dicitur, *quancumcunque S dictus vir juramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcunque pœnitentiæ signa præcesserint, quia tamen morte præventus absolutionis non potuit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus: potest tamen & debet beneficio ei Ecclesiæ subveniri, sic ut cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Idem habetur *c. Sacris, 38. ibidem.*

Objic. Ad absolvendum requiritur jurisdictio, quam Ecclesia non habet in defunctos. Resp. *Abbas, Nav. Covarr. Sot.* & alii dicunt in rigore non esse directam absolutionem mortui, sed tantùm indirectam, in quantum permittitur à vivis circa mortuum, fieri consuetos actus sepulturæ, precum &c. Suar. & Dicast. *d.3. dub.*30. dicunt mortuum censuratum, aliquo modo adhuc subjici Ecclesiæ, imprimis quoad corpus quod hic manet, & cui negat sepulturam: deinde etiam quoad animam, quam private potest suffragiis vivorum, prohibendo, ne pro illis offeratur, & hanc subjectionem putant sufficere.

§. 2. Eisdem verbis & modo absolvitur mortuus,
174 quo vivus: si tamen jam sit sepultus, satis est verberari sepulchrum: putat etiam Dicast. *n.*494. licèt necdum sepultus sit, satis esse verberari sarcophagum.
175 §. 3. Hæredes tenentur saltem ex charitate procurare absolutionem tali post signa pœnitentiæ mortuo, ut sic fiat capax etiam suffragiorum Ecclesiæ, Dicast. *à n.*490.

CAPUT II.

De excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid sit & quotuplex.

176 „ RESP. Excommunicatio est censura, per quam „ quis privatur communione Ecclesiæ. Estque „ duplex: Minor, quæ tantùm privat usu passivo, seu „ receptione Sacramentorum, & Major, quæ etiam „ dicitur anathema, ac jure fere semper nomi„ ne excommunicationis intelligitur, privatque om„ ni communione Ecclesiastica, secundùm dicenda. „ Per hanc Majorem excommunicatus rursus est du„ plex: Toleratus, quem fideles non tenentur vitare. „ Non toleratus, quem tenentur vitare. Est qui„ dem post *Concilium Constantiense*, non tolerati „ sunt hi tantùm. 1. Notorius Clerici percussor, de „ quo infrà. 2. Quivis nominatim excommunica„ tus, & specialiter ac publicè denuntiatus. *Unde resolves,*

„ I. In Germania Catholici securè communicant cum „ iis, qui notoriè sunt hæretici, & consequenter ex„ communicati, quia non sunt nominatim excom„ municati, ac publicè denuntiati.

„ II. Non teneris vitare eum, quem scis peccasse „ contra legem, per quam illi, etiam in particulari, „ sub pœna excommunicationis aliquid est vetitum, „ vel præceptum, quia requiritur, ut per sententiam „ expressam, & specialem, contra personam in particulari post peccatum commissum, censura sit pu„ blicata, v.g. ut Joannes sit denuntiatus excommu„ nicatus, vel saltem ita exprimatur persona, ut non „ liceat de ea dubitare, v. g. excommunicamus talis „ loci Decanum, Prætorem.

„ III. Licèt dicatur, excommunicamus Petrum, v. „ g. incendiarium, & ejus complices, solus Petrus „ vitandus est, non verò alii, etsi sint notorii, quia „ sententia quoad illos, est tantùm generalis, & non specialis contra certam personam.

„ IV. Non teneris vitare eum, qui privatim in „ conclavi est denuntiatus, quia id non est factum „ publice; ad hoc enim requiritur, ut sententia le„ gatur, vel affigatur aliquo loco celebri, v. g. in „ templo tempore concionis, vel aliter pro more regionis.

ADDENDA.

177 *Quæst.*22. *Quænam excommunicatio intelligatur, si simpliciter dicatur, sub excommunicatione: & quia, si dicatur, anathema?* R. Per excommunicationem simpliciter, intelligitur major & non minor, sic enim habetur Cap. *Si quem, 59. de sent. excom.* & hoc ipsum consuetudo declarat, uti testantur plurimi cum Castr. *d.2. pu.2. n.3.* Dic. *d.2. n.23.* Engel. *l.5. tit.39. n.29.* Krim. *n.*1855. Per anathema autem, quo nomine utitur *Trid.* in Canonibus, intelligitur excommunicatio etiam major, sed simul significatur major solemnitas in ferendo, secundum dicta *n.16.*

Objic. In pœnalibus & odiosis benigniora sunt sequenda, ergo quando dicitur *excommunicatio*, intelligi debet minor, & non major. Resp. Benigniora sunt sequenda nisi leges & Canones oppositum declarent, uti, secundùm dicta, fit in nostro casu: Unde etiam, quando *cap.1. de exceptionibus in 6.* dicitur, *Si quis in judicio excommunicationem opponat, illius speciem declarare debet*, intelligitur de majori, an nempe sit ex delicto hoc vel illo, ex violatione Ecclesiæ, ex percussione Cleric. &c.

178 *Q.*23. *Quid notandum sit circa eos, qui dicuntur notoriè excommunicati, denuntiati vitandi?* R.§ 1. Notorium Juris impropriè dicitur, quod Jus evidenter præsumit ex conjecturis ab ipso Jure inductis: Notorium Juris propriè est, quòd notum est, vel per sententiam Judicis, vel per confessionem Rei in judicio, vel per testium depositionem in judicio. Notorium facti est, quod notum est per magnum numerum personarum, vel per majorem partem communitatis, quæ factum evidenter novit: Et de his fusè disputat Pignat. *tom.*10. *conf.*115.

179 §. 2. Suar. & alii cum Dic. *d.2. n.*425. putant eum, qui v.g. percussit Clericum, esse notoriè excommunicatum, & consequenter vitandum illi, qui vidit eum percutientem, quamvis id necdum sit aliis hominibus notum, ad hoc enim ut vitetur, putant satis esse, notoriè alicui constiterit, quòd percusserit: sed probabiliùs contradicunt Castr. *d.2. p.4. n.*7. Pignat. *n.*49. & alii, quia *Concilium Constantiense*, ait, *salvo, si quem pro sacrilegia manuum injectione in Clericum, sententiam latam a Canone adeò notoriè constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*, ergo videtur requirere, ut sit simpliciter notorium, quòd in censuram istam inciderit, ergo debet multis esse notum, ita ut in judicio negari non possit. Sit cùm hæc interpretatio sit favorabilis animabus, præferenda est alteri, quia lex illa pœnalis obligans vitare & vitari, est potiùs restringenda.

180 § 3. Ex his colligitur, quòd ut ejusmodi percussorem Clerici censeat vitare, non sufficiat esse notorium notorietate juris, sed requiratur notorietas facti. Nec sufficit tres, aut quatuor vidisse, quia non ideò est simpliciter notorium, & publicum, Laym. *l.1. tr.5. p.2.*

c.4. n.2. Quid autem dicendum sit, si sit notorium in uno loco, & non alio, colligitur ex dictis, *n.*144.

181 §. 2. Quamvis factum percussionis Clerici sit notorium, si tamen accedat dubium Juris, non est obligatio vitandi percussorem, v.g. aliquis in publico foro coram multis percussit, sed allegat, se ideò non incurrisse excommunicationem, quia dicit se fecisse vim vi repellendo, talis non est vitandus, Suar. Fill. Avila Dicast. *n.*429. Pignat. *to.4. cons.*133. inferens regulariter requiri, ut talis percussor per Judicem denuntietur, quia aliàs poterit aliqua tergi versatione vel excusatione celari.

182 §.5. Si fama publica esset, *c.Cùm desideres, de sent. excom.* dicitur percussorem Clerici esse vitandum: intellige, si fama orta sit à fide dignis & faciat moralem certitudinem, tum sufficit ad notorietatem facti, uti notat Castr. *n.8.* Putant tamen Avila, & Dic. *n.*428. non sufficere famam, quòd percusserit, sed requiri famam, quòd publicè percusserit. Imò putant etiam probabiliter Suar. Mol. Dicast. *à n.*404. non sufficere publicam infamiam, quando hæc non procedit ex evidentia facti per testes oculatos, quia alias non dicitur notorium, sed famosum. Addit Dic. *n.*427. si quid fiat in domo privata coram septem, non esse notorium, si autem fiat in foro, censeri notorium, & si fiat in conventu Religiosorum, non ideò esse simpliciter notorium: sed de his satis dixi *l.3. p.2. n.*1190. *à n.*1219. *lib.4. n.*786. *l.6. p.3 à n.*869. possuntque de omni genere notorii adhuc plura videri apud Pignat. *to.10. cons.*115. *&* 120.

183 §. 6. Quamvis aliquis fuerit per sententiam damnatus, & publicè denuntiatus de crimine, cui notoriè est annexa excommunicatio, uti de hæresi, tamen Nav. & alii cum Dicast. *d.2. n.*393. dicunt hoc non sufficere, ut sit vitandus, sed requiri denuntiationem de ipsa excommunicatione, quia debet esse denuntiatus non tantùm criminosus, sed excommunicatus, per hoc autem, quòd denuntietur crimen, non ideò denuntiatur excommunicatio: potuisset enim illam ignorasse, & sic non incurrisse, aut saltem aliqui possent nescire excommunicationem esse annexam: Imò Con. Reg. Sanch. *in Decal. l.2. c.9. n.*4. & Dian. *p.5. tr.9. R.*62. putant non sufficere, quòd declaretur commisisse tale crimen, & omnes pœnas illi annexas incurrisse, per hoc enim necdum dici potest esse denuntiatus excommunicatus, cùm de excommunicatione non fiat mentio: è contra *Suar. Henriq. Avil.* & alii dicunt satis esse, quod denuntiatus sit tale crimen admisisse, quando enim excommunicatio certò & indubitanter est annexa, qui declarat crimen esse commissum, æquivalenter declarat excommunicationem esse contractam. Utraq; sententia est probabilis.

184 §.7. Quamvis non teneamur vitare excommunicatum non denuntiatum, possumus tamen eum etiam publicè vitare, qui publicè scitur esse excommunicatus, nulla enim ei fit injuria, ita Avila & Dicast. *n.*395. & iterùm *n.*418. in Germania tamen & quibusdam aliis locis repelli non possunt hæretici à contractibus publicis, & similibus, uti rectè *Laym. & Dicast.* suprà, nam consuetudo vel tacita saltem fœdera jus dederunt.

185 §. 8. Ut aliquis sit vitandus, non est satis, quòd excommunicatio sit publicata, idest, ita nota, ut omnes sciant vel scire possint eam esse latam, sed requiritur, ut authoritate Judicis sit notificata in loco à populo frequentato, aut in loco publico affixa, unde in omnium notitiam facilè venire possit, Suar. Gutt. Henriq. aliique cum Dicast. *n.*397. Non autem est denuntiandus, nisi priùs citetur, & audiatur secundùm dicta *n.*76.

186 §.9. De quo dubium est, an sit denuntiatus, non necessariò debet vitari, quamvis sciatur esse excommunicatus, quia ex utraq; parte est possessio pro libertate communicandi inter se, ita cum aliis Dic. *n.*403. *&* 597. excipe, ubi esset periculum scandali. vel irritandi Sacramenti. Ut tamen quis teneatur vitare, non est opus, ut ipse audierit denuntiationem, sed satis est, quòd de ea constet ipsi per fide dignos, etiam per unum gravis omninò authoritatis, vel per famam publicam, major enim in rebus moralibus non requiritur certitudo, Navar. aliique cum Dic. *n.*405.

§.10. Denunciatum uno loco esse vitandum in omni loco docent Henriq. Fill. aliique cum Bon. *d.2.q.2. pu.6.* quia *Cons. Constant.* vult omnes denuntiatos vitari, sine restrictione ad locum. Alii apud Steph à S. Paulo *tr.5. d.5 n.*266. dicunt in loco, ubi non est denuntiatus, esse vitandum in occulto, sed non in publico, quia videtur retinere jus ad famam in publico; & consentit Dic. *n.*411. E contrà Sanch. Avil. Castr. *d.2. pu.4. n.9.* Burgh. *cent.1. cas.*14. absolutè dicunt non esse altero loco vitandum, quia ubi hæc denuntiatio non est notoria, ipse non est ibi excommunicatus publicus, & denuntiatus, ergo non est ibi vitandus. V. dicta *n.*144. 187

§.11. Postquam quis semel scitur esse denuntiatus, semper est vitandus donec vel per famam publicam, vel, per testimonium fide dignum probabiliter credatur jam esse absolutus, uti habetur *c.Sicut, 39. desent. excomm.* potestque ipsimet excommunicato adhiberi fides, si aliàs est fide dignus, & bonæ conscientiæ, ac dicat se absolutum, aut exercite se gerat tanquam non excommunicatum, Nav. Henriq. Avil. Dicast. *n.*406. 188

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor?

„ Resp. Incurritur ob unicam tantùm causam, si quis nimirum cum excommunicato majore „ excommunicatione communicet iis casibus, quibus non licèt, Effectus ejus est, privatio Sacramentorum perceptionis. Vid. Laym. *l.1. tr.5. p.2. c.3.* 189

Unde resolves,

„ I. Cùm Jura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est, quòd similiter, idest, verè excommunicetur, licèt minore.

„ II. Propter excommunicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denuntiato, nulla incurritur censura.

„ III. Etsi excommunicatus minore excommunicatione, recipiendo aliquod Sacramentum non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: „ administrando verò, probabile est nec venialiter „ peccare.

„ IV. Incurritur hæc censura, etsi quis propter levitatem materiæ tantùm venialiter peccet, v. g. „ confabulando nominatim excommunicato, quando „ non licèt, secus si sit veniale propter imperfectum „ usum rationis, quia pœna infligitur propter actum „ qui quantùm est ex se, sufficit ad mortale.

„ V. Etsi peccatum veniale possit omitti in confessione, non tamen illud, cui hæc censura est annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. Unde „ etiam Confessarii ordinariè priùs absolvunt fideles „ ab omni vinculo excommunicationis, etiam minoris, deinde à peccatis.

„ VI. Ab hac excommunicatione lata à Jure absolvere potest Parochus, & quisquis potest à mortalibus, cùm non sit reservata. An verò qui potest „ absolvere à veniali habente annexam hanc excommunicationem, possit etiam ab ipsa, quidam affirmant, *Navar. & Tol.* alii probabiliùs negant,

ut *Suar. Kon.* quia sicut hæc absolutio est distincta à Sacramentali, ita etiam ad eam requiritur distincta jurisdictio, quæ nusquam conceditur omnibus Sacerdotibus. V. Laym. *c.3.*

ADDENDA.

190 QVæst.24. *Quid præterea sit hic notandum*? R. seqq. §.1. Sot. Med. Covar. Tolet. Less. Lay. Castr. & alii multi apud Mendo *diff.*13.*q.*9. dicunt administrantem Sacramenta in excommunicatione minore peccare venialiter, quia est aliqua irreverentia, non tamen gravis. *Vasq.* dicit peccare mortaliter, probatque; *ex c. Si celebret, de Clerico excommunicato*, ubi dicitur, *peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta*: quando autem in jure dicitur, *peccat*, intelligitur mortale. *Mendo* dicit, vel mortaliter vel nullo modo peccare, si enim est irreverentia, est mortalis; si est prohibitio, est gravis: concludit tamen cum Nav. Suar. Fill. Dian. Busemb. Krim. *n.*2020. aliisq; multis nullo modo peccare, Ecclesia enim solam receptionem prohibet, unde *in cap. Si celebret*, dicitur talis peccare, non quia præcisè confert Sacramenta, sed quia celebrat, ut sibi conferat, dum enim celebrat, conficit & suscipit, hinc mortaliter peccat.

191 §.2. An excommunicatus excommunicatione minore, sed ignorans vel oblitus excommunicationis suæ validè recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, si bona fide accedat, colligi potest ex dictis *l.6.p.2.n.*1568. bonam licèt negent *Hurt.* & alii; probabiliùs tamen affirmant alii cum Bonac. *d.2.q.*3. quia Ecclesia removet eum à Sacramentis, non irritando, sed tantùm prohibendo eorum receptionem. V. dicenda *n.*200.

192 §.3. Communicans cum excommunicato à Papa, incurrit excommunicationem majorem, *cap. Significavit*, 8. *de sent. excom.* Quamvis autem Pignat. *to.*1. *conf.*491. doceat *sacram Congreg.* immunitatis 18. Iul. 1628. censuisse laicum, qui alterum laicum percutit in Ecclesia, incurrere excommunicationem minorem, tamen de hoc nihil invenio in aliis A.

193 §.4. Docent communiter Authores, & insinuavi *l.4.n.*777. *ex c. Si celebret, de Cleri. ex omn. Ministr.* quòd effectus indirectus excommunicationis minoris sit privatio juris ad Beneficia, cùm enim sic excommunicatus privetur susceptione Ordinum, Beneficia autem ex intentione Ecclesiæ tendant ad Ordines, consequenter etiam privatur jure ad electionem, collationem vel præsentationem pro tali Beneficio, uti probant Decius, Sayr. Cov. Henr. Suar. Con. Lay. Av. aliiq; cum Cast. *d.2.pu.4. n.*12.

194 §.5. Peccat mortaliter tam conferens quàm recipiens Beneficium in excommunicatione minore, quia violant legem Ecclesiasticam in gravi materia, nullam tamen pœnam incurrunt, ubi habet Castr. *n.*20. putantq; Cov. Nav. & alii collationem tali excommunicato factam ipso Iure esse irritam, quia sit personæ indignæ & inhabili: contra Felin. Sot. Con. Fill. Lay. & alii cum Castr. *n.*15. Krim. *n.*2022. probabiliùs dicunt non esse ipso facto irritam, quia lus expresse dicit esse irritandam, seu irritari debere, quòd propriè intelligi debet de ipsa collatione vel electione, neque persona talis est inhabilis quoad valorem acquirendi, sed tantùm quoad usum.

195 §.6. Vasq. Regin. Bon. Avila & alii dicunt hanc irritationem tum tantùm esse faciendam; quando talis excommunicatus scienter est electus, eò quòd expresse habeatur in Iure, *Si scienter*: è contrà *Suar. Con.* & alii dicunt irritationem fieri posse, sive scienter, sive ignoranter sit factum, putant enim particulam illam *scienter* facere hunc sensum, quod irritatio fieri debeat, quamvis scienter elegissent, absolutè volentes, ut valeat non obstante tali excommunicatione: sed *Laym.* & alii cum Castrop. *n.*19. & Krim. *n.*2023. probabiliùs dicunt irritationem tum tantùm esse faciendam quando electio facta est excommunicato suæ excommunicationis conscio, quamvis *l.4. n.*777. insinuaverim etiam tum esse irritandam, si soli conferentes hoc sciverint. Ratio est; quia, si ipse scivit, verum est, quòd scienter sit electus, si autem ipse nesciverit se excommunicatum, quamvis electores vel conferentes id sciverint, electio vel collatio defendi potest, quia ignorantia eum excusat, ut possit suscipere Sacramenta, ergo etiam ut possit suscipere Beneficium in ordine ad Sacramenta.

DUBIUM III.

Quos effectus habeat excommunicatio major

RESP Habet duplices, ediatos & immediatos. 196
Mediati sive remoti sunt hi:

I. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicujus Ordinis.

II. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, & ut Jura loquuntur, insordescat, fit suspectus de hæresi, & contra eum ut talem, procedi potest ex Trid. *sess.*25.*c.*3. idcóque si crimen grave, & Beneficii privatione dignum commisit, privandus est Beneficio: imò etsi crimen non sit adeò grave, si tamen ad hæresis suspicionem purgandam citetur, tanquam hæreticus privari debet, Bonac. *d.2.q.2. punct. ult.* ex Rebuff. Dian. Nav. &c.

Immediati effectus sunt sequentes:

I. Privat susceptione & usu passivo Sacramentorum; unde nullus excommunicatus sive toleratus sive non, potest ea licitè recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, &c. quia censura non obligat cum tanto rigore. Laym. *l.1.t.5.p.2.c.2.*

Dixi *licitè*, quia validè suscipit omnia, saltem quod substantiam, præter Pœnitentiam; imò etiam hoc, si adsit ignorantia inculpabilis; dummodò cætera ad essentiam Sacramenti requisita non desint, quia per censuram non fit incapax absolutionis, etsi prohibeatur eam recipere, priusquàm absolvatur à censura, Bon. *p.2.* ex Fill. Suar. Kon. &c. Nec obstare, etiamsi excommunicatio sit reservata, vel Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex malitia absolvat, docet Dian. *p.3.t.4. R.*78. ex Kon Suar. &c. & *p.5.t.9 R.*53.

II. Privat (saltem non toleratos) communibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus & fructu indulgentiarum, non tamen privatis. Unde non tantùm quivis privatus, sed etiam Sacerdos potest, tanquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus & Sacro; imò actionem sacrificandi, prout pendet à merito privato operantis, offerre vel ejus in *Memento* in particulari meminisse.

Dixi, *tanquam persona privata*: quia ut minister Ecclesiæ non potest: Hinc irritæ sunt ac nullæ omnes preces, quas pro excommunicato in persona Ecclesiæ intercedentis pro ipso, Deo offert, adeóque privatur omnibus bonis, quæ ingratiam Ecclesiæ Deus concessurus fuisset.

III. Privat usu activo Sacramentorum & administratione. Quæ tamen excommunicato tolerato, & ad id requisito, & se non ingerenti, quandoque est licita, v. g. si sit Pastor, cujus subditi teneantur audire Sacrum, nec sit alius, qui celebret: imò si etiam non Parochus forte rogetur, & invitetur ad celebrandum. Ac licet communis doctrina sit apud Laym. *cap.*4. peccare fideles, si sine causa necessitatis vel magnæ utilitatis talem inducant ad Sacramentorum administrationem, quando alius Minister

„ haberi potest, contrarium tamen est probabile ob „ facultatem concessam à Conc. Constant. cum tali- „ bus communicandi : & hinc nec illum, qui petit à „ tali Sacramentum, nec ipsummet excommunica- „ tum, si conferat, præcisè ob censuram peccare, Laym. „ n. 5. ex Sot. & Sanch. l. 7. de Matr. d. 9. n. 8. Idem do- „ cet Bon. §. 2. ex Valq. Suar. &c. Non tolerato autem „ illicita est Sacramenti administratio, præter- „ quàm in casu extremæ necessitatis, extra quam „ validè illud administrat, præterquàm pœnitentiam, „ quia hæc requirit jurisdictionem, qua ipse caret. „ V. Laym. c. 2. Bon. *loc. cit.*

„ IV. Privatio usus divinorum officiorum : itaut „ non tantùm careat eorum fructu, sed etiam sub „ mortali iis nequeat interesse, parte notabili, itaut „ moraliter censeatur cum aliis communicare, nisi „ excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali „ aliave justa causa, Bon. p. 3. §. 1. ex Suar. Fill. &c. Simi- „ liter peccant etiam alii, qui cum excommunicato „ vitando eidem Missæ intersunt, ut ex communi do- „ cet Bon. n. 9. contra Duran. quia participant cum „ illo in divinis. Aliud tamen esset, si transiens per „ Ecclesiam aliud ageret, vel breviter, privatim, aut „ omninò separatim oraret, aut si aliis unum Sacrum „ audientibus ipse aliud audiret, quia sic moraliter „ non censeretur communicare cum aliis, nec con- „ jungi ad unam orationem fundendam, Bon. n. 16. „ ex Suar. Henriq. Filliuc Kon. &c. Ac licèt peccatum „ hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate tamen „ materiæ subindè tantùm est veniale, ut si exigua pars „ Missæ, v. g. usque ad Evangelium tantùm cum illo „ audiatur. Avila, Dian. *par.* 3. *tr.* 5. *R.* 21. vel si Horæ „ privatim eum eo recitentur, Dian. *tr.* 9. *R.* 89. ex Suar. „ & aliis. 9. Porrò per divina officia intelliguntur „ Sacrificium Missæ, publica oratio, processio, cantus „ Horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, „ & cætera annexa Ordini Clericali, quæ solemniter „ fiunt, (excepta concione) in quibus licèt alii fide- „ les non teneantur vitare toleratum, tenentur ta- „ men non toleratum sub mortali vitare, nisi vel „ levitas materiæ, vel ignorantia, aut simile quid „ excuset. Unde si talis præsens sit, moneri debet, „ ut recedat; si nolit, debet extrudi vel exportari, li- „ cèt sit Sacerdos : nisi tamen inde gravius timeatur „ incommodum, ob quod, si expelli non possit, omit- „ tendum est officium, etiam die festo, & celebrans „ nondum inchoato Canone debet abrumpere Missam; „ si inchoavit, potest cæteris abeuntibus Sacrum pro- „ sequi vel abrumpere, ob sententiæ utriusque pro- „ babilitatem : si consecravit, debet solo Ministro „ manente pergere usque ad Communionem inclusivè, „ & reliqua perficere in Sacristia vel alio decenti loco. „ Quòd si excommunicatus negligat procurare absolu- „ tionem eo fine, ut non audiat Sacrum die festo, peccat „ mortaliter omissione Sacri; secus si alia de causa „ negligat. Quòd si etiam obligatus est ad Horas, non „ excusatur ab illis (etsi non debeat dicere, *Dominus „ vobiscum*, sed, *Domine exaudi*, *&c.*) quas si cum „ alio privatim legat, venialiter tantùm videtur pec- „ care.

„ V. Collatio Beneficii facta excommunicato nulla „ est, uti & præsentatio vel electio, institutio & confir- „ matio. Ratio quia excommunicatus, etiam toleratus, „ non potest communicare in officio, proindeque „ incapax est Beneficii, quod datur propter officium. „ Idque licèt ignoretur excommunicatio, quæ igno- „ rantia invincibilis etsi excusat à culpa; non tamen „ supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem „ actus. V. Les. l. 2. c. 34. d. 22. Imò probabile est excom- „ municatum, quamvis Beneficio ante obtento non „ privetur, fructus tamen & distributiones non facere „ suas, ideòque eas teneri restituere, etiam ante senten- tiam Judicis, quia est privatus officio, fructus autem „ dantur propter officium, velut merces propter opus : „ Ita *Suar.* & alii contra Sanch. & Kon. qui probabiliter „ putant, ex consuetudine non teneri ante sententiam, „ modò per se vel alium inserviat Beneficio. „

VI. Privat communicatione forensi. Unde ex- „ communicatus nequit esse Judex, Advocatus, Pro- „ curator, licèt pro semetipso respondere possit ipse. „ (Kon. Præp. Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *R.* 111.) actor, tabellio, „ testis &c. ita ut contra excommunicatum, etiam to- „ leratum, semper possit reus excipere. Quòd si non fa- „ ciat nec Judex eum repellat, valida ejus acta erunt, „ si sit toleratus : secus est de judice non tolerato, cum „ sit privatus jurisdictione. V. Laym. *c.* 2 Dian. *R.* 112. „ 113. Non potest etiam esse Tutor aut Curator, „ Dian. *R.* 115. ex Sylv. Neque testamenti executor, „ Dian. *p.* 8. *tr.* 5. *R.* 2. ex Casp. &c. contra Sanch. Lugo, „ &c. Si tamen non fiat oppositio, validè exequitur, *ib.* „ Nec potest ipse testari licitè, etsi faciat validè, etiam „ cùm excommunicatum instituit hæredem, Suar. Fill. „ Merc. &c. cum Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *R.* 129. Denique con- „ tractus omnes ab eo facti (etsi sint illiciti, & ratione „ eorum non detur actio in foro externo durante „ executione) valent, nisi fiant ab eo ut persona publi- „ ca, vel Ministro ratione muneris vel Beneficii, quia „ tunc spectant ad jurisdictionem, quæ suspensa est, „ Dian. *R.* 128. ex Con. Fil. Mer. &c. „

VII. Excommunicatus non toleratus privatur usu „ jurisdictionis. Unde non potest validè eligere, con- „ ferre, præsentare, ferre leges vel sententiam : & qui „ sic Beneficium à non tolerato accepit, dicendus est “ intrusus, ac proindè tenetur sine alia Juris declara- „ tione, Beneficium unà cum fructibus relinquere. „

Dixi, *non toleratus* : quia acta tolerati probabile est „ esse valida, ob bonum commune : graviter tamen „ peccat, si absque necessitate talia exerceat. „

VIII. Non toleratus privatur Ecclesiastica sepul- „ tura, ut non possit in loco sacro seu benedicto sepe- „ liri : & si contrarium fiat, ac corpora discerni possint, „ debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante „ reconciliationem. „

Dixi, *non toleratus* : quia Ecclesia non polluitur, etsi „ hæreticus, non speciatim denuntiatus, in ea sepelia- „ tur, ut docet *Suar.*, *Lay.* & alii. Jure nihilominùs id „ prohibent Episcopi in Germania, eò quòd inter cæte- „ ras pœnas non communicantium in Paschate etiam „ statuatur privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. „

IX. Excommunicatus privatur omni alia civili „ communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum „ aliis, & si non sit toleratus, etiam alii cum ipso non „ possunt communicare; idque in casibus hoc versu „ comprehensis : „

Os, orare, vale, communio, mensa negatur. „

Dicitur I. *Os*, per quod intelligitur osculum & „ omne colloquium, etiam privatum. Item per nutus, „ litteras, internuntium, & quodvis signum benevo- „ lentiæ. „

Dicitur II. *Orare*, id est, omnis communicatio in „ divinis, de qua suprà. „

Dicitur III. *Vale*, quod comprehendit omnem salu- „ tationem, (saltem honorificam) verbo vel signo vel „ amplexu, & secundùm quosdam, etiam resalutatio- „ nem, eò quòd sit actus observantiæ : sed contrarium „ videtur verius, quia est solutio debiti. Imò Sayr. „ &c. cum Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 16. putant probabile, „ quòd sola verbalis salutatio sit prohibita, non au- „ tem alia signa, v. g. aperiendo caput, &c. quæ urbani- „ tatis causa fieri solent. „

Dicitur IV. *Communio*, quæ comprehendit omnem „ contractum (qui tamen validus est, si fiat) item „ cohabitationem, cooperationem, societatem, v. g. in „ contractibus, ita ut moraliter censeatur communica- „

re „

„ re, quòd prudens æstimabit : unde nec iter cum eo „ tanquam cum socio facere licet.

„ Dicitur V. *Mensa*, per quam intelligitur omnis „ convictus & convivia, per modum societatis & „ commercii, qualis non est, si casu incidas in idem „ hospitium, iter, mensam, imò lectum. Vid. Bonac. „ *disp.* 2. *q.* 2. *pu.* 6. §. 1. & 2.

„ *Quæres.* I. Quale peccatum sit communicare cum „ excommunicato non tolerato ?

„ *Resp.* Communicatio in divinis censetur morta- „ le, propter gravitatem materiæ: in *civilibus* autem „ (etsi inducat minorem excommunicationem) se- „ cluso tamen contemptu, tantùm est veniale regula- „ riter, Suar. Bauny. &c. Dian. *p.* 7. *tr.* 11. *R.* 47. Quod „ addo, quia aliquando est mortale, ut si quis cum „ excommunicato communicet in eodem crimine, v.g. „ si quis concubinam excommunicatam cognoscat.

„ *Quæres.* II. An aliquando liceat cum non tolerato „ communicare ?

„ *Resp.* Quòd sic, extra divina in his quinque casibus. „ 1. In casu utilitatis sive spiritualis ipsius excom- „ municati, v. g. ut convertatur, sive alterius, ut ab „ excommunicato consilium petat, quod ab alio ha- „ bere non potest, sive etiam utilitatis temporalis, v.g. „ ut ab eo restitutio vel debitum ex contractu petatur. „ Contractus tamen novos cum ipso inire non licet, „ etsi, si ineantur, sint validi, cùm nulla sit lex irritans. „ 2. In casu legis matrimonialis: quomodo uxori liceat „ communicare cum marito, & contrà, nisi factum „ sit divortium, Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 122. Non tamen „ sponso de futuro cum sponsa, Diana *R.* 136. *ex* „ *Sayr. Sanch. & Fill.* 3. In casu subjectionis: quomodo „ possunt filii etiam emancipati ; addit Dian. *R.* 118. „ 119. *ex Con. Fill. Hurt. &c.* etiam adoptivi vel ille- „ gitimi, imò etiam nepotes, pronepotes & in eodem „ genere affines, communicare parenti, servi & an- „ cillæ domino, si ante excommunicationem fuerint in „ servitio. Similiter religiosi Prælato : non tamen nisi „ quoad eam communicationem, quæ ab habitantibus „ in eadem familia evitari non potest, Dian. *R.* 127. „ contra Sot. Vid. Fill. *t.* 12. *n.* 205. Lay. & Bon. *l. c.* 4. „ In casu ignorantiæ Juris vel facti. 5. In casu ne- „ cessitatis, sive animæ, sive corporis, sive bonorum „ temporalium : qui casus hoc versu comprehenduntur.

Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

ADDENDA.

197 *Quæst.* 25. *Quid præterea sit notandum circa effectus excommunicationis majoris, & speciatim circa casum passivum & activum Sacramentorum, quo privatur excommunicatus* ? R. §. Novendecim horrendos effectus excommunicationis majoris recenset Nav. *in Man. c.* 27. *à num.* 1. & ex illo Branden *ad concordata Germaniæ post q.* 12. *Not.* 7. de quibus sequentibus aliqua addam. Multa autem, quæ hìc strictim habet *Busemb.* explicavi fusiùs in antecedentibus, ad quæ remittam, nam 1. Dixi *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 211. ex causa rationabili & quando deest alius, licitum esse suspere aut etiam petere Sacramentum à Ministro tolerato, qui, si velit, possit dignè ministrare : attamen addidi *ibidem n.* 215. excommunicatum toleratum non posse se ingerere, quamvis possit conferre Sacramentum, si requiratur : Potestque de hoc etiam videri Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 9. *n.* 7. §. 8. *Ibid. n.* 620. dixi Viaticum peti debere ab hæretico excommunicato, suspenso, si alius desit, & uti aliqui tenent, quamvis esset etiam denuntiatus, & foret occasio suscipiendi alia Sacramenta. 2. Dixi *lib.* 6. *par.* 1. *n.* 269. eum peccare, qui extra necessitatem extremam petit administrationem Sacramenti à Ministro non tolerato ; probabiliter autem censeri extremam necessitatem, si quis non potens confiteri deberet decedere sine Viatico, vel extrema Unctione : Et de hoc iterum dicam paulò post. 3. Dixi *l.* 6. *p.* 1. *n.* 538. *& p.* 2. *n.* 1569. excommunicato contrito etiam vitando licitum esse in necessitate sumere Eucharistiam, & idem est de aliis actionibus. Quænam sit talis necessitas, dixi *l.* 6. *p.* 1. *à n.* 555. *& p.* 2. *n.* 1569. extra necessitatem tamen, quamvis se submitteret, & retractaret delictum, non potest accedere ad Sacramenta, nisi acceperit absolutionem, secundùm dicta *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1570. *& hic n.* 127. 4. Dixi *l.* 1. *n.* 794. *& l.* 6. *p.* 1. *n.* 626. excommunicatum teneri, quàm primùm potest, tollere hoc impedimentum Confessionis annuæ, aut etiam Communionis Paschalis : quamvis fortè non teneatur tollere ex vi præcepti Missæ audiendæ, attamen ibid. *l.* 1. *n.* 790. dixi Sacerdotem, qui ex justitia, v.g. ex stipendio accepto tenetur celebrare Missam, etiam teneri procurare absolutionem ab excommunicatione, aut alteri committere celebrationem. 5. *Dixi* l. 6. p. 2. à n. 1564. excommunicatum non toleratum esse privatum omni jurisdictione ; ideóque Parochum ita excommunicatum non posse jurisdictionem delegare alteri ad audiendas confessiones suorum. Ibidem dixi toleratum posse absolvere, si requiratur & contritus sit. Item dixi ibidem pœnitentem debere priùs absolvi ab excommunicatione, quàm à peccatis. 6. Cùm Parochus non sit Minister Matrimonii, nec per hanc excommunicationem privetur Officio Parochi, quamvis sit excommunicatus & vitandus, validè assistit, & licentiam dat assistendi Matrimonio suorum, uti dixi *l.* 6. *p.* 3. *n.* 729. Et si sit toleratus, ac requiratur, etiam licitè, quia requisitus licite communicat cum requirentibus, secundùm ante dicta. 7. Dixi l. 4. n. 774. validè excommunicatum excommunicatione majore, etiam ab homine, & injustè, etiamsi sit toleratus, & occultus, aut nesciat se excommunicatum, aut putetur esse *absolutus, nihilominùs* esse inhabilem ad omne *Beneficium*, & *pensionem* quomodocunque acquirendam : quid autem dicendum sit, si provisio facta sit ante, sed possessio capiatur in excommunicatione. Item si electio vel præsentatio facta sit tempore excommunicationis, sed acceptatio, confirmatio aut institutio extra, dixi ibid. à n. 755. 8. An excommunicatio credioris, vel debitoris excuset à restitutione, dixi l. 3. p. 2. n. 466.

§. 2. Qui in excommunicatione recipit Sacramen- 198
tum Ordinis, manet suspensus : si autem alia Sacramenta recipiat, peccat quidem mortaliter, sed nullam incurrit pœnam Ecclesiasticam, Dicast. *d.* 2. *n.* 635. An autem validè ordinetur excommunicatus si Episcopus ante ordinationem edicat se nolle tales ordinare, dixi l. 6. p. 2. n. 2231.

§. 3. Si volens recipere Sacramentum nesciat se esse 199
excommunicatum vitandum, ministrans autem hoc sciat, recipiens excusatur per ignorantiam, *sed* Minister peccat mortaliter quia agit contra gravem prohibitionem Ecclesiæ. Bon. *d.* 2. *p.* 2. *pu.* 1. §. 2. *qui n.* 4. idem dicit quamvis excommunicatus sit toleratus, & non vitandus, quia cooperatur actioni de se illicitæ, sed contradicit Dic. *n.* 641. quia nulla circa hunc est prohibitio, cùm Ecclesia permittat etiam in divinis communicationem cum eo, neque ex ullo capite apparet obligatio talem excommunicatum admonendi, præsertim si ex officio non teneatur, neque commodè facere possit. Rectè autem notant Suar. & Castr. *d.* 2. *pu.* 7. ex eo, quòd talis excommunicatus non vitandus sciatur fuisse excommunicatus, non posse judicari indignè accedere, nisi certò constet non esse absolutum, si enim sciatur esse conscientiæ non malæ, 200
præsumi non debet peccare velle.

§. 4. Sylv. Sot. Vasq. Hurt. & alii putant excommunicatum, qui ex ignorantia, vel oblivione non manifestat censuram, non posse validè & fructuosè

recipere Sacramentum Pœnitentiæ, quia Ecclesia talem separat à participatione Sacramentorum, quantum potest: Oppositum affirmant Suar. *d.* 10. *l.* 3. Castrop. *d.* 2. *pu.* 7. *n.* 3. nullo enim Jure Sacramentum est irritum, nec separat Ecclesia eum, quantùm potest, cùm communionem cum illo, si denunciatus non sit, permittat fidelibus, & orationem privatam concedat etiam pro denuntiato, & ideò etiam putat *Dicast.* hunc validè absolvendum, si ita ignorans, & bona fide accedat. Vide dicta l. 6. p. 2. n. 1568.

201 §. 5. *Si moribundus recepisset Sacramentum Pœnitentiæ, Avila,* & alii putant excommunicatum vitandum non posse illi ministrare Eucharistiam, vel extremam Unctionem, quia hæc non ita sunt necessaria ad salutem, sed Suar. Castrop. *n.* 7. Dicast. *n.* 666. & 667. probabiliùs dicunt licere, sunt enim utilissima, & veluti necessaria animæ in periculosissimo articulo constituræ, unde si licitum sit in necessitate ab excommunicato vitando petere cibum corporis, & arma, quibus defendas vitam, multò magis cibum animæ, & robur pro extremo agone: si tamen Pœnitentiam, & Eucharistiam suscepisset, putat. Castr. *num.* 8. non esse illi ab excommunicato vitando ministrandam extremam Unctionem.

202 §. 6. An Episcopus excommunicatus validè conficeret Ecclesiam, dixi l. 6. p. 2. n. 280. Putat autem *Less.* in Auct. v. *Absolutio*, casu 11. valdè probabile esse, si quis inculpatè ignoret suam excommunicationem, validè ipsi delegari potestatem audiendi confessiones, ita ut post absolutionem ab excommunicatione possit ea licitè uti absque nova delegatione.

203 §. 7. Parochus, qui occultè excommunicationem, vel suspensionem incurrit, si nequeat priùs impetrare absolutionem, potest elicita priùs contritione audire confessiones subditorum justa de causa confiteri petentium, excusat enim eum jus conservandæ famæ suæ, *Barb.* & alii multi cum *Lohner.*

204 *Q.* 26. *Quid addendum sit circa suffragia Ecclesiæ, & divina officia, quibus privatur excommunicatus?* Resp. §. 1. Quando dicitur excommunicatum privari communibus Ecclesiæ suffragiis, sensus est, quòd privetur suffragiis ex illis actionibus, quæ fiunt ab Ecclesiæ Ministris nomine Ecclesiæ. Hinc non ideò privatur fructu, qui venit ex intentione Ministri operantis nomine suo: neque ideò privatur fructu v. g. satisfactionis, qui provenit ex intentione Ministri operantis in persona, & nomine Christi, de illis enim fructibus Ecclesia non disponit, sed privatur fructu illo, qui respondet operanti, ut agenti nomine Ecclesiæ, Ecclesia enim non vult, ut hoc, quod nomine suo fit, ei applicetur, ideóque applicaretur invalidè, Gibal. Krim. *n.* 1875. Prohibentur autem Ministris Ecclesiæ sacrificium, & actiones publicæ, etiam eæ, quas nomine suo, vel Christi ponunt, directè offerre pro excommunicatis vitandis, hinc si offerrent, fieret validè secundùm dicta l. 6. p. 2. n. 32. sed illicitè, Krim. *n.* 1881. Pro excommunicatis toleratis validè, & licitè offerri etiam publicè, & directè, dixi l. 6. p. 2. n. 34. Et pro vitandis etiam sub Memento orari. potest privatim.

205 §. 2. Si excommunicatus vitandus sit contritus, & per eum non stet, quominùs absolvatur, plures, quos citavi l. 6. p. 2. n. 31. præsumunt de ea mente Ecclesia, quòd nolit privari suffragiis: sed meliùs contradicunt alii, quos ibidem secutus sum, & consentiunt Laym. Hurt. Castrop. Gibal. Krim. *n.* 1880. quia id videtur decidi Cap. *Nobis* 28. De sent. excomm. quod etiam ibidem retuli. Docet tamen probabiliter Krim. *n.* 1884. in casu necessitatis, quo talis licitè celebraret Missam, etiam licitè, ac validè offerre cum nomine Ecclesiæ pro seipso, quod enim ei non prosit alienum sacrificium, est, quia Ecclesia non vult, ut alius communicet cum ipso, Ecclesia autem non prohibet, ut ipse secum ipso communicet.

§. 3. Dixi l. 6. p. 2. à num. 1355. Indulgentias non 206
prodesse excommunicatis, seu vivis, seu defunctis, quòd intelligitur de vitandis, ac etiam de toleratis, itaut ipsimet lucrari non possint. E contrà si indulgentia esset applicabilis tolerato etiam vivo, & ei applicaretur, putat Krim. *n.* 1886. huic profuturam, quia licitum est cum eo communicare.

§. 4. Si excommunicatus vitandus intersit v. g. 207
Missæ, putat *Castrop.* eum incurrere excommunicationem minorem, sed probabiliùs negat Krim. *num.* 1904. quia non ideò communicat cum aliquo excommunicato vitando, Excipit 1. Nisi esset Sacerdos coram se celebrari faciens. 2. Nisi monitus nollet exire, tum enim incurrit excommunicationem Papæ reservatam, Cap. *Eos*, De sent. excomm. & Clement. 2. eod. tit. Si autem Sacerdos à potestate Episcopi exemptus, celebraret coram excommunicato vitando, præter minorem excommunicationem incurreret interdictum ab ingressu Ecclesiæ, Cap. *Episcoporum* De privileg. in 6. Et qui cum excommunicato vitando pergunt audire Missam, secundùm communem peccant mortaliter, quamvis Henriq. Sayr. Fill. Krim. *n.* 1905. probabile esse, quòd venialiter tantùm, si non dicant sint ei causa manendi.

§. 5. Etiam excommunicatus toleratus prohibetur 208
interesse Missæ, nisi forte requireretur, ut ministraret in defectu alterius, Cap. *Illud*, De Clerico excomm. ministr. Cap. ult. De sent. excomm. in 6. Suar. Castrop. *d.* 2. *pu.* 9. *n.* 2. Dicast. *d.* 2. *n.* 696. 697.

§. 6. Si excommunicatus profugerit ad templum, 209
& ibi hæreat, ne capiatur, non attendens ad Divina, potest Missa ibi celebrari, & ab aliis audiri, quia non censetur communicare illis Divinis, Dicast. *num.* 694.

§. 7. Excommunicati vitandi possunt ingredi tem- 210
pla, ut privatim soli orent, item orare possunt, quando datur commune signum ad salutandam B. Virginem, quamvis enim plerique tum orent, tamen unusquisque censetur orare pro se, similiter possunt uti sacris reliquiis, aqua benedicta, &c. hæc enim omnia nullo Jure ipsis prohibentur, uti cum communi docet Castr. *n.* 14. Dic. tamen *n.* 740. dissentit de aqua benedict., quia benedicitur, ut prosit fidelibus, & utens illa, quantùm potest, facit se participem suffragiorum Ecclesiæ, quod excommunicato est prohibitum.

§. 8. Excommunicatum etiam vitandum teneri 211
orare Horas, dicetur n. 224. Si autem famulus cum domino suo excommunicato privatim recitet Horas, non peccat, quia hoc non est ministerium Ecclesiasticum, sed privatum obsequium, ad quod tenetur famulus, si dominus velit, nec famulus privatur communicatione domini sui in illis, in quibus deservire tenetur, Cap. *Quoniam multi* 11. *q.* 3. Suar. Dicast. *n.* 724. An autem excommunicatus possit concionari, vel docere: item interesse concioni, aut lectioni alicui, dicetur n. 281.

Q. 27. *Quid addendum sit circa communionem* 212
forensem, & usum jurisdictionis, quibus privatur excommunicatus? Resp. §. 1. Per communicationem forensem intelligitur quilibet actus pertinens ad judicium fori externi: potestque semper fieri exceptio contra excommunicatum vitandum, qui talem actum exercuit, dummodò fiat ante executionem sententiæ, Castrop. *d.* 2. *pu.* 14. *n.* 2. & tamen reus excommunicatus potest trahi in judicium, neque ideò potest se excusare, quòd sit excommunicatus, alioquin reportaret commodum ex sua excommunicatione, Castrop. *num.* 23.

§. 2. Testamentum ab excommunicato vitando 213
factum nullo Jure irritum est, *Castr.* Hinc moribundus, qui

qui non potest obtinere absolutionem, etiam, licitè facit testamentum, quia censetur actus necessarius, quem non negabit Ecclesia, Avila, Dic. *d.2. n.822.* Imò. Con. & alii, teste Krim. *n.2005.* excommunicatus vitandus validè instituitur hæres. Attamen tam activa, quàm passiva testamenti confectio interdicitur sequentibus. 1 Hæreticis eorumque fautoribus. 2. Percutientibus, & inlequentibus Cardinalem. 3. Reis læsæ Majestatis. 4. Usurariis manifestis, nisi cautionem præstent, Krim. adducens Jura.

214 §. 3. Parochum etiam vitandum validè assistere, & delegare potestatem assistendi *Matrimonio*, *dixi* l. 6. p. 3. n. 729. similiter *admissio* ad professionem religiosam, aut *commissio* admittendi facta à Prælato excommunicato est valida, quia non est actus jurisdictionis propriæ, sed usus cujusdam Superioritatis competens etiam fœminis, & laicis, Suar. Lay. Castr. *p.* 15. *n.* 4. Kri. *n.* 1997.

215 §. 4. Si subditus faciat aliquid animo obediendi suo Superiori laico, qui est excommunicatus vitandus, peccat mortaliter, quia est quædam communicatio in divinis, quæ cadit sub directam prohibitionem, per hoc enim agnoscit in eo jurisdictionem, quam tamen sustulit censura: si tamen faciat tantùm ex urbanitate, vel verecundia, non erit mortale, Suar. Dica. *n.*828. Leand. Krim. *n.*1980. Nequidem Religiosum posse obedire Prælato excommunicato docent Suar. Leand. Krim. *num.* 1980.

216 §. 5. Quomodo excommunicatus vitandus privetur usu jurisdictionis, pluribus explicat Pignar. *tom. 9. cons.* 160. Et quamvis ipso facto non privetur officio, tamen secundùm communem sensum, & consuetudinem Ecclesiæ censetur inhabilis ad acquirendam novam jurisdictionem, Dicast. *n.* 747. 872. Intelligunt autem hoc Suar. Hurt. Castrop. *pu.* 10. *n.* 11. Krim. *n.*1987. de jurisdictione in muneribus, & officiis Ecclesiasticis, pro temporalibus enim putant valere nominationem, aut electionem, quamvis sit prohibita, & veniat irritanda. Admittunt etiam omnes, si quis ab intestato acquirat aliquod dominium temporale, cui annexa est jurisdictio, tunc validè acquirere jurisdictionem, quia accessorium sequitur naturam principalis, Jura enim non annullant acquisitionem dominii temporalis, ergo nec jurisdictionis illi annexæ, quamvis usus illius prohibeatur tempore excommunicationis, Dicast. *n.* 748. Castrop. *n.* 1.

217 §. 6. Excommunicatus toleratus non amittit jurisdictionem; hinc valida sunt, quæ agit etiam irrequisitus, cùm hoc sit in favorem, & utilitatem fidelium, *Suar. Con. Laym.* Si autem agit requisitus, etiam licitè agit, quia tum ei licita est communicatio secundùm ante dicta, & Krim. *n.* 1983.

218 *Q.* 28. *Quid addendum sit circa collationem Beneficii, privationem fructuum, & Rescripta respectu excommunicatorum excommunicatione majore?* R. §. 1. Nav. Less. Hurt, & alii cum Kri. *n.* 1932. putant collationem Beneficii factam excommunicato tolerato esse validam, quod Suar. Felin. Dic. *d.* 2. *num.* 772. dicunt esse probabile, quia Conc. Constant. permisit communicationem cum illo, adeóque videtur sustulisse dispositionem Juris positivi, qua talis electio reddebatur invalida. Docet propterea Dicast. *n.* 756. eum, qui innocens est, & tamen debet sustinere sententiam excommunicationis secundùm allegata, & probata justam, reipsa autem injustam, esse capacem Beneficii: sententiæ oppositæ sunt probabiliores, & conformiores dictis l. 4. à n. 774. Jura enim dicunt excommunicatum esse incapacem novi juris Ecclesiastici acquirendi, nec distinguunt inter vitandum, & toleratum, & cùm etiam injustè excommunicatus debeat se in foro externo gerere tanquam excommunicatum, acceptare non poterit Beneficium. An autem excommunicatio habeat similem effectum circa collationem in Canonessarum præbendis, quæ propriè beneficia non sunt, colligi potest ex dictis l. 4. n. 230.

§. 2. Etiam permutatio Beneficii, vel resignatio facta 219
existenti in excommunicatione majore est irrita, quia Jus irritat omnem pro illo acquisitionem Beneficii, Nav. Con. Lay. Castr. *d.* 2. *p.*10. *n.* 2. Krim. *n.* 1946. Attamen dixi l. 4. n. 1088. talem permutationem esse irritam tantùm respectu excommunicati, non autem alterius, qui novæ collationis capax est. Nec juvat, quòd excommunicatus fortè nescierit se excommunicatum, quia privata ignorantia non potest dare valorem actui, sed relinquit inhabilitatem, uti probabiliùs tenent Authores cum Dic. *n.*744. & Krim. *n.*193. contra alios quorum sententiam Less. *De just. l.2. c.*34. *dub.*22. putat esse probabilem: Neque etiam juvat, quòd permutatio, vel resignatio fiat authoritate Superioris, qui utrique posset conferre Beneficium, quia de facto non confert, sed tantùm vult dispensare circa illud ex causa permutationis, vel resignationis, ergo cùm excommunicatus ab altero nequeat jus obtinere, actus erit nullus, Dicast. *n.* 758. Quòd si excommunicatus vitandus Beneficium resignet in manus Episcopi, ut conferat, cui velit, Suar. & Castrop. *p.*13. *n.*25. putant fieri validè, quia actus ille non est usus ullius potestatis, vel juris Ecclesiastici, sed propriæ voluntatis, neque sic resignans concurrit ullo modo ad collationem faciendam, sed solùm ad se expoliandum, quod facere potest, cùm sit actio privata, & meritò debet, cùm exercere non possit officium: Si autem resignet in favorem tertii, Suar. Fill. Dicast. *n.* 871. putant fieri invalidè, quia aliquo modo concurrit ad collationem, eò quòd restringat voluntatem conferentis ad hanc præcisè personam. Sed contradicunt probabiliùs Bonac. Castrop. *num.* 26. Krim. *n.* 1970. quia, quamvis in tantum concurrat, ipse tamen nullum jus confert, nec exercet actum jurisdictionis.

§ 3. Putant *Con.* & alii excommunicatum posse 220
acquirere pensionem, quia Jus tantùm irritat acquisitionem Beneficii, quale non est pensio, eò quòd non sit jus perpetuum perpetuum percipiendi fructus. Leuren. *De Benef. q.* 524. contradicit, nam ideò non amittitur absolutio pensionarii a Censuris. Castr. *n.*6. dicit, si pensio sit in perpetuum extracta ex fructibus Beneficii, habere rationem Beneficii, seu præstimonii, adeóque invalidè conferri excommunicato, uti & tum, quando assignatur propter aliquod munus spirituale exercendum, cùm enim excommunicatus prohibentur munus spirituale exercere, consequenter est incapax pensionis propter illud assignatæ: si autem esset pensio merè temporalis, qualis etiam laicis assignatur, excommunicatus esset illius capax. Denique si sit partim temporalis, partim spiritualis, uti est pensio concessa Clerico, Beneficium resignanti, vel permutanti, aut relicta Parocho seni ad sustentationem, *Suar. Vasq. Bon.* aliique multi cum Dicast. *n.*752. dicunt excommunicatum esse illius incapacem, quia excommunicatus est incapax omnis clericalis privilegii, quale hoc est; sed Laym. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 1. *n.*8. cum alii, probabiliter dicit capacem esse, quia nullus textus Juris reddit illum incapacem illius privilegii.

§ 4. Si beneficium sit alicui collatum, quando erat 221
in excommunicatione, ipse verò procuret absolutionem ab ea, & tunc accepter Beneficium, præter citatos l. 4. n. 776. putant *Less. Laym.* & alii probabile esse, quòd acceptatio sit valida, quia voluntas collatoris censetur permanere, ergo si interea se reddat capacem Beneficii, non est ratio, cur acceptare non possit: Sed oppositum ibidem tenui, & præter ibi relatos idem tenent Con. Castrop. *n.* 10. Dic. *n.*780. quia collatio tantùm permanet in prima voluntate, quàm

quam habuit, quando conferebat, neque habet voluntatem novam iterùm conferendi, ut suppono, cùm non sciat primam collationem fuisse invalidam, ergo cùm illa prima voluntas fuerit invalida, voluntas illa perseverans manet invalida, ideóque debet moneri collator, ut nunc iterùm conferat: Similiter docet Dicast. *n.* 761. si quis in excommunicatione existens sit præsentatus à Patrono, etiamsi collatio fiat post obtentam absolutionem, hanc tamen collationem esse invalidam, quia est facta ex vi præsentationis irritæ, ergo & ipsa collatio est irrita, non aliter, atque si facta esset ex præsentatione patroni excommunicati. Addit *Avila* etiam impetrationem litterarum ad Beneficia vacatura esse nullam, si obtineatur ab excommunicato, quamvis posteà ipsi absoluto conferatur Beneficium, quia confertur ex vi impetrationis, quæ erat nulla, ita Dic. *nu.* 762. Quòd si è contrà electio, vel collatio Beneficii facta sit ante excommunicationem, sed Beneficium acceptetur, vel possessio capiatur post contractam interèa excommunicationem, Avila, Nav. & Covarr. dicunt esse validam: Suar. & Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 11. negant, quia si acceptatio esset valida, jam posset excommunicatus acquirere jus in Beneficio Ecclesiastico, quod est contra statuta Eccles. Vide dicta l. 4. n. 775.

222 §. 5. Absolutio generalis à censuris, quæ ad cautelam præmitti solet collationibus Beneficiorum, non prodest illis, qui se opponunt rei judicatæ, seu sententiæ à Judice Ecclesiastico latæ; neque violatoribus Ecclesiasticæ libertatis; falsificantibus, seu falsificari curantibus litteras, & supplicationes Apostolicas; uti neque iis, qui talibus litteris utuntur; Similiter neque iis, qui ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperant, & Nuntios, vel Executores Sedis Apostolicæ, & ejus Officialium ipsis commissa exequentes impediunt; uti neque iis, qui propter promissa, vel aliquid eorum à Jure, vel homine per 4. menses scienter excommunicationis sententiam sustinuerunt; & generaliter nulli suffragatur, qui ligatus censura aliqua, quæcunque ea fuerit, per annum continuum in ea insorduisset, Sayr. Bonac. Pelliz. *tr.* 7. *c.* 1. *n.* 127. addit Castrop. suprà *n.* 27. & Dicast. *n.* 700. etiam illis non
223 prodesse, qui sunt excommunicati ob hæresin.

§. 6. Occultus excommunicatus tenetur manifestare suam excommunicationem: quando aliter non potest se excusare ab acceptatione Beneficii, dummodò ea manifestatio fieri possit sine probabili periculo scandali, vel infamiæ, quia quisque tenetur obedire Ecclesiæ, & servare effectus censuræ, quando potest: si tamen immineat periculum scandali, vel infamiæ, potest permittere, & statim dispensationem petere, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo, Suar. Dicast. *n.* 785. Imò putat Dicast. *n.* 765. acceptantem in excommunicatione non peccare, dummodò non habeat animum exercendi officium, usquedum absolvatur: & addit nu. 766. si absolvatur, hoc ipso acquirere jus in Beneficio, sed standum est anteà dictis, & videnda
224 dicta l. 4. n. 781.

§. 7. Excommunicatus etiam vitandus tenetur orare Horas, quamvis ad illas obligaretur ex solo titulo Beneficii, cujus fructus jam non perciperet, quia retinet Beneficium, ipsius autem culpa est, quòd non percipiat fructus, ideóque hæc privatio est pœna, quam illi Ecclesia imponit, Nav. Covarr. Avil. Suar. Lay. Bonac Castrop. Dic. *n.* 734. Krim. *n.* 1907. Et quamvis communis dicat debere loco *Dominus vobiscum* dicere, *Domine, exaudi orationem meam*, eò quòd prior oratio sit actus personæ publicæ, *Avila* tamen, & *Hurt.* dicunt per hoc nequidem venialiter peccaturum, quia adhuc potest censeri oratio privata, & alioqui debet abstinere à pluribus orationibus in Breviario.

§. 8. Si ille, qui conferre debet Beneficium, eligere, 225
instituere, confirmare, sit excommunicatus vitandus, invalidè agit, quia ad ista requiritur jurisdictio, qua privatus est, uti habent Jura apud Krim. *n.* 1966. & colligitur ex dictis: idemque dicit Krim. de Clerico excommunicato vitando, si ex officio Ecclesiastico præsentet, quia conferre debet aliquod jus spirituale ad rem: Electio tamen Papæ ab excommunicatis facta valet, Cap. *Romani*, §. *Cæterùm* De elect. Putat enim Castrop. *p.* 13. *n.* 17. probabilius esse contra *Covarr. Vasq. Hurt.* quòd præsentatio ad Beneficium facta à laico vitando, vel à Clerico titulo Patrimonii, aut alio sæculari, valida sit, ideò enim irritatur præsentatio Ecclesiastica, quia confert jus præsentato, præsentatio autem laica non confert jus illud, nam collatio ab alia persona Ecclesiastica fieri debet, collaror tamen aut qui instituere debet, potest, imò tenetur illam præsentationem repellere, ne cum excommunicato communicet, Krim. *n.* 1989.

§. 9. Excommunicatus toleratus validè, & licitè 226
confert, eligit, &c. si requiratur à non excommunicato, quia privatus non est jurisdictione, Suar. Laym. Castrop. Krim. *n.* 1983. & requisitus post Conc. Constant. licitè communicat cum fidelibus.

§. 10. Si quis titulo Patrimoniali sit ordinatus, certum est non privari fructibus sui tituli, quia bona illa manent omnino temporalia, neque circa illa quicquam disponit Ecclesia, possuntque etiam vendi sine simonia, ita cum aliis Dicast. *n.* 788. 227

§. 11. Qui bona fide acquisivit Beneficium, quando 228
existebat in excommunicatione, & interim Beneficio inservivit, probabile est posse retinere fructus percepros correspondentes tali servitio, etiamsi Beneficium non esset curatum, quia tum non retinet illos ex titulo Beneficii, sed ex titulo obsequii præstiti, Nav. Henriq. Avil. Con. aliique cum Castrop. *p.* 11. *n.* 1. & Dicast. *n.* 743. iterumque ex professo à nu. 792. ubi respondet argumentis Suarii in contrarium. Notatque etiam Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 15. *n.* 4. talem posse saltem usucapione triennali talium fructuum dominium acquirere, nec teneri restituere, nisi ad summum extantes, vel quatenus est factus ditior.

§. 12. Qui injustè est excommunicatus, quamvis 229
abstinere debeat à Choro, retinet jus ad fructus, & distributiones omnes, quia ubi non præcessit culpa, sequi non debet pœna, communis cum Dic. *n.* 804. Si autem talis injustè excommunicatus etiam ante excommunicationem non solebat interesse Choro, *Nav.* adhuc dicit deberi ipsi distributiones, quia poterat mutare voluntatem, & assistere: Oppositum tamen videtur probabilius cum Dicast. *n.* 805. quia ex consuetudine emanendi prudenter judicatur adhuc fuisse emansurus, ergo nullo titulo videtur posse jus habere ad distributiones: aliud est de infirmo, etiamsi hic soleret abesse, probabile enim est Ecclesiam absolutè jus ad distributiones dare talis, qui propter infirmitatem absunt.

§. 13. Qui sciens injustè excommunicavit, vel dedit 230
causam excommunicationis, tenetur excommunicato restituere has distributiones, quia est injusta causa damni, si autem ex nulla parte intervenerit formalis injustitia, tenebuntur ex re acceptâ restituere illi, qui participarunt, in hoc enim casu non censetur dominium illarum irrevocabiliter esse in eos translatum: qui tamen distributionem percepisset, v. g. ratione Missæ cantatæ, quam cantare debuisset excommunicatus, non videtur, teneri hanc restituere, quia qui laborem posuit, justè fruitur fructu, ita AA. probabiliter apud Dicast. *à n.* 809.

§. 14. Quando excommunicatus recedit à contu- 231
macia, & tamen absolutionem obtinere nequit, si hæc absolutio injustè negetur, fructus & distributiones

illi

illi debentur, uti deberentur illi, qui injustè vinculis ligaretur domi, ne Choro assisteret, & præstaret officium: si autem absolutio negetur non injustè, sed v.g. quia expectatur satisfactio, vel abest ille, qui deberet absolvere, gravissimi AA. putant illi deberi fructus, & distributiones, quia legitimè censetur impeditus, non aliter, aç ille, qui ob infirmitatem emanet à Choro, & hanc sententiam Dic. *num.* 815. defendit velut probabilem; è contrà Suar. Bonac. & Castrop. *n.* 14. probabilius dicunt ei non deberi, quia excommunicatio privat illis, ergo quandiu justè perdurat excommunicatio, tandiu durat illa privatio: *neque simile* est in infirmitate, *hæc enim non est de se impedimentum culpabile, quominus* percipiatur fructus, quale impedimentum est excommunicatio. Quòd si aliquis dedisset causam infirmitati in fraudem legis, & ad declinandam obligationem assistendi, docet pariter Dicast. *num.* 817. non posse percipere fructus, & distributiones, poterit tamen, quamvis fuisset causa morbi, dummodò non egerit fraudulenter, ut communiter tenent AA. quia Ecclesia absolutè facit gratiam infirmis, non tamen fraudulentis, eò quòd nolit alicui suam fraudem prodesse. Vide dicta l. 4. n. 1210.

232 §. 15. Fructus, quos percepit ille, qui justè excommunicatur restitui debent fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus; distributiones autem quotidianæ, illis, qui interfuerunt Choro, nisi alicubi alia esset consuetudo, ita cum aliis Dicast. *n.* 818.

233 §. 16. Rescriptum Sedis Apostolicæ, & quæcunque Bulla ab excommunicato impetrata in alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo, est ipso Jure irrita, nisi ad cautelam inserta fuerit absolutio à censuris, Cap. 1. *De rescriptis in* 6. Laym. suprà. *n.* 12. Dicast. *n.* 754. Castrop. *p.* 12. *n.* 1. notans contra *Archid. Nav. Suar.* valere etiam de excommunicato tolerato, sed non esse extendendum ad concessiones ab alio, quàm à Papa factas, & consentit Krim. *n.* 1974.

234 §. 17. Si Rescriptum, quo à Pontifice confertur Beneficium, sit in forma gratiosa, valet collatio, quia illi inseritur absolutio ad illum effectum. Idem dicunt Gibal. & Krim. *n.* 1975. contra Castrop. *p.* 10. *n.* 28. quamvis esset in forma commissoria, si tamen post acceptum Rescriptum inciderit in novam excommunicationem, dicunt opus fore nova absolutione.

235 *Q.* 29. *Quid notandum sit circa negationem sepulturæ Ecclesiasticæ?* R. Hæc pœna incurritur per defectum Baptismi, per duellum, per excommunicationem, per interdictum aliasque causas: & quia nullus est proprius locus in Morali, in quo universaliter tractetur de juribus, & privationi sepulturæ, nonnulla hìc apponam, quæ servire poterunt ad praxin.

236 §. 1. Electio sepulturæ, ut fiat, v. g. in hoc, vel illo loco, nequit impediri à Parocho, dummodò ei detur quarta pars funeralium, ideſt, portio ob mortem alicujus ei debita secundum consuetudinem cujusvis Parochiæ, unde potest quis alibi sepeliri, licèt Parochus id nolit, idcóque recusèt comitari, Barbosa. *De off. Parochi p.* 3. *c.* 26. *n.* 19. Lohn. & alii cum Gob. *in Quint. tr.* 5. *c.* 50. *n.* 74. *&* 81. peccantque graviter Parochi, & excommunicantur per *Clementem, & Urban. VIII.* qui ideò plus petunt, quia sepelitur apud Religiosos, Pign. *to.* 4. *conf.* 208. Pelliz. *De Regul. tr.* 8. *c.* 5. *n.* 173. E contrà tamen etiam peccant Religiosi, qui inducunt personas sæculares ad jurandum vel vovendum, quòd eligere velint sepulturam in ipsorum Ecclesiis, aut quòd talem electionem nolint immutare, est enim contra gravem prohibitionē *Bonifacii VIII.* Pelliz. *n.* 175. & Steph. à S. Paulo *tr.* 4. *d.* 9. *n.* 43. Quòd si inducant ad eligendum, non peccant, Pelliz. *c.* 2. *n.* 100. & Steph. suprà; prohibetur tamen, ne ullus intra Monasterium Monialium sepeliatur, benè autem intra Ecclesiam exteriorem, Pelliz. *c.* 5. *n.* 174. De quo multa videri possunt apud Pign. *to.* 4. *conf.* 177. qui *tom.* 1. *conf.* 116. rectè dicit posse esse justas causas concedendi, ut filia cujusdam Principis etiam intra clausuram Monialium sepeliatur. Dubitatur autem, an peccetur, si cadaver alicujus defuncti occultè transferatur de uno in alium locum, ubi sepeliatur, non persoluta quarta parte funeralium illis Parochis, per quorum Parochias transit: Pelliz. *n.* 177. dicit nullum fore peccatum, quia usus etiam timoratorum habet, ut ideò sibi non faciant scrupulum, unde talis lex non censetur habere locum pro foro conscientiæ, attamen notat Manigart *in praxi Pastorali pag.* 1098. ex declaratione *S. Congreg.* 12. Januarii 1604. nullos Regulares invito Parocho posse efferre funus è Parochia.

§. 2. Si quis sepeliatur in Ecclesia Regularium 237
exemptorum, Parochum non tantùm posse prosequi, sed etiam cum Cruce, superpelliceo, & stola adstare funeri in Ecclesia Regulari, attamen officium sepulturæ peragendum esse à Regularibus, latè probat Pignat. *to.* 3. *conf.* 48. Quòd si in Ecclesiis Regularium, vel quibuscunque aliis funeralia non peragantur, his non competit pars ulla funeralium, sed soli Parochiæ, Pign. *to.* 6. *conf.* 88. Possunt etiam Regulares concordare cum Parochis, ut hi officium illud peragant in Ecclesia Regulari, ut probat idem Pign. *to.* 3. *conf.* 50. sed Parochi non possunt petere quartam partem funeralium, si quis sepeliatur apud Regulares ab eo onere privilegiatos, si apud hos etiam fiant funeralia, uti fusè habet Pign. *to.* 9. *conf.* 145. Et è contrà Regulares non possunt cum stola funebri apud se sepeliendum prosequi, quia stola denotat jurisdictionem externam, quam ad hoc non habent, nisi deleget Parochus, Pignat. *to.* 5. *conf.* 54. *n.* 1. Statutum etiam est à S. Congregatione, ut in funeralibus unica tantùm Crux deferatur, non Regularium, sed solius Parochiæ, vel certè solius Capituli cathedralis, si hoc comitetur, nisi alia alicubi sit consuetudo, uti notat. Pignat. *tom.* 6. *conf.* 59. *à n.* 13. & iterum *conf.* 74. Plura adhuc circa controversias inter Parochos, Confraternitates, & Regulares ratione præferendæ Crucis, gestandæ stolæ, & habendi funeralia, videri possunt etiam per declarationes S. Congregationis decisa apud Pignat, *to.* 8. *conf.* 73.

§. 3. Pro contrahenda Parochia, præsertim in ordi- 238
ne ad funeralia, requiri verum domicilium, id est, cum animo perpetuo ibi habitandi, docent Pignat. *to.* 7. *conf.* 63. Pontius *De Matrim. l.* 5. *c.* 15. §. 2. & alii, idcóque putant Ecclesiæ domicilii deberi quartam partem funeralium, sed standum est dictis l. 6. p. 3. à n. 721. nempe per animum alicubi habitandi per majorem anni partem acquiri quasi domicilium sufficiens ad omnia Sacramenta, excepto Ordine; itemque ad funeralia, & docet quotidiana praxis in his partibus, si hìc moriatur externus studiosus vel ancilla, quòd hìc sepeliatur, nec quicquam ideò solvatur Parocho proprii domicilii. Atque hanc sententiam latè cum aliis tenet Sperell. *dec.* 87. ubi etiam docet, si Titius domum propriam in Parochia S Petri elocet, & conducat domum in Parochia S. Martini animo hìc habitandi per majorem anni partem, si hìc moriatur, esse hìc sepeliendum. Infantes sepeliuntur in sepulchris majorum, & præcipuè Patris. Vidua in sepulchro ultimi mariti, etiamsi alibi habitasset, uti fusè Sperell. *dec.* 88. nisi alibi elegisset sepulchrum.

§. 4. Si sæcularis homo iviſſet ad Monasterium ibi 239
tantùm habitaturus, relicto proprio domicilio, putat Pignat. *suprà n.* 12. jus sepulturæ spectaturum ad Parochum illius Parochiæ, in qua est Monasterium.

& si alibi petierit sepeliri, soli Parochiæ deberi quartam partem funeralem, quia exempti habent jurisdictionem tantùm quoad personas subditas Monasterio, non quoad alias, Cap. *Per exemptionem*, De privileg. in 6. Rota sæpiùs, Anchar. & alii: licèt enim Monasteria non sint de Parochia, tamen sunt in Parochia. Et idem dicit de puellis, & famulis in Monasterio habitantibus. Sed contrà est, nam imprimis, si ad Monasterium iverint animo ibi perpetuò habitandi, fatentur *Pignat. & Pontius* suprà contrahi Parochiam, ergo etiam jus sepulturæ; deinde docet absolutè De Luca *De Parochis disc.* 23. si quis moriatur in hospitali intra Parochiam constituto, & in ejus Ecclesia, vel cæmeterio sepeliatur, nihil deberi Parocho: si autem sepeliatur in alio loco extra hospitale, tum tantùm debetur Parocho saltem quarta pars funeralis. Præterea per Bullam Pauli III. habemus, prout refertur in Comp. privil. V. *Familiares*, §. 1. quòd in nostris cæmeteriis sepelire possimus omnes, qui in nostris morantur obsequiis, quod etiam notant Mol. Rodriq. Dicast. *n.* 210. quamvis Gob. *in Quint. tr.* 5. *c.* 42. *n.* 170. hoc intelligat de illis familiaribus tantùm, qui serviunt, & habitant constanter in domiciliis nostris, alii tamen cum Dian. *p.* 8. *tr.* 7. *R.* 95. & *par.* 9. *tr.* 1. *R.* 27. 28. & *p.* 11. *tr.* 4. *R.* 14. intelligunt etiam illos domesticos, qui perpetuò commensales sunt, hi enim etiam sunt de familia: Refert tamen Pignat. *to.* 1. *conf.* 306. declarationem S. Congreg. non licere Regularibus, alicui per aliquot tantùm dies commoranti in suo Conventu Sacramenta ministrare, aut mortuum sepelire absque licentia Parochi, cui etiam quarta funeralis debeatur.

240 §. 5. Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens, & casu moriatur in aliena Parochia, non debet in hac, sed in Parochia domicilii sui sepeliri, quia per istum egressum vel brevem absentiam non amiserat eam Parochiam, nec alteram acquisiverat, Pignat. *to.* 4. *conf.* 151. Notatque Schiara *l.* 4. *diff* 44. legatum, quod quis fecit pro Ecclesia, sub conditione, si ibi sepeliatur, valere, & ab hæredibus solvendum esse, si quid accidat, ob quod non possit, vel non debeat ibi sepeliri, quia talis dispositio ad piam causam, secundùm Jura, & mentem disponentis, est favorabilis & disponenti, & illi, pro quo disposuit, ergo cùm sit utile disponenti dari Ecclesiæ legatum pro sua anima, & per Ecclesiam non stet, quominùs impleatur conditio, favor ille relinqui debet, & disponenti, & Ecclesiæ, pro qua disposuit.

241 §. 6. Si quis habitet in confinio, id est, si domus sit partialiter in fundo duarum Parochiarum, notant Bartol. Bald. Barb. *de off. Episcop. alleg.* 3. *n.* 71. De Justis *l.* 2. *c.* 10. *n.* 64. Pign. *tom.* 8. *conf.* 8. *n.* 7. Kugl. *De Matr. n.* 298. pertinere ad illam Parochiam, ex qua est ingressus in domum, adeóque inquilinos esse in ea sepeliendos. Si autem sint duæ portæ, ex qua Parochia est porta principalis, sive anterior facies domus, quia hæc censetur nobilior. Quòd si tota domus erat in fundo Parochiæ A. & adjungantur ædificia secundaria fundata in vicina Parochia B. hoc ædificium adjectum accedit ad principale, & est ejusdem Parochiæ A.

242 §. 7. Sepultura debet fieri tribus saltem cubitis ab altari in tumba profunda, & non in sepulchro supra terram extructo, potestque, quem vult Parochus, in Ecclesia sua Parochiali sepelire, Nav. Barb. suprà, Pelliz. *c.* 5. *n.* 174. Missa non est celebranda in altari, sub quo, vel sub cujus gradibus humata sunt defunctorum cadavera, uti ex decreto S. Congr. dixi l. 6. p. 2. n. 2067.

243 §. 8. Impubes ob consilii imbecillitatem non potest sibi sepulturam eligere, nisi malitia suppleat ætatem, Sperell. *decis.* 89. *num.* 2. Ubi est consuetudo legitimè præscripta, posset ei eligere pater, aut mater, uti fusè deducit Sperell. *à n.* 3. quod intelligit Pignat. *to.* 7. *conf.* 21. vivente adhuc, non autem mortuo filio, per leges quendo, qui tom. 4. conf. 208. à n. 7. hoc extendit etiam ad proles naturales, spurias, adoptatas.

§. 9. Solus Episcopus, & non Parochus (nisi sit alicubi alia consuetudo) 244 potest alicui concedere jus proprium, & perpetuum sepulturæ in certo loco, è quo alios possit excludere, & hac quidem conditione addita, quam statuit S. Pius V. ut cadavera profundè sepeliantur, Barb. suprà, Lohn. *in instr.* 4. *Paroch. p.* 5. *membro* 23. Habens jus Patronatus non ideò habet jus sepulturæ in Ecclesia, Barb. *n.* 13. An sit simonia vendere, aut emere jus sepulturæ in loco sacro, dixi l. 3. p. 1. à n. 195.

§. 10. Canonicus Cathedralis habitans privatim in 245 Parochia urbis, eò quòd Curiam in campo Cathedrali non habeat, debet Sacramenta recipere à Parocho domicilii, quia licèt Cathedralis Ecclesia sit matrix pro illis, qui ad eam volent accedere pro Sacramentis recipiendis, non tamen ita, ut Parochus Cathedralis possit ea administrare in aliis Parochiis. Hoc non obstante, si ibi moriatur talis Canonicus, debet sepeliri in Cathedrali, si in hac sit locus sepulchri proprius Canonicorum: si autem talis non sit, sepeliri debet in sepulchro majorum, quia sepulchrum Parochiale ultimo loco succedit, tantùm in defectu tum proprii sepulchri Canonicalis, tum sepulchri majorum, tum electæ alibi sepulturæ. His tamen iterum non obstantibus, ubicunque sepeliatur debebitur tali Ecclesiæ Parochiali saltem quarta pars funeralis, quia jus quartæ funeralis consequitur ad jus administrandi Sacramenta, ita cum communi Pignat. *to* 8. *conf.* 5. qui *to.* 6. *conf.* 59. probat Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ non posse levare alia corpora defunctorum ex alienis Parochiis, sine horum Parochorum consensu.

11. Advenæ, & viatores, qui Clerici non sunt, si 246 alicubi casu moriantur, secundùm Pignat. *to.* 1. *conf.* 145. & *tom* 4. *conf.* 138. etiam ex declaratione S. Congregationis, debent sepeliri in Cathedrali; sed rectè cum aliis contradicit Sperell. *dec.* 87. *à n.* 13. sepeliuntur enim, saltem ex consuetudine, in Parochia, in qua moriuntur, & in qua acceperunt extrema Sacramenta, si ignoretur paternum sepulchrum, vel eò commodè deferri non possint.

§. 12. Moriens in carcere, secundùm aliquos sepe- 247 liri deberet in Parochia sui antiqui domicilii, quod non deseruit, idcòque putant huic Ecclesiæ deberi quartam funeralem, si alibi elegisset sepulturam: Neque est idem, quod de famulis, & studiosis, nam hi liberè habitando alibi acquirunt quasi domicilium, incarceratus autem non liberè ibi detinetur. Oppositum tamen probabilius tenent alii cum Pign. *to.* 7. *conf.* 86. quia quamvis ibi contra voluntatem detineatur, attamen spectat ad Parochiam carceris quoad Sacramenta recipienda: quod certum videtur saltem de alibi damnatis ad perpetuum carcerem, vel in exilium involuntarium missis, ubi enim mori, vel exulare debent, ibi censentur etiam inviti habere domicilium, L *Filii*, 22. §. *Relegatus* 3. ff. Ad municip. Videri potest Kugl. *de Matr. à n.* 299.

§. 13. Clericus, qui administrationem habuit in 248 Ecclesia, vel ex alio titulo tenebatur ibi residere, sepeliri debet in Ecclesia, *Barb.* & alii. Alius Clericus peregrinus alicubi moriens, deberet sepeliri in Cathedrali, Sperel. *dec.* 87. *n.* 15. Religiosus, si commodè deferri non possit ad Monasterium, sepeliri debet à Parocho loci non aliter, ac peregrinus, & in Ecclesia quidem, si commodè fieri potest, *Lohn.* suprà. Novitius etiam in domo paterna moriens cum habitu religioso, sepelietur in Monasterio sine obligatione solvendi

di canonicam Parocho, quia gaudet juribus, & privilegiis Ordinis, Sanch. Dic. *De just. l. 1. tr. 19. d. 3. nu.* 209. & plurib. declarat Pign. *to. 7. cons. 70.* De cætero Religiosus non potest sibi eligere locum sepulturæ, cùm careat voluntate propria, Cap. ult. *D. Sepult.* & communis cum Sperell. *dec.* 89. n. 1. Sacerdotes autem posse sepeliri in vestibus sacerdotalibus sacris, latè demonstrat Pignar. *tom. 3. cons. 35.* Plura de sepulturis Regularium videri possunt apud Pign. *to. 4. cons. 199.* Plura adhuc circa electionem sepulturæ videri possunt apud eundem Pignat. *tom. 1. cons. 17.* & 337. Circa quartam autem partem funeralium Parocho debitam, *tom. 4. cons. 215. to. 7. cons. 36* & specialiter quoad urbem Romanam, tom 8. cons. 3.

249 §. 14. Si Religiosus contra statuta sui Ordinis inveniatur retinuisse pecuniam, Cap. *Super quodam* De statu Monach. statuitur, ut sepeliatur in sterquilinio cum pecunia; non est autem opus, ut tota pecunia cum ipso sepeliatur, sed satis est, si pars. Quòd si jam esset sepultus, si absit scandalum, extrahi debet, & in sterquilinium deferri, Castrop. *tr. 16. d. 3. p. 24.*

250 §. 15. Si catechumenus, vel infans alicujus infidelis sepeliatur in Ecclesia, vel cæmeterio, an hæc ideò polluantur, dixi *l. 6. p. 2. n. 287.* Et tenet Gob. *De Bapt. n. 620.* catechumenum posse loco sacro sepeliri, quia Inn. III. *Apostolicam*, De presby. non baptiz. vult pro tali offerri preces, & hostias: sed meliùs contradicunt alii cum *Suar. & Laym.* quia non baptizati simpliciter excluduntur ab hoc favore sepulturæ sacræ. Si autem quis moriatur cum Baptismo, dubiè valido, Schild. *tr. 6. c. 2. n. 17.* dicit non posse sepeliri loco sacro, quia hic sepeliri est favor, seu privilegium, quo qui gaudere vult, probare debet se habere conditiones ad illo fruendum requisitas, inter quas est susceptio Baptismi: Et ideò pastorale Mechlinienſe prohibet eum infantem sepeliri loco sacro, qui in pede, vel manu ex utero protensa est baptizatus, si posteà in eo non sint animadversa signa vitæ. Nihilominùs etiam probabile est, quòd talis infans, de quo certum non est esse invalidè baptizatum, possit in loco sacro sepeliri, nam privari sacra sepultura non tantùm n est negatio favoris, sed in æstimatione hominum est velati pœna, in dubio autem, an adsit causa pœnæ, non est infligenda pœna, melior est enim conditio negantis, hinc Ecclesia meritò permittit sepeliri in loco sacro: Et ratio ulterior est; quia pro ipso est Baptismus, quamvis autem de ejus valore dubitetur, tamen Ecclesia non vult contra eum in illo rigore procedere, ita Diana *p. 4. tr. 3. R. 69.* Lob. *n. 653.* Steph. *tr. 4. d. 9. n. 45.* & ideò etiam Hortobonus, Diana, Schild. ipse concludunt eum, qui juxta probabilem aliquorum sententiam est validè baptizatus, posse monito priùs Episcopo sepeliri in loco sacro: Sententia tamen *Sylvestri*, qui docet, si baptizandus moriatur ante prolatam totam formam, adhuc esse sepeliendum loco sacro, meritò rejicitur à Mendo *diss. 9. n. 14.* quia certum est, si tota forma non sit prolata infante vivo, Baptismum non valere. Aliud est, si dubitaretur, an vixisset usque ad finem, uti semper dubium esse poterit, si sub principium formæ vixerit.

251 §. 16. De quo dubium est, an ullo modo sit baptizatus, sepeliri debeat loco profano, quia ad fruendum favore, seu privilegio Christianis proprio, prærequiritur probatio saltem aliqua, quòd adsit conditio requisita, conditio autem, quam Ecclesia prærequirit ad sepulturam Ecclesiasticam, est Baptismus, qui saltem dubiè probari debet, *Schild.* si tamen certum sit prolem in utero matris esse mortuam, sepelitur cum matre, quia fœtus adhuc conjunctus, est pars matris, Dicast. *supra n. 215.* Sperell. *dec. 88. n. 19.* notans, si fœtus sit extractus, & non baptizatus, sepeliri extra locum sacrum.

§. 17. Si dubitetur, an quis reipsa sit homo ideóque baptizetur sub condi ione, videtur sepeliendus loco sacro, quia per Baptismum talem acquirit jus, & ita in libro anno 1701. Herbipoli impresso, cui titulus, *Jubilæum saculare Ecclesia Catholica*, &c. parte tertia ad annum Christi 1403 habentur sequentia: *Mulier quædam aquatica, sive siren, hoc anno ad Eridanum fluvium Hollandiæ capta est, quæ veste venustè induta, aucta est Harlamum, nere etiam audivit, pane & lacte victitans, semper muta, & Crucifixum adorans, adeòque post mortem ritu Christiano sepulta, habita tum grande miraculum sine omni periculo fictionis, & res probata testibus omni exceptione majoribus.* 252

§. 18. Qui non est semel in anno confessus, aut non communicavit in Paschare, privatur Ecclesiastica sepultura, Cap. *Omnis utriusque sexus*, De pœnit. & remiss. Hæc tamen pœna prærequirit sententiam Judicis, & est ferendæ tantùm sententiæ. Castrop. *tr. 21. p. 5. n. 14.* Gob. *in Exp. t. 4. num. 49* Tamb *de Commun. c. 4. n. 65* Et addit n. 66 *Cùm igitur nunc vix in usu sit, ut contra aliquem simili sententia fulminetur, nunquam ex hoc capite erit si eius a sacra sepultura depellendus.* Nec pœna illa infligi solet, si quis intra annum communicarit in Parochia, quamvis id non fecerit in Paschate. Addit Dicast. supra *n. 218.* ut infligatur, debere abesse omnem probabilem causam excusationis, seu impedimenti. 253

§. 19. Si quis moriatur, de quo dubitetur, an sit confessus in anno, vel communicarit in Paschare, non ideò est privandus sepultura in loco sacro, quia ipse per Baptismum est in possessione juris, nec delicta debent præsumi, *Tamb.* supra. 254

§. 20 Omnes de quibus publicè constat, quòd in peccato mortali obierint, privandi sunt sepultura Ecclesiastica Cap. *Quibus*, & seqq. 13. q. 2. Glossa *ad c. 3. de usuris*, & communis cum Dicast. *n. 224.* Unde si constaret aliquem in formali ebrietate esse mortuum, sepeliri deberet loco profano: quia tamen id vix unquam constat, eò quòd sciri non possit, an peccatum interius fuerit grave, deliberatum, plenè liberum, an ebrietas fuerit prævisa, &c. item an homo internè saltem non retractarit, non facilè poterit aliquis ex quacunque præsumptione privari sepultura, uti in exemplis ostendit Lezana apud Gob. supra *n. 33.* sed expectanda semper erit sententia Judicis, aut sequenda erit consuetudo diœcesis, in qua quis est, ita cum aliis Gob. *in Quint. tr. 5. c. 5. à n. 2.* Et communis sententia est, si quis testetur Titium in ultimo vitæ articulo pœnituisse, eum non censeri impœnitentem, nec privandum esse sepultura in loco sacro, sed ad tollendum scandalum publicari debere, quòd eum pœnituerit, ad óque implicitè revocarit delicta, & proposuerit vivere melius. De cætero notat Dicast. supra, si quis in facto, quod nullo modo excusari potest à mortali, occisus deprehendatur, non præsumi decessisse contritus, mutatio enim animi est quid facti, quod non præsumitur, sed probari debet. 255

§. 21. Ad evitandas graves querelas propinquorum, & ad servandam defuncto famam, potest sacra sepultura permitti illi, qui repertus est mortuus, vel in laqueo, vel in puteo, nisi obstet consuetudo loci, vel positivè constet eum mortem sibi liberè intulisse, & non ex alienatione mentis, Trullench, Burgh. *cent. 3. cas. 20.* Barb. *supra p. 3. c. 26. n. 4.* cum aliis multis; Signum autem sufficiens suspicandi, quòd adfuerit alienatio mentis est, si antea animadversus est defigi in melancholia, Gob. *supra n. 15.* Item si mane sit confessus, communicarit, & posteà inveniatur mortuus cum laqueo in collo, Nav. Rodrig. & Gob. *n. 51.* Potest tamen *Lohner*, si commodè fieri potest, & sit suspicio voluntariæ cædis, quòd melius expectetur 256

judicium Episcopi. An cadaver Rei in carcere mortui inventi, privari debeat sepultura sacra, dixi l. 4. n. 1477.

257 §. 22. Etiam privatur manifestus usurarius, Cap. *Quia*, De usuris, Cap. *Quamquam* De usuris *in 6.* Item manifestus raptor, *si* in eo peccato moriatur, Dicast. *n.* 220. Item concubinarii tam laici quàm Clerici morientes in ejusmodi peccato sine signo ullo pœnitentiæ, quale esset tundere pectus, petere Confessarium, invocare nomen JESU, communis cum Pign. *tom. 9. cons.* 139. *à n.* 228.

258 §. 23. Cap. *Sicut*, 8. §. *Si autem*, De hæret. Cap. *Sacris* 12. De sepult. & alibi prohibetur, ne hæretici loco sacro sepeliantur: & *si* fiat, locus talis sepulturæ redditur in perpetuum profanus. Putant quidem Nav. Lugo *De fide, d.* 14. *num.* 159. & alii multi apud Gob. *n.* 27. ista intelligi de hæreticis nominatim denuntiatis, seu vitandis, sed contradicunt alii cum Krim. *n.* 656. *&* 915. si notoriè decedant in hæresi, nam si hæresis sit formalis, & externa, propriè sunt hæretici. Licitum tamen est hæreticum, & excommunicatum sepelire loco profano, ne cadaver inhumatum aerem inficiat, id enim fit ex necessitate, & in favorem vivorum, Dicast. *n.* 468. Idem dicunt aliqui, si fiat in loco profano, v. g. titulo consanguinitatis, Canones enim vetant fieri favore hæresis, & in loco sacro.

259 §. 24. Ad redimendam gravem vexationem potest Parochus permittere, ut ab acatholicis in loco sacro sepeliatur, v. g. Officialis hæreticus, quia hæretici in his partibus tolerantur, nec sciuntur esse formales, hinc passim in quibusdam diœcesibus sepeliuntur etiam in templis; eò quòd ibi habeant certa loca sepulturæ pro familiis suis, nec possint sine gravissimis incommodis isto jure privari. Et universaliter dicunt Escob. & Krim. *n.* 1915. excommunicatos toleratos sepeliri à suis posse loco sacro, quia fideles licitè communicant cum *eis* etiam vivis.

260 §. 25. Non peccat, qui amicitiæ vel humanitatis causa in his partibus comitatur funus hæretici, non enim sunt hic vitandi, estque tantùm honor politicus, Less. *in Auct. V. Hæreticus, casu* 27. Angel. Suar. Sayr. Ugol. Pignat. *tom. 2. cons.* 59. *n.* 2. contra Gloss. Regin. & alios.

261 §. 26. Excommunicantur omnes ipso facto, *qui scienter præsumpserint Ecclesiasticæ sepulturæ tradere hæreticos*, Cap. *Quicumque* 2. De hæret. in 6. quæ pœna cadit etiam in laicos sepelientes: intelligitur autem de hæreticis saltem vitandis: Et si sequamur rigorem Canonum, non esset absolvendus talis sepeliens, *nisi propriis manibus personaliter, & publicè ossa exhumaverit*, Sperell. *dec.* 106. *n.* 43. Eadem pœna cadit in eos, qui tempore interdicti extra casus concessos scienter sepeliunt nominatim interdictos: vel usurarios manifestos, Clement. *Eos*, De sepult. Putant que Suar. Castr. *d.* 2. *p.* 6. *n.* 15. aliique cum Krim. *n.* 1918. etiam comprehendi mandantes, quia qui physicè sepeliunt, communiter sunt homines indocti, quos excusat *ignorantia*, ergo ne lex sit frustranea, debet extendi etiam ultra proprietatem verborum ad mandantes *ipsos*: Addunt Less. & alii cum Pignat. *to. 2. cons.* 59. *n.* 2. etiam authorizantes, quales sunt Parochi, & alii, qui funeri præsunt. Item. Sayr. Regin. Pign. eos omnes; sine quibus talis sepultura Ecclesiastica, non perficeretur, uti sunt portantes feretrum, fodientes, Clerici cantantes, officium peragentes, cum Cruce præcuntes, non impedientes, cùm ex officio teneantur, verbo, omnes & *solos*, qui talem sepulturam procurant vel admittunt ad illam. E contra Onj. Nav. Henriq. Avil. Tol. Dicast. *d.* 2. *n.* 729. Steph. *tr.* 5. *d.* 5. *n.* 269. intelligunt solos physicè, & per se exequentes, quia penalis lex non est *extendenda* ultra significationem verborum, neque ideò lex erit frustranea, etiamsi solos exequentes comprehendat, cùm sæpè tales sint, qui id sciant, & tamen faciant. Putant autem Avil. Nav. Fill. Dicast. *n.* 731. talem sepelientem etiam incurrere excommunicationem minorem, quia communicat cum excommunicato, sed Suar. Castrop. Krim. *n.* 1922. probabiliter negant, quia excommunicatio minor videtur ob gravitatem delicti esse commutata in majorem.

§. 27. Huc pertinet solutio sequentis casus: Cajus 262
Pastor catholicus in cæmeterio catholicis, & hæreticis communi, hæreticum relapsum, pertinacem, qui etiam in extremis non permisit accessum Pastoris catholici, sepelit more catholico cum Cruce, in superpelliceo, & stola, *Quæritur*, an benè? R. Non benè, ut dixi l. 2. n. 112. Ratio est 1. Quia ita sepelire est facto profiteri fuisse ovem suam, esse mortuum in Ecclesia catholica, esse ex judicio Ecclesiæ dignum favoribus, orationibus & communibus ac publicis suffragiis, quæ in talem hæreticum non cadunt, aut si ista in illum cadunt, poterit Cajus pro illo etiam decantare Missam, & pro more Catholico habere exequias, quod certò est illicitum, & pareret grave scandalum apud fideles. 2. Non est licitum sepultura Ecclesiastica honorare aliquem, de quo probabile non est esse mortuum in gratia, sed non est probabile de hoc homine sic mortuo, ergo. 3. Sic sepelire, est facto profiteri probabile esse, quòd ejusmodi hæreticus sit in gratia mortuus, & consequenter est æquivalenter dicere ipsius fidem esse veram, nostram autem ac Sacramenta apud nos non esse necessaria ad salutem, quod certò est mortale, imò & hæreticum. *Si dicas*, fortè fuisse materialem tantùm hæreticum. *Contrà est*, nam id priùs probandum esset. Deinde hoc in foro externo non præsumitur. Denique Ecclesia in foro externo procedit cum ejusmodi materialibus, uti cum formalibus, hinc tantùm permittit sepeliri ab acatholicis ipsis in ejusmodi communi cæmeterio, non autem ita sepelit: imò nec Prædicantes Calvinistæ ita volunt sepelire Lutheranos, quia dicunt non esse oves suas.

§. 28. Si quis dans signa pœnitentiæ in articulo mor- 263
tis sit à censuris absolutus à laico, vel Clerico non Sacerdote, Sylv. *in variis R. sol. orat.* 1. *De absol. morib.* fusè contendit, non ideò posse sepeliri loco sacro, quia ex nullo textu Juris probabiliter ostendi potest, quòd Ecclesia talem potestatem dederit non Sacerdotibus. Attamen contradicunt *Sanch.* & alii apud Pelliz. *n.* 59. nam ex dictis *n.* 230. est saltem aliquo modo probabile talem absolutionem valere, & in tali dubio videtur inclinandum *in* benigniorem partem pro favore defuncti, uti coarguitur ex dictis à n. 251.

§. 29. Quamvis excommunicatus denuntiatus in 264
fine vitæ dederit maxima signa pœnitentiæ, & submissionis, non ideò potest sepeliri in loco sacro, si à nemine absolutus sit, Cap. *nobis.* 28. De sent. excommun. *quia quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Attamen secundùm dicta à n. 173. corpus absolvi potest post mortem, ut defunctus sic sepultura sacra, & precibus Ecclesiæ gaudeat, Sylvius suprà, Dicast. *n.* 726.

§. 30. Per locum sacrum in hac materia intelligi- 265
tur Ecclesia, cœmeterium, etiamsi sit ab Ecclesia separatum, & omnis locus ab Episcopo, vel per consuetudinem deputatus ad sepulturam fidelium, Pelliz. *tr.* 7. *c.* 2. *n.* 35. etiamsi necdum sit consecratus. item omnis locus, in quo consuevit dici Missa, quæ cum veluti consecrat; item ambitus templi, Krim. *n.* 1919. Locus autem alius, quamvis sit Ecclesiæ proximus, & nullus murus eum separet à loco sacro, non ideò est sacer. Dicast. *n.* 739. Et non est sub pœna prohibitum sepelire in tali loco profano, dummodò Ecclesiæ cæremoniæ non adhibeantur, tum enim non est sepultura

pultura Ecclesiastica, *Suar. Bonac. Gibal. Krim.* suprà. Qui autem etiam remotè tantùm concurrunt ad sepulturam excommunicati vitandi, etiam in *loco* profano, incurrunt excommunicationem minorem, quia cum eo communicant, Cap. *Sacris* De sepul.

266 §. 31. Si ossa excommunicati vitandi discerni non possint ab ossibus fidelium, relinqui possunt, attamen locus iste sacer manet execratus, donec reconcilietur, Cap. *Consuluisti*, De consecr. altar. & Eccles. Si tamen res occulta sit, non peccant, qui in tali loco divina peragunt, Krim. *n.* 1626.

267 §. 32. An illi, qui in *duello moriuntur*, privandi sint sepultura sacra, *item an* illi excommunicentur, qui mortuum *in* duello sepeliunt, dixi l. 1. p. 3. à n. 862. Statuitur autem Cap. 1. & 2. *De torneam.* ut illi, qui in torneamentis sive hastiludiis, ex quibus probabile mortis periculum impendet, occubuerunt, priventur, etiamsi pœnitentiam, & Viaticum acceperint. Quomodo interdictum privet sepultura Ecclesiastica, dicetur iterum n. 421.

268 §. 33. Huc reducitur solutio sequentis casus: In quibusdam Parochiis Catholicis habitant acatholici, qui dum moriuntur, amici acatholici petunt, ut campanæ templi catholici pulsentur, & hoc putant sibi jure deberi, quia concurrerunt ad sumptus pro ædificanda turri, & comparandis campanis. *Quæritur*, an Parochus licitè mandet id fieri, & Custos catholicus licitè pulset? Respondeo, dixi l. 2. n. 99. non esse licitum acatholicis sponsis adhibere benedictionem matrimonialem: hìc paulò ante dixi non esse licitum acatholico adhibere cæremonias sepulturæ Ecclesiasticæ: præterea dixi l. 6. p. 3. n. 995. *licitum* non esse puerperam acatholicam inducere in templum cum solitis in Ecclesia cæremoniis Purificationis, & ratio præcipua erat, quia sic videretur haberi communicatio in divinis cum homine excommunicato, quæ tamen tali excommunicato illicita est: simile quid videri posset esse in pulsatione campanarum benedictarum, quia per talem pulsationem rogatam, & nomine hæreticorum factam viderentur hi cum catholicis communicare in re aliqua Ecclesiastica. Nihilominùs non satis video, cur id sit illicitum, nam hæretici petentes intendunt id fieri, vel tantùm causa honoris politici, vel ut omnes resciant de morte sui defuncti, & quidquid tandem intendant, iste sonus campanæ quantumvis benedictæ est aliquid extrinsecè, & non dicendum absolutè aliquid divinum, aut Ecclesiasticum. Catholicus autem pastor pulsari mandans, aut Custos pulsans ad finem non posset signo illo campanæ intendere, ut fideles pro tali defuncto orent, quod licitè perere potest, & facere Catholicus, fortè enim tales defuncti fuerant materiales tantùm hæretici, aut pœnitu runt in fine, & saltem oratio potest aliis defuncti prodesse, aut etiam viventibus amicis hæreticis foro quibus licitum est orare, nam l. 6. p. 2. n. 33. dixi licitum esse privatim orare pro excommunicatis, etiam vitandis: & addidi n. 14. probabiliter licitum esse usque adeò etiam publicè, & directè offerre sacrificium Missæ pro excommunicatis non vitandis, quamvis illis illicitum sit hæc petere, tales autem vitandi non sunt uti certum est, ergo. De cultu, decore, pompa meritò servanda in sepulturis, & exequiis, videri possunt multa apud Pignat. *to.* 4. *cons.* 229 Quòd autem nulli, nequidem Episcopo duarum Ecclesiarum teneatur hæres instituere duplices exequias funebres, probat tom. 5. cons. 58.

269 *Q.* 30. *Quid addendum sit circa privationem civilis communicationis?* R. §. 1. Excommunicati, quamvis non sint denuntiati, tenentur sub peccato abstinere à civili communicatione cum aliis, id enim est illis prohibitum: si tamen faciant, per hoc incurrunt excommun. minorem, Dicast. *d.* 2. *n.* 380. 473. 494.

270 §. 2. Qui non est excommunicatus, non peccat, si etiam sine causa agat cum excommunicato non denuntiato, sive in sacris, sive in profanis, quia *Conc. Constantiense* absolutè ad hoc potestatem facit: unde & talis excommunicatus, si sit præventus, sive rogetur, non peccabit communicando, sed tantùm peccabit, quando sua sponte se primus ingeret, Castrop. Gibal. Dicast. *n.* 380. iterumque *à n.* 476 Si tamen uterque esset excommunicatus, neuter sub pœna excommunicationis minoris auderet agere cum altero, quia hoc est concessum in favorem aliorum fidelium non excommunicatorum, Dicast. *n.* 474. 494. Gibal. Krim. *n.* 1869. 1998.

271 §. 3. Vitandus, seu non toleratus, debet esse vel notorius Clerici percussor, vel publicè, expressè, & nominatim denuntiatus. De percussore Clerici, dicam à n. 300. De denuntiatione censuræ, dixi aliqua à n. 75. & jam plura addam.

272 §. 4. Ut quis sit vitandus, non est satis, quòd sit denuntiatus esse, v. g. hæreticus, sed debet esse denuntiatus excommunicatus, unde non sufficit denuntiatio censurati, & criminis ipsius, sed requiritur denuntiatio excommunicationis ideò incuriæ. Nav. Sanch. Regin. Castrop. Gibal. Krim. *n.* 2864. contra Covarr. Salas, Gutt. Avil. Bonac. Sanctar. Nec sufficit censuram esse in tribunali promulgatam, nisi sit per cedulones denuntiata, Covarr. Avil. Suar. Laym. Pignat. *tom.* 4. *cons.* 133. *n.* 2

273 §. 5. Si quis sit uno loco denuntiatus, *Henriq. Vasq. Fill. Bonac.* & alii dicunt esse ubique vitandum, quia est simpliciter denuntiatus, quem Jura dicunt esse simpliciter vitandum. Contradicunt valde probabiliter *Sanch. Avil. Castr. Krim.* & alii, quia ex hoc, quod sit publicus denuntiatus in uno loco, non ideò est publicus denuntiatus in alio, Jura autem non dicunt qualemcunque, sed publicè denuntiatum esse vitandum, hinc non teneor vitare privatim denuntiatum, requiritur enim denuntiatio notoria, ergo ubi non est notoria, ibi vitare non teneor. *Nec obstat*, quòd secundùm dicta l. 6. p. 3. n. 951. si quid sit in uno loco notorium, Romæ habeatur tanquam simpliciter notorium, nam id specialiter observatur quoad dispensationes à *S. Pœnitentiaria* petendas, nec ideò extendi debet ad alia.

274 § 6. Si denuntiatio *sit dubia*, excommunicatus non est vitandus, quia, quæ sunt facti, non præsumuntur, & possessio est pro libertate communicandi. Si denuntiatio sit certa, quamvis excommunicatio sit dubia, est vitandus pro foro externo, quia possessio est pro denuntiatione: si tamen constaret non esse excommunicatum, vitandus non esset pro foro conscientiæ, seclusò scandalo, & contemptu. Semel denuntiatus semper est vitandus, donec constet de absolutione, sicuti etiam præsumitur durare excommunicationem, si non constet de absolutione, Cap. *Sicut nobis*, 39. De sent. excomm. Krim. *n.* 1873.

275 §. 7. Quamvis aliquis excommunicatus *sit* denuntiatus, non tenetur abstinere à consortio *infidelium*; quia hi non subduntur Ecclesiæ, & *prohibitio* habet de consortio fidelium, Dicast. *n.* 414.

276 §. 8. Qui cum excommunicato vitando loquitur, afficiendo eum ve. bis contumeliosis non incurrit censuram, quia illa non est communicatio civilis, & humana, sed potiùs est aversio, & dissocietas, Dicast. *n.* 457.

277 §. 9. Si quis tali *roseribar*, purè ideò, ne se ostendat inurbanum, *Avila* dicit non incurrere excommunicationem, sed Dic. *n.* 461. probabiliùs dicit incurrere, quia jam satis constat talia excommunicatis esse neganda ob Ecclesiæ præceptum, quod magis honorandum est. Posset tamen quis assurgere v. g. Episcopo, aut alii Superiori excommunicato, tum ob

consuetudinem, tum ad vitandum periculum offensæ, & damni. Præterea possunt excommunicato reddi verba deprecatoria v.g. Deus te convertat, & emendet, &c. sic enim est potiùs locutio cum Deo, Castrop. *d.* 2. *p.* 17. *n.* 2. Dicast. *à n.* 262. Imò resalutationem fieri posse tanquam debitam præter Busemb. tenent Henriq Fil. Kri. *n.* 2000. An autem pro eis offerri possit Missa, dixi l. 6. p. 2. à n. 31.

278 §. 10. Excommunicatus etiam vitandus, si trahatur ad judicium ut reus, potest etiam per seipsum comparere, se defendere, etiam juramento, Cap. *Dilecti filii*, 8. & Cap. ult. de except. Escob. Gibal. Krim. *n.* 1989.

279 §. 11. Quamvis per excommunicationem videatur prohiberi dormire in eodem lecto, non videtur tamen prohibitum dormire in diversis lectis positis in eodem cubili, dummodò illuc non conveniant per modum Societatis, aut ad idem negotium gerendum, quamvis enim sint in eodem loco, si singuli diversis negotiis intendant, non censentur communicare, unde si etiam casu in eodem stramine, vel lecto convenirent, aut si non sit nisi unus lectus pro utroque, non dicerentur communicare, Suar. Fill. Regin. Dic. *n.* 465. iterùmque n. 471. contra Avilam & alios.

280 §. 12. Etiam prohibentur contractus omnes civiles, ut venditio, emptio, locatio, &c. qui tamen si fiant, utrinque erunt validi, communis cum Krim. *n.* 1002. Valet quoque Matrimonium, quod contrahitur ab excommunicato vitando, Castrop. *p.* 16. & Dicast. *n.* 822. addens quandoque etiam esse licitum. Valet etiam professio religiosa, Pelliz. Krim. *n.* 1997. sunt enim quasi contractus naturales.

281 §. 13. Excommunicatus toleratus concionari, vel docere non debet, nisi requisitus; aut nisi ex officio hoc solebat facere, tum enim censetur requiri: vitandus autem omninò non debet, quamvis requiratur, quia ipse absolutè prohibetur communicare cum fidelibus, & hi cum illo, è contrà auditor excommunicatus, quamvis sit vitandus, potest permitti, ut audiat concionem, hæc enim assistentia dirigitur ad ejus correctionem, Dic. *n.* 708. & habetur Cap. *Responso* De sent. excomm. non videtur tamen interesse posse lectioni v.gr. Theologiæ quia hæc non ita directè pertinet ad salutem animæ vel emendationem, unde professor, & reliqui auditores deberent recedere, si talis excommunicatus accederet, uti contra alios probabiliter docent Avil. Bonac. Castrop. *d.* 2. *p.* 9. *n.* 11. Dicast. *n.* 557. Krim. *n.* 1910. quamvis postea n. 1912. faveat oppositæ sententiæ.

282 §. 14. Si excommunicatus vitandus offerat aliquod debitum titulo justitiæ, admitti potest, imò ad solvendum compelli potest etiam censuris, nam Cap. *Si verò*, de sent. excomm. dicitur, *ab excommunicatis exigi, & recipi posse quod debetur, alàs videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi verò præmium ex contumacia reportare.* Si offerat aliquid purè liberaliter, rejici debet, & quamvis peccet acceptans, non tamen retinens, quia non ideò ampliùs communicat, Gibal. Krim. *n.* 1999. si offerat pecuniam petens, ut pro se oretur, Gibal. dicit esse rejiciendam, excipit Krim. *n.* 1914 nisi offerat per modum eleemosynæ: sed credo etiam tum admitti posse, si offerat, ut pro se simpliciter oretur, quia in iis, quæ ad salutem animæ ejus spectant, permittitur cum eo communicatio, secundum dicenda n. 285.

283 *Q.* 32. *Quia notandum sit de participante cum excommunicato?* R. Hæc pauca. §. 1. Qui scienter, & notabiliter communicat, seu participat in eodem ipso peccato, ob quod alter jam antecedenter nominatim est excommunicatus, & denunciatus, incurrit eandem cum illo excommunicationem majorem à Jure latam, quamvis alter ab homine fuisset excommunicatus, v. §. qui fovet contumaciam excommunicati dicens, ut non restituat, qui suadet, ut in eodem crimine perseveret, qui approbat crimen ab alio factum nomine suo. Atque ita videtur decerni Cap. *Nuper*, & Cap. *Si concubinæ*, De sent. excomm. Et ratio datur, tum quia agentes, & consentientes eadem pœna puniri debent, tum etiam, quia sic agens contemnit excommunicantem, atque adeò dignus est pœna ab eo lata, Dic. *d.* 2. *à n.* 507. & alii. Si autem quis suadeat, vel cooperetur ad actum, quo alter primò incurret excommunicationem, probabilius est peccare quidem mortaliter, sed non incuriere excommunicationem, quia de tali non loquuntur Jura, quæ supponunt excommunicationem ab altero jam esse contractam, Sanch. *De Matrim. l.* 7. *d.* 48. Dic. *n.* 509. contra alios. Quòd si suadeat, vel cooperetur ad talem actum repetendum, v.g. si quis excommunicatus sit propter percussionem Clerici, & alter suadeat ipsi, ut iterum percutiat, Dic. *n.* 515 putat non incurrere excommunicationem, quia non participat in eodem actu, propter quem incurrit, sed oppositum videtur verius cum *Suar.* Satis enim est, quòd sit idem specie actus, quamvis non sit idem numero, maximè cum per hoc prior quasi confirmetur in actu anteà patrato, illumque moraliter repetat.

§. 2. Quando Judex fert excommunicationem 284
majorem contra eos, qui quomodocunque participant cum aliquo excommunicato à se, ut vim habeat excommunicatio, debet excommunicatus esse non toleratus, & participans priùs ter nominatim est monendus, uti aliàs, quando est excommunicatio ferendæ sententiæ, uti statuit Innoc. III. Cap. *Statuimus* De sent. excomm. Dicast. *à n.* 351. ubi notat circa participationem cum excommunicatis ab alio probabilius esse non requiri, ut participantes, vel excommunicati nominentur.

Q. 32. *Quid addendum sit circa causas, ob quas* 285
aliquando licita est communicatio cum excommunicato? R. §. 1. Cap. 54. De sent. excom. sic habetur: *cum voluntate, ac proposito maleficia distinguamur, excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his quæ ad absolutionem vel aliàs ad salutem animæ pertinent, in locutione participat, licèt etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat.* Ex quo textu infert Dic. *d.* 2. *n.* 547. licitum esse in eo casu cum illo agere humaniter, alloqui, salutare, benignè salutaria monita illi scribere, &c. concesso enim fine, etiam conceduntur media ad illum. Addit *Avila*, Confessarium posse eum ad confessionem admittere, ut ei salubre consilium præbeat, etiamsi eidem constet non esse absolvendum; intellige tamen semper, si speretur utilitas vel fructus.

§. 2. Qualis communicatio licita sit conjugibus, si 286
unus eorum sit excommunicatus, accuratè explicat Dic. *à n.* 559. & aliquid etiam dixi, ubi de famulis. Qualis licita sit Religiosis respectu Prælati excommunicati explicat idem Dic. *à n.* 573. sed cùm ratio hoc eveniat, omitto.

Q. 33. *Quid notandum sit circa illum, qui dicitur in-* 287
sordescere in censura? R. §. 1. Insordescentia præcipuè dicitur ratione excommunicationis, attamen etiam convenit aliis censuris; ille autem dicitur insordescens in censura, secundùm *Trid.* relatum n. 18. qui animo pertinaci, & cum contemptu potestatis Ecclesiasticæ perseverat in censura per annum; è contrà si ex rationabili causa distulit petere absolutionem: aut si petiit, & non obtinuit; aut si post medium annum fuit absolutus, & reincidit, permansque in ea per alium medium annum, non censetur insordescens, quia tempora hìc non conjunguntur.

§. 2. Insordescens in censura lata in causa hæresis, 288
habetur veluti hæreticus ipso Jure, & absque alia sententia, attamen priusquàm publicè declaretur hæreticus, citari debet, ut se purget.

§. 3.

289 §. 3. Insordescens in censura lata ob causam, quæ non est hæresis, habetur tanquam leviter suspectus de fide ac specialiter de potestate clavium in Ecclesia, poteitq; citari ab Episcopo, ut respondeat quid sentiat de his; si purgare se noluerit, & permanserit altero anno, fit vehementer suspectus, & citatus nec purgans se, potest ex violenta suspicione declarari hæreticus.

290 §. 4. Insordescens in excommunicatione lata in causa criminali habetur pro convicto de eo crimine, non item in causa civili.

291 §. 5. Insordescens in quacunq; censura non videtur ipso facto privatus *Beneficiis* Ecclesiasticis, nisi censuratus sit ob causam, quæ inducat privationem ipso facto, & tum adhuc accesserit declaratio: attamen talis insordescens poterit per sententiam privari. Tali autem insordescenti non prodesse absolutionem generalem in ordine ad obtinenda Beneficia, dixi suprà.

292 §. 6. Indorscens in excommunicatione per annum, etiamsi in articulo mortis fuerit absolutus, potest privari sepultura Ecclesiastica. Omnia hactenùs dicta pluribus probat, etiam adductis Juribus, AA. & rationibus, Pignat. *Tom. 7. cons. 18. & tom. 8. cons. 1, 4.* Quid autem in aliquibus dispensationibus intelligatur per insordescentiam annuam in aliquo delicto, dixi *l. 6. p. 3. n. 944.*

DUBIUM IV.

293 *Ob quas causas incurratur excommunicatio major.*

„ CUm hæ multæ sint, variæ etiam sunt excommunicationes, quæ in quatuor potissimum „ classes dividuntur, nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, „ aliæ Pontifici per Bullam cœnæ, aliæ eidem extra„ Bullam cœnæ reservantur.

ARTICULUS I.

Quæ sint excommunicationes non reservatæ.

„ REsp. 1. Ex jure antiquo usitatiores sunt se„ quentes: *Contra omnes.* 1. In vexantes Eccle„ siasticos, quòd non elegerint eum, pro quo rogati „ fuerant. 2. In directores Monialium, si foveant dis„ cordias in electione. 3. In extorquentes absolutionē „ à censura per vim, aut metum. 4. In compellen„ tes Ecclesiasticos, ut laicis submittant jura Ecclesiæ. „ 5. In docentes leges, vel medicinam religiosos qui „ dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scho„ lis. 6. In sepelientes tempore interdicti, vel interdi„ ctos, vel excommunicatos non tolerātos, vel ma„ nifestos usurarios. 7. In impedientes visitatores Mo„ nialium. 8. In contrahentes Matrimonium in gradi„ bus prohibitis, vel cum Monialibus. 9. In edentes „ Glossas in Trident. 10. In imprimentes libros sine „ superiorum licentia. 11. In præcipientes suis subdi„ tis, ne officia communia Reipub. exhibeant Eccle„ siasticis, v. g. ne iis vendant, coquant panes, &c. „ 12. In Doctores, & Professores non facientes pro„ fessionem fidei, ubi accepta est Bulla Pii IV. 13. In „ negligentes administrare justitiam Ecclesiasticā. 14 „ In potestates foventes usuras.

„ *Contra Clericos.* 1. In Clericos in dignitate consti„ tutos, aut Sacerdotes audientes publicè jus, aut „ medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes præfectu„ ras sæculares. 3. In Clericos minores Episcopis, lo„ cantes domos usurariis. 4. In alienantes bona Eccle„ siæ, vel locantes ultra triennium. 5. In impugnantes „ in concionibus montes pietatis. 6. In contrahentes „ Matrimonium, si sint in sacris. 7. In ficte resignan„ tes vel permutantes beneficia. 8. In præsumentes ab„ solvere à casibus Bullæ cœnæ.

„ *Contra Religiosos.* 1. In audientes Leges, vel me„ dicinam extra claustra. 2. In habitum temerè mu„ tentes, vel Matrimonium contrahentes. 3. In initi„ uentes novum ordinem. 4. Adeuntes curias Principum, ad nocendum suis monasteriis vel Prælatis „ 5. Tenentes arma sine licentia intra claustra. 6. Non „ servantes interdictum, quando servatur à Cardina„ li. V. Fill. *t. 14. & 4. de cens. in partic. c. 8.* Bon. *d. 5. „ p. 5. §. 1. n. 36.*

„ Resp. 1. Supradictis adjectæ sunt à Tridentino se„ quentes, quæ valent, ubi illud est receptum 1. In „ imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, „ apud se retinentes, vulgantes libros de rebus sacris „ sine nomine authoris, & approbatione ab Ordina„ rio obtenta. 2. In docentes, non esse necessariam „ confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. 3. In „ raptores mulierum, juvantes, faventes. 4. In co„ gentes contrahere Matrimonia cum præscriptis. 5. „ In magistratus qui requisiti non juvant Episcopos „ ad restituendam, vel conservandam clausuram mo„ nialium. 6. In ingredientes (cujuscunque conditio„ nis, vel sexus fuerint) monasteria Monialium, sine „ licentia in scripto obtenta. 7. In cogentes mulierem „ ingredi monasterium, & profiteri. 8. In impedien„ tes, sine justa causa, sanctam voluntatem mulie„ rum emittendi votum. 9. In dominos temporales „ concedentes in terris suis locum pro duello.

ADDENDA.

QUæst. 34. *Quid circa hæc præterea sit notandum?* 294
Resp. §. 1. De Religioso, qui temere dimittit habitum dixi *l. 4. à n. 207.* De alienatione bonorum, vel rerum Ecclesiasticarum, *ibid. à num. 1363.* De artibus, officiis & actionibus, quæ Clericis prohibentur, *à n. 1370.* De libris sine licentia impressis dicam adhuc. De ingrediente clausuram Monialium, dixi *l. 4. à n. 66.* Hic notandum est, quamvis prohibitio Trid. *sess. 25. c. 5. De Regul.* ne quis ingrediatur in septa Monialium: sit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & excommunicatio hæc non sit reservata per Trid. attamen teste Beja, *p. 1. casu 10.* est Papæ reservata per S. Pium V. & Greg. XIII. ubi horum Bullæ sunt notæ, & receptæ.

§. 2. Sub excommunicatione prohibetur laicis, ne 295
disputent de fide Catholica cum hæreticis, Cap. *Quicunque § Inhibemus* De hæreticis in 6. Similiter Clericis regularibus. Can. *Cum quibus 24. q. 1.* juncta Gl. V. *certamen.* Per hæreticos intelligit Sanch. *in Decal. l. 2. c. 7. n. 12.* qui sunt, vel aliquando fuerunt Magistri erroris: & prohibitio intelligitur de imperitis laicis, vel Clericis, ubi enim Catholici mixti sunt cum hæreticis, seclusō periculo perversionis licitum est disputare, & in Germania saltem Canones illi desueverunt, Bocan. Krim. *n. 6. 4.*

ARTICULUS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis.

„ REsp. Sunt hæ. 1. Quæ contrahitur ex levi per- 296
„ cussione Clerici: vel gravi, si sit mulier. 2. In „ eos, qui absoluti in articulo mortis (à censura, „ vel peccato habente censuram annexam) ab eo, qui „ aliàs non poterat, non præsentant superiori se, post„ quàm convaluerunt. V. Fill. *tr. 15. n. 241. & 242. 3.* In „ fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis ad of„ ficia divina Fratres tertii Ordinis. 4. In procurantes „ abortum fœtus animati, effecto secuto. 5. In eos, qui „ communicant in eodem crimine cum excommuni„ catis ab Episcopo. 6. Ex omnes, quas ferunt Episco„ pi per propria statuta, & sibi reservant, quas Con„ fessarii videant in Agendis.

ADDENDA.

QUæst. 35. *Quid præterea notandum?* R. Nihil oc- 297
curre. De excommunicatione ob abortum fœtus animati, dixi *l. 3. p. 1. à n. 822. 823.* Quid sit communicare in eodem crimine cum excommunicatis, dixi.

ARTI-

ARTICULUS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ.

298 RESP.I. *Contra omnes* magis obviæ sunt sequentes, 1. In incendiarios.2. In habentes litteras Apostolicas falsas, & non destruentes : item in falsarios litterarum Apostolicarum.3. In effringentes & spoliantes Ecclesias.4. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis à Papa.5. In vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt.6. In absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes.7. In violantes interdictum Papale.8. In dantes & recipientes aliquid ex pacto, ob admissionem ad religionem.9. In Simoniacos reales, circa ordinem vel beneficium. 10. In committentes simoniam confidentialem.11. In impedientes executionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ.12. In dantes & recipientes aliquid pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam.13. In committentes duellum atque ad id cooperantes, suadendo, &c.14. In mulieres ingredientes Monasteria Regularium.15. In impugnantes institutum Societatis JESU.16. In facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ.17. In rapientes bona Ecclesiastica ; item exigentes tributa ab Ecclesiasticis.18. In violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad Ecclesiam. 19.In docentes posse fieri confessionem in absentia. 20. In eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæresis ; item in eos, qui in concionibus aliisque publicis actibus, ut lectionibus, conclusionibus, asserunt B. V. Conceptam in originali.21. In percussores Clericorum. Quæ cùm celebris sit, & multa scitu necessaria habeat, agetur de ea peculariter *infrà*.

Resp.II. *Contra Clericos & Religiosos*, sunt hæ.1. Participantes in sacris cum excommunicatis à Papa. 2. Procurantes alienationem Ecclesiarum.3. In Concionatores, qui scripturæ sensum à Doctorum interpretatione alienum, circa tempus Antichristi & extremi judicii aliaque similia revelata prædicant.4. In Parochos non implentes juramentum de residentia factum.5. In Mendicantes transeuntes ad alium ordinem præter Carthusiam.6. In Moniales exeuntes claustra sine licentia.7. In religiosos, qui sine privilegio vel speciali licentia Parochi Clericis aut laicis Sacramentum Eucharistiæ vel Unctionis ministrare, vel Matrimonia solemnizare præsumunt.

ADDENDA.

299 QUæst.36. *Quid præterea hic sit notandum ?* R. Etiam nihil occurrit. Quinam hic dicantur simoniaci reales, quinam confidentiales, dixi *l.3.p.1. à n.212. & 220.* Quandonam incurratur & quis absolvere possit ab excommunicatione lata contra duella & cooperatores, dixi ibid. *à n.847.* De exitu Monialium extra claustra, dixi *l.4.à n.66.* De ingressu mulieris in Monasterium Religiosorum, dixi ibid.*à n.87.* Circa impedientes jus asyli, & quinam illo gaudeant, dixi *ibid.* à *n.1392.* Circa docentem, quòd confessio fieri possit in absentia, dixi *l.6.p.2.à n.1195.* Excommunicationes septuaginta & unam extra Bullam cœnæ breviter collegit Polancus *in append. ad direct.Confess.p.113.*

ARTICULUS IV.

300 *Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum ?*

RESP. Ea sic habet : *Si quis suadente diabolo, in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Epis-*

coporum præsumat illum absolvere.

Dicitur I. *Si quis* : intellige cujuscunque sexus aut status, etiam impubes, dummodò rationis compos & doli capax. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes, consentientes, suo nomine factam ratihabentes, non impedientes, saltem si ex officio aut justitia teneantur, ut Reges, judices & cæteri Superiores ; item patres, tutores, heri, pædagogi, Parochi, &c.quibus aliorum cura demandata est. Ita Laym. *l.1.t.5.p.2.c.5.n.6.* Bonac. *d.2.q.3. p.6.§.2.n.8.*ex Molin. *&c. comm.*

Dixi, *saltem*, &c. Quia si ex charitate tantùm teneantur, etiam communicari, docent *Suar.Cajet. Fill. Medin. Sayr.* &c. Verùm id probabiliùs negat Bonac. *l.c.*Navar. Kon.Reg. Henriq. Molin. &c.

Dicitur II. *Clericum* : quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus (etiamsi conjugatus dummodò cum unica virgine) & deferat habitum serviatque alicui Ecclesiæ; item etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantùm.

Dicitur III. *Monachum* : intellige quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, utriusque sexus, item tertiarias S. Dominici, S. Francisci, si gestent habitum, & vivant in communitate : item Eremitas subjectos alicui Regulæ vel Superiori.

Dicitur IV. *Manus injecerit* : per quod intelligitur quævis contumeliosa actio exterior mortalis circa Clerici personam vel res ei adhærentes, sive fiat manu sive baculo, gladio, &c.Bon. *p.1.§.1. Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.*

I. Hanc excommunicationem incurrit.1.Qui talem conspuit, conspergit aqua, pulvere, conspurcat luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim & injuriam de ejus corpore, v.g.pileum, &c.ita ut actio sit graviter injuriosa, Bonac.*l. c.*Laym. *n.5.2.* Qui concludit aut violenter detinet carcere vel loco,unde sine dedecore non potest exire.*Ibid.3.* Qui persequitur, ut in flumen vel fossam incidat, equo decidat, &c. *Ibid.4.* Qui manus violentas injicit in equum, cui is insidet, occidendo vulnerando, cædendo, sistendo per frænum, quæ actio licèt sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris. *ibid.5.* Qui aliquid supradictorum facit, etiam Clerico consentiente, dummodò si injuriosum ordini Clericali.Laym.*l.c.6.*Clericus, si seipsum ex malitia vel passione (secus si ex devotione) percutit injuriosè, Laym. *l. c.* ex Navar.7. Qui percutit Clericum, etiam meritum, si fiat, vel per quem non debet, ut si morte dignus puniatur à judice sæculari, vel modo illicito, ut si à Prælato puniatur per laicum. Bon. *l.c.*ex Nav.Sayr. Suar.Fil. Kon. &c.v. Laym.*c.5.*

II. Non incurrit.1. Fur, qui clam abscindit crumenam vel vestem tollit Clerico, quia non est actio violenta sed fraudulenta. Bon. *l.c.1.* Si percussio sit jocosa vel casualis, v. g. si janitor vel apparitor turbam arcens percutiat Clericum : item si pueri habentes primam tonsuram se pugnis percutiant, Bon. *l.c.* ex Mol.Fill. Kon.&c. item si percussio sit ad defendendum se vel vitam suam vel uxoris, parentum, filiorum, vel res suas,cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, *Laym.* infrà.3.Et denique, quandocunque percussio ob levitatem vel imperfectionem actus non esset mortalis, irrata laico, ut docet *Caj. Avila & Sa*, quod tamen *Suar.* universaliter non admittit. v.Bonac. *l.c.4.* Si fiat in tenebris, vel Clericum non agnoscas, quòd habitum non gestet,quia ignorantia excusat.5. Si Prælatus, præceptor, Pater, subditum in minoribus constitutum, correctionis causa (licèt ira accedat) percutiat moderatè, habita

„ pater, subditum in minoribus constitutum, cor-
„ rectionis causa (licèt ira accedat) percutiat mode-
„ ratè, habita ratione culpæ: imò Prælatus & Præce-
„ ptor Ecclesiasticus potest etiam in majoribus consti-
„ tutum castigare. An idem possit pater, controver-
„ titur in utramque partem probabiliter: v. *Laym.*
„ loco mox citando. 6. Si percutiatur realiter degrada-
„ tus, vel bigamus: vel exerceat publicè officium cau-
„ ponis vel macellarii vel scurram, & ter monitus
„ non cesset; vel inventus turpiter agens cum uxore,
„ matre, sorore vel filia, denique mulierem *ipso facto*
„ solicitans ad turpitudinem, *quia perdit* privilegium.
„ v. Laym. *l. 1. t. 5. p. 2. c. 5.* Fill. *tr. 15. c. 1.*

„ Resp. II. Etsi hæc excommunicatio sit reservata
„ Papæ potest tamen Episcopus ab ea absolvere his
„ casibus. 1. Quando percussio, etsi sit mortalis, est
„ tamen prudentum judicio levis, comparata cum
„ enormi, v. g. si fiat palma, pugno aut lapide, non re-
„ linquente vestigium: & secundùm Aut. & Dian. *p. 9. t.*
„ 4. *R.* 19. nisi notabilem injuriam & magnum scan-
„ dalum pariat, qualem negat esse, si quis Sacerdotem
„ pugno percutiat in faciem, licet guttæ sanguinis
„ effluant. Enormis verò erit, si membrum præscinda-
„ tur, copiosus sanguis fundatur; vel etiam ratio-
„ ne dignitatis personæ, ut si percutiatur Episco-
„ pus vel Abbas, etiam alapa. 2. Si percussor sit im-
„ pubes, pauper, æger, senex, mulier, cæcus, claudus,
„ servus, filius familias, vel non sui juris, uti & regula-
„ res ac moniales invicem verberantes: item si sint
„ homines delicati, & quotquot habent legiti-
„ mum impedimentum, ut non possint ire ad Pa-
„ pam aut ejus legatum: vel si dubium sit de excom-
„ municatione. Fill. *n. 35. & seq.* Denique si sit occulta
„ v. super. hic c. 1. d. 5. & Dian. *R. 63.* In quibus omnibus
„ casibus pro foro conscientiæ potest etiam facultas
„ absolvendi impetrari (gratis quidem) ex Pœni-
„ tentiaria Romana a majore pœnitentiario, ut v. su-
„ prà l. 1. t. 2 c. 4. in appendice.

ADDENDA.

301 Q*uæst. 37. Quid circa hanc excommunicationem sit præterea notandum?* R. §. 1. Percussio tum censetur fieri *suadente diabolo*, quando fit injuriosè sine justa causa: debetque esse sacrilegium internè & externè grave, Caj. Ang. Mol. Pignat. *to. 1. cons. 107.* Delb. *c. 2. dub. 4. s. 5.* aliique apud Sperell. *dec. 45. n. 11.* qui tamen *n. 36.* rectè notat cum *Suar.* quamvis tactus physicus corporis esset levissimus, si tamen secundùm moralem existimationem sufficiat ad gravem injuriam contra honorem & reverentiam Clerico debitam, esse satis ad hanc censuram incurrendam. Attamen notat De Luca *in Discurs. Eccles. disc. 20.* percussionem debere esse meditatam & non ex solo inconsulto calore iracundiæ, uti colligetur etiam ex dicendis *n. 307.* Et cùm hæc Canon sit in favorem Clericorum, est late pro his intelligendus, uti tenent Theologi & Canonistæ omnes cum Sperell. à *n. 44.* Quandonam autem aliquis censeatur publicè seu notoriè percussor Clerici, ideóque sit vitandus, dixi à *n. 178.*

302 §. 2. Circa quæstionem illam, an ille incurrat censuram hujus Canonis, qui Clericum vel Religiosum veneno occidit, refert Sperell. *dec. 20.* quatuor sententias. *Prima* cum Avila & Delb. *s. 10. n. 1.* absolutè negat, quia non infert violentiam ullam personæ, sed tantùm naturæ. *Secunda* cum Suar. Fill. & aliis dicit incurrere, sed non ante secutam mortem venenati, quia ad incurrendam censuram requiritur factum consummatum & effectu perfectum. *Tertia* est Bon. & aliorum, qui dicunt incurri tum, quando venenum operari incipit, quia priùs non infert ullam violentiam. *Quarta* probabilior, quam tenent Beja & alii cum Sperell. à *n. 21.* dicit semper incurri statim ab initio propinati veneni, quia calefactum in stomacho statim incipit agere, & quamvis fortè non sequatur mors, tamen violentia per venenum illata est personæ sumenti, quæideò incipit violentè disponi ad mortem.

303 §. 3. Si quis tacitè tantùm mandet Clericum percuti, v. g. si coram famulis dicat se intendere vindictam de tali injuria, & prævideat inde fieri posse, ut famuli moveantur ad percutiendum, Sylv. Nav. Suar. Dian. Delb. *s. 10. Dic. disp. 3. n. 973.* dicunt, si percussio sequatur, incurrere excommunicationem, quia fuit vera causa moralis illius percussionis: addunt Dript. *in cautione judiciali, s. 2. a. 14. pag. 282.* & alii cum Delb. *s. 14.* adhuc incurri, quamvis mandatum vel consilium sit revocatum, si percussio adhuc secuta sit ex illo mandato vel consilio: ubi notandum est, quòd mandatum, si revocetur & innotescat mandatario, communiter desinat movere, & consequenter non sit causa effectus secuti, non item consilium, nam motivum, quod fortè suggestum est, poterit pergere movere & esse causa effectus secuti, uti etiam notavi in materia de restitutione *l. 3. p. 2. n. 25.* & 28. Quòd si determinatum ad percutiendum moveas tantùm, ut percutiat fortiùs, aliqui secundùm dicta *n. 65* putant te non incurrere, quia non es causa substantiæ actus, sed tantùm circunstantiæ, sed contradicunt alii cum Delb. *s. 12.* quia causando illum modum concurris ad substantiam actus. *Nec obstat*, quòd ille non teneatur restituere, qui est causa, cur damnum libentius fiat, quod nihilominùs erat faciendum: *nam* hoc dato, disparitas est, quòd ad rationem damni impertinens sit, quòd fiat cum majore vel minore affectu, quòd autem percussio fiat fortiùs, non habet se impertinenter, quia ideò magis patitur alter.

304 §. 4. Si Titius mandet Cajo, ut vindictam pro se sumat de Clerico, mutilando illum, sed cavendo expressè ne occidat, si Cajus det Clerico venenum, ex quo post duos menses moriturus sit Clericus, Titius hoc ipso, quòd Clericus venenum sumeret incurrit excommunicationem, quia mandando vindictam, per gravem culpam suam occasio fuit dati veneni, quod malum prævidere debebat sciens Cajum, quàm posset occultissimè, sumpturum vindictam: venenum autem secundum dicta *n. 302.* quam primùm sumptum fuit, cæpit operari, ergo injuria cum effectu saltem inchoato tum cæpit, quod sufficit ad incurrendam hanc excommunicationem, Beja *p. 1. cas. 46.* pluribus id probans.

305 §. 5. Per consentientem in percussionem alterius intelligitur ille, qui simul cooperatur, dat auxilium, favendo promovet, Delb. *d. 11. n. 9.* Clericus autem consentiens seu permittens se percuti, non incurrit excommunicationem ipso facto, quia Cap. *Contingit* De sent. excomm. sic habetur, *si quis autem Clericus post prohibitionem hujusmodi sponte se subjecerit excommunicetur*, ergo est excommunicatio ferendæ & non latæ sententiæ, Delb. *s. 7.*

306 §. 6. Si percussio facta non sit nomine alicujus, seu non in ipsius gratiam, quamvis ipse postea ratificet, non incurrit excommunicationem tum; quamvis nomine ejus sit facta, si tantùm interne ratificet, & non signo aliquo externo. *Dec. à n. 994. Nec obstat* Regula juris, *ratihabitio retrotrahitur & mandato comparatur*, *nam* id tantùm valet respectu contractuum & pœnæ pro foro externo infligendæ, Delb. *s. 11. n. 14.* & iterum *s. 16.* Unde autem præsumatur mandatum occidendi, aut ratihabitio homicidii facti, explicat Pignat. *tom. 1. cons. 135.*

307 §. 7. Ideò non incurrit occidens Clericum adulterantem cum uxore, filia, matre vel sorore sua, quia Ecclesia condonat hanc pœnam ob tantum & tam justum dolorem, qui ordinariè causet subitum motum iracundiæ, Cap. *Si verò, 2. De*

sent. excomm. quod Navar. Angel. Suar. Con. Delb. *s.17.n.33.* extendunt ad eum, qui percutiatur, quia invenitur oscula vel amplexus exercere cum una ex prædictis personis: attamen requiritur ut fiat statim ex subito motu, alioquin non excusaretur percutiens vel occidens, Sylv. Angel. Nav. Delb. *n.35.*

308 §.8. Si quis insequatur Clericum, & *hic inter fugiendum* præter intentionem & prævisionem insequentis cadat, probabile est insequentem non incurrere excommunicationem, quia non est causa moralis illius casus. Dicast. *n.1033.* Sperell. tamen *dec.20.* probabiliùs dicit, si Clericus reipsa ex metu persequentis cadat, incurrere, quia persecutio illa est causa violenta lapsus; hinc *Fagn.* & alii cum *Sperello & Bonac.* dicunt etiam eum incurrere, qui bombardulam explodit in Clericum, qui ex ejus timore moritur; vel exanimis *in* terram cadit, quamvis globo ne leviter quidem tactus sit.

309 §.9. Judex vel Superior nolens defendere Clericum à percussione incurrit excommunicationem secundùm Cap. *Quantæ*, De sentent. excomm. in 6. docent que Nav. Henriq. Suar. Beja *p.1.cas.60.* Gorm. *De act.hum.n.184.* & alii. Non autem incurrit per actum merè internum nolendi defendere, sed quia illa omissio defensionis est externa & sensibus cognoscibilis, & defensio erat ex justitia debita, Castrop. *d.1.p.7.* Vide adhuc dicenda.

310 §.10. *Tolet. Barb. Pasq. Turr. Delb.* probabiliter tenent Clericum etiam ex malitia vel passione percutientem se non incurrere, quia Canon videtur loqui de injectione manuum in personam distinctam. Oppositum tenent apud Sperell. *dec.45.n.71.* & alios Auctores 30. gravissimi cum *Busemb.* quia hæc prohibitio magis est in favorem status clericalis quàm personæ, quidquid tamen sit de hoc; si Clericus se percutiat, aut evellat sibi capillos ob mortem parentum vel ob jacturam magnam bonorum, non incurrit, quia hæc actio non censetur statui clericali injuriosa, Delb. *s 8.n.7.* Dicast. *n.985.*

311 §.11. Qui vestes Clerici non indutas aliasque res ei non adhærentes lacerat, non incurrit, quia non infert violentiam Clerico, Mol. Suar. Bon. Dic. *n.1037.* Qui autem percutit Clericum, factum hæreticum, incurrit; Nald. Schiara *l.4.diff.26.n.23.*

312 §.12. Qui verbis minacibus Clericum pellit, aut occasio est gravis damni, vel oppugnat domum, in qua Clericus est, non ut ei injuriam faciat, sed ut justè locum capiat; non incurrit, quia per ista non censetur manus injicere in Clericum, Suar. Castr. *d.3. P.23.§.2.n.2.* Dicast. *à n.1039.*

313 §.13. Qui percutit aliquem in bacchanalibus current cum larva, ignorans esse Clericum, non incurrit, quia imprudenter crederet esse Clericum, Burgh. *cent.2.cas.59.* Quid autem tenendum sit, si volens percutere laicum casu percutiat Clericum, aut volens percutere Petrum Clericum, percutiat Paulum Clericum, jam dictum est.

314 §.14. *Si percutiens* reipsa Clericum invincibiliter putet non *esse* Clericum, attamen sit animo comparatus, ut eum percuteret, quamvis sciret esse Clericum, Covar. Ugol. & alii dicunt incurrere: è contrà negant Nav. Vasq. Sanch. *De Matr. l.9.d.32.n.26.* Castrop. *tr.2. d.1. p.17. n.3.* nisi dubitasset, an non esset Clericus. Sed tum saltem videtur incurrere, si percusserit, actu intendens percutere, sive Clericus sit, sive laicus. Hinc rectè infert Sanch. *num.41.* cum Covarr. & aliis contra S. Ant. Sylv. & alios etiam eum incurrere, qui percutit aliquem, quem ex ignorantia existia nesciebat esse Clericum.

315 §.15. Si quis percutiat Canonissam, Pyrrhus Corradus *in praxi Benef. p.1. c.5. num.142.* dicit in Rota decisum esse, quod non incurrat pœnam hujus Canonis, quia Canonissa nec est clerica nec monacha, sed sæcularis & laica: è contra Glossa ad illum Canonem dicit incurri pœnam, si quis injiciat manus *etiam in Ecclesiasticas personas*, talis autem Canonissa videtur esse persona Ecclesiastica secundùm dicta *l.4. n.229.* cùm ratione sui status vacet divinis in Choro, canat Horas & aliter Deo in Ecclesia serviat, & ideò Pignat. *to 8. cons.1.n.11.* docet illas gaudere privilegio fori, uti & Eremitas, si auctoritate Episcopi deputati sint servitio alicujus Ecclesiæ vel Oratorii, contra *Delb.* qui tenet non gaudere privilegio hujus Canonis, quia illo gaudet solus *Clericus vel Monachus*, qualis non est talis Eremita, uti nec Canonissa, multò minùs gaudent illi Eremitæ, qui sola auctoritate propria ejusmodi habitum & habitationē eligunt. Certum autem videtur ex illis, quæ affert Sperell. *decis.21.* Equites Melitenses, Teutonicos, aliosque similes esse verè Religiosos, adeóque gaudere privilegio fori & Canonis, cùm emittant tria vota substantialia, quamvis apud eos non sit tantus rigor paupertatis & obedientiæ; imò Sperell. *n.9.* putet etiam equites S. Jacobi de Sparta, qui vovent castitatem conjugalem etiam esse Religiosos & gaudere privilegio hujus Canonis, sed de his videri possunt dicta *l.4.n.3.*

316 §.16. Si v. g. conjugatus dimiserat, sed iterum resumat habitum & tonsuram, gaudet privilegiis Clerici, ideóque cum percutiens excommunicatur, communis cum Dicast. *à n.999.*

317 §.17. Ut defensio contra Clericum censeatur justa, debet fieri statim post aggressionem, unde qui Clericum, quando desisset vim inferre, posteà repercuteret, incurreret excommunicationem, quia non censetur vim repellere, quæ anteà desierat, nec est defensio, sed vindicta Sperell. *d.45. n.84.* debetque servari moderamen incolpatæ tutelæ, ut non plus fiat, quàm sit necesse ad vim repellendam. Putantque Castrop. §.3. *n 5.* & Dicast. *n.1050.* etiam licitum esse percutere Clericum ad defensionem cujusvis etiam extranei, quem Clericus injustè aggreditur.

318 §.18. Prælati incurrunt excommunicationem, si religiosos subditos cum excessu verberent, item si delinquant in modo v. g. projiciant librum ad caput, pede trudant &c. hæ enim castigationes & pœnæ non sunt concessæ à jure, uti bene ostendit Dript. suprà *pag.285.*

319 §.19. Percutiens Clericum mortuum vel malè tractans ejus cadaver, incurrit excommunicationem, quia statui clericali adhuc injurius est, attamen non fit irregularis si mutilet vel confodiat, quia non tollit vitam membro vel membris, Felin. Toler. Sperell. Delb. *s.3.n.9.* Schiara *l. 4. diff. 26. n. 15.* aliique multi cum Pignat. *tom. 16. cons.* debet percussor esse no-

320 §. 20. Ut teneamur vitatorius, ita ut non sufficiat vidisse, sed requiratur notorietas non solius Juris, sed etiam facti, nec etiam semper sufficiet publica fama, uti pluribus jam explicatum est.

321 §. 21. Si Religiosi ejusdem Monasterii se verberarint mutuò, & percussio non sit enormis, possunt à supremo Prælato Monasterii absolvi, v.g. ab Abbate, Priore, Guardiano, Rectore. Si Abbas indebitè percusserit Monachum, absolvi potest à Confessario per Abbatem electo, Krim. *n.1849.* Si Religiosus percusserit Religiosum alteri subditum, absolvi debet à suo Prælato, præsente vel consentiente Prælato percussi, ut ex utriusque consensu satisfactio imponatur, è contrà si Religiosus percusserit Clericum sæcularem, absolvi potest à solo Episcopo Clerici percussi, si tamen Religiosi forent exempti, requiritur consensus Prælati, quem consensum si neget, potest nihilominùs Religiosus adire Episcopum, quia præsumitur consensus

consensus Ordinis, in eo saltem casu, quo Prælatus ipse non habet potestatem absolvendi, ita Cabassutius *in Jure canonico l.5. c.1.n.9.* probans etiam ex Jure, item Castrop.§.4.*à n.8.ubi n.19.*notat Religiosis mendicantibus & eorum privilegia participantibus ferè eandem potestatem à *Trid.* esse concessam, quam in hac parte habent Episcopi, possunt autem etiam Episcopi hanc potestatem delegare, uti rectè notant Bonac.& Cabass. suprà *n.13.*

322 §.22. qui percutit laicum putans esse Clericum, contrahit malitiam sacrilegii, attamen non excommunicationem, quia ut hæc contrahatur, *debet* reipsa & non tantùm in *apprehensione* Clerico vel statui clericali fieri *injuria*, Delb.*s.21.n.1.*

323 §.23. Quando aliquis absolvitur ab aliquo extra eam necessitatem non habente absolvendi potestatem, exigi debet juramentum ab eo, qui absolvitur, quod comparere velit, quando poterit coram habente potestatem: quòd si postmodùm non comparuerit, incidit in similem excommunicationem, *Castr.suprà.*

324 §. 24. Percussor Clerici in foro fori absolvi debet secundùm formulam in Pontificali Romano præscriptam, quamvis fortè priùs absolutus *sit* in foro conscientiæ, uti contendit Dript. *suprà p.304.* Laym.tamen & alii dicunt pro Germania id consuetudine seu non usu esse abrogatum.

325 §.25.Dixi *l.6. p.3. n.970.* etiam ad S. Pœnitentiariam recurri pro absolutione à casu publico percussionis Clerici: Et formulas, quibus in casu publico vel etiam occulto rescribit S. Pœnitentiaria, fusè explicat Tiburt. Navarr. *in manud.ad praxin.execut.p.3. c.2. & seqq.* præcipuè autem notari debent sequentia.1. Si reus nunc satisfacere non possit parti læsæ, præstare debet juramentum de satisfaciendo cùm poterit, & si tum negligat, ipso facto reincidit in excommunicationem.2. Si oriretur scandalum ex hoc, quòd absolveretur necdum satisfacta parte, debet absolvi tantùm pro foro conscientiæ, hinc debebit externè se gerere tanquam excommunicatum.3. Quando dicitur relabi, si non pareat mandato Ordinarii, intelligitur mandato discreto & quod rationabiliter latum sit.4. Clericida orare debet officium defunctorum vel æquivalentes preces, si legere nesciat, per quinquennium in tribus diebus hebdomadæ; debet satisfacere hæredibus occisi & Ecclesiæ, cui occisus adscriptus erat; privatur Ecclesiasticis feudis & juribus patronatus: ipse & ejus filii sunt in habiles ad Beneficia obtinenda.

ARTICULUS V.

Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ.

326

Resp. Præcipua est 1. hæreticos, quæ extenditur non tantùm fautores receptores & defensores hæreticorum, ut sic, sed etiam in scienter retinentes, legentes, imprimentes & defendentes libros hæreticorum, de Religione tractantes vel hæresin continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4. Conditiones, 1. ut author libri sit hæreticus.2. Ut liber hæresin expresse contineat vel de Religione agat.3. Ut legatur materia notabilis & sufficiens ad mortale.4. Ut scienter legatur, imprimatur vel retineatur, Laym. *l.2.t.1.c.15.n.1. Unde resolves,*

I. Non excommunicatus, 1. Si legas libros catholicorum referentes verba hæreticorum, etiamsi animo hæresin discendi legas. Laym. *l.c.* ex Nov. Sanch. &c.2. Si in Catholici scriptoris libro vel alio hac Bulla non contento, legas adjecta scholia vel notas authoris hæretici: quod tamen Suar.*tom.5. disp.21. s.2.*limitat, nisi scholia essent tam copiosa, ut ex iis potiùs, quàm ex textu liber constare videretur. Laym. l.c. ex Nav. Sanch.&c.

II. Non prohibentur hæreticorum libri philosophici & alii hæresin non continentes, Laym.*l.c.n.3.* Imò probabiliter nec ii, qui incidenter tamùn continent hæresin, non agentes ex professo de fide, Sayr. Graff. apud Layman. *l.c.* contra Suar. & Sanch. qui id confirmat pro Germania, ubi Bulla cum tanto rigore non est recepta, v.Becan. *d.2. c.5. q.8.*Legens tamen tales, incurrit excommunicationem non reservatam Indicis librorum prohibitorum, ubi is receptus est, quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, ut habet Laym.*l.c.num.8.*

III.Excommunicatur, 1. qui insufficientèquantitate solum procœmium, vel epistolam ad lectorem vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla est hæresis, legit, ut habet Layman.*l.c.*& Bon.2. probabiliter etiam is, qui alterum jussu suo legentem audit, quia legit per alium, Laym. *l.c.* Azor. &c. contra Sanch.

IV. probabiliter non excommunicatur, qui hæreticam concionem aut Epistolam seorsim editam legit, quia non est liber.Laym. *l.c.q.3.*ex Sanch.

V. Non sufficit una alterave linea: imò secundùm Sanch. Rodriq. & Sà, nec integra pagina, etiam magni voluminis, quod tamen Bonac. & Laym.*l.c.* non concedunt; licèt hic fateatur, Confessario id posse ad hoc servire, ut non continuo damnet peccati mortalis & excommunicationis eum, qui bono fine, vel etiam ex curiositate unam paginam legit.

VI. Non incurritur, si retinentur libri parvo tempore, v. g. uno alterove die, quia sicut materiæ, ita & temporis parvitas excusat. Laym.*n.7.* ex Graff. Sayr. Sanch.&c.

VII. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel nescias esse hæreticum, vel tractare de religione. Laym. *n.4.* v. Sanch. *l.2.mor.c.10.& l.9.de Matr.d.32.*

VIII. Non excusatur is, qui librum, vel in aliena domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet. Item nec is, qui affirmat non esse pravum, non esse exurendum: Item qui impedit, ne comburatur, qui disputationis causa defendit. Ita *Bonac.* tamen excusat eum, qui laudat stylum vel ingenium authoris, vel bonam doctrinam, quæ in eo est, sed non quatenùs in eo est, v. g. si dicas, hic liber esset bonus, si non haberet hæresin, quia talis non defendit.Laym.v.Bon.*tom.1.d.2.q.5.p.4.n.18.& tom.3. d.1.q.2.p.4.n.20.*

ADDENDA.

Vast.38. Quid præterea sit hic notandum? Resp.327 Bullam Cœnæ ad longum dedi *l.6. p.2.n.2054.* excommunicationes autem ejus novendecim redegit in compendium Polancus *in append. ad direct. Confess. pag.105.* De immunitate Ecclesiastica, & quomodo illa violetur, dixi *lib.3. à num.1381.* Quomodo incurrant hanc excommunicationem illi, qui interficiunt, percutiunt, spoliant accedentes pro negotiis suis vel recedentes à Curia Romana fusè explicat Delben. *cap.2. dub.6.7. & 9.* partes omnes Bullæ Cœnæ accuratè explicat Castrop.*hic d.3.per prima 22. puncta.* quæ bona Clericorum sint immunia, declarat Sperell. *dec.25. 135. 142.* Contra Bullam Cœnæ nulla consuetudine præscribi posse fusè ostendit Sperell. *dec.37.* ubi uti & postea *dec.50.* fusè prosequitur, quomodo pœnas incurrant, qui gravant Clericos sive in judicio sive extra. De his autem, qui gravant eorum colonos agit *dec.41. usque ad 45.* Et de his etiam videri potest Vignar. *tom.1. cons.97.*

166.466. *tom.2. conſ.50.51. tom.6. conſ.33.* Judicem autem laicum nequidem poſſe ſupplere negligentiam, Judicis Eccleſiaſtici, qui Clericum non corrigit, oſtendit Sperell. *dec.126.* Clericum verò, quamvis non ferat habitum, non debere remitti ad forum laicale, docet Pignat. *tom.1. conſ.46.* Familiares Cardinalium & Epiſcoporum, quamvis laici ſint, gaudere privilegio fori, ideóque eum incidere in excommunicationem Bullæ cœnæ, qui *ipſos* trahit ad forum ſæculare, docent Sperell. Delb. aliique cum Pignat. *t.1. conſ.95.* De excommunicatione ob impeditam ordinariam juriſdictionem Eccleſiaſticam multa habet Pignat. *tom.1.conſ.18.* & De Luca *in miſcell. eccleſ. diſc.19.* ubi dicit *per impedientem* hic intelligi perſonam publicam *vel potentem.* Quæ omnia quia pro communi *praxi* parùm ſerviunt, omitto. Circà hæreſin, quandonam ſit formalis, colligi poteſt ex dictis *l.2.à num.92.* Quandonam ſit externè manifeſtata & Papæ reſervata, dixi *l.6. p.2. à num.1613. 1649.* Quis ab ea & à caſibus Bullæ cœnæ poſſit abſolvere, dixi ibidem, & aliqua mox addam. Quæ ignorantia vel probabilitas excuſet ab hæreſi formali & à pœnis illi annexis, aliquid dixi *l.2. à num.43.* & de hoc videri poſſunt plura apud Pign. *in novisſimis conſult.197.* Denique ad hoc, ut obliget Bulla cœnæ, ſatis eſſe quòd Romæ promulgata ſit & Pontifex velit promulgationem illam haberi pro ſufficiente, docet cum communi Pignat. *to.1. conſ.170.àn.18.*

Hic aliqua addam circa libros hæreticos & prohibitos.

Q.39. Quid addendum ſit circa libros hæreticorum?

328 Reſp.§.1. Bulla cœnæ excommunicat eos, qui hæreticorum libros hæreſin continentes, vel de religione tractantes, ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ ſcienter legunt aut retinent, imprimunt ſeu quomodoliber defendunt ex quavis cauſa, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore: itaque hæc quatuor ſub excommunicatione prohibentur, lectio, retentio, impreſſio & defenſio libri ab hæretico editi. Nec excuſat, ſi legas ex intentione confutandi, etiam nullum habens periculum in fide, quia prohibitio facta eſt etiam in odium hæreſis & Authoris hæretici, Tol. Ugol. Farin. Suar, Ovied. Caſtrop. aliique communiſſimè cum pignat. *in novisſimis conſ.195.* contra Deſcian. Maſcar. & Caram. dicitur enim. *ex quavis cauſa*: hinc ipſe hæreticus, qui ſcripſit, ſi relegat librum ſuum, incidit in hanc excommunicationem Bullæ, Graff. Ugol. Suar. Sanch. Bonacin. & alii cum Diana *p.11.tr.1.reſol.1.* & pignat. ſuprà.

§.2. Non eſt opus, ut author libri ſit hæreticus denunciatus, Sanch. Dicaſt. *d.3. n.1158.* Verjuys *tr.5.*
329 *d.2.* Ktim. *n.715.* pignat. ſuprà contra Graff. Imò ſufficit materialem tantùm eſſe hæreticum, ſi ſcribat hæreſes, quia talis author communiter & publicè cenſetur hæreticus.

§.3. Si liber hæretici unam tantùm hæreſin contineat, totus eſt prohibitus, nec legi poteſt in aliis par-
330 tibus non continentibus hæreſin, & qui ſolum illum locum, qui continet hæreſin, conſultò legit, excommunicatur, Suar. Sanch. Tamb. *n.35.* pignat. ſuprà, qui tamen poſteà probabiliter dicit contra Suar. Alter. Bonac. Duard. ſi hæreſis una vel altera, quæ continebatur in libro, ſit planè abraſa aut ea folia detracta, tum non prohiberi talem librum, quia tum revera non ampliùs continet hæreſin nec affert periculum.

§.4. quamvis liber hæretici nullam contineat hæreſin vel errorem, ſi tamen ex profeſſo ſcribat de Religione, eſt prohibitus, quia in materia Religionis & fidei ſemper eſt ſuſpectus, Dicaſt. *d.3. n.1174.* Verj. ſuprà. potiſſima hic difficultas eſt, quid intelligatur per libros *de religione tractantes*, Suar. *De fide d.20. ſ.2. n.16.* ait, *Dicitur de religione tractare, ſi per ſe contineat ſacram doctrinam, ſive ſit exponendo Scripturam, ſive ſcholaſticam doctrinam, ſive conciones, ſive caſus conſcientiæ, ſive alia, quæ ad cultum Dei vel Sanctorum vel ad ſalutem animarum ſpectant.* Sanch. *in Decal. l.2. cap.10. n.21.* conſentit & addit, *ſi ſint libri pertinentes ad fidei expoſitionem, : : : : qui differunt de Clericis, & Monachis : : : : qui de moribus Chriſtianis tractant & non tantùm politicis.* Similiter loquuntur Laym. *lib.2. t.1. cap.5. n.3.* Dic. ſuprà, Illſung. *tract.3. num.43.* unde etiam tractant de religione, ſi ſint compoſiti ad devotionem excitandam, Sylvius *p.1. V. Libri, qu.4.* Item ſi explicent ritus Eccleſiæ, etiam qui ſunt apud Armenos & Græcos ac tolerantur ab Eccleſia, *Pignat.* Item ſi interpretentur jus Pontificium ſeu Canones, Verj. *d.5.* Imò putat *Hurt.* ſi etiam jus civile, ſed hoc caret fundamento. Addit Tamb. *in Decal.l.2. c.1.§.7.n.7.* agere de religione, ſi agant de Deo, etiam ut objecto Metaphyſicæ (de quo dubito, quia tum eſt liber purè Philoſophicus) non tamen ſi purè agant de inſtitutione politica, præſcindendo à moribus. Ratio communis eſt, quia hæretici ſolent talia ſcribere, vel in odium fidei noſtræ & cum contemptu Eccleſiæ, vel aliquid veneni inſerendo, vel ita ſuis erroribus ponere volunt fundamentum aut conciliare exiſtimationem ſuæ ſectæ. Putarem tamen ſi liber hæretici tractans de religione ſubmitteretur cenſuræ approbatorum Catholicorum, qui judicarent utilem fore vel ad Eccleſiæ catholicæ veritatem agnoſcendam, vel ad confutanda aliorum hæreticorum dogmata, non reprobandum ab Eccleſia, & ita videmus plures ejuſmodi libros in Gallia & Belgio obſtetricantibus doctiſſimis viris catholicis prodiiſſe. Notat etiam *Pignat.* non ſufficere, ſi quædam obiter de religione commiſceantur, neque tamen neceſſarium eſſe, ut titulus vel argumentum libri ſit Religio, ſed ſatis eſſe, ſi ex profeſſo de religione tractet. quòd ſi liber & hæreſin contineat, & ſimul ex profeſſo agat de religione, docet contrahi duplicem excommunicationem, & hoc videtur conforme dictis *àn.87.* nam alterutrum per ſe ſufficit ad excommunicationem ſibi reſpondentem. Ex hac ratione putat *Becan.* etiam eum incurrere duplicem excommunicationem, qui per lectionem libri hæretici de religione tractantis peccat, & contra Bullam cœnæ, & contra Regulam Indicis, nam ibi tranſgreditur duas leges, ſed *Pignat.* probabiliùs contradicit, leges enim illæ ſunt tantùm materialiter duæ & moraliter una ſecundùm dicta *l.5. à num.132.*

§.5. Quamvis liber hæretici non tractet de religione, ſed ſit verbi gratia hiſtoricus, Poeticus, Juridicus, Medicus, Philoſophicus, ſi tamen vel unicam 332
contineat hæreſin, prohibetur ſub excommunicatione, Sanch. *in Decal.l.2. c.1. p. n.34.* Suar. *tom.5.d.21. n.10.* Laym. *l.2. tr.1. cap.14. n.4.* Bonac. *De cenſ.d.2. q.5. punct.4. num.20.* Caſtrop. Krim. *n.720.* Addunt Sanch. Dicaſt. *d.3. n.1180.* Krim. *n.721.* non ſufficere ſi tantùm ab illo libro hæreſin expurges ſeu deleas, quia tua particularis expunctio non tollit communem prohibitionem, ſed pro his partibus ſeptentrionalibus paulò mitiùs eſt loquendum, unde Layman. *c.15. n.3.* Dicaſt. *n.1177.* Stoz. *l.2. p.3.n.534.* & alii rectè notant pro praxi cum *Buſemb.* prohibitionem non eſſe hic in eo rigore receptam, nam paſſim in bibliothecis inveniuntur tales libri, & quamvis per accidens habeant aliquas hæreſes inſperſas, leguntur etiam à timoratis ſine ſcrupulo. Illi tamen hiſtorici prohibentur ſub excommunicatione, quorum præcipuum ſtudium eſt agere contra Catholicos vel Monachos, quales ſunt Scleidanus, Aventinus, Munſterus & ſimiles. Laym. Stoz. Dicaſt. ſuprà. Munſteri tamen hiſtoriam non reprobat Leſſ. *in auct.*

in auct. v. *hæreticus*, *cas.* 15. uti nec opera Erasmi Roterodami, exceptis quibusdam colloquiis, neque opera Ludovici Vives aut Vvesenlerii, imò Bodini tractatum de Rep. dicit legi posse, sed in Indice librorum prohibitorum, qui *post Trid.* additur, & jussu illius est editus, statim post Regulas expressè habetur, quòd liber Bodini de Rep. maneat damnatus & prohibitus. *Pignat.* supra laudat, si quando libri Authoris damnati videantur utiles Reip. typis mandentur sub nomine alterius Authoris probati, ut bonum remaneat tanquam è manibus injusti possessoris recuperatum, sed rectè notat paulò *post*, dummodò non constet librum esse *hæretici*, ad rem enim non facit, quòd supprimatur nomen hæretici aut aliud addatur nomen, cùm etiam libri sub ficto nomine Apostolorum vel alicujus Sancti ab hæreticis conscripti damnentur velut libri hæreticorum.

333 §. 6. Per Bullam cœnæ non prohibentur libri Ethnicorum vel Judæorum, cùm hi non sint hæretici, Suar. Verjuys, *a.* 4. Dicast. *n.* 1158. Krim. *n.* 716. Nec libri antiquissimorum hæreticorum, quia errores in ipsis contenti jam satis noti, confutati, ideóque minùs periculosi sunt, Steph. *tr.* 3, *d.* 1. *n.* 50. Putant tamen probabiliter Suar. & Dicast. *n.* 1159. comprehendi libros Græcorum & Armenorum, qui non sunt sub obedientia Papæ, illi enim sunt schismatici & plerique etiam hæretici. Certum autem est per Bullam Pii IV. & Clem. VIII. prohiberi thalmud, & similes libros Hebræorum, uti habetur in Indice librorum hæreticorum post Regulam 10. ubi est additum, quòd liber Magazor continens partem rituum & cæremoniarum judaicarum non prohibeatur in hebraica lingua, & tantùm in omnibus aliis linguis.

§. 7. Per Bullam non prohibetur liber catholici
334 Authoris, quamvis per accidens habeat hæreses, Con. Krim. *n.* 716. Addit Pignat. cum Duardo, quamvis liber catholici damnatus esset velut liber hæreticus, nisi expressè addatur, quòd etiam sub simili pœna prohibeatur, non enim id. ò Author est hæreticus: Idem dicit *Pign.* quamvis etiam Author damnatus esset velut suspectus de hæresi: Damnato tamen Authore tanquam hæretico, libri ejus sunt hominis hæretici. Quòd si parvo libro Catholici addita sint scholia seu annotationes majores Authoris hæretici, videtur prohiberi, quia est liber hæretici commentatoris, Suar. Krim. *n.* 717. contra Sanch. & Tamb. *in Decal. l.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 9. Imò putat Dicast. *n.* 1161. si liber Catholici, & usque adeò si sacra biblia habeant scholia & annotationes hæretici, quæ adeò deficant, ut volumen ex ipsis potiùs constet, quàm ex doctrina catholica, prohibentur sub pœna Canonis, *Suar. Alter. Pignat.* Quod verum videtur, etiamsi hæc scholia mole sua non adæquarent librum de se catholicum, quia tales libri non habentur propter textum catholicum, sed propter illas notationes, quæ censentur esse principale contentum, ergo propter illas censetur liber esse hæretici, & si passim habeat hæreses, etiam censetur hæreticus.

§. 8. Si Liber Authoris catholici fusè ad verbum
335 referat textus & errores libri hæretici, non ideò incurritur hæc pœna, quia non est liber hæretici; quod valet, quamvis ex sola curiositate legeret, Nav. Ugol. Sayr. Rodr. Sanch. Duard. & alii: Addunt Suar. Ugol. Azor. Laym. Bonac. Pign. Krim. *n.* 718. quamvis legeret animo discendi & imbibendi errores: attamen tum peccaret mortaliter.

§. 9. Butr. Pegna, Riccius. Pignat. supra putant per
336 Bullam prohiberi etiam libros hæresin continentes, quamvis conscripti sint ante lapsum in hæresin, quia posteà sunt libri hominis jam hæretici, & militat idem periculum fidei ac odium Authoris, atque si scripti essent in statu hæresis. Si tamen non contineant hæresin, quamvis de religione tractent, docent *Sousa & Bon.* non prohiberi, & ita videtur habere praxis, cùm scripti sint spiritu adhuc catholico.

§. 10. Probabilior videtur esse sententia illorum,
337 qui cum Stoz *n.* 536. dicunt per Bullam cœnæ prohiberi lectionem etiam quæstionis, concionis aut epistolæ hæreticæ separatim editæ, quamvis non attingat decem folia (tum enim haberet rationem libri, uti concedunt Castrop. Dicast. & Steph. *n.* 55.) Ratio est 1. quia si talis quæstio vel concio esset in libro hæretico, aut si epistola illi esset præfixa, quamvis unum tantùm folium contineret, prohiberetur legi per Bullam cœnæ, uti communiter docent omnes, ergo etiam nunc prohibetur, quando est separata, cùm de se sit apta tali libro inseri. 2. Si talia scripta hæretica separatim edita legi possent, ergo si quis integrum hæreticum continentem quæstiones, conciones & epistolas hæreticas dissolveret, jam singulæ possent legi sine violatione Bullæ cœnæ, quod non videtur dici posse, quia aliàs etiam conjunctæ legi possent, cùm sint eædem sive sint separatæ sive conjunctæ. *Nec refert*, quòd separatæ non ita videantur habere nomen & rationem libri: *nam* in utroque casu habent rationem libri saltem aptitudinaliter; deinde quando liber prohibetur, intelligitur omne scriptum aptum constituere librum hæreticum, & ponitur liber veluti principalis species pro genere, præsertim cùm natura hujus legis non videatur esse odiosa, utpote favens fidei & Ecclesiæ contra hæreticos, adeóque meritò censeri possit extendenda. Atque ob has rationes dicit Dicast. *n.* 1164. hanc sententiam esse probabilissimam, quamvis ipse cum Lugo *de fide d.* 21. *n.* 33. oppositam defendat ut veram, sequuntur Portel, Marchant Neuss. Sporer autem & Krim. *an.* 722. utramque dicunt esse probabilem: *Pignat.* tenet cum rigidiore, quia etiam pro talibus foliolis viget intentio legis, & cum libris censentur etiam expressa illa, quæ ad libros reducuntur, hinc infert cum *Vgol. Fill.* & *aliis* folia necdum compacta in librum, similiter prohiberi.

§. 11. Si liber hæretici ligatus in una compactura
338 complectatur plures partes, quarum aliquæ non habeant hæresin aut tractent de religione Sanch. Bonac. Lugo *de fide d.* 21. *n.* 79. & alii dicunt non incurri censuram per lectionem harum partium, quod verum est, dummodò partes illæ reliquæ habeant aliquo modo rationem libri secundùm se distincti, si enim omnes simul censeantur unus idemque liber, totus censeri debet prohibitus ob unam partem, ut rectè *Pignat.* Et saltem retineri non poterit totus ille liber, cùm in ea compactura sit liber hæreticus.

§. 12. Docent cum communi Suar. Sanch. Dicast.
339 *n.* 1178. Verj. *a.* 3 Stoz *n.* 536. Steph. *n.* 50. Pignat. Krim. *n.* 720. prohiberi libros etiam manuscriptos, si enim liceret legere manuscripta, eluderetur omnis prohibitio, quia possent hæretici sola manuscripta divulgare, aut alii facere sibi describi libros, per quod non evitarentur incommoda: Contradicunt alii cum Tamb *a n.* 14. & Viva *ad prop.* 45. *Alex. VII. n.* 10. quia manuscripta non sunt in rigore libri, & in odiosis non est facienda extensio, Sylvius *Rel. variis, p.* 1. *V. Libri*, post *q.* 4 citans Rodr. Barb. Azor. ait: *Libri manuscripti communicari possunt ad legendum, nam tantùm prohibentur, ne communicentur ad imprimendum*, ut declaravit S. Congregatio. Hæc sententia videtur probabilis. Neque ideò eluditur prohibitio, nam libri impressi facilius habentur & libentiùs leguntur: Prima tamen sententia videtur tenenda, quia communior, neque satis constat de contraria declaratione S. Congregat. Et quòd manuscripti veniant etiam nomine *libri*, videtur certum, nam ante inventum typum utique erant, & ab antiquis Monachis describebantur libri.

§. 13. Quantum legi debeat, ut peccetur mortal-
340

liter, & incurratur censura, non conveniunt AA. *Toletus* putat sufficere unam, vel alteram lineam legi, quia contineri potest hæresis: sed hæc opinio nimis rigida est, quia lex præsertim pœnalis, non spectat, quod rarò, sed quod communiter fit, communiter autem non fit, ut quis statim in prima linea hæresin inveniat. E contra *Crousers* apud *Dian.* in summa V. *hæreticorum libri* n. 39. putat requiri eam libri partem, quæ per se sumpta verè dici possit liber, & quod infrà est, dicit esse veniale. Sed hæc sententia nimis lata est, Manuel, Vivald. Sà, Sanch. putant minùs quàm paginam in folio non sufficere ad mortale, quod approbat Krim. *n.* 745. nec reprobat Laym. uti nec Castrop. *tr.* 4. *d.* 2. *pu.* 10. §. 2. *n.* 6. quamvis dicat à Suar. & Bonac. reprobari, Tambur. autem *in Decal. l.* 2. *c.* 1. §. 7. *num.* 34. dicit esse probabile. Sed Marchant. *in trib. tom.* 1. *tr.* 2. *tit.* 2. *q.* 2. & Sporer *in morali tr.* 1. *c.* 5. *n.* 28. melius dicunt in hac re attendendam esse materiam, non secundùm se, sed secundùm finem prohibitionis, qui præcipuè est periculum perversionis, hinc si aperias librum hæreticum, & incidas in rem quæ directè est hæresis vel contra fidem, dicendum est cum *Tolet.* te peccare mortaliter, & excommunicari, licèt legas paucas lineas, quia & periculo te exponis & agis contra totum finem legis. Si autem advertas materiam esse indifferentem, dicendum est cum *Sanch.* te non peccare mortaliter, licèt legas paginam, & fortè ampliùs. Dicast. *n.* 1296. etiam rectè notat esse attendendum, an liber contineat frequentes hæreses necne, si enim multas in singulis v.g. paginis contineat, contrahetur excommunicatio legendo pauciora, quàm si raras tantùm habeat hinc inde sparsas.

§. 14. Si quis ignorans idiomatis percurrat talem librum quasi legando, *Anch. Nald. Bon.* dicunt eum 341
incurrere excommunicationem, quamvis non intelligat quid legat, quia licèt absit periculum perversionis, reverà tamen legit, dein de quia Ecclesia prohibuit factum, & non finem, præterea adhuc manet finis prohibitionis, qui simul est odium authoris hæretici, & ideò etiam tantùm retinens incurrit: E contrà Suar. Sanch. Fill. Tamb. *n.* 31. Krim. *n.* 747. Pignat. Castrop. Dicast. *n.* 1183. Stoz. *n.* 538. probabiliùs dicunt non incurrere, quia propriè non legit, nisi cum addito, materialiter, ad lectionem enim requiritur mente scripta percipere, qualem lectionem Ecclesia prohibet, quia illa sola est communicatio cum hæretico. Rectè autem notat *Dicast.* suprà ad lectionem non requiri, ut voces exteriùs ore efformes, sed sufficere, si exteriùs visu & simul mente percipiendo percurras verba, tum enim propriè, & sensibiliter diceris legere. Et in hoc etiam consentiunt *Ang. Suar. Sanch. Nald. Bonac. Pignat.* est enim tam lethale venenum hæresis, ut etiam oculis haustum enecet.

§. 15. *Suar.* dicit etiam audientem legi incurrere, 342
tum, quia est idem utrobique periculum, & odium hæreseos, quæ fuit ratio prohibitionis, adeóque extensio hìc valet, quamvis supponamus esse legem pœnalem, tum etiam, quia legere non tam est ore percurrere voces, quàm eas mente percipere, ita ut hæc perceptio sit præcipua actio, & velut complementum in ratione lectionis, ergo qui voces prolatas auditu percipit, etiam physicè censeri potest legere. Hanc sententiam admittunt Nald, Az. Sayr. Graff. Regin. Sylv. Bignot. Verj. *a* 6. si, ut audiret, induxerit alterum ad legendum, quia tum censetur moraliter legere per alium, cùm enim mandet, vel fieri velit, lectio fit nomine ipsius. Econtrà si non induxerit, non censetur legere, sed tantùm audire: & hæc sententia videtur probabilior; attamen etiam probabiliter dicunt Ugol. Sanch. Con. Fill. Port. Tamb. suprà *n.* 4. Dicast. *n.* 1187. Stoz. *n.* 537. Krim. *n.* 746. nequidem mandantem, ut sibi adaduiendum prælegatur, incurrere, quia ille tantùm dicitur legens, qui visu, & mente scripta percurrit; & ideò infert Steph. *n.* 51. probabile esse eum nequidem peccare, qui per alium linguæ ignarum jubet sibi prælegi librum hæreticum. Addit *Sousa*, nec enm peccare, qui jubet sibi prælegi per eum, qui facultatem habet legendi, sed in utroque probabiliùs contradicunt alii cum *Pignat.* quia etsi talis lectio respectu proferentis non sit peccaminosa, tamen est talis, quatenùs mediante illa iste, qui jubet, & audit, dicitur per alium legere. Econtrà tamen, qui de memoria recitat, quæ aliquando legit in libro hæretico, nullo modo legit nec peccat, Ugol. Suar. Sanch. & alii.

§. 16. Docent Laym. *l.* 2. *n.* 1. *c.* 15. Dicast. *n.* 1195. 343
virum prudentem, & doctum non peccaturum in Germania, si locum aliquem contradictionis quærat in hæretico authore sperans certò, quòd eo exhibito alter ad fidem sit convertendus, tum enim lex charitatis præponderat Ecclesiasticæ. Aliud est, si fieret curiositatis causa, aut ex animo adhuc hæresin redolente, Krim. *n.* 715.

§. 17. Ludimagistro Catholico licitum non est ad- 344
mittere pueros discentes legere v. g. ex catechismo hæretico, tum quia ipse docendo, & corrigendo reipsa legeret librum hæreticum, tum quia cooperaretur ad talem lectionem, & instructionem in hæresi,

§. 18. Legentem, retinentem, &c. excusat ignoran- 345
tia etiam crassa, & affectata, communis cum *Pignat.* suprà dummodò non sit temeraria, qualis esset, si ignorans moraliter scire præsumatur, quia quando dubitat vel inquirit à viro fide digno, vel quando est fama publica de prohibitione libri, aut quid simile, & tamen credere non vult, aut ulteriùs inquirere, tum præsumitur scire, Bonac. Sanch. Lug. Pelliz. Castrop. Tambur. *n.* 29. Verj.

§. 19. Quando datur facultas legendi libros hære- 346
ticos, additur, *ad salutem animarum, & ad effectum hæreses & errores redarguendi, & confutandi*, unde talis, qui non ex tali fine, sed v. g. ex sola curiositate passim, & communiter legeret, peccaret graviter, quia in re gravi ageret contra finem saltem extrinsecum, quem legislator seriò, & efficaciter intendit, non tamen incurreret excommunicationem, concessio enim tum manet valida in ordine ad cavendam censuram, saltem tum, quando expressè non adduntur hæ particulæ, *aliàs non, secus totum erit irritum & inane &c.* manet enim finis intrinsecus dispensationis, qui est eximere dispensatum ab obligatione legis, Verj. *art.* 7.

§. 20. Hæc propositio est 45. ab *Alex VII.* dam- 347
nata, *libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Oppositum itaque est verum, nempè retineri non posse usque dum expurgentur, etiamsi quis legere non velit, sed statim esse extradendos: Et tam deponens librum apud alium, quàm depositarius acceptans excommunicantur, uti cum communi Pignat. *pag.* 481. contra *Duardum*, qui excusat deponentem; sed contrà est, nam ille censetur apud alium retinere suum librum: Et quod dictum est de depositario, valet etiam de eo, qui commodatò accepit, aut in pignus, nam verè dicuntur tenere, *Duard. Pignat.*

§. 21. In retentione, ut possit discerni peccatum 348
grave à levi, consideranda est quantitas seu mora temporis, intentio retinentis, & principaliter finis legis prohibentis retentionem, nam retinens per unum vel alterum diem cum proposito postea trandendi excusatur à peccato mortali, Sanch. Duar. Regin. Castrop. Gordon. Dian. Pignat. *pag.* 482. Sporer suprà. Si tamen tamdiu expectaret, ut censeretur non velle tradere, peccaret mortaliter & incurreret censuram, Verj. *a.* 8. si haberet voluntatem absolutè retinendi, &

& paulò post mutaret hanc voluntatem, proponeretque extradere, peccasset quidem mortaliter, putatque Suar. *De fide d.* 20. *s.* 11. *n.* 22. incurrisse censuram, sed probabiliùs negant Sanch. Regin. Castr. Spor. Dian. *p.* 5. *tr.* 5. *R.* 43. Verj. suprà, Dic. *n.* 1203. Krim. *n.* 749. quia censura non incurritur ob voluntatem, sed ob ipsam retentionem, ergo si hæc de se non sit mortalis, & longa, non censetur materia sufficiens ad censuram, sicuti licèt habuisses animum graviter vulnerandi Clericum, si tamen Clericus ictum declinans tamen leviter esset à te percussus, secundùm antèà dicta non esses excommunicatus.

349 §. 22. Incurrit excommunicationem, qui retinet libros hæreticos tantùm ad ornatum suæ bibliothecæ, licèt idioma non intelligat, quia præter periculum perversionis fines prohibendi fuerunt, ut tales libri planè abolerentur, odium authoris hæretici, detestatio hæreseos contentæ, &c. Sanch. Fill. Castrop. *n.* 7. & 9. Dicast. *n.* 1200. Pignat. *pag.* 482. Verj. *a.* 8. Krim. *n.* 750. non excusant eos, qui libros illos vel eorum partem retinent ad involvenda in talibus foliis aromata aut medicinas.

350 §. 23. Qui librum, antequàm prohiberetur, redegit in compendium, excommunicatur, si hoc suum compendium manu scriptum legat, vel retineat post prohibitionem, est enim moraliter ipse liber compendiarus, Pignat. *pag.* 481. Et idem est de illo, qui composuit, si illum librum suum postmodùm legat, vel retineat ex quavis causa.

351 §. 24. Qui petivit, & expectat licentiam legendi tales libros, potest tantisper retinere, donec licentia data sit vel negata, dummodò responsum quamprimùm expectetur, *Verjuys* suprà similiter, qui paratus est tradere, potest expectare occasionem, ut tradat, dummodò non intercurrat longum tempus *Verjuys* suprà, imò Pignat. & Stoz. *n.* 539. dicunt, si commoditas tradendi deesset, & illa absque fraude & negligentia diu expectaretur, non incurrendam censuram, quia non dicitur verè retinere contra præceptum Ecclesiæ, qui expectat opportunum tempus tradendi.

352 §. 25. Qui tradit alteri habenti potestatem legendi, non abdicans à se dominium, sed tantùm deponens ad tempus, incurrit excommunicationem, quia reipsa retinet apud alium, Ugol. Duard. Graff. Sayr. Fagund. Sanch. Sousa, Bonac. Pignat. *pag.* 483. Econtrà si tali tradat abdicans à se dominium & possessionem, licitè facit: Religiosi autem ipso & alii sæculares satisfaciunt, si tradant in locum sequestratum, qui solet esse assignatus in singulis monasteriis, & dicitur carcer hæreticorum, seu inferius, Verj. suprà.

353 §. 26. Bibliopolis non licet hæreticorum librorum mercaturam facere, eos emendo aut vendendo, quia per hoc moraliter dissentiant hæresin, Less. *in Auctar. v. Hæreticorum libri, cas.* 17. Et quamvis deceptus sis emendo, non ideò tibi licet revendere, sed potes dissoluto contracto repetere pretium tuum, quia inerat vitium merci, quod si recipere non possis, attribue casui illud damnum, Less. *cas.* 20. Bibliopegos hæreticorum librorum dicit *cas.* 18. de jure naturæ excusari posse, quia tales libri etiam non compacti legi possunt, attamen videri agere contra Bullam Cænæ, quæ vetat haberi aut teneri apud se tales libros; & quoad hoc etiam consentiunt Ugol. Sanc. Pignat. *pag.* 482. notans tamen eum non incurrere censuram, qui compingit, ut statim mittat habenti potestatem legendi, cum enim hic legere possit, potest etiam sibi eum per alium comparare: & ideò excusant *Ovied.* & alii famulum, qui jussu domini habentis facultatem legendi, conservat talem librum.

354 §. 27. Si quis hæreditate acceperit libros hæreticos, putat Flor. *De Cocq. in prim. Theol. tr.* 4. *c.* 4. *s.* 3. eum posse commutare cum aliis libris catholicis, vel hæretico Bibliopolæ divendere, ne grave damnum incurrat, nam si similium librorum copia ibidem sit sufficiens, causa catholicorum non ideò sit multò deterior; hinc Less. *in Auctu. v. hæreticus cas.* 21. dicit conversum posse damni gravis vitandi causa vendere hæreticis bibliopolis, qui talium librorum copiam habent: Et certum videtur, quòd saltem possit illis vendere, qui habent potestatem legendi.

§. 28. Qui librum hæreticum ipsemet comburit, 355
non incurrit censuram Bullæ Cænæ, hæc enim fertur contra retinentes, sed probabilius docent Suar. Barbos. Dicast. *n.* 1208. Krim. *n.* 852. ubi viget Inquisitio, quòd comburens incurrat censuram latam a *Julio III. & Pio IV.* mandantibus tales libros tradi Inquisitoribus eo fine, ut libri & authores fiant noti & prohiberi, aut etiam comprehendi possint. Adhuc tamen probabiliter dicunt Sanch. Filliuc. Pignat. *pag.* 483. eum non incurrere excommunicationem, qui combureret, quia quando præcipitur, ut Inquisitori vel Episcopo tradatur, est ideò præcipuè, ne retineatur, quod non fit, si comburatur.

§. 29. Ille dicitur imprimere librum, qui est domi- 356
nus officinæ, in qua fit impressio, item qui ponit typum, humectat cartam, imponit atramentum, premit prælum, Suar. Sanc. Lay. Pign. *pag.* 484. Arsdek. *suprà q.* 13. §. 4. Krim. *n.* 753. qui autem corrigunt impressionem, aut faciunt sumptus pro impressione, quamvis propriè non dicantur impressores, tamen ex eo capitè etiam excommunicantur, vel quòd legant, uti corrector, & quidem toties, quoties legit magnam partem, vel quòd faveant hæreticis, Ugol. Sayr. Fill. Dicast. & alii cum Pignat. E contra vendentes cartam, charactere, atramentum aut alia instrumenta ad usum typi necessaria, sunt causæ valdè remotæ, nec videntur incurrere censuram, uti innuunt Castrop. Tamb. *n.* 46. Krim. *n.* 754. & expressè Pignat. *pag.* 485. excipiens, nisi scientes ad istum finem peti, facerent animo favendi hæresi, unde etiam describentes incurrunt, non tanquam impressores, sed tanquam legentes & detinentes librum hæreticum, vel saltem tanquam fautores.

§. 30. Qui ex pravo animo, vel ex respectu Autho- 357
ris proponit argumenta pro defensione libri hæretici vel hæresis in eo contentæ, censetur defendens & incurrit excommunicationem, Verj. *a.* 9. Qui autem defendit librum hæreticum non absolute, sed tantùm ab oppugnationibus illius inefficacibus, v. g. dicens ex his vel illis rationibus malè oppugnari, non incurrit censuram, dummodò simul absolutè dicat esse reprobandum ex aliis rationibus, hoc enim non est propriè defendere librum, sed est impugnare argumenta malè impugnantis, Dicast. *n.* 1219.

§. 31. Hæc defensio fieri potest non tantùm verbo, 358
sed etiam facto, unde qui occultat librum, qui impedit, quò minùs extradatur, comburatur &c. incurrit, quia facto defendit, Suar. Sanch. Castrop. Tamb. *n.* 54. Pignat. *pag.* 489. Krim. *n.* 755.

§. 32. Qui laudat stylum vel doctrinam eo animo, 359
ut damnationem impediat, defendit, nec enim opus est defensionem fieri ob hæresin vel authorem hæreticum, sed ex quavis causa publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore, Pignat. suprà. Libros hæreticos justè prohiberi ac etiam comburi, copiosè demonstrat Pignat *in novissimis conf.* 191. ubi *conf.* 192. agit contra libros atheos & magicos: *conf.* 193. contra Thalmudicos, Kabbalisticos, Rabbinicos: *conf.* 194. contra astrologicos, chirocriticos, chiromanticos, divinatorios. Hæc verba notanda esse duxi, quia quandoque posset de libris talibus requiri aliqua notitia, & vix in alio cum ea brevitate reperietur tanta eruditio.

Q. 40. *Quid dicendum sit circa libros alios prohibitos?* 360

R.§.1.Præter libros hæreticorum continentes hæresin, & hæreticorum, qui ex professo agunt de religione varii alii prohibentur præsertim in Indice librorum prohibitorum,qui addi solet post Trid.& de authoritate illius Indicis dicam *num.* 373. Sic Clemens VIII. prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ,sed non reservata,libros hæresiarcharum, etiamsi non contineant hæresin, nec agant de religione. Sixtus V. sub excommunicatione latæ sententiæ Papæ reservata prohibet libros astrologiæ judiciariæ seu divinationis de futuris contingentibus. Etiam prohibentur libri,qui res lascivas ex professo tractant, uti habetur in Indice Regula 2.7.& 9. Estque hìc notandum,illos libros in indice dici esse primæ classis, qui sunt vel hæreticorum & aut continent hæresin aut agunt ex professo de religione, vel sunt hæresiarcharum,quamvis hæresin non contineant,nec ex professo agant de religione; è contrà illi dicuntur secundæ classis, qui sunt libri catholicorum & speciatim prohibentur propter materiam vel modum, quo scripti sunt, aut quia sunt de rebus sacris & prodeunt sine nomine authoris vel impressoris &c. Notat autem Laym. *l.2.tr.1.c.15.n.* 8. per lectionem librorum magicorum & obscœnorum non contrahi excommunicationem, sed tantùm peccari mortaliter, si adsit materiæ gravitas.

361 §. 2. Octodecim Epistolæ Provinciales Ludovici Montaltii & aliquæ Antonii Arnaldi, itemque alia opuscula prohibita ac damnata sunt ab Alex. VII. anno 1657.6.Septemb.idem Alex. VII.tum damnavit omnes libros defendentes Jansenismum,quales libros esse Epistolas Montaltii, notas Vvendrochii, disquisitiones Pauli Irenæi declaravit Universitas Parisiensis 7.Sept. 1660. ideóque libri illi 14. Octobris insequentis publicè combusti sunt Parisiis per manum carnificis jussu Regis Galliæ.

§. 3. Idem Alex. VII. eodem tempore prohibuit libros edendos tractantes materiam de Auxiliis.Posteà Inn. XII. in brevi ad academiam Lovaniens. 6. Feb. 1694. inhærens decretis Pauli V. & Urb. VIII. prohibet eos imprimi : sed de istis prohibitionibus videri possunt Suar.Lusitanus *de Anima tr. 6. d. 2. à n.* 292. Platel. *de Gratia à n.* 606. Henao *de Scientia media historicè propugnata in Præfatione*, Paulus Leonardi *in resp.ad expost.p.3.s.*12. Aug. le Blanc. *in hist. de auxil. sub initium*, Heur. à S. Ignatio de Deo *dist.8.à n.*452. quamvis enim inter eos sint aliqui, qui rigorismum laudant, tamen hanc prohibitionem extenuant.

362 §. 4. Rituale Aletense damnatum est à Clem. IX. die 9. Apr. 1668. tanquam tale, in quo continentur doctrinæ quædam & propositiones falsæ, singulares,in praxi perniciosæ, erroneæ, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ atque Ecclesiasticis constitutionibus oppositæ & repugnantes, quarum usu & lectione Christi-fideles in jam damnatos errores sensim induci ac pravis opinionibus infici possent.

363 §. 5. *Monita* salutaria B. V.Mariæ ad cultores suos indiscretos damnavit Clem. X. an. 1676. velut scandalosa prohibuitque legi. Porrò hunc libellum in hollandicam linguam verterunt hæretici, rursumque impresserunt Middelburgi adjectis hæreticis annotationibus Alex.à S. Theresia *in temp.t. noviss. a.* 2.placuit autem libellus mirum in modum quibusdam Lovaniensibus, uti refert Hilarius à S. Sepulchro ad propositionem 26. ab Alex. VIII. damnatam,ideóque in Belgio sæpiùs est recusus.

364 §. 6. Missale gallicum ab Alex. VII. 12.Jan.1661. damnatum est & sub pœna excommunicationis prohibitum imprimi, legi, retineri. Et hanc excommunicationem incurri ipso facto, licèt præfigatur alius titulus, docte resolvit Universitas Œnipontana apud Vvex *p. 4. dec. 2. cas.* 10.

§. 7. *Paulus Episcopus de Chartres* 25. Jun. 1708. 365
damnavit pro diœcesi sua opus in 7. tomos distribatum sub titulo, *Institutiones Theologicæ ad usum seminariorum*, *Authore Gaspare Juenin Oratorii gallicani Presbytero* &c. ostendens in eo contineri 5. propositiones Jansenianas. Idem opus S. Congr. Generalium Inquisitorum de mandato Clem. XI.damnavit 9. Oct. 1708.& sub pœnis in Indice contentis vetuit imprimi, apud se retineri, legi, mandans strictim & cum effectu extradi Ordinariis & Inquisitoribus.

§. 8. *Henricus de Bissy Episcopus Meldensis* dedit 366
luci librum sub hoc titulo. *Mandement & Instruction pastorale de Monseigneur l'Evêque de Meaux sur le Jansenisme, portant condamnation des Instructions Theologiques du Pere Juenin. A Paris* 1710. Liber hic speciali brevi à Clemente XI. laudatus est an. 1712.In 1.ejus parte à pag. 1.usque ad 486. exponit Episcopus, quæ sit doctrina *Jansenii* in 5. propositionibus damnatis In 2.parte à pag. 486. usque ad 622. ostendit Theologiam Patris *Juenin* continere has 5. damnatas hæreses : quare pag. illa 622. per speciale Edictum die 16.Aprilis 1710.damnat,ac prohibet omnibus suis subditis Theologiam illam, seu Institutiones Patris *Juenin* Qui volet compendium illius doctæ Instructionis pastoralis ejusque elogium, legat mense Julio 1711.art.102.pag.1164. *Memoires pour l'Histoire desSciences, & des beaux arts &c. A Trevoux.*

§.9. Clemens XI. 2. Decemb. 1711. damnavit, & 367
prohibuit sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis, apud se retinere vel legere librum, *Artes Jesuitica in sustinendis pertinaciter novitatibus laxitatibusque sociorum S.D.N Clemen. Papæ XI. atque orbi universo denunciata per Christianum Aletophilum. Editio secunda media fere parte auctior. Argentorati apud Amatorem Kerckhoven* 1710. Prima autem editio etiam fuerat damnata jam dudum.

§. 10. *Concilium Tolosanum* an. 1590. prohibuit 368
quidem Kalendaria, dum continent,prout passim fit, prædictiones rerum à libertate arbitrii dependentium, sed proculdubio ideò fuerit, quòd eo tempore plùs crederetur ejusmodi prædictionibus, quàm nunc fiat saltem in his regionibus, unde solent passim sine scrupulo, & sæpe ad risum legi ejusmodi fallentia Kalendaria.

§. 11. Plures damnationes librorum plurimorum 369
prodierunt,speciatim aliquorum 25. April. 1693. sub *Innoc. XII.* quas omnes hic referre nimis longum foret.

§.12. Declaravit & statuit *Clem.VIII.* agens de pro- 370
hibitione librorum §. ut libri certa lingua primò editi,& prohibiti, censeantur prohibiti in quacunque lingua postmodum edantur, uti refert Alex. à S. Theresia suprà, *art.* 2.

§.13. Librum catholici Auctoris Romæ purè 371
confixum posse in Germania legi, defendit publicè aliquis Professor moralis. Idem censuerunt interrogati à me tres Doctores Theologiæ. Idem de libris secundæ classis tenent Becanus, Laym. *l.* 2. *tr.*1.*c.*15. *n.*4.& 8.aliique cum Vvex suprà *in append.*1.*n.*19.pro locis septentrionalibus, in quibus Bulla cœnæ non est in eo rigore recepta, cùm in eo rigore non observetur à majore parte communitatis. Ratio autem est, quia in locis illis Germaniæ nemo est, qui observationem talium prohibitionum cum potestate urgeat.

Q 41. *Quid notandum sit circa impressionem & lectionem S.Scripturæ?* Resp. §. 1. Trid. *sess.*4.in decreto de editione librorum dicit & mandat, ut impressio S. Scripturæ latina,sit tantùm vetus,& *vulgata*: prohibetque imprimi ejus interpretationes non approbatas ab Ordinariis. 372

§. 2. In Regula 4.Indicis sic habetur, *Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua* 373

passim

passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum à catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possit, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Porrò est maxima authoritas illius Indicis, nam jussu Pii IV. per delectos à *Trid.* viros ex omni natione præstantissimos, maximo & diuturno labore est factus, à toto *Trid.* comprobatus, postmodùm Romæ doctissimis, ac probatissimis Prælatis iterum propositus, & examinatus, atque ab ipsomet Pio IV. lectus, & tandem per expressam Bullam ejusdem authoritate firmatus est, insuper approbatus est à Sixt. V. & Clem. VIII. S. Carol. Borrom. tuba S. Spiritus, Organum *Trid.* Adversariis charus, in Synodo an. 1565. ita statuit, *Episcopi regulas Indicis ∴∴ ab omnibus ∴∴ servari curent.* Et in Synodo 3. ann. 1573. sic habet conformiter Indici, *de Bibliis autem vulgariter redditis, & de Testamento novo in vulgarem etiam linguam converso ∴∴ ea diligens cautio adhibeatur, ut illius usus iis tantum concedatur, quibus Episcopus permittendum judicaverit.*

374 §. 3. Circa Regulam relatam Indicis notandum est, quòd non peccetur, nec incurratur excommunicatio ab iis, qui sine expressa facultate Ordinarii in Germania legunt Biblia versa à Catholicis & usu publico approbata, uti notant Tann. & Lay. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 8.* Imò sic legentes testatur laudari Serarius apud Gob. in Clypeo *n. 317.* Pro Belgio notant Marchant, & Verj. *art. 10.* in multis illius locis consuetudinem jam in valuisse, ut honestis, & prudentibus personis sæcularibus Bibliorum lectio permittatur, dissimulatione potiùs quàm concessa licentia, neque in hoc ab Ordinariis contradici. Idem de Gallia satis notum est: Sed id fieri non deberet sine consensu saltem Parochorum, vel Confessariorum, sæpè enim sunt corrupta Biblia quæ priùs examinari deberent à viris intelligentibus.

375 §. 4. *Clemens IX.* 20. April. 1668. & *S. Congr.* sub *Innoc. XI.* 19. Septemb. 1679. damnant & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ prohibent legere, retinere, vendere, imprimere, imprimi facere librum versioni Gallicæ Montensis novi testamenti tanquam temerarium, damnosum, à vulgata editione differentem, & offendicula simplicium continentem: titulus est, *Le nouveau Testament de nostre seigneur* JESUS. *Christ traduit en François selon l'edition vulgate, avec les differences du Grec,* Montibus Hannoniæ, & Lugduni impressum, vel ubicunque imprimendum. Contemnunt quidem Jansenistæ hæc Pontificis mandata, imò Author libelli Flandrici, *Korte ende nadighe ondervvijsinge*, pag. 25. dicit mandatum hoc non à Deo, sed à diabolo profectum esse. Alius Jansenista dicit *Clem. IX.* non sciviſse latinum, gallicum aut græcum, idcóque non potuisse ferre judicium de libro, quem non intelligebat: sed hæ sunt falsæ, temerariæ, ac prorsus impiæ cavillationes, nam imprimis Clem. IX. testatur id factum post diligens examen Cardinalium, & virorum pietate, doctrina, ac sapientia præstantium. Deinde S. Cong. sub Inn. XI. caret suspicione ejusmodi ignorantiæ.

Obji. Malè supponi, quòd illa versio sit corrupta. 2. Potest aliquis esse certus, quòd lectio illa non sit sibi obfutura, ergo saltem talis poterit legere. R. *ad* 1. quòd corrupta sit, judicarunt examinatores Romani, pro quibus standum; deindè licèt corrupta non esset, attamen non est approbata, ergo adhuc prohiberi posset. *Ad* 2. n. conseq. quia quamvis hinc legis in hoc, vel illo particulari videatur cessare, non ideò desinit obligare secundùm dicta l. 1. à n. 863. 376

§. 5. Librum edidit *Paschasius Quesnel* Oratorius Bervillista in plures tomos distributum, sub titulo: *Le nouveau testament en François, avec des reflexions morales sur chaque verset, &c. à Paris 1699.* Ac aliter. *Abbregé de la morale de l'Evangile, des actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensées Chrétiennes sur ces livres sacrez &c. A Paris 1093 & 1694.* Hunc librum Joannes Franciscus Episcopus Lucionensis, & *Stephanus* Episcopus Rupellensis per edictum pro diœcesibus suis impressum Rupellis sub hoc titulo, *Ordonnance, & instruction Pastorale, &c.* damnarunt 15. Julii 1710. & sub excommunicatione ipso facto incurrenda sibique reservata prohibuerunt imprimi, transcribi, legi, retineri, mandarique sibi statim extradi. Pro universali autem Ecclesia hic liber à Clem. XI. post diligens examen speciali Brevi, quod incipit, *Universi Dominici gregis curæ*, 13. Julii 1708. damnatus est, tanquam novi testamenti textum damnabiliter exhibens, & temerariè vitians, &c. Hinc illum etiam alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenùs impressum, aut imprimendum reprobat, ipsius impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis ipso facto absque alia declaratione incurrenda, Papæ reservata prohibet; mandans, ut quicunque librum illum penes se habet, aut in futurum quandoque habebit, illum statim locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus tradat, hi verò exemplaria sibi sic tradita illicò flammis aboleri curent. Eandem damnationem, & prohibitionem repetivit idem Clem. XI. in Constitutione, *Unigenitus Dei filius*, 8. Sept. 1713. ac insuper propositiones 101. ex dicto libro excerptas damnat tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas: neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresin ipsam sapientes, necnon hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas pluries damnatas, ac in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ inerunt acceptis continentur, manifestè innovantes, respectivè; declarat & damnat; prohibens eas defendere, aut de eis etiam disputative tractare nisi impugnando, sub excommunicatione ipso facto absque alia declaratione; non ideò approbando quoad reliqua librum.

§. 6. Dictus Quesnelli liber contendit male ab Ecclesia prohiberi ulli homini fideli, etiam laico, & fœminæ, lectionem sacræ Scripturæ, ac præsertim novi Testamenti in vulgari lingua, sed Clem. XI. in dicta Bulla *Unigenitus*, meritò damnavit Quesnelliani libri seqq. prop. 79. *Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere Spiritum, Pietatem, & Mysteria sacræ Scripturæ.* 80. *Lectio S. Scripturæ est pro omnibus.* 81. *Obscuritas sanctæ Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione.* 82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.* 83. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.* 84. *Abripere à Christianorum manibus novum Testamentum, sed eis illud clausum tenere, auferendo illis modum* 377

illud intelligendi, est illis Christi os obturare. 85. *Interdicere Christianis lectionem S. Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis.* 86. *Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei.*

378 §. 7. Ut magis intelligatur æquitas harum damnationum, & elidatur temeritas Jansenistarum, qui contendunt usque adeò esse etiam obligationem legendi saltem novum Testamentum etiam in vulgari lingua, Nota seq. 1. Lectio Scripturæ sacræ non est necessaria ad salutem necessitate medii, aliàs omnes ignorantes litteras, aut non legentes certò damnarentur. 2. Scripturam promiscuè, & passim in lingua vulgari legi non præscribit lex naturæ, alioquin omnes tenerentur discere litteras, habere & legere Scripturas, unde infiniti damnati essent, & etiamnum damnarentur, maximè in eorum sententia, qui cùm Jansenistis in jure naturæ non admittunt ignorantiam invincibilem: hinc rectè S. August. *de doctr. Christiana l. 1. cap. 29. homo fide. spe, & Charitate subnixus, eaque inconcussè retinens non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos, itaque multi per hæc tria, etiam in solitudine sine codicibus vivunt.* 3. Nec de hoc est præceptum positivum divinum, vel humanum: nam nullibi extat, & aliàs deberet præsupponi etiam præceptum discendi litteras, emendi Scripturam, & similia. Item esset obligatio traducendi Scripturam in omnes linguas vernaculas: præterea teneretur Ecclesia providere de emendata in singulis linguis versione (uti providit de latina, quam tamen non præcipit, sed permittit tantùm legi) alioquin periculum esset, ne per quascunque vernaculas plebi corruptum Dei verbum proponeretur, ad illa autem Ecclesia non agnoscit obligationem. Præterea dicendum esset præcipi lectionem tam veteris, quàm novi testamenti, quia utrumque ad nostram institutionem est exaratum, utrumque continet veritates divinas, nemo autem ex Novatoribus hoc asserit de veteri testamento, ergo nec dicendum est de novo. 4. Lectio Scripturæ in lingua vulgari passim sine discrimine justè prohibita est per legem Ecclesiasticam, uti patet ex Regula quinta Indicis jam relata, cujus Indicis quanta sit authoritas dixi ibidem. 5. Lectio Scripturæ passim permissa in lingua vulgari ordinariè multùm noceret præsertim rudibus, quia Scripturæ sensus est difficilis teste S. Petro de Epistolis Pauli, patetque ex Apocalypsi, & multis locis, quæ videntur sibi contradicere, ut autem Scriptura cum fructu legatur, debet legens formare sibi aliquem sensum illius, quod non poterunt rudes, & mulierculæ, nisi cum periculo erroris, & pertinaciæ ad insistendum sensui, quem primò sibi formaverint. Deinde ut utiliter legatur, debet secundùm Adversarios legens antecedenter esse instructus quoad communes fidei veritates, & cordis puritatem habere: plurimi autem sunt è plebeis, & mulierculis, quibus alterutrum, vel utrumque deest. Præterea si passim sine examine permittatur vernacula *lectio* Scripturæ, facilè in manus venient versiones *corruptæ*, v. g. Lutherana, Calviniana, Genevensis, *Vicleffiana*, quod esset periculosissimum. Item fieret, ut Parochorum conciones negligantur à plebe, quæ ipsa sibi, & aliis concionari, & in suo sensu abundare volet; ac abutetur Scriptura ad firmandos errores, & privatos sensus proprios. Rectè S. Hieronymus *in c. 12. Danielis, Scripturæ intelligentiam sibi imperitissimi maximè vendicant*; addit Epistola ad Paulinum, *hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt lacerare, docent antequam discant.* 6. Cùm ex dicti, constet, & experientia sit manifestum lectionem Scripturæ in quavis lingua vulgari, ordinariè plus afferre incommodi, quàm utilitatis, patet justè prohiberi in Germania, quia quod in communi aptum est multùm nocere, justè prohibetur, donec videant Superiores, quibus tutò & utiliter permittant. 7. In dubio (quod ad minimum est) an lectio Scripturæ in lingua vulgari aut versione qualicunque sit futura noxia, si prohibeatur, parendum est, quia possessio est pro authoritate Superioris, & potestate prohibendi, maximè apud illos, qui dicunt semper tutiora esse sequenda.

379 *Objiciunt* plurima, 1. Scriptura ipsa dicit, *scrutamini Scripturas. Ut per consolationem Scripturarum spem habeamus. Solatio habentes libros sacros. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est.* 2. Paulus scripsit ad rudes populos Epistolas suas, utique ut legerentur ab ipsis. 3. Christus ipse ea, quæ scripserunt Evangelistæ, locutus est rudi plebi 4. SS. PP hortantur omnes ad lectionem Scripturæ. S. Chrysost. ait *obsecro sæculares omnes, comparate vobis Biblia.* 5. Doctrina fidei, quam scire debet etiam vulgus fidelissimè continetur, & legitur in Bibliis. 6. Etiam ideò S. Hier. Biblia vertit in latinam linguam, quæ tum erat vulgaris 7. Absurdissimum est dicere, quòd novum testamentum sit liber prohibitus. 8. Conversio hæreticorum facilitatur, si cum ipsis dicamus plebi licere lectionem Scripturarum Resp. Hæc & similia argumenta meritò explodit Pignat. *tom. 2. cons.* 56. altero. Breviter dico, *Ad* 1. Hæc non dicuntur passim ad plebem, & mulierculas, sed ad illos, qui erudire debent alios, aut qui habent conditiones ad tutò, & utiliter legendum, quòd quinam sint, judicare debent Superiores Ecclesiastici. Consolatio Scripturæ tutissimè communicatur plebi per Pastores. Panis est utilis omni homini, sed pueris porrigitur cum lacte, ægris frangitur ad mensuram, aliis secundùm necessitatem accommodatur. *Ad* 2. S. Paulus scribebat ea, quæ per se vel alios viros Apostolicos docuerat, aut docturus erat, hinc in Ecclesiis legebantur ejus Epistolæ, ac exponebantur: & ita etiam nunc fieri debet per prædicatores Evangelii. *Ad* 3. Est eadem responsio. *Ad* 4. De SS. PP. dic uti *ad* 1. Quod S. Chrysostomum attinet, ipse erat Episcopus, & advertebat populum suum meliùs non posse abduci à spectaculis theatrorum, quibus deditus erat. Nunc sunt circumstantiæ, ob quas Episcopi & Ecclesia prohibent omnibus promiscuè lectionem. *Ad* 5. Continetur in Bibliis, sed proponi debet à Pastoribus. *Ad* 6. Tempore S. Hieronymi non erat impressio, quæ uti nunc, redderet versionem communem: & manuscripta à solis doctis habebantur. *Ad* 7. Novum testamentum non est liber prohibitus, cùm permittatur hebraicè, græcè & latinè, sed rudes sunt prohibiti illud legere in quavis alia lingua, & versione, non ob vitium libri secundùm se qualia vitia sunt in libris hæreticis, obscenis aliisque prohibitis, sed ob imbecillitatem, vel malam dispositionem eorum, qui legerent. *Ad* 8. Facilitabitur per medium prudens, & opportunum, N. per medium imprudens & importunum, transeat. Et si ideò sit cedendum, ergo etiam abrogandæ sunt cæremoniæ Missæ, Eucharistia sub utraque specie sumenda, permittendæ Sacerdotibus uxores, &c.

380 §. 8. Huc reducitur solutio sequentis casus: Titius Catholicus è Lutherano factus quondam valdè psalmorum cantu delectatus, in suo sacello domestico in dies dicit Missam, sub qua cum sua ampla familia ad organum canit Davidis psalmos germanicos, quos Ambrosius Lobvvasser Calvinianus quondam vertit ex gallicis rythmis famosissimi Marotti Galli. Titius quidem pro se habet veniam legendi libros hæreticos sed non ipsius familia. *Quæritur.* An Titius, &

& familia licitè hos psalmos cantent : Resp. 1. Per hoc quòd Titius facultatem habeat legendi libros hæreticos, non ideò habet veniam psalmos illos sub officio divino canendi ; nulla enim inter unam, & alteram facultatem est connexio, nam omnes facultatem habent legendi ; v. g. Virgilii carmina, sed non ideò canendi sub divinis. Resp. 2. Nec Titium, nec familiam posse dictos psalmos licitè cantare, quia omnes versiones sacræ Scripturæ (adeóque & versio psalmorum) ab hæreticis factæ jure communi sunt prohibitæ, uti cum aliis Lay. *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 8. 2. Quia nem negaverat indecens esse, & Sedi Apostolicæ planè contumeliosum, si talis versio *non tantùm* privatim legatur, sed etiam *publicè*, & quidem sub ipso Missæ sacrificio cantetur. 3. Quia Tr. *sess.* 4. in Decreto de editione, & usu sacrorum librorum sub pœna anathematis vetat imprimi, aut etiam apud se retineri libros de rebus sacris, nisi primum exa minati probatique fuerint ab Ordinario, qualiter examinatus probatusque non est ille psalmorum liber in linguam vernaculam conversus.

381 *Q.* 42. *Quid ad tendum sit circa impressionem, & lectionem aliorum librorum, & speciatim controversiarum fid* ? ? Resp. §. 1. In Indice, de quo dixi n. 360. Titulo *De impressione librorum* sic habetur : *nullus liber imposterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen & patriam præferet authoris. Regulares præter Episcopi licentiam meminerint teneri se facultatem à Prælato, cui subjacent, obtinere. Episcopi advigilabunt summopere, ut in singulorum impressione librorum, nomen impresseris, locus impressionis, & annus, quo liber impressus est, in principio ejus atque in fine annotetur.* Hæc decreta passim non observantur, vel eliduntur, ponitur enim sæpè fictum nomen aut suppositum, aut tantùm per anagramma, quod vix cognosci potest : additur v. g. Coloniæ, quando impressus est Antuerpiæ, &c. Hæc omnia malè ob gravia inconvenientia, quibus occurrere voluit *Trid.* unde quamvis Dic. *n* 1241. dicat se videre, quòd viri docti, & probi id sine scrupulo faciant, re ipsa tamen non ideò videntur excusari omninò. Si autem addatur verum nomen Academiæ, Collegii vel Ordinis, è quo author est, excusat Tamb. *in Decal. l.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 53. quamvis taceatur nomen determinatæ personæ, quia si opus fuerit, poterit, inquiri, & reperiri determinatè Authon, aut respondere debebit de hoc talis communitas.

382 §. 2. Trid. *sess.* 4. in Decreto de editione librorum sic statuit. *Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Conc. novissimi Lateranensis appositæ.* . *Qui autem scripto eos communicant vel vulgare, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant, quibus impressores, & qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint Authores pro Authoribus habeantur.* Hinc *Arsde K.* dicit eos peccare mortaliter, qui legunt libros sine nomine Authoris editos, si de rebus sacris agant. *Busemb.* dicit, ubi *Trident.* receptum est, incurri excommunicationem ab imprimentibus, imprimi mandantibus, vendentibus, apud se retinentibus, vulgantibus libros de rebus sacris sine nomine Authoris & approbatione Ordinarii : sed etiam hic rigor *Trident.* non est ubique in his partibus receptus.

383 §. 3. Si Regularis curet imprimi librum de rebus sacris cum sola approbatione Ordinarii, & non cum licentia Superiorís, docet Sylvius *p.* 1. v. *Libri impressio concl.* 3. quòd peccet graviter, si autem non esset de rebus sacris, quamvis non agat directè contra Trid. tamen *concl.* 2. dicit videri adhuc graviter peccare, quia agit contra notabilem constitutionem sui Ordinis. Attamen nullam incurrit censuram, quia hæc incurritur tantùm, quando omittitur nomen Authoris, examinatio, & approbatio Ordinarii, Suar. Sylv. *concl.* 3. ubi tamen refert Decretum *Urb. VIII.* mandantis omnium Religiosum Superioribus, ut sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipiant subditis suis, ne ullos libros de quavis materia tractantes imprimant sine expressa Superiorum revisione, & in scriptis approbatione.

§. 4. Si quis curet imprimi librum legitimè approbatum, sed approbationem & licentiam non apponat, peccat, & in rigore, liber est prohibitus, quia *Lateranense, & Trid.* vetant imprimi sine approbatione, quod explicant *Caj. Nav. Suar.* sine approbatione adjuncta seu simul impressa, Sylv. supra q. 3. ubi tamen dicit, si talis liber publicè vendatur in loco catholico, ubi est librorum approbator, hoc ipso, quòd permittatur vendi, haberi pro approbato, ac posse præsumi esse approbatum. 384

§. 5. Libros famosos imprimere aut legere est jure naturæ illicitum, non aliter ac eloqui, & audire detractionem. Illi autem libri dicuntur famosi, qui alicujus famam injustè lædunt, vel continent infamiam necdum publicam : & si sint contra Ordinem religiosum, incurritur excommunicatio ab *Alex. IV.* lata, Fill. *tr.* 15. *n.* 126. 385

§. 6. Secluso periculo perversionis putant Tann. & Burgh. *cent.* 1. *cas.* 8. non peccari, si legatur Pasquillus etiam ab hæreticis impressus contra varios status hominum, dummodo fidem catholicam. & Papam non tangant, tum, quia, vel talia sunt aliunde publicè decantata, vel non creditur ejusmodi nugacibus scriptiunculis, vel ob difficultatem abstinendi, & frequentiam contrarii usus, prohibitio, si quæ fuit, videtur desisse. 386

§. 7. In indice Regula 6 sic habetur. *Libri vulgari idiomate, de controversiis inter catholicos, & hæreticos nostri temporis differentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est.* Verùm hæc prohibitio in Germania, & Belgio non observatur, quamvis fateri oporteat, quod talis lectio multis sit perniciosa, præsertim illis, qui non satis firmi sunt in fide, aut sunt simpliciores, & potiùs attendunt ad hoc, quod objicitur ab hæreticis, quàm quod respondetur à Catholicis : maximè autem vitandi sunt rudibus illi controversistæ, qui subtilia argumenta hæreticorum nervosè, & ad plausum proponunt, solutionem autem breviter, & frigidè, imò notat Verj. *a.* 11. tales libros meritò non esse permittendos imprimis præsertim in lingua vulgari. 387

Q. 43. *Quas pœnas incurrant legentes, aut retinentes libros hæreticos, vel alios prohibitos* ? Resp. Satis colligitur ex dictis, & ex hac. Regula 10. Indicis in fine. *Si quis libros hæreticorum, vel cujusvis Authoris scripta ob hæresin vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat, qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur.* Denique notandum est cum Schiarra *t.* 4. *diff.* 21. laicis (quales non sunt primam tonsuram habentes) prohiberi Cap. *Quamvis de hæret. in* 6. sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, ne disputent de fide publicè vel privatim cum hæreticis. Idipsum etiam prohibetur Clericis indoctis. L. *Cleric. C. de sum. Trin. & fide cath.* 388

Q. 44. *Quis possit dare facultatem legendi, vel corrigendi libros hæreticos, & prohibitos* ? R. §. 1. Superiores regulares posse suis dare facultatem legendi, & retinendi libros hæreticos putarunt multi viri docti à me interrogati, qui ducebantur his rationibus. 1. Quia Patres Provinciales viri pii, & docti quorundam 389

Ordinum eam facultatem hactenus semper dare consueverunt, qui communis mos videtur esse sat solidum fundamentum. 2. Quia est justa & rationabilis præsumptio pro sapientibus viris illis, non ignaris eorum, quæ obmoventur, nec tamen difficilibus in ea potestate danda, estque semper præsumptio pro Superioribus, argumento Cap. *Quid culpatur*, 23. *q.* 1. Lay. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 2. *n.* 11. & omnes in Cap. *Quoniam contra*, ubi nominatim Dec. *n.* 33. *ff. de probat.* Alciat. *Reg.* 3. *præsump.* 9. Abbas *concl.* 41. *n.* 2. Præsumptione autem meritò stari in utroque foro adstruit Sanch. *in Decal. l.* 2. *c.* 10. *n.* 11. & 13. 3. Quia Bullæ, & prohibitiones in contrarium ignotæ sunt, adeóque non receptæ usu apud Germanos. 4. Et præcipuè, quia saltem quod Societatem JESU attinet, & alios participantes ejus privilegia, *S. Pius V.* & post eum *Greg. XIII.* per Bullam *Exponi nobis*, 1575. concedit, *ut Præpositus Generalis considerate cum delectu, & re consultata cum Assistentibus, possit concedere facultatem legendi libros hæreticos, & alios prohibitos ad oppugnandum*, uti refertur in Compend. privil. v. *Libri prohibiti* §. 1. Et ibidem §. 2. sic habetur. *Possunt nostri uti libris non hæreticis, licèt habeant annotationes, & scholia Authorum hæreticorum, aut Authores ipsi mali sint, si libri ipsi non sint editi ad stabilienda dogmata hæretica, dummodo nomen Authoris, si sit hæreticus, aut in Indice prohibitus, & si quid inter legendum impium occurreret, deleatur.* Et facultas hæc in dicto comp. communicatur Provincialibus. Similiter in §. 3. & seqq. ejusdem compendii datur facultas eis, qui à superioribus nostris deputati fuerint, corrigendi aliquos libros prohibitos.

§. 2. Alii negant Superiores regulares posse dare 390
facultatem ad legendos, aut retinendos, saltem libros hæreticos, quia putant ista esse revocata per sequentes Pontifices, nam *Greg. XV.* 30. *Decemb.* 1622. per Bullam *Apostolatus officium*, revocavit datas quibuscumque personis cujuscumque gradus, & conditionis licentias legendi, vel habendi libros hæreticos, vel quomodolibet prohibitos. Urban. VIII. Bullam illam innovavit 2. Aprilis. 1631. expressè addens, libros quoscunque ob hæresin, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas etiam ratione astrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis, laicis & Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm regularibus cujuscunque Ordinis, Societatis & instituti quomodocumque conditos: per quæ verba, *cujuscunque Ordinis, Societatis, & Instituti*, quæ *Greg. XV.* omiserat, videtur voluisse etiam nos comprehendere; Hinc *Ditast.* qui in Germania vixit, & scripsit hic, *d.* 3. *n.* 257. ait Urbanus 391
VIII. 5. Novemb. 1631. per constitutionem, quæ incipit, *Cum sicut accepimus*, revocat, quidquid potuerunt omnes etiam de Societate, circa ea, quæ concernunt fidem catholicam illiusque professionem, & officium S. Inquisitionis, qualia sunt ea, quæ ad hæresin spectant, & lectionem librorum prohibitorum. Accedit quoad libros hæreticos difficultas ex verbis concessionis per *S. Pium V.* & *Greg. XIII.* nam cùm dicat, *cum delectu, & re consultata cum suis Assistentibus*, videtur eligi industria, seu requiri determinatè judicium Generalis, adeóque facultas illa non erit communicabilis Provincialibus. Itaque quod mihi maximam difficultatem facit circa illam facultatem nostram est, quia in dicto compendio nostro suprà in fine post §. 6. additur: *Adverte, facultatis legendi, & habendi libros prohibitos universalem revocationem editam fuisse à Greg. XV. 30. Dec. 1662. in Bull. comm. constit. 40. & ab Urban. VIII. 2. April. 1631. ibid. constit. 145.* Atque ideò Dian. Portel. Delb. Lezan. Pignat. *in resolutionibus conf. 196. pag. 492.* stant hac sententia negante, uti & novissimè Viva *ad prog. 25. Alex. VII. n. 11.* quam vis contrad. Peyrinis, putans Pontifices non derogare Privilegiis Religionum, sed solùm particularibus licentiis; atque ita referunt, sed nihil statuunt Bassæus V. *Hæresis n.* 17. Herincx *de fide disp.* 9. *n.* 82, sed Pennafiel. *de fide disp.* 16. *n.* 69. relatam sententiam illam Peyrinis rejicit dicens, facultatem quoad libros hæreticos tam inquisitoribus, quàm Regularibus olim factam per constitutiones illas revocari, Pelliz. *tom.* 1. *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 57. dicit speculativè defendi posse, per Pontifices revocatas esse licentias, quomodocunque etiam per privilegium datas ad legendum tales libros; item potestatem dandi ejusmodi licentias esse restrictam ad solam Congregationem S. Officii, adeóque ablatam illis, qui illam habebant via ordinaria, uti erant Ordinarii, & Inquisitores, sed non ideò potestatem concedendi facultatem legendi tales libros esse ablatam illis, qui privilegium habebant, de hoc enim nulla fit mentio, nihil tamen vult determinare. *Pignat.* autem suprà directè contradicit, tantùm id permittens, quoad alios libros prohibitos, sed non hæreticos. Et satis est mihi ista retulisse. De cætero, quod me attinet, quia non tantùm Nuntii Apostolici, sed etiam Episcopi in his partibus habent speciales facultates concedendi potestatem legendi, & retinendi libros hæreticos, ut retuli lib. 6. p. 3. n. 832. & 846. ab illis pro securitate hactenus petii hanc potestatem, uti & absolvendi ab hæresi, & à lectione librorum prohibitorum, quando sunt casus cadentes sub Bullam cœnæ, de quibus omnibus multa etiam dixi l. 6. p. 2. à n. 1615. & 1618.

Opponi potest 1. Quòd alii Regulares sine scrupulo tali facultate utantur, uti & dicuntur absolvere ab hæresi, ergo & nos posse. Resp. n. conseq. quia nobis deberet facultas illa communicari per Generalem, fortasse id non est opus apud alios. Deinde rectè docet Less. *in Auct. V. Bulla Pontificia, caſ.* 5. Religiosos diversorum Ordinum in eadem Provincia non facere unum corpus in ordine ad receptionem Constitutionis Pontificiæ generaliter ad Regulares directæ, quia in hoc Ordine possunt, esse rationes recipiendi, in altero non recipiendi, cùm vario Jure, & modo vivant, nam & sic fit, ut unius regni civitas una recipiat, & obligetur lege Principis, alia non.

Objici potest 2. Revocationes illas non esse promulgatas in partibus; ergo non obligant. R. N. conseq. quia sufficit promulgationem esse Romæ factam, uti rectè Less. suprà V. *Professio religiosa, caſ.* 1. *n.* 1. Et quamvis si revocationes tangant contractus & similia, ex quibus sequi posset magna perturbatio Reip. teneant aliqui cum Less. *V. Bulla Pont. caſ.* 3. requiri etiam promulgationem in partibus, tamen si agatur de privilegiis, rectè docet sufficere, quod revocatio facta sit Romæ, & de ea certò constet in partibus privilegia enim non sunt leges, & multò facilius cadunt.

§. 3. Confessarius sine speciali potestate absolvens, 391
ab hæresi, lectione libri hæretici, vel ab alio casu Bullæ cœnæ, facit actum irritum, & excommunicatur, uti patet ex §. 23. & seqq. Bullæ cœnæ, quam retuli l. 6. p. 2. n. 1054.

§. 4. Quod attinet ad facultatem corrigendi aliquos 392
libros, & ita correctos relinquendi externis, est tantùm sermo de libris aliquam fortè hæresin vel alteram continentibus, non autem de libris hæreticis tractantibus de religione, hi enim corrigi non possunt, nec ideò prohibentur, quòd continent hæresin, quæ corrigi possit, sed quia tractant de religione, quali tractationi facile inspergitur hæresis, uti habet Sanch. suprà.

§. 5. Circa correctionem libri, cui inspersa est hæ- 393
resis, sic habet Laym. suprà *n.* 4. *Licèt in Reg. VIII. Indicis librorum prohibitorum præcipiatur, ut libri,*

quorum

quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresin seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, à Catholicis Theologis Inquisitionis Generalis authoritate expurgentur, quia tamen in Germania nostra Inquisitores non sunt, ideò hoc præceptum in observationem non deducitur, quamvis consultum sit observare, & ejusmodi libros viris Theologis expurgandos tradere. Less. in auct. V. *Hæreticorum libri cas.* 16. sic habet. *Episcopus in his locis potest Religiosis, & etiam externis dare facultatem corrigendi etiam libros externorum, ut patet ex instructione Clem. VIII. quæ habetur in Indice librorum prohibitorum. Similiter potest Episcopus dare facultatem legendi libros prohibitos viris idoneis, modò tales sint, ut corrigi possint, ut patet ex eadem Instructione: ubi verò est Inquisitor ab utroque facultas obtinenda. Sylvius p. 1. V. Libri, q. 2.* sic habet. *Quamvis de rigore secundum Tit. Indicis de correctione §. 1. & 5. correctio alicujus libri fieri debeat de licentia Episcopi vel Inquisitoris, tamen cùm rigor ille non sit in viridi observantia, probabilius est viro docto licere juxta Indicem expurgatorium per seipsum corrigere libros, nam ad Regulam 12. notatur, ut, qui posthac ad libros suos expurgandos idoneus futurus est, idipsum præstare queat, servando reliqua præscripta.* Addit *q.* 8. *Si visitator* per Episcopum constitutus aut alius habens potestatem visitandi aut permittendi, permittat librum, censeri potest approbatus.

394 *Q. 26. An Episcopi possint pro sua Diœcesi prohibere certos libros, vel aliquas propositiones censurare?* R. Negant aliqui cum vindice Gobathi, 1. quia Inn. XI. in decreto, quo damnavit 65. propositiones, in fine prohibet censurari vel notari ullas propositiones adhuc controversas inter catholicos, & judicium de eis S. Sedi reservat. 2. Quia censura Episcoporum non est infallibilis, & fieri poterit, ut unus pro suo critirio vel passione reprobet librum aut propositionem, quam alius approbabit, & sic nascetur divisio, & scandalum aliquod in Ecclesia, ergo decuit hanc potestatem esse reservatam infallibili Romani Pontificis judicio. 3. Quia nemo utiliter damnat propositionem, cujus judicium merito potest ad crisin vocari & pariformiter damnari. His non obstantibus probabilius est posse, 1. Quia Episcopi sunt à Christo constituti Pastores habentes regere suas Ecclesias, ad quos spectat posse ovibus noxia pascua declarare ac prohibere. 2. Quia in Reg. 10. Indicis Trid expressè ita habetur: *Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur prohibere, si hoc in suis regnis, ut provinciis vel diœcesibus expedire judicaverint.* Hanc autem potestatem non revocavit Inn. XI. cùm ne de illa, nec de Episcopis, nec de libris mentionem faciat. Fatendum tamen est, quòd censura illa Episcoporum nullam habeat certitudinem, nec reddat doctrinam libri improbabilem, nec liget, nisi illius subditos, & si ex nimia promptitudine Episcoporum aliquando nascatur inconveniens, per accidens hoc est. Quod particulares Doctores attinet, hi se reddunt deridiculos, si nimis prompti sint in censurandis propositionibus aliorum: dicitque benè *vindex Gobathi: quo ferè doctior quisque est: eò parcior esse solet in damnandis aliorum opinionibus, ut in Doctore Angelico, Seraphico, subtili, aliisque licet observare. Reprehendi non meruit, quod rectè defendi potest*, inquit S. August. Epist. 15. ad Hieronymum.

CAPUT III.

De suspensione, & degradatione.

DUBIUM I.

Quid sit suspensio, quotuplex, & unde dignoscendum qualis & quanta sit.

RESP. 1. Suspensio est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur. V. Bon. *tom.* 1. *d.* 3. *part.* 2. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *cap.* 1. *Unde resolves.* 395

I. Solus Clericus potest suspendi.

II. Suspendere possunt, qui possunt ferre censuras.

III. Ex genere suo, & nisi parvitas materiæ excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspensionem prohibitum, unde & irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cùm alii licitè requirant: imò etsi nominatim sit denuntiatus non toleratus, alii tamen non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui, à quo suspensus est: unde audire ejus Missam, non erit peccatum, (saltem mortale) si non inservias. Ita probabiliter Avila, Henriq. Suar. Sayr. apud Bon. *p.* 4. *n.* 4. etiam Laym. *n.* 7.

IV. Suspensus non toleratus invalidè absolvit, quia non habet jurisdictionem.

Resp. II. Suspensio, 1. alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat: alia fertur absolutè, seu indefinitè, manetque, donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est ab officio sive id sit ordinis, sive jurisdictionis; alia à beneficio; alia ab utroque. 3. Suspensio ab officio, vel est à toto, vel a parte tantùm, scilicet à functione ordinis vel jurisdictionis. Item suspensio beneficii, vel est à beneficio absolutè vel à quibusdam tantùm functionibus ejus ratione competentibus. Lay. Bon. *ll. cc.*

Resp. III. Quantitas & qualitas suspensionis colligi debet ex verbis, quibus fertur. Quæ utpotè in re odiosa, non ampliùs sunt extendenda, quàm propriè accepta significent. *Unde resolves,*

I. Suspenso absolutè, & in toto prohibetur omne exercitium ratione officii proveniens, tam ordinis quàm jurisdictionis, & consequenter non potest celebrare, nec validè excommunicare, beneficia conferre, &c. Suspensus verò à parte beneficii determinata, v. gr. ab ordine tantùm vel jurisdictione, privatur tantum illius officii functionibus. Unde Episcopus v. gr. à jurisdictione suspensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, delegare, &c. Potest tamen exercere actus ordinis, ut consecrare templa, ordinare, &c. Bon. *l. c.*

II. Suspensus à certa functione Ordinis, v. g. à Sacramentorum administratione, non est suspensus à sacrificio. Similiter suspensus ab ordine, potest nihilominus conferre primam tonsuram, quia non comprehenditur sub Ordine. Bon. *p.* 2. *n.* 6.

III. Suspensus ab officio simpliciter, non intelligitur suspensus à beneficio seu fructibus ejus. Debet tamen per alium supplere, qui per se nequit, ut fructus percipiat. Bon. *n.* 10. ex Nav. Suar. Henr. Fill. &c.

IV. Suspensus ab ordine non videtur suspensus à beneficio, quia beneficium non fundatur in ordine. Bon. tamen dicit, indè esse suspendi à fructibus ejus, quia dum non potest facere officium, non potest percipere fructus. v. *n.* 5.

V. Suspensus à beneficio, etsi hoc ipso intelligatur suspensus à recipiendis fructibus ejus, non tamen ab officio, sive jurisdictionis sive ordinis, etiam quod illi ratione ipsius beneficii competit.

„ Unde tenetur legere Horas, & cætera onera bene-
„ ficii præstare, licèt fructibus non fruatur: hoc
„ enim debet sibi imputare. Non tamen privatur com-
„ modo, quod provenit ex anniversariis stipendiis
„ Missarum; nec eo, quod datur propter onus per-
„ sonale Clerici, quia non sunt fructus beneficii. Se-
„ cus est de distributionibus quotidianis; licèt ex his
„ vel aliis beneficii fructibus possit ali, si aliundè
„ sustentari nequeat, Bon. *n.* 12. Sayr. Suar.
„ Fill. &c.

„ VI. Suspensus à beneficio potest nihilominùs eli-
„ gere, præsentare, conferre beneficium, quia etsi
„ hæc jura competant illi ratione beneficii, illi ta-
„ men actus non sunt beneficii præcisè ut sic, sed po-
„ tiùs officii, & jurisdictionis. *Ibid.*

„ VII. Suspensus à beneficio vel ordine absolutè, &
„ sine addito, intelligitur suspensus ab omni benefi-
„ cio vel ordine, nisi aliundè aliud constet. *Ibid. n.* 8.

„ VIII. Suspensus absolutè, intelligitur ab officio,
„ & beneficio. Laym. *c.* 1. *n.* 2.

„ IX Suspenso Capitulo vel Conventu, non cen-
„ sentur suspensi singuli, nisi sint in culpa, ait Sa.
„ *V. Suspensio*, & Lay. *n.* 3.

„ X. Si Prælatus solo verbo dicet Sacerdoti, suspen-
„ do te, v. g. à celebratione, videtur esse simplex
„ tantùm prohibitio, non censura, quia hæc licitè
„ non fertur, nisi scripto. Prælatus autem non debet
„ præsumi velle peccare, nisi aliud constet de ejus
„ intentione, aut nisi religio habeat privilegium,
„ absq; scripto, ferendi censuras. V. Bon. *to.* 1. *De*
„ *cens. in communi*, *d.* 1. *q.* 1. *p.* 7.

ADDENDA.

196 Q*uæst.* 46. *Quid circa hæc prætereà sit notandum?* R. §. 1. Docent cum aliis Castrop. hìc *d.* 4. *p.* 3. & Dicast. *d.* 4. *n.* 66. contrà aliquos alios suspensionem ferri non posse ob culpam alienam, & consequenter suspensa communitate non suspendi particulares personas innocentes quoad se, sed tantùm ut membra sunt delinquentis communitatis, quia iniquum est innocentem sustinere pœnas soli nocenti debitas.

197 §. 2. Putant Nav. & alii suspensum ab officio hoc ipso suspendi à Beneficio, quia prohibito principali prohibetur accessorium, sed cum communi probabiliter negat Castrop. *p.* 5. aliquando enim fertur suspensio ab Officio, aliquando à Beneficio, aliquando ab utroque simul.

198 §. 3. Multi cum Suar. *d.* 2. *s.* 4. putant suspensum ab ordine inferiore hoc ipso suspendi à Superiore, quia ubi minora prohibentur, dedecet concedi majora, secundùm regulam juris: è contrà Castrop. *pu.* 5. §. 1. negat cum aliis, quia in pœnis facienda est stricta interpretatio, & non extensio ultrà verba, neque inconveniens est, ut privatus minore honore vel officio relinquatur in majore, pro quo tollendo necdum censetur delictum sufficiens commisisse.

199 §. 4. *Dixi l.* 4. *n.* 708. suspensum simpliciter ab omni officio & Beneficio, etiamsi sit occultus, & non denunciatus, promoveri non posse ad dignitates vel Beneficia Ecclesiastica, imò promotionem ad beneficium esse irritandam hoc ipso, quod ab omni officio sit suspensus, non tamen si tantùm ab aliquo officio, super quo non fundetur beneficium.

200 §. 5. Si Cajus ordinatus sit Sacerdos ad titulum vitiosum, ideoque sit suspensus, quamvis posteà obtineat Parochiam, non ideò ex titulo Parochiæ obtentæ licitè absolvet, quia non ideò sublata est suspensio ab actibus Ordinis suscepti, absolvere autem est actus non solius jurisdictionis, sed etiam Ordinis: è contrà poterit valide & licitè exercere actus, qui sunt solius jurisdictionis aut Ordinem non requirunt, ut delegare alteri jurisdictionem ad audiendos suos Parochianos, assistere Matrimoniis suorum; hæ enim potestates nullo modo fundantur in Ordine, à cujus exercitio suspensus est, sed in sola jurisdictione aut potestate alia, quamvis abesset Ordo. An autem & quando peccet, qui ita suspenso confitetur, dixi l. 6. p. 1. à n. 211.

§. 6. Quamvis in quibusdam electionibus præ- 201
requiratur v. g. Ordo Subdiaconatus ut quis sit capax eligendi, tamen si quis sit suspensus à Beneficio & ab exercitio Ordinis, non ideò est suspensus ab eligendo, quia eligere est actus alicujus jurisdictionis, aut saltem, planè diversæ potestatis, uti patet in laicis conversis, & mulieribus sæpè eligentibus sine ullo Ordine, docetque clarè Gloss. ad Cap. Presbyterum dist. 28. his verbis. *Beneficium retinebit & locum in choro, & cantabit cum aliis, & intererit electionibus, sed hoc solum deest ei, quòd non debet ministrare ut Sacerdos.* Idem docent alii communiter cum Nav. Suar. Bon. Fill. Passer. de Electione *c.* 10. *n.* 95. Castrop. *d.* 4. *p.* 5. §. 1. *n.* 9. Leur. in foro benef. *p.* 2. *q.* 78. Et suspensum ab actibus ordinum non esse suspensum à jure eligendi, docent expressè Hostiens. Sigism. Henriq. Suar. Fill. Barb. Leuren *q.* 276. *n.* 4. aliique, & hoc declarasse sacram Congregationem testatur Passerinus suprà, qui *n.* 98. rectè sic concludit, *sola igitur suspensio, vel simpliciter, vel ab officio, vel si esset suspensio ab eligendo, privat voce activa in electione, non verò suspensio à Beneficio vel ab Ordine.*

§. 7. Dubitatur, an suspensus per annùm, tenea- 202
tur suspensione ultimo die anni bissextilis, nam libertas promissa servienti per annum acquiritur, si servierit 365. diebus, L. *Cum hæres* §. Stichus De, statu liberis, ergo similiter hìc. Attamen puto oppositum esse probabilius, tum, quia duo illi dies in Februario habentur pro uno, tum etiam quia suspensionem ferens ad annum, intelligit, usque dum anno sequente recurrat, & absolvatur hic dies, & per accidens est, quòd ille annus habeat dies 366. Videri potest Dicast. *d.* 4. *à n.* 207. notat suspensionem aliquando esse puram pœnam, si nempè ad certum tempus feratur propter delictum præteritum, & hoc tempore evoluto cessare absque absolutione: aliquando esse censuram, si feratur ut medicina propter contumaciam præsentem corrigendam, & tum indigere absolutione.

RUBIUM II.

Quæ sint suspensiones in particulari, & quis ab eis possit absolvere.

RESP. 1. Suspensiones juris cõmuniores, sunt se- „
quentes, 1. Clerici ipso jure suspensi sunt, 1. „
Recipientes ordines sacros ab alieno, vel à proprio, „
in aliena diœcesi; vel sine debita legitima, aut di- „
missoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non „
servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura, „
vel denique post Matrimonium ratum: qui omnes „
suspensi sunt ab executione Ordinum, nisi fecerint „
absque dolo: & si Ordine utantur, fiunt irregulares, „
2. Excommunicans, suspendens aut interdicens si- „
ne scriptura, & causæ expressione, est suspensus „
per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Prælatus „
regularis. 3. Clerici scienter eligentes Episcopum „
vel Parochum indignum, suspenduntur à beneficiis „
biennio. 4. Ordinans, & ordinatus simoniacè, est „
suspensus ab Ordinibus. 5. Parochi jungentes spon- „
sos alterius Parochiæ sine licentia. 6. Gravantes „
alienis debitis Ecclesias sibi commissas. 7. Occu- „
pantes bona vel census Ecclesiæ, beneficii vel alte- „
rius pii loc. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci „
provocantei ad duellum vel acceptantes, raptores, „

vel

» vel præbentes auxilium, 9. Disputantes in alteru-
» tram partem in cœtu virorum ac mulierum, de Im-
» maculata Conceptione Beatæ Virginis. 10. Visitan-
» tes, si accipiant pecuniam vel munera: qui si sint
» Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiæ, si
» inferiores Episcopo, ab officio & beneficio, usque
» dum restituant duplum. 11. Judex Ecclesiasticus
» (non Episcopus) qui facit injuriam contra justi-
» tiam, & conscientiam parti litiganti. V. Bon.
» *d. 3. p. 5.*

» II. Religiosi, 1. Apostatæ recipientes Ordines in
» apostasia. 2. Admittentes ad professionem ante an-
» num probationis peractum. 3. Non utentes habitu,
» & vestitu, *modo sibi præscripto*. Introducentes
» mulieres in Monasteria.

» III. Episcopus, 1. Ordinans non subditum, suspen-
» sus est à Pontificalibus per annum: Ordinans verò
» invitum, suspensus est per annum à celebratione.
» 2. Admittens resignationes contra formam præ-
» scriptam. 3. Intrans Monasteria Monialium sine ne-
» cessitate. V. Fill. *t.* 17. *c.* 5.

» Resp. II. Præter has suspensiones aliæ sunt ab
» homine: quæ si sint graves, requirunt culpam
» mortalem, v. g. ut quis suspendatur ab omnibus
» actibus sui officii, vel fructibus unius anni. Potest
» tamen aliquis ob peccatum veniale privari uno
» actu, v. g. eligendi.

» Resp. III. Habens Episcopalem authoritatem
» potest absolvere à suspensione non reservata; &
» communiter Religiosi ex privilegiis possunt absol-
» vere ab omni suspensione in foro conscientiæ: &
» Episcopus potest absolvere ab omni suspen-
» sione juris, si Sedi Apostolicæ specialiter reserva-
» ta non sit, Laym. *c.* 4. *n.* 2. ex Nav. Suar. &c. Imò
» etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto, &
» non deducto ad forum contentiosum. Bon. *p. ult.* ex
» Trid. *sess.* 24. *c.* 6.

ADDENDA.

404 Q*uæst.* 47. *Quid circa hæc præterea sit notandum?*
R. §. 1. Suspensiones in particulari latè enume-
rat Dicast. *d.* 4. *dub.* 7. Dubitat autem Henriex *de*
Ordine qu. 8. *num.* 85. an promotus ad sacrum Ordi-
nem absque titulo sufficiente incurrat suspensio-
nem, quia licèt id habeatur Cap. *Neminem*, &
Cap. *Sanctorum*, dist. 70. tamen posita illa videtur
abrogari Cap. *Cùm secundùm Apostolum*, & Cap. *Si*
Episcopus, de præbendis. Et quamvis Trid. *sess.* 21.
c. 2. *de Reform.* innovet pœnas antiquorum Canonum,
tamen non liquet, an etiam Canones illos prio-
res innovet; hinc non incurri suspensionem
docent multi cum Gallem. ad Trid. suprà. Ad-
dunt Tolet. Garc. Barbos. Ierincx saltem non con-
trahi, si patrimonium sit acceptum sub onere re-
donandi, cùm enim acquirat dominium tituli, non
ordinatur sine titulo. Et idem est, si jam ordinatus
Subdiaconus cum vero titulo cedat titulo, & ulteriùs
ordinetur Diaconus & Presbyter, nec illa pactio re-
donandi & cessio patrimonii sunt irrita, ergo reipsa
non ordinatur sine titulo. Quod adhuc magis valet,
si ordinetur cum titulo, sed adjecto pacto non utendi
illo, seu non percipiendi ex eo fructus, quæ pacto
etiam est prorsus irrita. Oppositum tenet com-
munis & probabilior cum Dicast. *n.* 211. & aliis, quos
secutus sum l. 6. p. 2. n. 2215. nempe à taliter ordina-
to incurri suspensionem ab Ordine suscepto, quia
Trid. innovet pœnas antiquorum Canonum, inter
quos sunt etiam isti priores. Vide plura ibi l. 6. dicta.

§. 2. Nav. *in conf. l.* 5. *conf.* 69. Barbos. *de potest.*
Episc. p. 2. Alleg. 6. *n.* 7. Zerola, De Leone, Gavantus
in Enchir. *Epsc. V. Functiones num.* 3. putant Episco-
pum exercentem Pontificalia in aliena diœcesi non
excusari à pœna suspensionis per inadvertentiam
vel bonam fidem. Sed rectè contradicunt Squillan-
te *de oblig. Episc. p.* 2. *c.* 3. *n.* 17. *Quartut in Rubr.*
Miss. p. 2. *t.* 1. *s.* & *dub.* 3. Versu, *Dico secundo.* Henao
post historiam de scientia media parergo 28. *n.*
1799. nam inadvertentia & bona fides excusant à
pœna, & censura, secundùm dicta *n.* 93.

§. 3. Sperell. *de c.* 114. dicit eum peccare mortali- 406
ter, qui ante Confirmationem suscipit Ordines; sed
oppositum dixi l. 6. p. 2. n. 2227. & saltem talis non
suspenditur. Addit autem ordinatum sine Tonsura
esse suspensum, putat enim Tonsuram esse Ordi-
nem, adeóque fieri Ordinationem per saltum. Et
quamvis l. 6. p. 2. n. 2208. cum communi dixerim
Tonsuram non esse Ordinem, tamen præscindendo
ab hoc, dicit Gallem. ad Trid. *sess.* 23. *c.* 14. *de ref.* n. 4.
aliquam Congregationem declarasse ordinatum sine
Tonsura suspendi.

§. 4. An per simoniam in Beneficio vel per simonia- 407
cam collationem aut receptionem Ordinum, etiam
minorum, & primæ Tonsuræ incurratur suspensio,
dixi l. 3. p. 1. à n. 216. Eos autem Sacerdotes, qui
assistunt Matrimonio alieni Parochiani, incurrere sus-
pensionem per Trid. *latam sess.* 24. *c.* 1. *de Ref. Matr.*
dixi l. 6. *p.* 3. *n.* 766. Clericus concubinarius, si secundæ
monitioni non pareat, suspendi potest ab omni admi-
nistratione Beneficii per Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *De reform.*
ita ut nequidem alimenta ei ex Beneficiorum re-
ditibus debeantur. Videri potest Pignat. *to.* 9. *cons.*
139. *à n.* 160. *qui to.* 1. *cons.* 261. notat ex declaratione S.
Congreg. 21. Martii 1643. Ordinarium, si aliquem
suspendat vi Trid. *sess.* 14. *c.* 1. *de refor.* teneri, si judicia-
liter petatur, exprimere, non parti sed Superiori
delictum, & causam suspensionis.

DUBIUM III.

Quid sit depositio, & degradatio, à quo & ob quam
causam ferri possit?

408 SUbjici solent suspensioni Depositio, & Degrada-
tio (etsi censuræ non sint, ut dictum est c. 1.) ob
similitudinem, quam habent cum suspensione, cùm
utraque sit ab Ecclesiastico ordine, aut Beneficio.
Differunt autem à suspensione, quòd illæ auferant
ipsum jus radicale, & titulum Beneficii, idque
in perpetuum, suspensio non item. Porò depositio
genericè accepta, alia est verbalis, quæ absolutè
depositio dicitur: alia realis, quæ dici solet degra-
datio.

Resp. I. Degradatio est privatio executionis officio-
rum & beneficiorum simpliciter, & in toto, & abs-
que spe restitutionis, facta cum certa solemnitate,
& privatione privilegii Clericalis tam Canonis, quàm
fori, ut aut sæculari curiæ subdatur.

Dixi, *Executionis*; quia ordo ipse non potest tolli.
Interim degradatus tenetur ad votum castitatis, si
fuit in sacris, & ad Horas, nisi has forte pœna ad
quam damnatur, v. g. triremes, vel aliud impediat.

Resp. II. Depositio Verbalis est simplex privatio,
sed sine solemnitate dicta, & reliquo utroque pri-
vilegio Canonis, & fori.

Resp. III. Clerici possunt degradari à suo Episcopo,
sed non ab inferioribus illo delegatis; deponi tamen possunt
ab eodem per Vicarium.

R. IV. Depositio fieri potest in casibus jure ex-
pressis, & delictis, non tamen nisi gravioribus arbi-
trio judicis: Ubi notat Laym. crimen debere esse
enorme, id est, unum ex maximis. Degradatio simili-
ter fieri potest in casibus tantùm gravissimis, quales
sunt v. g. crimen hæresis manifestum, falsarii litera-
rum Apostolicarum, sodomia frequentata, gravis
calumnia proprio Episcopo irrogata. V. Laymann
c. 5. & Fill. *t.* 18. *c.* 8.

ADDENDA.

ADDENDA.

409 QU *æst.* 48. *Quid præterea circa ista sit notandum?* R. Rarò hæc servire possunt ad praxin : & de illis benè ac breviter habent Castrop. *d.* 4. *pu. ult.* Dicast *s.* 6. Quomodo servandi sint gradus pœnarum, antequàm Clericus criminosus degradetur, & tradatur potestati sæculari, videri potest Pignat. *to.*7.*conf.*33. An autem damnandi ad triremes debeant priùs degradari saltem verbaliter, examinat *to.* 8. *conf.* 91.

CAPUT IV.

De interdicto.

DUBIUM I.

410 *Quid sit, & quotuplex?*

„ RESP. I. Est censura Ecclesiastica prohibens „ divinorum officiorum, Sacramentorum aliquo„ rum, & Ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenùs ta„ lis est : Quod addo, quia excommunicatio eodem „ privat, quatenùs est communicatio cum fidelibus: „ suspensio verò propriè non illum usum, sed exer„ citium potestatis Ecclesiasticæ impedit. V. Lay. „ *l.* 2. *t.* 5. *p.* 4. *c.* 1. Bon. *d.* 5. *p.* 1.

„ Resp. II. Interdictum dividitur, 1. In Locale, quod „ immediatè locum afficit : & in Personale, quod im„ mediatè afficit personas; & mixtum, quod immediatè „ afficit locum, & ejus incolas. Differt autem locale „ à Personali, quòd in illo participatio sacrorum „ officiorum tum indigenis tum alienigenis, non „ absolutè, sed in loco tantùm interdicto : in hoc „ verò certis personis aut communitati prohibea„ tur absolutè, & in omni loco. 2. Interdictum tam „ locale quàm personale, subdividitur in Generale, „ & Particulare : Generale est, quo locus! generalis, „ v. g. civitas, provincia, vel quo communitas, v. g. „ collegium, &c. interdicitur, Particulare, quo locus „ aut persona particularis, aut particulares interdi„ cuntur. *Unde resolves.*

„ I. Interdicta civitate interdicuntur etiam subur„ bia, & interdicta Parochia, etiam sacellum, & cœme„ terium contiguum; quia accessorium sequitur na„ turam principalis.

„ II. Interdicto populo, non interdicuntur, qui non „ sunt pars populi, ut studiosi, Clerici, peregrini, &c. „ Nec interdicto Clero, interdicuntur religiosi, quia „ in favorabilibus tantùm nomine Clerici comprehen„ duntur.

„ Si dicatur, cives v. g. Colonienses sunt interdicti, „ ii nusquam possunt interesse divinis (nisi tamen „ desinant esse istic cives, nec causam dederint inter„ dicto) contrà verò, si civitas interdicto subjicia„ tur, licet civibus aut incolis, qui causam interdicto „ non dederunt, aliò ire, & istic divinis interesse.

ADDENDA.

411 QUæst. 49. *Quid hic sit præterea notandum?* Resp. §. 1. Quamvis interdicto populo, non interdicatur Clerus, quia populus absolutè censetur contradistingui à Clero, tamen interdicta familia interdicuntur Clerici illius familiæ, qui habet communis cum Dicast. *d.* 5. *à n.* 34. Qui tamen post interdictum illud sit de familia, non interdicitur, quia non comprehendebatur intentione interdicentis, præsumitur enim fuisse velut interdictum particulare in has personas talis familiæ. E contrà si interdicta sit civitas, interdicitur, qui sit de illa civitate, quia intentio interdicentis præsumitur fuisse ferre interdictum generale, tendebat enim in communitatem secundùm se, quicunque eam componeret, usque dum tolleretur interdictum, Bon. *d.* 5. *p.* 1. *n.* 13. contra Dicast, *d.* 5. *à n.* 38. Interdictum autem generale pertinet etiam ad suburbia, Cap. *Si Civitas*, de sent. excommun. in 6.

§. 2. Si communitas interdicta dissolvatur, & in- 412
terdictum cadebat in communitatem ut talem, hoc ipso etiam cessat interdictum. Si autem ob causam datam afficiebat certas personas, manent hæ interdictæ usque ad absolutionem, Dicast. *n.* 219.

§. 3. Interdictus particulariter, & in persona, quam- 413
vis mutet domicilium, manet interdictus, donec absolvatur : è contrà interdictus generaliter & in communi tanquam subditus loci, in quo fuit, si mutet domicilium, desinit esse interdictus, Suar. Ugol. Dicast. *n.* 49.

§. 4. Lege interdicti lata Cap. *Episcoporum*, de pri- 414
vilegiis in 6. *ne celebrent, celebrari faciant &c.* in locis vel coram personis nominatim interdictis, tenentur Regulares etiam exempti, Nav. Suar. Castrop. *d.* 5. *p.* 2. §. 1. *n.* 7. Dicast. *n.* 62. Pignat. *tom.* 10. *conf.* 1. *à n.* 2. contra Gloss. Barb. Sayr. quia Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de refor.* loquitur etiam ad exemptos his verbis: *Censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur.* Ita quidem, ut etiam ille, qui interdictum locale tulit, teneatur illud observare, quia ea obligatio nascitur ex Jure communi, cui ipse, nisi interdictum tollat, derogare non potest, Castrop. *p.* 7. §. 1. Dic. 74. 241.

§. 5. Si Ecclesia sit interdicta, quamvis diruatur, 415
fundus ejus manet interdictus; nec in eo cadavera sepeliri possunt, quia Ecclesiam præcipuè constituebat ille fundus, Suar. Regin. Laym. Fill. Dicast. *n.* 217.

§. 6. Habens in duplici loco actuale domicilium, 416
unum subjectum, alterum non subjectum interdicto, secundum Suar. & Castrop. *p.* 2. §. 1. *n.* 7. subjacet interdicto, si habitet in loco interdicto, non subjacet, si habiter in loco non interdicto. Contrà dicunt Sylv. & Dicast. *n.* 58. quia non est ratio, cur potiùs dici debeat pars populi interdicti, quàm non interdicti, ergo potiùs inclinandum est in favorem, quòd gaudeat bonis, quæ competunt non interdictis. Quòd si interdicantur Doctores alicujus universitatis, interdicuntur etiam Clerici Doctores, cum nomen Doctoris sit utrisque commune, Castrop. *n.* 11. Dicast. *n.* 41. contra Henriq. Avil. & alios.

§. 7. Casus, in quibus Jure ipso latum est inter- 417
dictum, fusè recensent Castrop. *pu.* 8. & Dicast. *d.* 5. *dub.* 6. Specialiter de cessatione à divinis agunt Castrop. *p.* 9. & Dicast. *dub.* 8. Specialiter de interdictis ab ingressu Ecclesiæ, Dicast. *à n.* 206. *& nu.* 249. sed cùm raro hæc fiant, omitto.

DUBIUM II.

Qui sint effectus interdicti.

„ RESP. Sunt sequentes, 1. Prohibitio divinorum 418
„ officiorum. Unde etiam interdicti ob alienam „ culpam, non possunt interesse sacro : Clerici tamen „ & religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt „ ac debent ut ante, Missas, divinaque officia cele„ brare, sed januis clausis, non pulsatis campa„ nis, (nisi ad concionem, salutationem Angeli„ cam, vel obitum alicujus) submissa voce, & ex„ clusis interdictis. Permittitur tamen, ut in festis „ Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptio„ nis, & per octavam Corporis Christi, divina „ officia cantentur solemniter, adstantibus etiam „ interdictis, modo, qui causam interdicto dederunt, „ altari nec appropinquent, nec veniant ad offerto„ rium vel communionem. 2. Prohibitio administra„ tionis Sacramentorum, excepto Baptismo, „ Confirmatione, „

„ Confirmatione, & Pœnitentia, quæ omnibus per-
„ mittuntur, iis exceptis, qui interdicto causam de-
„ derunt, etiam auxilio, consilio vel favore: Eu-
„ charistia tamen potest dari morituris, & deferri
„ cum lumine & campana. Nec improbabile est, in-
„ terdictis licere contrahere Matrimonium, ut Sanch.
„ Kon. & Laym. docent, contra Suar. Quia hoc
„ Sacramentum secundùm substantiam non ab Ec-
„ clesia sed ab ipsis contrahentibus ministratur. 3.
„ Prohibitio sepulturæ Ecclesiasticæ, etiam respectu
„ infantium & amentium. Excipe tamen Clericos,
„ qui in interdicto locali, si nominatim interdicti
„ non sint nec interdictum violarint, possunt cum si-
„ lentio sepeliri. Laym. *c.* 2. *n.* 3.4. Clerici violan-
„ tes interdictum peccant mortaliter; sicut etiam
„ religiosi utriusque sexus qui insuper excommuni-
„ cantur de facto. Laici verò peccant quidem gra-
„ viter, si contra interdictum personale recipiant Sa-
„ cramenta, si verò tantùm violant locale, v. g. au-
„ diendo divina officia: probabilius est tantùm esse
„ veniale, dummodò ipsi personaliter interdicti non
„ sint. Laym. *cap.* 3. ex Sylv. Sot. Avila, &c.

ADDENDA.

419 Quæst. 50. *Quid hic sit prætereà notandum?* R. §. 1. Per festum Nativitatis Christi, Paschæ, Pentecostes, quibus non obligat interdictum ab officiis solemnibus, communis sententia intelligit tantùm primum diem, sed Vivald. Con. Sot. Avil. Bonac. Hurt, Castrop. *d.* 5. *p.* 4. §. 2. *n.* 19. Dicast. *d.* 5. *n.* 160. probabiliter extendunt etiam ad festos dies sequentes, quia censetur manere, & continuari eadem solemnitas: incipiunt autem illi dies saltem à primis vesperis, & clauduntur in Completorio festorum; communis cum Castrop, *n.* 20. Et putant Suar. Con. Fill. tùm posse ac consequenter debere aliquem communicare pro Paschate; sed communior negat cum Dicast. *n.* 125. quia Jus tantùm loquitur de officiis divinis.

420 §. 2. In loco interdicto, vel à personis generaliter interdictis administrari, & recipi non posse Sacramentum Matrimonii, docent ex hac ratione Ugolin. Sayr. Suar. Fill. Bonacin. Dicast. *nu.* 134. quia tum prohibita est administratio & receptio Sacramentorum, nisi in casibus à Jure exceptis, Matrimonium autem est Sacramentum, & non excipitur. E contrà ratio Sylv. Tol. Avil. Con. Schiara. *4. diff.* 1. *n.* 21. & aliorum cum Busemb. & Castrop. *p.* 4. §. 1. *n.* 15. est hæc, quia contractus humani politici, quorum nomine venit Matrimonium, tempore interdicti non prohibentur, & generalis prohibitio intelligitur de Sacramentis purè spiritualibus. Utraque sententia est probabilis & tuta teste Dicast. *n.* 135. Attamen omitti debere benedictionem publicam docet cum aliis. Kugler *lib.* 5. *n.* 1550. quia est aliquod officium divinum cùm debeat fieri à Sacerdote inter Missarum solemnia, quale officium divinum tum prohibetur. Quod Sacramentum Pœnitentiæ attinet dixi *l.* 6. *p.* 2. *num.* 1566 Parochum posse illud tum administrare illis, qui non sunt specialiter interdicti, nec fuerunt causa interdicti.

421 §. 3. Sepulturam Ecclesiasticam concedi posse in solemnibus Festivitatibus, de quibus ante dictum est, docent S. Anton. Nav. & alii cum Dicast. *n.* 192. quia in illis festis possemus communicare in sacris cum illis vivis, ergo etiam cum illis mortuis: sed probabiliùs contradicunt alii cum Covarr. Suar. Con. Castrop. *p.* 4. §. 3. quia privatio sepulturæ est specialis pœna ultra privationem divinorum Officiorum. Et in loco interdicto nequidem illi possunt sepeliri, qui interdicti non sunt, imò nec infantes aut amentes, quia locus non debet tali usui sacro posse servire, Suar. Dic. *n.* 183. 193. E contrà qui decesserunt in loco interdicto, si non sint personaliter interdicti, transferri possunt ad locum sacrum non interdictum, Dicast. *n.* 185. qui addit *n.* 196. in interdicto personali communitatis posse infantes, & amentes sepeliri in loco sacro non interdicto, quia illi ob defectum rationis nequidem cùm communitate erant capaces interdicti, imò in loco non interdicto licitè sepeliri interdictum non personaliter, sed generaliter tantùm docent Suar. Dic. *nu.* 200. & alii, quia per Conc. Constant. licitum est cum illo communicare. Qui verò in fine vitæ dedit signa pœnitentiæ respectu interdicti, potest defunctus absolvi & loco sacro sepeliri, communis cum Dic. *num.* 207.

§. 4. Clerici violantes interdictum personale aut 422
locale incurrunt suspensionem ab officio, Pignat. *tom.* 10. *cons.* 1. contra Castrop. *p.* 6. *n.* 4. Putantque Con. Bonac. Sayr. esse sententiam tantùm ferendam, Suar. putat esse suspensionem ab officio latam, sed ferendam à Beneficio: Laym. addit etiam à Jurisdictione, uti refert Pignat. *n.* 6. sed de hoc vide Castrop *p.* 4. §. 5. *n.* 1. & Dic. à n. 230. Celebrans verò in loco interdicto fit irregularis, Cap. *Is qui*, de sent. excomm. in 6. Castrop. *p.* 6. *n.* 1. Dicast. *n.* 238. Et idem est, si quis violet interdictum personale, etiam occultè, Suar. Pignat. *nu.* 7. Quod Dicast. *nu.* 235. & alii restringunt ad exercitium Ordinis sacri.

§. 5. Dixi *l.* 4. *n.* 779. interdictum personaliter, 423
etiam occultum, esse inhabilem ad omne Beneficium Ecclesiasticum. An autem & quomodo communicans cum interdicto, videri potest Dicast. à n. 257.

DUBIUM III. 424

Qui censuram interdicti ferre, & quis tollere possit.

Resp. I. Interdicere possunt iidem, qui excom- „
municare, & suspendere. Et quidem ut deter- „
minata persona interdicatur, videtur requiri culpa „
mortalis: ut autem feratur interdictum locale, vel „
generale in communitatem, requiritur peccatum „
valdè grave, cum contumacia commissum à capite, „
vel præcipuis membris, licèt reliqui culpa vacent. „

R. II. Interdicta localia, & personalia genera- „
lia, quæ Jure communi sunt imposita, nec reserva- „
ta, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente ju- „
risdictionem in communitatem interdictam: non „
tamen à Religiosis privilegiatis, quia locus, & com- „
munitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur. „

R. III. Ab interdicto juris personali particulari, „
si reservatum non est, quivis approbatus potest ab „
solvere. Denique per privigium absolvendi ab om- „
nibus censuris non intelligitur potestas tollendi in- „
terdictum locale, aut personale communitatis. „

ADDENDA.

Quæst. 51. *Quid hic prætereà notandum?* R. §. 425
1. Henriq. Avil. Sà, Hur. putant interdictum speciale, & personale posse ferri ob peccatum veniale, quia non privat majoribus bonis, quàm excommunicatio minor, quæ ob veniale ferri potest. Sed rectis cum Busemb. & aliis negat Castrop. *d.* 5. *p.* 3. §. 2. *n.* 9. quia privat maximis bonis communibus, longèque plurimis: quàm excommunicatio minor.

§. 2. Interdictum aliquando est purè pœna, si 426
nempè feratur ad certum tempus propter delictum præteritum, & tale interdictum cessat hoc tempore elapso absque ulla absolutione: aliquando est censura, si feratur ut medicina proprer contumaciam præsentè, & illius correctionem, & tum indiget absolutione, Suar. Sa, Con. Regin. Sayr. Fill. Dic. *d.* 5. *n.* 208.

427 §. 3. Si Epſcopus verbis expreſſis non ſuſtulerit, attamen non ſervet ipſemet interdictum à ſe latum, per hoc præcisè non videtur tollere, quia tamen præſumi non debet, quòd velit peccare, peccaret autem ſecundùm dicta *n.* 414. ſi ageret contra interdictum nec dum ſublatum, putat Dic. *n.* 245. hoc reſpectu aliorum eſſe ſufficiens ſignum, quod illud reipſa ſuſtulerit.

428 §. 4. Ad tollendum interdictum requiritur ſignum externum, non tamen determinata verba vel cæremoniæ, Dicaſt. à n. 242.

Qui plura volet de tota materia interdicti conſulat Caſtrop. & Dicaſt. utrumque tota *diſp.* 5. qui de illo accuratè tractant.

429 ## CAPUT V.

De Irregularitate.

„ ETſi Irregularitas non ſit cenſura, propter ſimi-
„ litudinem tamen, quem cum ea habeat, com-
„ muniter eidem annectitur, quapropter & hic ſub-
„ jungo.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit irregularitas.

„ RESP. I. Eſt impedimentum Canonicum, ſuſcep-
„ tionem Ordinum ſacrorum, & ſuſceptorum
„ uſum impediens. Unde ſequitur, non eſſe cenſu-
„ ram, ſed quaſi inhabilitatem; etſi enim interdùm
„ imponatur per modum pœnæ, propriè tamen pœ-
„ na non eſt, Laym. *l.* 1 *t.* 5. *p.* 5. *c.* 1. Bonac. *d.* 7. *q.* 1 *p.* 1.
„ R. II. Dividitur, 1. in eam, quæ eſt ex delicto;
„ & quæ eſt ex defectu. 2. In totalem, ſeu propriè
„ dictam, quæ omni Ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti
„ exercitio privat, v.g. homicidium, bigama: & in Par-
„ tialē quæ aliquo tantùm Ordinis miniſterio privat,
„ vel ſolo aſcenſu ad Ordinem ſuperiàrem, v.g. oculis
„ vel palma Sacerdos carens, inhabilis eſt ad Miſſam,
„ non tamen ad confeſſiones audiendas; & Diaco-
„ nus ſiniſtro oculo carens, inhabilis eſt ad Sacerdo-
„ tium, in ſuo tamen Ordine miniſtrare poteſt.

ADDENDA.

430 *Quæſt.* 52. *An certum ſit nullam Irregularitatem, etiam ex delicto, eſſe cenſuram?* R. Videtur eſſe certum, uti tenent plurimi cùm Card. *in* 1. *criſi d.* 75. contra Sotum & paucos alios, & conſequenter non poterit per abſolutionem tolli ab eis, quibus delegata eſt pleniſſima poteſtas abſolvendi à caſibus, cenſuris & pœnis omnibus quomodocunque incurſis, uti dicetur iterùm *n.* 459. Notat autem Lugo *in Reſp. mor. l.* 2. *d.* 12. *n.* 2. irregularitatem in eo imitari cenſuras, quòd incurratur ipſo facto, & quòd ſemel contracta afficiat perſonam, quocunque ierit.

431 *Q.* 53. *Si aliquid præcipiatur vel prohibeatur ſub pœna irregularitatis, quale ſit peccatum contravenire?* R. Probabilius eſt contra Valent. Salonium, & Sayrum apud Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *R.* 21. eſſe mortale, quia quamvis irregularitas poſſit contrahi ob veniale vel etiam ob nullum peccatum, tamen quando imponitur per modum pœnæ propter malefactum, non imponitur niſi propter mortale, ita Steph. à S. Paulo, *tr.* 2. *d.* 3. *n.* 22.

DUBIUM II.

432 *Qui ſint effectus Irregularitatis.*

„ RESP. Sunt ſequentes, Inhabilitare ad Ordines
„ ſuſcipiendos, etiam primam tonſuram, &
„ impedire exercitium Ordinum ſuſceptorum. Unde
„ Sacerdos irregularis, etſi validè, illicitè tamen ab-
„ ſolvit. Bon. *l. c. n.* 4. & *p.* 4. 2. Quòd collatio Be-
„ neficii, ad cujus functiones inhabilis eſt, facta irre-
„ gulari invalida ſit, ſecundùm ſententiam commu-
„ niorem, & tutiorem; etſi non improbabiliter qui-
„ dam dicant eam non ipſo facto irritam eſſe, ſed
„ meritò irritandam, Laym. *l. c. c.* 1. *num.* 2. &
„ 3. Sylv. &c. Bon. *p.* 4. Secundùm quam ſententiam
„ probabilem, *Reſolves*,
„
„ I. Is qui Beneficium impetravit in irregularita-
„ te, poteſt, obtenta hujus diſpenſatione, illud in fo-
„ ro conſcientiæ licitè retinere, ſine nova collatione,
„ etiamſi in diſpenſationis impetratione non ſit facta
„ mentio Beneficii. Item ſi poſteà Beneficio privatur,
„ non tenetur fructus reſtituere.
„
„ II. Graviter peccat, qui in irregularitate exercet
„ actum Ordinis, aut ſuſcipit, licèt Ordines ei collati
„ ſint validi.
„

ADDENDA.

433 *Quæſt.* 54. *Quid præterea ſit notandum circa hos effectus?* R. §. 1. Ordines collati irregulari ſunt validi; Eccleſia enim tantùm reddit inhabilem ad Ordines ritè ſuſcipiendos, & exercendos, non autem reddit abſolutè incapacem: imo impedire non poteſt valorem, quem Sacramenta habent Jure divino, ſi de facto adſint materiæ, formæ, & miniſtri à Chriſto requiſiti, ut docent Dicaſt. *d.* 7. *n.* 99. Steph. *tr.* 5. *d.* 5. *n.* 286. Rectè autem notat Caſtrop. *d* 6. *p.* 5. *n.* 1. cùm prima Tonſura pendeat ab inſtitutione Eccleſiæ, potuiſſe illam reddi irritam, ſi ſuſciperetur ab irregulari, Eccleſia tamen de facto id non ſtatuit: imò aliqui DD. aſſerunt primam Tonſuram recipi poſſe ab irregulari, eò quòd non ſit Ordo, ſed oppoſitum tenendum eſt cum Caſtrop. *n.* 2. quia ut cenſeatur comprehendi ſatis eſt eſſe diſpoſitionem ad Ordines, & per eam hominem poni in ſtatu clericali.

434 §. 2 Cùm irregularis prohibeatur tantùm à receptione Ordinum, & exercitio illorum, poterit omnia alia obire v.g. ſervire Miſſæ, uti faciunt, qui acolythi non ſunt, item baptizare non ſolemniter, item poteſt retinere juriſdictionē, eamque exercere, etiamſi ſupponeret receptionem alicujus Ordinis, unde etiam poteſt excommunicare, abſolvere ab excommunicatione, &c hi enim non ſunt actus Ordinis, quamvis fortè eum præſequirant. Caſtrop. *à nn.* 4 Dicaſt. *nn* 109. 130. 151.

435 §. 3. Parochus irregularis peccat graviter, ſi per ſeipſum abſolvat pœnitentem, abſolvet tamen validè, cùm retineat poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, poteritque validè & licitè committere alteri Sacerdoti, ut oves ſuas abſolvat, illa enim delegatio non eſt actus Ordinis, quia Clericus non Sacerdos poteſt habere hanc juriſdictionem, & alteri delegare, Dicaſt. *n.* 137.

436 §. 4. Si quis conferat aliquam poteſtatem irregulari, quam irregularis recipere prohibetur v.g. ſi conferat juriſdictionem ad abſolvendum, vel conferat Beneficium, ſi hoc faciat ſciens eſſe irregularem, validè confert. Si autem ignoret eſſe irregularem Dicaſt. *nn.* 114. & 147. dicit invalidè conferre, quia cenſeri debet non habere voluntatem conferendi, niſi ſecundùm leges, & Canones, leges autem & Canones prohibent conferri irregulari, ergo cenſeri debet non velle illi conferre, & conſequenter non confert.

437 §. 5. Huc pertinet ſequens caſus: Titius Preſbyter debet ex officio feſto S. Huberti Miſſam celebrare; nec omittere poteſt ſine publica infamia vel graviſſimo incommodo; eſt autem irregularis ex delicto, nec interea diſpenſari poteſt, hinc *Quæritur*, an abſolutus à peccatis, & cenſuris non poſſit eo die illud

illud officium Missæ habere ? R. 1. Si irregularitas sit notoria, & in ratione delicti & in se, non potest; quia tota infamia est jam quoad substantiam publica, & adderet publicum scandalum. Resp. 2. Quamvis factum, quo contraxit irregularitatem sit notorium, si tamen notorium non sit nec publicè judicetur ideò incurrisse irregularitatem, si possit sine infamia vel incommodo, adhuc tenetur vel sub specie negotii aliò proficisci, vel sub specie infirmitatis se continere domi, & alteri officium illud committere; id enim postulat reverentia prohibitionis Ecclesiasticæ. E contrà si neutro modo possit declinare publicam infamiam vel alium gravissimum incommodum, potest habere illud officium Missæ, quia ejusmodi præceptum humanum non celebrandi in tali inhabilitate occulta ex prudenter præsumpta benignitate piæ Martis Ecclesiæ non obligat cum tanto incommodo.

438 *Q. 55. Quid addendum sit circa irregularitatem in Beneficiatis* ? Resp. §. 1. Dixi *l. 4. n. 780.* irregularem non posse promoveri ad ullum Beneficium vel pensionem Ecclesiasticam, de qua tamen vide dicta ibidem *n. 1146.* Quòd si irregularitas impediat usum alicujus tantùm Ordinis; dixi, posse talem esse capacem Beneficii, requirentis usum, quem habere possit alterius Ordinis: hinc Sacerdos privatus manu sit irregularis, & inhabilis ad functiones Beneficii sacerdotalis, cùm ad illas sit ineptus, manet tamen habilis ad functiones Beneficii alterius, cujus munus obire potest, Dicast. *d. 7. n. 102.*

439 §. 2. Irregularitas quæ post acceptũ Beneficiũ, incurritur, non privat piso facto Beneficio aut pensionibus Beneficii, nemo enim ipso facto ante sententiam privatur bonis suis vel jur bus actu possessis, nisi id clarè exprimant leges, & id pluribus firmabo *n. 508.* unde talis poterit resignare vel permutare Beneficium, cùm adhuc habeat titulum & jus, ita cum aliis Dicast. *n. 120. 121.* Item poterit retinere fructus Beneficii, si per se vel per alium satisfecit muneri suo, Dic. *n. 124.*

440 §. 3. Si quis habeat Beneficium, cui annexum est v. gr. jus eligendi, irregularitas non privat illo juro nec usu ejus, non est enim actum Ordinis, quamvis fortè prærequirat Ordinem, v. g. Subdiaconatum, Suar. Nav. Castrop. *n. 14.* Dicast. *n. 138.*

441 §. 4. Irregularis ob homicidium voluntarium, & injustum privari debet Beneficio, ut statuit Trid. *sess. 14. c. 7. De reform.* non tamen pensione, quia de hac nulla in Jure fit mentio, Castrop. *n. 12.* Dicast. *n. 128. 129.*

442 *Q. 56. An irregularitas semper sit signum, quòd quis vocatus non sit ad statum Ecclesiasticum* ? Resp. Antonius Godeau Episcopus Grassensis, & Venetensis in discursu de vocatione ad statum Ecclesiasticum Artic. 21. docet 1. signum, quòd quis à Deo non vocetur ad statum Ecclesiasticum esse, si aliquam habeat irregularitatem, putat enim, hoc ipso quòd Deus hanc permittat, sufficienter significare, quòd nolit à tali statum Ecclesiasticum eligi, cùm ratio dictet non facilè per dispensationem recedendum esse à communi, & justa lege. 2. Conatur ex variis Conciliis probare ista tenere præcipuè de illis, qui milites fuerunt, talibus enim liberæ vitæ assuetis putat potiùs disciplinam religiosam esse necessariam. Hæc universim non tenet. *Nec primum*, nam sæpè per accidens contingit alicui talis irregularitas, nec à Deo intenta est; qui licèt permittat, dedit Ecclesiæ suæ potestatem eam tollendi, etiam in ordine ad suscipiendum statum Ecclesiasticum, uti probat praxis Ecclesiæ ab initio ad hæc usque tempora. *Nec secundum*, nam scimus multos post militiam benè præfuisse Ecclesiis cum S. Martino: recens exemplum est Innoc. XI. qui sanctissimè præfuit toti Ecclesiæ. Ita si quis post militiam vel etiam cum quacunque irregularitate dispensabili, secundùm regulas *l. 6. p. 2. à n. 1915.* datas, consideratis omnibus judicet in statu Ecclesiasti co meliùs serviturum Deo, & securiùs salvandum, non est cur deterreatur ab eo statu, vel à petenda dispensatione. Verum quidem est, quòd per discursum suum præcipuè intendit Godeau, tenetque etiam Pignat. *to. 10. conf. 99.* tanta esse pericula in statu Episcopali, & sacerdotali, ut meritò quisquo formidare debeat ea acceptare, nedum ambire, attamen si quis se ad ejusmodi statum putet à Deo vocari, potest ad illum se offerre, confidens de Dei gratia, si faciat quod in se est, hanc non defuturam pro implenda obligatione tanti muneris.

DUBIUM II.

Quomodo incurratur, & tollatur irregularitas. 443

Resp. I. Cùm ab homine non feratur, nulla incurritur nisi in jure expresè habeatur (*Cap. is, qui, de sent. excomm. in 6.*) Unde in dubio sive facti, sive juris, tenere potes, quòd non sis irregularis, quia melior est conditio possidentis, Bon. *qu. 1. p. 5.* ex Suar. Fill. &c. Excipe tamen, si dubites de homicidio saltem injusto à te commisso, ut putat ex *C. Significasti* & ex *C. Ad audientiam, 2. De homicidio.* V. Bo. *l. c.*

R. II. Ut incurratur irregularitas ex delicto, requiritur actus externus consummatus, & mortalis, ut habet communis contra Caj. Ratio, quia est gravis pœna, & difficulter relaxatur.

R. III. Irregularitas non tollitur per absolutionem, hac vel simili forma: *Dispenso tecum in irregularitate, quam vel quas, ob hanc vel illam causam incurristi.* Et quidem si dispensans intendat tollere omnes, idque possit, omnes tollit; sin minùs, eam tantùm tollit, quam potest & vult. Et si verò hæc dispensatio ad Pontificem spectet, ex jure tamen novo Tridentini, ubi est receptum, potest Episcopus dispensare in Irregularitatibus provenientibus ex delicto, & non deducto ad forum contentiosum, nisi tamen sit homicidium, directè & in se volitum Bon. *q. 5. p. 1 n. 3.* ex Trid. *diff. 24. c. 6.* Suar. Sanch. Fill. &c. Laym. *c. 9. n. 4.*

Præterea Irregularitas ex defectu natalium, tolli etiam potest per professionem in religione approbata, sed quoad ordines tantùm non quoad Prælaturas *Cap. 1. de filiis Presbytero um* Bon. *p. 2.* Laym. *c. 9. nu. 9.* Suar. Leil. contra Villalob qui apud Dian. *p. 4. t. 2. R. 65* dicit tolli quoad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, ut Prioratus, Præposituras, Rectoratus & cætera munia. Circa quæ Prælatos saltem posse cum iis dispensare, in Capitulo tamen Generali vel Provinciali, notat Dian. *l. c.* ex Barbos. *Unde resolves*,

I. Solus Papa, & qui ab eo accepit privilegium, potest dispensare in Irregularitatibus ex defectu.

II. Confessarius in nullis Irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat speciale privilegium à Papa.

ADDENDA

Quæst. 57. A quo incurratur Irregularitas ? R. 444 §. 1. Cùm irregularitas infligatur ab Ecclesia, illam non incurrunt infideles, quia non sunt Ecclesiæ subjecti: attamen si sint in infidelitate Bigami, & convertantur, jam sunt irregulares secundùm dicta *l. 6. p. 3. n. 612.* quia conversi manent bigami, & Eccles. vult bigamos esse irregulares, sicuti etiam corpore mutilatos, licèt ante conversionem mutilati sint, quod confirmatur ex dictis etiam *l. 6. p. 3. n. 628*

445 §. 2. Cùm irregularitas pro effectu proprio habeat impedire susceptionem Ordinum, & usum susceptorum, non incurrit fœmina nec hermaphroditus, in quo prævalet sexus fœmineus, cùm hi non sint capaces Ordinum; hinc subjectum irregularitatis est solus homo baptizatus, & mas, Castrop. *hic d.* 6. *p.* 2. Dicast. *d.* 7. *n.* 70. 75.

446 §. 3. Impubes completo septennio capax peccati mortalis potest incurrere irregularitatem, Dicast. *d.* 1. *n.* 232. & alii: hinc committens homicidium voluntarium contrahit irregularitatem ex Clement. *Si furiosus* De homicidio. Sylv. Sanch. Avila, imò Abb. Covarr. Nav. Rodriq. putat etiam ante septennium completum incurrere, si malitia suppleat ætatem, sed probabilius contradicunt Henriq. Avila Dicast. & alii cum Delb. *De immun. Eccles. c.* 13. *dub.* 3. *n.* 13. tum, quia Clementina expressè excipit infantes, tum etiam, quia nullibi exprimitur, & odia restringi debent, Cap. 1. *De delictis puerorum.* Imò multi cum Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 24. §. 2. probabiliter excusant omnes ante pubertatem ab omnibus pœnis, excepta pœna percussionis Clerici. V. dicta *n.* 42.

447 §. 4. Hoc ipso quòd aliquis eligatur in Papam, desinit esse irregularis, quamvis anteà fuisset, quia desinit esse subjectus Juri Canonico quoad vim coactivam seu quoad pœnas. Suar. Fill. aliique multi cum Castr. *hic d.* 6. *p.* 2. *n.* 4. & Suar. *d.* 40. *s.* 7. *n.* 7.

448 §. 5. Sacerdos hujus diœcesis suspensus ab hoc Episcopo, incurrit irregularitatē si, v.g. celebret etiā in alio Episcopatu, quia suspensio, in qua celebrat, afficit personam, nec respicit locum, imò nec poterit tolli, nisi cum authoritate hujus Episcopi vel Superioris, uti pluribus Beja *p.* 1. *cas.* 29. Quomodo appellatio in tempore facta sæpè impediat, ut, v.g. Missam legens in censura non incurrat irregularitatem, dixi *n.* 109. 110. An ille, qui appellavit à denunciatione censuræ, fiat irregularis, si intereà celebret Missam, dixi *nn.* 111. Si qui ante sententiam bona fide appellarit, & Judex nihilominùs pergat, talem non fieri irregularem, si intereà celebret Missam, attamen teneri publicè se gerere ut censuratum, dixi *n.* 112.

449 *Q.* 58. *Quid addendum sit circa varia dubia, quæ in hac materia possent occurrere?* R. §. 1. Dubium juris in hac materia tum est, quando dubitatur, an sit lata lex in Jure, per quam ob tale factum inducatur irregularitas: dubium facti est, quando scitur quidem, quòd per tale factum inducatur irregularitas, sed dubitatur, an aliquis commiserit illud factum, quod necessarium erat, ut incurreretur.

450 §. 2. In dubio sive Juris sive facti circa irregularitatem, aut an hic casus contineatur sub lege inducente irregularitatem, vel an tu commiseris talem casum sub lege contentum, docent Nav. Suar. Con. Avil. Salas, Bonac. Tamb. Sanch, *in Dec. l.* 1. *c.* 10. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 39. Castrop. *d.* 6. *p.* 3. *n.* 7. Dicast. 7. *dub.* 2. & 3. Sperell. *Decis.* 77. *à nu.* 31. & *pluribus dec.* 119. *n.* 48. Schild. *tr.* 5. *n.* 67. Bardi *discept.* 6. *c.* 7. §. 2. neminem censeri debere irregularem, excepto casu dubii homicidii, uti statim dicetur, quia irregularitas non debet censeri lata, nisi clarè exprimatur in Jure, Cap. *Is qui*, De sent. excomm. in 6. In dubiis facti, autem, nisi Ecclesia expressè annectat irregularitatem, possessio est pro libertate & immunitate ab ea, nec tenetur quis contra se judicare. Et ideò inferunt Sanch. & alii cum Sperell. *nu.* 47. in dubio, an sis ligatus censura, si practicè deponas dubium & celebres Missam, te non fieri irregularem. Putant quidem aliqui apud Sperell. *dec.* 175. licèt pro foro fori nemo in dubio censeatur irregularis, attamen pro foro conscientiæ debere præsumi, ne quis se exponat periculo peccandi, sed cum communissima concludit Sperell. *à n.* 11. ista etiam valere pro foro conscientiæ, quia pro utroque foro valet possessio; nec ideò se exponet periculo peccandi, quia practicè deponet omne dubium. Neque verum est hìc esse obligationem sequendi tutiora, uti latè probatū est, *à n.* 478.

§. 3. In dubio facti circa homicidium injustum 451
adhuc putat Henriq. & probabile existimat Suar. tum tantùm censeri debere aliquem irregularem, quando verisimilius est, quòd homicidium sit perpetratum, sed dicendum est absolutè censeri debere irregularem: quandocunque est verum & prudens dubium, etsi pars negativa sit verisimilior, Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *R.* 72.

§. 4. Si puer post septennium occiderit aliquem, & 452
dubitetur an habuerit plenum usum rationis, Henriq. & Avila dicunt censeri debere non esse irregularem, quia præsumendum videtur in favorem pueri possidentis libertatem, è contrà alii cum Dicast. *n.* 426. meliùs dicunt debere censeri irregularem, quia puer post septennium præsumitur habere usum rationis, uti habet Sanch. *in Dec. l.* 1. *c.* 12. *n.* 13. unde ob illam ætatem, quæ communiter est capax, est etiam possessio pro illo usu.

§. 5. Si quis pugnaverit in bello justo, in quo 453
aliqui occisi sunt, & dubitet, an ipse per se aliquem occiderit, putant Bon. Leand. & alii posse reputare se non esse irregularem, quia quando Jus dicit, dubitante de homicidio censeri debere irregularem, loquitur de homicidio injusto, ergo in dubio circa homicidium justum, melior est conditio possidentis, secundùm dicta *n.* 450. *Nec refert*, quod Cap. *Petitia tua*, De homicidio, dicatur eum, quem remordebat conscientia de homicidio in bello justo, censeri debuisse irregularem, *nam* ille, de quo dubitabatur, erat Presbyter, qui nequidem in justo bello poterat propria manu pugnare, uti notant Sanch. & alii cum Dicast. *à n.* 52. Et hanc sententiam probabilem reputat Schiara, *l.* 4. *diff.* 33. quamvis teneat oppositum cum S. Ant. Sylv. Tabien. Polanch. Sayr. & aliis, eò quòd praxis Curiæ habeat, ut tales petant dispensationem: sed fortè id fit ad majorem cautelam, nam prima sententia videtur esse omninò probabilis.

§. 6. Quando Jus vult, ut in dubio facti de ho- 454
micidio injusto, censeatur quis irregularis, tantùm intelligitur de hoc, quantum ad privationem suscipiendi Ordines, & in illis ministrandi, non autem quantùm ad alias pœnas, quæ à Judice imponi solent pro irregularitate contracta; de solis enim prioribus loquuntur leges, cum communi Dicast. *n.* 63.

§. 7. Qui consuluit homicidium, sed dubitat, an 455
suum consilium aliquid effecerit ad patratum homicidium, censeri debet irregularis, quia est dubium facti, in quo Jus induxit irregularitatem, Sanch. aliique cum Dic. *n.* 60. Si autem dubitet, an ille, cui dedit consilium, reipsa commiserit homicidium, multi quidem dicunt censeri debere irregularem, sed alii cum Dicast. *n.* 62. tenent oppositum, quia cum non constet de homicidio, & potiùs præsumatur non factum, non est possessio pro homicidio, multò minùs pro efficacia consilii causantis homicidium, ergo manet possessio pro libertate.

§. 8. Si quis causarit vel concurrerit ad abortum, 456
& posteà dubitetur an fœtus fuerit animatus, Delb. *c.* 2. *d.* 4. *s.* 20. *n.* 22. dicit non debere censeri irregularē, quia Jura id statuentia supponunt constare de morte alicui homini illata, hìc autem nescitur, an homo sit occisus. Oppositum communiùs tenent Sot. Sayr. Sanch. Avil. Meroll. Farin. Barb. Sperell. *dec.* 77. *n.* 39. Dicast. *n.* 59. quia est dubium facti circa homicidium injustū, quod hìc præsumitur, cùm communiter eveniat.

§. 9. In dubio facti de mutilatione nemo censetur 457
irregularis, quia Jus tantùm loquitur de dubio circa

homici

homicidium, Con. Sanch. Diana suprà Bonac. Sperell. *n.* 35. Castrop. *n.* 10.

458 §. 10. Si quis cum dubio Juris vel facti de irregularitate ante adhibitam inquisitionem faciat aliquid, quod irregulari prohibetur, v. gr. si suscipiat Ordines, peccat quidem graviter exponendo se periculo violandi irregularitatem, & agendi contra gravem prohibitionem Ecclesiæ, Castrop. *p.* 3. *n.* 3. potest tamen exercere Ordines susceptos, quamvis post diligentiam adhibitam persistat dubium, quia tum fit dubium Juris, in quo nemo censetur *irregularis*, Castrop. *n.* 7. Dicast. *n.* 55. Neque per susceptionem Ordinis cum *tali dubio* incurritur irregularitas, imò nec incurritur nova irregularitas, quamvis aliquis in irregularitate suscipiat Ordines aut exerceat actum Ordinis, uti rectè Dicast *à n.* 14. iterumque n. 106. quia tum tantùm quoad hanc materiam incurritur irregularitas, quando quis censura ligatus exercet actum Ordinis, irregularitas autem non est censura.

459 §. 11. Qui cum dubio irregularitatis accepit Beneficium, peccavit quidem, & ante adhibitam sufficientem diligentiam non potest tuta conscientia illud possidere, nec obire munera, nec fructus percipere; si tamen post adhibitam diligentiam maneat dubium, fit dubium Juris, in quo censeri potest non irregularis, adeóq; tunc bona fide incipiet possidere. Neque verum est, quòd possessio mala fide incæpta, illi prosit, nam non prodest illi possessio mala fide incæpta, sed libertas propria. Jus enim non imposuit irregularitatem, quando est dubium Juris de illa, ergo in dubio Juris libertas justè & bona fide urget possessionem, quam habuit, Sanch. *in Dec. l.* 1. *c.* 10. *num.* 46. aliique cum Dicast. *n.* 56.

460 *Q.* 59. *Quid addendum sit circa sublationem irregularitatis?* R. §. 1. Per dispensationem tolli possunt omnes irregularitates, aliquæ autem præterea tolluntur per Baptismum, aliquæ per professionem religiosam, per Baptismum tollitur irregularitas ex infamia, facto aliquo, vel vili officio contracta, item contracta ex homicidio etiam injusto, Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p. c.* 6. *in fine*, Castrop. *d.* 7. *n.* 1. Et dici solet, quòd omnis irregularitas tollatur per Baptismum; sed Suar. *d.* 51. *s.* 1. rectè notat id impropriè dici, quia irregularitas est ex Jure positivo, ergo secundùm dict. n. 444. dirigitur ad solos baptizatos, nisi aliud à Jure exprimatur; hoc tamen sensu dicitur tolli per Baptismum, quòd homo per Baptismum generetur & efficiatur quasi novus homo. Irregularitatem omnem non tolli per ingressum religionis docet Suar. *d.* 41. *s.* 1. *à n.* 3. nisi consuetudo sit, ut Religio cum subditis in tali casu dispenset.

461 §. 2. Dans potestatem absolvendi à quibusvis casibus reservatis, censuris, pœnis, non ideò dat pro irregularitate, cùm non sit propriè casus, censura vel pœna, sed impedimentum quoddam, quod non absolvitur, sed dispensatur, uti latè probat Dicast. *d.* 1. *à n.* 77. iterumque *d.* 7. *n.* 1074. Similiter qui dat potestatem dispensandi in omni irregularitate, non ideò dat ad eam, quæ est ex homicidio voluntario, stylus enim Curiæ est, ut hæc maneat reservata, non obstante clausula generali, nisi clarè exprimatur, Capeaville *de casibus reservatis p.* 1. *c.* 4.

462 §. 3. Solent omnes Religiones privilegium habere non tantùm ut earum Religiosi, etiamsi defectum natalium habeant, in prælatos eligi possint, sed etiam ut in omnibus eorum irregularitatibus possint dispensare, etiam in homicidio voluntario, dummodò scandalum non sit, uti habet Castrop. suprà *num.* 2. addens *nu.* 7. ex vi privilegii à Pio V. concessi posse dispensare cum subditis suis in irregularitatibus, in quibus Episcopus vi Trid. de quo dicetur *à num.* 466. quam sententiam Antonius à Spiritu S. apud Steph. *tr.* 6. *d.* 5. *num.* 259. confirmat adductis Bullis & auctoribus id affirmantibus, & extendit hoc ad corpore vitiatos, uti si desit pes, oculus sinister, &c. Addit Prælatos regulares per Bullam Pauli III. concessam Vallisoletanis & Sixti IV. concessam Carthusianis posse prima die Lunæ quadragesimæ dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus etiam publicis & notoriis v.g. ex homicidio injusto, ex bigamia, &c. Sed quod alios Ordines attinet, ad me non spectat, quid habeat Societas JESU, & quantum facultatis illa Superioribus suis communicet, habetur in novo Comp. V. *Dispensatio* à §. 1. usque ad 6. unde non est universaliter audiendus Dicast, *n.* 1004. sine exceptione, & restrictione dicens Societatem JESU posse dispensare in omnibus excepto solo homicidio injusto.

463 §. 4. Hoc ipso, quòd Provincialis in Societate præsentet aliquem ad Ordines, dispensat cum eo in irregularitate, in qua potest. Consultum tamen est, ut voluntatem illam exprimat, uti Roma responsum anno 1590. Dixi etiam *n.* 148. Papam *si sciens* aliquem esse censuratum, ei conferat Ordines vel Beneficium, hoc ipso censeri absolvere vel dispensare, non item Episcopum: & idem est quoad irregularitatem.

464 §. 5. Quando irregularitas ex defectu fertur pro tempore, quo durat ejus causa, tum cessat ablata causa, sic irregularitas ex defectu libertatis cessat obtenta libertate, irregularitas ob rationes non redditas cessat solutis debitis vel redditis rationibus, irregularitas ex defectu ætatis tollitur per adventum legitimæ ætatis, irregularitas ex infamia facti, per emendationem vitæ, irregularitas ex ignorantia, per oppositam scientiam, irregularitas ex lepra vel cæcitate cessat, sanata lepra vel reddito etiam per miraculum visu, irregularitas obsessi à dæmone, si dæmon expellatur, Suarez *d.* 41 *s.* 1. *n.* 6. Fill. Salsedo, Diaz, & communis cum Bon. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 2. *n* 5. talis etiam est irregularitas ex conjugio cessante Matrimonio, item ex militia secluso homicidio, & mutilatione, si militia cesset; irregularitas, quam habent curiales Justitiæ imò & Judices in criminalibus, si nunquam cooperati sint in causa sanguinis, quæ habuerit effectum deformationis hominis, quando officium illud deponunt, cessat, uti rectè cum communi Suar. *d.* 47. *s.* 4. *à nu.* 2. Quòd si quis in bello etiam justo fecisset homicidium vel mutilationem, aut si Judex vel alius in effectu cooperatus fuisset causæ effusi sanguinis, contraxisset irregularitatem ex defectu lenitatis, quæ indigeret aliqua dispensatione, uti cum aliis Dicast. *n.* 1071. & dicetur *à n.* 715.

465 §. 6. Si quis plures etiam ejusdem generis irregularitates incurrerit, v. gr. ob homicidium sæpius factum, debet dispensari in singulis saltem in genere & in communi, sicuti enim pluries contrahi potest eadem censura, uti dictum est, ita & irregularitas, quæ proindè indigebit pluribus dispensationibus, Rodriq. aliique multi contra Dicast. *n.* 1077. & alios.

466 §. 7. Irregularitas, quæ incurritur à Clerico excommunicato majore suspenso, interdicto, præsumptuosè ac temerè exercente solemniter actum Ordinis sacri, quem habet, est reservata Papæ, licet censura lata cesset ab alio quàm Papa, Cap. 1. De sentent. excomm. in 6. Krim. *l.* 5. *n.* 2015.

467 §. 8. Quamvis *S. Pœnitentiaria* absolvat à censuris etiam in casibus publicis, attamen non dispensat super irregularitate cum sæcularibus, nisi in casibus occultis, nam dum agitur de absolutione & dispensatione simul, semper absolvit, sed dispensat cum clausula, dummodò præmissa sint occulta, Tib. *p.* 3. *c.* 6.

468 *Q.* 60. *Quid addendum sit circa potestatem Episcopi in dispensanda irregularitate?* R. 1. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *De ref.* sic habet: *Liceat Episcopis in irregularitatibus*

vitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. Et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedis Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari.

469 §. 2. Is, cum quo dispensatur, debet propriè esse subditus Episcopi dispensantis, ita ut habeat domicilium aut saltem quasi domicilium in diœcesi, habitando per majorem anni partem, aut ut sit vagus. Nec sufficit esse peregrinum, Castr. *n.* 8. Ipse autem dispensans debet esse verus Episcopus dispensandi, unde Archi-Episcopus respectu subditorum Episcopi suffraganei, etiam quando actu visitat vel quando fit appellatio ad ipsum, aut quando Episcopus dispensationem injustè negat, secundùm Suar. Sanch. Castr. *n.* 6. dispensare non potest. Alii tamen probabiliter contradicunt saltem in casu appellationis ob injustam denegationem dispensationis. Docet etiam Pignat. *to.* 6. *cons.* 99. *n.* 39. contra alios Archi-Episcopum non posse dispensare in irregularitate, vel suspensione cum subdito Episcopi suffraganei absentis, qui Vicarium ad hoc non deputavit, nam etiam non habet talem jurisdictionem in talem subditum, nisi in casibus à Jure expressis, qualis non est hic.

470 §. 3. Etiam non possunt vi *Tridentini* hic dispensare Prælati Regulares, quamvis à Sede Apostolica habeant in suos jurisdictionem quasi Episcopalem, quia propriè non sunt Episcopi, de quibus solis loquitur *Trid.* Nec habent diœcesin, & ita etiam habet declaratio apud Gallem. suprà docentque etiã Suar. & Sanch. *in Dec. l.* 2. *c.* 11. *n.* 7. Pignat. suprà Sperell. *dec.* 111. *n.* 92. & cum eo plurimi, contra Henr. Rodr. Sayr. Avil. Portel. Castrop. & alios. An autem possint vi alterius privilegii, videri debent dicta n. 141. Addunt Garc. & alii cum Leur. suprà *n.* 3. etiam non posse Prælatos Episcopo inferiores, quamvis habeant jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem respectu sæcularium, sed hos debere recurrere ad Sedem Apostolicam. Addit Pignat. nequidem posse vi hujus facultatis Trid. & declaratione Greg. XIII. dispensare Cardinales in Ecclesiis sui tituli, non enim ideò sunt verè Episcopi.

471 §. 4. Docent Suar. Bonac. Sperell. *dec.* 31. *nu.* 7. Pignat. & alii, etiam non posse vi Trid. dispensare Capitulum Sede vacante, quia ad illud non transeunt, quæ Jure speciali conceduntur Episcopo. Oppositum tenent Henriq. Rodr. Sayr. Ventrig. Pirh. Piasec. Bened. Sanch. *De Matr. l.* 8. *d.* 2. *à n.* 10. Bard. *De off. Episc. alleg.* 39. *n.* 16. Less. *in Auth. v. Absolutio cas.* 10. Castrop. *d.* 6. *p.* 7. *n.* 7. Leur. *in Vicar. q.* 478. quia hæc potestas competit Jure quidem speciali, attamen Ordinario.

472 §. 5. Verba illa Trid. *in diœcesi sua..... in foro conscientiæ*, tantùm tangunt & limitant Episcopi potestatem quoad absolutionem à reservatis, hinc in irregularitate dispensare potest etiã existens, & etiam existentem extra diœcesin, & etiam pro foro externo, quia huic potestati dispensandi non apponuntur hæ limitationes, Pignat. *n.* 49. Suar. Sanch. Castr. *n.* 9. & 14.

473 §. 6. Notant Less. & Dicast. *d.* 7. *n.* 1065. Episcopum, si irregularis sit, posse alteri delegare facultatem dispensandi secum in eis casibus, in quibus ipse potest dispensare cum subditis suis, quia illa potestas est ipsi ordinaria, ergo delegabilis, cùm non prohibeatur, & ipse non debet esse deterioris conditionis quàm alii.

474 §. 7. Episcopus aut quivis alius, qui habet facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus præter ortam ex homicidio voluntario, potest dispensare in irregularitate orta ex homicidio justo quantumvis voluntario, quia vox homicidium in moralibus significat injustum, quale prohibetur in Decalogo, per præceptum *Non occides*, Caj. Suar. aliique multi cum Dicast. *n.* 1093.

475 §. 8. Si homicidium injustum voluntariè sit perpetratum, quamvis occisio fuerit ex rixa inopinatò orta vel etiam ex joco, manet reservatum Papæ, Mol. Suar. aliique cum Dicast. *n.* 1099. qui tamen dicit etiam non esse improbabile quod docent Con. & Avila, nempe tale homicidium non esse reservatum Papæ, quia, qui succensus ira occidit authorem rixæ, non videtur omninò voluntariè fecisse.

476 §. 9. Episcopus dispensare potest in homicidio occulto pro defensione propria facto, quamvis injustum fuerit, eò quòd commissus sit excessus in moderamine inculpatæ tutelæ, quia cùm factum sit non ex proposito, & absoluta voluntate occidendi, sed in propriam defensionem, non est in se volitum, neque censetur voluntarium, uti requirit Trid. ita authores communiter cum Dicast. *n.* 1102.

477 §. 10. Probabilius est Episcopum posse dispensare in irregulatitate ex injusta mutilatione occulta, quia Trid. tantùm excipit homicidium injustum, per homicidium autem non intelligitur mutilatio, uti habet declaratio apud Gallem. *n.* 3. & Pignat. *n.* 36. nam etiam exceptio illa solius homicidii firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis, Mol. Suar. Tol. Dicast. *n.* 1106. contrà Sanch. Henriq. Med. & alios. *Nec obstat*, quòd Gl. *in Clement. de Homicid.* dicat mutilationem æquiparari homicidio, nam id verum est quoad incurrendam irregularitatem, non quoad dispensationem illius.

478 §. 11. Episcopum posse dispensare in irregularitate etiam ad forum contentiosum deducta, quando finito judicio punitum est delictum, docent Sanch. *in Decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 21. aliique, quos citat Barbosa *in Collect. ad Trid. s.* 24. *c.* 6. *de ref.* quam sententiam Dian. apud eundem dicit esse practicè tutam.

479 §. 12. Si occultè excommunicatus publicè celebret Missam, potest in ista irregularitate dispensare Episcopus, quia celebratio ista non est in ratione delicti publica: è contrà, si publicè excommunicatus occultè celebret, absolvi non potest ab Episcopo, uti resolvit S. Congr. apud Pignat. *n.* 31.

480 §. 13. Si quis ante ætatem susceperit Ordinem, & jam habeat ætatem delictum sit occultum, potest Episcopus dispensare in ea irregularitate & suspensione, si autem necdum habeat ætatem, dispensare non potest, Pignat. *n.* 35. ex declaratione S. Congreg.

481 §. 14. Episcopos in locis, in quibus receptum non est Trid. non posse uti hac facultate, habet declaratio apud Gallem, *nu.* 1. & idem tenent Suar. Garz. Sanch. *de Matr. l.* 8. *d.* 34. Pignat. *num.* 22. quia non videtur æquum acceptare gratias & non onera.

482 §. 15. Non posse nunc dispensare Episcopum cum injusto etiam occulto homicida (quo nomine venit etiam mandans & consulens, Tol. Garc. Leur. *num.* 4.) nequidem ad Ordines minores aut Beneficium simplex docent Gutt. Sayr. Garc. & alii cum Leur. contra Henriq. & Zerol. verba enim, Trid. clarè excipiunt homicidium voluntarium etiam occultum. Et quamvis Nav. Henriq. Sayr. Mol. Avil. Rodriq. putat Episcopum dispensare posse in homicidio casuali etiam non occulto ad Ordines minores jam susceptos vel Beneficium simplex, eò quòd putent Trid. circa hoc nihil immutasse, tamen adhuc contradicunt Tol. Ugol. Garc. Leur. *num.* 5. quia Trid. dicit; *& exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.*

DUB

483 DUBIUM IV.

Quæ sint Irregularitates ex delicto.

„ Resp. I. Est, ob iteratum Baptismum seriò & „ scienter: estque irregularis tam rebaptizans, „ quàm rebaptizatus, etsi in rebaptizante irregulari- „ tas tantùm sit partialis, nè Clericus ad altiorem „ Ordinem possit ascendere, neque incurratur, si re- „ bapzatio sit occulta, Covarr. Tol. M. Leo *p. 5. f.* 358. „ V. Bon. *d.* 7. *q.* 3. *p.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2.

„ II. Ex violatione censuræ, *v.g. si ea innodatus,* „ actum aliquem *Ordinis solemniter* exerceat, nisi „ invincibilis ignorantia excuset. Laym. *c.* 3.

„ III. Ob peccatum, quo Clericus seriò & scien- „ ter actum Ordinis sacri, quem non habet, solemni- „ ter exercet, Bon. *l. c. p.* 6. Laym. *l. c.*

„ IV. Ob delictum, quo quis malè suscepit Ordi- „ nes, v.g. in excommunicatione, suspensione, vel ab „ Episcopo non habente jurisdictionem, vel per sal- „ tum, (licèt hunc suspensum tantùm esse, quamdiu „ non ministrat in Ordine per saltum suscepto, satis „ probabiliter docent Avila, Nav. Bon. (vel ante „ legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, vel furtivè, „ (Episcopo nesciente, nec approbante) & non exa- „ minatus. v. Bon. *p.* 4.

„ Propter enormia crimina, si sint notoria & publica, „ v.g. quæ jure habent annexam infamiam, ut adulte- „ rium, raptus, incestus, perjurium in judicio.

„ VI. Oritur ex injusta mutilatione vel homicidio, „ etiam indirectè tantùm voluntario, extenditurque „ ad omnes, qui ad alterutrum, sive in bello injusto, „ sive extra illud, injustè concurrunt, consulendo, „ mandando. Mutilatio autem hìc intelligitur, quan- „ do à corpore separatur membrum aliquod princi- „ pale, id est, pars corporis, quæ officiū per se distin- „ ctum habet, v.g. pes, manus, oculus, auris, &c. M. „ Leo *in praxi p.* 3. *f.* 347. ex Cov. Nav. *de Censur.* „ *n.* 206. V. Bon. *p.* 8. *Unde resolves*,

„ I. Non fit irregularis, qui in rixa præscindit al- „ teri digitum, pollicem, ungues, dentes, barbam, „ capillos, labia, nasum, auriculam, (idest, cartila- „ ginem, quæ tantùm deservit ad ornatum & tute- „ lam auris) quia non sunt propriè membra, v. g. „ digitus est pars tantùm & officium membri, Avila „ & alii 8. cum Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 26. Item M. Leo *l. c.* „ ex Gl. *cap. ult. de hom. in* 6. & *l.* [illegible] *quæritur herm* „ 10. *leg. Non sunt* 14. §. *Partus, ff. de statu hom.*

„ II. Nec fit irregularis, qui excæcavit hominem „ solo visu privando, non autem oculum extrahendo: „ nec qui debilitat tantùm membrum, & non abscin- „ dit, quia non est mutilatio. Dian. *R.* 26. ex Megal. &c.

„ III. Quando plures (non ex consilio, sed in rixa) „ unum percutiunt, & unus lethale vulnus infligit „ ex quo moritur: si constet quis hoc fecerit, hunc „ solum fieri irregularem docent Sayr. & alii 5. cum „ Dian. *p.* 2 *tr.* 15. *R.* 18. contra Avilam, Suar. &c.

„ IV. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. g. ci- „ bum vel potum; vel eum movet, vel de lecto in „ lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ex „ quo mors vel ejus acceleratio præter intentionem „ sequatur, non fit irregularis, nisi intervenerit lata „ culpa, Avila, Fill. & alii 4. cum Dian. *p.* 5. *tr.* 3. *R.* „ 17. ubi ex Bonac. &c. notas, Sacerdotibus & Reli- „ giosis circa moribundos dicere eadem, quæ laicis.

„ V. Qui amicum bono animo comitatur, ne peri- „ clitetur in rixa? non fit irregularis, etsi amicus oc- „ cidat eum, Avila, Henriq. &c. cum Diana *p.* 4. „ *tr.* 2. *R.* 17. Limitat autem Præp. *nisi sua præsen-* „ *tia animaverit ad occidendum.*

„ VI. In bello injusto, si vel unus occidatur, totus „ exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione „ sit cooperatus, Bon. *qu.* 4. *par.* 4. *num.* 3. „

„ VII. Irregularis fit, qui procurat abortum fœtus „ animati anima rationali; secus, si animatus non sit, „ *C. Majores* 32. *q.* 2. Bon. *p.* 8. *n.* 27. Kon. &c. „

„ VIII. Qui dans operam rei licitæ (imò secun- „ dùm multos, etiam illicitæ) sufficientem diligen- „ tiam adhibuit, ne ex ea homicidium sequeretur, „ & tamen secutum est, non fit irregularis, ob defec- „ tum voluntarii: secus tamen, si dictam diligentiam „ omisit, omissione mortali. Bon. *p.* 7. Less. *l.* 2. *c.* 9. „ *d.* 15. *&c.* Alii tamen dicunt, quòd dans operam „ rei illicitæ, ex quavis culpa, etiam levissima, incurrat, „ hanc irregularitatem, Panorm. Covarr. M. Leo *p.* 3. „ *f.* 354. „

„ IX. Qui alterum mutilat vel occidit ad necessa- „ riam sui defensionem, cum moderamine inculpatæ „ tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem, quia „ hìc nulla est culpa, ergo nec pœna, M. Leo *f.* 349. „

ADDENDA.

Quæst. 61. *An irregularitas ex delicto incurra-* 482
tur ab illo, qui committit delictum, sed invincibi-
liter ignorat irregularitatem esse annexam tali delicto?
Resp. Negant Abb. Nav. Reg. Portel. Sanch. *de*
Matr. l. 9. *d.* 32. *n.* 17. *&* 21. Schiara *l.* 4. *diff.* 32.
quorum sententiam Castr. *d.* 6. *p.* 6. *n.* 3. Dian. *d.* 3. *tr.* 5.
R. 67. Dicast. *d.* 7. *n.* 91. agnoscunt esse probabilem,
quia, qui nescit censuram esse delicto suo annexam,
non incurrit illam secundùm dicta n. 95. ergo simili-
ter hìc. Oppositum est probabilius cum plurimis,
inter quos Felin. Suar. Az. Wex *p.* 5. *tr.* 2. *contr.* 5. &
certum esse dicit Carden. *in* 1. *crisi d.* 75. *n.* 57. Ratio est
1. quia irregularitas non est propriè pœna, aut sal-
tem non est medicinalis, requirens scientiam vel
contumaciam, uti censuræ, sed est quædam macula
moralis & inhabilitas annexa à Jure, propter quam
arcetur aliquis ab altaris ministerio, sic enim Cano-
nes dicunt indecens esse, ut qui fudit sanguinem hu-
manum per homicidium, offerat sanguinem Christi
per Sacrificium, ad quam indecentiam per accidens
se habet, quòd sciat vel ignoret irregularitatem esse
annexam. Impedimenta Matrimonii Jure statuta v.
g. affinitas ex copula illicita, impedimentum uxori-
cidii, &c. incurruntur etiam ab eo, qui ignorat esse
annexa tali crimini, quia sunt inhabilitates, licèt ha-
beant aliquam rationem pœnæ, ut dictum est *l.* 6. *p.*
3. *n.* 642. ergo similiter hìc.

Q. 62. *Quid præterea addendum sit circa irregu-* 483
ritates ex delicto? Resp. §. 1. Si quis alium, quem
scit esse baptizatum, rebaptizet sub conditione, si
non sit baptizatus non fit irregularis, quamvis pec-
cet graviter, quia cùm apponat conditionem illam,
reipsa non vult reiterare Baptismum, Nav. Suar. Con.
Bon. Castrop. *d.* 6 *pun.* 16. *n.* 6. Dicast. *d.* 7. *n.* 41. contra
Sot. Sayr. & alios. Multa alia dubia habet ibidem
Dicast. circa hanc Baptismi iterationem: notat au-
tem n. 429. Episcopum posse dispensare in hac irre-
gularitate, dummodò alteruter Baptismus sit occul-
tus, hoc ipso enim, quòd unus illorum Baptismo-
rum ignoretur, etiam ignoratur rebaptizatio.

§. 2. Qui iterat Confirmationem vel Ordinem, 484
non ideò fit irregularis, quia Jura dicunt id tantùm
de iteratione Baptismi. Cov. Suar. Con. Castrop.
nu. 13. Dicast. *nu.* 416. contra Nav. Majol. & alios.

§. 3. An laicus fiat irregularis, si extra necessita- 485
tem baptizet aliquem solemniter, aut si attentet ali-
quem sacramentaliter absolvere, uti irregularis fit
Clericus non Sacerdos, disputant Auctores. Suar.
Nav. Val. & alii affirmant, sed probabilius negant
Hurt. Lug. *de pœn. d.* 18. *n.* 14. Spor. *de pœn. n.* 657.
quia de laico nihil habetur in Jure, sed hæc omnia
dicuntur

dicuntur sub titulo de Clericis, hæc antem pœna, utpotè odiosa, non est extendenda ultra id, quod sonat. Si autem non Sacerdos audiat confessionem v.g. moribundi putans se laicum id posse, non incurret irregularitatem tum propter bonam fidem, tum etiam quia non faciet hoc tanquam ordinatus, uti docent Hurt. & Tamb. *hic l.5.c.4.n.5.* imò si fingat se Sacerdotem & ex curiositate, levitate vel etiam malitia audiat, sed absque intentione Sacramenti administrandi seu sacramentaliter *absolvendi*, Spor, *n.658.* dicit adhuc non incurrere.

486 §.4. De irregularitate, *quæ incurritur* ab excommunicato exercente actum Ordinis, dixi nu. 456. Putat autem Less. *in auct. v. Absolutio cas.* 8. quamvis ille, qui pro foro interno absolutus est ab excommunicatione, possit conveniri in foro externo, ac si absolutus non esset, attamen si celebrarit Missam, non posse condemnari tanquam irregularem.

487 §.5. Bald. Covarr. & alii dicunt; mamillam fœminæ hìc non venire nomine membri, sed oppositum tenent Ugol. Mol. Sayr. Regin. uti refert Mendo *diff.* 13.*n.*167. Qui autem non amputavit membrum, attamen ita debilitavit v. g. manum, ut ad ministerium suum sit inutile, non ideò incurrit irregularitatem, quia necdum est mutilatio, uti præter citatos à Busemb. tenent Cov. Nav. Majol. Suar. Avila, Sylvius *p.1.v. Irregularitas casu* 1. Sperell. *dec.*77.*n.*20. contra Caj. Sot. & alios apud Sperel. *dec.*59 *a n.*3. *ubi à n.*27. sententiam nostram pluribus firmat. Hinc cum aliis infert n.37. si quis antehac alicui debilitasset manū & sic inutilem redditam poste à alia actione ipsi amputaret, non fore irregularem, quia cùm manus illa antecedenter nullum haberet usum, amputans non diceretur tollere membrum habens operationem distinctā à reliquis membris, ergo nec diceretur mutilare.

488 §.6. Irregularis est, qui retractavit, confessus & absolutus est à peccato gravis vulnerationis ex qua mors post absolutionem sequitur, uti dixi *l.1.n.*618. & iterùm hìc *l.7.n.*54. ac præter ibi citatos docent Az. Vasq. Sanch. *in Decal.1 c.16.n.*47. An talis incurrat censuram, dixi n.54. Dixi etiam hic n.53. incurri irregularitatem, si læsus propter vulnus etiam non lethale accedente alia causa accidentali moriatur, quia hæc irregularitas imposita est danti causam vel occasionem homicidio.

489 §.7. Qui præbet arma alteri ex intentione, ut alterum occidat vel mutilet, effectu secuto certum est esse irregularem, si autem præbeat prævidens tantùm, aut prudenter timens ne hoc fiat, Leand. putat probabile esse, quòd non ideò sit irregularis, quia videtur tantùm remotè concurrere per aliquid planè indifferens: & favent multi apud Mendo *diff.*13.*q.*12. sed oppositā tenent Tolet. Henr. Azor. Con. Suar. Avil. Bon. Castr. Sayr. Mendo, Dian. *p.4. tr.2. R.*11. quia talis moraliter cooperatur isti actioni saltem indirectè, quod sufficit, ut ei imputetur, cùm facilè posset & teneretur impedire, uti pluribus explicatum est *l.2. à n.*255. & colligitur pro nostro casu ex *cap. Sicut dignum, §. Illi etiam, de Homicidio*, ubi dicitur, qui potuit hominem liberare à morte & non liberavit, eum occidit. *Confirmatur*, si enim quis deserat operam rei illicitæ, ex qua sequatur mors, quamvis hanc non intendat, sed casualiter sequatur, incurrit irregularitatem, uti habet communissima cum Mendo *n.*162. & De Luca *in miscell. Eccl. disc.*20. *n.*6. quod verum est, ut limitant Cov. Zoes. Barb. & alii apud Wex. *in append. ad p.4. Dec.4. à nu.*9. si saltem actio de se illicita, erat periculosa & prohibita ratione homicidii: atqui sic præbens arma illicitè agit & peccat mortaliter, quia sic concurrit ad occisionem, uti dixi *l.2.n.*265. ergo.

490 §.8. Si quis tantùm negligat impedire homicidium vel mortem alienam, si per hoc graviter peccet tantùm contra charitatem multi putant incurrere irregularitatem, quia qui tenetur liberare à morte & non liberat, censetur moraliter occidere, & tantundem est quoad effectum mortis, sive fuerit obligatio justitiæ sive solius charitatis, Canon enim *Sicut dignum* non distinguit. E contrà S. Anton. Inn. Tiraq. Vasq. Turr. Hurt. & alii multi apud Gorm. *de Actib. human. n.*185. quorum sententiam Dian. *p.4. tr.2. R.*7. & Lug. *de Just. dis.*10.*n.*219. vocant probabilem, dicunt non incurrere, quamvis omitteret impedire etiam ex justitia obligatus, quia hoc nullibi invenitur expressum in Jure. Et quamvis tali moraliter imputetur homicidium, tamen qui physicè non infert mortem, in rigore non occidit hominem, odiosa autem non sunt extendenda, & ideò universaliter docent Sanch. *in Decal. l.1. c.10.n.*44. censuras latas in facientes non extendi ad mandantes, & consulentes, nisi Jus aliter declaret, quod fecit de mandante, & consulente homicidium, nuliibi autem declaratur hoc de non impediente mortem, hinc *cap. Petrus* de homicidio voluntario declaratur non esse habendum velut homicidam, qui causam vel occasionem non dedit homicidio. Hinc Tambur, *hìc c.5. à nu.* 11. & Spor. *de Matr. n.*376. putant, quando dicitur causantem homicidium fieri irregularem, intelligi causantem physicè, & non moraliter tantùm, v. g. per consilium. Sed contradicit communissima, quia sic moraliter concurrens censetur propriè secundùm Canones causare mortem, & occidere. Et quoad supradictum dubium, Suar. Tol. Mol. Con. Regin. Laym. Bona. Castrop. *d.6 p.15.§.7.* Beja *p.2.casu* 25. Lug. *n.*221. Gorm. *n.*184. probabiliùs dicunt, si tantùm tenebatur ex charitate, non incurrere irregularitatem, quia talis gravis pœna externa non imponitur ob transgressionem præcisè charitatis, sed ratione alicujus injuriæ vel saltem cooperationis ad actionem injustam. Quòd si etiam ex justitia obligatus non impediat, docent incurrere, nam secundùm dicta n.309. ex justitia obligatus, & non impediens percussionem Clerici incurrit excommunicationem, ergo similiter irregularitatem, quia ad utrumque effectum, satis est, quòd in æstimatione morali censeatur velut homicida, si ita obligatus non impediat. Et consequenter, si non impedias fœminam à te gravidam, quam scis velle procurare abortum, Sylv. Nav. Suar. Sanc. aliique communiùs dicunt fieri irregularem, quamvis alii negent, quorum sententiam Dian. *p.3. tr.1. R.*8. & Lugo *n.*222. vocant probabilem. Ita si scias fratrem tuum insidiari vitæ Titii ad vindicandam gravem injuriam tibi illatam, & in hoc consentias, incurris, quia videris positivè cooperari. Si autem tantùm scias, & merè negativè te habeas, Vasq. Turr. Hurt. Dian. *R.*9. dicunt te non incurrere, quod Lug. *n.*223. dicit probabile, sed ex dictis probabilius est oppositum.

§.9. Qui occidit adulterum deprehensum cum 491
uxore, filia, matre, sorore, secundùm Fagund. apud Mendo *diff.3.n.*27. non incurrit irregularitatem, sicuti certum est ex dictis n.307. non incurrere excommunicationem latam in eos, qui violentas manus injiciunt Clerico, quamvis hic adulter esset Clericus, videtur enim Ecclesia excusare ab utraque illa pœna ob tantum, & tam justum dolorem, qui meritò censetur plenam deliberationem impedire in tali occidente.

An ordinatus simoniacè sit irregularis dixi *l.3.p.1.nn.*218. An Clericus si interfit executioni pœnæ mortis peccet, & incurrat irregularitatem dixi *l.4.n.*1379. An personaliter interdictus vel in loco interdicto exercens actum Ordinis fiat irregularis dixi hic *n.*422. possuntque plura de hoc videri apud Dic. *d.5. à n.*235.

492 *Q. 63. Quid ad hunc casum sit dicendum?* Titius scloperum solo pulvere onustum per jocum exonerat in faciem Caji, hic ita percellitur ut videatur moriturus, supervivit tamen dies 14. & iterùm ambulat, victurusque videtur diutiùs, si Doctor eum non neglexerit, qui quia neglexit, moritur Cajus. *Quærit.* An Titius incurrerit irregularitatem? R. affirmant multi 1. quia *cap. Continebatur*, de homicidio, Diaconus declaratur irregularis, qui in lusu præter opinionem alium occiderat. 2. Etiam *cap. Clerico jaciente*, *cap. Eos verò qui*, *dist.* 50. dicitur, quòd irregularitas incurratur ob casuale homicidium. 3. Titius *dedit occasionem*; & causam' mortis: ergo *incurrit* irregularitatem. E contrà Burgh. *cent.* 3. *casu* 95. melius negat incurrisse, quia quando Jura imponunt irregularitatem talibus homicidiis casualibus, præsumunt gravem culpam præcessisse, qualis hìc non fuit, si enim non adsit culpa gravis, Nav. Val. Henriq. Avila, Suar. & alii cum Sanch. *de Matr. l.* 9. *d.* 32. *n.* 34. rectè docent non incurri irregularitatem per casuale homicidium, quia cùm irregularitas sit veluti pœna gravis, talem quoque culpam supponit: deinde Sylv. Caj. Sot. Less. Suar. & alii ex *cap. Studeat dist.* 50. requirunt, ut læsio sit gravis, alioqui putant non posse dici causam vel occasionem proximam mortis, quod videtur requiri, læsio autem illa non censetur lethalis, si læsus post triduum à vulnere accepto pedibus ambulaverit, uti cum aliis docet Avila, atqui ex his facilè respondetur ad argumenta in oppositum. Jura enim illa præsumebant culpam gravem, quam hìc non interveniisse satis certum est.

493 DUBIUM V.

Quæ Irregularitates ex defectu.

„ Resp. I. Est ex defectu animæ: Ex quo irregulares „ sunt 1. Amentes, phrenetici, arreptitii, & epileptici; qui tamen si ordinati sunt, & intra annum „ eo morbo non laborarunt, præsumuntur liberati & „ permittuntur ad Ordinum exercitium: Si verò laborent rarò, & quidem sine clamore & spuma, permittuntur celebrare cum Coadjutore, qui deficientibus ipsis suppleat sacrificium, M. Leo, *p.* 372. ex *c. Illud 7. q.* 1. & Glossa *Ibid.* 2. Illitterati, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. 3. „ Neophyti seu recenter conversi, usque dum judicio Episcopi sufficienter instructi sint.

„ II. Ex defectu corporis. 1. Si præter eum ineptus „ est ad exercitium Ordinis, ut si sit cæcus, surdus, „ claudus, ita ut sine baculo nequeat ire ad Altare. „ Item si careat manu, pollice, indice, oculo, (non tamen si ungula pollicis, vel indicis, vel oculo dextero tantùm) si verò sinistro, seu Canonico, aut „ ejus vi visiva careat, indiget dispensatione: quod „ tamen negat Valentia, Henr. Sayr. si quidem dextero possit absque deformitate legere Canonem. 2. Si „ Ordinem nequit exercere sine horrore, offensione „ aut scandalo aliorum, ut sit careat auribus, naso, si „ notabiliter sit gibbosus, leprosus, paralyticus; si membra habeat superflua cum magna deformitate: in „ dubio verò, an deformitas sit sufficiens, Episcopi „ est judicare: saltem in Clericis: nam in Regularibus id spectare ad eorum Prælatum, contra Barbos. „ &c. docent Suar. & alii 5. cum Diana *p.* 4. *tr.* 2. *Resol.* 73. licèt concedant Episcopum posse rejicere „ arbitrium Prælati: hunc autem, si gaudeat authoritate quasi Episcopali, posse in illa irregularitate „ dispensare, nisi deformitas sit tanta, ut scandalum „ gener[illegible], Ib. ex Rodriq. & aliis 4. v. Bon. Laym. „ M. Leo *p.* 3. *f.* 370. *Unde resolves*,

„ I. Non videtur irregularis. 1. quia habet 6. digitos, „ vel aliquos conjunctos, si non sit magna deformitas, „ & Ordinem exercere possit. 2. Qui habet in oculo maculam, visum non auferentem, nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret ungula pollicis, si possit „ hostiam elevare & frangere. 4. Qui per vim aut „ infirmitatem factus est eunuchus. „

II. Irregularis est hermaphroditus, quia est monstrosus, Gigas, pigmæus, æthiops: non tamen „ inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est. „

III. Ex defectu natalium. Ex quo irregulares sunt „ omnes illegitimi, eò quòd ratione originis reputentur viles. Tales autem communi jure legitimantur. „ 1. Per subsequens Matrimonium inter eorum parentes, modò hi tempore conceptionis potuerint „ validè contrahere. 2. Per professionem religiosam; „ quamvis ad dignitatem etiam in religione, v. g. Abbatiam, Prioratum, &c. promoveri non possint, sine „ dispensatione. V. supra *d.* 33. Per dispensationem „ Pontificiam. Principes verò sæculares non possunt „ legitimare, nisi tantùm in ordine ad officia sæcularia & hæreditates. Porrò cùm dubium est an quis „ sit legitimus, non censeri irregularem, contra Vasq. „ & alios 5. vult Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *R.* 59. ex Avila, eò „ quòd quilibet præsumatur legitimus, donec contrarium probetur: neque teneri hac in re credere „ ipsimet matri, etiam in fine vitæ, ni[illegible] rationibus convincat, vel pater etiam assera.t *Ib. ex communi.* „

IV. Est ex defectu ætatis, de quo *v. in Sacramento Ordinis.* „

V. Ex defectu Sacramenti, sive significationis „ Matrimonii, ratione bigamiæ, eò quòd bigamus non, „ perfectè repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, „ quippe qui caruem suam divisit in plures uxores. „ Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia „ cum pluribus, etiam secuta copula; nec fornicatio, „ vel adulterium, vel Matrimonium ratum cum pluribus: sed Matrimonium verum, vel præsumptum, „ cum duabus, & consummatum. Dixi, *vel præsumptum*: quia licèt quandoque secundum Matrimonii, „ sit nullum, juris tamen fictione & interpretatione „ præsumitur bigamia, licèt impropriè dicta: Unde „ sequitur, irregulares fieri sequentibus casibus. „

I. Qui vivente, vel mortua prima uxore cognita, secundam cognoscit, etsi Matrimonium sit „ invalidum. „

II. Qui viduam non virginem ducit, & cognoscit. „

III. Qui ducit uxorem priùs ab alio corruptam, „ etiam per fornicationem, & cognoscit; non tamen si ipse eam ante corrupit, quia tunc non est „ divisio carnis in plures. „

IV. Qui propriam uxorem cognoscit, postquàm „ ab alio per adulterium cognita fuit, quia ipsa jam „ divisit carnem in plures. Nec refert, etsi per vim „ vitiata fuit, vel vi corruptam, aut viduam esse ignoraverit, quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, „ sed ex defectu significationis Sacramenti. „

V. Qui post solemne votum castitatis de facto „ Matrimonium contrahit, & consummat, etiam „ cum virgine, quia interpretatione juris censetur „ duo Matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Nec refert „ quòd invalidè contrahat, quia quantùm est in ipso, effectus à parte rei ponitur. „

VI. Oritur ex infamia, sive Juris (quæ vel ex „ delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione personæ nascitur) sive facti, modò crimen pu„ blicum sit; ex occulto enim non oritur, si homicidium & [illegible] violationem excipias, ut do„ cent Nav. Kon. Laym. contra Sylv. & Suar. qui ex oc„ cultoetiam oriri putant, modò infamiam ipso jure „ connexam habeat. Porrò infamia ob crimen notorium, vel per sententiâ judicis contracta non tollitur, „ nisi per dispensationé Principis, cujus authoritate „

„ contracta fuit. Infamia facti, ſetiam orta ex „ enormi crimine, & digno depoſitione, tollitur „ per publicam & conſtantem vitæ emendationem.

„ VII. Oritur ex defectu libertatis: Unde irregu- „ lares ſunt, 1. Omnes ſervi propriè dicti (& ſe- „ cundùm Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 8. etiam originarii) „ donec conſequantur plenam libertatem. 2. Conju- „ gati, niſi uxores conſentiant, & caſtitatem voveant. „ 3. Curiales, id eſt, curiæ ſæculari obligati, facto ju- „ ramento vel ſtipendio, ut Judices, Advocati, &c. „ Quandiu talia officia habent. Excipe tamen, niſi „ habeant ſpecialem diſpenſationem Papæ pro illis „ officiis, uti quidam Clerici *in* aulis Principum, in „ cauſis civilibus, non tamen criminalibus; occupa- „ ti, vel niſi conſuetudo ſciente Papa, id permittat. „ 4. Milites, ſaltem quandiu juramento tenentur; „ Item theſaurarii & depoſitarii publici, & qui Rem- „ pub. adminiſtrant. Item apparitores & ſimiles, „ qui ſæva, turpia exercuerunt, vel in cauſa ſangui- „ nis miniſtrarunt, M. Leo, *p.* 3. *f.* 369.

„ VIII. Ex defectu lenitatis, ſcilicet ex licita muti- „ latione, vel homicidio in bello juſto, vel judicio. „ Quod ideò ſtatuit Eccleſia, quia Sacerdos gerit „ perſonam Chriſti, qui, ut pote leniſſimus, neminem „ unquam læſit: Ad hanc autem requiritur, ut oc- „ ciſio aut mutilatio de facto ſequatur: Unde non „ ſufficit voluntas, nec vulneratio gravis, Bon. *d.* 7. „ *q.* 4. Tann. *d.* 6. *q.* 11. *Unde reſolves*,

„ I. Non fit irregularis, qui mutilat vel occidit in „ defenſionem inculpatam honoris, vitæ, caſtitatis, „ &c. vitæ etiam proximi; quia in jure non ſtatui- „ tur irregularitas, niſi ob homicidium in bello ju- „ ſto, vel judicio, Tann. *l. c.*

„ II. Irregularis fit in bello, qui mutilat vel occidit „ propria manu; non autem Clericus exhortans ad „ fortiter pugnandum in bello juſto, (ſecus tamen ſi „ ad occidendum hunc vel illum in particulari.) „ Idem eſt de Duce exercitus, tubicine, &c. Bon. *p.* 4. „ III. In judicio juſto irregulares fiunt, qui ad mor- „ tem vel mutilationem cooperantur activè, & effica- „ citer, & proximè, per actionem ex natura ſua ad id „ ordinatam. Dicitur I. *Cooperantur* ut Judex ferens „ ſententiam, Notarius eam ſcribens, miniſtri exequen- „ tes, teſtes, &c. Dicitur II. *Activè*, id eſt, ex parte „ occidentium; quia non fit irregularis, qui ſe tantùm „ habet paſſivè, & ex parte ejus qui occiditur, ut „ Confeſſarius hortans ad fatendam veritatem, vel „ acquieſcendum ſententiæ juſtæ, quam non poteſt „ differre niſi appellatione injuſta, Corn. & Dian. „ *p.* 4. *t.* 2. *R.* 99. Dicitur III. *Efficaciter*, quia ad- „ juvans v. g. ferens ligna, ut comburatur ante jam „ ſuffocatus, non fit irregularis; nec aſſiſtens ſup- „ plicio, ſi ſua præſentia in illud non influat. Di- „ citur IV. *Proximè*: quia qui remotè tantùm co- „ operantur, non fiunt irregulares, ut qui gladios „ faciunt aut vendunt; item legiſlator leges capita- „ les condens: concionator in genere dicens, pu- „ niendos eſſe malefactores: Confeſſarius interroga- „ tus de reo, an mortem mereatur, ſi reſpondeat, „ judicem ſine acceptione perſonarum fungi debere „ ſuo munere; quia hi omnes ſunt tantùm cauſa „ remota. Eſſent autem proxima, adeòque irregu- „ lares, ſi quid facerent aut dicerent in particula- „ ri, ex quo mors alicujus ſequeretur, aut etiam „ acceleraretur; v. gr. ſi quis efficaciter urgeret „ reum, ut ſcalam aſcenderet, vel ad hoc illum ju- „ varet, vel ſi judici in particulari reſponderet, „ hunc eſſe plectendum,

„ Poſſunt tamen ſubindè etiam proximè cooperan- „ tes excuſari ab irregularitate, v. g. 1. ſi fiat ex in- „ deliberatione, aut cum ſemiplena tantùm adver- „ tentia, v. g. ſi dicat Confeſſarius, properemus, aut inſtiget jumentum, quo reus vehitur. 2. Si coope- „ ratio ſit valdè exigua, ut ſi jubeat reum adhuc „ unum gradum aſcendere: quia minimum reputa- „ tur pro nihilo, Avila & Henr. apud Bon. *q.* 4. *p.* „ 1. *n.* 9. Item Suar. Reg. Lay. &c. contra Vaſ. Tur. „ Hurt. Bauny, &c. Qui cenſent ex homicidio nemi- „ nem fieri irregularem, niſi concurrat ut publicus „ miniſter juſtitiæ, ſive ad cauſæ probationem, ſive „ executionem; vel ut privatus injuſtè & cum pec- „ cato. Quam ſententiam probabilem cenſet Dian. *p.* „ 3. *tr.* 4. *R.* 79. & in addit. *R.* 15. & *p.* 8. *tr.* 7 *R.* 61. „

Hinc negant fieri irregularem. 1. Confeſſarium vel „ alium quemcunque, qui furem hortatur, ut ſcalam „ aſcendat, caput ſupponat ad ictum excipiendum. „ 2. Eum, qui carnifici dicit, ut aliquid aptet, quò „ citiùs extinguatur reus. 3. Qui dum reus ad ſuppli- „ cium ducitur, ſuggerit viam breviorem. 4. Qui „ vendit vel commodat ſcalam, funes, enſes, & cæte- „ ra inſtrumenta; etiam qui furcam fecit. 5. Qui in- „ terrogatus à judice, an teneatur reum condemnare, „ reſpondit, teneri. 6. Eum, qui carnifici putanti „ ſuſpenſum jam eſſe mortuum, ſignificavit adhuc „ vivere, ex quo calcans iterùm pede occidit. „

Dicitur V. *per actionem ex natura ſua, &c.* id eſt, „ quæ per ſe ſit cauſa talis effectus, quia effectus per „ accidens non imputatur danti operam rei licitæ: „ Hinc non fit irregularis, dicens carnifici; nemo te „ impedit facere tuum officium, ego meum feci: „ nec Judices Eccleſiaſtici, degradatum tradentes bra- „ chio ſæculari; nec Clerici accuſantes aliquem in „ caſu criminali, modò expreſsè proteſtentur, ſe non „ intendere ut puniatur pœna ſanguinis, ſed tantum „ ut ſibi vel ſuis ſatisfiat, vel impediantur mala ſibi „ aut aliis imminentia. V. Bon. *q.* 4. Tann. *l. c.* &c. „

ADDENDA.

Quæſt. 64. *Quid præterea ſit notandum circa* 494
defectus animæ? R. §. 1. Qui ſemel deliravit ex cauſa de ſe habituali & permanente, etiamſi nunc probetur perfectè ſanatus, eſt irregularis in ordine ad Ordines ſuſcipiendos, poteſt tamen in Ordine antecedenter ſuſcepto miniſtrare, Suar. Bon. Leur. *p.* 1. *qu.* 232. *Dixi* ex cauſa de ſe habituali, nam qui deliravit ex morbo vel ira, non eſt irregularis, ut iidem docent cum Menoch. *l.* 6. *præſumpt.* 45. *n.* 62.

§. 2. Epilepticus, qui aliquando habuit morbum 495
caducum, per ſe loquendo eſt in perpetuum inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos, uti cum communi Bonac. *De Irreg. q.* 2. *p.* 2. *n.* 22. attamen, quia multa relinquuntur arbitrio Epiſcoporum, habet praxis in his partibus, ut eum admittant ad Ordines, qui per bien- nium liber fuit, quia tum creditur ſuperaſſe malum per naturam. Quòd ſi per ſeptem annos liber fuerit, putavit vir Eximius à me interrogatus poſſe etiam non admonitum, ac ſine declaratione Epiſcopi Ordines ſuſcipere, quia cùm ſingulis ſeptenniis natura quaſi immutetur & ſtatum reſumat, ſi adhuc ſuperfuiſſet materia critica, cauſaſſet intereà aliquem acceſſum. Si ordinatus ſit, quamvis non omninò ſit liber, tamen ſi rarò cadat nec ſpumet, privatim poterit celebrare adjuncto ſocio Sacerdote, qui Miſſam perficiat, ſi fortè morbo corriperetur, Cap. *Illud* 15. & ſeq. cauſa 7. q. 1. Nav. Laym. Pirrh. *l.* 1 *tit.* 20. *n.* 14. tempus autem, quod datur tali ordinato ad explorandum an convaluerit, eſt ſpatium unius anni ſive aliud pro arbitrio Epiſcopi ſpectatis circumſtantiis.

§. 3. Qui aliquando fuit energumenus ſeu à dæ- 496
mone obſeſſus, eſt irregularis ad Ordines ſuſcipiendos, Cap. *Maritum*, diſt. 35. Suar. Leurn. *p.* 1. *q.* 235. Sed non facilè aliquis judicandus eſt obſeſſus, niſi manifeſtis ſignis certò conſtet inquit Leſſ. *in anot. v. Ordines ſacri caſ.* 7. Poteſtque etiã talis in ſuſceptis

Ordini

Ordinibus ministrare, si liber sit, quod per annum vel tempus aliud ad arbitrium Superioris probare deber, Suar. Leuren.

497 §.4. Suar. *de cens. d.* 51. *s.* 1. *n.* 8. Ugol. *de irreg. cap.* 3. Gonz. *ad Reg.* 8. *gl.* 4. *d.* 41. dicunt carentem scientia à Jure requisita esse irregularem, sed negant Garc. *p.* 7. *c.* 7. *n.* 10. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 13. Sigism. à Bonon. *de elect. dub.* 60. *n.* 8.

498 §. 5. Si in hermaphrodito, qui prævalente sexu virili per dispensationem ordinatus est, posteà prævaleat sexus muliebris, remanet quidem in eo character, attamen sit iterum irregularis, *imò non potest* ampliùs validè *consecrare vel* absolvere, quia non est ampliùs *mas*, cui soli ex voluntate Christi competit potestas sacerdotalis, Lugo *in Resp. mor. l.* 1. *dub.* 31. ubi pariformiter docet, si talis esset in Religione professa vel nupsisset viro, & posteà prævaleret sexus virilis, hoc ipso annullandam professionem & Matrimonium.

499 *Q.* 65. *Quid addendum sit circa defectus corporis?* Resp. §. 1. An ille qui ob vitium corporis inhabilis est ad Presbyterium, etiam sit inhabilis ad inferiores Ordines & Clericatum suscipiendum; & quid dicendum sit, si Clericatum habenti superveniat inhabilitas ad exercitium unius sed non alterius Ordinis, dixi l. 4. n. 780. 783. & l. 6. p. 2. n. 2221.

500 §. 2. Qui habet utrumque oculum integrum, sed nihil videt sinistro, dummodò dexter oculus ea vi videndi polleat, ut commodè possit illo omnia legere sine indecora faciei conversione ad populum, non est irregularis, ut autem hoc commodiùs possit, potest Missale tantò magis ad medium attrahi, uti præter citatos à Busemb. tenent Nav. Avila. Mol. Suar. Vasq. Sà, Dian. *p.* 4. *t.* 2. *R.* 73. & *p.* 5. *tr.* 6. *R.* 22. Dic. *d.* 7. *n.* 173. Pirrhing. *l.* 1. *tit.* 20. *nu.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *nu.* 2. addens *n.* 6. veluti pro certa regula cum Avila, Tol. Sot. & aliis, quamvis aliquis defectum habeat, si tamen neque notabilem deformitatem contineat, ita ut scandalum in celebratione non causet, neque exercitium celebrationis impediat, non facere irregularem. Unde *si* reipsa esset unus oculus, & alius, v.g. vitreus ita artificiosè esset impositus, ut vix adverti posset, docet Sylv. *p.* 1. *v. Irreg. cas.* 4. talem non fore irregularem, quia quando in Jure dicitur, quòd qui amisit oculum sit irregularis, causa est, uti communiter explicant Authores, quia in hoc est deformitas, ergo si nulla adsit deformitas, non sequeretur inde irregularitas.

501 §. 3. Si quis habeat pollicem & indicem, & tantùm careat aliquo alio digito, cujus defectu non impediatur, quominùs hostiam frangere & securè eam tractare possit, judicatum est Coloniæ, non esse irregularem, uti nec eum, qui amisit primum tantùm articulum sinistri pollicis.

502 §. 4. Dubium est an & quando surdaster sit irregularis, si non sit simpliciter surdus, nam surdus secundùm Calepinum & commune omnium judicium dicitur, qui sensu auditus est spoliatus: surdaster qui non plane surdus est sed graviter audiens, vel altera tantùm aure surdus est: Esse irregularem docet *Comitolus*, quia est corpore vitiatus: sed probabiliùs contradicunt Sayr. Bon. Regin. Majolus, Graff. quos adductis locis sequitur Dian. *p.* 2. *tr.* 17. & 3. *Miscel. R.* 20. Accedunt Suar. *De cens. d.* 51. *s.* 2. *n.* 13. Fill. *tr.* 19. *n.* 169. Tambur. *de cens. l.* 10. *tr.* 4. *c.* 8. §. 1. Bassæus, quia non omne vitium corporis causat irregularitatem, sed si simul afferat deformitatem externam, vel impediat usum Ordinis. Imò Henriq. *l.* 14. *cap.* 8. *n.* 3. Præpos. *de Irreg. q.* 5. *d.* 14. *n.* 113. & Nav. Gob. *tr.* 8. *n.* 682. dicunt nequidem surdum esse irregularem, tum, quia id nullo Jure videtur esse expressum, tùm etiam, quia potest quis celebrare sine ministro, vel ex aliis signis percipere ejus responsiones esse finitas: sed in hoc meliùs contradicunt alii cum Regin. *l.* 30. *c.* 5. *nu.* 50. Castrop. *pu.* 11. *n.* 3. Dicast. *n.* 170. 186. nam ita asseritur Cap. 77. Apostol. & ratio est, quia nequit decenter exercere suum Ordinem, facilè enim excitaret risum in populo, dum vel aliquid extra tempus faceret, vel facere omitteret in tempore.

§. 5. Balbutientem ordinari posse dixi l. 6. p. 2. n. 2222. 503

§. 6. Claudum non esse irregularem, si absque baculo & pede ligneo ad altare accedere, stare, & Ordinum functiones obire possit, quamvis unum crus sit brevius altero, ita Coloniæ 2. Martii 1667. resolverunt 4. Doctores Theologiæ ex Cap. *Si quis infirmitate* Dist. 55. Cap. *Nullus Episcopus* de consecr. dist. 1. junctis Gloss. & habent Nav. *cap.* 27. *n.* 199. Henriq. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 1. Mol. *tr.* 3. *d.* 70. *n.* 9. Castr. *tr.* 29. *d* 5. *p.* 11. *n.* 3. & consentit Laym. addita tamen limitatione, nisi sit nimia deformitas. 504

Q. 66. *Quid addendum circa defectum natalium?* R. §. 1. Illegitimi omnes sive sint naturales sive spurii sunt irregulares ad quodvis Benefi. V. dicta *l.* 4. *à n.* 750. 505

§. 2. Natus ex conjugata præsumitur filius mariti etiamsi constet, quòd sub tempus conceptionis mater cum adultero habuerit copulam, si etiam marito patuit aditus ad conjugem. Nec tenetur talis filius credere matri etiam juranti eum esse ex adultero, tum quia mater ipsa rescire non potest, tum quia revelat propriam turpitudinem, ideóque non meretur fidem: unde etiam talis filius potest se habere tanquam legitimum quoad omnia & non irregularem. Hæc omnia latè probant adductis legibus, Authoribus & rationibus Sperell. *decis.* 173. 174. & 175. & Pignat. *tom.* 7. *cons.* 40. & *tom.* 9. *cons.* 153. 506

§. 3. Proles nata è conjugibus obligatis voto castitatis, non est illegitima nec irregularis, quia *leg. Filium* 6. *ff. de iis qui sunt sui, vel alieni juris*, dicitur eos esse legitimos, qui concipiuntur à parentibus vero Matrimonio junctis, Sanch. *de Mat. l.* 9. *d.* 38. *n.* 3. Si alteruter conjux bimestri ante consummatum Matrimonium professus esset in Religione, proles esset spuria, quia esset nata soluto Matrimonio ex illis, qui tum non poterant validè contrahere, Sanch. *n.* 4. & dixi *l.* 4. *n.* 752. Si unus altero invito post consummatum Matrimonium esset professus in Religione, proles esset legitima, quia professio esset irrita, Sanch. *n.* 5. Si post sacros Ordines à viro susceptos, aut post professionem religiosam consummato anteà Matrimonio, proles esset simpliciter legitima, quia nata in vero Matrimonio, attamen secundùm quid illegitima, & irregularis, per *c. Litteras de filiis presbyt.* Sanch. *n.* 7. & dixi l. 4. n. 752. 507

§. 4. Judæi, & infideles conversi non ideò *sunt* irregulares, quia sic nati, nam Apostoli ipsi fuerunt tales. Aliud est, si relaberentur in infidelitatem, Do Luca *in Miscel. Eccles. disc.* 34. 508

§. 5. Expositicios esse censendos illegitimos, & irregulares, docent Majol. Alciat. Vasq. Tol. Sayr. Ugol. aliique multi, quos citat & sequitur Pign. *tom.* 7. *cons.* 34. quia qui exponuntur sunt communiter illegitimi, res autem judicanda est secundùm communiter contingentia. Plura de exposititiis dicta l. 4. n. 766. 509

Q. 67. *Quid addendum sit circa defectum ætatis?* R. §. 1. Quæ ætas requiratur ad tonsuram & singulos Ordines dictum est l. 6. p. 2. n. 2214. Unde autem est ætas inchoetur, quomodo completa esse debeat, an ordinatus bona aut mala fide ante ætatem post obtentam ætatem dispensari debeat ad exercitium Ordinis, quis in ætate dispensare possit, aliaque plura dixi l. 6. p. 2. à n. 2306. 510

511 §. 2. Huc pertinet solutio sequentis casus. Titius ordinatus est Sacerdotio tribus mensibus ante annum 24. completum, credens 1. id non fore graviter illicitum. 2. Episcopum dispensaturum, si sciret. 3. posse computari tempus conceptionis suæ. 4. se posse ordinari, dummodò pro legendis primitiis expectaret tempus 24. annorum completorum. *Quæritur* 1. an incursa sit irregularitas, 2. si incursa, quis ab ea dispensare possit. 3. an Sacerdos ille, quoties Missam legit, peccarit mortaliter. 4. an *si* fuerit irregularitas, stante illa nunc possit fungi officio sacerdotali, usquedum dispensationem obtineat. *Respondeo ad* 1. Præsumi incursam esse irregularitatem, imò & suspensionem, quia in *tali* persona non præsumitur ignorantiam tam clari & obvii Juris fuisse invincibilem. *Ad* 2. Ab ea irregularitate, & suspensione occulta absolvere possunt Nuntius, Episcopus, Vicarius generalis. *Ad* 3. Affirmativè per se loquendo. *Ad* 4. Non potest, quia saltem suspensus est, & si in suspensione exerceat actum Ordinis sui, peccat & incurrit novam irregularitatem.

512 *Q.* 68. *Quid addendum sit circa defectum ratione infamiæ?* Resp. §. 1. Quid sit fama, quid infamia dixi *l.* 4. n. 786. Irregularitas autem ex infamia reducitur ad irregularitates ex defectu, quia infamia est *defectus bonæ famæ*, qui sine delicto esse potest.

513 §. 2. Ad inducendam propriè dictam irregularitatem non sufficit infamia popularis etiam publica, sed requiritur legalis, & Canonica, quæ scilicet ex Jure Canonico vel alio per Canones approbato, vel ex sententia Judicis Ecclesiastici orta, effectus morales stabiliter inducat, ita ut non per vitæ emendationem, sed per solam Ecclesiæ dispensationem tollatur, uti probat Suar. *d.* 48. *s.* 1. & 2. hinc l. 6. p. 3. n. 876. dixi Clericum non esse irregularem, qui ab incompetente Judice laico in contumaciam condemnatus est, etiamsi occasione illius injustæ sententiæ nata si rei infamia publica. Et licèt quis crimine infami accusatus fuerit, non ideò infamis censeri debet, nisi apud viros honestos, & probos famam ejus læsam esse sciatur, Host. apud Dic. *n.* 364. Imò nemo censetur civiliter infamis, donec condemnatus sit *leg.* 1. *ff. de his, qui notantur*, Suar. *d.* 48. *s.* 1. *n.* 22. quamvis contradicat Lugo *in Resp. mor. l.* 2. *dub.* 12. Hinc Clericus etiam publicè concubinarius non ideò est irregularis, uti habet communior cum Lay. Garc. Pig. *t.* 9. *con. s.* 139. contra Nav. Tol. & alios, nullibi enim hoc statuitur, & ipsius infamia non est Juris, sed facti tantùm, quæ tollitur per pœnitentiam. A concubinario tamen notorio per sententiam aut per confessionem in Jure factam, aut per talem rei evidentiam, quæ nulla tergiversatione celari possit, neque officia divina peragi neque Sacramenta percipi possunt, quia Ecclesia prohibet, ut videri potest apud Pignat. *à n.* 189.

514 §. 3. Histrio sive ludio publicus videtur esse irregularis, quia omnes Jure civili infames etiam sunt infames Jure Canonico, ut rectè Laym. *l.* 1. *tr.* 5 *p.* 5. *c.* 4. *n.* 2. sic enim habet Regula Generalis *Hadriani Papæ. causa* 6. *q.* 1. *Omnes infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant*, atqui Histrio Jure civili est infamis; nam *ff. l.* 3. *tit.* 2. *de his, qui not. infam. Leg.* 1. sic habetur: *Prætoris verba dicunt, infamia notatur ..... qui artis ludicræ pronunciandive causa in scenam prodierit. Ibid. l.* 2. §. *ait Prætor, qui in scenam prodierit, infâmis est. Scena est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat moveaturque, spectaculum sui præbiturus, posita sit in publico privatove vel in vico, quo tamen loco possint homines spectaculi causa admittantur. Eos enim ..... omnes propter præmium in scenam prodeuntes famosos esse Pegasus, & Nerva filius responderunt.* Etiam directè ipso Jure Canonico videntur histriones esse infames, & consequenter irregulares, nam *c. Maritum, dist.* 33. statuitur, *Clericum non ordinandum..... qui in scena lusisse dignoscitur. Causa* 4. *q.* 1. *c.* 1. 6. 2. *Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones ..... ab accusatione prohibentur. Cap.* 45. *Pro dilectione. De consecr. dist.* 2. *Consulendum me existimasti ..... quid mihi videatur de histrione.... an talis debeat communicare nobiscum? quod ego puto nec Majestati divinæ nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Hinc *Cap. Donare* 7. *dist.* 86. dicitur: *Donare suis histrionibus vitium est immane, non virtus.*

515 §. 4. Per histriones hos, quos Jura dicunt infames, intelligebantur olim illi, qui se pretio conducebant ad spectaculum sui corporis exhibendum, sive qui obscæna publicè repræsentabant, Castrop. *d.* 6. *p.* 20. *n.* 6. & Lay. *n.* 1. dicit illos histriones esse infames, qui in publicis obscænis spectaculis agunt, unde dicendum, si obscæna non agerent, non incurrere irregularitatem. Sed ordinariè obscæna adsunt, & talia præsumuntur, hinc videntur leges simpliciter tales reddere infames.

516 §. 5. Irregularitas ex infamia, si sit ipso Jure vel per sententiam Judicis inducta, non tollitur per pœnitentiam nec per ingressum Religionis, sed tolli debet per dispensationem illius, qui per legem induxit, aut alterius, qui ab eo privilegium habeat, Suar. *d.* 48. *s.* 2. Laym. *n.* 10. Dicast. *n.* 387.

517 §. 6. Irregularitas inducta non per Jus aut sententiam Judicis, sed tantùm per infamiam facti, v. g quia scitur antehac commisisse furtum, non est propriè irregularitas, nec indiget dispensatione, sed tollitur per factum contrarium, id est, per publicum & constantem vitæ emendationem saltem per triennium, ut ex Jure Canonico & communi Authorès docent, Lay. *n.* 10. Castrop. *d.* 6. *p.* 20. *n.* 8. & 14. Dicast. à n. 389.

518 §. 7. Talis irregularitas, quæ sola pœnitentia triennali saltem non tollitur, directè tolli potest à solo Papa, Suar. *s.* 2. *n.* 9. tamen indirectè tolli potest per ablationē infamiæ seu restitutionem famæ à potestate civili, Suar. *n.* 10. An Nuntius judicii criminalis sit infamis ratione officii, dicam nu. 512. de defectu lenitatis.

519 *Q.* 59. *Quid addendum sit circa defectum libertatis?* R. §. 1. An clericus conjugatus in Ecclesia latina ex dispensatione Episcopi sit capax beneficii simplicis dixi l. 4. nu. 767. Quid & quotuplex sit Bigamia? an omnes bigami sint irregulares; an Papa cum iis possit dispensare ad Ordines, Beneficia, & dignitates, an id etiam possit Episcopus, veri servi qui sunt, an capaces Ordinum, aliaque plura dixi l. 4. à n. 768.

520 §. 2. Cùm *Busemb.* suprà dicat conjugatos esse irregulares, nisi uxores consentiant eos ordinari, & castitatem voveant, dubitatum est, quid ad hunc casum sit dicendum. Titius conjugatus post consummatum Matrimonium absens ab uxore, bona fide putat hanc mortuam, sicque initiatur sacris Ordinibus: postmodùm rescit uxorem vivere, quæ tamen postmodum consentit, ut maritus maneat etiam in exercitio suorum Ordinum separatus ab ipsa. *Quæritur*, an Titius sit irregularis? Resp. non esse. 1. quia hæc irregularitas in nullo Jure est expressa quod; enim affertur ex *Extravagante Joannis XXII. Antiquæ*, de voto quoad conjugatum, qui absque uxoris, licentia suscipit sacrum Ordinem, ibi tantùm est sermo de illo, qui ordinatur sciens uxorem vivere, ut dixi 7. 6. p. 2. n. 2220. & potius est pœna suspensionis, vel est irregularitas ex delicto, cum feratur in *præsumptuosos*, in *sciens* autem hoc facere, suspensio autem vel irregularitas ex delicto non incurritur, nisi ab eo, qui peccaverit mortaliter, uti habet communis cum Dic. *de suspensione dub.* 3. & *de irregularitate dub.* 5. Titius autem hic non

pecca

peccavit mortaliter, ergo. 2. Hæc quasi irregularitas in pœnam lata à *Joanne XXII.* secundùm Sanch. *de Matr. l. 7. d. 49. n. 3.* non incurritur, si abfuerit dolus, adeóque excusat quæcumque ignorantia Juris vel facti, dummodò non sit affectata, nec ita crassa, ut sit ingens temeritas, quod colligitur ex verbis, *non præsumat*, item, *quòd si secus à quoquam attentatum fuerit*, &c. sed Titius hic non commisit dolum, sed bona fide processit, ergo. 3. Si quis dicat esse irregularem ex defectu libertatis, hoc dato, illa jam cessat obtenta libertate per licentiam uxoris, uti *colligitur* ex dictis. Quòd si uxor *dans quidem licentiam*, nolit nequidem in sæculo emittere votum castitatis, adhuc docet Sanc. *n. 6.* non incurrere hanc irregularitatem, si ad Ordines sacros ascendat, quia *Extravagans* aptè loquitur de illo, qui sine licentia uxoris promovetur. 4. In dubio Juris vel facti, an sit contracta irregularitas, debet judicari non esse contracta, uti cum communi dixi nu. 450. Sed hìc ad summum dibium est an sit contracta nec ne, ergo.

521 §. 3. Huc pertinet etiam sequens casus, Titius Diaconus dimisso suo Canonicatu in favorem Caji sub pensione annua, vagatur per patrias, tandem dat nomen militiæ; in qua tamen nunquam interfuit pugnæ aut conflictui, in quo occisus aut mutilatus sit aliquis, nec ipse occidit aut mutilavit aliquem, attamen malè vixit cum aliqua concubina, sed nunquam attentato cum illa Matrimonio. *Quæritur* 1. An Titius per hoc, quòd fuerit in militia, factus sit irregularis? 2. Si factus esset irregularis, an ideò ipso facto amisisset jus ad pensionem? 3. An per vitam malam cum concubina sit irregularis aut amiserit jus ad pensionem? Resp. *Ad* 1. negativè cum Suar. *de irregul. disp. 47. s. 6. n. 9.* cujus hæc sunt verba: *Addo, etiamsi Clericus sit in tali bello* (quale semper præsumi debet à privato) *militando & vulnerando, si tamen propriis manibus neminem mutilet vel occidat, vel sit causa proxima ut alii faciant, non incurrere irregularitatem, etiamsi in tali bello multa homicidia sequantur: ita docent* Cov. Nav. *& alii..... verissima est hæc sententia & satis expressa in cap. Petitio tua de Homicidio, &c. Nam cap. Petitio tua*, inquit Bon. *de Irregularit. d. 7. q. 4. pu. 4. n. 5. Papa illum dumtaxat judicat irregularem, qui in bello occidit aut dubitat occidisse*, textus enim habet, *si aliquem interfecit vel si dubium de hoc habet conscientiam*, ergo cùm hæc Jura statuentia irregularitatem sint pœnalia & odiosa, extendi non debent ultra casus lege expressos. Aliam rationem addit Bon. *ne innumera hominum multitudo ligaretur vinculo irregularitatis.* Et hæc est communis sententia. *Ad* 2. Etiam negativè, nam irregularitas non privat ipso jure nequidem Beneficio, *cap. Ex litteris de excess. Prælat. cap. Fraternitas de cler. excomm.* docentque omnes communissimè cum Inn. Abb. Fel. Nav. Suar. *d. 20. s. 2. n. 15.* Felin. *tr. 19. n. 68.* uti nec privat fructibus Beneficii, Suar. *nu. 20.* cum communi, ergo multò minùs pensione, sed privatio talis in pœnam statui debet per sententiam Judicis: Et Fill. *n. 92.* testatur esse expressam decisionem Rotæ, quòd talis pœna privationis etiam Beneficii, non sit latæ, sed ferendæ sententiæ; Ratio autem generalis est, quam prosequitur Suar. à n. 16. quia lex pœnalis semper intelligenda est quoad pœnam ferendam per sententiam, nisi in ipsa lege aliud exprimatur, quod hìc non fit. *Ad* 3. Certum est quòd non, quia secundùm dicta *n. 500.* nullibi in Jure exprimitur concubinarium esse irregularem, uti nec aliquis ex irregularis per formale odium Dei, Sodomiam, Sacrilegium, &c. quamvis sint delicta gravissima, & consequenter sine fundamento diceretur, quòd ideò amitteatur Beneficium vel pensio, præsertim Jure & ipso facto.

Q. 70. Quid addendum sit circa defectum lenitatis 522
R. §. 1. Omnes ferè antiqui docuerunt, quòd ille incurrat irregularitatem, qui concurrit ad mortem alicujus vel causandam vel accelerandam, quamvis non concurrat authoritate publica seu ut justitiæ Minister, exneque injustè vel cum peccato, quia irregularitas defectu lenitatis in Jure expressa est contra omnes etiam non ministros justitiæ, si fiat authoritate privata attamen absque peccato. E contrà negant doctissimi viri plures quàm 30 quos refert & sequitur ac se inspexisse dicit Dian. *p. 11. t. 2. R. 63.* accedunt alii multi cum Schiara *l. 4. diff. 31.* Illsf. *t. 7. n. 87.* Vvex *in append. ad p. dec. 4. n. 11.* probatque fusè Tamb. *de consl. 10. c. 4.* explicans omnes textus Juris in contrarium adduci solitos, & ratio est, quia in Jure irregularitas illa expressa est contra solos justitiæ ministros, ex qua sententia Tamb. *suprà*, Gob. *in Quin. tr. 1. à n. 395.* Burgh. *cent. 3. cas. 91.* præter illa quæ habet Busemb. *sub finem*, deducunt etiam sequentia, 1. Non fieri irregularem, qui, ut rem suam vel alienam, quæ non est parvi momenti, à fure sublatam recuperet, clamat adesse furem, qui posteà capitur & suspenditur. 2. Nec illum qui indicat Judici reum jam esse optimè dispositum ad mortem, ideóque non videri differendam in crastinum. 3. Nec illum, qui singulariter moneat carnificem v.g. ut caput illius, qui frangendus est in rota, percutiat valido ictu, ut ratio in ipso turbetur & peccare non possit. 4. Nec illum, qui Judici absolutionem negat, nisi sententiam sanguinis proferat, ad quam ex conscientia tenetur, & idem tenet cum aliis Gorm. *de pœnit. p. 2. à n. 377.* 5. Nec illum, qui pœnitentem inducit ad fatendum delictum morte plectendum, ad quod Jure naturali tenetur, & idem dixi l. 6. p. 2. n. 1843. est enim opus obligatorium, ob cujus causam non debet puniri, & rationem dant, quia si talia fiant bona intentione, & cum debita circumspectione, carent omni culpa & non adversantur perfectæ lenitati, cùm sæpè necessaria sint vel saltem conducant ad salutem proximi alioquin periclitaturam. Si tamen quis à Judice fuerit interrogatus juridicè, id est, tanquam comminister justitiæ & veluti persona spectans ad judicium, detque illi consilium, quo Judex moveatur ad ferendam sententiam in causa sanguinis his consulens secundùm aliquos est irregularis non tamen erit, si privatim solùm sit interrogatus, uti habet idem *Burgh.*

§. 2. Advocatus, qui à Judice consultus de pœna 523
reo infligenda in genere dicit, quid jura statuant, non fit irregularis, quamvis reus ideò adjudicetur tali morti, si autem in particulari dicat hunc mereri mortem, & multò magis si instiget, ficque sit causa saltem acceleratæ mortis, Henriq. Hostiens. Panor. Sylv. Lef. *in auct. v. Judex, cas. 3.* dicunt fieri irregularem.

§. 3. Communis sententia habet cum *Busemb.* 524
testem in causa sanguinis secuto effectu esse irregularem, quod Nav. Vgol. Bonac. Sperell. *dec. 77. n. 17.* intelligunt, si ex ejus depositione secuta est mors vel mutilatio, non autem si ex aliis probationibus aliundè habitis.

§. 4. Nuntium publicum sive rebellionem judicii 525
criminalis esse irregularem ex defectu lenitatis ratione officii, docet *Majolus*, quia ad judicium forense concurrit tanquam minister publicus, imò esse irregularem ex infamia, docent *Vgol. Suar. Henriq. Avil. Fill.* quia hoc officium reputatur vile & infame, sed Sper. *dec. 77.* imprimis docet, si nunquàm exercuerit officii sui cuto effectu mortis vel mutilationis, non esse irregularem ex defectu lenitatis, idemq; docent *Suar. Sot. Sa Bonac.* & alii communiter; imò etiamsi talis effectus esset secutus, tamen cùm Nuntius remotè tantùm ad illum concurrat, innuit probabiliter non fore irregularem. Deinde à n. 25. ostendit officium Nuntii talis non

esse de se infame, cùm id nullibi exprimatur, quamvis aliquibus locis ab aliundè infamibus exerceri possit.

526 §. 5. Si quis occidat injustum invasorem pro defensione suæ pudicitiæ aut etiam bonorum temporalium, non incurrit irregularitatem ex delicto, si non peccet, id est, defendat bona magni momenti secundùm dicta lib. 3. pu. 1. à num. 808. ac præter ibi citatos docent *S. Thom. S. Anton. Sylv. Caj. Sot.* quos citat, & sequitur Beja *p. 1. cas. 22.* probatque ex utroque Jure. Et si alicubi videatur oppositum dici, dicit esse pro casu, quo excedebatur moderamen inculpatæ tutelæ. Nihilominùs Gers. Abul. Nav. Avil. Henriq. Laym. Regin. Molin. *tr. 3. d. 72.* & alii multi cum Beja *suprà*, item Mendo, Illsf. Sannig. apud Wex *in append. ad p. 4. dec. 4. n. 11.* valdè probabiliter dicunt talem fieri irregularem ex defectu lenitatis, quia Jus excipit solum occidentem pro defensione vitæ suæ, non autem pro defensione quamvis licita aliarum rerum, sed probabiliter etiam contradicunt multi cum Dian. *p. 4. tr. 2. R. 4.* Lugo *de Just. d. 10. n. 200.* Castrop. *p. 15.* quia licet Jus expresè excipiat solum defendentem vitam, tamen non ideò expresè includit occidentem ex alia causa; & Ratio esse potest, quia sic occidens ex quadam necessitate occidit, ergo occisio non censetur perfectè voluntaria, ergo non incurret pœnam annexam. Et similiter non incurrere, qui pro defensione innocentis occidit injustum invasorem docent Covar. Suar. Sà, Less. Turr. Tann. aliique cum Lug. *n. 215.* contra alios multos. Si licitè quidem occidat invasorem vitæ alienæ, non tamen necessariò, S. Ant. Nav. Suar. & plures alii dicunt incurrere, quam sententiam Pign. *tom. 7. cons. 20. n. 5.* vocat certam ex Cap. *Dilecto*, §. fin. de sent. excomm. in 6.

527 §. 6. Qui invasorem occidit, potens fugiendo, vel aliter ejus vim declinare probabiliter sit irregularis, quia non videtur esse necessitas occidendi, ergo est defectus lenitatis, probabiliter tamen etiam docent *Suar. Castr.* suprà aliique multi cum Diana *R. 3.* tum non incurrere, si fuga vel alia declinatio occisori esset ignominiosa, ad quam non teneatur cum tanto honoris sui detrimento, ideóque secundùm dicta *l. 3. p. 1. n. 803.* non peccet occidendo, quia adhuc videtur esse moralis necessitas occidendi, quando talem ignominiam subire censetur difficillimum, & humano modo impossibile.

528 §. 7. Suar. Mol. Con. Lorca, & alii cum Lugo *in Resp. mor. l. 5. dub. 14.* fatentur Clericum etiam in sacris, etiam Episcopum, aut quemcunque alium beneficiatum posse absque irregularitate in bello defensivo pugnare, si hoc si necessarium propriæ personæ vel Patriæ, & bono communi; quod *Mol & Con.* extendunt ad justum bellum aggressivum, si necessarium esset ad victoriam, à qua pax, salus innocentum, & bonum Ecclesiæ dependeret, quia videtur tum non aggredi, sed defendere se, & causam publicam. Et universaliter docent Nav. Sylv. Suar. Fill. & alii, quos citant, & sequuntur Schiara *l. 4. diff. 34.* & Sperell. *dec. 77.* neminem in justo bello etiam aggressivo fieri irregularem, si propriis manibus sanguinem non effundat, vel mutilet, quamvis alii in exercitu id faciant. E contrà sive Clericus, sive laicus propriis manibus sanguinem effundens, vel multilans sit irregularis saltem defectu lenitatis, Cap. *Petitio* de homicidio, Can. Clerici 5. caus. 23. q. ult. Cap. 2. De homicidio, in 6. habetque communis cum Wex *in append. ad p. 4. dec. 4. à n. 4.*

§. 8. Chirurgus secundùm artem secans vel adu- 529
rens non fit irregularis, quamvis fiat mutilatio vel etiam sequatur mors, quia hìc non est defectus lenitatis, cùm fiat causa impediendæ mortis. Brugh. *cent. 3. cas. 91.* Si per imperitiam vel negligentiam mors sequeretur, esset irregularis, & ita ex Cap. *Ad aures* de ætate, & qualit. ord. prob. Suar. *d. 47. s. 7.* & Sylvius suprà V. Chirurgus. Si Clericus etiam pietatis causa exerceat chirurgiam per sectionem vel adustionem, ex qua non sequatur mutilatio vel mors, non est irregularis, si autem sequatur mutilatio vel mors, quamvis usus sit regulis artis, est irregularis, quia hoc ipsi specialiter prohiberur Cap. *Sententiam* de ætate, & qualitate ordinand. ita Dian. *tr. 2. R. 23.* aliique cum Sylvio suprà, nisi excuset necessitas, quia alius deest, ita Bonac. *de irregul. d. 7. q. 4. p. 5.* Si autem mors aliundè sequatur Avila, Bonac. & alii dicunt non esse irregularem, quia mors illi non potest imputari, in dubio tamen an mors sit inde secuta, habendus est irregularis per Cap. *Ad aures*; quòd si tantùm incidat venam, & sequatur mors, Bon. Sylvius & alii dicunt incurri, quia est sectio, negant Rodr. & Molin. Quòd si Clericus non utatur sectione vel adustione, sed applicat v. g. emplastrum, quamvis sequatur mors, non est irregularis, quia facit pietatis causa, nec est illi specialiter prohibitum mederi, nisi adhibeatur sectio vel adustio, & quidem ab ipso, unde si eam consulat vel mandet, non incurrit, censura enim aut pœna lata contra facientes non cadit super consulentes aut mandantes, nisi exprimatur, Nav. Henriq. Sylvius suprà.

§. 9. Qui malè tractat cadaver Clerici mortui, 530
incurrit irregularitatem, Felin. Schiara *l. 4 diff. 26. n. 15.* Etiam, qui percutit Clericum factum hæreticum, Nald. Schiara *n. 23.*

§. 10. Qui campanam pulsat, quando reus ad 531
supplicium educiter, si ideò pulset, ut reus securiùs ducatur est irregularis, quia cooperatur morti malefactotis, secus si pulset tantùm ad signum, & ad publicum exemplum, sic enim nequidem remotè cooperatur morti malefactoris, ita post Covarr. &c. alios Sylvius in Resol. variis p. 1. V. *Campana*; si quis tamen campanam pulset ad hoc ut Judex in fine pulsus legat aut legi curet sententiam mortis, est irregularis, quia cooperatur executioni mortis differendæ vel accelerandæ, prout diu vel non diu pulsarit, ita Sylvius suprà. Denique si quis campanam pulset vel ad seditionem vel ad arma vel pro captione alicujus malefactoris, si ex prælio inde inito secuta sit mors vel mutilatio, pulsans campanam est irregularis, ut cum Covarr. Majolo & Quaranta docet Sylvius suprà contra Zerol. quia talis dat magnam causam mortis vel mutilationis.

LIBER

LIBER OCTAVUS, ET ULTIMUS,

De Sanctæ Cruciatæ Bulla.

TRACTATUS UNICUS.

TRactatus hic, in hac *Medulla* desiderabatur, ne quidquam ad mores attinens relinqueretur intactum. In Germaniæ oris ubi Pater Hermannus Buschembaum Medullam istam eruit, non ejus deerat complemento, quia Cruciatæ Bulla plagis illis minimè expeditur, sed in Hispania, aliisque Catholicæ Majestatis ditionibus, quæ tam dulci Matris Ecclesiæ ubere lactantur, ejusque privilegio potiuntur magno, quo in variis conscientiæ casibus frequenter fulciuntur: aliqua ex parte captum absque materia ista erubescebat opus.

Idem, qui in antecedentibus in prosequendo tractatu isto, servabitur ordo: proposita priùs generali doctrina, ex eaque deducendo casus, qui occurrere possunt, ne lector à trita jam & assueta studii antecedentis extrahatur via.

Inter eos, qui hanc sibi materiam suscepere pertractandam, non ultimum locum obtinent, licèt non primi scripserint, P. Franciscus Bardi, & Andreas Mendo, qui de illa copiosissimè omnium conscripsere.

Liber, in quatuor dividetur capita; in quorum primo, de Bulla vivorum communi, sermo habebitur; in secundo, de Compositionis Bulla, verba fient; in tertio, de Bulla defunctorum disseremus; in quarto, ad facultates Commissarii, & jura verteturr oratio.

CAPUT PRIMUM.

De communi vivorum Bulla.

DUBIUM I.

Quid sit Bulla? Et quisnam eam concedere valeat?

RESP. 1. Bullam (omissis pro nunc aliis hujus nominis etymologiis) pro monili quodam accipi, & insigniri, quo à collo dependenti Patriciorum filii à plebejorum turba distinguebantur: Erat orbiculatum insigne hoc, in cujus medio figura cordis cælata videbatur. Inde orbiculata sigilla quædam, vocata Bullæ, in quibus Imperatorum effigies insculpebantur, quæque ex eorum chirographis habebantur appensa: inde etiam rotunda sigilla, quæ Pontificis appenduntur litteris, appellantur Bullæ: & à sigillis, ad ipsas litteras Bullæ nomen hoc translatum accipitur; vel sigillum sit cereum, vel plumbeum, vel alia quacunque materia extructum. Mendo *disp.* 1. *n.* 16. Mos iste, & consuetudo appendendi litteris Pontificis sigilla hujusmodi, ita habetur solemnis, ut fides non adhibeatur his, quæ sine sigillo tali pendente videantur, crimenque falsarii incurrat, qui vel sigillum tollit, mutat, rumpit, vel aliquid addit, vel detrahit litteris. *Idem n.* 17.

Resp. 2. Certum esse, Summos Ecclesiæ Pontifices, Bullam posse concedere, quandoquidem repetitam toties expedire videmus; & incredibile sit in rebus momenti tanti erravisse, & potestate propria cum excessu abusos. Probatur ultrà; quia quiquid in Bulla continetur, ad concedendas indulgentias, ad facultatem delegandi, ad facultatem absolvendi à culpis, & censuris, commutandi vota, dispensandi in præcepto jejunii Ecclesiastico, & his similia, & adhuc minora reducitur, quorum singula sigillatim Pontifici licet concedere. Cur ergo juncta simul non poterit elargiri? Neque obstat si dixeris, quòd gratiæ, quæ in Bulla conceduntur sint magnæ, ad quarum concessionem debet esse causa sufficiens, & non videtur sufficere eleemosyna à duarum drachmarum, quas taxat Commissarius, cujus arbitrio Pontifex taxationem reliquit. Non obstat, inquam, hæc objectio, quia finis optatus harum, est salus Ecclesiæ publica tuenda, depressio fidei hostium procuranda, defensio, & propagatio fidei habenda, terra denique Sancta recuperanda. Et quamvis in ordine ad negotium tantum, singulæ duæ drachmæ parum afferant subsidii, junctæ simul, quæ à singulis tribuuntur, plurimùm augent emolumenti.

Possunt etiam concedere Bullas in proprio territorio, quicunque valent concedere indulgentias, & alias facultates, modò concessiones cum potestate propria, & jurisdictione commentiantur, & causam inesse justam indulgentiæ præscierint concedendæ; quia in tali concessione, potestatis suæ non transgrediuntur limites profusiùs, & ultrà quàm possunt concedentes; præsertim cùm supponamus inveniri causam: ergo nulla est ratio, quare Bullas tales concedere nequeant; nisi forsan à Pontifice in Bulla sua, vel per novum præceptum aliquod prohiberentur. Lar. *l. trium. grat. Basil. Legio in explic. Bullæ manuscript.* Mendo *n.* 25. cum aliis contra Navarrum, & Rodriquez. Unde resolvuntur.

1. Has similium gratiarum Bullas expediri posse non tantùm in belli contra infideles subsidium, sed etiam in cujusque pii operis, quod sufficiens concedendi causa judicetur.

2. Deducitur etiam, non committi simoniam in accipienda eleemosyna pro Bulla præfinita: & hoc, non ideò, quia Pontifex dispenset in jure positivo, temporaliter pro spiritualis rei acceptione prohibente, ut le pretium pro spirituali rei acceptione prohibente, ut ait benè cum Navarro, Rodriquez: sed quia eleemosyna non accipitur, ut pretium temporale pro re spirituali, sed imponitur, ut onus dispensationi, ut simul sit commutatio, & ista strictiùs dispensandi ad trutinam justificetur causa. Quare advertunt Doctores, conferre imponi aliquod onus dispensationibus in favorem alicujus causæ piæ, tum ne invalida fiat dispensatio sufficientis defectu causæ, tum ne ita facilè in disciplinæ relaxatione, in Ecclesiasticæ petantur. Neque indulgentiæ conceduntur ejus pretii, & eleemosynæ munitu; sed proponuntur fidelibus, ut illarum spes luctandarum, eos alliciat ad pio illi operi eleemosynas subveniendum, vel causæ publicæ, vel indulgentiæ conceduntur ob affectum pium, & contributam remunerandam eleemosynam. Videatur Mend. *n.* 29. & 30.

Infertur ultimò: quòd, & Summus Pontifex, & cæteri, qui Bullas possunt elargiri, acceptas pro illis eleemosynas, alendis sibi ipsis, suisque familiis (ni aliqua in contrarium specialis obstiterit prohibitio) possint applicare. Mendo *n.* 32. contra Suar. & alios.

Dixi: *Ni specialis aliqua obstiterit prohibitio*: quia Episcopi Conc. Trid. *sess.* 25. *de ref. c.* 18. prohibentur accipere quidquam pro dispensationibus, ad seipsos alendos, neque consequenter pro expediendis Bullis. Sed quamvis Episcopi acciperent, licèt

obedien

obedientiæ deessent, non tamen simoniæ crimen incurrerent, non accepta eleemosyna pro temporali spiritualis rei pretio, sed imposita eleemosyna illa, ut commutationis onere, vel ut pœna criminis, quod sæpè ad dispensationes præcedit. *Idem num.* 32.

DUBIUM II.

Quibusnam Cruciatæ concedatur Bulla?

REsp Bullam Cruciatæ (ita vocatam à rubea Cruce, qua insigniebantur illi, qui ad expugnandam Terram sanctam advolabant, in quorum favorem primò concessa fuit) concedi nunc cunctis utriusque sexus fidelibus, in Regnis Hispaniæ, & Insulis eisdem Regnis adjacentibus; in Regnis Siciliæ, Sardiniæ; similiter in Regnis, locis, terris, populis, & dominiis terræ firmæ, & maris Oceani, vel aliter vocatis, quæ mediatè, vel immediatè, vel alio quocumque modo, Hispaniarum Regi subjiciuntur. *Ita in Bulla Lateranens.* Unde deducitur,

Bullam valere in cunctis, & singulis Hispaniæ Regnis, intra, & extra Europam; nec in illis duntaxat, quæ Regi Catholico subjecta sunt, sed etiam in illis, quæ denuò ejus armis subjugata fuere, modò arma, vel jura ad talia Regna, vel loca capessenda, Hispaniæ nomine, vel adjacentium insularum, vel Regnorum Siciliæ, vel Sardiniæ inducta sint. Et quia sub hoc nomine non comprehenduntur loca illa, quæ sunt Domus Austriacæ patrimonium, nec ea, quæ Catholico Regi in fœdere traduntur, ideò in istis Bulla non valet. Mend. *disp.* 3. *n.* 2.

Infertur secundò, non valere Bullam, in Regno, Insula, aut loco, quod ab obedientia Regis Hispaniarum cum rebellione secedens, alterius se Principis ditioni cum juramento submiserit; nisi Pontifex Bullam in favorem talis Regni, Insulæ, aut loci denuò concesserit. Dixi, non valere Bullam in Regno rebelli, quia eleemosyna, quæ ibi ex acceptis cogeretur Bullis, non in fiscum mitteretur Regium subsidio ad bellum contra infideles peragendum; & dicta Bulla, ut diximus, in favorem eorum conceditur, qui Hispano Regi in prædicto bello, vel armis, vel sumptibus, vel consilio adfuerint. *Idem n.* 3.

Colligitur tertiò: Quòd si aliquis de Provincia reducens rebellis, de cujus ad proprium Principem reductione agitur, mitteret eleemosynam, ut sibi ex obedienti parte remitteretur Bulla, iste talis Bullæ gauderet privilegiis, quia eleemosyna illa in subsidium belli cederet, Regique contra infideles bellanti deserviret; & ille, qui eleemosynam remittit ibi moratur locorum, & gentium, quibus Bulla concessa est cum tali onere eleemosynæ illius ad prædictum bellum clargiendæ; & talia loca, vel Regnum, adhuc Hispani Regis tenentur jure, quamvis tyrannicè, & infidè alterius Principis audierint vocem.

Dixi: *Recenter rebellis.* Quia si rebellio fuisset antiqua per sæcula, vel plures annos, & jam, ut præscripto jure ad alterius ditionem transiisset, qui tunc è tali Regno rebelli eleemosynam pro accipienda Bulla remitteret, Bullæ privilegiis minimè gauderet; quia tunc non censetur Pontificem concedere Bullam locis illis, quæ tale subsidium non tribuunt Hispano Regi, ut dominium, & ditio ejus. Et quamvis rebellio per multos annos non privet Regem jure proprio ad rebellia Regna, deducit illa Regna tamen ad extraneum dominium, ita ut vulgò illa Regna, vel Provinciæ non appellentur Regna, aut Provinciæ Regis illius, cui fregere fidem. *Idem n.* 4.

Infertur quartò: Quòd si aliquis accipit Bullam in loco, ubi valet Bulla, & postea tendit ad locum, ubi accepta non valet Bulla, potest adhuc ibi gaudere privilegiis ejusdem Bullæ; exceptis privilegiis vescendi ovis, & lacticiniis in diebus Quadragesimæ, & carnibus de consilio utriusque medici, spiritus, & corporis in diebus, quibus prohibentur. Exceptio ista patet ex ipsa Bulla, in cujus textu legitur: quòd durante ipsius Bullæ anno, conceduntur privilegia ista vescendi ovis, lacticiniis, & carnibus, ut suprà diximus, in Regnis duntaxat, insulis, & locis, quæ de ditione Hispani Regis extiterint, minimè verò extra illa: & cùm exceptio, ut ajunt consulti juris, firmet regulam in contrarium, cùm sola prædicta excipiantur privilegia, ne illis gaudere possint in alienis Provinciis degentes; sequitur, quòd si quis Bullam acceperit ibi valet, quamvis posteà ad Provincias illas fuerit, ubi non valet, poterit tamen reliquis gaudere privilegiis, cùm non excipiantur. Sylv. *V. Privilegium*, Villal. *t.* 27. *Int. à n.* 2. Rodr. §. 1. *d.* 1. Henr. *l.* 7. *c.* 20. *à n.* 3. Suarez *l.* 8 *de legib. c.* 26. *n.* 4. Mend. *d.* 3. *n.* 6.

Deducitur quintò: Quòd si alicui extra Regna Hispani Regis existenti, accipitur, & remittitur ab alio Bulla, iste talis extra dicta Regna existens, non poterit Bullæ gaudere privilegiis; quia privilegium respicit & locum, & personam: & qua ratione locum respicit, requirit, ut qui eo gaudere voluerit, eo tempore, quo Bulla accipitur, sit in eo ipso loco, cui Bulla conceditur. *Idem l. c.*

Habetur sextò: Quòd si alicui accipitur Bulla existenti extra loca, quæ Bulla gaudent, & intra annum, quo Bulla durat reditu rus sit ad loca ea, quibus Bulla conceditur, poterit gaudere Bullæ privilegiis, quando redierit. Ratio est, quia si iste cùm perveniret, acciperet Bullam, non est dubitandum, quin statim gauderet privilegiis Bullæ, ergo etiam gaudebit, quamvis antecedenter ad reditum ejus accepta fuerit ei Bulla, ejusque nomine eleemosyna largita. Et sufficienter salvatur locale privilegium, quod postulat existentiam accipientis Bullam in Provincia, ubi valet eo tempore, quo Bulla accipitur, quia iste talis censetur accipere Bullam quando redit. Quapropter videtur privilegio, qua parte locale est, satisfactum iri, cum assistentia in Hispaniæ Regnis, vel tempore accipiendæ Bullæ, vel intra annum promulgationis.

Habetur septimò: Valere Bullam omnibus extraneis, qui Hispaniam adveniunt, vel ad ea loca tendunt, in quibus Bulla valet, vel eorum marinos portus, vel ad commorandum ibi, vel ad negotia peragenda, vel ad peregrinandum, vel tantùm causa videndi illas terrarum plagas; quia Bulla conceditur non solùm his, qui in Hispaniæ Regnis, & Insulis, & ubique ditionis Hispaniæ Regis commorantur, sed etiam iis, qui ad istas oras adveniunt, ut constat ex textu Bullæ: *Consistentibus, & ad illa declinantibus. Idem n.* 12.

Habetur octavò: Valere etiam ei, qui ex Gallia ad Hispaniam venerat accipiendæ Bullæ dumtaxat causa, & statim redit ad Galliam; quia Bulla conceditur his, qui Hispaniam adveniunt, & non exprimitur causa, qua veniunt, vel ista, vel illa sit. Nec iste, qui causa prædicta Hispaniam venerit, aliqua in Bullam utitur fraude, quia in adeunda Hispania utitur jure suo, quod non est sibi prohibitum. Sed in Gallia non poterit gaudere privilegiis vescendi ovis, & lacticiniis, & carnibus, ut animadversum relinquitur in casu quarto. *Idem n.* 23. contra Ludov. la Cruz, & Turull.

DUBIUM IV.

Quantum temporis Bulla duret?

RResp. In Hispania per annum integrum durare Bullam, ut in ipsa sæpè repetitum legitur; qui annus incipit à die promulgationis Bullæ in quovis loco. Hoc etiam

etiam repetitur in Bulla, *à Crux in exp. Bullæ d.* 1. Difficultas est : An annus debeat numerari naturalis à die in diem, vel Ecclesiasticus ab una ad aliam promulgationem ? Circa quam difficultatem, tres leguntur opiniones. Prima asserit : Annum debere numerari Ecclesiasticum ab una ad aliam promulgationem. Secunda : Annũ debere numerari naturalem à die in diem. Tertia denique : Annum debere numerari Ecclesiasticum, si promulgatio sequens Bullæ prorogatur ultra annum naturalem; sed si promulgatio Bullæ sequens fiat antequàm annus naturalis desinat, tunc Bullam antecedentem durare, quousque annus naturalis transierit; quia aliter, non esset in favorem accipientis Bullam, anni Ecclesiastici duratio, si naturalis anni durationem minueret. Trull. *l.* 1. § 3. *d.* 11. Henr. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 3. Mendo *disp.* 21. *n.* 7. Jo. Sanct *in select. d.* 55. *n.* 3. cui acced. Anton. Gomez.

Hæc tertia opinio minus habet probabilitatis, quia in re censet annum durationis Bullæ, & naturalem esse, & Ecclesiasticum, cùm uterque simul esse nequeat. Aliæ duæ opiniones sunt probabilissimæ, & securæ in praxi; unde sequentes resolvuntur casus,

Primus : Quòd si Bulla accipitur post ejus promulgationem magis, vel minus solemnem, quamvis sit ante sermonem, potest accipiens gaudere privilegiis Bullæ. Sed si accipiatur ante promulgationem, non licet ejus gaudere privilegiis; quia Pontifex ait : Annum debere numerari à die promulgationis, id est, à promulgatione ipsa. Itaque inutile est ad privilegiorum usum, accipere Bullam aliquot diebus, vel horis ante promulgationem, quia tunc adhuc uti non potest. Vill. *t.* 1. *c.* 25. *n.* 6. Trull. *l.* 1. §. 1. *d.* 10. *n.* 2. Mendo *d.* 2. *n.* 2.

Secundus : Annum Bullæ non esse numerandum à die promulgationis Bullæ in Metropoli, Aula, vel urbe vicina, sed à die, quo in loco quolibet promulgatur; expressa nanque est Pontificis intentio, ut in loco quolibet etsi minimo promulgetur, ut à promulgatione numeretur annus. *Ibid.*

Tertius : Annum non numerari à die acceptæ Bullæ, sed à die promulgationis. Itaque qui ob negligentiam, vel impossibilitatem non accipit Bullam, nisi post multos dies promulgatam non debet annum à die acceptionis numerare.

Quartus : Non sufficere intentionem, & animum accipiendi Bullam, ut quis ejus gaudeat privilegiis, sed requiri actualem ejus acceptionem.

Quintus : Non sufficere, quòd quis speret alium pro se sibi Bullam accepturum, ut ipse privilegiis utatur Bullæ.

Sextus : Eum qui certò scit, domi suæ, vel in patria sua, à qua tunc abest, parentes proprios, vel personam aliam accipere pro se ipso absente Bullam tali die, & tempore posse gaudere Bullæ privilegiis; quia in negotio morali, tantùm valet illa certitudo quantum propria per se ipsum Bullæ realis acceptio. Mendo *ibid.* Dian. *p.* 8. *t.* 11. *Resp.* 90. contra Rodr. Vega, & Trull.

Septimus : Eum qui tempore promulgationis Bullæ invenitur in loco, ubi Bullam tam citò accipere non potest, hunc non posse præterita Bulla uti per totum tempus, quod sine accepta nova consumit Bulla; nisi forte antecedentis Bullæ annus non præterierit, quia tunc poterit privilegiis ejus gaudere usque ad anni naturalis complementum, sequutus secundam, & tertiam opinionem; quia privilegium, quod pro determinato tempore conceditur, transacto tempore cessat.

Octavus : Quòd in opinione, quæ annum Bullæ assignat Ecclesiasticum, non cadat probabilitate, eum qui Bullam accipit Matriti, ubi ante promulgatur, & vadit Cæsaraugustam ubi seriùs, posse uti Cæsaraugustæ privilegiis Bullæ acceptæ Matriti, quousque Cæsaraugustæ promulgetur sequens Bulla, numerato anno Ecclesiastico, non à promulgatione ad promulgationem Matriti facta, sed à promulgatione, quæ fit Matriti, usque ad promulgationem, quæ Cæsaraugustæ fiet; quia hæc debet præsumi Pontificis intentio, ne is, qui Cæsaraugustam Matrito venit, Matritum redire cogatur ad accipiendam Bullam, vel pro eo tempore carent ejus privilegiis, & gratiis. Sanch. *in select. disp.* 55. *à n.* 8. Trull. *l.* 1. §. 4. *dub.* 10. *nu.* 5. Mendo *disp.* 1. *nu.* 25. ubi plures affert.

Rogatur primò : An privilegium Bullæ, Pontificis concedentis morte, finiatur?

Resp. Affirmativam sententiam non esse communem, neque veram. Probatur *ex cap. Si super gratia, de officio & potest. Judic. Deleg. in* 6. Ubi ait Bonifacius Octavus, gratiam à Sede Apostolica factam, non expirare morte concedentis : sed Bullæ Cruciatæ, est gratia à sede Apost. facta non expirat morte concedentis.

Secundò quæritur : An Pontifex Bullam revocare possit?

Resp. Quòd si annus jam incæperit, non potest Pontifex intra annum Bullam revocare, nisi justa revocandi adsit causa, & recompensatio fiat his, qui Bullam accepere. Sed si non habeat, unde recompenset, & aliàs communi saluti expedit revocatio, absque recompensa illam revocare. Ratio est : quia quando privilegium est per modum oneros, & lucrativi contractus, qualis invenitur in Bullæ concessione, debet inveniri causa revocationis ejus ut fiat, & recompensatio fieri, quando habetur, unde possit recompensari. Et hoc postulat naturale justitiæ jus, quo tenetur Princeps adimplere ea, quæ cum subditis pactus erat. Ab hac tamen obligatione eximitur, quando communis salus dissolutionem expostulat pactorum, & aliàs recompensa fit his, qui insumpserunt. Sed si non habeatur, unde recompensatio fieri valeat, ut potest Princeps præ dominio excellentiæ, quo subditis præest, propriis subditos expoliare bonis, ut imminenti obviam fiat periculo communi, quando aliter vitari nequit; ita similiter eodem jure, & eodem excellentiæ dominio, poterit revocare privilegia; de quibus habetur sermo. Mendo *disp.* 2. *n.* 32. 33. 34. *&* 35. ubi alios citat.

Resp. 2. Quòd finito jam quolibet annorum sex, per quorum spatium concessa est Bulla, potest Pontifex illam pro arbitrio suo revocare, quia in hoc casu cessavere jam rationes illæ, quæ in præcedenti responso referuntur : & Bulla est gratia quædam à voluntate Pontificis dependens. Sed si pro tali concessione ad sexennium, acceperit à Rege Pontifex eleemosynam aliquam ad opus pium, recompensare tenebitur Pontifex, prout dictum est, quod etiam observandum est, si talis concessio Bullæ ad sexennium est remunerativa alicujus specialis obsequii Apostol. Sedi exhibiti, quod nondum remuneratum sit : præsertim si remuneratio ex justitia debeatur : & si obsequium, titulo gratitudinis fuit exhibitum, titulo etiam gratitudinis referri debet recompensatio. Et esse concessionẽ remunerativam gratitudini sufficit, ut privilegium, & concessio *illa* dicatur irrevocabilis, quia non tam abjectè de Principis generositate sentiendum est, ut obsequia in se collata, sine remuneratione contemni patiatur. Mendo *n.* 42.

Hic advertendum est : Quòd si revocatio fieret Bullæ, in Provinciis, & Diœcesibus *conc*is, talis revocatio nota fieri deberet; nam quidquid sit de promulgatione aliarum legum ad obligandum sufficiente; irritatoriæ, & revocatoriæ leges, debent ita promulgari, ut omnibus pateat talis earum promulgatio : aliter enim ignarorum conscientiæ maximo periculo jacerent expositæ. Sot. Sylv. Lud. à Cruz Trull. *l.* 1. §. 1. *d.* 13. *n.* 4. Unde *resolvitur*,

1. Quòd si revocata jam Bulla, aliquis revocationis ignarus, à *casibus* reservatis, virtute Bullæ absolveretur, valida foret talis absolutio; quia ita præsumendum est de mente Pontificis ad effugiendum plura animarum pericula. Henr. *l.* 7. *de Indulg. c.* 20. *n.* 1. qui citat Cajet. Sot. Mod. & Sylv. Mendo *d.* 2 *n.* 12. *&* 18.

2. Quòd si quis, de casibus reservatis cæpisset confiteri, & causa aliqua occurrente, confessionem suspendisset, & interim Bulla revocaretur, quamvis ei de revocatione constaret, potest & confessionem perficere, & absolvi; quia in causa inchoata non expirat jurisdictio, quoadusque perficiatur.

Quæritur tertiò: An revocetur Bulla Cruciatæ per anni Sancti aut aliud simile Jubilæum, aut per Bullam in Cœna Domini.

Resp. 1. per Jubilæa non revocari Bullam; quia ita declaravit Gregorius XIII. anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, ut Alphonsus Perez testatur, & Trullench; Clemens etiam VIII. anno millesimo sexcentesimo, ut notat Diana: Octavus etiam Urbanus anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, ut idem affirmat Diana. Et videmus Commissarium Bullæ jubentem ipsam promulgari in ipso anno Sancto, sicut in reliquis annis. Probatur etiam ratione suprà discussa; quia privilegium Bullæ concessum est per modum onerosi contractus. Mendo *num.* 48. ubi plurimos citat.

Resp. 2. Neque etiam per Bullam in Cœna Domini revocari Cruciatæ Bullam; quia Sixtus V. an. 1590. revocans in Bulla in Cæna Domini cuncta privilegia ad absolvendos casus illos, qui in illa reservantur, addit: nisi casus in Bulla in Cœna Domini reservati, in illis præsentibus litteris exprimantur: atqui casus isti exprimuntur in Bulla Cruciatæ, extensa facultate, quæ in illa tribuitur ad absolvendum ex illis casibus, ut constat ex textu: *Quamvis sint ex contentis in Bulla in Cœna Domini, & absolutio ab eis, reservata sit Sanctitati Pontificis, excepto hæresis crimine.* Ergo per Bullam in Cœna Domini non revocantur privilegia in Bulla Cruciatæ concessa.

DUBIUM IV.

Quænam personæ privilegiis Bullæ gaudere possint?

ARTICULUS I.

An qui Bullam accepit, in gratia esse debeat, ut privilegiis Bullæ potiri valeat?

Resp. Non esse necessarium, ut quis absolutè Bullæ privilegiis gaudere possit (non loquor nunc de indulgentiis, quas potest quis, & sibi, & defunctis lucrari, quia de his infrà sermo erit) quòd sit in gratia, sed posse gaudere illis, quamvis lethalis peccati cœno deturpetur; modò ne ista peccata sint ex aliquorum specie, quæ excipit ipsa Bulla, quibus peccatis quis est irretitus, non potest gaudere cunctis, vel aliquibus Bullæ privilegiis. Ratio est; quia Bulla non excludit à gaudio privilegiorum absolutè lethalis peccati reos, excipit verò *eos*, qui in quadam peccatorum mortalium specie jacent; *ergo* non illos, qui in alia specie, sed istos, qui assignata peccata habuerint, à gaudio privilegiorum expellit; quia exceptio, ut repetitum est, firmat regulam in contrarium. Navarr. *de indul. not. ab. n.* 19. Henr. *l.* 7. *de indulg. c.* 9. *n.* 6. Soto *in* 4. *dist.* 21. *qu.* 2. *ar.* 3. Trull. *lib.* 1. §. 2. *dub.* 8. Mend. *disp.* 4. *n.* 1. & alii, Mend. *disp.* 4. *n.* 3. & communes omnes. Unde resolvitur.

1. Non posse gaudere privilegio Bullæ aliquo eos, qui contra expeditionem ejus graviter peccant impedientes per malitiam promulgationem, vel usum Bullæ; quia ita expressè legitur in Bulla Latina.

2. Indulgentiam plenariam, quæ conceditur ad articulum mortis eis, qui subita morte rapiuntur, vel sine copia Confessarii, modò contriti moriantur, non lucrandam fore ab iis, qui indulgentiæ isti plenariæ fidentes, in confitendo, statuto ab Ecclesia tempore, negligentes fuerunt, quia Bulla disponit ita.

3. Eos, qui Compositionis Bullæ consii, aliena bona usurpant, vel Canonicas recitare negligunt Horas, non posse dicta Compositionis Bulla ad restituendum gaudere.

4. Hos, qui Bullæ fidentes peccaverint, posse reliquis Bullæ privilegiis gaudere, præterquàm indulgentia ad articulum mortis concessa, de qua suprà, & indulgentia Compositionis bonorum, quæ debent restitui; quia exceptio firmat regulam in contrarium, & cùm gaudium solum istorum privilegiorum excipiatur, reliquorum privilegiorum gaudium indulgetur. Covarr. *in regular. peccatum* 2. §. 2.

5. Meretrices posse gaudere Bulla; quia exclusis personis aliis, istæ non excluduntur. Neque obstat, quòd contrariam sequentes opinionem objiciunt: nempè eleemosynam, quæ pro Bulla tribuitur debere fieri *ex bonis sibi à Deo collatis*, ut in ipsa Bulla legitur, & bona quæ meretrices in eleemosynam tribuere possunt, à dæmone, ut per peccatum acquisita proveniunt. Non obstat inquam, quia ex aliis bonis, præterquàm ex usu venereo acquisitis, eleemosynam tribuere possit: unde ratio cessabit scrupuli. Ultrà: Quia verba illa: *Ex bonis sibi à Deo collatis* significant, eleemosynam fieri debere ex propriis accipientis bonis, non ex alienis injustè possessis; & quamvis meretrix in modo lucrandi peccet, possidet tamen justè quæ lucratur.

Hinc infertur sextò: Non posse gaudere Bulla eum; qui ex bonis malè per furtum, usuram, vel alio quovis modo ad restitutionem cogente habitis, eleemosynam pro accepta largitur Bulla. Ratio est: quia bona illa non tributa sunt à Deo illi, qui ex bonis per injustitiam habitis eleemosynam pro Bulla tribuit. Sed si ex mixta ex injustè, & justè habita pecunia, fiat eleemosyna, poterit accepta gaudere Bulla; quia tunc censetur eleemosynam ex propria pecunia dare, siquidem ejus intentio est, accipere Bullam eo modo, quo sibi profit; & non est putandum, invalidè egisse illum, qui validè agere potuit. Lo. *in l.* 54. *tit.* 14. *p.* 5. Cov. *l.* 1. *comment. c.* 11. *à n.* 2. Mendo *n.* 5. Nugnus *in* 3. *p. to.* 2. *tr. de Bulla*, Acosta *in Bulla Cœn. q.* 12. Vega *to.* 2. *sum. c.* 34. *cas.* 7. Dian. *tr.* 11. *Res.* 101. Mendo *n.* 6.

ARTICULUS II.

Utrum Catechumeni, pueri, Fatui, Excommunicati, & Hæretici gaudere possint Bulla?

Resp. 1. Catechumenos non posse. Ratio est, quia quidquid in Bulla continetur, vel est actus jurisdictionis, ut, puta, delegandi facultatem ad vota commutanda, & alia similia exercenda, vel actus proprius clavium, ut aperire Ecclesiæ thesauros, elargiendo indulgentias, & dispensationes, qui actus sunt proprii clavium, & non oratio mera; quorum actuum nullum valet Pontifex erga catechumenos exercere, quia extra Ecclesiam esse censentur, siquidem adhuc per speciosam Baptismi portam non intrarunt. Ergo istis Bulla minimè prodesse poterit. Mendo *n.* 7.

Resp. 2. Pueros, & Fatuos posse gaudere aliquibus Bullæ privilegiis, quorum capaces inveniuntur, ut, puta, quòd tales sepeliri possint modica pompa tempore interdicti, virtute Bullæ in loco sacro; & quòd in eodem tempore possit adhiberi Extremæ Sacramentum Unctionis fatuo, vel furioso moribundo, & si quæ sunt alia privilegia similia, quorum usui, mentis ille morbus non obstet. Probatur, quia non est ratio, qua talium isti privilegiorum capaces, neque Bulla distinguit inter ætates: quapropter interpretativè judicantur, & puer, & fatuus [illegible], quod sibi utile fuerit, & proficuum; & fatuo, qui piè vixit dum mentis extitit compos, neque Eucharistia negatur, nec Unctio Extrema; itaque poterit ille adhuc interdicti tempore ministrari, & tempore quovis indulgentia

dulgentia Bullæ applicari plenaria, poteritque ab excommunicatione absolvi. Mendo *n.* 12.

Resp. 3. Excommunicatum posse gaudere Bullæ privilegiis, exceptis indulgentiis; quia quamvis iste nequeat gaudere, nec uti privilegiis aliundè habitis, & obtentis, privilegia tamen Bullæ non obtinentur ab excommunicato, sed à Rege obtinente Bullam.

Dixi: *Exceptis indulgentiis.* Quia necessarius est status gratiæ ad lucrandas indulgentias, & si excommunicatus est pertinax, non est in statu gratiæ. Sed si non fuerit pertinax, & est in gratia, & aliundè non provenit ab ipso, quòd ipse non absolvatur *ab excommunicatione*, si aliàs *media ad indulgentias* obtinendas adhibeat, credendum est piè, Ecclesiam Matrem amantissimam nolle eum à bonorum tantorum participatione excludere. Mendo *n.* 13. cum Vill. Navarr. Rodr. Trull. & aliis, quos cit.

Resp. 4. Posse etiam hæreticos gaudere Bullæ privilegiis, eo modo etiam, quo excommunicatis concedimus, quia eadem erga istos invenitur ratio. Quod non solùm de hæretico interno intelligendum est, ut ait Ludovicus de la Cruz, sed etiam de externo, ut ait Trull. Sed dum in hæresi persistit externa, & non obtinet ab Inquisitoribus absolutionem, nequibit eligere confessarium virtute Bullæ, quia non potest absolvi à peccatis, dum excommunicationis vinculis, per hæresim detinetur irretitus, & non tribuitur illi facultas in Bulla, ut ab excommunicatione absolvatur. Mendo *n.* 14.

ARTICULUS III.

An Religiosi Bulla gaudere possint?

Resp. Quòd excepto privilegio eligendi confessarium ad reservatos casus (de quo infrà) possint Religiosi gaudere reliquis privilegiis, quæ illis in Bulla non denegantur. Hoc probatur ratione illa sæpiùs repetita. Quia exceptio firmat regulam in contrarium. In Bulla prohibetur Religiosis, ovorum, & lacticiniorum esus, per Quadragesimam, nisi sexagenarii sint, aut Militares: ergo reliquis privilegiis non privantur.

Quæritur: An possit Religiosus Bullam accipere absque licentia sui Prælati?

Resp. Probabilissimum esse, quòd possit. Ita communiter Expositores Bullæ: & etiam hæc valdè probabile, quòd non possit, ut probat Mendo *n.* 18. & quòd possit esse justa causa, quia Superior licentiam abnuat, & tunc accipiens Bullam deerit paupertatis voto, vel obedientiæ ad minus. Unde resolvitur,

1. Quòd si certò constaret, Prælatum injustè negare licentiam Religioso accipiendi Bullam, posset tunc Religiosus Bullam accipere, quia tunc prudenter existimatur, Pontificem eripere Religiosum à subjectione Prælati erga acceptionem Bullæ, cùm non adsit justa causa, cur tantum bonum amittat. Dixi, *Si certò constaret*, quia in dubio, Prælato adstandum est.

2. Quòd si Religiosus accepit Bullam, vel obtenta licentia, vel injustè negata, non potest Prælatus coarctare Religioso privilegiorum usum, nisi Pontifex ipso coarctaverit, vel coarctandi facultatem tribuerit Prælato, quia inferior non valet concessionem Superioris restringere.

3. Novitios, adhuc renuente Prælato, posse Bullam accipere, ejusque privilegiis absque limitatione uti; quia isti, Religiosorum nomine quoad favores, non quoad odia comprehenduntur. Henr. *l.* 7. *de Indulg. c.* 22. *n.* 7. Rodr. *in Bull.* §. 6. *n.* 9. & §. 12. *n.* 6. Trull. *l.* 1. §. 1. *dub.* 7. *n.* 1. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 9. *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 10. Mendo *n.* 22. & alii.

ARTICULUS IV.

An vivorum Bulla possit pro defuncto assumi in ordine ad aliquem usum?

Approbatur casus: Moritur quis, qui Bullam non acceperat vivorum. Circa defunctum istum quæritur: An pro eo possit accipi vivorum Bulla; ut vel absolvatur ab excommunicatione si in qua erat; & sepeliatur in loco sacro? Vel ut moderata pompa utatur in funere, tempore interdicti? Henr. *l.* 7. *de Indulg. c.* 20. *n.* 8. *in gloss. lit.* Y, z, piè sentit affirmativè; neque improbabile reputat Trul. Mendo verò *n.* 34. absolutè negat. Rationem reddit; quia Bulla ista vivorum dirigitur ad vivos, & pro vivis est concessa, ut ex illis verbis constat: *Y por quanto vos N. distéis dos reale de plata*, & eam debet accipere quisque sibi, vel acceptare acceptam sibi ab alio, ut ea possit gaudere, quorum nullum, accipere scilicet, vel acceptare potest defunctus, cùm ejus neque formalis neque virtualis, neque interpretativa voluntas possit haberi; quia, *illo* expirante, expirat voluntas omnis defuncti erga vivos.

Resp. Quòd si defunctus ante mortem non dispoluerat, ut sibi ad hos effectus acciperetur Bulla, veram Patris Mendo sententiam puto, quia ratio ejus est efficax. Sed si ante mortem commisit alicui, ut Bullam sibi, & suo nomine sumeret, valet illi Bulla, quia voluntas ejus permanet virtualiter ad hunc effectum, quemadmodum, & aliæ rei familiaris, & domus suæ dispositiones, quas post obitum suum reliquit habendas. Et ita in hoc casu secundo deficit efficacia rationis Patris Mendo.

DUBIUM V.

Quid debeat facere quis, ut Bullæ privilegiis gaudere possit?

Resp. Quòd vel debet ire ipse propriis expensis in exercitu ab Hispano Rege contra Turcas, aut infideles misso, vel aliud obsequii ad id ipsum præstare genus, vel adjuvare personaliter in dicto exercitu, per annum totum in ipso permanendo. Et qui personaliter non adfuerit exercitui, satisfaciet alium pro se mittens. Et qui nec iverit per se, vel alium miserit, taxatam à Commissario Bullæ eleemosynam, pro Bulla dare tenetur. Unde resolvitur,

1. Non gaudere Bulla, qui contra Turcas, aut infideles in alterius Principis exercitu, præterquam Hispani Regis pugnat.

2. Neque etiam quemcunque in exercitu Hispani militantem Regis, nisi contra Turcas pugnet, aut infideles, gaudere Bulla. Infidelium nomine comprehenduntur Hæretici, Pagani, & Schismatici.

3. Eum qui gratuitò, & sponte assistit exercitui, aut militiæ Senatui, vel confitendi, concionandi, aut celebrandi muneri, aut alterius cujusvis obsequii generi, etiam gaudere Bulla.

4. Militem, qui, stipendii parte aliqua accepta, restantem Regi remittit, quæ etiam sibi ex justitia debebatur, etiam frui Bullæ privilegiis, quia subvenit Regi ad bellum ea stipendii *parte*, quam parcit; quæ æstimabilior est quàm duæ *illæ* drachmæ, quas pro eleemosyna tribuunt hi, qui Regis castra non sequuntur.

5. Gaudere etiam Bulla morientes in eundo ad bellum, vel antequam *finiatur* annus, vel relinquit castra antequam bellum *desinat*, ob causam prudentum judicio legitimam, *ut*, puta, urgentem morbum, strictam familiæ, & propriæ domus necessitatem.

9. Similiter gaudere Bulla eos, qui bello adstiterunt, quod ante transactum annum fuit peractum; neque reliquam anni partem tenentur alias adire terrarum, ubi Regis exercitus contra infideles distringunt arma.

Quæritur primò : Quantum militum numerum expensis propriis mittere teneatur, qui non sequitur castra, ut Bullæ privilegiis potiri possit ?

Resp. 1. Quòd si iste talis est Cardinalis, Primas, Patriarcha, Episcopus, filius Regis, Dux, Marchio, aut Comes, quos commodè poterit, usque ad denarium expletum numerum mittere tenetur. Quod si tot non potuerit ad minus quatuor mittat.

Resp. 2. Alias quascunque personas cujuscunque conditionis existant, Clericos, aut laicos, singulos, militem unum mittere teneri, nisi eos egestas ab obligatione eximat ; quo casu, bini, terni vel quaterni mittent unum, contributa ab unoquoque mittentium pro facultate pecunia.

Resp. 3. Capitula Ecclesiarum, Monasteria Religiosorum utriusque sexus teneri pro denis Capituli, vel Monasterii personis, unum mittere militem ; cùm hoc anteà in Capitulo decisum fuerit.

Quæritur secundò : Quantam per Commissarii taxationem eleemosynam erogare debeant, qui militem ad bellum non mittunt ?

Resp. 1. Cardinales, Primates, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, qui habent jurisdictoné Episcopalem, Inquisitores, & Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, Duces, Marchiones, Comites, Commendatarios maximos, Proreges, Duces, Generales, Ambasciatores, Præsidentes, reliquos Consiliarios, Prætores Curiæ dicti *Alcaldes de casa y Corte de su Magestad*, Auditores Cancellariorum, & regiorum fororum, & Prætores, ideſt, *Alcaldes del Crimen*, Fiscales Senatuum, & regiarum audientiarum, Numeratores Regiæ Majestatis, eos qui in maximis numerorum Curiis rei familiaris, & numerantis rationis in Sanctæ Cruciatæ Senatu versantur, Auditores, & Fiscales ejus, & Secretarios Regiæ Majestatis, & Commendatarios commendatos omnium, Dominos vassallorum, uxores virorum istorum sæcularium, quos nominavimus, viventibus viris suis, singuli, & singulæ argenteos octo Castellanos pro Bulla sibi accepta erogare teneri.

R. 2. Reliquas personas, cujuscunque status, & conditionis existant, duobus tantùm argenteis satisfacere.

R. 3. Ad Indias, eleemosynam aliam esse taxatam, quam v. Trull. *l.* 1. §. 3. *d.* 1. *n.* 2.

DUBIUM VI.

Resolvuntur difficultates aliquæ circa dicta in dubio proximo.

Quæritur primò : Utrum ultra titulos, qui nominantur eorum, qui milites decem mittere tenentur, ut Bullæ gaudeant gratiis, alii etiam tituli teneantur, quorum ibi mentio non sit facta ? Resp. etiam comprehendi Proceres alios ejusdem, aut majoris tituli secundùm communem æstimationem. Sed non comprehenduntur hi qui sunt minoris tituli, ut Vicecomites, & alii similes ; quia quamvis isti sint ditiores aliis, attendit Pontifex, vel ad *id*, quod frequentiùs accidit, nempè supériùs nominatos, magi saffluere, vel ad titulorum præeminentiam, qua cæteros excedunt, & ob ipsam onus illis imponit gravius. Mend. *d.* 7. *n.* 5.

Quæritur secundò : An qui personaliter adeunt bellum, qui militem pro se mittunt, quod alio titulo facere tenebantur, ut puta, lege, præcepto Regis equites habitu insigniti, & proceres, gaudeant Bulla ? Resp. affirmative, quia uno, & eodem actu potest duplici obligationi fieri satis, v. gr. uno, & eodem jejunio, & præceptum adimpleri Ecclesiasticum, & pœnitentia à Confessario imposita.

Tertiò quæritur : An hi qui possunt, & tenentur mittere decem milites, mittentes quatuor, vel hi, qui non possunt mittere quatuor, qui est minimus militum numerus, missi duobus, vel tribus, gaudeant Bulla ? Mend. *n.* 9. negativè respondet ; quia non adhibent requisitam, & petitam conditionem, nempè mittere decem si possunt, vel ad minus quatuor, si facultas major non habetur ; sed consequenter magis ad suam doctrinam posset affirmativam ferre sententiam, Quia *n.* 4. *d.* 5. asserit, militem à quo petitur pro requisito ad gaudium Bullæ adire gratiosè, & sine stipendio bellum, posse frui Bulla, quamvis accipiat aliquid de stipendio, quod pro mercede solvitur modò remittat aliquam partè debitæ mercedis. Et rationem reddit Mendo : quia in eo, quod remittit, majus tribuit subsidium, ad bellum quam si duos porrigeret argenteos, qui vulgò pro Bulla dantur potiunda. Ergo, etiàm ille, qui potens mittere decem milites, minorè mittit numerum, vel, qui non potens mittere quatuor, mittit duos, aut tres, gaudebit Bulla, quia in militibus illis missis, majus adfert subsidium, quam si octo tribueret argenteos, quæ est taxata nobilibus eleemosyna à Commissario, quamvis possint mittere illos decem, & illos quatuor milites. Et hanc sententiam puto probabilem.

Quartò quæritur : An ii qui unum militem mittere tenentur, & cùm possint, non mittunt, sed simul cum aliis personis contribuunt, ut mittatur unus, & alatur per integrum belli durantis annum, gaudeant Bulla ? Mendo respondet negativè. Sed consequenter ad dicta respondeo : quòd si id, quod contribuunt, est subsidium majus, quàm duo illi argentei, qui pro Bulla tribuuntur, probabile est, posse gaudere Bulla.

Quæritur quintò : quidnam intelligatur per Capitula, & Monasteria, quando eis imponitur, ut pro denis quibusque personis militem unum mittant ?

Respondeo primò : Quòd quamvis per Capitula, intelligantur vulgò, Capitula Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, est tamen probabile ampliari, & extendi etiam ad Capitula parochiarum, ubi est Rector, aut Prior, & Beneficiati, qui capitula celebrant, & in eis discutiunt, ventilant, & decidunt ea, quæ Ecclesiis suis congruere videntur. Itaque indultum hoc potest etiam extendi, & ampliari ad has Ecclesias, quia & iis, & Regi propitium. Mend. *n.* 8.

Respondeo secundò : Per Monasteria intelligi quascunque Religiosorum utriusque sexus Communitates, quamvis alio nomine appellentur, v. g. Collegia, Domus, &c. Non verò intelliguntur aliæ Communitates, v.g. Collegia sæcularium, Confraternitates, &c. *idem n.* 7.

Sextò quæritur : An miles missus ab istis Communitatibus pro denis quibusque, unus debeat necessariò de Capitulo mittere consulto ? Respondetur : Necessarium esse in Communitatibus illis, in quibus non potest disponi de bonis Communitatis sine Capituli deliberatione : sed minimè necessarium in iis, in quibus disponi potest de iis bonis ad pia opera, sine deliberatione tali.

Quæritur septimò : An in prædictis Communitatibus, quando excedunt ipsi in Communitate commorantes numerum decem personarum, sed ad viginti non perveniunt, duos tunc milites mittere teneantur ? Resp. negativè ; tantùm enim obligantur, tunc ad mittendum ultrà militem, ratam illam partem, quæ excedentem denarium numerum attingit.

Octavò quæritur : An milites, qui aliorum sumptibus ad bella mittuntur, Bullæ etiam gaudeant indulgentia ? Resp. affirmativè, si pauperes sint, nam ita expressum in Bulla legitur. Et adhùc si, durante belli anno, ditescant, vel ex arreptis ex hoste spoliis, vel ex præmiis, quæ ex rebus gestis meriti fuerunt, minimè expensis sè propriis alere tenentur, ut indulgentiam lucrentur Bullæ, quia illa fortunæ pulchrior facies per accidens arrisit illis, & sufficit pauperes fuisse, quando ad bellum missi fuere.

Quæritur nonò : An si miles ab aliquo missus, vel non intrat, vel relinquit bellum culpabiliter ante expletum annum, tunc is qui misit illum gaudeat Bulla ? Resp. affirmativè, si iste jam fecisset expensas debitas, &

& sumptus, quia quantùm in se fuit, postulata implevit.

DUBIUM VII.

De aliis difficultatibus, tam de Clericis, quàm Religiosis, qui adeunt bellum, ut milites in spiritualibus adjuvent.

NOn tantùm conceduntur Bullæ privilegia sæcularibus, qui expensis propriis per unum annum pugnaverint, vel alio quocumque obsequii genere, Regis exercitum adjuverint; sed etiam Clericis sæcularibus, qui de licentia Ordinariorum suorum, & Regularibus, qui de licentia Superiorum suorum, verbum Dei in exercitu prædicaverint, vel alia Ecclesiastica ministeria, & pia exercuerint; quibus aliqua specialia conceduntur privilegia, de quibus aliquæ difficultates resolvuntur.

ARTICULUS I.

Quidnam hic nomine Clericorum, & Regularium intelligatur? Et quamnam licentiam habere debeant, ut exercitum adeant? Et quæ ministeria ibi exercere teneantur?

RESP. 1. Clericorum nomine intelligi eos, qui habent aliquem Ordinem, à prima Tonsura (si hæc potest vocari Ordo) usque ad ultimum; & in hoc sensu loquuntur frequenter, & Jura, & Concilia, & in eodem sensu potest accipi in Bulla Clericorum nomen, quia favores sunt ampliandi. Itaque potest gaudere Bulla quicunque aliquo Ordine fuerit initiatus, serviens per annum integrum exercitui in piis ministeriis; nisi fortè iste prima initiatus Tonsura, privilegia amiserit Clericalia, vel quia mutarit habitum, vel alio casu quocunque, quia iste jam non reputabitur Clericus.

Resp. 2. Regularium nomine, quoad casum, de quo agimus, intelligi etiam laicos, vel conversos, eadem ratione; ideò, quia favores sunt ampliandi. Et quamvis videatur, ministeria confessionis audiendæ, neque concionis habendæ, &c. istis non incumbere, possunt tamen alia ministeria pia, & misericordiæ opera exercere; quod videtur annuere Bulla, atque istos ipsos comprehendere cùm ait: *Ministerios Ecclesiasticos y pios*, distinguens Bulla alia ministeria pia ultra Ecclesiastica ministeria concionandi, & audiendi confessiones, &c.

Resp. 3. Licentiam Ordinarii, ut Clericus sæcularis exercitum adeat, non esse necessariam, ut sit expressa; sed sufficere, quòd sit per ratihabitionem, scilicet quòd videat illum proficisci, & consentiat: quamvis licentia ad audiendas confessiones, & alia similia ministeria, expressa debeat esse; quia ita Pontificis intentioni fit satis. Mendo *d. 9. n. 8.*

Resp. 4. Religiosos indigere expressa Prælati licentia, quia ita exigit, & optima gubernatio, humilis subjectio, quam Religiosi profitentur.

Resp. 5. Neque etiam Clerico sæculari licentiam sufficere interpretativam, nempè putare, sibi ab Ordinario non denegandam, si peteret: quia cùm hæc licentia sit velut approbatio personæ, ut illi ministeria pia, & eorum exercitia in exercitu committantur, nemo potest à seipso eligi Judex sui ipsius, ut se approbet ipsum.

Resp. 6. Clerico tam sæculari, quàm Regulari sufficere licentiam implicitam, & virtualem, quando hæc includitur in alia sententia expressa: ut, puta, si habet licentiam à Prælato unusquisque proprio, discurrendi, & prædicandi per universi Regni partes, cùm exercitus adsit intra Regnum, censetur etiam ad exercitum habere licentiam.

Resp. 7. Quòd quantum ad ministeria, debeat unusquisque ea exercere, quæ sui ordinis propria exiterint, quæ si, oblata occasione, non exercet, sed in exercitu oculosus assistit, Bullæ privilegiis non gaudebit. Qui autem nullo Ordine insigniuntur, ut Religiosi laici, exercentes quodlibet Misericordiæ opus, vel corporale sit, vel spirituale, privilegia Bullæ lucrabuntur, quia ministeria pia jam exercent.

Resp. 8. Sacerdotem, qui cum licentia Ordinarii, vadit ad territorium alienum, ubi tunc exercitus invenitur, non posse, attento jure communi, sine approbatione Ordinarii illius territorii, vel Ordinarii exercitus, si habetur, audire confessiones aliorum, nisi eorum tantùm, qui ex Diœcesi sunt propria, secundùm opinionem illam, quæ docet: Approbationem Confessarii debere esse factam ab Ordinario pœnitentis. Et cùm jurisdictio fori Pœnitentiæ non sit contentiosa, potest hæc exerceri in territorio alieno, quamvis non inter alienas personas.

Resp. 9. Parocho non sufficere licentiam Ordinarii, ut exercitum adeat, sed egere ipsius Pontificis licentiam, quod idem sentiendum est de Episcopis, & omnibus illis, quibus cura incumbit animarum.

ARTICULUS II.

Quænam particularia privilegia concedantur Clericis, & Regularibus ad exercitum euntibus.

RESP. 1. Cum Clericis, & Regularibus habentibus beneficium dispensari in residentia illius, facultatemque concedi, ut per idoneos substitutos beneficio inserviant, dum illi exercitui adsunt. Circa quod, resolvitur.

1. Privilegium hoc non intelligi erga eos, qui curam habent animarum, nisi à Pontifice licentiam obtinuerint, exercitum adeundi.

2. Eos, qui habent Regulare beneficium curæ animarum, posse adire exercitum cum licentia sui Prælati, quia ob eamdem occasionem dandum erat beneficium alteri, non ut Vicario euntibus ad exercitum, sed ut haberet illud eodem titulo, quo ille, qui ad exercitum vadit, habebat beneficium. Et quamvis ista Regularia beneficia inspecta secundùm se, & suam institutionem, sint perpetua jura percipiendorum fructuum, oportuit tamen, tam ad Religiosæ disciplinæ observantiam, quàm ad omnimodam subditorum obedientiam, ut in arbitrio iis superiorum, beneficiorum talium administratores mutare. Itaque perpetuum illud jus percipiendorum fructuum, est jus Religionis, aut Monasterii; & Religiosi illi, quibus beneficium incumbit, vocari debent Administratores, aut Vicarii Religionis, aut Monasterii; Nisi aliquis eorum possidere possit perpetuò beneficium per Pontificis concessionem.

3. Non posse gaudere prædicto privilegio Prælatos Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, quamvis animarum curam non habeant. Ratio: Quia residere tenentur, & Ecclesiæ istæ non admittunt substitutos alios præter Coadjutores, Pontificis indulto. Neque etiam ex vi hujus privilegii, tenentur consentire in substituendis Vicariis idoneis, quia detraherent auctoritati, & exemptionibus propriis. Itaque non debet intelligi, privilegium istud concessum fuisse in præjudicium istarum Ecclesiarum. Sed de Capituli consensu possunt tales Prælati exercitum adire, si rationes inventæ fuerint urgentes, ut eant; quia Capitulum potest licentiam præbere ad absentiam, quando causa adest legitima, quæ præponderat residentiæ.

4. Reliquos, qui ad exercitum euntes, relinquunt Vicarios idoneos, qui beneficio inserviant, percipere beneficii fructus adhuc cùm in exercitu manent; detracta tamen inde parte ad Vicariorum sustentationem congruente. Vocantur idonei Vicarii isti, cùm habent scientiæ sufficientiam, ut beneficiorum virtutis, & obligationibus satisfaciant. Hos potest ipse assignare, pro quo substituuntur.

R. 2. De omnibus tam Clericis, quàm Regularibus

ad exercitum euntibus, declarat, licitum esse sibi assistere in exercitu ministeriis suis, quin aliquam ob id irregularitatem incurrant; circa quod resolvitur,

1. Non licere illis per hoc privilegium pugnare, quin irregularitatem incurrant.

2. Posse exercere ministeria pia, inter quæ numerati potest, exhortari milites, ut vincant, & fidei hostes jugulent. Sed quia in hac exhortatione, poterant scrupulosi viri irregularitatem timere, vel in assistendo hostium jugulationi, quamvis operibus piis detenti; Generalis Cruciatæ Commissarius declarat, in nullo istorum illos irregularitatem incurrere.

Quæritur: Quomodo declaret istud Commissarius?

Resp. Duplici via declarare; vel proponendo, ut securam in praxi, opinionem docentem, non incurri irregularitatem in exhortando milites in bello justo, ut strenuè pugnent, præcipuè contra fidei hostes; vel interpretando, quòd posito ob exhortationem irregularitatem incurri, dispenset Pontifex in jure talem irregularitatem inducente, ne Clerici, & Religiosi incurrant ob tales exhortationes ad milites factas. Certum quoque est, Commissarium habere facultatem interpretandi quidquid in Bulla non clarum extiterit; modò interpretatio, & declaratio expressis ejusdem Bullæ verbis non opponatur.

DUBIUM VIII.

De aliis duobus privilegiis, quæ militibus conceduntur.

DUo privilegia conceduntur militibus, qui huic bello adfuerint, vel declaratur, duo licere illis. Primum, non jejunare tenentur. Secundum, occupari diebus festivis in laboribus, & negotiis ad belli usum necessariis. Circa quod, resolvitur,

1. Privilegium non jejunandi, liberare milites à jejunio, vel ex voto, adhuc in illis diebus, quibus non excusantur aliqua causa legitima sufficiente excusare quemlibet alium.

2. Quòd quamvis in diebus, quibus præcipitur jejunium, ab eo excusentur, non ideò carnibus vesci possunt. Ratio: Quia præceptum Ecclesiæ non tantùm prohibet vescendas carnes eis, qui jejunant, sed etiam eis, qui jejunare non tenentur, ut patet in adolescentibus, qui nondum vigesimum primum annum implevere.

3. Quòd si dies ille, quo ex voto jejunare tenebantur, non est ex diebus, in quibus ab Ecclesia prohibentur carnes, dependet ab intentione, qua voverunt, an liceat comedere carnes, vel non liceat: quia obligatio voti non patet latiùs, quàm voventis intentio. Quare si habuit intentionem non obligandi se ad abstinentiam carnium die, qua integram jejunii formam observare nequiret, aut per legitimam causam licitum illi foret talem jejunii formam non observare; tunc poterit ipsa die carnes comedere, non obstante jejunii voto, quia nullum est præceptum talem carnium esum prohibens. Si autem vovit absolutè se tali die jejunaturum, non poterit illo die comedere carnes, qui communi omnium sensu, quando non de contraria intentione constat, intelligitur, eum qui vovit jejunium, contrahere per votum obligationem, quam præceptum inducit Ecclesiasticum, nempè abstinentiam à carnibus. Et sicuti non potest comedere carnes, qui jejunii præcepto non tenetur, sic similiter, qui à jejunio, quod vovit excusatur, carnibus etiam debet abstinere. Patet hoc in jejuniis, quæ loca quædam in profesto alicujus voverunt Sancti, quibus profestis, & jejunii diebus non licet carnium esus his, qui vel labore, vel aliqua causa legitima à jejunii onere non excusantur.

4. Privilegium non jejunandi diebus prædictis, tantùm concedi militibus, qui expensis propriis in exercitu militant, vel iis, qui ob paupertatem alienis sumptibus assistunt exercitui, vel iis, qui etsi non sint pauperes, & pro stipendio serviant, partem tamen aliquam debitæ mercedis, remittunt, quia etiam istos diximus gaudere Bullæ privilegiis, propter rationem redditam resolutione quarta dubii quinti. Sed non conceditur privilegium istud accipientibus integrum stipendium, si non sint pauperes; neque etiam Religiosis, & Clericis, qui exercitum adeunt, fortasse, ut jejuniis, & Orationibus, optatum belli eventum adstruant.

5. Non solvi milites ab obligatione audiendi Missam diebus festivis, si aliàs possint; quamvis diebus iisdem festivis possint occupari laboribus, & negotiis belli.

6. Non concedi militibus uti hoc privilegio, occupandi se diebus festivis, laboribus, & negotiis belli, quando necessitas evidens expostulat, quia nunc, privilegio non egent, & negotia ista in alium diem differri possent, sed festivo die possunt fieri accommodatiùs; vel quando dubitatur, an opus sit, necne, ut sine scrupulo hæc faciant, Et privilegium hoc favet dumtaxat militibus iisdem, quibus privilegium non jejunandi adstipulatur.

DUBIUM IX.

De aliquibus difficultatibus erga taxationem eleemosynæ pro Bulla.

DIximus in dubio quinto, quas quantitates taxet Commissarius ad varias personas. Nunc resolvemus aliquas super ista materia difficultates.

1. An possit gaudere Bulla, qui statim non erogat eleemosynam? Respondetur affirmativè, modò assignet diem, quo erogabit; quia Confessarius jubet eos, qui summaria Bullarum dispertiunt, ut Bullas creditò porrigant his, qui assignata die promittunt se soluturos, quamvis statim non solvant.

2. An uxores eorum, qui argenteos octo pro Bulla porrigere tenentur, quamvis illæ non habeant bonorum administrationem, debeant porrigere eosdem argenteos octo pro Bulla, viventibus maritis? Resp. affirmativè. Quia Commissarius in hac taxatione non attendit, an uxores habeant talem administrationem, necne, quæ quidem administratio, frequenter denegatur fœminis; sed attendit specialem dignitatem, in qua sunt constituti viri earum.

3. An defunctis maritis, debeant uxores eosdem octo argenteos erogare; Resp. negativè, nisi permaneant illæ usufructuariæ, ut advertit Trul. quia tunc verè permanent vassallorum dominæ. Et circa hunc casum ait Mendo: Dominum proprietatis non teneri octo illos argenteos porrigere, quia non est dominus absolutus, dum usufructu caret. Sed contrarium videtur probabile, si dominus iste proprietatis gaudet jam titulo, & aliquibus præeminentiis, quamvis non accipiat fructus, quia in istis taxationibus, magis attenditur excellentia personarum, quàm reditus, & proventus, ut Mendo idem advertit.

4. An si duo sint domini loci ejusdem, unusquisque eorum, argenteos octo erogare teneatur? Respondetur affirmativè: quia unusquisque gaudet prærogativa domini vassallorum, quod attendit Commissarius in taxanda Bulla.

5. An qui habet jurisdictionem in loco, sed non est dominus domuum, agrorum, & redituum, ut eosdem octo porrigere argenteos? Respondetur negativè; quia non est dominus vassallorum, cùm non habeat jurisdictionem ad tale dominium requisitam.

6. An

6. An debeat eosdem argenteos octo porrigere, qui habet dominium, & jurisdictionem in aliquo termino agri, in quo non sunt vassalli, vel quia deseruerunt terminum, vel quia nunquam in eo habitarunt? Videtur debere, quia potest dominus iste apprehendere, & punire delinquentes in illo termino. Potest etiam ad illum incolas conducere, & in hoc casu argenteos octo reddere teneretur.

7. An quando in uno inveniuntur tituli plures, pro quorum singulis separatis deberet octo reddere argenteos, toties debeat octo argenteo: erogare, quoties titulo obligante insignitur? v.g. Consiliarius Regius, qui etiam est Comes, dominus vassallorum, & Commendatarius, ob quatuor istos titulos, quater argenteos octo debeat erogare? Respondetur negativè: quia Commissarius non assignat plus; nec præsumendum est, aliam esse Commissarii mentem, quia jam expressisset, in re præcipuè toties occurrente.

DUBIUM X.

De Indulgentiis Bullæ.

QUamvis inter Bullæ Indulgentias varias, alia privilegia misceantur, quidquid ad indulgentias attinet, in hoc dubio cumulabimus: reliqua verò privilegia, ad sequentia dubia remittentur.

ARTICULUS I.

Quænam Indulgentiæ concedantur in Bulla?

RESP. 1. Eis, qui propriis expensis adeunt exercitum, vel mittunt alios, & eis etiam, qui mittuntur, si pauperes sint, & iis etiam qui gratuitò, & spontaneè ad pugnandum, vel ad quodlibet obsequii genus ad exercitum vadunt, ut dictum est, Plenariam concedi Indulgentiam.

2. Accipientibus Bullam, dantibusque eleemosynam assignatam, concedi semel in vita, & iterùm in articulo mortis, ut possit illis Plenaria applicari Indulgentia.

3. Jejunantibus in diebus aliàs non præceptis, & orantibus, & implorantibus divinum auxilium pro victoria contra infideles obtinenda, precantibusque Dei gratiam pro unione, & confœderatione inter Christianos Principes, & si jejunare ob impedimenta legitima non valuerint, & aliud quodcumque pium de arbitrio Confessarii, aut Parochi exercuerint opus, toties quoties id fecerint durante anno, conceduntur eis, & relaxantur misericorditer quindecim anni, & quindecim quadragenæ Indulgentiæ, & remissionis pœnitentiarum sibi impositarum, & quocumque modo debitarum: & quòd etiam participes sint omnium orationum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam earum, quæ ad Hierosolymam fiunt, & aliorum quorumcumque piorum operum, quæ in tota Militante Ecclesia, & singulis ejus membris, quacumque Terrarum diffusa parte, quotidiè patrantur.

4. Iis, qui diebus Quadragesimæ, quibus Romæ assignata est statio, visitaverint quinque Ecclesias, aut Altaria, aut ubi non fuerint quinque Ecclesiæ, aut Altaria, Ecclesiam unam, aut Altare quinquies, & ibi devotè oraverint pro unione, & victoria supradictis, concedi omnes Indulgentias, & remissiones, quæ conceduntur visitantibus Ecclesias Romæ, & intra, & extra urbem.

Hæ sunt indulgentiæ Bullæ, & quia in illis sunt difficultates variæ, enodantur sequentibus hujus dubii articulis.

ARTICULUS II.

De Indulgentia Plenaria, quæ euntibus, vel mittentibus ad exercitum conceditur.

SUppono primò, ut certum, Euntes ad exercitum, vel mittentes pro se alios, ut dictum est, gaudere cunctis Bullæ privilegiis quibus gaudent ii, qui pro Bulla erogant eleemosynam, quia præcipuè magis pro illis, quàm pro istis concessa est Bulla.

Suppono secundò: Euntes ad exercitum, vel mittentes non indigere ad lucranda Bullæ privilegia, tam vivorum, quàm defunctorum, accepto Bullæ summario, ut indigent hi, qui non euntes, vel mittentes tribuunt eleemosynam. Tamen hoc privilegium non extenditur, neque intelligitur quoad compositionis Bullam. His suppositis,

Quæritur primò: An Indulgentia plenaria, quæ conceditur initio Bullæ euntibus ad exercitum, vel mittentibus alios, sit eadem Indulgentia, quæ postea conceditur accipientibus summarium Bullæ, ut applicetur sibi semel in vita, & iterum in mortis articulo?

Respondetur affirmativè, ut communiter omnium tenetur plausu; unde resolvitur,

1. Tam euntem, quàm mittentem ad exercitum, plenariam posse lucrari indulgentiam semel in vita, & iterum in mortis articulo; quia non putandum est, minus istis concedi, quàm accipientibus summarium.

2. Quòd quamvis is, qui vadit, aut mittit ad bellum applicet Indulgentiam plenariam pro animabus Purgatorii per modum suffragii utens privilegio sibi à Pontifice concesso, potest etiam eandem Indulgentiam plenariam lucrari sibi; tum quia gratiæ, & privilegia debent ampliari, tum quia majoris æstimationis, & subsidii est, quod isti tribuunt euntes, vel mittentes ad bellum, quàm id, quod tribuunt accipientes summarium Bullæ vivorum, & defunctorum. Ergo si sumentibus duo illa summaria conceduntur istæ gratiæ, potiori jure tenendum est, concedi etiam euntibus, aut mittentibus ad bellum, quia aliàs, parciorem se erga istos, quàm erga illos gereret Pontifex. Mendo *d.* 12.

Secundo quæritur: An ad istam lucrandam Indulgentiam confessio requiratur actualis?

Respondetur affirmativè, quando quis confiteri potest: Sed si non potest, sufficit confitendi desiderium; quia Bulla ait: Indulgentiam istam, & remissionem omnium peccatorum concedi. *Si fuerint contriti corde, & ore confessi, vel non valentes confiteri, corde desiderarint confessionem.* Et hæc opinio debet, ut magis severa cura suaderi, ut docet Suarez, quamvis probabilem reputet contrariam, quam docet Diana cum aliis, quos ipse refert putans, quòd quando una Indulgentia conceditur contritis, & confessis sufficiat contritio ad lucrandam Indulgentiam. Suarez *tomo* 4. *in* 1. *p. d.* 52. *s.* 3. *à n.* 10. Diana *tomo* 1. *tr.* 11. *Ref.* 125. Unde resolvitur.

1. Quod quamvis ad lucrandam Indulgentiam istam, doceatur lucraturos debere esse contritos, & confessos, sufficere confessionem cum attritione, quæ quidem attritio, sub nomine contritionis comprehendi solet, quamvis imperfectæ: quia Pontifex dumtaxat intendit assignare partes essentiales, quæ sufficienter Sacramentum constituunt Pœnitentiæ.

2. Non sufficere confessionem factam ante tempus, in quo lucranda est Indulgentia, neque confessionem, quæ fit intra tempus, in quo quis Indulgentiam lucrari potest, si quando adhibetur ultimum requisitum ad ejus lucrum, non est quis in gratiæ statu; qui quidem status requiritur, ut quis sibi lucretur Indulgentiam.

3. Illum qui bona fide confessus est, quamvis invalidè, quia putavit, Confessarium habere potestatem ad absolvendum, quam quidem non habebat; ubi primùm in gratiæ statu per contritionem collocatus fuerit, lucraturum indulgentiam: hæc namque est absque dubio mens, & animus Pontificis, scilicet, ut lucretur illam ille, qui confessus est benè, quantùm fuit ex parte sua. Quod idem dicendum est de eo, qui confessionem fecit informem, si forsan hæc datur, & de eo, qui ob naturalem oblivionem, mortalem culpam non in confessione reliquit. Sed omnes isti supradicti, si antequàm ultimum adhibeant requisitum ad

Indul

Indulgentiam lucrandam, advertunt defectum, debent, ut illum suppleant, iterum confiteri: Mendo *d.* 6. *n.* 39. & 40

4. Eum, qui solùm peccata venialia in se cognoscit, non teneri ad confessionem pro obtinenda Indulgentia *Idem n.* 41.

Tertiò quæritur: Quandonam Indulgentiam lucrentur istam, qui ad exercitum tendunt?

Respondetur; Quòd in opinione magis certa in fine anni lucrabuntur Indulgentiam, quia tunc adhibetur ultimum requisitum, vel annus sit solaris vel sit annus integer in prudentis æstimatione, quamvis aliqui desint dies. Sed in opinione benigniori, toties quoties pœnituerit eos, & confessi fuerint intra annum, quo sunt in exercitu, lucrabuntur illam; quia contritio, & confessio jubentur, ut media requisita, & Indulgentia conceditur absolutè non coarctata ad unam vicem. Itaque neque nos illam coarctare debemus. Mendo *d.* 6. *n.* 52. Villalob. Rodr. Dian. *tr.* 11. *R.* 109.

ARTICULUS III.

De Indulgentia Plenaria quæ conceditur accipientibus sub marium Bullæ.

HÆc Indulgentia, quamvis sit eadem, quæ conceditur euntibus ad exercitum, aut mittentibus, certum tamen est, accipientibus Bullam non posse applicari, nisi semel in vita, & semel in mortis articulo, quia hæc coarctatio & limitatio legitur expressa in Bulla. Unde resolvitur.

1. Ei, cui semel applicata fuit in articulo mortis, si posteà convaluerit, non posse applicari iterum virtute ejusdem Bullæ, si iterum in articulum mortis inciderit. Quamvis contraria sententia sit etiam probabilis.

2. Quòd si Confessarius applicaret sub conditione Indulgentiam alicui dicens: *Applico tibi Indulgentiam, si moriaris; si verò non moriaris, Deus reservet eam tibi ad articulum verum mortis*; Tunc non erit necessaria nova Bulla ad applicandam ei Indulgentiam pro articulo mortis, si iterum sit in eodem articulo intra eundem annum. Mendo *d.* 27. *n.* 2.

Quæritur primò: An possit applicare Indulgentiam in vita, & in morte alius distinctus à Confessario?

Respondetur: Certiorem esse negativam sententiam; quia Pontifex non concedit illam, nisi mediante Confessarii applicatione, & tanquam delegans illi concessionem, ut constat ex Bullæ verbis. Et quantùm ad applicationem Indulgentiæ in vita, consentiunt omnes deberi applicari per Confessarium ab Ordinario approbatum. Quantum verò ad applicationem in ejus mortis articulo, Diana cum aliis docet, quòd in absentia Sacerdotis, potest applicare laicus. Sed in hoc casu, jam Bulla prævenit, & præoccupat dicens: posse quenquam lucrari indulgentiam, quamvis non mediet Sacerdos applicans, dum ille moriatur contritus, modò confessus fuerit tempore ab Ecclesia statuto, & in hac gratia Bullæ fretus, non fuerit in confitendo negligens. Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *d.* 19. Dian. 1. *p. t.* 11. *R.* 106.

Quæritur secundò: An Indulgentia debeat applicari in confessione, vel an extra eam sufficiat?

Respondetur: Sufficere, quòd extra eam applicetur, quia neque Pontifex jubet, neque indulgentia ex se Sacramentum postulat Pœnitentiæ, ut applicetur. Mend. *d.* 27. *n.* 12. Unde resolvitur,

1. Posse applicari absenti; quia cùm possit applicari extra confessionem, nulla est ratio, qua non possit applicari absenti, si hic petat formali, aut interpretativa voluntate. *Idem n.* 15.

2. Quòd quando quis petit indulgentiam formaliter, aut interpretativè, potest applicari ei, quamvis ille ignoret applicari sibi. Ratio est: Quia ad lucrandam indulgentiam, non est necessarium, ut ille adhibeat requisitum aliquod, sed sufficit notum esse eum habere Bullam, & aliàs sint conjecturæ probabiles, quòd ipse est capax lucrandi indulgentiam, & judicetur eum petere virtualiter, & interpretativè talem indulgentiam, ut judicatur de illo, qui amisit sensus. Quia de Christiano putandum est, petere tunc quidquid animæ suæ saluti concedi potest. Quare laudanda est illa consuetudo Confessarii applicantis pœnitenti post absolutionem quotquot indulgentias potest, quia judicat pœnitentem interpretativè petere, omnes eas sibi applicari. *Idem nu.* 16. cum Suar. Nav. Henriq. Corduba, Trull.

Tertiò quæritur: Quibus verbis applicari debeat Indulgentia, & an sine verbis possit?

Resp Quòd quamvis sit laudabile, quòd applicetur verbis à Commissario assignatis, sed non esse id necessarium, & adhuc mentaliter posse concedi. Mendo *d.* 27. *n.* 4. & 5.

Quartò quæritur: An simul cum hac Indulgentia, possit applicari alia plenaria pro alio titulo?

Resp. affirmativè. Et expedit, quòd moribundo applicentur omnes indulgentiæ plenariæ, quas lucrari potest, quia fortasse non habebit requisita ad lucrandam unam, benè tamen ad lucrandam aliam. Et proderit, quòd non applicentur cunctæ indulgentiæ simul, & eodem tempore, sed successivo; relinquendo temporis intervallum inter concessam, & concedendam, ut si fortè in tempore illo culpam aliquam denuò contraxerit, satisfaciat pro illa per indulgentiam.

Quintò quæritur: Quidnam intelligatur hic per mortis articulum?

Resp. Intelligi etiam periculum mortis, in quo potest etiam applicari indulgentia, quæ conceditur ad articulum. Est sententia communis, quia quamvis articulus, & periculum mortis metaphysicè distinguantur, moraliter tamen, in ordine ad hos effectus, pro eodem reputatur in jure. Mendo *n.* 34. cum multis. Unde resolvitur.

1. Periculum insaniendi perpetuò, aut per longam temporis moram, æquivalere periculo mortis, & ita in hoc periculo potest quis absolvi per Bullam, & applicata gaudere indulgentia. *Idem n.* 34.

2. Damnatum ad triremes, non judicari in periculo versari mortis, nisi fortè navigationem naviget periculosissimam, & ita extra hunc casum non posse ei valenti, indulgentiam applicari.

3. Neque etiam fœminis gravidis cunctis applicari posse, quando partus instat hora, quia non omnes tunc de morte periclitantur, sed illæ solùm, quæ ab aliorum partuum experientia, vel ex circumstantiis tunc occurrentibus, sinistrum partum prudenter timent. *Idem ibid.*

4. Eum, qui sciens, & volens sine urgente causa exponit se periculo mortis, non posse gaudere hoc Bullæ privilegio, quod in mortis conceditur periculo constitutis. Ratio, quia iste non est constitutus in periculo mortis, sed ipse se voluntariè constituit; unde si recedit ab illa voluntate, ut potest, extra periculum erit. Sed si semel in periculo constitutus, & jam vitare non valens, si ipse est benè dispositus, potest absolvi, potestque ei indulgentia applicari. Mendo *n.* 35. cum Trullench, Corduba, & Sanchez.

Quæritur sextò: An possit quis lucrari Indulgentiam, quia ipsam applicet Confessarius?

Resp. affirmativè; Quando quis morte rapitur subitò, aut sine Confessarii copia, modò moriatur contritus, & fretus hoc privilegio non fuerit negligens in confitendo, tempore ab Ecclesia statuto. Unde resolvitur,

1. Quòd quamvis non possit lucrari indulgentiam istam, is, qui fuit negligens in fiducia hujus indulgentiæ, potest tamen is, qui fuit negligens ob fiduciam

ejus,

ejus. Explicatur. Negligens in fiducia indulgentiæ dicitur ille, qui non negligens esset si non haberet Bullam, ut speraret habere. Negligens ob fiduciam, vel cum fiducia est ille, qui attenta propria fragilitate, & passione, eodem modo esset negligens habendo Bullam, ac non habendo, quamvis ex eo, quòd habeat, vel speret habere illam, solamen accipiat, proposito sibi remedio, quod potest in illa lucrari. Mendo *n.* 37.

2. Quòd qui in fiducia dicta negligit confessionem, vel annuam, vel eam, quæ fit ante communionem, cùm advertit in se mortalem culpam, aut cùm fuerit in mortis periculo, non potst gaudere hac gratia, quia omisit confessionem, tempore ab Ecclesia statuto.

3. Quòd quamvis negligens in his casibus, vel aliquo eorum in fiducia hujus gratiæ nequeat illam lucrari quamvis contritus moriatur, nisi Confessarius applicet eam; potest tamen si Confessarius applicet, quamvis ejus confessionem audire non potuerit; quia Bulla solùm excludit istum ab ea gratia, quæ concedituir sine interveniente applicatione. Et si est vera sententia Dianæ asserentis, Laicum posse applicare Indulgentiam morienti, absente Sacerdote; poterit etiam applicare laicus illi, quamvis in fiducia Bullæ negligens fuerit in confessionibus statuto tempore.

4. Eum, qui non habet mortalem culpam, posse lucrari Indulgentiam, quamvis sine contritione moriatur, in casu scilicet repentinæ mortis, vel absente Confessario.

ARTICULUS IV.

De Indulgentia quindecim annorum, & participationis piorum operum.

Quæritur primò: Quænam gratiæ concedantur in hac clausula Bullæ, & quomodo intelligi debeant?

Resp. 1. Concedi quindecim annos, & quindecim quadragenas remissionis pœnitentiarum impositarum, & quolibet modo debitarum. Quadragena est, Numerus quadraginta dierum, undè quindecim quadragenæ sexcentorum dierum erit numerus. Pro cujus intelligentia advertendum est: Sacros Canones statuisse olim rigorosas pœnas pro culpis, assignando quibusdá culpis aliquot dies, aliis culpis aliquot annos, per quorum spatium in variis pœnitentiæ operibus exercebantur hi, qui peccaverant; quæ opera pœnalia imponebant Confessarii pœnitentibus, & isti accenso fervore implebant. Postquam verò natura tepida, & mollis, hæc opera pœnalia, difficilia sensit, opus fuit concedi Indulgentias, quibus remitteretur pœna illa, quæ ante per illa opera pœnalia remittebatur, si prout à Sacris Canonibus præcipiebatur, opera illa perficerentur; unde, quando quadraginta dies conceduntur Indulgentiæ, remittitur tunc illa pœna Purgatorii, quæ remitteretur facienti illa opera pœnalia, & quam pro culpis faciendam, sacri disponebant Canones. Itaque per Indulgentiam istam Bullæ remittitur cuiquam illa Purgatorii pœna, quæ remitteretur, si per quindecim annos, & sexcentos dies faceret opera illa pœnalia, quæ statuerat facienda jus Canonicum pro peccatis illis commissis.

Quæritur secundò: Quidnam intelligatur pro remissione pœnitentiarum impositarum, & quolibet modo debitarum?

Respondetur: Intelligi remissionem pœnitentiæ debitæ non solùm pro peccatis, quæ pœnitens confessus est, sed etiam pro illis, quæ non confessus est, si jam hæc peccata remissa sunt, quantùm ad reatum; quia ad hoc extenduntur verba illa: *Qualicunque modo debitis*: Itaque hac gratia remittitur homini pœna Purgatorii pro quibuscunque peccatis, quæ confessus fuerit, vel de quibus sit contritus, quæ remittentur, si faceret pœnitentiam assignatam à jure per quindecim annos, & sexcentos dies.

Quæritur tertiò: Quidnam intelligatur per gratiam participationis omnium operum piorum, quæ fiunt in Ecclesia Militante?

Respondetur supponendo primò, in omnibus piis justorum operibus inveniri tria; nempè meritum de condigno, quo justus meretur gratiam, & gloriam, & hoc meritum nequit alteri applicari. Secundò invenitur meritum de congruo, aut impetrationis. & hoc meritum & hæc impetratio potest prodesse aliis, quamvis sint peccatores, obtinendo illis auxilia, ut restituantur gratiæ: & hujus meriti de congruo, quod habent justi, participes sunt fideles omnes, & ejusdem corporis membra; quamvis hoc meritum possit applicari specialiter alicui. Tertiò invenitur satisfactio, quam potest quis applicare sibi, vel alteri; quam si non applicat aliis, satisfacit cum illa pro se: & si ille non haberet culpas, pro quibus satisfaceret, tunc satisfactio istius, ut superabundans congeritur in Ecclesiæ Thesauro; de qua satisfactione potest Pontifex dispensare. Hoc supposito, dico, concedi per istam gratiam justo, qui ordinatas hic diligentias adhibuerit, ut particeps fiat non tantùm meriti de congruo, aut impetrationis, sed etiam satisfactionum superabundantium, quæ exsuperant ex omnibus piis operibus justorum, qui per totum Orbem Militanti Ecclesiæ sunt adscripti: ita ut satisfactiones illæ superabundantes, non recondantur in Ecclesiæ Thesauro, sed dividantur statim inter eos, qui ad lucrandas eas adhibuerint requisita. Hinc resolvitur,

1. Quòd quando nullus adhibet requisita ad lucrum illarum satisfactionum superabundantium, satisfactiones illæ non remanent suspensæ, & ut expectantes, sed ad Thesaurum mittuntur Ecclesiæ, unde per privilegium istud jam non participantur. Mendo *d.* 19. *n.* 25.

2. Quòd post adhibita requisita participat quis omnes satisfactiones superabundantes, quæ inventæ fuerint durante toto Bullæ anno, si ipse in gratia perseverat.

3. Quòd si post requisita posita amittit gratiam, non participabit satisfactiones istas; benè tamen posteà gratiæ restitutus. *Idem.*

Quartò quæritur: Quidnam requiratur ad istas lucrandas gratias?

Respondetur: Duo requiri. Primum, jejunare in die, quo jejunium non urgeat ex præcepto, & si ob impedimentum legitimum non possit quis jejunare, faciat aliud opus pium ad arbitrium Confessarii, aut Parochi. Secundò, orare pro victoria contra *infideles*, & pro unione inter Christianos Principes. Lud. à Cruz *d.* 1. *c.* 8. *d.* 11. *n.* 4. Trul. *l.* 1. §. *s. d.* 5. Unde resolvitur,

1. Quòd possit quis lucrari gratias istas jejunando non in die, quo tenetur jejunare aliquo titulo, modò non sit ex præcepto, quia hoc solum ex præcepto jejunium excludit Bulla. Itaque qui per totum feria sexta jejunare tenetur, vel alio quocunque die, potest hoc jejunio lucrari gratias istas.

2. Impedimentum legitimum esse ad commutandum jejunium in aliud opus pium, impedimentum illud, quod sufficit ad excusandum quenquam à jejunio obligante ex præcepto.

3. Opus illud, in quod jejunium commutatur, assignandum est à Confessario, aut Parocho; & non est necessarium, ut commutatio fiat intra confessionem; sed poterit quisque sibi ipsi commutare, si opus illud, quod vice jejunii eligit faciendum, foret evidenter melius, quàm jejunium, aut in iisdem casibus, quibus

bus ipse sibi potest votum commutare. Mendo *d.9.n.5.*

4. Orationem, quam tenetur facere, posse esse aut mentalem, aut vocalem, quam debet facere ipso die quo jejunat, & ad eundem finem à Pontifice intentum dirigere. *Idem n.* 8.

Quæritur quintò: Quoties istæ gratiæ possint obtineri?

Resp. Toties quoties jejunaverit quis, & oraverit modo dicto, quia ita expressè habetur in Bulla.

ARTICULUS V.

De Indulgentiis quæ obtinentur visitando quinque Altaria.

HÆ Indulgentiæ sunt eædem, quæ obtinentur visitando Ecclesias Romæ in diebus stationum, tam intra, quam extra muros. Quæ autem indulgentiæ sint eæ, quæ obtinentur in stationibus Romæ, non est ita facilè dictu in tanta auctorum varietate. Aliqui nimis ad pietatem proni non contenti sunt una Indulgentia assignata, sed pluribus in unaquaque die. Regula omnium certissima est ea, quam in ipsa Bulla Commissarius figit, ubi assignat dies nonaginta quatuor, in quibus obtinetur Indulgentia plenaria in stationibus urbis Romæ; qui dies sunt: omnes dies Quadragesimæ, Dominicis etiam inclusis. Tota Paschatis hebdomada usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Omnes Festivitates Beatæ Virginis, quæ communiter numerantur novem. Dies Sancti Marci Evangelistæ. Dies Ascensionis. Vigilia Pentecostes cum sex diebus illam immediatè sequentibus. Tres dies Temporum Septembris, & tres dies Temporum Adventus, Quatuor etiam Adventus Dominicæ. Dies Natalis Dominicum tribus diebus immediatè sequentibus. Dies Circumcisionis, & Epiphaniæ. Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ. Et ultra hæc addit: Quòd reliquis etiam anni diebus habetur statio Romæ, & ibi obtinentur Indulgentiæ, quæ etiam obtinentur visitando quinque Altaria, virtute privilegii Bullæ. Quod ultimum non debet intelligi de indulgentiis plenariis, quia si plenariæ forent, frustrà numerasset illas, quæ obtinentur per totos illos nonaginta quatuor nominatos dies, cùm facilius esset dicere: omnibus anni diebus indulgentiam obtineri plenariam.

Ad obtinendas igitur has stationum Romæ Indulgentias, quinque Ecclesiæ, aut Altaria quinque visitanda sunt. Quòd si nec tot Ecclesiæ, nec tot Altaria in loco fuerint, una Ecclesia, vel Altare unum, quinquies visitetur, ibique oratio fiat, & pro victoria de infidelibus reportanda, & pro unione inter Christianos Principes stabilienda. Unde resolvitur.

1. Quòd quamvis sint quinque Ecclesiæ in uno loco, sufficit quinque Altaria visitare, quia unum ex duobus *disjunctive* injungitur. Mendo *d.* 20. *n.* 32.

2. Quòd si sint quinque Altaria, non sufficit visitare unum *quinquies*, quia hoc non permittitur, nisi quando *non sunt* quinque, ut habetur in Bulla. *Idem num.* 39.

3. Quòd si *non sint* quinque Altaria, sed duo, aut tria, debeant *omnia ista* Altaria visitari repetendo visitationem in *illis*, *quo usque* ad quinarium numerum perveniatur. *Quamvis* Diana, & Quintanadvenas docent probabiliter, quòd quando Altaria ad quinarium numerum non *perveniunt*, sufficiat unum quinquies visitari. *Idem n.* 39.

4. Quòd quinque Altaria *possint* visitari in diversis Ecclesiis, quia Bulla non coarctat, quòd in una debeant visitari. *Idem n.* 35.

5. Quòd si in una Ecclesia loci *sunt quinque* Altaria, & in alia Ecclesia non sunt plura, quàm duo, aut unum, non sit necessarium visitare primam Ecclesiam, quæ habet quinque, sed sufficeret visitare quinquies unum, aut duo Altaria, quæ sunt in secunda. *Idem n.* 41. cum Nugno, & aliis comm.

6. Nomine Ecclesiarum, quæ visitari possunt, intelligi hìc Ædiculas, Oratoria privata, Hospitalia, Templa Regularium, & Sacella: Quia in favorabilibus omnia loca ista, nomine Ecclesiarum comprehenduntur, ut docent DD. agentes de immunitate Ecclesiastica. Et Tuscus, & Alexander extendunt doctrinam istam, quamvis Sacella, & Ædiculæ sint in fundis, campis, hortis, aut carceribus, &c. Mendo *n.* 32. *ex Suar.*

7. Quòd ad obtinendas indulgentias istas, sufficiat visitare Ecclesiam fundatam cum authoritate Episcopi, quamvis non sit benedicta, quia hæc absolutè est Ecclesia, & privilegiis gaudet Ecclesiæ: Item sufficiat visitare Ecclesiam interdictam, violatam, aut pollutam; quia impedimenta hæc non prohibent, quòd in illa fiat oratio.

8. Quòd Altaria, quæ visitari debent ad obtinendas istas indulgentias, debent esse approbata ab aliquo Prælato jurisdictionem habente, ut in illis Missæ celebrari possint, quia his propriè convenit nomen, & essentia Altarium.

9. Quòd quamvis in Altaribus non fuerit celebrata Missa, sufficiat ad celebrationem esse destinata, quia convenit illis ratio Altarium. Et addunt Trul. & Henriquez, quòd etiamsi non habeant actualiter aram, ut contingit sæpiùs in Altaribus pagorum, aut locorum desertorum, quin per absentiam aræ dubitetur; quòd sufficiat ista Altaria visitare, nec examinetur, an habeant aram, necne?

10. Quòd si alicubi remansit Altare, in quo quondam Missam celebrare licuit, sed jam non licet, non sufficiat visitare Altare hoc ad obtinendas indulgentias. Mendo *n.* 37.

11. Diem stationum computari à media in mediam noctem, & in quacunque diei hora visitentur Altaria, possint indulgentiæ concessæ pro illo die obtineri. *Idem n.* 43. cum Villalob. Rodriq. Quint. &c.

12. Quòd qui visitat unum Altare quinquies, non egeat distinguere visitationes surgendo, vel genuflectendo, aut inclinando caput, aut alio motu quovis corporis, sed sufficere intentionem orandi quinquies. Quod idem sentio de visitante quinque Altaria ex loco uno, in quo se habendo potest moraliter adesse cunctis; quia in illa non requiritur talis diversa mutatio, & sine illa intelligitur sufficienter visitatio Altarium, directa tantùm intentionaliter oratione ad illa. Aliqui sentiunt contrarium, & quamvis eorum opinio sit minus probabilis, est magis secura. *Idem n.* 47. cum pluribus; & est comm. DD. sententia.

13. Posse visitari Ecclesiam, aut Altaria, adhuc cùm sit visitans extra Ecclesiam, modò quis moraliter Altaribus adsit; quia si hæc præsentia sufficit ad audiendam Missam, quare non sufficiet ad Altaria visitanda? *Idem n.* 51.

14. Non esse necessarium continuare visitationes quinque Ecclesiarum; sed posse interrumpi, visitando alia una hora, & alia altera; quia in Bulla non reperitur talis continuatio. Sed nequeunt visitari, hodie Altaria una, & cras alia, ut vult Quintanadvenas, quia indulgentiæ assignantur pro diebus propriis; & indulgentia, quæ hodie obtinetur, non obtinebitur crastina die, sed alia distincta. Qui ergo divideret inter hodiernum, & crastinum diem, visitationem Altarium, neque hodiernam, neque crastinam obtineret indulgentiam, quia in nullo istorum dierum adhiberet requisita ad Indulgentiam obtinendam, nempe visitare quinque Altaria.

15. Orationem in quocunque Altari habitam, posse esse mentalem, aut vocalem. Si vocalis fuerit, Trul. docet sufficere semel Pater noster, & semel Ave Maria,

Mendo

Mendo ſuadet, bis ad minus eaſdem orationes dicendas. Conſuetudo quinquies repetendi eaſdem, eſt laudabilis. Si oratio ſit mentalis, ſufficit durare idem tempus, quod vocalis. Vel una ergo, vel alia ſit, debet haberi devotè, ſufficietque devotio illa, quæ neceſſaria eſt ad ſatisfaciendum præcepto audiendæ Miſſæ, vel horis Canonicis recitandis juxta opiniones varias.

ARTICULUS VI.

An Indulgentiam, quam obtinet viſitans quinque Eccleſias, aut Altaria, poſſit applicare defunctis?

CErtum eſt: Quòd diebus iiſdem, quibus Romæ ſtatio pro eruendis è Purgatorio animabus habetur, etiam eadem ſtatio, & animarum liberatio à Purgatoriis pœnis habeatur apud nos viſitando quinque Eccleſias, aut Altaria modo dicto. Quinam dies ſint iſti, ſufficienter patet omnibus tam per Bullam, quam per tabellas, quæ pro Eccleſiæ foribus appenſæ, de tali indulgentia admonent.

Ultrà, certum eſt: Quoties poteſt obtineri indulgentia viſitando quinque Altaria poſſe etiam hanc indulgentiam applicari defunctis per modum ſuffragii; quia quamvis in Bulla ſcripta lingua vulgari, hoc non exprimatur, exprimitur tamen in Latina Bulla. Unde reſolvitur,

1. Diebus illis, in quibus anima è Purgatorio eruitur, una & eadem Altarium viſitatione obtinere quenquam duas plenarias indulgentias, aliam pro anima, & aliam pro ſe ipſo.

2. Quòd reliquis diebus, non poteſt quis una, & eadem Altarium viſitatione obtinere indulgentiam pro anima Purgatorii, & pro ſe ipſo ſimul, ſed disjunctivè, vel pro ſe, vel pro anima.

3. Quòd ad obtinendas indulgentias iſtas, vel pro ſe, vel pro animabus, non debeat orare, neque pro ſe, neque pro animabus, ſed pro victoria contra infideles, & pro unione inter Chriſtianos Principes; quia hæc eſt conditio in Bulla appoſita,

4. Quòd cùm hæc indulgentia poſſit obtineri toties quoties Altaria in die viſitantur, in diebus illis, qui eruendis è Purgatorio animabus non aſſignantur, poſſit quis viſitare Altaria pluries, & applicare indulgentiam unam ſibi, alteram animæ, &c. Mendo *d.* 20. *n.* 9.

5. In diebus, quibus anima eruitur, eadem una Altarium viſitatione poſſe quenlibet duas animas è Purgatorio eruare, ſi indulgentiam, quam ſibi obtinere poterat, applicet animæ.

Quæritur primò: An quando quis, alio indulto poteſt eximere animam è Purgatorio, vel ſibi indulgentiam obtinere, iſte talis viſitans Altaria, poſſit una, & eadem viſitatione duas animas è Purgatorio eripere, aut duas Indulgentias obtinere, aliam per Bullam, aliam per indultum? Et generaliter quæritur: An uno, & eodem opere poſſint obtineri plures Indulgentiæ conceſſæ per diverſa indulta?

Reſpondetur: Probabilem eſſe affirmativam ſententiam, quemadmodum uno, & eodem opere poteſt duplici obligationi fieri ſatis, præcipuè ſi opus non eſſet iterabile eodem die, ut jejunium, & communicatio. Itaque expedit habere intentionem obtinendi omnes, & quaſcunque indulgentias, quas poſſit quis opere quolibet obtinere. Coninck. *de indulg. q.* 25. Fauſtus *de Jubil. l.* 2. *q.* 39. Hoſt. Grat. Sanctar. Henriq. Sà, Leander *de Sacramentis*, Lugo, & alii.

Quæritur ſecundò: An ad obtinendas Indulgentias ſit neceſſarium eſſe in gratia?

Reſpondetur primò: Quòd quando quis ſibi ipſi lucraturus eſt indulgentias, requiritur quòd ſit in gratia, quando verò animabus Purgatorii applicat indulgentias, non requiratur.

Probatur prima pars. Per indulgentiam remittitur pœna pro culpis debita; quæ quidem pœna ita cum peccatis connectitur, ut ſi culpæ, & peccata non dimittantur, neque etiam debita pro illis remittatur pœna. Jacenti ergo in lethali culpa, non poteſt pœna remitti debita, nec ſimiliter iſte poterit indulgentiam obtinere, quæ pœna illa debita remittitur.

Secunda pars probatur. Quia ſtatus gratiæ, ſolùm requiritur in obtenturo indulgentiam, ad tollendum obicem. Requiritur itaque gratia, ut diſpoſitio in illo, ſine qua non poteſt relaxari pœna, dum peccatum per gratiam non deletur. Qui applicaturus eſt indulgentiam pro defuncto, non acceptaturus eſt in ſe ipſo effectum indulgentiæ, ſed in defuncto; qui non habet obicem, cùm animæ cunctæ, quæ in Purgatorio patiuntur, ſint in ſtatu gratiæ. Mendo *d.* 36. cum pluribus.

DUBIUM XI.

Quænam privilegia obtineantur per Bullam, tempore interdicti?

REſpondetur: Quòd vel interdictum ſit Apoſtolicum, vel Ordinarium, conceditur tempore illius habentibus Bullam, primo quod poſſint audire Miſſam in Eccleſiis, aut Monaſteriis, aut in Oratorio privato, & aſſignato approbato ab Ordinario. Conceditur etiam, quòd poſſint celebrare Miſſam, & alia Divina Officia, vel per ſe, ſi Preſbyteri fuerint, vel alios curare, ut celebrent coram ſe, & in præſentia ſuorum familiarium, & conſanguineorum. Secundò: Quòd poſſint accipere Sacramentum Euchariſtiæ, & reliqua Sacramenta, excepto die Paſchatis, modò ipſi non dederint cauſam interdicto, nec per ipſos ſteterit, quòd non fuerit ſublatum, & quotieſcunque in dicto Oratorio pro obtinenda indulgentia uſi fuerint oratione, prout Deus devotionem dederit, pro victoria, & unione repetita faciant. Tertiò, quòd dicto tempore interdicti poſſint defuncti ſepeliri in loco ſacro, moderata funeris pompa.

Hìc advertenduum eſt: Quòd in Bulla ſcripta linguæ vulgari non fit mentio alterius privilegii, quod inter alia refert Bulla Latina, nempè quòd poſſint & celebrare Miſſam, & audire, una hora ante Solis ortum, & alia hora poſt meridiem; quia hoc privilegium non concedit ipſa Bulla, niſi habenti licentiam à Commiſſario Generali, ut in Latina Bulla legitur.

ARTICULUS I.

Reſolutiones circa celebrandam Miſſam, & audiendam; & circa Officia Divina?

REſp. 1. Sufficere familiæ Dominum habere Bullam, ut tempore interdicti poſſint coram eo, & tota familia, & conſanguineis celebrari, & audiri Miſſæ, & Divina Officia, & hoc, in Eccleſiis, Oratoriis, & in quolibet alio loco, qui nomine Eccleſiæ intelligatur, ut explicatum eſt Reſolutione ſexta, articuli quinti.

2. Quòd hoc nomine *familiares*, intelliguntur Commenſales, ſervi, & qui regulariter comitantur dominum familiæ, & qui vivunt expenſis ejus, tam habitantes domum propriam, domini, quam extra. Adminiſtratores ſtatuum procerum, Gubernatores, & Judices ab eis perfecti. Sed non intelliguntur hi, qui ſimulant ſe eſſe domini ſervos, ſolùm, & cum fraude ad gaudendum privilegio iſto, quia iſti non ſunt verè ſervi, ſed fingunt ſe ſervos ad effectum iſtum. Mendo *d.* 25. *num.* 10.

3. Per hoc nomen *Parientes*, intelligi tantùm consanguineos, quia in Bulla Latina legitur hoc verbum, & in lingua vulgari non est verbum aliud proprium quàm *Parientes*, ut construatur: & communi plausu hoc verbum *Parientes*, sine additamento aliquo, significat consanguineos, quia quando volumus significare affines, dicimus *Parientes per affinidad. Idem n.* 11.

4. Per consanguineos intelligi usque ad quartum gradum, & non ultrà; quia jam in jure, & rescriptis non extenditur ultrà consanguinitas. *Idem n.* 12. cum aliis.

5. Per nomen consanguineorum intelligi virum, & uxorem ejus; quia sunt duo in carne una. Itaque si illorum quilibet habeat Bullam, alter etiam isto gaudet privilegio. *Idem n.* 11.

6. Contra Trullench. Quòd in Ecclesia specialiter interdicta possunt habentes Bullam audire Missam, si aliquando in illa celebratur ad renovandam Eucharistiam; quia quando Bulla concedit privilegium istud, non distinguit inter interdictum generale, & locale.

7. Quòd Presbytero non concedatur per Bullam privilegium, ut tempore isto celebret Missam, & Officia Divina, quia habet à jure; sed concedatur illi, ut possit celebrare, & celebrari facere coram suis familiaribus, & consanguineis.

8. Illi, qui dedit causam interdicto, vel per quem stat, ut non tollatur, non concedi privilegia ista.

9. Quòd qui utitur Oratorio ad dictos effectus, debet orare mentaliter, aut vocoliter ad arbitrium suum, pro victoria, & unione repetitis. Sed si non oraverit, non ideò audiendæ Missæ præcepto non satisfaciet, neque peccabit ultra veniale; quia est præceptum Pontificis in materia levi. Henr. Avila, Trull. Dian. Juristæ, & Thus. Salm. & quidem com. Cruciatæ allegat. à Mendo *nu.* 17.

Quæritur: an habens Bullam teneatur audire Missam diebus festis tempore interdicti?

Respondetur probabile esse, atque securum in praxi non teneri. Ratio, quia nemo tenetur uti privilegio concesso, quia jam non esset privilegium, & honor, sed onus. Sed probabilior, & securior est opinio affirmativa. Ratio quando præceptum instat, & quis potest adimplere, tenetur ad impletionem: sed in die festivo instat præceptum audiendi Missam, & qui habet Bullam potest adimplere; ergo tenetur audire. Rationi opinionis contrariæ respondetur: privilegium non obligare ad usum ejus, sed concessum jam & acceptatum, si removet impedimentum aliquod, ut præceptum possit obligare tunc observantiam præcepti, quia nihil est, quod impediat illam. Mendo *nu.* 19. & alii. Hinc resolvitur,

1. Quòd in hac secunda opinione, consequenter debeat asseri, familiares, & consanguineos habentes Bullam teneri, quamvis isti non habeant illam, audire Missam diebus festivis tempore interdicti: quia æqualiter remotum habent impedimentum ac ille, qui Bullam habet. Sed si non possunt isti audire Missam, quam ille audit, simul cum illo, non tenebitur ille audire secundam, aut tertiam Missam, ut illi audiant; sed tenebitur non impedire illos sine justa causa, ne audiant eam Missam, quam ipse audit. Et peccabit graviter, si impedierit, ut peccaret in tempore, quo non foret interdictum, impediendo sine causa justa, ne obligatus die festivo, potens, & volens audiret Missam.

2. Tempore cessationis à Divinis, non teneri habentem Bullam audire Missam, quamvis in aliqua Ecclesia celebretur; quia privilegium duntaxat concessum est ad tempus interdicti; quia quamvis liceant aliqua in tempore cessationis à Divinis, quæ etiam liceant tempore interdicti, sed nec ea, quæ dependent à privilegio. Covar. Navarr. Medin. Lop. Henriq. Trull. Rodr. & alii citati à Mendo *n.* 25.

3. Habentes aliud, quàm Bullæ privilegium ad audiendam Missam tempore interdicti, non teneri audire Missam die festivo, neque adhuc posse audire illam die aliquo, durante interdicto si non habent Bullam, quia quodlibet privilegium suspendit Commissarius, & revalidat posteà qui accipit Bullam. Excipiuntur privilegia onerosa, & lucrativa, & privilegia Religionum, de quibus posteà agemus.

ARTICULUS II.

De privilegio accipiendi Sacramenta, & posse sepeliri in loco sacro cum moderata funeris pompa tempore interdicti.

SAcramenta, quæ tempore interdicti accipi non possunt, sunt Eucharistia, Ordo, Extrema Unctio, & benedictiones nuptiales Matrimonii. Ut ista possint accipi, concedit Bulla privilegium, modò accepturus illa, nec dederit causam interdicto, nec per ipsum stet, quòd non tollatur. Lud. à Cruz, Trullench, Suarez, Villalob. Henriq. cum aliis, quos citat Mend. *d.* 15. *n.* 36. Circa quod resolvitur.

1. Privilegium accipiendi Sacramenta, non solùm concedi ad eorum acceptionem in Oratorio, quamvis ponatur post privilegium audiendi Missam in eodem, sed etiam accipiendi Sacramenta in Ecclesia qualibet: quia concesso eo, quod majus est, conceditur id, quod minus; & minus privilegium est, quòd accipiantur in Ecclesia, quàm in Oratorio.

2. Has facultates, quæ conceduntur tempore interdicti, non concedi, nisi eo modo, quo sunt licitæ in ipso interdicti tempore. Itaque Benedictiones nuptiales non possunt accipi virtute privilegii in tempore Adventus, & Quadragesimæ, sed in tempore, quo forent licitæ, si interdictum non obstaret. Nec Ordines possunt accipi, nisi à proprio Episcopo, nec Extrema Unctio, & Benedictiones nuptiales, nisi à proprio Parocho.

3. Sacramentum Eucharistiæ, virtute hujus privilegii non posse accipi, nisi à cujus manibus liceat accipi extra tempus interdicti. In Hispania cuncti Sacerdotes approbati sunt ad hujus Sacramenti administrationem, vel consuetudine, vel facultate à Prælatis videntibus, & consentientibus accepta, quando non ministratur pro Viatico. Sed si in aliqua Provincia, aut loco non esset ista generalis Sacerdotum approbatio, nequiret Eucharistia, nisi è Sacerdotis approbati manibus accipi.

4. Coarctationem, non accipiendi Eucharistiam in Oratorio in die Paschatis, non cadere supra interdictum; quia quamvis non sit interdictum, non potest accipi Eucharistia in Oratorio ad satisfaciendum præcepto annuæ Communionis in Paschate. Itaque absolutè excipitur dies iste, & potiori jure tempore interdicti. Dubio seq. videbimus, an tempore Paschatis possit pro devotione in Oratorio communicari, satisfaciendo aliàs præcepto, communicando in parochia.

Ultra quæ, conceditur in Bulla, habentem illam, si moriatur tempore interdicti, sepeliri posse cum moderata pompa funerali. Circa quod resolvitur,

1. Ad gaudendum hoc privilegio, opus esse, quòd defunctus accepisset defunctorum Bullam, nisi forte post mortem commendasset sibi ab aliquo accipiendam ad hunc effectum, ut dictum est *art.* 4. *d.* 4.

2. Morientem excommunicatum, non posse gaudere hoc privilegio, quin post mortem ab excommunicatione absolvatur.

3. Moderatam pompam funeralem, esse dimidium ejus pompæ, quæ habetur de more, quando non est interdictum. Ita Cord. Sed Rodriq. Villal. & Trull. citati à Mendo *n.* 47. ajunt debere taxari ab Episcopo, vel ejus Vicario, vel à Parocho in absentia eorum.

4. Clericos, qui de jure communi possunt sepeliri clausis

clausis foribus, & cum Officio Divino in Ecclesiis, quæ non sunt interdictæ, & in his, quæ interdictæ specialiter sunt, sine Divino Officio, egere Bulla, ut sepeliantur pompa funebri moderata.

5. Etiam pueros, & amentes egere Bulla, ut gaudeant sepultura Ecclesiastica tempore interdicti; & habentes posse sepeliri dicta mediocri pompa.

6. Laicos habentes Bullam posse sepeliri dicta pompa adhuc in Ecclesia interdicta; quia non excipit eum privilegium.

DUBIUM XII.

De Privilegiis Oratoriorum.

NOn fit mentio Oratoriorum in Bulla præter eam, quæ fit in privilegio antecedente; quòd possint tempore interdicti audiri, & celebrari Missæ in iis, si approbata sint, & visitata ab Ordinario. Occasione hujus privilegii, variè opinantur Authores. Dicemus id, quod probabilius videbitur.

Quæritur primò: An virtute Bullæ possit quis erigere domi suæ Oratorium, in quo post approbationem Ordinarii, possit celebrari Missa?

Trull. supposito nomine, refert aliquos, qui affirmativè respondent, & addit Rodr. id insinuasse, sed falsò. Lud. de la Cruz affirmativam tenet sententiam, & quòd possit habens Bullam compellere Ordinarium, ut approbet Oratorium. *In Bull. d. 1 c. 5. d. 1.*

Resp. Hanc opinionem, parum habere probabilitatis; quia non habet in Bulla fundamentum: nam concedere, quòd tempore interdicti possit audiri Missa in Oratorio, est supponere Oratorium electum jam per privilegium aliud, non verò concedere, ut denuò erigatur, sicuti concedere, ut audiatur Missa in Ecclesia tempore interdicti, supponit jam Ecclesiam, non verò concedit, ut denuò fiat. Qua propter incredibile est, hoc privilegium tam indiscretè concedi omnibus accipientibus Bullam, cum penè nullus inveniatur infimæ plebis homuncio, qui non accipiat; quando Pontifices, ut concedant Oratorium, tantas nobilitatis, & necessitatis requirant circunstantias.

Quæritur secundò: Quid liceat in usu Oratoriorum privatorum virtute Bullæ?

Resp. 1. Omnia, quæ diximus dubio accedente circa audiendam, & celebrandam Missam, & accipienda Sacramenta, licere in Oratoriis, tempore interdicti, licita esse etiam quocunque alio tempore, excepto die Paschatis; quia illa clausula; *Aun en tiempo de entro icho*, habet vim in omni tempore, quamvis sit tempus interdicti.

Resp. 2. Si privilegium non est coarctatum, ne ultra unam Missam in Oratorio celebretur, possunt virtute Bullæ celebrari, quot voluerit Oratorii dominus.

3. Si privilegium coarctatum est, ut nullus satisfaciat præcepto audiendi Missam, per illam auditam in Oratorio, nisi dominus ipsius Oratorii; quicunque habuerint Bullam possunt per illam Missam satisfacere præcepto; & etiam non habentes, si familiares, aut consanguinei sint habentis Bullam, & audiant Missam unà cum illo.

4. Si privilegium coarctatur, ne quibusdam diebus festis celebretur Missa, nec accipiantur Sacramenta in Oratorio, possunt celebrari Missæ, & Sacramenta accipi virtute Bullæ in ipsis diebus festis, excepto die Paschatis; de quo posteà. Ratio; quia hæc omnia, quæ dicimus, colliguntur ex ipsis Bullæ verbis, in quibus nulla coarctatio præfigitur. Itaque quamvis inferiores Prælati, coarctaverint privilegia Oratoriorum, has coarctationes infringit concessio Bullæ, utpotè à Pontifice; & quamvis ipse Pontifex coarctasset, per concessionem annuam Bullæ, coarctationes revocat: & quamvis post acceptam Bullam, daret cum limitationibus his privilegium Oratorii, debet intelligi coarctatio pro non habentibus Bullam.

Addo: Quòd quamvis fieret in limitationibus expressa Bullæ mentio, non potest Pontifex revocare privilegia Bullæ, quin satisfaciat quantum potuerit, quia sunt privilegia onerosa, ut diximus in dubio tertio. Sed attendendum est, ut horum privilegiorum modestus sit usus ad vitanda inconvenientia, & præcipuè in festis potissimum, in quibus consentaneum est, ut cuncti Ecclesias frequentent.

Quæritur tertio: An die Paschatis possit audiri Missa, & accipi Eucharistia in Oratorio, virtute Bullæ?

Resp. 1. Posse audiri Missam, quia in Bulla tantùm excipitur Eucharistiæ acceptio.

Respondeo 2. Etiam pro devotione posse Eucharistiam accipi, modò alio die ex assignatis ad implendum annuæ communionis præceptum, in propria parochia accipiatur. Ratio; quia die Paschatis licet, ut in consuetudine apparet fidelium, accipere Eucharistiam pro devotione in Ecclesia qualibet, ergo etiam in Oratorio privato: neque Bulla per exceptionem intendit aliud, nisi quòd communio annua ex præcepto in propria parochia fiat, ut Pastor ovium suarum agnoscat faciem.

DUBIUM XIII.

De privilegio vescendi carnibus ex consilio utriusque Medici, & ovis, & lacticiniis in diebus, quibus prohibentur.

ARTICULUS I.

De Privilegio vescendi carnibus.

VErba Bullæ sunt hæc: *Que conceda a todas las personas, que la tomarem: Que puedan durante el dicho anno, de consejo de ambos Medicos espiritual, y corporal, comer carne en Quaresma, y otros tiempos de ayuno, y dias prohibidos de comer carne pro todo el anno.*

Is, cujus necessitas est evidens, non indiget privilegio, ut vescatur carnibus, in diebus, quibus prohibentur; & cùm Privilegium hoc in opinione communi omnium supponat necessitatem, quia alias frustrà foret consilium utriusque Medici, quod requiritur; ideò quæritur: in quonam casu privilegium istud locum habeat?

Resp. Quòd in casu dubio, quando quis dubitat, an indigeat esu carnium, necne? Et Medicus etiam dubitat, an causa ad esum carnium, sit sufficiens? potest Episcopus, aut in ejus absentia Vicarius, aut Parochus, absente utroque licentiam præbere ad esum carnium. Igitur ut tunc potest quis dispensatione Prælati, carnibus vesci, ita etiam sine tali dispensatione, virtute Bullæ, de utriusque Medici consilio. Henriq. Rod. Villalob. Ant. Gomez, Lop. Sanch. Trull. & alii, quos citat & sequitur Mendo *d. 27. n. 6.*

Putabit aliquis, Hoc jam non esse privilegium, cùm ad ejus usum requiratur consilium Medici spiritualis, qui est Parochus, & hic, etiam cum non habente Bullam possit in casu dubio pro carnium esu dispensare, non tantùm in absentia Episcopi, & Vicarii, ut suprà diximus, sed adhuc illis præsentibus, vel per tacitam Episcoporum concessionem, vel per consuetudinem legitimè jam præscriptam; ad esum carnium non opus est privilegio Bullæ. Itaque erit inutile.

Resp. Quòd ad minus, ubi non est introducta consuetudo, ut dispenset Parochus, privilegium habebit locum. Ultra hæc in dispensationibus, ut causa dispensationis adæquetur rei dispensatæ, imponitur aliquod gravamen, quod virtute hujus privilegii excusatur, quia jam hic non datur dispensatio à Parocho, sed tantùm consilium. Ultimò: Nomine Medici spiritualis non

intelligitur duntaxat Parochus, sed etiam Confessarius quilibet; Neque consilium est dandum in confessione, sed extra illam; unde jam privilegium hoc non habebitur inutile. Circa quod resolvitur.

1. Quòd à quolibet Confessario quamvis non proprio possit accipi consilium; quia non requiritur in Confessario, nisi scientia, & prudentia, ut agnoscat, an verè sit dubia causa, quæ sibi proponitur, & non apparens, ne contemnatur facilè Ecclesiasticum præceptum, & carnes absque necessitate comedantur. Quæ scientia supponitur in Confessario quolibet, quia putatur Confessarius omnibus numeris absolutus; & consilium ejus non requiritur, ut jurisdictionis actus, sed ut hominis timorati, & docti, causam discernere valentis.

2. Quòd Medicus corporalis, cujus consilium expetitur, proponere debeat sincerè dubium, prout ille intelligit, quin exaggeret causam, ut petenti licentiam morem gerat.

3. Quòd ubi non est Medicus, nec ad illum est facilis recursus, ut accidit in locis parvis, possit accipi consilium ab aliquo homine experto, vel ab ipso Confessario, si intelligit quidquam in infirmitatibus, aut languoribus, & ferè nullibi est, qui aliquid non intelligat. Addo: Hominem timoratæ conscientiæ, prudentem, & expertum ita, ut possit circa necessitatem esus carnium arbitrari, posse iis vesci absque alicujus Medici consilio. Ratio, quia nullus ex dictis Medicis in hoc casu dispensat, sed declarat secundùm sententiam, & conscientiam, inveniri verum dubium, ergo, qui pollet scientia, & conscientia ad noscendum dubium, potest carnibus vesci absque alicujus Medici declaratione. Sed quia quis in propria causa non ita integer Judex esse solet, ideò utriusque Medici consilio standum est, cùm haberi potest. Mendo *n.* 9.

4. Quòd ille, qui carnibus vescitur, hujus privilegii virtute, quamvis in reliquis formam jejunii observet, non jejunat, quia deest jejunio una pars essentialis, quæ est abstinentia à carnibus.

ARTICULUS II.

De privilegio vescendi ovis, & lacticiniis in Quadragesima.

Ecc Bulla verba: *Y que assimismo puedan libremente a su alvedrio comer huevos, y cosas de leche; demanera, que los que no comieren carne, guardando en lo demas la forma del ayuno Ecclesiastico, ayan complido, y satisfecho al dicho ayuno.*

Indultum hoc non conceditur per Bullam istam: *A los Patriarcas, Primados, Arcobispos, Obispos, ni otros Prelados inferiores, ni a qualesquiera personas Regulares, ni a los Clericos Seglares Presbiteros en dias de Quaresma.* Quinam istorum indulto isto per aliam Bullam gaudere possint, dicetur posteà.

Sed si omnes isti fuerint sexagenarii, per hanc Bullam conceditur illis hoc privilegium, quemadmodum etiam cunctis Militarium Ordinum Equitibus. Unde resolvitur,

1. Eum, qui habet speciale privilegium ad vescendum ovis, & lacticiniis tempore Quadragesimæ, quamvis sit Regularis, aut presbyter, posse vesci ovis etiam accepta Bulla, quia non vescitur ovis virtute acceptæ Bullæ, sed virtute alterius specialis privilegii, cujus usus liber illi per Bullam remanet, quæ derogat privilegia cuncta, & revalidat accipienti. Lud. à Cruce *d. 1. c. 5. dub. 18. num. 10.*

2. Quòd si privilegium concedit, quòd omnes, qui discumbunt ad mensam, vel ad expensas habentis privilegium aluntur, possunt comedere ova, & lacticinia in Quadragesima, licet comedere ista etiam Sacerdotibus, & Regularibus ad ejus mensam, vel ad ejus expensas comedentibus, etiamsi Bullam non habeant; quia supponimus ut privilegium valeat, & ista liceant, sufficit illum, cui privilegium conceditur, habere Bullam. Et ut notat Trullench, & habetur in re. aliquæ familiæ nobiles gandent hoc privilegio in Aragonia.

3. Locis, ubi consuetudo jam introducta est, quòd ob defectum olei, ovo, larido, aut pinguedine condiantur, non opus esse alio privilegio præter istud Bullæ, ut hoc condimento parata comedi possint, v.gr. in Sicilia, Gallecia, & Peruano Regno. Et quoad usum pinguedinis, aut laridi, attendi debet loci consuetudo.

4. Nomine Prælatorum, qui in hoc privilegio excipiuntur, eos intelligi, qui habent Ecclesiasticam jurisdictionem.

5. Clericos sæculares non Presbyteros gaudere hoc privilegio, in virtute Bullæ, quamvis sint Diaconi.

6. Cardinales non Presbyteros, aut Regulares gaudere etiam hoc privilegio; quia in odiosis, nomine Prælatorum non comprehenduntur.

7. Novitios, cujuscunque Religionis sint, non comprehendi nomine Regularium in exceptione, unde etiam gaudent hoc privilegio.

8. Episcopum electum, qui non est Presbyter, aut Regularis, posse etiam hoc privilegio gaudere; sed non ita post confirmationem à Papa. Ratio, quia in primo casu non est Prælatus; post confirmationem verò jam est Prælatus.

9. Episcopum consecratum non Presbyterum, etiamsi renunciet Episcopatui, non posse gaudere hoc privilegio, quia remanet adhuc verè Episcopus, quamvis jurisdictione careat. Sed si electus, & confirmatus à Papa renuntiaret Episcopatui, antequam consecraretur, posset tunc privilegio gaudere, quia tunc non remaneret Episcopus, neque cum jurisdictione, quæ semel obtenta, potest cessare, quamvis Episcopalis dignitas per consecrationem obtenta, nequeat amitti.

10. Quòd ut hoc privilegio gaudeant hi, qui ob sexagesimum ætatis annum excipiuntur, non est opus, ut sexagesimum compleverint, sed sufficit attigisse, quia favores sunt ampliandi.

11. Quòd extra Quadragesimam, in quibuscunque diebus jejunii licet ovorum, & lacticiniorum esus sine Bulla, ubi in contrarium consuetudo non extat.

12. Quòd quamvis Th. Sanch. probabile putet, illum, qui ex voto, aut ex pœnitentia imposita teneretur jejunare in Quadragesima, satisfacturum jejunio comedendo ova & lacticinia sine Bulla, aut sine necessitate; probabilius tamen esse contrarium. Itaque non peccabit solùm contra præceptum Ecclesiasticum abstinendi ab ovis, & lacticiniis, sed contra votum, & contra præceptum Confessarii; quia votum aut præceptum Confessarii de jejunio, non est de jejunio quomodolibet, sed de jejunio Quadragesimali. *In sum. l. 4. c. 11.*

13. Probabilius esse, non esse dies Quadragesimales Dominicas Quadragesimæ, & ita in illis cunctis posse ovis vesci, & lacticiniis. Advertit Mendo, se audivisse à viro docto, & gravi: quod declaravisset Pontifex in Bulla speciali, suam mentem esse comprehendere etiam Dominicas Quadragesimæ, nomine dierum Quadragesimalium. Sed ipse Mendo respondet benè, de tali declaratione, authenticè non constare, ac per consequens non obligare. Quòd si aliquando constaret, illi standum esset. Nec obstat quòd Commissarius Bullæ, pro jejuniis in Bulla Castellana, scripserit dies Quadragesimales, ut etiam Dominicæ comprehensæ dicantur: quia Commissarius non potest mutare substantiam Bullæ Latinæ, sed tantùm explicare dubia, si forte sint, & in hoc puncto non est dubium in Bulla Latina, ut constat ex verbis. Attamen contraria sententia prohibens ova, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ est tuta magis, *disp. 18. n. 30. & 31.*

14. Quòd quando Bulla concedit hoc privilegium

Religio

Religionibus Ordinum Militantium, intelligatur concedere, non solùm Equitibus, sed etiam Regularibus earundem Religionum utriusque sexus; quia neminem excipit Bulla Latina, præter Presbyteros, aut Prælatos. Mendo *d.* 18. *n.* 16. & 17. Affert Basil. Leg. & alios DD. Salmant.

ARTICULUS III.

De privilegio, quod Ecclesiasticis datur per aliam Bullam, ut ovis, & lacticiniis vescantur.

IN hac Bulla conceditur Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Prælatis, Clericis, Presbyteris sæcularibus, quod excepta hebdomada sancta, possint vesci in Quadragesima ovis, & lacticiniis, data eleemosyna à Commissario taxata. Circa quod resolvitur.

1. Quod quamvis hæc Bulla non concedatur, nisi ad tempus Quadragesimæ, durat tamen unum annum, aut naturalem, aut Ecclesiasticum, prout diximus de Bulla vivorum dubio tertio. Itaque si promulgaretur hæc Bulla, media Quadragesima, licebit usus Bullæ non solum pro dimidio illo anno, sed pro prima etiam medietate anni sequentis.

2. Quod in hebdomada sancta, ad quam hoc privilegium non extenditur. Dominica etiam Palmarum comprehendatur: unde qui non sequeretur opinionem asserentem, quod ova, & lacticinia non licent Dominicis Quadragesimæ, non posset per hanc Bullam comedere ea in Dominica Palmarum.

3. Quod nomine Prælatorum non intelligendi sint Abbates, aut Priores Monachales, quamvis per accidens habeant in aliquo loco jurisdictionem sæcularem. Intelliguntur tamen Abbates benedicti, qui habent Ecclesiasticam jurisdictionem. Mendo *d.* 31. *n.* 11.

4. Quod neque etiam gaudent hoc privilegio Canonici Regulares, quia sunt verè Religiosi, & vivunt in Religione approbata, & hæc Bulla non conceditur Religiosis. *Idem n.* 10.

Quæritur: Quonam pretio Commissarius Bullam taxaverit?

Respondetur primo: Quod à Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus benedictis, 24. exegerit argenteos. Et si in aliqua Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata foret Abbas, sed sine ampliori jurisdictione, quam habent Decani, aut priores in aliis Ecclesiis, non tenetur 24. talos argenteos porrigere, sed eam tantùm eleemosynam, quam alii, qui sunt Dignitates elargiri tenentur; quia quamvis iste, nomine appelletur Abbatis, in re tamen non est plus quam Dignitas.

Respondetur secundo: Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, argenteos octo taxavisse. Quæ taxatio non intelligitur imposita Coadjutoribus Dignitatis, aut Canonicatus, quia hi non sunt propriè Dignitates, aut Canonici, ut docent Garcia, Barbosa, & Trullench citati à Mendo *n.* 13.

Respondetur tertio: Quod hi, qui in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata habent portionem integram, aut dimidiam, etiam Parochis, & gaudentibus beneficio simplici, aut assistentiam petente, si reditus beneficii tercenta ducatorum attingat undecim drachmarum, attingat, argenteos sex pro Bulla taxaverint. Hinc resolvitur,

1. Quod istorum nullus debeat sex argenteos erogare, si beneficium tercenta ducata integra non attingat, etiam si parum desit; quia hæc taxatio est odiosa, & debet restringi.

2. Probabile esse: conditionem illam, *si tercenta ducata attingit*. Cadere non solùm supra beneficiatos ultimos, sed etiam supra Portionarios, & Parochos. Itaque si reditus eorum ad tercenta non pervenerint ducata, non debere huic stare taxationi, sed alii viliori, quia hìc est favor, & ideo ampliandus.

3. Quod reditus tercentorum ducatorum debeat remanere illis, exceptis oneribus, & expensis beneficii. Itaque debent excipi, & pensiones, si quas solvit, & subsidium, & excusatum, & quarta decima, etiam eleemosyna pro Missarum earum numero, quas beneficiatus pro beneficii onere, celebrare nequit. Trull. citato à Mendo *d.* 31. *n.* 18.

4. Quòd ad computationem tercentorum ducatorum numerari debeant distributiones, quia sunt reditus, quamvis non sint fructus. Sed non est annumeranda eleemosyna pro Missis, quæ non debentur beneficio, quia istas liberè potest beneficiatus celebrare per se, vel per alium, vel absolutè non celebrare. Nec etiam annumerandum est quidquam aliud præter reditus illos, qui beneficiato obveniunt ratione beneficii; non verò ii, quos per accidens, & alia via obtinuerit.

5. Quòd si dat partem redituum beneficii alii, qui pro se beneficio inserviat, illa pars, quæ datur, annumeranda est tercentis ducatis, ac si ipse beneficiatus inserviret.

6. Quòd hæc taxatio non intelligitur imposita his, qui habent Capellanias, quamvis istarum reditus tercenta ducata attingant; quia quamvis intelligantur vulgò, nomine beneficiorum, Commissarius tamen distinguit utrosque, & istis Capellanis sequentes assignationes.

Respondetur quartò: Habentibus Capellanias, cujuscumque conditionis existant, aut beneficia, pensiones, aut alios reditus Ecclesiasticos, ita ut annuatim ex eis ducenta ducata percipiant, assignari pro eleemosyna quatuor argenteos. Unde resolvitur,

Quòd omnes resolutiones, quæ dictæ sunt post tertium responsum, excepta ultima resolutione debeant applicari, & accommodari proportionaliter ad hoc quartum responsum.

2. Quòd Capellaniarum nomine non intelligantur hìc laicales, & quæ non obligant ad Horas Canonicas, nec Officium parvum, quia hæ Capellaniæ non sunt strictè Ecclesiasticæ; & ita quamvis istarum reditus, ducenta ducata pertingant, taxatione dicta non tenentur.

3. Per reditus Ecclesiasticos intelligi, eos, qui percipiuntur aliquo titulo Ecclesiastico, ut Præstimonio, aut alio simili. Et hìc includuntur beneficia curam animarum habentia, & portiones, quæ ducenta ducata non transgrediuntur, quia verè sunt reditus Ecclesiastici.

Resp. 4. Cæteros quoscumque Clericos, prædictis taxationibus non comprehensos, quia neque dignitatem, neque reditus habent supradictos, teneri pro Bulla, argenteos duos erogare. Et Clericorum nomine, semper hìc intelliguntur Sacerdotes, quia alii non indigent speciali hac lacticiniorum Bulla, ut dictum est.

DUBIUM XIV.

De electione Confessarii approbati ab Ordine, quæ conceditur per Bullam.

HÆc sunt verba Bullæ: *Que puedan elegir por Confessor à qualquier Presbytero Secular, ò Regular aprobado por el Ordinario, el qual los pueda absolver una vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte, de qualesquiera pecados, y censuras, aun de los reservados, y reservadas a la Sede Apostolica, y de los declarados en la Bulla in Cœna Domini, excepto del crimen, y delicto de la heregia, y que consignan, y ayan indulgentia plenaria de ellos.* Et à censura, & peccatis non reservatis Sedi Apostolicæ, possint absolvi toties quoties confessi fuerint salutaribus pœnitentiis pro qualitate peccatorum impositis. Et casu, quo opus sit satisfactione ad consequendam absolutionem dictam, satisfaciant per se ipsos, si & aliquid obstiterit, possint

possint hæredes, aut alii pro eis satisfacere.

ARTICULUS I.

De approbatione necessaria in Confessario, ut per Bullam eligi possit.

SUppositò quòd approbatio, & jurisdictio distinguantur, ut constat ex *dub. 2. & 3. cap. 3. tractat. 6. lib. 6.* Supposito etiam, Bullam concedere jurisdictionem Confessario electo ab habente Bullam, dico quòd, ut Confessarius possit eligi, debet esse approbatus ob ordinario approbatione illa, quam exigit Conc. Trid. *sess. 23. c. 15. de ref.* Quia privilegium hoc Bullæ non approbat Confessarium, sed requirit approbatum forma supradicta. Et quamvis citato loco actum fuerit jam de approbatione necessaria in Confessario, agetur hìc de iis, quæ ratione Bullæ præcipuè occurrunt.

Quæritur: An approbatus in una Diœcesi, vel cum limitatione, pro aliquo tantùm loco, tempore, aut personis, possit eligi per Bullam in cunctis Diœcesibus, locis, temporibus, & pro personis quibuscumque?

Resp. 1. Primam opinionem asserere: Confessarium approbatum cum limitatione, non posse eligi per Bullam, nisi in illa Diœcesi, loco, & tempore, in qua, & pro quibus est approbatus, & non extra ea, & pro personis tantùm, ad quarum confessionem est approbatus, & non pro aliis. Ratio; quia quando Bulla requirit Confessarium approbatum, requirit approbatum, illo eodem sensu, quo à Conc. Trid. disponitur: qui sensus debet ita intelligi, consentaneè ad declarationem quandam Congregationis ejusdem Concilii, & Breve expeditum ab Urb. VIII. Mend. cum aliis *d. 22. c. 4.*

Resp. 2. Secundam opinionem asserere: approbatum semel, quamvis cum limitatione quacumque, posse eligi semper per Bullam. Ratio; quia Bulla non exigit nisi Confessarium approbatum ab Ordinario; ergo sufficit approbatio quæcumque: & cùm Bulla non coarctet, debet favor extendi latiùs. Hæc opinio est plurium, quos apud Mendo videre licet. Prima opinio tutior est, & probabilior: Secunda habet multum probabilitatis ad minus extrinsecæ, quam potest quis tutè amplecti, cum restrictionibus quibusdam, quæ resolutionibus sequentibus adscribentur.

Resolvitur 1. Parochum, ubilibet, & pro quibuscumque personis, posse per Bullam eligi, in utraque opinione; quia ex quo constitutus fuit Parochus, approbatus fuit ab Ecclesia, ut minister publicus ejus sine restrictione aliqua.

2. Quòd quamvis animarum curæ renuntiaverit, possit eodem etiam modo eligi: quia per renuntiationem, non amittit approbationem, sed jurisdictionem, quam jurisdictionem tribuit ei Bulla in ordine ad eligentem, quamvis Busembaum sentiat loco cit. summæ, amisisse approbationem. Sed si non renuntiavit animarum curæ, sed talis cura ablata est ei ob culpas, aut dementiam, aut ignorantiam, quæ supervenit, non poterit eligi; quia tunc etiam ablata est ei approbatio, quæ concessa fuit in collatione beneficii, & remanet ipse sine illo publico aptitudinis testimonio.

3. Quòd si coarctatio, qua quis approbatur pro quibusdam personis audiendis, v. g. pro viris; & non pro fœminis, nititur in levitate, & fragilitate morum ipsius Confessarii, præcipuè si convictus sit, quòd parum cautum in confessionibus audiendis se gesserit, non possit eligi per Bullam ad audiendas fœminarum confessiones. In quo conveniunt utriusque opinionis Auctores, quia approbatio, non solùm est testimonium scientiæ, sed etiam prudentiæ, & gravitatis morum, quam approbationem absolutè non habet, qui ob defectum modestiæ, & cautelæ coarctatam habuit approbationem. Sed quando approbatio restringitur ob id tantùm, quod ad quadragesimum ætatis annum non pervenerit, ut communiter solet à Prælatis coarctari. Secunda opinio docet à quibuscumque eligi posse personis. Quam opinionem ultra plures ejus Authores, probabilem etiam docent Thomas Sanch. & Diana citati à Trullench, Bosio, & Lugo citati à Leandro; quamvis Lugo contrariam sequatur, ut videre licet apud Mend. *disp. 22. n. 68.*

4. Quòd si quis approbatus est pro uno loco, v. gr. rusticorum, quamvis multi sentiant posse ubique per Bullam eligi, alii advertunt, alii supponunt, quod si hæc coarctatio pro uno loco est ob scientiæ defectum, non possit eligi nisi ab incolis ejus loci. Leand. tamen sentit quod, quamvis coarctatio sit ob defectum scientiæ, possit eligi in tota Diœcesi, & consequenter poterat asserere, ubique eligi posse, quia ratio Leandri, æqualiter probat utrumque. Sed consequentiùs reliqui negant Auctores, quia approbatio est æquè testimonium scientiæ, ac gravitatis morum, & qui ob hujus gravitatis defectum non approbatur nisi ad audiendos homines, sentiunt omnes ipsum non posse à fœminis eligi per Bullam. Ergo, qui ob defectum scientiæ non approbatur, nisi pro uno loco, qui est rusticorum, non poterit eligi ab iis, pro quibus judicatur ignarus. Leander *to. 5. tr. 3. disp. 11. quæst. 69.*

5. Eum, qui approbatus fuit pro determinato tempore, posse per Bullam eligi, tempore adhuc transacto. Et quamvis opinionem istam non sentiant communiter Auctores secundæ opinionis, tamen hanc docet Acosta *in Bull. q. 39.* & Leander ubi suprà *q. 71.* Sed hic, non absolutè, sed casu, quo illa temporis coarctatio à sola tantum Prælati voluntate fluxerit, non autem si ab alia causa processerit: quamvis conformiùs ad principia, consequentiùs affirmare posset magis absolutè Leander. Minus habet probabilitatis in hoc puncto secunda opinio.

6. Quòd quamvis nequeat eligi, qui post approbationem reprobatus fuit justa causa: quando tamen evidenter absque causa reprobatus fuit, eligi posse sentiunt multi. In dubio, an causa sit justa, vel non, debet judicari justa, quia præsumptio debet esse pro Prælato.

7. Confessarium Regularem Ordinis Mendicantis (quod idem sentio de quocumque alio Ordine privilegia participante Mendicantium) satis esse, quòd semel approbatus sit pro una Diœcesi, ut possit eligi in ea, durante vita, & jurisdictione Episcopi, à quo fuit approbatus, nisi fortè aliqua urgentissima extiterit causa juridicè probata, ut ipse reprobetur: quia dicti Mendicantes gaudent hoc privilegio; ut approbati semel ab uno Episcopo pro una Diœcesi, non possint in eadem reprobari ab eodem Episcopo sine causa. Itaque in revocationibus generalibus, quas promulgat Episcopus circa approbationes Confessariorum, non revocantur Mendicantium approbationes, quos semel approbavit. Quare, adhuc post revocationes eas, possent isti eligi, virtute Bullæ. Et hæc est omnium communis opinio.

8. Quod cum in Bulla Latina legantur verba ista: *Et quod Regulares, qui semel approbati fuerint*; videtur sufficere, quod Regulares semel approbentur, ut semper, & in qualibet Diœcesi, & sine limitatione aliqua possint eligi; quia privilegia Bullæ explicanda sunt ea latitudine, qua favores, & illa verba in hoc sensu sine violentia interpretationem istam admittunt.

9. Quod Regularis, quem Superiores sui ab audiendis prohibent confessionibus, si approbatus est ab Ordinario, possit eligi virtute Bullæ, quia in illo concurrunt omnes requisitæ conditiones. An peccet, necne, audiens confessiones contra Superioris præceptum, colligi potest ex circumstantiis, & modo, quo tale præceptum impositum fuit.

10. Posse

10. Posse etiam eligi Confessarium Regularem, si approbatus est ab Ordinario, quamvis à Superiore proprio non fuerit præsentatus. Suar. *t.* 4. *in* 3. *p. d.* 28. *s.* 5. *n.* 15.

11. Vicarium Parochi postquam Parochus desinit Parochus esse, nisi habeat approbationem alio titulo, non posse eligi virtute Bullæ; quia etsi Parochus, qui voluntariè renonsiavit animarum curæ, possit eligi, ut dictum est, hoc ideò accidit, quia habet approbationem ab Ecclesia, ut minister ejus publicus. Vicarius autem non habet talem approbationem, *nisi* quatenus gerit Parochi vices. Hæc dicta sint consequenter ad opinionem primam, quia in secunda opinione asserendum, est consequenter, eligi posse.

12. Evidenter ineptum, quamvis approbatus sit, non posse per Bullam eligi, vel ineptitudo supervenerit, vel antecesserit ipsam, quia si præcesserit, debet approbatio censeri subreptitia. Et si constitit de ineptitudine ipsi Episcopo, data etiam approbatio non valet; quia non habet jurisdictionem approbandi in destructionem, sed in ædificationem. Itaque non censetur habere jurisdictionem ad approbandum ineptum. Si dubitaretur de ineptitudine, deberet censeri aptus, quia præsumptio debet stare pro approbante. Mendo *d.* 22. *n.* 105.

13. Non posse eligi Confessarium approbatum ab Ordinario excommunicato non tolerato, neque suspenso ab Officio, & jurisdictione; quia verè ille Confessarius non est approbatus, nam approbatio est actus jurisdictionis, quam Episcopus ita excommunicatus, & suspensus exercere non valet.

14. Posse eligi eum, qui approbatus est universaliter ab Episcopo ad Sacramenta administranda. Item eum, qui approbatus est ab Episcopo approbatione tacita, aut ratihabitione, v.g. si Episcopus vidit eum audientem confessiones, & non prohibuit, vel permisit eum audientem. Mendo *d.* 22. *n.* 114. cum aliis.

15. Confessarium electum virtute Bullæ, & sufficienter approbatum consentaneè ad opinionem probabilem, quamvis sit minus tuta, & revera falsa, absolutum validè; quia in hoc casu tribuit Ecclesia approbationem, ut in similibus jurisdictionem, quando opus sit cum opinione probabili. Neque peccabit Confessarius contra charitatem, neque justitiam; quia non exponit pœnitentem periculo gravis detrimenti, quod non est quando confessio, & absolutio sunt validæ. Sal. Vasq. Bonac. Sanch. & plures alii relati à Leandro *de Sacr. t.* 1. *tr.* 5. *d.* 11. *q.* 79.

16. Approbationem necessariam in Confessario, ut possit eligi virtute Bullæ in ordine ad confessionem, esse etiam necessariam ad gaudium aliorum privilegiorum, quæ concedit Bulla cum interventione Confessarii.

17. Non esse necessariam formulam aliquam verborum, ut eligatur; sed sufficere pœnitentem habere Bullam, & quòd sciat Confessarius, ut operari possit benefaciendo pœnitenti quidquid concedit Bulla.

ARTICULUS II.

De potestate Confessarii electi virtute Bullæ quoad absolutionem culparum reservatarum, & non reservatarum.

POtest Confessarius virtute Bullæ electus absolvere pœnitentem, semel in vita, & semel in articulo mortis à quibuscumque peccatis quocumque modo Apostolicæ Sedi reservatis, excepto crimine hæresis. A non reservatis verò, toties quoties pœnitens confessus fuerit. Si autem peccatum, aut censura, à qua cupit absolvi, satisfactionem expostulat, præmonet Bulla non absolvendum fore, quia priùs per se, aut si ipse non potest, per hæredes suos, satisfactionem reddat. Hinc resolvitur.

1. Quòd privilegium, quo gaudet habens Bullam, ut absolvatur à peccatis, non tantùm intelligitur de absolutione à peccatis commissis post acceptionem bullæ, sed de illis etiam, quæ ante acceptionem commissa sunt. Ratio, quia Bulla non distinguit alia peccata ab aliis, sed ejus verba peccata omnia generaliter comprehendunt. Th. Sanch. *in summ. to.* 1. *l.* 4. *c.* 53. *n.* 26. cum multis aliis.

2. Absolvi posse per Bullam, qui in fide Bullæ peccavit, ita ut non peccaret, nisi speraret virtute Bullæ absolvi posse: quia exceptio firmat regulam in contrarium, & cùm excipiatur dumtaxat privilegium componendi bona habita mala fide, quæ incerti sunt Domini, & privilegium indulgentiæ in articulo mortis; ne possint eo gaudere, qui operati sunt, vel socordes fuerunt in fide Bullæ, restat aliam partem esse firmatam. Covar. Sanctar. Fill. allegati à Mend *d.* 23. *n.* 6.

3. Quòd si casus Sedi Apostolicæ reservati, sunt occulti, possit pœnitens virtute Bullæ absolvi ab illis toties quoties confessus fuerit; quia quando sunt occulti, non reservantur nisi Episcopo, ut constat ex Conc. Trid. *sess.* 24. *de ref. c.* 6. Excipitur crimen hæresis, de quo posteà.

4. Quòd in locis ubi Bulla valeret, Tridentinum tamen non esset acceptum, non posset absolvi pœnitens virtute Bullæ à peccatis Apostolicæ Sedi reservatis, quamvis de occultis toties quoties confiteretur, sed semel in vita, & semel in morte; quia ibi non esset ablata reservatio respectu Episcoporum; & ita non possent isti absolvere ab his occultis casibus, quia ubi non admittitur Concilium ad onus, neque etiam admittitur ad favorem.

5. Posse absolvi quemquam à prædictis casibus virtute Bullæ, toties quoties confessi fuerint, non solum quando sunt occulti, ut nemo possit eos probare, sed etiam quando constant aliquibus, modò vulgò non sciantur, neque in forum contentiosum sint deducti; quia occultum hìc accipitur quatenus opponitur publico, & notorio, & ita accipitur à Tridentino, ut etiam in jure usitatur. Quòd autem à casibus occultis in prædicto sensu possint Episcopi absolvere, quamvis sint Pontifici Summo reservati, docent DD. cit. à Mendo *d.* 23. *n.* 68.

6. Quòd quamvis dicti casus sint publici in uno loco, si in alio sunt occulti, in quo non timentur faciendi publici, & divulgandi, possit ibi ab illis absolvi pœnitens, virtute Bullæ. Quòd etiam dicimus quamvis deducti fuerint ad contentiosum forum, modò alia via non sint publici, & reus sententiam declaratoriam pro se obtinuerit: quia casus illi adhuc remanent occulti. Idem cum aliis *num.* 69. Et Diana putat veram hanc sententiam, quamvis reus per turpia media sententiam sibi favente obtinuerit, & quamvis non obtinuerit sententiam definitivam, sed interloquutoriam, in qua solum absolutus fuerit ab instantia, ita ut possit iterum pro eodem delicto vocari in judicium, quia tunc casus iste adhuc remanet occultus, & per illam sententiam deletur infamia, quæ orta erat ex crimine ad forum deducto contentiosum, & causa restitutæ permanet statui antiquo. Ratio: quia potest Episcopus absolvere à culpis Pontifici reservatis, quando aliquo ex dictis modis sunt occultæ. Henriqu. Casp. Trull. Suar. Castrop. & alii, quos affert Mendo, *n.* 70. Dian. *p.* 7. *t.* 1. *tr. Res.* 18.

7. Quòd est probabile, posse quemquam absolvi virtute Bullæ toties quoties confessus fuerit, à peccatis Pontifici reservatis, pro quibus fuit jam in foro contentioso castigatus: quia probabile est, posse ab illis absolvi ab ipso Episcopo. Mendo *d.* 23. *num.* 71. cum aliis.

8. Quòd quamvis crimen hæresis excipiatur, non intelligitur hæc exceptio de hæresi purè interna, quia hæc non est reservata: & ita à peccatis illis

potest quilibet approbatus Confessarius absolvere, sola jurisdictione ordinaria.

9. Quòd neque etiam intelligatur de hæresi naturali, ut purè externa, quando aliquis, v. gr. signis, aut verbis declarat hæresim, ob aliquem externum metum, aut convenientiam, conservando in corde fidem. Itaque potest quis ab hac hæresi absolvi à quocumque Confessario approbato: quia qui in talem hæresim incidit, nec hæreticus est, neque excommunicatus. Si verò quis exteriùs negat fidem, idolatrat, incurrit excommunicationem impositam à Papa Joanne vigesimo secundo in Extravaganti *super illius specula*, à qua potest quilibet Confessarius approbatus absolvere, quia non est reservata. Sylvester, Nav. Sayr. Bard. Ludov. à Cruce, Thom. Sanchez, Azor. Trull. & alii, quos citat Mendo *n.* 90.

10. Hæresim, à qua non potest quis absolvi virtute Bullæ, esse hæresim formalem externam, vel sit publica, vel occulta. Quæ ut externa, opus est, quòd verbis, vel signis declarata sit, ita ut si aliquis audiret, vel videret, posset cognoscere hæreticum animum pronunciantis, aut facientis. Nec opus est, quòd aliquis videat signa, vel audiat verba, ut hæresis sit externa. Sufficit posse videri, aut audiri ab aliquo si adesset, quamvis per accidens non adsit. Quando hæc hæresis formalis externa est occulta, videtur, quod si potest ab ea Episcopus absolvere, ut docent plures, etiam posset absolvi quis ab ea, virtute Bullæ, ut diximus de casibus reliquis Pontifici reservatis, quando sunt occulti: & hæc absolutio posset obtineri toties quoties quis confiteretur. Sed concesso etiam., quòd Episcopi possent absolvere ab illa, quando est occulta, & quod per Bullam *in Cœna Domini*, non derogetur illis facultas, quam habent à Concilio Tridentino, ut possint absolvere ab ea, quod negant plures, quos apud Mendo *num.* 8. videre licet; adhuc dico: Quod virtute Bullæ non potest absolvi ab hæresi occulta dicta, quia expressè excipitur in Bulla, & hæc est mens Pontificum, & praxis communis. Et quamvis videatur, exceptionem non cadere nisi supra hæresim publicam, ut semel in vita, & semel in morte non possit absolvi ab illa, ut potest absolvi à cæteris peccatis Pontifici reservatis; assero: Cadere etiam supra hæresim occultam, ne possit quis absolvi ab ea toties quoties quis confiteatur; quia tota absolvendi facultas, vel à peccatis publicis, vel occultis legitur in eadem clausula, in qua legitur exceptio; & fit obviam dexteritate prudenti; nam constat ex dictis, Potentem absolvere à peccato Pontifici reservato, quando est occultum toties quoties, posse virtute Bullæ absolvere ab eodem, quando est publicum semel in vita, & semel in morte: Ergo, qui non potest ab hæresi publica, & semel in vita, &c. ut non potest Confessarius virtute Bullæ, neque etiam potest absolvere ab eadem quando est occulta toties quoties. *Idem d.* 23. *c.* 24.

11. Idem, quod dicitur quoad absolutionem à crimine hæresis, debere dici quoad apostasiam à fide, potiori jure.

12. Quod à reliquis peccatis excepta hæresi, & apostasia, quamvis reservata sint peccata Inquisitoribus, potest quis absolvi virtute Bullæ, & etiam ab iis, quæ non sunt Apostolicæ Sedi reservata toties quoties confessus fuerit.

Quæritur primò: Quodnam sit privilegium Bullæ quando concedit, quod semel in articulo mortis possit quis absolvi a casibus Apostolicæ Sedi reservatis?

Ratio dubitandi est: Quia in illo articulo, neque casus est, neque censura ulla reservata; ergo nihil per istud privilegium conceditur.

Resp. 1. Quòd per istos casus reservatos Pontifici, qui omnes habent annexam censuram, concedi: Absolutum ab illis virtute Bullæ in articulo mortis, manere sine obligatione præsentandi se Pontifici ratione censuræ, casu, quo ille mortem evaserit. Quæ obligatio remanet, quando in illo articulo absolvitur à Confessario, de jurisdictione tantùm ordinaria, qui absolutus, si non præsentatur, reincidit in eandem censuram. Quod idem dicimus de casibus cum censura reservatis aliis Superioribus inferioribus Pontifici, nempe quod absolutus ab illis virtute Bullæ in articulo mortis, non teneatur se præsentare posteà Superiori; absolutus verò à Confessario, de jurisdictione tantùm ordinaria remaneat cum obligatione ista. Sanch. Vasq. Lugo, Gasp. Hurt. Leand. quos citat Mendo *n.* 102.

Resp. 2. Quoad casus sine censura reservatos, verum esse privilegium istud nihil operari; quia obligatio, qua tenetur præsentandi se absolutus in articulo mortis, tantùm est ratione censuræ, non ut absolvatur ab eadem censura, quia jam fuit ab illa absolutus; sed ut Superior videat, an oporteat imponere illi satisfactionem aliam, vel applicare illi aliam spiritualem medicinam. Unde resolvitur.

Hoc privilegium absolvendi in articulo mortis, posse haberi in usu, in periculo etiam mortis, & quod hoc periculum debeat intelligi in casibus supradictis, *d.* 10. *art.* 3. *in resp. ad quæsitum* 5. *& resolutione ejus.*

Quæritur secundò: Quibusnam verbis, aut forma absolvendum sit virtute Bullæ à peccatis, & censuris?

Respondeo: Quod quamvis in Bulla vulgari ponatur forma, non tamen necessarium esse illam observare, sed sufficere, Confessarium absolvere in forma, quæ communiter usitatur, advertendo tamen absolvere virtute Bullæ. Hìc debebant adscribi casus Pontifici reservati, sed cùm nullus sit reservatus, qui non habeat annexam censuram, ponuntur isti casus in tractatu de censuris, *l.* 7. *c.* 2. *d.* 4. *art.* 3. 4. 5. ubi videre licet.

Qui autem antiquo jure reservati erant Episcopis, jam non sunt reservati, quia consuetudo abrogavit reservationem. Itaque inquirendi sunt ii, qui in qualibet Diœcesi sunt reservati.

ARTICULUS III.

An possint Regulares eligere virtute Bullæ Confessarium, qui eos absolvat à peccatis reservatis, & non reservatis?

Resp. 1. Non posse, quoad casus reservatos; neque Confessarium ordinarium Monasterii, vel domus posse absolvere ab illis virtute Bullæ. Hæc sententia est communis, & quamvis ante decretum Urbani Octavi, Doctores aliqui graves contrarium senserint, post illud tamen decretum, nemo audet eam defendere, quia parùm jam, aut nihil habet probabilitatis. Fundamentum robustum, & Achilles nostræ sententiæ nititur in Bulla, quam decimo nono die Junii, anni 1630. expedivit Urbanus Octavus, & refert Mendo *num.* 122. *disp.* 24. Ubi declarat: Non esse mentem Apostolicæ Sedis, quando Bulla Cruciatæ conceditur, concedere Regularibus privilegium, ut absolvi possint à reservatis. Videatur Mendo *n.* 12. *d.* 24.

Resp. 2. Quoad casus non reservatos, posse Regulares gaudere privilegio Bullæ, ut possint eligere Confessarium approbatum, quem voluerint, ut absolvantur; Quamvis erit conveniens non præsumere privilegium, renitente Prælato. Ratio desumitur ex ipsa Urbani Bulla, in qua duntaxat excipitur, quod Regulares non possint gaudere privilegio Bullæ quoad casus reservatos: ergo possunt gaudere quoad non reservatos, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Mendo cum pluribus, quos citat *d.* 24. *n.* 185.

Quæri

Quæritur primò : An Novitii possint gaudere virtute Bullæ quoad casus reservatos ?

Resp. affirmativè : Quia Novitii non comprehenduntur nomine Religiosorum, quoad odiosa.

Quæritur secundò : An Regularibus Ordinum Militantium prohibeatur, per decretum Urbani, gaudere Bulla quoad absolutionem à reservatis ?

Resp. affirmativè, si forsan in Religionibus his, casus sint reservati ; quia Bulla comprehendit Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, quin excipiat quosquam, quamvis speciali nota aliqua sint digni. Dixi *Si forsan in Religionibus his, casus sint reservati* ; Quia Mendo *n.* 173. asserit se audivisse à personis fide dignis, & habentibus interiorem notitiam statutorum dictarum Religionum, nullos in his haberi casus reservatos.

DUBIUM XV.

De potestate Confessarii in virtute Bullæ quoad absolutionem à censuris.

ARTICULUS I.

De censuris in generali.

COncedit Bulla, quod possit quis eligere Confessarium approbatum, qui possit eligentem absolvere à censuris Apostolicæ Sedi reservatis, semel in vita, & semel in morte. A non reservatis verò Sedi Apostolicæ, toties quoties confessus fuerit. Unde resolvitur,

1. Quod ea, quæ dicta sunt quoad absolutionem à casibus reservatis, tam Pontifici, quàm aliis inferioribus Prælatis, dicenda sint proportionaliter, quoad absolutionem à censuris.

2. Quod cùm ab his, quæ Papæ non sunt reservatæ, liceat absolutio toties quoties ; etiam à reservatis Papæ liceat absolutio toties quoties, si fuerint occultæ, excepta illa censura, quæ incurritur per hæresim formalem externam ; quia hæc, quamvis sit occulta, non potest absolvi, ut diximus de crimine hæresis reservato.

3. Quòd quamvis non sit necessarium ad absolvendum à censuris, esse ordinatum in sacris ; ad absolvendum tamen ab illis virtute Bullæ necessarium esse Confessarium approbatum, quia soli isti committitur Bullæ facultas.

4. Quòd à censuris possit absolvi absens, qui *in foro conscientiæ* est absolutus : quia virtute Bullæ non conceditur absolutio ad forum externum ; ergo conceditur ad internum tantummodò. Quamvis videbimus posteà, an aliquibus casibus possit etiam ad externum forum.

5. Quod si est pars læsa, debeat absolutus à censuris virtute Bullæ, satisfacere per se, aut per hæredes suos ; & pro hac satisfactione reddenda, debeat præstare cautionem sufficientem judicio prudentis Confessarii. Quod possit per hæredes suos satisfacere, intelligitur quando satisfactura absolvitur in mortis articulo, quia extra articulum hunc, non debet ad hæredes satisfactio transire, quando statim potest adimpleri satisfactio.

6. Quod virtute Bullæ possit Confessarius absolvere in foro conscientiæ à censuris generalibus *ab homine*, quamvis qui excommunicationem imposuit, absolutionem sibi reservaverit. Etiam à censuris particularibus *ab homine* potest quis absolvi in eodem foro, quando satisfactum est parti læsæ, vel data est sufficiens cautio, aut quando satisfactio est impossibilis, vel cum parte conventum est ; quia in Bulla non excipiuntur censuræ particulares *ab homine*, & ita non debet coarctari facultas absolvendi ab illis, observatis debitis requisitis,

Henriq. Thom. Sanchez, Acosta, Sayrus, Dian. Covar. Navar Ludov. à Cruz, Trull. quos citat, & seq. Mendo *d.* 25. *n.* 121.

7. Quòd quamvis delictum, per quod censura Papæ reservata, contracta est, ad forum contentiosum deductum sit, v. gr. Percussio Clerici, si parti satisfactum fuerit, vel cautio data sufficiens, possit quis virtute Bullæ absolvi ab eo semel in vita, sed non ultrà, quia est delictum publicum.

8. Quòd si pœnitens reddit sufficientem cautionem judicio prudentis Confessarii, quam tamen cautionem læsa pars non vult admittere, quia non videtur sibi sufficiens ; non debeat istius læsæ partis malitia, beneficio absolutionis obstare. Potest itaque virtute Bullæ absolvi in foro interno reservata censura. Sed in his omnibus casibus, & similibus, in quibus jurisdictio Judicis perturbari posset, debet Confessarius admonere pœnitentem, ut in exterioribus, ut censura ligatum se gerat. Quod si videatur Confessario, pœnitentem præ ignorantia, vel alia quacumque ratione, admonitionem non observaturum, non debet absolvere. Sed si tamen absolveret, quamvis illicitè faceret, absolutio teneret. Mendo *n.* 230.

9. Quod absolutus in foro interno à censura, si habet beneficium, antequam absolvatur in foro externo, validè possit beneficium retinere, ejusque fructus percipere, quamvis Judex possit eum reconvenire, & beneficio privare, quia quamvis in foro conscientiæ fuerit collatio valida, in externo foro non judicatur de occultis.

10. Absolutionem datam virtute Bullæ sine satisfactione partis, aut cautione, validam esse quamvis illicitam. Ratio ; quia clausula, quæ legitur in Bulla, quod parti fiat satis, non est ad coarctandam facultatem absolvendi, sed ad formam juris advertendam, ut observetur. Auctores plures, quos apud Mendo, *n.* 219. videre est, contrarium sentiunt. Quia Pontifex non tribuit facultatem absolvendi per Bullam, nisi apposita conditione illa, ut parti fiat satis : ergo si deficit conditio illa, deficit etiam facultas. Hæc sententia est tutior, quamvis prima sententia probabilior, quia ejus ratio robustior. Thom. Sanch. Barb. Valer. Avila, Dian. citati à Mendo *n.* 138.

11. Quod cautio, quæ ante absolutionem debet dari, vel sit pignoratitia, vel sit fidejussoria, danda sit parti, vel parti jure gaudenti, ut videat an sibi pignus, vel fidejussio pro cautione sufficiant. Et sufficiet quod Confessario detur pignus, quia eo ipso securitas habetur. Quando per jusjurandum præstatur cautio, sufficit Confessarium accipere talem cautionem, & hoc confirmat communis praxis.

Quæritur primò. An absolutio, quæ tribuitur in foro conscientiæ virtute Bullæ possit valere in externo foro ad effectum aliquem ?

Respondetur affirmativè ; quando parti realiter satisfactum est, vel conventio ad ejus arbitrium facta fuit, aut quando non est pars læsa, vel causa ad forum contentiosum non est deducta (excepto casu publicæ percussionis Clerici.) Ratio : Quia verè tollitur censura per absolutionem in foro interno ; ergo si non est scandalum, neque ordini judiciali præjudicatur, si de absolutione constet, potest ad externum valere forum. Ne scandalum fiat, qui incurrit censuram, debet non se gerere, ut absolutum, quousque de absolutione constiterit, vel per fidem adhibitam à Confessario, obtenta licentia ab ipso absoluto, si absolutio fuit in confessione facta ; vel absolvendo eum coram testibus, & Notario ; vel tradendo pœnitenti testimonium manu propria subscriptum, adhibita fide Notarii, quòd litteræ

illæ, & subscriptio sit ipsius Confessarii ; vel alio quovis modo, quo absolutio publicari, & fidem facere possit. Neque præjudicatur ordini judiciali, si parti satisfactum fuerit ; quia judicialis ordo institutus fuit, pro tali partis satisfactione. Quod si pars non esset, adhuc potest Judex habere se benignè, & admittere in suo foro absolutionem illam expellendo accusatorem. Et adhuc Valerus addit : Judicem teneri admittere illam ; quia satisfactum est parti, & non fit illi injuriam : unde infertur : Hanc esse Pontificum mentem ; si quidem volunt, absolutionem virtute Jubilæorum concessam, ad forum valere externum, satisfacta parte. Et ita declaravit Gregorius XIV. anno 1501. Et Pius V. anno 1548. Sed cùm sit probabilis opinio, quod absolutio in foro conscientiæ data non valeat in exteriori foro, potest Judex illam non admittere arbitrio suo. Itaque quando dicimus, talem absolutionem ad forum valere exterius, volumus intelligi : si Judex non repugnet in casu jam ad ejus forum deducto, qua intelligentia ordo judicialis perturbari nequit. Med. Rodr. Ferr. Siman. Decio, Paulo, Par. Henr. Cand. Avila, Trul. Mendo *num.* 158.

Quæritur secundò : An per Bullam possit absolvi ad reincidentiam, ita ut absolutus, in eandem censuram reincidat, nisi adimpleat quod sibi fuit impositum ?

Respondetur negativè ; quia solùm potest absolvere ad reincidentiam qui potest censuras ferre : Confessarius autem virtute Bullæ non potest censuras ferre, sed absolvere.

ARTICULUS II.

De Censuris in particulari.

TRiplex est censura : excommunicatio, suspensio, & interdictum. Hic assignandæ sunt, quæ uniusque speciei ex assignatis, reservantur Pontifici, ne Confessarius à potestate sibi per Bullam concessa excedat, absolvens ab illis ulteriùs, quàm semel in vita, & semel in articulo mortis, quando censuræ incursæ sunt publicæ.

Excommunicationes reservatæ Pontifici apud Bullam *in Cœna Domini*, apud jus, & extra illud, inveniuntur, ut diximus *l.* 7. *c.* 2. *d.* 4. *ar.* 3. *nu.* 4. & 5. super quibus nulla hic offertur difficultas ratione Bullæ, de qua agendum sit.

Suspensiones communiores, quæ inveniuntur in jure, habentur in hac summa, *l.* 7. *c.* 3. *d.* 2. Quibus addo duas ; primam capitis primi ; *de ordinatis ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui.* Ubi suspenditur ab ordinum executione, qui accipit ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcoparui. Quod si acceperit ordines, sciens, & prudens renunciationis, suspensio hæc reservatur Papæ ; si autem ignarus renunciationis, reservatur Episcopo. Secundam ; Si eveniret, ut Pontifex dispensaret cum Diacono ad contrahendum matrimonium, & justè etiam suspenderet illam ab usu ordinis Subdiaconatus finito matrimonio, solus Pontifex posset talem suspensionem auferre. Sed si est matrimonium ratum, & dissolvitur per ingressum Religionis, Diœcesanus Episcopus potest absolvere.

Cunctæ suspensiones impositæ à jure in pœnam alicujus criminis, prout communis fert sententia, Pontifici reservantur. Quod idem de suspensionibus extra jus à Summis Pontificibus impositis sentiendum est. Panormit. *c.* 2. *de sol. nu.* 5. Sylv. *verb. Suspensio nu.* 8. Felin. *ibid.* Mendo *d.* 25. *n.* 96. & alii plures.

Quæ autem imponuntur in jure non in pœnam, sed pro contumacia, & non reservantur, potest absolvere Episcopus : quia cùm non sit pœna, sed medicina, neque Pontifex eas sibi reservet, patitur lex hanc benignam interpretationem.

Interdictum, aut est locale, aut personale. Certum est autem, locale non posse Bullæ virtute tolli, sed personale ; quia Bulla est privilegium personæ, non loci.

Interdicta à jure, sunt multa, quæ refert Mendo, *in c.* 9. *d.* 25. Remittens ad speculationem ipsius juris discutere, an sint reservata, vel non. Quæ interdicta cùm non innitantur casibus frequenter occurrentibus ideò non hìc adscribuntur, & ne etiam excedamus affectatam in hac materia brevitatem : Quoad absolutionem ab eis, & suspensionibus, & excommunicationibus, observandum est id, quod sæpiùs advertimus : Nempè contracta, per delictum publicum, si Pontifici reservantur, posse virtute Bullæ absolvi non ulteriùs, quàm semel in vita, & semel in articulo mortis. Contracta autem per delictum occultum, & reliqua etiam non reservata, vel reservata Superiori, qui sit Pontifice inferior, posse absolvi toties quoties.

Quæritur : An virtute Bullæ irregularitas aliqua tolli possit ?

Respondetur negativè. Quia irregularitas non est censura, aut communis fert sententia, censuræ duntaxat solvuntur virtute Bullæ. Trullench verò asserit, contrariam sententiam non esse improbabilem ; & quod in praxi possit quis illam sequi, quando necessitate urgente non datur facilis ad Superiorem recursus. Plures etiam, quos refert Diana sentiunt, virtute Bullæ posse absolvi ab irregularitate, quæ purè est pœna, non verò ab alia. *In Bulla l.* 1. §. 7. *c.* 2. *d.* 17. *nu.* 4. Dian. 1. *p. tr.* 11. *sess.* 27.

DUBIUM XVI.

De potestate commutandi vota virtute Bullæ.

VErba Bullæ sunt hæc : *Podrà tambien el dicho Confessor commutarles qualesquiera votes, aunque sean conjuramento, dando la limosna, que pareciere en favor, y beneficio de la Bulla de la Santa Cruzada, excepto los de la Callidad, y Religion, y Ultramarino.*

ARTICULUS I.

Resolvuntur dubia aliqua.

PRimum dubium : *An in facultate, quæ conceditur commutandi vota virtute Bullæ, concedatur etiam dispensandi ?* Respondetur negativè. Est sententia communis. Ratio ; quia in facultate minori, ut est facultas commutandi, non includitur facultas major, qualis est dispensandi. Sotus tamen tenet affirmativam partem : Leander etiam pro hac opinione refert Tabienam, & Tolet. sed hi Auctores non loquuntur de commutante cum potestate delegata, qualis est Bullæ potestas ; sed de commutante cum potestate ordinaria ; quod longè diversum est. Sot. *l.* 7. *de just. q.* 4. *versus Post hæc.*

Quæritur secundò : Quisnam Confessarius possit commutare vota virtute Bullæ ? & ubi commutatio facienda sit in Confessione ?

Respondetur : Quemlibet Confessarium ab Ordinario approbatum ; juxta opiniones à nobis relatas circa approbationem necessariam, ut quis eligi possit virtute Bullæ. Quòd autem commutatio possit extra confessionem fieri, est communior sententia.

Tertiò : An ad commutandum virtute Bullæ requiratur causa ?

Respondetur : Non requiri aliam causam præter eam, quæ imbibitur in ipsa facultate, & exercitio commutationis, nempè eleemosynam, quæ tribuitur

ad

ad subveniendum intentioni ipsius Cruciatæ. Hæc est plurium, quos refert Mendo *disp.* 20. *n.* 183.

Quartò: An per Bullam possint vota commutari in opus non æquale, sed minus?

Respondetur: Undique esse Auctores, & negantes, & asserentes. Leander utramque opinionem æque asserit probabilem. *to.* 1. *tr.* 5. *disp.* 4. *q.* 156.

Quinto: An virtute Bullæ totà commutatio fieri debeat in subsidium Cruciatæ?

Respondetur: Non esse necessarium ita fieri commutationem, quamvis benè posset fieri, si censeretur expedire.

Sextò: Quænam summa danda sit in subsidium Cruciatæ?

Respondetur: Hanc summam in arbitrio prudentis Confessarii relinqui positam. Debet autem detrahere ab aliis piis operibus, quod in subsidium Cruciatæ in commutatione addiderit.

Septimò: An in commutatione pro eleemosyna temporali, his, qui non possunt talem eleemosynam elargiri, possit Confessarius imponere eleemosynam spiritualem, v. gr. Orationes, & alia pia opera in subsidium expeditionis Cruciatæ?

Respondetur: Plures Auctores affirmativam tenere sententiam, quos videre est apud Mendo; & ipse quamvis illam non sequatur, asserit securam in praxi *d.* 46. *n.* 177. & 178.

Octavò: An virtute hujus privilegii, juramenta possint commutari?

Respondetur affirmativè: Et non solùm quando juramenta cadunt supra votum ad firmandum illud, in quo non potest esse dubium, quia exprimitur in Bulla, sed etiam quando juramentum fit seorsim, & separatim à voto; quia juxta regulas juris, quidquid disponitur in altero duorum æquivalentium, censetur etiam in alio disponi. Votum & juramentum procedunt ab eadem virtute Religionis, & fiunt in Dei honorem, & cultum, ergo quemadmodum votum potest per Bullam commutari, sic & juramentum. Trull. Candid. Thom. Sanch. Suar. Fill. Dian. Basil. de Leon. Hinc resolvitur.

1. Quidquid in commutatione voti observatur, debere etiam in commutatione juramenti observari, Layman, Leand. & Mendo *d.* 26. *n.* 62.

2. Quòd si aliquis fecisset votum juramento confirmatum, commutato per Bullam voto, quod est præcipuum; manere deobligatum à juramento, quod est accessorium.

3. Quòd si vota, aut juramenta sunt in favorem tertii, non possint per Bullam commutari, si à tertio jam acceptata sint; quia Pontifex non concedit privilegium uni in alterius præjudicium: benè tamen possunt commutari antequam acceptentur, quamvis in subsidium pauperum, vel operum piorum fuerint facta. Et addit Trull. *l.* 1. §. 7. *c.* 7. *d.* 7. *n.* 2. Vota etiam acceptata, posse non improbabiliter per Bullam commutari, si adsit justa causa, quod non admittit in juramentis. Et Fag. *l.* 2. *in Decal. c.* 49. num pluribus sentit idem, refertque Cajet. & Petr. de Navarr. Basil. de Leon. Barbos. Laym. Mendo *d.* 26. *n.* 147.

Quæritur primò: An si quis fecit votum, imposuit que sibi pœnam aliquam pecuniariam in pœnam violati voti; post violationem illius, possit ista pœna per Bullam commutari?

Resp. affirmativè: Quia major est obligatio, quæ resultat ex violatione voti, quàm ea, quæ resultaret ex voto absoluto, & directo, quod quis fecisset dandi illam pecuniam; sed hæc obligatio ex voto absoluto, & directo potest commutari per Bullam; ergo etiam illa, quæ est minor. Mendo *d.* 26. *n.* 149. cum multis.

Quæritur secundò: An votum faciendi quidquam, & non petendi commutationem illius voti, possit per Bullam commutari?

Resp. affirmativè: Quia is, qui votum facit, non potest derogare authoritati Superioris potentis commutare votum, & delegare facultatem commutandi, ut per Bullam Pontifex deleget.

Quæritur tertio: An facienti votum cum intentione, ut tale votum Pontifici reservetur, & quòd nullus illud possit dispensare, neque commutare per privilegium quodvis, possit votum illud commutari per Bullam?

Resp. affirmativè: Quia illa intentio, neque efficit, neque efficere potest quòd intendit; quia reservatio voti dependet unicè à potestate reservantis.

ARTICULUS II.

De votis, quæ virtute Bullæ commutari nequeunt.

TRia sunt hæc vota, nempè Castitatis, Religionis & Ultramarini, de quibus suo ordine differetur.

Quæritur primo: Quodnam Castitatis votum nequeat per Bullam commutari?

Resp. Votum absolutum castitatis perpetuæ, & perfectæ, quod sequentibus declarabitur resolutionibus:

1. Votum conditionale castitatis, commutari posse per Bullam ante, & post purificatam conditionem: quia hoc votum potest commutari ab Episcopo; ergo etiam virtute Bullæ: siquidem per istam virtutem possunt commutari cuncta, præter tria assignata. Thom. Sanch. Trul. Ant. Gomez, Dian. Toler. Leand. Mend *n.* 85. & alii.

2. Votum castitatis conditionale pœnale, posse etiam commutari per Bullam. Probatur eadem ratione, & quia non est votum castitatis perfectum, & quia non fit propter affectum ad id, quod promittitur.

3. Votum castitatis conditionale, quod non pendet à conditione contingenti, sed certa, non esse conditionale, sed absolutum, & ita non posse per Bullam commutari. V.g. si quis voveret castitatem sub conditione, quòd Sol oriretur crastina die.

4. Neque etiam per Bullam commutari posse votum pœnale de materia reservata, quando tale votum fit in pœnam peccati jam commissi, vel quod committitur, quando fit votum. Ratio, quia conditio non suspendit consensum, nec est contingens ita, ut ab ejus contingentia sit etiam contingens substantia, & obligatio voti, quapropter votum censetur absolutum.

5. Non posse commutari votum castitatis ad centum annos; quia censetur perpetuum, quia ab annis his, in quibus tale votum potest fieri, non potest quis prudenter sibi promittere vitam ultra centum annos.

6. Posse commutari votum castitatis, quod factum est ad aliquod tempus, v.g. quatuor aut decem annos; quia non est reservatum Pontifici, quod non est perpetuum. Sed si vovens esset jam ætatis multùm provectæ, v.g. nonagenarius, aut centenarius, considerandæ sunt istius, & valetudo, & vires, an prudenti judicio possit vivere ultra decem, aut quatuor annos ad quos facit votum, quia si istius vita prolixior non speratur, debet censeri perpetuum, & consequenter nequit per Bullam commutari.

7. Illum, qui virginitatem vovit, animo duntaxat abstinendi se à primo actu venereo, quo violatur virginitas, posse per Bullam obtinere commutationem voti, quia hoc votum est castitatis partialis.

8. Votum non petendi debitum posse commutari alterutri conjugum, & utrisque, quia est votum castitatis partialis. Etiam potest commutari alteri conjugum, votum castitatis, quod fecit sine licentia alterius post matrimonium consummatum; quia non est votum castitatis perfectæ, siquidem remanet cum obligatione solvendi debitum. Sed utrisque conjugibus non potest commutari votum, quando de communi consensu voverunt, quia est votum perfectum castitatis, ita ut eorum neuter possit, nec petere *debitum*, nec reddere.

9. Votum non contrahendi matrimonium, per Bullam posse commutari, quia non est votum castitatis perfectæ; Neque contra votum faceret, qui non contrahendo, peccaret contra sextum Decalogi præceptum. Potest etiam commutari votum accipiendi Ordinem Sacrum; quia non est votum *castitatis*, sed status cujusdam, cui castitas annexa est. Itaque non peccaret contra votum, qui graviter circa castitatem delinqueret ante ordinem susceptum.

10. Votum conjugale castitatis posse commutari; quia est votum castitatis partialis. Nisi fortè, authoritate Pontificia, hoc votum statui alicui annexum fuerit, v. g. Ordinis Militaris, in quo equites, qui professionem emittunt, castitatem conjugalem vovent; quamvis videatur probabile juxta opinionem negantem hos esse veros Religiosos, quòd votum istud castitatis conjugalis possit commutari in his, quemadmodùm in aliis conjugibus.

11. Resolutio. Quòd votum disjunctivum est commutabile per Bullam, quamvis una ejus voti pars sit Pontifici reservata, dummodò alia non reservetur; quia est voluntatis ejus, qui vovit, eligere partem illam materiæ non reservatę, quæ commutabilis est. Sed si elegisset partem materiæ reservatæ, communior opinio negat commutari posse; quamvis Maldero defendat contrariam sententiam, & Diana dicat, cum probabilitate magna defendi posse. Mendo etiam id affirmat, modò postquàm materiam reservatam elegerit, non denuò voveat; quia votum illud non fuit à principio reservatum; ego si non denuò fiat votum, non potest electio materiæ, reservatum facere. Maldero *tom.* 2. *tr.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. Mendo *disp.* 26. *n.* 115.

12. Quòd probabile, & tutum sit, commutari posse per Bullam votum castitatis factum propter metum levem ab extrinseco causatum, quia simpliciter non est perfectum; siquidem deest illi perfectio libertatis, & spontanei, juxta coactionem, & involuntarium. Bon. Less. Ang. Nav. Fun. Dian. Trull. Mend. *n.* 117.

13. Quòd si quid plura vota castitatis partialis, v. g. votum contrahendi matrimonium, & post hoc, votum etiam abstinendi se ab una specie luxuriæ, & postea ab alia specie, &c. ita ut in omnibus votis simul junctis includatur obligatio servandæ castitatis perfectæ; vota non possint commutari per Bullam, si vovens voluit jungere votum ultimum cum reliquis votis, itaut foret ultimum votum, complementum omnium, ut vovens omnimoda, & perfecta castitate teneretur. Sed si non habuit talem intentionem, sed fecit quodcumque votum quasi seorsim, & unumquodque cum affectu solo ad materiam partialem ejus, commutari possunt hæc vota unumquodque seorsim, quia singula sunt vota castitatis partialis.

14. Quòd si votum castitatis, aut cujusvis materiæ reservatæ commutavit Pontifex in aliam materiam non reservatam, hæc secunda obligatio voti possit virtute Bullæ commutari; quia commutatio, delevit reservationem. Less. Arag. Suar. Thom. Sanch. & alii, quos citat, & sequitur Mendo *n.* 125.

15. Quòd votum castitatis factum ante contractū matrimonium, non possit cuiquam commutari per Bullam, petere debitum possit. Ratio: quia illud votum fuit absolutum castitatis perfectæ, & ita non potest commutare partem illius, qui non potest commutare totum; unde Pontifex solus potest.

Quæritur secundò: Quodnam Religionis votum nequeat per Bullam commutari?

Resp. Votum absolutum, & perfectum Religionis. Th. Sanch. Trul. & aliis, quos citat Mendo *n.* 119. Unde resolvitur.

1. Quòd in circunstantiis, in quibus dictum est in resolutionibus supradictis quòd votum castitatis commutari possit, Religionis etiam votum commutari valeat, accommodatis casibus proportionaliter unius materiæ, & quæstionis ad aliam.

2. Quòd votum hoc debeat esse votum Religionis approbatæ, ne commutari possit. Itaque potest commutari votum ingrediendi domum aliquam, vel Hospitium, vel Collegium, ubi viri, aut fœminæ commorantur divino cultui dediti. Et etiam commutabile est votum ingrediendi Religionem approbatam non ut ibi quis Religiosam vitam degat, sed ut habitu incedat eremitæ, &c. quia isti non sunt verè Religiosi. Hic est communis omnium Bullæ expositorum sensus.

3. Posse commutari vota paupertatis, & obedientiæ, quæ quis facit in sæculo, aut Religione non approbata, quia ista non sunt vota Religionis.

4. Posse commutari votum accipiendi habitum *in* Religione Divi Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & aliis Religionibus militaribus) excepta Religione Divi Joannis, quia hæc est vera Religio, utpotè, in qua castitas, paupertas, & obedientia voventur.) Ratio; quia, cùm alii defendant, Religiones illas, non esse verè, & propriè Religiones; alii verò contrarium sentiant, restat in opinione, an sint propriè, & verè Religiones: & consequenter an reservatum sit votum ingrediendi eas: quod sufficit, ne hoc votum censeatur reservatum; odia enim restringenda sunt. Mend. *d.* 26. *n.* 132.

5. Posse commutari vota ingrediendi Religionem austeriorem, in ingressum Religionis laxioris votum ingrediendi in hoc Monasterium, in ingressum alterius Monasterii; votum etiam differendi ingressum quoad certum tempus; votum perseverandi in Religione, prout votum istud distinguitur, à voto ingrediendi Religionem: quia in cunctis istis casibus, non commutatur substantia voti, sed qualitas. Mendo in variis *n.* 2. *c.* 12. in quo citat alios.

Quæritur tertio: Quodnam votum Ultramarinum non valeat per Bullam commutari?

Resp. Votum duntaxat absolutum, & perfectum peregrinationis ad visenda loca Sancta Hierosolymorum, vel eorum aliquod, in quo omnes Bullæ conveniunt Expositores, Hinc resolvitur.

1. Quòd hoc votum possit commutari per Bullam in casibus, de quibus egimus de voto castitatis, & Religionis proportionaliter, v. gr. quando hoc votum est conditionale, pœnale, vel factum est ob metum causatum ab extrinseco, &c.

2. Quòd quidquid non est de substantia voti, sed tantùm de qualitate, commutari possit, v. gr. ire pedibus, vel mendicando.

3. Hoc votum non posse commutari, quamvis ob devotionem solam sit factum. Est communis sententia, ut potest videri apud Mendo *num.* 143. contra Graffium, & Sà, qui putarunt, votum hoc tunc duntaxat reservari, & incommutabile esse per Bullam, cùm in subsidium fiebat Terræ Sanctæ.

DUB.

DUBIUM XVII.

De aliquibus difficultatibus Bullæ, quæ explicandæ restant.

ARTICULUS I.

An debeat asservari summarium Bullæ, & inscribi nomen accipientis?

Hæc sunt verba Bullæ: *Y declaramos, que los que la tomarem, ayan de guardar, y recibir esse sumario, y Bulla, que va impresso de molde, y sellado, y firmado de nuestro nombre, y sello, porque de otra manera noganan, ni gozan de la dicha Bulla, ni gracias de ella. Y por quanto vos N. disteis dos reales de plata, que es la limosna, que avemos tassado, y declarado, y recibisteis esta dicha Bula, y escrito en ella vuestro nombre, declaramos que aveis conseguido, y seos conceden las dichas gracias, &c.* Circa quod resolvitur,

1. Opinionem esse communem, quòd ad obtinendas Bullæ gratias, necessarium sit accipere summarium, taxatamque eleemosynam erogare.

2. Communiter etiam sentire omnes Bullæ expositores, non esse necessarium afferre secum Bullam, sed sufficere habere domi asservatam, vel sub alterius confidentia.

3. Quòd quamvis communiter sentiant plures, quòd si quis absque culpa perdiderit summarium, ejus tamen gaudeat gratiis; non verò si culpabiliter: probabile tamen est, accepta Bulla, & erogata eleemosyna obtineri gratias, perdatur inculpabiliter, vel culpabiliter, etiamsi voluntariè scindatur. Quia ut sentiunt Trullench, & Mend. *disp.* 23. *n.* 3. non est præceptum Pontificis, sed consilium, quando dictat summarium asservandum. Basil. Ponc. in manuscriptis, Mend. eodem *n.* 3.

4. Non esse etiam de præcepto inscribere in Bulla vivorum nomen accipientis, nec in defunctorum Bulla nomen ejus, pro cujus anima accipitur: quamvis debeat fieri præcipuè in Bulla vivorum, quia si fortè quis in articulo mortis obmutesceret, constet per ejus inscriptum nomen, ipsum habere Bullam, & possit ei applicari indulgentia, & tempore interdicti possit in loco sacro cum moderata pompa sepeliri.

ARTICULUS II.

An acceptis Bullis duabus, possint aliquâ privilegia obteneri duplicata?

Resp. affirmativè: Quia ita declarat expressè ipsa Bulla. Circa quod resolvitur,

1. Non posse accipi pro uno tam vivo, quàm defuncto plures Bullas; quia ita disposuit Gregorius XIII.

2. In ordine ad privilegia, quæ conceduntur indefinitè, non esse necessarium duplicatam accipere Bullam, v. gr. ad privilegium lacticiniorum, esus carnium de consilio utriusque Medici, eligendi Confessarium, qui absolvat à casibus Pontificis non reservatis, & ad alia similia; quia ista privilegia, unica tantùm Bulla obtinentur toties quoties quis vult, aut indiget.

3. Privilegia, quæ conceduntur ad unicam duntaxat vicem posse obtineri bis acceptis Bullis duabus. Itaque qui duas accepit potest absolvi bis à casibus Pontifici reservatis; potest indulgentiam plenariam, quæ conceditur semel in vita, & semel in articulo mortis, sibi applicare bis in utroque casu; potest etiam in opinione asserentium indulgentias stationis ad Altaria non obtineri, nisi semel per dies singulos, ipse obtinere bis, duplicando stationes, &c.

4. Posse accipi duas Bullas pro eodem defuncto: est autem utilius non accipere eas simul, quia potest accidere, quòd in prima vice non applicetur indulgentia defuncto ob defectum alicujus requisiti, quod requisitum suppleatur in secunda vice.

ARTICULUS III.

De suspensione, & revalidatione Indulgentiarum & gratiarum, quas Bullæ Commissarius concedit.

Commissarius Cruciatæ Generalis, virtute facultatis sibi à Pontifice concessæ suspendit durante anno publicationis Bullæ, cunctas gratias, & indulgentias, ubique terrarum, in quibus Bulla promulgatur, exceptis illis, quæ Superioribus Ordinum Mendicantium in ordine ad Religiosos concessæ sunt; & posteà Commissarius declarat in favorem Cruciatæ, quòd qui acceperit Bullam possit gaudere cunctis antè suspensis indulgentiis, & gratiis; quæ declaratio est revalidatio. Finis intentus per hanc suspensionem est: Ne deficiat Cruciatæ subsidium eleemosynarum, quæ à fidelibus erogantur; quia si possent sine Bulla alias obtinere gratias, & indulgentias, plures Bullam non acciperent: & ita data eleemosyna pro Bulla, revalidantur indulgentiæ suspensæ, ut possit accipiens obtinere. Circa hoc videbis sequentes resolutiones,

1. Respectu accipientis Bullam statim ac promulgatur, non suspendi gratias, nec indulgentias ullas, quia iste nec locum, nec tempus suspensioni tribuit: & quamvis dicatur revalidari indulgentias, est quia suspendendæ erant, casu quo iste non esset tam sedulus in accipiendo Bullam.

2. Commissarium non suspendere has gratias, & indulgentias in locis illis, ubi Cruciata non valet; quia nec illuc attingit ejus potestas, nec ad finem intentum suspensio talis conducit.

3. In opinione asserente annum durationis Bullæ esse naturalem posse inveniri aliquos dies, in quibus sine Bulla, indulgentiæ aliquæ obtineantur, & gratiæ. V. gr. promulgata fuit Bulla anno superiore in aliquo loco Kalendis Februarii. Hoc anno promulgatur decima die mensis in eodem loco: in diebus illis, qui restant à Kalendis Februarii usque ad decimam diem mensis, possunt obtineri prædictæ indulgentiæ sine Bulla; nam suspensio pro anno superiore expiravit prima die Februarii, suspensio pro anno præsenti, non incipit nisi à decima.

4. Jubilæum quod quandoque Pontifices concedunt pro duabus septimanis obtinendum, posse obtineri sine Bulla, si Pontifex contrarium non expresserit; quia hæc est mens Pontificum, & animus, ut omnes tale Jubilæum obtineant, & neque pauperes, quibus ad Bullam accipiendam pecunia non suppetit à Jubilæo excludantur obtinendo. Itaque Commissarius nunquam hoc Jubilæum suspendit. Fern. Villal. Rodriq. Trullench, Dian. citati à Mendo *d.* 29. *n.* 10.

5. Facultates, & gratias in jure communi contentas non suspendi à Commissario Bullæ; quia communis doctrina est: id, quod est de jure communi non revocari, si clarè non exprimitur.

6. Neque etiam suspendi indulgentias, & facultates, quæ conceduntur ab Episcopis; quia tantùm suspenduntur gratiæ, & facultates, quæ immediatè à Sede Apost. dimanant, ut constat ex Bullæ proœmio.

7. Suspendi gratias, & indulgentias, quæ conceduntur post promulgationem Bullæ. Praxis, & stilus est, quòd Commissarius illas examinet, & faciat copiam, ut promulgentur, & quòd non possint obtineri sine Bulla, *libro primo*, §. 5, *dub.* 4. *n.* 3.

8. Trullench sentire, Gratiam concessam pro anima per Missam in privilegiato Altari è Purgatorio eruendâ suspendi per Bullam, quod etiam Dian. celebratam, non suspendi per Bullam, quod etiam Dian. probabile censet. Sed communior, & probabilior est contraria sententia, & illa favet magis expeditioni Cruciatæ, & ad obtinendam hanc gratiam est opus Bullatæ. Itaque de la Cruz ait: quòd ille, qui Missam commendatam celebrantè; Ludovicus debeat habere Bullam. Melius Rodr. asserit, tenere quia Bullam debet habere, qui indulgentiam

tiam obtinet oblinet verò qui celebrat, non qui celebrare commendat. Religiosus autem, qui celebrat in Altari Monasterii sui, non indiget Bulla; quia Religiosi absque Bulla gaudent gratiis sibi concessis, ut statim videbimus.

9. Non suspendi per Bullam gratias, & facultates, quæ non habent similitudinem aliquam, aut æquivocationem cum gratiis, & facultatibus Bullæ. Verbi gratia, si Episcopus aliquis haberet testandi licentiam, & gratiæ illæ, quæ pertinent ad honorem, & jurisdictionem, ut sunt gratiæ illæ, quibus fruuntur docentes, & studentes in Universitatibus, Ministri Sancti Officii, & alii constituti in aliqua dignitate, aut officio. Ratio: quia quando in litteris Apostolicis revocantur aliquæ gratiæ, quæcunque sint, intelliguntur revocari duntaxat gratiæ illæ, quæ obviare, vel opponi possent his gratiis, quæ in dictis litteris revocantibus conceduntur, ut advertit Mendo, citatis Felino, & Bartolo: gratiæ, quas pro exemplo apposuimus, non opponuntur gratiis in Bulla concessis, neque Bullæ expeditionis, ergo istæ nonre vocantur per Bullam. Est plurium, quos citat Mend. *disp.* 29. *n.* 33.

10. Neque etiam suspendi per Bullam gratias concessas Religionibus Mendicantibus quoad Religiosos earum; quia expressè excipiuntur à Commissario in suspensione aliatum. Sed neque etiam potest illa suspendere, quia Pontifex non tribuit ei facultatem hanc in Bulla Latina. Quod etiam dico de gratiis concessis Religionibus non Mendicantibus: si istæ participes fuerint privilegiorum illarum. Quod de Religiosis dicitur, debet etiam intelligi quoad novitios, quia in favorabilibus, nomine Religiosorum comprehenduntur; non verò includuntur Donati, quia non sunt Religiosi; neque etiam Tertiarii Franciscani; quia utrique indigent Bulla, ut gratias Religioni concessas obtineant. Mendo cum aliis, *n.* 44. & 45.

11. Quod de Religiosis viris, intelligendum esse de Religiosis fœminis, id est Monialibus cum proportione, si sunt Ordinis Mendicantis, non egent Bulla ad obtinendas Ordinis sui gratias, quia istæ non suspenduntur. Si verò non sunt Mendicantes, neque participant privilegia eorum, egebunt Bulla.

12. Sæculares etiam egere Bulla ad obtinendas gratias aliquas concessas in favorem Religionum Mendicantium, quæ immediatè attinet etiam ad favorem iporum sæcularium; verbi gratia, Indulgentias, quæ conceduntur visitantibus Altaria, aut Ecclesias dictarum Religionum.

13. Alias gratias, quæ præcipuè, & immediatè conceduntur in favorem duntaxat Religionis, & redundant etiam in beneficium sæcularium, posse etiam à sæcularibus obtineri sine Bulla, quia non suspenduntur: v.g. Facultas, quam Mendicantes absolvendi à casibus reservatis, commutandi vota, dispensandi in quibusdam rebus, & aliæ similes facultates, quæ in unaquaque Religione videndæ sunt: quæ, & quales sint. Quod etiam dico de Religionibus non Mendicantibus, si participant privilegia earum. Hæc resolutio est contra Navarrum, Lopez, Acosta, & Trullench. Sed assentiunt ei supra decem, & octo, aut viginti Authores, quos citat, & sequitur Mendo, *n.* 63. Qui etiam addit: Pius V. consultum respondisse; Mentem suam non esse revocare per Bullam hæc privilegia; & expressum anno 1571. in Privilegiis Ordinis Prædicatorum; & putandum est, hunc fuisse, & esse animum reliquorum Pontificum.

ARTICULUS IV.

De suspensione interdicti, dum Bulla promulgatur.

COmmissarius Generalis virtute facultatis sibi à Summo Pontifice concessæ suspendit interdictum, ubicunque fuerit, per octo dies ante, & post Bullæ promulgationem, ut solemnius fiat promulgatio. Circa hoc, quædam difficultates resolvuntur.

1. An suspensio interdicta duratura sit sexdecim, an decem, & septem dies, ideò quia Commissarius suspendit interdictum octo dies ante, & totidem post promulgationem Bullæ: Videtur eundem diem promulgationis non esse numerandum inclusivè cum aliis antecedentibus, & consequentibus. Respondetur hoc esse probabile, v.g. illum diem non esse inclusivè numerandum, & quia favorabile est, posse extendi suspensionem usque ad dies decem, & septem. Mendo. *d.* 30. *n.* 2.

2. Suspendi interdictum positum à quocunque Judice; quia Pontifex est Superior cunctis, & delegat quoad hoc Commissario propriam potestatem.

3 Quòd si in aliqua Civitate populosa promulgetur in diversis Ecclesiis, & diversis diebus Bulla præ multitudine populi; interdictum suspendatur octo diebus ante, & totidem post promulgationem in unaquaque Ecclesia, & Parochiani illius Ecclesiæ in qua adhuc edictum non suspensum est, frequentare possint Ecclesiam illam, in qua est suspensum. *Idem n.* 6.

4. Excommunicatos, aut publicè denuntiatos, propter quos interdictum positum fuit, non manere absolutos per illos dies, quibus suspenditur interdictum, quia vinculum excommunicationis, distinguitur à vinculo interdicti, quod suspenditur.

5. Neque interdictum personale particulare suspendi: quia hoc non obstat promulgationi solemni Bullæ, qui est finis intentus in suspensione interdicti, neque hoc vocatur absolutè interdictum. *Idem n.* 12.

6. Interdictum generale personale comprehendens cunctos vicinos loci suspendi quamvis non sit locale, quia hoc obstat solemni Bullæ promulgationi.

7. Quòd si interdictum positum est in Ecclesia loci, in qua non est promulganda Bulla, adhuc suspendatur, quia Commissarius loquitur absolutè non dicens suspendi interdictum in Ecclesia, in qua promulganda est Bulla, si in ea fuerit interdictum; sed suspendi in loco toto, in quo Bulla promulgatur.

8. Idem dicendum esse, si aliqua Regularium Ecclesia interdicta foret in loco illo, in quo Bulla promulgatur, etiamsi omnes in tali communitate commorantes, essent interdicti generaliter; quia illud interdictum est publicum, & non particulare, ac si una Parœcia, & cuncti Parœciani interdicti essent.

9. Quòd, finitis diebus suspensionis, iterum resurgit interdictum, quin denuò ponatur.

CAPUT II.

De Bulla Compositionis.

COmmissarius Generalis Bullæ, in virtute facultatis sibi à Pontifice concessæ potest facere conventionem super bonis malè habitis, aut usurpatis, quando de domino eorum non constat: quam facultatem potest ipse Commissarius subdelegare, ut de facto subdelegant Commissarii Bullæ in Indiis: & quia difficile erat, & molestum pro modicis quibusdam quantitatibus ad Commissarium recurrere, ad debita ista componenda expedit Bullas.

DUBIUM I.

De bonis in communi, de quibus Commissarius potest compositionem facere.

ARTICULUS I.

Quanam quantitas componi possit?

RESP. 1. Singulis quoque annis componi posse quantitatem duorum millium nongentorum quadraginta, & unius argenteorum & sex maravedisiorum cum quinquaginta Bullis Compositionis acceptis, quæ singulis annis accipi possunt; quia per unamquamque Compositionis Bullam componuntur quinquaginta argentei, & viginti, & octo maravedisii; & ita cum

qui

quinquaginta Bullis Compositionis acceptis, dicta quantitas componitur.

Resp. 2. Quòd si inveniatur major quantitas componenda, quàm ea, quæ cum quinquaginta Bullis componi potest, recurri debeat ad Commissarium, qui solet exigere pro compositione, decimam partem ejus quantitatis, quæ componenda est, & hanc in subsidium Cruciatæ; quod etiam ordinat exigendum Commissariis in Indiis subdelegatis. Hinc resolvitur,

1. In uno anno non posse accipi plures quàm quinquaginta Bullas Compositionis; vel sumantur singulæ seorsim, vel plures, vel omnes simul.

2. Quòd si quidam debet ultra id, quod per quinquaginta Bullas componere possit, non valeat differre compositionem, aut restitutionem ad sequentem annum, ut componat quantitatem acceptis novis Bullis; sed statim debeat restituere, aut componere cum Commissario restantem illam bonorum quantitatem. Peccabit autem graviter differendo, nisi dilatio aliàs prudentis judicio justificata fuerit.

3. Quamvis peccaverit differendo culpabiliter restitutionem, aut compositionem, posse tamen in sequenti anno, acceptis Bullis, debitum componere. Neque obstabit distulisse, intuitu per Bullas componendi: quia quamvis Bulla non prosit his, qui in fide Bullæ aliena usurpavere bona, illis tamen, qui Bullæ fidentes, restitutionem distulerunt, videtur valitura, quia valdè diversa sunt hæc duo; nempè usurpare in fide Bullæ, & differre restitutionem in fide ejusdem; & cum aliàs hoc, quod est non valere Bullam, sit odiosum, non debet ampliari. Et si fiducia privaret hoc beneficio, adhuc perspiciendum est, an compositio dilata fuerit in fiducia, aut cum fiducia Bullæ; quia si dilata fuit cum fiducia, adhuc compositio potest fieri per Bullam, Mendo *d.* 32. *n.* 51.

4. Quòd si quis per unam Bullam minorem quantitatem quam componere potuisset, v. g. triginta argenteos, si posteà contraheret aliud debitum, cujus incertus esset dominus, v.g. debitum viginti, & octo argenteorum, non possit componere hos viginti, & octo argenteos, per illam eandem Bullam, per quam composuerat triginta; quamvis nec illi triginta, neque isti viginti, & octo argentei excedant quantitatem, quæ per unam Bullam componi potest: quia Bulla non valet ad debitum de futuro contrahendum, sed ad debitum jam de præterito contractum, & compositio finitur, quando accipitur Bulla, nec potest ultrà extendi.

5. Quòd si unus debeat alicui domino incerto triginta argenteos, & alius debeat alicui domino incerto viginti, non liceat utrisque accipere unam Compositionis Bullam pro debito utriusque, quia unaquæque Bulla conceditur uni soli; & hæc est praxis: sed eorum quisque posset suscipere debitum alterius, pro quo satisfaceret, quod impleret accipiens Bullam Compositionis.

Quæritur: Quænam eleemosyna pro Compositionis Bullas erogandæ sit?

Resp. Duos erogari argenteos; sed si compositio fiat de bonis, quæ debentur pro commissione Officii Divini, erogandi sunt & alii ad Ecclesiæ fabricam, ejus Ecclesiæ, in qua beneficium habet, qui Officium omisit.

ARTICULUS II.

Cujusnam qualitatis futura sint bona, super quæ fieri possit compositio?

Resp. Hæc bona debere esse incerta, vel hanc compositionem fieri de bonis incerti domini, vel de bonis, quæ debentur Ecclesiæ, pauperibus, aut operibus piis: quia Pontifex est Administrator horum bonorum, & potest de illis compositionem facere, aliisque compositionem delegare. Dilucidatur autem hoc magis resolutionibus sequentibus.

1. Cùm sit probabilis opinio, & tuta in conscientia, bona incerti domini, quæ quis non acquisivit; injustè, sed invenit, v.g. posse sibi applicare, si postquam sufficientem diligentiam adhibuerit pro inveniendo, dominum invenerit: neque teneri ad compositionem, aut restitutionem, nisi fortè dominus inventus fuerit ante necessarium præscriptionis tempus, quo impleto, jam non tenetur reddere domino: Quæritur ergo quodnam temporis spatium ad hanc præscriptionem requiratur? Hæc est materia Jurisconsultorum *in tit. de præscript. & in tit. de usucapion.* Theologorum etiam in tractatu *de justit. & jure.* Sed in opinione asserentium prædicta bona deberi operibus piis, potest fieri de iis bonis compositio.

2. Ut aliqua bona censeantur incerti domini, necessarium esse, habentem illa bona, sufficientem prudentum virorum judicio diligentiam adhibere pro domino certo inveniendo. Quòd si facta sufficienti diligentia, dominus non comparuerit, habenda sint illa bona pro bonis domini incerti, & potest fieri de illis compositio. In hoc Authores consentiunt.

3. Quòd quando constat bona ista alicujus ex tribus, aut quatuor dominis, non tamen constat cujusnam sit eorum, hæc bona non sunt incerta, neque de illis potest fieri compositio, sed debent tradi tribus illis, aut quatuor, de quibus est dubium, ut illi inter se dividant, & inter se componantur. Neque posteà si verus dominus appareret, tenerentur alii consortes restituere vero domino id, quod in partitione acceperunt, quia quando divisio facta fuit, unusquisque cessit juri suo. Mendo cum aliis, quos citat *d.* 33. *nu.* 12. Dicast. *t.* 1. *de just. & jure*, *l.* 2. *tr.* 2. *d.* 9. *dub.* 15.

4. Non esse incerta bona illa, quæ jura, aut leges cujusque Regni disponunt, sic vel sic applicanda, quamvis de domino non constet; quia hæ leges obligant in conscientia, utpotè justæ; & ita non potest fieri de illis compositio.

Quæritur primò: An in casu, quo compareret dominus bonorum, de quibus per Bullas facta est compositio, vel cum Commissario conventum fuit; is, qui composuit illa bona, debeat restituere, aut justa conscientia possit sibi retinere?

Resp. Quòd in conscientia non teneatur restituere, facta jam legitimè compositione, & remanere in conscientia securum, quamvis dominus ipse in externo foro possit coram Judice ista bona expostulare, & ipse Judex ad restitutionem compellere. Probatur prima pars; Quia Pontifex præ dominio excellentiæ, pollet authoritate ad transferendum per compositionem dominium talium bonorum, quando talis compositio ad animarum salutem conducit, & talia bona sunt in tali statu, quòd ad pauperes pertineant; ergo in conscientia non debet restituere ille, ad quem per compositionem, dominium talium bonorum translatum fuit. Secunda pars probatur; quia bonorum compositio, dumtaxat est ad forum conscientiæ, ergo in externo foro repeti possunt. Hinc fit satis asserentibus non posse fieri hanc compositionem tuta conscientia, quia est in præjudicium tertii, nempè bonorum domini. Satis fit, inquam, quia remanet domino jus, & actio, ut in externo foro sua bona expostulet; irrationabiliter autem invitus erat dominus bonorum, quòd is, qui eorum compositionem per Bullam feciſſet, ab onere restitutionis in conscientiæ foro manoret immunis, cùm ipse bonorum dominus sit Pontifici subditus, ejusque bona subjiciantur supremæ Pontificis potestati, quando eorum administratio spirituali saluti conducit, ut conducebat, quando illorum dominium in foro conscientiæ per compositionem fuit translatum. Neque hæc compositio, aut translatio domini in præjudicium domini censeri debet facta, quemadmodum neque præscriptio censetur in præjudicium, quamvis post præscripta bona, compareat illorum dominus

nam quemadmodum Respublica eò quòd habeat potestatem super temporalia bona, quatenus utilitati civili conducunt, & publicæ, concedit præscriptionem bonorum, quin domino injuriam inferat; ita Pontifex, eò quòd habeat potestatem super bona incerta quatenus spirituali saluti conducunt, concedit justè eorum compositionem in conscientiæ foro, quin bonorum domino præjudicium fiat.

Quæritur secundò: Quibusnam personis possit valere compositio per Bullas, aut cum Commissario?

Resp. Cunctis, quibus diximus vivorum Bullam posse valere in cunctis articulis dubii quarti, posse etiam valere compositionis Bullam, quin excludatur defunctus, qui ante mortem injunxit hæredi pro exoneranda conscientia, ut necessarias compositionis acciperet Bullas.

Quæritur tertiò: Quibusnam personis Bulla hæc valere non possit?

Resp. Illis non valere, qui in fiducia Bullæ, aliena bona usurparunt; sed posse valere his, qui cum fiducia Bullæ usurparunt. Quòd ut intelligas: ille in fiducia Bullæ usurpavit, qui si non speraret, se compositurum ea bona per Bullam, non usurpavisset ea. Ille verò cum fiducia Bullæ usurpavit, qui motus est ad usurpanda bona per cupidinem, aut motivum aliud, quia quamvis non speraret se compositurum illa bona, tamen eodem modo usurpavisset, quamvis aliquod habuerit solamen, quòd per Bullam compositioni daretur locus.

Hic advertendum est: Quòd quamvis bona malè habita in fiducia Bullæ componi nequeant, posset tamen recurri ad Commissarium Generalem pro compositione eorundem, qui potest committere talem compositionem Episcopo, cujus facultatem non coarctat Commissarius. Mendo *d.* 33. *n.* 43. & 44.

DUBIUM II.

De particularibus Casibus, in quos Bulla compositionis intrat.

Decem, & octo casus particulares assignantur, in quibus Bulla compositionis habet locum. In quibus omnibus, duo supponuntur, quæ jam animadversa relinquimus. Primum; quòd non constet de domino bonorum, quæ componuntur. Secundum; quòd facta fuerit sedulò diligentia prudentum judicio sufficiens, ut eorum dominus inveniatur. In Bulla Latina additur à Pontifice alia conditio, nempè quod à volente se componere exigatur juramentum, quod sufficientem diligentiam adhibuerit in quærendo bonorum domino, & non invenerit. Sed juramentum hoc, dumtaxat exigitur, quando fit compositio cum Commissario, non vero quando fit per Bullas, quia tunc sufficit, quòd quis in conscientia sibi persuadeat, quòd sufficientem curam in domino quærendo habuerit. Et ita in praxi acceptum est.

ARTICULUS I.

De primis sex casibus, qui ponuntur in Bulla.

Primus casus. Potest fieri compositio de bonis malè obtentis, & habitis, de acceptis, & acquisitis per lucra, usuras, vel alio quolibet modo, si, facta sufficienti diligentia, non comparuerint domini, quibus legitima restitutio fieri debeat.

In hoc casu advertendum est, quòd videatur *dub.* 7. *tr.* 5. *in lib.* 3. summæ, ubi agitur de usura, & in quibus casibus debetur ejus restitutio, poterit compositio per Bullam habere locum, modò de domino cui restitutio facienda esset, post diligentiam sufficientem non constiterit, neque usuræ obtentæ fuerint in fiducia Bullæ. Quod idem advertendum est in reliquis quibuscunque casibus, ne iterum repetere cogamur.

Diximus componi posse id, quod obtinetur per *lucra*, quæ exsurgunt ex accommodatione fructuum, obtentum per *usuras*, quod resultat ex accommodatione pecuniæ in significatione stricta, & in lata significatione in accommodatione cujusvis mercis. Diximus, *Quolibet modo*. Id est modo simili usuræ, ut mohatra.

Secundus casus. Potest fieri compositio, de fructibus beneficiorum, & aliorum reddituum Ecclesiasticorum malè habitis ob defectum in Horis Canonicis recitandis. Circa quod resolvitur,

1. Quòd quando ob defectum in recitando fit horum bonorum compositio, tribuenda est tanta pars ad fabricam Ecclesiæ, ubi est beneficium, quanta Cruciatæ, v.g. si accipitur pro compositione, Bulla una, tribuendi sunt Ecclesiæ argentei duo, si duodecim Bullæ accipiantur, viginti argentei tribuendi sunt Ecclesiæ, & sic proportionaliter.

2. Quia cùm fructus beneficii percipiantur etiam aliis titulis, & obligationibus onerosis à recitatione diversis, hinc fit, solùm hic deberi restitutio ob defectum in recitando, quod recitandi oneri correspondet, debita spectata proportione. Th. Sanch. Henriq. & Mendo *d.* 34. *nu.* 25. asserunt: Episcopum recitare omittentem ad quintam fructuum partem restituendam teneri. Canonicum verò, & Parochum ad quartam. Reliquos beneficiatos, & qui gaudent beneficio simplici, Præstamo, Capellania, aut pensione sufficienti ad onus recitandi, tenori ad tertiam partem. Qua via quisque posset hanc partem per Bullas componere. V.G. Habet quis beneficium simplex, ex quo trecenta ducata recipit annua: omittit recitare Officium per totum annum; debet restituere fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus ducata centum, quæ est tertia pars redituum; quam partem componere potest, acceptis decem, & novem Compositionis Bullis, erogando Cruciatæ triginta, & octo argenteos, & totidem fabricæ Ecclesiæ. Si omittit Officium per mensem, aut per dies quindecim, illam partem restituere tenebitur, quæ mensi, aut diebus quindecim ex reditu correspondet, quam partem per Bullam, aut Bullas componere potest.

3. Omittentem Officium parvum, ad quod tenetur pro pensione, eodem modo ad restitutionem obligari. Quòd si per Bullas velit componere debitum, tantam partem debet restituere fabricæ Ecclesiæ ubi est beneficium, ex quo illi penditur, quantam Cruciatæ. Quòd si pensio fuerit super Episcopatum, probabile est, partem dandam fabricæ, posse tribui, vel in fabricam Ecclesiæ Matricis, vel alterius cujuscunque Ecclesiæ, in qua Episcopus habeat Ecclesiasticos proventus.

4. Habentem beneficia in diversis Ecclesiis, si componat per Bullas, quod omissione Officii debitum contraxit, id quod fabricæ Ecclesiæ tribuendum est, teneri dispertiri inter illas Ecclesias omnes, in quibus habet beneficia; majorem partem illi, unde majores recipi reditus tribuendo.

Tertius casus. Potest etiam fieri compositio super dimidium legatorum, quæ facta fuere pro exoneranda conscientia bonis malè habitis, si personæ, quibus talia legata facta sunt, negligentes fuerint per annum integrum in percipiendis legatis, quamvis de legatariis constet, & personis. Circa quod resolvitur,

Negligentiam legatarii in per[illegible]ptione rei legatæ, non debere numerari à tempore, quo factum est testamentum, vel testator obiit, sed à tempore, quo ipse certus factus est legati ab hærede, vel test[illegible]mentario; quia ubi de re non constat, non potest quis accusari de negligentia in tur annus, & ille negligenter se habuerit in recuperando legato, poterit hæres dimidium legati per Bullas componere.

Si legatarius verò fuerit aliquis locus pius, debet admoneri is, qui talis loci curam habet. Si legatarii fuerint pauperes in communi. Procurator pauperum debet admoneri. Quòd si isti post admonitionem negligentes fuerint per annum, potest fieri compositio de legati dimidio.

Quar

Quartus casus. Potest etiam fieri compositio super legatis factis antea, vel tempore durationis Bullæ, quorum legatarii facta sufficienti diligentia non inventi fuerint. Circa quod resolvitur,

1. Quòd si non invento legatario, invenitur hæres ipsius, legatum absolutum debet dari isti hæredi; legatum quoque conditionatum, purificata conditione: & super hoc legatum nequit hæres per Bullam componi.

2. Idem, quod conceditur circa legata, non inventis legatariis, posse applicari fideicommissis, donationibus, quando non inveniuntur partes. Itaque possunt etiam per Bullam componi.

Quintus casus. Si aliquis Judex Ordinarius, aut Delegatus, vel Assessor perceperit nummos, vel aliquid aliud pro ferenda mala, aut injusta sententia, vel pro causa protrahenda in præjudicium partis, aut pro alia injuria inferenda, vel aliquid aliud faceret, quod non deberet; tunc possent omnes isti, malè parta per Bullas componere, salvo semper jure partis, ut illi satisfiat. Circa quod resolvitur,

1. In opinione plurium asserentium, non debere restitui id, quod pro actione turpi, aut injusta acceptum est, quando tale obsequium est pretio æstimabile; Nullum, istorum judicio, qui in re mala perpetranda peccaverunt, teneri ad compositiooem pretii pro re mala perpetrata, in opinione verò tutiori asserentium contrarium, teneri, si non restituunt, componi per Bullas Quod observandum est in seq. casibus huic similibus.

2. Idem, quod dicitur de Judicibus, qui revera sunt Judices, debere intelligi de quibuscunque potentibus sententiam ferre pro officio, aut subdelegatione, aut Partium consensu.

3. Damnum, quod parti intulerunt, ipsos non posse componere per Bullas, sed teneri restituere, etiam dato casu, quòd non deberent id, quod pro injusta acceperunt sententia.

Sextus casus. Si aliquis Advocatus accepit quidquam pro advocando in causa injusta, sciente parte causæ injustitiam, potest iste Advocatus per Bullas componi; sed parti, cui præjudicavit, pro damno satisfacere tenetur. Circa hunc casum resolvitur idem, quod in resolutione prima, & tertia præteriti casus. Ultrà notandum est: Quòd si pars, quam defendit Advocatus nescit causam suam esse injustam, juraque pro se trahi violenta, tunc Advocatus restituere tenetur parti id, quod pro patrocinanda causa accepit, & damna, quæ ex tali suscepta causa fuerunt orta.

ARTICULUS II.

De sex aliis casibus, qui ponuntur in Bulla.

Septimus casus. Si quis testis pro falso testificando, aut Fiscalis, vel accusator pro accusatione falsa, vel quòd omiserit accusare, cum teneretur, acciperet quidquam, posset componi de acceptis, ultra satisfactionem, quam tenetur reddere parti præjudicatæ.

Octavus casus, Officiales, Scribæ, Notarii, aut Secretarii, qui pro aliqua re in officio suo injustè perpetrata perciperent quidquam, possunt componi super accepto. Sed præjudicatis partibus satisfacere tenentur.

Hi duo casus sequentes coincidunt cum casibus supradictis, Judicis, & Advocati, & ita eadem regula utendum est.

Nonus casus. Possint omnes Judices, & sæculares, & Ecclesiastici in causis temporalibus componere per Bullam ea bona, quæ ob administrandam justitiam pro jure debitam à litigantibus acceperunt, vel ista bona sint pecuniæ, vel specie alia.

Dicitur *in causis temporalibus*: quia est simonia accipere quidquam pro causis spiritualibus, & etiam est simonia, id per Bullas componere. Et quamvis advertat Trul. Pontificem dumtaxat prohibere compositionem, & dispensationem in simonia incursa ratione Beneficii, Apostasiæ, Hæresis, Homicidii, aut Ordinum non ritè acceptorum; inde tamen, tantummodò infertur: Commissarium habere potestatem ad componendum pretium acceptum in aliis simoniis: non verò, quòd hoc pretium possit componi per Bullas, siquidem hæ non conceduntur, nisi ut componatur id, quod pro causis temporalibus acceptum est.

Dicitur: *Ratione justitiæ administrandæ, &c.* quia non potest Judex pro justitia administranda stipendium accipere, neque pretium; siquidem pro ejus administratione salarium accipit, quod bis solveretur si ultra id, pretium acciperet. Unde resolvitur,

1. Quòd in casibus, in quibus Doctores, probabiliter à restitutione Judicem excusant, non tenetur Judex ad compositionem pretii accepti pro administratione officii sui, si ipse Judex Doctorum sequitur opiniones. Contraria verò pars, securior est.

2. Quòd quando litigans dedit judici aliquid pro redimenda vexatione, quia aliàs Judex non ferret sententiam justam pro eo, tenetur Judex acceptum restituere litiganti; in quo negotio non datur compositioni locus. Hæc est omnium sententia communis.

3. Quòd quando litigans dat bona fide aliquid Judici, vel quia putat teneri dare, vel quia ad dandum cogitur, debet Judex restituere ipsi litiganti, quin habeat in hac causa locum compositio.

4. Quòd quando litigans dat aliquid animo corrumpendi Judicem, & attrahendi illum, ut pro se ferat sententiam, quia putat litigans jura pro se in tali negotio non stare, quamvis in rei veritate favorabilis sententia sibi debeatur; tunc Judex agnoscens se ferre sententiam justam & debitam in favorem litigantis, non potest retinere sibi id, quod accepit, sed tenetur restituere ipsi litiganti, antequam exequatur actionem, pro qua pretium accepit. Sed post actionem jam exequutam tenetur restituere pauperibus; in quo casu, compositio per Bullam habet locum Quia quando litigans intendit corrumpere Judicem muneribus, aut stipendio, consentit tunc in transferendo dominio munerum pro ferenda in suum favorem sententia, & non aliter; ergo data in favorem sententia, quæ est conditio posita, litigans caret jam titulo, & jure, ut restituantur sibi munera, quæ dedit, quia jam se à dominio illorum abdicavit. Ex alia parte non potest Judex id, quod accepit retinere; quia cognoscit datum fuisse sibi pro eo ipso, quod ipse tenebatur facere, nempè pro ferenda sententia justa, & debita: ergo tenetur retribuere pauperibus, & consequenter potest id per Bullas componere. Tol. Fag. Mald. Nav. Salon. Lessius, Villal. Trull. quos citat, & sequitur Mendo *d.* 14. *n.* 138.

Decimus casus sic jacet in Bulla Castellana: *Se pueden componer los Escrivanos, Notarios, y Secretarios, y los Officiales de justicia, que huvieren recibido, y llevado derechos demasiados por razon de oficios contra las leyes, y ordinancas, que les estandas, no sabiendo la personas à quien deven restituir.* Circa quod resolvitur,

Quòd in tutiore opinione, lex quæ taxat stipendium pro quolibet instrumento solvendum; non solùm est pœnalis, sed etiam obligata, & obligans in conscientia. Itaque debent Notarii restituere id, quod ultra legis taxationem acceperunt; præcipuè si ad taxationis legem se staturos cum juramento promiserunt. Sed si ignoratur, cuinam injuria illata sit, poterunt per Bullas, id quod ultra taxationem acceperunt, componere. Non tamen caret probabilitate contraria opinio: nempè legem illam esse tantummodò pœnalem, & ita non obligare in conscientia, & consequenter non teneri restituere, neque componere id, quod accepe-runt ultra taxam, nisi fortè excederet justum laboris pretium; quia tunc teneretur restituere, quamvis lex non adesset.

Undecimus casus, sic in Bulla Castellana: *Si alguno, injuste, ò indevidamente, por rogar, y favorecer que no se haga justicia, ò que suelten à el que justamente estava presopor delitos llevò dineros, ò otras cosas algunas, se podrà componer en lo que assi llevò, satisfaciendo el dano de la parte, à quien se hizo el agravio.*

Hic casus ponitur, supponendo, id quod accipitur pro causa injusta, aut turpi restituendum esse pauperibus: qui verò opinioni adhæserit contrariæ excusanti à restitutione, non eget compositione, ut dictum est. Hinc adverto: Quòd si sequatur parti contrariæ damnum, non solùm debet accipiens satisfacere tali damno, sed etiam is qui largitus est aliquid pro illa intercessione injusta, quia tam agens, quàm intercedens, ad damnum concurrerunt.

Duodecimus casus: *Se pueden componer de lo que per juegos fueren obligados à restituir à pobres; pero aviendo intervenido engano en ellos, ò ganando à personas que no pudiessen enagenar lo que perdieron, no se pueden componer; y sabiendo à quien se lo ganaron, son obligados à se lo restituir; y no lo sabiendo, se pueden componer en esto caso, como en el de ariba.*

Vide *dubium* 13. *tractatu* 5. *libro* 3. ubi agitur de ludo, & de casibus, in quibus malè parta per ludum, restitui debeant; in quibus casibus, locum habet compositio, quando ignoratur cuinam fieri debeat restitutio.

ARTICULUS III.

De sex ultimis casibus, qui ponuntur in Bulla.

Decimus tertius casus: *Si alguno, dissimulando en si lo que no ay en es, ò otra cosa semejante de lo que en este color huviere recibido, se puede componer, y el que pide limosna fingiendo ser pobre ne lo siendos, de lo que por esta causa huviere recibido se puede componer ne sabiendo en ambos estos casos, à quien como dicho es se deve restituir.* Hinc resolvitur,

1. Acquisitum per eleemosynam, ficta paupertate, posse per Bullas componi; quamvis sciatur, quisnam tales eleemosynas erogaverit: quia est multorum opinio, hanc restitutionem non deberi nisi pauperibus, quia erogantes tales eleemosynas intendunt erogare illas Christo in pauperibus ad levandas illorum miserias; & ita eleemosynarum dominium transferunt in pauperes. Et quando Commissarius coarctationem illam assignat: *No sabiendo à quien se deve restituir*, loquitur Commissarius in opinione asserentium deberi eleemosynas restitui ipsis, qui eas erogaverunt, quando paupertate ficta acceptæ sunt. Trull. Henriq. Navarr. Villal. & alii, quos citat Mendo, *n.* 169.

2. Quod acquisitum fuit fictione alia, v. gr. Consanguinitatis, Sanctitatis, &c. si scitur, cuinam debeat restitui, non posse per Bullas componi; benè tamen si nesciatur.

3. Si id, quod fingitur non fuit plus quàm impulsiva causa, ut aliquis erogaret, non esse opus compositione, quia non est obligatio restituendi. Quòd si accipiens cum fictione, fuit causa motiva, ut alter erogaret, tenetur restituere, & si ignoraverit personam, potest componere. Impulsiva causa est alia, quæ inclinat ad aliquid dandum, vel faciendum; sed ita inclinat, ut daretur, vel fieret, etiamsi talis causa impulsiva non adesset; Motiva est illa causa, sine qua, nec daretur, nec fieret.

Quartus decimus casus: *Item en todas las cosas, que alguno huviere hallado, hecha primero sufficiente diligencia, no pareciendo sus duenos, ni à quien competen de ser restituidas, se puede componer.*

In hoc casu loquitur Bulla in opinione asserentium, non posse quemquam inventa bona retinere sibi post inquisitum diligenter, & non inventum dominum. Sed jam suprà diximus, contrariam opinionem esse probabilem, & tutam, neque in illa opus esse compositione. Circa bonaverò naufragantium, standum est juris, & Bullæ in Cœna Domini dispositionibus.

Decimus quintus casus: *Item el que huviere alguna, ò algunas cosas en su poder, de persona, ò personas, que no pueden ser avidas para restituir, se lo aviendo se para ello hecho la devi la diligencia necessaria, se podra componer de lo que aquello montave.*

Potest quis habere aliqua bona alterius pro diversis titulis, v. gr. Commendationis, Mutui, Oppignorationis, Depositi, aut alicujus alterius contractus, in quo dominium non transfertur. De istis igitur bonis potest fieri compositio, non comparente domino, cui restituenda sint, nec habita spe illius inveniendi.

Hic advertendum est. Id quod quis habet in Depositio judiciali, quod vocatur sequestratio, teneri reddere illi, quem Judex assignaverit, nec habentem posse pro auctoritate sua decernere, cuinam illa bona tradenda sint; neque etiam ex ejus arbitrio dependet inquirere, neque curare de inveniendo domino. Et si Judex assignaverit dominum, & talis dominus non inveniatur, tenetur Depositarius tradere depositum Judici, ut ipse decernat de depositio quid sit faciendum. Sed si Judex postquam assignavit dominum, & officium suum explevit, non repetit depositum, sed committit Depositario curam restituendi illud, jam tunc depositum remanet in potestate Depositarii, tanquam si dominus ipse commendavisset. Tunc si dominus non compareat, habet locum compositio.

Decimus sextus casus: *Se pueden componer los danos que se ayan hecho andando à casa, con sus ganados, ò de otra manera, assi en los panes y vinas como en otros qualesquier heredamientos, no sabiendo à quien se ha hecho el dano.* Casus hic, per se patet.

Decimus septimus casus: *Todas las mugeres, que no son publicamente deshonestas, se pueden componer, de qualquier dinero ò ayas, que por causa sea huvieren recibido; y los hombres, si de mugeres, que no tienen maridos, se pueden componer por la misma razon.*

Hic casus loquitur in opinione paucorum asserentium non posse fœminas, quæ in occulto turpiter vivunt, referre, nec retinere pro turpitudine pretium: sed cùm probabilius sit, posse, non egent compositione. Quod idem dico de viris, sed si tam illi, quàm illæ ferrent pretium ab eo, qui non potest talia bona alienare, tenentur restituere, neque componere possunt, nisi dominus, cui facienda esset restitutio, ignoraretur.

Decimus octavus casus: *Si alguno ha vendido vino aguado por puro, ò medido con falsa medida, ò huviere vendido alguna otra cosa con menores pesos, ò medidas è vendido una cosa por otra, ò mezclado, ò pesado, ò mal medido, no sabiendo à quien se huviere vendido, se pueden componer.*

Casus hic est latissimus, & in tractatu de Restitutione videndum est, quando obligetur, & similes fraudes teneatur quis restituere, & quando excusari possit. Quando verò restituere teneatur, poterit componi, si certus dominus ignoretur.

ARTICULUS IV.

Conclusio hujus Bullæ.

Concludit Bullam Commissarius Generalis: *En los casos, y cosas que a qui particularmente no van expressados, attento que la facultad, y comission à Nos dada, y concedida por su Santitad es general, y comprehende otras mas cosas, en que se puede hazer la dicha composi-*

cion

cion, la remitimos al arbitrio de los Confessores, para que ellos como Medicos espirituales, digan, y declaren à sus penitentes, de todo lo que en virtud de esta Bula, y facultad Apostolica se podra componer para el descargo, y satisfacion de sus animas, y conciencias, demas de los casos en esta Bula declarados.

Longum esset discurrere per cuncta officia, artes, & facultates, ut diceremus casus, in quibus teneantur restituere, & componere per Bullas, hi, quibus tales artes, & officia prohibentur. De hac materia tractant Mendo, *disp.* 35. Joannes Machado *tom.* 2. *De Profect. Confess.* Petrus de Onate, *tom. de contract.* qui omnes eruditissimè.

Ut regulam propono: Cunctos professores artium, tam liberalium, quàm mechanicarum: hos etiam, qui Reipublicæ habent officia, Mercatores, & eos qui quodcumque contractus genus exercent, posse componi per Bullas, & eximi ab obligatione restituendi, pro defectibus in obligatione suarum professionum, aut negotiorum, si ignorent cuinam debeatur restitutio, nec ipsi injustè processerint in fiducia accipiendæ Bullæ. Et ita in qualibet professione debent hæc duo puncta disquiri.

Solùm hîc libet advertere, de quibusnam reditibus Ecclesiasticis possit fieri compositio; & de quibus non possit: quando hi reditus tenentur restitui alio titulo, quàm ad officium non recitatum, quia de hoc jam sermo habitus est. Circa quod resolvitur,

1. Episcopum, & Parochum quando defuerunt residentiæ sine causis, quas assignat Trid. *sess.* 23. *de refor. c.* 1. & quando ultra tempus indultum ibi defuerunt, non posse percipere fructus, neque componi pro iis, quia ibidem prohibet Concilium, ipsam compositionem, neque Bulla derogat prohibitionem.

2. Ecclesiasticos non assistentes Ecclesiæ, non posse percipere distributiones, neque componi pro his; quia hæ habent dominum, cui debeat restitui, nempè assistentes. Ita sentiunt Expositores Bullæ.

3. Omnes Ecclesiasticos non habentes curam animarum posse componi pro fructibus restitutioni obnoxiis ob defectum residentiæ, nisi hi fructus debeantur residentibus, quia tunc nequit fieri compositio.

4. Posse componi per Bullas, vel cum ipso Commissario fructus malè perceptos, aut ex eo, quòd quis non obtinuerit Canonicè beneficium, aut quòd incurrerit in censuras post beneficii possessionem, quando isti fructus sic malè percepti debent restitui Ecclesiæ, aut pauperibus; quia Pontifex potest istos fructus tunc componere, aut per Bullas, aut cum ipso Commissario, ut Administrator ipsorum bonorum, & ita concedit.

Dixi: *Quando debentur Ecclesiæ, aut pauperibus.* Quia si juxta consuetudinem, & statutum deberentur successori, non possent componi. Sed si fieret revalidari titulus beneficii, tunc possidens invalidè, nihil teneretur restituere; quia in hoc casu, ipse est successor beneficii respectu ultimi possessoris. Ita Mendo *d.* 34. *n.* 62. usque ad 47.

Quæritur: An dilatio componendi se per Bullas, & quando sit peccatum mortale?

Respondetur: Illa in dilationem, quæ in restituendo foret peccatum mortale, futurum etiam mortale peccatum in componendo, quando quis habet bona incerti domini, & intendit componere per Bullam. Et quandoque dilatio minor, erit peccatum mortale, quia sæpè impossibilitas, aut difficultas magna restituendi excusat à restitutione prompta, quæ impossibilitas, aut difficultas non potest à compositione excusari, cùm possit parva quantitate fieri.

Quæritur secundò: An qui non habet unde pro integrò restituat, habet tamen, unde per Bullas componatur, accipere Bullas teneatur in casibus, quibus per Bullas possit satisfacere?

Resp. Videri obligatum esse; quia debet restituere eo modo, quo potest. Probabilior est tamen contraria opinio; quia compositio est privilegium, & nullus tenetur uti privilegio, ut restituere cogatur.

Quæritur tertiò: An possit componi per Bullas qui accepit eleemosynam pro celebrandis Missis, & non meminit à quo accepit, vel cui debeat applicare.

Resp. negativè. Iste autem satisfaciet offerendo sacrificium pro his, qui eleemosynas erogaverunt. Mendo cum aliis, *d.* 35. *nn.* 51.

CAPUT III.

De Bulla Defunctorum.

IN hac Bulla, quam formar Commissarius Generalis, ex una clausula Latina, concedit Pontifex indulgentiam plenariam per modum suffragii animæ, cui applicatur ista Bulla, & pro qua erogatur eleemosyna.

DUBIUM I.

De Indulgentia plenaria, quæ per Bullam conceditur animæ in Purgatorio patienti.

POntificem posse concedere indulgentias, tam in favorem vivorum, quàm defunctorum est perspicuum, tum per Conciliorum definitiones, tum per continuatam concedendi praxim. Sed vivis concedit, ut subditis adhuc suis, per modum absolutionis; defunctis verò, utpotè jam extra jurisdictionem ejus existentibus, per modum suffragii, tribuens ex Ecclesiæ Thesauro, cujus opes ipse dispensat, quando indulgentiam concedit plenariam; id quod sufficit, ut pro integro solvatur debitum pœnæ, quod anima illa tenebatur pro culpis in Purgatorio pati. Itaque suffragium, est subsidium, aut auxilium, quod illi tribuitur, ut solvat in parte, vel in toto, & eripiatur à pœnis, quas patitur.

Quæritur primo: An infallibiliter Indulgentiam lucretur plenariam Bullæ, anima pro qua offertur?

Respondetur affirmativè: Concurrentibus cunctis ad applicationem requisitis.

Quæritur secundò: Quandonam hujus Indulgentiæ beneficio fruatur anima?

Respondetur: Tunc quando erogans eleemosynam taxatam pro Bulla applicat illi suffragium. Communiter fideles applicant hoc suffragium ubi primùm Bullam accipiunt. Sed possunt non statim applicare; præsertim si se extra statum gratiæ senserint, quia quamvis speculativè loquendo non sit opus gratiæ in applicante, ut animæ prosit indulgentia; qui tamen tutiorem semitam cupit sequi, differet prudentiùs applicationem, donec se in statum gratiæ restituat.

00553
Lo DIC. 1982

Quæritur tertiò : An sit utile accipere ultra unam vicem Bullam pro una anima ?

47997

Resp. affirmativè : Quia contingens est quandoque deesse requisitum aliquod, quo deficiente, non habeat indulgentia effectum. Itaque conducit accipere sæpiùs Bullam pro eadem anima, ut, si semel, aut sæpius defuit requisitum aliquod, suppleatur per aliam Bullam. Singulis annis non possunt ultra duas Bullas pro eadem anima accipi ; hæ tamen duæ, singulis annis possunt sumi.

Quæritur quartò : An quando quis accipit Bullam defunctorum, possit determinationem relinquere Deo, ut ipse eligat animam, quam voluerit, cui applicentur indulgentiæ.

Resp. negativè. Mendo *d.* 36. *nn.* 2.

Quæritur quintò : An possit accipi Bulla pro pluribus animabus, aut pro omnibus, ut inter eas dividatur indulgentia, per quam anima una poterat à pœnis eripi.

Respondetur affirmativè. Ratio est : Quia qui accipit hoc summarium, potest quidquid illi, qui vadunt, vel mittunt ad bellum contra infideles ; sed illis conceditur, quòd possint applicare indulgentiam animabus Purgatorii per modum suffragii, quin coarctentur, ut tantùm applicent animæ (quamvis communiter fidelium praxis uni applicet) ergo & ille poterit pluribus applicare.

DUBIUM II.

De aliis difficultatibus circa Bullam.

Quæritur primò : An sit necessarium, quod sit in statu gratiæ ille qui applicat suffragium hujus Bullæ, aut aliam quamlibet Indulgentiam defunctis, ut eis prosit ?

Resp. 1. Quoad hanc Bullam supponere communiter Auctores, ut videre licet in Trull. *l.* 4. *d.* 10. prodesse Bullam defuncto quamvis accipiens, & applicans ei non sit in gratia ; quia Pontifex *ex opere operato* applicat ex Thesauro Ecclesiæ hanc indulgentiam per modum suffragii, apponendo pro conditione, solùm ut taxata eleemosyna erogetur ; quod potest facere peccator : neque ideò privabit animam defuncti, applicatione Thesauri, quemadmodum qui erogat eleemosynam per manum servi, aut eleemosynarii peccatoris non privatur merito, & præmio eleemosynæ.

Resp. 2. Quoad aliam quamcunque indulgentiam, quæ defunctis applicatur per modum suffragii, quamvis Cajetanus cum aliis senserit applicantem debere esse in statu gratiæ, ut prosit illi cui applicatur, opinionem tamen contrariam esse probabiliorem, & communiorem. Ratio est ; quia status gratiæ tantùm requiritur in indulgentia ad tollendum obicem, & ut possit recipi indulgentiæ effectus qui est relaxare pœnam debitam pro culpa, quæ pœna non potest relaxari illi, cui non est dimissa culpa per gratiam ; ergo sufficit esse in gratia illum, qui recepturus est effectum indulgentiæ, nempè animam in Purgatorio existentem non verò applicantem. Mendo *d.* 36. *nn.* 12. ubi citat plures.

Quæritur tertiò : Quænam eleemosyna, taxata sit pro defunctorum Bulla ?

Resp. Quòd extra Indias, eleemosyna est duorum argenteorum ; apud Indos verò pro Hispanis defunctis, argenteorum quatuor ; pro Indis verò nigris, Hispanis pauperibus, servis, Religiosis utriusque sexus, argenteorum duorum.

CAPUT IV.

De facultatibus Commissarii Generalis Cruciatæ.

Speciales facultates, quas habet Commissarius Generalis à Pontifice, non circumferuntur Hispanico sermone, sed Latino, & Brevibus quibusdam in favorem Commissarii. Hæ pertinent partim ad animarum salutem, partim ad bonam Cruciatæ expeditionem spectant. Quæ magis è re fuerint, eas in hoc capite ventilabimus.

DUBIUM I.

De facultatibus in ordine ad bonam Bullæ expeditionem.

Quæritur primò : Quamnam facultatem habeat Commissarius, ut procedat contra delinquentes in Cruciatam ?

Resp. Posse procedere contra illos, iisdem pœnis, quibus quælibet Ecclesiastica jurisdictio, usque ad relaxandum delinquentes sæculari brachio, si pœna capitis judicarit dignos.

Quæritur secundò : Quinam putentur in Cruciatam delinquere ?

Resp. Impedientes, aut retinentes promulgationem Bullæ, rapientes, aut occultantes bona ad Cruciatam pertinentes ; opponentes se privilegiis ministrorum Cruciatæ ; remorantes, aut malitiosè percutientes eos, qui ad bellum contra Infideles vadunt, ne vadant, & alios similes. Inter eos autem, qui ad bellum pergunt, non sunt numerandi ii, qui pro stipendio pugnant, nisi sint pauperes, & eant substituti, & missi ab aliis in Cruciatæ subsidium ; quia hi, qui vadunt pro stipendio, si non sunt pauperes, non gaudent Bullæ privilegiis.

Quæritur tertiò : An pœnæ pecuniariæ, quas imponit Commissarius, debeant pro integro Cruciatæ applicari ?

Respondetur affirmativè.

Quæritur quartò : An pœnæ impositæ ab Ordinariis pro quocunque delicto, debeant applicari Cruciatæ ?

Respondetur. Olim, omnes pœnas applicandas fuisse, nunc verò dimidium earum : Præcipiturque Ordinariis in virtute Sanctæ obedientiæ, ut applicent eas, ordinariorumque dictis standum est quoad earum quantitatem, quoad fidelitatem verò Pontifex injungit Religionum Ordinariis, committitque Commissario, ut inquirat, an fideliter se gerant ; & ut possit ad fidelitatem compellere.

Quæritur quartò : Quosnam officiales possit Commissarius Generalis eligere ?

Resp. In omnibus Provinciis posse eligere Commissarium, subdelegando eis in toto, vel in parte suam jurisdictionem, & Notarios ad quidquid in hoc negotio se obtulerint. Sed tamen Commissarios, quàm Notarios approbaturus est Ordinarius prudenti judicio. Potest etiam compellere quoscunque Notarios, ut exhibeant chyrographa ad hoc negotium pertinentia. Commissarius autem Generalis non potest cogi, ut compareat coram alio Judice quàm Pontifice, neque Commissarii, & Notarii subdelegati coram alio, quàm Commissario Generali in rebus ad Cruciatam spectantibus, dum eis attendit ; quamvis hos possint punire Ordinarii locorum, in quibus delinquunt, in materia, quæ ad Cruciatam non pertineat.

Queri

Quæritur sextò : Quamnam potestatem habeat Commissarius in recolligendis Cruciatæ bonis?

Resp. Posse admonere omnes habentes bona Cruciatæ, Chyrographia, aut instrumenta pertinentia primariò, aut secundario ad Cruciatam, ut manifestent Commissario, aut alteri personæ ab eo deputatæ statim ac possint, sub pœnis pecuniariis in subsidium Cruciatæ adjudicandis : Episcopus verò, & alios Prælatos [illegible] sub pœna suspensionis, & interdicti ab [illegible] reliquos verò sub [illegible] excommunicationis latæ sententiæ, à qua solus Pontifex possit absolvere. Qui autem aliquid bonorum, quæ diximus, scienter retinuerit, non poterit beneficio, neque gratiis gaudere Bullæ.

Aliæ facultates, quas habet Commissarius quoad expeditionem Bullæ, vel inferuntur sufficienter ex ipsa Bulla, vel jam in hoc libro tractatæ sunt.

DUBIUM II.

De facultatibus, quas habet quoad animarum salutem.

Quæritur primò: An possit in irregularitatibus dispensare?

REsp. affirmativè : exceptis illis, quæ procedunt ex homicidio voluntario, simonia, Apostasia à fide, hæresi, aut mala Ordinum acceptione, aut ex celebratione Missæ, & aliorum Divinorum Officiorum, cùm quis censura esset ligatus, in contemptum clavium. Potest verò dispensare in reliquis, quæ procedunt ex defecto, ut possint retinere beneficia, & percipere fructus eorum, delendo infamiam, & inhabilitatem, quæ ab irregularitate proveniebat, & restituendo exercitium Ordinum non malè acceptorum.

Quæritur secundò : In quanam forma possit in his irregularitatibus dispensare?

R. Quod dispensando, & componendo simul. Hoc est imponendo aliquam pœnam pecuniariam in subsidium Cruciatæ, quæ succedit pro pœna irregularitatis.

Quæritur tertiò : An hæc dispensatio valeat in foro externo?

Resp. affirmativè. Quia Pontifex non coarctat facultatem Commissario ad forum tantùm internum.

Quæritur quartò : An valeat quando delictum est publicum?

Respondetur affirmativè. Eadem ratione.

Quæritur quintò : An possit dispensere Commissarius in aliquo impedimento occulto matrimonii, postquam invalidè contractum est?

Resp. Posse dispensare [illegible] impedimento affinitatis quoad primum, & secundum gradum, quod præcessit ad matrimonium per fornicationem, ut possit matrimonium revalidari : sed [illegible] um his limitationibus, nempè ut contrahentes serv[illegible] verint formam Concilii Trid. quod ista dispensatio valeat solùm in foro conscientiæ, & ita Commissarius deb[illegible] talem dispensationem concedere, verbo, aut scriptis, quæ tradantur Confessario, ut lecta, statim rumpat. Quod impedimentum sit occultum. Quod matrimon[illegible]m sit jam contractum. Quod ex ejus dissolutione timeantur gravia scandala, ut communiter timeri possunt. Quod unus ex contrahentibus processerit bona fide, ignarus impedimenti. Quòd hic debeat fieri certior de nullitate primi consensus, ut occultè iterum contrahat novo consensu. Et [illegible]ebet dici nullitatis causa illi, cui redditur ratio

Quæritur sextò : An si hoc impedimentum supervenit matrimonio, possit in eo Commissarius dispensare?

Resp. Posse dispensare, ut valeat petere debitum, qui contraxit impedimentum.

Quæritur septimò : An possit Commissarius legitimare prolem, quæ nata est ex matrimonio, durante illo impedimento occulto, quo matrimonium contractum fuit?

Resp. Posse, quia etiam tribuitur illi hæc facultas. Et valet in opinione omnium Doctorum hæc legitimatio ad actus spirituales, ut ad Ordines, & beneficia sus[illegible] valet[illegible]. In opinione etiam Henr. Trull. & Mendo poralib[illegible]egitimatio ad succedendum in bonis tem.

Quæritur octavum, quia non coarctatur à Pontifice,
tiam dare, ut
& ut in eo celebrassit Commissarius Generalit licen[illegible]
[illegible]ratorium in privatis ædibus

Resp. Posse, si priùs vi[illegible] ipsum Oratorium. Quia ita ar[illegible] in facultatibus suis, quas promu[illegible]it ab Ordinario vertit Idelphonsus de Lara, affirm[illegible]missarius ipse facit fidem, debetque illi adhiberi alle[illegible] & ut ad-

Quæritur nonò : An possit dare licentiam, ut sarii Missa, & audiatur una hora ante diem, & post meridiem, & quibus personis?

Resp. Posse dare hanc licentiam personis nobilibus & quas ille censuerit esse sufficientis qualitatis.

SS. D. N. CLEMENTIS
Divina Providentia Papæ X.

Constitutio in qua Regularium privilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.

SUperna, &c.

Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere : prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tamquam à Sedis Apostolicæ Delegato censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vi Constitutionis fel. recor. Gregorii XV. prædecessoris nostri incipientis, *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque rationabili causa contradicere non debere : & hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, vel ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licèt clausis januis, & nullus sacularis ibi interesit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessam Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt prædicare volentibus illos, quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi [illegible] iisdem concessam ob rationabiles causas licèt occulta[illegible] prædicationem [illegible]amen concernentes suspendere; non

bus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Regulares ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non possе in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati: & generaliter ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum sed egere, quoad hoc, speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialiu unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidem Confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos audiendas, haud posse explera Deputati, quoties casus Detionis hujusmodi, illarum & Monasteriis, ac etiam toties ab Episcopo esse anna instituta vivitur, posse putationis contigerit, quàm Confessarios Regulatam Prælatos illorum sæcularium, qui inibi sunt Collegiis, ubi existeriorum, seu Collegiorum autrium eorum & continui Commensales: non autem dire sunt tantum ipsis deserviunt. Illos autem Reli- ad Confessiones audiendas idonei generali- fuerint, ab Episcopis quoque, & indistinctè cia limitatione temporum, certorumque locoet generis personarum in Diœcesi propria ados. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei ntur, si petierint se admitti arbitrio Ordinarum, relinqui ipsos cum limitata facultate, prout lem Ordinatiis magis expedire videbitur, probare, dmittere. Semel autem simpliciter approbatos posin Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tem- e etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirum Confessiones audire, absque ulla Parochorum, l ipsius Episcopi licentia. De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Paohum illicò certiorem reddere: & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi Confessiones præcipi: sufficere tamen ut certior ratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad Confessionem dumtaxat satisfeciſſe censendos. Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, q[uo]d sic approbatur iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi licentias ipsis concessas revocari, nisi nova superveniente causa quæ ipsas concessiones concernat: de qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam aperiri postulaverit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare, quominùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut pellere à Confessionibus audiendis. Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessariis adimi ab Episcopo incompetenter Sedem Apostolicam nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi à casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem Regulares confessarium in ea Diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessarius est approbatus absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum Privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere Pœnitentes à censuris, quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti, quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur; si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, & ambigua non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cùm ejus sit interpretari cujus est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio prout aliàs constituti ne Prædecessoris nostri, &c. fel. rec. Clementis IV statutum fuit, esse exequendum.

Non obstantibus quibuscumque, &c. etiam insolit casibus.

Dat. Rom. anno 1670. 11. Kal. Julii Pontif. nost anno primo.

Nota: In propositionibus damnatis ab Alexan VII. propositione duodecima videbatur limitata ad los Mendicantes. Ita enim habet propositio: Me cantes possunt absolvere à casibus Episcopis reserva non obtenta ad id ab Episcopo facultate. At Clem X. magis amplè loquitur, cùm absolutè sic pronunti Ex facultatibus per Mare magnum, aliave privileg cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis etia Jesu concessis, facta eis non est potestas absolvendi casibus ab Episcopo sibi reservatis.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe conceptæ.

